HISTORIÆ ROMANAE SCRIPTORES LATINI VETERES, QVI EXTANT OMNES,

REGVM, CONSVLVM, CÆSARVM RES GESTAS ab Vrbe condita continentes:

Nunc primùm in vnum redacti corpus, duobus Tomis distinctum, copiosissimoque non rerum modò, sed etiam verborum & phraseωn notatu digniorum indice, locupletatum: in quo, non historici solùm, verùm etiam iurisconsulti, politici, medici, mathematici, rhetores, grammatici, quin & theologi atque adeò pene omnium disciplinarum professores, quod vsibus ipsorum inseruire queat, inuenient.

EBRODVNI,
Typis & sumptibus SOCIETATIS HELV. CALDORIANÆ.
M. DCXXI.

IN HISTORIAE ROMANAE VARIOS SCRIPTORES LATINOS

PRAEFATIO AD LECTOREM.

CErta sunt rerum omnium initia, incrementa, decrementa: quæ temporis progressu perfectionem aliquam attigerunt, momentis suis declinare, atque ad senium quoddam vergere videntur. Quod non solùm in Physicis, vt in plantarum & arborum satu, terreque fœtuum aliorum ortu & incrementis accidere cernimus; verumetiam in doctrina de moribus, animaduertũt rudiores ad virtutem fieri progressum. Idem in Politicis euenit vt imperiorum primordia & quasi publicarum rerum seminaria existant. Nam si quis populum Romanum: sicut hominem considerauerit, quomodo primùm cœperit, ac postea tot laboribus periculisque iactatus ad constituendam gubernationis formam adoleuerit, & priusquam consenuit, ad ἀκμὴν ætatisque florem, vigorem & maturitatem peruenerit. *Infantia* quidem huius *populi* sub regibus conspicitur, quando nimirum cum finitimis colluctatus est. Sequens interuallum à L. Iunio Bruto & L. Tarquinio consulibus vsque ad Appium Claudium Caudicem domita iam subactaque Italia, cum *Adolescentia* comparare liceat, in qua Romanus populus robustus & iuuenis, orbi terrarum in potestatem redigendo par esse potuit, & Africam, Europam, Asiam, bellis victoriisque suis peragrauit atque illustrauit.

In his ætatibus virtutem cum fortuna contendisse, seu fortunam cum virtute adæquatam apparuisse, parique passu ambulasse, meritò dixerim. Sed ab eo tempore ad Augustum Cæsarem populus Romanus totum orbem pacauit, ac iustam maturitatem est adsequutus. Namq; potens ille monarcha templum Iani, quod à Numa Pompilio iam olim extructum, index belli & pacis vt foret, breui temporis spatio terra marique pace parta, ter clausisse scribitur. Ab illo verò ad sequẽtia multa secula, sub ignauis & deliris Imperatoribus paulatim ad *senium* inclinauit: ita tamen vt sapientum quorumdam Principum auxilio, nonnunquam respirauerit, & Iuuentuti quodammodo restitutus visus sit. Ad eandem planè rationem historiæ Romanæ principia quædam & præludia fuerunt, vt vnà cum imperio indies magis magisque cresceret & augeretur. Initio námque paulatim nascente monarchia ad ruditatem & infantiam omnia restringebantur & vnam dicendi Laudem in puerili sermone & balbuciente breuitate collocabant. Deinde orationis ornamenta nesciebant, satisque esse arbitrabantur, non fieri mendacem.

Eloquentiæ parens, lib. 2. de Oratore, Erat, inquit, historia (testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis) literis consignata, nihil aliud nisi Annalium confectio, cui rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum vsque ad P. Mutium Pontificem Maximum res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebátque in album, & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo, &c. Ad hanc similitudinem scribendi nudam & simplicem, multi se deinceps composuerunt, & sine verborum sententiarumque insignibus ac coloribus, tanquam narratores, non exornatores, hominum, temporum, locorum, gestarumq. rerum circumstantias reliquerunt. In ista classe habiti sunt iam olim Cato, Piso, Fabius Pictor, Horum postremus, vt & Philinus historiæ leges primarias vel non intellexisse, vel neglexisse iudicatur. Cùm enim prima historiæ fundamenta sint, ne quid falsi dicere audeat, dein ne quid veri non audeat proferre, ne qua suspitio gratię sit in scribẽdo, ne qua simultas, vterque abundantia amoris erga patriam deceptus comperitur. Etenim Philinus affectu amico Carthaginenses omnia prudenter, optimè, fortiter gessisse, refert: Romanos non item. Fabius contrariam sententiam tuetur. Quot Philinos autem & Fabios sequentia tulerint secula, nemo facilè numerauerit. Hanc rationem, aut si mauis modestiam, in quotidianæ vitæ consuetudine probamus: siquidem virum bonum amicorum patriæque amantem esse, & simul amicorum amicos colere decet: sed eum, qui scribendæ historiæ munus suscepit, cuncta huiusmodi omittere conuenit, imò maximis laudibus hostes extollere, cùm eorum dicta vel gesta id exigere videntur, ac interdum amicos censoria notare virgula, si lapsus illorum reprehensionem requirunt.

Addidit historiæ maiorem sonum vocis Antipater, Crassi familiaris, & quanquam (teste Catulo Ciceroniano) neque distinxit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione, tractatuque orationis leni & æquabili historicum opus perpoliuit, sed pro virili parte dolauit, superiores tamen superasse censetur. Post illud tempus præstantissimi quique viri & Imperatores intellecta negotij amplitudine certatim gloriosos illos labores consectati sunt, vt consilia & acta cum euentis dispensarent, ac circumstantiis distinguerent, perfectáque patrium opera dederunt operam, vt genere orationis non concertatorio, contorto, & acri, sed fuso, tracto & cum lenitate quadam æquabili profluente, absque iudiciali seueritate sententiarumque forensium aculeis v erentur, incredibili delectatione allicientes hominum animos, omnéque punctum tollentes, dum admiscent vtile dulci. Sed horum alij commentarios pertexuerunt, quoties ab occupationibus publicis & bellis conficiendis otium nanciscerentur, id est magnis historicis suppeditarunt scribendi materiam.

In illorum numero Sylla dictator apparet, qui commentarios suos, Plutarcho referente, Lucullo, tamquã rectius dispposituro, inscripsit. Is sermonis vtriusq; facultaté eximiam tunc sibi parauerat, & orationé tum ad vsum quotidianũ accuratè meditatã habebat, tum à puero, rei nimirũ pulcritudine ductus, liberali se disciplinę tradiderat. Syllę auté cõiungimus Caiũ Iuliũ Cęsaré, bellicis laudibus cũmulatũ. Hic prospiciés animo, sibi detractũ iri, si integrã perpolitámque historia ad posteros trãsmitteret, atq; in eo sibi plaudés hostes vi armis expugnatos stilo etiã persequeretur, maluit, quàm historiam perfectam, nobis relinquere Cõmentarios, qui ne quidé ab inimicis reprehendi potuére. Illud autem obtinuit ingenii sui robore & acumine, vt quam aliis præbere voluit scribendi copiam & facultatem, eandem omnino præripuerit. Commentarios, inquit Cicero in claris Oratoribus, scripsit rerum suarum, valde quidem probandos. Nudi enim sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Sed dum alios habere parata voluit, vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere, sanos quidem homines à scribendo deterruit. Et Quintilianus, libro decimo. Caius Cæsar si foro tantùm vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamen hæc mira sermonis, cuius propriè studiosus fuit elegantia. Porrò ipsius Cæsaris de suo charactere iudicium in Plutarcho legitur, vbi Catonis laudationi Ciceronianæ respondens petiit, ne suus sermo militaris cum Oratoris ingeniosi, qui multùm otij in dicendi rationem impendisset, eloquentia compararetur.

Quum autem beati putentur, quibus datum est facere scribẽda, vel scribere legenda, beatiores quibus vtrunque. nominatis Dictatoribus duo hæc ex animi sententia contigerunt. Præter commentarios alij rursum florente imperio iustas historias exararunt, vt Salustius, Liuius, & cæteri, de quibus infra. Denique post vigorem & maturitatem historiæ Romanæ, etiam si veritatis studium nonnullis haud defuit, attamen orationis puritas sensim turbida facta est, & magna ex parte corruptum, elumbe, fractumque dicendi genus occurrit, id quod ex Suetonio, Spartiano, Capitolino & consimilibus deprehédere licet. Si quis quærat, cur posteriores à priorũ dicendi gloria desciuerint? en ipam in iniqua tempora transferamus. Neque enim ingenia defuerunt, sed adolescentum ignauia, pręceptorum ruditas, cum antiqui moris educationisque laudabilis obliuione, tum vitia primùm in vrbe per singulos ætatum gradus nata móxque per totam Italiam, prouincias item Romanas latè diffusa, barbariem inuexerunt.

Nunc historicos hoc opere coniunctos ordine intueamur. Cæsari prior sedes tributa est, quamuis præpostero ordine collocetur, id exigente temporum consideratione, & peculiari quodam typographorum iudicio. *Titum Liuium* Tacitus commendat ab eloquentia & fide. Quintilianus autem, libro decimo, Non indignetur, inquit, Herodotus sibi æquari Titum Liuium, cùm in narrando miræ iucunditatis, clarissimique candoris tùm in concionibus, supra quàm enarrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia, cùm rebus, tùm personis accommodata. Sed affectus quidem, præcipuè dulciores, vt parcissimè dicam, nemo historicorum commendauit magis. Ideóque immortalem illam Salustij velocitatem diuersis virtutibus consecutus est. Continuam 746. annorum historiam ab Vrbe condita anno Mundi 3112. vsque ad quartum annum ante Christum natum, qui est imperij Augusti tricesimus septimus, conscripsit. Singulari cura originem & formam Romanæ reipublicę legum, sacrorum, magistratuum, pacis, bellique instituta, præstantiam gubernatorum & ducum imagines illustres, consiliorum maximorum deliberationes, res domi forisque gestas, & mutationes insignes earumque causas explicauit, & temporum ac annorum singulorum seriem, annotatis Consulum nominibus, accuratè discreuit. Etsi autem 14. Decadibus seu 140. libris Liuij tres tantummodo Decades & quintæ dimidium extent, tamen reliquorum librorum argumenta & & pręcipuarum Historiarum series, ex epitome Flori facilè animaduerti possunt.

Messala Coruinus Augusti Cæsaris progeniem, simul & Vrbis prima regimina ab exordio literis distinguere persuasus, operam dedit, vt aliquid ingenij sed parum laboris occuparet. *L. Florus* omnium Liuij decadum summam quatuor libris exhibet, quæ historiarum iacturam demonstrat, non sarcit. *Velleius Paterculus* ab Vrbis primordio Romanam historiam omnem admirabili compendio duobus voluminibus erat complexus, etiam antiquioribus aliarum nationum gestis, præsertim in libri prioris initio finéque perquam eleganter admixtis. Prius hoc acephalon est, adeo non cæteris tantùm rebus, verùm etiam bonis auctoribus, iniuria vetustatis

cuncta

cuncta absumentis officere solet. Sub Tiberio Imperatore præfectus Equitum & Quæstor, purissimo stilo Romanæ historiæ epitomen vsquè ad Tiberij annum 32. deduxit. *Sextus Aurelius Victor* Romanæ Gentis Origines conscripsit à Iano & Saturno conditoribus per succedentes sibimet reges, vsque ad decimum Constantij consulatum. Viros item Illustres Vrbis Romæ à Proca Syluio & Romulo ad Augustum Cæsarem & Sextum Pompeium, admixtis peregrinis nonnullis, Hannibale, Antiocho Syro, Viriato Lusitano, Mithridate, Cleopatra Aegyptia. Parte altera Imperatores persequitur ab Augusto vsque ad Consulatum decimum Constantij Augusti & Iuliani Cæsaris tertium. Hanc partem Andreas Schottus pleniorem euulgauit, ad Arcadij & Honorij imperium. *Sextus Rufus* V.C. dictator, militum magistor Breuiarium rerum gestarum Populi Romani scripsit ad Valentinianum Augustum ab Vrbe condita ad Iouiani exitum.

Eutropius, qui tempore Valentis floruit, interfuitque Iulianicæ expeditioni contra Persas, historiæ Romanæ Epitomen seu Breuiarium vsque ad Iouiani mortem & annum Christi 368. deduxit. Res Romanas, inquit in epistolio ad Valentem, ex voluntate mansuetudinis tuæ ab Vrbe condita ad nostram memoriam, quæ in negotiis vel bellicis, vel ciuilibus eminebant, per ordinem temporū breui narratione collegi, strictim additis etiam iis quæ in principum vitis egregia extiterunt: vt tranquillitatis tuæ possit mens diuina lætari, prius se illustrium virorum facta in administrando imperio sequutam, quàm lectione cognoscerent. *Magni Aurelij Cassiodori* Index ex Chronico collectus exhibet Reges Latinos & Romanos, Consules, Cæsares 48. à Iulio ad Anastasium. *Iornandes* aliud Breuiarium exhibet eiusdem fere argumenti, nempe de Regibus, Consulibus & Cæsaribus ab vrbe Condita vsque ad Iustiniani imperium & Longobardorum regnum. Adiunctum est *Iulij Exuperantij* Opusculum de Marij, Lepidi ac Sertorij bellis ciuilibus, quod historiarum Salustij breuiarium quoddam esse videtur.

Salustius, Ciceroni & Iulio Cæsari σύγχρονος, quasdam historiæ Romanæ partes, summa cum sapientiæ, puræ grauitatis, argutæ breuitatis, & elegantis facundiæ laude perscripsit. Ex quibus nunc Coniuratio Catilinæ, anno Vrbis 691. à Cicerone consule oppressa, & bellum Iugurthinum, à Caio Mario consule confectum: ex cæteris autem historiarum libris orationes aliquot, & ad Cæsarem de Republica ordinanda tantummodo extant. Fuisse autem Salustium Marci Catonis & & Thucydidis Attici perstudiosum, similis forma Orationis pressæ, concisæ, & sapientissimis sententiis stipatæ, multáque ex Thucydide dicta ad verbū conuersa, ostendunt. *Cæsar* paulò ante & suo loco depictus est. *Suetonius* Taciti contemporaneus, Adriano Cæsari fuit ab Epistolis, similique orationis proprietate ac breuitate, plus neruorum quàm pinguedinis, succi, coloris habente, Vitas duodecim priorum Cæsarum vsque ad Domitiani mortem descripsit. In quibus, primam illam historiæ legem, Ne quid falsi scribere audeat, alteram, ne quid veri non audeat, accuratè persequitur dum ἀπροσωπολήπτως Principum istorum non virtutes modò & rectè facta ad imitandum proponit, verùm etiam næuos, scelera, flagitia, posteritatis iudicio detestanda, exhibet. Est enim hoc præcipuum munus Annalium, ne virtutes sileantur, vtque dictis & factis turpibus ex posteritate & infamia metus sit grauior.

Cornelius Tacitus, Salustij imitator, sub Adriano Cæsare Galliæ Belgicæ præfectus, Historiam à morte Augusti ad Traianum libris triginta scripsit, ex quibus quinque priores Tiberij complectuntur Imperium. Posteriores duodecim libri ab octauo anno Claudij vsque ad initium Vespasiani & obsessam Ierosolymam perueniunt. Præclarus scriptor, omni virtute antiquis proximus, & si linguæ Latinæ eadem esset puritas, quæ in Cæsare, & Salustio, cætera sic perfectus, vt vocare illos ipsos antiquos in certamen possit dignitatis. Acer, prudens, & quem si vnquam in manibus hominum versari vtile fuit, hac scena rerum Europæarum expediat. In Tacito principum aulas, principum interiorem vitam, consilia, iussa, facta considera Lector, & obuia in plerisque temporum nostrorum similitudine, ab iisdem caussis pares exitus animo percipe. Inuenies sub tyrannide adulationes, delationes, haud ignota nostro seculo mala, nihil sincerum: nihil simplex, neque apud amicos tutam fidem, frequentatas accusationes Maiestatis, vnicum crimen eorum qui crimine vacabant, cumulatas illustrium virorum neces, & pacem quouis bello sæuiorem. Accedit genus ipsum sermonis minimè sordidum, aut vulgare, distinctum crebris & nescio vnde ex abdito erutis sententiis, quas vel veritate, vel breuitate, vicem oraculi possis accipere.

Aelius *Spartianus* Adriani, Aelij Veri, Didij Iuliani, Seueri, Pescennij Nigri, Caracallæ, Getę historias, Iulius *Capitolinus* Antonini Pij, Marci Antonini Philosophi, vitas lectu dignissimas, Verum, Heluium Pertinacem, Clodium Albinum. Opilium Macrinum, Maximinos duos, Gordianos tres, Maximum & Balbinum, *Vulcatius Gallicanus* Auidium Cassium, Aelius *Lampridius* Commodum Antoninum, Diadumenum, Heliogabalum, Alexandrum Seuerum, *Trebellius Pollio* Valerianum patrem & filium, duos Gallienos, Triginta tyrannos, Diuum Claudium, *Flauius Vopiscus* Aurelianum, Tacitum, Florianum, Probum, Firmum, Saturninum, Proculum, Bonosum, Carum, Numerianum, & Carinum descripserunt. Inter mediæ ætatis scriptores non est quem pro mediocri historico laudemus. Adeo labente imperio barbaries statim & squallor omnia occuparunt: & si qui scripserunt, ij ferè ad vana delapsi falsò vera aut maiora vero miscuerunt. *Ammianus* tamen *Marcellinus* fidei & iudicij clarus est, modò stili. Illius acris, concisa, & planè militaris oratio, classicum quid perpetuò resonans (vt ex descriptionibus crebris conflictuum expugnationum, aulicarum tragœdiarum, in quibus excellit, colligere licet) philosophiæ austeritatem sapit: historicæ verò narrationes, admirabili rerum varietate nobiles, sine vlla offensione in animos illabuntur, & mirabili quadam cum suauitate insident. Natione Græcus, sub Iuliano Cæsare in Gallia & Germania multos annos militauit,

nec non in Aſia, libris 31. hiſtoriam Romanam ſcribens. Superſunt 18. in quibus imperij Conſtantij partem, dein res geſtas Iuliani, Iouiani, Valentiniani, Valentis prolixè & ſplendidè explicat. *Pomponius Laetus* recens Scriptor Romanæ hiſtoriæ compendium, ab interitu Gordiani iunioris vſque ad Iuſtinum tertium proponit.

Encomia verò pleniora vel cenſuras noſtrorum hiſtoricorum à variis editas omittimus, ne lectori faciamus præiudicium, & adulationis ac maledicentiæ crimen fugiamus. Sed quædam maioris momenti ſubiicienda ſuperſunt. In hiſtoriarum ſtudio alij alium finem conſtituunt, atque in eo ipſo malunt ſuo quàm alieno ſtare iudicio. Nonnulli etenim quaſi mercede conducti, multas pagellas vno ſpiritu percurrunt, neque quem fructum inde capiant intelligunt, neque quid ad lectionem afferre debeant attendunt. Deinde apud alios alij errores radices agunt frequenter dum hiſtorias vt temporis tędia fallant non ſine nauſea percurrere videntur. Qui minus inſaniunt, in hiſtoriis quædam exempla venantur, vt in familiaribus colloqutionibus, inter conuiuas & pocula, in amicorum coronis aliquid effutiant quod non tam honeſtum ſibi ſcire exiſtimant, quàm turpe neſcire. In Oratione pro Archia poeta, Quàm multas nobis imagines inquit Orator, non ſolum ad intuendum, verumetiam ad imitandum, fortiſſimorum virorum expreſſas, ſcriptores Greci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi ſemper in adminiſtranda Republica proponens, animum & mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam. Liuius initio præclari operis: Hoc illud eſt, ait, præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, vnde tibi tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias, vnde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.

Cæterum, lectionem & meditationem, atque inprimis iudicium in exemplorum delectu adhibendum, actionem virtutis præcedere oportet. Nam conſideratio diligens & accurata, conſignatas ac inſculptas in animis heroicis notiones exſuſcitat, quandoquidem ea quæ ſenſus exteriores, atque inter hos præcipuè viſus & auditus perceperunt, intrò nuntiantur: & propter continuatum fluxum ac refluxum ſpirituum in neruos illabentium atque inde relabentium, cerebrum feritur, ſicut chordæ pulſantur digitis. Illa autem percuſſione excitatur cogitatio, atque in mentis arce ſuprema, velut in curia, decernitur quid ſuſcipiendum, quidve omittendum ſit, ne quid reſpublica noſtra detrimenti capiat. Cumque magna ſit cordi cum cerebro συμπάθεια, propter villos à ſexto pari neruorum cerebri in tranſitu ad partes principes, cor, pulmones, arteriam trachéam & œſophagum dimanantes, cor ſimiliter à ſpiritibus feritur, & affectus excitantur, ad executionem conſiliorum cerebri ſeſe offerentes. Accedit & locomotiua animæ facultas, quæ ex vno in alium transfert locum externa membra, ad voluntatis imperium. Cum enim notitia formatur, & ſimul feritur cerebrum, nerui interuentu ſpirituum cientur, ac muſculi dilatantur & contrahuntur, donec chordâ tracta membra externa mouentur.

Etiamſi verò legum & hiſtoriarum doctrinæ non poſſint mutare ſubſtantiam nec acres affectus ex corde prorſus auferre, eorum tamen impetus cohibent, flammas extinguũt, neruos reprimũt, & quodam modo flectunt aures, oculos, linguam, manus, & pedes ad debitum obſequium. Quemadmodum enim membra externa vſu & exercitatione in ſcandendo, luctando, currendo & ſimilibus conformari ſollent: ita cor per aſſuefactionem indies magis magiſque promptitudinem ad rectè agendum concipit ac induit. De illo conſenſu rationis in cerebro, affectuum in corde, locomotiuæ voluntatis imperio morem gerentis, Vetuſtas imagines dulciſſimas nobis ob oculos poſuit, quarum vnam atque alteram, veluti picturam loquentem, ingenióque & gratia præſtantem, penitius intuebimur: fingit Homerus Achillem ſtringentem gladium à Pallade, Iouis cerebro nata, id eſt iudicio nata, non ſecus atque in curſu equi frenantur, capilitio retrahi, priuſquam cupiditas in apertum ſcelus erumpat. Etſi enim ratio intelligit diſcrimen honeſtorum & turpium; tamen voluntas non rarò contra illius præſcriptum multa concupiſcere videtur, In eandem ſententiam Pindarus canit Bellerophontem non prius Pegaſum, equum alatum, id eſt impetus heroicos, gubernare potuiſſe, quàm à Minerua frenum aureum acceperit.

Quum autem duorum indiuidua quædam & longè arctiſſima ſit coniunctio, vt præcepta exemplis illuſtrentur. & hiſtoriæ ſine præceptorum notitia vtiliter verſari nequeant: atque ita vtrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilium requirat: dexteritatem in exemplorum delectu, atque eorumdem imitatione vſurpandam ex iuris diuini & humani ſcientia profluere neceſſe eſt: ne propter honeſti & veri ignorationem magnámque in iudiciis imbecillitatem, vel noſmetipſos, vel alios, in diſcrimen coniiciamus. Nam qui his adminiculis deſtituuntur, grauiter impingunt ac frequentiſſimis lapſibus ſibiipſis creant immedicabilia vulnera: nec non iis accidere ſolet quod barbaris in direptione ciuitatis bello captæ qui dum in pharmacopolio incidunt, & aromatum odore allecti pixides aperiunt, pro ſaccaro arſenicum deglutiunt.

Quum verò diuerſa numerentur vitæ genera, diuerſos etiam fines ſingulis in hiſtoriarum lectione proponi, luce clarius eſt. Et quamuis Polybius, Cicero, Liuius, alij, multa de vero vſu & fructu hiſtoriarum in politicis & œconomicis præclariſſimé diſputarint; tamen pietatis & bonarum artium ſtudioſi in profundiores cogitationes hîc ſunt deducendi. Magnum eſt profectò, principibus & rebus publicis conſilia, quibus non niſi dubiis in rebus locus eſt, communicare. Magnum, ſecundos vel aduerſos cauſſarum exitus prædicere, rerúmque mundanarum viciſſitudines animo excelſo perferre poſſe. Magnum, libidines & cupiditatum monſtra coercere, concitatóſque animi turbines fortiter reprimere. Magnum denique eſt, vitia craſium in natura cor-

rupta,

rupta, vel regionum, ætatum, & vitæ ſtatuum emendare. Sed nullus maior & vberior hiſtoriarum fructus, quàm vt ipſum mundi conditorem, & inſtaurationis noſtræ modum agnoſcamus. Deinde hiſtorias euoluimus, vt conſilia ſalutaria, pro vocationis noſtræ ratione, aliis in proſpero vel aſpero vitæ ſtatu conſtitutis communicemus, quandoquidem partem ortus noſtri patria, parentes, amici ſibi iure vendicant. Nec nati, educati curati ſumus, vt vires à Deo acceptas ſinamus in manuum pedúmque ſtrepitibus euaneſcere. Ingenia nobis conceſſa ſunt ad hominum conſociationem tuendam, augendam & amplificandam. Quemadmodum enim magis Reipublicæ quàm priuatæ cura & adminiſtratio laudatur cum quis ſalutem ſuam ciuium ſalute poſteriorem ducit, vias ſeditionum intercludit, quoduis periculum ſubit pro republica, ſedulamque dat operam, vt qui ſub imperio ſunt beatè viuant: ita hunc ad finem cuncta in gubernatione referenda eſſe dicimus.

Hiſtoriarum dignitatem etiam hinc metiamur, quòd ex his iucundos vel triſtes rerum exitus prædicere liceat. At cum vaticinari de futuris ſit diuinitatis argumentum, in eo genere, primæ partes debentur Deo ſummo opifici, poſt Deum Sanctis Prophetis, qui θεόπνευστοι quæcunque à Deo acceperant, diſertè ac dilucidè enunciarunt. Sed per κακοζηλίαν quandam ſummique rerum arbitri permiſſu Deum & Prophetis imitantur Cacodæmones πολύτροποι, dum multa στοχασμῶν in oraculis reddendis collegerunt, eo fine atque omine, vt idolomanias ſtabilirent. Nonnunquam verò dubitantes & ſibimet diffidentes de prædictionum certitudine, reſponſa ſua perplexis, inuolutis, intricatis, captioſis & ambiguis metris illigarunt, vt tecto latere abſcederent, atque callidè, cauerent, ne quid tyrannis illa in Ethnicos damni pateretur, quemadmodum oracula ſuperſtitioſis reddita demonſtrant. At prædictiones hiſtoricas magni facimus, quibus quaſi in altiſſima ſpecula conſtituti viri Sapientes ex retroactis ſeculis atque experimentis non fallentibus futuras & imminentes procellas proſpiciunt, eo fine, vt mortales ad reſipiſcentiæ portum ventis, velis & remigiis indeclinenter contendant.

Hac itaque ratione & modo omnium ætatum & temporum hiſtoriæ teſtantur, quandocunque hominum ſcelera virtutis ſpeciem induerunt, vel inualuerunt, id effectum eſſe, vt pœnę fatales ſequerentur, quæ ex cauſis malorum ignoratis vel neglectis exortæ ſunt. In colluuie multorum delictorum tria notantur inſignia, Impietas, Iniuſtitia, Luxus. Prior vaſtat Eccleſias, altera communem humani generis conſociationem turbat, poſtrema familias euertit. Poſtea verò ex rebus præteritis vaticinium hiſtoricum de monarchiarum, regnorum, rerum publicarum occaſu futuro ſumendum eſt. Etenim quandocunque regimina publica ad morbos & corruptelas quæ Græcis παρεκβάσεις appellantur, declinant, conuerſiones & mutationes luctuoſas ſequi neceſſe eſt: quod ſub Beltaſare Babylonio, Cambyſe, Mario, Dionyſio Siculo & aliis tyrannis accidiſſe legimus.

Alius hiſtoriæ finis eſt, vt mores noſtros deprauatos corrigere ac emendare aſſueſcamus. Nam etſi difficile eſt mutare animũ, & ſi quid moribus fixum adhæret ſubitò euellere, diligentia tamẽ & labore improbo obſtacula grauiora ſuperanda ſunt, nec vnquam deſperandum. Cuiuſuis hominis eſt errare, & in quibus elucent eximia dona, plærunque etiam vitia tetra inueniuntur: ſed nobilioribus & heroicis ingeniis illud eſt familiare, vt libentiùs næuos ſuos agnoſcant. Pulchrum eſt, inquit Diodorus Siculus, ex aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram, & nõ quid alij egerint, quærere, ſed quid actum ſit optimè proponere nobis ad imitãdum. Paulò poſt, Hiſtoria veritatis aſſertrix, tanquam totius philoſophiæ parens, mores noſtros effingit ad virtutem. Et rurſum affirmat: Solam hiſtoriam, pares verbis res geſtas repræſentantem, omnia vitæ commoda complecti, ad honeſtum impellere, vitia deteſtari, probos extollere, improbos deprimere: denique rerum, quas deſcribit, experimento, plurimum proficere ad vitam rectè inſtituendam. Ætas iuuenilis, virilis, ſenilis, ſua habet vitia, eaque grauiſſima, quibus hiſtoriæ, vt vno verbo abſoluam, medicinam faciunt. Iuſtitiæ & temperantiæ exemplis hiſtoria Romana abundat. Vitiorum ſentinam continet, quam iudiciorum diuinorum narrationibus certiſſimis exhaurit, lectores ad æquanimitatis amorem ſonora voce reuocans.

Viciſſitudines rerum, Philippus Alexandri pater, Demetrius, Cicero, alij ſapientes Ethnici, diligenter conſiderarunt: & Menelaus apud Sophoclem hunc ſtatum Lunæ mutationibus eleganter comparat. Dea illa verò, quam fecere deam cœlóque locarunt, nobis eſt diuina ſapientia, cuius documentis erudimur, vt quæcunque triſtia ſeſe offerant leuia tandem videantur. Documẽta plurima in hiſtoriis occurrunt quæ ſi ad praxim reuocamus, contra varios vitæ humanæ caſus nos præmunient. Efficit item hiſtoria ne mala nos inopinantes & nihil tale cogitantes opprimant præter expectationem: denique vt quis humana, eorumque mutationes ita perceptas explorataſque habeat, vt nihil, cùm acciderit admiretur, nihil antequam euenerit arbitretur non euenire potuiſſe. Poſtremò, ſi Veritatis authoritas, humana fragilitas, vitæ breuitas & anomalia nos vel parum vel prorſus non mouent, accedit tandem euentuum in repreſſa punitáque Superbia, crudelitate, impietate cyclopea, ſimplex deſcriptio, tanquam poſtremum pharmacum ex hiſtoricis Silenis depromptum. Legimus enim potentes efferos, ſuę vanitatis immemores, ex altiſſimo dignitatis faſtigio in præceps actos, ſublatis vocibus & nouiſſimis ſuſpiriis in aurem vniuſcuiuſque noſtrum inſtillantes.

Diſcite iuſtitiam moniti & non temnere Diuos.

Ex hiſtoriis etiam in laboribus & rebus aduerſis multiplicem conſolationem haurire licet. Eſt autem illa non parum efficax communis quaſi legis & humanæ conditionis recordatio, ne nobis in eadem naui verſantibus, peculiarem vel primariam fortunam poſtulemus aut communem recuſemus. Poſtea ſi calamitates & clades alienas expendimũs, atque ea tractatione miſe-

rias nostras minores reddere, vulnera curare, dolores leuare studemus, id facile factu nobis erit, dum viros præstantes iam olim viam hanc calcasse deprehendimus. Nam si, teste Socrate, aliorũ infortunia intuentes, vnà cum periculis nostris ea comportare iuuat in aceruum, plerique libentius sua quæ domo attulerant, quàm aliena, domum sunt relaturi. Cicero ad Cæcinam, Leuat dolorem, inquit, communis quasi legis & humanæ conditionis recordatio. Senecæ & Plutarchi collectanea quibus amicos in luctu constitutos erigere studuerunt, studioso lectori haud ignota sunt: nec historicum volumen conscribere, aut humanæ vitę theatrum erigere instituti nostri ratio patitur.

Superest aliquid dignum obseruatu de historiæ Romanæ lectione. Romana historia in Veterem, Mediam, Nouam diuiditur. Prima est à Regibus & Vrbe condita ad Augustum. Media, cùm immutato statu ventum ad principes. Noua, cùm iterum mutato sedes ipsa ad principatus Byzantium est translata. Veterem & Mediam Latini scriptores hoc opere depingunt. Veterem legere si instituis, exordium fac ab vniuersali aliqua notitia, & Flori aut Eutropij compendium præmitte. Tum à capite & ab ipso Liuio, cui alios suis locis adiungere facile est. Medium in qua Tacitus Suetonius Ammianus, & adiuncti Cæsarei scriptores, constantiâ eadem peragra. Ordo non ita difficilis atque animi tantum decreto opus. Cura plus habet operæ, atque in ea omnis est legentium fructus. Duo in hac exiguntur, Attentio & Electio cum legis non suspensum aut attonitum te habeat tantum nouitas aut magnitudo euentum: insiste, inquire, cui rei hoc facere possit, & quem vsum sui præbere. Mora hîc aliqua inter legendum & tarditas, fateor. sed nimirum, dicto veteri, Nulla res potest esse eadem festinata simul & examinata: nec est quidquam omnium quod habeat laudem diligentiæ, simul & gratiam celeritatis. Tarda igitur, & quære: cum reperisti, tum fit Electio: id est, vt stilum capias & excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas. Ea distincta etiam sint, & iam ante libri parati, meo iudicio, quatuor in quos, quidquid eligis, conferas & tutò deponas. Nam memoriæ suæ qui credit tantum, quid agit? non dicam nihil, sed in breue, proficit: nec vlla ea tam vasta, capax, tenax est, quæ varia ista cum fide asseruet & reddat. Trade libris: in quo labor aliquis, & iterum in legendo remora: sed vtilis, si quidquam in omni studiorum ratione. Libri isti quatuor totidem titulos habeant rerum, quas præcipuè in historia notes, Memorabilium, Ritualium, Ciuilium, Moralium. Quid *Memorabilia*? Res designo magnas & cum admiratione aut motu legendas, siue audiendas, vt sunt alicuius Regis aut Populi Opera, Potentia, vel Opes, Prodigia, noui aut insoliti Euentus vno verbo quidquid non obuium & magnitudine vel raritate se commendat. *Ritualia* autem, quæ pertinent ad instituta ritusque veteres, siue quos in publico, siue in priuato vsurpabant. *Ciuilia* appello quæ ad vitã & regimen commune faciunt, & hanc hominũ iure & legibus deuinctam societatem *Moralia* denique, ea quæ priuatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitiis alienam.

Refer nunc in eos Titulos quidquid ad singulos illos facit, siue sentẽtiarũ, siue exẽploruũ: idque cũ hac Attentionis cura, iudicij itẽ norma. Vt clarius dicã, quisque liber alios & minores, suos titulos habeat: quia Natura & Memoriam partitione ista gaudent. Ille *Memorabilium* in ea quę attigi: nec nimis sanè argumentum hoc patet. Latissimè *Ritualium* quæ in sacra & Profana diuidi. Sacra omnia publica: continéntque Deos & eorum nomina, item Cognomina, tum Insignia, Munia, Cultum & Templa: Sacerdotes item, alióśq; ministros, tum Sacrificia ipsa, Hostias, Ceremonias & Ritus: denique Verba solennia, & quidquid illos aut ista spectat. Nimis partiri tenue est, & hîc inutile. Profana sequuntur, eáque duplicia Publica & Priuata. Illa, quæ communiter omnes aut plures tangunt, & publicis legibus aut institutis continentur: vt Magistratus, & singulorum Munia aut Ornamenta: vt Senatus, Militia, Præfecturæ, Prouinciæ, Officia, & quidquid istis adhæret. tum Leges, Iudicia, & eorum ratio, Supplicia, Tormenta, Pœnæ. Lætiora denique Ludi, Spectacula, Triumphi, Festi dies. Ad priuata venio, & ijs subiungo Nuptias, Balnea, Conuiuia, vestes, Nummos, Funera, & quæ longum sit complecti. Minuta enim etiam intercurrunt; sed in sermone ostendenda potius, quàm scripto adumbranda: *imò* adeo minuta, vt nec Titulos suos grandiores quædam habeant, sed verbis signentur: & ordine isto literarum.

Sequuntur *Ciuilia* vtilissima pars iis, quos genus aut destinatio vocant ad Rempublicam. Is liber tres partes hábeat, antiqua & verissima diuisione: status Regum, Optimatum, Populi. In quaque parte notes. & eò referas quæ Firmandæ sunt, aut Vertendæ, & hæc ipsa subtilius diuidas vt à Lipsio factum in Politicis. Vnum addo vel vt Sententiæ plures vni rei congerantur, vel vt Exempla. Postrema sunt *Moralia*: quorum duę partes, Virtutum & Vitiorum. Velim & hęc disponi ad me hodum Aristotelis, vel facilius ordine Litterarum: sed ita vt Virtute præeunte, cuique bina sua Vitia sint subiuncta. Traho eodem etiam non Vitia propriè, sed Affectus, & Cupidinum stirpes, Spem, Metum, Gaudium, Dolorem adiecto: tum etiam de beata Vita, & quidquid in Ethicis sedem habet. Illud infine te sedulò moneo, vt ne mole hac, quę videtur, absterreare. Quid enim? tam varia tam multa? inquies. Nihil est: imò incredibile quàm citò hæc suscipiantur & fiant, si tenor & constantia sit, & quisque dies opus suum probet. Corpus da labori, animum intentioni: nec cessa.

Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patientur atra.

Habes, lector, varias in historiam Romanam commentationes, & in epitomen coarctas meditationes, quas longiores si ducas, non pœnitendos facies progressus, qui te minus indoctum reddent, magisque tuo aliorúmque commodo efficient sapientem. Vale. Ex typographeio Heluet. & Cald. Societ. Cal. Octob. anno M.DCXXI.

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

Paginæ vacanti, sequentem eruditissimi Polyhistoris de Historia vniuersali sententiam adfigere placuit.

DISCIPLINAE omnes, quæ certis comprehensæ præceptis doceri possunt, in ἕξεις atque διαθέσεις diuidũtur. ἕξεις voco Artes & Sciẽtias: quarũ aliæ vniuersalia præcepta tractant (& proinde in vniuersum Theoricæ dici possunt, siue iam in cognitione acquiescant, qualis est Philosophia Theorica, siue ad actionẽ insuper properẽt, qualis est Philosophia Practica:) aliæ particularia exẽpla persequuntur, & hæc *Historia* vocatur, in quocunque genere Philosophiæ. Quæ quidem vox ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖσθαι τὰ ὁρώμενα deducta videtur: quasi sit ocularis & sensata cognitio atque demonstratio. Vt autem variæ sunt res, quæ sub sensus nostros, inter quos visus principatum obtinet, cadere possunt, sic varia quoque Historia erit ratione subiectæ materiæ (exclusis interim iis, quæ sensus effugiunt, quippe quæ ad Theoriam διανοητικὴν, non autem ad Historiam αἰσθητικὴν pertinent) Omnium certè rerum proprietates & actiones Historicas obseruat: eximiè tamen illarum, quæ ab homine secundum voluntatem & electionem proficiscũtur. Quemadmodum enim homo inter omnes creaturas caducas principatũ obtinet: ita quoque humanarum passionum, in primis verò actionum commentatio & obseruatio, absolutè *Historia* dicitur: & illi *Historici*, qui vel res hominum gestas, vt gestæ sunt, vel passiones, quatenus actionibus inseruiunt, scripto vel viua voce enuntiant: in quibus virtutum & vitiorum semina aperiè sese produnt. Philosophia quidem ethica Præcepta virtutum ac vitiorum generalia continet. Historia verò eorumdem Exempla particularia profert, tanto efficaciora, & ad mouendum aptiora, quantò sensus rationem euidentia & certitudine superare videtur. Est ergo moralis quædã philosophia particularis ipsa Historia; quæ nos aliorum exẽplis prudẽtiores reddit. Quoniam verò ea, quæ ad hominum actiones pertinent, Varro, omnium Romanorum eruditissimus, initia Naturæ secutus, in homines, in loca, in tempora, & in res partitus est (quidquid enim agitur, & personis, & loco, & tempore, & ipso agendi genere continetur) hinc quatuor historiæ tractandæ formas, siue rerum in iis ordines oriri ducíq; constat: vnam, quæ hominum vitas singulorum prioribus succedentium ordine, seorsim descriptas complectitur, alteram, quæ locorum, tertiam quæ temporum seriem sequitur, postremam quæ similia facta & dicta, in quædam, à vitiis ac virtutibus inscripta distinctáque capita, conlicit. Et has quidem formas omnes in præsens Historiæ appellatione complectimur, ne litem nobis moueat vetus illa de Historiæ nomine controuersia, cuius Gellius lib. 5. cap. 18. Noct. Attic. meminit. Historiam namque ab Annalibus Sempronius Asellio sic distinguebat. Res gesta vel simpliciter tantùm recitatur, τὸ ὅτι nimirum, quid, quo anno, à quibus: & hos propter annorum continuatam seriem, Annales dici asserit: vti si non annorum, sed dierum res gestæ narrentur, Ephemerides & Diaria. Vel non simpliciter τὸ ὅτι, sed etiam πῶς καὶ διότι gesta sit enarratur. Et hæc Historia propriè dicitur, ex qua lectores fructum capere possint in vita quotidiana, sequendo virtutes, vitia declinando. At Verrius Flaccus Annales & Historias in eo differre putat, quòd cùm vtrúnque sit rerum gestarum narratio, earum tamen propriè sit rerum historia, quibus rebus gerendis interfuerit is qui narrat. Hæc illi. Nos verò historiæ vocabulo, tamquam generali, quasuis rerum gestarum non fabulosas descriptiones complectimur.

DE VTILITATE LEGENDAE HISTORIAE

SIMON GRYNAEVS LECTORI.

SI quàm certa habet ad vitam documenta historia, tam ea sit excerpere, & vsurpare cuiuis expeditum, mortalibus omnibus rectà proximáque in vberrimos & fructuosissimos historiæ campos sine mora irrumpendum iudicaremus. Quid enim vel iucundius, vel vtilius cogitari potest, quàm in humanæ vitæ theatro (quod illa partibus, omnibus mirè instructum habet) sedentem, periculis aliorum, sine suo periculo cautum sapientémque fieri: exempla capere omnigena, quæ ad vsum tuum vtiliter qualibet in re traducas: cúmque maximorum hominum de summis rebus maximis consiliis interfueris, id quod cupidissimè homines auemus, eorundem etiam euentibus interesse: & quod per angustiam vitæ hominum impossibile sit alioqui, secula tota memoria comungere: maximorum imperiorum auspicia, progressus, & finem videre: malorum seu priuatorum seu publicorum causas liquidè cognoscere: in omni ardua magnáque re qui ante te periclitetur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec vsquam experimento certo destitui: ac vt in summa dicam, è retroactis (quod propriè sapientis viri officium est) futura scienter in omnes euentus prospicere, præsentia iudicare? Sed enim cùm tantò instructiores accedere deceat, quantò fructibus vberioribus grauior historia est & fœcũdior. cúmque difficultas sit eadem & de sua, & de aliorũ vita rectè iudicandi: nec alienam quisquã, quantumuis perspicaces hic simus, intueri rectè possit, qui nõ potest suã: vtrumq. intelligitur, & summã hic difficultatẽ versari, & multo antequam huc accedamus, non solùm prudentia quadam ciuili tinctos, sed vitæ totius certo proposito firmatos esse oportere: ni fluctuare animis, & miserè spectris vitæ inanibus circunduci perpetuò velimus. Quemadmodum enim in amplissimo maximéque multiplici & omnigenis cupediis referto conuiuio fit, vt quanquam aliud aliis, paucis eadem, sua cuique, voracibus omnia præbeantur, ac prout quisque palato est, sic præsenti lautitia afficiatur: tamen & modus sit aliquis, quem posuit natura, & alimenti genus certum, simpléxque, & incorruptum maximè, maximè corporibus idoneum: à quorum alterutro quisquis discedit, & vltra vel modum, vel iudicium naturæ sibi indulget, incommodi plus ex ipsis voluptatibus, quàm voluptatis reportet: sic in illa totius vitæ humanæ diuersitate, quanquam mille species, mille proposita sunt, ac qualiter est animo quisque, & iudicio comparatus, sic de vita vel sua, vel aliena sentiat: tamen vnica virtutis veræ callis est, quam qui scienter tenet, rectè vita solus vtitur: cæteri quemadmodum illi in cœna dubia, cùm omnia inuitent, quid potissimum sequantur, quò tendant, nec in sua ipsorum, nec in aliena inuenire vita possunt vnquam. Ac si quicquam est natura datum homini, quo rectè vti contráve liceat, hac vti circunspectissimé decebat, Quotus autem quisque est, obsecro, qui in omnia dicta, facta vel sua vel aliena, regula virtutis adhibita, cautiùs quàm in cibos positos animaduertat, quique se in isto quidem negotio non satis putet doctum? Qua quidem in re mirum est, quàm se fallant homines, dum historiam putant esse quæ doceat legentem: cùm ea materiam discendi tantùm suppeditans, sic quemadmodum conuiuium illud talem vnicuiq. præbeat vsum, qualiter ipsius est animo affectus. Alios igitur suauitate lectionis abduci videmus, & voluptatem secutos, fructus illos pulcherrimos amittere. Iis ex omni historia non amplius quæritur, quàm quod ad citharæ cantum otia fallentibus: scilicet molestiam temporis discutiunt, maiori cum molestia mox conflictaturi. Nulla enim voluptas est quæ non respicit virtutẽ. Alios illa fulgens gloriæ species tantum sollicitat, ac (quæ cæteris in rebus animi flexibilitas est) in omnem eminentem & excelsam imaginem frustra transformat, oblitos non aliò gloriosa exempla scriptoribus posita, quàm vt virtutem secuti, gloriam ipsi quoq. (si nulla offeratur) contemnere: si comes addatur: non insolentibus animis perferre queamus. Ac cùm ad similem gloriam aspirare sine simili virtute nemo nisi stultus instituat, plerósque tamen videmus, tantùm quia præclaras res legerunt, arduum quiddã sapere, multum sibi arrogare: tragœdis istis similes, qui personarum, quas amplissimas præferebant, etiam posito habitu mores imitantur. Sũt etiam, atque hi nõ pauci quos noua miráque sola oblectant, plebeiis animis homines, qui imperitorum more persæpè pluris purpuram quàm virum, emblemata quàm opus ipsum faciunt. Adeò miram vim in animis legentium historia exercet. Iam cùm excitare socordiam humanam, & aduersus pericula communire, vel maximé propositum historiæ sit, & exemplorum (quibus ad suadendum nihil potentius est) vis eò maximé tendat: securitate hominum, nihil ad se aliena pericula pertinere credentium, fit, vt surda iacentéque aure memorabilissimæ res audiantur, legantúrque. Denique sunt etiam qui (quod minimè putes) in illam ipsam seuerioris lectionis partem delinquant, quasi non vt gestæ sunt, sed vt geri oportebat res, sic scribi quoq. deceat. Igitur ex illa securitate partim, partim crapula lectionis promiscuæ & temerariæ, fit, velut ex humoribus corruptis, vt quædam iudicij [illegible], & opinionis, quam de vita rectissimam & sanam esse maximè decebat, [illegible], lubricumque vitæ propositum contrahatur: ac vt intemperantibus nil proficit alimentum, sic ad nos lectionis vtilitas prorsus veniat nulla. Vides arbitror, quonam pacto legendi historiam, & vitam cuiq. suam inspiciendi

ratio

ratio sit propemodum par. Ac prima quidem hæc difficultas est iudicij nostri peruersitas inquam; quæ facit vt non quà maximam ex sese vim habere exempla decet, sed quà maximè inclinat propendétque animus, impellamur. Est verò & illa non minor, quòd res gestas sic scriptores apponunt, vt non solùm gratiam aliquam captent, sed palatum ipsi quoq. suum secuti, ac veluti structores quidam, iudicium suum interponentes, vltro quædam laudibus tollant, ac quicquid videtur ipsis, nobis quoque sectandum putent. Quod quidem si facerent simpliciter, consentire dissentirévе facilius sit. Nunc quemadmodum coqui gulam sæpius quàm commodum heri spectant, ita lectorem etiam historicus vtinam non magna ex parte captaret. Igitur bifariam iam & nostro iudicio, & præiudicio scriptorum, persæpè circumducimur, vt qui non nudas res scribant, interpres enim gestarum rerum historicus est: cuius iudicium si vitio laborat, perinde fit, vt cùm vinum ex sese generosum & nobile, grauεolentiam, vel è vase contrahit, vel alioqui lenocinio deprauatur: quæ res vel impostura, vel inscitia maxima est, & intoleranda. Videre vno tantùm exemplo licet, quid intersit iudicium scriptoris. Profanus consilio & industriæ hominum, magnarum rerum euenta tribuens, quanquàm mentiri se tot euentibus expertus, in miram stultitiam coniicit homines: vt quorum omnis notitia vix oculis subiectarum rerum considerationi sufficiens, vis autem & robur non longè vermiculos supergrediens, ab vno leuíque successu, terrarum orbis administrationem arroget sibi. sed initiatus ille secus, humano consilio geri res quidem, sed diuino moderari docens, & stultitia liberat homines, & superstitione, malo non minore. Per cætera quid inter se generibus officiorum distent, debet esse bonis quidem, quorum sacra omnia studia sunt, non ignotum. Hæc primùm eò moneo, vt cùm censeam id genus authores vel propter immensam exemplorum innumerabilium vim quàm maximè legendos, etiam hoc iuuenes cogitent, quàm velint circumspectè solicitéque legi, propositis tantis vel fructibus, vel periculis. Perinde enim euenit, si quis vel historiam obiter adeundam, vel vitam ipsam temerè, & citra exactam officiorum omnium conseruationem transigendam ducat, quod rusticis, qui cùm in vicina vrbis populatione, pharmacopolium quoddam instructissimum diriperent, & suauitate bellariorum aromatúmque in quæ primùm inciderant, illecti, cæteraque generis eiusdem rati, omnia haurirent, sorberent, vorarent, glutirent, alij correpti morbo, alij phrenesi, plerique exanimati sint, nemo non miris modis affectus, risus exercitu toto obortus. Æquè enim commodis, incommodis vt vita, sic vitæ imago historia scatet: in vsu tantum vitæ, sita vita prudentia totius est. Vale, & his benè fruere.

BARTHO.

BARTOLOMAEVS MARLIANVS EQVES D. PETRI, DE ORIGINE VRBIS ROMAE

QVONIAM in hac vrbis descriptione, de quibusdam locis & ędificiis ante vrbem conditam excitatis, nonnunquam erit dicendum: operępretium fore arbitramur etiam de illis populis & regibus, qui tunc deinceps hanc tenuere regionē, quàm paucis fieri poterit, loqui. Sic enim fiet, vt primùm à quibus ædificia posita fuerint melius intelligamus: deinde, à quàm paruis initiis vrbs Roma originem traxerit, ad eamque creuerit magnitudinem, vt nihil illi par aut secundum, in toto orbe terrarum inueniretur. Romanæ igitur vrbis regionem Siculi primi omnium tenuere: antea verò habitatáne fuerit, an deserta, nihil est quod affirmare possimus. Mox Aborigines duce Oenotro Licaonis filio, ex Arcadia ad inquisitionem agri melioris spontè huc profecti, illis expulsis, locum occuparunt. Quibus deinde Pelagi, & aliorum Græcorum quidam errabundi, profugique ex Thessalia, admixti, auxilio eis ad bella cum populis finitimis fuere. Permanserunt autem in his sedibus vsque ad bellum Troianum, priscam illam Aboriginum appellationem seruantes. Horum autem regem Saturnum fuisse memorant: qui cùm Cretæ imperaret, habens cum Ioue filio de agris contentionem, bello expulsus in Italiam venit: & cùm cultum vineatum, & falcis vsum Ianum docuisset, ab eo in partem imperij est admissus. Cæterùm Iano defuncto, ad eum solum imperium peruenit. Annis deinde lx. ante res Troianas, ferunt Arcades ex vrbe Palantio exeuntes, sedémque duce Euandro quærentes in hunc locum vbi nunc Roma est delatos, à Faunóque Aboriginum rege & benignè susceptos esse, & agri portionem accepisse, illósque, colle haud procul à Tyberi electo, struxisse Castellum, Palantiúmque à metropoli eorum in Arcadia appellasse. Paucis verò annis interpositis, aliam classem Græcam, ducente Hercule, eandem tenuisse regionem ex hisque quosdam missionem ab eo precatos, in colle qui tunc Saturnius dicebatur, posuisse sedem. Hos; Peloponenses, & qui ex Elide profecti fuerant, Phanetas & Epios fuisse comperio, quibus nullum erat amplius desiderium reditus; euersa eorum patria ab ipso Hercule. Hi aliquandiu rē suá separatim administrarunt. Cęterū haud ita multò pòst, victum, leges, sacra cum Aboriginibus conferentes, sicuti Arcades, & prius Pelasgi fecerant, ciuitatis eiusdem participes facti sunt. Secunda verò ætate, post Herculis profectionem, Latino ex filia Fauni regnante, Æneas in Italiam venit: qui cùm statim prælio fuisset exceptus: in aciémque iam exercitum duxisset. ad colloquium à Latino fuit vocatus: in quo tantam sui admirationem præbuit, vt in societatem imperij receptus, Lauiniáque ei in matrimonium data, gener ascitus sit. Hic deinde Aborigines, Troianósque communi nomine Latinos nominauit. Post hæc vtrisque bellum aduersus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniæ nuptias, fuit: in quo Turnus & Latinus occubuere. Quare Æneas soceri regnum suscipiens, quarto imperij sui anno, in bello aduersus Mezentium Hetruscorum regem, è vita migrauit. In cuius locum Ascanius, eius filius, succedens; trigesimo anno post Lauinij constitutionem, Albam condidit. Anno deinde octauo & trigesimo eo mortuo, Syluius eius frater, post mortem Æneę ex Lauinia natus, imperiū accepit: cúmq; vnū de triginta imperasset annos, Ænee Syluio filio illud reliquit: hic verò post vnum & 30. Latino Syluio: Latinúsq; post 50. Albę, qui vnū de triginta illud tenuit. Post eū Athys, quatuor & 20. regnauit annos: deinceps Capys duos de triginta. inde Capet 13. & Tyberius postea octo. Huic succedens Agrippa, 40. regnauit annos: Romulus deinde, vnū de triginta, post hunc triginta & septem, Auentinus, qui Procæ imperium ipsum per manus tradidit. Hic viginti & tres imperauit annos, Amuliumque & Numitorem procreauit. Amulius duos & quadraginta annos regnum, quod Numitori fratri seniori debebatur, haud iure occupans, Rheam eius filiam, ne quis vindex regni ex genere Numitoris oriretur, Vestæ sacerdotem fecit: quę duos pueros incerto stupro conceptos enixa est, quos Amulius exponi iussit. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, eos lupæ alendos obtulit: quæ cùm sæpius ad paruulos, veluti ad catulos, reuerteretur: rem Faustulus pastor animaduertit: subtractósque feræ, Accæ vxori nutriendos dedit. Nomina autem pueris, alteri Remo, alteri Romo, siue Romulo, fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, vires & pernicitatem auxere. Igitur cùm latrones à rapina pecorum frequenter summouerent, Remus ab his captus regi offertur, criminíque ei datur: quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à rege in vltionem Numitori traditur: qui adolescentia iuuenis permotus, in suspicionem expositi nepotis adducitur. & cùm eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis anxium teneret, Faustulus cum Romulo superuenit: à quo cognita origine puerorum, facta inter ipsos coniuratione, Amulium interficiunt, Numitorique auo regnum restituunt, Sequenti verò anno regni Numitoris quadringentesimo trigesimo secundo (vt tradit Cato) post Ilium captum, XII. Calend. Maias, Romam, vbi expositi fuerant, condiderunt. Et quanquam, vt de tempore, ita de conditore, mira inter scriptores varietas existit: communis tamen opinio est, Romulum Martis filium vrbis authorem fuisse. Vnde Cicero: Principio, inquit, vrbis parens Romulus non solùm auspicato, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Romulum autem, non Remum, vrbi nomen dedisse ferunt: quia captatis augurijs Remus prior sex vultures vidit: Romulus mox duodecim. Quæ res, cùm vnus tempore, alter numero certaret, bellum creauit: in quo extincto Remo, Romulus à se Romam denominauit.

ROMANAE LIQVORVM MENSVRAE

MAIORES IN MINORES DISTRIBVTÆ

In primis sunt antiquæ numerorum notæ cognoscendæ.

I	1	significat vnum	IↃ pro D.	500	quingenta
V	5	quinque	CIↃ pro M.	1000	mille
X	10	decem	IↃↃ	5000	quinque millia
L	50	quinquaginta	CCIↃↃ	10000	decem millia
C	100	centum	IↃↃↃ	50000	quinquaginta millia
D	500	quingenta	CCCIↃↃↃ	100000	centum millia
M	1000	mille	IↃↃↃↃ	500000	quingenta millia
			CCCCIↃↃↃↃ	1000000	decies centena millia

Supra quinquaginta etiam his vtebatur notis: Et hæc licet quantumuis multiplicare.

Omnes numeri, omnisque summa harum notarum accessione crescunt & multiplicantur, detractione decrescunt.

Prima nota I, si cui notæ præponatur, id est, à tergo ponatur, vnum detrahit, vt IX. nouem significat.

Linea transuersa notis superposita, eas notas tot millia continere innuit, quot aloqui minores numeros contineret velut exempli gratia, III. tria millia. V̄II. septem millia, X. decem millia, & eodem in reliquis modo.

Culeus igitur, vt hinc capiamus initium, capit Amphoras XX. Vrnas XL. Congios CLX. Sextarios DCCCCLX. Heminas MDCCCCXX, quartarios III. DCCCXL. Acetabula VII. DCLXXX. cyathos XI DXX. Ligulas X̄L̄V̄ĪĪ. XXX.

Amphora capit vrnas II. congios VIII. sextarios XLVIII. heminas XCVI. quartarios CXCII, acetabula CCCXXXIIII. cyathos DLXXVI. ligulas MMCCCIIII.

Vrna capit congios IIII. sextarios XXIV. heminas XLVIII. quartarios XCVI. acetabula CXCII. cyathos CCLXXXVIII. ligulas MCLII.

Congius capit sextarios VII. heminas XII. quartarios XXIIII. acetabula XLVIII. cyathos LXXII. ligulas CCLXXX.

Sextarius capit heminas II. quartarios IV. acetabula VIII. cyathos XII. ligulas XLVII.

Hemina, quartarios duos, acetabula quatuor, cyathos sex, ligulas XXIIII.

Quartarius, acetabula duo, ciathos tres, ligulas XII.

Acetabulum, cyathum cum dimidio, ligulas VI.

Cyathus ligulas siue cochlearia IIII.

LIBRA quoque, cùm mensura est, capit vncias XII.

Ligula, drachmas III. & scriptulum vnum.

Cyathus sescunciam. drachmam & scriptulum.

Acetabulum, vncias II. cum dimidia.

Quartarius, V.

Hemina, vn. IX.

Sextarius vn. XX,

Congius, libras X.

Vrna, libras XL.

Amphora, libras LXXX.

Culeus, libras MDC.

ROMANÆ ARIDORVM MENSVRAE

Modius capit duos semodios, acetabula CXXVIII. cyathos CXCII. ligulas DCCLXVIII. sextarios XVI. heminas XXXII,

Semodius, sextarios VIII. heminas XVI. acetabula LXIIII. cyathos XCVI. ligulas CCCLXXXIIII.

Sextarius, heminas duas, & reliqua, vt in liquidis.

Hemina, acetabula IIII.

Acetabulum, sesquicyathum.

Cyathus, ligulas IIII.

LIBRA quoque cùm mensura est, in aridis vsi sunt veteres.

Modius continet libras XXVI. vncias IIII.

Semodius, libras XIII. vncias IIII.

Sextarius, vncias XX.

Hemina,vncias x.
Acetabulum,vncias duas cum dimidia.
Cyatus,sescunciam,drachmam,& scriptulum.
Ligula,drachmas III.& scriptulum vnum.

GRAECAE LIQVORVM MENSVRÆ MAIORES IN MINORES DISTRIBVTÆ.

Metretes,cadus,ceramius, idem. capit choas XII.sextarios LXXII. cotylas CXLIIII. quartarios CCLXXXVIII.oxybapha DLXXVI.cyathos DCCCLXIIII.conchas MDCCVIII. mystra MMMCCCCLVI. chemas IIII.CCCXX.cochlearia.VIII.DCXL.

Chus,siue choeus,Romanis congius,capit sextarios VI. cotylas XII. quartarios XXIIII. oxybapha XLVIII.cyathos LXVI. conchas CXLIIII, mystra CCLXXXVIII. chemas CCCLX. cochlearia DCCXII.

Sextarius,capit cotylas II.quartarios IIII.oxybapha VIII.cyathos XII.chonchas XXIIII.mystra XLVIII. chenas LX.cochlearia CXX.

Cotyla,& hemina,& tryblion,capit quartarios II. oxybapha IIII. cyathos VI. conchas XII. mystra XXIIII. chemas XXX.cochlearia LX.

Quartarius,capit oxybapha duo,cyathos tres,chonchas VI. mystra XII. chemas XV. cohlearia XXX.

Oxybaphum,siue acetabulum, capit sesquicyathum, conchas III. mystra VI.chemas VII. cum dimidia,cochlearia XV.

Cyathus,capit conchas duas,mystra quatuor,chemas quinque,conchlearia decem.

Concha,capit mystra duo,chemas duas,cum dimidio,cochlearia quinque.

Mystrum,capit chemen vnam, & ipsius partem quartam,cochlearia duo,cum dimidio.

Cheme,capit cochlearia duo:

Cochlearium,minima mensura est.

Concha duplex fuit maior & minor:maior æqualis fuit oxybapho: minor,semicyathum capit.

Mystrum quoque maius, decimasexta pars cotiles est: pendet drachmas tres cum dimidia, & quartam drachmæ partem: minus verò, vicesima secunda cotyles pars, pendet drachmas duas, scriptula duo,siliquam vnam,& grani vndecimas quatuor.

Cheme item duplex:maior,cotylas pars vigesima,pendet drachmas tres: minor, eiusdem cotyles pars trigesima,pendet drachmas duas.

Ligulę siue cochlearia itē varia fuere:alia maiora,alia minora,sed nullum eò quòd nos supra notauimus,maius.minimum XXIIII,aut etiam trigesima est cyathi pars,mediocre decima.

DE IISDEM MENSVRIS, CVM PER VNCIAS ET LIBRAS AESTIMANTVR

Metretes, capit libras CVIII.
Chus,libras nouem
Sextarius,libram cum semisse.
Cotyle,vncias nouem.
Quartarius,vncias quatuor cum dimidia.
Oxybaphum,vncias duas,drachmas duas.
Cyatus:sescunciam.
Concha,drachmas sex.
Mystrum,drachmas tres.
Cheme,drachmas,duas scriptulum vnum grana quatuor,& quintas grani quatuor.
Cochlearium,darchmam vnam,scriptulum dimidium,grana duo,& duas eiusdem quintas.

GRÆCÆ ARIDORVM MENSVRÆ, VT IN ALIIS FECIMVS.

Medimnum, capit chœnices XLVIII. sextarios LXXII. cotylas CXLIIII. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII.cochlearia VIII. DCXL.

Chœnix,capit sesquisextarium,cotylas tres,oxybapha duodecim,cyathos octodecim, cochlearia centum octuaginta

Sextarius,capit cotylas duas,oxybapha octo,cyathos duodecim,cochlearia CXX:

Cotyle,capit oxybapha quatuor,cyathos sex,cochlearia sexaginta.

Oxybaphon,capit sesquicyathum,cochleria quindecim.

Cyathus, capit cochlearia decem.

RVSTICAE MENSVRAE GRAECORVM, IN LIQVIDIS TANTVM.

Metretes,continet amphoras duas,choas VIII.cotylas CXVI.oxybapha CCCLXXXIIII.cyathos DLXXVI. mystra MMCCCIIII.

Amaphoreus,capit choas IIII.cotylas XLVIII.oxybapha CXCII.cyathos CCLXXXVIII.mystra MCLII.

Chus,capit cotylas XII. oxybapha XLVIII.cyathos LXXII. mystra CCLXXXVIII.

Cotyle,capit oxybapha quatuor,cyathos VI.mystra XXIIII.

Oxybaphon,capit sesquicyathum,mistra VI.

Cyathus,capit mystra quatuor.

EÆDEM MENSVRAE PER VNCIAM ET LIBRAM.

Metretes, continet libras CVIII.
Amphoreus, libras LIIII.
Chus, libras XIII. cum dimidia.
Cotyle, libram, & sescunciam.
Oxybaphon, vncias tres, & drachmas tres.
Cyathus, vncias duas, & drachmas duas.
Mystrum, drachmas, quatuor, cum dimidia.

RVSTICAE MENSVRAE GRAECORVM IN ARIDIS REBVS, EADEM RATIONE.

Medimnũ, capit modios Romanos VI. semimedimna duo, tertiarios tres, sextarios VI semisextarios XII. semiduodecimas viginti quatuor, chænicas quadraginta octo, cotylas centum quadraginta quatuor, oxybapha, DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII. mystra III.CCCCLVI.
Semimedimnum, capit tertiarium cum dimidio, sextarios tres, semisext. VI. semiduodecimas XII. chænicas viginti quatuor, cotylas LXXII. oxybapha CCLXXXIII. cyathos CCCCXXXII: mistra MDCXXVIII.
Tertiarius medimni, capit sext. duos, semisext. quatuor, semiduodecim. octo, chænicas XVI. cotylas quadraginta octo: oxybapha CXCII. cyathos CCLXXXVIII, mystra DCLII.
Sextarius hic capit semisext. duos, semiduod. quatuor, chænicas octo, cotyl. viginti quatuor oxybapha XCVI. cyathos CXLIIII. mystra DLXXVI.
Semisextarius, capit semiduod. duos, chænicas quatuor, cotylas duodecim, oxybapha quadraginta octo, cyathos LXXII. mystra centum octoginta octo.
Semiduodecima medimni pars, capit chænicas duas, cotyl. XI. oxyb. viginti quatuor, cyathos XXXVI. mystra centum quadraginta quatuor.
Chœnix, capit cotylas tres, oxybapha XII. cyat. XVIII, mystra LXII.
Cotyle, capit oxybapha quatuor, cyath. VI. mystra viginti quatuor.
Oxybaphon, capit sesquicyathum, mystra VI.
Cyathus, capit mystra quatuor.

PONDERVM VARIETAS PRO RERVM GENERIBVS, QVAS METIMVR.

Sed in his omnibus mensuris habenda est ratio rerum, quas metiri volumus. Nam vinum oleo nona parte grauius est, & mel vino tertia ferè parte. Aqua proximè ad vinum pondere accedit: & in his quæ puriora sunt impuris & fæculentis sunt leuiora. In aridis etiam hordeum grauius est auena, far hordeo, triticum farre, quin etiam triticum tritico grauius reperitur, atq; item in aliis. Id quod exemplo declaramus, primùm de Romanis, deinde de Græcis.
Culeus igitur oleo plenus, pendet libras MCCXXXIII. & vncias quatuor. Culeus vino plenus, pendet libras MCCCCLXXXI. vncias V. drachmas V I. siliquas quatuor. culeus mellis pendet libras MMCCXXII. vncias duas, drachmas V. scriptulum vnum.
Ligula plena oleo, pendet drachmas duas, scriptula item duo, siliquas duas. Ligula vini, pendet drachmas tres, siliquam vnam, grana duo, & duas nonas grani. Ligula mellis pendetq; drachmas quatuor, cum dimidia, siliquas duas, granum vnum, & tertiam grani partem.

ATTICAE MENSVRAE, QVIBVS ET MEDICI SVNT VSI INTERDVM.

Metretes, oleo plena, pendet libras CX. vini, libras C, mellis, CL.
Cyathus olei, pendet vnciam vnam, drachmas duas: vini, vnciam vnam, drachmas tres, siliquas duas: mellis vncias duas & scriptula duo. Ex his facilè quiuis pro portione potest & alias mensuras æstimare.

GEORGICAE ID EST RVSTICAE MENSVRAE.

Metretes, idem est hic cum omnibus.
Amphoreus olei, pendet libras XLV. vini L. mellis LXXV.
Chus olei, pendet libras XI. & vncias tres: vini, libras XII. cum dimidia. mellis, XVIII. & vncias IX
Cotyle olei, pendet vncias IX. & drachmas duas: vini libram vnam, & drachmas quatuor: mellis. sesquilibram, & drachmas VI.
Oxybaphum olei, pendet vncias II. drachmas VI. cum dimidia: vini, vncias tres, & drachmam vnam: mellis, vncias quatuor, & drachmas V. cum dimidia.
Cyathus olei pendet vnciam vnam, drachmas VII. vini, vncias II. & scriptula II. mellis, vncias III, drachmam vnam.

ET HAE MENSVRAE MEDICIS MAXIME FVERVNT IN VSV.

Cotyle olei proportione super tertia ad Atticam, pendet vncias X. vini, vncias vndecim, scriptula II. obolum vnum, siliquam vnam, mellis, libram vnam, vncias IIII. drachmas V. scriptulum vnum.

Oxybapha

Oxybaphum olei, pendet vncias v. vini, vncias v. cum dimidia, scriptulum vnum, siliquas duas: mellis vncias VIII, drachmas duas, scriptula duo.

Cyathus olei pendet vnciam vnam, drachmas v. scriptulum vnum: vini, vnciam vnam, drachmas sex, scriptula duo, siliquas duas, grana duo, & duas tertias grani: mellis, vncias duas, drachmas VI. obolum vnum, siliquam vnam.

Mystum olei pendet drachmas tres, scriptulum vnum: vini drachmas III. scriptula II. grana II. & duas grani tertias: mellis, drachmas v. cum dimidia, siliquam vnam.

Cochlearium olei pendet drachmam vnam, scriptula II. vini, drachmam vnam, scriptula II. obolū vnum, granū vnum & grani tertiam partem: mellis, drachmas II. scriptula II. siliquam vnā.

In aridis vix aliquid certi statui potest: nisi quòd modius leuissimi tritici pendet libras xx. grauissimi libras XXVII. Sal cum metallis comparatur.

DE PONDERIBVS ROMANIS.

Libra, quæ & pondo, & as dicitur, siue assis, inter minora pondera maximum est, inter maiora minimum, continet vncias XII. Fuit autem libra Romana aliquanto maior quàm mina Attica, vt ex drachma intelligi potest.

Libra, & pondo, omnia maiora pondera confecerunt Romani: nisi quod interdum à libra libralis quod vnius est libræ, dixerunt. Item bilibris, trilibris, quadrilibris, duarum trium & quatuor librarum

Apondus, dupondius, à duobus ponderibus, quod vnum pondus assipondium dicebatur, id ideo, quòd As erat libræ pondus, Et centum pondium centum librarum.

Apondo quoque, & duapondo, & trepondo, id est, tria pondo, facta à veteribus sunt.

Pondo igitur si solum ponitur, libram notat: si alteri adiicitur ponderis vocabulo, pondus simpliciter significat: vt in his, pondo vncia. pondo semuncia. vt à libra & aliis, cùm mensuræ sunt distinguatur.

Libræ partes sunt: vncia, per se: sextans, duæ vnciæ, quadrans, tres: triens, quatuor : quincunx: quinque semis, sex, quæ etiam selibra dicitur: septunx, septem: bes, octo: dodrans nouem: dextans, decem: deunx vndecim.

Libra in æquas partes sic diuiditur, in semisses II. trientes III. quadrantes IV. sextantes VI. sescuncias VIII. vncias XII.

In partes impares hoc modo: In deuncem, & vnciam: in dextantem, & sextantem: in dodrantem, & quadrantem: in bessem & trientem: in septuncem, & quincuncem.

Rursus libra, in alia minora pondera, in has æquales diuiditur partes: in semunncias XXIIII. duellas XXXVI. sicilicos XLVIII. sextulas LXXII. denarios LXXXIV. victoriatos CLXVIII. scriptula CCLXXXVIII.

Selibra siue semis, diuiditur in quadrantes II. sextantes III. sescuntias IIII. vncias VI. semuncias XII. duellas XVIII. sicilicos XXIIII. sextulas XXXVI. denarios XLII. victoriatos LXXXIV. scriptula CXLIV.

Aliæ libræ partes, ex vnciæ diuisione colliguntur.

VNCIA secatur in semuncias II. duellas III. sicilicos IV. sextulas VI. denarios VII. victoriatos XIV, scriptula XXIV.

Semuncia in duellam cum dimidia, sicilicos II. sextulas III. denarios III. cum dimidio, victoriatos VII. scriptula XII.

Duella, in Sicilicum vnum & eius tertiam: in sextulas II. denarios II. & eius tertiam : victoriatos quatuor, cum dimidio, & tertiam dimidij: scriptula VIII.

Sicilicus, in denarium cum dimidio, & eius quartam, victoriatos III. cum dimidio, scriptula VI.

Sextula, in denarium, & sextam eius, victoriatos II. ac eius tertiam, scriptula IIII.

Denarius, in victoriatos II. scriptula III. & tres eius septimas, in sextantes sex, vt Corn. Celsus diuidit, ne obolos Græcè dicat, nam in totidem obolos drachma distribuitur.

Victoriatus, in scriptulum vnum cum dimidio, & tres decimas quartas scriptuli.

Scriptulum hoc tempore, scrupulum alij, alij denarium vocant. Scriptuli partes ex ponderibus Græcorum intelligentur.

DE ASSE, PRO PEDE.

Pes in spaciis & continuata quantitate, idem est quod As in ponderibus, vsique sunt veteres Asse & partibus eius, pro pede & eius partibus. Pes igitur diuiditur in vncias, siue pollices XII. siue digitos XVI. Spitame Græco vocabulo dicitur mensura digitorum XII.

Palmus digitorum IIII. Reliqua vocabula ex assis diuisione sunt petenda.

Eodem pacto iugerum metimur, & diuidimus, cuius minima pars, scrupulum dicitur, id est, pedes X. & longitudine & latitudine quadratum, vt Varro tradit.

DE PONDERIBVS GRÆCORVM, PRÆSERTIM ATTICORVM.

Talentum primum duplex fuit, minus & maius, siue paruum & magnum. Paruū continet minas LX. magnum LXXX. Itaq; cum talenta Liuius nominat, de magnis ferè, & quidem Atticis, intelligendum est. Fuerunt & alia Talenti genera, vt Babylonium, quod drachmis VII. valuit. Aegineū X. Syrium MD. Atticæ drachmę æstimatione. Fuit & Euboicū, cuius meminit Liuius,

quod penè idem cum Attico fuit. Sed paruum diuidamus, ex quo facilè magnum poterit æstimari. Talentum igitur Atticum minus distribuitur in minas LX. drachmas VI. obolos XXXVI. semiobolos LXXII. chalcos CCXVI. lepta MDVII.

Mina duplex quoque fuit, vetus, quæ continebat drachmas septuaginta quinque, & noua Solonis, drach. centum. sed apud Liuium noua semper intelligitur. Mina igitur continet drachmas centum, obolos D C. semiobolos M C C. chalcos, quos quidam æreola transferunt, IIIDC. lepta, quæ minuta vocant, XXV C C.

Drachma diuiditur in obolos V I. semiobolos X I I. chalcos triginta sex, lepta C C L I I.

Obolus, in semiobolos I I. chalcos V I. lepta X L I I.

Semiobolos, in chalcos tres, lepta viginti vnum.

Chalchus, in lepta V I I. quæ vix diuidi possunt.

EORVNDEM PONDERVM MEDICA DIVISIO, QVÆ ET GRÆCA CVM MAIORA IN MINORA DISTRIBVVNTVR.

Mina diuiditur in vncias X V I. drach. CXXVIII. scriptula CCCLXXXIV. obolos DCCLXVIII. semiobolos M D XXXVI. siliquas II CCCIV. grana siue momenta IX CCXVI.

Libra, in vncias XII. drach. X C V I. scriptula CCLXXV I I I. obolos D L X X V I. semiobolos M C L I I. siliquas M DCCXXVIII. grana VI. DCCCCXII.

Vncia diuiditur in drach. octo, scriptula viginti quatuor, obolos quadraginta octo, semiob. XCVI. siliquas C X L I V. grana D L X X V I.

Drachma, in scriptula tria, obol. sex, semiob. duodecim, siliquas octodecim, grana septuaginta duo.

Scriptulum, in obolos duos, semiob. quatuor, siliquas sex, grana viginti quatuor.

Obolus, in semiobolos duos, siliquas tres, grana duodecim.

Semiobolus, in siliquam, cum dimidia grana sex.

Siliqua, in grana quatuor.

HIS ETIAM PONDERIBVS VETERES MEDICI SVNT VSI, PRÆSERTIM VETERINARII ET CHIRVRGI.

Mina diuiditur in libram & quadrantem, id est, vncias quindecim, drachmas centum & duodecim, & semis, scriptula trecenta triginta septē & semis, obolos sexcētos septuaginta quinque.

Libra in vncias duodecim, drach. nonaginta, scrip. ducenta, obolos quingentos quadraginta.

Vncia in drach. septem, & semissem, scrip. viginti duo, & semissem obolos quadraginta quinque. Reliqua, vt in superiore ratione.

DE NVMMORVM SIVE PECVNIARVM VETERVM ÆSTIMATIONE AD NOSTRI TEMPORIS PRECIA COMPARATA.

Hoc loco illud tenendum est, nullum ferè fuisse ponderis genus tam Græcis quàm Latinis, quo non vel nummus signatus, vel summa quædam rei nummariæ significetur, de qua re deinceps paucis agemus.

Et primùm de Romanis, deinde de Græcis, atque hæc ad rationem huius temporis accomodabimus.

As, siue libella, sunt denarioli Mediolanenses XII. quadrantes quatuor, totidem Gallici denarioli & paulò plus.

Hîc illud obseruandum est, cùm apud antiquos millia æris legitur, asses pro ære intelligi debere, hoc est millia assium. Ab asse fit, decussis, id est decem: & centussis, id est centum asses.

Sextans, cuius & Liuius & Plinius meminere, Mediolanenses denariolos duos continet.

Quadrans siue Teruntius, quem triantium Plinius vocat: assis quarta est pars, sunt denarioli Mediolanenses tres.

Triens assis pars tertia, id est denarioli IV. Mediolanenses, semis teruntij, siue quadrantes II.

Sestertius & nummus idem sunt, continet asses II. & semissem, hoc est, quadrantes X. Mediolanenses, siue Germanicos cruciatos I I. Gallica verò æstimatione.

Turonicos denariolos X. & denarioli semissem, hoc est (vt vocant) solidum regium.

Numus tamen, & numisma, est etiam communis cuiusuis monetæ appellatio, siue argentea, siue aurea.

Denarius, assibus valuit Mediolanensibus X. hoc est quaternis Sestertiis: monetæ verò germanicæ cruciatis VIII. & paulò pluris.

Libra denariis valuit LXXXIII. & paulò pluris, hoc est, aureis numis octo, & aurei ferè semisse. Nam denarius Romæ quinta ferè parte grauior fuit, quàm drachma Athenis.

Libra Auri, solatis CXII. ferè: maior enim fuit, quàm mina Attica, vt antè diximus. Id quod sic intelligi velim vncias Romanas grauiores fuisse Atticis vnciis. Quod si ad denarios etiam spectes, fuerunt & illi drachma Attica grauiores.

Obseruandæ sunt autem formæ loquendi, in Liuio & aliis.

Mille sestertiûm.
Mille sestertiûm numûm
Mille numûm
Mille sestertij

{ Hæc enim idem sunt: id est, aurei numi, siue coronati XXV.

Sestertia

Sestertia verò genere neutro in plurali numero: mille sestertios significant. Cum verò aduerbium numeri quopiam his adiungitur, centena sunt intelligenda. Decem igitur sestertia sunt decem millia sestertiûm. Et decies sestertiûm, idem est quod decies centena millia sestertiûm, vel mille sestertia (hoc tempore vulgò milionē vocant) quæ summa continet aureorum siue coronatorum numûm XXV. Romani enim mille sestertia, & ab eo reliquos numeros ferè per aduerbia eloquebantur::infra, mille nunquam.

Hoc autem loco illud teneri velim, nos aureum numum intelligere, qui denis denariis Romanis valeat:hoc est, libris Mediolanensibus v. quæ fuit æqua eius æstimatio. Ad hanc rationem aut addendo aut detrahendo possunt omnia æstimari.

In codice Iustiniani, & apud Isidorum & Lampridium in Alexandri vita, mentio fit solidi. is fuit aureus eius temporis numus. Alioqui apud veteres, solidi vocabulum non inuenitur, nisi pro integro, siue toto. vnde & solidum soluere dixerunt.

Victoriatus fuit numus argenteus, victoria signatus: valuit assibus Mediolanensibus v. Germaniceæ verò monetæ batzionem Constantiensem vnum.

Fuerunt prætereà Romanis alia numerorum genera, vt Bigati & Quadrigati, dicti à bigis & quadrigis, quibus erant signati. Item serrati à serra monetæ nota. Vnde nos quoque eleganter scutatos, & solatos, & coronatos, aureos nostros numos appellare possumus, à scuto, sole, & corona, atque etiam capitatos, quæ quarta est scutati pars, à capite.

Fit quoque mentio vmbinorum, præsertim à Cicerone pro Font. à scuti vmbone, vt puto, quo signati fuerunt: de quorum omnium pretio nihil habeo quod dicam, nisi quod Bigatos & Quadrigatos denarios argenteos vidimus, quos ad denarij pretium accedere existimamus.

ATTICÆ PECVNIÆ, QVA LATINI AVTHORES SVNT VSI, ÆSTIMATIO.

Talentum Atticum minus, valet ferè numis aureis vsitatis & simplicibus, siue coronatis DC. maius DCCC. nam his ferè vsi sunt Latini, præsertim Liuius.

Talentum etiam pro summa non magna inuenitur vsurpatum, & quidem aureum: præsertim apud Hebræos, Siculos & Homerum, hoc est, pro aureo numo, duorum aut trium coronatorû.

Mina, aureis numis VIII. ferè quatuor enim drachmis minor fuit quàm libra Romana. Cùm autem Latini authores minæ mentionem faciunt, Atticam intelligere debemus, eámque argenteam, quæ drach. valuit C. fuit & aurea mina, vt & Hebraicum Talentum, cuiusmodi ea fuere quæ Sabea Regina, & Rex Hyramus Solomoni obtulerunt, quæ II. DCC. aureis numis singula fuisse existimamus.

Drachma, minor denario Romano fuit: valet enim obolis VI. assibus verò ferè octo & semisse. Germ. cruciatis ferè VII.

A drachma facta sunt aliquot vocabula nummorum, vt didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum: hoc est, duarum, trium, quatuor drachmarum. Tetradrachmo vsus est Liuius libro quarto de bello Macedonico.

Siclus, qui & stater, & talentum dicebatur, drachmis IV. valuit, authore Iosepho: hoc est, tetradrachmo. eo vsi sunt Hebræi, vt statere Græci.

Stater etiam aureus fuit Athenis, didrachmus: cuiusmodi fuit etiam aureus nummus Romæ, duorum denariorum pondere. Vnde Philippei stateres, & Darici & Alexandrei, qui singuli binos coronatos continebant, & paulò plus.

Obulus, denarios Mediolanenses XVII. siue teruncios V. & denariolos ferè duos. Idem ferè est obulus, quod Germanis cruciatus. Errauit igitur Donatus, qui in Terentio explicando obulum putauit esse vltimam, hoc est, minimam monetam.

Cistophorus, nummus etiam fuit argenteus, cuius crebra fit apud Liuium mentio, minor fuit quàm drachma, valuit assibus Mediolanensibus ferè sex.

Hæc habuimus, quæ cursim hisce de rebus traderemus, quæ æqui boni vt faciant lectores oro.



INDEX AVTHORVM QVI HOC HISTORIAE ROMANAE SCRIPTORVM CORPORE continentur.

TOM. I.

TOM. II.

Adiecti sunt & recentiores Historiae continuatores.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS PRIMAE

LIBER PRIMVS.

FACTVRVSNE operæ pretium A sim, si à primordio vrbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio: nec si sciã, dicere ausim, quippe qui cum veterem tum vulgatam esse rem videam, dum noui semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatẽ superaturos credunt. Vtcunque erit: iuuabit tamen rerum gestarum memoriæ principis terrarum popu- B li pro virili parte & meipsum consuluisse. Et si in tãta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum qui nomini officient meo, me consoler. Res est præterea & immẽsi operis, vt quæ supra septingentesimum annum repetatur: & quæ ab exiguis profecta initiis, eo creuerit, vt iam magnitudine laboret sua: & legẽtiũ plerisque haud dubito, quin primę origines, proximáque originibus, C minus prębitura voluptatis sint, festinãtibus ad hęc noua, quibus iampridem prævalentis populi vires se ipsę cõficiunt. Ego cõtra hoc quoque laboris pręmium petam, vt mea cõspectu maiorum quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper certe, dum prisca illa tota mente repeto auertam, omnis expers curæ quæ scribentis animum, & si non flectere à vero, sollicitum tamen efficere possit. Quæ ante conditam condendámve vrbem, poeticis magis decora fabu- D lis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur: ea nec affirmare, nec refellere in animo est. Datur hæc venia antiquiti, vt miscendo humana diuinis, primordia vrbium augustiora faciat. Et si cui populo licere oportet consecrare origines suas, & ad deos referre authores: ea belli gloria est populo Romano, vt cum suum, conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium E patiuntur. Sed hæc & his similia, vtcunque animaduersa, aut æstimata erunt, haud equidem in magno ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros quibusque artibus, domi militiæque, & partum & auctum imperium sit. labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo: deinde vt magis magisque lapsi sint: tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, peruentum est. Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, vnde tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Cæterum aut me amor negocij suscepti fallit, aut nulla vmquam respublica nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam sero auaritia luxuriaque immigrauerint: nec vbi tantus, ac tã diu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit: adeo, quanto rerum minus tanto minus cupiditatis erat. Nuper diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia inuexere. Sed querelæ ne tum quidem gratæ futuræ, cum forsitan & necessariæ erunt: ab initio certe tantæ ordiendæ rei absint, cum bonis potius omnibus, votisque ac precationibus deorum dearumque, si vt poetis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, vt orsis tanti operis successus prosperos darent.

IAM primum omnium satis constat, Troia capta in cæteros sæuitum esse Troianos, duobus, Æneo Antenoreque & vetusti iure hospitij & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abstinuisse. Casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetũ qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & sedes & ducẽ, rege Pylemene ad Troiã amisso, quærebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum: Euganeisque qui inter mare alpesque incolebant pulsis, Henetos Troianosque eas tenuisse terras, & in quem primum egressi sunt locũ, Troia vocatur: pagoq. inde Troia nomẽ est, gens vniuersa Veneti appellati. Æneã ab simili clade domo profugũ, sed & maiora rerum initia ducentibus fatis, primo in Macedoniam venisse: inde in Siciliam quærentẽ sedes delatum: ab Sicilia classe Laurentẽ agrũ tenuisse. Troia & huic loco nomẽ est. ibi egressi Troiani, vt quibus ab immenso prope errore nihil præter arma & naues superesset, cũ præda ex agris agerent, Latinus rex Aboriginésque qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim aduenarũ armati ex vrbe atq. agris cõcurrunt. Duplex exin-

de fama est,alij prelio victum Latinum pacem cum A Aenea,deinde affinitatem iunxisse tradunt,alij,cum instructę acies constitissent, prius quam signa canerent,processisse Latinum inter primores, ducémque aduenarum euocasse ad colloquium: percunctatum deinde qui mortales essent vnde, aut quo casu profecti domo,quidve quærentes in agrum Laurentem exissent, postquam audierit multitudinẽ Troianos esse, ducem Aeneam, filium Anchisæ & Veneris, cremata patria & domo profugos sedem condendęque vrbi locum quærere:& nobilitatem admiratum B gentis virique & animum vel bello vel paci paratũ, dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxisse.Inde fœdus ictum inter duces,inter exercitus salutationem factam.Æneam apud Latinum fuisse in hospitio.ibi Latinum apud penates deos domesticũ publico adiunxisse fœdus, filia Æneę in matrimonium data ea res vtique Troianis spem affirmat; tandem stabili certáque sede finiendi erroris Oppidum condunt: Æneas ab nomine vxoris Lauinium appellat. Breui stirps quoque virilis ex nouo matrimonio fuit, cui C Ascanium parentes dixere nomẽ. Bello deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lauinia ante aduentum Æneæ fuerat, prælatum sibi aduenam ægre patiens, simul Æneę Latinoque bellum intulerat.Neutra acies læta ex eo certamine abiit.victi Rutuli:victores Aborigines Troianiq. ducem Latinũ amisere. Inde Turnus Rutuliq.diffisi rebus,ad florentes Hetruscorum opes,Mezentiumque eorum regem confugiunt,qui D Cære opulento tum oppido imperitãs, iam inde ab initio minime lætus nouæ origine vrbis,& tum nimio plus quam satis tutum esset accolis, rem Troianã crescere ratus,haud grauatim socia armaRutulis iunxit.Æneas aduersus tanti belli terrorem, vt animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem iure solum,sed etiam nomine omnes essent,Latinos vtramq; gentem appellauit,nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Æneam cessere. fretusq; his animis coalescentiũ in dies magis duorũ populorũ Æneas,quanquã tanta opibus Hetruria E erat,vt iam nõ terras solum,sed mare etiam per totam Italię longitudinẽ ab Alpib.ad fretum Siculum fama nominis sui impleſſet: tamen cum mœnibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde prælium Latinis,Æneæ etiam vltimum operum mortalium fuit.Situs est, quęcunq.eũ dici ius fas q; est, super Numicum flumen. Iouem Indigetem appellant. Nondũ maturus imperio Ascanius Æneæ filius erat, tamen id imperium ei ad puberem ætatem incolume mansit: tantisper tutela F muliebri(tanta indoles inLauinia erat)res Latina,& regnum auitum paternũque puero stetit. Haud nihil ambigam(quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) hiccine fuerit Ascanius, an maior quam hic, Creusa matre Ilio incolumi natus, comésque inde paternæ fugæ, quem Iulum eundem Iulia gens auctorem nominis sui nuncupatis Ascanius, vbicunq;&quacunq; matre genitus(certe natum Ænea cõstat)abundãte Lauinij multitudine florentẽ, iam (vt tum res erant) atque opulentã vrbem matri, seu G nouercæ reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte cõdidit: quæ ab situ porrectæ in dorso vrbis lõga Alba appellata Inter Lauinium & Albam longã coloniam deductam triginta ferme interfuere anni.tantũ tamen opes creuerant,maxime fusis Hetruscis, vt ne morte quidẽ Æneæ , nec deinde inter muliebrem tutelam rudimentumq. primum puerilis regni mouere arma,aut Mezẽtius Hetruscíq. aut vlli alij accolę ausi sint.Pax ita cõuenerat,vtHetruscis Latinisq.fluuius Albula,que nũc Tiberim vocat finis esset. Syluius deinde regnat Ascanij filius,casu quodã in syluis natus.is Aeneam Syluium creat: is deinde Latinũ Syluiũ. ab eo coloniæ aliquot deductæ, prisci Latini appellati. mansit Syluius postea omnibus cognomẽ, qui Albæ regnarũt. Latino Alba ortus,Alba Atys, Ati Capys,Capy Capetus, Capeto Tybrinus,qui in traiectu Albulæ amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit. Agrippa inde Tyberini filius, post Agrippam Romulus Siluius à patre accepto imperio regnat. Auentino fulmine ipse ictus, regnũ per manus tradidit.is sepultus in eo colle,qui nunc est pars Romanæ vrbis,cognomen colli fecit. Proca deinde regnat. is Numitorem atque Amulium procreat:Numitori,qui stirpis maximus erat,regnum vetustũ Syluiæ gentis legat plus tamen vis potuit,quam voluntas patris, aut verecundia ætatis. pulso fratre Amulius regnat. addit sceleri scelus, stirpem fratris virilem interimit. fratris filiæ Rheæ Syluiæ per speciẽ honoris, cum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spẽ partus adimit.Sed debebatur(vt opinor)fatis tantæ origo vrbis,maximiq. secundum deorum opes imperij principium. Vi compressa Vestalis, cũ geminũ partũ edidisset,seu ira rata,seu quia Deus author culpæ honestior erat. Martem incertæ stirpis patrem nuncupat,sed nec dij, nec homines aut ipsam, aut stirpem à crudelitate regia vindicant. sacerdos vincta in custodiã datur.pueros in profluentem aquã mitti iubet. Sorte quidẽ diuinitus super ripas Tyberis effusus lenibus stagnis,nec adiri vsque ad iusti cursũ poterat amnis: & posse quamuis languida mergi aqua infantes spem ferentibus dabat. ita velut defũcti regis imperio,in proxima alluuie, vbi nunc ficus Ruminalis est(Romularem vocatam ferunt)pueros exponunt. Vastæ tum in iis locis solitudines erant. Tenet fama, cum fluitantem alueum quo expositi erant pueri,tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt , ad puerilem vagitum cursum flexisse. eam summissas infantibus adeo mitem præbuisse mammas, vt lingua lambentẽ pueros magister regij pecoris inuenerit (Faustulo fuisse nomen ferunt) ab eo ad stabula Laurentiæ vxori educandos datos.Sunt qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent: inde locum fabulæ ac miraculo datum. Ita geniti, ita educati, cum primum adoleuit ætas, nec in stabulis,nec ad pecora segnes venando peragrare saltus, hinc robore corporibus animisque sumpto , iam non feras tantum subsistere, sed in latrones præda onustos impetum facere, pastoribúsque rapta diuidere,& cum his, crescente in dies grege iuuenum, serias ac iocos celebrare. Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt,& à Palanteo vrbe Arcadica Palãtium,deinde Palatinum montem appellatum. ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempestatibus ea tenuerat loca,solẽne allatum ex Arcadia instituisse, vt nudi iuuenes Lycęum Pana venerantes, per lusũ atque lasciuiam currerent, quem Romani deinde vocarunt Inuum. huic deditus ludicro, cum solenne notum esset, insidiatos ob iram prædæ amissæ latrones, cũ Romulus vi se defendisset,Remum cepisse: captũ regi Amulio tradidisse,vltro accusantes. crimini maxime dabant, in Numitoris agros ab his impetum fieri: inde eos collecta iuuenum manu , hostilem in modum prædas agere. sic Numitori ad supplicium Remus deditur. Iam inde ab initio Faustulo spes fuerat regiam stirpem apud se educari. nam & expositos iussus regis infãtes sciebat:& tẽpus,quo ipse eos sustulisset,

lisset,

lisset, ad id ipsum congruere, sed rem immaturá nisi
aut per ocasionem, aut per necessitatem aperiri no-
luerat. necessitas prior venit.ita metu subactus, Ro-
mulo rem aperit. Forte & Numitori, cum in custo-
dia Remum haberet, audissétque geminos esse fra-
tres:comparando eorum ætatem, & ipsam minime
seruilem indolem, tetigerat animum memoria ne-
potum suscitandóq.eodem peruenit,vt haud procul
esset,quin Remum agnosceret. Ita vndique regi do-
lus nectitur.Romulus nō cum globo iuuenum (nec
enim erat ad vim apertam par) sed aliis alio itinere
iussis certo tempore ad regia venire pastoribus, ad
regē impetum facit:&à domo Numitoris alia com-
parata manu adiuuat Remus.ita regem obtruncant.
Numitor inter primum tumultum hostes inuasisse
vrbem,atque adortos regiam dictitans, cum pubem
Albaná in arcē præsidio armisq.obtinendá aduocas-
set, posteaquam iuuenes perpetrata cæde pergere
ad se gratulátes vidit: extemplo aduocato consilio,
scelera in se fratris, originem nepotum, vt geniti, vt
educati, vt cogniti essent. cædem deinceps tyranni,
séque eius auctorem ostendit. Iuuenes per mediam
concionem agmine ingressi, cum auum regem salu-
tassent,secuta ex omni multitudine consentiens vox
ratum nomen imperiumque regi effecit. Ita Numi-
tori Albana permissa re, Romulum Remumque cu-
pido cepit,in iis locis vbi expositi,vbique educati e-
rant,vrbis condendæ: & supererat multitudo Alba-
norum, Latinorumque ad id pastores quoque ac-
cesserant: qui omnes facile spem facerent, paruam
Albam,paruum Lauinium, præ ea vrbe que conde-
retur, fore. Interuenit deinde his cogitationibus
auitum malum, regni cupido, atque inde fœdū cer-
tamen coortum à satis miti principio: quoniam
gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen fa-
cere posset:vt dij, quorum tutela ea loca essent, au-
guriis legerent, qui nomen nouæ vrbi daret, qui cō-
ditam imperio regeret. Palatinum Romulus, Re-
mus Auentinum ad inaugurandum templa capiunt.
Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures.
Iámque nunciato augurio, cū duplex numerus Ro-
mulo se ostendisset, vtrumque regem sua multitudo
cōsalutauerat, tempore illi præcepto: at hi numero
auium regnum trahebant. Inde cum altercatione
congressi,certamine irarum ad cædem vertuntur.ibi
in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est,lu-
dibrio fratris Remum nouos transiluisse muros.
inde ab irato Romulo, cum verbis quoque in-
crepitans adiecisset: sic deinde quicunq. alius tran-
siliet mœnia mea: interfectum.Ita solus potitus im-
perio Romulus: condita vrbs, conditoris nomine
appellata.Palatinum primum, in quo ipse erat edu-
catus, muniit. Sacra diis aliis Albano ritu, Græco
Herculi,vt ab Euandro instituta erant, facit.Hercu-
lem in ea loca, Geryone interempto, boues mira
specie abegisse memorant, ac prope Tiberim flu-
uium,qua præ se armentum agens nando traiecerat
loco herbido vt quiete & pabulo læto reficeret bo-
ues,& ipsum fessum via procubuisse. Ibi cum eum
cibo vinoque grauatum sopor oppressisset, pa-
stor accola eius loci nomine Cacus, ferox viri-
bus, captus pulchritudine boum, cum auertere
eam prædam vellet: quia si agendo armentum in
speluncam compulisset, ipsa vestigia quærentem
dominum eò deductura erant: auersos boues, exi-
mium quemque pulchritudine,caudis in speluncam
traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus
cūm gregem perlustrasset oculis, & partem abesse
numero sensisset.pergit ad proximam speluncam, si
forte eo vestigia ferrent, quæ vbi omnia foras versa
A vidit,nec in partem aliam ferre:confusus, atque in-
certus animi, ex loco infesto agere porro armen-
tum occepit.Inde cum actę boues quædá ad deside-
rium(vt fit)relictarum mugissent,redita inclusarum
ex spelunca boum vox Herculé conuertit. quē cum
vadentem ad speluncá Cacus vi prohibere conatus
esset,ictus claua,fidē pastorum nequicquá inuocás,
morte occubuit. Euander tum ea,profugus ex Pelo-
ponneso, auctoritate magis quam imperio regebat
B loca: venerabilis vir miraculo literarum rei nouæ
inter rudes artium homines venerabilior diuinitate
credita Carmētæ matris, quam fatiloquam ante Si-
byllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fue-
rant. Is tum Euander concursu pastorem trepidan-
tiū circa aduená manifestę reum cædis excitus, post
quam facinus, facinorisque causam audiuit: habitū
formáq. viri aliquantū ampliorem augustiorémq;
humana intuens,rogitat,qui vir esset. vbi nomé,pa-
tréq.ac patriá accepit:Ioue nate Herculles salue in-
C quit. te mihi mater veridica interpres deûm auctu-
rū cęlestiū numerum cecinit,tibiq.ará hic dicatū iri,
quam opulentissima olim in terris gens Maximam
vocet,tuóq.ritu colat.Dextra Hercules data,accipe-
re se omen,impleturumq. fata,ara cōdita atq.dicata
ait.Ibi tum primum boue eximia capta de grege,sa-
crū,adhibitis ad ministerium dapémq.Potitiis ac Pi-
nariis(quæ tum familiæ maxime inclytæ ea loca in-
colebant)factum.Forte ita euenit,vt Potitij ad tem-
D pus præsto essent, iisque exta apponerentur:Pinarij
extis adesis, ad ceteram venirent dapem. Inde insti-
tutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis
solemnibus vescerentur. Potitij ab Euandro edocti,
antistites sacri eius per multas etates fuerunt: donec
tradito seruis publicis solenni familiæ ministerio,
genus omne Potitiorum interiit.Hæc tum sacra Ro-
mulus vna ex omnibus peregrina suscepit, iam tum
immortalitatis virtute partæ,ad quam eum sua fata
ducebant,fautor. Rebus diuinis rite perpetratis,vo-
E catáque ad concilium multitudine, quæ coalescere
in populi vnius corpus nulla re præterquá legibus
poterat, iura dedit.quæ ita sancta generi hominum
agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignib.im-
perij fecisset, cum cetero habitu se augustiorem, tū
maxime lictoribus duodecim sumptis fecit. Alij ab
numero auium que augurio regnum portenderant,
eum secutum numerum putant. Me haud pœnitet
eorum sententiæ esse, quibus & apparitores & hoc
genus ab Hetruscis finitimis,vnde sella curulis,vnde
toga prætexta sumpta est,numerum quoque ipsum
F ductū placet:& ita habuisse Hetruscos,quod ex duo-
decim populis communiter creato rege singulos
singuli populi lictores dederint. Crescebat interim
vrbs munitionibus,cum alia atq; alia appetendo lo-
ca, in spem magis futuræ multitudinis,quam ad id,
quod tum hominum erat,munirent.Deinde ne vana
vrbis magnitudo esset: adiiciēdę multitudinis cau-
sa vetere consilio condentium vrbes, qui obscuram
atque humilem conciendo ad se multitudinem,na-
tam è terra sibi prolem mentiebantur: locum qui
nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, a-
G sylum aperit.eo ex finitimis populis turba omnis,si-
ne discrimine liber an seruus esset, auida nouarum
rerum perfugit. idque primū ad cœptam magnitu-
dinem roboris fuit.Cūm iam viriū haud pœniteret,
consilium deinde virib. parat centū creat senatores:
siue quia is numerus satis erat,siue quia soli centū
erant, qui creari patres possent. Patres certe ab ho-
nore. patriciiq. progenies eorum appellati. Iam res
Romana adeo erat valida, vt cuilibet finitimarū ci-
uitatū bello par esset, sed penuria mulierū hominis

ætaté duratura magnitudo erat: quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiúmque nouo populo peterent. Vrbes quoque vt cetera, ex infimo nasci deinde quas sua virtus ac dij iuuēt, magnas opes magnúmque nomen sibi facere. satis scire, origini Romanæ & deos affuisse, & non defuturā virtutem. proinde ne grauarentur homines cum hominibus sanguinem & genus miscere. Nusquam benignè legatio audita est: adeo simul omnes spernebant, simul tantā in medio crescentem molē sibi ac posteris suis metuebāt à plerisq. rogantib. dimissi, ecquod fœminis quoque asylum aperuissēt: id enim demum, compar connubium fore. Ægre id Romana pubes passa: & haud dubie ad vim spectare res cœpit, cui tempus locúmq. aptum vt daret Romulus, ægritudinē animi dissimulās, ludos ex industria parat, Neptuno equestri solennes: Consualia vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet, quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant: vt rē clarā exspectatámque facerent. Multi mortales cōuenere studio etiā videndæ nouæ vrbis: maximè proximi quique Cenineses, Crustumini, Antenates. Iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac cōiugibus venit. Inuitati hospitaliter per domos, cum situm, mœniáq. & frequentem tectis vrbem vidissent, mirantur tam breui rem Romanam creuisse. Vbi spectaculi tēpus venit, deditæque eo mentes cum oculis erant: tum ex composito orta vis, signoque dato, iuuentus Romana ad rapiēdas virgines discurrit. Magna pars, forte vt in quem quæque inciderat, raptæ: quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines, quibus datum negotiū erat domos deferebant. Vnam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem à globo Talassij cuiusdam raptam ferunt, multisque sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem nequis violaret, Talassio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro, mœsti parentes virginum profugiunt, incusantes violati hospitij fœdus, deumque inuocantes, cuius ad solenne ludosque per fas ac fidem decepti venissent. Nec raptis aut spes de se melior, aut indignatio est minor. Sed ipse Romulus circumibat, docebátque patrū id superbia factum, qui connubium finitimis negassent. illas tamen in matrimonio, in societate fortunarū omnium, ciuitatisque, &, quo nihil carius humano generi sit, liberum fore: mollirent modo iras, & quibus sors corpora dedisset, darent animos: sæpe ex iniuria postmodum gratiam ortam, eoque melioribus vsuras viris, quòd annixurus pro se quisque sit, vt cum sua vice functus officio sit, parentum etiam patriæq. expleat desiderium. Accedebant blanditiæ virorum factum purgantium cupiditate, atque amore: quæ maximè ad muliebre, ingeniū efficaces preces sunt. Iam admodum mitigati animi raptis erant. At raptarum parentes tum maximè sordida veste, lacrymisque & querelis ciuitates concitabant: nec domi tantum indignationes continebant, sed congregabantur vndique ad Titum Tatium regem Sabinorum & legationes eo, quod maximum Tatij nomē in his regionibus erat, conueniebant. Ceninenses Crustuminiq. & Antemnates erant, ad quos eius iniuriæ pars pertinebat. lentè agere iis Tatius Sabinique visi sunt. Ipsi inter se populi communiter bellum parant. nec Crustumini quidem atque Antemnates pro ardore iraque Ceninensium satis se impigrè mouent. Ita per se ipsum nomen Ceninum in agrum Romanū impetū facit: sed effusè vastantib. fit

A obuius cum exercitu Romulus, leuique certamine docet, vanā sine virib. irā esse, exercitum fundit fugátque: fusum persequitur, regem in prælio obtruncat, & spoliat. duce hostium occiso, vrbem primo impetu capit. Inde exercitu victore reducto, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium ascendit: ibique ea cum ad quercum pastorib. sacram deposuisset, simul cum dono designauit templo Iouis fines, cognomenq. addidit Deo: Iupiter Feretri, in-

B quit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumq. iis regionib. quas modo animo metatus sum, dedico: sedem opimis spoliis, quæ regib. ducibúsq. hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent. Hæc templi est origo: quod primum omnium Romæ sacratū est. Ita deinde diis visum, nec irritam conditoris tēpli vocem esse, qua laturos eò spolia posteros nuncupauit: nec multitudine compotum eius doni vulgari laudem. Bina postea inter

C tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia. Adeo rara eius fortuna decoris fuit. Dum ea ibi Romani gerunt, Antemnatium exercitus per occasionem ac solitudinem hostiliter in fines Romanos incursionem facit. Raptim & ad hos Romana legio ducta palātes in agris oppressit. Fusi sunt igitur primo impetu & clamore hostes oppidum captum: duplicīq. victoria ouantem Romulum Hersilia coniux precibus raptarum fatigata: orat vt parentibus earum det veniam, & in ciuitatem accipiat. ita rem coalescere

D cōcordia posse. facile impetratū. Inde cōtra Crustuminos profectus bellū inferētes: ibi minus etiā, quod iā alienis cladib. ceciderāt animi, certaminis fuit. Vtroq. coloniæ missæ. plures inuēti, qui propter vbertatē terræ in Crustumina nomina darent. & Romā inde frequēter migratū est, à parentib. maximè ac propinquis raptarum: Nouissimum ab Sabinis bellum ortum: multoque id maximum fuit. Nihil enim per irā aut cupiditatē actū est. nec ostenderūt bellū prius quā intulerūt: cōsilio etiā additus dolus. Sp. Tarpeius

E Romanæ præerat arci. huius filiā virginē auro corrupit Tatius, vt armatos in arcem accipiat. Aquam forte ea tum sacris extra mœnia petitum ierat, accepti obrutā armis necauere: seu vt vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli caussa, ne quid vsquam fidum proditori esset. Additur fabula, quod vulgò Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo, gemmatosque magna specie annulos habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent: eo scuta illi pro aureis donis congesta.

F Sunt qui eam ex pacto tradēdi quod in sinistris manibus esset decreto arma petisse dicant: & fraude visam agere, sua ipsam peremptam mercede. Tenuere tamen arcem Sabini atque inde postera die cum Romanus exercitus instructus, quod inter Palatinum Capitolinumque collem cāpi est, complesset: non prius descenderunt in æquū, quàm ira & cupiditate recuperandæ arcis stimulante animos in aduersum Romani subiere. Principes vtrinque pugnam ciebāt: ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Ho-

G stius Hostilius. Hic rē Romanā iniquo loco ad prima signa animo atq; audacia sustinebat. Vt Hostius cecidit cōfestim Romana inclinatur acies, fusaque est ad veterem portam Palatij. Romulus & ipse turba fugientium actus, arma ad cœlum tollens: Iupiter, tuis, inquit, iussus auibus hic in palatino prima vrbi fundamenta ieci: arcem iam scelere emptam Sabini habent. Inde huc armati superata medio valle tendunt. At tu pater Deum hominúmque hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugámque

fugámque

gamque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monimentum sit posteris, tua præsenti ope seruatam vrbem esse, voueo. Hæc precatus, veluti sensisset auditas preces: Hinc, inquit, Romani, Iupiter optimus maximus resistere, atque iterare pugnam iubet. Restitere Romani, tanquam cælesti voce iussi. Ipse ad primores Romulus prouolat. Metius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decurrerat, & effusos egerat Romanos toto quantum foro spatium est. nec procul iam à porta Palatij erat, clamitans: Vicimus perfidos hospites, imbelles hostes. iam sentiunt longe aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris. In eum hæc gloriantem, cum globo ferocissimorum iuuenum Romulus impetum facit. Ex equo tum fortè Metius pugnabat: eò pelli facilius fuit. pulsum Romani persequuntur: & alia Romana acies audacia regis accensa, fundit Sabinos. Metius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit, auerteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri. Et ille quidem annuentibus ac vocantibus suis, fauore multorum addito animo, euadit. Romani Sabiniq. in media conualle duorum montium redintegrant prælium, sed res Romana erat superior. Tum Sabinæ mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus passis, scissaque veste, victo malis muliebri pauore, ausæ se inter tela volantia inferre: ex transuerso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras: hinc patres, hinc viros orantes, ne se sanguine nefando soceri generique respergerent: ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, liberum hi progeniem. Si affinitatis inter vos, si connubij piget, in nos vertite iras. Nos causa belli, nos vulnerum ac cædium viris ac parentibus sumus. Melius peribimus, quàm sine alteris vestrum viduæ aut orbæ viuemus. Mouet res tum multitudinem, tum duces. silentium & repentina fit quies. Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacem modo, sed & ciuitatem vnam ex duabus faciunt: regnum consociant: imperium omne conferunt Romam. Ita geminata vrbe, vt Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites à Curibus appellati. Monimentum eius pugnæ, vbi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit, Curtium lacum appellarunt. Ex bello tam tristi læta repente pax cariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipsi fecit. Itaque cum populum in curias triginta diuideret, nomina earum curiis imposuit. Id non traditur, cum haud dubie aliquando numerus maior hoc mulierum fuerit, ætate, an dignitatibus suis virorumve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent. Eodem tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt. Ramnenses ab Romulo, ad Tito Tatio Titientes appellati. Lucerum nominis & originis causa incerta est. Inde non modo commune, sed concors etiam regnum duobus regibus fuit. Post aliquot annos propinqui regis Tatij legatos Laurentium pulsant: cumque Laurentes iure gentium agerent, apud Tatium gratia suorum & preces plus poterant. Igitur illorum pœnam in se vertit: nam Lauinij, cum ad solenne sacrificium eo venisset, concursu facto interficitur. Eam rem minus ægre quam dignum erat, tulisse Romulum ferunt, seu ob infidam societatem regni, seu quia haud iniuria cæsum credebat. Itaque bello quidem abstinuit: vt tamen expiarentur legatorum iniuriæ, regisque cædes, fœdus inter Romam Lauiniúmque vrbes renouatum est. Et cum his quidem insperata pax erat: aliud multo propius, atque in ipsis prope portis bellum ortum. Fidenates nimis vicinas pro-

A pe se conualescere opes rati, prius quàm tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, occupant bellum facere. iuuentute armata immissa, vastatur agri quod inter vrbem ac Fidenas est. Inde ad læuam versi, quia dextra Tyberis arcebat, cum magna trepidatione agrestium populantur: tumultusque repens ex agris in vrbem illatus, pro nuncio fuit. Excitus Romulus (neque enim dilationem pati tam vicinum bellum poterat) exercitum educit: castra à Fidenis mille passuum locat. B ibi modico præsidio relicto, egressus cum omnibus copiis, partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis iussit. Cum parte maiore atque omni equitatu profectus, id quod quærebat, tumultuoso & minaci genere pugnæ obequitando ipsis prope portis hostem exciuit. Fugæ quoq. quæ simulanda erat, eadē equestris pugna caussam minus mirabilem dedit. Et cum velut inter pugnæ fugæque consilium trepidante equitatu, pedites quoque referret gradum, plenis repēte C portis effusi hostes, impulsa Romana acie, studio instandi sequendique trahūtur ad locum insidiarū. Inde subito exorti Romani, transuersam inuadunt hostium aciem. addunt pauorem mota è castris signa eorum qui in præsidio relicti fuerant. Ita multiplici terrore perculsi Fidenates, prius pene quàm Romulus, quique cum eo equites erant, circum agerent frenis equos terga vertunt: multoque effusius, quippe vera fuga, qui simulantes paulo ante secuti erant, oppidum repetebant: non tamen eripuere se D hosti. Hærens in terga Romanus, prius quam fores portarum obijcerentur, velut agmine vno irrumpit. Belli Fidenatis contagione irritati Veientium animi, & consanguinitate (nam Fidenates quoque Hetrusci fuerunt) & quod ipsa propinquitas loci, si Romana arma omnibus infesta finitimis essent, stimulabat: in fines Romanos excurrerunt, populabundi magis quàm iusti more belli. Itaque non castris positis, non exspectato hostium exercitu: raptam ex agris prædam portantes, Veios rediere. Romanus con- E tra, postquam hostem in agris non inuenit, dimicationi vltimæ instructus intentusque, Tyberim transit. Quem postquam castra ponere & ad vrbem accessurum Veientes audiuere, obuiam egressi, vt potius acie decernerent, quam inclusi de tectis mœnibusque dimicarent. Ibi viribus nulla arte adiutis, tantum veterani robore exercitus rex Romanus vicit: persecutusque fusos ad mœnia hostes, vrbe valida muris ac situ munita, abstinuit. Agros rediēs vastat, vlciscendi magis quam prædæ studio. eáque F clade haud minus quàm aduersa pugna subacti Veientes, pacem petitum oratores Romam mittunt. agri parte multatis, in centum annos induciæ datæ. Hæc fermè Romulo regnante domi militiæque gesta. Quorum nihil absonum fidei diuinę originis, diuinitatisque post mortem creditæ, fuit. non animus in regno auito recuperando, non condendæ vrbis consilium, non bello ac pace firmandæ. Ab illo enim profectis viribus datis tantum valuit, vt in quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. Mul- G titudini tamē gratior fuit quam Patribus: longe ante alios acceptissimus militum animis. Trecentosque armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellauit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit. His immortalibus editis operibus, cum ad exercitū recensendū conciōnē in cāpo ad Capreę paludē haberet, subito coorta tēpestas cū magno fragore tonitribusq; tam denso regē operuit nimbo, vt cōspectum eius concioni abstulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Romana pubes sedato tandem pa-

uore postquam ex tam turbido die serena & tranquilla lux rediit: vbi vacuam sedem regiam vidit: etsi satis credebat Patribus, qui proximi steterant, sublimem raptum procella: tamen velut orbitatis metu icta, mœstum aliquamdiu silentium obtinuit. Deinde à paucis initio facto, Deum Deo natum, regem parentémque vrbis Romanæ saluere vniuersi Romulum iubent: pacem precib. exposcunt,vti volens propitius suam semper sospitet progeniem. Fuisse credo tum quoque aliquos, qui discerptum regem patrum manibus taciti arguerint.manauit enim hæc quoque sed perobscura fama. Illam alterã admiratio viri, & pauor præsens nobilitauit. Consilio etiam vnius hominis addita rei dicitur fides. namque Proculus Iulius solicita ciuitate desiderio regis,& infensa Patribus, grauis, vt traditur, quamuis magnæ rei auctor, in concionem prodit.Romulus,inquit, Quirites, parens vrbis huius prima hodierna luce cœlo repente delapsus, se mihi obuium dedit.Cum perfusus horrore, venerabundusque adstitissem, petens precibus, vt contra intueri fas esset: Abi, nuncia, inquit, Romanis,cœlestes ita velle,vt mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarem colant, sciántque, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse. Hæc, inquit, locutus, sublimis abiit. Mirum quantum illi viro nuncianti hæc fides fuerit: quámque desiderium Romuli apud plebem exercitúmque facta fide immortalitatis lenitum sit. Patrum interim,animos certamen regni ac cupido versabat. Necdum à singulis, quia nemo magnopere eminebat in nouo populo,peruenerãt factiones. inter ordines certabatur. Oriundi ab Sabinis, ne quia post Tatij mortem ab sua parte non erat regnatum in societate æqua possessionem imperij amitterent, sui corporis creari regem volebant. Romani veteres peregrinum regem aspernabantur. In variis voluntatibus,regem tamen omnes volebant,libertatis dulcedine nondum experta. Timor deinde Patres incessit, ne ciuitatem sine imperio, exercitum sine duce,multarum circa ciuitatum irritatis animis,vis aliqua externa adoriretur: & esse igitur aliquod caput placebat, & nemo alteri concedere in animum inducebat. Itaque rem inter se centum Patres, decem decuriis factis,singulísque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent,consociant. Decem imperitabant: vnus cum insignibus imperij & lictoribus erat. Quinque dierum spatio finiebatur imperium,ac per omnes in orbem ibat annuúmque interuallum regni fuit. Id ab re quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum. Fremere deinde plebs multiplicatam seruitutem: centum pro vno dominos factos, nec vltra, nisi regem, & ab ipsis creatum videbantur passuri. Cum sensissent ea moueri Patres, offerendum vltro rati quod amissuri erant, ita gratiam ineunt, summa potestate populo permissa, vt non plus darent iuris, quàm detinerent. Decreuerunt enim vt cum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si Patres auctores fierent. Hodie quoque in legibus magistratibusque rogandis vsurpatur idem ius,vi adempta: prius quam populus suffragium ineat,in incertum comitiorum euentum Patres auctores fiunt. Tum Interrex concione aduocata: Quod bonum, faustum, felixque sit, inquit.Quirites rege create, ita Patribus visum est. Patres deinde si dignum qui secundus ab Romulo numeretur, crearitis, auctores fient. Adeo id gratum plebi fuit, vt ne victi beneficio viderentur.id modo sciscerent iuberéntque, vt Senatus decerneret, qui Romæ regnaret. Inclyta

A iustitia religióque ea tempestate Numæ Pompilij erat. Curibus Sabinis habitabat, consultissimus vir, vt in illa quisquam ætate esse poterat, omnis diuini atque humani iuris. Auctorem doctrinæ eius, quia non extat alius, falso Samium Pythagoram edunt: quem Seruio Tullio regnante Romæ, centum post annos & amplius, in vltima Italiæ ora circa Metapontum Heracleámque & Crotonem iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse cõstat. Ex quibus locis etsi eiusdem ætatis fuisset,qua fama in Sabinos aut quo linguæ commercio quenquam ad cupidita-
B tem discendi exciuisset?quóve præsidio vnus per tot gẽtes dissonas sermone moribusq.peruenisset? Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis instructúmque non tam peregrinis artibus quàm disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum:quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audito nomine Numæ, Patres Romani quanquam inclinari opes ad Sabinos rege inde sumto videbantur: tamen neq.se quisquam, nec factio-
C nis suæ alium, nec denique patrũ aut ciuium quenquam præferre illi viro ausi ad vnum omnes Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt. Accitus, sicut Romulus augurato in Vrbe condenda regnum adeptus est,de se quoq. Deos consuli iussit. Inde ab augure, cui deinde honoris gratia publicũ id perpetuúmque sacerdotium fuit,deductus in arcem,in lapide ad meridiem versus consedit. Augur ad læuam eius capite velato sedem cepit,dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem Lituum appella-
D uerunt.Inde vbi prospectu in vrbem agrúmq.capto, Deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinauit, dextras ad meridiem partes, leuásq. ad Septentrionem esse dixit. signum contra quod longissime conspectũ oculi ferebant,animo finiuit: tum lituo in læuam manũ trãslato, dextra in capite Numæ imposita,precatus est ita: Iupiter pater, si est fas hũc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo,regem Romæ esse,vti tu signa nobis certa ac clara sint inter eos fines, quos feci. Tum peregit verbis auspi-
E cia quæ mitti vellet. Quibus missis, declaratus Rex Numa de templo descendit. Qui regno ita potitus. vrbem nouam conditam vi & armis, iure eam legibúsque ac moribus de integro condere parat. Quib. cum inter bella assuescere videret non posse (quippe efferari militia animos) mitigãdum ferocem populũ armorum desuetudine ratus: Ianum ad infimum Argiletũ indicem pacis belliq.fecit:apertus,vt in armis esse ciuitatē:clausus,pacatos circa omnes popu-
F los significaret.Bis deinde post Numæ regnũ clausus fuit: semel T. Manlio consule post Punicũ primũ perfectum bellum:iterum(quod nostræ ætati Dij dederunt vt videremus)post bellum Actiacum, ab imperatore Cæsare Augusto pace terra mariq.parta.Clauso eo,cùm omnium circa finitimorum societate ac fœderibus iunxisset animos: positis externorũ periculorum curis, ne luxuriarent otio animi,quos metus hostium disciplináque militaris cõtinuerat: omnium primùm rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum
G iniiciendum ratus est. Qui cum descendere ad animos sine aliquo commẽto miraculi nõ posset, simulat sibi cum dea Ægeria congressus nocturnos esse: eius se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere: sacerdotes suos cuique Deorum præficere. atque omnium primum ad cursum lunæ in duodecim menses describit annum. Quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalares mensibus interponendo. ita dispen-

dispensauit, vt vigesimoquatto quoque anno ad A
metam eandem solis, vnde orsi essent, plenis an-
norum omnium spaciis dies cōgruerunt. Iidem ne-
fatos dies fastósque fecit: quia aliquando nihil cum
populo agi, vtile fururum erat. Tum sacerdotibus
creandis animum adiecit: quanquam ipse plurima
sacra obibat, ea maxime, quæ nunc ad Dialem flami-
nem pertinent. Sed quia in ciuitate bellicosa plures
Romuli quam Numę similes reges putabat fore, itu-
rósque ipsos ad bella, ne sacra regiæ vicis desereren- B
tur, flaminem Ioui assiduum sacerdotem creauit: in-
signique eum veste & curuli regia sella adornauit.
Huic duos flamines adiecit: Marti vnū, alterū Qui-
rino Virginésque Vestæ legit: Alba oriūdum sacer-
dotium, & genti conditoris haud alienum. His, vt as-
siduæ templi antistites essent, stipendium de publi-
co statuit: virginitate, aliisque ceremoniis venerabi-
les ac sanctas fecit. Salios item duodecim Marti Gra-
diuo legit: tunicęque pictę insigne dedit, & super tu-
nicam æneum pectori tegumem: cœlestiáque arma, C
quæ Ancilia appellantur, ferre, ac per vrbem ire ca-
nentes carmina cum tripudiis solennique saltatu
iussit. Pontificem deinde Numam Marcium Marci
filiū ex patribus legit: eique sacra omnia exscripta
exsignatáque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus
ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sum-
ptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia pu-
blica priuatáque sacra, pontificis scitis subiecit, vt
esset quo consultum plebs veniret: ne quid diuini
iuris negligendo patrios ritus, peregrinósque as- D
ciscēdo turbaretur. Nec cœlestes modo ceremonias
sed iusta quoque funebria, placandósque manes, vt
idem pontifex edoceret: quæque prodigia ful-
minibus, aliòve quo viso missa susciperentur at-
que curarentur: ad ea elicienda ex mentibus di-
uinis Ioui Elicio aram in Auentino dicauit: deúm-
que consuluit, auguriis quæ suscipienda essent. Ad
hæc consultanda procurādáque multitudine omnia
vi & armis conuersa, & animi aliquid agendo occu- E
pati erant, & deorum assidua insidens: cura cū inter-
esse rebus humanis cœleste numē videretur, ea pie-
tate omnium pectora imbuerat, vt fides ac iusiu-
randum, propulso legum ac pœnarum metu, ciui-
tatem regerent. Et cum ipsi se homines in regis ve-
lut vnici exempli mores formarent: tum finitimi e-
tiam populi, qui ante castra vrbem positam in me-
dio ad sollicitandam omnium pacem crediderant,
in eam verecundiam adducti sūt, vt ciuitatē totā in
cultum versam deorū, violari ducerent nefas. Lucus
erat quem medium ex opaco specu fons perenni ri- F
gabat aqua. quo quia se persæpe Numa sine arbitris,
velut ad congressum deæ inferebat, Camœnis eum
lucum sacrauit, quod earum sibi concilia cum con-
iuge sua Ægeria essent. & soli Fidei solēne instituit.
Ad id sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi
iussit, manúque ad digitos vsque inuoluta rem di-
uinam facere: significantes fidem tutādum, sedémq;
eius etiam in dextris sacratā esse. Multa alia sacrifi-
cia, locáque sacris faciendis, quæ Argeos pontifices
vocant, dedicauit. Omnium tamen maximum eius G
operum fuit tutela per omne regni tempus haud
minor pacis quā regni. Ita duo deinceps reges, alius
alia via, ille bello, hic pace, ciuitatem auxerunt Ro-
mulus septem & triginta regnauit annos: Numa tres
& quadraginta. Tum valida, tum temperata &
belli & pacis artibus erat ciuitas. Numæ mor-
te ad interregnum res rediit. Inde Tullum Ho-
stilium nepotem Hostilij, cuius in infima arce
clara pugna aduersus Sabinos fuerat, regem popu-

lus iussit: patres auctores facti. Hic non solum proxi-
mo regi dissimilis, sed ferocior etiā Romulo fuit: tū
ætas viresque tum auita quoque gloria animum sti-
mulabat. Senescere igitur ciuitatem otio ratus, vndi-
que materiā excitandi belli quærebat. Forte euenit,
vt agrestes Romani ex Albano agro Albani ex Ro-
mano prædas inuicem agerent. imperitabat tum C.
Cluilius Albæ. Vtrinque legati fere sub idem tem-
pus ad res repetendas missi. Tullus præceperat suis,
ne quid cum Albano prius quam mādata gerent. sa-
tis sciebat negaturum Albanū ita piè bellum indici
posse. ab Albanis socordius res acta, excepti hospi-
tio ab Tullo blandè ac benignè, comiter regis con-
uiuium celebrant. tantisper Romani & res repetiue-
rant priores, & neganti Albano bellum in trigesimū
diem indixerant. Hæc renunciant Tullo. Tum lega-
tis Tullus dicēdi potestatem, quid petētes venerint,
facit. Illi omnium ignari, primum purgando terunt
tempus. Se inuitos quicquam quod minus placeat
Tullo, dicturos, sed imperio subigi res repetitum se
venisse: ni reddantur, bellum indicere iussos. Ad hæc
Tullus: nunciate, inquit, regi vestro, regem Romanū
deos facere testes, vter prius populus res repetentes
legatos aspernatos dimiserit, vt in eum omnes expe-
tant huiusce clades belli. Hæc nunciant domum Al-
bani. Et bellū vtrinque summa ope parabatur ciui-
li simillimū bello, prope inter parentes natósq. Tro-
ianā vtramq. prolē, cum Lauinium ab Troia, ab La-
uinio Alba, ab Albanorum stirpe regum oriūdi Ro-
mani essent. Euentus tamen belli minus miserabilē
dimicationem fecit: quod nec acie certatum est, &
tectis modo dirutis alterius vrbis, duo populi in vnū
confusi sunt. Albani priores ingenti exercitu in agrū
Romanum impetum facere. Castra ab Vrbe haud
plus quinq. millia passuum locant, fossa circundant.
Fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot secula ap
pellata est, donec cum re nomen quoque vetustate
aboleuit. In his castris Cluilius Albanus rex mori-
tur. Dictatorem Albani Metium Suffetium creant.
Interim Tullus ferox precipuè morte regis, magnú-
que deorum numen ab ipso capite orsum, in omne
nomen Albanum expetiturum Pœnas ob bellum
impium dictitans, nocte præteritis hostium castris
infesto exercitu in agrū Albanum pergit. Ea res ab
statiuis exciuit Metium. is ducit quàm proxime ad
hostem potest. Inde legatum præmissum nunciare
Tullo iubet, prius quam dimicent, opus esse collo-
quio: si secū congressus sit, satis scire ea se allaturum,
quæ nihilominus ad rem Romanā quàm ad Alba-
nam pertineant. Haud aspernatus Tullus, tamet-
si vana afferebantur, suos in aciem educit. Exeunt
contra & Albani. Postquam instructi vtrinque sta-
bant, cum paucis procerum in medium duces pro-
cedunt. ibi infit Albanus: iniurias, & non redditas res
ex fœdere quæ repetitæ sunt, & ego regem no-
strū Cluilium caussam huiusce esse belli audisse vi-
deor: nec te dubito, Tulle, eadem præ te ferre. Sed si
vera potius quam dictu speciosa sunt, cupido impe-
rij duos cognatos vicinosq. populos ad arma stimu-
lat. neque rectè an perperam interpretor: fuerit ista
eius deliberatio, qui bellum suscepit. Me Albani ge-
rēdo bello ducem creauere. Illud te Tulle monitum
velim: Hetrusca res, quanta circa nos, téque maxima
sit, quo propiores vos, hoc magis scis. multum illi ter-
ra, plurimū mari pollent. Memor esto iamcum si-
gnum pugnæ dabis, has duas acies spectaculo fore,
vt fessos cōfectosq. simul victorē ac victū aggrediā-
tur. Itaque si nos dij amant quoniam non contenti
libertate certa, in dubiam imperij seruitiique aleam

imus, ineamus aliquam viam, qua vtri vtris impe- A rent sine magna clade, sine multo sanguine vtriusque populi decerni possit. Haud displicet res Tullo, quanquam tum indole animi, tum spe victoriæ ferocior erat. Quærentibus vtrinque ratio initur, cui & fortuna ipsa præbuit materiam. Forte in duobus tum exercitibus erant tergemini fratres, nec ætate nec viribus dispares. Horatios Curiatiósq. fuisse satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara, nominum error manet, B vtrius populi Horatij, vtrius Curiatij fuerint. auctores vtroque trahunt: plures tamen inuenio, qui Romanos Horatios vocent. hos vt sequar, inclinat animus. Cum tergeminis agunt reges, vt pro sua quisque patria dimicent ferro ibi imperium fore, vnde victoria fuerit. nihil recusatur: tempus & locus conuenit. Prius quam dimicarent, fœdus ictum inter Romanos & Albanos est, his legibus, vt cuius populi ciues eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Fœdera alia aliis legibus, cæterùm eodem modo omnia fiunt. C Tum ita factum accepimus, nec vllius vetustior fœderis memoria est. Fecialis regem Tullum ita rogauit: Iubésne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege. Sagmina, inquit, te rex posco. Rex ait: Puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogauit: Rex, facísne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vasa comitésque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populi- D que Romani Quiritium fiat, facio. Fecialis erat M. Valerius. is patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillósque tangens (pater patratus ad iusiurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus, multisque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis: Audi, inquit, Iupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, vt illa palam prima postrema ex illis tabulis cerâve recitata sunt sine dolo malo, vtique ea hic hodie rectissime intel- E lecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet. si prior defecerit publico cósilio, dolo malo tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollésque. Id vbi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani, suúmque iusiurandum per suum dictatorem, suosque sacerdotes peregerunt. Fœdere icto, tergemini: sicut conuenerat, arma capiunt. Cùm sui vtrosque adhortarentur, deos patrios, patriam, ac pa- F rentes, quicquid ciuium domi, quicquid in exerciti sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus: feroces & suopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Consederant vtrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis quàm curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum, animo intenduntur. Datur signum: infestisque armis, velut a- G cies, terni iuuenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt: nec his nec illis periculum suum, sed publicum imperium seruitiúmque obuersatur animo, futuráque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Vt primo statim concursu increpuere arma, micantésque fulsere gladij, horror ingens spectantes perstringit, & neutro inclinata spe torpebat vox spiritúsque. Consertis deinde manibus, cum iam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorúmque, sed vulnera quoq. & sanguis spectaculo essent; duo Romani, super aliú alius, vulneratis trib. Albanis expirantes corruerût. ad quorú casum cú conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota. nondú tamen cura deseruerat, exanimes vice vnius, quem tres Curiatij circumsteterant. Forte is integer fuit, vt vniuersis solus nequaquam par, sic aduersus singulos ferox. ergo vt segregaret pugnam corú, capessit fugam, ita ratus secuturos, vt quemque vulnere affectum corpus sineret. Iam aliquantum spatij ex eo loco, vbi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis interuallis sequentes, vnum haud procul ab sese abesse: in eum magno impetu redit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, vti opem ferant fratri, iam Horatius cæso hoste victor secundam pugnam petebat. Tum clamore, qualis ex insperato fauentium solet, Romani adiuuant militem suum: & ille defungi prælio festinat. Prius itaque quàm alter qui nec procul aberat, consequi posset, & alterum Curiatium cóficit. Iamque æquato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria, ferocem in certamen tertium dabant, alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victúsque fratrum ante se strage, victori obiicitur hosti. nec illud prælium fuit. Romanus exsultans: Duos, inquit, fratrum manibus dedi: tertium caussam belli huiusce, vt Romanus Albano imperet, dabo. Male sustinenti arma, gladium superne iugulo defigit: iacentem spoliat. Romani ouantes ac gratulantes Horatium accipiunt eo maiore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur: quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra exstant, quo quisque loco cecidit. duo Romana vno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis, vt & pugnatum est. Prius quam inde digrederentur, roganti Metio ex fœdere icto quid imperaret, imperat Tullus, vti iuuentutem in armis habeat: vsurum se eorum opera, si bellum cum Veientibus foret. ita exercitus inde domos abducti. Princeps Horatius ibat, tergemina spolia præ se gerens: cui soror virgo, quæ desponsa vni ex Curiatiis fuerat, obuia ante portam Capenam fuit. cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, soluit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Mouet feroci iuueni animum comploratio sororis in victoria sua, tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam: Abi hic cum immaturo amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum mortuorum, viuique oblita patriæ. Sic eat quæcunq; Romana lugebit hostem. Atrox visum id facinus patribus, plebique: sed recens meritum facto obstabat: tamen raptus in ius ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratiq. ad vulgus iudicij, ac secundum iudicium supplicij auctor esset, concilio populi aduocato: Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent secundum legem, facio lex horrendi criminis erat. Duumuiri perduellionem. iudicent. si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomœrium vel extra pomœrium. Hac lege Duumuiri creati, qui se absoluere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cum condenasset. tú alter ex his: P. Horati, tibi perduellioné indi-

indico, inquit: I lictor, colliga manus. Accesserat li- A ctor, iniiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete. Prouoco, inquit. Ita de prouocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo iudicio maximè P. Horatio patre proclamante, se filiam iure cæsam iudicare: ni ita esset, patrio iure in filium animaduersurum fuisse. Orabat deinde, ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. Inter hæc senex iuuenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Hora- B tia appellatur, ostentans: Hunccine, aiebat, quem modo decoratum, ouantémque victoria incedentem vidistis Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? quod vix Albanorũ oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris vrbis huius: arbori infelici suspende: verbera vel intra pomœrium, modo inter illa pila & spolia hostium: vel extra pomœ- C rium, modo intra sepulcra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc iuuenem potestis, vbi non sua decora eum à tanta fœditate supplicij vindicent? Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem omni periculo animum: absolueruntque admiratione magis virtutis, quàm iure caussæ. Itaque vt cædes manifesta, aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, vt filium expiaret pecunia publica. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quæ dein- D de genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub iugum misit iuuenem. id hodie quoque publice semper refectum manet: Sororium tigillum vocant. Horatiæ sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato. Nec diu pax Albana mansit inuidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commissa fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit. & quoniam recta cõsilia haud bene euenerant, prauis reconciliare popularium animos cœpit. Igitur vt E prius in bello pacem, sic in pace bellum quærens, quia suæ ciuitati animorum plus quam virium cernebat esse, ad bellum palam, atque ex edicto gerendum alios concitat populos, suis per speciem societatis proditionem reseruat. Fidenates colonia Romana, Veientibus sociis consilij assumtis, pacto transitionis Albanorum, ad bellum atque arma incitantur. Cum Fidenæ apertè descissent, Tullus Metio, exercituque eius ab Alba accito, contra hostes F ducit vbi Anienem transiit, ad confluentes collocat castra. Inter eum locum & Fidenas Veientium exercitus Tyberim transierat. Hi & in acie propè flumen tenuere dextrum cornu, in sinistro Fidenates propius montes consistunt. Tullus aduersus Veientem hostem dirigit suos, Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Albano non plus animi erat quàm fidei: nec manere ergo, nec transire apertè ausus, sensim ad montes succedit. inde vbi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem, fluctuánsque G animo, vt tereret tempus, ordines explicat. Consilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare vires. Miraculo primo esse Romanis, qui proximi steterant, vt nudari latera sua sociorum digressu senserunt. inde eques citato equo nuntiat regi, abire Albanos, Tullus in re trepida duodecim vouit Salios, fanaque Pallori ac Pauori. Equidem clara increpans voce, vt hostes exaudirent, redire in prælium iubet: nihil trepidatione opus esse: suo iussu circumduci Albanum exercitum, vt Fidenatium nuda terga inuadat, idem imperat: vt hastas equites erigere iubeat. Id factum, magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus intersepsit. qui viderant, id quod ab rege auditum erat, rati eo acrius pugnant. Terror ad hostes transit, & audiuerant, clara voce dictum, & magna pars Fidenatium, vt qui coloni additi Romanis essent, Latine sciebant. Itaque ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Instat Tullus, fusóque Fidenatium cornu, in Veientem alieno pauore perculsum ferocior redit. nec illi tulere impetum, sed ab effusa fuga flumen obiectum à tergo arcebat. Quo postquam fuga inclinauit, alij arma fœdè iactantes, in aquam cæci ruebant: alij, dum cunctantur in ripis, inter fugæ pugnæque consilium oppressi. non alia ante Romana pugna atrocior fuit. Tum Albanus exercitus spectator certaminis, deductus in campos Metius Tullo deuictos hostes gratulatur. Contra Tullius Metium benigne alloquitur: quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris iungere iubet: sacrificium lustrale in diem posterum parat. Vbi illuxit, paratis omnibus, vt assolet, vocari ad concionem vtrunque exercitum iubet. præcones ab extremo orsi, primos exiuere Albanos. hi nouitate etiam rei moti, vt regem Romanum concionantem audirent proximi constitere. ex composito armata circumdatur Romana legio. centurionibus datum negotium erat, vt sine mora imperia exsequerentur. tum ita Tullus infit: Romani, si vnquam ante alias vllo in bello fuit, quod primum dijs immortalibus gratias ageretis, deinde vestræ ipsorum virtuti, hesternum id prælium fuit: dimicatum est enim non magis cum hostibus, quam (quæ dimicatio maior ac periculosior est) cum proditione ac perfidia sociorum: nam, ne vos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiere ad montes: nec imperium illud meum, sed consilium, & imperij simulatio fuit, vt nec vobis ignorantibus deseri vos, auerteretur à certamine animus: & hostibus circumueniri se ab tergo ratis, terror ac fuga iniiceretur. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est. ducem secuti sunt: vt & vos, si quo ego inde agmen declinare voluissem, fecissetis. Metius ille est ductor itineris huius, Metius idem huius machinator belli, Metius fœderis Romani Albanique ruptor. audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne iam documentum mortalibus dedero. Centuriones armati Metium circumsistunt. rex cetera, vt orsus erat, peragit: Quod bonum, faustum, felixque sit populo Romano, ac mihi, vobisque Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo est: ciuitatem dare plebi, primores in patres legere: vnam vrbem, vnam rempublicam facere: vt ex vno quondam in duos populos diuisa Albana res est, sic nunc in vnum redeat. Ad hæc Albani pubes inermis ab armatis septa, in variis voluntatibus, commune tamen metu cogente, silentium tenet. tum Tullus Meti Suffeti, inquit, si ipse discere posses fidem ac fœdera seruare, viuo tibi ea disciplina à me adhibita esset. nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus, ea sancta credere, quæ à te violata sunt. vt igitur paulo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis. Exinde duabus admotis quadrigis, currus earum distentum illigat Metium. deinde in diuersum iter equi concitati, lacerum in vtroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra, portantes auertere omnes

à tanta fœditate spectaculi oculos. Primum, vltimúmque A illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit: in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas. Inter hæc iam præmissi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam. legiones deinde ductæ ad diruendam vrbem, quæ vbi intrauere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pauor, qualis captarum esse vrbium solet, cum effractis portis, stratísve ariete muris, aut arce vi capta, clamor hostilis & cursus per vrbem armatorum B omnia ferro flammáque miscet: sed silentium triste ac tacita mœstitia ita defixit omnium animos, vt præ metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantésque alij alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas vltimum illas visuri peruagarentur. Vt verò iam equitum clamor exire iubentium instabat: iam fragor tectorum quæ diruebantur, vltimis vrbis partibus audiebatur, puluisque ex distantibus locis ortus, velut nube inducta omnia impleuerat: raptim C quibus quisque poterat elatis, cum Larem ac Penates, tectáque in quibus natus quisque educatúsque esset, relinquentes exirent, iam continens agmen migrantium impleuerat vias. & conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrymas: vocesque etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum præcipuè, cùm obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac velut captos relinquerent deos. Egressis vrbem Albanis, Romanos passim publica priuataque omnia tecta adæquat solo, vnaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba stete- D rat, excidio ac ruinis dedit. templis tamen deum (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum est. Roma interim crescit Albæ ruinis: duplicatur ciuium numerus: Cœlius additur vrbi mons: &, quo frequentiùs habitaretur, eam sedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitauit. Principes Albanorum in patres, vt quoque pars reipublicæ cresceret, legit: Tullios, Seruilios, Quintios, Geganeos, Curiatios, Clœlios: templumque ordini ab se au- E cto curiam fecit, quæ Hostilia vsque ad patrum nostrorum ætatem appellata est: & vt omnium ordinum viribus aliquid ex nouo populo adiiceretur, equitum decem turmas ex Albanis legit. legiones & veteres eodem supplemento expleuit, & nouas scripsit. Hac fiducia virium Tullus Sabinis bellum indicit, genti ea tempestate secundum Hetruscos opulentissimæ viris armísque vtrinque iniuriæ fa- F ctæ, ac res nequicquam erant repetitæ. Tullus ad Feroniæ fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehensos querebatur: Sabini suos priùs in lucum confugisse, ac Romæ retentos. Hæ caussæ belli ferebantur. Sabini haud parum memores, & suarum virium partem Romæ ab Tatio locatam, & Romanam rem nuper etiam adiectione populi Albani auctam circumspicere & ipsi externa auxilia. Hetruria erat vicina, proximi Hetruscorum Veientes. inde ob residuas bel- G lorum iras maximè solicitatis, ad defectionem animis, voluntarios traxere. & apud vagos quosdam ex inopi plebe etiam merces valuit. publico auxilio nullo adiuti sunt. valuitque apud Veientes (nam de ceteris minus mirum est) pacta cum Romulo induciarum fides. Cum bellum vtrinque summa ope pararetur, vertique in eos res videretur, vtri prius arma inferrent, occupat Tullus in agrum Sabinum transire. pugna atrox ad syluam Malicusam fuit: vbi & peditum quidem robore, ceterum equitatu aucto nuper, plurimum Romana acies valuit. ab equitibus repentè inuectis turbati ordines sunt Sabinorum. nec pugna deinde illis constare, nec fuga explicari sine magna cæde potuit. Deuictis Sabinis, cùm in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli, ac tota res Romana esset, nuntiatum regi patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse: quod cùm credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter quàm cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebris cecidere cœlo lapides. Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, vt patrio ritu sacra Albani facerent, quæ velut diis quoque simul cum patria relictis, obliuioni dederant: & aut Romana sacra susceperant, aut fortunæ (vt fit) obirati cultum reliquerant deum. Romanis quoque ab eodem prodigio Nouendiale sacrum publicè susceptum est: seu voce cœlesti ex Albano monte missa (nam id quoque traditur) seu aruspicum monitu. mansit certè solemne, vt quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per nouem dies agerentur. Haud ita multo post pestilentia laboratum est. vnde cum pigritia militandi oriretur, nulla tamen ab armis quies dabatur à bellicoso rege: salubriora etiam credente militiæ quàm domi iuuenum corpora esse. donec ipse quoque longinquo morbo est implicitus. Tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, vt qui nihil ante ratus esset minus regium, quam sacris dedere animum, repentè omnibus, magnis paruisque superstitionibus obnoxius degeret, religionibúsque etiam populum impleret. Vulgo iam homines eum statum rerum qui sub Numa rege fuerat, requirentes, vnam opem ægris corporibus relictam, si pax veniáque ab diis impetrata esset, credebant. Ipsum regem tradunt voluentem Commentarios Numæ, cùm ibi quædam occulta solennia sacrificia Ioui Elicio facta inuenisset, operatum his sacris se abdidisse: sed non rite initum aut curatum id sacrum esse: nec solum nullam ei oblatam cœlestium speciem, sed ira Iouis solicitati praua religione fulmine ipsum cum domo conflagrasse. Tullus magna gloria belli regnauit annos duos & triginta. Mortuo Tullo, res, vt institutum iam inde ab initio erat, ad patres redierat, hique interregem nominauerant: quo comitia habente, Ancum Martium regem populus creuit: patres fuere auctores. Numæ Pompilij regis nepos filia ortus, Ancus Martius erat. qui vt regnare cœpit, & auitæ gloriæ memor, & quia proximum regnum cetera egregium ab vna parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus, aut praue cultis, longéque antiquissimum ratus sacra publica, vt ab Numa instituta erant, facere: omnia ex ea Commentariis regis Pontificem maximum in album relata, proponere in publico iubet. inde & ciuibus otij cupidis: & finitimis ciuitatibus facta spes, in aui mores atque instituta regem abiturum. Igitur Latini, cum quibus Tullo regnante ictum fœdus erat, sustulerant animos. & cum incursionem in agrum Romanum fecissent, repetentibus res Romanis superbè responsum reddunt, desidem Romanum regem inter sacella & aras acturum esse regnum rati. Medium erat in Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor: & præterquam quod aui regno magis necessariam fuisse pacem credebat, cum in nouo, tum feroci populo, etiam quod illi contigisset otium, sine iniuria id se haud facile habiturum: tentari patientiam, & tentatam contemni: temporáque esse Tullo regi aptiora quàm Numæ: vt tamé, quoniá Numa in pace

religiones instituisset, à se bellicæ ceremoniæ proderentur: nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu: ius ab antiquo gente Æquicolis, quod nunc Feciales habent, descripsit, quo res repetuntur. Legatus vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato, (filum lanæ velamen est) Audi Iupiter, inquit, audite fines (cuiuscunque gentis sunt, nominat) audiat fas, ego sum publicus nuntius populi Romani, iuste pieque legatus venio, verbisque meis fides sit. Peragit deinde postulata. inde Iouem testem facit: Si ego iniuste, impieque illos homines illasque res dedier nuntio pop. Romani, mihique exposco, tu patriæ compotem me nunquam sinas esse. Hæc cum fines suprascandit, hæc quicunque ei primus vir obuius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingressus, paucis verbis carminis, concipiendique iurisiurandi mutatis, peragit. si non deduntur quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim solemnes sunt) peractis, bellum ita indicit: Audi Iupiter, & tu Iuno: Quirine, diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite: ego vos testor, populum illum (quicunque est, nominat) iniustum esse, neque ius persoluere. sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamus. Cum eis nuntius Romam ad consulendum redit. confestim rex his ferme verbis patres consulebat: Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt, nec soluerunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri solui oportuit, dic, inquit, ei quem primum sententiam rogabat, quid censes. Tum ille: Puro pioque duello quærendas censeo, itaque consentio consciscoque. Inde ordine alij rogabantur, quandoque pars maior eorum qui aderant in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum, vt fecialis hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret: Quod populi priscorum Latinorum, hominesve prisci Latini aduersus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt quod populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, consciuit, vt bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis bellum indico, facioque. Id vbi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitæ res, ac bellum indictum: moremque eum posteri acceperunt. Ancus demandata cura sacrorum flaminibus, sacerdotibusque aliis, exercitu nouo conscripto, profectus Politorium vrbem Latinorum vi cepit: secutusq. morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant hostibus in ciuitatem accipiendis multitudinem omnem Romam traduxit, & cum circa palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cœlium montem Albani implessent: Auentium nouæ multitudini, datum. additi eidem haud ita multo post, Tellenis Ficanaque captis noui ciues. Politorium inde rursus bello repetitum, quod vacuum occupauerant prisci Latini. eaque causa diruendæ vrbis eius fuit Romanis, ne hostium semper receptaculum esset. Postremo omni bello Latino Medulliam compulso, aliquandiu ibi Marte incerto, varia victoria pugnatum est. nam & vrbs tuta munitionibus, præsidioque firmata valido erat, & castris in aperto positis, aliquoties exercitus Latinus cominus cum Romanis signa contulerat. Ad vltimum omnibus copiis connixus Ancus,

A acie primum vincit. inde ingenti præda potitus, Romam redit: tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis. quibus vt iungeretur Palatio Auentinum, ad Murtiæ data sedes. Ianiculum quoque adiectum, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset, id non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio, tum primum in Tyberi facto, coniungi vrbi placuit. Quiritium quoque fossa, haud paruum munimentum à planioribus aditu locis, Anci regis opus est. ingenti incremento

B rebus auctis, cum in tanta multitudine hominum, discrimine recte an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciæ media vrbe imminens foro ædificatur. Nec vrbs tantum hoc rege creuit, sed etiam ager, finesque: sylua Mæsia Veientibus adempta, vsque ad mare imperium prolatum: & in ore Tyberis Hostia vrbs condita: salinæ circa factæ: egregieque rebus bello gestis, ædes Iouis Feretrij amplificata. Anco regnante, Lucumo vir impiger, ac diuitiis potens, Romam commigrauit, cupidine maxime ac

C spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquiniis (nam ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat) facultas non fuerat. Damarati hic Corinthij filius, erat. qui ob seditiones domo profugus, cum Tarquiniis forte consedisset, vxore ibi ducta, duos filios genuit. nomina his, Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri bonorum omnium heres: Aruns prior quàm pater moritur, vxore grauida relicta, nec diu manet superstes filio pater: qui cum

D ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis, decessisset, puero post aui mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. Lucumoni contra omnium heredi bonorum, cum diuitiæ iam animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil, summo loco nata, & quæ haud facile iis in quibus nata erat, humiliora sineret. Ea cum innupsisset, spernentibus Hetruscis Lucumonem exule aduena ortum, ferre indignitatem non potuit. oblitaque ingenitæ er-

E ga patriam charitatis, dummodo virum honoratum videret, consilium migrandi ab Tarquiniis cepit. Roma est ad id potissimum visa. in nouo populo, vbi omnis repentina atque ex virtute nobilitas sit. futurum locum forti ac strenuo viro. regnasse Tatium Sabinum: accersitum in regnum Numam à Curibus: & Ancum Sabina matre ortum, nobilemque vna imagine Numæ esse: facile persuadet, vt cupido honorum, & cui Tarquinij materna tantum patria esset. Sublatis itaque rebus commigrant Ro-

F mam. Ad Ianiculum forte ventum erat. ibi ei carpento sedenti cum vxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert, superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio diuinitus missa capiti aptè reponit: inde sublimis abiit. Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, vt vulgo Hetrusci, cœlestium prodigiorum mulier. excelsa & alta sperare complexa virum iubet eam alitem ea regione cœli & eius Dei nun-

G ciam venisse: circa summum culmen hominis auspicium fecisse: leuasse humano superpositum capiti decus, vt diuinitus eidem redderet. Has spes cogitationesque secum portantes, vrbem ingressi sunt: domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium Priscum edidere nomen. Iam & Romanis conspicuum eum nouitas diuitiæque faciebant: & ipse quoque fortunam, benigno alloquio, comitate inuitandi beneficiisque quos poterat sibi conciliando adiuuabat: donec in regiam quoque de eo fama perlata est, notitiamque eam breui apud regem libera-

liter dextréque obeundo officia, in familiaris amicitiæ adduxerat iura, vt publicis pariter ac priuatis consiliis bello domique interesset: & per omnia expertus postremo tutor etiam liberis regis testamento instituerettur. Regnauit Ancus annos quatuor & viginti, cuilibet superiorum regum belli pacisque & artibus & gloria par. Iam filij prope puberem ætatem erant. eo magis Tarquinius instare, vt quàm primum comitia regi creando fierent: quibus indictis, sub tempus pueros venatum ablegauit. isque primus & petisse ambitiosè regnum, & orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam: Cum se non rem nouam petere, quippe qui non primus, quod quisquam indignari mirariue posset, sed tertius Romæ peregrinus regnum affectet: & Tatiũ non ex peregrino solum, sed etiã ex hoste regẽ factũ: & Numã ignarũ vrbis, nõ petẽtẽ in regnũ vltro acciũ: se ex quo sui potens fuerit, Romã cum coniuge ac fortunis omnibus commigrasse: maiorem partem ætatis eius, qua ciuilibus officiis fungantur homines, Romæ se quam in vetere patria vixisse. domi militiæque sub haud pœnitendo magistro, ipso Anco rege Romana se iura, Romanos ritus didicisse. obsequio & obseruantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum rege ipso certasse. Hæc cum haud falsa memorantem, ingenti consensu populus Romanus regnare iussit. Ergo virum cetera egregium, secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est. nec minus regni sui firmandi, quam augẽdæ reipublicæ memor, centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati. factio haud dubia regis, cuius beneficio in curiam venerant. Bellum primum cum Latinis gessit, & oppidum ibi Appiolãs vi cepit: prædáque inde maiore quàm quanta belli fama fuerat, reuecta, ludos opulentius instructiúsque quam priores reges fecit. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est, loca diuisa patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectauere, furis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Ludicrum fuit. equi, pugilésque ex Hetruria maxímè acciti: solemnes deinde annui mansere ludi, Romani magnique varie appellati, ab eodem rege & circa forum priuatis ædificãda diuisa sunt loca, porticus, tabernæque factæ. muro quoque lapideo circumdare vrbem parabat, cum Sabinum bellum cœptis interuenit, adeóque ea subita res fuit, vt prius Anienem transirent hostes, quam obuiam ire, ac prohibere exercitus Romanus posset: itaque trepidatum Romæ est, & primo dubia victoria, magna vtrinque cæde pugnatum est. reductis deinde in castra hostium copiis datóque spatio Romanis ad comparandum de integro bellum, Tarquinius equitem maximè suis deesse viribus ratus, Ramnenses, Titienses, Luceres, quas centurias Romulus scripserat, addere alias constituit, suisque insignes relinquere nomine, id quia inaugurato Romulus fecerat, negare Accius Nauius inclytus ea tempestate augur, neque mutari neque nouum constitui, nisi aues addixissent posse. ex eo ira regi mota, eludénsque artem, vt ferunt, Agedum, inquit, diuine tu, inaugura, fierine possit, quod nunc ego mente concipio. cum ille in augurio rem expertus, profectò futuram dixisset: Atqui hoc animo agitaui, inquit, te nouacula cotem discissurum. cape hæc, & perage quod aues tuæ fieri posse portendunt. Tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt. Statua Accij posita, capite velato, quo in loco res acta est, in comitio in gradibus ipsis ad læuam curiæ fuit. cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, vt esset ad posteros miraculi eius monumentum. Auguriis certè, sacerdotióque augurum tantus honos accessit, vt nihil belli, domique postea, nisi auspicato gereretur: consilia populi, exercitus vocati, summa rerum, vbi aues non admisissent, dirimerentur. Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutauit, numero tantum alterum adiecit, vt mille & CCC. equites in tribus centuriis essent. posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant, appellati sunt, quas nunc quia geminatæ sunt, sex vocant centurias. Hac parte copiarum aucta, iterum cum Sabinis confligitur, sed præterquam quod viribus creuerat Romanus exercitus, ex occulto etiam additur dolus, missis qui magnam vim lignorum in Anienis ripa iacentem, ardentem in flumen conijcerent, ventóque iuuante accensa ligna, & pleraque in ratibus impacta, sublicijs cum hærerent, pontem incendunt. ea quoque res in pugna terrorem attulit Sabinis, effusis eadem fugam impediit: multique mortales, cum hostem effugissent, in flumine ipso periere: quorum fluitantia arma ad vrbem cognita in Tyberi, prius pene quàm nuntiari posset, insignem victoriam facere. Eo prælio præcipua equitum gloria fuit. vtrinque ab cornibus positos, cum iam pelleretur media peditum suorum acies, ita incurrisse ab lateribus ferunt, vt non sisterent modo Sabinas legiones ferociter instantes cedentibus, sed subito in fugam verterent. montes effuso cursu Sabini petebant, & pauci tenuere. maxima pars, vt ante dictum est, ab equitibus in flumen acti sunt. Tarquinius instandum perterritis ratus, præda captiuisque Romam missis, spoliis hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis, pergit porro in agrum Sabinum exercitum inducere. & quanquam male gesta res erat, nec gesturos melius sperare poterant: tamen quia consulendi res non dabat spatium, iere obuiam Sabini tumultuario milite. iterúmque ibi fusi, perditis iam prope rebus, pacem petiere. Collatia, & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum. Egerius (fratris hic filius erat regis) Collatiæ in præsidio relictus. deditosque Collatinos ita accipio, eámque deditionis formulam esse. Rex interrogauit: Estísne vos legati oratorésque missi a populo Collatino, vt vos, populumque Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditísne vos, populumque Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina humanáque omnia, in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. inde priscis Latinis bellum fecit. vbi nusquam ad vniuersæ rei dimicationem ventum est, ad singula oppida circumferendo arma, nomen omne Latinum domuit. Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum, hæc de priscis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida, pax deinde est facta. Maiore inde animo pacis opera inchoata, quam quãta mole gesserat bella, vt non quietior populus domi esset, quam militiæ fuisset. nam & muro lapideo, cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat, vrbem, quam nondum munierat, cingere parat: & infima vrbis loca circa forum, aliásque interiectas collibus conualles, quia ex planis locis haud facile euehebant aquas, cloacis è fastigio in Tyberim ductis siccat: & aream ad ædem in Capitolio Iouis, quam vouerat bello Sabino, iam præsagiente animo futuram olim amplitudinem loci,

loci, occupat fundamentis. Eo tempore in regia prodigium visu euentúq; mirabile fuit. Puero dormienti, cui Seruio Tullio nomen fuit caput arsisse ferunt multorum in conspectu. Plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei miraculum orto, excitum regem. & cùm quidam familiarium aquã ad restinguendum ferret, ab regina retentum: sedatoque iam tumultu, moueri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset, mox cum somno & flammam abiisse. Tum abducto in secretum viro Tanaquil: Videsne tu puerum hunc, inquit, quem tam humili cultu educamus? scite licet hunc lumen quondam rebus nostris dubiis futurum, præsidiumque regiæ afflictæ. proinde materiem ingentis publice priuatímque decoris, omni indulgentia nostra nutriamus. inde puerum liberum loco cœptum haberi, erudirique artibus, quib. ingenia ad magnæ fortunę cultum excitantur. Euenit facile, quod diis cordi esset. iuuenis euasit verè indolis regiæ. nec, cum quæreretur gener Tarquinio, quisquam Romanę iuuentutis vlla arte cõferri potuit. filiámque ei suam rex despondit. Hic quacunque de caussa tãtus illi honos habitus credere prohibet serua natú eum, paruumque ipsum seruisse. eorum magis sententiæ sum, qui Corniculo capto, Seruij Tullij, qui Princeps in illa vrbe fuerat, grauidam viro occiso vxorem, cùm inter reliquas captiuas cognita esset, ob vnicam nobilitatem ab regina Romana prohibitam ferunt. Seruitio, partum Romę edidisse in Prisci Tarquinij domo: inde tanto beneficio & inter mulieres familiaritatem auctam, & puerum vt in domo à paruo eductum in caritate atque honore fuisse. fortunam matris, quod capto patria in hostium manus venerit, vt serua natus crederetur, fecisse. Duodequadragesimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, nõ apud regem modo, sed apud patres plebémque longe maximo honore Seruius Tullius erat. Tum Anci filij duo etsi antea semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno autoris fraude pulsos, regnare Romæ aduenam, non modo vicinæ, sed ne Italicæ quidem stirpis: tum impensius his indignitas crescere, si ne ab Tarquinio quidem ad se rediret regnum, sed præceps inde porro ad seruitia caderet: vt in eadem ciuitate post centesimum fere annum, quam Romulus Deo prognatus, Deus ipse tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id Seruius serua natus possideat. tum commune Romani nominis, tum præcipue id domus suæ dedecus fore, si Anci regis virili stirpe salua, non modo aduenis, sed seruis etiam regnum Romæ pateret. ferro igitur eam arcere contumeliam statuunt. sed & iniuriæ dolor in Tarquinium ipsum magis quam in Seruium eos stimulabat. & quia grauior vltor cædis, si superesset, rex futurus erat, quàm priuatus: tum Seruio occiso, quemcunque alium generum delegisset eundem regni heredem facturus videbatur, ob hæc ipsi regi insidiæ parantur. Ex pastoribus duo ferocissimi delecti ad facinus, quibus consueti erant vterque agrestibus ferramentis, in vestibulo regiæ quam potuere tumultuosissime specie rixæ in se omnes apparitores regios conuertunt. Inde cum ambo regem appellarent, clamorque eorum penitus in regiam peruenisset, vocati ad regem pergunt, primo vterque vociferari, & certatim alter alteri obstrepere coerciti ab lictore, & iussi in vicem dicere, tandem obloqui desistunt. vnus rem ex composito orditur. dum intentus in eum se rex totus auerteret, alter elatam securim in caput deiecit; relictóque in vulnere telo, ambo se foras eiiciunt Tarquinium moribundum cùm qui circa erant excepissent, illos fugientes lictores comprehendunt. clamor inde, concursúsque populi mirantium quid rei esset. Tanaquil inter tumultum claudi regiã iubet, arbitros eiicit: simul quæ curando vulneri opus sunt, tãquam spes subesset, sedulò comparat: simul si destituat spes, alia pręsidia molitur. Seruio properè accito cum pene exanguem virum ostendisset, dextrã tenens, orat ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat. Tuum est, inquit, Serui, si vires. regnum, non eorũ qui alienis manibus pessimum facinus fecere. erige te, deósq. duces sequere qui clarum hoc fore caput diuino quondam circunfuso igni portenderunt. Nunc illa cœlestis excitet flãma. nunc expergiscere verè, & nos peregrini regnauimus: qui sis, nõ vnde natus sis, reputa. si tua subita consilia torpent, at tu mea consilia sequere. Cũ clamor impetusque multitudinis vix sustineri posset ex superiore parte ędiũ per fenestras in nouam viam versas (habitabat enim rex ad Iouis Statoris) populum Tanaquil alloquitur, iubet bono animo esse: sopitum fuisse regem subito ictu, ferrum haud altè in corpus descendisse: iam ad se redisse: inspectum vulnus absterso cruore, omnia salubria esse, confidere propediem ipsum eos visuro. Interim Seruio Tullio iubere populum dicto audientem esse: eum iura redditurum, obiturumq; alia regis munia. Seruius cum trabea & lictoribus prodit. ac sede regia sedens alia decernit, de aliis consulturum se regem esse simulat. Itaque per aliquot dies, cum iã exspirasset Tarquinius, celata morte per speciem alienæ fungendæ vicis, suas opes firmauit. tum demum palam facta ex comploratione in regia orta, Seruius pręsidio firmo munitus, primus iniussu populi, voluntate patrum regnauit. Anci liberi iam tum comprehensis sceleris ministris, vt viuere regem, & tantas esse opes Seruij nuntiatum est, Suessam Pometiam exulatum ierant. Nec iam publicis magis auxiliis Seruius, quàm priuatis munire opes, & ne qualis Anci liberũ animus aduersus Tarquinium fuerat, talis aduersus se Tarquinij liberum esset, duas filias iuuenibus regiis, Lucio atque Arunti Tarquiniis, iungit. nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis, quin inuidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret. Per opportunè ad præsentis quietem status bellum cum Veientibus (iam enim induciæ exierant) aliísque Hetruscis sumtum. in eo bello & virtus & fortuna enituit Tullij. fusósque ingenti hostium exercitu, haud dubius rex seu patrũ, seu plebis animus periclitaretur, Romam rediit, aggrediturque inde pacis longe maximum opus, vt quemadmodum Numa diuini auctor iuris fuisset, ita Seruium conditorem omnis in ciuitate discriminis, ordinũque quibus inter gradus dignitatis, fortunæque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli, pacísque munia non viritim, vt ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. tum classes, centuriásque & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello. Ex iis, qui centum millium æris, aut maiorem censum haberent, LXXX. confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum. Prima classis omnes appellari seniores, ad vrbis custodiam vt præsto essent: iuuenes, vt foris bella gererent. Arma his imperata galea, clypeus, ocreæ, lorica omnia ex ære: hæc vt tegumenta corporis essent: tela in hostem: hastáque & gladius. additæ huic classi duæ fabrum cẽturiæ, quæ sine armis stipendia facerẽt. datum munus, vt machinas in bello ferrent. Secunda classis intra centum vsque ad

quinque & septuaginta millium censum instituta. & ex his senioribus, iunioribúsque viginti conscriptæ centuriæ: arma imperata scutum proclypeo, & præter loricam omnia eadem. Tertiæ classis in millium quinquaginta censum esse voluit. totidem centuriæ & hæ, eodémque discrimine ætatum factę: nec de armis quicquam mutatum, ocreæ tantum ademtæ. In quarta classe census quinque & viginti millium, totidem centuriæ factæ arma mutata, nihil præter hastam & verutum datum. Quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ fundas lapidésq; missiles hi secú gerebant. in his accensi cornicines, tibicinésque in tres centurias distributi. vndecim millibus hæc classis censebatur. hoc minor census reliquam multitudinem habuit. inde vna cẽturia facta est immunis militia. Ita pedestri exercitu ornato, distributóque equitum ex primoribus ciuitatis XII. scripsit centurias. sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit. Ad equos emẽdos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduę attributę, quę bina millia ęris in annos singulos penderent. hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera. Deinde est honos additus. non enim, vt ab Romulo traditum ceteri seruauerant reges, viritim suffragium eadem vi, eodémque iure promiscuè omnibus datum est: sed gradus facti, vt neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores ciuitatis esset. equites enim vocabantur primi: LXXX. inde primæ classis centuriæ primum peditum vocabantur. ibi si variaret, quòd raro incidebat, vt secundæ classis vocarentur: nec ferè vnquam infrà ita descenderent, vt ad infimos peruenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & XXX. tribus, duplicato earum nùmero centuriis iuniorum, seniorumq; ad institutam ab Seruio Tullio summam non conuenire, quadrifariam enim vrbe diuisa regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellauit: vt ego arbitror, ab tributo, nam eius quoq; æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere. Cẽsu perfecto, quem maturauerat metu legis de incensis latæ, cum vinculorum minis mortísque edixit, vt omnes ciues Romani equites peditésque in suis quisque centuriis in campo Mauortio prima luce adessent. ibi instructum exercitum omnem sue, oue, taurilibus lustrauit. idque conditum lustrum appellatum: quia in censendo finis factus est. Millia LXXX. eo lustro ciuium censa dicũtur. Adiicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor, eorum qui ferre arma possent, eum numerum fuisse. Ad eam multitudinem vrbs quoque amplificanda visa est. addit duos colles, Quirinalem Viminalémque inde deinceps auget Esquilias: ibique ipse, vt loco dignitas fieret, habitat aggere & fossis & muro vrbem circũdat: ita pomœrium profert. Pomœrium, verbi vim solam intuentes, postmœrium interpretantur esse, est autem magis circa murum locus, quem in condendis vrbibus quondam Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant: vt neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam coniungunt: & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomœrium Romani appellarunt, & in vrbis incremento semper, quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.

A Aucta ciuitate magnitudine vrbis formatis omnibus domi & ad belli & ad pacis vsus, ne semper armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est, simul & aliquod addere vrbi decus. Iam tum erat inclytum Dianæ Ephesiæ fanum, id communiter à ciuitatibus Asiæ factum fama ferebat. Cũ consensum deósque consociatos laudaret mirè. Seruius inter proceres Latinorum, cum quibus publicè priuatimque hospitia amicitiásque de industria iũxerat, sæpe iterando eadem, perpulit tandem, vt Romæ fanum Dianę populi Latini cum populo Romano
B facerent, ea erat confessio, caput rerum Romam esse: de quo toties armis certatum fuerat. id quãquã omissum iam ex omnium cura Latinorum ob rem toties infeliciter tentatam armis videbatur, vni se ex Sabinis fors dare visa est priuato cõsilio imperij recuperandi. Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliæ dicitur mirãda magnitudine ac specie. fixa per multas ætates cornua in Vestibulo templi Dianę monumentum ei fuere miraculo habita, vt erat, res prodi-
C gij loco est, & cecinere vates, cuius ciuitatis eam ciuis Dianæ immolasset, id fore imperium, idque carmen peruenerat ad antistitem fani Dianæ. Sabinus, vt primum apta dies sacrificio visa est, bouem Romam actam deducit ad fanum Dianæ, & ante aram statuit. Ibi antistes, Romanus, cum eum magnitudo victimæ celebrata fama mouisset memor responsi Sabinum ita is alloquitur. Quidnam tu hospes paras, inquit, incestè sacrificium Dianæ facere: quin tu antè viuo perfunderis flumine? infima valle præfluit
D Tiberis, Religione tactus hospes, qui omnia, vt prodigio respõderet euentus, cuperet ritè facta, extemplo descẽdit ad Tyberim. Interea Romanus immolat Dianę bouem. id mirè gratum regi atque ciuitati fuit. Seruius, quãquam iam vsu haud dubiè regnum possederat, tamen quia interdum iactari voces à iuuene Tarquinio audiebat, se iniussu populi regnare, cõciliata prius volũtate plebis, agro capto ex hostib. viritim diuiso, ausus est ferre ad populum, vellent iuberéntne se regnare. Tantóque consensu, quanto
E haud quisquam alius antè rex est declaratus, neque ea res Tarquinio spem affectandi regni minuit: imo eo impensius: quia de agro plebis aduersum patrum voluntatem senserat agi, criminandi Seruij apud patres, crescendique in curia sibi occasionem datam ratus est, & ipse iuuenis ardentis animi, & domi vxore Tullia inquietum animum stimulante. Tulit enim & Romana regia sceleris tragici exemplum, vt tædio regum maturior veniret libertas, vltimúmque regnum esset, quod scelere partum foret.
F Hic L. Tarquinius Prisci Tarquinij regis filius nepósve fuerit, parum liquet: pluribus tamen auctoribus filium crediderim. fratrem habuerat Aruntem Tarquinium, mitis ingenij iuuenem. His duobus, vt antè dictũm est, duæ Tulliæ regis filiæ nupserant, & ipse longè dispares moribus. Forte ita inciderat, ne duo violenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo populi Romani, quo diuturnius Seruij regnum esset, constituique ciuitatis mores possent. Angebatur ferox Tullia nihil
G materię in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse, tota in alterum versa Tarquinium, eum mirari, eum virum dicere, ac regio sanguine ortum: spernere sororem quod virum nacta, muliebri cessaret, audacia. Contrahit celeriter similitudo eos, vt fere fit, malum malo aptissimum. Sed initium turbandi omnia, à fœmina ortum est ea secretis viri alieni assuefacta sermonibus, nullis verborum contumeliis parcere de viro ad fratrem, de sorore ad virum: & se rectius viduam

& illum

& illum cœlibem fratrem fuisse contendere, quam cum impari iungi, vt elanguescendum aliena ignauia esset, si sibi eum, quo digna esset, dij dedissent virum domi se propediem visuram regnum fuisse, quod apud patrem videat, celeriter adolescentem suæ temeritatis implet. Aruns Tarquinius, & Tullia minor prope cõtinuatis funeribus, cùm domos vacuas nouo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis, magis nõ prohibente Seruio quàm approbante. Tũ verò in dies infestior Tullij senectus, infestius cœpit regnũ esse. iam enim ab scelere ad aliud spectare mulier scelus: nec nocte, nec interdiu virũ cõquiescere pati, ne gratuita præterita parricidia essẽt. Non sibi defuisse cui nupta diceretur, nec cum quo tacita seruiret. defuisse qui se regno dignũ putaret, qui meminisset se esse Prisci Tarquinij filiũ, qui habere quã sperare regnum mallet. Si tu is es, cui nuptam me esse arbitror, & virum, & regem appello: sin minus eo nunc peius mutata est res, quod istic cũ ignauia est scelus. Quin accingeris? non tibi ab Corintho, nec ab Tarquiniis, vt patri tuo, peregrina regna moliri necesse est. Dij te penates patriiq; & patris imago, & domus regia, & in domo regale solium, & nomen Tarquinium, creat vocátque regẽ, aut si ad hęc parum est animi, quid frustraris ciuitatẽ? quid te vt regium iuuenem conspici sinis? facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum: deuoluere retro ad stirpem, fratri similior quam patri. His aliisque increpando iuuenem instigat, nec cõquiescere ipsa potest: si, cũ Tanaquil peregrina mulier tantum moliri potuisset animo, vt duo continua regna, viro ac deinceps genero, dedisset: ipsa regio semine orta, nullum momentũ in dando adimendoque regno faceret. His muliebribus instinctus furiis Tarquinius, circumire & prehensare minorum maximè gentiũ patres admonere paterni beneficij, ac pro eo gratiã repetere: allicere donis iuuenes: tum de se ingentia pollicendo, tũ regis criminibus omnibus locis crescere. Postremo vt iam agendæ rei tempus visum est, stipatus agmine armatorum in forum irrupit. inde omnibus perculsis pauore, in regia sede pro curia sedens, patres in curiam per præconem ad regem Tarquinium citari iussit. Conuenere extemplo, alij iam ante ad hoc præparati: alij metu, ne non venisse fraudi esset: nouitate ac miraculo attoniti, etiam de Seruio actum rati. Ibi Tarquinius maledicta ab stirpe vltima orsus, Seruum seruáque natum post mortem indignam parentis sui, non interregno, vt antea, initio, non comitiis habitis, non per suffragium populi, non auctoribus patribus, muliebri dono regnum occupasse. Ita natum, ita creatum regem fautorem infimi generis hominum, ex quo ipse sit, odio alienæ honestatis, ereptum primoribus agrum sordidissimo cuique diuisisse: omnia onera quæ communia quondam fuerint, inclinasse in primores ciuitatis: instituisse censum, vt insignis ad inuidiam locupletiorum fortuna esset, & parata, vbi vellet, egentissimis largiretur. Huic orationi Seruius cum interuenisset, trepido nuntio excitatus, extemplo à vestibulo curiæ magna voce: Quid hoc, inquit, Tarquini rei est? qua tu audacia me viuo vocare ausus es patres? aut in sede considere mea? Cum ille ferociter ad hæc, Se patris sui tenere sedem, multo quam seruum potiorem filium regis regni heredem: satis illum diu per licentiam eludentem insultasse dominis. Clamor ab vtriusque fautoribus oritur, & concursus populi fiebat in curiam: apparebátque regnaturum, qui vicisset. Tum Tarquinius necessitate iam etiam ipsa cogente vltima audere, multo & ætate & viribus validior, medium arripit: Ser-

A uium: elatumque è curia, in inferiorem partem per gradus deiicit. Idem ad cogendum senatum in curiam rediit. fit fuga regis apparitorũ, atque comitum, ipse prope exsanguis, cum semianimis regio comitatu domum se reciperet, peruenissétque ad summum Cyprium vicum, ab iis qui missi ab Tarquinio fugientem consecuti erant, interficitur. Creditur, quia non abhorret à cetero scelere, admonitu Tulliæ id factum. carpento certe, id quod satis constat, in forum inuecta, nec reuerita cœtum vi-B rorum, euocauit virum è curia: regémque prima appellauit. A quo facessere iussa ex tanto tumultu, cum se domum reciperet, peruenissétque ad summum Cyprium vicum, vbi Dianium nuper fuit: flectente carpentum dextra in Virbium cliuum, vt in collem Esquiliarium eueheretur, restitit pauidus, atque inhibuit frenos is qui iumenta agebat, iacentémque dominæ Seruium trucidatum ostendit. Fœdum, inhumanumque inde traditur scelus, monumentoque locus est, Sceleratum vicum vocant, quo amens agitantibus furiis sororis ac C viri, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur, partémque sanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo, contaminata ipsa respersáque tulisse ad penates suos, viríque sui: quibus iratis, malo regni principio similes propediem exitus sequerentur. Seruius Tullius regnauit annos quatuor & quadraginta, ita vt bono etiam moderatoque succedenti regi difficilis æmulatio esset. Ceterum id quoque ad gloriam accessit, quod D cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt. Idipsum tam mite ac tam moderatum imperium, tamen quia vnius esset, deponere eum in animo habuisse, quidam auctores sunt, ni scelus intestinum liberandæ patriæ consilia agitanti interuenisset. Inde L. Tarquinius regnare occepit, cui Superbo cognomen facta indiderunt: quia socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum periisse dictitans: primorésque patrum, quos Seruij rebus fauisse credebat, interfecit. E conscius deinde malè quærendi regni ab se ipso aduersus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit: neque enim ad ius regni quicquam præter vim habebat: vt qui neque populi iussu, neque auctoribus patribus regnaret. Eo accedebat, vt in caritate ciuium nihil spei reponenti, metu regnum tutandum esset. quem vt pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercebat: pérque eam caussam occidere, in exsilium agere, bonis mulctare poterat, non suspectos F modo, aut inuisos, sed vnde nihil aliud quàm prædam sperare posset. Ita patrum præcipue numero imminuto statuit nullos in patres legere, quo contemptior paucitate ipsa ordo esset, minúsque per se nihil agi indignarentur. Hic enim regum primus traditum à prioribus morem de omnibus senatum consulendi soluit: domesticis consiliis rempublicam administrauit: bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus fecit, diremitque, Latinorum sibi maximè G gentem conciliabat, vt peregrinis quoque opibus tutior inter ciues esset. neque hospitia modo cum primoribus eorum, sed affinitates quoque iungebat. Octauio Mamilio Tusculano: is longè princeps Latini nominis erat, si famæ credimus, ab Vlysse deáque Circe oriundus: ei Mamilio filiam nuptum dat, pérque eas nuptias multos sibi cognatos amicósque eius conciliat. Iam magna Tarquinij auctoritas inter Latinorum proceres erat, cũ in diem certã, vt ad lucum Ferentinæ conueniant, indicit: esse quæ

agere de rebus communibus velit. Conueniunt frequentes prima luce. ipse Tarquinius diem qui idem seruauit, sed paulo antequam sol occideret venit. multa ibi toto die in concilio variis iactata sermonibus erant. Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat inuectus. Haud mirum esse, Superbo ei inditum Romæ cognomen (iam enim ita clam quidam mussitantes, vulgo tamen eum appellabant) an quicquam superbius esse quam ludificari sic omne nomen Latinum? principibus longe ab domo excitis, ipsum qui concilium indixerit, non adesse. tentari profecto patientiam, vt si iugum acceperint, obnoxios premat. cui enim non apparere, affectare eum imperium in Latinos? Quod si sui bene crediderint ciues, aut si creditum illud & non raptum parricidio sit: credere & Latinos, quanquam ne sic quidem alienigenæ deberent. sin suos eius pœniteat, quippe qui alij super alios trucidentur, exsulatum eant, bona amittant, quid spei melioris Latinis portendi? si se audiant, domum suam quenque inde abituros: neque magis obseruaturos diem concilij, quam ipse, qui indixerit, obseruet. Hæc atque alia eodem pertinentia, seditiosus facinorosusque homo, hisque artibus opes domi nactus, cum maxime dissereret, interuenit Tarquinius. Is finis orationi fuit. Auersi omnes ad Tarquinium salutandum. Qui silentio facto, monitus à proximis vt purgaret se, quod id temporis venisset, disceptatorem ait se sumtum inter patrem & filium, cura reconciliandi eos in gratiam, moratum esse. & quia ea res exemisset illum diem, postero die acturum quæ constituisset. Ne id quidem ab Turno tulisse tacitum ferunt. dixisse enim, nullam breuiorem esse cognitionem, quam inter patrem & filium, paucisque transigi verbis posse: ni pareat patri, habiturum infortunium esse. Hæc Aricinius in regem Romanũ increpans, ex concilio abiit. Quam rem Tarquinius aliquanto quam videbatur, ægrius ferens, confestim Turno necem machinatur, vt eundem terrorem, quo ciuium animos domi oppresserat, Latinis iniiceret. & quia pro imperio palam interfici non poterat, oblato falso crimine insontem oppressit. per aduersæ factionis quosdam Aricinos seruum Turni auro corrupit, in diuersorium eius vim magnam gladiorum inferri clam sineret: ea cum vna nocte perfecta essent, Tarquinius paulo ante lucem accitis ad se principibus Latinorum, quasi re noua perturbatus, moram suam hesternam velut Deorum quadam prouidentia illatam, ait saluti sibi atque illis fuisse. Ab Turno dici sibi & primoribus populorũ parari necem, vt Latinorum solus imperium teneat. aggressurum fuisse hesterno die in concilio: dilatam rem esse, quod auctor concilij abfuerit, quem maxime peteret. inde illam absentis insectationem esse natam, quod morando spem destituerit, non dubitare, si vera deferantur, quin prima luce vbi ventum in concilium sit, instructus cum coniuratorum manu, armatúsque venturus sit. dici gladiorum ingentem numerum esse ad eum conuectum, id vanum néne sit, extemplo scire posse. rogare eos, vt inde secum ad Turnum veniant. Suspectam fecit rem, & ingenium Turni ferox, & oratio hesterna, & mora Tarquinij, quod videbatur ob eam differri cædes potuisse. Eunt inclinatis quidem ad credendum animis, tamen nisi gladiis deprehensis, cetera vana existimaturi. vbi est eo ventum, Turnum ex somno excitatum circumsistunt custodes: comprehensisque seruis, qui caritate domini vim parabant, cum gladij abditi ex omnibus locis diuerticuli protraherentur. enimuero manifesta res visa, iniectæque Turno catenæ: & confestim Latinorum concilium magno cum tumultu aduocatur. ibi tam atrox inuidia orta est, gladijs in medio positis, vt indicta caussa, nouo genere lethi, deiectus ad caput aquæ Ferentinæ crate superne iniecta, saxísque congestis, mergeretur. Reuocatis deinde ad cõcilium Latinis Tarquinius, collaudatísque qui Turnum nouantem res pro manifesto parricidio merita pœna affecissent, ita verba fecit: Posse quidem se vetusto iure agere. quod cum omnes Latini ab Alba oriundi sint, in eo fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis suis in Romanum cesserit imperium: ceterum se vtilitatis id magis omnium caussa censere, vt renouetur id fœdus: secundaque potius fortuna populi Romani, vt participes Latini fruãtur, quam vrbium excidia, vastationesque agrorum, quas Anco prius, patre deinde suo regnante perpessi sint, semper aut expectent, aut patiãtur. Haud difficulter persuasum Latinis: quanquam in eo fœdere superior Romana res erat, ceterum & capita nominis Latini stare ac sentire cum rege videbant: & Turnus, sui cuique periculi, si aduersatus esset, recens erat documẽtum. ita renouatum fœdus: indictumque iunioribus Latinorum, vt ex fœdere die certa ad lucum Ferentinæ armati frequentes adessent. Qui vbi ad edictũ Romani regis ex omnibus populis conuenere: ne ducem suum néve secretum imperium, propriáve signa haberent, miscuit manipulos ex Latinis, Romanisque vt ex binis singulos faceret, binósque ex singulis. ita geminatis manipulis, cẽturiones imposuit. Nec vt iniustus in pace rex, ita dux belli prauus fuit. quin ea arte æquasset superiores reges, ni degeneratum in alijs, huic quoque decori offecisset. Is primus Volscis bellum in ducentos amplius post suam ætatem annos mouit: Suessámque Pometiam ex his vi cepit. Vbi cum diuendita præda XL. talenta argenti aurique recepisset, concepit animo eam amplitudinem Iouis templi, quæ digna deûm hominumq; rege, quæ Romano imperio, quæ ipsius etiam loci maiestati esset, captiuam pecuniam in ædificationem eius templi sepofuit. Excepit deinde eum lentius spe bellum: quo Gabios propinquam vrbem nequicquam vi adortus, cum obsidendi quoque vrbem spes pulso à mœnibus ademta esset: postremo minime arte Romana, fraude ac dolo aggressus est. nam cum velut posito bello, fundamentis templi iaciẽdis, aliísque vrbanis operibus intentum se esse simularet: Sextus filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se sæuitiam intolerabilem conquerens. Iam ab alienis in suo vertisse superbiam, & liberorum quoque eum frequentię tędere, vt quam in curia solitudinem fecerit, domi quoque faciat, ne quam stirpem, ne quem heredem regni relinquat. se quidem inter tela & gladios patris elapsum, nihil vsquam sibi tutum, nisi apud hostes L. Tarquinij credidisse. nam ne errarent, imminere his bellũ, quod positum simuletur: & per occasionem eum incautos inuasurum. Quod si apud eos supplicibus locus non sit, pererraturum se omne Latiũ, pulsumq; se inde Volscos & Æquos, & Hernicos petiturum, donec ad eos perueniat, qui à patrũ crudelibus atque impiis, suppliciis tegere liberos sciant. forsitan etiam ardoris aliquid ad bellum, armáque se aduersus superbissimum regem ac ferocissimum populũ inuenturum. Cum si nihil mouerẽtur, infensus ira porro inde abiturus videretur: benigne ab Gabinis excipitur. Vetát mirari, si qualis in ciues, qualis socios, talis ad vltimum in liberos esset. in se ipsum postremos sæuiturum, si alia desint. sibi vero gratum aduentum eius esse

esse, futurúmque credere breui, vt illo adiuuante, A ab portis Gabinis sub Romana mœnia bellum trãsferatur. Inde in concilia publica adhiberi. vbi cùm de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis diceret, quibus hæ notiores essent, ipse identidem belli auctor esset: in eo sibi præcipuam prudentiam assumere, quod vtriusque populi vires nosset, sciretque inuisam profectò superbiam regiam ciuibus esse, quam ferre ne liberi quidem potuissent. Ita cum sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipse cum promtissimis iuuenum prædatum, B atque in expeditiones iret, & dictis factisque omnibus ad fallendum instructis vana accresceret fides, dux ad vltimum belli legitur. ibi cum inscia multitudine quid ageretur, prælia parua inter Romam Gabiosque fierent, quibus plerumque Gabina res superior esset: tum certatim summi infimique Gabinorum Sex. Tarquinium dono deûm sibi missum ducem credere. apud milites verò obeundo pericula ac labores, pariter prædam munificè largiendo, tanta caritate esse, vt non pater Tarquinius poten- C tior Romæ quam filius Gabiis esset. Itaque postquam satis virium collectum ad omnes conatus videbat, tum è suis vnum sciscitatum Romam ad patrem mittit, quidnam se facere vellet? quandoquidem vt omnia vnus ipse Gabiis posset, ei dij dedissent. Huic nuntio (quia credo dubiæ fidei, videbatur) nihil voce responsum est. rex velut deliberabundus in hortum ædium transit, sequente nuntio filij ibi inambulans tacitus, summa papauerũ capita dicitur baculo decussisse. Interrogãdo, exspectan- D doque responsum nuntius fessus, vt re imperfecta, redit Gabios: quæ dixerit ipse, quæque viderit, refert. seu ira, seu odio, seu superbia insita ingenio, nullam eum vocem emisisse. Sexto vbi quid vellet parens, quidve præciperet tacitis ambagibus, patuit: primores ciuitatis, criminãdo alios apud populum, alios sua ipsos inuidia opportunos interemit. multi palam, quidam, in quibus minus speciosa criminatio erat futura, clam interfecti. patuit quibusdã volentibus fuga, aut in exsilium acti sunt: absentiúm- E que bona iuxta atque interemtorum diuisa fuere. Largitionis inde prædæque & priuati dulcedine cõmodi, sensus malorum publicorum adimi, donec orba, consilio auxilioque Gabina res regi Romano sine vlla dimicatione in manum traditur. Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum Æquorum gente fecit: fœdus cum Thuscis renouauit. Inde ad negotia vrbana animum conuertit. quorum erat primum, vt Iouis templum in monte Tarpeio monumentum regni sui nominisque relinqueret. Tarquinios reges F ambos, patrem vouisse, filium perfecisse, & vt libera à ceteris religionibus area esset tota Iouis, templique eius quod inædificaretur, exaugurare fana sacellaque statuit: quæ aliquot ibi à Tatio rege primum in ipso discrimine aduersus Romulum pugnæ vota, consecrata inaugurataque postea fuerant. Inter principia condendi huius operis, mouisse numen ad indicandam tãti imperij molem traditur deos. nam cùm omnium sacellorũ exaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere. idque o- G men auguriumque ita acceptum est, non motam termini sedem, vnúmque eum deorum non euocatum sacratis sibi finibus, firma stabiliáque cuncta portendere. Hoc perpetuitatis auspicio accepto, secutum aliud magnitudinem imperij portendens prodigium est. caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuisse. quæ visa species aut per ambages arcem eam imperij, caputque rerum fore portendebat. idque ita cecinere vates, quique in vrbe erant, quosque ad eam rem consultandam ex Hetruria acciuerant. Augebatur ad expensas regis animus itaque Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi destinatæ erant, vix in fundamenta suppeditauere. Eo magis Fabio, præterquam quod antiquior est, crediderim, XL. ea sola talenta fuisse, quàm Pisoni, qui XL. millia pondo argenti seposita in eam rem scribit. quam summam pecuniæ neque ex vnius tum vrbis præda sperandam, & nullius ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exsuperaturam. Intentus perficiendo templo, fabris vndique ex Hetruria accitis, non pecunia solum ad id publica est vsus, sed operis etiam ex plebe. qui cùm haud paruus & ipse militiæ adderetur labor, minus tamẽ plebs grauabatur, se templa deûm exædificare manibus suis, quæ posthac & ad alia vt specie minora, sic laboris aliquanto maioris traducebãtur opera, foros in circo faciendos, cloacámque maximam receptaculum omnium purgamentorum vrbis sub terram agendam. quibus duobus operibus vix noua hęc magnificẽtia quicquam adequare potuit. His laboribus exercita plebe, quia & vrbi multitudinem, vbi vsus non esset, oneri rebatur esse, & colonis mittendis occupare latius imperij fines volebat: Signiam Circeiosque colonos misit, præsidia vrbi futura terra marique. Hæc agenti portentum terribile visum, anguis ex columna lignea elapsus, cum terrorẽ fugámque in regiam fecisset, ipsius Regis non tam subito pauore perculit pectus, quàm anxiis impleuit curis. Itaque cũ ad publica prodigia Hetrusci tantũ vates adhiberentur, hoc velut domestico exterritus visu, Delphos ad maxime inclytum in terris oraculũ mittere statuit. neque responsa sortiũ vlli aliĭ cõmittere ausus, duos filios per ignotas ea tempestate terras ignotiora maria, in Græciã misit. Titus & Aruns profecti. comes his additus L. Iunius Brutus, Tarquinia sorore regis natus, iuuenis longe alius ingenio, quàm cuius simulationem induerat. Is, cum primores ciuitatis (in quibus fratrem suum ab auunculo interfectum) audisset, neque in animo suo quicquam regi timendum, neque in fortuna concupiscendum relinquere, statuit cõtemtu tutus esse, vbi in iure parum præsidij esset. Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiæ, cum se suáque prædæ esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: vt sub eius obtentu cognominis, liberator ille populi Romani animus latens aperiretur tempore suo. Is tum à Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius quã comes, aureum baculum inclusum corneo cauato ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenij sui. Quò postquam ventum est, perfectis patris mandatis, cupido incessit animos iuuenum sciscitandi, ad quem eorum regnum Romanũ esset venturum. Ex infimo specu vocem redditam ferunt: imperium summum Romæ habebit, qui vestrûm primus ô iuuenes osculum matri tulerit. Tarquinij, vt Sextus, qui Romæ relictus fuerat, ignarus responsi, expérsque imperij esset, rem summa ope taceri iubent: ipsi inter se, vter prior cum Romam redisset, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocẽ, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit: scilicet quod ea cõmunis mater omnium mortalium esset. Reditum inde Romã, vbi aduersus Rutulos bellũ summa vi parabatur, Ardeam Rutuli habebãt, gens, vt in ea regione, atque in ea ætate, diuitiis præpollens. eáque ipsa caussa belli fuit, quod rex Romanus tum ipse ditari, exhaustus magnificẽtia publicorum operum, tum præda delinire popularium animos

studebat, preter aliã superbiam regno infestos etiam, quod se in fabrorum ministerio, ac seruili tamdiu habitos opere ab rege indignabantur. Tentata res est, si primo impetu capi ardea posset. vbi id parum processit, obsidione munitionibúsque cœpti premi hostes. In his statiuis (vt fit longo magis quàm acri bello) satis liberi commeatus erant. primoribus tamen magis quam militibus. regij quidam iuuenes interdum otium conuiuiis comessationibúsque inter se terebant. Forte potantibus his apud Sextum Tarquinium, vbi & Collatinus, cœnabat Tarquinius Egerij filius, incidit de vxoribus mentio. suam quisque laudare miris modis. inde certamine accenso Collatinus negat verbis opus esse: paucis id quidem horis posse sciri, quantum ceteris præstet Lucretia sua. quin, si vigor iuuentæ inest, conscendimus equos? inuisimúsque præsentes nostrarum ingenia? idque cui spectatissimum sit, quod nec opinato viri aduentu occurrerit oculis. incaluerant vino. age sane, omnes citatis equis aduolāt Romam. quo cum primis se intendentibus tenebris peruenissent, pergunt inde Collatiam: vbi Lucretiam, haudquaquam vt regias nurus, quas in conuiuio luxúque cum æqualibus viderant tempus terentes, sed sera nocte deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inueniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. adueniens vir Tarquiniique excepti benigne: victor maritus comiter inuitat regios iuuenes. ibi Sextum Tarquinium mala libido Lucretiæ per vim stuprandæ capit: tum forma, tum spectata castitas incitat. Et tum quidem ab nocturno iuuenili ludo in castra redeunt. Paucis interiectis diebus, Sextus Tarquinius inscio Collatino cum comite vno Collatiam venit. vbi exceptus benigne ab ignaris consilij, cùm post cœnam in hospitale cubiculum deductus esset: amore ardens. postquam satis omnia tuta circa sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, sinistráque manu mulieris pectore oppresso: Tace Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius sum, ferrum in manu est, moriere, si emiseris vocem. Cum pauida ex somno mulier nullam opem prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem: orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum. vbi obstinatam videbat, & ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cùm mortua iugulatum seruum nudum positurum ait, vt in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido, profectúsque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset: Lucretia mœsta tanto malo, nuntium Romam eundem ad patrem, Ardeámque ad virum mittit, vt cum singulis fidelibus amicis veniāt: ita facto maturatoque opus esse, rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit: cum quo forte Romam rediens, ab nuntio vxoris erat conuentus. Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inueniunt. aduentu suorum lacrymæ obortæ, quærentíque viro, Satine saluæ? Minime, inquit, quid enim salui est mulieri amissa pudicitia? Vestigia viri alieni Collatine in lecto sunt tuo: ceterum corpus est tantum violatum, animus insons: mors testis erit. sed date dextras fidémque, haud impunè adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui; hostis pro hospite, priore nocte vi armatus, mihi sibique si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium. Dant ordine omnes fidem: consolantur ægram animi, auertendo noxam ab coacta in auctorem delicti. mentem peccare, non cor-

A pus: & vnde consilium abfuerit, culpam abesse. Vos inquit, videritis quid illi debeatur: ego me etsi peccato absoluo, supplicio non libero. nec vlla deinde impudica Lucretiæ exemplo viuet. Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit: prolapsáque in vulnus moribunda cecidit. Conclamant vir paterque Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens: Per hunc, inquit, castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vosque dij B testes facio, me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge: & omni liberorum stirpe ferro, igni, quacunque dehinc vi possim, exacturum, nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ passurum. Cultrum deinde Collatino tradit. inde Lucretio ac Valerio stupentibus miraculo rei, vnde nouum in Bruti pectore ingenium. Vt præceptum erat, iurant: totique ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiæ corpus in C forum deferunt, conciéntque miraculo (vt fit) rei nouæ, atque indignitate homines. pro se quisque scelus regium ac vim queruntur. mouet tum patris mœstitia, tum Brutus castigator lacrymarum atque inertium querelarum, auctorque, quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi aduersus hostilia ausos. Ferocissimus quisque iuuenū cum armis voluntarius adest: sequitur & cetera iuuentus. inde pari præsidio relicto Collatiæ ad portas, custodibusque datis, ne quis eum motum regibus nuntiaret, ceteri D armati duce Bruto Romam profecti. Vbi eo ventum est, quacúnque incedit armata multitudo, pauorem ac tumultum facit. rursus vbi anteire primores ciuitatis vident, quicquid sit, haud temerè esse rentur. nec minorem motum animorum Romæ tam atrox res facit, quàm Collatiæ fecerat. Ergo ex omnibus locis vrbis in forum curritur. Quo simul ventum est, præco ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum aduocauit. Ibi oratio habita nequaquam eius pectoris E ingeniique quod simulatum ad eam diem fuerat: de vi ac libidine Sexti Tarquinij, de stupro infando Lucretiæ, & miserabili cæde, de orbitate Tricipitini, cui morte filiæ caussa mortis indignior ac miserabilior esset. Addita superbia ipsius regis, miseriæque & labores plebis in fossas cloacásque exhauriendas demersæ. Romanos homines victores omnium circa populorum opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. indigna Seruij Tullij regis memorata cædes, & inuecta corpori patris nefando vehiculo filia, in- F uocatique vltores parentū dij. His atrocioribúsque, credo, aliis, quæ præsens rerum indignitas haudquaquam relatu scriptoribus facilia subiicit, memoratis incensam multitudinem perpulit, vt imperium regi abrogaret, exsulésque esse iuberet L. Tarquinium cū coniuge ac liberis. Ipse iunioribus qui vltro nomina dabant, lectis, armatisque, ad concitandum inde aduersus regem exercitum Ardeam in castra est profectus. imperium in vrbe Lucretio præfecto vrbis iam ante ab rege instituto reliquit. Inter hūc tumul- G tum Tullia domo profugit: exsecrantibus quacunque incedebat, inuocantibúsque parentum furias viris mulieribúsque. Harum rerum nuntiis in castra perlatis, cū re noua trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus, flexit viam Brutus (senserat enim aduentum) ne obuius fieret: eodémque fere tēpore diuersis itineribus Brutus Ardeam, Tarquinius Romā venerunt. Tarquinio clausæ portæ, exiliúmque indictum: liberatoré vrbis læta castra accepere: exactique inde liberi regis, duo patrem secuti sunt, qui ex-

qui exsulatum Cære in Hetruscos iere. Sextus Tarquinius Gabios tanquam in suum regnū profectus, ab vltoribus veterum simultatum, quas sibi ipse cædibus rapinisque conciuerat, est interfectus. L. Tarquinius Superbus regnauit annos v. & xx. Regnatum Romæ ab vrbe condita ad liberatā annos ccxliv. Duo consules inde comitiis centuriatis à præfecto vrbis ex commentariis Seruij Tullij creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

DECADIS PRIMÆ
LIBER II.

IBERI iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus imperiáque legum potentiora quam hominum peragam. Quæ libertas vt lætior esset, proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnarunt; vt haud immerito omnes deinceps cōditores partiū cœptæ vrbis, quas nouas ipsi sedes ab se auctæ multitudini addiderunt, numerentur. Neque ambigitur, quin Brutus idē, qui tātum gloriæ Superbo exacto rege meruit, pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine priorū regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum conuenarúmq; plebs transfuga ex suis populis, sub tutela inuiolati templi, aut libertatē, aut certè impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari cœpta esse tribunitiis procellis? & in aliena vrbe cū patribus serere certamina, priusquam pignora coniugum ac liberorum, caritásque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorū consociasset: dissipatę res nondum adultæ discordia forent: quas fouit tranquilla moderatio imperij, eoque nutriendo perduxit, vt bonā frugem libertatis maturis iam viribus ferre possent. Libertatis autem originē inde magis, quia annuum imperium cōsulare factum est, quam quod diminutum quicquā sit ex regia potestate, numeres. Omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere. id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit: qui non acrior vindex libertatis fuerat, quā deinde custos fuit. Omniū primū auidum nouæ libertatis populum, ne postmodū flecti precibus aut donis regiis posset, iureiurādo adegit, neminem Romæ passuros regnare. Deinde quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regiis diminutum patrū numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorū summam expleuit, traditúmq; inde fertur, vt in senatum vocarentur, qui patres, quiq; conscripti essent. cōscriptos videlicet nouum senatum, appellabāt lectos. id mirum quantū profuit ad concordiam ciuitatis, iungendosq; patribus plebis animos. Rerum deinde diuinarum habita cura. & quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi ibi regum desideriū esset, regem sacrificulum creant. Id sacerdotiū pontifici subiecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret. Ac nescio an nimis vndiq; eam minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint. cōsulis enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen inuisum ciuitati fuit. Nimium Tarquinios regno assuesse: initium à Prisco factum: regnasse deinde Seruium Tul-

A lium. ne interuallo quidē facto, oblitum tanquam alieni regni Superbum Tarquinium, velut hereditatē gentis scelere ac vi repetisse. Pulso Superbo, penes Collatinū imperium esse. nescire Tarquinios priuatos viuere. nō placere nomen, periculosum libertati esse. Hinc primo sensim tentantium animos sermo per totam ciuitatē est datus, solicitatámque suspicione plebem Brutus ad concionē vocat: ibi omnium primum iusiurādum populi recitat: Neminem regnare passuros, nec esse Romæ, vnde periculum libertati
B foret. id summa ope tuendum esse, neque vllam rem quæ eo pertineat, contēnendam. inuitū se dicere hominis caussa: nec dicturū fuisse, ni caritas reipublicæ vinceret, non credere populum Romanum solidam libertatē recuperatam esse. regium genus, regiū nomen non solum in ciuitate, sed etiam in imperio esse. id officere, id obstare libertati. Hūc tu, inquit, tua voluntate L. Tarquini remoue metum. meminimus, fatemur: eiecisti reges, absolue beneficium tuū, aufer hinc regium nomē, res tuas tibi nō solum reddēt
C ciues tui auctore me, sed si quid deest, munifice augebunt. amicus abi, exonera ciuitatem vano forsitan metu. ita persuasum est animis, cum gēte Tarquinia regnum hinc abiturum. Consuli primo tam nouæ rei ac subitæ admiratio incluserat vocē. Dicere deinde incipientem primores ciuitatis circunsistunt. eadem multis precibus orant. & ceteri quidē mouebant minus. postquam Sp. Lucretius maior ætatę ac dignitate, socer præterea ipsius, agere varie, rogādo alternis suadendoque cœpit, vt vinci se consensu ciuitatis
D pateretur: timens cōsul, ne postmodum priuato sibi eadem illa cum bonorum amissione, additáque alia insuper ignominia, acciderent, abdicauit se consulatu, rebúsque suis omnibus Lauinium translatis, ciuitate cessit. Brutus ex senatuscōsulto ad populum tulit, vt omnes Tarquiniæ gentis exsules essent. collegā sibi comitiis centuriatis creauit P. Valerium, quo adiutore reges eiecerat. Cum haud cuiquā in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidē spe omnium serius fuit. ceterum, id quod nō timebant,
E per dolum ac proditionem prope libertas amissa est. Erant in Romana iuuentute adolescentes aliquot, nec ij tenui loco orti, quorum in regno libido solutior fuerat: æquales sodalésque adolescentium Tarquiniorum, assueti more regio viuere. Eam tum æquato iure omnium licentiam quærētes, libertatem aliorum in suam vertisse seruitutem inter se conquerebantur. Regem hominem esse, à quo impetres vbi ius, vbi iniuria opus sit: esse gratiæ locū, esse beneficio, & irasci & ignoscere posse: inter amicum atque
F inimicum discrimen nosce. Leges, rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem melioremq; inopi, quam potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris, periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia viuere. Ita iam sua sponte ægris animis legati ab regib. superueniunt, sine mentione reditus, bona tantum repetentes. Eorū verba postquā in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio tenuit; ne nō reddita belli caussa: reddita belli materia, & adiumentū essent. Interim legati cum aliis alia
G moliri, apertè bona repetentes, clā recuperādi regni consilia struere: & tanquā ad id, quod agi videbatur, ambiētes nobiliū adolescentiū animos pertentabāt. à quib. placidè oratio accepta est. His literas ab Tarquiniis reddunt, & de accipiēdis clam nocte in vrbē regibus colloquuntur. Vitelliis Aquiliisq; fratribus primo commissa res est. Vitelliorū soror consuli nupta Bruto erat. iámq; ex eo matrimonio adolescētes erāt liberi, Titus, Tiberiúsque: eos quoque in societatem cōsilij auunculi assumunt. prӕterea & nobiles

aliquot adolescentes conscij assumti, quorum vetu- A
state memoria abiit. Interim cum in senatu vicis-
set sententia, quæ censebat reddenda bona: eámque
ipsam caussam moræ in vrbe haberent legati, quod
spatium ad vehicula comparanda à consulibus sum-
sissent, quibus regum asportarent res: omne id
tempus cum coniuratis consultando absumunt: e-
uincúntque instando, vt literæ sibi ad Tarquinios
darentur. nam aliter qui credituros eos, non vana ab
legatis super rebus tantis afferri? Datæ literæ vt pi-
gnus fidei essent, manifestum facinus fecerunt. nam B
cum pridie quam legati ad Tarquinios proficisce-
rentur, & cœnatum forte apud Vitellios esset, con-
iuratíque ibi remotis arbitris multa inter se de nouo
(vt fit) consilio egissent, sermonem eorum ex ser-
uis vnus excepit, qui iam antea id senserat agi: sed
eam occasionem, vt literæ legatis darentur, quæ de-
prehensæ rem coarguere possent, exspectabat. post-
quam datas sensit, rem ad consules detulit. Consu-
les ad deprehendendos legatos coniuratósque pro-
fecti domo, sine tumultu rem omnem oppressere: C
literarum in primis habita cura, ne intercideren.
Proditoribus extemplo in vincula côiectis, de lega-
tis paululum addubitatum est. & quãquam visi sunt
commisisse, vt hostium loco essent, ius tamen gen-
tium valuit. De bonis regiis quæ reddendâ ante cen-
suerant, res integra refertur ad patres. illi victi ira,
vetuere reddi, vetuere in publicum redigi. diripien-
da plebi sunt data, vt contacta regia præda, spem in
perpetuum cum his pacis amitteret. ager Tarqui-
niorum, qui inter vrbem ac Tyberim fuit, conse- D
cratus Marti, Martius deinde campus fuit. Fortè
ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi. qué
campi fructum; quia religiosum erat consumere,
desectam cum stramento segetem magna vis ho-
minum simul immissa corbibus fudere in Tyberim
tenui fluentem aqua, vt mediis caloribus solet, ita
in vadis hæsitantis frumenti aceruos sedisse illitos
limo: insulam inde paulatim, & aliis quæ fert te-
mere flumen eodem inuectis, factam postea credo
additas moles, manúque adiutum, vt tam eminens E
area firmáque templis quoque ac porticibus susti-
nendis esset. Direptis bonis regũ, damnatiq; prodi-
tores, sumtúmque supplicium, conspectius eo quod
pœnæ capiendæ ministerium patri de liberis con-
sulatus imposuit: & qui spectator erat amouendus,
eum ipsum fortuna exactorem supplicij dedit. Sta-
bant deligati ad palum nobilissimi iuuenes: sed à
ceteris velut ab ignotis capitibus, consulis liberi o-
mnium in se auerterant oculos: miserebátque non
pœnæ magis homines, quam sceleris, quo pœnam F
meriti essent: illos eo potissimum anno patriam li-
beratam, patrem liberatorem, consulatum ortum
ex domo Iunia, patres, plebem, quicquid deorum
hominúmque Romanorum esset, induxisse in ani-
mum vt superbo quondam regi, tum infesto exuli
proderent. Consules in sedem processere suam,
missíque lictores ad sumendum supplicium, nu-
datos virgis cædunt, securíque feriunt: cum inter
omne tempus pater vultúsque & os eius, spectacu-
lo esset, eminente animo patrio inter publicæ pœ- G
næ ministerium. Secundum pœnam nocentium,
vt in vtramque partem arcendis sceleribus exem-
plum nobile esset, præmium indici, pecunia ex æ-
rario, libertas & ciuitas data. Ille primum dicitur
vindicta liberatus. quidam vindictæ quoque nomen
tractum ab illo putant: Vindicio ipsi nomen fuisse,
post illum obseruatum, vt qui ita liberati essent, in
ciuitatem accepti viderentur. His, sicut acta erant,
nuntiatis, incensus Tarquinius, non dolore solum

tantæ ad irritum cadentis spei, sed etiam odio ira-
que, postquam dolo viam obseptam vidit, bellum
apertè moliendum ratus, circumire supplex Hetru-
riæ vrbes: orare maximè Veientes Tarquiniensés-
que, ne se, ortum eiusdem sanguinis extorrem, egen-
tem, ex tanto modo regno cum liberis adolescenti-
bus ante oculos suos perire sinerent. alios peregrè
in regnum Romam accitos, se regem augentem bel-
lo Romanum imperium, à proximis scelerata con-
iuratione pulsum. eos inter se, quia nemo vnus satis
dignus regno visus sit, partes regni rapuisse: bona
sua diripienda populo dedisse, ne quis expers scele-
ris esset patriam se regnúmque suũ repetere, & per-
sequi ingratos ciues velle. ferrent opem, adiuuarent:
suas quoque veteres iniurias vltum irent: toties cæ-
sas legiones, agrum ademtum. Hæc mouerunt Ve-
ientes, ac pro se quisque Romano saltem duce igno-
minias demendas, belloque amissa repetenda, mi-
naciter fremunt. Tarquinienses nomen ac cognatio
monet: pulchrum videbatur suos Romæ regnare. Ita
duo duarum ciuitatum exercitus ad repetendum re-
gnum, belloque persequendos Romanos secuti Tar-
quinium. Postquam in agrum Romanum ventum
est, obuiam hosti consules eunt. Valerius quadra-
to agmine peditem ducit: Brutus ad explorandum
cum equitatu antecessit. Eodem modo primus e-
ques hostium agminis fuit: præerat Aruns Tarqui-
nius filius regis: rex ipse cum legionibus sequeba-
tur. Aruns, vbi ex lictoribus procul consulem esse,
deinde iam propius, ac certius facie quoque Bru-
tum cognouit, inflammatus ira: Ille est vir, inquit,
qui nos extorres expulit patria. ipse en ille nostris
decoratus insignibus magnifice incedit: dij regum
vltores adeste. Concitat calcaribus equum, atque
in ipsum infestus consulem dirigit. Sensit in se iri
Brutus. decorum erat tum ipsis capessere pugnam
ducibus. auide itaque se certamini offert. adeoq; in-
festis animis concurrerunt, neuter dum hostem vul-
neraret, sui protegendi corporis memor, vt contra-
rio ictu per parmam vterque transfixus, duabus hæ-
rentes hastis moribundi ex equis lapsi sint simul &
ceteris equestris pugna cœpit. Neque ita multo
post & pedites superueniunt. ibi varia victoria, &
velut æquo marte pugnatum est, dextra vtrinque
cornua vicere, læua superata. Veientes vinci ab Ro-
mano milite assueti, fusi fugatique sunt. Tarquiniẽsis
nouus hostis non stetit solum, sed etiam ab sua par-
te Romanum pepulit. Ita cum pugnatum esset: tan-
tus terror Tarquinium atque Hetruscos incessit, vt
omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Veiens Tar-
quiniensisque, suas quisque abirent domos. Adii-
ciunt miracula huic pugnæ, silentio proximæ noctis
ex sylua Arsia ingentem editam vocem: Syluani vo-
cem eam creditam: hæc dicta, vno plus Hetrusco-
rum cecidisse in acie: vincere bello Romanum. Ita
certe inde abiere Romani vt victores, Hetrusci pro
victis. nam postquam illuxit, nec quisquam hostium
in conspectu erat, P. Valerius COS. spolia legit:
triumphánsque inde Romam rediit. collegæ funus
quanto tum potuit apparatu, fecit. Sed multo ma-
ius morti decus publica fuit mœstitia, eo ante o-
mnia insignis, quia matronæ annum, vt parentem
eum luxerunt, quod tam acer vltor violatæ pudi-
citiæ fuisset. Consuli deinde qui superfuerat, vt
sunt mutabiles vulgi animi, ex fauore, non inuidia
modo, sed suspicio etiam cum atroci crimine orta,
regnum eum affectare fama ferebat: quia nec colle-
gam subrogauerat in locum Bruti, & ædificabat in
summa Velia, ibi alto atque munito loco arcem in-
expugnabilem fore. Hæc dicta vulgo, creditáque
cum

cum in dignitate agerent consulis animum; voca- **A** to ad concilium populo, summissis fascibus in concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit, summissa sibi esse imperij insignia: confessionémque factam, populi quàm consulis maiestatem vimque maiorem esse. Ibi audire iussi, consul laudare fortunam collegæ, quod liberata patria in summo honore pro repub. dimicans, matura gloria, necdum se vertente in inuidiam, mortem occubuisset. Se superstitem gloriæ suæ ad crimen atque inuidiam superesse, ex liberatore patriæ ad A- **B** quilios Vitelliosque recidisse. Nunquámne ergo, inquit, vlla adeo à vobis spectata virtus erit, vt suspicione violari nequeat? ego me illum acerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? ego si in ipsa arce Capitolióque habitarem, metui me credere posse à ciuibus meis? tam leui momento mea apud vos fama pendet? adeone est fundata leuiter fides, vt vbi sim, quam qui sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerij ædes libertati vestræ, Quirites: tuta erit vobis Velia. de- **C** feram non in planum modo ædes, sed colli etiam subiiciam: vt vos supra suspectum me ciuem habitetis. In Velia ædificent, quibus melius quam P. Valerio creditur libertas. Delata confestim materia omnis infra Veliam, & vbi nunc vicus publicus est, domus in infimo cliuo ædificata. Latæ deinde leges, non solum quæ regni suspicione cōsulem absoluerent, sed quæ adeo in contrarium verterent, vt popularem etiam facerent. inde cognomē factum Publicolæ est. Ante omnes de prouocatione aduer- **D** sus magistratus ad populum, sacrandoque cum bonis capite eius, qui regni occupandi consilia inisset; gratæ in vulgus leges fuere. quas cum solus pertulisset, vt sua vnius in his gratia esset: tum deinde comitia collegæ subrogando habuit. Creatus Sp. Lucretius COS. qui magno natu, non sufficientibus iam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur. Suffectus in Lucretij locum M. Horatius Puluillus. Apud quosdam veteres auctores non inuenio Lucretium consulem. Bru- **E** to statim Horatium suggerunt. Credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, memoria intercidisse. Nondum dedicata erat in Capitolio Iouis ædes. Valerius Horatiúsque COSS. sortiti, vter dedicaret: Horatio sorte euenit; Publicola ad Veientium bellum profectus. Ægrius quam dignum erat tulere Valerij necessarij, dedicationem tam inclyti templi Horatio dari. id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, po- **F** stem iam tenenti consuli fœdum inter precationem deûm nuntium incutiunt: mortuum eius filium esse, funestáque familia dedicare eum tēplum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit: nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil aliud ad eum nuntium à proposito auersus, quam vt cadauer efferri iuberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum. Hæc post exactos reges domi militiæque gesta primo anno. Inde P. Valerius iterum, T. Lucretius Coss. facti. **G** Iam Tarquinij ad Lartem Porsenā Clusinum regem perfugerant. Ibi miscendo consilium precésque nunc orabant, ne se oriundos ex Hetruscis, eiusdem sanguinis nominisque, egentes exsulare pateretur: nunc monebant etiam, ne orientem morem pellendi reges inultum sineret. satis libertatem ipsam dulcedinis, nisi quanta vi ciuitates eam expetant, tanta regna reges defendant: æquari summa infimis, nihil excelsum, nihil quod supra cetera emineat, in ciuitatibus fore: adesse finem regnis, rei inter deos hominésque pulcherrimæ. Porsenam regem esse Romæ, tum Hetruscæ gentis regem amplum Thuscis ratus, Romam infesto exercitu. Non vnquam alias antè tantus terror senatum inuasit: adeo valida res tum Clusina erat, magnúmque Porsenæ nomen. nec hostes modo timebant, sed suosmet ipsi ciues, ne Romana plebs metu perculsa, receptis in vrbem regibus, vel cum seruitute pacem acciperet. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab senatu data, annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum missi, alij in Volscos, alij Cumas. salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum, omni sumtu ademto priuatis: portoriis quoque & tributo plebe liberata, vt diuites conferrent, qui oneri ferendo essent, pauperes satis stipendij pendere, si liberos educent. Itaque hæc indulgentia patrum asperis postmodum rebus in obsidione ac fame, adeo concordem ciuitatem tenuit, vt regium nomen non summi magis quam infimi horrerent: nec quisquam vnus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum bene imperando vniuersus senatus fuit. Cùm hostes adessent, pro se quisque in vrbem ex agris demigrant: vrbem ipsam sepiunt præsidiis. alia muris, alia Tyberi obiecto videbantur tuta. Pons sublicius iter pene hostibus dedit: ni vnus vir fuisset, Horatius Cocles (id munimentum illo die fortuna vrbis Romanæ habuit) qui positus forte in statione pontis, cum captum repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hostes vidisset: trepidámque turbam suorū arma ordinésque relinquere, reprehensans singulos, obsistens, obtestánsque Deûm & hominum fidem, testabatur nequicquam deserto præsidio eos fugere, si transitum pontem à tergo reliquissent. Iam plus hostium in palatio Capitolioque quam in Ianiculo fore. Itaque monere, præcipere, vt pontem ferro, igni, quacunque vi possent, interrumpant: se impetum hostium, quātum corpore vno posset obsisti, excepturum. Vadit inde in primū aditum pontis: insignisque inter conspecta cedentium pugnæ terga, obuersis cominus ad ineundum prælium armis, ipso miraculo audaciæ obstupefecit hostes. Duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Largium ac T. Herminium, ambos claros genere factisque cum his primam periculi procellam, & quod tumultuosissimū pugnæ erat, parúper sustinuit: deinde eos quoque ipsos exigua parte pontis relicta, reuocantibus qui rescindebāt, cedere in tutum coegit. Circumferens inde minaciter truces oculos, ad proceres Hetruscorū, nunc singulos prouocare, nunc increpare omnes: seruitia regum superborū, suæ libertatis immemores, alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, vt prælium incipiant, circumspectant, pudor deinde commouit aciem, & clamore sublato vndique in vnum hostem tela coniiciunt. quæ cū in obiecto cuncta scuto hæsissent, neque ille minus obstinatus ingenti pontem obtineret gradu: iam impetu detrudere conabantur virū, cū simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorū alacritate perfecti operis sublatus, pauore subito impetū sustinuit. Tum Cocles: Tyberine pater, inquit, te sancte precor, hæc arma, & hunc militē propitio flumine accipias. ita sic armatus in Tyberim desiluit, multísque superincidentibus telis, incolumis ad suos tranauit: rē ausus plus famæ habituram ad posteros quam fidei. Grata erga tantam virtutē ciuitas fuit. statua in comitio posita: agri quantum vno die circumarauit, datū. priuata quoque inter publicos honores studia eminebant. nā in magna inopia pro domesticis copiis vnusquisque ei aliquid,

fraudans se ipse victu suo, contulit. Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda vrbe ad obsidendã versis, præsidio in Ianiculo locato, ipse in plano ripisque Tyberis castra posuit, nauibus vndique accitis, & ad custodiã positis, nequid Romã frumenti subuehi sineret, & vt prædatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis traiicerent. breuíque adeo infestum omnem Romanum agrum reddidit, vt non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in vrbé compelleretur, neque quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiæ Hetruscis non metu magis quam consilio concessum. namque Valerius Consul intentus in occasionem multos simul & effusos improuiso adoriundi, in paruis rebus negligens vltor, grauem se ad maiora vindicem seruabat. Itaque vt eliceret prædatores, edicit suis, postero die frequentes porta Esquilina, quæ auersissima ab hoste erat, expellerent pecus: scituros id hostes ratus, quod in obsidione & fame seruitia infida transfugerent. Et sciere perfugæ indicio multoque plures, vt in spem vniuersæ prædæ flumen traiiciunt. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabina via occultum considere iubet: Sp. Largium cum expedita iuuentute ad portam Collinam stare, donec hostis prætereat. deinde se obiicere, ne sit ad flumen reditus. Consulum alter T. Lucretius porta Næuia cum aliquot manipulis militum egressus: ipse Valerius Cælio monte cohortes delectas educit, hique primi apparuere hosti. Herminius vbi tumultum sensit, concurrit ex insidiis: versísque in Lucretium Hetruscis, terga cædit. dextra læuaque hinc à porta Collina, illinc ab Næuia redditus clamor, ita cæsi in medio prædatores, neque ad pugnam viribus pares, & ad fugam septis omnibus viis. finísque ille tam effusè euagandi Hetruscis fuit. Obsidio erat nihilominus, & frumenti cum summa caritate inopia: sedendoque expugnaturum se vrbem, spem Porsena habebat. cum C. Mutius adolescens nobilis, cui indignum videbatur populum Romanum seruientem, cum sub regibus esset, nullo bello, nec ab hostibus vllis obsessum esse, liberum eundem populum ab iisdem Hetruscis obsideri, quorum sæpe exercitus fuderit. itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit: dein metuens ne si consulum iniussu, & ignaris omnibus iret, forte deprehensus à custodibus Romanis retraheretur vt transfuga, fortuna tum vrbis crimen affirmante, senatum adiit. Transire Tyberim, inquit, patres, & intrare, si possim, castra hostium volo, non prædo, nec populationum inuicem vltor. maius, si dij iuuant, in animo est facinus. Approbant patres. abdito intra vestem ferro proficiscitur. vbi eo venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. ibi cum stipendium forte militibus daretur, & scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eúmque milites vulgo adirent: timens sciscitari vter Porsena esset, ne ignorando regem, semetipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. vadentem inde qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum concursu ad clamorem facto, comprehensum regij satellites retraxissent ante tribunal regis: destitutus tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis quàm metuens: Romanus sum, inquit, ciuis: C. Mutium vocant. hostis hostem occidere volui, nec ad mortem minus animi est, quàm ad cædem fuit. & facere & pati for-

A tia, Romanum est. nec vnus in te ego hoc animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. proinde in hoc discrimen, si iuuat, accingere, vt in singulas horas capite dimices tuo ferrum hostémque in vestibulo habeas regiæ. hoc tibi iuuentus Romana indicimus bellum. nullam aciem, nullum prælium timueris. vni tibi, & cum singulis res erit. Cum rex simul ira infensus, periculoque conterritus, circundari ignes minitabundus iuberet, nisi expromeret propere quas insidiarum sibi minas

B per ambages iaceret: En tibi, inquit, vt sentias quam vile corpus sit iis, qui magnam gloriam petunt, dextrámque accenso ad sacrificium foculo iniicit. quam cum velut alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo rex, cum ab sede sua prosiluisset, amouerique ab altaribus iuuenem iussisset: Tu verò abi, inquit, in te magis quam in me hostilia ausus. iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. nunc iure belli liberum te, intactũ inuiolatúmque hinc dimitto. Tum Mutius,

C quasi remunerans meritum: Quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos, vt beneficio tuleris à me, quod minis nequisti: trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romanæ, vt in te hac via grassaremur. mea prima sors fuit. ceteri, vt cuique ceciderit primo, quo ad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt. Mutium dimissum, cui postea à Scæuolæ clade dextræ manus cognomen inditum, legati à Porsena Romam secuti sunt. adeo mouerat eum & primi periculi casus, quo

D nihil se præter errorem insidiatoris texisset: & subeunda dimicatio toties quot coniurati superessent, vt pacis conditiones vltro ferret Romanis. Iactatum in conditionibus, nequicquam de Tarquiniis in regnum restituendis, magis quia id negare ipse nequiuerit Tarquiniis, quam quod negatum iri sibi ab Romanis ignoraret. de agro Veientibus restituendo impetratum: expressáque necessitas obsides dandi Romanis, si Ianiculo præsidium deduci vellent. His conditionibus composita pace, e-

E xercitum ab Ianiculo deduxit Porsena, & agro Romano excessit. Patres C. Mutio virtutis caussa trans Tyberim agrum dono dedere, quæ postea sunt Mutia prata appellata. Ergo ita honorata virtute fœminæ quoque ad publica decora excitatæ. Clœlia virgo, vna ex obsidibus, cum castra Hetruscorum forte haud procul ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tyberim tranauit, sospitésque omnes

F Romam ad propinquos restituit. Quod vbi regi nuntiatum est, primo incensus ira, oratores Romam misit ad Clœliam obsidem deposcendam, alias haud magni facere. deinc in admirationem versus, supra Coclites Mutiosque dicere id facinus esse: & præ se ferre, quemadmodum si non dedatur obses, pro rupto se fœdus habiturum: sic deditam, intactam inuiolatamque ad suos remissurum. Vtrinque constitit fides: & Romani pignus pacis ex fœdere restituerunt: & apud Regem Hetruscum non tuta solum, sed honorata etiam virtus fuit: lau-

G datámque virginem parte obsidium se donare dixit: ipsa quos vellet, legeret. productis omnibus elegisse impuberes dicitur: quod & virginitati decorum, & consensu obsidum ipsorum probabile erat, eam ætatem potissimum liberari ab hoste, quæ maximè opportuna iniuriæ esset. Pace redintegrata, Romani nouam in fœmina virtutem, nouo genere honoris, statua equestri donauere. in summa Sacra via fuit posita virgo insidens equo. Huic tam pacatæ profectioni ab vrbe regis, Hetrusci, abhorrens mos traditus ab an-

ab antiquis vsq. ad nostrã ætatẽ, inter cetera solẽnia manet: bonis vidẽdis, bona Porsenæ regis vendendi. cuius originem moris necesse est aut inter bellum natam esse, neque omissam in pace: aut mitiore creuisse principio, quam hic præ se ferat titulus, bona hostiliter vendendi. Proximum verò est ex iis quæ traduntur: Porsenam discedentem ab Ianiculo, castra opulenta conuecto ex propinquis ac f rtilibus Hetruriæ aruis cõmeatu, Romanis dono dedisse: inopi tum vrbe ab longinqua obsidione; ea deinde, ne populo immisso diriperentur hostiliter, venisse bona, quę Porsenæ appellata: gratiam muneris magnis significare titulo, quàm auctionem fortunæ regiæ, quę ne in potestate quidem populi Romani esset. Omisso Romano bello, Porsena, ne frustra in ea loca exercitus adductus videretur, cum parte copiarum filium Aruntem Ariciam oppugnatum mittit. Primo Aricinos res nec opinata perculerat. accersita deinde auxilia & à Latinis populis, & à Cumis, tantũ spei fecere, vt acie decernere auderent. Prælio inito, adeo concitato impetu se intulerant Hetrusci, vt funderent ipso incursu Aricinos. Cumanæ cohortes arte aduersus vim nisæ, declinauere paululum: effuséque prælatos hostes conuersis signis ab tergo adortæ sũt. Ita in medio prope iam victores cæsi Hetrusci: pars perexigua duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romã inermes & fortuna & specie supplicum delati sunt. ibi benignè excepti, diuisíque in hospitia. Curatis vulneribus alij profecti domos, nũtij hospitalium beneficiorum: multos Romæ hospitum vrbisque caritas tenuit. His locus ad habitandum datus, quẽ deinde Tuscum vicum appellarunt. P. Lucretius inde & P. Valerius Publicola tertium consules facti. Eo anno postremum legati à Porsena de reducendo in regnum Tarquinio venerunt. Quibus cum responsum esset, missurum ad regem senatum legatos: missi confestim honoratissimus quisq; ex patribus non quin breuiter reddi responsum potuerit, non recipi reges, ideo potius delectos patrum ad eum missos, quam legatis eius Romæ daretur responsum, sed vt in perpetuum mentio eius rei finiretur, neu in tantis mutuis beneficiis inuicem animi solicitarentur: cum ille peteret, quod contra libertatẽ populi Romani esset: & Romani, nisi in perniciem suam faciles esse vellent, negarent, cui nihil negatũ vellent. Non in regno populum Romanum, sed in libertate esse, ita induxisse in animum, hostibus potius quam regibus portas patefacere, eam esse volũtatem omnium, vt qui libertati erit in illa vrbe finis, idem vrbi sit. proinde si saluam esse vellet Romam, vt patiatur liberam esse, orare. Rex verecundia victus. Quando id certum atque obstinatũ est, inquit, neque ego obtundam, sæpius eadem nequicquam agendo: nec Tarquinios spe auxilij, quod nullum in me est, frustrabor. alium hinc, seu bello opus est, seu quiete, exsilio quærant locum, ne quid meam vobiscum pacem distineat. Dictis facta amiciora adiecit. obsidum quod reliquum erat, reddidit. agrum Vientem, fœdere ad Ianiculum icto ademtum, restituit. Tarquinius spe omni reditus incisa, exsulatũ ad generum Mamilium Octauium Tusculum abiit. Romanis pax fida ita cum Porsena fuit. Cõsules deinde M. Valerius, P. Posthumius. Eo anno bene pugnatum cum Sabinis, consules triumpharũt. Maiore inde mole Sabini bellum parabant aduersus eos, & ne quid simul ab Tusculo, vnde & si non apertum, suspectum tamen bellum erat, repentini periculi oriretur, P. Valerius quartum, T. Lucretius iterum, consules facti. Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantulũ inde virium transtulit ad Romanos. namque Ap. Clausus, cui postea A. Claudio fuit Romæ cognomen, cum pacis ipse auctor à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset, ab Regillo magna clientiũ comitatus manu Romam trãsfugit. His ciuitas data, agérque trans Anienum. vetus Claudia tribus, additis postea nouis tribulibus, qui ex eo venerant agro, appellata. Appius inter patres lectus, haud ita multo post in principũ dignationem peruenit. Consules infesto exercitu in agrum Sabinum profecti, cum ista vastatione, deinde prælio afflixissent opes hostium, vt diu nihil inde rebellionis timere possent, triumphantes Romam redierunt. P. Valerius omnium consensu princeps belli, pacisque artibus, anno post, Agrippa Menenio, P. Posthumio Coss. moritur gloria ingenti: copiis familiaribus adeo exiguis, vt funeri sumptus deesset. de publico est elatus. Luxere matronę vt Brutum. Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pomeria & Cora, ad Auruncos deficiunt. cum Auruncis bellum initum. fusoque ingenti exercitu, qui se ingredientibus fines consulibus ferociter obtulerat, omne Auruncũ bellum Pometiam compulsum est. Nec magis post prælium, quam in prælio, cędibus temperatum est. & cæsi aliquanto plures erant quam capti. & captos passim trucidauerunt: nec ab obsidib. quidẽ, qui CCC. accepti numero erant, ira belli abstinuit. Et hoc anno Romæ triumphatum. Secuti consules Opiter Virginius, & Sp. Cassius, Pomeriam primo vi, deinde vineis aliisque operibus oppugnauerunt. in quos Aurunci magis iam inexpiabili odio, quàm spe aliqua aut occasione coorti, cũ plures igni quã ferro armati excurrissent, cæde incendioque cuncta complent: vineis incensis, multis hostium vulneratis & occisis, consulum quoque alterum (sed verum nomen auctores non adiiciunt) graui vulnere ex equò deiectum prope interfecerunt. Romam inde male gesta re reditum. inter multos saucios consul spe incerta vitæ relictus. Interiecto deinde haud magno spatio, quod vulneribus curandis, supplendoque exercitui satis esset: tum ira maiore belli, tum viribus etiam auctis, Pomeriæ arma illata. & cum vineis refectis, aliaque mole belli, iam in eo esset, vt in muros euaderet miles deditio est facta. c terum nihilo minus fœde dedita vrbe, quam si capta foret, Aurunci passim principes securi percussi, sub corona venierunt coloni alij: oppidum dirutum, ager veniit. Consules magis ob iras grauiter vltas, quam ob magnitudinem perfecti belli, triumpharunt. Insequens annus Posthumium Cominium & T. Largium Coss. habuit. Eo anno Romæ cum per ludos ab Sabinorum iuuentute per lasciuiam scorta raperentur, cõcursu hominum rixa ac prope prælium fuit: paruaque ex re ad rebellionem spectare res videbatur. Supra belli Latini metum id quoque accesserat, quod triginta iam coniurasse populos, cõcitante Octauio Mamilio, satis constabat. In hac tantarum exspectatione rerũ solita ciuitate, dictatoris primum creandi mentio orta, sed nec quo anno, nec quibus Coss. quia ex factione Tarquinia essent (id quoque enim traditur) parum creditum sit: nec quis primum dictator creatus sit, satis constat. apud veterrimos tamen auctores T. Largium dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum, creatos inuenio. consulares legere, ita lex iubebat, de dictatore creando lata. eo magis adducor vt credã, Largium, qui consularis erat, potius quam M. Valerium, Marci filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuerat, moderatorem & magistrum consulibus appositum, qui si maximè ex ea familia legi dictatorẽ vellent, patrem multo potius M. Valerium spectatæ virtutis, & con-

ſularem virum legiſſent. Creato dictatore primum Romæ, poſtquam præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſſit, vt intentiores eſſent ad dicto parendum. neque enim vt in conſulibus, qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neque prouocatio erat: neque vllum vſquam, niſi in cura parendi, auxilium. Sabinis etiam creatus Romæ dictator, eo magis, quod propter ſe creatum crediderant, metum incuſſit. Itaque legatos de pace mittunt, quibus orantibus dictatorem, ſenatúmque vt veniam erroris hominibus adoleſcentibus darent: reſponſum, ignoſci adoleſcentibus poſſe, ſenibus non poſſe, qui bella ex bellis ſererent. actum tamen eſt de pace: impetrataque foret, ſi quod impenſæ factum in bellum erat, præſtare Sabini (id enim poſtulatum erat) in animum induxiſſent. bellum indictum. tacitæ induciæ quietum annum tenuere. Conſules Seru. Sulpitius, M. Manlius Tullus. nihil dignum memoria actum. T. Ebutius deinde, & C. Vetuſius. His conſulibus Fidenæ obſeſſæ, Cruſtumeria capta, Præneſte ab Latinis ad Romanos deſciuit. nec vltra bellum Latinum gliſcens, iam per aliquot annos dilatum. A. Poſthumius dictator, T. Ebutius magiſter equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad lacum Regillum, in agro Tuſculano agmini hoſtium occurrerunt. & quia Tarquinios eſſe in exercitu Latinorum auditum eſt, ſuſtineri ira non potuit, quin extemplo confligerent. ergo etiam prælium aliquanto quam cætera grauius atque atrocius fuit. non enim duces ad regendam modo conſilio rem affuere, ſed ſuiſmetipſis corporibus dimicantibus miſcuere certamina. nec quiſquam procerum ferme hac aut illa ex acie ſine vulnere præter dictatorem Romanum exceſſit. In Poſthumium prima in acie ſuos adhortantem, inſtruentémque Tarquinius Superbus, quanquam iam ætate & viribus erat grauior, equum infeſtus admiſit, ictúſque ab latere, concurſu ſuorum receptus, in tutum eſt. Et ad alterum cornu Ebutius magiſter equitum in Octauium Mamilium impetũ dederat. nec fefellit veniens Tuſculanum ducem, contra quem & ille concitat equũ. tantaque vis infeſtis venientiũ haſtis fuit, vt brachium Ebutio traiectum ſit, Mamilio pectus percuſſum. hunc quidem in ſecundam aciem Latini recepere: Ebutius cùm ſaucio brachio tenere telum non poſſet, pugna exceſſit. Latinus dux nihil deterritus vulnere, prælium ciet, & quia ſuos perculſos videbat, accerſit cohortem exulũ Romanorũ, cui L. Tarquinij filius præerat. ea quo maiore pugnabat ira, ob erepta bona, patriamque ademtã, pugnam parumper reſtituit. Referentibus iã pede ab ea parte Romanis, M. Valerius Publicolæ frater, conſpicatus ferocẽ iuuenẽ Tarquinium oſtentantem ſe in prima exulũ acie, domeſtica etiã gloria accenſus, vt cuius familiæ decus eiectis reges erant, eiuſdem interfecti forent: ſubdit calcaria equo, & Tarquinium infeſto ſpiculo petit. Tarquinius retro in agmen ſuorum infenſo ceſſit hoſti. Valeriũ temere inuectum in exſulũ aciem, ex tranſuerſo quidam adortus transfigit: nec quicquam equitis vulnere equo retardato, moribundus Romanus labentibus ſuper corpus armis ad terram defluxit. Dictator Poſthumius poſtquam cecidiſſe talem virum, exſules ferociter citato agmine inuehi, ſuos perculſos cedere animaduertit: cohorti ſuæ, quam delecta manu præſidij cauſſa circa ſe habebat, dat ſignum, vt quem ſuorum fugientem viderint, pro hoſte habeant. ita metu ancipiti verſi à fuga Romani in hoſtem, & reſtituta acies. Cohors dictatoris tũ primum prælium iniit. integris corporibus animiſque

A feſſos adorti exſules cedunt. Ibi alia inter proceres coorta pugna imperator Latinus, vbi cohortem exſulum à dictatore Romano prope circunuentam vidit, ex ſubſidiariis manipulos aliquot in primam aciem ſecum rapit: hos agmine venientes, T. Herminius legatus conſpicatus, intérque eos inſignem veſte armiſque Mamilium noſcitans, tanto vi maiore, quàm paulò ante magiſter equitum cũ hoſtium duce prælium iniit, vt & vno ictu transfixum per latus occiderit Mamilium: & ipſe inter ſpoliãdum corpus B hoſtis veruto percuſſus, cũ victor in caſtra eſſet relatus, inter primam curationẽ exſpirauerit. Tum ad equites dictator aduolat, obteſtans, vt feſſo iam pedite deſcendant ex equis, & pugnam capeſſant. dicto paruere: deſiliunt ex equis, prouolant in primum, & pro anteſignanis parmas obiiciunt. recipit extemplo animum pedeſtris acies, poſtquam iuuentutis proceres æquato genere pugnæ ſecum partem periculi ſuſtinentes vidit. tum demum impulſi Latini, perculſáque inclinauit acies. equitib. admoti equi, vt C perſequi hoſtem poſſent. ſecuta & pedeſtris acies. Ibi nihil nec diuinæ nec humanæ opis dictator prætermittens, ædem Caſtori vouiſſe fertur, ac pronuntiaſſe militi premia, qui primus, qui ſecundus caſtra hoſtium intraſſet. tantúſque ardor fuit, vt eodẽ impetu quo fuderant hoſtem, Romani caſtra caperent. Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum eſt. Dictator & magiſter equitum triumphantes in vrbem rediere: Triennio deinde nec certa pax, nec bellum fuit. Conſules, Q. Clœlius & T. Lartius. Inde A. D Sempronius, & M. Minutius. his conſulibus ędes Saturno dedicata: Saturnalia inſtitutus feſtus dies. A. deinde Poſthumius & T. Virginius, Coſſ. facti. Hoc demum anno ad Regillum lacum pugnatum apud quoſdam inuenio. A. Poſthumiũ, quia collega dubiæ fidei fuerit, ſe conſulatu abdicaſſe, dictatorẽ inde factũ. Tanti errores implicant tẽporum, aliter apud alios ordinatis magiſtratibus, vt nec quid conſules ſecundum quoſdã, nec quid quoque anno actum ſit, in tãta vetuſtate non rerum modo, ſed etiam auctorũ, E digere re poſſis. Ap. Claudius, deinde & P. Seruilius cõſules facti. Inſignis hic annus eſt nuntio Tarquinij mortis. Mortuus eſt Cumis, quo ſe poſt fractas opes Latinorum ad Ariſtodemum tyrannum contulerat. Eo nuntio erecti patres, erecta plebs. ſed patribus nimis luxurioſa ea fuit lætitia: plebi, cui ad eam diem ſumma ope inſeruitum erat, iniuriæ à primoribus fieri cœpere. Eodem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, ſuppleto numero colonorum iterum deducta eſt. Romæ tribus vna & F triginta factæ. Ædes Mercurij dedicata eſt idibus Maijs. Cum Volſcorum gente Latino bello neque pax, neque bellum fuerat. nam & Volſci comparauerant auxilia quæ mitterent Latinis, ni maturatum ab dictatore Romano eſſet, & maturauit Romanus, ne prælio vno cum Latino Volſcóque contenderet. Hac ira conſules in Volſcum agrum legiones duxere. Volſcos conſilij pœnam non metuentes, nec opinata res perculit. armorum immemores obſides dant CCC. principum à Cora atque Pometia G liberos. ita ſine certamine inde abductæ legiones. Nec ita multo poſt Volſcis leuatis metu, ſuum rediit ingenium. ruſus occultum parant bellum, Hernicis in ſocietatem armorum aſſumtis. legatos quoque ad ſolicitandum Latium paſſim dimittunt. ſed recens ad Regillum lacum accepta clades Latinos ira odioque eius quicunque arma ſuaderet, ne ab legatis quidem violandis abſtinuit. comprehenſos Volſcos Romam duxere. ibi traditi conſulibus, indicatúmque eſt, Volſcos Hernicoſque parare bel-

lum

lum Romanis. Relata re ad senatum, adeo fuit gratum patribus, vt & captiuorum sex millia Latinis remitterent:& de fœdere, quod prope in perpetuum negatum fuerat, rem ad nouos magistratus reiicerent. Enimuerò tum Latini gaudere facto, pacis auctores in ingenti gloria esse coronam auream Ioui donum in Capitolium mittunt. cum Legatis, donoque qui captiuorum remissi ad suos fuerant, magna circunfusa multitudo venit. pergunt domos eorum, apud quem quisque seruierant. gratias agunt liberaliter habiti, cultique in calamitate sua. inde hospitia iungunt. Nunquam alias ante publicè priuatimque Latinum nomen Romano imperio coniunctius fuit. Sed & bellum Volscum imminebat; & ciuitas secum ipsa discors intestino inter patres plebémque flagrabat odio maximè propter nexos ob æs alienū. Fremebant, se foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à ciuibus captos & oppressos esse: tutiorémque in bello, quam in pace, inter hostes quam inter ciues libertatem plebis esse: inuidiamque eam sua sponte gliscentem, insignis vnius calamitas accendit. Magno natu quidam cum omnium maiorum suorum insignibus se in forum proiecit: obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus pallore ac macie peremti. ad hoc promissa barba & capilli efferauerant speciem oris. noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse aiebant, aliaque militiæ decora, vulgò miserantes eum, iactabant, ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum, cicatrices aduerso pectore ostentabat. Sciscitantibus vnde ille habitus? vnde deformitas? cum circunfusa turba esset prope in concionis modum: Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta. tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse. id cumulatum vsuris, primo se agro paterno auitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem peruenisse ad corpus ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum & carnificinam esse: inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa auditáque clamor ingens oritur. non iam foro se tumultus continet, sed passim totam vrbem peruadit. nexu vincti, solutique, se vndique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. nullo loco deest seditionis voluntarius comes. multis passim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo, qui forte patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt: nec temperatum manibus foret, ni propere consules P. Seruilius & Ap. Claudius ad comprimendam seditionem interuenissent. At in eos multitudo versa, ostentare vincula sua, deformitatémque aliam: hæc se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam. postulare minaciter magis, quàm suppliciter, vt senatum vocarent. curiamque ipsi futuri arbitri, moderatorésque publici consilij circumsistunt. Pauci admodum patrum, quos casus obtulerat, contracti ad consules: cæteros metus non curia modo, sed etiam foro arcebat. nec agi quicquam per infrequentiam poterat senatus. Tum verò eludi atque extrahi se multitudo putare: & patrum qui abessent non casu, non metu, sed impediendæ rei caussa abesse & consules ipsos tergiuersari: nec dubiè ludibrio esse miserias suas. Iam prope erat, vt ne consulum quidem maiestas coerceret iras hominum. cum incerti morando, an veniendo plus periculi contraherent, tandem in senatum veniunt. frequentique tandem curia, non modo inter patres, sed ne inter consules quidem ipsos satis con-

A ueniebat. Appius vehementis ingenij vir imperio consulari rem agendam censebat: vno aut altero arrepto, quieturos alios. Seruilius lenib. remediis aptior concitatos animos flecti, quam frangi, putabat cum tutius, tum facilius esse. Inter hæc maior alius terror. Latini equites cum tumultuoso aduolant nuntio, Volscos infesto exercitu ad vrbem oppugnandam venire. quæ audita (adeo duas ex vna ciuitate discordia fecerat) longè aliter patres ac plebem affecere. exsultare gaudio plebes, vltores superbiæ B patrum adesse dicere deos. alius aliū confirmare, ne nomina darent: cum omnibus potius, quam solos perituros. patres militarent, patres arma caperent, vt penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. At verò curia mœsta, ac trepida ancipiti metu, & ab ciue, & ab hoste, Seruilium consulem, cui ingenium magis populare erat, orare, vt tantis circumuentam terrorib. expediret rempublicam. Tum consul misso senatu in concionē prodit. ibi curæ esse patribus ostendit: vt consulatur plebi. ceterū delibera- C tione de maxima quidē illa, sed tamē parte ciuitatis metū pro vniuersa republica interuenisse. nec posse cum hostes propè ad portas essent, bello præuertisse quicquam: nec, si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse, nisi mercede prius accepta, arma pro patria non cepisse, neque patribus satis decorum, per metum potius, quam post modum voluntate, afflictis ciuium suorum fortunis consuluisse. Concioni deinde edicto addidit fidem. quo edixit, ne quis ciuem Romanum vinctum aut clausum te- D neret, quo minus ei nominis edendi apud consules potestas fieret: ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet: liberos nepotésve eius moraretur. Hoc proposito edicto, & qui aderant nexi, profiteri extemplo nomina: & vndique ex tota vrbe proripientium se ex priuato, cum retinendi ius creditori non esset, concursus in forum, vt sacramento dicerent, fieri. magna ea manus fuit: neque aliorum magis in Volsco bello virtus atque opera enituit. Consul copias contra hostem educit. paruo dirimenti interuallo castra ponit. proxima inde no- E cte Volsci discordia Romana freti, si qua nocturna transitio proditiove fieri posset, tentant castra. sensere vigiles: excitatus exercitus: signo dato concursum est ad arma. ita frustra id inceptum Volscis fuit. reliquum noctis vtrinque quieti datum. postero die prima luce Volsci fossis repletis vallum inuadunt. Iamque ab omni parte munimenta vellebantur, cum consul, quanquam cuncti vndiq. & nexi ante omnes vt signum daret, clamabant, experiendi animos mi- F litum causa parumper moratus, postquam satis apparebat ingens ardor, dato tandem ad erumpendum signo, militem auidum certaminis emittit. primo statim incursu pulsi hostes: fugientibus quo ad insequi pedes potuit, terga cæsa. eques vsq. ad castra pauidos egit. mox ipsa castra, legionibus circumdatis, cùm Volscos inde etiam pauor expulisset, capta direptáq. Postero die ad Suessam Pometiam, quò confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur: captum prædæ datum. inde paulum recreatus egens miles. Consul cum maxima G gloria sua victorem exercitum Romam reducit. decedentem Romam, Ecetranorum Volscorum legati rebus suis timentes, post Pometiam captam, adeunt. His ex senatusconsulto data pax. ager ademtus. Confestim & Sabini Romanos territauere. tumultus enim fuit verius quam bellum. Nocte in vrbe nuntiatum est, exercitum Sabinum prædabundum ad Anienem amnem peruenisse: ibi passim diripi, atque incendi villas. Missus extemplo eo cum omnibus co-

piis equitum, A. Posthumius, qui dictator bello Latino fuerat: secutus consul Seruilius cum delecta peditum manu. plerosq; palantes eques circumuenit, nec aduenienti peditum agmini restitit Sabina legio. fessi tam itinere, tum populatione nocturna, magna pars in villis repleti cibo vinóq. vix fugæ quod satis esset virium habuere. Nocte vna audito, perfectoq. bello Sabino, postero die in magna iam spe vndique partæ pacis legati Aurunci senatum adeunt, ni decedatur Volsco agro, bellum indicentes. cum legatis simul exercitus Auruncorum domo profectus erat, cuius fama haud procul iam ab Aricia visi, tanto tumultu conciuit Romanos, vt nec consuli ordine patres, nec pacatum respōsum arma inferentibus, arma ipsi capientes dare possent. Ariciam infesta agmine itur: nec procul inde cum Aruncis signa collata: prælioque vno debellatum est. Fusis Aruncis victor tot intra paucos dies bellis, Romanus promissa consulis fidémque senatus exspectabat: cum Appius & insita superbia animo, & vt collegæ vanam faceret fidem, quam asperrime poterat, ius de creditis pecuniis dicere. deinceps & qui ante nexi fuerant, creditoribus tradebantur, & nectebantur alij. Quod vbi cui militi inciderat, collegam appellabat, concursus ad Seruilium fiebat: illius promissa iactabant, illi exprobrabant sua quisque belli merita, cicatricésque acceptas postulabant, vt aut referret ad senatum, aut vt auxilio esset consul ciuibus suis, imperator militibus. Mouebant consulem hæc, sed tergiuersari res cogebat. adeo in alteram causam non collega solum præceps ierat, sed omnis factio nobilium, ita medium se gerendo, nec plebis vitauit odium, nec apud patres gratiam iniit. Patres mollem consulem & ambitiosum rati, plebs fallacem. breuíque apparuit, æquasse eum Appij odium. Certamen consulibus inciderat, vter dedicaret Mercurij ædem. senatus à se rem ad populum reiecit. vtri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum collegium instituere, solemnia pro pontifice iussit suscipere. Populus dedicationem ædis dat M. Lectorio Primipili centurioni: quod facile appareret non tam ad honorem eius, cui curatio altior fastigio suo data esset factum, quàm ad consulum ignominiam. Sæuire inde vtique consulum alter, patrésque. sed plebi creuerant animi, & longe alia quàm primo instituerant via grassabantur. desperato enim consulum senatúsque auxilio, cum in ius duci debitorem vidissent vndiq; conuolabant: neque decretum exaudiri consulis præ strepitu & clamore poterat: neque cum decreuisset, quisquam obtemperabat. vi agebatur, metúsq. omnis, & periculum libertatis, cum in conspectu consulis singuli à pluribus violarentur, in creditores à debitoribus verterant. Super hæc timor incessit Sabini belli, delectúq. decreto, nemo nomen dedit furente Appio & insectante ambitionem collegæ, qui populari silentio rempublicam proderet, & ad id, quod de credita pecunia ius nō dixisset, adiiceret, vt ne delectum quidem ex senatusconsulto haberet. non esse tamen desertam omnino rempublicam, neque proiectum consulare imperium: se vnum & suę & patrum maiestatis vindicem fore. Cum circumstaret quotidiana multitudo licentia accensa, arripi vnum insignem ducem seditionum iussit. ille cum à lictorib. iam traheretur, prouocauit. nec cessisset prouocationi consul, quia non dubium erat populi iudicium, nisi ægre victa pertinacia foret consilio magis & auctoritate principum, quàm populi clamore, adeo supererant animi ad sustinendam inuidiam. Crescere inde malum in dies, non clamorib. modo apertis, sed, quod mluto perniciosius erat secessione, occultísque colloquiis. Tandem inuisi plebi consules magistratus abeunt: Seruilius neutris: Appius patribus mirè gratus. A. Virginius inde, & T. Vetusius consulatum ineunt. Tum verò plebs incerta quales habitura consules esset, cœtus nocturnos pars in Esquiliis, pars in Auentino facere, ne in foro subitis trepidaret consiliis, & omnia temere ac fortuito ageret. Eā rem cōsules rati, vt erat, perniciosam, ad patres referunt: sed delatam consulere ordine non licuit. adeo tumultuose excepta est clamoribus vndique & indignatione patrum si quod imperio consulari exsequendum esset, inuidiam eius consules ad senatum reiicerent profectò si essent in republica magistratus, nullum futurum fuisse Romæ nisi publicum concilium. nunc in mille curias, conciónésque cum alia in Esquiliis, alia in Auentino fiant concilia, ad dispersam & dissipatam esse rempublicam. vnum Hercule virum, id enim plus esse quā consulem, qualis Ap. Claudius fuerit, momento temporis discussurum illos cœtus fuisse. Correpti coss. cum quid erga se facere vellent, nihil enim segnius mollinśque, quam patribus placeat, acturos, percontarentur: decernunt, vt delectum quàm acerrimum habeant, otio lasciuire plebem. Dimisso senatu consules in tribunal ascendunt, citāt nominatim iuniores. cum ad nomen nemo responderet, circumfusa multitudo in concionis modum, negare vltra decipi plebem posse nunquam vnum militem habituros, ni præstaretur fides pub. libertatem vnicuique prius reddendam esse, quàm arma danda, vt pro patria ciuibúsque non pro dominis pugnent. Consules quid mandatum esset à senatu, videbant: sed eorum, qui intra parietes curiæ ferociter loquerentur, neminem adesse inuidiæ suæ participem, & apparebit atrox cum plebe certamen. prius itaque, quam vltima experirentur, senatum iterum consulere placuit. tum verò ad sellas consulum propere conuolauere minimus quisque natu patrum, abdicare cōsulatu iubentes, & deponere imperium, ad quod tuendum animus deesset. Vtraque re satis experta, tum demum cōsules: Ne prædictum negetis Patres conscripti, adest ingens seditio. postulamus, vt ij qui maxime ignauiam increpant, adsint nobis habentibus delectum acerrimi cuiusque arbitrio, quando ita placet: rem agemus. Redeunt in tribunal, citari nominatim vnum ex iis qui in conspectu erant, dedita opera iubent. cū staret tacitus, & circa eum aliquot hominum ne forte violaretur, constitisset globus, lictorem ad eum consules mittunt. quo repulso, tum verò indignum facinus esse clamitantes, qui patrum consulibus aderant, deuolant de tribunali, vt lictori auxilio essent: sed ab lictore nihil aliud quam prehendere prohibito, cum conuersus in patres impetus esset, consulum intercussu rixa sedata est. in qua tamen sine lapide, sine telo, plus clamoris, atque irarum quam iniuriæ fuerat. Senatus tumultuose vocatus, tumultuosius consulitur, quæstionem postulantib. iis qui pulsati fuerant, decernente, ferocissimo quoque non sententiis magis, quàm clamore & strepitu. tandem cum iræ resedissent, exprobrantibus consulib. nihilo plus sanitatis in curia, quam in foro esse, ordine consuli cepit. Tres fuere sententiæ. P. Virginius rem non vulgabat de iis tantum, qui fidem secuti P. Seruilis consulis, Volsco, Aurunco, Sabinoque militassent bello, agendum censebat. T. Largius non id tempus esse, vt merita tantummodo exsoluerentur. totam plebem ære alieno demersam esse: nec sisti posse, ni omnib. consulatur. quin si alia aliorum sit conditio, accendi magis discordiam quàm sedari. App. Claudius & natura immitis, & efferatus hinc plebi;

plebis odio, illinc patrum laudibus, non miseriis ait. sed licentia tantum concitum turbarum: & lasciuire magis plebem quàm sæuire. id adeo malum ex prouocatione natum quippe minas esse consulum, non imperium, vbi ad eos, qui vna peccauerint, prouocare liceat. Agedum, inquit, dictatorem à quo prouocatio non est, creemus. iam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor. pulset tum mihi lictorem, qui sciret ius de tergo vitaque sua penes vnum illum esse, cuius maiestatem violauit. Multis vt erat, horrida & atrox videbatur Appij sententia: rursus Virginij Largiique exemplo haud salubres: vtique Largij putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret: medium maximè, & moderatum vtroque consilium Virginij habebatur, sed factione, respectúque rerum priuatarum, quæ semper offecere, officiéntq; publicis consiliis, Appius vicit: ac prope fuit, vt dictator ille idem crearetur, quæ res vtique alienasset plebem periculosissimo tempore, cum Volsci Aequique & Sabini forte vna omnes in armis essent. sed curæ fuit consulibus, & senioribus patrum, vt imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio. M. Valerium dictatorem Volsci filium creant. Plebs etsi aduersus se creatum dictatorem videbat, tamen cum prouocationem fratris lege haberet, nihil ex familia triste, nec superbum timebat. edictum deinde à dictatore propositum confirmauit animos, Seruilij fere consulis edicto conueniens. sed & homini & potestati melius rati credi, omisso certamine nomina dedere. quantus nunquam ante exercitus, legiones decem effectæ ternæ inde datæ coss. quatuor dictator vsus. Nec poterat iam bellum differri. Aequi Latinum agrum inuaserant. oratores Latinorum à senatu petebant, vt aut mitterent subsidium, aut seipsos tuendorum finium caussa capere arma finerent. Tutius visum est, defendi inermes Latinos, quam pati retractare arma. Vetusius consul missus est. is finis populationibus fuit. Cessere Aequi campis: locoque magis quam armis freti, summis se iugis montium tutabantur. Alter consul in Volscos profectus, ne & ipse tereret tempus, vastandis maximè agris hostem ad conferenda propius castra, dimicandúmque acie exciuit. medio inter castra campo ante suum quisque vallum infestis signis constitere, multitudine aliquantum Volsci superabant. itaque effusi, & contemptim pugnam iniere. Consul Romanus nec promouit aciem, nec clamorem reddi passus, defixis pilis stare suos iussit: vbi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere. Volsci cursu & clamore fessi, cum se velut stupentibus metu intulissent Romanis, postquam impressionem sensere ex aduerso factam, & ante oculos micare gladios, haud secus quam si in insidias incidissent, turbati vertunt terga & ne ad fugam quidem satis virium fuit, quia cursu in prælium ierant. Romani contrà, quia principio pugnæ quieti steterant, vigentes corporibus facilè adepti fessos, & castra impetu cœperunt: & castris exutum hostem Velitras persecuti, vno agmine victores cum victis in vrbem irrupere. plúsque ibi sanguinis promiscua omnium generum cæde, quam in ipsa dimicatione factum, paucis data venia, qui inermes in deditionem venerunt. Dum hæc in Volscis geruntur dictator Sabinos, vbi longè plurimum belli fuerat, fundit, fugátque exuitque castris. Equitatu immisso mediam turbauerat hostium aciem, qua dum se cornua latiùs pandunt, parum aptè introrsum ordinibus aciem firmauerant. turbatos pedes inuasit. eodem impetu castra capta, debellatúmque est. Post pugnam ad Regillum lacum, non alia illis annis pugna clarior fuit. Dictator triumphans inuehitur, super solitos honores locus in circo ipsi posterisque ad spectaculum datus, sella in eo loco curulis posita. Volscis deuictis Veliternus ager ademtus: Velitras coloni ab vrbe missi, & colonia deducta. Cum Aequis post aliquanto pugnatum est, inuito quidem consule, quia loco iniquo subeundum erat ad hostes. sed milites extrahi rem criminantes, vt dictator prius quam ipsi redirent in vrbem, magistratu abiret: irritaque sicut antè consulis promissa eius caderent: perpulere, vt fortè temere in aduersos montes agmen erigeret. id malè commissum, ignauia hostium in bonum vertit. qui priusquam ad coniectum teli veniretur, obstupefacti audacia Romanorum, relictis castris, quæ munitissimis tenuerant locis, in aduersas valles desiluere: vbi satis prædæ & victoria incruenta fuit. Ita trifariam re bello benè gesta, de domesticarum rerum euentu nec patribus nec plebi cura decesserat tanta cum gratia, rum arte præparauerant fœneratores, quę non modo plebem, sed ipsum etiam dictatorem frustrarentur. Namque Valerius post Verusij consulis reditum, omnium actionum in senatu primam habuit pro victore populo, retulitque quid de nexis fieri placeret. quæ cum reiecta relatio esset: Non placeo, inquit, concordiæ auctor, optabitis medius fidius propediem, vt mei similes Romana plebs patronos habeat. quod ad me attinet, neque frustrabor vltra ciues meos, neque ipse frustra dictator ero. discordiæ intestinæ, bellum externum fecere, vt hoc magistratu egeret respublica, pax foris parta est, domi impeditur. priuatus potius, quam dictator seditioni intererо. Ita curia egressus, dictatura se abdicauit. apparuit caussa plebi, suam vicem indignantem magistratu abisse. Itaque velut persoluta fide, quoniam per eum nō stetisset quin præstaretur, decedentem domum cum fauore ac laudibus prosecuti sunt. Timor inde patres incessit, ne si dimissus exercitus foret, rursus cœtus occulti coniurationésq. fierent. Itaque quanquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen quoniam in consulum verba iurassent, sacramento teneri militem rati, per caussam renouari ab Æquis belli educi ex vrbe legiones iussere. quo facto, maturata est seditio. & primo agitatum dicitur de consulum cæde, vt soluerentur sacramento. doctos deinde nullam scelere religionem exsolui. Sicinio quodam auctore iniussu consulum in sacrum montem secessisse, trans Anienem amnem, tria ab vrbe millia passuum, ea frequentior fama est, quam cuius Piso auctor est, in Auentinum secessionem factam esse. Ibi sine vllo duce, vallo fossáque communitis castris, quieti rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo, per aliquot dies neque lacessiti, neque lacessentes sese tenuere. pauor ingens in vrbe: metúque mutuo suspensa erant omnia. timere relicta ab suis plebes violentiam patrum: timere patres residem in vrbe plebem, incerti manere, an eam abire mallent. quamdiu autem tranquillam, quę secesserit, multitudinem fore? quid futurum deinde, si quod externum interim bellum exsistat: nullam profectò, nisi in concordia ciuium spem reliquam ducere. eam per æqua, per iniqua reconciliandam ciuitati esse. Sic placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, & quod inde oriundus erat, plebi carum. is intromissus in castra, prisco illo dicendi & horrido modo nihil aliud quam hoc narrasse fertur: Tempore quo in homine non, vt nunc, omnia, in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fue-

rit, vt indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore A ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os accipere datum, nec dentes conficerent. hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vna membra, totúmque corpus ad extremam tabem venisse. inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quam alere eũ, reddentem in omnes corporis partes hunc quo viuimus vigemúsque B diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum. Agi deinde de concordia cœptum, concessúmque in conditiones, vt plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilij latio aduersus consules esset: néve cui patrum capere eum magistratum liceret. ita tribuni plebeij creati duo, C. Licinius, & L. Albinus. Hi tres collegas sibi creauerunt. in his Sicinium fuisse seditionis auctorem: de duobus qui fuerint, minus conuenit. Sunt qui duos tantum in sacro monte creatos tribunos esse dicant, ibique sacratam legem latam. Per seces- C sionem plebis Sp. Cassius, & Posthumius Cominius consulatum inierunt. his Coss. cum Latinis populis ictum fœdus. ad id feriendum consul alter Romæ mansit, alter ad Volscum bellum missus, Antiates Volscos fundit fugatque compulsos in oppidum Longulam persecutus, mœnibus potitur. inde protinus Mucamitem Volscorum cepit, tum magna vi adortus est Coriolos. Erat tum in castris inter primores iuuenum Cn. Martius, adolescens & consilio & manu promptus, cui cognomen postea D Coriolano fuit. Cum subito exercitum Romanum Coriolos obsidentem, atque in oppidanos, quos intus clausos habebat, intentum sine vllo metu extrinsecus imminentis belli Volscæ legiones profectæ ab Antio inuasissent, eodémque tempore ex oppido erupissent hostes forte in statione Martius fuit. is cum delecta militum manu non modò impetum erumpentium retudit: sed per patentem portam ferox irrupit: cædéque in proximo vrbis facta, ignem temerè arreptum, imminentibus muro æ- E dificiis iniecit, clamor inde oppidanorũ mistus muliebri puerilique ploratu, ad terrorem, vt solet, primo ortu & Romanis auxit animum, & turbauit Volscos: vtpote capta vrbe, cui ad ferendam opem venerant. Ita fusi Volsci, Antiates. Corioli oppidum captum. tantúmque sua laude obstitit, famæ consulis Martius, vt nisi fœdus cũ Latinis columna ænea insculptum monumento esset, ab Sp. Cassio vno, quia collega abfuerat, ictum: Posthumium Cominium bellum gessisse cum Volscis, memoria cessisset. Eo- F dem anno Agrippa Mennius moritur, vir omni vita pariter patribus ac plebi carus, post secessionem carior plebi factus. Huic interpreti arbitroque concordię ciuium legato patrum ad plebem reductori plebis Romanę in vrbem, sumptus funeri defuit. extulit eum plebs sextantibus collatis in capita. Consules deinde T. Geganius, P. Minutius facti. Eo anno, cum & foris quieta omnia bello essent, & domi sanata discordia aliud multo grauius malũ ciuitatem inuasit, caritas primum annonę ex incultis per secessionem G plebis agris: fames deinde, qualis clausis solet, ventũque ad interitum seruitiorum vtique & plebis esset, ni consules prouidissent, dimissis passim ad frumentum coemendum, non in Hetruriam modo dextris ab Hostia littoribus, læuaque per Volscos mari vsque ad Cumas, sed quæsitum in Sicilia quoque adeo finitimorum odia longinquis coegerant indigere auxiliis. Frumentum Cumis cum coemtum esset, naues pro bonis Tarquiniorum ab Aristodemo tyranno, qui hæres erat, retentæ sunt. in Volscis Pomptinoque ne emi quidem potuit. periculum quoque ab impetu hominum ipsis frumentatoribus fuit. Ex Hetruscis frumentum Tyberi venit. eo sustentata est plebs. incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volscos iam mouentes arma pestilentia ingens inuasisset. ea clade conterritis hostium animis, vt etiam vbi ea remisisset, terrore aliquo tenerentur, & Velitris auxere numerum colonorum Romani, & Norbæ in montes nouam coloniam, quæ arx in Pomptino esset, miserunt. M. Minutio deinde, & A. Sempronio consulib. magna vis frumenti ex Sicilia aduecta: agitatúmque in senatu, quanti plebi daretur. Multi venisse tempus premendæ plebis putabant, recuperandique iura, quæ extorta secessione ac vi patribus essent. In primis Martius Coriolanus hostis tribunitiæ potestatis: Si annonam, inquit, veterem volunt, ius pristinum reddant patribus. cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium potentem video sub iugum missus, tanquam à latronibus redemtus? egone has indignitates diutius patiar, quam necesse est? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? secedat nunc, auocet plebem, patet via in Sacrum montem, aliosq; colles: rapiant frumenta ex agris nostris, quemadmodum tertio anno rapuere: fruantur, vtantur annona, quam furore suo fecere. audeo dicere, hoc malo domitos ipsos potius cultores agrorum fore, quam vt armati per secessionem coli prohibeant. Haud tam facile dictu est, faciendúmne fuerit, quam potuisse arbitror fieri, vt conditionibus laxandi annonam, & tribunitiam potestatem, & omnia inuitis iura imposita patres demerent sibi & senatui nimis atrox visa sententia est & ira plebem prope armauit. Fame iam se sicut hostes peti, cibo victúque fraudari: peregrinum frumentum, quæ sola alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore rapi, nisi Cn. Martio vincti dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanæ satisfiat. eum sibi carnificem nouum exortum, qui aut mori, aut seruire iubeat. In exeuntem è curia impetus factus esset, ni peropportunè tribuni diem dixissent. ibi ira est suppressa. se iudicem quisque se dominum vitæ necisque inimici factum videbat. Contemtim primo Martius audiebat minas tribunitias: auxilij, non pœnæ ius datum illi potestati: plebísque, non patrũ tribunos esse. sed adeo coorta erat infensa plebs, vt vnius pœna defungendum esset patribus. restiterunt tamen aduersa inuidia, vsique sunt qua suis quisque, qua totius ordinis viribus: ac primo tentata res est, si dispositis, clientibus absterrendo singulos à coitionibus, conciliisque disiicere rem possent, vniuersi deinde processere (quicquid erat patrum reos diceres) precibus plebem exposcentes: vnum sibi ciuem, vnum senatorem, si innocentem absoluere nollent, pro nocente donarent. Ipse cum die dicta non adesset, perseueratum in ira est. damnatus absens in Volscos exulatum abiit, minitans patriæ, hostiléque iam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benignè excepere, benigniúsque in dies colebant, quo maior ira in suos eminebat, crebræque nunc querelæ, nunc minæ percipiebantur. Hospitio vtebatur Accij Tullij, longè is tum princeps Volsci nominis erat, Romanisque semper infestus, ita cum alterum vetus odium, alterum ira recens stimularet, consilia conferunt de Romano bello. haud facilè credebant plebem suam impelli posse, vt toties infeliciter tentata arma caperent. multis

sæpe

fractos spiritus esse arte agendum in exsoleto iam vetustate odio, vt recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Ludi fortè ex instauratione magni Romæ parabantur. instaurandis hæc causa fuerat ludis. Mane seruum quidam pater familiæ nondum commisso spectaculo sub furca cæsum medio egerat circo. cœpti inde ludi, velut ea res nihil ad religionem pertinuisset. haud ita multo post T. Latinio de plebe homini somnium fuit. Visus Iupiter dicere, sibi ludis præsultatorem displicuisse, nisi magnificè instaurarentur hi ludi, periculum vrbi fore, iret, ea consulibus nunciaret. Quanquam haud sanè liber erat religioni animus, verecũdia tamé maiestatis magistratuum timorem vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. magno illi ea cunctatio stetit, filium namque intra paucos dies amisit cuius repentinæ cladis ne caussa dubia esset, ægro animi eadem illa in somnis obseruata species, visa est rogitare, sat in magnam spreti numinis haberet mercedem? maiorem instare, ni eat propere, ac nunciet consulibus. Iam præsentior res erat: cunctantem tamen ac prolatantem ingens vis morbi adorta est debilitate subita. tum enimuero deorum ira admonuit. fessus igitur malis præteritis instantibúsque consilio propinquorum adhibito, cum visa atq; audita, & obseruatũ toties somno Iouem, minas irasque cælestes repræsentatas casibus suis exposuisset, consensu inde haud dubio omnium qui aderant, in forum ad consules lectica defertur. inde in curiam iussu consulum delatus, eadem illa cum patribus ingenti omnium admiratione enarrasset, ecce aliud miraculum qui captus omnibus membris delatus in curiam esset. eum functum officio pedibus suis domum rediisse, traditũ memoriæ est. Ludi quam amplissimi vt fierent, senatus decernit. Ad eos ludos auctore Accio Tullio vis magna Volscorum venit. priusquam committerentur ludi, Tullius vt domi compositum cum Martio fuerat ad consules venit. dicit esse quæ secreto agere de republica velit, arbitris remotis. Inuitus, inquit, quod sequius sit, de meis ciuibus loquor. non tamen admissam quicquam ab iis, criminatum venio, sed cautum, ne admittant. Nimio plus quam velim nostrorum ingenia sunt mobilia. multis id cladibus sensimus, quippe qui non nostro merito, sed vestra patientia incolumes simus. magna hic nunc Volscorum multitudo est, ludi sunt, spectaculo intenta ciuitas erit. memini quid per eandem occasionem ab Sabinorum iuuentute in hac vrbe commissum sit. horret animus, ne quid inconsultè ac temerè fiat. hæc nostra, vestraque caussa prius dicẽda vobis consules ratus sum. quod ad me attinet, extemplo hinc domum abire in animo est, ne cuius facti dictive contagione præsens violer. Hæc locutus abiit Consules cum ad patres rem dubiam sub auctore certo detulissent, auctor magis (vt fit) quam res ad præcauendũ vel ex superuacuo mouit. factoq; senatusconsulto vt vrbem excederent Volsci, præcones dimittuntur, qui omnes eos proficisci ante noctem iuberent. Ingens pauor primo discurrentes ad suas res tollendas in hospitia perculit: proficiscentibus deinde indignatio oborta, se vt consceleratos, contaminatosque ab ludis, festis diebus, cœtu quodammodo hominum deorúmque abactos esse. Cum prope continuato agmine irent prægressus Tullius ad caput Ferentinum, vt quisque veniret, primores eorum excipiens, quærendo indignandoque, & eos ipsos sedulo audientes secũda iræ verba, & per eos multitudinem aliam in subiectum viæ campum, deduxit. ibi in concionis modum orationem exorsus; Veteres populi Romani iniurias,

A cladésque gentis Volscorum, vt omnia, inquit, obliuiscamini alia, hodiernam hanc contumeliam quo tandem animo fertis, qui per nostram ignominiam ludos commisere? an non sensistis triumphatum hodie de vobis esse? vos omnibus ciuibus, peregrinis, tot finitimis populis, spectaculo abeuntes fuisse? vestras coniuges, vestros liberos traductos per ora hominum? quid eos qui audiuere vocem præconis? quid qui vos videre abeuntes, quid eos qui huic i- B gnominioso agmini fuere obuij existimasse putatis? nisi aliquod profectò nefas esse, quo si intersimus spectaculo, violaturi simus ludos, piaculúmque merituri: ideo nos ab sede piorum, cœtu, conciliòque abigi, quid deinde illud non succurrit, viuere nos, quod maturauimus proficisci? si hæc profectio, & non fuga est, & hanc vrbem vos non hostium ducitis, vbi si vnum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit? Bellum vobis indictum est, magno eorum malo, qui indixere, si viri estis. Ita & C sua sponte irarum pleni, & incitati, domos inde digressi sunt, instigandóque suos quisque populos, effecere, vt omne Volscum nomen deficeret. Imperatores ad id bellum de omnium populorum sententia lecti, Accius Tullius, & Cn. Martius exsul Romanus, in quo aliquanto plus spei repositum: quæ spes nequaquam fefellit, vt facile appareret ducibus validiorem, quam exercitu rem Romanam esse. Circeios profectus, primum colonos, inde Romanos expulit, liberámque eam vrbem Volscis D tradidit: inde in Latinam viam transuersis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Pollustiam, Coriolos, nouella hæc Romanis oppida ad mit, inde Lauinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos Pedum cepit. postremum ad vrbem à Pedo ducit, & ad fossas Cluilias quinque ab vrbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanum, custodibus inter populatores missis, qui patriciorum agros intactos seruarent: siue infensus plebi magis, siue vt discor- E dia inde inter patres plebémque oriretur. Quæ profectò orta esset: adeò tribuni iam ferocem per se plebem criminando in primores ciuitatis instigabant: sed externus timor, maximum concordiæ vinculum, quamuis suspectos, infensósque inter se iungebat animos. Id modo non conueniebat, quod senatus consulésque nusquam alibi spem, quam in armis ponebant: plebs omnia quam bellum malebat. Sp. Nautius iam. & Sex. Furius consules erat. Eos recensentes legiones, præsidia per muros, aliáque, in F quibus stationes vigiliásque esse placuerat, loca distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit: deinde vocare senatum, referre de legatis ad Cn. Martium mittendis coegit. Acceperunt relationem patres, postquam apparuit labare plebis animos, missique de pace ad Martium oratores, atrox responsum retulerunt: Si Volscis ager redderetur, posse agi de pace: si præda belli per otium frui velint, memorem se & ciuium iniuriæ, & hospitium beneficij, adnisurum, vt appareat, exsilio sibi irritatos, non fractos G animos esse. Iterum deinde iidem missi non recipiuntur in castra. sacerdotes quoque suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium, traditum est, nihiloque magis quam legatos flexisse animum. Tum matronæ ad Veturiam matrem Coriolani, Volumniámque vxorem frequentes coeunt, id publicum consilium, an muliebris timor fuerit, parum inuenio. Peruicere certè, vt & Veturia magno natu mulier, & Volumnia duos paruos ex Martio ferens filios secum, in castra hostium irent: & quam

armis viri defendere vrbem non possent, mulieres precibus lacrymisque defenderent. Vbi ad castra ventum est, nuntiatúmque Coriolano, adesse ingens mulierum agmen: primo vt qui nec publica maiestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset, multo obstinatior aduersus lacrymas muliebres erat. dein familiarium quidam, qui insignem mœstitia inter cæteras cognouerat Veturiam, inter nurum nepotésque stantem: Nisi me frustrantur, inquit, oculi, mater tibi coniunxque & liberi adsunt. Coriolanus prope vt amens consternatus ab sede sua, cum ferret matri obuiæ complexum, mulier in iram ex precibus versa: Sine, prius quam complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem, an ad filium, venerim: captiua, materve in castris tuis sim. In hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, vt exsulem te, deinde hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? non tibi, quamuis infesto animo & minaci perueneras, ingredienti fines ira cecidit? non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit? intra illa mœnia domus ac penates mei sunt? mater, coniunx, liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? nisi filium haberem. In libera patria mortua essem? Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius quam mihi miserius possum: nec vt sim miserrima, diu futura sum. de his videris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa seruitus manet. Vxor deinde ac liberi amplexi, fletusque ab omni turba mulierum ortus, & comploratio sui patriæque, fregere tandem virum. complexus inde suos dimittit: ipse retro ab vrbe castra mouit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, inuidia rei oppressum perisse tradunt, alij alio letho. apud Fabium longè antiquissimum auctorem, vsque ad senectutem vixisse eundem inuenio. refert certè, hanc sæpe eum, exacta ætate vsurpasse vocem: Multo miserius seni exilium esse. Non inuiderunt laudes suas mulieribus viri Romani. adeo sine obtrectatione gloriæ alienæ viuebatur. monumento quoque quod esset, templum fortunæ muliebri ædificatum dedicatúmque est. Rediere deinde Volsci adiunctis Æquis in agrum Romanum. Sed Æqui Accium Tullium haud vltra tulere ducem. Hinc ex certamine, Volsci Æquine imperatorem coniuncto exercitui darent, seditio, deinde atrox prælium ortum. Ibi fortuna populi Romani duos hostium exercitus, haud minus pernicioso quam pertinaci certamine confecit. Consules T. Sicinius, & C. Aquilius, Sicinio Volsci, Aquilo Hernici (nam ij quoque in armis erant) prouincia euenit: eo anno Hernici deuicti: cum Volscis æquo marte discessum est. Sp. Cassius deinde & Proculus Virginius consules facti. cũ Hernicis fœdus ictum. agri partes duæ ademtæ. inde dimidium Latinis, dimidium plebi diuisurus consul Classius erat, adiiciebat huic muneri agri aliquãtum, quem publicum possideri à priuatis criminabatur. Id multos quidem patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum terrebat. sed & publica patribus solicitudo inerat, largitione consulem periculosas libertati opes struere. Tum primum lex agraria promulgata est, nunquam deinde vsque ad hanc memoriam sine maximis motib. rerum agitata. Consul alter largitioni resistebat auctorib. patribus, nec omni plebe aduersante: quæ primo cœperat fastidire munus vulgatum, à ciuibus isse in socios. sæpe deinde & Virginium consulem in concionibus velut vaticinantem audiebat, pestilens

A collegæ munus esse: agros illos seruitutem iis qui accepissent, laturos: regno viam fieri. quid ita enim assumi socios, & nomen Latinum? quid attinuisse, Hernicis paulo ante hostibus capti agri tertiam partem reddi? nisi vt hæ gentes pro Coriolano duce Cassium habeant? Popularis iam esse dissuasor, & intercessor legis agrariæ cœperat. vterque deinde certatim plebi indulgere. Virginius dicere, passurũ se assignari agros, dum ne cui nisi ciui Romano assignentur. Cassius quia in agraria largitione ambi- B tiosus in socios, eoque ciuibus vilior erat: vt alio munere sibi conciliaret ciuium animos, iubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id verò haud secus quam præsentem mercedẽ regni aspernata plebs: adeo propter suspicionem insitam regni, velut abundarent omnia, munera eius in animis hominum respuebantur quem, vbi primum magistratu abiit, damnatum, necatúmque cõstat. Sunt qui patrem auctorem eius supplicij ferant: eum cognita domi caussa verberasse, ac necasse: C peculiúmque filij Cereri consecrauisse: signum inde factum esse, & inscriptũ, Ex Cassia familia datum. Inuenio apud quosdã, idque propius fidem à quæstoribus Cæsone Fabio & L. Valerio diem dictam perduellionis: damnatúmque populi iudicio, dirutas publicè ædes. ea est area ante Telluris ædem. Cæterum siue illud domesticum, siue publicum fuit iudicium damnatur Ser. Cornelio, Q. Fabio consulibus. Haud diuturna ira populi in Cassium fuit, dul- D cedo agrariæ legis ipsa per se demto auctore subibat animos: accensaque ea cupiditas est malignitate patrum, qui deuictis eo anno Volscis Æquisque militem præda fraudauere. quicquid captum ex hostibus est vendidit Fabius consul, ac redegit in publicum. Inuisum erat Fabium nomen plebi propter nouissimum consulem: tenuere tamen patres, vt cum L. Æmilio Cæso Fabius consul crearetur. eo infestior facta plebs. seditio domestica bellum externum exciuit: bello deinde ciuiles discordiæ intermissæ. vno animo patres ac plebs rebellantes Vol- E scos & Æquos duce Æmylio prospera pugna vicere. plus tamen hostiũ fuga, quã præliũ assumsit. adeo pertinaciter fusos insecuti sunt equites. Castoris ædes eodẽ animo idib. quintilib. dedicata est. vota erat Latino bello Posthumio dictatore, filius eius duumuir ad ipsum creatus dedicauit. Solicitati & eo anno sunt dulcedine agrariæ legis animi plebis. tribuni plebis popularem potestatem lege populari celebrabant. patres satis superque gratuiti furoris in multitudine credentes esse largitiones, temeritatisq; F inuitamenta horrebant, acerrimi patribus duces ad resistendum consules fuere. ea igitur pars reipub. vicit. nec in præsens modo, sed in venientem etiam annum, Marcum Fabium Cæsonis fratrem, & magis inuisum alterum plebi accusatione Sp. Cassij, L. Valerium consulem dedit. Certatum eo quoque anno cum tribunis est. Vana lex vanique legis auctores iactando irritum munus, facti. Fabium inde nomen ingens post tres continuos consulatus, vnoque velut tenore omnes expertos tribunitiis certaminibus ha- G bitum. itaque vt bene locatus mansit in ea familia aliquamdiu honos. Bellum inde Veiens initum. & Volsci rebellarunt. sed ad bella externa prope supererant vires, abutebantúrque iis inter semetipsos certando. Accessere ad ægras iam omnium mentes prodigia cœlestia, prope quotidianas in vrbe agrisq; ostentantia minas: motiq; ira numinis caussam nullam aliam vates canebant, publicè priuatimq; nunc

extis

extis nunc per aues consulti, quã haud ritè sacra fieri A
qui terrores tamẽ eò euasere, vt Opia virgo Vestalis
damnata incesti pœnas dederit. Q. Fabius inde, & C
Iullius consules facti. Eo anno non segnior discor-
dia domi, & bellum foris atrocius fuit. Ab Aequis ar-
ma sumta. Veientes agrum quoque Romanorum
populantes inierunt. quorum bellorum crescente
cura, Cæso Fabius, & Sp. Furius consules fiunt. Ar-
tonam Latinam vrbem Aequi oppugnabãt. Veientes
pleni iam populationum, Romam ipsam se oppu- B
gnaturos minitabantur. qui terrores, cum compe-
scere deberent, auxere insuper animos plebis: redi-
batque non sua sponte plebi mos detrectandi mili-
tiam, sed Sp. Licinius tribunus plebis venisse tempus
ratus, per vltimã necessitatem legis agrariæ patribus
iniungendæ, susceperat rem militarem impediendã.
ceterum tota inuidia tribunitiæ potestatis versa in
auctorem est: nec in eum consules acrius, quàm i-
psius eius collegæ coorti sunt auxilioque eorum de-
lectum consules habent. Ad duo simul bella exerci- C
tus scribitur: ducendus Fabio in Veientes, in Ae-
quos Furio datur & in Æquis quidẽ nihil dignũ me-
moria gestũ est. Fabio aliquãto plus negotij cũ ciui-
b. fuit. quã cũ hostibus fuit. vnus ille vir ipse consul
remp. sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantũ
in se fuit, prodebat. nam cum consul præter cæteras
imperatorias artes, quas parando gerendoque bello
edidit plurimas, ita instruxisset aciem, vt solo equi-
tatu emisso exercitum hostium funderet, insequi fu-
sos pedes noluit. nec illos, & si non adhortatio inuisi D
ducis suum saltem flagitium, & publicum, in præ-
sentia dedecus, postmodo periculum si animus hosti
rediisset, cogere potuit gradum accelerare: haud si
aliud nihil, instare instructos. iniussi signa referunt.
mœstique, crederes victos, exsecrantes nunc impe-
ratorem, nunc nauatam ab equite operam, redeunt
in castra. Nec huic tam pestilenti exemplo remedia
vlla ab imperatore quæsita sunt. Adeo excellentibus
ingeniis citius defuerat ars, qua ciuem regant, quàm
qua hostem superent. Consul Romam rediit, non E
tam belli gloria aucta, quàm irritato exacerbatoque
in se militum odio. Obtinuere tamen patres, vt in
Fabia gente consulatus maneret. M. Fabium consu-
lem creant. Fabio collega. Cn. Manlius datur. Et hic
annus tribunum auctorem legis agrariæ habuit.
Tib. Pontificius fuit, is eandem viam, velut proces-
sisset Sp. Licinio, ingressus, delectum paulisper im-
pediit. Perturbatis iterum patribus App. Claudius
victam tribunitiam potestatem dicere priore anno,
in præsantia re ipsa, exemplo in perpetuum: quando F
inuentum sit, suis ipsam viribus dissolui. Neq. enim
vnquam defuturum, qui ex collega victoriam sibi,
& gratiam melioris partis bono publico velit quæ-
sitam & plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxi-
lium consulũ paratos fore, & vnum vel aduersus o-
mnes satis esse, darent modo consules & primores
patrum operam, vt si minus omnes, aliquos tamen
ex tribunis reipub. ac senatui conciliarent. Præce-
ptis Appij moniti patres, & vniuersi comiter ac be-
nignè tribunos appellare: & consulares, vt cuique
eorum priuatim aliquid iuris aduersus singulos erat, G
partim gratia, partim auctoritate obtinuere, vt tribu-
nitiæ potestatis vires salubres vellent reipublicæ
esse: quatuorque tribunorum aduersus vnum mo-
ratorem publici commodi auxilio, delectum con-
sules habent. Inde ad Veiens bellum profecti, quo
vndique ex Hetruria auxilia conuenerant, non tam
Veientium gratia concitata quàm quod in spem
ventum erat discordia intestina dissolui rem Ro-
manam posse. Principésque in omnium Hetruriæ

populorum conciliis fremebant, æternas opes esse
Romanas nisi inter semetipsos seditionibus sæuiãt,
id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis
repertam, vt magna imperia mortalia essent. diu su-
stentatum id malum partim patrum consiliis, partim
patientia plebis, iam ad extrema venisse: duas ciui-
tates ex vna factas: suos cuique parti magistratus,
suas leges esse. primum in delectibus sæuire solitos,
eosdem in bello tamen paruisse ducibus: qualicun-
que vrbis statu manente disciplina militari sisti po-
tuisse. iam non parendi magistratibus morem in ca-
stra quoque Romanum militem sequi proximo
bello in ipsa acie, in ipso certamine consensu exer-
citus traditam vltro victoriam victis Aequis: signa
deserta: imperatorem in acie relictum in iussu in
castra reditum: profecto si instetur, suo milite vinci
Romam posse, nihil aliud opus esse, quam indici o-
stendique bellum: cætera sua sponte fata & deos ge-
sturos. Hæc spes Hetruscos armauerant, multis inui-
cem casibus victos victorésque. Coss. quoque Ro-
mani nihil præterea aliud quam suas vires, sua arma
horrebant: memoriaque pessimi proximo bello e-
xempli terrebantur, ne rem committerent eo, vbi
duæ simul acies timendæ essent. itaque castris se te-
nebant, tam ancipiti periculo auersi, diem tempús-
que forsitan ipsum leniturum iras, sanitatémque a-
nimis allaturum. Veiens hostis Hetruscique eo ma-
gis præpropere agere lacessere ad pugnã, primo ob
equitando castris prouocandoque postremo, vt ni-
hil mouebant, qua consules ipsos, qua exercitum
increpando, simulationem intestinæ discordiæ re-
medium timoris inuentum: & consules magis non
confidere, quàm non credere suis militibus nouum
seditionis genus, silentium, otiúmque inter arma-
tos. ad hæc innouitatem generis, originísque, qua
falsa, qua vera iacere. Hæc cum sub ipso vallo portis-
que streperent, haud ægrè consules pati. at impe-
ritiæ multitudini nunc indignatio, nunc pudor pe-
ctora versare, & ab intestinis auertere malis, nolle
inultos hostes, nolle successum, non patribus non
consulibus externa & domestica odia certare a-
nimis tandem superant externa, adeo superbè inso-
lentérque hostis eludebat. frequentes in prætorium
conueniunt, poscunt pugnam, postulant vt signum
detur. Consules velut deliberabundi capita confe-
runt, diu colloquuntur, pugnare cupiebant, sed retro
reuocanda & addenda cupiditas erat: vt aduersando
remorandoque incitato semel militi aderent im-
petum. Redditur responsum, immaturam rem agi,
nondum tempus pugnæ esse: castris se tenerent. e-
ducunt inde, vt abstineant pugna. si quis iniussu pu-
gnauerit, vt in hostem animaduersures. ita demissis,
quo minus consules velle credunt, crescit ardor pu-
gnandi. accendunt insuper ferocius multo, vt sta-
tuisse non pugnare consules cognitum est. quippe
impunè se insultaturos, non credi militi armarem
ad vltimum seditionis erupturam, finémque ve-
nisse Romano imperio. His freti concursant
portis, ingerunt probra, ægrè abstinent quin castra
oppugnent. Enimuero non vltra contumeliam
pati Romanos posse. totis castris vndique ad consu-
les curritur, non iam sensim, vt antè, per centurio-
nem Principes postulant, sed passim omnes clamo-
ribus agunt. Matura res erat, tergiuersantur tamen,
Fabius deinde ad crescentem tumultum iam metu
seditionis collega concedente, cum silentium classi-
co fecisset: Ego istos Cn. Manli posse vincere scio,
velle ne scirem, ipsi fecerunt. itaq; certum atque des
cretũ est non dare signum nisi victores se redituros
ex hac pugna iurent consulẽ Romanũ miles semel

armis viri defendere vrbem non possent, mulieres precibus lacrymisque defenderent. Vbi ad castra ventum est, nunciatúmque Coriolano, adesse ingens mulierum agmen: primo vt qui nec publica maiestate, in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset, multo obstinatior aduersus lacrymas muliebres erat. dein familiarium quidam, qui insignem mœstitia inter cæteras cognouerat Veturiam, inter nurum nepotésque stantem: Nisi me frustrantur, inquit, oculi, mater tibi coniunxque & liberi adsunt. Coriolanus prope vt amens consternatus ab sede sua, cum ferret matri obuiæ complexum, mulier in iram ex precibus versa: Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem, an ad filium, venerim: captiua, materve in castris tuis sim. In hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, vt exsulem te, deinde hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? non tibi, quamuis infesto animo & minaci perueneras, ingredienti fines ira cecidit? non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit? intra illa mœnia domus ac penates mei sunt? mater, coniunx, liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? nisi filium haberem. In libera patria mortua essem? Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius quam mihi miserius possum: nec vt sim miserrima, diu futura sum. de his videris: quos, si pergis, aut immatura mor, aut longa seruitus manet. Vxor deinde ac liberi amplexi, fletusque ab omni turba mulierum ortus, & comploratio sui patriæque, fregere tandem virum. complexus inde suos dimittit: ipse retto ab vrbe castra mouit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, inuidia rei oppressum perisse tradunt, alij alio letho. apud Fabium longè antiquissimum auctorem, vsque ad senectutem vixisse eundem inuenio. refert certè, hanc sæpe eum, exacta ætate vsurpasse vocem: Multo miserius seni exilium esse. Non inuiderunt laudes suas mulieribus viri Romani. adeo sine obtrectatione gloriæ alienæ viuebatur. monumento quoque quod esset, templum fortunæ muliebri ædificatum dedicatúmque est. Rediere deinde Volsci adiunctis Æquis in agrum Romanum. Sed Æqui Accium Tullium haud vltra tulere ducem. Hinc ex certamine, Volsci Æquine imperatorem coniuncto exercitui darent, seditio, deinde atrox prælium ortum. Ibi fortuna populi Romani duos hostium exercitus, haud minus pernicioso quam pertinaci certamine confecit. Consules T. Sicinius, & C. Aquilius, Sicinio Volsci, Aquilo Hernici (nam ij quoque in armis erant) prouincia euenit: eo anno Hernici deuicti: cum Volscis æquo marte discessum est. Sp. Cassius deinde & Proculus Virginius consules facti. cum Hernicis fœdus ictum. agri partes duæ ademtæ. inde dimidium Latinis, dimidium plebi diuisurus consul Classius erat, adiiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri à priuatis criminabatur. Id multos quidem patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum terrebat. sed & publica patribus solicitudo inerat, largitione consulem periculosas libertati opes struere. Tum primum lex agraria promulgata est, nunquam deinde vsque ad hanc memoriam sine maximis motib. rerum agitata. Consul alter largitioni resistebat auctorib. patribus, nec omni plebe aduersante: quæ primo cœperat fastidire munus vulgatum, à ciuibus isse in socios. sæpe deinde & Virginium consulem in concionibus velut vaticinantem audiebat, pestilens collegæ munus esse: agros illos seruitutum iis qui acceperint, laturos: regno viam fieri. quid ita enim assumi socios, & nomen Latinum? quid attinuisse, Hernicis paulo ante hostibus capti agri tertiam partem reddi? nisi vt hæ gentes pro Coriolano duce Cassium habeant? Popularis iam esse dissuasor, & intercessor legis agrariæ cœperat. vterque deinde certatim plebi indulgere. Virginius dicere, passurum se assignari agros, dum ne cui nisi ciui Romano assignentur. Cassius quia in agraria largitione ambitiosus in socios, eoque ciuibus vilior erat: vt alio munere sibi conciliaret ciuium animos, iubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id verò haud secus quam præsentem mercedem regni aspernata plebs: adeo propter suspicionem insitam regni, velut abundarent omnia, munera eius in animis hominum respuebantur quem, vbi primum magistratu abiit, damnatum, necatúmque constat. Sunt qui patrem auctorem eius supplicij ferant: eum cognita domi caussa verberasse, ac necasse: peculiúmque filij Cereri consecrauisse: signum inde factum esse, & inscriptum, Ex Cassia familia datum. Inuenio apud quosdam, idque propius fidem à quæstoribus Cæsone Fabio & L. Valerio diem dictam perduellionis: damnatúmque populi iudicio, dirutas publicè ædes. ea est area ante Telluris ædem. Cæterum siue illud domesticum, siue publicum fuit iudicium damnatur Ser. Cornelio, Q. Fabio consulibus. Haud diuturna ira populi in Cassium fuit, dulcedo agrariæ legis ipsa per se demto auctore subibat animos: accensaque ea cupiditas est malignitate patrum, qui deuictis eo anno Volscis Æquisque militem præda fraudauere. quicquid captum ex hostibus est vendidit Fabius consul, ac redegit in publicum. Inuisum erat Fabium nomen plebi propter nouissimum consulem: tenuere tamen patres, vt cum L. Æmilio Cæso Fabius consul crearetur: eo infestior facta plebs. seditio domestica bellum externum exciuit: bello deinde ciuiles discordiæ intermissæ. vno animo patres ac plebs rebellantes Volscos & Æquos duce Æmylio prospera pugna vicere. plus tamen hostium fuga, quam prælium absumsit. adeo pertinaciter fusos insecuti sunt equites. Castoris ædes eodem animo idib. Quintilib. dedicata est. vota erat Latino bello Posthumio dictatore, filius eius duumuir ad ipsum creatus dedicauit. Solicitati & eo anno sunt dulcedine agrariæ legis animi plebis. tribuni plebis popularem potestatem lege populari celebrabant. patres satis superque gratuiti furoris in multitudine credentes esse largitiones, temeritatisq; inuitamenta horrebant, acerrimi patribus duces ad resistendum consules fuere. ea igitur pars reipub. vicit. nec in præsens modo, sed in venientem etiam annum, Marcum Fabium Cæsonis fratrem, & magis inuisum alterum plebi accusatione Sp. Cassij, L. Valerium consulem dedit. Certatum eo quoque anno cum tribunis est. Vana lex vanique legis auctores iactando irritum munus, facti. Fabium inde nomen ingens post tres continuos consulatus, vnoque velut tenore omnes expertos tribunitiis certaminibus habitum. itaque vt bene locatus mansit in ea familia aliquamdiu honos. Bellum inde Veiens initum. & Volsci rebellarunt. sed ad bella externa prope supererant vires, abutebantúrque iis inter semetipsos certando. Accessere ad ægras iam omnium mentes prodigia cælestia, prope quotidianas in vrbe agrisq; ostentantia minas: motiq; ira numinis caussam nullam aliam vates canebant, publicè priuatimq; nunc

extis

extis nunc per aues consulti, quâ haud ritè sacra fieri A qui terrores tamé eo euasere, vt Opia virgo Vestalis damnata incesti pœnas dederit. Q. Fabius inde, & C Iulius consules facti. Eo anno non segnior discordia domi, & bellum foris atrocius fuit. Ab Æquis arma sumta. Veientes agrum quoque Romanorum populantes inierunt. quorum bellorum crescente cura, Cæso Fabius, & Sp. Furius consules fiunt. Ortonam Latinam vrbem Aequi oppugnabât. Veientes pleni iam populationum, Romam ipsam se oppu- B gnaturos minitabantur. qui terrores, cum compescere deberent, auxere insuper animos plebis: redibatque non sua sponte plebi mos detrectandi militiam, sed Sp. Licinius tribunus plebis venisse tempus ratus, per vltimá necessitatem legis agrariæ patribus iniungendæ, susceperat rem militarem impediendá. ceterum tota inuidia tribunitiæ potestatis versa in auctorem est: nec in eum consules acrius, quam ipsius eius collegæ coorti sunt auxilioque eorum delectum consules habent. Ad duo simul bella exerci- C tus scribitur: ducendus Fabio in Veientes, in Aequos Furio datur. & in Æquis quidé nihil dignú memoria gestú est. Fabio aliquátò plus negotij cú ciuib. fuit, quá cú hostibus fuit. vnus ille vir ipse consul remp. sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantú in se fuit, prodebat. nam cum consul præter cæteras imperatorias artes, quas parando gerendoque bello edidit plurimas, ita instruxisset aciem, vt solo equitatu emisso exercitum hostium funderet, insequi fusos pedes noluit, nec illos, & si non adhortatio inuisi D ducis, suum saltem flagitium, & publicum, in præsentia dedecus, postmodo periculum si animus hosti rediisset, cogere potuit gradum accelerare: haud si aliud nihil, instare instructos. iniussi signa referunt. mœstique, crederes victos, exsecrantes nunc imperatorem, nunc nauatam ab equite operam, redeunt in castra. Nec huic tam pestilenti exemplo remedia vlla ab imperatore quæsita sunt. Adeo excellentibus ingeniis citius defuerat ars, qua ciuem regant, quàm qua hostem superent. Consul Romam rediit, non E tam belli gloria aucta, quàm irritato exacerbatoque in se militum odio. Obtinuere tamen patres, vt in Fabia gente consulatus maneret. M. Fabium consulem creant. Fabio collega. Cn. Manlius datur. Et hic annus tribunum auctorem legis agrariæ habuit. Tib. Pontificius fuit, is eandem viam, velut processisset Sp. Licinio, ingressus, delectum paulisper impediit. Perturbatis iterum patribus App. Claudius victam tribunitiam potestatem dicere priore anno, in præsentia re ipsa, exemplo in perpetuum: quando F inuentum sit, suis ipsam viribus dissolui. Neq. enim vnquam defuturum, qui ex collega victoriam sibi, & gratiam melioris partis bono publico velit quæsitam & plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulú paratos fore, & vnum vel aduersus omnes satis esse, darent modo consules & primores patrum operam, vt si minus omnes, aliquos tamen ex tribunis reipub. ac senatui conciliarent. Præceptis Appij moniti patres, & vniuersi comiter ac benignè tribunos appellare: & consulares, vt cuique eorum priuatim aliquid iuris aduersus singulos erat, G partim gratia, partim auctoritate obtinuere, vt tribunitiæ potestatis vires salubres vellent reipublicæ esse: quatuorque tribunorum aduersus vnum moratorem publici commodi auxilio, delectum consules habent. Inde ad Veiens bellum profecti, quo vndique ex Hetruria auxilia conuenerant, non tam Veientium gratia concitata quàm quod in spem ventum erat discordia intestina dissolui rem Romanam posse. Principésque in omnium Hetruriæ populorum conciliis fremebant, æternas opes esse Romanas nisi inter semetipsos seditionibus sæuiát, id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia essent. diu sustentatum id malum partim patrum consiliis, partim patientia plebis, iam ad extrema venisse; duas ciuitates ex vna factas; suos cuique parti magistratus, suas leges esse, primum in delectibus sæuire solitos, eosdem in bello tamen paruisse ducibus: qualicunque vrbis statu manente disciplina militari sisti potuisse. iam non parendi magistratibus morem in castra quoque Romanum militem sequi proximo bello in ipsa acie, in ipso certamine consensu exercitus traditam vltro victoriam victis Aequis: signa deserta: imperatorem in acie relictum in iussu in castra reditum: profecto si instetur, suo milite vinci Romam posse, nihil aliud opus esse, quam indici ostendique bellum: cætera sua sponte fata & deos gesturos. Hæ spes Hetruscos armauerant, multis inuicem castibus victos victorésque. Coss. quoque Romani nihil præterea aliud quàm suas vires, sua arma horrebant: memoriaque pessimi proximo bello exempli terrebantur, ne rem committerent eo, vbi duæ simul acies timendæ essent. itaque castris se tenebant, tam ancipiti periculo auersi, diem tempúsque forsitan ipsum lenituram iras, sanitatémque animis allaturum. Veiens hostis Hetruscique eo magis præpropere agere lacessere ad pugná, primo obequitando castris prouocandoque postremo, vt nihil mouebant, qua consules ipsos, qua exercitum increpando, simulationem intestinæ discordiæ remedium timoris inuentum: & consules magis non confidere, quàm non credere suis militibus nouum seditionis genus, silentium, otiúmque inter armatos. ad hæc in nouitatem generis, originisque, qua falsa, qua vera iacere. Hæc cum sub ipso vallo portisque streperent, haud ægrè consules pati. at imperitiæ multitudini nunc indignatio, nunc pudor pectora versare, & ab intestinis auertere malis, nolle inultos hostes, nolle successum, non patribus non consulibus externa & domestica odia certare animis tandem superant externa, adeo superbè insolentérque hostis eludebat. frequentes in prætorium conueniunt, poscunt pugnam, postulant vt signum detur. Consules velut deliberabundi capita conferunt, diu colloquuntur, pugnare cupiebant, sed retro reuocanda & addenda cupiditas erat: vt aduersando remorandoque incitato semel militi aderent impetum. Redditur responsum, immaturam rem agi, nondum tempus pugnæ esse: castris se tenerent. educunt inde, vt abstineant pugna. si quis iniussu pugnauerit, vt in hostem animaduersures. ita demissis, quo minus consules velle credunt, crescit ardor pugnandi. accendunt insuper ferocius multo, vt statuisse non pugnare consules cognitum est. quippe impunè se insultaturos, non credi militi armarem ad vltimum seditionis erupturam, finémque venisse Romano imperio. His freti concursant portis, ingerunt probra, ægrè abstinent quin castra oppugnent. Enimuero non vltra contumeliam pati Romanos posse. totis castris vndique ad consules curritur, non iam sensim, vt antè, per centurionem Principes postulant, sed passim omnes clamoribus agunt. Matura res erat, tergiuersantur tamen, Fabius deinde ad crescentem tumultum iam metu seditionis collega concedente, cum silentium classico fecisset: Ego istos Cn. Manli posse vincere scio, velle ne scirem, ipsi fecerunt. itaq; certum atque decretú est non dare signum nisi victores se redituros ex hac pugna iurent consulé Romanú miles semel

in acie fefellit, deos numquã fallet. Centurio erat M. Flauoleius, inter primores pugnæ flagitator. A Victor inquit, M. Fabi reuertar ex acie: si fallat, Iouem patrem, Gradiuúmque Martem, aliosque iratos inuocat deos. Item deinceps omnis exercitus in se quisque iurat. Iuratis datur signum, arma capiunt, eunt in pugnam irarum speique pleni, nunc iubent Hetruscos probra iacere, nunc armati sibi quisque lingua promptum hostem offerri. Omnium illo die, qua plebis, qua patrum eximia virtus fuit, Fabium nomen, Fabia gens maximè enituit: multis ciuilibus B certaminibus infensos plebis animos illa pugna sibi reconciliare statuunt. instruitur acies. Nec Veiens hostis, Hetruscæque legiones detrectant. prope certa spes erat, non magis secũ pugnaturos, quã pugnauerint cum Æquis: maius quoque aliquod in tam irritatis animis, & occasione ancipiti, haud desperandum esse facinus. res aliter longè euenit. nam nõ alio antè bello infestior Romanus (adeo hinc contumeliis hostes, hinc consules mora exacerbauerat) prælium iniit. Vix explicandi ordinis spatium Hetruscis fuit, C cum pilis inter primam trepidationem abiectis temere magis quàm emissis, pugna iam ad manus, iam ad gladios, vbi Mars est atrocissimus, venerat. Inter primores genus Fabium insigne spectaculo exemploque ciuibus erat. ex his Q. Fabium (tertio hic anno antè consul fuerat) principem in confertos Veientes euntem, ferox viribus & armorũ arte Thuscus, incautum inter multas versantem hostium manus, gladio per pectus transfigit, telo extracto, princeps Fabius in vulnus obiit. Sensit vtraque acies vnius viri casum: cedebatque inde Roma- D nus: M. Fabius consul transiliit iacentis corpus, obiectaque parma: Hoc iurastis, inquit, milites: fugientes vos in castra redituros? adeo ignauissimos hostes magis timetis, quàm Iouem Martémque per quos iurastis? at ego iniuratus aut victor reuertar, aut propere hic Q. Fabi dimicans cadam. Consuli tum Cæso Fabius prioris anni consul, verbísne istis frater, vt pugnent, te impetraturum credis? Dij im- E petrabunt, per quos iurauere, & nos vt decet proceres, vt Fabio nomine est dignum, pugnando potius, quam adhortando, accendamus militum animos. Sic in primum infestis hastis prouolant duo Fabij, totamque mouerunt secum aciem. Prælio ex parte vna restituto, nihilo segnius in altero cornu Cn. Manlius consul pugnam ciebat: vbi prope similis fortuna est versata. nam vt altero in cornu Q. Fabium, sic in hoc ipsum consulem Manlium iam velut fusos agentem hostes, & impigrè milites secuti sunt: & vt ille graui vulnere ictus ex acie cessit, in- F terfectum rati, gradum retulere: cessissentque loco, ni consul alter cum aliquot turmis equitum in eam partem citato aduectus, viuere clamitans collegam se victorem fuso altero cornu adesse, rem inclinatã sustinuisset. Manlius quoq; ad restituendam aciem se ipse coram offert. duorum consulum cognita ora accendunt militum animos. simul & vanior iam erat hostium acies, dum abundante multitudine freti, subtracta subsidia mittunt ad castra oppugnanda. in quæ haud magno certamine impetu facto, dũ G prædæ magis quam pugnæ memores tererent tempus triarij Romani, qui primam irruptionem sustinere non poterant, missis ad consules nuntiis quo loco res essent, conglobati ad prætorium redeunt, & sua sponte prælium ipsi renouant: & Manlius consul reuectus in castra, ad omnes portas milite opposito hostibus viam clauserat. ea desperatio Thuscis rabiem magis quàm audaciam accendit. nam cum incursantes quacunque exitum ostenderet spes, vano aliquoties impetu irent: globus iuuenum vnus in ipsum consulẽ insignẽ armis inuadit. prima excepta à circunstantibus tela: sustineri deinde vis nequit. consul mortifero vulnere ictus cadit, fusique circa omnes. Thuscis crescit audacia. Romanos terror per tota castra trepidos agit. & ad extrema ventum foret, ni legati rapto consulis corpore, patefecissent vna porta hostibus viam. ea erumpunt, consternatoque agmine abeuntes in victorem alterum incidunt consulem. ibi iterum cæsi, fusique passim victoria egregiè parta, tristis tamen duob. tam claris funeribus. Itaq; consul decernente senatu triũphum, si exercitus sine imperatore triumphare posset, pro eximia eo bello opera facilè passurum respondit: se familia funesta Q. Fabij fratris morte, rep. ex parte orba consule amisso, publico priuatoque deformem luctu lauream non accepturum. Omni acto triumpho, depositus triumphus clarior fuit: adeo spreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit. Funera deinde duo deinceps collegę fratrísque ducit, idem in vtroque laudator, cum cõcedendo illis suas laudes, ipse maximam partem earum ferret. neque immemor eius quod initio consulatus imbiberat reconciliandi animos plebis, saucios milites curandos diuidit patrib. Fabiis plurimi dati, nec alibi maiore cura habiti, inde populares iã esse Fabij, nec hoc vlla nisi salubri reipub. arte. Igitur non patrum magis quàm plebiis studiis Cæso Fabius cum T. Virginio consul factus, neque bella, neque delectus, neque vllam aliam priorem curam agere, quàm vt iam aliqua ex parte incoata concordiæ spe, primo quoque tempore cum patribus coalescerent animi plebis. Itaque principio anni censuit priusquam quisquam agrariæ legis auctor tribunus existeret, occuparent patres ipsi suum munus facere: captiuum agrum plebi quam maximè æqualiter darent: æquum esse habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit. aspernati patres sunt: questi quoq; quidam, nimia gloria luxuriare & euanescere viuidum quondam illud Cęsonis ingeniũ. nullæ deinde vrbanæ factiones fuere. Vexabantur incursionibus Æquorum Latini. eo cum exercitu Cæso missus in ipsorum Æquorum agrum depopulandum transit. Æqui se in oppida receperunt, murisque se tenebant. eo nulla pugna memorabilis fuit. At à Veiente hoste clades accepta temeritate alterius cõsulis, actũmque de exercitu foret, ni Cæso Fabius in tempore subsidio venisset. Ex eo tempore neque pax neque bellum cum Veientib. fuit. res proximè formam latrocinij venerat. legionibus Romanis cedebant in vrbem: vbi abductas senserant legiones, agros incursabant, bellũ quiete, quietem bello inuicem eludentes: ita neque omitti tota res, neque perfici poterat. & alia bello aut præsentia instabant, vt ab Æquis Volscisque, non diutius, quã recens dolor proximæ cladis transisset, quiescentibus: aut mox moturos se apparebat Sabinos semper infestos, Hetruriamque omnem. Sed Veiens hostis assiduus magis quàm grauis, contumeliis sępius quam periculo animos agitabat: quod nullo tẽpore negligi poterat, aut auerti aliò sinebat. Tum Fabia gens senatum adit. consul pro gente loquitur. Assiduo magis quam magno præsidio, vt scitis patres cõscripti, bellum Veiens eget. vos alia bella curate: Fabios hostes Veientib. date. auctores sumus, tutam ibi maiestatem Romani nominis fore: nostrũ id nobis velut familiare bellum priuato sumptu gerere in animo est. respublica & milite illic, & pecunia vacet. Gratiæ ingentes actæ. Consul è Curia egressus, comitante Fabiorum agmine, qui in vestibulo

buio curiæ senatusconsultum expectâtes steterant, domum rediit. iussu armati postero die ad limen consulis adesse, domos inde discedunt. Manat tota urbe rumor: Fabios ad cœlum laudibus ferunt: familiam vnam subiisse ciuitatis onus: Veiens bellum in priuatam curam, in priuata arma versum. si sint duæ roboris eiusdem in vrbe gentes, deposcant, hæc Volscos sibi, illa Æquos: populo Romano tráquillá pacé agente, omnes finitimos subigi populos posse. Fabij postera die arma capiunt: quò iussi erant, conueniût. Consul paludatus egrediens in vestibulo gentem omnem suam instructo agmine videt: acceptus in medium signa ferri iubet: nunquam exercitus neque minor numero, neque clarior fama & admiratione hominû per vrbé incessit. Sex & CCC. milites, omnes patricij, omnes vnius gentis, quorum neminem ducem sperneret, egregius quibuslibet temporibus senatus, ibant vnius familiæ viribus Veienti populo pestem minitantes. sequebatur turba, propria alia cognatorum sodaliumque, nihil medium, nec spem, nec curam, sed immensa omnia voluentium animo: alia publica solicitudine excitata, fauore & admiratione stupens. ire fortes, ire felices iubent: inceptis euentus pares reddere: cōsulatus inde ac triumphos, omnia præmia abs se, omnes honores sperare. Prætereuntibus Capitolium arcémque & alia templa, quicquid deorum oculis, quicquid animo occurrit, precantur, vt illud agmen faustum atque felix mittant: sospites breui in patriam ad parentes restituant. Incassum missæ preces, infelici via à dextro Iano portæ Carmentalis profecti, ad Cremeram flumen perueniunt. is opportunus visus locus communiendo præsidio. L. Æmilius inde, & C. Seruilius COSS. facti, & donec nihil aliud quàm in populationibus res fuit: non ad præsidium modo tutandum Fabij satis erant, sed tota regione, qua Thuscus ager Romano adiacet, sua tuta omnia, infesta hostium, vagâtes per vtrunque finem fecere. Interuallum deinde haud magnum populationibus fuit: dum & Veientes accito ex Hetruria exercitu, præsidium Cremeræ oppugnant: & Romanæ legiones ab L. Æmilio COS. adductæ, cominus cum Hetruscis dimicant acie. quanquam vix dirigendi aciem spatium Veientibus fuit, adeo inter primam trepidationem, dum post signa ordines introeunt, subsidiáque locant, inuecta subito ab latere Romana equitum ala, non pugnæ modo incipiendæ, sed consistendi ademit locum ita. fusi retro ad saxa Rubra (ibi castra habebant) pacem supplices petunt. cuius impetratæ ab insita animis leuitate ante deductû Cremerâ Romanû præsidium pœnituit. Rursus cû Fabiis erat Veienti populo sine vllo maioris belli apparatu certamé. nec erant incursiones modo in agros, aut subiti impetus incursâtiû, sed aliquoties æquo câpo, collatísque signis certatû: génsque vna populi Rom. sæpe ex opulentissima, vt tum res erant, Hetrusca ciuitate victoriam tulit. Id primo acerbum, indignumque Veientibus visum: inde consilium ex re natum, insidiis ferocem hostem captandi. gaudere etiam multo successu Fabiis audaciam crescere. itaque & pecora prædantibus aliquoties, velut casu incidissent, obuiam acta: & agrestium fuga vasti relicti agri: & subsidia armatorum ad arcendas populationes missa, sæpius simulato quàm vero pauore refugerunt. Iámque Fabij adeo contempserant hostem, vt sua inuicta arma neque loco, neque tempore vllo crederent sustineri posse. hæc spes adeo prouexit; vt ad conspecta procul à Cremera magno campi interuallo pecora, quanquam rara hostium apparebant arma, decurrerent. & cum improuidi effuso cursu insidias circa ipsum

A iter locatas superassent, palatique passim vaga (vt fit) pauore iniecto raperent pecora, subito ex insidiis consurgitur & aduersi, & vndique hostes erant. primo clamor circumlatus exterruit, dein tela ab omni parte accidebát. coeuntibúsque Hetruscis, iá cōtinéti agmine armatorum septi, quo magis se hostis inferebat, cogebantur breuiore spatio & ipsi orbem colligere, quæ res & paucitaté eorû insigné, & multitudinem Hetruscorum, multiplicatis in arcto ordinibus, faciebat. tum omissa pugna, quàm in omnes par-
B tes paré intenderant, in vnum locum se omnes inclinant. eo nixi corporibus armísque rupere cuneo viá. duxit via in editum leniter collem. inde primo restitere: mox vt respirandi superior locus spatium dedit, recipiendíque à pauore tanto animum, pepulere etiá subeuntes: vincebátq; auxilio loci paucitas, ni iugo circummissus Veiens, in verticem collis euasisset. ita superior rursus hostis factus: Fabij cæsi ad vnum omnes, præsidiûmque expugnatû. CCCVI. periisse satis cōuenit: vnû prope puberé ætate relictû, stirpem gen-
C ti Fabiæ, dubiisque rebus populi Romani sæpe domi belliqu vel maximû futurû auxiliû. Cûm hæc accepta clades esset, iam C. Horat. & T. Menenius Coss. erant. Menenius aduersus Thuscos victoria elatos confestim missus. tum quoque male pugnatum est. & Ianiculum hostes occupauere: obsessáque vrbs foret, super bellum annona premente, (transierant enim Hetrusci Tyberim) ni Horatius Cos. ex Volscis esset reuocatus, adeoque id bellum ipsis institit mœnibus, vt primo pugnatum ad Spei sit æquo marte, iterum
D ad portá Collinâ. ibi quanquam paruo momento superior Romana res fuit, meliorem tamen militem recepto pristino animo in futura prælia id certamen fecit. A. Virginius & Sp. Seruilius Coss. fiunt. post acceptam proximam pugnæ clade Veientes abstinuere acie, populationes erant, & velut ab arce Ianiculi passim in Romanum agrum impetus dabant. non vsquam pecora tuta, non agrestes erant. capti deinde eadem arte sunt, qua ceperant Fabios. Secuti dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora præci-
E pitauere in insidias. quo plures erant, maior cædes fuit. ex hac clade atrox ira maioris cladis caussa atque initium fuit. traiecto enim nocte Tyberi, castra Seruilij Cos. adorti sunt oppugnare. inde fusi magna cæde, in Ianiculum se ægré receperunt. Confestim consul & ipse transit Tyberim, castra sub Ianiculo communit. postero die luce orta, nonnihil & hesterna felicitate pugnæ ferox: magis tamen, quod inopia frumenti, quamuis in præcipitia, dum celeriora essent, agebat consilia: temere aduersus Ianicu-
F lo ad castra hostium aciem erexit, fœdiúsque inde pulsus, quàm pridie pepulerat, interuentu collegæ ipse exercitúsque est seruatus. inter duas acies Hetrusci, cum inuicem his atque illis terga darent, occidione occisi. Ita oppressum temeritate felici Veiens bellum. Vrbi cum pace laxior etiá annona rediit, & aduecto ex Campania frumento, & postquam timor sibi cuique futuræ inopiæ abiit, eo quod abditum fuerat, prolato. Ex copia deinde otioque lasciuire rursus animi: & pristina mala, postquàm foris deerát,
G domi quærere. tribuni plebem agitare suo veneno, agraria lege: in resistentes incitare patres, nec in vniuersos modo, sed in singulos. Q. Considius & T. Genutius auctores agrariæ legis T. Menenio diem dicunt. inuidiæ erat amissum Cremeræ præsidium, cum haud procul inde statiua consul habuisset. eam oppressit. cû & patres haud minûs quá pro Coriolano annixi essent, & patris Agrippæ fauor haud dum exoleuisset. In mulcta téperarût tribuni: cû capitis inquisissent, duo millia æris damnato mulctá edixerût. ea

in caput vertit. negant tulisse ignominiá ægritudinémq; inde morbo absumtú esse. Alius deinde reus Sp. Seruilius vt consulatu abiit, C. Nautio & P. Valerio Coss. initio statim anni ab L. Ceditio & T. Statio tribunis die dicta, non vt Menenius precibus suis aut patrum, sed cum multa fiducia innocentiæ gratiæque tribunitios impetus tulit. & huic prælium cum Thuscis ad Ianiculum erat crimini. sed feruidi animi vir, vt in publico periculo antè, sic cum suo, non tribunos modò, sed plebem oratione feroci refutando, exprobrandoque T. Menenij damnationé mortémque (cuius patris munere restituta quondam plebs, eos ipsos quibus tum sæuiret magistratus, eas leges haberet) periculum audacia discussit. iuuit & Virginius collega testis productus, participádo laudes: magis tamen Menenianum (adeo mutauerant animum) profuit iudicium. Certamine domi finito, Veiés bellum exortum, quibus Sabini arma coniunxerant. P. Valerius Cos. accitis Latinorum Hernicorum auxiliis, cum exercitu Veios missus, castra Sabina, quę pro mœnibus sociorum locata erant, confestim aggreditur, tantámque trepidationem iniecit, vt dum dispersi alij alia manipulatim excurrunt ad arcendam hostium vim, ea porta cui signa primùm intulerat, caperetur. intra vallum deinde cædes magis quàm prælium esse. tumulus è castris & in vrbem penetrat, tanquam Veiis captis. ita pauidi Veientes ad arma currunt. Pars Sabinis eunt subsidio pars Romanos toto impetu intentos in castra, adoriuntur. paulisper auersi turbatíque sunt. deinde & ipsi vtroque versis signis resistunt, & eques ab consule immissus Thuscos fundit, fugátque, eademque hora duo exercitus, duæque potentissimæ & maximæ finitimæ gétes superatæ sunt. Dum hæc ad Veios geruntur, Volsci Æquique in Latino agro posuerant castra, populatique fines erát. eos per se ipsi Latini, assumptis Hernicis, sine Romano aut duce auxilio castris exuerunt. ingenti præda præter suas recuperatas res potiti sunt, missus tamen ab Roma consul in Volscos C. Nautius, mos credo nó placebat, sine Romano duce exercitúque socios propriis viribus consiliisque bella gerere, nullum genus calamitatis contumeliæque non editum in Volscos est: neç tamen perpelli potuere, vt acie dimicarent. L. Furius inde & C. Manlius Coss. Manlio Veientes prouincia euenit. non tamen bellatum. induciæ in annos XL. petentibus datæ frumento stipendioque imperato. Paci externæ confestim continuatur discordia domi. agrariæ legis tribunitiis stimulis plebs furebat. consules nihil Menenij damnatione, nihil periculo deterriti Seruilij, summa vi resistunt. abeuntes magistratu cósules Genutius Trib. plebis arripuit. L. Æmylius & Opiter Virginius consulatum ineunt. Vopiscum Iulium pro Virginio in quibusdam annalibus consulem inuenio. Hoc anno, quoscunque consules habuit, rei ad populum Furius & Manlius circumeunt sordidati, non plebem magis, quàm iuniores patrum. suadét, monéntque, honoribus & administratione reipub. abstineant, consulares verò fasces, prætextam curulémque sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent. claris insignibus velut infulis velatos ad mortem destinari. quod si consulatus tanta dulcedo sit, nunc iam ita animum inducát, consulatum captum & oppressum ab tribunitia potestate esse. consuli velut apparitori tribunitio omnia ad nutú imperiúmque tribuni agenda esse, si se commouerit, si respexerit patres, si aliud quàm plebem esse in repub. crediderit: exsilium Cn. Martij, Menenij damnationem & mortem sibi proponat ante oculos. His accensi vocibus patres, consilia inde non publica, sed in priuato, seductáque à plurium conscientia habuere. vbi cùm id modo constaret iure an iniuria eripiendos esse reos, atrocissima quæque maximè placebat sententia: nec auctor quamuis audaci facinori deerat. Igitur iudicij die cum plebs in foro erecta exspectatione staret, mirari primo quod non descenderet tribunus: deinde cum iam mora suspectior fieret, deterritum à primoribus credere, & desertam ac proditam caussam publicá queri. tandé qui obseruatiue stibulo tribuni fuerant, nuntiant domi mortuum esse inuentum. quod vbi in totam concionem pertulit rumor, sicut acies funditur duce occiso, ita dilapsi passim alij aliò. præcipuus pauor tribunos inuaserat, quàm nihil auxilij sacratæ leges haberent, morte collegæ monitos. Nec patres satis moderatè ferre lætitiam. adeoque neminé noxiæ pœnitebat, vt etiá insontes fecisse videri vellent: palámque ferrent, malo domandam tribunitiam potestatem. Sub hac pessimi exempli victoria delectus edicitur, pauentibúsque tribunis sine intercessione vlla consules ré peragunt. Tum verò irasci plebs tribunorum magis silentio, quàm consulum imperio: & dicere, actum esse de libertate sua: rursus an antiqua reditum, cum Genutio vna mortuam ac sepultá tribunitiá potestaté: aliud agendum ac cogitandum, quo modo resistatur patribus. id autem vnú consiliú esse, vt se ipsa plebs, quando aliud nihil auxilij habeat, defendat. quatuor & viginti lictores apparere consulibus. & eos ipsos plebis homines, nihil contemptius neq. infirmius, si sint qui contemnant, sibi quenque ea magna atque horréda facere. His vocibus alij alios cùm incitassent, ad Voleronem Publium de plebe hominé, quia quòd ordines duxisset, negaret se militem fieri debere, lictor missus est à consulibus. Volero appellat tribunos. cum auxilio nemo esset, consules spoliari hominem, & virgas expediri iubét. Prouoco, inquit, ad populum, Volero, quoniá tribuni ciué Romanum in conspectu suo virgis cædi malút, quá ipsi in lecto suo à vobis trucidari, quo ferocius clamitabat, eo infestius circunscindere & spoliare lictor. Tú Volero & præualens ipse, & adiuuantibus aduocatis repulso lictore, vbi indignátiú pro se acerrimus erat clamor, eo se in turbá cófertissimę recipit, clamitans: Prouoco & fidé plebis imploro, adeste ciues, adeste commilitones, nihil est quod exspectetis tribunos, quibus ipsis vestro auxilio opus est. Concitati homines veluti ad prælium se expediunt: apparebatque omne discrimé adesse, nihil cuiquá sanctú non publici fore, non priuati iuris. Huic tátę tempestati cùm se cósules obtulissent facilè. experti sunt parú tutá maiestaté sine viribus esse, violatis lictoribus, fascibus fractis, è foro in curiá cópellútur, incerti quatenus Volero exerceret victoriá. Conticescéte deinde tumultu, cú senatú vocari iussissent: queruntur iniurias suas, vim plebis, Voleronis audaciam. Multis ferociter dictis sentétiis, vicere seniores, quib. ira patrum aduersus temeritaté plebis certari nó placuit. Voleronem amplexa fauore plebs, proximis comitiis tribunum plebis creat in eum annum, qui L. Pinariú, P. Furium Coss. habuit. cótraq; omniú opinioné, qui eú vexádis prioris anni cósulibus administraturú tribunatú credebát, post publicá causá priuato dolore habito, ne verbo quidem violatis cósulibus rogationé tulit ad populum, vt plebeij magistratus tributis comitiis fierent. Haud parua res sub titulo prima specie minimè atroci ferebatur, sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret. Huic actioni gratissimæ plebi cú summa vi resisterent patres: nec quæ vna vis ad resistendum

stendum

ferendum erat, vbi intercederet aliquis ex collegio A auctoritate, aut cõsilium aut principum addici posset: et tamen suo ipsa molimine grauis, magnis certaminibus in annum extrahitur. Plebs Voleronem tribunum reficit. Patres ad vltimum dimicationis ratí rem venturam, Ap. Claudium Appij filium, iam inde à paternis certaminibus inuisum, infestumq; plebi, consulẽ faciunt, collega ei T. Quintius datur. Principio statim anni nihil prius quàm de lege agebatur: sed vt inuentor legis Volero, sic Lectorius collega eius auctor cum recentior tum acrior erat, ferocem B faciebat belli gloria ingẽs, quod ætatis eius haud quisquam manu promtior erat. is cùm Volero nihil, præterquam de lege loqueretur, insectatione abstinẽs Cos. ipse in accusationem Appij familiæque superbissimæ ac crudelissimæ in plebem Rom. exorsus, cum à patribus, non Cos. sed carnificem ad vexandam & lacerandam plebem creatum esse contenderet, rudis in militari homine lingua non suppetebat libertati animoque, itaque deficiente oratione: Quandoquidem non tam facile loquor, in- C quit, Quirites, quàm quòd locutus sum, præsto, crastino die adeste. ego hic aut in conspectu vestro moriar, aut perferam legem. Occupant tribuni templum postero die, consules, nobilitasque ad impediendam legem in concione consistunt. summoueri Lectorius iubet, præterquam qui suffragium ineant. adolescentes nobiles stabant, nihil cedentes viatori. tum ex his prehendi quosdam Lectorius iubet. Consul Appius negare ius esse tribuno in quen- D quam, nisi in plebeium: non enim populi, sed plebis eum magistratum esse: nec illum ipsum summouere pro imperio posse more maiorum, quia ita dicatur: Si vobis videtur, discedite Quirites. Facile & cõtemtim de iure disserendo perturbare Lectorium poterat. Ardens igitur ira tribunus viatorem mittit ad consulem. consul lictorem ad tribunum, priuatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu. violatúsque esset tribunus, ni & concio omnis atrox coorta pro tribuno in consulem esset & concursus homi- E num in forum ex tota vrbe concitatæ multitudinis fieret. sustinebat tamen Appius pertinacia tantam tempestatem: certatúmque haud incruento prælio foret, ni Quintius Cos. alter consularibus negotio dato, vt collegam vi, si aliter non possent, de foro abducerent: ipse nunc plebem sæuientem precibus leniisset: nunc orasset tribunos, vt concilium dimitterent: darent iræ spatium: non vim suam illis tempus ademturum, sed consilium viribus additurum: & patres in populi, & consulem in patrum fore pote- F state. Ægre sedata ab Quintio plebs, multo ægrius consul alter à patribus. Dimisso tandem concilio plebis, senatum consules habent: vbi cum timor, atque ira inuicem sententias variassent, quo magis spatio interposito ab impetu ad consultandum aduocabantur, eo plus abhorrebant à certatione animi: adeo vt Quintio gratias agerent, quod eius opera mitigata discordia esset. Ab Appio petitur, vt tantam consularem maiestatem esse vellet, quanta in concordi ciuitate esse posset. dum tribuni con- G sulésque ad se quisque omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio, distractam laceratámque rempub. per magistratus, magis quorum in manu sit, quàm vt incolumis sit, quæri. Appius contrà testari deos atque homines, rempub. prodi per metum ac deseri: non consulem senatui, sed senatum consuli deesse: grauiores accipi leges, quàm in Sacro monte acceptæ sint. victus tamen patrum consensu quieuit. lex silentio perfertur. Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt. numero etiam

additos trés, perinde ac duo ante fuerint, Piso auctor est. nominat quoque tribunos, Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Mecilium. Volsci bellum Æquique inter seditionem Romanam & bellum coortum vastarant agros, vt si qua secessio plebis fieret, ad se receptum haberent. compositis deinde rebus, castra retro mouere. Ap. Claudius in Volscos missus. Quintio Æqui prouincia euenit. Eadem in militia sæuitia Appij, quæ domi esse, eo liberior, quòd sine tribunitiis vinculis erat. odisse plebem plus quàm paterno odio. quod se victum videbat ab ea, se vnico consule obiecto aduersus tribunitiam potestatem, perlatam legem esse, quàm minore conatu, nequaquam tanta patrum spe priores impediuerant consules. Hæc ira indignatioque ferocem animum ad vexandum sæuo imperio exercitum stimulabat, nec vlla vi domari poterat, tantum certamen animis imbiberant, segniter, otiosè, negligenter, contumaciter omnia agere: nec pudor nec metus coercebat. si citiùs agi vellet agmen, tardius sedulo incedere. si adhortator operis adesset, omnes sua sponte motam remittere industriam. præsenti vultus demittere, tacite prætereuntem exsecrari: vt inuictus ille odio plebeio animus interdum moueretur, omni nequicquam acerbitate promta. nihil iam cum militibus ageret, à centurionibus corruptũ exercitum diceret: tribunos plebeios, cauillans interdum & Volerones vocaret. Nihil eorum Volsci nesciebant: instabántque eo magis, sperantes idem certamen animorum aduersus Appium habiturum exercitum Romanum, quod aduersus Fabium Cos. habuisset. ceterum multo Appio quàm Fabio violentior fuit: non enim vincere tantum noluit, vt Fabianus exercitus, sed vinci voluit. productus in aciem, turpi fuga petit castra: nec ante restitit, quàm signa inferentem Volscum munimentis vidit, fœdamque extremi agminis cædem. tum expressa vis ad pugnandum, vt victor iam à vallo summoueretur hostis: satis tamen appareret, capi tantum castra militem Romanum noluisse: alij gaudere sua clade atque ignominia. Quibus nihil infractus ferox Appij animus, cum insuper sæuire vellet, concionémque aduocaret, concurrunt ad eum legati tribunique monentes, ne vtique experiri vellet imperium, cuius vis omnis in consensu obedientium esset. negare vulgo milites se ad concionem ituros, passimque exaudiri voces postulantium, vt castra ex Volsco agro moueantur: hostem victorem paulo antè prope in portis ac vallo fuisse, ingentisque mali non suspicionem modo, sed apertam speciem obuersari ante oculos. Victus tandem (quandoquidem nihil præter tempus rixæ lucrarentur) remissa concione iter in sequentem diem pronuntiari cum iussisset, prima luce classico signum profectionis dedit. Cùm maximè agmen è castris explicaretur, Volsci vt eodem signo excitati, nouissimos adoriuntur, à quibus perlatus ad primos tumultus, eo pauore signáque & ordines turbauit, vt neque imperia exaudiri, neque instrui acies possent, nemo vllius nisi fugæ memor, ita effuso agmine per stragem corporum armorúmque euasere, vt prius hostis desisteret sequi, quàm Romanus fugere. Tandem collectis ex dissipato cursu militibus consul cum reuocando nequicquam suos persecutus esset, in pacato agro castra posuit. ad uocatáque concione inuectus haud falso in proditorem exercitũ militaris disciplinæ desertorẽ signorũ. vbi signa, vbi arma essent singulos rogitans, inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones duplicariosque qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit. cetera multitudo sorte decimus quisq; ad supplicium

lecti. Contra ea in Æquis inter consulem ac militem comitate ac beneficiis certatum est. & natura Quintius erat lenior, & sæuitia infelix collegæ, quo is magis gauderet ingenio suo, effecerat. Huic tantæ concordiæ ducis exercitusque non ausi auferre se Æqui, vagari populabundum hostem per agros passi. nec vllo antè bello latius inde actæ prædæ. ea omnis militi data est, addebantur & laudes, quibus haud minus quàm præmio gaudent militum animi. Cùm duci, tum propter ducem patribus quoque placatior exercitus rediit: sibi parentem, alteri exercitui dominum datum ab senatu memorans. varia fortuna belli, atroci discordia domi forisque annum exactum, insignem maximè comitia tributa efficiunt: res maior victoria suscepti certaminis quàm vsu, plus enim dignitatis comitiis ipsis detractum est patribus ex concilio summouendis, quàm virium aut plebi additum, aut demptum patribus. Turbulentior inde annus excepit, L. Valerio, T. Æmylio Coss. tum propter certamina ordinum de lege agraria, tum propter iudicium Ap. Claudij, cui acerrimo aduersario legis, caussamque possessorum publici agri tanquam tertio consuli sustinenti, M. Duellius & Cn. Siccius diem dixere. Nunquam ante tam inuisus plebi reus ad iudiciũ vocatus populi est plenus, suarum, plenus paternarum irarum. Patres quoque non temere pro vllo æque annixi sunt; propugnatorem senatus majestatisque vindicem suæ ad omnes tribunitios plebiosque oppositũ tumultus, modum duntaxat in certamine egressum, obiici iratæ plebi. Vnus è patribus ipse Ap. Claudius & tribunos & plebem & suum iudicium pro nihilo habebat. Illũ non minæ plebis, non senatus preces perpellere vnquam potuere, non modò vt vestem mutaret, aut supplex prensaret homines, sed ne vt ex consueta quidem asperitate orationis, cùm ad populum agẽda caussa esset, aliquid leniret: idem habitus oris, eadem contumacia in vultu, idem in oratione spiritus: adeo vt magna pars plebis Appium non minus reum timeret, quàm cõsulẽ timuerat. Semel caussam dixit, quo sẽper agere omnia solitus erat, accusatorio spiritu: adeoque constantia sua & tribunos obstupefecit, & plebem, vt diem, ipsi sua voluntate producerent: trahi deinde rem finerent, haud ita multum interim tẽporis fuit: antè tamen quàm prædicta dies veniret, morbo moritur, cuius laudationẽ cùm tribuni plebis impedire conatẽtur, plebs fraudari solemni honore supremũ diem tanti viri noluit: & laudationẽ tam æquis auribus mortui audiuit, quàm viui accusationem audierat & exsequias frequens celebrauit. Eodẽ anno Valerius COS. cum exercitu in Æquos profectus, cum hostem adprælium elicere non posset, castra oppugnare est adortus. prohibuit fœda tempestas, cum grandine ac tonitribus cælo deiecta. admirationem deinde auxit, signo receptui dato, adeo tranquilla serenitas reddita, vt velut numine aliquo defensa castra oppugnare iterum religio fuerit. omnis ira belli ad populationem agri vertit. Alter consul Æmylius in Sabinis bellum gessit. & ibi, quia hostis mœnibus se tenebat, vastati agri sunt. Incendiis deinde non villarum modo, sed etiam vicorum, quibus frequenter habitabatur, Sabini exciti cum prædatoribus occurrissent, ancipiti prælio digressi, postero die retulere castra in tutiora loca. id satis consuli visum, cur pro victo relinqueret hostem, integro inde decedens bello. Inter hæc bella manente discordia domi, T. Numitius Priscus, A. Virginius Coss. facti. Non vltra videbatur latura plebs dilationem agrariæ legis, vltimaque vis parabatur, cum Volscos adesse, fumo

A ex incendiis villarum, fugaque agrestium cognitum est, ea res maturam iam seditionem ac prope erumpentem repressit. consules coacti extemplo ab senatu ad bellum, educta ex vrbe iuuentute, tranquilliorem ceteram plebem fecerunt. Et hostes quidem nihil aliud quàm perfusis vano timore Romanis, citato agmine abeunt. Numitius Antium aduersus Volscos, Virginius contra Æquos profectus. ibi ex insidiis prope magna accepta clade, virtus militum rem prolapsam negligentia consulis restituit. Melius in Volscis imperatum est. fusi B primo prælio hostes, fugaque in vrbem Antium, vt tum res erant, opulentissimam, acti. quam consul oppugnare non ausus, Cenonem aliud oppidum nequaquam tam opulentum ab Antiatibus cepit. Dum Æqui Volscique Romanos exercitus tenent, Sabini vsque ad portas vrbis populantes incessere. deinde ipsi paucis post diebus à duobus exercitibus, vtroque per iram consule ingresso in fines. plus cladium quàm intulerant, acceperunt. Extremo C anno pacis aliquid fuit: sed, vt semper alias, sollicitæ certamine patrum & plebis. Irata plebs interesse consularibus comitiis noluit: per patres clientésque patrum consules creati, T. Quintius, & Q. Seruilius similem annum priori consules habent, seditiosa initia, bello deinde externo tranquilla. Sabini Crustuminos campos citato agmine transgressi, cum cædes & incendium circum Anienem flumen fecissent, à porta prope Collina mœnibúsque pulsi, ingentes tamen prædas hominum peco- D rúmque egere. quos Seruilius Cos. infesto exercitu insecutus, ipsum quidem agmen adipisci [illegible] locis non potuit: populationem adeo effusè fecit, vt nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta præda rediret. Et in Volscis res egregiè gesta, tum ducis, tum militum opera. Primum æquo campo signis collatis pugnatum, ingenti cæde vtrinque plurimo sanguine. Et Romani, quia paucitas damno sentiendo propior erat, gradum retulissent, ni salubri mendacio consul fugere hostes ab cornu altero clamitans, concitasset aciem. impetu facto, dum E se putant vincere, vicere. Consul metuens ne nimis instando renouaret certamen, signum receptui dedit. Intercessere pauci dies, velut tacitis induciis vtrinque quietè sumta: per quos ingens vis hominum ex omnibus Volscis Æquisque populis in castra venit, haud dubitans, si senserint, Romanos nocte abituros. itaque tertia ferè vigilia ad castra oppugnanda veniunt. Quintius sedato tumultu, quem terror subitus exciuerat, cùm manere in tentoriis quietum militẽ iussisset, Hernicorum cohortem in stationem F educit: cornicines tubicinésque in equos impositos canere ante vallum iubet, solicitúmque hostem ad lucem tenere. reliquum noctis adeo tranquilla omnia in castris fuere, vt somni quoque Romanis copia esset. Volscos species armatorum peditum, quos & plures esse, & Romanos putabant: fremitus hinnitúsque equorum, qui & insueto sedente equite, & insuper aures agitante sonitu, sæuiebant, intentos velut ad impetum hostium tenuit. Vbi illuxit, Ro- G manus integer, satiatúsque somno, productus in aciem, fessum stando & vigiliis Volscum primo impetu perculit, quanquam cessere magis, quàm pulsi hostes sunt: quia ab tergo erant cliui, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. Consul vbi ad iniquum locum ventum est, sistit aciem. miles ægre teneri, clamare & poscere, vt perculsis instare liceat. Ferocius agunt, equites circũfusi ducib. vociferãtur se ante signa ituros. Dum cunctatur consul virtute militum fretus, loco parum fidens: conclamant

se ituros,clamorémq.res est secuta.fixis in terrã pilis, quo leuiores in ardua euaderẽt,cursu subeũt. Volsci effusis ad primũ impetũ missilib. telis, saxa obiacentia pedibus ingerũt:in subeuntes turbatosque ictibus crebris vrget ex superiore loco. Sic prope oneratum est sinistrum Romanis cornu, ni referentibus iam gradum, consul increpando simul temeritatem, simul ignauiam, pudore metum excussisset. restitere primo obstinatis animis. deinde vt in obtinentes locum vires ferebant, audent vltro gradum inferre, & clamore renouato commouent aciem. rursus impetu capto enituntur,atque exsuperant iniquitatem loci,iam prope erat vt in summum cliui iugum euaderent,cum terga hostes dedere:effusoque cursu, pene agmine vno fugientes, sequentésque castris incidere. in eo pauore castra capiuntur. qui Volscorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium & Romanus exercitus ductus. paucos circumsessum dies deditur,nulla oppugnantium noua vi, sed quod iam inde ab infelici pugna,castrisque amissis, ceciderant animi.

DECADIS PRIMAE LIBER III.

NTIO capto T. Aemylius & Q. Fabius Coss. fiunt, hic erat Fabius, qui vnus exstinctæ ad Cremeram gẽti superfuerat. Iam priore consulatu Aemylius dandi agri plebi fuerat auctor.itaque secundo quoque consulatu eius & agrarij se in spem legis erexerant:& tribuni rem contra consules sæpe tentatam, adiutore vtique consule obtineri posse rati,suscipiunt: & consul manebat in sententia sua possessores, & magna pars patrum tribunitiis se iactare actionibus principẽ ciuitatis,& largiendo de alieno popularẽ fieri quærentes,totius inuidiam rei à tribunis in consulem auerterant.atrox certamen aderat,ni Fabius consilio neutri parti acerbo rem expedisset.T. Quintij ductu & auspicio agri capti priore anno aliquantum à Volscis esse,Antium propinquam, opportunam & maritimam vrbem coloniam deduci posse: ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram,ciuitatem in concordia fore.Hæc sententia accepta est. Triumuiros agro dando creat. T. Quintium, A. Virginium, P. Furium. iussi nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit statim (vt fit) fastidium copia:adeoque pauci nomina dedere, vt ad explendum numerum coloni Volsci adderentur:cætera multitudo poscere Romæ agrum malle, quam alibi accipere. Aequi à Q. Fabio (is eo cum exercitu venerat) pacem petiere, irritámque eam ipsi subita incursione in agrum Latinum fecere. Q. Seruilius insequenti anno (is enim cũ Sp. Posthumio Coss. fuit) in Aequos missus, in Latino agro statiua habuit. intra castra quies necessaria morbo implicitum exercitum tenuit. Extractum in tertium annum bellum est, Q. Fabio & T. Quintio Coss. Fabio extra ordinem, quia is victor pacem Aequis dederat,ea prouincia data. Qui haud dubia spe profectus famam nominis sui pacaturam Aequos legatos in concilium gentis missos nuntiare iussit: Q. Fabium Cos. dicere, se ex Aequis pacem Romam tulisse, ab Roma Aequis bellum afferre,eadem dextra armata, quam pacatam illis antea dederat, quorum id perfidia & periurio fiat deos nunc testes esse, mox fore vltores: se tamen, vtcun-A que sit, etiam nunc pœnitere sua sponte Aequos, quam pati hostilia, malle. si pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore:sin periurio gaudeant,diis magis iratis, quàm hostibus gesturos bellum.Hæc dicta adeo nihil mouerunt quenquam, vt legati prope violati sint, exercitusque in Algidum aduersus Romanos missus. Quæ vbi Romam sunt nuntiata, indignitas rei magis quàm periculum consulem alterum ab vrbe exciuit. ita duo consulares B exercitus ad hostem accessere,acie instructa,vt confestim dimicaret.sed cùm forte haud multum diei superesset vnus ab statione hostium exclamat: Ostentare hoc est Romani, non gerere bellum. in noctem imminentem aciem instruitis. longiore luce ad id certamen quod instat, nobis opus est. crastino die oriente sole redite in aciem : erit copia pugnandi, ne timete. His vocibus irritatus miles, in diem posterum in castra reducitur, longam venire noctem ratus, quæ moram certamini faceret. tum quidem corpora cibo somnoque curant. vbi illuxit postero C die,prior aliquanto constitit Romana acies, tandem & Aequi processere.prælium fuit vtrinque vehemens quod & Romanus miles ira odioque pugnabat: & Aequos conscientia contracti culpa periculi, & desperatio futuræ sibi postea fidei vltima audere,& experiri cogebat. Non tamen sustinuere aciem Romanam Aequi, pulsique, cum in fines suos se recepissent,nihilo inclinatioribus ad pacem animis ferox multitudo increpare duces, quod in aciem, qua pugnandi arte Romanos excellat,cõmissa res sit. Ae- D quos populationib. incursionibusq. meliores esse: & multas passim manus, quàm magnam molem vnius exercitus, rectius bella gerere. Relicto itaque castris præsidio, egressi tanto cum tumultu inuasere fines Romanos,vt ad vrbem quoque terrorem pertulerint. nec opinata etiam res plus trepidationis fecit quod nihil minùs quam ne victus,ac prope in castris obsessus hostis memor populationis esset,timeri poterat.agrestésque pauidi incidentes portis, non populationem,nec prædonum paruas manus , sed omnia vano E augẽtes timore, exercitus & legiones adesse hostium, & infesto agmine ruere ad vrbem clamabant. Ab his proximi audita incerta, eoque vaniora ferre ad alios: cursus,clamorque vocantium ad arma,haud multum à pauore captæ vrbis abesse. Forte ab Algido Quintius Cos. redierat Romam:id remedium timori fuit: tumultuque sedato, victos timeri increpans hostes, præsidia portis imposuit. vocato deinde senatu, cum ex auctoritate patrum iustitio indicto, profectus ad F tutandos fines esset, Q. Seruilio præfecto vrbis relicto, hostem in agro non inuenit. Ab altero consule res gesta egregiè est. qui quà venturum hostem sciebat,grauem præda, eoque impeditiore agmine incedentem aggressus, funestam ei populationem fecit. pauci hostium euasere ex insidiis, præda omnis recepta est.Sic finem iustitio,quod quatriduum fuit,reditus Quintij Cos. in vrbem fecit. Census deinde actus,& conditum à Quintio lustrum. Censa ciuium capita centum quatuor & XX.millia CCXIIII.dicuntur,præter orbos orbásque.In Aequis nihil deinG de memorabile actum oppida sua se recepere, vri sua popularique passi. Consul cùm aliquoties per omnem hostium agrum infesto agmine populabundus isset, cum ingenti laude prædaque Romam rediit, Consules inde Albus Posthumius,Sp.Furius, Furios, Fusios scripsere quidam,id admoneo, ne quis immutationem virorum ipsorũ esse,quæ nominum est, putet.Haud dubium erat,quin cum Aequis alter consulũ bellum gereret.itaque Aequi ab Ecetranis Volscis præsidiũ petiere.quo cupide oblato(adeo ciuitates hę

perpetuo in Romanos odio certauere) bellum sum- A
ma vi parabatur. Sentiunt Hernici, & prædicunt Ro-
manis, Ecetranum ad Æquos desciisse suspecta & co-
lonia Antium fuit, quod magna vis hominum inde,
cum oppidum captum esset, confugisset ad Aequos.
iisque miles per bellum Aequicum vel acerrimus
fuit. Compulsis deinde in oppida Aequis, ea multi-
tudo dilapsa cùm Antium rediisset, sua sponte iam
infidos colonos Romanis abalienauit. Nec dum ma-
tura re, cùm defectionem parari delatum ad senatum
esset, datum negotium est consulibus, vt principibus B
coloniæ Romam excitis, quærerent quidnam rei es-
set. qui cum haud grauatè venissent, introducti à
consulibus ad senatum, ita responderunt ad interro-
gata, vt magis suspecti quàm venerant, dimitteren-
tur. Bellum inde haud dubium haberi. Sp. Furius
consulum alter, cui ea prouincia euenerat, profe-
ctus in æquos. Hernicorum in agro populabundum
hostem inuenit: ignarúsque multitudinis, quia nus-
quam vniuersa conspecta fuerat imparem copiis e-
xercitum temere pugnæ commisit. primo concursu
pulsus, se in castra recepit, neque is finis periculi
fuit. namque & proxima nocte & postero die tanta
vi castra sunt circumsessa atque oppugnata, vt ne
nuntius quidem inde mitti Romam posset. Hernici
& male pugnatum, & consulem exercitúmque obsi-
deri, nuntiauerunt, tantúmque terrorem incussere pa-
tribus. vt (quæ forma senatusconsulti vltimæ semper
necessitatis habita est) Posthumio alteri consulum
negotium daretur, videret ne quid respublica detri-
menti caperet. Ipsum consulem Romæ manere ad
conscribendos omnes qui arma ferre possent, opti-
mum visum est, proconsulem T. Quintium subsidio
castris cum sociali exercitu mitti. ad eum explen-
dum Latini Hernicique & colonia Antium dare
Quintio subitarios milites (ita tum repentina au-
xilia appellabant) iussi. Multi per eos dies motus, mul-
tique impetus hinc atque illinc facti, quia superante
multitudine hostes carpere multifariam vires Ro-
manas, vt non suffecturas ad omnia, aggressi sunt. si-
mul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad
populandum agrum Romanum missa, vrbemque i-
psam, si qua fortuna daret, tentandam, L. Valerius ad
præsidium vrbis relictus, consul Posthumius ad ar-
cendas populationes finium missus. nihil remissum
ab vlla parte curæ aut laboris. vigiliæ in vrbe, statio-
nes ante portas, præsidiaque in muris disposita: &
quod necesse erat in tanto tumultu, iustitium per
aliquot dies seruatum. Interim in castris Furius
Cons. cùm primo quietus obsidionem passus esset,
in incautum hostem decumana porta erupit: & cùm
persequi posset, metu substitit, ne qua ex parte alte-
ra in castra vis fieret. Furium legatum (frater idem
consulis erat) longius extulit cursus: nec suos ille
redeuntes persequendi studio, neque hostium ab
tergo incursum vidit. ita exclusus, multis sæpe fru-
stra conatibus captis, vt viam sibi ad castra faceret,
acriter dimicans cecidit. Et consul nuntio circum-
uenti fratris conuersus ad pugnandum, dum se te-
mere magis quàm satis caute in mediam dimicatio-
nem infert, vulnere accepto, ægrè ab circumstan-
tibus ereptus, & suorum animos turbauit, & fero-
ciores hostes fecit: qui cæde legati, & consulis vul-
nere accensi, nulla deinde vi sustineri potuere, cùm
compulsi in castra Romani rursus obsiderentur, nec
spe, nec viribus pares, venissétque in periculum
summa rerum, ni T. Quintius peregrinis copiis cum
Latino Hernicoque exercitu subuenisset. is intentos
in castra Romana Aequos, legatique caput ferociter
ostentantes ab tergo adortus, simul ad signum à se
procul editum ex castris eruptione facta, magnam
vim hostium circumuenit. Minor cædes, fuga effu-
sior æquorum in agro fuit Romano, in quos pala-
tos prędam agentes Posthumius aliquot locis, qui-
bus opportuna imposuerat præsidia, impetum dedit.
ii vagi dissipato agmine fugientes in Quintium vi-
ctorem cum saucio Consule reuertentem incidere.
Tum consularis exercitus egregia pugna consulis
vulnus, legati & cohortium vltus est cædem. Magnæ
clades vltro citroque illis diebus & illatæ & acce-
ptæ. difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pu-
gnauerint ceciderintve, exacto affirmare numero:
audet tamen Antias Valerius concipere summas,
Romanos cecidisse in Hernico agro V. Mil. ac CCC.
Ex prædatoribus Æquorum, qui populabundi in fi-
nibus Romanis vagabantur, ab A. Posthumio Coss.
duo millia & CCCC. cæsos: ceteram multitudi-
nem prædam agentem, quæ inciderit in Quintium
nequaquam pari defunctam esse cæde: interfecta
inde quatuor millia, & exsequendo subtiliter nume-
rum, CC. ait & XXX. Inde Romam reditum est, iu-
stitium remissum est. Cœlum visum est ardere plu-
rimo igni, portentáque alia aut obseruata oculis, aut
vanas exterritis ostentauere species. His auertendis
terroribus in triduum feriæ indictæ per quas omnia
delubra pacem deûm exposcentium virorum, mu-
lierúmque turba implebantur. Cohortes inde Lati-
næ Hernicæque ab senatu gratiis ob impigram mi-
D litiam actis, remissæ domos. Antiates mille milites,
quia serum auxilium post prælium venerat, pro-
pè cum ignominia dimissi. Comitia inde habita.
creati Coss. L. Ebutius, P. Seruilius, calend. Sex. vt
tunc principium anni agebatur, consulatum ineunt.
Graue tempus, & forte annus pestilens erat vrbi a-
grisque, nec hominibus magis quàm pecori, & au-
xere vim morbi terrores populationis, pecoribus a-
grestibúsque in vrbem acceptis, ea colluuio misto-
rum omnis generis animantium, & odore insolito
E vrbanos, & agrestem confertum in arcta tecta æstu
ac vigiliis augebat: ministeriáque inuicem ac conta-
gia ipsa vulgabant morbos. Vix instantes susti-
nentibus clades repentè legati Hernici nuntiant, in
agro suo Æquos Volscosque coniunctis copiis ca-
stra posuisse, inde ingenti exercitu fines suos depo-
pulari præterquàm quòd infrequens senatus indicio
erat sociis, afflictam ciuitatem pestilentia esse: mœ-
stum etiam responsum tulere, vt per se ipsi Hernici
cum Latinis res suas tutarentur: vrbem Romanam
F subdita deûm ira morbo populari. si qua eius ma-
li quies veniat, vt anno ante, vt semper alias, sociis o-
pem laturos. Discessere socij, pro tristi nuntio tri-
stiorem domum referentes: quippe quibus per se
sustinendum bellum erat, quod vix Romanis ful-
ti viribus sustinuissent. Non diutius se in Hernico
hostis continuit. pergit inde infestus in agros Roma-
nos, etiam sine belli iniuria vastatos. Vbi cum ob-
uius nemo ne inermis quidem fieret, pérque omnia
non præsidiis modo deserta, sed etiam cultu agresti
G transirent: peruenere ad tertium lapidem Gabina via.
Mortuus Ebutius erat Romanus consul, collega eius
Seruilius exigua in spe trahebat animam affecti ple-
rique principum, patrum maior pars, militaris ferè æ-
tas omnis: vt non modo ad expeditiones quas in tan-
to tumultu res poscebat, sed vix ad quietas stationes
viribus sufficerent. munus vigiliarum senatores,
qui per ætatem ac valetudinem poterant, per se ipsi
obibant: circuitio ac cura ædilium plebis erat: ad
eos summa rerum, ac maiestas consularis imperij ve-
nerat. Deserta omnia sine capite, sine viribus, dij præ-
sides, ac fortuna vrbis tutata est: quæ Volscis æquisq.
prædo-

prædonum potiùs mentem quàm hostium dedit. ad- A
eo enim nulla spes non potiundi modo, sed ne ad-
eundi quidem Romana mœnia animos eorum ce-
pit tectáque procul visa, atque imminentes tumu-
li auertere mentes eorum: vt totis passim castris fre-
mitu orto, quid in vasto ac deserto agro, inter tabem
pecorum hominumque, desides sine præda tempus
tererent, cùm integra loca, Thusculanum agrum o-
pimum copiis petere possent? signa repentè conuel-
lerent: transuersísque itineribus per Lauicanos a-
gros in Thusculanos colles transirent. eo vis omnis B
tempestásque belli conuersa est. Interim Hernici La-
tinique pudore etiam, non misericordia solum moti,
si nec obstitissent communibus hostibus infesto
agmine Romanam vrbem petentibus, nec opem vl-
lam obsessis sociis ferrent, coniuncto exercitu Ro-
mam pergunt, vbi cum hostes non inuenissent, se-
cuti famam ac vestigia, obuij fiunt descendentibus à
Thusculano in Albanam vallem, ibi haudquaquam
æquo prælio pugnatum est, fidésque sua sociis pa-
rum felix in præsentia fuit. Haud minor Romæ C
fit morbo strages, quam quanta ferro sociorum fa-
cta erat. Consul qui vnus supererat, moritur. mortui
& alij clari viri, M. Valerius, T. Virginius Ruti-
lus, augures: Ser. Sulpitius, curio maximus. & per
ignota capita late vagata est vis morbi: inopsque se-
natus auxilij humani, ad deos ac populum vota ver-
tit. iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum ire,
pacémque exposcere deum. ad id quod sua quemque
mala cogebant, auctoritate publica euocati, omnia
delubra implent. stratæ passim matres crinibus D
templa verrentes, veniam irarum cœlestium, fi-
némque pesti exposcunt. Inde paulatim seu pace
deûm impetrata, seu grauiore tempore anni iam cir-
cumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse
cœpere: versísque animis iam ad publicam curam,
cùm aliquot interregna exissent: P. Valerius Publi-
cola tertio die quàm interregnum inierat, consules
creat L. Lucretium Tricipitinum, & T. Veturium
Geminum, siue ille Vetusius fuit. Ante diem III.
idus Sextiles consulatum ineunt, iam satis valida ci- E
uitate vt non solum arcere bellum, sed vltro etiam
inferre posset. Igitur nuntiantibus Hernicis, in fi-
nes suos transcendisse hostes, impigre promissum au-
xilium. duo consulares exercitus scripti. Veturius
missus in Volscos ad bellum vltro inferendum. Tri-
cipitinus populationibus arcendis sociorum agro
oppositus, non vltra quàm in Hernicos procedit. Ve-
turius primo prælio hostes fundit fugátque Lucre-
tium, dum in Hernicis sedet, prædonum agmen fefel- F
lit, supra montes Prænestinos ductum. inde dimis-
sum in campos, vastauere agros, Prænestinum Gabi-
númque: ex Gabino in Thusculanos flexere colles:
vrbi quoque Romæ ingens præbitus terror, magis
in re subita, quàm quod ad arcendam vim parũ viriũ
esset. Q. Fabius præerat vrbi. is armata iuuentute,
dispositísque præsidiis tuta omnia ac tranquilla fe-
cit. Itaque hostes præda ex proximis locis rapta,
appropinquare vrbi non ausi, cum circumacto ag-
mine redirent, quanto longius ab vrbe hostium
abscederent, eo solutiore cura in Lucretium inci- G
dunt consulem, iam ante exploratis itineribus suis
instructum, & ad certamen intentum. Igitur præ-
paratis animis repentino pauore perculsos adorti, a-
liquanto pauciores multitudinem ingentem fun-
dunt fugántque: & compulsos in cauas valles, cùm
exitus haud inde faciles essent, circumueniunt. ibi
Volscum nomen prope deletum est. XIII. millia
CCCCLXX. cecidisse in acie ac fuga. M.CCL.
viuos captos, signa XXVII. militaria relata in qui-
busdam annalibus inuenio. vbi etsi adiectũ aliquid
numero sit, magna certè cædes fuit. Victor consul
ingenti præda potitus, eadem in statiua rediit. tum
consules castra coniungunt, & Volsci Æquíque
afflictas vires suas in vnum contulere. Tertia illa pu-
gna eo anno fuit, eadem fortuna victoriam dedit.
fusis hostibus etiam castra capta. Sic res Romana in
antiquum statum rediit: secundæque belli res extem-
plo vrbanos motus excitauerunt. C. Terentillus Ar-
sa Tribunus plebis eo anno fuit. is consulibus ab-
sentibus ratus locum tribunitiis actionibus datum,
per aliquot dies patrum superbiam ad plebem cri-
minatus, maximè in consulare imperium tanquam
nimium, nec tolerabile liberæ ciuitati, inuehebatur.
nomine enim tantum minus inuidiosum, re ipsa
prope atrocius quàm regium esse. quippe duos pro
vno dominos acceptos immoderata, infinitáque po-
testate: qui soluti atque effrenati ipsi, omnes metus
legum, omniáque supplicia verterent in plebem;
quæ ne æterna illis licentia sit, legem se promulga-
turum, vt quinque viri creentur legibus de imperio
consulari scribendis. quod populus in se ius dederit,
eo consulem vsurum: non ipsos libidinem ac licen-
tiam suam pro lege habituros. Qua promulgata lege,
cum timerent patres ne absentibus consulibus iu-
gum acciperent, senatus à præfecto vrbis Q. Fabio
vocatur. qui adeo atrociter in rogationem latorém-
que ipsum est inuectus, vt nihil, si ambo consules
infesti circumstarent tribunum, relictum minarum
atque terroris sit. Insidiatum eum, & tempore capto
adortum rempublicam, si quem similem eius priore
anno inter morbum bellúmque irati dij tribunum
dedissent, non potuisse sisti. mortuis duobus con-
sulibus, iacente ægra ciuitate in colluuione omnium
rerum, ad tollendum è repub. consulare imperium,
laturum, leges fuisse: ducem Volscis Æquísque ad
oppugnandam vrbem futurum. Quid tandem illi
non licere? si quid consules superbe in aliquem ci-
uium, aut crudeliter fecerint, diem dicere: accusare
his ipsis iudicibus quorum in aliquem sæuitum sit,
non illum consulare imperium, sed tribunitiam
potestatem inuisam intolerandamque facere: quàm
pacatam reconciliatámque patribus de integro in
antiqua redigi mala. neque illum se deprecari, quo-
minus pergat vt cœperit. Vos, inquit Fabius, ceteri
tribuni oramus, vt primum omnium cogitetis, po-
testatem istam ad singulorum auxilium, non ad per-
niciem vniuersorum comparatam esse: tribunos
plebis vos creatos, non hostes patribus. nobis mise-
rum, inuidiosum vobis est, desertam rempublicam
inuadi. non ius vestrum, sed inuidiam minueritis.
agite cum collega, vt rem integram in aduentũ con-
sulum differat, ne Æqui quidem ac Volsci morbo
absumtis priore anno consulibus, creduli superbóq;
nobis bello institere. Agunt cum Terentillo tribu-
ni: dilatáque in speciem actione, re ipsa sublata, con-
sules ex templo accersiti. Lucretius cum ingenti præ-
da, maiore multo gloria rediit. & auget gloriã adue-
niens exposita omni in campo Martio præda, vt suum
quisq; per triduũ cognitum abduceret, reliqua vendi-
ta, quib. domini non exstitere. Debebatur omnium
consensu cõsuli triumphus: sed dilata res est. tribuno
de lege agẽte. id antiquius cõsuli fuit. Iactata per ali-
quot dies tum in senatu res, tũ ad populũ est cessit ad
vltimum maiestati consulis tribunus, & destitit. Tunc
imperatori exercituiq; honos suus redditus. Trium-
phauit de Volscis Æquisq;, triumphantẽ secutæ suæ
legiones. Alteri cõsuli datũ, vt ouãs sine militib. vrbẽ
iniret. Anno deinde insequenti lex Terentilla ab to-
to relata collegio, nouos aggressa consules est. erant

consules P.Volumnius, Ser.Sulpitius. Eo anno cœlum ardere visum, terra ingenti concussa motu est. bouem locutam, cum rei priore anno fides non fuerat, creditum. Inter alia prodigia & carne pluit: quem imbrem ingens numerus auium interuolitando rapuisse fertur. quod intercidit, sparsum ita iacuisse per aliquot dies, vt nihil odor mutaret. Libri per duumuiros sacrorum aditi. pericula à conuentu alienigenarum prædicta, ne qui in loca summa vrbis impetus cædésque inde fierent. inter cetera monitum, vt seditionibus abstineretur. Id factum ad impediendam legem tribuni criminabantur, ingénsque aderat certamen. Ecce (vt idem in singulos annos orbis volueretur) Hernici nuntiant, Volscos & Æquos, & si accisæ res sint, reficere exercitus: Antij summam rei positam, Ecetræ Antiates colonos palam concilia facere: id caput, eas vires belli esse. Vt hæc dicta in senatu sunt, delectus edicitur. consules belli administrationem inter se dispartiri iussi: alteri vt Volsci, alteri vt Æqui prouincia esset. Tribuni coram in foro personare, fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos. iam ne virtute quidem premi libertatem populi Rom. sed arte eludi, quia occidione prope occisos Volscos & Æquos mouere sua sponte arma posse, iam fides abierit, nouos hostes quæri. coloniam fidam propinquam infamem fieri, bellum innoxiis Antiatibus indici, geri cum plebe Romana, quam oneratam armis ex vrbe præcipiti agmine acturi essent, exsilio & relegatione ciuium vlciscentes tribunos. sic ne quid aliud actum putent, victam legem esse: nisi dum integra res sit, dum domi: dum togati sint, caueant ne possessione vrbis pellantur, ne iugum accipiant, si animus sit, non defore auxilium. consentire omnes tribunos, nullum terrorem externum, nullum periculum esse. cauisse deos priore anno, vt tuto libertas defendi posset. Hæc tribuni. At ex parte altera consules in conspectu eorum positis sellis delectum habebant. eò decurrunt tribuni, concionémque secum trahunt: citati pauci, velut rei experiundæ caussa: & statim vis coorta. quemcumque lictor iussu consulis prehendisset, tribunus mitti iubebat. neque suum cuique ius modum faciebat: sed virium spe, & manu obtinendum erat quod intenderes: quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu: sic patres in lege quæ per omneis comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant. Initium erat rixæ, cùm discedere populum iussissent tribuni, quod patres se summoueri haud sinebant. nec fere seniores rei intererant, quippe quæ non consilio regenda, sed permissa temeritati audaciæque esset. multum & cõsules se abstinebant, ne cui in colluuione rerum maiestatem suam contumeliæ offerrent. Cæso erat Quintius ferox iuuenis qua nobilitate gentis, qua corporis magnitudine ac viribus. ad ea munera data à dis, & ipse addiderat multa belli decora, facundiámque in foro, vt nemo non lingua, non manu promtior in ciuitate haberetur. Hic cum in medio patrum agmine constitisset, eminens inter alios, velut omnes dictaturas consulatusque gerens in voce ac viribus suis, vnus impetus tribunitios popularésque procellas sustinebat, hoc duce sæpe pulsi foro tribuni, fusa ac fugata plebs est. qui obuius fuerat, mulctatus nudatusque abibat: vt satis appareret, si sic agi liceret, victam legem esse. Tum propè iam perculsis aliis tribunis, A. Virginius ex collegio vnus Cæsoni capitis diem dicit. atrox ingenium accenderat eo facto magis, quàm conterruerat, eo acrius obstare legi, agitare plebem, tribunos velut iusto persequi bello. accusator pati reum ruere, inui-

A diæque flammam ac materiam criminibus suis suggerere: legem interim non tam ad spem perferendi, quàm ad lacessendam Cæsonis temeritatem ferre. Ibi multa sæpè ab iuuentute inconsultè dicta factáque, in vnius Cæsonis suspectum incidunt ingeniũ. tamẽ legi resistebatur. Et A. Virginius identidem plebi: Ecquid, inquit, sentitis iam vos Quirites, Cæsonẽ simul ciuem, & legem quam cupitis, habere non posse? quamquam quid ego legem loquor? libertati obstat, omnes Tarquinios superbia exsuperat, exspe-
B ctare dum consul aut dictator fiat, quem priuatum viribus & audacia regnantem videtis. Assentiebantur multi, pulsatos se quærentes: & tribunum ad rem peragendam vltro incitabant. Iam aderat iudicio dies, apparebátque vulgo homines in damnatione Cæsonis libertatem agi credere. tum demum coactus cùm multa indignitate prehensabat singulos. sequebantur necessarij, principes ciuitatis. T.Quintilius Capitolinus, qui ter consul fuerat, cùm multa referret sua familiæque decora, affirmabat neque in Quin-
C tia gente, neque in ciuitate Romana tantam indolem tam maturæ virtutis vnquam exstitisse, suum primum militem fuisse, se sæpe videntẽ pugnasse in hostem, Sp.Furius missum ab Quintio Capitolino sibi eum in dubiis suis rebus venisse subsidio. neminem vnum esse, cuius maius opera putet rempublicam restitutam. L.Lucretius Cos. anni prioris recenti gloria nitens, suas laudes participare cum Cæsone. memorare pugnas, referre egregia facinora, nunc in expeditionibus, nunc in acie suadere & monere iuuenem e-
D gregium, instructum naturæ fortunæque omnibus bonis, maximum momentum rerum eius ciuitatis, in quamcunque venisset, suum quàm alienum mallent ciuem esse, quod offendat in eo, feruorem & audaciam, ætatem quotidie auferre. quod desideretur consilium, id in dies crescere. senescentibus vitiis, maturescente virtute, sinerent tantum virum senem in ciuitate fieri. Pater inter hos, L.Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet inuidiam, sed veniam errori atque adole-
E scentiæ petendo, sibi qui non dicto, non facto quemquam offendisset, vt condonarent, filium orabat. Sed alij auersabantur preces, aut verecundia, aut metu: alij se suosque mulctatos quærentes, atroci responso iudicium suum præferebant. Premebant reum præter vulgatam inuidiam, crimen vnum, quod M. Volscius Fictor, qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat, testis exstiterat, sed haud multo postquam pestilentia in vrbe fuerat, in iuuentutem grassantem in Suburra incidisse: ibi rixam natam esse, fratrémque suum maiorem natu, nec dum ex morbo satis validum, pugno ictum à Cæsone
F cecidisse semianimem: inter manus domum ablatum, mortuúmque inde arbitrati, nec sibi rem exsequi tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse. Hæc Volscio clamitante, adeo concitati homines sunt, vt haud multum abfuerit, quin impetu populi Cæso interiret. Virginius arripi iubet hominem, & in vincula duci. patricij vi contra vim resistunt. T.Quintius clamitat, cui reo capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem iudiciũ, eum
G indemnatum indicta caussa non debere violari. Tribunus supplicium negat sumturum se de indemnato, seruaturum tamẽ in vinculis esse ad iudicij diem. vt qui hominem necauerit, de eo supplicij sumendi copia populo Rom. fiat appellati tribuni medio decreto ius auxilij sui expediũt: in vincula cõiici vetãt sisti reũ, pecuniáq; nisi sistatur populo promitti, placere pronũtiant, summam pecuniæ quantã æquũ esset promitit, veniebat in dubium. id ad senatum reiicitur

citur. reus, dum consulerentur patres, retentus in publico est, vades dare placuit, vnum vadem III. mil. æris obligarunt. quot darentur, permissum tribunis est, decem finierunt. tot vadibus accusator vadatus est reum. Hic primus vades publicos dedit. Dimissus è foro, nocte proxima insciis consulibus in Thuscos in exsilium abiit. Iudicij die cum excusaretur solum vertisse exsilij caussa, nihilominus Virginio comitia habente collegæ appellati dimisere consilium, pecunia à patre exacta crudeliter, vt is diuenditis omnibus bonis, aliquandiu trans Tyberim veluti relegatus, in vici quodã in tugurio viueret. Hoc iudicium, & promulgata lex exercuit ciuitatem. ab externis armis otium fuit. cum velut victores tribuni, perculsis patribus Cæsonis exsilio, prope perlatam esse crederent legem, & quod ad seniores patrum pertineret, cessissent possessione reipublicæ: iuniores, id maxime quod Cæsonis sodalium fuit, auxere iras in plebem, non minuerunt animos, sed ibi plurimum profectum est, quod modo quodam temperauere impetus suos. Cum primo post Cæsonis exsilium lex cœpta ferri est, instructi paratique cum ingenti clientium exercitu sic tribunos, vbi primum summouentes præbuere caussam, adorti sunt, vt nemo vnus inde præcipuum quicquam gloriæ domum inuidiæve ferret: mille pro vno Cæsones extitisse plebs quereretur. Mediis diebus, quibus tribuni de lege non agerent, nihil eisdem illis placidius aut quietius erat, benigne salutare, alioqui plebis homines, domum inuitare, adesse in foro, tribunos ipsos cetera pati sine interpellatione concilia habere, nunquam vlli neque publice neque priuatim truces esse, nisi cum de lege agi cœptum esset: alibi populatis iuuentus erat. Nec cetera modo tribuni tranquille pergere, sed refecti quoque in insequẽtem annum, ne voce quidem incommoda, nedum vt vlla vis fieret, paulatim permulcendo, tractandoque mansuefecerant plebem. His per totum annum artibus lex elusa est. Accipiunt ciuitatem placidiorem consules C. Claudius Appij filius, & P. Valerius Publicola. Nihil noui nouus annus attulerat. legis ferendæ aut accipiendæ cura ciuitatem tenebat. Quantum iuniores patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant, vt plebi suspectos eos criminando facerent. coniurationem factam, Cæsonem Romæ esse, interficiendorum tribunorum trucidandæ plebis consilia initia. id negotij datum ab senioribus patrum, vt iuuentus tribunitiam potestatem è republica tolleret, formâque eadem ciuitatis esset, quæ ante Sacrum montem occupatum fuerat. Et ab Volscis & Æquis statum iam ac prope solemne in singulos annos bellum timebatur, propiúsque aliud nouum malum nec opinato exortum. Exsules, seruique ad quatuor millia hominum, & quingenti, duce Ap. Herdonio Sabino, nocte Capitolium atque arcem occupauere. confestim in arce facta cædes eorum qui coniurare, & simul capere arma noluerant, alij inter tumultum præcipites pauore in forum deuolant. alternæ voces, Ad arma, &, Hostes in vrbe sunt, audiebantur. consules & arma plebem, & inermem pati timebant, incerti quod malum repentinum, externum, an intestinum, ab odio plebis, an ab seruili fraude vrbem inuasisset. sedabant tumultus, sedando interdum mouebãt: nec enim poterat pauida & consternata multitudo regi imperio. dant tamen arma, non vulgo, tantum vt in certo hoste præsidium satis fidum ad omnia esset. soliciti reliquum noctis, incertique qui homines, quantus numerus hostium esset, in stationibus disponendis ad opportuna omnia vrbis loca

A egere. Lux deinde aperuit bellum, ducémque belli. seruos ad libertatem Ap. Herdonius ex Capitolio vocabat. se miserrimi cuiusque suscepisse caussam, vt exsules iniuria pulsos in patriam reduceret, & seruitutis graue iugum demeret. id malle populo Rom. auctore fieri. si ibi spes non sit, se Volscos & Æquos, & omnia extrema tentaturum & concitaturum. Dilucere res magis patribus atque consulibus. prætertea tamen quæ denuntiabantur, ne Veientium, neu Sabinorum id consilium esset, timere: & cum tan-
B tum in vrbe hostium esset, mox Sabinæ Hetruscæque legiones ex composito adessent tum æterni hostes Volsci & Æqui non ad populandos, vt ante fines, sed ad vrbem vt ex parte captam venirent. Multi & varij timores. inter ceteros imminebat terror seruilis, ne suus cuique domi hostis esset, cui nec credere, nec non credendo, ne infestior fieret, fidem abrogare, satis erat tutum. vixque concordia satis videbatur posse tantum superantibus aliis ab emergentibus malis nemo tribunos aut plebem timebat:
C mansuetum id malum, & per aliorum quietem malorum semper exoriens, túmque esse peregrino terrore sopitum videbatur. at id prope vnum maxime inclinatis rebus incubuit. tantus enim tribunos furor tenuit, vt non bellum, sed vanam imaginem belli ad auertendos ab legis cura plebis animos Capitolium insedisse contenderent: patriciorum hospites clientésque, si perlata lege frustra tumultuatos esse se sentiant, maiore quam venerint silentio abituros. Concilium inde legi perferendæ habere, auocato
D populo ab armis. Senatum interim Consules habent, alio se maiore à tribunis metu ostendente, quàm quem nocturnus hostis intulerat. Postquam arma poni, & discedere homines ab stationibus nuntiatum est: P. Valerius, collega senatum retinente, se ex curia proripit, inde in templum ad tribunos venit. Quid hoc rei est, inquit, tribuni? Ap. Herdonij ductu & auspicio rempublicam euersuri estis? tam felix vobis corrumpendus fuit, qui seruitia vestra non commouit auctor? cũ hostes supra caput sint, discedi
E ab armis, legésque ferri placet? Inde ad multitudinem oratione versa: Si vos vrbis Quirites, si vestri nulla cura tangit, at vos veremini deos vestros ab hostibus captos. Iupiter optimus maximus, Iuno regina & Minerua, alij dij deæq. obsidẽtur, castra seruorum publicos vestros penates tenent. hæc vobis forma sane ciuitatis videtur? tantum hostiũ non solũ intra muros est, sed in arce, supra forum, curiámque: comitia interim in foro sunt, senatus in curia est: velut cum otium superat, senator sententiæ dicit, alij Quirites suffragium
F ineunt. non quicquid patrum plebisque est, consules, tribunos, deos, hominésque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere. liberare ac pacare augustissimam illam domum Iouis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his iisdem Sabinis auro captam recepisti, da stirpi tuæ: iube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingressus exercitus est. primus en ego consul, quantum mortalis deum possum, te, ac tua vestigia sequar. Vltimum orationis fuit, se arma
G capere, vocare omnes Quirites ad arma. si quis impediat, iam se consularis imperij, iam tribunitiæ potestatis, sacratarúmque legum oblitum, quisquis ille sit, vbicunque sit, in Capitolio, in foro, pro hoste habiturum. iuberent tribuni, quoniam in Ap. Herdonium vetarent, in P. Valerium consulem sumi arma ausurum se in tribunis, quod princeps familiæ suæ ausus in regibus esset. Vim vltimam apparebat futuram, spectaculoque seditionem Romanam hostibus fore: nec lex tamen ferri, nec ire in Capi-

talium consul potuit: nox certamina certa oppressit, tribuni cessere nocti, timentes consulum arma. Amotis inde seditionis auctoribus, patres circumire plebem, inferentésque se in circulos, sermones tempori aptos serere: admonere, vt viderent, in quod discrimen rempublicam adducerent: non inter patres ac plebé certamen esse, sed simul patres, plebémque arcem vrbis, templa deorum, penates publicos priuatósque hostibus dedi. Dum hæc in foro sedandæ discordiæ caussa aguntur: consules interim, ne Sabini, ne Veiens hostis moueretur, circa portas murosque discesserant. Eadem nocte & Thusculũ de arce capta, Capitolioque occupato, & alio turbatæ vrbis statu nuntij veniunt. L. Mamilius Thusculi tum dictator erat. is confestim conuocato senatu, atque introductis nuntiis, magnopere censet, ne expectent dum ab Roma legati auxilium petentes veniant: periculum ipsum, discriménq; ac sociales deos, fidéque fœderum id poscere. demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam ciuitatem, nunquam parẽ occasionem daturos deos. Placet ferri auxilium: iuuentus cõscribitur, arma dantur. Romam prima luce venientes, procul speciem hostium præbuere. Æqui aut Volsci venire visi sunt. deinde vbi vanus terror abiit, accepti in vrbem agmine in forum descendunt. ibi iam P. Valerius relicto ad portarum præsidia collega, instruebat aciem. auctoritas viri mouerat, affirmantis Capitolio recuperato, & vrbe pacata, si se doceri siuissent, quæ fraus ab tribunis occulta in lege ferretur, memorem se maiorum suorum, memorem cognominis, quod populi colendi velut hæreditaria cura sibi à maioribus tradita esset, concilium plebis non impediturum. hunc ducem secuti nequicquam reclamãtibus tribunis, in cliuum Capitolinum erigunt aciem. adiungitur & Thusculana legio. certare socij ciuésque vtri recuperatæ arcis suũ decus facerẽt. dux vterque suos adhortatur. Trepidare tum hostes: nec vlli satis rei, præterquam loco fidere. trepidantibus inferunt signa Romani, sociique. Iam in vestibulum perruperant templi. cum P. Valerius inter primores pugnam ciens interficitur. P. Volumnius consularis vidit cadentem. is dato negotio suis vt corpus obtegerent, ipse in locum vicémque cõsulis prouolat. præ ardore impetúque tãtæ rei sensus non peruenit ad militem. prius vicit, quam se pugnare sine duce sentiret. Multi exsulum cæde sua fœdauere templum, multi viui capti, Herdonius interfectus. Ita Capitolium recuperatum. De captiuis, vt quisque liber aut seruus esset, suæ fortunæ à quoque sumptum supplicium est. Thusculanis gratiæ actæ: Capitolium purgatum, atque lustratum. In consulis domum plebes quadrantes, vt funere ampliore efferretur, iactasse fertur. Pace parta, instare tum tribuni patribus, vt P. Valerij fidem exsoluerent: instare Claudio, vt collegæ deos manes fraude liberaret, agi de lege sineret. Consul ante quàm collegam sibi subrogasset, negare passurum agi de lege. hæ tenuere contentiones vsque ad comitia consulis subrogandi. Decembri mense summo patrum studio L. Quintius Cincinnatus pater Cæsonis consul creatur. qui magistratum statim occiperet. Perculsa erat plebes consulem habitura iratum, pollentem fauore patrum, virtute sua, tribus liberis, quorum nemo Cæsoni cedebat magnitudine animi, consilium & modum adhibendo vbi res posceret, priores erant. Is vt magistratum iniit, assiduis concionibus pro tribunali non in plebe coercenda, quàm senatu castigando vehementior fuit. cuius ordinis languore, perpetui iam tribuni plebis non vt in republica populi Romani, sed vt in perdita

A domo, lingua, criminibúsque regnarent cum Cæsone filio suo virtutem, constantiam, omnia iuuentutis belli domíque decora pulsa ex vrbe Romana, & fugata esse loquaces, seditiosos, semina discordiarum, iterum ac tertium tribunos pessimis artibus regia licentia viuere. Aulus, inquit, ille Virginius, quia in Capitolio non fuit, minus supplicij, quam Ap. Herdonius meruit? plus Hercule aliquanto, qui verè rem æstimare velit. Herdonius si nihil aliud, B hostem se fatendo, prope denuntiauit, vt arma caperetis. hic negando bella esse, arma vobis ademit, nudósque seruis vestris & exsulibus obiecit. & vos (C. Claudij pace, & P. Valerij mortui loquor) prius in cliuum Capitolinum signa intulistis, quam hos hostes de foro tolleretis? pudet deorum, hominumque, cum hostes in arce, in Capitolio essent, exsulum & seruorum dux profanatis omnibus, in cella Iouis optimi maximi habitaret, Thusculi ante quàm Romę sumta sunt arma. in dubio fuit, vtrum L. Mamilius Thusculanus dux, an P. Valerius & C. Claudius consules C Romanam arcem liberarent. & qui ante Latinos, ne pro se quidem ipsis, cum in finibus hostem haberent, attingere arma passi sumus: nunc nisi Latini sua sponte arma sumsissent, capti & deleti eramus. Hoc est tribuni auxilium plebi ferre? inermem eam hosti trucidandam obiicere? scilicet si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, quam partem veluti abruptam à cetero populo, vestram patriam, peculiarémque rempub. fecistis, si quis ex his domum suam obsessam à familia armata D nuntiaret, ferendum auxilium putaretis: Iupiter optimus maximus, exsulum atque seruorum septus armis, nulla humana ope dignus erat? & hi postulant, vt sacrosancti habeantur, quibus ipsi dij neque sacri, neque sancti sunt? At enim diuinis humanisq. obruti sceleribus, legem vos hoc anno perlaturos dictitaris? tum hercule illo die, quo ego consul sum creatus, male gesta respublica est: peius multo, quam cum P. Valerius consul periit, si tuleritis. Iam primum omniũ, inquit, Quirites, in Volscos & Æquos E mihi atque collegæ legiones ducere in animo est. nescio quo fato magis bellantes, quàm pacati propitios habemus deos. quantum periculum ab illis populis fuerit, si Capitolium ab exsulibus obsessum scissent, suspicari de præterito, quam re ipsa experiri, est melius. Mouerat plebem oratio consulis. erecti patres restitutam credebant rempublicam. Consul alter comes animosior, quam auctor, suscepisse collegam priorem actione tam grauis rei facile passus, in peragendis consiliis, consularis officiis F partem ad se vendicabat. Tum tribuni eludentes velut vana dicta, persequi, quærendo, quonam modo exercitũ educturi consules essent, quos delectum habere nemo passurus esset? Nobis verò, inquit Quintius, nihil delectu opus est, cum quo tempore, P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba iurauerint, conuenturos se iussu cõsulis, nec iniussu habituros. edicimus itaque omnes qui in verba iurastis, crastina die armati ad lacum Regillũ adsitis. Cauillari tũ tribuni, & populum G exsoluere religione velle priuatum eo tẽpore Quintium fuisse, cum sacramento adacti sint: sed nondũ hæc, quæ nunc tenet seculũ negligentia deûm venerat: nec interpretando sibi quisq; iusiurandũ & leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accõmodabat. Igitur tribuni, vt impediendæ rei nulla spes erat, de proferẽdo exercitu agere, eo magis, quod & augures iussos adesse ad Regillum lacũ fama exierat: locúmque inaugurari, vbi auspicato cũ populo agi posset: vt quicquid Romæ vi tribunitia rogatũ esset, id eo-

id comitiis ibi abrogaretur. omnes id iussurus, quod A consules vellent.neq.enim prouocationem esse longius ab vrbe mille passuum:& tribunos,si eo veniát, in alia turba Quiritium subiectos fore consulari imperio. Terrebant hæc: sed ille maximus terror animos agitabat, quod sæpius Quintius dictitabat, se consulum comitia non habiturum non ita ciuitatem ægram esse, vt consuetis remediis sisti possit. dictatore opus esse reipublicæ,vt qui se mouerit ad sollicitandum statum ciuitatis,sentiat sine prouocatione dictaturam esse. Senatus in Capitolio erat. eo tribuni cum perturbata plebe veniunt. multitudo cla- B more ingenti nunc consulum, nunc patrum fidem implorant, nec ante mouerunt de sententia consulem, quam tribuni se in auctoritate patrum futuros esse polliciti sunt. Tunc referente consule de tribunorum & plebis postulatis, senatusconsulta fiunt: neque tribuni legem eo anno ferrent, neque consules ab vrbe exercitum educerent:in reliquum magistratus continuari, & eosdem tribunos refici,iudicare senatum contra rempub. esse. Consules fuere in C patrũ potestate, tribuni reclamãtibus consulibus refecti:patres quoque ne quid cederent plebi & ipsi L. Quintium consulem reficiebant. Nulla toto anno vehementior actio consulis fuit. Miror, inquit, si vana vestra, patres conscripti,ad plebem auctoritas est? vos eleuatis eam. quippe quia plebs senatusconsultum in continuandis magistratibus soluit, ipsi quoque solutum vultis , ne temeritati multitudinis cedatis:tanquam id sit plus posse in ciuitate:plus leuitatis ac licentiæ habere. leuius enim, vaniúsque pro- D fectò est, sua decreta & consulta tollere , quam aliorum. imitamini patres conscripti turbam inconsultam , qui exemplo peccetis potius, quam alij vestro rectè faciant: dũ ego ne imiter tribunos,nec me contra senatusconsultũ consulẽ renuntiari patiar. Te verò C. Claudij adhortor, vt & ipse populum Ro. hac licentia arceas : & de me hoc tibi persuadeas , me ita accepturum,vt nõ honorem meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam , inuidiámque quæ ex continuato eo imperderet , leuatam putem. Communiter inde edicunt, ne quis L.Quintium cõ- E sulem faceret. si quis fecisset ,se id suffragium non obseruaturos. Consules creati Q. Fabius Vibulanus tertium,& L.Cornelius Maluginensis. Census actus eo anno. lustrum propter Capitolium captum , consulem occisum,condi religiosum fuit.Q. Fabio, & L. Cornelio consulibus , principio anni statim res turbulentæ : instigabant plebem tribuni.bellum ingens à Volscis & Æquis Latini atque Hernici nuntiabát: iam Antij Volscorum legiones esse,& ipsam coloniam ingens metus erat defecturam : ægreque impe- F tratum à tribunis,vt bellum præuerti finerent. Consules inde partiti prouincias.Fabio vt Antium legiones duceret datum : Cornelio vt Romæ præsidio esset, ne qua pars hostium, qui Aequis mos erat,ad populandum veniret. Hernici & Latini iussi milites dare ex fœdere,quæque partes sociorum in exercitu tertia ciuium fuit. Postquam ad diem præstitutum venerunt socij , consul extra portam Capenam castra locat:inde lustrato exercitu Antium profectus,haud G procul oppido statiuísque hostium consedit. Vbi cùm Volsci,quia nondum ab Aequis venisset exercitus , dimicare non ausi , quemadmodum quieti vallo se tutarentur , pararent : postero die Fabius non permistam vnam sociorum ciuiúmque , sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. ipse erat medius cum legionibus Romanis. inde signum obseruare iussit, vt pariter & socij rem inciperent, referréntque pedem, si receptui cecinisset : equites item suæ cuique parti post principia collocat. Ita trifariam adortus castra circumuenit : & cum vndique instaret,non sustinentes impetum Volscos vallo deturbat. transgressus inde munitiones , pauidam turbam inclinatámque in partem vnam castris expellit. inde effusè fugientes eques, qui superare vallum haud facile fuerat, cum ad id spectator pugnæ astitisset , libero campo adeptus partæ victoriæ fruitur,territos cædẽdo. Magna & in castris, & extra munimenta cædes fugientium fuit : sed præda maior, quia vix arma secum efferre hostis potuit.deletúsque exercitus foret, nisi fugientes syluæ texissent. Dum ad Antium hæc geruntur , interim Æqui robore iuuentutis præmisso arcem Thusculanam improuisa nocte capiunt : reliquo exercitu haud procul mœnibus Thusculi considunt, vt distenderent hostium copias. Hæc celeriter Romam, ab Roma in castra Antium perlata, mouent Romanos haud secus, quam si Capitolium captum nuntiaretur. adeo & recens erat Thusculanorum meritum,& similitudo ipsa periculi reposcere datum auxilium videbatur. Fabius omissis omnibus, prædam ex castris raptim Antium conuehit. ibi modico præsidio relicto , citatum agmen Thusculum rapit. nihil præter arma, & quod cocti ad manum fuit cibi , ferre militi licuit. Commeatum ab Roma consul Cornelius subuehit. Aliquot menses Thusculi bellatum parte exercitus cõsul castra Æquorum oppugnabat , partem Thusculanis dederat ad arcem recuperandam. vi nunquam eo subire potuit. Fames postremo inde detraxit hostem. quo postquam ventum ad extremum est, inermes, nudiq; omnes sub iugum ab Thusculanis missi hos ignominiosa fuga domum se recipientes Romanus consul in Algido consecutus ; ad vnum omnes occidit. Victor ad Columen (id loco nomen est) exercitu relicto,castra locat.Et alter consul postquam mœnibus Romanis iam pulso hoste periculum esse desierat, & ipse ab Roma profectus. Ita bifariam consules ingressi hostium fines : ingenti certamine hinc Volscos , hinc æquos populantur. Eodem anno descisse Antiates , apud plerosque auctores inuenio. L.Cornelium consulem id bellum gessisse, oppidúmque cepisse certum affirmare, quia nulla apud vetustiores scriptores eius rei mentio est , non ausim. Hoc bello perfecto, tribunitium domi bellum patres territat.Clamant,fraude fieri,quod foris teneatur exercitus : frustrationem eam legis tollendæ esse , se nihilominus rem susceptam peracturos.Obtinuit tamen P.Lucretius præfectus vrbis, vt actiones tribunitiæ in aduentum consulum differrentur. Erat & noua exorta caussa motus, A.Cornelius , & Q.Seruilius quæstores , M.Volscio , quod falsus haud dubio testis in Cæsonem extitisset, diem dixerant. multis enim emanabat indiciis , neque fratrem Volscij , ex quo semel fuerit æger , vnquam non modo visum in publico,sed ne assurrexisse quidem ex morbo , multorumque tabe mensium mortuum : nec his temporibus , in quæ testis crimen coniecisset,Cæsonem Romæ visum : affirmantibus , qui vna meruerant, secum cum tum frequentem ad signa sine vllo commeatu fuisse. ne ita esset, multi priuatim ferebant Volscio iudicem. Cum ad iudicium ire non auderet , omnes eæ res in vnum congruentes, haud magis dubiam damnationem Volscij,quam Cæsonis Volscio teste fuerat, faciebant. in mora tribuni erant, qui comitia quæstores habere de reo , nisi prius habita de lege essent, passuros negabant. ita extracta vtraque res in consulum aduentum est. Qui vbi triumphantes vi-

ctore cum exercitu vrbem inierunt, quia silentium de lege erat, perculsos magna pars credebant tribunos: at illi (etenim extremum anni iam erat) quartum affectantes tribunatum, in comitiorum disceptationem ab lege certamen auerterant, & cum consules nihilo minus aduersus continuationem tribunatus quam si lex minuendæ suæ maiestatis caussa promulgata ferretur, tetendissent, victoria certaminis penes tribunos fuit. Eodem anno Æquis pax est petentibus data. Census res, priore anno inchoata, perficitur, idque lustrum ab origine vrbis decimum conditum. Fuerunt censa ciuium capita cētum triginta duo millia, CCCCXIX. Consulum magna domi bellique eo anno gloria fuit: quod & foris pacem peperere: & domi, etsi non concors, minus tamen quam alias infesta ciuitas fuit. L. Minutius inde, & L. Nautius consules facti, duas residuas anni prioris caussas exceperunt. Eodem modo consules legem, tribuni iudicium de Volscio impediebant: sed in quæstoribus nouis maior vis, maior auctoritas erat. Cum M. Valerio Valerij filio, Volesi nepote, quæstor erat T. Quintus Capitolinus, qui ter consul fuerat. is quoniam neque Quintiæ familiæ Cæso, neque reipub. maximus iuuenum restitui posset, falsum testem, qui dicendæ caussæ innoxio potestatem ademisset, iusto ac pio bello persequebatur. Cum Virginius maxime è tribunis de lege ageret, duûm mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem: vt cum edocuissent populum, quid fraudis occultæ ferretur, finerent deinde suffragium inire. hoc interualli datum, res tranquillas in vrbe fecit. Nec diuturnam quietem Æqui dederunt: qui rupto fœdere, quod ictum erat priore anno cum Romanis, imperium ad Gracchum Cluilium deferunt. is tum longe princeps in Æquis erat. Graccho duce in Lanuuinum agrum, inde in Thusculanum hostili populatione veniunt, plenique prædæ in Algido castra locant. In ea castra Q. Fabius, P. Volumnius, A. Posthumius legati ab Roma venerunt questum iniurias, & ex eo fœdere res repetitum. eos Æquorum imperator, quæ mandata habeant ab senatu Romano, ad quercum iubet dicere: se alia interim acturum. quercus ingens arbor prætorio imminebat, cuius vmbra opaca sedes erat. Tum ex legatis vnus abiens, Et hæc, inquit, sacrata quercus, & quicquid deorum est, audiant fœdus à vobis ruptum, nostrísque & nunc querelis adsint, & mox armis, cum deorum hominumque simul violata iura exsequemur. Romam vt rediere legati senatus iussit alterum consulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere: alteri populationem finium Æquorum prouinciam dedit. Tribuni suo more impedire delectu, & forsitan ad vltimum impedissent, sed nouus subito additus terror est. Vis Sabinorum ingens prope ad mœnia vrbis infesta populatione venit. fœdati agri, terror iniectus vrbi est. tum plebs benigne arma cepit: reclamantibus frustra tribunis, magni duo exercitus scripti, alterum Nautius contra Sabinos duxit. castrísque ad Eretum positis. per expeditiones paruas plerunque nocturnis incursionibus tantam vastitatem in Sabino agro reddidit, vt comparati ad eam prope intacti bello fines Romani viderentur. Minutio neq; fortuna, nec vis animi eadem in gerēdo negotio fuit. nam cum haud procul ab hoste castra posuisset nulla magnopere clade accepta castris se pauidus tenebat. Quod vbi senserunt hostes creuit ex metu alio (vt fit) audacia: & nocte adorti castra, postquā parum vis) aperta profecerat, munitiones postero die circūdant.

A Quæ priusquam vndique vallo obiecto clauderent exitus, quinque equites inter stationes hostium emissi, Romam pertulere, consulem, exercitúmque obsideri. Nihil tam nec opinatum, nec tam insperatum accidere potuit: itaque tantus pauor, tantáque trepidatio fuit, quanta si vrbem, non castra, hostes obsiderent. Nautium consulem accersunt. in quo cū parum præsidij videretur, dictatorémque dici placeret, qui rem perculsam restitueret, L. Quintius Cincinnatus consensu omnium dicitur. Operæ pretium
B est audire, qui omnia præ diuitiis humana spernunt, neque honori magno locum, neque virtuti putant esse, nisi vbi effuse affluant opes. Spes vnica imperij populi Rom. L. Quintius trans Tyberim contra eum ipsum locum vbi nunc naualia sunt: quatuor iugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute datâ inuicem, redditáque rogatus (vt quod bene verteret ipsi, reique publicæ) to-
C gatus mandata senatus audiret. admiratus, rogitánsque, Satin' salua essent omnia togam propere è tugurio proferre vxorem Raciliam iubet. qua simul absterso puluere ac sudore velatus processit. dictatorem eum legati gratulantes consalutant, in vrbem vocant: qui terror sit in exercitu exponunt. Nauis Quintio publicè parata fuit, transuectúmque tres obuiam egressi filij excipiunt, inde alij propinqui atque amici, tum patrum maior pars. ea frequentia stipatus, antecedentibus lictoribus deductus est do-
D mum. & plebis concursus ingens fuit: sed ea nequaquam tam læta Quintium vidit, & imperij nimium, & virum in ipso imperio vehementiorem rata. Et illa quidem nocte nihil, præterquam vigilatum est in vrbe. Postero die dictator cum ante lucem in forum venisset, magistrum equitum dicit L. Tarquinium patriciæ gentis, sed qui cum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset, bello tamen primus longe Romanæ iuuentutis habitus esset. Cum magistro equitum in concionem venit, iustitium edi-
E cit, claudi tabernas tota vrbe iubet, vetat quenquam priuatæ quicquam rei agere. Tum quicunque ætate militari essent armati cum cibariis in dies quinque coctis, vallisque duodenis ante solis occasum Martio in campo adessent. quibus ætas ad militandum grauior esset, vicino militi, dum is arma pararet, vallúmque peteret, cibaria coquere iussit. Sic iuuentus discurrit ad vallum petendum, sumsere vnde cuique proximum fuit: prohibitus nemo est: impigréque omnes ad edicta dictatoris præsto fuere. Inde com-
F posito agmine non itineri magis apto, quàm prælio, si res ita tulisset, legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit. In vtroque agmine, quas tempus ipsum poscebat, adhortationes erant: adderēt gradum. maturato opus esse, vt nocte ad hostem peruenire possent. consulem exercitúmque Romanum obsideri, tertium diem iam clausos esse: quid quæque nox aut dies ferat, incertum esse: puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti. Accelera signifer, sequere miles, inter se quoque grati-
G ficantes ducibus clamabant. media nocte in Algidū perueniunt: & vt sensere iam prope hostes esse, signa constituunt. Ibi dictator quantum nocte prospici poterat, equo circumuectus, contemplatúsque qui tractus castrorum, quæque forma esset, tribunis militum imperauit, vt sarcinas in vnum coniici iubeant, militem cum armis valloque redire in ordines suos. facta, quæ imperauit. Tum quo fuerat ordine in via, exercitum omnem longo agmine circundat hostium castris: & vbi signum datum sit clamorem

morē omnes tollerē iubet clamorē sublato, ante se A quēque ducere fossam, & iacere vallum. Edito imperio signū secutū est, iussa miles exequitur, clamor hostes circumsonat. superat inde castra hostium, & in castra consulis venit: alibi pauorē, alibi gaudium ingens facit. Romani ciuilem esse clamorem, atque auxilium adesse inter se gratulātes, vltro ex stationibus ac vigiliis territant hostem. Consul differendum negat. illo clamore non aduentum modo significari, sed rem ab suis cœptā, mirúmque esse, ne iam exteriore parte castra hostium oppugnentur. itaq; arma suos B capere, & se subsequi iubet. Nocte initum prælium est, legionibus dictatoris clamore significantibus ab ea quoque parte rē in discrimine esse. Iam se ad prohibenda circumdari opera Æqui parabant. cum ab interiore hoste prælio cœpto, ne per media sua castra fieret eruptio, à munientibus ad pugnantes introrsum versi, vacuam noctem operi dedere. pugnatúmque cum consule ad lucem est: luce prima iam circumuallati ab dictatore erant, & vix aduersus vnum exercitum pugnam sustinebant: tū à Quintia- C no exercitu, qui confestim à perfecto opere, ad arma rediit inuaditur vallum. hic instabat noua pugna, illa nihil remiserat prior, tum ancipiti malo vrgente, à prælio ad preces versi, hinc dictatorem, hinc consulē orare, ne in occidione victoriam ponerent, vt inermes se inde abire sinerent. Ab consule ad dictatorem ire iussis, ignominiam infensus addidit. Gracchum Cluilium ducem, principésque alios vinctos ad se adduci iubet: oppido Corbione decedi: sanguinis se æquorum non egere: licere abire, sed, vt D exprimatur tandem confessio, subactam domitámque esse gentem, sub iugum abituros. Tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus: superque eas transuersa vna deligata, sub hoc iugo dictator Æquos misit. Castris hostium receptis, plenis omnium rerum (nudos enim emiserat) prædam omnem suo tantum militi dedit. consularem exercitum, ipsúmque consulem increpans: Carebis, inquit, prædæ parte miles, ex eo hoste, cui prope prædæ fuisti. & tu L. Minuti, donec cōsularem animum E incipias habere, legatus his legionibus præeris. Ita se Minutius abducat cōsulatu, iussúsque ad exercitum manet. Sed adeo tum imperio meliori animus mansuete obediens erat, vt beneficij magis quàm ignominiæ hic exercitus memor, & coronam auream dictatori libræ pondo decreuerit, & proficiscentem cum patronum salutauerit. Romæ à Q. Fabio præfecto vrbis senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine vrbem ingredi iussit. ducti ante currum hostium duces, militaria signa F prælata, secutus exercitus præda onustus, epulæ instructæ dicuntur fuisse ante omnium domos: epulantésque cum carmine triumphali, & solemnibus iocis comessantium modo currum secuti sunt. Eo die L. Mamilio Thusculano approbantibus cunctis ciuitas data est. Confestimque se dictator magistratu abdicasset, ni comitia M. Volscij falsi testis tenuissent: ea ne impedirent tribuni, dictatoris obstitit metus. Volscius damnatus, Lanuuium exsulatum abiit. Quintius XVI. die dictatura in G sex menses accepta se abdicauit. Per eos dies consul Nautius ad Eretum cum Sabinis egregiè pugnat. Ad vastatos agros ea quoque clades accessit Sabinis. Minutio Fabius successor in Algidum missus. Extremo anno agitatum de lege ab tribunis est. sed quia duo exercitus aberant, ne quid ferretur ad populum patres tenuere. plebes vicit. vt quintum eosdem tribunos crearent. Lupos visos in Capitolio ferunt à canibus fugatos, ob id prodigium lustratum Capitolium esse. Hæc eo anno gesta. Sequuntur consules Q. Minutius, M. Horatius Puluillus. Cuius initio anni cum foris otium esset, domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. vlteriúsque ventum foret, adeo exasperant animis, ni velut dedita opera nocturno impetu Æquorum Corbione amissum præsidium nuntiatū esset. Senatum consules vocant, iubētur subitarium scribere exercitum, atq; in Algidum ducere. Inde posito legis certamine noua de delectu cōtentio exorta. vincebatúrque cōsulare imperium tribunitio auxilio, cum alius additur terror. Sabinum exercitum prædatum descendisse in agros Romanos, inde ad vrbem venire. is metus perculit, vt scribi militem tribuni sinerent, non sine pactione tamen, vt quoniam ipsi quinquennium elusi essent, paruúmque id plebi præsidium foret, decem deinde tribuni plebis crearentur. Expressit hoc necessitas patribus id modo excepere, ne postea eosdem tribunos iuberent. Tribunitia comitia, ne id quoque post bellum, vt cætera, vanum esset, extemplo habita Tricemo sexto anno à primis tribunis plebis, decem creati sunt. bini ex singulis classibus. itaque cautum est, vt postea crearentur. Delectu deinde habito, Minutius contra Sabinos profectus, non inuenit hostē. Horatius, cùm iam Æqui Corbione interfecto præsidio Hortanam etiam cepissent, in Algido pugnat, multos mortales occidit: fugat hostem non ex Algido modo, sed à Corbione Hortanáque. Corbionem etiam diruit propter proditum præsidium. Deinde M. Valerius, Sp. Virginius consules facti. Domi forisque otium fuit. annona propter aquarum intemperiem laboratum est. De Auentino publicando lata lex est. Tribuni plebis iidem refecti. Hi sequente anno, T. Romulio & C. Veturio cōsulibus, legem omnibus concionibus suis celebrant. pudere se numeri sui ne quicquam aucti, si ea res æque suo biennio iaceret, ac toto superiore lustro iacuisset. Cum maxime hæc agerent, trepidi nuntij ab Thusculo veniunt, Æquos in agro Thusculano esse. Fecit pudorem recens eius populi meritum morandi auxilij. ambo consules cum exercitu missi, hostem in sua sede in Algido inueniunt. ibi pugnatum. supra septem millia hostium cæsa: alij fugati: præda parta ingens. eam propter inopiæ ærarij consules vendiderunt: inuidiæ tamen res ad exercitum fuit. ea denique tribunis materiam criminandi ad plebem consules præbuit. Itaque ergo vt magistratu abiere, S. Tarpeio, A. Æternio consulibus dies dicta est, Romulio ab C. Claudio Cicerone tribuno plebis, Veturio ab L. Halieno ædili plebis, vterque magna patrum indignatione damnatus: Romulius decē millibus æris, Veturius XV. millibus. Nec hæc priorum calamitas consulum segniores nouos fecerat consules, & se damnari posse aiebant: & plebem, & tribunos legem ferre non posse. Tum abiecta lege, quæ promulgata consenuerat, tribuni leniùs agere cum patribus. Finem tandem certaminū facerent, si plebeiæ leges, displicerent. at illi communiter legū latores & ex plebe, ex patribus, qui vtrisque vtilia ferrent, quæque æquandæ libertatis essent, sinerent creari. Rem non aspernabantur patres, daturum leges neminem nisi ex patribus aiebant. Cum de legibus conueniret, de latore tantum discreparet; missi legati Athenas Sp. Posthumus albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, iussique inclytas leges Solonis describere, & aliarū Græciæ ciuitatū instituta, mores, iuráq; noscere. Ab externis bellis quietus annus fuit, quietior insequens P. Curiatio, & Sex. Quintilio consulibus, perpetuo silentio tribunorum quod primo legatorum, qui Athenas ierant, legúmq; pere-

grinatum exspectatio prębuit: deinde duo simul mala ingentia exorta, fames, pestilentiáque fœda homini, fœda pecori. vastati agri sunt: vrbs assiduis exhausta funeribus, multæ & claræ lugubres domus. Flamen Quirinalis Ser. Cornelius mortuus: augur C. Horatius Puluillus: in cuius locum C. Veturium eo cupidius, quia damnatus à plebe erat, augures legere. mortuus consul Quintilius, quatuor tribuni plebis. multiplici clade fœdatus annus. ab hoste otium fuit. Inde consules C. Menenius, P. Sextius Capitolinus neque eo anno quicquam belli externi fuit. domi motus orti. Iam redierant legati cum Atticis legibus. eo intentius instabant tribuni, vt tandem scribendarum legum initium fieret. Placet creari decemuiros sine prouocatione, & ne quis eo anno alius magistratus esset. Admiscerentúrne plebeij, controuersia aliquandiu fuit. postremò concessum patribus: modo ne lex Acilia de Auentino, aliæque sacratæ leges abrogarentur. Anno trecentesimo altero quàm condita Roma erat, iterum mutatur forma ciuitatis, ab consulibus ad decemuiros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat, translato imperio. Minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit. læta enim principia magistratus eius nimis luxuriauere. eo citius lapsa res est, repetitumque duobus vti mandaretur consulum nomen, imperiúmque. Decemuiri creati A. Claudius, T. Genutius, P. Sextius, L. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Posthumius. Claudio & Genutio, quia designati consules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus: & Sextio alteri consulum priores anni, quod eam rem collega inuito ad patres retulerat. his proximi legati tres habiti, qui Athenas ierant: simul vt pro legatione tam longinqua præmio esset honos: simul peritos legum peregrinarum ad condenda noua iura vsui fore credebant: suppleuere ceteri numerum. Graues quoque ætate electos nouissimis suffragiis ferunt, quo minus ferociter aliorum scitis aduersarentur. Regimen totius magistratus penes Appium erat fauore plebis: adeoque nouum sibi ingenium induerat, vt plebicola repente, omnisque auræ popularis captator euaderet, pro truci sæuoque insectatore plebis. Decimo die ius populo singuli reddebant. eo die penes præfectum iuris fasces duodecim erant, collegis nouem singuli accensi apparebant. & vnica concordia inter ipsos, qui consensus priuatis interdum inutilis esset, summa aduersus alios æquitas erat. Moderationis eorum argumentum, exemplo vnius rei notasse satis erit. Cum sine prouocatione creati essent: defosso cadauere domi apud P. Sextium patriciæ gentis virum inuento, prolatoque in concionem, in re iuxta manifesta atque atroci C. Iulius decemuir diem Sextio dixit, & accusator ad populum extitit, cuius rei iudex legitimus erat: decessitque iure suo, vt demptum de vi magistratus, populi libertati adiiceret. Cum promptũ hoc ius velut ex oraculo, incorruptum pariter ab his summi infimique ferrent, tum legibus condendis opera dabatur: ingentique hominum exspectatione propositis decem tabulis, populum ad concionem aduocauerunt: &, quod bonum, faustum, felixque reipublicæ, ipsis, liberisque eorum esset, ire, & legere leges propositas iussere. se, quantum decem hominum ingeniis prouideri potuerit, omnib. summis infimísque iura æquasse. plus pollere multorum ingenia. consiliáque versarent in animis secum vnamquanque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minúsve esset, confer-

A rent. his legibus habiturum populum Romanum, quas consensus omnium inuexisse, nec iussisse latas magis, quam tulisse videri posset. Cum ad rumores hominum de vnoquoque legum capite editos, satis correctæ viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ sunt: qui nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias aceruatarum legum cumulo, fons omnis publici priuatique est iuris. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas, quibus adiectis absolui posse velut corpus omnis Romani iuris. B Ea exspectatio, cum dies comitiorum appropinquaret, desiderium decemuiros iterum creandi fecit. Iam plebs, præterquam quòd consulum nomen haud secus quam regum perosa erat, ne tribunitium quidem auxilium, cedentib. inuicem appellatione decemuiris, quærebat. Postquam verò comitia decemuiris creandis in trinum nundinum indicta sunt, tanta exarsit ambitio, vt primores quoque ciuitatis (metu credo ne tanti possessio imperij, vacuo ab se relicto loco, haud satis dignis pateret) C prehensarent homines, honorem summa ope ab se impugnatum, ab ea plebe, cum qua contenderent, suppliciter petentes. Dimissa iam in discrimen dignitas, ea ætate, hisque honoribus actis, stimulabat Appium Claudium, nescires vtrum inter decemuiros, an inter candidatos numerares. propior interdum petendo, quam gerendo magistratui erat. criminari optimates, extollere candidatorum leuissimum quemque humillimúmque. ipse medius inter tribunitios Duellios Iciliosque in foro volitare, D per illos se plebi venditare: donec collegæ quoque, qui vnice illi dediti fuerant ad id tempus, coniicere in eum oculos, mirantes quid sibi vellet: apparere nihil synceri esse: profectò haud gratuitam in tanta superbia comitatem fore: nimium in ordinem se ipsum cogere, & vulgari cum priuatis, non tam properantis abire magistratu, quàm viam ad continuandum magistratum quærentis esse. Propalam obuiam ire cupiditati parum ausi, obsecundando mollire impetum aggrediuntur. comitiorum illi habendorum, E quando minimus natu sit, munus consensu iniungunt. Ars hæc erat, ne semetipse creare posset: quod præter tribunos plebis, & id ipsum pessimo exemplo, nemo vnquam fecisset. ille enimuero, quod bene vertat, habiturum se comitia professus, impedimentum pro occasione arripuit. deiectisque honore per coitionem duobus Quintiis, Capitolino & Cincinnato, & patruo suo C. Claudio, constantissimo viro in optimatium caussa, & aliis eiusdem fastigij ciuibus, nequaquam splendore vitæ pares F decemuiros creat, se in primis. quod haud secus factum improbabant boni, quàm nemo facere ausurum crediderat. Creati cum eo M. Cornelius Maluginensis, M. Sergius, L. Minutius, Q. Fabius Vibulanus, Q. Petilius, T. Antonius Merenda, Cæso Duellius, Sp. Oppius Cornicen, M. Rabuleius. Ille finis Appio alienæ personę ferendæ fuit. suo iam inde viuere ingenio cœpit, nouosque collegas iam priusquam inirent magistratum, in suos mores formare. Quotidie coibant remotis arbitris. inde G impotentibus instructi consiliis, quæ secreto ab aliis coquebant, iam haud dissimulando superbiam, rari aditus, colloquentibus difficiles, ad Idus Maias rem perduxere. Idus tum Maiæ solemnes ineundis magistratibus erant. Initio igitur magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere, nam cum ita priores decemuiri seruassent, vt vnus fasces haberet, & hoc insigne regium in orbem suam cuiusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodenis

fascibus

fascibus prodiere, centum viginti lictores forum impleuerant, & fascibus secures illigatas præferebant. nec attinuisse demi securim, cum sine prouocatione creati essent, interpretabantur, decem regum species erat: multiplicatúsque terror non infimis solum, sed primoribus patrum, ratis cædis caussam ac principium quæri, vt si quis memorem libertatis vocem aut in senatu aut in populo misisset, statim virgæ, securésque etiam, ad ceterorum metum expedirentur. Nam præterquam quod in populo nihil erat præsidij, sublata prouocatione, intercessionem quoque consensu sustulerant: cùm priores decemuiri appellatione collegæ corrigi reddita ab se iura tulissent: & quædam, quæ sui iudicij videri possent, ad populum reiecissent, aliquandiu æquatus inter omnes terror fuit: paulatim totus vertere in plebem cœpit. abstinebatur à patribus, in humiliores libidinose, crudeliterque consulebatur. hominum, non caussarum toti erant: vt apud quos gratia vim æqui haberet. iudicia domi conflabant, pronuntiabant in foro. si quis collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita discedebat, vt pœniteret non prioris decreto stetisse. Opinio etiam sine auctore exierat, non in præsentis modo temporis eos iniuriam conspirasse: sed fœdus clandestinum inter ipsos iureiurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque decemuiratu possessum semel retinerent imperium. Circumspectare tum patriciorum vultus plebeij: & inde libertatis captare auram, vnde seruitutem timendo in eum statum rempu. adduxerant. Primores patrum odisse decemuiros, odisse plebem: nec probare quæ fierent, & credere haud indignis accidere: auide ruendo ad libertatem, in seruitutem elapsos iuuare nolle. cumulare quoque iniurias, vt tædio præsentium consules duo tandem, & status pristinus rerum in desiderium veniant. Iam & processerat pars maior anni, & duæ tabulæ legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectæ, nec quicquam iam supererat, si hæ quoque leges centuriatis comitiis perlatis essent cur eo magistratu reipublicæ opus esset, exspectabant, quam mox consulibus creandis comitia edicerentur. Id modo plebs agitabat, quonam modo tribunitiam potestatem, munimentum libertatis, rem intermissam repararent: cum interim mentio comitiorum nulla fieri, & decemuiri, qui primo tribunitios homines, quia id populare habebatur, circum se ostentauerant plebi, patriciis iuuenibus sepserant latera: eorum cateruæ tribunalia obsidebant. Hi ferre, agere plebem, plebisque res, cum fortuna, qua quicquid cupitum foret, potentioris esset, & iam ne tergo quidem abstinebatur: virgis cædi alij, alij securi subiici: & ne gratuita crudelitas esset, bonorum donatio sequi domini supplicium. Hac mercede iuuentus nobilis corrupta, non modo non ire obuiam iniuriæ: sed propalam licentiam suam malle quàm omnium libertatem. Idus Maiæ venere, nullis subrogatis magistratibus. priuati pro decemuiris. neque animis ad imperium inhibendum imminutis, neque ad speciem honoris insignibus prodeunt. Id verò regnum haud dubiè videri deploratur in perpetuum libertas, nec vindex quisquam exsistit, aut futurus videtur. Nec ipsi solum desponderant animos, sed contemni cœpti erant à finitimis populis, imperiúmque ibi esse, vbi non esset libertas, indignabantur. Sabini magna manu incursionem in agrum Romanum fecere: latéque populati, cum hominum atq; pecudum inulti prædas egissent, recepto ad Eretum, quod passim vagatum erat, agmine, castra locant: spem in

A discordia Romana ponentes, eam impedimentum delectui fore. Non nuntij solum, sed per vrbem agrestium fuga trepidationem iniecit. decemuiri consultant quid opus facto sit, destitutis inter patrum & plebis odia, addit terrorem insuper alium fortuna. Æqui alia ex parte castra in Algido locant: depopulatúmque inde excursionibus Thusculanũ agrum, legati ab Thusculo præsidium orantes nuntiant. Is pauor perculit decemuiros: vt senatum
B simul duobus circumstantibus vrbem bellis, consulerent. citari iubent in curiam patres, haud ignari, quanta inuidiæ immineret tempestas. omnes vastati agri. periculorúmque imminentium caussas in se congesturos: tentationémque eam fore abolendi sibi magistratus, ni consensu resisterent, imperioque inhibendo acriter in paucos præferocis animi conatus aliorum comprimerent. Postquam audita vox in foro est præconis, patres in curiam ad decemuiros vocantis: velut noua res, quia intermiserant iamdiu morem consulendi senatus, mirabun-
C dam plebem conuertit, quidnam incidisset, cur ex tanto interuallo rem desuetam vsurparent. hostibus belloque gratiam habendam, quod solitum quicquam liberæ ciuitatis fieret. circumspectare omnibus fori partibus senatorem, raroque vsquam noscitare: curiam inde ac solitudinem circa decemuiros intueri: cum & ipsi consensu inuisum imperium: & plebs, quia priuatis ius non esset vocandi senatum, non conuenire patres, interpretarentur.
D iam caput fieri libertatem repetentium. si se plebs comitem senatui det: & quemadmodum patres vocati non coeant in senatum, sic plebs abnuat delectum. Hæc fremebat plebes. Patrum haud ferè quisquam in foro, in vrbe rari erant. indignitate rerum cesserant in agros: suarúmque rerum erant soliciti, amissa publica: tantum ab iniuria se abesse rati, quantum à cœtu congressúque impotentium dominorum se amouissent. Postquam citati non conueniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda, sciscitandúmque num
E consulto detrectarent. referunt, senatum in agris esse. Lætius id decemuiris accidit, quàm si præsentes detrectare imperium referrent. Iubent acciri omnes, senatúmque in diem posterum indicunt: qui aliquanto spe ipsorum frequentior conuenit. quo facto proditam à patribus plebs libertatem rata, quod iis qui iam magistratu abiissent, priuatísque ius abesset: tanquam iure cogentibus senatus paruisset. Sed magis obedienter ventum in curiam est, quàm
F obnoxiè dictas sententias accepimus. L. Valerium Potitum proditum memoriæ est, post relationem Appij Claudij, priusquam ordine sententiæ rogarentur, postulando, vt de republica liceret dicere, prohibentibus minaciter decemuiris, proditurum se ad plebem denuntiantem, tumultum exciuisse. Nec minus ferociter M. Horatium Barbatum isse in certamen, X. Tarquinios appellantem, admonentémque, Valeriis & Horatiis ducibus pulsos re-
G ges, nec nominis homines tum pertæsum esse, quippe quo Iouem appellari fas sit, quo Romulum conditorem vrbis, deincépsque reges appellatos, quod sacris etiam vt solenne retentum sit, superbiam, violentiamque tum perosos regis: quę si in rege tum eodem, aut in filio regis ferenda non fuerint, quem laturum in tot priuatis? viderent, ne vetando in curia libere homines loqui, extra curiam etiam mouerent vocem. neque se videre, qui sibi minus priuato ad cócionem populum vocare, quàm illis senatum cogere liceat. vbi vellent, experirentur quanto ferocior dolor in libertate sua vindicanda, quàm cupiditas in

iniusta dominatione retinenda esset. De bello Sabino eos referre, tanquam maius vllum populo Ro. bellum sit, quàm cum iis qui legum ferendarum caussa creati, nihil iuris in ciuitate reliquerint: qui comitia, qui annuos magistratus, qui vicissitudinem imperitandi, quod vnum exequandæ sit libertatis, sustulerint, qui priuati fasces & regium imperium habeant. Fuisse regibus exactis patricios magistratus, creatos postea post secessionem plebis plebeios. cuius illi partis essent, rogitare, populares? quid enim eos per populum egisse? optimates? qui anno iam prope senatum non habuerint, tunc ita habeant, vt de repub. loqui prohibeant: ne nimium in metu alieno spei ponerent. grauiora quæ patiantur videri iam hominibus, quàm quæ metuant. Hæc vociferante Horatio, cum decemuiri nec iræ nec ignoscendi modum reperirent: nec quò euasura res esset, cernerent: C. Claudij, qui patruus Appij decemuiri erat, oratio fuit precibus quàm iurgio similis, orantis per sui fratris, parentisque eius manes, vt ciuilis potius societatis, in qua natus esset, quàm fœderis nefariè icti cum collegis, meminisset. multo id magis se illius caussa orare, quàm reipub. quippe rempublicam si à volentibus nequeat, ab inuitis ius expetituram, sed ex magno certamine magnas excitare ferme iras, earum euentum se horrere. Cùm aliud præterquam de quo retulissent, decemuiri dicere prohiberent: Claudium interpellandi verecundia fuit. sententiam igitur peregit. nullũ placere senatusconsultum fieri. omnésque ita accipiebant, priuatos eos à Claudio iudicatos: multique ex consularibus verbo assensi sunt. Alia sententia asperior in speciem, vim minorem aliquanto habuit, quæ patricios coire ad prodendum interregem iubebat. censendos enim quoscunque magistratus esse, qui Senatum haberent, iudicabat, quos priuatos fecerat auctor nullius senatusconsulti faciendi. Ita labante iam caussa decemuirorum, L. Cornelius Maluginensis, M. Cornelij decemuiri frater, cum ex consularibus ad vltimum dicendi locum consulto seruatus esset, simulando curam belli, fratrem collegásque eius tuebatur: quonam fato incidisset, mirari dictitans, vt decemuiros, qui decemuiratum petissent, aut socij, aut hi maximè oppugnarent. aut quid ita, cum per tot menses vacua ciuitate nemo, iusti, ne magistratus summæ rerum præessent, controuersiam fecerit: nunc demum cum hostes prope ad portas sint, ciuiles discordias serant: nisi quod in turbido minus perspicuum fore putent, quid agatur. Ceterum neminem maiore cura occupatis animis, verum posse præiudicium rei tantæ afferre. sibi placere de eo quod Valerius Horatiúsque ante Idus Maias decemuiros abisse magistratu insimulent, bellis quæ immineant, perfectis, republica in tranquillum redacta, senatu disceptante agi: & iam nunc ita separare Appium Claudium, vt comitiorum quæ decemuiris creandis decemuiri ipse habuerit, sciat sibi rationem reddendam esse vtrum in vnum annum creati sint, an donec leges quæ deessent, præferrentur, in præsentia omnia præter bellum omitti placere. cuius si falso famam vulgatam, vanáque non nuntios *solum, sed Thusculanorum etiam legatos attulisse putent, speculatores mittendos censere, qui certius explorata referant. sin fides & nuntiis & legatis habeatur, delectum primo quoque tempore haberi: decemuiros quo cuique eorum videatur, exercitus ducere. nec rem aliam præuerti. In hanc sententiam vt discederetur, iuniores patrum euincebant, ferocioresque iterum coorti Valerius Horatiús-

A que vociferari, vt de repub. liceret dicere: dicturos ad populum, si in senatu per factionem non liceat. neque enim sibi priuatos aut in curia, aut in concione posse obstare: neque se imaginariis fascibus eorum cessuros esse. Tum Appius iam prope esse ratus, vt, ni violentiæ eorum pari resisteretur audacia, victum imperium esset. Non erit melius, inquit, nisi de quo consulimus, vocem misisse. & ad Valerium negantem se priuato reticere lictorem accedere iussit. Iam Quiritium fidem implorante Valerio, à
B curiæ limine L. Cornelius complexus Appium, non cui simulabat consulendo, diremit certamen. factáque per Cornelium Valerio dicendi gratia quæ vellet, cum libertas non vltra vocem excessisset, decemuiri propositum tenuere. consulares quoque ac seniores ab residuo tribunitiæ potestatis odio, cuius desiderium plebi multo acrius, quam consularis imperij rebantur esse: prope malebant postmodum ipsos decemuiros voluntate abire magistratu, quam inuidia eorum exsurgere rursus plebem. si
C leniter ducta res sine populari strepitu ad consules redisset, aut bellis interpositis, aut moderatione cõsulum in imperiis exercendis, posse in obliuionem tribunorum plebem adduci. Silentio patrum edicitur delectus, iuniores, cum sine prouocatione imperium esset, ad nomina respondent. Legionibus scriptis, inter se decemuiri comparabant, quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus oporteret. Principes inter decemuiros erant Q. Fabius, & Appius Claudius. bellum domi maius, quàm foris appare-
D bat. Appij violentiam aptiorem rati ad comprimendos vrbanos motus: in Fabio minus in bono cõstás, quam gnauum in malitia ingenium esse. hunc enim virum egregium olim domi militiæque decemuiratus collegæque ita mutauerat, vt Appij quam sui similis mallet esse. huic bellum in Sabinis, M. Rabuleio & Q. Petilio additis collegis, mandatum. M. Cornelius in Algidum missus, cum L. Minutio, & T. Antonio, & Cæsone Duellio & M. Sergio. Sp. Oppium Ap. Claudio adiutorem ad vrbem tuendam
E æquo omnium decemuirorum imperio decernunt. Nihilo militiæ quàm domi melius respubl. administrata est, illa modo in ducibus culpa, quod vt odio essent ciuibus, fecerãt: alia omnis penes milites noxa erat, qui ne quid ductu atque auspicio decemuirorũ prospere vsquam gereretur, vinci se per suum atque illorum dedecus patiebantur. Fusi & ab Sabinis ad Eretum, & in Algido ab Æquis exercitus erant. ab Ereto per silentium noctis profugi, propius vrbem inter Fidenas Crustumeriámque loco edito
F castra communierant. persecutis hostibus nusquam se æquo certamine committentes, natura loci, ac vallo, non virtute aut armis tutabantur. Maius flagitium in Algido: maior etiam clades accepta: castra quoque amissa erant. exutúsque omnibus vtensilibus miles Thusculum se fide, misericordiáque victurus hospitum (quæ tamen non fefellerunt) contulerat. Romam tanti erant terrores allati, vt posito iam decemuirali odio, patres vigilias in vrbe habendas censerent: omnes qui per æ-
G tatem arma ferre possent, custodire mœnia, ac pro portis stationes agere iuberent: arma Thusculum ad supplementum decernerent, decemuirosque ab arce Thusculi digressos, in castris militem habere: castra alia à Fidenis in Sabinum agrum transferri: belloque vltro inferendo deterreri hostes à consilio vrbis oppugnandæ. Ad clades ab hostibus acceptas, duo nefanda facinora decemuiri belli domique adiiciunt. L. Siccium in Sabinis per inuidiam decemuiralem, tribunorum creandorum, secessionisque mentio-

mentiones ad vulgus militum sermonibus occultis ferentem. prospeculatum ad locum castris capiendum mittunt, datur negotium militibus, quos miserant expeditionis eius comites, vt eum opportuno adorti loco interficerent. Haud multum interfecere. nam circa repugnantem aliquot insidiatores cecidere, cum ipse se prævalidus pari viribus animo circumuentus tutaretur. Nunciant in castra ceteri, præcipitatum in insidias esse, Siccium egregiè pugnantem, militésque quosdam cum eo amissos. Primò fides nuntiantibus fuit: profecta deinde cohors ad sepeliendos qui ceciderant, decemuirorum permissu, postquam nullum spoliatum ibi corpus Sicciúmque in medio iacentem, armatúmque omnibus in eum versis corporibus videre: hostium neque corpus vllum, neque vestigia abeuntium: profecto ab suis interfectum memorantes, retulere corpus. inuidiæque plena castra erant, & Romam ferri protinus Siccium placebat, ni decemuiri funus militare ei publica impensa facere maturassent. Sepultus ingenti militum mœstitia, pessima decemuirorum in vulgus fama est. Sequitur aliud in vrbe nefas ab libidine ortum, haud minus fœdo euentu, quam quod per stuprum cædémque Lucretiæ vrbe regnoque Tarquinios expulerat: vt non finis solum idem decemuiris, qui regibus, sed caussa etiam eadem imperij amittendi esset. Appium Claudium virginis plebeiæ stuprandæ libido cepit. Pater Virginis, L. Virginius honestum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti domi militiæque. perinde vxor instituta fuerat, liberi quoque instituebantur. Despondérat filiam L. Icilio tribunitio viro acri, & pro caussa plebis expertæ virtutis, hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius amore ardens, pretio ac spe pellicere adortus, postquam omnia pudore septa animaduerterat, ad crudelem superbámque vim animum conuertit. Marco Claudio clienti negotium dedit, vt virginẽ in seruitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias: quod pater puellæ abesset, locum iniuriæ esse ratus. Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis literarum ludi erant) minister decemuiri libidinis manum iniecit, serua sua natam, seruámque appellans esse: sequique se iubebat, cunctantem vi abstracturum. Pauida puella stupente, ad clamorem nutricis fidem Quiritium implorantis, fit concursus. Virginij patris, sponsique Icilij populare nomen celebratur: notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat. Iam à vi tuta erat, cum assertor nihil opus esse multitudine concitata ait: se iure grassari, non vi. vocat puellam in ius, auctoribus qui adetant, vt sequeretur, ad tribunal Appij peruentum est. notam iudici fabulam petitor, quippe apud ipsum auctorem argumenti, peragit. puellam domi suæ natam, furtoque inde in domum Virginij translatam, suppositam ei esse. id se indicio compertum afferre: probaturúmque vel ipso Virginio iudice, ad quem maior pars iniuriæ eius pertineat. interim dominum sequi ancillam æquum esse. Aduocati puellæ, cum Virginium reipublicæ caussa dixissent abesse, biduo affuturum si nuntiatum ei sit: iniquum esse absentem de liberis dimicare: postulant vt rem integram in patris aduentum differat: lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem, neu patiatur virginem adultam famæ prius quàm libertatis periculum adire: Appius decreto præfatus quam libertati fauerit, eam ipsam legem declarare, quam Virginij amici postulationi suæ prætendant. ceterum ita in ea firmum libertati fore præsidium, si nec caussis nec personis variet. in his enim quæ asseran-

A tur in libertatem, quia quiuis lege agere possit, id iuris esse: in ea quæ in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. placere itaque patrem arcessiri: interea iuris sui iacturam assertorem non facere, quin ducat puellam, sistendámque in aduentum eius qui pater dicatur, promittat. Aduersus iniuriam decreti, cum multi magis fremerent, quàm quisquam vnus recusare auderet, P. Numitorius puellæ auunculus, & sponsus Icilius interueniunt. datáque inter turbam via, cum multi-B tudo Icilij maximè interuentu resisti posse Appio crederet, lictor decresse ait, vociferantémque Icilium summouet. Cum placidum quoque ingenium tam atrox iniuria accendisset: Ferro hinc tibi summouendus sum, Appi, inquit, vt tacitum feras, quod celari vis. virginem ego hanc sum ducturus, nuptam pudicámque habiturus, proinde omnes collegarum quoque lictores conuoca, expediri virgas, & secures iube. non manebit extra domum patris sponsa Icilij. non si tribunitium auxilium & prouocatio-C nem plebi Romanæ, duas arces libertatis tuendæ, ademistis: ideo in liberos quoque nostros coniugésque regnum vestræ libidini datum est. sæuire in tergum, & in ceruices nostras. pudicitia saltem in tuto sit: Huic si vis affertur, ego præsentium Quiritium pro sponsa, Virginius militum pro vnica filia, omnes deorum hominumque implorabimus fidem: neque tu istud vnquam decretum sine cæde nostra referes. Postulo Appi, etiam atque etiam consideres, quò progrediare. Virginius viderit de filia, vbi D venerit, quid agat hoc tantum sciat, sibi, si huius vindiciis cesserit, conditionem filiæ quærendam esse, me vindicátem spōsam in libertatẽ vita citius deseret, quàm fides. Concitata multitudo erat, certaménque instare videbatur. lictores Icilium circumsteterant: nec vltra minas tamen processum est, cum Appius non Virginium defendi ab Icilio, sed inquietum hominem, & tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis quærere diceret: non præbiturum se illi eo die materiam, sed vt iã sciret, non id E petulantiæ suæ; sed Virginio absenti, & patrio nomini, & libertati datum, ius eo die se non dicturum; neque decretum interpositurum: à Marco Claudio petiturum, vt decederet iure suo, vindicarique puellam in posterum diem pateretur. quod nisi pater postero die affuisset, denuntiare se Icilio, similibusque Icilij neque legi suæ latorem, neque decemuiro constantiam defore: nec se vtique collegarum lictores conuocaturum ad coercendos seditionis auctores, contentum se suis lictoribus fore. Cùm dilatum tempus iniuriæ esset, secessissentque F aduocati puellæ, placuit omnium primum fratrem Icilij, filiúmque Numitorij, impigros iuuenes pergere inde recta ad portam, & quantum accelerari posset, Virginium acciri è castris: in eo verti puellæ salutem, si postero die vindex iniuriæ ad tempus præsto esset. Iussi pergunt, citatísque equis nuntium ad patrem perferunt. Cum instaret assertor puellæ, vt vindicaret, sponsorésque daret: atque idipsum agi diceret Icilius, sedulo tempus terens, dum præriperent G iter nuntij missi in castra: manus tollere vndique multitudo, & se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendere. atque ille lacrymabundus; Gratum est, inquit: crastina die vestra opera vtar: sponsorum nunc satis est. Ita vindicatur Virginia, spondentibus propinquis. Appius paulisper moratus, ne eius rei caussa sedisse videretur: postquam omissis rebus aliis, præ cura vnius nemo adibat, domũ se recepit, collegísque in castra scribit, ne Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant.

Improbum consilium serum, vt debuit, fuit: & iam commeatu sumto, profectus Virginius prima vigilia erat, cùm postero die mane de retinendo eo nequicquam literæ redduntur. At in vrbe prima luce, cum ciuitas in foro exspectatione erecta staret, Virginius sordidatus filiam secum obsoleta veste, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti aduocatione in forum deducit. circumire ibi & prehensare homines cœpit:& non orare solum precariam opem, sed pro debita petere, se pro liberis eorum ac coniugibus quotidie in acie stare. nec alium virum esse, cuius strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent. quid prodesse, si incolumi vrbe, quæ capta vltima timeantur, liberis suis sint patienda? Hæc prope concionabundus circumibat homines. Similia his ab Icilio iactabantur. comitatus muliebris plus tacito fletu, quàm vlla vox mouebat. Aduersus quæ omnia obstinato animo Appius (tanta vis amentiæ verius quàm amoris mentem turbauerat) in tribunal ascendit: & vltro quærente pauca petitore, quod ius sibi pridie per ambitionem dictum non esse, priusquam aut ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem decreto sermonem prætenderit, forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderunt. quia nusquam vllum in tanta fœditate decreti verisimilem inuenio: id quod constat, nudum videtur proponendum. dare se vindicias secundum seruitutem. Primo stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquandiu tenuit. deinde cum Marcus Claudius circumstantibus matronis iret ad prehendendam virginem, lamentabilísque eum mulierum comploratio excepisset: Virginius intentans in Appium manus, Icilio, inquit, Appi, non tibi filiam despondi, & ad núptias, non ad stuprum educaui. placet pecudum ferarumque ritu promiscuè in concubitus ruere? passurine hæc isti sint, nescio. non spero esse passuros illos qui arma habent. Cùm repelleretur assertor virginis à globo mulierum, circumstantiúmque aduocatorum, silentium factum per præconem. Decemuir alienato ad libidinem animo, negat ex hesterno tantum conuicio Icilij, violentiaque Virginij, cuius testem P.R. habeat, sed certis quoque indiciis compertum se habere: nocte tota cœtus in vrbe factos esse ad mouendam seditionem. itaque se haud inscium eius dimicationis cum armatis descendisse, non vt quenquam quietum violaret, sed vt turbantes ciuitatis otium, pro maiestate imperij coerceret. proinde quiesse erit melius. I, inquit, lictor, summoue turbam, & da viam domino ad prehendendum mancipium. Cum hæc intonuisset plenus iræ, multitudo ipsa se sua sponte dimouit, desertáque præda iniuriæ puella stastat. Tum Virginius, vbi nihil vsquam auxilij vidit: Quæso, inquit, Appi, primum ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te sum inuectus: deinde sinas hic coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit: vt si falso pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam. Data venia, seducit filiam ac nutricem prope Cloacinæ ad tabernas, quibus nunc Nouis est nomen, atque ibi ab lanio cultro arrepto: Hoc te vno, quo possum, ait, modo filia in libertatem vindico. pectus deinde puellæ transfigit, respectánsque ad tribunal, Te, inquit, Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro. clamore ad tam atrox facinus orto, excitus Appius, comprehendi Virginium iubet. ille ferro, quacunque ibat, viam facere, donec multitudine etiam prosequentium ruente ad portam perrexit. Icilius Numitoriúsque exsangue corpus sublatum ostentant populo: scelus Appij, puellæ

A infelicem formam, necessitatem patris deplorant. sequentes clamitant matronæ, eámne liberorum procreandorum conditionem? ea pudicitiæ præmia esse? ceteraque quæ in tali re muliebris dolor, quò est mœstior imbecillo animo, eò miserabilia magis querentibus subiicit. Virorum, & maxime Icilij vox tota tribunitiæ potestatis, ac prouocationis ad populum ereptæ, publicarúmque indignationũ erat. Concitatur multitudo partim atrocitate sceleris, partim spe per occasionem repetendæ libertatis.

B Appius nunc vocari Icilium, nunc retractantem arripi: postremo cum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipse cum agmine patriciorum iuuenum per turbam vadens, in vincula duci iubet. Iã circa Icilium non solum multitudo, sed duces quoque multitudinis erant L. Valerius, & M. Horatius, qui repulso lictore, si iure ageret, vindicare se à priuato Icilium aiebant: si vim afferre conaretur, ibi quoque haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur. Valerium Horatiúmque lictor decemuiri inuadit: franguntur à multitudine fasces.

C In concionem Appius ascendit: sequuntur Horatius Valeriúsque, eos concio audit, decemuiro obstrepitur. Iam pro imperio Valerius discedere à priuato lictores iubebat: cum fractis animis Appius vitæ metués, in domum se propinquam foro insciis aduersariis capite obuoluto recepit. Sp. Oppius vt auxilio collegæ esset, in forum ex altera parte irrumpit: videt imperium vi victum. Agitatus deinde consiliis, atque ex omni parte assentiendo, multis auctoribus trepidus, senatum

D postremo vocari iussit. ea res, quod magnæ parti patrum displicere acta decemuirorum videbantur, spe per senatum finiendæ potestatis eius multitudinem sedauit. Senatus nec plebem irritandam censuit: & multo magis prouidendum, ne quid Virginij aduentus in exercitu motus faceret. itaque missi iuniores patrum in castra, quæ tum in monte Vecilio erant, nuntiant decemuiris, vt omni ope ab seditione milites contineant, vbi Virginius maiorem quàm reliquerat in vrbe, motum exciuit.

E Nam præterquam quod agmine prope quadringétorum hominum veniens, qui ab vrbe indignitate rei accensi comites ei se dederant, conspectus est: strictum etiam telum tenens, respersúsque ipse cruore, tota in se castra conuertit. & togæ multifariam in castris visæ, maioris aliquanto quam erat, speciem vrbanæ multitudinis fecerant. Quærentibus quid rei esset, flens diu vocem non misit. Tandem iam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silétium fuit: ordine cuncta vt gesta erant, exposuit. Su-

F pinas deinde tendens manus, commilitones appellans orabat, ne quod scelus Ap. Claudij esset, sibi attribuerent, neu se vt parricidam liberum auersarentur. sibi vitam filiæ sua carioré fuisse, si libere ac pudice viuere licitum fuisset. cum velut seruam ad stuprum rapi videret, morte amitti melius ratũ quam contumelia liberos: misericordia se in speciem crudelitatis lapsum, nec se superstitem filiæ futurum fuisse, nisi spem vlciscendæ mortis eius in auxilio commilitonum habuisset. illis quoque enim filias,

G sorores, coniugésque esse. nec cum filia sua libidiné Ap. Claudij exstinctam esse: sed quo impunitior sit, eo effrenatiorem fore: aliena calamitate documentum datum illis cauendæ similis iniuriæ. quòd ad se attineat, vxoré sibi fato ereptam: filiam, quia nõ vltra pudica victura fuerit, miserã, sed honestam mortem occubuisse. non esse iã Appij libidini locũ in domo sua: ab alia violentia eius eodé se animo suum corpus vindicaturum, quo vindicauerit filiæ. ceteri sibi liberis suis consulerent. Hæc Virginio vociferáti ac succla-

succlamabat multitudo nec illius dolori, nec suæ libertati se defuturos. Et immisti turbæ militum togati cum eadem illa quærendo, docendoque, quanto visa quàm audita indigniora potuerint videri: simul profligatam iam rem nunciando Romæ esse, insecutosque qui Appium prope interemtum in exilium abisse dicerent: perpulerunt, vt ad arma conclamaretur: vellerentque signa, & Romam proficiscerentur. Decemuiri simul iis quæ videbant, iisque quæ acta Romæ audierant, perturbati, alius in aliam partem castrorum ad sedandos motus discurrunt: & leniter agentibus responsum non redditur. imperio si quis inhiberet, & viros, & armatos se esse respondetur. eunt agmine ad vrbem, & Auentinum insidunt, vt quisque occurrerat, plebem ad repetendam libertatem, creandosque tribunos plebis adhortantes, alia vox nulla violenta audita est. senatum Sp. Oppius habet: nihil placet aspere agi. quippe ab ipsis datum locum seditionis esse. mittuntur tres legati consulares, Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpitius qui quærerent senatus verbis, cuius iussu castra deseruissent: aut quid sibi vellent, qui armati Auentinum obsedissent: belloque auerso ab hostibus, patriam suam cepissent? Non defuit quid responderetur: deerat qui daret responsum, nullo dum certo duce, nec satis audentibus singulis, inuidiæ se offerre, id modo à multitudine conclamatum est, vt L. Valerium & M. Horatium ad se mitterent, his se daturos responsum. Dimissis legatis, admonet milites Virginius, in re non maxima paulò ante trepidatum esse, quia sine capite multitudo fuerit, responsumque quanquam non inutiliter, fortuito tamen magis consensu, quàm communi consilio esse. placere decem creari, qui summæ rei præessent, militarique honore tribunos militum appellari. Cum ad eum ipsum primum is honos deferretur: Melioribus meis vestrisque rebus reseruate, inquit, ista de me iudicia, nec mihi filia in vita honorem vllum iucundum esse patitur: nec in perturbata republica eos vtile est præesse vobis, qui proximi inuidiæ sint. si quis vsus mei est, nihilo minor ex priuato capietur. Ita decem numero tribunos militares creant. Neque in Sabinis quieuit exercitus: ibi quoque auctore Icilio Numitorioque secessio ab decemuiris facta est: non minore motu animorum Siccij cædis memoria renouata, quam quem noua fama de Virginia adeo fœdè ad libidinem petita accenderat. Icilius vbi audiuit tribunos militum in Auentino creatos: ne comitiorum militarium prærogatiuam vrbana comitia iisdem tribunis plebis creandis sequerentur: peritus rerum popularium, imminénsque ei potestati, & ipse priusquam iretur ad vrbem, pari potestate eundem numerum ab suis creandum curat. Porta Collina vrbem intrauere sub signis, mediáque vrbe agmine in Auentinum pergunt. ibi coniuncti alteri exercitui, xx. tribunis militum negotium dederunt, vt ex suo numero duos crearent, qui summæ rerum præessent, Marcum Oppium, Sex. Manilium creant. Patres soliciti de summa rerum, cum senatus quotidie esset, iurgiis sæpius terunt tempus quam consiliis. Siccij cædes decemuiris, & Appiana libido, & dedecora militiæ obiiciebantur. placebat Valerium Horatiúmque ire in Auentinum. illi negabant se aliter ituros, quàm si decemuiri deponerent insignia magistratus eius, quo anno iam ante abissent. Decemuiri querentes se in ordinem cogi, non antequam perlatis legibus, quarum caussa creati essent, deposituros imperium se aiebant. Per M. Duellium, qui tribunus plebis fuerat, certior facta plebs, contentionibus assiduis nihil transigi, in Sacrum

A montem ex Auentino transit: affirmante Duellio non prius quam deseri vrbem videant, curam in animos patrum descensuram: admoniturum Sacrum montem constantiæ plebis, scituros quod sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant. Via Nomentana, cui tum Ficulensi nomen fuit, profecti, castra in monte Sacro locauere, modestiam patrum suorum nihil violando, imitati. Secuta exercitum plebs, nullo qui per ætatem ire posset, retractante: prosequuntur coniuges liberique, cuinam se relinquerent B in ea vrbe, in qua nec pudicitia nec libertas sancta esset, miserabiliter rogitantes. Cùm vasta Romæ omnia insueta solitudo fecisset, in foro præter paucos seniorum nemo esset: vocatis vtique in senatum patribus, desertum apparuisset forum: plures iam quàm Horatius & Valerius vociferabantur: Quid exspectabitis P. Conscripti? si decemuiri finem pertinaciæ non faciunt, ruere ac deflagrare omnia passuri estis? Quod autem istud imperium est, decemuiri, quod amplexi tenetis? tectis ac parie- C tibus iura dicturi estis? non pudet lictorum vestrorum maiorem prope numerum in foro conspici, quam togatorum aliorúmque? Quid si hostes ad vrbem veniant, facturi estis? quid si plebs mox, vbi parum secessione moueamur, armata veniat? occasune vrbis vultis finire imperium? atqui aut plebs non est habenda, aut habendi sunt tribuni plebis. Nos citiùs caruerimus patriciis magistratibus, quam illi plebeiis. nouam inexpertámque eam potestatem eripuere patribus nostris, ne nûc dulcedine semel ca- D pti ferant desiderium: cum præsertim nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilij egeant. Cû hæc ex omni parte iactarentur, victi consensu decemuiri, futuros se, quando ita videatur, in potestate patrum affirmant. id modo simul orant, ac monent, vt ipsis ab inuidia caueatur: nec suo sanguine ad supplicia patrum plebem assuefaciant. Tum Valerius Horatiúsque missi ad plebem conditionibus, quibus videretur, reuocandam, componendásque res; decemuiris quoque ab ira & impetu multitudinis E præcauere iubentur. Profecti, gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur: quippe liberatores haud dubiè & motus initio, & exitu rei. ob hæc iis aduenientib. gratiæ actæ, Icilius pro multitudine verba facit. idem cum de conditionibus ageretur, quærentibus legatis, quæ postulata plebis essent: composito iam ante aduentum legatorum consilio, ea postulauit, vt appareret in æquitate rerû plus quam in armis repositi spei. potestatem enim tribunitiam, prouocationémque repetebant, quæ ante decemuiros creatos auxilia plebis fuerant. & ne cui fraudi esset, concisse F milites aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem. de decemuirorum modo supplicio atrox postulatum fuit. dedi quippe eos æquum censebant, viuosque igni concrematuros minabantur. Legati ad ea: Quæ consilij fuerunt, adeo æqua postulastis, vt vltro vobis deferenda fuerint. libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandam alios. iræ vestræ magis ignoscendum, quam indulgendum est: quippe qui crudelitatis odio in crudeli- G tatem ruitis: & prius pene quam ipsi liberi sitis, dominari iam in aduersarios vultis. Nunquámne quiescet ciuitas nostra à suppliciis aut patrum in plebem Romanam, aut plebis in patres? Scuto vobis magis quam gladio opus est. satis superque humilis est, qui iure æquo in ciuitate viuit, nec inferendo iniuriam, nec patiendo. etiam si quando metuendos vos præbituri estis, cum recuperatis magistratibus, legibúsque vestris, iudicia penes vos erunt: de capite nostro fortunísque tunc, vt quæque caussa erit, statuetis.

nunc libertatem repeti satis est. Facerent vt vellent permittentibus cunctis, mox redituros se legati rebus perfectis affirmant. Profecti cum mandata plebis patribus exposuissent: alij decemuiri, quandoquidem præter spem ipsorũ, supplicij sui nulla métio fieret, haud quicquam abnuere. Appius truci ingenio & inuidia præcipua, odium in se aliorum suo in eos metiens odio: Haud ignauo, inquit, imminet fortuna, video, donec arma aduersariis tradantur, differri aduersus nos certamen dandus inuidiæ est sanguis. nihil ne ego quidem moror, quo minus decemuiratu abeam. Factum senatusconsultum, vt decẽuiri se primo quoque tempore magistratu abdicarent: Q. Furius Pontifex maximus tribunos plebis crearet: & ne cui fraudi esset secessio militum, plebisque. His senatusconsultis perfectis, dimisso senatu decemuiri prodeunt in concionem, abdicántque se magistratu, ingenti hominum lætitia. Nuntiantur hæc plebi: legatos quicquid in vrbe hominum supererat, prosequitur. huic multitudini læta alia turba ex castris occurrit. congratulantur libertatem concordiamque ciuitati restitutam. Legati pro concione: Quod bonum, faustũ, felixque sit vobis, reique publicæ, redite in patriam ad penates, coniuges, liberosq; vestros. sed qua hic modestia fuistis, vbi nullius ager in tot vsu rerum necessario tantę multitudini est violatus, eam modestiam ferte in vrbem in Auentinum ite, vnde profecti estis. ibi felici loco, vbi prima initia incoastis libertatis vestræ, tribunos plebis creabitis. præsto erit pontifex maximus, qui comitia habeat. Ingens assensus alacritásque cuncta approbantium fuit conuertunt inde signa, profectique Romam certant cum obuiis gaudio. armati per vrbem silentio in Auentinum perueniunt. ibi extemplo Pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creauerunt, omnium primum A. Virginium, inde L. Icilium, & P. Numitorem auunculum Virginiæ, auctores successionis: tum C. Sicinium, progeniem eius, quem primum tribunum plebis creatum in Sacro monte, prod tum memoriæ est: & M. Duellium, qui tribunatum insignem ante decemuiros creatos gesserat, nec in decemuiralibus certaminibus plebi defuerat, spe deinde magis quam meritis electi, M. Titinnius, M. Pomponius, C. Apronius, Ap. Iulius, C. Oppius. Tribunatu inito L. Icilius extemplo plebem rogauit: & plebs sciuit, ne cui fraudi esset secessio ab decemuiris facta. Confestim de consulibus creandis cum prouocatione M. Duellius rogationem pertulit. ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc circum Flaminium appellant. Per interregem deinde consules creati, L. Valerius, & M. Horatius, qui extemplo magistratum occeperunt: quorum consulatus popularis sine vlla patrum iniuria, nec sine offensione fuit, quicquid enim libertati plebis caueretur, id suis decedere opibus credebant. Omnium primum, cum veluti in controuerso iure esset, tenerentúrne patres plebiscitis: legem centuriatis comitiis tulere, vt quod tributim plebes iussisset, populum teneret. qua lege tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum est. Aliam deinde consularem legem de prouocatione, vnicum præsidium libertatis, decemuirali potestate euersam, non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt: sanciendo nouam legem, ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet. qui creasset, eum ius fásque esset occidi: néve ea cædes capitalis noxæ haberetur. & cum plebem hinc prouocatione, hinc tribunitio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis vt sacrosancti viderentur (cuius rei prope iam memoria aboA leuerat) relatis quibusdam ex magno interuallo ceremoniis, renouarunt: & cum religione inuiolatos eos, tum lege etiá fecerunt: sanciendo, vt qui tribunis plebis, ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset: familia ad ædem Cereris, Liberi Liberæque venum iret. Hac lege iuris interpretes negant quenquam sacrosanctum esse, sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. itaque ędilem prehendi, ducique à maioribus magistratibus: quod etsi non iure fiat (noceri enim ei, cui B hac lege non liceat) tamen argumentum esse, nõ haberi pro sacrosancto ædilem: tribunos vetere iureiurando plebis, cum primum eam potestatem creauit, sacrosanctos esse. Fuere qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quoque & prætoribus, quia eisdem auspiciis, quibus consules crearentur, cautum esse: iudicem enim consulem appellari. Quæ refellitur interpretatio: quod his temporibus nondũ consulem iudicem, sed prætorem appellari mos fuerit. Hæc consulares leges fuere. Institutum etiam C ab iisdem consulibus, vt senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur: quæ ante arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque. M. Duellius deinde tribunus plebis, plebem rogauit, plebésque sciuit, qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Hæc omnia vt inuitis, ita non aduersantibus patriciis transacta: quia nondũ in quenquam vnum sæuiebatur. Fundata deinde & potestate tribunitia, & plebis libertate, tum tribuni aggredi singulos, tutum maturumque iam rati, D accusatorem primum Virginium, & Appium reum deligunt. Cùm diem Appio Virginius dixisset, & Appius stipatus patriciis iuuenibus in forũ descendisset: redintegrata extemplo est omnibus memoria fœdissimæ potestatis, cum ipsum satellitésque eius vidissent. Tum Virginius. Oratio, inquit, rebus dubiis inuenta est. itaque neque ego accusando apud vos eum, tempus teram, à cuius crudelitate vosmetipsi armis vindicastis: nec istum ad cętera scelera impudentiam, in defendendo se, adiicere E patiar. Omnium igitur tibi Ap. Claudi, quæ impie nefarieque per biennium alia super alia ausus es, gratiam facio. vnius tantum criminis nisi iudicem in vindices te ab libertate in seruitutem cõtra leges vindicias non dedisse, in vincula te duci iubeo. Nec in tribunitio auxilio Appius, nec in iudicio populi vllam spem habebat: attamen & tribunos appellauit, & nullo morante arreptus à viatore, Prouoco, inquit. Audita vox vna vindex libertatis, ex eo misF sa ore, quo vindiciæ nuper ab libertate dictæ erant, silentium fecit. Et dum pro se quisque deos tandem esse, & non negligere humana fremunt: & superbiæ crudelitatique etsi seras, non leues tamen venire pœnas: prouocare, qui prouocationem sustulisset: & implorare præsidium populi, qui omnia iura populi obtrisset: rapique in vincula egentem iure libertatis, qui liberum corpus in seruitutem addixisset: ipsius Appij inter concionis murmur fidem populi Romani implorantis vox audiebatur. G Maiorum merita in rempub. domi militiæque commemorabat: suum infelix erga plebem Romanam studium, quod æquandarum legum caussa cum maxima offensione patrum consulatu abiisset: suas leges, quibus manentibus lator earum in vincula ducatur. ceterum sua propria bona maláque cum caussæ dicendæ data facultas sit, tum se experturum. in præsentia se communi iure ciuitatis ciuem Romanum die dicta postulare, vt dicere liceat, vt iudicium populi Ro. experiri. non ita se inuidiam pertimuisse, vt nihil

A vt nihil in æquitate & misericordia ciuium suorum spei habeat: quod si indicta caussa in vincula ducatur, iterum se tribunos plebis appellare, & monere, ne imitentur quos oderint. quod si tribuni eodem fœdere obligatos se fateantur tollendæ appellationis caussa, in quam conspirasse decemuiros criminati sint, ait se prouocare ad populum: implorare leges de prouocatione, & consulares & tribunitias eo ipso anno latas. quem enim prouocaturum, si huic indemnato indicta caussa non liceat? cui plebeio & humili præsidium in legibus fore, si Ap. Claudio non sit? se documento futurum, vtrum nouis legibus dominatio, an libertas firmata sit: & appellatio prouocatióq; aduersus iniuriam magistratuum ostentata tantum inanibus literis, an verè data sit. Contrà ea Virginius vnum Ap. Claudium & legum expertem, & ciuilis & humani fœderis esse aiebat, respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum: vbi decemuir ille perpetuus, bonis, tergo, sanguini ciuiũ infestus, virgas securésque omnibus minitans, deorum hominumque contemtor, carnificibus, non lictoribus stipatus, iam ab rapinis & cædibus animo ad libidinem verso, virginem ingenuam in oculis populi Romani velut bello captam, à complexu patris abreptam, ministro cubiculi sui clienti dono dederit: vbi crudeli decreto, nefandisque vindiciis dexteram patris in filiam armauerit: vbi tollentes corpus semianimẽ virginis, sponsum, auunculúmque in carcerem duci iusserit, stupro interpellato magis quam cæde motus. & illi carcerem ædificatum esse, quod domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus. Proinde vt ille iterum ac sæpius prouocet, sic se iterum ac sæpius iudicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in seruitutem dederit. si ad iudicem non eat, pro damnato in vincula duci iubere. Vt haud quoquam improbante, sic magno motu animorum, cum tanti viri supplicio suamet plebi iam nimia libertas videretur, in carcerem est coniectus. tribunus ei diem prædixit. Inter hæc ab Latinis & Hernicis legati gratulatum de concordia patrum ac plebis Romam venerunt: donúmque ob eam Ioui optimo maximo coronam auream in Capitolium tulere parui ponderis, prout res haud opulentæ erant, colebantúrque religiones piè magis quàm magnificè. Iisdem auctoribus cognitum est, Æquos Volscosque summa vi bellum apparare. Itaque partiri prouincias consules iussi. Horatio Sabini, Valerio Volscique euenere. Cũ ad ea bella delectum edixissent, fauore plebis non iuniores modo, sed emeritis etiam stipendiis pars magna voluntariorum ad nomina danda præsto fuere: eoque non copia modo, sed genere etiam militum veteranis admistis, firmior exercitus fuit. Priusquam vrbem egrederentur, leges decemuirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in æs incisas, in publico proposuerunt. Sunt qui iussu tribunorum ædiles functos eo ministerio scribant. C. Claudius, qui perosus decemuirorum scelera, & ante omneis fratris filij superbiæ infestus, Regillum antiquam in patriam se contulerat: is magno iam natu cum ad pericula eius deprecanda redisset, cuius vitia fugerat, sordidatus cum gentilibus, clientibusque in foro prehensabat singulos: orabátque Claudiæ genti eam inustam maculam vellent, vt carcere & vinculis viderentur digni. virum honoratissimæ imaginis futurum ad posteros, legumlatorem, conditorémque Romani iuris, iacere vinctum inter fures nocturnos ac latrones. auerterent ab ira parumper ad cognitionem cogitationémque animos: & potius vnum tot Claudiis deprecantibus condonarent, quàm propter vnius odium multorum preces aspernarentur:

se quoque id generi ac nomini dare, nec cum eo in gratiam redisse, cuius aduersæ fortunæ velit succursum: virtute libertatem recuperatam esse, clementia concordiam ordinum stabiliri posse. Erant quos moueret sua magis pietate, quàm eius pro quo agebat caussa. sed Virginius sui potius vt misererentur orabat, filiæque: nec gentis Claudiæ regnum in plebem sortitæ, sed necessariorum Virginiæ trium tribunorum preces audirent: qui ad auxilium plebis creati, ipsi plebis fidem atque auxilium implorarent.

B. Iustiores hæ lacrymæ videbantur. Itaque spe incisa, priusquam prodicta dies adesset, Appius sibi mortem consciuit. Subinde arreptus à P. Numitorio Sp. Oppius inuidiæ proximus, quod in vrbe fuerat, cum iniustæ vindiciæ à collega dicerentur. plus tamen facta iniuria, Oppio quàm non prohibita inuidiæ fecit. testis productus, qui vii. & xx. enumeratis stipendiis, octies extra ordinem donatus, donaque ea gerens in conspectu populi, scissa veste tergum laceratum virgis ostendit, nihilum deprecans, quin si C quam suam noxam reus dicere posset, priuatus in se iterum sæuiret. Oppius quoque ductus in vincula est, & ante iudicij diem finem ibi vitæ fecit. Bona Claudij Oppijque tribuni publicauere. collegæ eorum exilij caussa solum verterunt, bona publicata sunt. & M. Claudius assertor Virginiæ die dicta damnatus, ipso remittente Virginio vltimam pœnam, dimissus Tybur exsulatum abiit: manésque Virginiæ mortuæ, quam viuæ feliciores per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto sonte tandé quie-

D uerunt. Ingens metus incesserat patres, vultúsque iam iidem tribunorum erant, qui decemuirorũ fuerant, cum M. Duellius tribunus plebis inhibito salubriter modo nimiæ potestatis: Et libertatis, inquit, nostræ, & pœnarum ex inimicis satis est. itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quenquam sum passurus, nam neque vetera peccata repeti iam obliterata placet, cum & noua expiata sint decemuirorum suppliciis: & nihil admissum iri, quod vim tribunitiam desideret, spondet E perpetua consulum amborũ in libertate vestra tuenda cura. Ea primum moderatio tribuni metum patribus demsit, eadémque auxit consulum inuidiam: quod adeo toti plebis fuissent, vt patrum salutis libertatisque prior plebeio magistratui quam patricio cura fuisset: & ante inimicos satietas pœnarum suarum cepisset, quam obuiam ituros licentiæ eorum cõsules appareret. multique erant qui mollius consultum dicerent, quod legum ab iis latarum patres auctores fuissent, neque erat dubium quin turbato F reipu. statu tempore succubuissent. Consules rebus vrbanis compositis, fundatoque plebis statu in prouincias diuersi abiere. Valerius aduersus coniunctos iam in Algido exercitus Æquorum Volscorúmque sustinuit consilio bellum, quod si extemplo rem fortunæ commisisset, haud scio an (qui tum animi ab decemuirorum infelicibus auspiciis Romanis hostibúsque erant) magno detrimento certamen staturum fuerit. Castris mille passuum ab hoste positis, copias continebat, hostes medium inter bina castra G spatium acie instructa complebant: prouocantibúsque ad prælium, responsum Romanus nemo reddebat. tandem fatigati stando, ac nequicquam exspectando certamen Æqui Volscique, postquam cõcessum propemodũ de victoria credebant: pars in Hernicos, pars in Latinos prædatum abeunt. relinquitur magis castris præsidium, quam satis virium ad certamen. Quod vbi sensit consul, reddit illatũ antea terrorem, instructáque acie vltro hostẽ lacessit. vbi illi cõscientia quid abesset viriũ, detrectauere pugnam,

creuit extemplo Romanis animus, & pro victis habebant pauentes intra vallum. Cum per totum diem stetissent, intenti ad certamen nocti cessere. Et Romani quidem pleni spei corpora curabant. haudquaquam pari hostes animo, nuntios passim trepidi ad reuocandos prædatores dimittunt. recurritur ex proximis locis, vlteriores non inuenti. Vbi illuxit, egreditur castris Romanus, vallum inuasurus, ni copia pugnæ fieret. & postquam multa iam dies erat, neque mouebatur quicquam ab hoste, iubet insigna inferri consul, motáque acie indignatio Æquos & Volscos incessit, si victores exercitus vallum potius quam virtus & arma contegerent. igitur & ipsi efflagitatum ab ducibus signum pugnæ accepere. Iámque pars egressa portis erat, deincépsque alij seruabant ordinem, in suum quisque locum descẽdentes, cum cõsul Romanus, priusquã totis viribus fulta constaret hostium acies, intulit signa: adortúsque nec dum omnes eductos nec qui erant, satis explicatis ordinibus, prope fluctuantem turbam trepidantium huc atque illuc, circumspectantiumque se ac suos, addito turbatis mentibus clamore, atque impetu, inuadit. Retulere primo pedem hostes, deinde cum animos collegissent, & vndique duces, victísne cessuri essent, increparent, restituitur pugna. Consul ex altera parte Romanos meminisse iubebat, illo die primum liberos pro libera vrbe Romana pugnare, sibimetipsis victuros, non vt decemuirorũ victores præmium essent: non Appio duce rem geri, sed cõsule Valerio à liberatoribus populi Romani orto, liberatore ipso: ostenderent prioribus prælijs per duces, non per milites stetisse, ne vincerent: turpe esse contra ciues plus animi habuisse, quã contra hostes: & domi quã foris seruitutẽ magis timuisse. Vnam Virginiam fuisse, cuius pudicitiæ in pace periculum esset. vnum Appium ciuem periculosæ libidinis: at si fortuna belli inclinet omnium liberis ab tot millibus hostium periculum fore. Nolle ominari, quæ nec Iupiter, nec Mars pater passuri sint, iis auspiciis conditæ vrbi accidere Auentini Sacríque montis admonebat, vt vbi libertas parta esset, paucis ante mensibus, eo imperium illibatum referrent: ostenderéntque, eandem indolem militibus Romanis post exactos decemuiros esse, quæ ante creatos fuerit: nec æquatis legibus imminutam virtutem populi Romani esse. Hæc vbi inter signa peditum dicta dedit, aduolat deinde ad equites: agite iuuenes, inquit, præstate virtute peditem, vt honore atque ordine præstatis. Primo concursu pedes mouit hostem, pulsum vos immissis equis exigite è campo: non sustinebunt impetum: & nunc cunctãtur magis quàm resistunt. Concitant equos, permittuntque in hostem pedestri iam turbatum pugna: & perruptis ordinibus, elati ad nouissimam aciem, pars libero spatio circumuecti, iam fugam vndique capessentes, plerósque à castris auertunt, præterequitantésque absterrent. peditum acies, & consul ipse vísque omnis belli fertur in castra: captisq; cum ingenti cæde maiore præda potitur. Huius pugnæ fama perlata non in vrbem modo, sed in Sabinos ad alterum exercitũ: in vrbe lætitia modo celebrata est, in castris animos militum ad æmulandum decus accendit. Iam Horatius eos excursionibus sufficiendo, prælijsque leuibus experiundo, assuefecerat sibi potius fidere, quàm meminisse ignominiæ decemuirorum ductu acceptæ: paruáque certamina in summã totius profecerant spei. Nec cessabant Sabini feroces ab re priore anno bene gesta lacessere atque instare, rogitantes quid latrocinij modo procursantes pauci, recurrentésque tererent tempus? & in multa prælia

A paruáque carperent summam vnius belli? quin illi congrederentur acie? inclinandámque semel fortunæ rem darent? Ad id quod sua spõte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur: iam alterum exercitum victorem in vrbem rediturum, sibi vltro per contumelias hostem insultare. quando autem se, si tum non sint, pares hostibus fore? Vbi hæc fremere militem in castris consul sensit: concione aduocata: Quemadmodum, inquit, in Algido res gesta sit, arbitror vos milites audisse. B qualem liberi populi exercitum decuit esse, talis fuit. consilio collegæ, virtute militum victoria parta est. Quod ad me attinet, id consilij, animique habiturus sum, quod vos milites mihi effeceritis. & trahi bellum salubriter, & maturè perfici potest. si trahendũ est, ego vt indies spes virtúsque vestra crescat, eadẽ qua institui disciplina efficiam. si iam satis animi est, decerníque placet, agite dum clamorem, qualem in aciem sublaturi estis. tollite hic indicem voluntatis virtutísque vestræ. Postquam ingenti alacritate C clamor est sublatus: quod bene vertat, gesturum se illis morem, posteroque die in aciem deducturum, affirmat. reliquum diei apparandis armis consumtum est. Postero die simul instrui Romanam aciem Sabini videre, & ipsi iam auidi certaminis procedunt: Prælium fuit, quale inter fidentes sibimet ambos exercitus, veteris perpetuæque, alterum gloriæ auidum, alterum nuper noua victoria elatum. Consilio etiam Sabini vires adiuuere. nam cum æquassent aciem, duo extra ordinem millia, quæ in sinistrum cornu Romanorum D in ipso certamine impressionem facerent, tenuere. quę vbi illatis ex transuerso signis degrauabant prope circumuentum cornu, equites duarum legionum sexcẽti fere ex equis desiliunt: cedentibusque iam suis prouolant in primum: simulque & hosti se opponunt: & æquato primum periculo pudore deinde animos peditum accendunt. verecundiæ erat: equitem suo alienoque marte pugnare: peditem ne ad pedes quidem digresso equiti parem esse. Vadunt igitur in prælium ab sua parte omissum, & locum ex quo cesserant, E repetunt: momentoque non restituta modo pugna: sed inclinatur etiam Sabinis cornu. eques inter ordines peditum tectus se ad equos recipit: transuolat inde in partem alteram suis victoriæ nuntius: simul & in hostes iam pauidos, quippe fuso suæ partis validiore cornu, impetum facit, non aliorum eo prælio virtus magis enituit. Consul prouidere omnia, laudare fortes, increpare sicubi segnior pugna esset. castigati fortium statim virorum opera edebant: tantumque hos pudor, quantum alios laudes excitabant. F Redintegrato clamore vndique omnes connixi, hostem auertunt: nec deinde Romana vis sustineri potuit. Sabini fusi passim per agros, castra hosti ad prædam relinquunt: ibi non sociorum, sicut in Algido, res, sed suas Romanus populationibus agrorum amissas recipit. Gemina victoria duobus bifariam prælijs parta, malignè senatus in vnum diem supplicationes consulum nomine decreuit. Populus iniussu & altero die frequens iit supplicatũ, & hæc vaga popularísq; supplicatio studiis prope celebratior fuit. G Consules ex cõposito eodem biduo ad vrbẽ accessere senatumque in Martium campum euocauere. vbi cum de rebus ab se gestis agerent, questi primores patrum senatum inter milites dedita opera terroris caussa haberi. itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, vbi nunc ædes Apollinis est, (circum iam tum Apollinarem appellabant) auocauere senatum. vbi cum ingenti consensu patrum negaretur triumphus, L. Icilius trib. pleb. tulit ad populum de triumpho consulum: multis dissuasum prodeun-

prodeuntibus, maximè C. Claudio vociferante, de patribus, non de hostibus consules triumphare velle: gratiámque pro priuato merito in tribunum, non pro virtute honorem peti. nunquam ante de triumpho per populum actum, semper æstimationem arbitriúmque eius honoris penes senatum fuisse. ne reges quidem maiestatem summi ordinis imminuisse. ne ita omnia tribuni potestatis suæ implerent vt nullum publicum consilium sinerent esse. ita demum liberam ciuitatem fore, ita æquatas leges, si sua quisque iura ordo, suam maiestatem teneat. in eandem sententiam multa & à ceteris senioribus patrum cùm essent dicta, omnes tribus eam rogationem acceperunt. Tum primum sine auctoritate Senatus, populi iussu, triumphatum est. Hæc victoria tribunorum plebísque prope in haud salubrem luxuriam vertit, conspiratione inter tribunos facta, vt iidem tribuni reficerentur: & quo sua minus cupiditas emineret, consulibus quoque continuarent magistratum. consensum patrum caussabantur, quò per contumeliam consulum iura plebis labefacta essent. quia futurum nondum firmatis legibus, si nouos tribunos per factiones suas consules adorti essent: non enim semper Valerios Horatiósque Coss. fore, qui libertati plebis suas opes postferrent. Forte quadam vtili ad tempus, vt comitiis præesset, potissimum M. Duellio sorte euenit, viro prudenti, & ex continuatione magistratus inuidiam imminentem cernenti, qui cùm ex veteribus tribunis negaret vllius se rationem habiturum: pugnarêntque collegæ, vt liberas tribus in suffragium mitteret: aut concederet sortem comitiorum collegis, habituris è lege potius comitia, quàm ex voluntate patrum: iniecta contentione Duellius consules ad subsellia acciros cùm interrogasset, quid de comitiis consularibus in animo haberent, respondissentque se nouos consules creaturos: auctores popularis sententiæ haud populares nactus, in concionem cum iis processit. vbi cum consules producti ad populum, interrogarique, si eos P. R. memor libertatis per illos receptæ domi, memor militiæ rerumque gestarum, cōsules iterum faceret, quidnam facturi essent, nihilq; sententiæ suæ mutassent: collaudatis cōsulibus, quod perseuerarent ad vltimum dissimiles decemuirorum esse comitia habuit: & quinque tribunis plebis creatis, cum præ studiis apertè petentium nouem tribunorum alij candidati tribus non explerent, concilium dimisit: nec deinde comitiorum caussa habuit satis factum legi aiebat, quæ numero nusquam præfinito tribunis, modo vt relinquerentur, sanciret: & ab iis qui creati essent, cooptari collegas iuberet, recitabátque rogationis carmen, in quo: Si tribunos plebis decem rogabo, si quos minus hodie decem tribunos plebis feceritis: tum vtique quos sibi collegas cooptassent, vt illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, vt illi quos hodie tribunos plebei feceritis. Duellius cum ad vltimum perseuerasset, negando x v. tribunos plebis rempublicam habere posse, victa collegarum cupiditate, pariter patribus plebique acceptus magistratu abiit. Noui tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem fouerunt: duos etiam patricios consularésque, Sp. Tarpeium, & A. Æternium cooptauere. Consules creati, Sp. Herminius, T. Virginius Cœlimontanus, nihil magnopere ad patrū aut plebis caussam inclinati, otium domi ac foris habuere, L. Trebonius trib. plebis infestus patribus quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditumque à collegis aiebat: rogationem tulit, vt qui plebem Romanam tribunus plebis rogaret, is vsque eo rogaret, dum x. tribunos plebis faceret, insectandísque patribus, vnde Aspero etiam inditum est cognomen, tribunatum gessit. Inde M. Geganius Macerinus, & C. Iulius Coss. facti conciones tribunorum aduersus nobilium iuuentutem ortas, sine insectatione potestatis eius cōseruata maiestate patrum, sedauere: plebem decreto ad bellum Volscorum & Æquorum delectu sustinendo, rem ab seditionibus continuere: vrbano quoque otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias ciuiles externos tollere animos, cura pacis concordiæ quoque intestino caussa fuit. sed alter semper ordo grauis alterius modestiæ erat, quiescenti plebi ab iunioribus patrum iniuriæ fieri cœptæ, vbi tribuni auxilio humilioribus essent, in primis parum proderat: deinde ne ipsi quidem inuiolati erant, vtique postremis mensibus, cum & per coitiones potentiorum iniuria fieret, & vis potestatis omnis aliquanto posteriore anni parte languidior ferme esset, iamque plebs ita in tribunatu ponere aliquid spei, si similes Icilio tribunos haberet: nomina tantū se biennio habuisse. Seniores contra patrum vt nimis feroces suos credere iuuenes esse, ita malle, si modus excedēdus esset, suis quàm aduersariis superesse animos. adeò moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando, ita se quisque extollit, vt deprimat alium, in difficili est: cauendoque ne metuāt homines. metuendos vltro se efficiunt: & iniuriam à nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit, iniūgimus aliis. T. Quintius Capitolinus quartū, & Agrippa Furius consules inde facti, nec seditionē domi, nec foris bellum acceperunt: sed imminebat vtrunque. Iam non vltro discordia ciuium reprimi poterat, & tribunis & plebe incitata in patres, cum dies alicui nobiliū dicta nouis semper certaminib. conciones turbaret. Ad quarum primum strepitum, velut signo accepto arma cepere Æqui ac Volsci: simul quod persuaserant iis duces cupidi prædarum, biēnio ante delectum indictū haberi nō potuisse, abnuente iam plebē imperium. eo aduersus se non esse missos exercitus, dissolui licentia militandi morem, nec pro communi iam patria Romam esse. quicquid irarum simultatumque cum externis fuerit: in ipsos verti. occæcatos lupos intestina rabie opprimēdi occasionem esse. Coniunctis exercitibus Latinū primū agrum populati sunt: deinde postquā ibi nemo vindex occurrebat, tum verò exsultantibus belli auctoribus ad mœnia ipsa Romæ populandi regione portæ Esquilinæ accessere, vastationē agrorum vrbi per contumeliam ostentātes. vnde postquam inulti prædam præ se agentes, retro ad Corbionem agmine iere. Quintius Cos. ad concionem populum vocauit: ibi in hanc sententiā locutū accipio: Etsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in concionem vestram processi. hoc vos scire, hoc posteris memoriæ traditum iri. Aequos & Volscos vix Hernicis modo pares, T. Quintio quartum consule, ad mœnia vrbis Romæ impune armatos venisse: hanc ego ignominiam (quanquam iam diu ita viuitur, is status rerum est, vt nihil boni diuinet animus) si huic potissimum imminere anno scissem, vel exsilio, vel morte, si alia fuga honoris non esset, vitassem. Ergo si viri arma illa habuissent, quæ in portis fuere nostris, capi Roma me consule potuit? satis honorum? satis superque vitæ erat, mori consulem tertium oportuit. Quem tandem ignauissimi hostium contemsere? nos consules? an vos Quirites? si culpa in nobis est, auferte imperiū indignis: & si id parum est, insuper pœnas expetite. si in vobis nemo deorum, nec hominum sit, qui vestra puniat peccata Quirites, vosmet tantùm eorum

pœniteat. Non illi veſtram ignauiam contemſere, nec ſuæ virtuti confiſi ſunt. quippe toties fuſi fugatique caſtris exuti, agro multati, ſub iugum miſſi, & ſe & vos nouere. diſcordia ordinum eſt venenum vrbis huius, patrum ac plebis certamina dum nec nobis imperij, nec vobis libertatis eſt modus: dum tædet vos patriciorum, nos plebeiorum magiſtratuum ſuſtulere illi animos. Pro deûm fidẽ, quid vobis vultis? tribunos plebis concupiſtis, concordię cauſſa cõceſſimus. decemuiros deſideraſtis, creari paſſi ſumus. decemuirorum vos pertæſum eſt, coegimus abire magiſtratu, manente in eoſdem priuatus ira veſtra, mori atque exſulare nobiliſſimos viros honoratiſſimoſque paſſi ſumus. tribunos plebis creare iterum voluiſtis, creaſtis. conſules facere veſtrarum partium, etſi patribus videbamus iniquum patriciũ quoque magiſtratum plebi donum fieri vidimus, auxilium tribunitium, prouocationem ad populum, ſcita plebis iniuncta patribus ſub titulo æquãdarum legum noſtra iura oppreſſa tulimus & ferimus. Qui finis erit diſcordiarum? ecquando vnam vrbem habere? ecquando communem hanc eſſe patriam licebit? Victi nos æquiore animo quieſcimus, quam vos victores. ſatiſne eſt, nobis vos metuendos eſſe? Aduerſus nos Auentinum capitur, aduerſus nos Sacer occupatur mons. Eſquilias quidem ab hoſte prope captas, & ſcandẽtem in aggerem Volſcũ hoſtẽ nemo ſubmouit. in nos viri, in nos armati eſtis. Agite dum ibi hic curiam circunſederitis, & forum infeſtum feceritis, & carcerem impleueritis principibus, iiſdem iſtis ferocibus animis egredimini extra portam Eſquilinam. aut ſi ne hoc quidem audetis, ex muris viſite agros veſtros ferro ignique vaſtatos, prædam abigi, fumare incenſa paſſim tecta. At enim cõmunis res per hæc loco eſt peiore, ager vritur, vrbs obſidetur, belli gloria penes hoſtes eſt. Quid tandẽ? priuatæ res veſtræ quo in ſtatu ſunt? iam vnicuique ex agris ſua damna nuntiabantur. quid eſt tandem domi, vnde ea expleatis? tribuni vobis amiſſa reddent ac reſtituent? vocis verborúmque quantum voletis, ingerẽt. & criminum in principes, & legum aliarum ſuper alias, & concionum ſed ex illis concionibus nunquã veſtrũm quiſquam re fortunaque domũ auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad coniugem & liberos, præter odia, offenſiones, ſimultates publicas priuatáſque? à quibus ſemper non veſtra virtute innocentiáque, ſed auxilio alieno tuti ſitis. At Hercules, cũ ſtipendia nobis conſulibus, non tribunis ducibus, & in caſtris, non in foro faciebatis, & in acie veſtrum clamorem hoſtes, non in concione patres Romani horrebant: præda parta, agro ex hoſte capto, pleni fortunarum gloriæque ſimul publicæ, ſimul priuatæ triũphantes domum ad penates redibatis: nunc oneratũ veſtris fortunis hoſtem abire ſinitis. Hærete affixi concionibus, & in foro viuite: ſequitur vos neceſſitas militandi, quam fugitis. Graue erat in Æquos & Volſcos proficiſci? ante portas eſt bellum, ſi inde non pellitur, iam intra mœnia erit, & arcem & Capitolium ſcandet: & in domos veſtras vos perſequetur. Biennio ante ſenatus delectum haberi, & educi exercitum in Algidum iuſſit, ſedemus deſides domi, mulierum ritu inter nos altercantes, præſenti pace læti, nec cernentes ex otio illo breui multiplex bellum rediturum. His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio: ſed me vera pro gratis loqui, etſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit. Vellem equidem vobis placere Quirites, ſed multo malo vos ſaluos eſſe, qualicunque erga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita cõparatum eſt, vt qui apud multitudinẽ ſua cauſſa loquitur, gratior eo ſit, cuius mens nihil præ-

A ter publicum commodum videt. niſi forte aſſentatores publicos, plebicolas iſtos, qui vos nec in armis, nec in otio eſſe ſinunt, veſtra vos cauſſà incitare & ſtimulare putatis: concitati, aut honori aut quæſtui illis eſtis. & quia in cõcordia ordinũ nullos ſe vſquam eſſe vident, malæ rei ſe quam nullius, turbarũ ac ſeditionum duces eſſe volunt. Quarum rerum ſi vos tædium tandem capere poteſt, & patrum veſtroſque antiquos mores vultis pro his nouis ſumere: nulla ſupplicia recuſo, niſi paucis diebus hos populatores B agrorum noſtrorum fuſos fugatoſque caſtris exuero: & à portis noſtris mœnibúſque ad illorum vrbes hũc belli terrorem, quo nunc vos attoniti eſtis, tranſtulero. Raro alias tribuni popularis oratio acceptior plebi, quam tunc ſeueriſſimi conſulis fuit. Iuuentus quoque, quæ inter tales metus detrectationem militiæ, telum acerrimum aduerſus patres habere ſolita erat, bellũ & arma ſpectabat, & agreſtium fuga, ſpoliatiq; in agris & vulnerati, fœdiora iis quę ſubiiciebantur oculis nuntiantes, totam vrbem ira impleuere. In ſenatum vbi ventum eſt, ibi vero in Quintium C omnes verſi, vt vnum vindicem maieſtatis Romanæ intueri, & primores patrum dignam dicere concionem imperio conſulari, dignam tot conſulatibus anteactis, dignam vita omni plena honorum ſæpe geſtorum, ſæpius meritorum. alios conſules aut per proditionem dignitatis patrum plebi adulatos, aut acerbe tuendo iura ordinis, aſperiorem domando multitudinem feciſſe: T. Quintium orationem memorem maieſtatis patrum, concordiæque ordinum, & tem- D porum in primis habuiſſe. orare eum collegámque, vt capeſſerent rempub. orare tribunos, vt vno animo cum conſulibus bellum ab vrbe ac mœnibus propulſari vellent, plebémque obedientem in re tam trepida patribus præberent. appellare tribunos, communem patriam, auxiliúmque eorum implorare, vaſtatis agris, vrbe prope oppugnata. Conſenſu omnium delectus decernitur, habeturque. Cum conſules in concione pronuntiaſſent, tempus non eſſe cauſſas cognoſcendi omnes iuniores poſtero die pri- E ma luce in campo Martio adeſſent: cognoſcendis cauſſis eorum qui nomina non dediſſent, bello perfecto ſe daturos tempus: pro deſertore futurum, cuius non probaſſent cauſſam: omnis iuuentus affuit poſtero die. cohortes ſibi quæque centuriones legerunt, bini ſenatores ſingulis cohortibus præpoſiti. Hæc omnia adeo mature perfecta accepimus, vt ſigna eo ipſo die à quæſtoribus ex ærario promta, delatáque in campum, quarta diei hora mota ex campo ſint: exercitúſque nouus, paucis cohortibus vete- F rum militum voluntate ſequentibus, manſerit ad decimum lapidem. inſequens dies hoſtem in cõſpectum dedit, caſtráque ad Corbionem caſtris ſunt cõiuncta. tertio die, cum ita Romanos illos, cum toties rebellaſſent, conſcientia culpæ ac deſperatio irritaret, mora dimicandi nulla eſt facta. In exercitu Romano cum duo conſules eſſent poteſtate pari, quod ſalubertimum in adminiſtratione magnarũ rerum eſt, ſumma imperij concedente Agrippa penes collegam erat: & prælatus ille facilitati ſummittentis G ſe comiter reſpondebat, cõmunicando conſilia laudéſque & æquando imparem ſibi. In acie Quintius dextrum cornu, Agrippa ſiniſtrum tenuit: Sp. Poſthumio Albo legato datur media acies tuenda: legatum alterum P. Sulpitium equitibus præficiunt. Pedites ab dextero cornu egregie pugnauere, haud ſegniter reſiſtentibus Volſcis. P. Sulpitius per mediam hoſtiũ aciẽ cum equitatu perrupit. vnde cũ eadẽ reuerti poſſet ad ſuos, priuſquã hoſtis turbatos ordines reficeret, terga impugnare hoſtiũ ſatius viſũ eſt mo-

mentoque

momentoque temporis in auersam incursando aciē ancipiti terrore dissipasset hostes in suo proprio eum prælio equites Volscorum & Æquorum exceptum aliquādiu tenuissent. Ibi verò Sulpitius negare cunctandi tempus esse, circumuentos interclusosque ab suis vociferans, ni equestre prælium connixi omni vi perficerent: nec fugare equitem integrum, satis esse. conficerent equos virosque, ne quis reueheretur inde ad prælium, aut integraret pugnam. non posse illos resistere sibi, quibus cōferta peditum acies cessisset. Haud surdis auribus dicta. impressione vna totum equitatum fudere, magnam vim ex equis præcipitauere: ipsos equosque spiculis cōfodere. Is finis pugnæ equestris fuit: Tunc adorti peditum aciem, nuntios ad consules rei gestæ mittunt, vbi iam inclinabatur hostium acies. nuntius deinde & vincētibus Romanis animos auxit, & referentes gradum perculit Æquos. In media primum acie vinci cœpti, qua præmissus equitatus turbauerat ordines. sinistrum deinde cornu ab Quintio consule pelli cœptum. in dextro plurimum laboris fuit. ibi Agrippa ætate viribúsque ferox, cum omni parte pugnæ melius rem geri, quàm apud se videret, accepta signa ab signiferis ipse inferre, quædam iacere etiam in confertos hostes cœpit. cuius ignominiæ metu concitati milites inuasere hostem. ita æquata ex omni parte victoria est. Nuntius tum à Quintio venit, victorem iam se imminere hostium castris: nolle irrumpere antequam sciat debellatum, & in sinistro cornu esse si iam fudisset hostes, conferret ad se signa, vt simul omnis exercitus præda potiretur. Victor Agrippa cum mutua gratulatione ad victorem collegam, castráque hostium venit. ibi paucis defendentibus, momentoque fusis, sine certamine in munitiones irrumpunt: prædáque ingenti compotem exercitum, suis etiam rebus recuperatis; quæ populatione agrorum amissæ erant, reducunt. Triumphum nec ipsos postulasse, nec delatum iis ab senatu, accipio: nec traditur caussa spreti aut non sperati honoris. ego quantum in tanto interuallo temporum conijcio, cum Valerio atque Horatio consulibus, qui præter Volscos & Æquos Sabini etiam belli perfecti gloriam pepererant, negatus ab senatu triumphus esset, verecundiæ fuit pro parte dimidia rerum consulibus petere triumphum: ne etiam si impetrassent magis hominum ratio, quàm meritorum habita videretur. Victoriam honestam ex hostibus partam, turpe domi de finibus sociorum iudicium populi deformauit. Aricini atque Ardeates de ambiguo agro cùm sæpe bello certassent, multis inuicē cladibus fessi, iudicem populum Romanum cepere. Cum ad caussam orandam venissent, concilio populi à magistratibus dato magna contentione actum. iámque editis testibus, cum tribus vocari, & populū inire suffragium oporteret consurgit P. Scaptius de plebe magno natu: Et si licet, inquit, consules de repub. dicere, errare ego populum in hac caussa non patiar. Cum vt vanum eum negarent, consules audiendum esse, vociferantémque prodi publicam caussam, summoueri iussissent tribunos appellat. Tribuni vt fere semper reguntur à multitudine magis, quam regunt, dedere cupidæ audiendi plebi, vt quæ vellet, Scaptius diceret. Ibi infit, annum se tertium & octogesimum agere, & in eo agro, de quo agitur, militasse nō iuuenem, sed vicesima iā stipēdia merentem, cum ad Coriolos sit bellatum eo se rem vetustate obliteratam, ceterum suæ memoriæ infixam afferre agrum de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis, iure belli, publicum populi Ro. factum. mirari se, quonam more

A Ardeates Aricinique, cuius agri ius nunquam vsurpauerint, incolumi Coriolana re, eum se à populo Rom. quem pro domino iudicem fecerint, intercepturos sperent. Sibi exiguum vitæ tempus superesse: non potuisse se tamen inducere in animum, quin, quem agrum miles pro parte virili manu cepisset, eum senex quoque voce, qua vna posset, vindicaret. magnopere se suadere populo, ne inutili pudore suam ipse caussam damnaret. Consules cum Scaptium non silentio modo, sed cum assensu etiā audiri animaduertissent: deos hominésque B testantes flagitium ingens fieri patrum primores accersunt. cum his circumire tribunos, orare, ne pessimum facinus peiore exemplo admitterent, iudices in suam rem litem vertendo, cum præsertim, etiam si fas sit curam emolumēti sui iudicij esse nequaquam tantum agro intercipiendo acquiratur, quantum amittatur alienandis iniuria sociorum animis. nam famæ quidem ac fidei damna maiora esse, quam quæ æstimari possent. Hoc legatos referre C domum? hoc vulgari? hoc socios audire, hoc hostes? quo cū dolore hos? quo cum gaudio illos? Scaptione hoc concionali seni assignaturos putarent finitimos populos: clarum hac fore imagine Scaptium nomen: populum Romanum quadruplatoris, & interceptoris litis alienæ personam laturum. quem enim hoc priuatæ rei iudicem fecisse, vt sibi controuersam adiudicaret rem? Scaptium ipsum id quidem, etsi præmortui iam sit pudoris, non facturum. Hæc consules, hæc patres vociferantur. sed plus cu- D piditas, & auctor cupiditatis Scaptius valet. vocatæ trib. iudicauerunt agrum publicum populi Romani esse, nec abnuitur ita fuisse, si adiudices alios itum foret, nunc haud sane quicquam bona caussa eleuatur dedecus iudicij: idque non Aricinis Ardeatibúsque quam patribus Romanis, fœdius atque acerbius visum. Reliquum anni quietum ab vrbanis motibus & externis mansit.

E

DECADIS PRIMÆ LIB. IIII.

HOs secuti M. Genutius & P. Curiatius consules. Fuit annus domi forisque infestus. Anni namque principio & de connubio patrum & plebis C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgauit. F qua cōtaminari sanguinem suum patres, confundique iura gentium rebantur: & mentio primo sensim illata à tribunis, vt alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, vt rogationem nouem tribuni promulgarent, vt populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, consules faciendi. Id verò si fieret, non vulgari modo cum infimis, sed prorsus auferri à primoribus ad G plebem summum imperium credebant. Læti ergo audiere patres, Ardeatium populum ob iniuriam agri abiudicati descisse, & Veientes depopulatos extrema agri Romani, & Volscos Æquosque ob communitam Verruginem fremere. adeo vel infelix bellum ignominiosæ paci præferebant. His itaque in maius etiam acceptis, vt inter strepitum tot bellorum conticescerent actiones tribunitiæ, delectus haberi: bellum, armáque vi summa apparari iubent, si quo intentius possit, quam T. Quintio consule

apparatum sit. Tum C. Canuleius pauca in senatu A vociferatus, nequicquam territando consules, auertere plebem à cura nouarum legum, nunquam eos se viuo delectum habituros ante, quàm ea quæ promulgata ab se, collegisque essent, plebes sciuisset: confestim ad concionem aduocauit. Eodem tempore & consules senatum in tribunum, & tribunus populum in consules incitabat. Negabant consules iam vltra ferri posse furores tribunitios, ventum iam ad finem esse: domi plus belli concitari, quàm foris. id adeo non plebis quam patrum, neque tribunorum magis quam consulum culpa accidere. cuius B rei præmium sit in ciuitate, eam maximis semper auctibus crescere: sic pace bonos, sic bello fieri. maximum Romæ præmium seditionum esse: id & singulis vniuersisque semper honori fuisse. Reminiscerentur quam maiestatem senatus ipsi à patribus accepissent, quam liberis tradituri essent: vt quemadmodum plebs gloriari posset, se auctiorem ampliorémque esse. finem ergo non fieri, nec futurum, donec quam felices seditiones, tam honorati C seditionum auctores essent. Quas, quantásque res C. Canuleium aggressum? colluuionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum priuatorúmq; afferre, ne quid synceri, ne quid incontaminati sit: vt discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec suos nouerit. quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi vt ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis, patrumque? vt qui natus sit ignoret cuius sanguinis, quorum sacrorum sit: dimidius plebis, nec secum quidem ipse concors. Parum id videri, quod omnia diuina humanaque turbentur, iam D ad consulatum vulgi turbatores accingi, & primo, vt alter consul ex plebe fieret, id modo sermonibus tentasse: nunc rogari, vt seu ex patribus, seu ex plebe velit, populus consules creet: & creaturos haud dubie ex plebe seditiosissimum quemque. Canuleios igitur Iciliosque consules fore. ne id Iupiter optimus maximus fineret, regiæ maiestatis imperium eo recidere: & se millies morituros potius quam vt tantum dedecoris admitti patiantur. certum habere E maiores quoque si diuinassent, concedendo omnia, non mitiorem in se plebem, sed asperiorem, alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram. primo quamlibet dimicationem subituros fuisse potius, quàm eas leges sibi imponi paterentur, quia tum concessum sit de tribunis, iterum concessum esse. Finem non fieri posse, in eadem ciuitate tribunos plebis, & patres esse, aut hunc ordinem aut illum magistratum tollendum esse: potiusque sero, quàm nunquam obuiam eundum audaciæ F temeritatique illinc, vt impune, primo discordias serentes, concitent finitima bella? deinde aduersus ea quæ concitauerint, armari ciuitatem, defendique prohibeant? & cum hostes tantum non accersierint, exercitus conscribi aduersus hostes non patiantur? sed audeat Canuleius in senatu proloqui, se, nisi suas leges tanquam victoris patres accipi sinant, delectum haberi prohibiturum. quid esse aliud, quam minari se proditurum patriam: oppugnari atque capi passurum? quid eam vocem animorum, non plebi Romanæ, sed Volscis & Æquis & Veientibus allaturam? nonne Canuleio duce se speraturos Capitolium atque arcem scandere posse, si patribus tribuni cum iure ac maiestate adempta, animos etiam eripuerint? Consules paratos esse duces prius aduersus scelus ciuium, quàm aduersus hostium arma. Cum maximè hæc in senatu agerentur, Canuleius pro legibus suis, & aduersus consules, ita disseruit.

A Quantopere vos Quirites contemnerent patres, quam indignos ducerent, qui vna secum vrbe intra eadem mœnia viueretis, sæpe equidem & ante videor animaduertisse: nunc tamen maximè, quòd adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt: quibus quid aliud quam admonemus, ciues nos eorum esse, & si non easdem opes habere, eandem tamen patriam incolere? Altera connubium petimus, quod finitimis, externisque dari solet. nos quidem ciuitatem, quæ plusquam connubium est, hostibus etiam victis dedimus. Altera nihil noui ferimus, sed id quod populi est, repetimus atque vsurpamus: vt quibus velit populus Rom. honores mandet. Quid tádem est, cur cœlum ac terras misceant? cur in me impetus, modo pene in senatu sit factus? negent se manibus temperaturos: violaturosque denuntient sacrosanctam potestatem? Si populo Rom. liberum suffragium datur, vt quibus velit, consulatũ mandet? & non præciditur spes plebeio quoque, si dignus summo honore erit. adipiscendi summi honoris, stare vrbs hæc non poterit? de imperio actum est? Et perinde hoc valet, plebeiúsne consul fiat, tanquam seruum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat. Ecquid sentitis, in quanto contemptu viuatis? Lucis vobis huius partem, si liceat, adimant. quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur. quin etiam, (si diis placet) nefas aiunt esse consulem plebeium fieri. Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur, ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regnum successisse? nec aut iuris aut maiestatis quicquam habere, quod non in regibus ante fuerit? en vnquam creditis fando auditum esse, Numam Pompilium non modo non patricium, sed ne ciuem quidem Romanum ex Sabino agro accitum, populi iussu, patribus auctoribus Romæ regnasse? L. deinde Tarquinium, non modo Romanæ, sed ne Italicæ quidem gentis, Demarati Corinthij filium, incolam ab Tarquiniis, viuis liberi[illegible]ci, regem factum. Seruium Tullium post hũc captiua Corniculana natũ, patre nullo, matre serua, ingenio & virtute regnum tenuisse? quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem ipse Romulus parens vrbis in societatem regni accepit? Ergo dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, creuit imperium Romanum. pœniteat nunc vos plebeij consulis, cum maiores nostri aduenas reges nõ fastidierint, & ne regibus quidem exactis clausa vrbs fuerit peregrinæ virtuti. Claudiam certè gentem post reges exactos, ex Sabinis non in ciuitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum. Ex peregrino ne patricius, deinde consul fiat? ciuis Romanus si sit ex plebe, præcisa consulatus spes erit? Vtrum tandem non credimus, fieri posse vt vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus ex plebe, sit Numæ, L. Tarquinio, Seruio Tullio similis? an ne si sit quidem ad gubernacula reipublic. accedere eum patiemur? potiúsque decemuiris de terminis mortalium, qui tum omnes ex patribus erant, quam optimis regũm nouis hominibus similes consules sumus habituri? At enim G nemo post reges exactos de plebe consul fuit. Quid postea? nullane res noua institui debet? & quod nondum est factum (multa enim nondum sunt facta in nouo populo) ea, si ne vtilia quidem sint, fieri oportet? Pontifices, augures Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati sunt: census in ciuitate, & descriptio centuriarum, classiúmque non erat: ab Seruio Tullio est facta. consules nunquam fue-

rant, regibus exactis creati sunt. dictatoris nec imperium, nec nomen fuerat: apud patres esse cœpit. tribuni plebis, ædiles, quæstores nulli erant: institutum est vt fierent. decemuiros legibus scribendis intra decem hos annos & creauimus, & è republica sustulimus. Quis dubitat quin in æternum vrbe condita, & in immensum crescente, noua imperia, sacerdotia, iura gentium hominúmque instituantur? Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non decemuiri tulerunt paucis his annis, pessimo exemplo publico, cum summa iniuria plebis? an esse vlla maior aut insignior contumelia potest, quàm partẽ ciuitatis velut contaminatam indignam connubio haberi? quid est aliud, quàm exsilium intra eadem mœnia, quàm relegationem pati: ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cauent, ne societur sanguis; quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos iussu populi: sinceram seruare priuatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororésque enubere sinendo è patribus? Nemo plebeius patriciæ virgini vim afferret, patriciorum ista libido est: nemo inuitum pactionibus nuptialem quemquam facere coegisset: verùm enimuero lege id prohiberi, & connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est. cur enim non confertis ne sit connubium diuitibus ac pauperibus? quod priuatorum consiliorum vbique semper fuit. vt in quam cuique fœminæ conuenisset domum, nuberet: ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret, id vos sub legis superbissimæ vincula conjicitis, qua dirimatis societatem ciuilem, duásque ex vna ciuitate faciatis. Cur non sancitis, ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat? ne idem conuiuium ineat? ne in foro eodem consistat? quid enim in re est aliud? si plebeiam patricius duxerit, si patriciam plebeius, quid iuris tandem mutatur? nempe patrem sequuntur liberi. Nec quod nos ex connubio vestro petamus quicquam est, præterquam vt hominum, vt ciuium numero simus, nec vos (nisi in contumeliam ignominiámque nostram certare iuuat) quod contendatis quicquam est. Denique vtrũ tandem populi Romani, an vestrum, summum imperium est? regib. exactis vtrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est? Oportet licere populo Rom. si velint, iubere legem. an, vt quæque rogatio promulgata erit, vos delectum pro pœna decernetis? & simul ego tribunus vocare tribus in suffragium cœpero, tu statim consul sacramento iuniores adiges, & in castra educes? & minaberis plebi, minaberis tribuno? Quid? si non quantum istæ minæ aduersus plebis consensum valerent, bis iam experti essetis? scilicet quia nobis consultum volebatis, certamine abstinuistis? an ideo non est dimicatum: quod quæ pars firmior, eadem modestior fuit? Nec nunc erit certamen Quirites. animos vestros illi tentabunt semper, vires non experientur. Itaque ad bella ista, seu falsa, seu vera sunt, consules, parata vobis plebs est, si connubiis redditis, vnam hanc ciuitatem tandem facitis: si coalescere, si iungi miscerique vobis priuatis necessitudinibus possunt, si spes, si aditus ad honores viris strenuis & fortibus datur: si in consortio, si in societate reipub. esse: si, quod æque libertatis est, inuicem annuis magistratibus parere, atque imperitare licet. Si hæc impediet aliquis, ferte sermonibus, & multiplicate fama bella: nemo est nomen daturus: nemo arma ca-

A pturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cũ quibus nec in re publica honorum, nec in priuata connubij societas est. Cum in concionem & consules processissent, & res à perpetuis orationibus in altercationem vertissent, interroganti tribuno, cur plebeium consulem fieri non oporteret? vt fortasse verè, sic parum vtiliter in præsens certamen respondit, quod nemo plebeius auspicia haberet: ideoque decemuiros connubium diremisse, ne in incerta prole auspicia turbarentur. Plebs ad id maximè
B indignatione exarsit, quod auspicari tanquam inuisi diis immortalibus negarentur posse. Nec antè finis contentionum fuit, cum & tribunum acerrimum auctorem plebs nacta esset, & ipsa cum eo pertinacia certaret, quam victi tandem patres vt de connubio ferretur concessere: ita maximè rati contentionem de plebeiis consulib. tribunos aut totam deposituros, aut post bellum dilaturos esse: contemtámque interim connubio plebem paratam delectui fore.
C Cùm Canuleius victoria de patribus, & plebis fauore ingens esset, accensi alij tribuni ad certamen, pro rogatione sua summa vi pugnant: & crescente in dies fama belli, delectum impediunt. Consules, cum per senatum, intercedentibus tribunis, nihil agi posset, consilia principum domi habebant: apparebat autem, aut hostibus, aut ciuibus de victoria concedendum esse. Soli ex consularibus Valerius atque Horatius non intereant consiliis. C. Claudij sententia consules armabat in tribunos: Quintiorum, Cin-
D cinnatique & Capitolini sententiæ abhorrebant à cæde, violandisque quos fœdere icto cum plebe sacrosanctos accepissent. Per hæc consilia eo educta res est, vt tribunos militum consulari potestate promiscue ex patribus ac plebe creari sinerent, de consulibus creandis nihil mutaretur. eoque contenti tribuni contenta plebs fuit. Comitia tribunis consulari potestate tribus creandis indicuntur, quibus indictis extemplò quicunque aliquid seditiosè dixerat, aut fecerat, quam maximè tribunitij repre-
E hensare homines, & concursare toto foro candidati cœpere: vt patricios desperatio primo, irritata plebe adipiscẽdi honoris, deinde indignatio, si cum his gerendus esset honos, deterreret, postremo coacti tamẽ à primoribus, petiere, ne cessisse possessione reipub. viderentur. Euentus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatísque alios secundum deposita certamina incorrupto iudicio esse. tribunos enim omnes patricios creauit
F populus, contentus eo, quod ratio habita plebeiorum esset. Hanc modestiam æquitatémque, & altitudinem animi vbi nunc in eo inueneris, quæ tum populi vniuersi fuit? Anno trecentesimo decimo quàm vrbs Romana condita erat, primum tribuni militum pro consulibus magistratum ineunt. Sempronius Atratinus, L. Attilius, T. Cæcilius, quorum in magistratu concordia domi pacem etiam foris præbuit. Sunt qui propter adiectum Æquorum Volscorúmque bello, & Ardeatium defectioni Veiens bellum, quia duo consules obire tot simul bella nequirent,
G tribunos militum tres creatos dicant, sine mentione promulgatæ legis de consulibus creandis ex plebe, & imperio & insignibus consularibus vsos. Non tamen pro firmato iá stetit magistratus eius ius, quia tertio mense quam inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere: quod C. Curiatius, qui comitiis eorum præfuerat, parum rectè tabernaculum cepisset. Legati ab Ardeatibus Romam venerunt, ita de iniuria querentes vt si demeretur ea in fœdere atque amicitia mansuros restituto agro appareret. Ab senatu responsum est iudicium po-

puli rescindi ab senatu non posse, præterquam quod nullo nec exemplo nec iure fieret, concordiæ etiam ordinum caussa. si Ardeates sua tempora exspectare velint, arbitriúmque senatui leuandæ iniuriæ suæ permittant, fore vt postmodum gaudeant se iræ moderatos: sciántque patribus æque curæ fuisse, ne qua iniuria in eos oriretur, ac ne orta, diuturna esset. Ita legati, cum se rem integram relaturos dixissent, comiter dimissi. Patricij, cum sine curuli magistratu respublica esset, coiere, & interregem creauere. Contentio, consulésne, an tribuni militum crearentur, in interregno rem dies complures tenuit. Interrex ac senatus, consulum comitia tribuni plebis, & plebs, tribunorum militum vt habeant, tendunt. Vicerunt patres, quia & plebs patriciis seu hunc seu illum delatura honorem frustra certare supersedit: & principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quàm quibus vt indigni præterirentur. Tribuni quoque plebis certamen sine effectu in beneficio apud primores patrum reliquere. T. Quintius Barbat. interrex consules creat L. Papyrium Mugilanum, L. Sempronium Atratinum. His consulibus cum Ardeatibus fœdus renouatum est. Idque monumenti est, consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inueniuntur. credo, quod tribuni militum initio anni fuerunt, eo perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his consulibus prætermissa nomina consulum horum Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino & in linteis libris ad Monetæ inuentos. Et foris, cũ tot terrores à finitimis ostentati essent, & domi otium fuit. Hunc annum seu tribunos modo, seu tribunis suffectos consules quoque habuit, sequitur annus haud dubiis cõsulibus, M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintũ Coss. Idẽ hic annus cẽsuræ initiũ fuit, rei à parua origine ortæ. quæ deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitúmque centuriæ, decoris dedecorísque discrimen sub ditione eius magistratus, publicorum ius, priuatorúmque locorum, & vectigalia populi Romani. sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quod in populo per multos annos incenso, neque differri census poterat: neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam, ac minimè consularem, suo proprio magistratu egere: cui scribarum ministerium custodiæque & tabularũ cura, cui arbitrium formulæ cẽsendi subiiceretur. Et patres quanquam rem paruam, tamen quo plures patricij magistratus in repub. essent, læti accepere id quod euenit, futurum credo etiam rati, vt mox opes eorum qui præessent, ipsi honori ius maiestatémque adiicerent. & tribuni (id quod tunc erat) magis necessariam, quàm speciosi ministerij procurationem intuentes, ne paruis quoque rebus incommodè aduersarentur, haud sanè tetendere. Cùm à primoribus ciuitatis spretus honor esset: Papyrium, Semproniúmque, quorum de consulatu dubitabatur, vt eo magistratu parum solidum consulatum explerent censui agendo populus suffragiis præfecit. Censores ab re appellati sunt. Dum hæc Romæ geruntur, legati ab Ardea veniunt, pro vetustissima societate, renouatoque fœdere recenti auxilium prope euersæ vrbi implorantes. Frui namque pace optimo consilio cum populo Romano seruata, per intestina arma non licuit, quorum caussa atque initium traditur ex certamine factionum ortum, quæ fuere, erúntque plurib. populis magis exitio, quàm

A bella externa, quàm famẽs morbíve, quæque alia in deûm iras, velut vltima publicorum malorum vertunt. Virginem plebeij generis maximè forma notam petiere iuuenes: alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui & ipsi eiusdem corporis erant: nobilis alter, nulla re præterquam forma captus adiuuabant eum optimatium studia, per quæ domum quoque puellæ certamen partium penetrauit. nobilis superior iudicio matris esse, quæ quam splendidissimis nuptiis iungi puellam volebat. tutores in ea quoque re partium memores, ad suum tendere. B Cùm res peragi intra parietes nequisset, ventum in ius est, postulatu audito matris, tutorumque magistratus secundum parentis arbitrium dant ius nuptiarum. Sed vis potentior fuit. namque tutores inter suæ partis homines de iniuria decreti palam in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt. aduersus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum iniuria iuuenem. fit prælium atrox. Pulsa plebs, nihil Romanæ plebi similis, armata ex vrbe profecta C colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit. vrbem quoque omnis etiam expertem ante certaminis, multitudine opificum ad spem prædæ euocata, obsidere parat. nec vlla species cladésque belli abest, velut contacta ciuitate rabie duorum iuuenum, funestas nuptias ex occasu patriæ petentium. Parum parti vtrique domi armorum bellique est visum. optimates Romanos ad auxilium vrbis obsessæ, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos exciuere. Priores Volsci duce D Æquo Cluilio Ardeam venerunt, & mœnibus hostium vallum obiecere. Quod vbi Romam est nuntiatũ, extemplò M. Geganius consul cũ exercitu profectus tria millia passuum ab hoste locum castris cepit, præcipitique iam die curare corpora milites iubet. Quarta deinde vigilia signa profert: cœptúmque opus adeo approperatum est, vt sole orto Volsci firmiore se munimento ab Romanis circumuallatos, quàm à se vrbem viderent. & alia parte consul E muro Ardeæ brachium iniunxerat, qua ex oppido sui commeare possent: Volscus imperator, qui ad eam diem non commeatu præparato, sed ex populatione agrorum rapto in diem frumento aluisset militem: postquam septus vallo, repente inops omnium rerum erat ad colloquium consule euocato, si soluendæ obsidionis caussa venerit Romanus, abducturum se inde Volscos ait. Aduersus ea consul victis conditiones accipiendas esse non ferendas, respondit: neque vt venerint ad oppugnandos socios F populi Romani suo arbitrio, ita abituros Volscos esse, dedi imperatorem, arma poni iubet, fatentes victos se esse, & imperio parere: aliter tam abeuntibus, quàm manentibus se hostem infensum, victoriam potius ex Volscis, quàm pacem infidam Romam relaturum. Volsci exiguam spem in armis ponentes: alia vndique abscissa, cum tẽtassent: præter cetera aduersa, loco quoque iniquo ad pugnam congressi, iniquiore ad fugam, cum ab omni parte cæderentur, ad preces à certamine versi, dedito impe- G ratore, traditísque armis sub iugum missi, cùm singulis vestimentis ignominiæ cladísque pleni dimittuntur. & cum haud procul vrbe Tusculo consedissent, vetere Tusculanorum odio inermes oppressi dederunt pœnas, vix nuntiis cædis relictis. Romanus consul Ardeæ turbatas seditione res, principibus eius motus securi percussis, bonísque eorum in publicum Ardeatium redactis, composuit. Demtámque iniuriam iudicij tanto beneficio populi Romani Ardeates credebant. senatui superesse aliquid ad de-

ad delendum publicæ auaritiæ monumentum videbatur. Consul triumphans in vrbem rediit, Cluilio Volscorum duce ante currum ducto, prælatisque spoliis, quibus dearmatum exercitum hostium sub iugum miserat. Æquauit, quod haud facile est, Quintius consul togatus armati gloriam collegæ: qua concordiæ pacisque domesticam curam, iura infimis summisque moderando, ita tenuit, vt eum & patres seuerum consulem, & plebs satis comem crediderint: & aduersus tribunos auctoritate plura quàm certamine tenuit. quinque consulatus eodem tenore gesti, vitáque omnis consulariter acta, verendum pene ipsum magis quàm honorem faciebant. eo tribunorum militarium nulla mentio his consulibus fuit. Consules creant Marcum Fabium Vibulanum, Posthumium Ebutium Cornicinem. Fabius & Ebutius consules, quo maiori gloriæ rerum domi forisque gestarum succedere sentiebant: maximè autem memorabilem annum apud finitimos socios hostésque esse, quod Ardeatibus in re præcipiti tanta foret cura subuentum: eo impensius, vt delerent prorsus ex animis hominum infamiam iudicij, senatusconsultum fecerunt, vt quoniam ciuitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eo præsidij caussa aduersus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, vt plebem tribunosque falleret, iudicij rescindendi consilium initum. consenserant autem, vt multo maiore parte Rutulorum colonorum, quam Romanorum scripta. nec ager vllus diuideretur, nisi is qui interceptus iudicio infami erat: nec vlli prius Romano ibi, quàm omnibus Rutulis diuisus esset, gleba vlla agri assignaretur. Sic ager ad Ardeates rediit. Triumuiri ad coloniam Ardeam deducendam creati, Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Ebutius Helua. Qui præter minime populare ministerium agro assignando sociis, quem populus Romanus suum iudicasset, cum plebem offendissent, ne primoribus quidem patrum satis accepti, quod nihil gratiæ cuiusquam dederant: vexationes, ad populum iam die dicta ab tribunis, colonis adscripti remanendo in colonia, quam testem integritatis iustitiæque habebant, vitauere. Pax domi forisque fuit & hoc & in sequenti anno. C. Furio Pacilio, & M. Papyrio Crasso Coss. Ludi ab decemuiris per secessionem plebis à patribus ex senatusconsulto voti, eo anno facti sunt. Caussa seditionũ nequicquam à Petilio quæsita: qui tribunus plebis iterum ea ipsa denuntiando factus, neque vt de agris diuidendis plebi referrent consules ad senatum, peruincere potuit: & cum magno certamine obtinuisset vt consulerentur patres, consulum an tribunorum placeret comitia haberi, consules creari iussi sunt. ludibrioque erant minæ tribuni denuntiantis se delectum impediturum: cum quietis finitimis, neque belli apparatu opus esset. Sequitur hanc tranquillitatem rerum annus Proculo Geganio Macerino, L. Menenio Lanato Coss. multiplici clade ac periculo insignis, seditionibus, fame, regno propè per largitionis dulcedinem in ceruices accepto. Vnum abfuit bellum externum: quo si aggrauatæ res essent, vix ope deorũ omniũ res sisti potuisse. Cœpere à fame mala, seu aduersus annus frugibus fuit: seu dulcedine concionum & vrbis, deserto agrorũ cultu. nã vtrũq. traditur & patres plebẽ desidẽ, & tribuni plebis nunc fraudẽ, nunc negligentiã consulum accusabant. Postremo perpulere plebeij haud aduersante senatu, vt L. Minutius præfectus annonæ crearetur: felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem

A ministerij sui: quanquam postremo annonæ quoque leuatæ haud immeritam & gratiam & gloriam tulit. Qui cum multis circa finitimos populos legationibus terra marique nequicquam missis (nisi quod ex Hetruria haud ita multum frumenti aduectum est) nullum momentum annonę fecisset, & reuolutus ad dispensationem inopiæ, profiteri cogendo frumentum, & vendere quod vsui menstruo superesset: fraudandoque parte diurni cibi seruitia: criminando inde & obiiciendo iræ populi frumentarios, acerba inquisitione aperiret magis quàm leuaret inopiam, B multi ex plebe spe amissa potius quàm vt cruciarentur trahendo animam, capitibus obuolutis se in Tyberim præcipitauerunt. Tum Sp. Melius ex equestri ordine, vt illis temporibus prædiues rem vtilem, pessimo exemplo, peiore consilio est aggressus. frumento namque ex Hetruria priuata pecunia per hospitum clientiúmque ministeria coemto (quæ, credo ipsa res ad leuandam publica cura annonam impedimento fuerat) largitiones frumenti facere instituit: plebémque hoc munere delinitam, quacunque incederet, conspectus, elatúsque supra modum hominis priuati, secum trahere, haud dubium consulatum fauore ac spe despondentem. Ipse vt est humanus animus insatiabilis, eo quod fortuna spondet, ad altiora & non concessa tendere: & quoniam consulatus quoque eripiẽdus inuitis patribus esset, de regno agitare. id vnum dignum tanto apparatu consiliorum, & certamine, quod ingens exudandum esset, præmium fore. D Iam comitia consularia instabant: quæ res eum nec dum compositis maturisve satis consiliis, oppressit. Consul sextum creatus T. Quintius Capitolinus, minimè opportunus vir nouanti res: collega additur ei Agrippa Menenius, cui Lanato erat cognomen, & L. Minutius præfectus annonæ, seu refectus, seu quo ad res posceret, in incertum creatus. nihil enim constat, nisi in libros linteos vtroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen. Hic Minutius eandem rei- E publicæ curationem agens, quàm melius priuatim agendam susceperat: cum in vtraque domo genus idem hominum versaretur, rem compertam ad senatum defert, tela in domum Melij cõferri, eúmque conciones domi habere, ac non dubia regni consilia esse. tempus agendæ rei nondum stare, cetera iam conuenisse: & tribunos mercede emtos ad prodendam libertatem: & partita ducibus multitudinis ministeria esse serius se pene, quàm tutum fuerit, ne cuius incerti vanique auctor esset, ea deferre. Quæ F postquam sunt audita, & vndique primores patrum & prioris anni consules increparent, quod eas largitiones, cœtúsque plebis in priuata domo passi essent fieri: & nouos consules, quod expectassent donec à præfecto annonæ tanta res ad senatum deferretur, quæ consulem, non auctorem solum desideraret, sed etiam vindicem: tum T. Quintius consules immerito increpari ait, qui constricti legib. de prouocatione ad dissoluendum imperium latis, nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi habe- G rent opus esse non forti solum viro, sed etiam libero, exsolutoque legum vinculis. Itaque se dictatorem L. Quintium dicturum: ibi animum parem tantæ potestati esse. Approbantibus cunctis primo Quintius abnuere? & quid sibi vellent rogitare, qui se ætate exacta tantæ dimicationi obiicerent? Dein cum vndique plus in illo senili animo non consilij modo, sed etiam virtutis esse, quam in omnibus aliis dicerent, laudibúsque haud immeritis onerarent, & consul nihil remitteret: precatus tandem

deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tá trepidis rebus dáno dedecorive reip. esset dictator à consule dicitur. ipse deinde C. Seruilium Halam magistrum equitum dicit. Postero die dispositis præsidiis cum in forum descendisset, cōuersaque in eum plebs nouitate rei ac miraculo esset: & Meliani, atq; ipse dux eorum, in se intentam vim tanti imperij cernerent: expertes consiliorum regni, qui tumultus quod bellum repens aut dictatoriam maiestatem, aut Quintium post octogesimum annum rectorem reipublicæ quæsisset, rogitarent: missus ab dictatore Seruilius magister equitum ad Melium, Vocat te, inquit, dictator. Cùm pauidus ille quid vellet, quæreret: Seruiliúsque caussam dicendam esse proponeret, crimenque à Minutio delatum ad senatum diluēdum: tunc Melius recipere se in cateruam suorum, & primum circumspectans tergiuersari: postremo cum apparitor iussu magistri equitum eum duceret, ereptus à circumstantibus, fugiénsque fidem plebis Romanæ implorare, & opprimi se consensu patrum dicere, quod plebi benignè fecisset: orare, vt opem sibi vltimo in discrimine ferrent, néve ante oculos suos trucidari sinerent. Hæc eum vociferātem assecutus Hala Seruilius obtruncat: respersúsq. cruore obtruncati stipatus caterua patriciorum iuuenum dictatori renuntiat: vocatum ad eum Melium, repulso apparitore concitantem multitudinem, pœnam meritam habere. Tum dictator, Macte virtute, inquit, C. Seruili esto, liberata repub. Tumultuantem deinde multitudinem incerta existimatione facti ad concionem vocari iussit: & Melium iure cæsum pronuntiauit, etiamsi regni crimine insons fuerit: qui vocatus à magistro equitum ad dictatorem non venisset, se ad caussam cognoscendam consedisse: qua cognita habiturum fuisse Melium similem caussæ fortunam. vim parantem, ne iudicio se committeret, vi coercitum esse. nec cum eo tanquam cum ciue agendum fuisse, qui natus in libero populo inter iura, legésque, ex qua vrbe reges exactos sciret: eodémque anno sororis filios regis, & liberos cōsulis liberatoris patriæ, propter pactionem indicatam recipiendorum in vrbem regum à patre securi esse percussos: ex qua Collatinum Tarquiniū cōsulem nominis odio abdicare se magistratu atq; exsulare iussum: in qua de Sp. Cassio post aliquot annos propter cōsilia inita de regno suppliciū sumtum: in qua nuper decemuiros bonis, exilio, capite mulctatos ob superbiam regiā: in ea Sp. Melius spē regni conceperit, & quis homo? quanquam nullam nobilitatem, nullos honores, nulla merita cuiquam ad dominationem pandere viam: sed tamen Claudios, Cassios, consulatibus, decemuiratibus suis, maiorúmque honoribus, splendore familiarum sustulisse animos, quo nefas fuerit, S. Melium qui tribunatus plebis magis optandus quàm sperandus fuerit, frumentarium diuitem, vilibus farris libris sperasse libertatem se ciuium suorum emisse: ciboque obiiciendo ratum victorem finitimorum omnium populum in seruitutem perlici posse: vt quem senatorem concoquere ciuitas vix posset, regem ferret, Romuli conditoris ab diis orti, recepti ad deos, insignia atque imperium habentem, non pro scelere id magis, quàm pro monstro habendum. Nec satis esse sanguine eius expiatū, nisi tecta parietésque, intra quę tantum amentiæ cōceptum esset, dissiparentur: bonáque contacta pretiis regni mercandi, publicarētur. Iubere itaque quęstores vendere ea bona, atque in publicum redigere. Domum deinde, vt monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplò iussit. id Æquimelium appellatum est. L. Minutius boue aurato extra portam Tergeminam est donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi diuisit. Hunc Minutium apud quosdam auctores transisse à patribus ad plebem, vndecimúmque tribunum plebis cooptatum, seditionem motam ex Meliana cæde, sedasse inuenio. Ceterum vix credibile est, numerum tribunorum patres augeri passos: idque potissimum exemplum à patricio homine introductum: nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse, aut certè tentasse. sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum, paucis antè annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret. Q. Cæcilius, Q. Iunius, Sex. Titinnius, soli ex collegio tribunorū, neque tulerant de honoribus Minutij legem: & criminari nunc Minutium, nunc Seruilium apud plebem, querique indignam necem Melij non destiterant. Peruicerunt igitur, vt tribunorum militum potius quàm consulū comitia haberentur: haud dubij, quin sex lectis (tot enim iam creari licebat) & plebeij aliqui profitendo se vltores fore Melianæ cædis crearentur. Plebs quanquam agitata multis eo anno & variis motib. erat, nec plures quàm tres tribunos consulari potestate creauit: & in iis L. Quintium Cincinnati filium: ex cuius dictaturæ inuidia tumultus quærebatur: prælatus suffragiis Quintio Mamercus Æmilius, vir summæ dignitatis L. Iulium tertium creant. in horum magistratu Fidenæ colonia Romana ad Lartem Tolumnium Veientium regem ac Veientes defecere. maius additum defectioni scelus. Caium Fulcinium, C. Iulium Tullum, Sp. Nautium, L. Rosciunt, legatos Romanos, caussam noui consilij quærentes, iussu Tolumnij interfecerunt. leuant quidam regis facinus in tesserarum prospero iactu vocem eius ambiguam, vt occidi iussisse videretur, à Fidenatibus exceptam, caussam mortis legatis fuisse. rem incredibilem: interuentu Fidenatium nouorum sociorum consulentium de cæde ruptura ius gentium, non auersum ab intentione lusus animum: nec deinde in horrorem versum facinus. propius est fidem, obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem vllam ab Romanis posset conscientia tanti sceleris, voluisse. Legatorum, qui Fidenis cæsi erant, statuæ publicè in Rostris positæ sunt. Cum Veientibus Fidenatibúsque præterquam finitimis populis ab caussa etiam tam nefanda bellum exorsis, atrox dimicatio instabat. Itaque ad curam summæ rerum quieta plebe, tribunisque eius, nihil controuersiæ fuit, quin consules crearentur M. Geganius Macerinus tertium, & L. Sergius, Fidenas, à bello credo, quod deinde gessit, appellatus. hic enim primus cis Anienem cum rege Veientium secundo prælio conflixit: nec incruentam victoriam retulit. Maior itaque ex ciuibus amissis dolor, quàm lætitia fusis hostibus, fuit. & senatus, vt intrepidis rebus, dictatorem dici Mamercum Æmilium iussit: is magistrum equitum ex collegio prioris anni, quo simul tribuni militum consulari potestate fuerant, L. Quintium Cincinnatum, dignum parente iuuenem, dixit. Ad delectum à consulibus habitum centuriones veteres belli periti adiecti: & numerus amissorum proxima pugna expletus. Legatos, Quintium Capitolinum, & M. Fabium Vibulanum sequi se dictator iussit. Cùm potestas maior, tum vir quoque potestati par, hostes ex agro Romano trans Anienem submouere: collésque inter Fidenas atque Anienem ceperunt, referentes castra nec ante in campos digressi sunt, quàm legiones auxilio Faliscorum venerunt. tum demum castra Hetruscorum pro mœnibus Fidenarum posita. Et dictator

ctator Romanus haud procul inde ad confluentes A consedit in vtriusque ripis amnis, qua sequi munimento poterat vallo interposito postero die in aciem eduxit. Inter hostes varia fuere sententiæ. Faliscus procul ab domo militiam ægre patiens, satisque fidens sibi poscere pugnam: Veienti Fidenatique plus spei in trahendo bello esse. Tolumnius, quanquam suorum magis placebant consilia, ne longinquam militiam paterentur Falisci, postero die se pugnaturum edicit. dictatori ac Romanis, quod detrectasset pugnam hostis, animi accessere. posteroque die B iam militibus castra vrbémque se oppugnaturos frementibus, ni copia pugnæ fiat, vtrinque acies inter bina castra in medium campi procedunt. Veiens multitudine abundás, qui inter dimicationem castra Romana aggrederentur, post montes circummisit. Trium populorum exercitus ita stetit instructus, vt dextrum cornu Veientes, sinistrum Falisci tenerent, medij Fidenates essent. Dictator dextro cornu aduersus Faliscos, sinistro contra Veientem Capitolinus Quintius intulit signa: ante mediam acié cum C equitatu magister equitum processit. Parumper silentium & quies fuit: nec Hetruscis, nisi cogerentur, pugnam inituris: & dictatore arcem Romanam respectante, vt ab auguribus simul auas rite admisissent ex composito tolleretur signum. quod vbi conspexit primos equites, clamore sublato in hostem emisit, secuta peditum acies ingenti vi cónflixit. nulla parte legiones Hetruscæ sustinere impetum Romanorum. eques maxime resistebat, equitúmque longè fortissimus ipse rex ab omni parte effuse se- D quentibus obequitans Romanis, traheret certamen. Erat tum inter equites tribunus militum A. Cornelius Cossus, eximia pulchritudine corporis animo ac viribus par; memorque generis, quod amplissimum acceptum maius auctiúsque reliquit posteris. Is cum ad impetum Tolumnij, quacunque se intendisset, trepidantes Romanas videret turmas, insignémque eum regio habitu volitantem tota acie cognouisset: Hiccine est, inquit, ruptor fœderis humani, violatorque gentium iuris? iam ego hanc macta- E tam victimam (si modo sancti quicquam in terris esse dij volunt) legatorum manibus dabo. Calcaribus subditis, infesta cuspide in vnum fertur hostem, quem cum ictum equo deiecisset, confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit. assurgentem ibi regem vmbone resupina, repetitúmque sæpius cuspide ad terram affixit, tum exsangui detracta spolia, capútque abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fundit. Itaque equitum quoque fusa acies, quæ vna fecerat anceps certamen. Dictator F fugatis legionibus instat: & ad castra compulsos Fidenatium plurimi locorum notitia effugere in mótes. Cossus Tyberim cú equitatu trásuectus, ex agro Veientano ingentem detulit prædam ad vrbem. Inter prælium & ad castra Romana pugnatum est, aduersus partem copiarum ab Tolumnio, vt ante dictum est, ad castra missam. Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit: intentos deinde hostes in vallum, egressus dextra principali cum triariis repente inuadit. quo pauore iniecto, cædes minor, G quia pauciores erant. fuga non minus trepida, quàm in acie fuit. Omnibus locis re bene gesta, dictator senatusconsulto, iussuq. populi triumphans in vrbé rediit. Longè maximum triumphi spectaculum fuit, Cossus, spolia opima regis interfecti gerens, in eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo, canere. Spolia in æde Iouis Feretrij prope Romuli spolia, quæ prima opima appellata sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit. a-

uerterátque in se à curru dictatoris ciuium ora, & A celebritatis eius diei fructum propè solus tulerat. Dictator coronam auream* libræ pondo ex publica pecunia populi iussu in capitolio Ioui donú posuit. Omneis aute me auctores secutus, A. Cornelium Cossum tribunum militum secunda spolia opima Iouis Feretrij templo intulisse, exposui. Ceterum præterquam quod ea ritè opima spolia habentur, quæ dux duci detraxerit, nec ducem nouimus, nisi cuius auspicio bellum geritur, titulus ipse spoliis inscriptus, illos méque arguit, consulem ea Cossum B cepisse. Hoc ego cú Augustú Cæsarem téplorum omnium conditorem aut restitutoré ingressú ædé Feretrij Iouis, quàm vetústate dilapsá refecit, se ipsú in thorace linteo scriptum legisse audissem: prope sacrilegium ratus sum, Cossum spoliorum suorum, Cæsarémque ipsius tépli auctorem subtrahere testé. qui si ea in re sit error, quod tam veteres annales quodque magistratum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ, Macer Licinius citat identidem C auctores, septimo post demum anno cum T. Quintio Peno, A. Cornelium Cossum consulem habeant: existimatio communis omnibus est: nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum trásferri posset, quod imbellè triennium ferme pestilentia, inopiáque frugum circa A. Cornelium consulem fuit: adeo, vt quidam annales velut defuncti, nihil præter nomina consulum suggerant. tertius ab cons. Cossi annus tribunum eum militum consulari potestate habet: eodem anno magistrum e- D quitum, quo in imperio alteram insignem edidit pugnam equestrem. ea libera coniectura est. sed (vt ego arbitror) vana versare in omnes opiniones licet: cum auctor pugnæ recentibus spoliis in sacra sede positis, Iouem prope ipsum, cui vota erant, Romulúmque intuens, haud spernendo falsi tituli testes, sese A. Cornelium consulem scripserit. M. Cornelio Maluginense, L. Papyrio Crasso consulibus, exercitus in agrum Veientem ac Faliscum ducti: prædæ abactæ hominum, pecorúmque, hostis in agris nusquem inuentus, neque pugnandi copia facta. vrbes E tamen non oppugnatæ: quia pestilentia populum inuasit. Et seditiones domi quæsitæ sunt, nec motæ tamen, ab Sp. Melio tribuno plebis. qui fauore nominis moturum se aliqnid ratus, & Minutio diem dixerat: & rogationem de publicandis bonis Seruilij Halę tulerat: falsis criminibus à Minutio circumuentum Melium arguens: Seruilio cędé ciuis indemnati obiiciens, quæ vaniora ad populum ipso auctore fuere. Ceterum magnis vis morbi ingrauescens curæ erat, terroré sque ac prodigia, maximè F quò crebris moribus terrę ruere in agris núti abátur tecta. Obsecratio itaque à populo duumuiris præeuntibus est facta. Pestilentior inde annus C. Iulio iterum, & L. Virginio consulibus, tantum metum vastitatis in vrbe agrísque fecit, vt non modo prædandi caussa quisquam ex agro Romano non exiret, bellive inferendi memoria patribus aut plebi esset: sed vltro Fidenates, qui se primo aut oppido, aut mótibus, aut muris tenuerant, populabundi descenderent in agrum Romanum. deinde Veientium ex- G ercitu accito (nam Falisci perpelli ad restaurandum bellum, neque clade Romanorum, neque sociorum precibus potuere) duo populi transiere Anienem, atque haud procul Collina porta signa habuere. Trepidatum itaque non in agris magis quàm in vrbe est. Iulius consul in aggere murisque explicat copias. à Virginio senatus in æde Quirini consulitur. dictatorem dici A. Seruilium placet, cui Prisco alij, alij Structo fuisse cognomé tradunt. Virginius dum

collegam consuleret moratus, permittente eo, no-
cte dictatorem dixit. is sibi magistrum equitum
Posthumium Ebutium Heluam dicit. Dictator om-
nes luce prima extra portam Collinam adesse iubet.
quibuscunque vires suppetebant ad arma feren-
da,præsto fuere:signa ex ærario promta feruntur ad
dictatorem. Quæ cum agerentur,hostes in loca al-
tiora cócessere.eo dictator agmine infesto subiens:nec
procul Nomento signis collatis fudit Hetruscas le-
giones: compulit inde in vrbem Fidenas, valloque
circumdedit.sed neque scalis capi poterat vrbs alta,
& minuta: neque in obsidione vis vlla erat: quia
frumentum non necessitati modo satis, sed copiæ
quoque abundè ex ante conuecto sufficiebat.Ita ex-
pugnandi pariter, cogendique ad deditionem spe
amissa, dictator in locis propter propinquitatem
notis ab aduersa parte vrbis maximè neglecta,quia
suapte natura tutissima erat,agere in arcem cunicu-
lum instituit ipse diuersissimis locis subeundo ad
mœnia quadrifariam diuiso exercitu, qui alij aliis
succederent ad pugnam, continenti die ac nocte
prælio ab sensu operis hostes auertebat: donec per-
fosso à castris monte, erecta in arcem via est. inten-
tisque Hetruscis ad vanas à certo periculo minas,
clamor supra caput hostilis captam vrbem ostendit.
Eo anno C. Furius Pacilius, & M. Geganius Mace-
rinus censores villam publicam in campo Martio
probauerunt : ibique primum census populi est a-
ctus. Eosdem consules in sequenti anno refectos,
Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum
Licinium inuenio. Valerius Antias & Q. Tubero
M.Manlium & Q.Sulpicium consules in eum annũ
edunt.ceterum in tam discrepanti editione & Tu-
bero & Macer libros linteos auctores profitentur:
neuter tribunos militũ eo anno fuisse traditũ à scri-
ptorib.antiquis dissimulat. Licinio libros haud du-
biè sequi linteos placet: & Tubero incertus veri est.
sed inter cetera vetustate incóperta, hoc quoque in
incerto positum. Trepidatum in Hetruria est post
Fidenas captas. non Veientibus solum exterritis
metu similis excidij,sed etiam Faliscis, memoria i-
niti primo cum iis belli: quanquam rebellantibus
non affuerant.Igitur cum duæ ciuitates legatis circa
XXII.populos missis impetrassent, vt ad Voltumnæ
fanum indiceretur omni Hetruriæ concilium: velut
magno inde tumultu imminente, senatus Mamer-
cum Æmylium dictatorem iterum dici iussit.Ab eo
A.Posthumius Tubertus magister equitum est di-
ctus,Bellúmque tanto maiore quàm proximo cona-
tu apparatum est, quanto plus erat ab omni Hetru-
ria periculi,quàm ab duobus populis fuerat. Ea res
aliquanto exspectatione omnium tranquillior fuit.
Itaque cum renuntiatum à mercatoribus esset, ne-
gata Veientibus auxilia, iussosque suo consilio bel-
lum initum,suis viribus exsequi:nec aduersarum re-
rum quærere socios, cum quibus spem integram
communicati nõ sint:tum dictator, ne nequicquam
creatus esset,materia quærendæ bello gloriæ adem-
ta,in pace aliquid operis edere,quod monumentum
esset dictaturæ,cupiens, cẽsuram minuere parat:seu
nimiam potestatem ratus, seu non tam magnitudi-
ne honoris quàm diuturnitate offensus. Concione
itaque aduocata, rempublicam foris gerendam ait,
tutaque omnia præstanda, deos immortales sus-
cepisse : se , quod intra muros agendum esset,
libertati populi Romani , consultum. maxi-
mam autem eius custodiam esse, si magna imperia
diuturna non essent: & temporis modus impone-
retur,quibus iuris imponi non posset. Alios magi-
stratus annuos esse: quinquennalem censuram gra-
A uem esse:iisdem per tot annos magna parte vitæ ob-
noxios viuere.se legem laturũ,ne plus quàm annua
ac semestris censura esset. Consensu ingenti populi
legem postero die pertulit.Et vt reipsa , inquit, scia-
tis , Quirites,quam mihi diuturna non placeant im-
peria:dictatura me abdico.Deposito suo magistratu,
modò alioru magistratui imposito,fine alteri, cõgra-
tulatione ac fauore ingenti populi domum est re-
ductus. Censores ægre passi, Mamercum, quod ma-
gistratum populi Rom. minuisset, tribu mouerunt,
B octuplicatoque censu ærarium fecerunt.Quam rem
ipsum ingenti animo tulisse ferunt : caussam potius
ignominiæ intuentem, quàm ignominiam : primo-
res patrum, quanquam diminutum censuræ ius vo-
luissent, exemplo acerbitatis censoriæ offensos:
quippe cum se quisque diutius ac sæpius subiectum
censoribus fore cerneret,quàm censuram gesturum.
Populi certe tanta indignatio coorta dicitur, vt vis
à censoribus nullius auctoritate, præterquam ipsius
Mamerci deterreri quiuerit. Tribuni plebis assiduis
concionibus prohibendo consularia comitia,cum
res prope ad interregnum perducta esset, euicere
tandem,vt tribuni militum consulari potestate crea-
rentur. victoriæ præmium , quod petebatur, vt ple-
beius crearetur , nullum fuit , omnes patricij creati
sunt.M.Fabius Vibulanus,M.Folius, L. Sergius Fi-
denas.pestilentia eo anno aliarum rerum otium præ-
buit.ædes Apollini pro valetudine populi vota est.
D multa Duumuiri ex libris , placandæ deûm iræ, a-
uertendæque à populo pestis caussa , fecere. magna
tamen clades in vrbe agrisque promiscuè hominum
pecorúmque pernicie accepta : Famem cultoribus
agrorum timentes in Hetruriam , Pomptinúmque
agrum,& Cumas, postremo in Siciliam quoque fru-
menti caussa misere. Consularium comitiorum
nulla mentio habita est. Tribuni militum consulari
potestate omnes patricij creati sunt,L.Pinarius Ma-
mercus,L.Furius Medullinus,Sp.Posthumius Albus.
E Eo anno vis morbi leuata : neque à penuria frumen-
ti, quia ante prouisum erat, periculum fuit. Consi-
lia ad mouenda bella in Volscorum Æquorumque
conciliis,& in Hetruria ad fanum Voltumnæ agi-
tata. Ibi prolatæ in annum res, decretoque cautúm-
ne quod ante consilium fieret:nequicquam Veiente
populo querente eandem qua Fidenæ deletæ sint,
imminere Veiis fortunam.Interim Romæ principes
plebis iamdiu nequicquam imminentes spei ma-
ioris honoris, dum foris otium esset, cœtus indicere
F in domos tribunorum plebis ibi secreta consilia agi-
tare. queri se à plebe adeo spretos , vt cum per tot
annos tribuni militum consulari potestate crearentur,
nulli vnquam plebeio ad eum honorem aditus fue-
rit.multum prouidisse suos maiores,qui cauerint,ne
cui patricio plebeij magistratus paterent : aut patri-
cios habendos fuisse tribunos plebis. adeo se suis e-
tiã sordere,nec à plebe minus quã à patribus cõtem-
ni.Alij purgare plebẽ:culpã in patres vertere:eorum
ambitione artibúsque fieri, vt obseptum plebi sit ad
G honorem.Si plebi respirare ab eorum mistis precibus
minisque liceat,memorẽ eam suorum initurã suffra-
gia esse , & parto auxilio imperiũ quoque adsciturã.
Placet tollendæ ambitionis caussa tribunos legem
promulgare , ne cui album in vestimentum addere
petitionis caussa liceret. Parua nunc res,& vix serio
agenda videri possit,quæ tunc ingenti certamine pa-
tres ac plebem accendit. Vicere tamen tribuni , vt
legem perferrent: apparebàtque irritatis animis ple-
bem ad suos studia inclinaturam.quæ ne libera esset,
senatusconsultum factum est , vt consularia comi-
tia haberẽtur:Tumultus caussa fuit,quem ab Æquis
& Vol-

A & Volscis Latini atq. Hernici nũtiarant T. Quintius Lucij filius, Cincinnatus, (eidem & Peno cognomen additur) & Cn. Iulius Mento consules facti; nec vltra terror belli est dilatus. Lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, vtrinque validi exercitus profecti in Algidum conuenere. ibiq; seorsum Æqui seorsum Volsci castra communiuere. intentiórque quàm vnquam ante, muniendi, exercendique militem cura ducibus erat. eo plus nuntij terroris Romam attulere. B Senatui dictatorem dici placuit: quia etsi sæpe victi populi, maiore tamen conatu quàm alias vnquam rebellarent: & aliquantum Romanæ iuuentutis morbo absumtum erat. ante omnia priuata Coss. discordia, quæ inter ipsos erat, & certamina in consiliis omnibus terrebant. Sunt qui malè pugnatum ab his consulibus in Algido auctores sint, eámque caussam dictatoris creandi fuisse. Illud satis constat ad alia discordes, in vno aduersus patrum voluntatem consensisse, ne dicerent dictatorem: C donec, cum alia aliis terribiliora afferrentur, nec in auctoritate senatus consules essent, Q. Seruilius Priscus summis honoribus egregiè vsus: Vos, inquit, tribuni plebis, quoniam ad extrema ventum est; senatus appellat, vt in tanto discrimine reipub. dictatorem dicere consules pro potestate vestra cogatis. Qua voce audita occasionem oblatam rati tribuni augendæ potestatis, secedunt: proque collegio pronuntiant, placere consules senatui dicto audientes esse: si aduersus consensum amplissimi D ordinis vltra tendant, in vincula se duci eos iussuros. Consules ab tribunis quàm ab senatu vinci maluerunt: proditum à patribus summi imperij ius, datúmque sub iugum tribunitiæ potestati consulatum memorantes, si quidem cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules, & (quo quid vlterius priuato timendum foret?) in vincula etiam duci possent. Sors, vt dictatorem diceret (nam ne id quidem inter collegas conuenerat) T. Quintio euenit. is A. Posthumium Tubertum, socerum suum seuerissimi imperij virum, dictatorem dixit. ab eo E L. Iulius magister equitum est dictus. simul edicitur & iustitium, neque aliud tota vrbe agi, quàm bellum apparari. cognitio vacantium militiæ munere, post bellum differtur. ita dubij quoque inclinat ad nomina danda & Hernicis Latinísque milites imperati. vtrinque enixè obeditum dictatori est. Hæc omnia celeritate ingenti acta. relictoque Cn. Iulio consule ad præsidium vrbi, & L. Iulio magistro equitum ad subdita belli ministeria, ne qua res, qua eguissent in castris, moraretur: dictator præeunte A. Cornelio F Pontifice maximo, ludos magnos tumultus caussa vouit: profectúsque ab vrbe, diuiso cum Quintio consule exercitu, ad hostes peruenit. Sicut bina castra hostium paruo inter se spatio distantia viderant, ipsi quoque mille fermè passus ab hoste, dictator Thusculo, consul Lanuuio propiorem locum castris ceperunt. Ita quatuor exercitus totidem munimenta, planiciem in medio non paruis modo excursionibus ad prælia, sed vel ad explicandas G vtrinque acies satis patentem habebant. Nec ex quo castris castra collata sunt, cessatum à leuibus præliis est: facile patiente dictatore, conferendo vires spem vniuersæ victoriæ, tentato paulatim euentu certaminum, suos præcipere. Itaque hostes nulla in prælio iusto relicta spe, noctu adorti castra consulis, rem in casum ancipitis euentus committunt. Clamor subito ortus, non consulis modo vigiles, exercitum deinde omnem, sed dictatorem quoque ex somno exciuit. vbi præsenti ope res regebant, consul nec animo deficit, nec consilio. pars militum portarum stationes firmant: pars corona vallum cingunt. In alteris apud dictatorem castris quo minus tumultus est, eo plus animaduertitur quid opus facto sit; missum extemplo ad castra subsidium, cui Sp. Posthumius Albus legatus præficitur. ipse parte copiarum paruo circuitu locum maximè secretum ab tumultu petit, vnde ex necopinato auersum hostem inuadat. Q. Sulpitium legatum præficit castris: Marco Fabio legato assignat equites: nec ante lucem mouere iubet manum, inter nocturnos tumultus moderatu difficilem. Omnia quæ vel alius imperator prudens & impiger in tali re præciperet, ageretque, præcipit ordine atque agit. Illud eximium consilij animique specimen, & neutiquam vulgatæ laudis, quod vltro ad oppugnanda castra hostium, vnde maiore agmine profectos exploratum fuerat, M. Geganium cum cohortibus delectis misit. qui postquam intentos homines in euentum periculi alieni; pro se incautos neglectis vigiliis stationibusq; est adortus: prius penè cepit castra, quàm oppugnari hostes satis scirent: inde fumo, vt conuenerat, datum signum, vbi conspectum ab dictatore est, exclamat, capta hostium castra: nuntiarique passim iubet. Et iam lucescebat, omniáque sub oculis erant: & Fabius cum equitatu impetum dederat: & consul eruptionem è castris in trepidos iam hostes fecerat. Dictator autem parte altera subsidia & secundam aciem adortus, circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus, hosti vndique obiecerat victorem peditem equitémque, circumuenti igitur iam in medio ad vnum omnes pœnas rebellionis dedissent, ni Vectius Messius ex Volscis nobilior vir factis quàm genere, iam orbem voluentes suos increpans clara voce: Hic præbituri, inquit, vos telis hostium estis indefensi, inulti? quid igitur arma habetis? aut quid vltro bellum intulistis? in otio tumultuosi, in bello segnes; quid hic stantibus spei est? an deum aliquem protecturũ vos? rapturumque hinc putatis? ferro via facienda est hac, qua me prægressum videritis, agite qui visuri domos, parentes, coniuges, liberos estis, ite mecum. non murus, nec vallum, sed armati armatis obstant virtute pares, necessitate (quæ vltimum ac maximum telũ est) superiores estis. Hæc locutum, exsequentémque dicta redintegrato clamore secuti, dant impressionem, qua Posthumius Albus cohortes obiecerat: & mouerunt victorem, donec dictator pedem iam referentibus suis aduenit; eoque omne prælium versum est. Vni viro Messio fortuna hostium innititur. multa vtrinque vulnera, multa passim cædes est. Iam nec duces quidem Romani incruenti pugnant. Vnus Posthumius ictus saxo, perfracto capite acie excessit: Non dictatorem humerus vulneratus, non Fabium propè affixum equo femur, non brachium abscissum consulem ex tam ancipiti prælio summouit. Messium impetus per stratos cæde hostes cum globo fortissimorum iuuenum extulit ad castra Volscorum, quæ nondum capta erant. eodem omnis acies inclinatur. Consul effusos vsque ad vallum persecutus, ipsa castra vallumque aggreditur. eodem & dictator alia parte copias admouet. non segnior oppugnatio est, quàm pugna fuerat. Consulem signum quoque intra vallum iniecisse ferunt, quo milites acrius subirent: repetendoque signo primam impressionem factam. Et dictator prorupto vallo iam in castra prælium intulerat. Tum abiici arma passim, ac dedi hostes cœpti: castris

que & his captis, hostes, præter senatores, omnes venundati sunt. Prædæ pars, sua cognoscentibus Latinis atque Hernicis reddita. partem sub hasta dictator vendidit, præpositoque consule castris, ipse triumphans inuectus vrbem, dictatura se abdicauit. Egregiæ dictaturæ tristem memoriam faciunt, qui filium ab A. Posthumio, quod occasione bene pugnandi captus, iniussu discesserit præsidio, victorem securi percussum tradunt. nec libet credere: & licet, in variis opinionibus: & argumento est, quod imperia Manliana, non Posthumiana, appellata sint: quum qui prior auctor tam sæui exempli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit. Imperioso quoque Manlio cognomen inditum: Posthumius nulla tristi nota est insignitus. Cn. Iulius consul ædem Apollinis absente collega sine sorte dedicauit. ægrè id passus Quintius, cum dimisso exercitu in vrbem redisset, nequicquam in Senatu est conquestus. Insigni magnis rebus anno additur, nihil tum ad rem Romanam pertinere visum quod, Carthaginenses tanti hostes futuri, tum primum per seditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum traiecere. agitatum in vrbe ab tribunis plebis, vt tribuni militum consulari potestate crearentur: nec obtineri potuit. Consules fiunt L. Papyrius Crassus, L. Iulius. Æquorum legati fœdus ab senatu cum petissent, & pro fœdere deditio ostentaretur, inducias annorum octo impetrauerunt. Volscorum res super acceptam in Algido cladem pertinaci certamine inter pacis bellique auctores in iurgia & seditiones versa. Vndique otium fuit Romanis. Legem de mulctarum æstimatione pergratam populo, cum ab tribunis parari consules vnius ex collegio proditione excepissent, ipsi præoccupauerunt ferre. Consules L. Sergius Fidenas iterum, Hostius Lucretius Tricipitinus. Nihil dignum dictu actum his consulibus. Secuti eos consules, A. Cornelius Cossus, T. Quintius Pœnus iterum. Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt. Fama fuit, quosdam ex Fidenatium iuuentute participes eius populationis fuisse: cognitioque eius rei L. Sergio & Q. Seruilio, & Mamerco Æmylio permissa. Quidam Hostiam relegati, quod cur per eos dies à Fidenis abfuissent, parum constabat, colonorum additus numerus, agérque iis bello interemptorum assignatus. Siccitate eo anno plurimum laboratum est: nec cœlestes modo defuerunt aquæ, sed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes suffecit amnes, defectus alibi aquarum circa torridos fontes, riuosque stragem siti pecorum morientium dedit: scabie alia absumpta, vulgatique contactu in homines morbi, & primo in agrestes ingruerant, seruitiaque: vrbs deinde impletur. Nec corpora modo affecta tabo, sed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa inuasit: nouos ritus sacrificando, vaticinando inferentibus in domos, quibus quæstui sunt capti superstitione animi: donec publicus iam pudor ad primores ciuitatis peruenit, cernentes in omnibus vicis sacellisq. peregrina atque insolita piacula pacis deûm exposcendæ. Datum inde negotium ædilibus, vt animaduerterent, ne qui, nisi Romani dij, neu quo alio more quàm patrio colerentur. Iræ aduersus Veientes in insequentem annum Caio Seruilio Hala, Lucia Papyrio Mugilano consulibus, dilatæ sunt. Tunc quoque, ne confestim bellum indiceretur, néve exercitus mitterentur, religio obstitit: feciales prius mittendos ad res repetendas censuere. Cum

A Veientibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat: induciæque inde, non pax facta, quarum & dies exierat, & ante diem rebellauerant. Missi tamen feciales: nec eorum cum more patrum parati repeterent res, verba sunt audita. Controuersia inde fuit, vtrum populi iussu indiceretur bellum, non satis esset senatusconsultum. Peruicere tribuni, denunciando impedituros se delectum, vt Quintius consul de bello ad populum ferret. omnes centuriæ iussere. In eo quoque plebs superior fuit. quod B tenuit, ne consules in proximum annum crearentur. Tribuni militum consulari potestate quatuor creati sunt, Titus Quintius Pœnus ex consulatu, Caius Furius, Marc. Posthumius. Aul. Cornelius Cossus: ex iis Cossus præfuit vrbi. tres delectu habito profecti sunt Veios: documentoque fuere, complurium imperium bello inutile esset. Tendendo ad sua quisque consilia, cum aliud alij videretur, aperuerunt ad occasionem locum hosti. incertam namque aciem, signum aliis dati receptui, aliis cani iu- C bentibus, inuasere opportune Veientes: castra propinqua turbatos, ac terga dantes accepere. Plus itaque ignominiæ quàm cladis est acceptum. Mœsta ciuitas fuit, vinci insueta: odisse tribunos, poscere dictatorem, in eo verti spes ciuitatis. & cum ibi quoque religio obstaret, ne posset nisi ab consule dici dictator, augures consulti eam religionem exemere. A. Cornelius dictatorem Mamercum Æmylium dixit: & ipse ab eo magister equitum est dictus. Adeò simul fortuna ciuitatis virtute vera eguit: vt nihil censoria animaduersio effe- D cerit, quominus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur. Veientes re secunda elati, missis circum Hetruriæ populos legatis, iactando tres duces Romanos ab se vno prælio fusos, cum tamen nullam publici consilij societatem mouissent, voluntarios vndique ad spem prædæ asciuerunt. Vni Fidenatium populo rebellare placuit: & tanquam nisi ab scelere bellum ordiri nefas esset, sicut legatorum antea, ita cum nouorum colonorum cæde im- E butis armis, Veientibus sese coniungunt. Consultare inde principes duorum populorum, Veios, an Fidenas sedem belli caperent. Fidenæ visæ opportuniores. Itaque traiecto Tyberi Veientes Fidenas transtulerunt bellum. Romæ terror ingens erat, accito exercitu ab Veiis hostibus positis ad Fidenas, eoque ipso ab re male gesta perculsa castra locantur ante portam Collinam, & in muris armati dispositi, & iustitium in fo- F ro, tabernæque clausæ, fiuntque omnia castris quàm vrbi similiora. Tum trepidam ciuitatem præconibus per vicos dimissis dictator ad concionem aduocatam increpuit, quod animos ex tam leuibus fortunæ momentis suspensos gererent, vt parua iactura accepta, quæ ipsa non virtute hostium, nec ignauia Romani exercitus, sed discordia imperatorum accepta sit. Veientem hostem sexies victum pertimescant: Fidenasque prope sæpius captas quam oppugnatas: G eosdem & Romanos & hostes esse, qui per tot secula fuerint: eosdem animos, easdem corporis vires, eadem arma gerere: se quoque eundem dictatorem Mamercum Æmylium esse, qui ante Veientium Fidenatiumque adiunctis Faliscis ad Nomentum exercitus fuderit: & magistrum equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priore bello tribunus militum Larte Tolumnio rege Veientium in conspectu duorum exercituum occiso, spolia opima Iouis Feretrij templo

templo intulerit, proinde memores, secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse, cum hostibus sceleris legatorum contra ius gentium interfectorum, cædem in pace Fidenatium colonorum, inducias ruptas, septimam infelicem defectionem, arma acciperent simul castra castris coniunxissent, satis confidere, nec sceleratissimis hostibus diuturnum ex ignominia exercitus Romani gaudium fore: & populum Romanum intellecturum, quanto melius de republica meriti sint, qui se dictatorem tertium dixerint, quàm eos qui ob ereptum censuræ regnum labem secundæ dictaturæ suæ imposuerint. Votis deinde nuncupatis profectus, M. & D. passus citra Fidenas castra locat, dextra montibus, læua Tyberi amne septus. T. Quintium Pœnum legatum occupare montes iubet: occultúmque id iugum capere, quod ab tergo hostibus foret. ipse postero die, cum Hetrusci pleni animorum, ac pristini diei meliore occasione quàm pugna, in aciem processissent: cunctatus parumper, dum speculatores referrent, Quintium euasisse in iugum propinquum arci Fidenarum, signa proferr: peditumque aciem instructam pleno gradu in hostem inducit: magistro equitum præcipit, ne iniussu pugnam incipiat: se, cum opus sit, equestri auxilio signum daturum: tum vt memor regiæ pugnæ, memor opimi doni, Romulique ac Iouis Feretrij, rem gereret. Legiones impetu ingenti confligunt. Romanus odio accensus, impium Fidenatem, prædonem Veientem, ruptores induciarum, cruentos legatorum infanda cæde, respersos sanguine colonorum suorum, perfidos socios, imbelles hostes compellans, factis simul dictisque odium explet. Concusserat primo statim congressu hostem: cum repente patefactis Fidenarum portis noua erupit acies, inaudita ante id tempus, inusitatáque. Ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens, velut fanatico instincta cursu in hostem ruit. formaque insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit: Tum dictator magistro equitum, equitibusque tum ex montibus Quintio accito, prælium ciens, ipse in sinistrum cornu, quod incendio similius quam prælio territum, cesserat flammis, accurrit: claráque voce, Fumone victi, inquit, velut examen apum loco vestro exacti, inermi cedetis hosti? non ferro exstinguetis ignes? non faces has ipsas pro se quisque, si igni non telis pugnandum est, ereptas vltro inferretis? agite nominis Romani, ac virtutis patrum vestræque memores, vertite incendium hoc in hostium vrbem: & suis flammis delete Fidenas, quas vestris beneficiis placare non potuistis. legatorum hoc vos vestrorum, colonorúmque sanguis, vastatique fines monent. Ad imperium dictatoris mota cuncta acies. faces partim emissæ excipiuntur; partim vi eripiuntur: vtraque acies armatur igni. Magister equitum & ipse nouat pugnam equestrem. frenos vt detrahant equis, imperat: & ipse princeps calcaribus subditis euectus effreno equo, in medios ignes infertur, & alij concitati equi libero cursu ferunt equitem in hostem. Puluis elatus, mistusque fumo, lucem ex oculis virorum equorumque aufert. ea quæ militem terruerat species, nihil terruit equos. Ruinæ igitur similem stragem eques quacunque peruaserat, dedit. Clamor deinde accidit nouus: qui cum vtramque mirabundam in se aciem vertisset, dictator exclamat: Quintium legatum & suos ab tergo hostem adortos. ipse redintegrato clamore

A infert acrius signa. Cum duæ acies, duo diuersa prælia circumuentos Hetruscos & à fronte & ab tergo vrgerent, neque in castra retro, neque in montes, vnde se nouus hostis obiecerat, iter fugæ esset: & equitem passim liberi frenis dispulissent equi, Veientium maxima pars Tyberim effusi petunt: Fidenatium qui supersunt ad vrbem Fidenas tendunt. Infert pauidos fuga in mediam cædem: obtruncantur in ripis: alios in aquam compulsos, gurgites ferunt: etiam peritos nandi lassitudo &
B vulnera & pauor degrauant: pauci ex multis tranant. Alterum agmen fertur per castra in vrbem: eadem & Romanos sequentes impetus rapit, Quintium maximè, & cum eo digressos modo de montibus recentissimum ad laborem militem, quia vltimo prælio aduenerat. Hi postquam mixti hostibus portam intrauere; in muros euadunt, suísque capti oppidi signum ex muro tollunt. quod vbi dictator conspexit (iam enim & ipse in deserta hostium castra penetrauerat) cupientem
C militem discurrere ad prædam, spe iniecta maioris in vrbe prædæ ad portam ducit: receptúsque intra muros, in arcem, quò ruere fugientium turbam videbat, pergit. Nec minor cædes in vrbe quam in prælio fuit, donec abiectis armis, nihil præter vitam petentes, dictatori deduntur. Vrbs castráque diripiuntur. Postero die singulis captiuis ab equite ad centurionem sorte ductis, & quorum eximia virtus fuerat, binis aliis sub corona venundatis; exercitum victorem, opulentúmque præda, trium-
D phans dictator Romam reduxit: iussoque magistro equitum abdicare se magistratu, ipse deinde abdicat die sexto decimo, reddito in pace imperio, quod in bello trepidisque rebus acceperat. Classibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus, quidam in annales retulere: rem æquè difficilem atque incredibilem: nec nunc lato satis ad hoc amne, & tum aliquanto, vt à veteribus accepimus, arctiore, nisi in traiectu forte fluminis prohibendo, aliquarum nauium concursum in
E maius (vt fit) celebrantes, naualis victoriæ vanum titulum appetiuere. Insequens annus tribunos militares consulari potestate habuit, A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum, L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatum. Veientibus annorum XX. induciæ datæ; & Æquis triennij, cum plurium annorum petissent. Et ab seditionibus vrbanis otium fuit. Annum insequentem neque bello foris, neque domi seditione insignem, ludi bello voti celebrem & tribunorum militum apparatu, & finitimorum concursu fecere. Tri-
F buni consulari potestate erant, Cl. Crassus, Sp. Nautius Rutilius, T. Sergius Fidenas, Sex. Iulius Tullus. Spectaculum comitate etiam hospitium, ad quod publico consensu venerant, aduenis gratius fuit. Post ludos conciones seditiosæ tribunorum plebis fuerunt, obiurgantium multitudinem, quod admiratione eorum quos odissent, stupens, in æterno se ipsa teneret seruitio: & non modò ad spem consulatus in partem reuocandam aspirare non auderet: sed
G ne in tribunis quidem militum creádis (quæ cõmunia essent comitia patrum ac plebis) aut sui aut suorum meminisset. desineret ergo mirari, cur nemo de commodis plebis ageret eo impendi laborem ac periculum, vnde emolumentum atque honos speretur. nihil non aggressuros homines, si magna conatis, magna præmia proponantur: vt quidem aliquis tribunus plebis ruat cæcus in certamina periculo ingenti, fructu nullo: ex quibus pro certo ha-

beat, patres aduersus quos tenderent, bello inexpiabili se persecuturos: apud plebem, pro qua dimicauerit, nihilo se honoratiorem fore: neque spectandum, neque postulandum esse magnos animos, magnis honoribus fieri. neminem se plebeium contemturum, vbi contemni desissent. experiendam rem denique in vno aut altero esse, sitne aliquis plebeius ferendo magno honori: an portento simile miraculóque sit, fortem ac strenuum virum aliquem exsistere ortum ex plebe. Summa vi expugnatum esse, vt tribuni militum, consulari potestate & ex plebe crearentur, petisse viros domi militiæque spectatos: primis annis sugillatos, repulsos, risui patribus fuisse, desisse postremo præbere ad contumeliam os. nec se videre, cur non lex quoque abrogetur, qua id liceat, quod nunquam futurum sit: minorem quippe ruborem fore in iuris iniquitate, quàm si per indignitatem ipsorum prætereantur. Huius generis orationes cum assensu auditæ, incitauere quosdam ad petendum tribunatum militum: alium alia de commodis plebis laturum se in magistratu profitentem. Agri publici diuidendi, coloniarumque deducendarum ostentatæ spes, & vectigali possessoribus agrorum imposito, in stipendium militum erogandi æris. Captatum deinde tempus ab tribunis militum, quo per discessum hominum ab vrbe, cum patres clandestina denuntiatione reuocati ad diem certam essent, senatusconsultum fieret absentibus tribunis plebis: vt quoniam Volscos in Hernicorum agros prædatum exisse fama esset, ad rem inspiciendam tribuni militum proficiscerentur, consulariáque comitia haberentur. Profecti Appium Claudium filium decemuiri præfectum vrbis relinquunt, impigrum iuuenem, & iam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum, plebisque tribunis plebis, nec cum absentibus iis qui senatusconsultum fecerant, nec cum Appio transacta re, quod contenderent, fuit. Creati consules, C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, sed memoria digna traditur eo anno facta: Vulturnum Hetruscorum vrbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuámque ab duce eorum Capye, vel (quod propius vero est) à campestri agro appellatam. cepere autem prius bello fatigatis Hetruscis, in societatem vrbis agrorúmque accepti: deinde festo die grauatos somno, epulisque incolas veteres noui coloni nocturna cæde adorti. His rebus actis, consules ij quos diximus, Idibus Decembribus magistratum occepere. Iam non solùm qui ad id missi erant, retulerunt imminere Volscum bellum, sed legati quoque ab Latinis & Hernicis nuntiabant, non ante vnquam Volscos nec ducibus legendis, nec exercitui scribendo intentiores fuisse: vulgò fremere, aut in perpetuum arma bellúmque obliuioni danda, iugumque accipiendum: aut iis cum quibus de imperio certetur, nec virtute, nec patientia, nec disciplina rei militaris cedendum esse. Haud vana attulere, sed nec perinde patres moti sunt, & C. Sempronius, cui ea prouincia sorte euenit, tanquam constantissimæ rei fortunæ fretus, quod victoris populis exercitum aduersus victos duxisset, omnia temere ac negligenter regit: adeo vt disciplinæ Romanæ plus in Volsco exercitu quàm in Romano esset. ergo fortuna, vt sæpe alias, virtutem est secuta. Primo prælio quod ab Sempronio incaute inconsultéque commissum est, non subsidiis firmata acie, non equite apte locato concursum est, clamor iudicium primum fuit, quò res inclinatura esset, excitatior crebriorque ab hoste

A sublatus, ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pauorem animorum, eo ferocior illatus hostis, vrgere scutis, micare gladiis: altera ex parte nutant circumspectantibus galeæ, & incerti trepidant, applicántque se turbæ: signa nunc resistentia deseruntur ab antesignanis, nunc inter suos manipulos recipiuntur. Nondum fuga certa, nondum victoria erat. tegi magis Romanus quàm pugnare. Volscus inferre signa, vrgere aciem: plus cædis hostium videre, quam fugæ. B Iam omnibus locis ceditur, nequicquā Sempronio consule obiurgante atque hortante: nihil nec imperium nec maiestas valebat: datáque mox terga hostibus forent, ni Sex. Tempanius decurio equitum, labente iam re, præsenti animo subuenisset. Qui cùm magna voce exclamasset, vt equites qui saluam rempub. vellent esse, ex equis desilirent: omnium turmarum equitibus velut ad consulis imperium motis: Nisi hæc, inquit, armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est. sequimini pro vexillo cuspidem meam: ostendite Romanis C Volscisque, neque equitibus vobis vllos equites, nec peditibus esse pedites pares. Cum clamore comprobata adhortatio esset, vadit altè cuspidem gerens: quacunque incedunt, vi viam faciunt: eò se inferunt obiectis parmis, vbi suorum plurimum laborem vident. restituitur omnibus locis pugna, in quæ eos impetus tulit. nec dubium erat, quin si tam pauci simul obire omnia possent, terga daturi hostes fuerint. Et cum iam parte nulla sustinerentur, D dat signum Volscus imperator, vt parmatis, nouæ cohorti hostium locus detur, donec impetu illati ab suis excludantur, quod vbi est factum, interclusi equites: nec perrumpere eadem qua transierant, posse: ibi maxime confertis hostibus, quà viam fecerant, & consul, legionésque Romanæ, cum quod tegumen modo omnis exercitus fuerat, nusquam viderent: ne tot fortissimos viros interclusos opprimeret hostis, tendunt in quemcunque casum diuersi Volsci, hinc consulem ac legiones sustinere: altera fronte instare Tempanio atque equitibus. qui cum E sæpe conati nequissent perrumpere ad suos, tumulo quodam occupato, in orbem se tutabantur, nequaquam inulti. nec pugnæ finis ante noctem fuit. Consul quoque nusquam remisso certamine, dum quicquam superfuit lucis, hostem tenuit: nox incertos diremit. tantúsque ab imprudentia euentus vtraque castra tenuit pauor, vt relictis sauciis, & magna parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus se in montes proximos reciperent. tumulus tamen circunsessus vltra mediam noctem est: quo cum F circumsedentibus nuntiatum esset, castra deserta esse, victos ratis suos, & ipsi quà quemque in tenebris pauor tulit, fugerunt. Tempanius metu insidiarum suos ad lucem tenuit. digressus deinde ipse cum paucis speculatum, cum ab sauciis hostibus sciscitando comperisset, castra Volscorum deserta esse, lætus ab tumulo suos deuocat, & in castra Romana penetrat: vbi cum vasta desertáque omnia, atque eandem quam apud hostes fœditatem inuenis- G set, prius quam Volscos cognitus error reduceret, quibus poterat sauciis ductis secum, ignarus quam regionem quam consul petisset, ad vrbem proximis itineribus pergit. Iam eo fama pugnæ aduersæ, castrorumque desertorum perlata erat, & ante omnia deplorati erant equites, non priuato magis quam publico luctu: Fabiusque consul terrore vrbi quoque iniecto, stationem ante portas agebat, cum equites procul visi non sine terrore ab dubiis quinam essent, mox cogniti, tantam ex metu læti-

tiam

tiam fecere, vt clamor vrbem peruaderet gratulantium saluos victorésque rediisse equites; & ex mœstis paulò ante domibus, quæ conclamauerant suos, procurreretur in vias: pauidæque matres ac coniuges, oblitæ præ gaudio decoris, obuiam agmini occurrerent, in suos quæque simul corpore atque animo vix præ gaudio compotes effusæ. Tribunis plebis qui Marco Posthumio & T. Quintio diem dixerant, quod ad Veios eorum opera malè pugnatum esset, occasio visa est per recens odium Sempronij consulis renouandæ in eos inuidiæ. itaque aduocata concione, cum proditam Veiis rempublicam esse ab ducib. proditū deinde, quia illis impune fuerit in Volscis ab consule exercitum, traditos ad cædem fortissimos equites; deserta fœde castra vociferati essent; C. Iulius vnus ex tribunis Tempanium equitem vocari iussit. coràmque eis, Sexte Tempani, inquit, quæro de te, arbitrerisne C. Sempronium consulem aut in tempore pugnam iniisse, aut firmasse subsidiis aciem? aut vllo boni consulis functum officio? & tùnc ipse victis legionibus Romanis, tuo consilio equitem ad pedes deduxeris? restituerisque pugnam? excluso deinde ab acie nostra tibi atque equitibus, num aut consul ipse subuenerit, aut miserit præsidium? postero denique die ecquid præsidij vsquam habueris; an tu cohorsque in castra vestra virtute perruperitis? ecquem in castris consulem, ecquem exercitum inueneritis? an deserta castra, relictos saucios milites? Hæc pro virtute tua fidéque, qua vna hoc bello resp. stetit, dicenda tibi sunt hodie. Denique vbi C. Sempronius; vbi legiones nostræ sint? desertus sis; an deserueris consulem, exercitúmque? victi denique simus, an vicerimus? Aduersus hæc Tempanij oratio incomta fuisse dicitur; ceterùm militariter grauis, non suis vana laudibus, non crimine alieno læta. Quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio esset, non militis de imperatore æstimationem esse, sed populi Rom. fuisse, cum eum comitiis consulem legeret. Itaque ne ab se imperatoria consilia, neu consulares artes exquirerent, quæ pensitanda quoque magnis animis atque ingeniis essent: sed quod viderit, referre posse. Vidisse autem se prius quàm ab acie intercluderetur, consulem in prima acie pugnantem, adhortantem, inter signa Romana teláque hostium versantem: postea se ab conspectu suorum ablatum; ex strepitu tamen & clamore sensisse, vsque ad noctem extractum certamen: nec ad tumulum quem ipse tenuerat, præ multitudine hostium credere perrumpi potuisse. Exercitus vbi esset; se nescire: arbitrari, velut ipse in re trepida loci præsidio se suósque sit tutatus, sic consulem seruandi exercitus caussa loca tutiora castris cepisse. Nec Volscorum res meliores esse credere, quam populi Rom. fortunam, noctémque omnia erroris mutui implesse. precantémque deinde, ne se fessum labore ac vulneribus tenerent, cum ingenti laude non virtutis magis quàm moderationis dimissum. Cum hæc agerentur, iam consul via Lauicana ad fanum Quietis erat. eo missa plaustra, iumentáque alia ab vrbe, exercitum affectum prælio ac via nocturna excepere. Paulo post in vrbem est ingressus consul, non ab se magis enixè amouens culpam, quam Tempanium meritis laudibus ferens. Mœstæ ciuitati ab re malè gesta, & iratæ ducibus, M. Posthumius reus obiectus, qui tribunus militum pro consule ad Veios fuerat, decem millibus æris grauis damnatur. T. Quintium collegam eius, quia & in Volscis consul auspicio dictatoris Posthumij Tuberti, & ad Fidenas legatus dictatoris alterius Mamerci Æmylij res prosperè ges-

A serat totam culpam eius temporis in prædam natum collegam transferentem, omnes tribus absoluerunt. profuisse ei Cincinnati patris memoria dicitur, venerabilis viri, & exactæ iam ætatis Capitolinus Quintius, supliciter orans, ne se breui reliquo vitæ spatio tam triste nuntium ferre ad Cincinnatum paterentur. Plebs tribunos plebis absentes Sex. Tempanium, A. Sellium & Antistium & Spurilium fecit; quos & pro centurionibus sibi præfecerant Tempanio auctore equites. Senatus cum odio B Sempronij consulare nomen offenderet, tribunos militum cosulari potestate creari iussit. creati sunt L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Mereda, L. Papyrius Mugilanus principio statim anni L. Hortensius tribunus plebis C. Sempronio consuli anni prioris diem dixit; quem cum quatuor collegæ inspectáte populo Roma. orarent, ne imperatorem suum innoxium, in quo nihil præter fortunam reprehendi posset, vexaret: ægre Hortensius pati, tentationem eam credens esse perseuerantiæ suæ, nec precibus C tribunorum, quæ in speciem modo iactentur, sed auxilio confidere reum. Itaque modo ad eum conuersus, vbi illi patricij spiritus, vbi subnixus & fidens innocentiæ animus esset; quærebat: sub tribunitia vmbra consularem virum delituisse: modo ad collegas: Vos autem si reum perago, quid acturi estis? an erepturi ius populo, & euersuri tribunitiam potestatem plebi? Cum illi, & de Sempronio & de omnibus summam populi Rom. potestatem esse dicerent, nec se iu- D dicium populi tollere aut velle, aut posse: sed si preces suæ pro imperatore, qui sibi parentis esset loco, non valuissent, se vestem cum eo mutaturos. tum Hortensius. Non videbit, inquit, plebs Romana sordidatos tribunos suos. C. Sempronium nihil moror, quando hoc est imperio consecutus, vt tam carus esset militibus, nec pietas quatuor tribunorum, quam Hortensij tam placabile ad iustas preces ingenium pariter plebi patribusque gratior fuit. Non diutius fortuna Æquis indulsit, qui ambiguam Victoriam Volscorum pro sua amplexi fuerant. Proxi- E mo Cn. Fabio Vibulano, T. Quintio Capitolini filio Capitolino consulibus, ductu Fabij, cui sorte ea prouincia euenerat, nihil dignum memoratu actum. Cū trepidam tantū ostendissent aciem Aequi, turpi fuga funduntur, haud magno consulis decore. itaque triumphus negatus. ceterum ob Sempronianæ cladis leuatam ignominiam, vt ouans vrbem intraret, concessum est. Quemadmodum bellum minore quàm timuerant, dimicatione erat perfectum: sic in vrbe ex tranquillo opinata moles di- F scordiarum inter plebem ac patres exorta est, cœpta ab duplicando quæstorum numero. quam rem, vt præter duos vrbanos quæstores, duo consulibus ad ministeria belli præsto essent, à consulibus relatam, cum & patres summa ope approbassent: consulibus tribuni plebis certamen intulerunt, vt pars quæstorum, (nam ad id tempus patricij creati erant) ex plebe fieret. Aduersus quam actionem primo & consules & patres summa ope enixi sunt. conceden- G do deinde, vt quemadmodum in tribunis consulari potestate creandis vsi sunt, adæque in quæstoribus liberum esset arbitrium populi: cum parum proficerent, totam rem de augendo quæstorum numero omittunt. Excipiunt omissam tribuni, aliæque subinde, inter quas & agrariæ legis seditiosæ actiones exsistunt: propter quos motus cum senatus consules quam tribunos creari mallet, neque posset per intercessiones tribunitias senatusconsultum fieri. respub. à consulib. ad interregnum, ne-

que id ipsum (nam coire patritios tribuni prohibebant) sine certamine ingenti, redit. Cum pars maior insequentis anni per nouos tribunos plebis & aliquot interreges certaminibus extracta esset: modo prohibentibus tribunis, patritios coire ad prodendum interregem, modo interregem interpellantibus, ne senatusconsultum de comitiis consularibus faceret: postremo L. Papyrius Mugillanus proditus interrex, castigando nunc patres, nunc tribunos plebis, desertam omissámque ab hominibus rempublicam, deorum prouidentia curáque exceptam, memorabat Veientium induciis, & cunctatione Æquorum stare: vnde si quid increpet terroris, sine patritio magistratu placere rempubl. opprimi: non exercitum, non ducem scribendo exercitui esse: an bello intestino bellum externum propulsaturos? quæ si in vnum conueniant, vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, resisti posse: quin illi, remittendo de summa quisque iuris, mediis copularent concordiam: patres patiendum tribunos militum pro consulibus fieri: tribuni plebis non intercedendo, quo minus quatuor quæstores promiscue de plebe ac patribus libero suffragio populi fierent. Tribunitia primum comitia sunt habita: creati tribuni consulari potestate omnes patritij, L. Quintius Cincinnatus tertium, Sex. Furius Medullinus iterum, M. Manlius, A. Sempronius Atratinus. Hoc tribuno comitia quæstorum habente, petentibusque inter aliquot plebeios filio Antistij tribuni plebis, & fratre alterius tribuni plebis Sex. Pompilij, nec potestas, nec suffragatio horum valuit, quin quorum patres auosque consules viderant, eos nobilitate præferrent. Furere omnes tribuni plebis, ante omnes Pompilius Antistiusque repulsa suorum accensi. Quidnam id rei esset? non suis beneficiis, non patrum iniuriis, non denique vsurpandi libidine, cum liceat quod antea non licuerit, si non tribunum militarem, ne quæstorem quidem quenquam ex plebe factum non valuisse patris pro filio, fratris pro fratre preces, tribunorum plebis, potestatis sacrosanctæ ad auxilium libertatis creatæ. Fraudem profecto in re esse, & A. Sempronium comitiis plus artis adhibuisse, quàm fidei: eius iniuria queri suos honore deiectos. Itaque cum in ipsum & innocentia tutum, & magistratu in quo tunc erat, impetus fieri nō posset, flexere iras in C. Sempronium patruelem Atratini: eique ob ignominiam Volsci belli, adiutore collega M. Canuleio, diem dixere. subinde ab eisdem tribunis mentio in senatu de agris diuidendis illata est: cui actioni semper acerrime C. Sempronius restiterat: ratus, id quod erat, aut deposita caussa leniorem futurum apud patres reum, aut perseuerante sub iudicij tempus plebem offensurum: aduersæ inuidiæ obiici maluit, & suæ nocere caussæ, quàm publicæ deesse: stetitq; in eadem sententia, ne qua largitio cessura in trium gratiam tribunorum fieret. nec tum agrum plebi, sed sibi inuidiam quæri: se quoque subiturum eam tempestatem forti animo, nec senatui tanti se ciuem aut quenquam alium debere esse, vt in parcendo vni, malum publicum fiat. Nihilo demissiore animo, cum dies venit, caussa ipse pro se dicta, nequicquam omnia expertis patribus vt mitigarent plebem, quindecim millibus æris damnatur. Eodem anno Posthumia virgo Vestalis de incestu caussam dixit. crimine innoxia: ob suspicionem propter cultum amœniorem, ingeniumque liberius quàm virginem decet, parùm abhorrens famam. Ampliatam, deinde absolutam pro collegij sententia pontifex maximus abstinere iocis, colique sanctè

A potius quàm scitè iussit. Eodem anno à Campanis Cumæ, quam Græci tum vrbem tenebant, capiuntur. Insequens annus tribunos militum consulari potestate habuit Agrippam Menenium Lanatum, P. Lucretium Tricipitinum, Sp. Nautium Seruilium. Annus felicitate populi Rom. periculo potius ingenti, quàm clade insignis. Seruitia vrbem vt incenderent distantibus locis, coniurarunt: populoque ad opem passim ferendam tectis intento, vt arcem Capitoliumque armati occuparent. Auerti nefanda cō-

B silia Iupiter: iudicioque duorum comprehensi sontes, pœnas dederunt. indicibus dena millia grauis æris, quæ tum diuitiæ habebantur, ex ærario numerata, & libertas præmium fuit. Bellum inde ab Æquis reparari cœptum: & nouos hostes Lauicanos consilia cum veteribus iungere, haud incertis auctoribus Romam est allatum. Æquorum iam velut anniuersariis armis assueuerat ciuitas. Lauicos legati missi, cum responsa inde retulissent dubia, quibus nec tunc bellum parari, nec diuturnam pacem fore appareret: Thusculanis negotium datum, aduerterent

C animos, ne quid noui tumultus Lauicis oriretur. Ad insequentis anni tribunos militum consulari potestate inito magistratu, legati ab Thusculo venerunt, L. Sergium Fidenatem, M. Papyrium Mugillanum, C. Seruilium Q. Seruilij Prisci filium, quo dictatore Fidenæ captæ fuerant. nuntiabant legati Lauicanos arma cepisse, & cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Thusculanum, castra in Algido posuisse. Tum Lauicanis bellum indictum: factoque

D senatusconsulto, vt duo ex tribunis ad bellum proficiscerentur, vnus res Romæ curaret, certamen subito inter tribunos exortum, se quisque belli ducem potiorem ferre: curam vrbis vt ingratam ignobilemque aspernari. Cum parum decorum inter collegas certamen mirabundi patres conspicerent, Q. Seruilius: Quando nec ordinis huius vlla, inquit, nec reipub. est verecundia, patria maiestas altercationem istam dirimet: filius meus extra sortem vrbi præerit. bellum vtinam qui appetunt, consideratius concordiusque quàm cupiunt, gerant. Delectum habe-

E ri non ex toto passim populo placuit: decem tribus sorte ductæ sunt, ex his scriptos iuniores duo tribuni ad bellum duxere. Cœpta inter eos in vrbe certamina cupiditate eadem imperij multo impensius in castris accendi: nihil sentire idem, pro sententia pugnare: sua consilia velle, sua imperia sola rata esse: contemnere inuicem, & contemni, donec castigantibus legatis tandem ita comparatum est, vt alternis diebus summam imperij haberent. Quæ cum allata Romam essent, dicitur Q. Seruilius ætate & vsu do-

F ctus, precatus ab dis immortalibus, ne discordia tribunorum damnosior reipub. esset, quàm ad Veios fuisset: & velut haud dubia clade imminente, institisse filio, vt milites scriberet, & arma pararet. Nec falsus vates fuit, nam ductu L. Sergij, cuius dies imperij erat, loco iniquo, sub hostium castris, cum, quia simulato metu receperat se hoste ad vallum, spes vana expugnandi castra eo traxisset, repentino impetu Æquorum per supinam vallem fusi sunt: mul-

G tique in ruina maiore quàm fuga oppressi, obtruncatique eo die ægre retenta. postero die circumfusis iam magna ex parte hostibus, per auersam portam fuga turpi deseruntur. duces, legatique & quod circa signa roboris de exercitu fuit, Thusculum petiere. Palati alij per agros passim multis itineribus, maioris quàm accepta erat cladis nuntij Romam contenderunt. Minus trepidationis fuit, quod euentus: mori hominum congruens fuerat, & quod subsidia quæ respicerent in re trepida præparata erant

dant ab tribuno militum: iussúque eiusdem per minores magistratus sedato in vrbe tumultu, speculatores propere missi nuntiauere. Thusculi duces exercitumque esse, hostem castra loco non mouisse, &, quod plurimum animorum fecit, dictator ex senatusconsulto dictus Q. Seruilius Priscus, vir cuius prouidentiam in repub. cum multis aliis tempestatibus ante experta ciuitas erat, tum euentu eius belli, quod vni certamen tribunorum suspectum ante rem male gestum fuerat: magistro equitum creato, à quo ipse tribuno militum dictator erat dictus, filio suo, vt tradidere quidam: nam alij Ahalam Seruilium magistrum equitum eo anno fuisse scribunt, nouo exercitu profectus ad bellum, accitis qui Thusculi erant, duo millia passuum ab hoste locum castris cepit. Transierat ex re bene gesta superbia negligentiáque ad Æquos, quæ in Romanis ducibus fuerat. Itaque primo statim prælio cum dictator equitatu immisso antesignanos hostium turbasset, legionum inde signa inferri propere iussit: signiferúmque ex suis vnum cunctantem occidit. tantus ardor ad dimicandum fuit: vt impetum Æqui non tulerint. victíque acie cum fuga effusa petissent castra, breuior tempore, & certamine minor castrorum oppugnatio fuit, quàm prælium fuerat. Captis direptísque castris, cum prædam dictator militi concessisset, secutique fugientem ex castris hostem equites renuntiassent, omnes Lauicanos victos, magnam partem Æquorum Lauicos confugisse: postero die ad Lauicos ductus exercitus, oppidumque corona circundatum, scalis captum, ac direptum est. Dictator exercitu victore Romam reducto, die octauo quam creatus erat, magistratu se abdicauit. & opportunè senatus prius quam ab tribunis plebis agrariæ seditiones mentione illata de agro Lauicano diuidendo fierent, censuit frequens coloniam Lauicos deducendam. Coloni ab vrbe mille & quingenti missi bina iugera acceperunt. Captis Lauicis, ac deinde tribunis militum creatis consulari potestate, Agrippa Menenio Lanato, & L. Seruilio Structo, & P. Lucretio Tricipitino, iterum omnibus his, & Sp. Rutilio Crasso: & insequenti anno A. Sempronio Atratino tertium, & duobus iterum M. Papyrio Mugillano, & Sp. Nautio Rutilio, biennium tranquillæ externæ res, discordia domi ex agrariis legibus fuit. Turbatores vulgi erant, Sp. Mecilius quartum, & Metilius tertium tribuni plebis ambo absentes creati; & cum rogationem promulgassent, vt ager ex hostibus captus viritim diuideretur, magnæque partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortunæ (nec enim ferme quicquam agri, vt in vrbe alieno solo posita, non armis partum erat: nec quod venisset, assignatúmve publicè esset, præterquàm plebs habebat) atrox plebi patribusque propositum videbatur certamen: nec tribuni militum nunc in senatu, nunc in consiliis priuatis principum cogendis viam consilij inueniebant. cum Appius Claudius, nepos eius, qui decemuir legibus scribendis fuerat, minimus natu ex patrum concilio dicitur dixisse, vetus se ac familiare consilium domo afferre: proauum enim suum Appium Claudium ostendisse patribus viam vnam dissoluendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercessionem. facile homines nouos auctoritate principum de sententia deduci, si temporum interdum potius quàm maiestatis memor adhibeatur oratio. pro fortuna illis animos esse: vbi videant collegas principes agendæ rei gratiam omnem ad plebem præoccupasse, nec locum in ea relictum sibi, haud grauatè acclinaturos se ad caussam senatus, per quam vniuerso ordini cum primoribus se patrum concilient. Approbantibus cunctis, & ante omnes Q. Seruilio Prisco, quod non degenerasset ab stirpe Claudia, collaudante iuuenem, negotium datur, vt quos quisque posset ex collegio tribunorum ad intercessionem pellicerent. Misso senatu prehensantur ab principibus tribuni: suadendo, monendo, pollicendoque gratum id singulis priuatim, gratum vniuerso senatui fore, sex ad intercessionem comparauere. Posteróque die cum ex composito relatum ad senatum esset de seditione, quam Mecilius Metiliusque largitione pessimi exempli concirent: eæ orationes à primoribus patrum habitæ sunt, vt pro se quisque iam nec consilium sibi suppetere diceret, nec se vllam opem cernere aliam vsquam, præterquam in tribunitio auxilio: in eius potestatis fidem circumuentam rempub. tanquam priuatum inopem confugere. præclarum ipsis potestatique esse, non ad vexandum senatum discordiámque ordinum mouendam, plus in tribunatu virium esse, quam ad resistendum improbis collegis. Fremitus deinde vniuersi senatus ortus, cum ex omnib. partibus curiæ tribuni appellarentur: tum silentio facto, ij qui præparati erant gratia principum, quam rogationem à collegis promulgatam senatus censeat dissoluendæ reipublicæ esse, ei se intercessuros ostendunt. Gratiæ intercessoribus ab senatu actæ. Latores rogationis concione aduocata, proditores plebis commodorum, ac seruos consularium appellantes: aliáque truci oratione in collegas inuecti, actionem deposuere. Duo assidua bella insequens annus habuisset, quo P. Cornelius Cossus, C. Valerius Potitus, Quintius Cincinnatus, M. Fabius Vibulanus, tribuni militum consulari potestate fuerunt: ni Veiens bellum religio principum distulisset, quorum agros Tyberis super ripas effusus, maximè ruinis villarum vastauit: simul Æquos triennio antè accepta clades prohibuit Volanis, suæ gentis populo præsidium ferre. Excursiones inde in confinem agrum Lauicanum factæ erant, iisque colonis bellum illatum. Quem noxam cum se consensu omnium Æquorum defensuros sperassent, deserti ab suis, ne memorabili quidem bello per obsidionem leuemque vnam pugnam & oppidum & fines amisere. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis vt rogatione n ferret, qua Volas quoque sicut Lauicos coloni mitterentur: per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus passuros se perferri ostenderunt, discussum est. Volis insequente anno receptis, Aequi, coloniáque eò deducta, nouis viribus oppidum firmarunt, tribunis militum Romæ consulari potestate Cn. Cornelio Cosso, L. Valerio Potito, Q. Fabio Vibulano iterum, M. Posthumio Regillensi. huic bellum aduersus Æquos permissum est. praua mentis homini, quam tum victoria magis quam bellum ostendit. Nam exercitu impigrè scripto, ductoque ad Volas, cum leuibus præliis Æquorum animos fregisset, postremo in oppidum irrupit: deinde ab hostibus in ciues certamen vertit: & cum inter oppugnationem prædam militis fore edixisset, capto oppido fidem mutauit. Eam magis adducor vt credam iræ caussam exercitui fuisse, quàm quod in vrbe nuper direpta, coloniáque noua, minus prædicatione tribuni prædæ fuerit. Auxit eam iram, postquam ab collegis accersitus propter seditiones tribunitias in vrbem reuertit, audita vox eius in concione, stolida ac prope vecors, qua Sextio tribuno plebis legem agrariam ferenti, simul Volas

q ioque vt mitterentur coloni, latiūrum se dicenti: dignos enim esse qui armis cepissent, eorum vrbem, agrúmque Volanum esse: Malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieuerint. quod auditum, nōn concionem magis quàm mox patres offendit. & tribunus plebis vir acer, nec infacundus, nactus inter aduersarios superbum ingenium, immodicámque linguam, quam irritando agitandoque, in eas impelleret voces, quæ inuidiæ non ipsi tantum, sed caussæ atque vniuerso ordini essent, neminem ex collegio tribunorum militum sepius quàm Posthumium in disceptationem trahebat. Tum verò secundum tam trucem atque inhumanum dictum: Auditis, inquit, Quirites, sicut seruis malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quàm qui vos vrbe agrisque donatos in colonias mittunt, qui sedem senectuti vestræ prospiciunt, qui pro vestris commodis aduersus tam crudeles superbosque aduersarios depugnát. Incipite deinde mirari, cur pauci iam vestram suscipiant caussá. quid vt à vobis sperét? an honores, quos aduersariis vestris potius quàm P. R. propugnatoribus datis? Ingemuistis modo voce huius audita. quid id refert? iam si suffragium detur, hunc qui malum vobis minatur, iis qui agros sedesque ac fortunas stabilire volunt, præferretis. Perlata hæc vox Posthumij ad milites, multo in castris maiorem indignationem mouit: prædæ ne interceptorem fraudatorémque etiam malum minitari militibus? Ita cum fremitus apertè esset: & quæstor P. Sextius eadem violentia coerceri putaret seditionem posse, qua mota erat; misso ad vociferantem quendam militem lictore, cum inde clamor & iurgium oriretur, saxo ictus turba excedit: insuper increpante qui vulnerauerat, habere quæstorem, quod imperator esset militibus minatus. Ad hunc tumultum accitus Posthumius, asperiora omnia fecit acerbis quæstionibus, crudelibus suppliciis. postremò cum modum irę nullum faceret, ad vociferationem eorum quos necari sub crate iusserat, concursu facto, ipse ad interpellantis pœnam vecors de tribunali decurrit. ibi cum summouentes passim lictores centurionésque vexarent turbam, eo indignatio erupit, vt tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur. Quod tam atrox facinus postquam est Romam nunciatum, tribunis militum de morte collegæ per senatum quæstiones decernentibus, tribuni plebis intercedebant. sed ea contentio ex certamine alio pendebat: quod cura incesserat patres. ne metu quæstionum plebs irata, tribunos militum ex plebe crearet: tendebántque summa ope, vt consules crearentur. Cum senatusconsultum fieri tribuni plebis non paterentur, iidem intercederent consularibus comitiis, res ad interregnum rediit: victoria deinde penes patres fuit. Q. Fabio Vibulano interrege comitia habente, consules creati sunt, A. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus. His consulibus principio anni senatusconsultum factum est, vt de quæstione Posthumianæ cædis tribuni primo quoque tempore ad plebem ferrent: plébsque præficeret quæstioni quem vellet à plebe consensu populi consulibus negotium mandatur. qui summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicium, quos sibimet ipsos conscisse mortem satis creditum est, transacta re, nequiuere tamen consequi, vt non ægerrimè id plebs ferret, iacere tamdiu irritas actiones, quæ de suis commodis ferrentur. cum interim de sanguine ac supplicio suo latam legem confestim exerceri, & tantam vim habere. Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus delinimentum animis Vo-

A lani agri diuisionem obiici: quo facto minuissent desiderium agrariæ legis, quæ post ssso per iniuriam agro publico patres pellebat. Tunc hæc ipsa indignitas angebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem esse: sed ne vacuum quidem agrum nuper ex hostibus captum plebi diuidere, mox paucis, vt cetera, futurum prædæ. Eodem anno aduersus Volscos populantes Hernicorum fines, legiones ductæ à Furio consule, cum hostem ibi non inuenissent:
B Ferentium, quò magna multitudo Volscorum se contulerat, cepere. minus prædæ quàm sperauerant, fuit: quod Volsci postquam spes tuendi exigua erat, sublatis rebus nocte oppidum reliquerunt postero die propè desertum capitur. Hernicis ipse ager dono datus. Annum modestia tribunorum quietum excepit tribunus plebis L. Icilius, Q. Fabio Pacilio Coss. Is cum principio statim anni velut pensum nominis familiæque seditiones agrariis legibus promulgandis cieret: pestilentia coorta, mi-
C nacior tamen quàm perniciosior, cogitationes hominum à foro certaminibusque publicis ad domum curámque corporum nutriendorum auertit minusque eam damnosam fuisse, quàm seditio futura fuerit, credunt. Defuncta ciuitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, pestilentem annum, inopia frugum neglecto cultu agrorum (vt plerunque fit) excepit, M. Papyrio Atratino, C. Nautio Rutilio consulibus. Iam fames quàm pestilentia tristior erat: ni dimissis circa omnes populos le-
D gatis, qui Hetruscum mare, quique Tyberim accolunt, ad frumentum mercandum, annonæ foret subuentum. superbe ab Samnitibus qui Capuam habebant Cumásque, legati prohibiti commercio sunt: contra ea benigne ab Siculorum tyrannis adiuti, maximos commeatus summo Hetruriæ studio Tyberis deuexit. Solitudinem in ciuitate ægra experti consules sunt: cum in legationes non plus singulis senatoribus missis inuenientes, coacti sunt binos equites adiicere. Prętérquam ab morbo annonáque, nihil eo bienno intestini externive incōmodi
E fuit. at vbi hæ solicitudines discessere, omnia quibus turbari solita erat ciuitas, domi discordia, foris bellum exortum, M. Aemylio, C. Valerio Potito consulibus, bellum Aequi parabant: Volscis, quamquam non publico consilio capessentibus arma, voluntariis mercede secutis militiam. Ad quorum famam hostium (iam enim in Latinum Hernicumque transcenderant agrum) delectum habentem Valerium consulem, M. Menenius tribunus plebis legis agrariæ lator, cum impediret auxilioque tribuni nemo
F inuitus sacramento diceret. repente nunciatur, arcem Caruentanam ab hostibus occupatam esse. Ea ignominia accepta, cum apud patres inuidiæ Menenio fuit, tum ceteris tribunis iam ante pręparatis intercessoribus legis agrariæ, præbuit iustiorem caussam resistendi collegæ. Itaque cum res diu ducta per altercationem esset consulibus deos hominésque testantibus, quicquid ab hostibus cladis ignominiæque aut iam acceptum esset, aut immineret,
G culpam penes Menenium fore, qui delectum impediret. Menenio contrà vociferante, si iniusti domini possessione agri publici cederent, se moram delectui non facere: decreto interposito nouem tribuni sustulerunt certamen: pronunciauerúntque ex collegij sententia, C. Valerio consuli se damnum, aliámque coercitionem aduersus intercessionem collegæ delectus caussa detrectantibus militiam inhibenti, auxilio futuros esse. Hoc decreto consul armatus, cum paucis appellantibus tribunum, col-

lum

lum tot sset: mētu ceteri sacramento dixere. Du- A ctus exercitus ad Carventanā arcem, quanquā inuisus infestusque consuli erat, impigrè primo statim aduentu, deiectis qui in præsidio erant, arcem recepit. prædatores ex præsidio per negligentiam dilapsi, occasionem aperuere ad inuadendum. Prædæ ex assiduis populationibus, quod omnia in locum tutum congesta erant, fuit aliquantum. venditum sub hasta consul in ærarium redigere quæstores iussit: tum prædicans participem prædæ fore exercitum, cū militiam non abnuisset. Auctæ deinde plebis ac militū B in consulem iræ. Itaque cum ex senatusconsulto vrbem ouans introiret, alternis inconditi versus militari licentia iactati: quibus consul increpitus, Menenij celebre nomen laudibus fuit, cum ad omnem mentionem tribuni fauor circumstantis populi plausuque & assensu cum vocibus militum certaret. plúsque ea res, quàm prope solēnis militum lascivia in consulē, curæ patribus iniecit. & tāquā haud dubius inter tribunos militum honos Menenij, si peteret, cōsularibus comitiis est exclusus. Creati consu- C les sunt Cn. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus iterum. Non alias ægrius plebs tulit tribunitia sibi comitia non commissa. eum dolorem quæstoriis comitiis simul ostendit, & vlta est. tunc primùm plebeiis quæstoribus creatis: ita vt in quatuor creandis vni patritio C. Fabio Ambusto relinqueretur locus: tres plebeij, Q. Silius, P. Aelius, P. Pupius, clarissimarum familiarum iuuenibus præferrentur. Auctores fuisse tam liberi populo suffragij Icilios accipio, ex familia infestissima patribus, tres in eum annum D tribunos plebis creatos. hi multarum magnarumque rerum molem auidissimo adeo populo ostentātes, cùm affirmassent nihil se moturos, sine quæstoriis quidem comitiis, quæ sola promiscua plebi patribusque reliquisset senatus, satis animi populo esset ad id quod tamdiu vellent, & per leges liceret. Pro ingēti itaque victoria id fuit plebi: quæsturamque non honoris ipsius finem æstimabant, sed patefactus ad consulatum ac triumphos locus nouis hominibus videbatur. Patres contra, non pro commu- E nicatis, sed pro amissis honoribus fremere: negare, si ea ita sint, liberos tollendos esse: qui pulsi maiorū loco, cernentésq. alios in possessione dignitatis suæ, salij flaminésque nusquam aliò, quàm ad sacrificandum pro populo sine imperiis ac potestatibus relinquantur. Irritatis vtriusque partis animis, cum spiritus plebs sumsisset, & tres ad popularem caussam celeberrimi nominis haberet duces: patres omnia quæstoriis comitiis, vbi vtrumque plebi liceret, similia fore cernentes, tendere ad consulum comitia, quæ F nondum promiscua essent. Icilij cōtra tribunos militum creandos dicere, & tandem aliquando in partiendos plebi honores. Sed nulla erat consularis actio, quam impediendo, id quod petebant, exprimerent: cum mira opportunitate Volscos & Æquos prædatum extra fines exisse, in agrum Latinū Hernicumque affertur. ad quod bellum vbi ex senatusconsulto consules delectum habere occipiunt: obstare tunc enixè tribuni, sibi plebique eam fortunam oblatam memorantes. Tres erant, & omnes acer- G rimi viri generosique etiam, vt inter plebeios. duo singuli singulos sibi consules asseruandos assidua opera desumunt: vni concionibus data, nunc detinenda, nunc concienda plebs. Nec delectum consules, nec comitia quæ petebant, tribuni expediebant, inclinante deinde fortuna ad caussam plebis, nuntij veniunt. arcem Carventanam dilapsis ad prædam militibus, qui in præsidio erant, Æquos interfectis paucis custodibus arcis inuasisse: alios recurrentes in arcē, alios palantes in agris cæsos. Ea aduersa ciuitati res, vires tribunitiæ actioni adiecit, nequicquā. n. tentati, vt tum denique desisterent impediendo bello, postquam non cessere nec publicæ tempestati, nec suæ inuidiæ peruincunt, vt senatusconsultum fiat de tribunis militum creandis, certo tamen pacto, ne cuius ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset: neve quis reficeretur in annum sequentem trib. plebis: haud dubiè Icilios denotante senatu, quos mercedem seditiosi tribunatus petere consulatum insimulabant. Tum delectus haberi, bellúmque omnium ordinum consensu apparari cœptum. Consules ambo profecti sint ad arcem Carventanam, an alter ad comitia habenda substiterit, incertum diuersi auctores faciunt. illa pro certo habenda, in quibus non dissentiunt ab arce Carventana, cùm diu nequicquam oppugnata esset, recessum. Verruginem in Volscis eodem exercitu receptam: populationésque & prædas & in Æquis & in Volsco agro ingentes factas: Romæ sicut plebis victoria fuit in eo, vt quæ mallent comitia haberent: ita euentu comitiorum patres vicere. námque tribuni militum consulari potestate contra spem omnium tres patricij creati sunt, C. Iulius Tullus, Cn. Cornelius Cossus, C. Seruilius Hala. artem adhibitam ferunt à patriciis; cuius eos Icilij tum quoque insimulabant, quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis, tædio sordium, in quibusdam insignium, inscium populum à plebeiis auertissent. Volscos deinde & Æquos, seu Carventana arx retenta in spe, seu Verrugine amissum præsidium, ad iram cum impulisset, fama affertur, summa vi ad bellum coortos: caput rerū Antiates esse. eorū legatos, vtriusque gentis populos, circumisse, castigantes ignauiam, quod abditi intra muros, populabundos in agris vagari Romanos priore anno, & opprimi Verruginis præsidiū passi essent. iā nō exercitus modo armatos, sed colonias etiā in suos fines mitti: nec ipsos modo Romanos sua diuisa habere, sed Ferētinū etiā de se captum Hernicis donasse. Ad hæc cū inflamarentur animi: vt ad quosque ventū erat numerus iuniorū cōscribebatur. ita omniū populorū iuuentus Antiū cōtracta, ibi castris positis hostem operiebantur. Quæ vbi tumultu maiore etiā quàm res erat, nuntiatur Romā senatus extēplo (quòd in rebus trepidis vltimū consiliū erat) dictatorem dici iussit. Quam rem ęgrè passos Iulium Corneliumq; ferunt: magnoq; certamine animorum rem actam: cum primores patrum nequicquam cōquesti, non esse in auctoritate senatus tribunos militum, postremò etiam tribunos plebis appellarent, & consulis quoque ab ea potestate vim super tali re inhibitam referrent: tribuni plebis læti discordia patrum, nihil esse in his auxilij dicerent, qui non ciuium, non denique hominū numero essent, si quando promiscui honores, communicata respublica esset: cum se animaduersuros, ne qua superbia magistratuum irrita senatuscōsulta essent: interim patricij soluti legum magistratuumque verecundia, per se quoque tribunitiam potestatem agerent. Hæc cōtentio minimè idoneo tempore, cum tātum belli in manibus esset, occupauerat cogitationes hominum: donec vbi diu alternis Iulius Corneliúsque, cum ad id bellum ipsi satis idonei duces essent, non esse æquum mādatum sibi à populo eripi honorem, disseruere: tum Hala Seruilius Trib. mil. tacuisse se tādiu ait, non quia incertus sententiæ fuerit (quē enim bonū ciuē secernere sua à publicis cōsilia?) sed quia maluerit collegas sua spōte cedere auctoritati senatus, quam tribunitiam potestatē aduersus se implorari paterentur, tū quoque, si res sineret, libenter se da-

tarum tempus iis fuisse ad receptum nimis pertinacis sententiæ: sed cùm belli necessitates non expectent humana consilia, potiorem sibi collegarum gratiam reipub. fore, & si maneat in sententia senatus, dictatorem nocte proxima dicturum: ac si quis intercedat, senatusconsulti auctoritate se fore contentum. Quo facto, cum haud immeritam laudem gratiámque apud omnes tulisset, dictatore P. Cornelio dicto ipse ab eo magister equitum creatus est. Exemplo fuit collegis eumque intuentibus, quam gratia atque honos opportuniora interdum non cupientibus essent: Bellum haud memorabile fuit: vno, atque eo facili prælio cæsi ad Antium hostes. victor exercitus depopulatus Volscum agrum. castellum ad lacum Fucinum vi expugnatum, atque in eo tria millia hominum capta: ceteris Volscis intra mœnia compulsis, nec defendentibus agros. Dictator bello ita gesto, vt tantum non defuisse fortunæ videretur, felicitate quam gloria maior in vrbem rediit, magistratúque se abdicauit. Tribuni militum mentione nulla comitiorum consularium habita (credo ob iram dictatoris creati) tribunorum militum comitia edixerunt. Tum verò grauior cura patribus incessit: quippe cum prodi caussam ab suis cernerent. Itaque sicut priore anno per indignissimos ex plebeiis candidatos omnium etiam dignorum tædium fecerant: sic tum primoribus patrum splendore gratiáque ad petendum præparatis, omnia loca obtinuere, ne cui plebeio aditus esset, quatuor creati sunt, omnes iam functi eo honore, L. Furius Medullinus, C. Valerius Potitus, Cn. Fabius Vibulanus, C. Seruilius Hala. hic refectus cótinuato honore, cum ob alias virtutes, tum ob recétem fauorem vnica moderatione partum. Eo anno quia tempus induciarum cum Veienti populo exierat, per legatos fecialesque res repeti cœptæ: quibus venientibus ad finem, legatio Veientium obuiam fuit. petiere, ne priusquam ipsi senatum Romanum adissent, Veios iretur. Ab senatu impetratum, quia discordia intestina laborarent Veientes, ne res ab iis repeterentur. tantum abfuit, vt ex incommodo alieno sua occasio peteretur. Et in Volscis accepta clades, amisso Verrugine præsidio, vbi tantum, in tempore fuit momenti, vt cum precantibus opem militibus, qui ibi à Volscis obsidebantur, succurri, si maturatum esset, potuisset: ad id venerit exercitus subsidio missus, vt ab recenti cæde palati ad prædandum hostes opprimerentur. Tarditatis caussa in senatu magis fuit, quàm in tribunis: qui, quia summa vi resistere nuntiabantur, parum cogitauerunt, nulla non virtute superari humanarum virium modum, fortissimi milites, non tamen nec viui, nec post mortem inulti fuere. Insequenti anno, P. & Cn. Corneliis Cossis, C. Fabio Ambusto, L. Valerio Potito, tribunis militum consulari potestate, Veiens bellum motum, ob superbum responsum Veientis senatus, qui legatis repetentibus res ni facesserét propere vrbe finibúsque daturos quod Lars Tolumnius dedisset, responderi iussit. Id patres ægrè passi, decreuere, vt tribuni militum de bello indicendo Veientibus primo quoque die ad populum ferrent. Quod vbi primo promulgatum est: fremere iuuentus, nondum debellatum cum Volscis esse: modo duo præsidia occidione occisa, & cum periculo retineri: nullum annum esse, quo non acie dimicetur: & tanquam pœniteat laboris, nouum bellum cum finitimo populo & potentissimo parari, qui omnem Hetruriam sit concitaturus. Hæc sua sponte agitata insuper tribuni plebis accendunt. Maximum bellum patribus cum plebe esse dictitant: eam de industria vexandam militia, trucidan-

A dámque hostibus obiici: eam procul vrbe haberi, atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis, coloniarumque, aut agri publici, aut suffragij liberè ferendi consilia agitet. prehensantésque veteranos, stipendia cuiusque, & vulnera, ac cicatrices numerabant. quid iam integri esse in corpore loci ad noua vulnera accipienda: quid superesse sanguinis, qui dari pro republica posset, rogitantes. Hæc cùm in sermonibus, concionibusque interdum agitantes, B auertissent plebem ab suscipiendo bello, profertur tempus ferundæ legis: quam, si subiecta inuidiæ esset, antiquari apparebat. Interim tribunos militum in Volscum agrum ducere exercitú placuit. Cn. Cornelius vnus Romæ relictus. Tribuni, postquam nullo loco castra Volscorum esse, nec commissuros se prælio apparuit, tripartito ad deuastandos fines discessere: Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras. quacumque incessere, late populati sunt tecta agrósque, vt distinerent Volscos. Fabius, quod maximè C petebatur, ad Anxur oppugnádú sine vlla populatione accessit. Anxur fuit, quæ núc Tarracinæ sunt: vrbs prona in paludes. ab ea parte Fabius oppugnationé ostendit. Circummissæ quatuor cohortes cú C. Seruilio Hala, cum imminentem vrbi collem cepissent: ex loco altiore, quà nullum erat præsidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia inuasere. ad quem tumultum obstupefacti, qui aduersus Fabium vrbem infimam tuebantur, locum dedere, scalas admouendi. plenáque hostium cuncta erant: & in muris diu D cædes pariter fugientium ac resistentium armatorum atque inermium fuit. Cogebantur itaque victi, quia cedentibus spei nihil erat, pugnam inire: cùm pronuntiatum repente, ne quis præter armatos violaretur, reliquam omnem multitudinem voluntariè exuit armis: quorum ad duo millia & quingenti viui capiuntur. à cetera præda Fabius militem abstinuit, donec collegæ venirent: ab illis quoque exercitibus captum Anxur dictitans esse, qui ceteros Volscos à præsidio eius loci auertissent. Qui vbi vene- E runt, oppidum vetere fortuna opulentum, tres exercitus diripuere. eáque primum benignitas imperatorum plebem patribus conciliauit. Additum deinde omnium maximè tempestiuo principú in multitudinem munere, vt ante mentionem vllam plebis tribunorúmve decerneret senatus, vt stipendium miles de publico acciperet. cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Nihil acceptú vnquam à plebe tanto gaudio traditur, concursúmque F itaque ad curiá esse, prehensatásque exeuntium manus, & patres verè appellatos: effectum esse fatentibus, vt nemo pro tá munifica patria, donec quicquá virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret: cùm commoditas iuuaret, rem familiarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipublicæ esset, tum quod vltro sibi oblatum esset, non à tribunis plebis vnquá agitatú: non suis sermonib. efflagitatum: id efficiebat multiplex gaudium cumulatioremque gratiam rei. Tribuni plebis communis ordinum lætitiæ concordiæ- G que soli expertes, negare tam id lætum patribus vniuersis: nec prosperum fore, quàm ipsi crederent consilium specie prima melius fuisse, quàm vsu appariturum. vnde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto? ex alieno igitur aliis largitos. neque id etiamsi ceteri ferant, passuros eos, quibus iam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare, quàm ipsi militassent: & eosdem in sua stipendia impensas fecisse, & in aliorum facere. His vocibus mouerunt partem plebis. postremo indicto iá tributo, edixerunt etiá tribuni auxilio se fu-

se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset. Patres bene cœptam rem perseuerantur tueri: conferre ipsi primi, & quia nondũ argẽtum signatum erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium conuehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Cùm senatus summa fide ex censu cõtulisset, primores plebis nobilium amici ex composito conferre incipiunt. quos cum & à patribus collaudari: & à militari ætate tanquam bonos ciues conspici vulgus hominum vidit: repẽte spreto tribunitio auxilio, certamen conferendi est ortum. & lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium noui tribuni militum consulari potestate Veios duxere. Fuere autem tribuni T. Quintius Capitolinus, P. Quintius Cincinnatus, C. Iulius Tullus iterum, A. Manlius, L. Furius Medullinus tertium, M. Æmylius Mamercus. Ab his primum circuncessi Veij sunt, sub cuius initium obsidionis cum Hetruscorum consilium ad fanum Voltumnæ frequenter habitum esset, parum constitit, bellone publico gentis vniuersæ tuendi Veientes essent. Ea oppugnatio segnior insequenti anno fuit, parte tribunorum exercitúsque ad Volscum auocata bellũ. Tribunos militum consulari potestate is annus habuit C. Valerium Potitum tertium, M. Sergium Fidenatem, P. Cornelium Maluginensem, Cn. Cornelium Cossum, C. Fabium Ambustum, Sp. Nautium Rutilium iterum. Cum Volscis inter Ferentinum atque Ecetram signis collatis dimicatum. Romanis secunda fortuna pugnæ fuit. Artena inde Volscorum oppidum ab tribunis obsideri cœpta. inde inter eruptionem tentatam compulso in vrbe hoste, occasio data est Romanis irrumpendi, prætérque arcẽ cætera capta. in arcem munitam natura globus armatorum concessit. infra arcem cæsi captíque multi mortales. Arx deinde obsidebatur: nec aut vi capi poterat, quia pro spatio loci satis præsidij habebat: aut spem dabat deditionis, omni publico frumento priusquam vrbs caperetur, in arcem conuecto. tædioque recessum inde foret, ni seruus arcem Romanis prodidisset, ab eo milites per locum arduum accepti, cepere, à quibus cum custodes trucidarentur, cetera multitudo repentino pauore oppressa in deditionem venit. Diruta & arce & vrbe Artena reductæ legiones ex Volscis, omnísque vis Romana Veios conuersa est. proditori præter libertatem duarum familiarum bona in præmium data. Seruius Romanus vocitatus. Sunt qui Artenam Veientium, non Volscorum fuisse credant. præbet errorem, quod eiusdem nominis vrbs inter Cære atque Veios fuit. sed eam reges Romani deleuere: Cæretúmque non Veientium fuerat. altera hæc nomine eodem in Volsco agro fuit, cuius excidium est dictum.

DECADIS PRIMÆ
LIBER V.

PACE alibi parta, Romani Veiiq; in armis erãt tãta ira odioq;, vt victis finem adesse appareret. Comitia vtriusque populi longe diuersa ratione facta sunt. Romani auxere tribunorum militum cõsulari potestate numerũ: octo, quot nunquã antea, creati, M. Æmylius Mamercus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Crassus, M. Quintilius, Varus, M. Iulius Tullus, M. Posthumius, M. Furius Camillus, M. Posthumius Albinus. Veientes cõtra, tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarũ caussa erat, regem creauere. Offendit ea res populorum Hetruriæ animos, non maiore odio regni, quã ipsius regis. grauis iam is antea genti fuerat opibus, superbiáque, quia solennia ludorũ, quos intermitti nefas est, violẽter diremisset: cùm ob irã repulsæ, quod suffragio XII. populorum alius sacerdos ei prælatus esset, artifices, quorum magna pars ipsius serui erant, ex medio ludicro repente abduxit. gens itaque ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte colendi eas, auxilium Veientibus negandum, donec sub rege essent, decreuit. cuius decreti suppressa fama est, Veiis propter metum regis, qui à quo tale quid dictũ referretur, pro seditionis eũ principe nõ noui sermonis auctorẽ habebat. Romanis etsi quietę res ex Hetruria nuntiabantur, tamẽ quia omnibus cõciliis eam rem agitari afferebatur, ita muniebant, vt ancipitia munimenta essent. alia in vrbem, & contra oppidanorum eruptiones versa: aliis frons in Hetruriam spectans auxiliis, si qua forte inde venirent, obstrebatur. Cùm spes maior imperatoribus Romanis in obsidione, quàm in oppugnatione esset, hybernacula etiam, res noua militi Romano, ædificari cœpta: consiliúmque erat hyemando continuare bellum: quod postquam tribunis plebis, iamdiu nullam nouandi res caussam inuenientibus Romam est allatum, in concionem prosiliunt, sollicitant plebis animos, hoc illud esse dictitantes, quod æra militibus sint constituta, nec se fefellisse, id donum inimicorũ veneno illitũ fore venisse libertatem plebis: remotam in perpetuum & ablegatam in vrbe & ab republica iuuentutem, iam ne hyemi quidem, aut tempori anni cedere, ac domos & res inuisere suas. Quam putarent continuatæ militiæ caussam esse? nullam profecto aliã inuenturos quàm ne quid per frequentiam iuuenum, eorum, in quibus vires omnes plebis essent, agi de commodis eorum posset. vexari præterea & subigi multo acrius, quàm Veientes: quippe illos hyemem sub tectis suis agere, egregiis muris sitúque naturali vrbem tutantes. militem Romanum in opere ac labore, niuibus pruinisque obrutum sub pellibus durare, ne hyemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terra marique sit quies, arma deponentem. Hoc neque reges, neque ante tribunitiam potestatem creatam superbos illos consules, neque triste dictatoris imperium, neque importunos decemuiros iniunxisse seruitutis, vt perennem militiam facerent, quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercerent. quidnam illi consules dictatorésve facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sæuam ac trucem fecerint? Sed id accidere haud immerito. non fuisse ne in octo quidem tribunis militum locum vlli plebeio. Ante trina loca cum contentione summa patricios explere solitos. nunc iam octo iuges ad imperia obtinenda ire, & ne in turba quidem hærere plebeium quemquam: qui, si nihil aliud, admoneat collegas, liberos & ciues eorum, non seruos militare, quos hyeme saltem in domos ac tecta reduci oporteat, & aliquo tempore anni parentes liberosque ac coniuges inuisere, & vsurpare libertatem, & creare magistratus. Hæc taliáque vociferantes, aduersarium haud imparem nacti sunt, Ap. Claudium, relictum à collegis ad tribunitias seditiones comprimendas, virum imbutum iam ab iuuenta certaminibus plebeiis: quã auctorẽ aliquot annis ante fuisse memoratũ est per collegarũ intercessionem tribunitiæ potestatis dissoluendæ.

Is tum iam non promtus ingenio tantum, sed vsu etiam exercitatus, talem orationem habuit: Si vnquã dubitatum est, Quirites, vtrum tribuni plebis vestra an sua caussa seditionum semper auctores fuerint, id ego hoc anno desisse dubitari certum habeo, & cùm lætor tandem longi erroris vobis finem factum esse, tum quod secundis potissimum vestris rebus hic error est sublatus, & vobis, & propter vos reipub. gratulor. An est quisquam qui dubitet, nullis iniuriis vestris, si quæ forte aliquando fuerunt, vnquam æquè quàm munere patrum in plebem, cum æra militantibus constituta sunt, tribunos plebis offensos ac concitatos esse? quid illos aliud aut tum timuisse creditis? aut hodie turbare velle, nisi concordiam ordinum? quàm dissoluendæ maximè tribunitiæ potestatis rentur esse. Sic hercule tanquam artifices improbi opus quærunt: qui & semper ægri aliquid esse in repub. volunt, vt sit ad cuius curationem à vobis adhibeantur. Vtrum enim defenditis, an impugnatis plebem? vtrum militantium aduersarij estis, an caussam agitis? nisi forte hoc dicitis, quicquid patres faciunt, displicet, siue illud pro plebe, siue contra plebem est. Et quemadmodum seruis suis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus esse, pariterque in iis beneficio ac maleficio abstineri æquum censent: si vos interdicitis patribus commercio plebis: ne nos comitate ac munificentia nostra prouocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens atque obediens sit. Quanto tandem, si quicquam in vobis non dico ciuilis, sed humani esset, fauere vos magis, & quantum in vobis esset: indulgere potius comitati patrum atque obsequio plebis oportuit? quæ si perpetua concordia sit, quis non spondere ausit maximum hoc imperium inter finitimos breui futurum esse? Atque ego quam hoc consilium collegarum meorum, quo abducere infecta re à Veiis exercitum noluerunt, non vtile solum, sed etiam necessarium fuerit, postea differam. nunc de ipsa conditione militantium dicere libet. quam orationem non apud vos solum, sed etiam in castris si habeatur ipso exercitu disceptante, æquam arbitror videri posse. in qua si mihi ipsi nihil quod dicerem, in mentem venire posset, aduersariorum certe orationibus contentus essem. Negabant nuper danda esse æra militibus, quia nunquam data essent. quonam modo igitur nunc indignari possunt, quibus aliquid noui adiectum commodi sit, eis laborem etiam nouum proportione iniungi? nusquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa opera est. labor voluptasque dissimillima natura, societate quadam inter se naturali sunt iuncta. Molestè antea ferebat miles, se suo sumtu operam reipublicæ præbere, gaudebat idem partem anni se agrum suum colere, quærere vnde domi militiæque se ac suos tueri posset. gaudet nunc fructui sibi remp. esse, & lætus stipendium accipit. æquo igitur animo patiatur se ab domo, ab re familiari, cui grauis impensa non est, paulo diutius abesse. An si ad calculos eum resp. vocet, non merito dicat, annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum censes, militia semestri solidum te stipendium annuum accipere? Inultus in hac parte orationis Quirites moror. sic enim agere debent, qui mercenario milite vtuntur. At nos tanquam cum ciuibus agere volumus: agíque tanquam cum patria nobiscum, æquum censemus. Aut non suscipi bellum oportuit: aut geri pro dignitate populi Rom. & perfici quàm primum oportet. perficietur autem, si vrgemus obsessos: si non antè abscedimus, quã spei nostræ finẽ captis Veiis imposuerimus. Si hercule nulla alia caus-

A sa, ipsa indignitas perseuerãtiam imponere debuit. Decem quondam annos vrbs oppugnata est ob vnam mulierem ab vniuersa Græcia, quàm procul ab domo? quot terras, quot maria distans? nos intra vicesimum lapidem in conspectu prope vrbis nostræ annuam oppugnationem perferre piget: scilicet quia leuis caussa belli est: nec satis quicquam iusti doloris est, quod nos ad perseuerandum stimulet. Septies rebellarunt: in pace nunquam fidi fuerũt, agros nostros millies depopulati sunt: Fidenates desicere à nobis coegerunt: colonos nostros ibi inter-
B fecerunt: auctores fuere contra ius gentium cædis impiæ legatorum nostrorum: Hetruriam omnẽ aduersus nos concitare voluerunt: hodiéque id moliũtur: res repetẽtes legatos nostros haud procul abfuit quin violarent. Cũ his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si nos tam iustũ odium nihil mouet, ne illa quidem oro vos mouet? Operibus ingentibus septa vrbs est, quibus intra muros coercetur hostis, agrum non coluit, & culta euastata sunt bello.
C Si reducimus exercitum, quis est qui dubitet illos non cupiditate solum vlciscendi, sed etiam necessitate imposita ex alieno prædãdi, cum sua amiserint, agrum nostrum inuasuros? nõ differimus igitur bellum isto consilio, sed intra fines nostros accipimus. Quid? illud, quod propriè ad milites pertinet, quibus boni tribuni plebis cum stipendium extorquere voluerint, nũc cõsultum repente volunt, quale est? vallũ fossamque ingẽtis vtramque rem operis, per tantum spatij duxerũt: castella primo pauca, postea exercitu aucto creberrima fecerunt: munitiones non in vrbẽ
D modo, sed in Hetruriam etiam spectãtes, si qua inde auxilia veniant, opposuere. quid turres, quid vineas testitudinésq; & aliũ oppugnandarũ vrbiũ apparatũ loquar? cum tantum laboris exhaustũ sit, & ad finẽ iã operis tandẽ peruẽtũ, relinquẽdáne hęc cẽsetis, vt ad æstatẽ rursus nouus de integro his instituendis exudetur labor? quanto est minus opera tueri facta? & instare, & perseuerare, defungique cura: breuis enim profecto res est, si vno tenore peragitur: nec ipsi per intermissiones has interuallaque lentiorem spem
E nostram facimus. loquor de opere, & de temporis iactura. Quid? periculi quod differendo bello adimus, num obliuisci nos hęc tam crebra Hetrurię concilia de mittendis Veios auxiliis patiuntur? vt nunc res se habet, irati sunt, oderunt, negant missuros: quantum in illis est, capere Veios: licet quis est, qui spondeat, eundem, si differtur bellum, animum postea fore: cũ si laxamentum dederis maior frequentiorque legatio itura sit: cum id quod nunc offendit Hetruscos,
F rex creatus Veiis spatio mutari interposito possit: vel consensu ciuitatis, vt eo reconcilient Hetruriæ animos, vel ipsius voluntate regis, qui obstare regnum suum saluti ciuium nolit. Videte quot res, quàm inutiles sequantur illam viam consilij: iactura operum tanto labore factorum: vastatio imminens finium nostrorum: Hetruscum bellum pro Veiente concitatum. Hæc sunt tribuni consilia vestra, non hercule dissimilia, ac si quis ægro, qui curari se fortiter passus extemplo conualescere possit, cibi gratia
G præsentis aut potionis, lõginquũ & forsitã insanabilem morbum efficiat. Si medius fidius ad hoc bellum nihil pertineret, ad disciplinam certè militiæ plurimũ intererat, insuescere militẽ nostrũ nõ solum parta victoria frui, sed si res etiam lẽtior sit, pati tędium, & quamuis seræ spei exitum exspectare: etsi non sit æstate perfectum bellum, hyemem operiri: nec, sicut æstiuas aues, statim autumno tecta ac recessum circumspicere. Obsecro vos: venandi studium ac voluptas homines per niues ac pruinas in montes syluásq; rapit:

A rapit: belli neceſſitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet; adeone effœminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus, adeo molles animos, vt hyemem vnã durare in caſtris, abeſſe ab domo non poſſint: vt tanquã nauale bellum tempeſtatibus captãdis, & obſeruãdo tempore anni gerant: non æſtus, nõ frigora pati poſſint? Erubeſcant profectò, ſi quis eis hæc obiiciat: contendántque & animis & corporibus ſuis virilem patientiam ineſſe: & ſe iuxtà hyeme atque æſtate B bella gerere poſſe: nec ſe patrocinium mollitiæ inertiæque mandaſſe tribunis, & meminiſſe hanc ipſam poteſtatem non in vmbra, nec in tectis maiores ſuos creaſſe. Hæc virtute militum veſtrorum, hæc Romano nomine ſunt digna: non Veios tantum, nec hoc bellum intueri, quod inſtat: ſed famam & ad alia bella, & ad cæteros populos in poſterum quærere. An mediocre diſcrimen opinionis ſecuturum ex hac reputatis? virum tandem finitimi populum Romanum eum eſſe putent, cuius ſi qua vrbs C primum illum breuiſſimi temporis ſuſtinuerit impetum, nihil deinde timeat: an hic ſit terror nominis noſtri, vt exercitum Romanum non tædium longinquæ oppugnationis, non vis hyemis, ab vrbe circumſeſſa ſemel amouere poſſit? nec finẽ vllum alium belli, quàm victoriã nouerit? nec impetu potius bella, quã perſeuerantia gerat? quæ in omni quidem genere militiæ, maximè tamen in obſidendis vrbibus, neceſſaria eſt: quarum pleraſque munitionibus, ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame ſitique tẽpus ipſũ D vincit atque expugnat: ſicut Veios expugnabit, niſi auxilio hoſtibus tribuni plebis fuerint, & Romæ inuenerint præſidia Veientes, quę nequicquam in Hetruria quærunt. An eſt quicquam quod Veientibus optatũ æquè cõtingere poſſit, quã vt ſeditionib. primum vrbs Romana, deinde velut ex contagione caſtra impleantur? At Hercule apud hoſtes tanta modeſtia eſt, vt non obſidionis tædio, nõ denique regni, quicquam apud eos nouatũ ſit: nõ negata auxilia ab Hetruſcis, irritauerint animos: morietur enim extẽ E plo, quicumque erit ſeditionis auctor: nec cuiquã dicere ea licebit, quę apud vos impunè dicũtur. fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit: auctores ſigna relinquendi, & deſerendi caſtra nõ vni aut alteri militi, ſed vniuerſis exercitibus, palam in concione audiuntur. adeo quicquid tribunus plebis loquitur, etſi prodendæ patriæ, diſſoluendæq; reipub. eſt, aſſueſtis audire: & dulcedine poteſtatis eius capti, quælibet ſub ea ſcelera latere ſinitis. Reli F quum eſt, vt quæ hic vociferantur, eadem in caſtris, & apud milites agant & exercitus corrumpãt, ducibúſque parere non patiantur: quoniã ea demũ Romę libertas eſt, non ſenatum, non magiſtratus, nõ leges, nõ mores maiorum, nõ inſtituta patrũ, non diſciplinam vereri militiæ. Par iam etiam in concionibus erat Appius tribunis plebis, cum ſubito, vnde minimè quis crederet, accepta calamitas apud Veios, & ſuperiorem Appium in cauſa, & concordiam ordinum maiorem, ardorémque ad obſidendos pertina G cius Veios fecit. Nam cum agger promotus ad vrbem, vineæque tantum non iam iniunctæ mœnibus eſſent, dum opera interdiu fiunt intentius, quàm nocte cuſtodiuntur, patefacta repente porta, ingens multitudo facibus maximè armata ignes coniecit. horæque momento ſimul aggerem ac vineas, tam longi temporis opus, incendium hauſit: multique ibi mortales nequicquã opẽ ferentes, ferro ignique abſumpti ſunt. Quod vbi Romã eſt nuntiatũ, mœſtitiã omnibus, ſenatui curam metũque iniecit, ne tũ verò ſuſtineri nec in vrbe ſeditio, nec in caſtris poſſet, &

A tribuni plebis velut ab ſe victæ reipublicæ, inſultarent: cum repente, quibus cenſus equeſter erat, equi publici non erant aſſignati, concilio prius inter ſeſe habito, ſenatũ adeunt, factáque dicendi poteſtate, equis ſe ſuis ſtipẽdia facturos promittũt. Quibus cũ ampliſſimis verbis gratiæ ab ſenatu actæ eſſent, famáque ea forũ atque vrbem peruaſiſſet, ſubito ad curiam concurſus fit plebis. pedeſtris ordinis ſe aiunt nunc eſſe, operámque reipublicæ extra ordinẽ polliceri, ſeu Veios, ſeu quò aliò ducere velint. ſi Veios B ducti ſint, negant ſe inde priùs quàm capta vrbe hoſtium, redituros eſſe. Tum verò iam ſuperfundenti ſe lætitiæ vix temperatum eſt. non enim ſicuti equites, dato magiſtratibus negotio, laudari iuſſit, neque aut in curiam vocati, quibus reſpõſum daretur, aut limine curiæ continebatur ſenatus: ſed pro ſe quiſque ex ſuperiore loco ad multitudinem in comitio ſtãtem, voce manibúſque ſignificare publicã lætitiam. beatam vrbem Romanam, & inuictam, & æternam illa C concordia dicere: laudare equites, laudare plebem, diem ipſum laudibus ferre: victam eſſe fateri comitatem benignitatémque ſenatus, certatim patribus plebique manare gaudio lacrymæ, donec reuocatis in curiam patribus ſenatuſconſultum factum eſt, vt tribuni militares concione aduocata, peditibus equitibúſque gratias agerent: memorem pietatis eorum erga patriam dicerent ſenatum fore, placere autem omnibus his voluntariam extra ordinem profeſſis militiam æra procedere: & equis D certus numerus æris eſt aſſignatus. Tum primum equi merere equites cœperunt. Voluntarius ductus exercitus Veios, non amiſſa modo reſtituit opera, ſed noua etiam inſtituit. ab vrbe commeatus intentiore quam antea ſubuehi cura, ne quid tam bene merito exercitui ad vſum deeſſet. Inſequens annus tribunos militum conſulari poteſtate habuit, C. Seruilium Halam tertium, Q. Seruilium, P. Virginium, Q. Sulpitium, A. Manlium iterum, M. Sergium iterum. His tribunis dum cura omnium in E Veiens bellum intenta eſt, neglectum Anxuri præſidium vagationibus militum, & Volſcos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum cuſtodibus oppreſſum eſt. minùs militum periit, quia præter ægros lixarum in modum omnes per agros vicináſque vrbes negotiabantur. Nec Veiis melius geſta res, quod tum caput omnium curarum publicarum erat. nam & duces Romani plus inter ſe irarum, quàm aduerſus hoſtes animi habuerunt: & au F ctum eſt bellum aduentu repentino Capenatium atque Faliſcorũ. Hi duo Hetruriæ populi, quia proximi regione erant, deuictis Veiis, bello quoque Romano ſe proximos fore credentes: Faliſci propria etiam cauſſa infeſti, quod Fidenati bello ſe iam antea immiſcuerant, per legatos vltro citroque miſſos iureiurando inter ſe obligati, cum exercitibus necopinato ad Veios acceſſere. Forte ea regione, qua M. Sergius tribunus militum præerat, caſtra adorti ſunt, ingentémque terrorem intulere, quia Hetruriam omnem excitam ſedibus magna mole adeſſe G Romani crediderant. eadem opinio Veientes in vrbe concitauit. Ita ancipiti prælio caſtra Romana oppugnabantur. cõcurſantéſq; cũ huc atque illuc ſigna transferrent, nec Veientem ſatis cohibere intra munitiones, nec ſuis munimentis arcere iam vim, ac tueri ſe ab exteriore poterant hoſte, vna ſpes erat, ſi ex maioribus caſtris ſubueniretur, vt diuerſæ legiones, aliæ aduerſus Capenatem, ac Faliſcum, aliæ cõtra eruptionem oppidanorum pugnarent. Sed caſtris præerat Virginius, priuatim Sergio inuiſus infeſtuſq; is cum pleraque caſtella oppugnata, ſuperata

tas munitiones, vtrinque multū hostem nuntiaretur, in armis milites tenuit, si opus foret auxilio, collegam dictitans ad se missurum. Huius arrogantiam pertinacia alterius æquabat, qui ne quam opem ab inimico videretur petisse, vinci ab hoste, quàm vincere per ciuem maluit. Diu in medio cæsi milites, postremo desertis munitionibus perpauci in maiora castra, pars maxima atque ipse Sergius Romam pertenderunt. vbi cum omnem culpam in collegam inclinaret, acciri Virginium ex castris, interea præesse legatos placuit. Acta deinde in senatu res est, certatúmque inter collegas male dictis, pauci reip. B huic atque illi, vt quósque studiū priuatim aut gratia occupauerunt, adsunt primores patrū, siue culpa, siue infelicitate imperatorum tam ignominiosa clades accepta esset, censuere non exspectādum iustum tempus comitiorum, sed extemplo nouos tribunos militum creandos esse, qui Calendis Octobribus magistratum acciperent. In quam sententiam cùm pedibus iretur, ceteri tribuni militum nihil contradicere. At enimuero Sergius Virginiusque, C propter quos pœnitere magistratum eius anni senatum apparebat, primo deprecari ignominiam, deinde intercedere senatusconsulto: negare se ante Idus Decembres, solemnem ineundis magistratibus diem honore abituros esse. Inter hæc tribuni plebis, cum in concordia hominum secundisque rebus ciuitatis inuiti silentium tenuissent, feroces repēte minari tribunis militum, nisi in auctoritate senatus essent, se in vincula eos deduci iussuros esse. Tum C. Seruilius Hala trib. mil. Quod ad vos attinet tribuni D plebis, minásque vestras, næ ego libenter experirer, quàm non plus in his iuris quam in vobis animi esset. sed nefas est tendere aduersus auctoritatem senatus. proinde & vos desinite inter nostra certamina locum iniuriæ quærere, & collegæ aut facient quod censet senatus: aut si pertinacius tendēt, dictatorem extēplo dicā, qui eos abire magistratu cogat. Cùm omniū assensu comprobata oratio esset, gauderéntque patres, sine tribunitiæ potestatis terriculis inuentam esse aliā vim maiorem ad coercendos magistratus, E victi consensu omnium, comitia tribunorum militum habuere, qui Calēdis Octobribus magistratum occiperent: séque eam ante diem magistratu abdicauere. L. Valerio Potito quartum, M. Furio Camillo iterum, M. Æmylio Mamerco tertium, Cn. Cornelio Cosso iterum, C. Fabio Ambusto, L. Iulio Tullo, Tribunis mil. consulari potestate, multa domi militiæque gesta. Nam & bellum multiplex fuit eodem tempore, & ad Veios, & ad Capenam, & ad Valerios, & in Volscis, vt Anxur ab F hostibus recuperaretur: & Romæ simul delectu, simul tributo conferendo laboratum est: & de tribunis plebis cooptandis contētio fuit: & haud paruum motum duo iudicia eorum, qui paulo antè consulari potestate fuerant, exciuere. Omnium primum tribunis militum fuit delectum haberi: nec iuniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, vt vrbis custodiam agerent. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat: eáque tributo conferabatur, G inuitis conferentibus qui domi remanebāt, quia tuentibus vrbem, opera quoque militari laborandū, seruiendúmque reipub. erat. Hæc per se grauia, indigniora vt viderentur, tribuni plebi seditiosis concionibus faciebant: ideo æra militibus constituta esse arguendo, vt plebis partem militia, partem tributo conficerent. Vnum bellum annum iam tertium trahi, & consulto male geri, vt diutius gerant. in quatuor deinde bella vno delectu exercitus scriptos, & A pueros quoque ac senes extractos. Iam non æstatis nec hyemis discrimen esse. ne vlla quies vnquam miseræ plebi sit: quæ nunc etiam vectigalis ad vltimum facta sit: vt cum confecta labore, vulneribus, postremò ætate corpora retulerint, incultáque omnia diutino dominorum desiderio domi inuenerint, tributū ex affecta re familiari pēdat: æráque militaria velut fœnore accepta, multiplicia reipub. reddant. Inter delectū tributúmque & occupatos animos maiorum rerum curis, comitiis tribunorū plebis numerus expleri nequit. Pugnatum inde in loca vacua, vt patricij cooptarentur. postquam obtineri non poterat. tamē labefactandæ legis tribunitiæ caussa effectū est, vt cooptarentur tribuni plebis C. Lacerius, & M. Acutius, haud dubie patriciorū opibus: Fors ita tulit, vt eo anno trib. pl. C. Trebonius esset, qui nomini ac familiæ debitum præstare videretur Treboniæ legis patrocinium. is quod petissent patres quidam primo incœpto repulsi, tamen tribunos militum expugnasse vociferans, legem Treboniam sublatam, & cooptatos tribunos plebis non suffragiis populi, sed imperio patriciorum, & eo deuolui rem, vt aut patricij aut patriciorum asseclæ habendi tribuni plebis sint: eripi sacratas leges, extorqueri tribunitiam potestatem. id fraude patriciorum, scelere ac proditione collegarum factum arguere. Cum arderent inuidia non patres modo, sed etiam tribuni plebis, cooptati pariter, & qui cooptauerant: tum ex collegio tres, P. Curiatius, M. Metilius, & M. Minutius, trepidi rerum suarum, in Sergium Virginiúmque prioris anni tribunos militares incurrunt in eos ab se iram plebis, inuidiámq; die dicta auertunt. quibus delectus, quibus tributū, quibus diutina militia, lōginquitásque belli sit grauis: qui clade accepta ad Veios doleant: qui amissis liberis, fratribus, propinquis, affinibus lugubres domos habeant: iis publici, priuatique doloris exsequendi ius potestatémque ex duobus noxiis capitibus datam ab se memorāt: omnium námq; malorū in Sergio Virginioq; caussas esse: nec id accusatorem magis arguere, quàm fateri reos: qui noxij ambo, alter in alterū caussam conferant: fugā Sergij Virginius, Sergius proditionem increpans Virginij, quorum adeo incredibilē amentiā fuisse, vt multo verisimilius sit, compacto eam rem, & communi fraude patriciorum actam. Ab his & prius datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi caussa, & nunc proditum exercitum: tradita Faliscis Romana castra. omnia fieri, vt consenescat ad Veios iuuentus: nec de agris, nec de aliis commodis plebis ferre ad populum tribuni, frequentiáque vrbana celebrare actiones, & resistere conspirationi patriciorum possint. Præiudicium iam de reis & ab Senatu, & à populo Rom. & ab ipsorum collegis factum esse: nam & senatusconsulto eos ab repub. remotos esse & recusantes abdicare se magistratu dictatoris metu ab collegis coercitos esse: & populum Rom. tribunos creasse, qui non idibus Decembribus die solemni: sed extemplo Calend. Octobribus magistratum acciperent, quia stare diutius respublica his manentibus in magistratu non posset. Et tamen eos tot iudiciis confossos, prædamnatosque venire ad populi iudicium: & existimare defunctos se esse, satisque pœnarum dedisse, quod duobus mensibus citus priuati facti sint: neque intelligere, nocendi sibi diutius tum potestatem ereptam esse non pœnam irrogatam. quippe & collegis abrogatum imperium, qui certè nihil deliquissent: illos repeterent animos Quirites, quos recenti clade accepta habuissent, cum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pauore inciden-

tem

tem portis exercitū viderint. non fortunam, aut quēquam deorum, sed hos duces accusantem. Pro certo se habere, neminem in concione stare, qui illo die non caput, domum, fortunásque L. Virginij ac M. Sergij sit exsecratus detestatuúsque, minimè conuenire, quibus iratos quisque deos precatus sit, in ijs sua potestate, cùm liceat & oporteat, non vti, nunquā deos ipsos admouere nocentibus manus: satis esse, si occasione vlciscendi læsos armēt. His orationibus incitata plebs, denis millibus æris grauis reos condemnat: nequicquam Sergio martē communē belli fortunámque accusante; Virginio deprecante, ne infelicior domi, quàm militiæ esset. In hos versa ira populi, cooptationis tribunorum, fraudisque contra legem Treboniam factæ memoriam obscuram fecit. Victores tribuni, vt præsentem mercedem iudicij plebes haberet, legem agrariam promulgant, tributumque conferri prohibent: cum tot exercitibus stipendio opus esset, resque militia ita prospere gererentur, vt nullo bello veniretur ad exitum rei. námque Veiis castra, quæ amissa erant, recuperata castellis præsidiisque firmantur. Præerant tribuni militum, M. Æmylius, & Q. Fabius, à M. Furio in Faliscis, & Cn. Cornelio in Capenate agro hostes nulli extra mœnia inuenti: prædæ actæ: incendiisque villarum ac frugum vastati fines: oppida nec oppugnata, nec obsessa sunt. At in Volscis depopulato agro, Anxur nequicquam oppugnatum, loco alto situm, & postquam vis irrita erat, vallo fossâque obsideri cœptum. Valerio Potito Volsci prouincia euenerat. Hoc statu militarium rerum, seditio intestina maiore mole coorta, quàm bella tractabantur. & cū tributum conferri per tribunos non posset, nec stipendium imperatoribus mitteretur, æráque militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin castra quoque vrbanæ seditionis contagione turbarentur. Inter has iras plebis in patres, cùm tribuni plebis nunc illud tempus esse dicerent stabiliendæ libertatis, & ab Sergiis Virginiisque ab plebeios viros fortes ac strenuos transferendi summi honoris: non tamen vltra processum est, quàm vt vnus ex plebe vsurpādi iuris caussa, P. Licinius Caluus tribunus militum consulari potestate crearetur. ceteri patricij creati: P. Manlius, & P. Titinius, P. Melius, L. Furius Medullinus, L. Popilius Volscus. Ipsa plebes mirabatur se tantā rem obtinuisse, non is modo qui creatus erat, vir nullis ante honoribus vsus, vetus tantum senator, & ætate iā grauis. Nec satis constat, cur primus ac potissimus ad nouum delibandū honorem sit habitus. Alij Cn. Cornelij fratris, qui tribunus militum priore anno fuerat, triplexque stipendium equitibus dederat, gratia extractum ad tantum honorem credunt. alij orationem ipsum tempestiuam de concordia ordinum, patribus plebique gratam habuisse. Hac victoria comitiorum exsultātes tribuni plebes, quod maximè rempubl. impediebat, de tributo remiserunt. collatum obedienter, missúmque ad exercitum est. Anxur in Volscis breui receptum est, neglectis die festo custodiis vrbis. Insignis annus hyeme gelida ac niuosa fuit: adeo vt viæ clausæ, Tyberis innauigabilis fuerit. Annona ex ante conuecta copia nihil mutauit. Et quia P. Licinius, vt cœperat, haud tumultuosè magistratum maiore gaudio plebis, quàm indignatione patrum, ita etiam gessit: dulcedo inuasit proximis comitiis tribunorum militum plebeios creandi. Vnus M. Veturius ex patriciis candidatis locum tenuit: plebeios alios tribunos militū consulari potestate omnes fere centuriæ dixere, L. Titinium, P. Menenium Racilium, Cn. Genutium, L. Attilium. Tristem hyemem, siue ex intemperie

A cœli raptim mutatione in contrarium facta, siue alia qua de caussa, grauis pestilénsque omnibus animalibus æstas excepit. cuius insanabili pernicie, quando nec caussa nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex Senatusconsulto aditi sunt. duumuiri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem Latonámque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quàm amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placauere. priuatim quoque id sacrum celebratum est, tota vrbe patentibus ianuis, promiscuoque vsu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim aduenas in hostium ductos: & cùm inimicis quoque benignè ac comiter sermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoq; dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem dij tulissent, vinciri. Interim ad Veios terror multiplex fuit, tribus in vnum bellis collatis. námque eodem quo antea modo circa munimenta, cum repente Capenates Faliscique subsidio venissent, aduersus tres exercitus ancipiti prælio pugnatum est. ante omnia adiuuit memoria damnationis Sergij ac Virginij. itaque maioribus castris, vnde antea cessatum fuerat, breui spatio circumdatæ copiæ Capenates in vallum Romanum versos ab tergo aggrediuntur. Inde pugna cœpta, & Faliscis intulit terrorē, trepidántesq. eruptio ex castris opportune facta auertit. repulsos deinde insecuti victores, ingentem ediderunt cædem. Nec ita multo post iam palantes, veluti forte oblati, populatores Capenatis agri reliquias pugnæ absumsere, & Veientium refugientes in vrbem multi ante portas cæsi, dum præ metu ne simul Romanus irrūperet obiectis foribus, extremos suorū exclusere. Hæc eo anno acta. Et iam comitia tribunorū militum aderat, quorū prope maior patribus quàm belli cura erat: quippe nō cōmunicatū modo cū plebe, sed prope amissum cernentibus summū imperiū. itaque clarissimis viris ex cōposito præparatis ad petēdum, quos prætereundi verecundiam crederent fore: nihilo minus ipsi perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modò, sed deos etiā excipiebant, in religionem vertētes comitia biēnio habita: priore anno intolerandam hyemen prodigiisque diuinis similem coortam: proximo non prodigia, sed iam euētus, pestilentiam agris vrbique illatā. haud dubia ira deûm. quos pestis eius arcendæ caussa placandos esse, in libris fatalibus inuentum sit. comitiis, auspicato quæ fierent, indignum diis visum honores vulgari, discriminàque gentium confundi. Præterquam maiestates petentium, religione etiam attoniti homines, patricios omnes, partem magnam honoratissimum quenque tribunos militum consulari potestate creauere, L. Valerium Potitum quintum. M. Valerium Maximum, M. Furium Camillum tertium, L. Furium Medullinum tertium, Q. Seruilium Fidenatem iterum, Q. Sulpitium Camerinum iterum. His tribunis ad Veios nihil admodum memorabile actum est. tota vis in populationibus fuit. duo summi imperatores, Potitus à Valeriis, Camillus à Capena prædas ingentes egere, nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset. Prodigia interim multa nunciata, quorum pleraque, & quia singuli auctores erant, parum credita spretáque: & quia hostibus Hetruscis, per quos ea procurarent, aruspices nō erant. In vnum omnium curæ versæ sunt, quod lacus in Albano nemore sine vllis cœlestibus aquis caussáve, qua alia quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam creuit. Quidnam eo dij portenderent prodigio, missi sciscitatū oratores ad Delphicū oraculū;

sed propior interpres fatis oblatus senior quidam Veiens, qui inter cauillantes in stationibus ac custodiis milites Romanos Hetruscosque, vaticinantis in modum cecinit, priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, nunquã potiturũ Veiis Romanũ. quod primo velit temerè iactum sperni, agitari deinde sermonibus cœptum est: donec vnus ex statione Romana percũctatus proximũ oppidanorũ (iam per lõginquitatem belli cõmercio sermonum facto) quisnam is esset, qui per ambages de lacu Albano iaceret: postquàm audiuit aruspicem esse, vir haud intacti religione animi, caussatus de priuati portenti procuratione, si operæ illi esset, consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. cúmque progressi ambo à suis longius essent inermes, sine vllo metu, præualens iuuenis Romanus senem infirmum in conspectu omnium raptum, nequicquam tumultuantibus Hetruscis, ad suos transtulit. qui cum perductus ad imperatorem, inde Romam ad senatum missus esset: sciscitantibus quidnam id esset, quod de lacu Albano docuisset, respondit profectò iratos deos Veienti populo illo fuisse die, quo sibi eam mentem obiecissent, vt excidium patriæ fatale proderet. itaque quæ tum cecinerit diuino spiritu instinctus, eã se nec vt indicta sint, reuocare posse: & tacendo forsitan quæ dij immortales vulgari velint, haud minus quàm celando effando, nefas contrahi. Sic igitur libris fatalibus, sic disciplina Hetrusca traditum esse, vt quando aqua Albana abundasset, tum si eam Romanus ritè emisisset, victoriam de Veientibus dari: antequam id fiat, deos mœnia Veientium deserturos non esse. Exsequebatur inde, quæ solemnis deriuatio esset. Sed auctorem leuem, nec satis fidum super tanta re patres rati, decreuere legatos, sortésque oraculi Pythici exspectandas. Priusquam à Delphis oratores redirent, Albaníve prodigij piacula inuenirentur, noui tribuni militum consulari potestate, L. Iulius Tullus, L. Furius Medullinus quartũ, L. Sergius Fidenas, A. Posthumius Regillensis, P. Cornelius Maluginensis, A. Manilius magistratum inierunt. Eo anno Tarquinienses, noui hostes exorti: quia multis simul bellis Volscorum ad Anxur, vbi præsidium obsidebatur: Æquorum ad Lauicos, qui Romanam ibi coloniam oppugnabant: ad hoc Veienti quoque & Falisco & Capenati bello occupatos videbant Romanos, nec intra muros quietiora negotia esse certaminibus patrũ ac plebis: inter hæc locum iniuriæ rati esse, prædatum in agrum Romanum cohortes expeditas mittunt. aut enim passuros inultam eam iniuriam Romanos, ne nouo bello se onerarent: aut exiguo, eoque parum valido exercitu persecuturos. Romanis indignitas maior, quàm cura populationis Tarquiniensium fuit: eo nec magno conatu suscepta, nec in lõgum dilata res est. A. Posthumius, & L. Iulius non iusto delectu (etenim ab tribunis plebis impediebantur) sed prope voluntariorum, quos adhortando incitauerant, coacta manu: per agrum Cæretem obliquis tramitibus egressi, redeuntes à populationibus, grauésque prȩda Tarquinienses oppressere multos mortales obtruncant, omnes exeunt impedimentis: & receptis agrorum suorum spoliis, Romam reuertuntur. Biduum ad recognoscendas res datum dominis: tertio incognita (erant autem ea pleraque hostium ipsorum) sub hasta veniere: quodque inde redactum, militibus est diuisum. Cetera bella, maximéque Veiens, incerti exitus erant. Iamque Romani desperata ope humana, fata & deos spectabant, cum legati ab Delphis venerunt, sortem oraculi afferentes, congruentem responso captiui vatis Romanæ, aquam Albanam

A caue lacu contineri, caue in mare manare suo flumine sinas. emissam per agros rigabis, dissipatámque riuis extingues. tum tu insiste audax hostium muris, memor, quàm per tot annos obsides vrbem, ex ea tibi his, quæ nunc panduntur fatis victoriam datam: bello perfecto donum amplum victor ad mea templa portato: sacráque patria, quorum omissa cura est, instaurata, vt assolet, facito. Ingens inde haberi captiuus vates cœptus, eúmque adhibere tribuni militum Cornelius Posthumiúsque ad B prodigij Albani procurationem, ac deos ritè placandos cœpere, inuentúmque tandem est, vbi neglectas ceremonias, intermissúmve solemne dij arguerẽt, nihil profectò aliud esse, quã magistratus vitio creatos. Latinas sacrúmq; in Albano mõte nõ ritè concepisse. vnam expiationem eorum esse, vt tribuni militum abdicarent se magistratu, auspicia de integro repeterentur, & interregnũ iniretur. Ea ita tacta sunt ex senatuscõsulto. Interreges tres deinceps fuere, L. Valerius, Q. Seruilius Fidenas, M. Furius Camillus. C nũquam desitum interim turbari, comitia interpellantibus tribunis plebis, donec conuenisset prius, vt maior pars tribunorum militũ ex plebe crearetur. Quæ dum aguntur concilia Hetruriæ ad fanum Voltumnæ habita. postulantibúsque Capenatibus ac Faliscis, vt Veios communi animo consilioque omnes Hetruriæ populi ex obsidione eriperent, responsum est: antea se id Veientibus negasse, quia vnde consilium non petissent super tanta re, auxiliũ petere non D deberent: nunc iam pro se fortunam suam illis negare maxime in ea parte Hetruriæ gentem inusitatam nouos accolas Gallos esse, cum quibus nec pax satis fida, nec bellũ pro certo sit. sanguini tamen nominiq; & præsentibus periculis cõsanguineorum id dari. vt si qui iuuentutis suæ voluntarij ad id bellum eant, non impediant. Eum magnum aduehisse hostium munerum fama Romæ erat, eoque mitescere discordiæ intestinæ metu communi, vt fit, cœptæ. Haud inuitis patribus. P. Licinium Caluum E prærogatiua tribunum militum non petentem creant, moderationis expertæ in priore magistratu virum, cæterum iam tum exactæ ætatis, omnésque deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genutium, L. Atilium: qui priusquam renuntiarentur, iure vocatis tribubus permissu interregis P. Licinius Caluus ita verba fecit: Omen concordiæ, Quirites, rei maximè in hoc tempus vtilis, memoria nostri F magistratus vos his comitiis petere in sequentem annum video, si & collegas eosdem reficitis, etiam vsu meliores factos, me iam non eundem, sed vmbram noménque P. Licinij relictum videtis. vires corporis affectæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus. En vobis, inquit, iuuenem, filium tenens, effigiem atque imaginem eius, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis, hunc ego institutum disciplina mea, vicarium pro me reipub. do, dicoque: vosque quæso Quirites, dela- G tum mihi vltro honorem, huic petenti, meísque pro eo adiectis precibus mandetis. Datum id petenti patri, filiúsque eius P. Licinius Tribunus mil. consulari potestate, cum iis quos supra scripsimus, declaratus. Titinius Genutiúsque Tribuni mil. profecti aduersus Faliscos, Capenatésque dum bellum maiore animo gerunt quàm consilio, præcipitauere se in insidias. Genutius morte honesta temeritatẽ luẽs, ante signa inter primores cecidit Titinius in editũ tumultũ ex multa trepidatione militibus collectis aciẽ restituit. nec se tamẽ ęquo loco hosti

hosti commisit. Plus ignominiæ erat, quàm cladis A acceptum, quæ propè in cladem ingentem vertit: tantum inde terroris non Romæ modò, quo multiplex fama peruenerat, sed in castris quoque fuit ad Veios. ægrè ibi miles retentus à fuga est, cum peruasisset castra rumor: ducibus exercituque cæso victorem Capenatem ac Faliscum, Hetruriæque omnem iuuentutem haud procul inde abesse. His tumultuosiora Romæ. iam castra ad Veios oppugnari, iam partem hostium tendere ad vrbem agmine infesto crediderant: concursumque in muros est, & matronarum, B quas ex domo conciuerat publicus pauor, obsecrationes in templis factæ: precibusque ab diis petitum, vt exitium ab vrbis tectis templisque ac Romanis mœnibus arcerent, Veiosque eum auerterent terrorem, si sacra renouata rite, si procurata prodigia essent. Iam Ludi Latinæque instaurata erant: iam ex lacu Albano aqua emissa in agros: Veiosque fata appetebant. Igitur fatalis dux ad excidium illius vrbis, seruandæque patriæ, M. Furius Camillus dictator dictus magistrum equitum P. Cornelium C Scipionem dixit. Omnia repente mutauerat imperator mutatus: alia spes, alius animus hominum, fortuna quoque alia vrbis videri. Omniũ primum in eos qui à Veiis in illo pauore fugerant, more militari animaduertit, efficitque ne hostis maximè timendus militi esset: deinde indicto delectu in diem certam, ipse interim Veios ad confirmandos militum animos intercurrit: inde Romam ad scribendum nouum exercitum redit, nullo detrectante militiam: peregrina etiam iuuentus, Latini D Hernicique operam suam pollicentes ad id bellum venere, quibus cum gratias in senatu egisset dictator, satis iam omnibus ad id bellum paratis; ludos magnos ex senatusconsulto vouit Veiis captis se facturum: ædemque Matutæ matris refectam dedicaturum, iam ante ab rege Seruio Tullio dedicatam. Profectus cum exercitu ab vrbe; exspectatione hominum maiore quam spe, in agro primum Nepesino cum Faliscis, & Capenatibus signa confert. omnia ibi summa ratione consilioque acta, fortuna E etiam, vt fit, secuta est non prælio tantum fudit hostes; sed castris quoque exuit, ingentique præda est potitus: cuius pars maxima ad quæstorem redacta est, haud ita multum militi datum. Inde ad Veios exercitus ductus, densioraque castella facta: & à procursationibus, quæ multæ temere inter murum ac vallum fiebant, edicto ne quis iniussu pugnaret, ad opus milites traducti. Operum fuit omnium longè maximum ac laboriosissimum, cuniculus in arcem hostium agi cœptus: quod ne intermitteretur opus, F neu sub terra continuus labor eosdem conficeret; in partes sex munitorum numerum diuisit. senæ horæ in orbem operi attributæ sunt: nocte ac die nũquam ante omissum, quàm in arcem viã facerent. Dictator, cum iam in manibus videret victoriam esse: vrbem opulentissimam capi: tantúmque prædæ fore, quantum non omnibus in vnum collatis ante bellis fuisset: nequam inde aut militum iram ex malignitate prædæ partitæ, aut inuidiam apud patres ex prodiga largitione caperet, literas ad senatum misit. G Deûm immortalium benignitate; suis consiliis, & patientia militum Veios iam fore in potestate populi Rom. quid de præda faciendum censerent? Duæ senatum distinebant sententiæ. vna senis P. Licinij, quem primum dixisse à filio interrogatum ferunt, edici palam placere populo, vt qui particeps esse prædæ vellet, in castra Veios iret: altera Ap. Claudij, qui largitionem nouam prodigam, inæqualem, inconsultam arguens, si semel nefas ducerent, captam ex hostibus in ærario exhausto bellis pecuniam esse, auctor erat stipendij ex ea pecunia militi numerandi: vt eo minus tributi plebes conferret. eius enim doni societatem sensuras æqualiter omniũ domos: non auidas in direptiones manus otiosorum vrbanorum prærepturas fortium bellatorum præmia esse: cum ita ferme eueniat, vt qui segnior sit prædator, vt fortissimus quisque laboris periculique præcipuam petere partem soleat. Licinius contra suspectam & inuisam semper eam pecuniam fore aiebat: caussasque criminum ad plebem, seditionumque inde ac legum nouarum præbituram, satius igitur esse reconciliari eo dono plebis animos: exhaustis atque exinanitis tributo tot annorum succurri, & sentire prædæ fructũ ex eo bello, in quo propè consenuerint. gratius id fore, lętiusque, quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit, quam si multiplex alterius arbitrio accipiat ipsum dictatorem fugere inuidiam ex eo, criminaque eo delegasse ad senatum: senatum quoque debere reiectam rem ad se permittere plebi, ac pati habere quod cuique sors belli dederit. Hæc tutior visa sententia est, quæ popularem senatum faceret. Edictum itaque est, ad prędam Veientem, quibus videretur, in castra ad dictatorem proficiscerentur. Ingens profecta multitudo repleuit castra. Tum dictator auspicato egressus, cum edixisset vt arma milites caperent: Tuo ductu, inquit, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus, pergo ad delendam vrbem Veios: tibique hinc decimam partem prædæ voueo, te simul Iuno regina, quæ nũc Veios colis, precor, vt nos victores in nostram, tuámque mox futuram vrbem sequare: vbi te dignũ amplitudine tua templum accipiat. Hæc precatus, superante multitudine ab omnibus locis vrbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculis sensus esset. Veiẽtes ignari, se iam ab suis vatibus, iam ab externis oraculis proditos; iam in partem prædæ suæ vocatos deos. alios votis ex vrbe sua euocatos, hostium templa nouasque sedes spectare; seque vltimum illum diem agere, nihil minus timentes, quam subrutis cuniculo mœnibus, arcem iam plenam hostium esse; in muros pro se quisque armati discurrunt: mirantes quidnam id esset, quod cum tot per dies nemo se ab stationibus Romanis mouisset, tũ velut repentino icti furore improuidi currerent ad muros. Inseritur huic loco fabula: immolante rege Veientium, vocem aruspicis dicentis, qui eius hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo mouisse Romanos milites, vt adaperto cuniculo exta raperent, & ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam antiquis, si quæ similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam. hæc ad ostẽtationem scenæ gaudentis miraculis aptiora, quàm ad fidem, neque affirmare, neque refellere operę pretium est. Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus, in æde Iunonis, quæ in Veiẽtana arce erat, armatos repente edidit. & pars auersos in muris inuadunt hostes: pars claustra portarum reuellunt: pars, cum ex tectis saxa tegulæque à mulierib. ac seruitiis iacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac pauentium vocibus, mixto mulierum ac puerorum ploratu complet. Momento temporis deiectis ex muro vndique armatis, patefactisque portis, cum alij agmine irruerent, alij desertos scanderẽt muros, vrbs hostib. impletur, omnibus locis pugnatur. Deinde multa iam edita cæde, senescit pugna; & dictator præcones edicere iubet, vt ab inermi abstineatur. Is finis sanguinis fuit. dedi inde inermes cœpti: & ad prędam miles permissu dictatoris discurrit. quæ cum ante oculos eius aliquantum spe atque

opinione maior, maioríſque pretij rerum ferretur: prædicitur manus ad cælum tollens precans eſſe, vt ſi cui deorum hominúmque nimia ſua fortuna, populique Romani videretur, vt eam inuidiam lenire quã minimo ſuo priuato incommodo, publicoque Romani populi, liceret. conuertentem ſe inter hanc venerationem, traditur memoriæ, prolapſum cecidiſſe. idque omen pertinuiſſe poſtea euentu rem coniectantibus viſum ad damnationem ipſius Camilli. captæ deinde vrbis Romanæ, quod poſt paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies cæde hoſtium, ac direptione vrbis opulentiſſimę eſt conſumtus. Poſtero die libera corpora dictator ſub corona vendidit. ea ſola pecunia in publicum redigitur, haud ſine ira plebis, & quod retulere ſecum prædæ, nec duci, qui ad ſenatum, malignitatis auctores quærendo, rem arbitrij ſui reieciſſet: nec ſenatui, ſed Liciniæ familiæ, ex qua filius ad ſenatum retuliſſet, pater tam popularis ſententiæ auctor fuiſſet, acceptum referebant. Cum iam humanæ opes aſportatæ egeſtæque à Veiis eſſent, amoliri tum deûm dona, ipſoſque deos, ſed colentium magis, quam rapientium modo, cœpere. námque delecti ex omni exercitu iuuenes, pure lotis corporibus, candida veſte, quibus deportanda Romam regina Iuno aſſignata erat, venerabundi templum inire, primo religioſè admouẽtes manus: quod id ſignum more Hetruſco niſi certæ gentis ſacerdos attrectare non eſſet ſolitus. deinde cum quidam, ſeu ſpiritu diuino tactus, ſeu iuuenili ioco, Viſne Romam ire Iuno? dixiſſet: annuiſſe ceteri Deam conclamauerunt. inde fabulæ adiectum eſt, vocem quoque dicentis, velle, auditam. motam certe ſede ſua parui molimenti adminiculis, ſequentis modo, accepimus leuem ac facilem tranſlatu fuiſſe: integrámque in Auentinum æternam ſedem ſuam, quo vota Romani dictatoris vocauerant, perlatam: vbi templum ei poſtea idem qui vouerat, Camillus dedicauit. Hic Veiorum occaſus fuit, vrbis opulentiſſimæ Hetruſci nominis, magnitudinem ſuam vel vltima clade indicantis: quod decem æſtates hyeméſque continuas circumſeſſa, cum plus aliquanto cladium intuliſſet quam accepiſſet, poſtremo iam fato quoque vrgente, operibus tamen, non vi expugnata eſt. Romam vt nuntiatum eſt, Veios captos: quamquam & prodigia procurata fuerant, & vatum reſponſa, & Pythycæ ſortes notæ: & quantum humanis adiuuari conſiliis potuerat res, ducem M. Furium maximum imperatorum omnium legerant: tamen quia tot annis varie ibi bellatum erat, multæque clades acceptæ, velut ex inſperato immenſum gaudium fuit. & priuſquam ſenatus decerneret, plena omnia templa Romanarum matrum gratias diis agentium erant. ſenatus in quatriduum, quot dierum nullo ante bello, ſupplicationes decernit. Aduentus quoque dictatoris omnibus ordinibus obuiam effuſis, celebratior, quam vllius vnquam antea fuit: triumphúſque omnem conſuetum honorandi illius diei modum aliquantum exceſſit, maximè conſpectus ipſe eſt, curru equis albis iuncto vrbem inuectus: parumque id non ciuile modò, ſed humanum etiam viſum. Iouis, ſoliſque equis æquiparatum dictatorem in religionem etiam trahebant, triumphúſque ob eam vnam maximè rem clarior quàm gratior fuit. Tum Iunoni reginæ templum in Auentino locauit, dedicauítque Matutæ matri. atque his diuinis humaníſque rebus geſtis, dictatura ſe abdicauit. Agi deinde de Apollinis dono cœptum. cui ſe decimam vouiſſe prædæ partem cum diceret Camillus, pontifices ſoluendum religione populum cenſe-

A rent: haud facilè inibatur ratio iubendi referre prædam populum, vt ex ea pars debita in ſacrum ſecerneretur. tandem eo, quod leuiſſimum videbatur, decurſum eſt, vt qui ſe domúmque religione exſoluere vellet, cum ſibimet ipſe prædam æſtimaſſet ſuam, decimæ pretium partis in publicum deferret: vt ex eo donum aureum dignum amplitudine templi, ac numine Dei, ex dignitate populi Rom. fieret. ea quoque collatio plebis animos à Camillo alienauit. Inter hæc pacificatum legati à Volſcis & Æquis ve- B nerunt. impetratáque pax, magis vt feſſa tam diutino bello acquieſceret ciuitas, quã quod digni peterent. Veiis captis, ſex tribunos militum conſulari poteſtate inſequens annus habuit, duos P. Cornelios, Coſſum & Scipionem, M. Valerium Maximum iterum, C. Fabium Ambuſtum iterum, L. Furium Medullinum quintum, Q. Seruilium tertium. Corneliis Faliſcum bellum, Valerio ac Seruilio Capenas ſorte euenit. ab iis non vrbes vi aut operibus tentatæ, ſed ager eſt depopulatus, prædæque rerum a- C greſtium actæ: nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades Capenatium populum ſubegit, pax petentibus data. In Faliſcis bellum reſtabat, Romæ interim multiplex ſeditio erat, cuius leniendæ cauſſa coloniam in Volſcos, quo tria millia ciuium Romanorum ſcriberentur, deducendam cenſuerant, triumuirique ad id creati, terna iugera & ſeptunces viritim diuiſerant. Ea largitio ſperni cœpta: quia ſpei maioris auertendę ſolatium obiectum cenſebãt. cur enim relegari plebem in Volſcos, cum D pulcherrima vrbs Veij, agérque Veietanus in conſpectu ſit, vberior ampliórque Romano agro? vrbem quoque vrbe Romæ vel ſitu, vel magnificentia publicorum priuatorúmque tectorum ac locorum pręponebant. quin illa quoque actio mouebatur, quæ poſt captam vtique Romam à Gallis celebratior fuit, tranſmigrandi Veios. ceterum partim plebi, partim ſenatui deſtinabant habitandos Veios: duáſque vrbes communes reipubl. incoli à Romano populo poſſe. Aduerſus quæ cum optimates ita ten- E derent, vt morituros ſe citius dicerent in conſpectu populi Romani, quam quicquam earum rerum rogaretur: quippe nunc in vna vrbe tantum diſſenſionem eſſe, quid in duabus vrbibus fore? victámne vt quiſquam victrici patriæ præferret? ſineréntque maiorem fortunam captis eſſe Veiis, quam incolumibus fuerit? poſtremo ſe relinqui à ciuibus in patria poſſe: vt relinquant patriam atque ciues, nullam vim vnquam ſubacturam: & T. Sicinium (is enim ex tribunis plebis rogationis eius lator erat) condito- F rem Veios ſequantur, relicto deo Romulo, dei filio, parente & auctore vrbis Romæ. Hęc cum fœdis certaminibus agerentur (nam partem tribunorum plebis patres in ſuam ſententiam traxerant) nulla res alia manibus temperare plebem cogebat, quam quod vbi rixæ committendę cauſſa clamor ortus eſſet, principes ſenatus primi turbæ offerentes ſe, peti, feriri, atque occidi iubebant. ab horum ætatibus dignitatibúſque & honoribus violandis dum abſtinebatur, & ad reliquos ſimiles conatus verecundia iræ obſtabat: G Camillus identidem omnibus locis concionabatur. haud mirum id quidem eſſe: furere ciuitatem quæ damnata voti, omnium rerum potiorem curam, quàm religione ſe exſoluendi, habeat. * nihil de collatione dicere ſtipis verius quam decimæ: quando ea ſe quiſque priuatim obligauerit, liberatus ſit populus, enimuero illud ſe tacere, ſuam conſcientiã non pati, quod ex ea tantum prædã, quæ rerum mouentium ſit, decima deſignetur? vrbis atque agri capti, quæ & ipſa voto contineatur, mentionem nullam fieri

fieri. Cùm ea disceptatio anceps senatui visa, delegata ad pontifices esset: adhibito Camillo, visum collegio, quod eius ante conceptum votum Veientium fuisset, & post votum in potestatem populi Romani venisset eius partem decimam Apollini sacram esse. ita in æstimationem vrbs agérque venit: pecunia ex ærario promta, & tribunis militum consularibus, vt aurum ex ea coemerent, negotium datum, cuius cū copia non esset, matronæ cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ tribunis militum aurum, & omnia ornamenta sua, in ærarium detulerunt. Grata ea res, vt quæ maxime senatui vnquam fuit, honorémque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra ludósque carpentis festo profestoque vterentur. Pondere ab singulis auri accepto, æstimatoque, vt pecuniæ soluerentur, crateram auream fieri placuit quæ donum Apollini Delphos portaretur. Simul ab religione animos remiserunt, integrant seditionem tribuni plebis: incitatur multitudo in omnes principes, ante alios in Camillum. eam prædam Veientanam publicando sacrandoque ad nihilum redegisse. absentes ferociter increpant: præsentium, cùm se vltro iratis offerrent, verecundiam habent. Simul vt extrahi rem ex eo anno viderunt, tribunos plebis latores legis in annum eosdem reficiunt: & patres hoc idem de intercessoribus legis annisi. ita tribuni plebis magnâ ex parte iidem refecti. Comitiis tribunorum militum patres summa ope euicerunt, vt M. Furius Camillus crearetur. propter bella simulabant parari ducem, sed rogationi tribunitiæ aduersarius quærebatur. Cùm Camillo creati tribuni militum consulari potestate, L. Furius Medullinus sextum, C. Æmylius, L. Valerius Publicola, Sp. Posthumius, P. Cornelius iterum. Principio anni tribuni plebis nihil mouerunt: donec M. Furius Camillus in Faliscos, cui id bellum mandatum erat, proficisceretur, differendo deinde elanguit res. & Camillo, quem aduersarium maximè metuerant, gloria in Faliscis creuit. Nam cum primo mœnibus se hostes tenerent, tutissimum id rati, populatione agrorum atque incendiis villarum coegit eos egredi vrbe, sed timor longius progredi prohibuit. mille fere passuū ab oppido castra locant: nulla re alia fidentes ea satis tuta esse, quàm difficultate aditus, asperis confragosisque circa, & partim arctis, partim arduis viis. Ceterum Camillus captiuum indicem ex agris secutus ducem, castris multa nocte motis, prima luce aliquanto superioribus locis se ostendit, trifariam Romani muniebant. alius exercitus prælio intentus stabat. ibi impedire opus conatos hostes fundit fugátque. tantúmque inde pauoris Faliscis iniectum est, vt effusa fuga castra sua, quæ propiora erant, prælati, vrbem peterent. multi cæsi vulneratique prius quàm pauentes portis inciderent. castra capta: præda ad quæstores redacta, cum magna militum ira. sed seueritate imperij victi, eandem virtutem & oderant, & mirabantur. Obsidio inde vrbis, & munitiones, & interdum per occasionem impetus oppidanorum in Romanas stationes, prœliáque parua fieri: & teri tempus, neutro inclinata spe: cum frumentum copiæque aliæ ex ante conuecto largius obsessis quam obsidentibus suppeterent. videbaturque æque diuturnus futurus labor, ac Veiis fuisset: nisi fortuna imperatori Romano simul & cognitæ rebus bellicis virtutis specimen & maturam victoriam dedisset. Mos erat Faliscis eodem magistro liberorum & comite vti, simulque plures pueri, quod hodie quoque in Græcia manet; vnius curæ demandabantur. principum liberos sicut fere fit, qui scientia

A videbatur præcellere, erudiebat. Is cum in pace instituisset pueros ante vrbem lusus exercendique caussa producere, nihil eo more per belli tempus intermisso, dummodo breuioribus: modo longioribus spatiis trahendo eos à porta, lusu sermonibúsque variatis, longius solito, vbi res dedit, progressus, inter stationes eos hostium, castráque inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit. ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit: Falerios se in manus Romanis tradidisse, quando eos pueros, quo- B rum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dederit. Quæ vbi Camillus audiuit: non ad similem, inquit, tui, nec populum, nec imperatorem, scelestus ipse cum scelesto munere venisti. nobis cum Faliscis quæ pacto fit humano, societas non est: quam ingenerauit natura, vtrisque est, eritque. sunt & belli sicut pacis, iura: iustéque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. arma habemus nō aduersum eam ætatem, cui etiam captis vrbibus parcitur: sed aduersus armatos, & ipsos, qui nec læsi nec C lacessiti à nobis, castra Romana ad Veios oppugnarunt. eos tu, quantum in te fuit, nouo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Veios, vincam. Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgásque eis, quibus proditorem agerent in vrbem verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde à magistratibus de re noua vocato senatu, tanta mutatio animis est iniecta, vt qui modo efferati odio iráque Veien- D tium exitium pene quàm Capenatium pacem mallent, apud eos pacem vniuersa posceret ciuitas. fides Romana, iustitia imperatoris, in foro & curia celebrantur: consensuque omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur introducti ad senatum, ita locuti traduntur: Patres cōscripti, victoria, cui nec Deus, nec homo quisquam inuideat, victi à vobis & imperatore vestro, dedimus nos vobis: rati, quo nihil victori pulcrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris victu- E ros. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. vos fidem in bello, quàm præsentē victoriā maluistis: nos fide prouocati, victoriā vltro detulimus: sub ditione vestra sumus. mittite qui arma, qui obsides, qui vrbem patentibus portis accipiant, nec vos fidei nostræ, nec nos imperij vestri pœnitebit, Camillo & ab hostibus, & à ciuibus gratiæ actæ. Faliscis in stipendium militum eius anni, vt populus Romanus tributo vacaret, pecunia im- F perata. Pace data, exercitus Romam reductus. Camillus meliore multo laude, quam cum triumphātē albi per vrbem vexerant equi, insignis iustitia fideq; hostib. victis cū in vrbē redisset, tacite eius verecundiam non tulit senatus, quin sine mora votis liberaretur: craterámq; auream donum Apollini Delphos legati qui ferrent, L. Valerius, L. Sergius, A. Manlius, missi longa vna naue, haud procul freto Siculo à piratis Liparensium excepti deuehuntur Liparas. Mos erat ciuitatis, velut publico latrocinio partam præ- G dam diuidere. Forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior quā suis, qui legatorum nomen, donumque, & deum cui mitteretur, & doni caussam veritus ipse, multitudinem quoque, quæ semper ferme regenti est similis, religionis iustæ impleuit: adductósque in publicum hospitium legatos, cum præsidio etiam nauiū Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. hospitium cum eo senatusconsulto est factum: donaque publicè data. Eodem anno in Æquis variè bel-

latum: adeò vt in incerto fuerit, & apud ipsos exercitus, & Romæ, vicissent, victine essent. Imperatores Romani fuere ex tribunis militum C. Æmylius, Spurius Posthumius, primo rem communiter gessêrunt: fusis inde acie hostibus, Æmylium præsidio Verruginem obtinere placuit, Posthumium fines vastare. ibi eum in composito agmine negligentius ab re bene gesta euntem adorti Æqui, terrore iniecto in proximos compulere tumulos: pauorque inde Verruginem etiam ad præsidium alterum est perlatus. Posthumius suis in tutum receptis, cum concione aduocata terrorem increparet, ac fugam: fusos esse ab ignauissimo & fugacissimo hoste: conclamat vniuersus exercitus, merito se ea audire, & fateri admissum flagitium: sed eosdem correcturos esse, neque diuturnum id gaudium hostibus fore: poscentes vt confestim inde ad castra hostium duceret (in conspectu erant posita in plano) nihil pœnæ recusabant, ni ea ante noctem expugnassent. Collaudatos, corpora curare, paratosque esse quarta vigilia iubet. & hostes nocturnam fugam ex tumulo Romanorum, vt ab ea via quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuere obuij: prœliumque ante lucem (sed luna pernox erat) commissum est: & haud incertius diurno prœlium fuit: sed clamor Verruginem perlatus, cum castra Romana crederent oppugnari; tantum iniecit pauoris, vt nequicquam retinente atque obsecrante Æmylio, Thusculum palati fugerent: inde fama Romam perlata est, Posthumium, exercitumque occisum. Qui vbi prima lux metum insidiarum effusè sequentibus sustulit: cum perequitasset aciem, promissa repetens, tantum iniecit ardoris, vt non vltra sustinuerint impetum Æqui. cædes inde fugientium, qualis vbi ira magis quam virtute res geritur, ad perniciem hostiũ facta est. tristémque ab Thusculo nuntium, nequicquã exterrita ciuitate, literæ à Posthumio laureatæ sequûtur: victoriã populi Romani esse: Aequorum exercitum deletum. Tribunorum plebis actiones quia nondum inuenerant finem, & plebs continuare latoribus legis tribunatum, & patres reficere intercessores legis annisi sunt. sed plus suis comitiis plebs valuit. quẽ dolorem vlti patres sunt, senatusconsulto facto, vt consules, inuisus plebi magistratus, crearentur. Annum post quintumdecimum creati consules L. Lucretius Flauus, Seruius Sulpitius Camerinus. Principio huius anni ferociter, quia nemo ex collegio intercessurus erat, coortis ad perferendam legem trib. plebis, nec segnius ob id ipsum consulibus resistentibus, omnique ciuitate in vnam eam curam conuersa, Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Aequi expugnãt. colonorum pars maxima incolumis, quia nocte proditione oppidum captum, liberam per auersa vrbis fugam dederat, Romam perfugere. L. Lucretio consuli ea prouincia euenit. is eum exercitu profectus acie hostes vicit, victorque Romanam ad maius aliquanto certamen rediit. dies dicta erat tribunis plebis biennij superioris, A. Virginio & Q. Pomponio: quos defendi patrum consensu, ad fidem senatus pertinebat. neque enim eos aut vitæ vllo crimine alio, aut gesti magistratus quisquam arguebat, præterquam quod gratificantes patribus, rogationi tribunitiæ intercessissent. vicit tamen gratiam senatus, plebis ira: & pessimo exemplo innoxij denis millibus grauis æris condemnati sunt. id ægrè passi patres. Camillus palam sceleris plebem arguere: quæ iam in suos versa, non intelligeret se prauo iudicio de tribunis intercessionem sustulisse. intercessione sublata, tribunitiam potestatem euertisse. Nam quod illi sperarent effrænatam licentiam eius magistratus

A patres laturos, falli eos. si tribunitia vis tribunitio auxilio repelli nequeat, aliud telum patres inuenturos esse. consulésque increpabat, quod fide publica decipi tribunos eos taciti tulissent, qui senatus auctoritatem secuti essent. Hæc pro palam concionabundus in dies magis augebat iras hominum. senatũ verò incitare aduersus legem haud desistebat: ne aliter descenderent in forum cum dies ferendæ legis venisset, quam vt qui meminissent sibi pro aris focisque & deum templis, ac solo in quo nati essent, dimicandum fore.

B nam quod ad se priuatim attineat: si suæ gloriæ inter dimicationem patriæ meminisse sit fas, sibi amplum quoque esse vrbem ab se captam frequentari: quotidie se frui monimento gloriæ suæ, & ante oculos habere vrbem latam in triumpho suo: insistere omnes vestigiis laudum suarum. sed nefas ducere, desertam ac relictam ab diis immortalibus incoli vrbem: & in captiuo solo habitare populum Romanum: & victrice patria victam mutari. His adhortationibus principes concitari patres, senes, iuuenésque cum ferretur lex, agmine facto in

C forum venerunt: dissipatique per tribus, suos quisque tribules prehensantes, orare eum lacrymis cœpere, ne eam patriam, pro qua fortissimè felicissiméque ipsi ac patres eorum dimicassent, desererent: Capitolium, ædem Vestæ cetera circa templa deorum ostentantes: ne exsulem, extorrem populum Roman. ab solo patrio, ac diis penatibus, in hostium vrbem agerent: eoque rem adducerent, vt melius fuerit non capi Veios, ne Roma desereretur. Quia

D non vi agebant. sed precibus, & inter preces multa deorum mentio erat, religiosum parti maximæ fuit: & legem vnam plures tribus antiquarunt, quàm iusserunt. adeoque ea victoria læta patribus fuit, vt postero die referentibus consulibus senatusconsultum fieret, vt agri Veientani septena iugera plebi diuiderentur: nec patribus familiæ tantum, sed vt omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur: vellentque in eam spem liberos tollere. Eo munere delinita plebe, nihil certatum est, quo minus

E consularia comitia haberentur. creati consules L. Valerius Potitus, M. Manlius, cui Capitolino postea fuit cognomen. Hi consules magnos ludos fecere, quos M. Furius dictator vouerat Veienti bello eodem anno ædes Iunonis reginæ ab eodem dictatore, eodémque bello vota dedicatur: celebratámque dedicationem ingenti matronarum studio tradunt. Bellum haud memorabile in Algido cum Æquis gestum est, fusis hostibus prius penè, quam manus consererent. Valerio, quod perseuerantior cædendis hostibus in

F fuga fuit, triumphus Manlio, vt ouans ingrederetur vrbem, decretum est. Eodem anno nouum bellum cũ Volsiniensibus exortum: quo propter famem pestilentiámque in agro Romano ex siccitate caloribusque nimiis ortam, exercitus duci nequiuit, ob quæ Volsinienses Salpinatibus adiunctis superbia elati vltro agros Romanos incursauere. bellum inde duobus populis indictum. C. Iulius censor decessit: in eius locum M. Cornelius suffectus. quæ res postea religioni fuit: quia eo lustro Roma est capta: nec deinde

G vnquam in demortui locum censor sufficitur, cõsulibusque morbo implicitis, placuit per interregnũ renouari auspicia. itaque cũ ex senatuscõsulto cõsules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Furius Camillus: qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum interregẽ prodidit. ab eo creati sex tribuni militũ consulari potestate: vt etiã si cui eorum incommoda valetudo fuisset, copia magistratuũ reipub. esset. Calendis Quintilib. magistratũ occepere L. Lucretius, Seruius Sulpitius, M. Æmylius

L. Fu

L. Furius Medullinus septimum, Agrippa Furius, C. Æmylius iterum. Ex his L. Lucretio & C. Æmylio Volsinienses prouincia euenit: Salpinates Agrippæ Furio, & Seruio Sulpicio. Prius cum Volsiniensibus pugnatum est, bellum numero hostium ingens, certamine haud sanè asperum fuit. Fusa concursu primo acies in fugam. millia octo armatorum ab equitib. interclusa, positis armis in deditionem venerunt. Eius belli fama effecit, ne se pugnæ committerent Salpinates: mœnibus armati se tutabantur, Romani prædas passim, & ex Salpinati agro, & ex Volsiniensi nullo eam vim arcente, egerunt: donec Volsiniensibus fessis bello, ea conditione, vt res populo Romano redderent, stipendiúmq; eius anni exercitui præstarent, in viginti annos induciæ datæ. Eodem anno M. Cæditius de plebe nuntiauit tribunis, se in noua via, vbi nunc sacellum est supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ magistratibus dici iuberet, Gallos aduentare. Id (vt fit) propter auctoris humilitatem spretum: & quod longinqua, eoque ignotior gens erat. Neque deorum modo monita ingruente fato spreta: sed humanam quoque opem, quæ vna erat, M. Furium ab vrbe amouere, qui die dicta ab L. Apuleio tribuno plebis propter prædam Veientanam, filio quoque adolescente per idem tempus orbatus; cum accitis domũ tribulibus & clientibus, quæ magna pars plebis erat, percontatus animos eorum responsum tulisset, se collaturos quanti damnatus esset, absoluere eum non posse: in exsilium abiit: precatus ab diis immortalibus, si innoxio sibi ea iniuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui ciuitati ingratæ facerent. absens quindecim millibus grauis æris damnatur. Expulso ciue, quo manente, si quicquam humanorum certi est, capi Roma non potuerat aduentante fatali vrbis clade, legati ab Clusinis veniunt, auxilium aduersus Gallos petentes. Eam gentem traditur fama, dulcedine frugum, maximéque vini noua tum voluptate captam, alpes transisse: agrosque Hetruscis ante cultos possedisse: & inuexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis caussa Aruntem Clusinum, ira corruptæ vxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipse præpotente iuuene, & à quo expeti pœnæ, nisi externa vis quæsita esset, nequirent. hunc transeuntibus alpes ducem auctorémque Clusinum oppugnandi fuisse, equidem haud abnuerim; Clusium Gallos ab Arunte, seu quo alio Clusino adductos: sed eos qui oppugnauerint Clusium, non fuisse qui primi alpes transierint; satis constat: ducentis quippe annis antè, quàm Clusium oppugnarent, vrbémque Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt: nec cum his primum Hetruscorum, sed multo ante cum iis qui inter Apenninum alpésque incolebant, sæpe exercitus Gallici pugnauere. Thuscorum ante Romanũ imperium late terra marique opes patuere. mari supero inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur, quantum potuerint nomina sunt argumento, quod alterum Thuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adria Thuscorum colonia vocauere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant. Ii in vtrumque mare vergentes, incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant coloniis missis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, vsque ad alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo est, maximè Rhætis: quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter sonum linguæ, nec eum incorruptũ,

A retinerent. De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperij fuit, ij regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunâque, cùm sua tum publica præpollens: quod in imperio eius Gallia adeo frugum, hominúmque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam, exonerare prægrauante turba regnum cupiens, Bellouesum ac Sigouesum sororis filios impigros
B iuuenes missurum se esse in quas dij dedissent auguriis sedes, ostendit quantum ipsi vellent, numerum hominum excirent, ne qua gens arcere aduenientes posset. Tum Sigoueso sortibus dati Hercynij saltus: Belloueso haud paulo lætiorem in Italiam viam dij dabant. Is quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Hæduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, exciuit: profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricastinos venit. Alpes inde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas haud
C equidem miror, nondum via (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi cum velut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarêntque quanam per iuncta cœlo iuga in alium orbem terrarum transirent, religio etiam tenuit, quod allatum est, aduenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari. Massilienses erant hi, nauibus à Phocide profecti. id Galli fortunæ suæ omen rati adiuuere, vt quem primum in terram egressi occupauerant locum, pa-
D tentibus syluis communirent. ipsi per Taurinos saltúsque Iuliæ alpis transcenderunt: fusisque acie Thuscis haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Heduorum: ibi omen sequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt. Alia subinde manus Cenomanorũ, Elitouio duce vestigia priorum secuta, eodem saltu fauente Belloueso cum transcendisset alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes sunt, locos tenuere Libui, consi-
E dunt. post hos Salluuij, qui prope antiquam gentem Leuos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, petiere Appeninum. deinde Boij, Lingonésque trãsgressi, cum iam inter Padum atque alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Hetruscos modo, sed etiam Vmbros agro pellunt: intra Appenninum tamen sese tenuere. Tum Senones recentissimi aduenarum ab Vsente flumine vsque ad Athesim fines habuere. hanc gentem Clusium Romámque inde venisse comperio: id parum certum est, solemne,
F an omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adiutam. Clusini nouo bello exterriti, cum multitudinem, tum formas hominum inusitatas cernerent, & genus armorum, audiréntque sæpe ab iis cis Padum, vltraque legiones Hetruscorum fusas: quanquam aduersus Romanos nullum eis ius societatis amicitiæve erat, nisi quod Veientes consanguineos aduersus populum Romanum non defendissent, legatos Romam, qui auxilium ab senatu peterent, misere. De auxilio nihil impetratum. legati tres M. Fa-
G bij Ambusti filij missi, qui senatus populique Romani agmine agerent cum Gallis, ne à quibus nullam iniuriam accepissent, socios populi Romani atque amicos oppugnarent, Romanis eos bello quoque, si res cogat, tuendos esse: sed melius visum bellum ipsum amoueri, si posset, & Gallos nouam gentem pace potius cognosci quàm armis. Mitis legationi, ni præferoces legatos, Gallisque magis quã Romanis similes habuisset. quibus, postquam mandata ediderunt in concilio Gallorum, datur responsum: Etsi no-

uum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes esse, quorum auxilium à Clusinis in re trepida sit imploratum. & quoniam legatione aduersus se maluerint, quam armis tueri socios, ne se quidem pacem, quam illi afferant, aspernari, si Gallis egentibus agro, quem latius possideant quàm colant Clusini, partem finium concedant: aliter pacem impetrari non posse. & responsum coram Romanis se accipere velle, & si negetur ager, coram iisdem Romanis dimicaturos, vt nuntiare domum possint, quantum Galli virtute ceteros mortales præstarent. Quodnam id ius esset, agrum à possessoribus petere, aut minari arma. Romanis quærentibus, ecquid in Hetruria rei Gallis esset? cum illi se in armis ius ferre, & omnia fortium virorum esse, ferociter dicerent: accensis vtrinque animis ad arma discurritur, & prælium conseritur. ibi, iam vrgentibus Romanam vrbem fatis, legati contra ius gentium arma capiunt, nec id clam esse potuit, cùm ante signa Hetruscorum tres nobilissimi fortissimíque Romanæ iuuentutis pugnarent. tantum eminebat peregrina virtus. quin etiam Q. Fabius euectus extra aciem equo, ducem Gallorum ferociter in ipsa signa Hetruscorum incursantem, per latus transfixum hasta occidit, spoliáque eius legentem Galli agnouere, pérque totam aciem Romanum legatum esse, signum datum est. Omissa inde in Clusinos ira receptui canunt, minantes Romanis. Erant qui extemplo Romam eundum censerent. vicere seniores, vt legati prius mitterentur questū iniurias, postulatúmque, vt pro iure gentium violato Fabii dederentur. Legati Gallorum cum ea, sicut erant mandata, exposuissent, senatui nec factum placebat Fabiorum, & ius postulare barbari videbantur: sed ne id quod placebat, decerneret, in tantæ nobilitatis viris ambitio obstabat. itaque ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum reiiciunt. vbi tanto plus gratia atque opes valuere, vt quorum de pœna agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur. quo facto, haud secus quam dignum erat, infensi Galli, bellum propalam minantes, ad suos redeunt. Tribuni militum cū tribus Fabiis creati, P. Sulpitius Longus, Q. Seruilius quartum, P. Seruilius Maluginensis. Cùm tanta moles mali instaret (adeo occæcat animos fortuna, vbi vim suam ingruentem refringi non vult) ciuitas quæ aduersus Fidenatem ac Veientem hostem, aliosque finitimos populos vltima experiens auxilia, dictatorem multis tempestatibus dixisset: ea tunc inusitato atque inaudito hoste ob Oceano terrarúmque vltimis oris bellum ciente, nihil extraordinarij imperij aut auxilij quæsiuit. Tribuni, quorum temeritate bellum contractum erat, summæ rerum præerant: delectúmque nihilo accuratiorem, quam ad media bella haberi solitus erat, extenuantes etiam famam belli habebant. Interim Galli, postquam accepere vltro honorem habitum violatoribus iuris humani, elusamque suam legationem esse, flagrantes ira, cuius impotens est gens, confestim signis conuulsis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum cum exterritæ vrbes ad arma concurrerent, fugáque agrestium fieret, Romam se ire magno clamore significabant: quacunque ibant, equis, virisque longè ac latè fuso agmine immensum obtinentes loci. Sed antecedente fama, nuntiisque Clusinorū, deinceps inde aliorum populorum, plurimū terroris Romam celeritas hostium tulit, quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto ægre ad vndecimū lapidé

A occursum est, qua flumen Allia Crustuminis mōtibus præalto defluens alueo, haud multum infra viā Tyberino amni miscetur. Iam omnia contra circáque hostium plena erant, & nata in vanos tumultus gens, truci cantu clamoribusque variis horrendo cuncta compleuerant sono. Ibi tribuni militum non loco castris ante capto, non præmunito vallo, quo receptus esset, non deorum saltem, si non hominum, memores, nec auspicato, nec litato instruunt aciem diductam in cornua, ne circumueniri multitudine hostium possent, nec tamen æquari frontes B poterant, cum extenuando, infirmam, & vix cohærentem mediam aciem haberent. paulum erat ab dextera editi loci, quem subsidiariis repleri placuit. Eáque res vt initium pauoris ac fugæ, sic vna salus fugientibus fuit. nam Brennus regulus Gallorum in paucitate hostium artem maximè timens, ratus ad id captum superiorem locum, vt vbi Galli cum acie legionum recta fronte concurrissent, subsidia in auersos transuersosque impetum darent, ad C subsidiarios signa conuertit: si eos loco depulisset, haud dubius facilem in æquo campi tantùm superanti multitudine victoriam fore. adeo non fortuna modo, sed ratio etiam cum barbaris stabat. In altera acie nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites erat. pauor fugáque occupauerat animos, & tanta hominum obliuio, vt multo maior pars Veios in hostium vrbem, cum Tyberis arceret, quam recto itinere Romam ad coniuges ac liberos fugerent. Parum per subsidiarios tutatus est locus. In D reliqua acie simul est clamor proximis ab latere, vltimis ab tergo auditus, ignotum hostem prius pene quam viderent, non modo non tentato certamine, sed ne clamore quidem reddito, integri intactique fugerunt. nec vlla cædes pugnantium fuit. Terga cæsa suomet ipsorum certamine in turba impedientium fugam. Circa ripam Tyberis, quo armis totum sinistrum cornu defugit, magna strages facta est: multosque imperitos nandi, aut inualidos, graues loricis, aliísque tegminibus, hausere E gurgites. Maxima tamen pars incolumis Veios perfugit, vnde non modo præsidij quicquam, sed ne nuntius quidem Cladis Romam est missus. Ab dextro cornu, quod procul à flumine, & magis sub mōte steterat, Romam omnes petiere, & ne clausis quidem portis vrbis in arcem confugerunt. Gallos quoque velut obstupefactos miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit; & ipsi pauore defixi primum steterunt, velut ignari quid accidisset: deinde insidias vereri: postremo cæsorum spolia legere, F armorúmque cumulos, vt mos eis est, coaceruare. Tum demum postquam nihil vsquam hostile cernebatur, viam ingressi, haud multo ante Solis occasum ad vrbem Romam perueniunt. vbi cum prægressi equites, non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris, retulissent: aliquid priori simile miraculum eos sustinuit: noctémque veriti, & ignotæ situm vrbis. inter Romam atque Anienem consedere, exploratorib. missis circa mœnia, aliásque portas, quænam hostib. in G perdita re cōsilia essent. Romani, cùm pars maior ex acie Veios petiisset quàm Romam, nec superesse quemquam præter eos qui Romam refugerant, credere, complorati omnes pariter viui mortuique totá prope vrbem lamentis impleuerunt. Priuatos deinde luctus stupefecit publicus pauor, postquá hostes adesse nuntiatum est. Mox vlulatus cantusque dissonos vagantib. circa mœnia turmatim barbaris audiebant. omne inde tempus suspēsos ita tenuit animos vsque ad lucem alteram, vt identidem iam in vrbem

futurus

futurus videretur impetus primo aduentu, quo accesserant ad vrbem. mansuros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilij foret. deinde sub occasum solis, quia haud multum diei supererat, ante noctem rati se inuasuros: tum in noctem dilatum consilium esse, quo plus pauoris inferrent. postremo lux appropinquans examinare, timorique perpetuo ipsum malum continens fuit, cum signa infesta portis sunt illata. nequaquam tamen ea nocte, neque insequenti die similis illi, quæ ad Alliam tam pauide fugerat, ciuitas fuit. nam cum defendi vrbem posse tam parua relicta manu spes nulla esset, placuit cum coniugib. ac liberis iuuentutem militarem, senatusque robur in arcem Capitoliumque conscendere, armisq; & frumento collatis, ex loco inde munito deos hominésque & Romanum nomen defendere: flaminem, sacerdotésque Vestales sacra publica à cæde, ab incendiis procul auferre, nec ante deseri cultum eorum, quàm non superessent qui colerent. Si arx, Capitoliumque sedes deorum, si senatus caput publici consilij, si militaris iuuentus superfuerit imminenti ruinæ vrbis, facilem iacturam esse seniorum, relictæ in vrbe vtiq; perituræ turbæ. Et quod id æquiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales, consularésque simul se cum illis palam dicere obituros: nec his corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, oneraturos inopiam armatorum. Hæc inter seniores morti destinatos iactata solatia. Versæ inde adhortationes ad agmen iuuenum, quos in Capitolium atque in arcem prosequebantur, commendantes virtuti eorum iuuentæque vrbis per trecentos sexaginta annos omnib. bellis victricis, quæcunque reliqua esset, fortunam. Digredientibus, qui spem omnem atque opem secum ferebant, ab iis qui captæ vrbis non superesse statuerant exitio, cùm ipsa res speciésque miserabilis erat, tum muliebris fletus & concursatio incerta nũc hos nunc illos sequentium, rogitantiumque viros natósque, cui se fato darent: nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant. magna pars tamen earum in arcem suos persecutæ sunt, nec prohibente vllo, nec vocante: quia quod vtile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat. Alia maximè plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumenti poterat, ex vrbe effusa velut agmine iã vno petiit Ianiculum. Inde pars per agros dilapsi, pars vrbes petunt finitimas, sine vllo duce, aut consensu, suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequẽtes. Flamen interim Quirinalis, virginésque Vestales omissa rerum suarum cura, quæ sacrorum secum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asseruaturus custodia esset, optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, vbi nunc despui religio est, defodere. Cetera inter se onere partito ferunt via, quæ sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo cliuo eas cum L. Albinus de plebe Romana homo conspexisset, plaustro coniugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quæ inutilis bello vrbe excedebat, saluo etiam tum discrimine diuinarum humanarumque rerum, irreligiosũ ratus sacerdotes publicos sacráq; populi Romani pedibus ire, ferriq; ac se ac suos in vehiculo conspici, descendere vxorem ac pueros iussit, virgines sacráque in plaustrum imposuit, & Cære, quò iter sacerdotibus erat, peruexit. Romæ interim satis iam omnibus, vt in tali re, ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domos regressa, aduentum hostium obstinato ad mortem animo exspectabat. Qui eorum

A curules gesserat magistratus, vt in fortunæ pristinæ honorumque aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est thensas ducentibus triumphantibúsve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Sunt qui M. Fabio pontifice maximo præfante carmen, deuouisse eos se pro patria Quiritibúsque Romanis tradant. Galli, & quia interposita nocte à contentione pugnæ remiserant animos, & quod nec in acie ancipiti vsquam certauerant prælio, nec tum impetu aut vi capiebant vrbem,
B sine ira, sine ardore animorum ingressi, postero die vrbem patente Collina porta in forum perueniunt, circumferentes oculos ad templa deûm, arcémque solam belli speciem tenentem. inde modico relicto præsidio, ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret, dilapsi ad prædam vacuis occursu hominum viis, pars in proximo quæque tectorum agmine ruunt: pars vltima, velut ea demum intacta & referta præda, petunt. inde rursus ipsa solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet,
C in forum ac propinqua foro loca conglobati redibant: vbi eos, plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, maior prope cunctatio tenebat aperta quàm clausa inuadendi. Adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros, præter ornatum habitumque humano augustiorem, maiestate etiam, quàm vultus grauitásque oris præ se ferebat, simillimos diis. Ad eos velut simulcra versi cum starent, M. Papyrius vnus ex his dicitur Gallo barbam suam, vt tum o-
D mnibus promissa erat, permulcenti scipione eburneo in caput incusso iram mouisse: atque ab eo initium cædis ortum: ceteros in sedibus suis trucidatos. Post principum cædem nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis iniici ignes. Ceterum seu non omnibus delendi vrbem libido erat, seu ita placuerat principibus Gallorum, & ostentari quædam incendia terroris caussa, si compelli ad deditionem caritate ædium suarum obsessi possent: & non omnia concremari tecta, vt quodcunque superesset
E vrbis, id pignus ad flectendos hostium animos haberent: nequaquam perinde atque in capta vrbe, prima die aut passim, aut late vagatus est ignis. Romani ex arce plenam hostium vrbem cernentes, vagósque per vias omnes cursus, cum alia atque alia parte noua aliqua clades oriretur, non mentibus solum concipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant. quocunq; clamor, sonitus hostiũ, mulierum, puerorúmq; ploratus, sonitus flammæ, & fragor ruentium tectorum auertisset, pauentes ad
F omnia animos oráque & oculos flectebant, velut ad spectacum à fortuna positi occidentis patriæ, nec vllius rerum suarum relicti præterquam corporum vindices: tanto ante alios miserandi magis, qui vnquam obsessi sunt, quod inter clusi à patria obsidebantur, omnia sua cernentes in hostium potestate. Nec tranquillior nox diem tam fœde actum excepit. Lux deinde noctem inquietam insecuta est. nec vllum erat tempus, quod à nouæ semper cladis alicuius spectaculo cessaret. nihil tamen tot one-
G rati atque obruti malis flexerunt animos, quin etsi omnia flammis ac ruinis æquata vidissent, quamuis inopem paruumque, quem tenebant, collem libertati relictum virtute defenderent: & iam cum eadem quotidie acciderent, velut assueti malis abalienauerant ab sensu rerum suarum animos, arma tantum, ferrumque in dextris velut solas reliquias spei suæ intuentes. Galli quoque per aliquot dies in tecta modo vrbis nequicquam bello gesto, cum inter incendia ac ruinas captæ vrbis nihil superesse præ-

Ardeam legati ad Camillum: Veios eum perduxere: ſeu quod magis credere libet, non prius profectum ab Ardea, quàm comperit legem latam. quod nec iniuſſu populi mutari finibus poſſet, nec niſi dictator dictus auſpicia in exercitu habere, lex curiata lata eſt, dictatorque abſens dictus. Dum hęc Veiis agebantur, interim arx Romę, Capitoliumque in ingenti periculo fuit. namque Galli, ſeu veſtigio notato humano quà nũtius à Veiis peruenerat, ſeu ſua ſpõte animaduerſo ad Carmentis ſaxum aſcenſu æquo, nocte ſubluſtri cũ primo inermẽ, qui tẽtaret viã, pręmiſiſſent, tradentes inde arma, vbi quid iniqui eſſet alterni innixi, ſubleuantéſque inuicem, & trahentes alij alios, prout poſtularet locus, tanto ſilentio in ſummum euaſere, vt non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne canes quidem ſollicitũ animal ad nocturnos ſtrepitus excitarent. Anſeres non fefellere, quibus ſacris Iunoni in ſumma inopia cibi tamen abſtinebatur. quæ res ſaluti fuit. namque clangore eorum, alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante conſul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis ſimul ad arma ceteros ciens vadit: & dum ceteri trepidant, Gallum, qui iam in ſummo conſtiterat, vmbone ictum deturbat. cuius caſus prolapſi cum proximos ſterneret, trepidantes alios, armiſque omiſſis ſaxa quibus adhærebant, manibus amplexos trucidat. Iámque & alij congregati telis miſſilibúſque ſaxis proturbare hoſtes ruinaque tota prolapſa acies in præceps deferri. Sedato deinde tumultu, reliquum noctis quantum in turbatis mentibus poterat, cum præteritum quoque periculum ſollicitaret, quieti datum eſt. Luce orta vocatis claſſico ad concilium militibus ad tribunos, cum rectè & perperam facto pretium deberetur: Manlius primum ob virtutem laudatus, donatúſque non ab tribunis ſolum militũ, ſed conſenſu etiam militari: cui vniuerſi ſelibras farris, & quartarios vini ad ædes eius quæ in arce erant, contulerunt: rem dictu paruam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis: cum ſe quiſque victu ſuo fraudans, detractum corpori atque vſibus neceſſariis, ad honorem vnius viri conferret. Tum vigiles eius loci, qua ſe fefellerat aſcendens hoſtis, citati: & cum in omnes more militari ſe animaduerſurum P. Sulpicius tribunus militum pronuntiaſſet, conſentiente clamore militum in vnum vigilem conüicientium culpam, deterritus à ceteris abſtinuit: reum, haud dubium eius noxæ approbantibus cunctis, de ſaxo deiecit. Inde intentiores vtrinque cuſtodiæ eſſe: & apud Gallos, quia vulgatum erat, inter Veios Romámque nuntios commeare: & apud Romanos, ob nocturni periculi memoriam. Sed ante omnia obſidionis bellique mala fames vtrinque exercitum vrgebat: Gallos peſtilentia etiam, cum loco iacente, inter tumulos caſtra habentes tum ab incendiis torrido, & vaporis pleno, cinerémque non puluerem modo ferente, cum quid venti motum eſſet, quorum intolerantiſſima gens eſt, humorique ac frigori aſſueta: cum æſtu & angore vexati, vulgatis veluti in pecora morbis morerentur. Iam pigritia ſingulos ſepeliendi, promiſcuè aceruatos cumulos hominum vrebant; buſtorúmque inde Gallicorum nomine inſignem locum fecere. Induciæ deinde cum Romanis factæ, & colloquia permiſſu imperatorum habita, in quibus cum identidem Galli famem obiicerent, eáque neceſſitate ad deditionem vocarent, dicitur auertendæ eius opinionis cauſſa multis locis panis de Capitolio iactatus eſſe in hoſtium ſtationes. Sed iam neque ferri vltra fames poterat. itaque dũ dictator delectũ per ſe Ardeæ habet, magiſtrũ equitum L. Valerium à Veiis

A abducere exercitum iubet: parat, inſtruitque quibus
haud impar adoriatur hoſtes: interim Capitolinus
exercitus ſtationib. vigiliiſque feſſus, ſuperatis tamẽ
humanis omnibus malis, cum famẽ vnã natura vin-
ci non ſineret, diẽ de die proſpectãs, ecquod auxiliũ
ab dictatore appareret, poſtremò ſpe quoque iam,
non ſolum cibo deficiente, & cum ſtationes proce-
derent propè obruentibus infirmum corpus armis,
vel dedi vel redimi ſe quacunque pactione poſſent,
iuſſit: iactantibus non obſcurè Gallis, haud magna
B mercede ſe adduci poſſe, vt obſidionem relinquant.
Tum ſenatus habitus, tribuniſque militum nego-
tium datum, vt paciſcerentur. Inde inter P. Sulpitium
tribunum militum, & Brennum regulum Gal-
lorum colloquio tranſacta res eſt, & mille pon-
do auri pretium populi gentibus mox impera-
turi factum. Rei fœdiſſimæ per ſe adiecta indigni-
tas eſt. pondera ab Gallis allata iniqua: & tribu-
no recuſante, additus ab inſolente Gallo ponderi
C gladius: auditáque intoleranda Romanis vox, Væ vi-
ctis eſſe. Sed diique & homines prohibuere redem-
tos viuere Romanos. nam forte quadam prius quàm
infanda merces perficeretur, per altercationem non-
dum omni auro appenſo, dictator interuenit: aufer-
rique aurum de medio, & Gallos ſubmoueri iubet.
tum illi renitentes, pactos dicerent ſeſe, negat eam
pactionem ratam eſſe, quæ poſtquam ipſe dictator
creatus eſſet, iniuſſu ſuo ab inferioris iuris magiſtra-
tu facta eſſet: denuntiátque Gallis, vt ſe ad prælium
D expediant: ſuos ad aceruum coniicere ſarcinas, &
arma aptare, ferróque, non auro recuperare patriam
iubet, in conſpectu habentes fana deûm, & coniu-
ges & liberos, & ſolum patriæ deforme belli malis,
& omnia quæ defendi repetique & vlciſci fas ſit. In-
ſtruit deinde aciem, vt loci natura patiebatur, in ſe-
mirutæ ſolo vrbis, & natura inæquali: & omnia quę
arte belli ſecunda ſuis eligi præparatíve poterant,
prouidit. Galli noua re trepidi, arma accipiunt, irá-
que magis quàm conſilio in Romanos incurrunt.
E Iam verterat fortuna iam deorum opes humanáque
conſilia rem Romanam adiuuabant. Igitur primo
concurſu haud maiore momento fuſi Galli ſunt,
quàm ad Alliam vicerant. Iuſtiore altero deinde
prælio ad octauum lapidem Gabina via, quo ſe ex
fuga contulerant, eiuſdem ductu auſpicioque Ca-
milli vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit, caſtra
capiuntur. & ne nuntius quidem cladis relictus. Di-
ctator, recuperata ex hoſtibus patria, triumphans in
F vrbem redit: intérque iocos militares, quos incon-
ditos iaciunt, Romulus ac parens patriæ condi-
torque alter vrbs, haud vanis laudibus appellatur.
Seruatam deinde bello patriam iterum in pace
haud dubiè ſeruauit, cum prohibuit migrari Veios
& tribunis rem intuentius agentibus poſt incenſam
vrbem, & per ſe inclinata magis plebe ad id conſi-
lium. eáque cauſſa fuit non abdicandæ poſt trium-
pham dictaturæ, ſenatu obſecrante, ne rempublicam
in incerto relinqueret ſtatu. Omnium primum, vt
erat diligentiſſimus religionum cultor, quæ ad deos
G immortales pertinebant, retulit: & ſenatuſconſul-
tum facit, fana omnia, quod ea hoſtes poſſediſſent,
reſtituerentur, terminarentur, expiarentúrque, ex-
piatioque eorum in libris, per duumuiros quærere-
tur: cum Ceretibus publicè hoſpitium fieret, quod
ſacra populi Romani ac ſacerdotes recepiſſent, be-
neficioque eius populi non intermiſſus honos de-
um immortalium eſſet: ludi Capitolini fierent, quod
Iupiter optimus maximus ſuam ſedem atque arcem
P.R. in re trepidaturus eſſet: collegiúmque ad eam
rem M. Furius dictator conſtitueret ex iis qui in Ca-

F 5

pitolio, atque arce habitarent. Expiandæ etiam vocis nocturnæ quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum audita, neglectáque esset mentio illata, iussúmque templum in Noua via Locutio fieri. Aurum quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis inter trepidationem in Iouis cellam collatum, cum in quę referri oporteret, confusa memoria esset, sacrum omne iudicatum, & sub Iouis sella poni iussum. Iam ante in eo religio ciuitatis apparuerat, quod cum in publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis conficeret, à matronis collatum acceperant, vt sacro auro abstineretur. Matronis gratię actæ honosque additus, vt earum sicut virorum, post mortem solemnis laudatio esset. His peractis quæ ad deos pertinebant, quæque per senatum agi poterant: tum demum agitantibus tribunis plebem assiduis concionibus, vt relictis ruinis, in vrbem paratam Veios transmigrarent: in concionem vniuerso senatu prosequente ascendit, atque ita verba fecit: Adeo mihi acerbæ sunt Quirites contentiones cum tribunis plebis: vt nec tristissimi exsilij solatium aliud habuerim quo ad Ardeæ vixi, quam quòd procul ab his certaminibus eram: & ob eadem hæc, non, nisi me senatusconsulto populique iussu reuocaretis, rediturus vnquam fuerim: nec nunc me, vt redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna perpulit. quippe vt in sua sede maneret patria, id agebatur: nō vt ego vtique in patria essem. & nunc quiescerem ac tacerem libenter, nisi hæc quoque pro patria dimicatio esset: cui deesse quoad vita suppetat, aliis turpe Camillo etiam nefas est. Quid enim repetiimus? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus, & cum victoribus Gallis capta tota vrbe, Capitolium tamen atque arcem diique & homines Romani tenuerint, habitauerint, victoribus Romanis recuperata vrbe, arx quoque & Capitolium deseretur & plus vastitatis huic vrbi secunda nostra fortuna faciet, quàm aduersa fecerit? Equidem si nobis cum vrbe simul positæ traditæque per manus religiones nullæ essent, tamen tam euidens numen hac tempestate rebus affuit Romanis, vt omnem negligentiam diuini cultus exemtam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res, vel aduersas: inuenietis omnia prospere euenisse sequentibus deos aduersa spernentibus. Iam omnium primum Veiens bellum, per quot annos, quanto labore gestum? non ante cœpit finem, quàm monitu deorum aqua ex lacu Albano emissa est. Quid hæc tandem vrbis nostræ clades noua? num ante exorta est, quam spreta vox cœlo emissa de aduentu Gallorum? quàm gentium ius ablegatis nostris violatum? quàm à nobis, cum vindicari deberet, eadem negligentia deorum prætermissum? Igitur victi, captique ac redemti, tantùm pœnarum diis hominibúsque dedimus, vt terrarum orbi documento essemus, aduersæ deinde res admonuerunt religionum. Confugimus in Capitolium ad eos, ad sedem Iouis optimi maximi. sacra in ruina rerum nostrarum alia terræ celauimus, alia euecta in finitimas vrbes amouimus ab hostium oculis: deorū cultum, deserti ab diis hominibúsque: tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam & victoriam, & antiquum belli decus amissum: & in hostes qui cæci auaritia in pondere auri, fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugámque & cædem. Hęc culti neglectique numinis tanta monimenta in rebus humanis cernentes, ecquid sentitis Quirites, quantum vix dum ex naufragiis prioris culpæ cladísque emergentes paremus nefas? Vrbem auspicato inauguratoque conditam habemus: nullus locus in

A ea non religionū deorūq; est plenus: sacrificiis solemnibus nō dies magis stati quā loca sūt, in quibus fiāt. hos omnes deos publicos priuatosq; Quirites deserturi estis? quā par vestrū factū est, quod in obsidione nuper in egregio adolescēte C. Fabio nō minore hostiū admiratione quàm vestra cōspectum est. cū inter Gallica tela digressus ex arce solemne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit? An gētilitia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra & Romanos deos etiam in pace deseri placet? & pontifices flami-

B nésque negligentiores publicarum religionum esse quàm priuatus in solemni gētis fuerit. Forsitan aliquis dicat, aut Veiis ea nos facturos, aut huc inde missuros sacerdotes nostros, qui faciāt, quorum neutrum fieri saluis ceremoniis potest: & ne omnia generatim sacra, omnésque persenseam deos, in Iouis epulo num alibi, quàm in Capitolio, puluinar suscipi potest? Quid de æternis Vestæ ignibus, signoq; quod imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar? quid de Ancilibus vestris? Mars Gradiue, túque Qui-

C rine pater: hæc omnia in profano deseri placet sacra, æqualia vrbi, quædam vetustiora origine vrbis: videre quid inter nos ac maiores intersit illi sacra quædam in monte Albano Lauinioque nobis facienda tradiderunt. An ex hostium vrbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit, hinc sine piaculo in hostium vrbem Veios transferemus? Recordamini agitedum, quoties sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia casúve prætermissum est. Modo quæ res post prodigium Albani lacus,

D nisi instauratio sacrorum, auspiciorumque renouatio, affectæ Veienti bello reipublicæ remedio fuit? At etiam tanquam veterum religionum memores, & peregrinos deos transtulimus Romam, & instituimus nouos. Iuno regina transuecta à Veiis nuper in Auentino quàm insigni ob excellens matronarum studium, celebrique dedicata est die? Locutio templum propter celestem vocem exauditam in noua via iussimus fieri: Capitolinos ludos solemnibus aliis addidimus: collegiúmque ad id nouum auctore

E senatu condidimus. Quid horum opus fuit suscipi, si vna cum Gallis vrbem Romanam relicturi fuimus? si non voluntate mansimus in capitolio per tot menses obsidionis? si ab hostibus metu retenti sumus? De sacris loquimur, & de templis: quid tandem de sacerdotibus? nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur? Vestalibus nempe vna illa sedes est, ex qua eas nihil vnquam præterquam vrbs capta mouit. Flamini diali noctem vnam manere extra vrbem nefas est: hos Veientes pro Roma-

F nis facturi estis sacerdotes? & Vestales tuæ, te deserent Vesta? & flamen pergere habitando, in singulas noctes tantum sibi reique publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui obliuioni, aut cui negligentiæ damus? Comitia curiata, quæ rem militarem continent: comitia centuriata, quibus consules tribunosque militares creatis: vbi auspicato nisi vbi adsolent fieri possunt? Veiosne hæc transferemus? an comitiorum caussa populus tanto incommodo in

G desertam hanc ab iis hominibúsque vrbem conueniet? Sed res ipsa cogit vastatam incendiis ruinisque relinquere vrbem, & ad integra omnia Veios migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare. Hanc autem iactari magis caussam, quàm veram esse, vt ego non dicam, apparere vobis Quirites puto, qui meministis ante Gallorum aduentum saluis tectis publicis priuatisque, stante incolumi vrbe, hanc eandem rem actam esse, vt Veios transmigraremus. Et videte quantum inter meā sentētiam vestramque inter-

interfit tribuni: vos etiam si tunc faciendum non A fuerit, nunc vtique faciendum putatis: ego contra (nec id mirati sitis priusquam quale sit audieritis) etiam si tunc migrandum fuisset incolumi tota vrbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem: quippe tum caussa nobis in vrbem captam migrandi victoriam esset gloriosa nobis, ac posteris nostris: nunc hęc migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. non enim reliquisse victores, sed amisisse victi patriam videbimur. hoc ad Alliam fuga, hoc capta vrbs, hoc circumsessum Capitolium necessitatis imposuisse, vt desereremus penates nostros, exsiliumque B ac fugam nobis ex eo loco consciisceremur, quem tueri non possemus? & Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non videbuntur potuisse? Quid restat, nisi vt si iā nouis copiis veniant (cōstat.n. vix credibilem multitudinē esse) & habitare in capta ab se, deserta à vobis hac vrbe velint, sinatis? Quid si non Galli hoc, sed veteres hostes vestri, Æqui, Volscive faciant, vt comigrent Romam? velitisne illos Romanos, vos Veientes esse? non malitis hanc solitudinem vestram quàm vrbem hostium esse? Non equidem video quid magis nefas sit. Hæc C scelera, quia piget ædificare, hęc dedecora pati parati estis? Si tota vrbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit, quàm casa illa conditoris est nostri, non in casis ritu pastorum agrestiumque habitare est satius, inter sacra penatesque vestros, quàm exsulatum publicè ire? Maiores nostri conuenæ, pastorésque cum in his locis nihil præter syluas paludésque esset, nouam vrbem tam breui ædificarunt, nos Capitolio, arce incolumi, stantibus templis deorum, ædificare incensam piget? & quod singuli facturi fuimus, si ædes nostræ deflagrassent, hoc in pu- D blico incendio vniuersi recusamus facere? Quid tandem si fraude, si casu Veiis incendium ortum sit ventoque (vt fieri potest) diffusa flamma magnam partem vrbis absumat: Fidenas inde, aut Gabios, aliámve quàm vrbem quæsituri sumus. quò transmigremus? adeo nihil tenet solum patrię nec hęc terra quam matrem appellamus, sed in superficie tignisq. caritas nobis patrię pendet? equidem fatebor vobis etsi minus iniuriæ vestræ quàm meæ calamitatis meminisse iuuat: cum abessem, quotiescunque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles campique & Tyberis, & assueta oculis regio E & hoc cęlum, sub quo natus educatusque essem. quę vos Quirites nunc moueant potius caritate sua, vt maneatis in sede vestra, quam postea cum reliqueritis, ea macerent desiderio. Non sine caussa dij homine̋sque hunc vrbi condendæ locum elegerunt saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classiū externarū: regionū Italiæ medium, ad incrementum vrbis natum vnice locum. argumento est ipsa magnitudo tam nouæ vrbis: trecentesimus sexagesimus quintus annus vrbis Quirites agitur. inter tot veterrimos populos tandiu bella geritis, cum interea, ne singulas loquar vrbes non coniuncti cum Æquis Volsci, tot tam valida oppida non vniuersa Hetruria tantum terra marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par est. Quod cum ita sit (quæ malum) ratio est expertis alia experiri, cum iam vt virtus vestra transire aliò possit, fortuna certe loci huius transferri hinc non possit? Hic Capitolium est, vbi quondam capite humano inuento responsum est, eo loco caput rerum summámque imperij fore. hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas Terminúsque maximo gaudio patrum nostrorum moueri se non passi. hic Vestæ ignes, hic Ancilia cœlo demissa, hic omnes propitij manentibus vobis dij. Mouisse eos Camillus cùm alia oratione, tum ea quæ ad religiones pertinebat, maximè dicitur, sed rem dubiam decreuit opportunè vox emissa, quod cum senatus post paulò de his rebus in curia Hostilia haberetur, cohortésque ex præsidiis reuertentes forte agmine forum transirent, centurio in comitio exclamauit: Signifer, statue signum, hic manebimus optimè. Qua voce audita, & senatus accipere se omen ex curia egressus conclamauit, & plebis circumfusa approbauit. Antiqua deinde lege, promiscuè vrbs ædificari cœpta, tegula publicè præbita est: saxi materiæque cædendæ vnde quisque vellet, ius factum, prædibus acceptis eo anno ædificia perfecturos. Festinatio curam exemit vicos dirigēdi, dum omisso sui alienique discrimine, in vacuo ædificant. Ea est caussa, vt veteres cloacæ primo per publicum ductæ, nunc priuata passim subeant tecta: formáque vrbis sit occupatæ magis quàm diuisæ similis.



DECADIS PRIMÆ
LIBER VI.

VÆ ab condita vrbe Roma ad captam eandem vrbem Romani sub regibus primùm, consulibus deinde, ac dictatoribus, decemuirisque ac tribunis consularibus gessere foris bella, domi seditiones, quinque libris exposuit: res cum vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex interuallo loci vix cernuntur: tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuere, vna custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: & quod etiam si quæ in commentariis pontificum, aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa vrbe pleræque interiere. clariora deinceps certioráque ab secunda origine, velut ab stirpibus lætius feraciúsque renatæ vrbis, gesta domi, militiæque exponentur. Ceterum quo primo adminiculo erecta erat, eodem innixa M. Furio principe stetit, neque eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto, passi sunt. Comitia in insequentem annum tribunos habere quorum in magistratu capta vrbs esset, non placuit: res ad interregnum rediit. Cùm ciuitas in opere ac labore assiduo reficiendæ vrbis teneretur: interim Q. Fabio simul primùm magistratu abiit, ab C. Martio tribuno plebis dicta dies est, quod legatus in Gallos, ad quos missus erat orator, contra ius gentium pugnasset, cui iudicio eum mors adeo opportuna, vt voluntariam magna pars crederet, subtraxit. Interregnum iniit tam P. Cornelius Scipio interrex, & post eum M. Furius Camillus iterum. Is tribunos militum consulari potestate creat, A. Valerium Publicolam iterum, L. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Æmylium L. Posthumium. Ii ex interregno cùm extemplò magistratum iniissent, nulla de re priusquam de religionibus senatum consuluere. In primis fœdera ac leges (erant autem eæ duodecim tabulæ, & quædam regiæ leges) cōquiri, quę cōpararēt: iusserunt alia ex eis edita etiam in vulgus. quæ autem ad sacra pertinebant, à pontificibus maxime, vt religione obstrictos habe-

rent, multitudinis animos, suppressa. Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diemque ad XV. Calendas Sextiles duplici clade insignem; quo die ad Cremeram Fabij cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœde pugnatum: à posteriore clade Alliensem appellarunt, insignémque rei nulli publicè priuatimque agendæ fecerunt. Quidam quod postridie Idus Quintiles non litasset Sulpitius Tribunus militum, neque inuenta pace deûm post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus reb. diuinis supersederi iussum: inde vt postridie Calendas quoque ac Nonas eadem religio esset traditum putant. Nec diu licuit quietis cõsilia erigendæ ex tam graui casu Reipubl. secum agitare. Hinc Volsci veteres hostes ad extinguendum nomen Romanum arma ceperant: Hinc Hetruriæ principum ex omnibus populis coniurationem de bello ad fanum Voltumnæ factam, mercatores afferebant. Nouus quoque terror accesserat defectione Latinorum Hernicorúmque, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum, nunquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant. Itaque cum tanti vndique terrores circumstarent, apparerétque omnibus non odio solum apud hostes, sed contemptu etiam inter socios nomen Romanum laborare: placuit eiusdem auspiciis defendi rempublicam cuius recuperata esset: dictatorémque dici M. Furium Camillum. is dictator C. Seruilium Halam magistrum equitum dixit: iustitioque indicto, delectum iuniorum habuit: ita vt seniores quoque quibus aliquid roboris superesset, in verba sua iuratos centuriaret. Exercitum conscriptum, armatúmque trifariam diuisit: partem vnam in agro Veiente Hetruriæ opposuit: alteram ante vrbem castra locare iussit: tribunus militum his A. Manlius, illis qui aduersus Hetruscos mittebantur, L. Æmylius præpositus. tertiam partem ipse ad Volscos duxit: nec procul ab Lanuuio (ad Metiũ is locus dicitur) castra oppugnare est adortus. quibus ab contemtu, quod prope omnem deletam à Gallis Romanam iuuentutem crederent, ad bellum profectis tantùm Camillus auditus imperator terroris intulerat, vt vallo seipsi vallum congestum arboribus sepirent, ne quà intrare ad munimenta hostis posset. Quod vbi animaduertit Camillus, ignem in obiectam sepem coniici iussit. & fortè erat vis magna venti versa in hostem, itaque non aperuit solum incendio viam, sed flammis in castra tendentibus, vapore etiam ac fumo, crepitúque viridis materiæ flagrantis, ita consternauit hostes, vt minor moles superantibus vallum in castra Volscorum Romanis fuerit, quàm transcendentibus sepem incendio absumtam fuerat. Fusis hostibus, cæsisque cum castra impetu cepisset dictator, prædam militi dedit, quo minus speratam à minimè largitore duce eò militi gratiorem. Persecutus deinde fugientes, cum omnem Volscum agrum depopulatus esset, ad deditionem Volscos septuagesimo demum anno subegit. Victor ex Volscis in Æquos transiit, & ipsos bellum molientes, exercitum eorum ad Bolas oppressit: nec castra modo, sed vrbem etiam aggressus, impetu primo cepit. Cum in ea parte, in qua caput rei Romanæ Camillus erat, ea fortuna esset, aliam in partem terror ingens ingruerat. Hetruria prope omnis armata Sutrium socios populi Romani obsidebat, quorum legati opem rebus affectis orantes, cum senatum adissent, decretum tulere, vt dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret. cuius spei moram cùm pati fortuna obsessorum non potuisset: confectáque paucitas oppidanorum opere,

A vigiliis, vulneribúsque, quæ semper eosdem vrgebant, per pactionem vrbe hostibus tradita, inermes cum singulis emissis vestimentis, miserabili agmine penates relinquerent: eo fortè tempore Camillus cum exercitu Romano interuenit. Cui cum se mœsta turba ad pedes prouoluisset, principúmque orationem necessitate vltima expressam fletus mulierum ac puerorum, qui exsilij comites trahebantur, excepisset: parcere lamentis Sutrinos iussit: Hetruscis se luctum lacrymásque ferre. Sarcinas inde deponi, B Sutrinosque ibi considere modico præsidio relicto arma secum militem ferre iubet. ita expedito exercitu profectus ad Sutrium, id quoque rebatur, soluta omnia rebus (vt fit) secundis inuenit: nullam stationem ante mœnia, patentes portas, victorem vagum prædam ex hostium tectis egerentem. Iterum igitur eodem die Sutrium capitur: victores Hetrusci passim trucidantur ab nouo hoste, neque se conglobandi, coeundique in vnum, aut arma capiendi datur spa- C tium. cum pro se quisque tenderent ad portas, si quà fortè se in agros eiicere possent, clausas (id enim primum dictator imperauerat) portas inueniunt. Inde alij arma capere, alij quos fortè armatos tumultus occupauerat, conuocare suos, vt prælium inirent quod accensum ab desperatione hostium fuisset, ni præcones per vrbem dimissi poni arma & parci inermi iussissent, nec præter armatos quenquam violari. Tum etiam quibus animi in spe vltima obstinati ad decertandum fuerant: postquam data spes D vitæ est, iactare passim arma: inermésque quod tutius fortuna fecerat, se hosti offerre. Magna multitudo in custodias diuisa: oppidum ante noctem redditum Sutrinis inuiolatũ, integrúmq; ab omni clade belli, quia non vi captum, sed traditum per conditiones fuerat. Camillus in vrbem triumphans rediit, trium simul bellorum victor. longè plurimos captiuos ex Hetruscis ante currum duxit. quibus sub hasta venundatis, tantum æris redactum est vt pretio pro auro matronis persoluto, ex eo quod supererat, tres E pateræ aureæ factæ sint: quas cum titulo nominis Camilli ante Capitolium incensum in Iouis cella constat ante pedes Iunonis positas fuisse. Eo anno in ciuitatem accepti, qui Veientium Capenatiúmque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agérque is nouis ciuibus assignatus. Reuocati quoque in vrbem Senatusconsulto à Veiis, qui ædificandi Romæ pigritia, occupatis ibi vacuis tectis Veios se contulerant, & primo fremitus fuit asper- F nantium imperium: dies deinde præstituta, capitalisque pœna, qui non remigrasset Romam, ex ferocibus vniuersis singulos metu suo quenque obediẽtes fecit. Et Roma cum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere ædificiis: & republica impensas adiuuante, & ædibus velut publicum exigentibus opus, & ipsis priuatis (admonebat enim desiderium vsus) festinantibus ad effectum operis. intráque annum noua vrbs stetit. Exitu anni comitia tribunorũ militum consulari potestate habita. Creati T. Quintius Cincinnatus, Q. Seruilius Fidenas quintum, Iu- G lius Tullus, L. Apuilius Coruus, L. Lucretius Tricipitinus, Seruus Sulpitius Rufus. Exercitum alterum in Æquos, non ad bellum (victos namque se fatebantur) sed ab odio ad peruastandos fines, ne quid ad noua consilia relinquerent virium, duxere. alterum in agrum Tarquiniensem, ibi oppida Hetruscorum Cortuosa & Contenebra vi capta, dirutáque. Ad Cortuosam nihil certaminis fuit improuisa adorti, primo clamore atque impetu cepere, direptum oppidum atque incensum est. Contenebra paucos dies oppugnationem sustinuit, laborque continuus non die

A non die, non nocte remissus, subegit eos. Cum in sex partes diuisus exercitus Romanus senis horis in orbem succederet prælio, oppidanos eosdem integro semper certamini paucitas fessos obiiceret: cessere tandem, locúsque inuadendi vrbem Romanis datus est. Publicari prædam tribunis placebat, sed imperium quàm consilium segnius fuit. dum cunctantur, iam militum præda erat, nec nisi per inuidiam adimi poterat. Eodem anno, ne priuatis tantum operibus cresceret vrbs, Capitolium quoque saxo quadrato substructum est, opus vel in hac magnificentia vrbis B conspiciendum. Iam & tribuni plebis, ciuitate ædificando occupata, conciones suas frequentare legibus agrariis conabantur. ostentabatur in spem Pomptinus ager, tum primum post accisas à Camillo Volscorum res possessionis haud ambiguæ. Criminabantur multo eum infestiorem agrum ab nobilitate esse, quàm à Volscis fuerit. Ab illis enim tantum, quoad vires, & arma habuerunt, incursiones eò factas: nobiles homines in possessionem agri publici grassari. nec nisi antequam omnia præripiant, diui- C sus sit, locum ibi plebi fore. Haud magnopere plebem mouerant, & infrequentem in foro propter ædificandi curam, & eandem exhaustam impensis, eoque agri immemorem, ad quem instruendum vires non essent. In ciuitate plena religionum, tum etiam ab recenti clade superstitiosis principibus, vt renouarentur auspicia, res ad interregnum rediit, interreges deinceps, M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpitius Camerinus, L. Valerius Potitus. hic demum tribunorum militum consulari potestate comitia habuit. D L. Papyrium, Cn. Sergium, L. Æmylium iterum, L. Licinium, M. Menenium, L. Valerium Publicolam tertium, creat. Hi ex interregno magistratum occepere. Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata est à T. Quintio duumuiro sacris faciundis. Tribus quatuor ex nouis ciuibus additæ, Stellatina, Pomptina, Sabatina, Arniensis: eæque triginta quinque tribuum numerum expleuere. De agro Pomptino ab L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorē iam populum, mobiliorémque ad cupiditatem agri E quàm fuerat. Et de Latino Hernicoque bello mentio facta in senatu, maioris belli cura, quod Hetruria in armis erat, dilata est. Res ad Camillum tribunum militum consulari potestate rediit: collegæ additi quinque Sergij. Cornelius Maluginensis, Q. Seruilius Fidenas sextum, L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Puluillus, P. Valerius. principio anni auersæ curæ hominum sunt à bello Hetrusco, quod fugientium ex agro Pomptino agmen repente illatū in vrbem attulit, Antiates in armis esse, Latinorúmq; F populos iuuentutem suam misisse ad id bellum, eo abnuentes publicum fuisse consilium: quod nō prohibitos tantummodo voluntarios dicerent militare vbi vellent. Desierant iam vlla contemni bella. Itaque senatus diis agere gratias, quòd Camillus in magistratu esset: dictatorem quippe dicendum eum fuisse, si priuatus esset: & collegæ fateri regimen omnium rerum, vbi quid bellici terroris ingruat, in viro vno esse: sibique destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium: nec quicquam de maiestate sua detractum credere, G quod maiestati eius viri concessissent. Collaudatis ab senatu tribunis, & ipse Camillus confusus animo gratias egit. Ingēs inde ait onus à populo Romano sibi, qui se dictatorem iam quartum creasset, magnū à senatu talibus de se iudiciis eius ordinis, maximum tam honoratorum collegarum obsequio iniungi. itaque si quid laboris vigiliarumque adiici possit, certantem secum ipsum annisurum, vt tanto de se consensu ciuitatis, opinionem, quæ maxima sit, etiam constantem efficiat. Quod ad id bellum atque Antiates attineat, plus ibi minarum, quàm periculi esse: se tamen vt nihil timendi, sic nihil contemnendi auctorem esse. Circumsederi vrbem Romanam ab inuidia & odio finitimorum: itaque & ducibus pluribus & exercitibus ad administrandam rēp. opus esse. Te inquit, P. Valeri socium imperij consiliique legiones mecum aduersus Antiatem hostē ducere placet: te Q. Seruili altero exercitu instructo paratoque in vrbe castra habere, intentum, siue Hetruria se interim, vt nuper, siue noua hæc cura, Latini atq. Hernici mouerint. pro certo habeo ita rem gesturum, vt patre, auo, téque ipso, ac sex tribunatibus dignum est. tertius exercitus ex caussariis senioribusque à L. Quintio scribatur, qui vrbi mœnibusque præsidio sit. L. Horatius arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poscent, prouideat. Te Sergi Corneli, præsidem huius publici consilij, custodem religionum, comitiorum, legū, rerum omnium vrbanarum, collegæ facimus. Cunctis in partes muneris sui benignè pollicentibus operam, Valerius socius imperij lectus adiecit M. Furium sibi pro dictatore, séque ei pro magistro equitum futurum: proinde quam opinionem de vnico imperatore, eam spem de bello haberent. Se verò bene sperare patres & de bello & de pace, vniuersáque respub. erecti gaudio fremunt: nec dictatore vnquam opus fore reipub. si tales viros in magistratu habeat tam concordibus iunctos animis, parere atque imperare iuxta paratos, laudémque conferentes potius in medium, quàm ex communi ad se trahentes. Iustitio indicto, delectúq; habito, Furius ac Valerius ad Satricum profecti: quò non Volscorum modò iuuentutem Antiates ex noua sobole lectam, sed ingentem Latinorum Hernicorúmque conciuerant ex integerrimis diutina pace populis. Itaque nouus hostis veteri adiunctus, commouit animo militis Romani. Quod vbi aciem iam instruenti Camillo centuriones renuntiauerunt, turbatas militum mentes esse: segniter arma capta, cunctabundosque & resistentes egressos castris esse: quin voces quoque auditas, cum centenis hostibus singulos pugnaturos: & ægrè inermem tantam multitudinem, nedum armatam sustineri posse: in equum insilit, & antè signa obuersus in aciem, ordines interequitans: Quæ tristitia milites hæc, quæ insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis est: quid aliud, quàm perpetua materia virtutis gloriæque vestræ? Vos contra, me duce (vt Falerios Veiosque captos, & in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam) modo tergeminæ victoriæ triplicem triumphum ex his Volscis & Æquis, & ex Hetruria egistis. An me, quod non dictator vobis, sed tribunus signum dedi non agnoscitis ducem? neque ego maxima imperia in vos desidero: & vos in me nihil præter me ipsum intueri decet. neque enim dictatura mihi vnquam animos fecit, vt ne exsilium quidem ademit. Iidem igitur omnes sumus: & cum eadem omnia in hoc bellum afferamus, quæ in priora attulimus, eundem euentum belli exspectemus. simul cōcurreritis, quod quisque didicit ac consueuit, faciet: vos vincetis, illi fugient. Dato deinde signo, ex equo desilit: & proximum signiferum manu arreptum secum in hostem rapit: Infer miles, clamitans, signum. Quod vbi videre, ipsum Camillum iam ad munera corporis senecta inualidum vadentem in hostes, procurrunt pariter omnes clamore sublato, Sequere imperatorem, pro se quisque clamantes. Emissum etiam signum Camilli iussu in hostium aciem ferunt: idque vt repeteretur, concitatos antesignanos. Ibi primum pul-

ſum Antiatem, terroremque, non in primam tantum aciem, ſed etiam ad ſubſidiarios perlatum. Nec vis tantum militum mouebat, excitata præſentia ducis, ſed quod Volſcorum animis nihil terribilius erat, quàm ipſius Camilli fortè oblata ſpecies: ita quocunque ſe intuliſſet, victoriam ſecum haud dubiam trahebat. maximè id euidens fuit, cum in læuũ cornu prope iam pulſum, arrepto repente equo cum ſcuto pedeſtri aduectus conſpectu ſuo prælium reſtituit, oſtentans vincentem ceteram aciem. Iam inclinata res erat, ſed turba hoſtium & fuga impediebat, & longa cæde conficienda multitudo tanta feſſo militi erat: cum repente ingentibus procellis fuſus imber certam magis victoriam quàm prælium diremit. Signo deinde receptui dato, nox inſecuta quietis Romanis perfecit bellum. Latini namque & Hernici relictis Volſcis domos profecti ſunt, malis conſiliis pares adepti euentus. Volſci vbi ſe deſertos ab eis videre, quorum fiducia rebellauerant: relictis caſtris, mœnib. Satrici ſe includunt, quos primo Camillus vallo circumdare, & aggere atque operibus oppugnare eſt adortus. Quę poſtquam nulla eruptione impediri videt, minus eſſe animi ratus in hoſte, quàm vt in eo tam lentæ ſpei victoriam exſpectaret: cohortatus milites, ne tanquam Veios oppugnantes in opere longinquo ſeſe tererent, victoriam in manibus eſſe: ingenti militum alacritate mœnia vndiq. aggreſſus, ſcalis oppidum cepit. Volſci abiectis armis ſeſe dediderũt. Ceterũ animus ducis rei maiori Antio imminebat id caput Volſcorum eam fuiſſe originem proximi belli. Sed quia niſi magno apparatu, tormentis machiniſque tam valida vrbs capi non poterat: relicto ad exercitum collega Romam eſt profectus, vt Senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter ſermonem eius (credo rem Antiatem diuturniorem manere diis cordi fuiſſe) legati ab Nepete ac Sutrio auxilium aduerſus Hetruſcos petentes veniunt breuem occaſionem eſſe ferendi auxilij memorantes. eò vim Camilli ab Antio fortuna auertit. Namque cum ea loca oppoſita Hetruriæ: & velut clauſtra inde portæque eſſent: & illis occupandi ea, cum quid noui molirentur, & Romanis recuperandi tuendique cura erat. Igitur ſenatui cum Camillo agi placuit, vt omiſſo Antio bellum Hetruſcum ſuſciperet. Legiones vrbanæ, quibus Quintius præfuerat, ei diſcernuntur. quanquam expertum exercitum aſſuetúmque imperio, qui in Volſcis erat, mallet, nihil recuſauit Valerium tantũmodo imperij ſocium depopoſcit. Quintius, Horatiúſque ſucceſſores Valerio in Volſcis miſſi. Profecti ab vrbe Sutrium Furius & Valerius, partem oppidi iam captam ab Hetruſcis inuenere: ex parte altera interſeptis itineribus ægre oppidanos vim hoſtium ab ſe arcentes tum Romani auxilij aduentus, tum Camilli nomen celeberrimum apud hoſtes ſocioſque, & in præſentia rem inclinatam ſuſtinuit, & ſpatium ad opem ferendam dedit. Itaque diuiſo exercitu Camillus collegam eam in partem circumductis copiis quam hoſtes tenebant, mœnia aggredi iubet: non tanta ſpe ſcalis capi vrbem poſſe, quàm vt auerſis eò hoſtibus, & oppidanis iam oppugnando feſſis, laxaretur labor, & ipſe ſpatium intrandi ſine certamine mœnia haberet. Quod cum ſimul vtrinque factum eſſet, ancépſque terror Hetruſcos circumſtaret, & mœnia eſſe hoſtem viderent, porta ſe, quæ vna fortè non obſidebatur, trepidi vno agmine eiecere. Magna cædes fugientium & in vrbe & per agros eſt facta. plures à Furianis intra mœnia cæſi: Valeriani expeditiores ad perſequendos fuere: nec ante noctem quæ conſpectum ademit, finem cædendi fecere. Su-

A trio recepto, reſtitutoq; ſociis, Nepetē exercitus ductus, quod per deditionem acceptum iam totum Hetruſci habebant: Videbatur plus in ea vrbe recipienda laboris fore, non in eo ſolùm, quod tota hoſtium erat, ſed etiam quod parte Nepeſinorum prodente ciuitatem facta erat, deditio. mitti tamen ad principes eorum placuit, vt cecernerent ſe ab Hetruſcis, fidémque quam implorâſſent ab Romanis, ipſi præſtarent. Vnde cum reſpõſum allatum eſſet, nihil ſuæ poteſtatis eſſe: Hetruſcos mœnia, cuſtodiáſque portarum tenere: primo populationibus
B agri terror eſt oppidanis ad motus: deinde poſtquam deditionis quàm ſocietatis fides ſanctior erat, faſcibus ſarmẽtorũ ex agro collatis ductus ad mœnia exercitus, completiſque foſſis ſcalæ admotæ, & clamore primo impetúque oppidum capitur. Nepeſinis inde edictum vt arma ponant, parcique iuſſum inermi. Hetruſci pariter armati atque inermes cæſi. Nepeſinorum quoque auctores deditionis ſecuri percuſſi: innoxiæ multitudini redditæ res, oppidúmque
C cum præſidio relictum. Ita duabus ſociis vrbibus ex hoſte receptis, victorem exercitum tribuni cum magna gloria reduxerunt. Eodem anno ab Latinis Hernicíſque res repetitæ, quæſitúmq; cur per eos annos militem ex inſtituto non dediſſent? Reſpõnſum frequenti vtriuſque gentis conſilio eſt, nec culpam in eo publicam, nec conſilium fuiſſe, quod ſuæ iuuentutis aliqui apud Volſcos militauerint: eos tamen ipſos, praui conſilij pœnam habere, nec quenquam ex his reducem eſſe. militis autem non dati cauſſam,
D terrorem aſſiduum à Volſcis fuiſſe: quam peſtem adhærentẽ lateri ſuo tot ſuper alia aliis bellis exhauriri nequiſſe. Quæ relata patribus magis tempus quàm cauſſam nõ viſa belli habere. inſequenti anno A. Manlio, P. Cornelio, T. & L. Quintiis Capitolinis, L. Papyrio Curſore II. tribun. conſulari poteſtate, graue bellum foris, grauior domi ſeditio exorta: bellum à Volſcis, adiuncta Latinorum atque Hernicorum defectione: ſeditio, vnde minimè timeri potuit, à patriæ gentis viro, & inclytæ famæ, M. Mã-
E lio Capitolino: qui nimius animis, cum alios principes ſuſferret vni inuideret, eximio ſimul honoribus atque virtutibus M. Furio, ægrè ferebat, ſolum cum in magiſtratibus, ſolùm apud exercitus eſſe: tantum iam eminere, vt iiſdem auſpiciis creatos, non pro collegis, ſed pro miniſtris habeat: cùm interim, ſi quis verè æſtimare velit, à Marco Furio recuperari patria ex obſidione hoſtium non potuerit, niſi à ſe prius Capitolium atque arx ſeruata eſſet: & ille inter aurum accipiendum, & ſpem pacis ſo-
F lutis animis Gallos aggreſſus ſit, ipſe armatos capientéſque arcem depulerit: illius gloriæ pars virilis apud omnes milites ſit, qui ſimul vicerint, ſuæ victoriæ neminem omnium mortalium ſocium eſſe. His opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenij vehemens & impotens, poſtquam inter patres non quantum æquum cenſebat, excellere ſuas opes animaduertit: primum omnium ex patribus popularis factus, cum plebeiis magiſtratibus cõſilia communicare, criminando patres, alliciẽdo ad ſe plebem
G iam aura, non conſilio ferri, famæque magnæ malle quàm bonæ eſſe: & non contentus agrariis legibus, quæ materia ſemper tribunis plebis ſeditionum fuiſſet, idem moliri cœpit. Acriores quippe æris alieni ſtimulos eſſe, qui non egeſtatem modo atque ignominiam minentur, ſed metuo ac vinculis corpus liberum territent: & erat æris alieni magna vis, res damnoſiſſima etiam diuitibus ædificando contracta. Bellum itaque Volſcum graue per ſe, oneratum Latinorum atque Hernicorum defectione, in ſpe-

ciem caussæ iactatum, vt maior potestas quæreretur.
sed noua consilia Manlij magis compulere senatum
ad dictatorem creandum. Creatus A. Cornelius Cos-
sus magistrum equitum dixit T. Quintium Capi-
tolinum. Dictator etsi maiorem dimicationem pro-
positam domi quàm foris cernebat: tamen seu quia
celeritate ad bellum opus erat, seu victoria trium-
phoque dictaturæ ipsi vires se additurũ ratus, delectu
habito in agrum Pomptium, quo à Volscis exer-
citum indictum audierat, pergit. Non dubito præter
satietatem tot iam libris assidua bella cum Volscis
gesta legentibus, illud quoque succursurum quod
mihi percensenti propiores temporibus harum re-
rum auctores miraculo fuit, vnde toties victis Vol-
scis & Æquis suffecerint milites. Quod cum ab an-
tiquis tacitum prætermissúmque sit: cuius tandem
ego rei præter opinionem, quæ sua cuique conie-
ctanti esse potest, auctor sim? Simile veri est, aut in-
teruallis bellorũ, sicut nũc in delectibus fit Romanis,
alia atque alia sobole iuniorum ad bella instaurãda
toties vsos esse: aut non ex iisdem semper populis e-
xercitus scriptos, quanquam eadem semper gens
bellum intulerit: aut innumerabilem multitudinem
liberorum capitum in eum fuisse locis, quę nunc vix
seminario exiguo militum relicto, seruitia Romana
ab solitudine vindicant. Ingens certè (quod inter o-
mnes auctores conueniat) quanquam nuper Camilli
ductu atque auspicio accisæ res erant. Volscorum
exercitus fuit. Ad hoc Latini Hernicique accesserãt,
& Circeiensium quidam & coloni etiam à Velitris.
Romanus dictator castris eo die positis, postero cum
auspicato prodisset, hostiáque cæsa pacem deûm ado-
rasset, lætus ad milites iam arma ad propositum pu-
gnæ signum sicut edictum erat, luce prima capientes
processit: nostra victoria est milites, inquit, si quid dij
vatésque eorum in futurum vident. Itaque vt decet,
certæ spei plenos, & cum imparibus manus conser-
turos pilis ante pedes depositis, gladiis tantum dex-
tram armemus: ne procurri quidem ab acie velim,
sed obnoxios vos stabili gradu impetum hostium
excipere. vbi illi vana iniecerint missilia, & effusi
stantibus vobis se intulerint, tum micent gladij, &
veniat in mentem vnicuique deos esse, qui Romanũ
adiuuent: deos, qui secundis auibus in prælium mi-
serint. Tu Quinti equitem intentus ad primum ini-
tium moti certaminis teneas: vbi hærere iam aciem
collato pede videris, tum terrorem equestrem occu-
patis alio pauore infer: inuectúsque ordines pugnã-
tium dissipa. Sic eques, sic pedes, vt præceperat pu-
gnant. Nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem.
Multitudo hostium nulli rei præterquam numero
freta, & oculis vtramque metiens aciem, temerè
prælium iniit, temerè omisit: clamore tantum, missi-
libúsque telis, & primo pugnæ impetu ferox, gladios
& collatum pedem & vultum hostis ardore animi
micantem ferre non potuit. Impulsa frons prima, &
trepidatio subsidiis illata, & suum terrorem intulit
eques. rupti inde multis locis ordines, motáq; omnia
& fluctuanti similis acies erat. deinde postquam ca-
dentibus primis iam ad se quisque peruenturam
cædem cernebat, terga vertunt. Instare Romanus: &
donec armati confertique abibant, peditum labor in
persequendo fuit. Postquam iactari arma passim, fu-
gáque per agros spargi aciẽ hostium animaduersum
est, tum equitum turmæ emissæ, dato signo ne in
singulorum morando cæde, spatium ad euadendum
interim multitudini darent: satis esse missilib. ac ter-
rore impediri cursum, obequitandoque agmen te-
neri, dum assequi pedes, & iusta cæde conficere ho-
stem posset. Fugæ sequendique non ante noctem

A finis fuit: capta quoque ac direpta eodem die castra
Volscorum, prædáque omnis, præter libera corpora,
militi cõcessa est. Pars maxima captiuorum ex Lati-
nis atque Hernicis fuit, nec hominũ de plebe, vt cre-
di posset mercede militasse, sed principes quidam
iuuentutis inuenti, manifesta fides, publica ope Vol-
scos hostes adiutos. Circeiensium quoque quidam
cogniti, & coloni à Velitris: Romámque omnes
missi: percunctantibus primoribus patrum, eadem,
quæ dictatori, defectionem sui quisque populi haud
B perplexè indicauere. Dictator exercitum in statiuis
tenebat, minimè dubiis, bellum cum his populis pa-
tres iussuros: cum maior domi exorta moles, coegit,
acciri Romam eum, gliscente in dies seditione
quam solito magis metuendam auctor faciebat. Nõ
enim iam orationes modò M. Manlij, sed facta po-
pularia in speciem, tumultuosa eadem, qua mente
fierent, intuenda erant. Centurionem nobilem mi-
litaribus factis, iudicatum pecuniæ cum duci vidis-
C set, medio foro cum caterua sua accurrit, & manum
iniecit: vociferatúsque de superbia patrum, ac crude-
litate fœneratorum, & miseriis plebis, virtutibus e-
ius viri, fortunáque: tum verò ego, inquit, nequic-
quam hac dextra Capitolium arcémque seruauerim,
si ciuem commilitonémque meum, tanquam Gallis
victoribus captum, in seruitutem ac vincula du-
ci videam. Ideo rem creditori palàm populo sol-
uit, libráque & ære liberatum emittit, deos at-
que homines obtestantem, vt M. Manlio liberatori
D suo parenti, plebis Romanæ, gratiam referant. Ac-
ceptus extemplò in tumultuosam turbam & ipse tu-
multum augebat, cicatrices acceptas Veienti, Galli-
co, aliisque deinceps bellis ostentans: se militantem,
se restituentem euersos penates, multiplici iam sor-
te exsoluta, mergentibus semper sortem vsuris, ob-
rutum fœnore esse: videre lucem, forum, ciuium o-
ra, M. Manlij opera: omnia parentum beneficia ab
illo se habere: illi deuouere corporis vitæque ac
sanguinis quod supersit: quodcunque sibi cum pa-
E tria, penatibus publicis ac priuati iuris fuerit, id cũ
vno homine esse. His vocibus instincta plebes, cum
iam vnius hominis esset, addita alia commotionis
ad omnia turbanda consilij res. Fundum in Veienti,
caput patrimonij, subiecit præconi. Ne quem vestrũ,
inquit, Quirites, donec quicquam in re mea super-
erit, iudicatum, addictúmve duci patiar. Id verò ita
accendit animos, vt per omne fas ac nefas secuturi
vindicem libertatis viderentur. Ad hoc domi con-
F cionantis in modum sermones pleni criminum in
patres: inter quos cum omisso discrimine vera an
vana iaceret, thesauros Gallici auri occultari à pa-
tribus iecit: nec iam possidendis publicis agris cõ-
tentos esse, nisi pecuniam quoque publicam auer-
tant: ea res si palàm fiat, exsolui plebem ære alieno
posse. Quæ vbi obiecta spes est, enimuero indignum
facinus videri, cum conferendum ad redimendam
ciuitatem à Gallis aurum fuerit, tributo collationẽ
factam: idem aurum ex hostibus captum, in pauco-
rum prædam cessisse. Itaque exsequebantur quęrẽdo,
G vbi tantæ rei furtum occultaretur: differentéque, &
tempore suo se indicaturum dicente, ceteris omis-
sis eò versæ erant omnium curæ: apparebátque nec
veri indicij gratiam mediam, nec falsi offensionem
fore. Itaque suspensis rebus dictator accitus, ab ex-
ercitu in vrbem venit. Postero die senatu habito, cũ
satis periclitatus voluntates hominum discedere se-
natum ab se vetuisset: stipatus ea multitudine, sella
in comitio posita, viatorem ad M. Manlium misit;
qui dictatoris iussu vocatus, cum signum suis dedis-
set adesse certamen, agmine ingenti ad tribunal ve-

A nit. Hinc senatus, hinc plebs suum quisque intuētes ducem velut in acie constiterant. Tum dictator silentio facto, Vtinam, inquit, mihi patribúsque Romanis ita de ceteris rebus cum plebe conueniat, quemadmodum quod ad te attinet, cámque rem quam de te sum quæsiturus, conuenturum satis confido. spem factam à te ciuitati video, fide incolumi, ex thesauris Gallicis, quos primores patrum occultent, creditam solui posse: cui ego rei tantum abest vt impedimento sim, vt contrà te M. Manlij adhortor, liberes fœnore plebem Romanam: & istos B incubantes publicis thesauris, ex præda clandestina euoluas. Quod nisi facis, siue vt & ipse in parte prædæ sis, siue quia vanum iudiciū est, in vincla te duci iubebo, nec diutius patiar à te multitudinem fallaci spe concitari. Ad ea Manlius nec se fefellisse ait, non aduersus Volscos toties hostes, quoties patribus expediat: nec aduersus Latinos Hernicósque, quos falsis criminibus in arma agant, sed aduersus se ac plebem Romanam dictatorem creatum esse. iam C omisso bello, quod simulatum sit, in se impetum fieri: iam dictatorem profiteri patrocinium fœneratorum aduersus plebem: iam sibi ex fauore multitudinis crimen & perniciem quæri. Offendit, inquit, te A. Corneli, vósque patres conscripti, circumfusa turba lateri meo? quin eam diducitis à me singuli vestris beneficiis, intercedendo, eximendo de nervo ciues vestros: prohibendo iudicatos addictósque duci ex eo quod affluit, opibus vestris sustinendo necessitates aliorum? Sed quid ego vos de ve-D stro impendatis hortor? sortem aliam ferte, de capite deducite quod vsuris pernumeratum est: iam nihilo mea turba, quàm vllius conspectior erit. At enim quid ita solus ego ciuium curam ago? Nihilo magis quod respondeam habeo, quàm si quæras, quid ita solus Capitolium arcémque seruarim. & tum vniuersis quàm potui opem tuli, & nunc singulis feram. Nam quod ad thesauros Gallicos attinet, rem suapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. Cur enim quæritis quod scitis? cur quod in sinu vestro E est, excuti iubetis potius quam ponatis? nisi aliqua fraus subest. quo magis argui præstigias iubetis vestras, eo plus vereor ne abstuleritis obseruantibus etiam oculis. Itaque non ego vobis vt indicem prædas vestras, sed vos id cogendi estis, vt in medium proferatis. Cum mittere ambages dictator iuberet, & aut peragere verum iudicium cogeret, aut fateri facinus insimulati falso crimine senatus, oblatæque vani furti inuidiæ: negantem arbitrio inimicorum se locuturum, in vincula duci iussit. Arreptus à viatore, F Iupiter, inquit, optime maxime, Iunoque regina, ac Minerua, ceterique dij deæque, qui Capitolium arcémque incolitis, siccine vestrum militem ac præsidem sinitis vexari ab inimicis? Hæc dextra, qua Gallos fudi à delubris vestris, iam in vinculis & catenis erit? Nullius nec oculi nec aures indignitatem ferebant, sed inuicta sibi quædam patientissima iusti imperij ciuitas fecerat, nec aduersus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant. Coniecto in carcerem Manlio G satis constat magnam partem plebis vestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse, obseruatámque vestibulo carceris mœstam turbam. Dictator de Volscis triumphauit, inuidiæque magis triumphus quàm gloriæ fuit: quippe domi non militiæ partum eum: actúmque de ciue non de hoste fremebant. vnum defuisse tantum superbiæ quod aruis non M. Manlius ante currum sit ductus. Iamque haud procul seditione res erat: cuius leniendæ caussa, postulante nullo largitor voluntarius repentè senatus factus, Satricum coloniam duo millia ciuium Romanorum deduci iussit. Bina iugera & semisses agri assignati. Quod cum & paruum, & paucis datum, & mercedem esse prodendi M. Manlij interpretarentur, remedio irritatur seditio. & iam magis insignis sordibus & facie reorum turba Manliana erat: amotúsque post triumphum abdicatione dictaturæ terror & linguam & animos liberauerat hominum. Audiebantur itaque propalàm voces exprobrantium multitudini, quod defensores suos in præcipitem semper locum fauore tollat, deinde in ipso discrimine periculi destituat. sic Sp. Cassium in agros plebem vocantem, sic Sp. Melium ab ore ciuium famem suis impensis propulsantem, oppressos: sic M. Manlium mersam & obrutam fœnore partem ciuitatis in libertatem ac lucem extrahentem, proditum inimicis. saginare plebem populares suos, vt iugulentur. Hoccine patiendum fuisse, si ad nutum dictatoris non responderit vir consularis? fingerent mentitum ante, atque ideo non habuisse quod tum responderet: cui seruo vnquam mendacij pœnam vincula fuisse? Non obseruatam esse memoriam noctis illius quæ pene vltima atque æterna nomini Romano fuerit? non speciem agminis Gallorum per Tarpeiam rupem scandentis? non ipsius M. Manlij, qualem eum armatum, plenum sudoris ac sanguinis, ipso pene Ioue erepto ex hostium manibus, vidissent? Selibris ne farris gratiam seruatori patriæ relatam? & quem prope cœlestem, cognomine certe Capitolino Ioui parem fecerint, eum pati vinctum in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? Adeò in vno omnibus satis auxilij fuisse, nullam opem in tam multis vni esse? Iamne nocte quidem turba ex eo loco dilabebatur, refracturos carcerem minabantur: cum remisso, id quod erepturi erant, ex senatusconsulto Manlius vinculis liberatur. Quo facto, non seditio finita, sed dux seditioni datus est. Per eosdem dies Latinis & Hernicis, simul colonis Circeiensib. & à Velitris purgantibus se Volsci crimine belli, captiuósque repentibus, vt suis legibus in eos animaduerterent, tristia responsa reddita tristiora colonis, quod ciues Romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia inissent. Non negatum itaque tantum de captiuis: sed in quo ab sociis tamen temperauerant, denuntiatum senatus verbis, facesserent propere ex vrbe, ab ore atque oculis populi Romani ne nihil eos legationis ius, externo non ciui comparatum, tegeret. Recrudescente Manliana seditione sub exitu anni comitia habita creatique tribuni militum consulari potestate, Serg. Cornelius Maluginensis secundum, P. Valerius Potitus iterum, M. Furius Camillus quintum, Seruius Sulpicius Ruffus iterum, C. Papyrius Crassus, T. Quintius Cincinnatus secundum. Cuius principio anni & patribus & plebi peropportunè externa pax data: Plebi, quod non auocata delectu spem cepit, dum tam potentem haberet ducem, fœnoris expugnandi: patribus, ne quo externo terrore auocarentur animi ab sanandis domesticis malis. Igitur cum pars vtraque acrior aliquanto coorta esset, iam in propinquum certamen aderat: & Manlius aduocata domum plebe, cum principibus nouandarum rerum interdiu noctúque consilia agitat, plenior aliquanto animorum irarúmque quàm antea fuerat. Iram accenderat ignominia recens in animo ad contumeliam inexperto: spiritus dabat quod nec ausus esset idem in se dictator, quod in Sp. Melio Cincinnatus Quintius fecisset: & vinculorum

fuerunt

ſuorum inuidiam non dictator modò abdicando di-
ctaturam fugiſſet, ſed ne ſenatus quidem ſuſtinere
potuiſſet. His ſimul inflatus exacerbatúſque, iam per
ſe accenſos incitabat plebis animos: Quouſque
tandem ignorabitis vires veſtras, quas natura ne
belluas quidem ignorare voluit? Numerate ſaltem
quot ipſi ſitis, quot aduerſarios habeatis? ſi ſinguli
ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen acrius crederem
vos pro libertate, quàm illos pro dominatione certa-
turos. Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis pa-
tronos, tot nunc aduerſus vnum hoſtem eritis. O-
ſtendite modo bellum, pacem habebitis. Videant
vos paratos ad vim, ius ipſi remittent. Audendum
eſt aliquid vniuerſis, aut omnia ſingulis patienda.
Quouſque me circumſpectabitis? Ego quidem nulli
veſtrûm deero. ne fortuna mea deſit, videte. Ipſe
vindex veſter vbi viſum inimicis eſt, nullus repente
fui: & vidiſtis in vincula duci vniuerſi eum qui à ſin-
gulis vobis vincula depuleram. Quid ſperem, ſi plus
in me audeant inimici? an exitum Caſſij Meliíque
exſpectem? Bene facitis quod abominamini, dij pro-
hibebunt hæc: ſed nunquam propter me de cœlo de-
ſcendent. vobis dent mentem oportet, vt prohibea-
tis: ſicut mihi dederunt armato rogatoque, vt vos à
barbaris hoſtibus à ſuperbis defenderem ciuibus.
Tam paruus animus tanti populi eſt, vt ſemper vo-
bis auxilium aduerſus inimicos ſatis ſit? nec vl-
lum, niſi quatenus imperari vobis ſinatis, certamen
aduerſus patres noritis. Nec hoc natura inſitum vo-
bis eſt, ſed vſu poſſidemini. cur enim aduerſus exter-
nos tantum animorũ geritis, vt imperare illis æquũ
cenſeatis, quia conſueſtis cum eis pro imperio cer-
tare, aduerſus hoc tentare magis quàm tueri liber-
tatem. Tamen qualeſcunque duces habuiſtis, qua-
leſcunque ipſi fuiſtis, omnia adhuc quantacum-
que petiſtis, obtinuiſtis, ſeu vi, ſeu fortuna ve-
ſtra. vnde tempus eſt etiam maiora conari. Experimi-
ni modo & veſtram felicitatem, & me (vt ſpero) feli-
citer expertum, minore negotio qui imperet patrib.
imponetis, quàm qui reſiſterent imperantibus, im-
poſuiſtis. Solo æquandæ ſunt dictaturæ conſulatúſ-
que, vt caput attollere Romana plebs poſſit. Proin-
de adeſte, prohibete ius de pecuniis dici. Ego me pa-
tronum profiteor plebis, quod mihi cura mea & fi-
des nomen induit. Vos ſi quo inſigni magis imperij
honoriſve nomine veſtrum appellabitis ducem, eo
vtemini potentiore ad obtinenda ea quæ vultis. In-
de de regno agendi ortum initium dicitur: ſed nec
cum quibus, nec quem ad finem conſilia peruene-
rint, ſat planum, traditur. At in parte altera ſenatus
de ſeceſſione in domum priuatam plebis, fortè e-
tiam in arce poſitam, & imminenti mole libertati a-
gitat. magna pars vociferantur. Seruilio Hala opus
eſſe, qui non in vincula duci iubendo irritet publi-
cum hoſtem, ſed vnius iactura ciuis finiat inteſtinũ
bellum. decurritur ad leniorem verbis ſententiam,
vim tamen eandem habentem, vt videant magiſtra-
tus, ne quid ex pernicioſis conſiliis M. Manlij reſpu-
blica detrimenti capiat. Tum Tribuni conſulari po-
teſtate, tribuníque plebis (nam & quia eundem &
ſuæ poteſtatis, quem libertatis omnium finem cer-
nebant, patrum auctoritati ſe dediderant) hi tum o-
mnes quid opus facto ſit, conſultant. Cùm præter
vim & cædem nihil cuiquam occurreret, eam autem
ingentis dimicationis fore appareret: tum M. Me-
nenius & Q. Publius tribuni plebis: Quid patrum &
plebis certamen facimus, quod ciuitatis eſſe ad-
uerſus vnum peſtiferum ciuem debet? quid cum
plebe aggredimur eum, quẽ per ipſam plebẽ tutius
aggredi eſt, vt ſuis ipſe oneratus viribus ruat? Diem

A dicere ei, nobis in animo eſt. Nihil minus populare
quam regnum eſt. Simul multitudo illa non ſecum
certari viderint, & ex aduocatis iudices facti erunt,
& accuſatores de plebe, patricium reum intuebun-
tur, & regni crimen in medio: nulli magis quàm li-
bertati fauebunt ſuæ. Approbantibus cunctis, diem
Manlio dicunt quod vbi eſt factum, primo com-
mota plebs eſt, vtique poſtquam ſordidatum reum
viderunt: nec cum eo non modo patrum quenquam,
ſed ne cognatos quidem aut affines, poſtremo ne fra-
B tres quidem A. & T. Manlios: quod ad eum diem
nunquam vſu veniſſet, vt in tanto diſcrimine non
& proximi veſtem mutarent. Appio Claudio in vin-
cula ducto, C. Claudium inimicum, Claudiámque
omnem gentem ſordidatam fuiſſe. conſenſu opprimi
popularem virum, quod primus à patribus ad ple-
bem defeciſſet. Cum dies venit; quæ præter cœtus
multitudinis, ſeditioſaſque voces, & largitionem, &
fallax indicium, pertinentia proprie ad regni cri-
men, ab accuſatoribus obiecta ſint reo, apud nemi-
C nem auctorem inuenio, nec dubito haud parua fuiſ-
ſe, cum damnandi mora plebi non in cauſſa, ſed in
loco fuerit. Illud notandum videtur, vt ſciant ho-
mines, quæ & quanta decora, fœda cupiditas regni,
non ingrata ſolum, ſed inuiſa etiam reddiderit: ho-
mines prope CCCC. produxiſſe dicitur, quibus
ſine fœnore expenſas pecunias tuliſſet, quorum bo-
na venire, quos duci addictos prohibuiſſet, ad hæc
decora quoque belli non commemoraſſe tantum,
ſed protuliſſe etiam conſpiciẽda, ſpolia hoſtium cæ-
D ſorum ad XXX. dona imperatorum ad XL. in qui-
bus inſignes duas murales coronas, ciuicas octo ad
hæc ſeruatos ex hoſtib. ciues produxiſſe, inter quos
C. Seruilium magiſtrum equitum abſentem nomi-
natum. & cum ea quoque quæ bello geſta eſſent, pro
faſtigio rerum oratione etiam magnifica, facta di-
ctis æquando, memoraſſet: nudaſſe pectus inſigne ci-
catricibus bello acceptis, & identidem Capitolium
ſpectans, Iouem deoſque alios deuocaſſe ad auxi-
lium fortunarum ſuarum: precatuſque eſſe, vt quam
mentem ſibi Capitolinam arcem protegenti ad ſa-
E lutem populi Romani dediſſent, eam populo Ro-
mano in ſuo diſcrimine darent: & oraſſe ſingulos
vniuerſoſque vt Capitolium atque arcem intuentes,
vt ad deos immortales verſi de ſe iudicarent. In
campo Martio, cum centuriatim populus citaretur,
& reus ad Capitolium manus tendens, ab hominib.
ad deos preces áuertiſſet: apparuit tribunis, niſi ocu-
los quoque hominum liberaſſent à tanti memoria
decoris, nunquam fore in præoccupatis beneficio a-
F nimis vero crimini locum, ita producta die in Pete-
linum lucum extra portam Flumentanam, vnde cõ-
ſpectus in Capitolium non eſſet, conciliũ populi in-
dictum eſt. Ibi crimen valuit, & obſtinatis animis tri-
ſte iudicium, inuiſúmque etiam iudicibus factũ. Sũt
qui duumuiros, qui de perduellione anquirerent,
creatos, auctores ſint. damnatum tribuni de ſaxo
Tarpeio deiecerunt: locúſque idem in vno homine
& eximiæ gloriæ monimentũ, & pœnæ vltimæ fuit.
Adiectæ mortuo notæ ſunt. publica vna, quod cum
G domi eius fuiſſet, vbi nunc ædes atque officina Mo-
netæ eſt, latum ad populũ eſt, ne quis patritius in ar-
ce aut Capitolio habitaret. Gẽtilitia altera quod gẽ-
tis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis deinde M.
Manlius vocaretur. Hunc exitum habuit vir, niſi in
libera ciuitate natus eſſet, memorabilis. Populũ bre-
ui poſtquam periculum ab eo nullum erat, per ſe i-
pſas recordantem virtutes, deſiderium eius tenuit.
Peſtilentia etiam breui conſecuta, nullis occurren-
tib. tantæ cladis cauſſis, ex Manliano ſupplicio ma-

gnæ parti videri orta. violatum Capitolium esse sanguine seruatoris. nec diis cordi fuisse pœnam eius oblatam prope oculis suis, à quo sua templa erepta è manib. hostium essent. Pestilentiam, inopiam frugum, & vulgatam vtriusque mali famam, anno insequente multiplex bellum excepit, L. Valerio IIII. A. Mālio III. Ser. Sulpitio III. L. Lucretio, L. Æmylio III. M. Trebonio, tribunis militū consulari potestate: hostes noui præter Volscos velut sorte quadā prope in æternum exercendo Romano militi datos, Circeiosque & Velitras colonias iam diu molientes defectionem, & suspectum Latium, Lanuuini etiam (quæ fidelissima vrbs fuerat) subito exorti. Id patres rati contemtu accidere, quòd Veliternis ciuib. suis tamdiu impunita defectio esset, decreuerūt, vt primo quoque tempore ad populum ferretur de bello eis indicendo. ad quam militiam quo paratior plebs esset, quinqueuiros Pomtino agro diuidendo, & triumuiros Nepete coloniæ deducendæ creauerunt. Tum vt bellum iuberent, latum ad populum est, & nequicquam dissuadentibus tribunis plebis, omnes tribus bellū iusserunt. Apparatū eo anno bellum est, exercitus propter pestilentiam non eductus: eáque cunctatio colonis spatium dederat deprecandi senatum: & magna hominum pars eo, vt legatio supplex Romam mitteretur, inclinabat: ni priuato (vt fit) periculo publicum implicitum esset, auctorésque defectionis ab Romanis metu ne soli crimini subiecti, piacula iræ Romanorum dederentur, auertissent colonias à consiliis pacis. neque in senatu solum per eos legatio impedita est, sed magna pars plebis incitata, vt prædatum in agrum Romanum exirent. hæc noua iniuria exturbauit omnem spem pacis. De Prænestinorum quoque defectione eo anno primum fama exorta: arguentibusque eos Tusculanis, & Gabinis, & Lauicanis, quorum in fines incursatum erat, ita placidè ab senatu responsum est, vt minus credi de criminibus, quia nollent ea vera esse, appareret. Insequenti anno Sp. & L. Papyrij noui tribuni militum consulari potestate Velitras legiones duxere, quatuor collegis Ser. Cornelio Maluginense IIII. Q. Seruilio, C. Sulpitio, L. Æmylio quartum, tribunis ad præsidium vrbis, & si qui ex Hetruria noui motus nuntiarentur (omnia enim inde suspecta erant) relictis. Ad Velitras aduersus maiora pene auxilia Prænestinorum, quam ipsam colonorum multitudinem, secundo prælio pugnatum est: ita, vt propinquitas vrbis hosti & caussa maturioris fugæ, & vnū ex fuga receptaculum esset. Oppidi oppugnatione tribuni abstinuere, quia & anceps erat, nec in perniciem coloniç pugnandum censebant. Literæ Romam ad senatum cum victoriæ nuntiis acriores in Prçnestinum quam in Veliternum hostem missæ. Itaque ex senatusconsulto, populique iussu bellum Prænestinis iunctum: qui coniuncti Volscis anno insequente Satricum coloniam populi Romani pertinaciter à colonis defensam, vi expugnarunt, fœdéque in captis exercuere victoriam. Eam rem ægre passi Romani, M. Furium Camillum VII. tribunum militum creauere. additi collegæ A. & L. Posthumij Regillenses, ac L. Furius cū L. Lucretio, & M. Fabio Ambusto: Volscum bellum M. Furio extra ordinem decretum. adiutor in tribunis sorte L. Furius datur, non tam è repub. quàm vt collegæ materia ad omnē laudem esset: & publice, quod rem temeritate eius prolapsam restituit: & priuatim, quod ex errore gratiam potius eius sibi quàm suam gloriam petiit. Exactæ iā ætatis Camillus erat: comitiisq; iurare parato in verba excusandæ valetudini solita, consensus populi restiterat, sed vegetum ingenium in viuido pectore vigebat, viresque integris sensibus, & ciuiles iam res haud magnopere obeuntem bella excitabant. Quatuor legionibus quaternûm millium scriptis, exercitu indicto ad portam Esquilinam in posteram diem, ad Satricum profectus. ibi eum expugnatores coloniæ haud quaquam perculsi, fidentes militum numero, quo aliquantum præstabant, opperiebantur. postquam appropinquare Romanos senserunt, extemplo in aciem procedunt, nihil dilaturi quin periculū summæ rerum facerent. ita paucitati hostium nihil artes imperatoris vnici, quib. solis confiderét, profuturas esse. Idem ardor & in Romano exercitu erat, & in altero duce: nec præsentis dimicationis fortuna vlla res, præterquam vnius viri cōsilium atque imperium morabatur, qui occasionē iuuandarum ratione virium trahendo bello quærebat. eo magis hostis instare: nec iam pro castris tantum suis explicare aciem, sed procedere in medium campi, & vallo prope hostium signa inferendo, superbam fiduciam virium ostentare. Id ægre patiebatur Romanus miles: multo ægrius alter ex tribunis militum L. Furius, ferox cum ætate & ingenio, tum multitudinis ex incertissimo sumentis animos, spe inflatus. hic per se iam milites incitatos insuper instigabat eleuando, quam vna poterat, ætate auctoritatem collegæ: iuuenibus bella data dictitans, & cum corporibus vigere & deflorescere animos, cunctatorem ex acerrimo bellatore factum: & qui adueniens castra vrbésque primo impetu capere sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere: quid accessurum suis, decessurúmve hostium viribus sperantem? quam occasionem? quod tempus? quem insidiis instruentem locum? frigere ac torpere senis consilia, sed Camillo tum vitæ satis, tum gloriæ esse. quid attinere cum mortali corpore vno, ciuitatis, quam immortalem esse deceat, pati consenescere vires? His sermonibus tota in se auerterat castra. & cùm omnibus locis posceretur pugna: Sustinere, inquit, M. Furi, non possumus militum impetum: & hostis, cuius animos cunctando auximus, iam minimè toleranda superbia insultat. Cede vnus omnibus, & patere te vinci consilio, vt maturius bello vincas. Ad ea Camillus: Quæ bella suo vnius auspicio gesta ad eam diem essent, negare in eis neque se, neque populum Romanum aut consilij sui, aut fortunæ pœnituisse: nunc scire se collegam habere iure imperióque parem, vigore ætatis præstantem. itaque se quod ad exercitum attineat, regere consuesse, non regi. collegæ imperium se non posse impedire. diis bene iuuantibus ageret, quod republica duceret. ætati suæ se veniam etiam petere, ne in prima acie esset. quæ senis munia in bello sint, iis se non defuturum. Id à diis immortalibus precari, ne qui casus suum consilium laudabile efficiat. Nec ab hominibus salutaris sententia, nec à diis tam piæ preces auditæ sunt. Primam aciem auctor pugnæ instruit, subsidia. Camillus firmat, validámque stationem pro castris opponit. ipse edito loco spectator intentus in euentu alieni consilij constitit. Simul primo concursu concrepuere arma, hostis dolo, non metu pedem retulit. Lenis à tergo cliuus erat inter aciem & castra: & quod multitudo suppeditabat, aliquot validas cohortes in castris armatas instructásque reliquerant, quæ inter commissum iam certamen, vbi vallo approquinquasset hostis, erumperent. Romanus cedentem hostem effuse sequendo, in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit. versus itaque in victorem terror & nouo hoste, & supina valle Romanam inclinauit aciem. Instant

Volsci

Volsci recentes, qui è castris impetum fecerant: integrant & illi pugnam, qui simulata cesserant fuga. Iam non recipiebat se Romanus miles, sed immemor recentis ferociæ, veterisque decoris terga passim dabat, atque effuso cursu castra repetebat: cum Camillus sublatus à circunstantibus in equum, & raptim subsidiis oppositis: Hæc est, inquit, milites pugna quam poposcistis? Quis homo, quis deus est, quem accusare possitis? vestra illa temeritas, vestra ignauia hæc est. Secuti alium ducem sequimini nunc Camillum & quod ductu meo soletis, vincite. Quid vallum & castra spectatis? neminem vestrûm illa, nisi victorem receptura sunt. Pudor primo tenuit effusos: inde vt circumagi signo obuertique aciem viderunt, ruunt in hostem: & dux prætterquam quod tot insignis triumphis, etiam ætate venerabilis inter prima signi vbi plurimus labor periculúmque erat, se offerebat: increpare singuli se quisque & alios: & adhortatio inuicem totam alacri clamore peruasit aciem. Neque alter tribunus rei defuit: sed missus à collega restituente peditum aciem, ad equites. non castigando (ad quam rem leuiorem auctorem eum culpæ societas fecerat) sed ab imperio totus ad preces versus, orare singulos vniuersosque, vt se reum fortunæ eius diei crimine eximerent. Abnuente ac prohibente collega, Temeritatis me omnium potius socium, quam vnius prudentiæ dedi. Camillus in vtraque vestra fortuna suam gloriam videt: ego, ni restituitur pugna (quod miserrimum est) fortunam cum omnibus, infamiam solus sentiam. Optimum visum est in fluctuantem aciem tradi equos & pedestri pugna inuadere hostem. Eunt insignes armis animisque, qua premi parte maximè peditum copias vident: nihil neque apud duces, neque apud milites remittitur à summo certamine animi. Sensit ergo euentus virtutis enixæ opem: & Volsci, qua modo simulato metu cesserant, ea in veram fugam effusi: magna pars & in ipso certamine, & post in fuga cæsi: ceteri in castris, quæ capta eodem impetu sunt, plures tamen capti quam occisi: vbi in recensendis captiuis cum Thusculani aliquot noscitarentur, secreti ab aliis ad tribunos adducuntur: percunctantibusque falsi publico consilio se militasse. Cuius tam vicini belli metu Camillus motus, extemplo se Romam captiuos ducturum ait, ne patres ignari sint, Thusculanos ab societate descisse: castris exercituique interim, si videatur, præsit collega. documento vnus dies fuerat, ne sua consilia melioribus præferret. nec tamen aut ipsi, aut in exercitu cuiquam satis placato animo Camillus laturus culpam eius videbatur, qua data in tam præcipitem casum respub. esset. & tum in exercitu, tum Romæ constans omnium fama erat, cum varia fortuna in Volscis gesta res esset, aduersæ pugnæ fugæque in L. Furio culpam secundæ decus omne penes M. Furium esse. Introductis in senatum captiuis, cum bello persequendos Thusculanos patres censuissent, Camilloque id bellum mandassent; adiutorē sibi ad eam rem vnum petit: permissoque vt ex collegis optaret quem vellet, contra spem omnium L. Furium optauit. Qua moderatione animi cum collegæ leuauit infamiam, tum sibi gloriam ingentem peperit. Nec fuit cum Thusculanis bellum. Pace constanti vim Romanam arcuerunt, quam armis non poterant. Intrantibus fines Romanis, non demigratum ex propinquis itineri locis, non cultus agrorum intermissus. patentibus portis vrbis togati obuiam frequentes imperatoribus processere: commeatus exercitui comiter in castra ex vrbe & ex agris deuehitur. Camillus castris ante portas positis, eadém-

A ne forma pacis, quæ in agris ostentaretur, etiam intra mœnia esset, scire cupiens: ingressus vrbem, vbi patentes ianuas, & tabernis apertis proposita omnia in medio vidit: intentosque opifices suo quemque operi, & ludos literarum strepere dicentium vocibus: ac repletas semitas inter vulgus aliud puerorum & mulierum huc atque illuc euntium, quà quenque suorum vsuum caussæ ferrent: nihil vsquam non pauidis modo, sed ne mirantibus quidem simile circumspiciebat, omnia inquirens oculis, v-
B binam bellum fuisset. adeo nec amotæ rei vsquam, nec oblatæ ad tempus vestigium vllum erat: sed ita omnia constanti tranquilla pace, vt eo vix fama belli perlata videri posset. Victus igitur patientia hostium, senatum eorum vocari iussit. Soli adhuc, inquit, Thusculani vera arma, veràsque vires, quibus ab ira Romanorum vestra tutaremini. inuenistis. ite Romam ad senatum, æstimabunt patres, vtrum plus antè pœnæ, an nunc veniæ meriti sitis. non præcipuam gratiam publici beneficij deprecandi po-
C testatem à me habueritis, precib. euentum vestris senatus quem videbitur dabit. Postquam Romam Thusculani venerunt, senatúsque paulo ante fidelium sociorum mœstus in vestibulo curiæ est conspectus: mori exemplo patres, vocari eos iam tum hospitaliter magis, quàm hostiliter iussere. Dictator Thusculanus ita verba fecit: Quibus bellum indixistis, intulistísque patres conscripti, sicut nunc videtis nos stantes in vestibulo curiæ vestræ, ita armati paratique obuiam imperatoribus legionibús-
D que vestris processimus. hic noster, hic plebis nostræ habitus fuit, eritq; semper, nisi si quando à vobis, proque vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus vestris, & exercitibus, quod oculis magis quam auribus crediderunt: & vbi nihil hostile erat, ne ipsi quidem fecerunt. pacem quam nos præstitimus, eam à vobis petimus. bellum eo, sicubi est, auertatis precamur. In nos quid arma polleant vestra, si patiendo experiundum est, inermes experiemur. Hæc mens nostra est, dij immortales faciant, tam
E felix quàm pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixistis: etsi reuicta rebus, verbis confutare nihil attinet: tamen etiā si vera sint, vel fateri nobis ea, cum tam euidenter pœnituerit, tutum censemus: peccetur in vos, dum digni sitis quib. ita satisfiat. Tantum fere verberum ab Thusculanis factum. Pacem in præsentia, nec ita multo post ciuitatem etiam impetrauerunt, ab Thusculo legiones reductæ. Camillus consilio & virtute in Volsco bello, felicitate in Thusculana expeditione, vtrobi-
F que singulari aduersus collegam patientia & moderatione insignis, magistratu abiit: creatis militarib. tribunis in insequentem annum L. & P. Valeriis, Lucio V. Publio III. & C. Sergio III. Licino Menenio II. P. Papyrio, Sergio Cornelio Maluginense. Cēsoribus quoque eguit annus, maximè propter incertam famam æris alieni, aggrauantibus summam etiam inuidiæ eius tribunis plebis, cum ab iis eleuaretur, quibus fide magis quam fortuna debentium laborare creditum videri expediebat. Creati censo-
G res, C. Sulpitius Camerius, Sp. Posthumius Regillensis. cœptáque iam res morte Posthumij, quia collegam suffici censori religio erat, interpellata est. igitur cum Sulpitius abdicasset se magistratu, censores alij vitio creati, non gesserunt magistratum. tertios creari, velut diis non accipientibus in eum annum censuram, religiosum fuit. Eam vero ludificationem plebis tribuni ferendam negabant, fugere senatum testes tabulas publicas, census cuiusque, quia nolint conspici summam æris alieni, quæ

indicatura sit demersam partem à parte ciuitatis: cum interim obæratam plebem obiectari aliis atque aliis hostibus, passim iam sine vllo discrimine bella quæri: ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Thusculum legiones ductas. Latinis, Hernicis, Prænestinis iam intentari arma, ciuium magis quàm hostium odio, vt in armis terant plebem. nec respirare in vrbe, aut per otium libertatis meminisse sinant: aut consistere in concione, vbi aliquando audiant vocem tribunitiam de leuando fœnore, & fine aliarum iniuriarum agentem. Quod si sit animus plebi memor patrum libertatis, se nec addici quemquam ciuem Romanum ob creditam pecuniam passuros, neque delectum haberi, donec inspecto ære alieno, initâque ratione minuendi ius sciat vnusquisque quid sui, quid alieni sit: supersit sibi liberum corpus, an id quoque neruo debeatur. Merces seditionis proposita confestim seditionem excitauit: nam & addicebantur multi, & ad Prænestini famam belli nouas legiones scribendas patres censuerant, quæ vtraque simul auxilio tribunitio & consensu plebis impediri cœpta. nam neque duci addictos tribuni sinebant, neque iuniores nomina dabant: cum patribus minor præsens cura creditæ pecuniæ iuris exsequendi, quam delectus esset; quippe iam à Præneste profectos hostes in agro Sabino consedisse nuntiabatur: interim tribunos plebis iam fama ea ipsa irritauerat magis ad susceptum certamen, quàm deterruerat, neque aliud ad seditionem exstinguendam in vrbe quàm prope illatum mœnibus ipsis bellum valuit. Nam cum esset Prænestinis nuntiatum, nullum exercitum conscriptum Romæ, nullum ducem certum esse: patres ac plebem in semetipsos versos: occasionem rati duces eorum, raptim agmine facto, perualtatis protinus agris ad portam Collinam signa intulere. Ingens in vrbe trepidatio fuit. conclamatum ad arma, concursúmque in muros atque portas est: tandémque ab seditione ad bellum versi, dictatorem T. Quintium Cincinnatum creauere. is magistrum equitum A. Sempronium Atratinum dixit. Quod vbi auditum est (tantus eius magistratus terror erat) simul hostes à mœnibus recessere, & iuniores Romani ad edictum sine detrectatione conuenere. Dum conscribitur Romæ exercitus, castra interim hostium haud procul Allia flumine posita. inde agrum late populantes, fatalem se vrbi Romanæ locum cepisse inter se iactabant: similem pauorem inde ac fugam fore: ac bello Gallico fuerit. etenim si diem contactum religione, insignémque nomine eius loci timeant Romani, quanto magis Alliensi die Alliam ipsam monumentum tantæ cladis reformidaturos, species profecto his ibi truces Gallorum, sonúmque vocis, in oculis atque in auribus fore. Has inanium rerum inanes ipsas voluentes cogitationes, fortunæ loci delegauerant spes suas. Romani contra, vbicunque esset Latinus hostis, satis scire eum esse, quem ad Regillum lacum deuictum centum annorum pace obnoxia tenuerint, locum insignem memoria cladis irritaturum se potius ad delendam memoriam dedecoris, quàm vt timoré faciat, ne qua terra sit nefasta victoriæ suæ. quin ipsi Galli si offerantur, illo loco se ita pugnaturos, vt Romæ pugnauerint in repetenda patria, vt postero die ad Gabios, tunc cum effecerint ne quis hostis qui mœnia Romana intrasset, nuntium secundæ aduersæque fortunæ domum perferret. His vtrinque animis ad Alliam ventum est. Dictator Romanus, postquam in conspectu hostes erant instructi, intentúque: Vidésne tu, inquit, A. Semproni, loci fortuna illos fretos ad Alliam constitisse? nec illis dij immortales certioris quicquam fiduciæ, maiorisve quod sit auxilij, dederint. at tu fretus armis animisque concitatis equis inuade mediam aciem: ego cum legionibus in turbatos trepidantésque inferam signa. Adeste dij testes fœderis, & expedite pœnas debitas simul vobis violatis, nobisque per vestrum numen deceptis. Non equitem, non peditem sustinuere Prænestini primo impetu ac clamore dissipati ordines sût: deinde postquam nullo loco constabat acies, terga vertunt: consternatique & præter castra etiam sua pauore prælati, non prius se ab effuso cursu sistût, quàm in conspectu Præneste fuit. ibi ex fuga dissipati, locum quem tumultuario opere communirent, capiunt: ne si intra mœnia se recepissent, extemplò vreretur ager, depopulatisque omnibus obsidio vrbi inferretur. Sed postquam direptis ad Alliam castris victor Romanus aderat, id quoque munimentum relictum: & vix mœnia tuta rati, oppido se Præneste includunt. Octo præterea oppida erant sub ditione Prænestinorum. ad ea circumlatum bellum: deincepsque haud magno certamine captis, Velitras exercitus ductus. eæ quoque expugnatæ. tum ad caput belli Præneste ventum id non vi, sed per deditionem receptum est. T. Quintius semel acie victor, binis castris hostium, nouem oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam reuertit: triumphánsque signum Præneste deuectum Iouis Imperatoris in Capitolium tulit. dedicatum est inter cellam Iouis ac Mineruæ: tabuláque sub eo fixa, monumentum rerû gestarum his ferme incisa literis fuit: Iupiter atque diui omnes hoc dederunt, vt T. Quintius dictator oppida nouem cap. ret. Die XX. quam creatus erat, dictatura se abdicauit: Comitia inde habita tribunorum militum consulari potestate: quibus æquatus patriciorum plebeiorúmque numerus. Ex patribus creati P. & C. Manlij cum L. Iulio, plebes C. Sextilium, M. Albinum, L. Antistium dedit Manlius, quod genere plebeios, gratia Iulium anteibant, Volsci prouincia sine sorte, sine comparatione extra ordinem data: cuius & ipsos postmodum, & patres qui dederant, pœnituit. In explorato pabulatum cohortes misere, quibus velut circumuentis, cum id falso nuntiatum esset, dum præsidio vt essent, citati feruntur, ne auctore quidem asseruato, qui eos hostis Latinus pro milite Romano frustratus erat, ipsi in insidias præcipitauere: ibi dum iniquo loco sola virtute militum restantes cæduntur, cædúntque castra interim Romana iacentia in campo ab altera parte hostes inuasere. Ab ducibus vtrobique proditæ temeritate atq. inscitia res, quicquid superfuit fortunæ populi Rom. id militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est. Quæ vbi Romam sunt relata, primum dictatorem dici placebat: deinde postquam quietæ res ex Volscis afferebantur, & apparuit nescire eos victoria & tempore vti, reuocati etiá inde exercitus ac duces: otiúmque inde, quantum à Volscis, fuit id modo extremo anno tumultuatum, quod Prænestini concitatis Latinorum populis rebellarunt. Eodem anno etiam ipsis querentibus penuriam hominum, noui coloni adscripti. Rebusque haud prosperis bello, domestica quies quam tribunorum militum ex plebe gratia maiestásque inter suos obtinuit, solatium fuit. Insequêtis anni principia statim seditione ingenti arsere, tribunis militum côsulari potestate, Sp. Furio, Q. Seruilio II. Licinio Menenio III. P. Clœlio M. Horatio, L. Geganio. Erat autem & materia & caussa seditionis æs alienum: cuius noscêdi gratia Sp. Seruilius

Priscus

P. Piscus, Q. Clœlius Siculus censores facti, ne rem agerent, bello impediti sunt. namque trepidi nuntij primo, fuga deinde ex agris, legiones Volscorum ingressas fines, popularique passim Romanum agrum attulere. In qua trepidatione tantum absfuit vt ciuilia certamina terror externus cohiberet: vt contrà eo violentior tribunitia potestas impediendo delectui esset: donec conditiones impositæ patribus, ne quis quoad bellatum esset, tributum daret, aut ius de pecunia credita diceret. eo laxamento plebi sumto, mora delectui non est facta. Legionibus nouis scriptis, placuit duos exercitus in agrum Volscum legionibus diuisis duci. Sp. Furius, M. Horatius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Q. Seruilius & L. Geganius læua ad montes Ecetram pergunt. Neutra parte hostis obuius fuit: populatioque non illi vagæ similis, quam Volscus latrocinij more discordia hostium fretus, & virtutem metuens, per trepidationem raptim fecerat: sed ab iusto exercitu iusta ira facta. spatio quoque temporis grauior. quippe à Volscis timentibus ne interim exercitus ab Roma exiret, incursiones in extrema finium factæ erant: Romano contra etiam in hostico morandi erat caussa, vt hostem ad certamen eliceret. Itaque omnibus passim tectis agrorum, vicisque etiam quibusdam exustis, non arbore frugifera, non satis in spem frugum relictis, omni, quæ extra mœnia fuit, hominum pecudumque præda abacta, Romam vtrinque exercitus reducti. Paruo interuallo ad respirandum debitoribus dato, postquam quietæ res ab hostibus erant, celebrari de integro iurisdictio: & tantum abesse spes veteris leuandi fœnoris, vt tributo nouum fœnus contraheretur in murum à censoribus locato saxo quadrato faciundũ cui succumbere oneri coacta plebes: quia quem delectum impedirent, non habebant tribuni plebis. Tribunos etiam militares patritios omnes coacta principum opibus fecit, L. Æmilium, P. Valerium IIII. C. Veturium, Ser. Sulpitium, L. & C. Quintios Cincinnatos. Iisdem opibus obtinuere, vt aduersus Latinos Volscosque, qui coniunctis legionibus ad Satricum castra habebant, nullo impediente omnibus iunioribus sacramento adactis, tres exercitus scriberent: vnum ad præsidium vrbis: alterum, qui, si qui alibi motus exstitisset, ad subita bella mitti posset: tertium longè validissimum P. Valerius & L. Æmylius ad Satricum duxere. vbi cum aciem instructam hostium loco æquo inuenissent, extemplo pugnatum: & vt nondum satis claram victoriam, sic prosperæ spei pugnam imber ingentibus procellis fusus diremit. Postero die iterata pugna, & aliquandiu æqua virtute fortunáque Latinæ maximè legiones longa societate militiam Romanam edoctæ, restabant. eques immissus ordines turbauit: turbatis signa peditum illata: quantumque Romana se inuexit acies, tantum hostes gradu demoti. & vt semel inclinauit pugna, iam intolerabilis Romana vis erat. Fusi hostes, cum Satricum, quod duobus millibus inde aberat, non castra peterent, ab equite maximè cæsi, castra capta, direptaque. Ab Satrico nocte quæ prælio proxima fuit, fugæ simili agmine petunt Antium: & cum Romanus exercitus prope in vestigiis sequeretur, plus tamen timor, quàm ira, celeritatis habuit. prius itaque mœnia intrauere hostes, quam Romanus extrema agminis carpere aut morari posset. inde aliquot dies vastando agro absumti, nec Romanis satis instructis apparatu bellico ad mœnia aggredienda, nec illis ad subeundum pugnæ casum. Seditio tum inter Antiates Latinosque coorta, cum Antiates victi ma-

A lis, subactique bello, in quo & nati erant, & consueuerant, deditionem spectarent: Latinos ex diutina pace noua defectio recentibus adhuc animis ferociores ad perseuerandum in bello faceret. Finis certaminis fuit, postquam vtrisque apparuit, nihil per alteros stare, quominus incepta persequerentur. Latini profecti à societate pacis, vt rebantur, inhonestæ sese vindicauerunt. Antiates incommodis arbitris salutarium consiliorum remotis, vrbem agrosque Romanis dedunt. Ira & rabies Latinorum, quia B nec Romanos bello lædere, nec Volscos in armis retinere potuerant, eo erupit, vt Satricum vrbem, quæ receptaculum primum eis aduersæ pugnæ fuerat, igni concremarent. nec aliud tectum eius superfuit vrbis, cum faces pariter sacris profanisque inijcerent, quam matris Matutæ templum. inde eos nec sua religio, nec verecundia deum arcuisse dicitur, sed vox horrenda edita templo cum tristibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amouissent. in censos ea rabie impetus Thusculum tulit, ob iram C quod deserto communi consilio Latinorum, non in societatem modo Romanam, sed etiam in ciuitatem sese dedissent. patentibus portis cum improuiso incidissent, primo clamore oppidum præter arcem captum est. in arcem oppidani refugere cum coniugibus ac liberis: nuntiosque Romam, qui certiorem de suo casu senatum facerent, misere. Haud segnius quàm fide populi Romani dignum fuit exercitu Thusculum ductus L. Quintius & Seruius Sulpitius tribuni militum duxere. clausas portas D tas Thusculi, Latinosque simul obsidentiũ atque obsessorum animo hinc mœnia tueri vident. illinc arcé oppugnare, terrere vna ac pauere. Aduentus Romanorum mutauerat vtriusque partis animos Thusculanos ex ingenti metu in summam alacritatem, Latinos ex prope certa fiducia mox capiendæ arcis, quoniam oppido potirentur, in exiguam de se ipsis spem verterat. Tollitur ex arce clamor ab Thusculanis: excipitur aliquáto maiore ab exercitu Romano vtrinque vrgentur Latini: nec impetus Thuscula- E norum decurrentium ex superiore loco sustinent: nec Romanos subeuntes mœnia, molientésque obices portarum arcere possunt. scalis prius mœnia capta: inde effracta claustra portarum. & cum anceps hostis & à fronte & à tergo vrgeret: nec ad pugnam vlla vis, nec ad fugam loci quicquam superesset, in medio cæsi ad vnum omnes. Recuperato ab hostibus Thusculano, exercitus Romam est reductus. Quanto magis prosperis eo anno bellis tranquilla omnia foris erant, tanto in vrbe vis patrum, indies, F miseriæque plebis crescebát, cũ eo ipso quod necesse erat solui, facultas soluẽdi impediretur. itaq; cum iam ex re nihil dari posset, fama & corpore iudicati atque addicti, creditoribus satis faciebant, pœnáque inuicé fidei cesserat. adeo ergo obnoxios summiserant animos non infimi solum, sed principes etiam plebis, vt non modo ad tribunatum militum inter patritios petendum, quod tanta vi vt liceret tetenderant: sed ne ad plebeios quidem magistratus capessendos, petendosque vlli viro acri experientique G animus esset: possessionémque honoris vsurpati modo è plebe per paucos annos, recuperasse in perpetuum patres viderentur. Ne id nimis lætum parti alteri esset, parua (vt plerunque solet) rem ingentem moliundi caussa interuenit. M. Fabij Ambusti potétis viri, cum inter sui corporis homines, tum etiam ad plebem, quod haudquaquam inter id genus contemtor eius habebatur, filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpitio maior, minor C. Licinio Stoloni erat, illustri quidem viro, tamen plebeio: eáq; ipsa affinitas haud

spreta gratiam Fabio ad vulgum quæsierat. Fortè ita incidit, vt in Ser. Sulpicii tribuni militum domo sorores Fabiæ, cum inter se (vt fit) sermonibus tempus tererent, lictor Sulpitii, cum is de foro se domum reciperet, forem (vt mos est) virga percuteret, cum ad id moris eius insueta expauisset minor Fabia, risui sorori fuit, miranti ignorare id sororem. Ceterum is risus stimulos paruis mobili rebus animo muliebri subdidit: frequentiaque prosequentium rogantiumque nunquid vellet? credo fortunatum matrimonium ei sororis visum: suique ipsam malo arbitrio, quo à proximis quisq. minimè anteiri vult, pœnituisse. confusam eam ex recenti morsu animi cum pater fortè vidisset, percunctatus, Satin' salue? auertentem caussam doloris, quippe nec satis piam aduersus sororē, nec admodum in virum honorificam, elicuit comiter sciscitando, vt fateretur eā esse caussam doloris, quod iuncta impari esset, nupta in domo in quam nec honos nec gratia intrare posset. consolans inde filiam Ambustus, bonum animum habere iussit: eosdem propediem domi visuram honores, quos apud sororem videat. inde consilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio strenuo adolescente, & cuius spei nihil præter genus patritium deesset. Occasio videbatur rerum nouādarum propter ingentem vim æris alieni, cuius leuamen mali plebes, nisi suis in summo imperio locatis nullum speraret: accingendum ad eam cogitationem esse: conando agendoque iam eo gradum fecisse plebeios, vnde si porro annitantur, peruenire ad summa, & patribus æquari tam honore quàm virtute possent. In præsentia tribunos plebis fieri placuit, quo in magistratu sibimet ipsi viam ad ceteros honores aperirent, creatique tribuni C. Licinius & L. Sextius promulgauere leges omnes aduersus opes patritiorum, & pro commodis plebis: vnam de ære alieno, vt deducto eo de capite quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur: alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri possideret, tertiam, ne tribunorum militū comitia fierent, consulúmque vtiq. alter ex plebe crearetur. cuncta ingētia, & quæ sine certamine maximo obtineri non possent. Omnium igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est agri, pecuniæ, honorum discrimine proposito, conterriti patres cum trepidassent, publicis priuatisq. consiliis nullo remedio alio præter expertam multis iam ante certaminibus intercessionem inuento, collegas aduersus tribunitias rogationes comparauerunt. qui vbi tribus ad suffragium ineundum citari à Licinio, Sextioque viderunt stipati patrum præsidiis, nec recitari rogationes, nec solemne quicquam aliud adsciscendum plebi fieri passi sunt. Iámque frustra sæpe concilio aduocato, cū pro antiquatis rogationes essent: Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum intercessionem pollere placet. isto ipso telo tutabimur plebem. Agite dum, comitia indicite patres tribunis militum creandis. faxo ne iuuet vox ista, Veto, qua nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis. Haud irritæ cecidere minæ: comitia præter ædilium tribunorumque plebis nulla sunt habita. Licinius Sextiusque tribuni plebis refecti nullos curules magistratus creari passi sunt. eáque solitudo magistratuum, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium vrbem tenuit. Alia bella opportunè quieuere: Veliterni coloni gestientes otio, quod nullus exercitus Romanus esset, & agrum Romanum aliquoties incursauere, & Thusculū oppu-

A gnare adorti sunt. eáque res Thusculanis veteribus sociis, nouis ciuibus opem orantibus, verecundia maxime non patres modo, sed etiam plebem mouit: remittentibus tribunis plebis comitia per interregem sunt habita: creatique tribunis militum L. Furius, A. Manlius: Ser. Sulpitius. Ser. Cornelius, A. & C. Valerij, haudquaquam tam obedientem in dilectu, quàm in comitiis plebem habuere ingentique contentione exercitu scripto profecti, non ab Thusculo modò submouere hostem, sed intra suamet i-
B psum mœnia compulere obsidebāturque haud paulo vi maiore Velitræ, quàm Thusculum obsessum fuerat. nec tamen ab eis à quibus obsideri cœptæ erant, expugnari potuere. antè noui creati sunt tribuni militum Q. Seruilius, C. Veturius, A. & M. Cornelij, Q. Quintius, M. Fabius. Nihil ne ab his quidem tribunis ad Velitras memorabile factum. In maiore discrimine domi res vertebantur. nam præter Sextium Liciniumque latores legum iam octauum tribunos plebis refectos, Fabius quoque tribu-
C nus militum, Stolonis socer, quarum legum auctor fuerat, earum suasorem se hauddubium ferebat. & cum octo ex collegio tribunorum plebis primo intercessores legum fuissent, quinque soli erant: & vt fermè solent, qui à suis desciscunt capti & stupentes animi, vocibus alienis id modo quod domi præceptum erat, intercessioni suæ prætendebant. Velitris in exercitu plebis magnam partem abesse: in aduentum militum comitia differri debere, vt vniuersa plebes de suis commodis suffragium ferret.
D Sextius Liciniusque cum parte collegarum, & vno ex tribunis militum Fabio, artifices iam tot annorū vsu tractandi animos plebis, primores patrum productos interrogando de singulis quæ ferebantur ad populū, fatigabant: Auderéntne postulare, vt cū bina iugera agri plebi diuiderentur, ipsis plus quingēta iugera habere liceret: vt singuli prope trecentorū ciuium possiderent agros, plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ, suus pateret ager? An placeret fœnore circumuentam plebem
E ni potius quàm sortem creditum soluat, corpus in neruum ac supplicia dare: & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobiles domos, & vbicunque patritius habitet, ibi carcerem priuatum esse? Hæc indigna, miserandáque auditu cum apud timentes sibimetipsos maiore audientium indignatione quàm sua increpuissent: atqui nec agros occupandi modum nec fœnore trucidandi plebem alium patribus vmquam fore affirmabant, nisi alterum ex plebe consulem custodem suæ
F libertatis plebs fecisset, contemni iam tribunos plebis, quippe quæ potestas iam suam ipsa vim frangat intercedendo. non posse æquo iure agi, vbi imperiū penes illos, penes se auxilium tantum sit: nisi imperio communicato, nunquam plebem in parte pari reipub. fore: nec esse quod quisquam satis putet, si plebeiorum ratio comitiis consularibus habeatur: nisi alterum consulem vtique ex plebe fieri necesse sit, neminem fore. an iam memoria exisse, cum tribunos militum idcirco potius quàm consules crea-
G ri placuisset, vt ex plebeiis pateret summus honos? IIII. & XL. annis neminem ex plebe tribunum militum creatum esse, qui crederent, duobúsne in locis sua voluntate impertituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare soliti sint: & ad consulatum viam fieri passuros, qui tribunatum septum tandiu habuerint? Lege obtinendum esse, quod comitiis per gratiam nequeat: & seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus: quoniam in certamine relictus

præmium

præmium semper potentioris futurus sit. Nec iam posse dici, id quod antea iactare soliti sint, nō esse in plebeiis idoneos viros ad curules magistratus. nunquid enim socordius aut segnius rempub. administrari post P. Licinij Calui tribunatum, qui primus ex plebe creatus sit: quàm per eos annos gesta sit, quibus præter patritios nemo tribunus militum fuerit? quin contra patritios aliquot damnatos post tribunatum, neminem plebeium. quæstores quoque sicut tribunos militum, paucis antè annis ex plebe cœptos creari? nec vllius eorum populum Romanum pœnituisse: consulatum superesse plebeiis: eam esse arcem libertatis, id columen: si eò peruentum sit, tum populum Romanum verè exactos ex vrbe reges, & stabilem libertatem suam existimaturum. quippe ex illa die in plebem ventura omnia, quibus patritij excellant; imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, maiora liberis relinquenda. Huius generis orationes vbi accipi videre, nouam rogationem promulgant; vt pro duumuiris sacris faciundis decemuiri creentur, ita pars ex plebe, pars ex patribus fiat: omniumque earum rogationum comitia in aduentum eius exercitus differunt, qui Velitras obsidebat. Prius circumactus est annus, quàm à Velitris reducerentur legiones. ita suspensa de legibus res ad nouos tribunos militum dilata: nam plebis tribunos eosdem, duos vtique, qui legum latores erant, plebes reficiebat. tribuni militum creati T. Quintius, Ser. Cornelius, Ser. Sulpitius, Sp. Seruilius, L. Papyrius, L. Veturius. Principio statim anni ad vltimam dimicationem de legibus ventum: & cum tribus vocarentur, nec intercessio collegarum latoribus obstaret: trepidi patres ad duo vltima auxilia, summum imperium, summúmque ad ciuem decurrunt. dictatorem dici placet. dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Æmylium cooptat. Legum quoque latores, aduersus tantum apparatum aduersariorum & ipsi caussam plebis ingentibus animis armant: concilioque plebis indicto, tribus ad suffragium vocant, cum dictator stipatus agmine patritiorum plenus iræ minarúmque consedisset, atque ageretur res solito primum certamine inter se tribunorum plebis ferentium legem, intercedentiumque: & quanto iure potentior intercessio erat, tantum vinceretur fauore legum ipsarum latorumque: & vti rogassent, primæ tribus dicerent. tum Camillus: Quandoquidem, inquit, Quirites, iam vos tribunitia libido, non potestas regit: & intercessionem secessione quondam plebis partam, nobis eadem vi facitis irritam, qua peperistis: non reipub. magis vniuersæ, quàm vestra caussa dictator intercessioni vestræ adero: euersúmq; vestrum auxilium imperio tutabor. Itaque si C. Licinius & L. Sextius intercessioni collegarum cedunt, nihil patritium magistratum inseram concilio plebis, si aduersus intercessioné tanquam captæ ciuitati leges imponere tédent, vim tribunitiam à se ipsa desolui non patiar. Aduersus ea cum contemtim tribuni plebis rem nihilo segnius peragerent, tum percitus ira Camillus, lictores, qui de medio plebem emouerent, misit, & addidit minas, si pergerent, sacramento omnes iuniores adacturum, exercitumque extemplo ex vrbe deducturum. Terrorem ingentem incusserat plebi: ducibus plebis accendit magis certamine animos, quàm minuit. sed re neutro inclinata, magistratu se abdicauit: seu quia vitio creatus erat, vt scripsere quidam: seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, idque plebs sciuit, vt si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentûm millium æris eis mulcta esset,

A Sed auspiciis magis quam noui exempli rogatione deterritum, vt potius credam, cum ipsius viri facit ingenium, tum quod ei suffectus est exemplo P. Manlius dictator: quem quid creari attinebat ad id certamen, quo M. Furius victus esset? & quod eundem M. Furium dictatorem insequens annus habuit, haud sine pudore certè factum priore anno in se imperium repetiturum: simul quod eo tempore quo promulgatum de mulcta eius traditur, aut & huic rogationi, qua se in ordinem cogi videbat obsistere potuit: aut ne illas quidem, propter quas & hæc lata erat, impedire: & quoad vsque ad memoriam nostram tribunitiis consularibúsque certa-
B tum viribus est, dictaturæ semper altius fastigium fuit. Inter priorem dictaturam abdicatam, nouámque à Manlio initam, ab tribunis velut per interregnum concilio plebis habito, apparuit quæ ex promulgatis plebi, quæ latoribus gratiora essent. nam de fœnore atque agro rogationes iubebant, de plebeio consulatu antiquabant. & perfectō vtraque res esset, ni tribuni se in omnia simul consulere plebem dixissent. P. Manlius deinde dictator rem in caus-
C sam plebis inclinauit, C. Licinio, qui tribunus militum fuerat, magistro equitum de plebe dicto. Id ægrè patres passos accipio, dictatorem propinqua cognatione Licinij se apud patres excusare solitum, simul negantem magistri equitum maius quam tribuni consularis imperium esse. Licinius Sextiúsque cum tribunorum plebis creandorum indicta comitia essent, ita se gerere, vt negando iam sibi velle continuari honorem, acerrimè accenderent ad id, quod dissimulando petebant, plebem. nouum se an-
D num iam velut in aciem aduersus optimates maximo priuatim periculo, nullo publico emolumento stare. consenuisse iam secum & rogationes promulgatas, & vim omnem tribunitiæ potestatis. primo intercessione collegarum in leges suas pugnatum esse, deinde ab legatione iuuentutis ad Veliternum bellum postremo dictatorium fulmen in se intentatum. iam nec collegas, nec bellum, nec dictatorem obstare: quippe etiam omen plebeio consu-
E li, magistro equitum ex plebe dicendo dederit: se ipsam plebem, & commoda morari sua, liberam vrbem ac forum à creditoribus, liberos à gros ab iniustis possessoribus extemplo, si velit, habere posse. quæ munera quando tandem satis grato animo æstimaturos, si inter accipiendas, de suis commodis rogationes spem honoris latoribus earum incidant? Non esse modestiæ populi Rom. id postulare, vt ipse fœnore leuetur, & in agrum iniuria possessum à potentibus inducatur, per quos ea con-
F secutus sit, senes tribunitios non sine honore tantum, sed etiam sine spe honoris relinquat. Proinde ipsi primum statuerent apud animos, qui vellent: deinde comitiis tribunitiis declararét voluntatem, si coniunctim ferri ab se promulgatas rogationes vellent, esse quod eosdem reficerent tribunos plebis: perlaturos enim quæ promulgauerint. sin quod cuique priuatim opus sit, id modo accipi velint: opus esse nihil inuidiosa continuatione honoris: nec se tribunatum, nec illos ea quæ promulgata sint, habituros. Aduersus tamen obstinatam oratio-
G nem tribunorum cum præ indignitate rerum stupor, silentiúmque inde ceteros patrum defixisset: Ap. Claudius Crassus nepos decemuiri dicitur odio magis iráque quàm spe ad dissuadendum processisse, & locutus in hanc fere sententiam esse: Neque nouum, neque inopinatū mihi sit, Quirites, si quod vnum familiæ nostræ semper obiectum est ab seditiosis tribunis, id nunc ego quoque audiam.

Claudiæ genti iam inde ab initio nil antiquius in A reipub. patrum maiestate fuisse: semper plebis commodis aduersatos esse. quorum alterum neque nego, neque inficias eo: nos, ex quo adsciti sumus simul in ciuitatem & patres, enixe operam dedisse, vt per nos aucta potius, quàm imminuta maiestas earum gentiũ inter quas nos esse voluistis, dici vere posset. Illud alterum pro me maioribúsque meis contédere ausim Quirites, nisi quæ pro vniuersa republ. fiant, ea plebi tanquam aliam incolenti vrbem aduersa quis putet, nihil nos neque priuatos, neque in magistratibus quod incommodum plebi esset, scientes B fecisse, nec vllum factum dictumve nostrum contra vtilitatem vestram, etsi quædam contra voluntatem fuerint, vere referri posse. An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patritio sanguine ortus, sed vnus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & viuere in libera ciuitate sciam, reticere possim? L. illum Sextium & C. Licinium perpetuos (si diis placet) tribunos, tantũ licentiæ nouem annis, quibus regnant, sumsisse, vt vobis negent potestatem C liberam suffragij, non in comitiis, non in legibus iubendis se permissuros esse? Sub conditione, inquit, nos reficietis decimum tribunos. Quid est aliud dicere, quod petunt alij, nos adeo fastidimus, vt sine mercede magna non accipiamus? Sed quæ tandem ista merces est, qua vos semper tribunos plebis habeamus? Vt rogationes, inquit, nostras, seu placent seu displicent, seu vtiles seu inutiles sunt, omnes coniunctim accipiatis. Obsecro vos Tarquinij tribuni plebis, putate me ex media concione vnum D ciuem succlamare. Bona venia vestra liceat ex his rogationibus legere quas salubres nobis censemus esse: antiquare alias. Non, inquit, licebit, tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, iubeas: & hoc portenti non fiat in vrbe Romana, vti L. Sextium atque hunc C. Licinium consules, quod indignaris, quod abominaris, videas, aut omnia accipe: aut nihil fero. Vt si quis ei quem vrgeat fames, venenum ponat cum cibo: & aut abstinere eo quod vitale sit, iubeat, aut mortiferum vitali admisceat. E Ergo si esset libera hæc ciuitas, non tibi frequentes succlamassent, Abi hinc cum tribunatib. ac rogationibus tuis. Quid si tu non tuleris quod commodum est populo accipere, nemo erit qui ferat illud? Si quis patritius, si quis (quod illi volunt inuidiosius esse) Claudius diceret, aut omnia accipite, aut nihil fero: quis vestrûm Quirites ferret? Nunquámne vos res potius, quàm auctores spectabitis? sed omnia semper quæ magistratus ille dicet, secundis auribus, quæ ab nostrum quo dicentur, aduersus F accipietis? At hercule sermo est minimè ciuilis. Quid? rogatio qualis est, quam à vobis antiquatam indignantur? sermoni Quirites simillima. Consules, inquit, rogo ne vobis, quos velitis, facere liceat. An aliter rogat, qui vtique alterum ex plebe fieri consulem iubet, nec duos patritios creandi potestatem vobis permittit? Si hodie bella sint, quale Hetruscum fuit, cùm Porsena Ianiculum insedit: quale Gallicum modo, cum præter Capitolium atq. arcem omnia hæc hostium erant, & consulatum G cum hoc M. Furio, aut quolibet alio ex patribus L. ille Sextius peteret: possetisne ferre Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hoccine est in commune honores vocare, vt duos plebeios fieri consules liceat, duos patritios non liceat? & alterum ex plebe creari necesse sit, vtrumque ex patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam consortio est? Parum est; si cuius pars tua nulla adhuc fuit, in partem eius venis, nisi partem petendo totum traxeris: Timeo, inquit, ne si duos licebit creari patritios, neminem creetis plebeium. Quid est dicere aliud? nisi quia indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi quos non vultis, imponam. Quid sequitur, nisi vt ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patritiis vnus petierit plebeius, & lege se, non suffragio creatum dicat? Quomodo extorqueant, nonquomodo petát honores, quærunt, & ita maxima sũt adepturi, vt nihil ne pro minimis quidem debeant: & occasionibus potius quàm virtute petere honores malunt. Est aliquis qui se inspici, qui æstimari fastidiat: qui certos sibi vni honores inter dimicantes competitores æquum censeat esse? qui se arbitrio vestro eximat? qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, & serua pro liberis faciat? Omitto Licinium Sextiumque, quorum annos in perpetua potestate tanquam Regum in Capitolio numeratis. quis est hodie in ciuitate tam humilis, cui non via ad consulatum facilior per istius legis occasionem, quàm nobis ac liberis nostris fiat? si quidem nos ne cum volueritis quidem, creare interdum poteritis, istos etiamsi nolueritis, necesse sit. De indignitate satis dictum est (etenim dignitas ad homines pertinet) quid de religionibus atque auspiciis, quæ propria deorum immortalium contemtio atque iniuria est, loquar? Auspiciis hanc vrbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi, militiæque omnia geri, quis est qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? nempe penes patres. nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato creatur: nobis adeo propria sunt auspicia, vt non solùm quos populus creat patritios magistratus, nõ aliter quàm auspicato creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus, & priuatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur aliud quàm tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando, à patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. quid enim est si pulli non pascentur: si ex cauea tardius exierint? si occinuerit auis? Parua sunt hæc, sed parua ista non contemnendo maiores nostri maximam hanc rem fecerunt. nunc nos tanquam iam nihil pace deorum opus sit, omnes ceremonias polluimus. vulgo ergo pontifices augures, sacrificuli Reges creentur: cuilibet apicem dialem, dummodo homo sit, imponamus: tradamus Ancilia, penetralia, deos, deorumque curam, quibus nefas est: non leges auspicato ferantur: non magistratus creentur: nec centuriatis nec curiatis comitiis patres auctores fiant: Sextius & Licinius tanquam Romulus ac Tatius in vrbe Romana regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant. tanta dulcedo est, ex alienis fortunis prædandi: nec in mentem venit, altera lege solitudines vastas in agris fieri, pellendo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur. Omnium rerum caussa vobis antiquandas censeo istas rogationes: quod faxitis, deos velim fortunare. Oratio Appij ad id modo valuit, vt tempus rogationum iubendarum proferretur. Refecti decimum iidem tribuni Sextius & Licinius de decemuiris sacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulere. creati quinque patrum, quinque plebis: graduque eo iam via facta ad consulatum videbatur. Hac victoria contenta plebes cessit patribus, vt in præsentia consulum mentione omissa, tribuni militum crearentur. creati A. & M. Cornelij iterum, M. Geganius, P. Manlius, L. Veturius P. Valerius VI. Cùm præter Veliternum obsidionem

tardi

tardi magis rerum exitus quàm dubij, quietæ externæ res Romanis essent: fama repens belli Gallici allata perpulit ciuitatem, vt Marcus Furius dictator quintum diceretur. is T. Quintium Pœnum magistrum equitum dixit. Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen, auctor est Claudius: inclytámque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum cum quo prouocatus manus conseruit in cõspectu duorum exercituum cæsum torque spoliauit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor vt credam, decem, haud minus post annos ea acta; hoc autem anno in Albano agro cum Gallis dictatore M. Furio signa collata nec dubia, nec difficilis Romanis quanquam ingentem Galli terrorem memoria pristinæ cladis attulerant, victoria fuit. multa millia Barbarorum in acie, multa captis castris cæsa, palati alij Apuliam maximè petentes, cùm fuga se longinqua, tum quòd eos simul pauor terrorque distulerant ab hoste sese tutati sunt. Dictatori consensu patrũ plebisque triumphus decretus. Vix dum perfunctum eum bello atrocior domi seditio excepit: & per ingẽtia certamina dictator senatusque victus, vt rogationes tribunitiæ acciperentur: & comitia consulũ aduersa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Coss. factus. Et ne is quidem finis certaminũ fuit. Quia patritij se auctores futuros negabant, propè ad secessionem plebis res, terribilesque alias minas ciuilium certaminum venit: cùm tamen per dictatorem conditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessumque ab nobilitate plebi, de consule plebeio, ab plebe nobilitati, de prætore vno: qui ius in vrbe diceret, ex patribus creando. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus cùm dignam eam rem senatus censeret esse, meritoque id si quãdo vnquam alias deum immortalium causa libẽter facturos fore, vt Ludi maximi fierent, & dies vnus ad triduum adijceretur: recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum à patritiis iuuenibus, se id honoris deum immortalium causa libenter acturos, vt ædiles fierent, qui bus cùm ab vniuersis gratiæ actæ essent, factum senatusconsultum, vt duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret, patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent.

DECADIS PRIMÆ LIBER VII.



Nnvs hic erit insignis noui hominis consulatu, insignis nouis duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos sibi patritij quæsiere honores pro concesso plebi altero consulatu. Plebes consulatũ L. Sextio, cuius lege partus erat, dedit: patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, ædilitatẽ Cn. Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni suarum gentium viris gratia campestri dederunt. L. Sextio collega ex patribus datus L. Æmylius Mamercus. Principio anni & de Gallis quos primo palatos per Apuliam congregari iam fama erat, & de Hernicorum defectione agitata mentio. Cùm de industria omnia, ne quid per plebeium consulem ageretur, proferrentur: silentium omnium rerum, ac iustitio simile otium fuit: nisi quod non patiẽtibus tacitum tribunis. quod pro consule vno plebeio tres patritios magistratus curulibus sellis prætextatos tanquam consules sedentes nobilitas sibi sumsisset, prætorem

A quidem, etiam iura reddentem, & collegam consulibus, atque iisdem auspiciis creatum: verecundia inde imposita est senatui ex patribus iubendi ædiles curules creari. Primo vt alternis annis ex plebe fierent, conuenerat: postea promiscuũ fuit. inde L. Genutio & Q. Seruilio Coss. & ab seditione, & à bello quietis rebus, ne quando à metu ac periculis vacarent, pestilentia ingens orta. Censorem, ædilem curulem, & tres tribunos plebis mortuos ferunt, proportione & ex multitudine alia multa funera fuisse.
B maximéque eam pestilentiam insignem mors quàm matura tam acerba M. Furij fecit. fuit enim verè vir vnicus in omni fortuna princeps pace belloque, priùs quàm exsulatum iret: clarior in exilio vel desiderio ciuitatis, quæ capta absentis implorauit opẽ: vel felicitate: qua restitutus in patriam, secum patriam ipsam restituit. par deinde per quinque & triginta annos (tot enim postea vixit) titulo tantæ gloriæ fuit: dignusque habitus, quem secundum à Romulo conditorem vrbis Romæ ferrent. Et hoc, & in-
C sequenti anno T. Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone Coss. pestilentia fuit. eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deũm exposcendæ caussa tertio tum post conditam vrbem lectisternium fuit. & cùm vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, noua res bellicoso populo (nam circi modo spectaculũ fuerat) inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parua quoq. (vt fermè principia omnia) & ea ipsa peregrina res
D fuit. Sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. Imitari deinde eos iuuentus, simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus cœpere, nec absoni à voce motus erant. Accepta itaque res sæpiúsque vsurpando excitata. Vernaculis artificibus quia hister Thusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non sicut antè Fescennino versu similem incompositum temerè ac rudem alter-
E nis iacebant, sed impletas modis satyras descripto iã ad tibicinem cãtu, motúq. congruenti peragẽbãt. Liuius post aliquot annos, qui ab satyris ausus est primus argumento fabulã serere, idem scilicet (id quod omnes tum erant) suorum carminũ actor dicitur, cũ sæpius reuocatus vocẽ obtudisset, venia petita puerũ ad canendum antè tibicinem cum statuisset, cãticum egisse aliquanto magis vigẽte motu, quia nihil vocis vsus impediebat. inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diuerbiáque tantum ipsorum voci
F relicta. Postquã lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res auocabatur, & ludus in artem paulatim verterat, iuuentus histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare cœpit, quæ inde exodia postea appellata, consertáq. fabellis potissimum Atellanis sunt. quod genus ludorũ ab Oscis acceptum tenuit iuuẽtus: nec ab histrionibus pollui passa est. eo institutũ manet, vt actores Atellanarum nec tribu moueãtur, & stipendia tanquam expertes artis ludicræ faciant. Inter
G aliarum parua principia rerũ, ludorum quoque prima origo ponẽda visa est, vt appareret quàm ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilẽ insaniã venerit. Nec tamen ludorũ primum initium procurãdis religionibus datũ, aut religione animos, aut corpora morbis leuauit. quinetiam cum medios forte ludos circus Tyberi superfuso irrigatus impedisset, id verò velut auersis iam diis, aspernãtibúsque placamina iræ, terrorẽ ingentem fecit. Itaq; Cn. Genutio, L. Æmylio Mamerco secundum Coss. cùm

sonat. Ap. Claudium, quia dissuaserat legem maiore nunc autoritate euentum reprehensi ab se consilij incursantem, dictatorem consensu patritiorum Seruilius consul dicit: delectúsque & iustitium indictū. Priusquam dictator legionésque nouæ in Hernicos venirent, ductu C. Sulpitij legati res per occasionem gesta egregiè est. In Hernicos morte consulis contemtim ad castra Romana, cùm haud dubia expugnandi spe succedentes, hortante legato, & plenis iræ atque indignitatis militum animis eruptio est facta. multum ab spe adeundi valli res Hernicis abfuit adeo turbatus inde ordinibus abscessere. Dictatoris deinde aduentu nouus veteri exercitu iūgitur, & copiæ duplicantur. & pro concione dictator laudibus legati, militúmque, quorum virtute castra defensa erant, simul audientibus laudes meritas tollit animos, simul cæteros ad æmulādas virtutes acuit. Neque segnius ad hostes bellum apparant, qui & parti ante decoris memores, neque ignari auctarum virium hostis, suas quoque vires augent. Omne Hernicum nomē omnis militaris ætas excitur. quadringentariæ octo cohortes, lecta robora virorum scribuntur. hunc eximium florem iuuentutis eo etiam, quod vt duplex acciperēt stipendium, decreuerant, spei animorúmque impleuere. Immunes quoque operum militarium erant, vt in vnum pugnæ laborē reseruati plus sibi quàm pro virili parte annitendum scirent. extra ordinem etiam in pace locati quo cōspectior virtus esset. Duûm millium planities castra Romana ab Hernicis dirimebat. Ibi pari fermè vtrinq. spatio in medio pugnatum est. primo stetit ambigua spe pugna, nequicquā sæpe conatis equitibus Romanis impetu turbare hostium aciem. post quā equestris pugna effectu quam conatibus vanior erat, cōsulto prius dictatore equites, permissu deinde eius relictis equis, clamore ingēti prouolant ante signa, & nouam integrant pugnam, neque sustineri poterant, ni extraordinariæ cohortes pari corporum animorúmque robore se obiecissent. Tunc inter primores duorum populorum res geritur. Quicquid hinc aut illinc communis. Mars belli aufert, multiplex quàm pro numero damnum est. vulgus aliud armatorum, velut delegata primoribus pugna, euentum suum in virtute aliena ponit. Multi vtrinque cadunt, plures vulnera accipiunt. Tandem equites alius alium increpantes, quid deinde restaret quærendo, si neque ex equis pepulissent hostem: neque pedites quicquam momenti facerent, quàm tertiam exspectarent pugnam? quid ante signa feroces prosiluissent? & alieno pugnarent loco? His inter se vocibus concitati, clamore renouato inferunt pedem: & primum gradu mouerunt hostem, deinde pepulerunt, postremo iam haud dubie auerterunt: neque tam vires pares quæ superauerit res, facile dictu est, nisi quod perpetua fortuna vtriusque populi & extollere animos, & minuere potuit. vsque ad castra fugientes Hernicos Romanus sequitur: castrorum oppugnatione, quia serum erat dici, abstinuere. diu non perlitatum tenuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset: eo in noctem tractum erat certamen. Postera die deserta fuga castra Hernicorum, & saucij relicti quidam inuenti: agménque fugientium ab signis, cum præter mœnia eorum, infrequentia signo conspecta essent, fusum, ac per agros trepida fuga palatum est. Nec Romanis incruenta victoria fuit. quarta pars militum amissa: &, vbi haud minus iacturæ fuit, aliquot equites Romani cecidere. Insequenti anno cum L. Sulpitius & C. Licinius Caluus Coss. in Hernicos exercitum duxissent, neque inuentis in agro hostibus, Ferentinum vrbem eorum vi cepissent, reuertentibus inde eis Tyburtes portas clausere. ea vltima fuit caussa, cum multæ antè querimoniæ vltro citroque iactatæ essent, cur per feciales rebus repetitis bellum Tyburti populo indiceretur. Dictatorem T. Quintium Pœnam eo anno fuisse satis constat, & magistrum equitum Sergium Cornelium Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habendorum caussa & ab Licinio consule dictum scribit, quia collega comitia bello præferre festinante, vt continuaret consulatum, obuiam eundū prauæ cupiditati fuerit. Quæsita ea propriæ familiæ laus, leuiorem auctorem Licinium facit, cum mentionem eius in vetustioribus annalibus nullam inueniam. magis vt belli Gallici caussa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. Eo certè anno Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere. Dictator cum tumultus Gallici caussa iustitium edixisset, omnes iuniores sacramento adegit, ingentique exercitu ab vrbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. prælia de occupando ponte crebrà erant: nec qui potirentur, incertis viribus satis discerni poterat. tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit, & quantum maxima voce potuit: Quem nunc, inquit, Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, vt noster duorum euentus ostendat vtra gens bello sit melior. Diu inter primores iuuenum Romanorum silentium fuit, cum & abnuere certamen vererentur & præcipuam sortem periculi petere nollent. tum T. Manlius L. filius, qui patrem à vexatione tribunitia vindicauerat, ex statione ad dictatorem pergit. Iniussu tuo, inquit, imperator, extra ordinem nunquam pugnauerim, non si certam victoriam videam. si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quando adeo ferox præsultat hostium signis, me ex ea familia ortum, quæ Gallorum agmen ex rupe Terpeia deiecit. Tum dictator: Macte virtute, inquit, hac pietate in patrem, patriámque T. Māli esto: perge, & nomen Romanum inuictum iuuantibus diis præsta. Armant inde iuuenem æquales: pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Armatū adornatúmque aduersus Gallum stolide lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exserentem, producunt. Recipiunt inde se ad stationem cæteri: & duo in medio armati, spectaculi magis more quàm lege belli destituuntur, nequaquam visu ac specie æstimantibus pares. Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste, pictísque & auro cælatis refulgens armis. Media in altero militaris statura, modicáque in armis habilibus magis quam decoris species: non cantus, non exultatio, armorúmque agitatio vana, sed pectus animorum iræq. tacitæ plenū, omnē ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. Vbi constitere inter duas acies tot circa mortaliū animis spe metúq. pendētibus: Gallus velut moles superne imminens, proiecto leuæ scuto in aduenientis arma hostis, vanū cæsim cū ingenti sonitu ensem deiecit. Romanus mucrone surrecto, cū scuto scutum imū perculisset, toto corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armáq. vno alteroq. subinde ictu ventrē atq; inguina hausit, & in spatiū ingens ruētem porrexit hostē. iacētis inde corpus ab omni alia vexatione intactum. vno torque spoliauit quē respersū cruore collo circūdedit suo. Defixerat pauor cum admiratione Gallos. Romani alacres

ab statione obuiam militi suo progressi, laudantes, A gratulantésque, ad dictatorem perducunt. Inter carminum propemodum incondita quædam militariter ioculantes. Torquati cognomen auditum, celebratum deinde posteris etiam familiæq. honori fuit. Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit. Et hercule tanti ea ad vniuersi belli euētum momenti dimicatio fuit, vt Gallorum exercitus proxima nocte relictis trepide castris, in Tyburtem agrum, atque inde societate belli facta, commeatúque benignè ab Tyburtibus adiutus, mox in campaniam transierit. Ea B fuit caussa cur proximo anno C. Petilius Balbus Cos. cùm collegæ eius M. Fabio Ambusto Hernici prouincia euenisset aduersus Tyburtes iussu populi; exercitū duceret. ad quorū auxilium cum Galli ex Campania redissent, fœdæ populationes in Lauicano, Tusculanoq. & Albano agro haud dubiè Tyburtib. ducibus sunt factæ. Et cùm aduersus Tyburtem hostem duce Cos. cōtenta respublica esset, Gallicus tumultus dictatorem creari coegit. creatus Q. Seruilius Hala T. Quintium magistrum equitum dixit: C & ex auctoritate patrum, si prosperè id bellum euenisset, Ludos magnos vouit. Dictator ad continendos proprio bello Tyburtes consulari exercitu iusso manere, omnes iuniores, nullo detrectante militiam, sacramento adegit. Pugnatum haud procul porta Collina est totius viribus vrbis, in conspectu parentum coniugúmque ac liberorum, quæ magna etiam absentibus hortamēta animi, tū subiecta oculis simul verecundia, misericordiaque militē accendebant. Magna vtrinque edita cæde, auertitur tandem acies Gallorum. fugati Tybur sicut arcem belli Gallici petūt. palati à Cos. Petilio haud procul Tybure excepti, egressis ad opem ferendam Tyburtibus, simul cum his intra portas compelluntur. Egregiè cùm ab dictatore, tum ab Cos. res gesta est. Et Cos. alter Fabius prœliis primum paruis, postremo vna insigni pugna, cùm hostes totis adorti copiis essent, Hernicos deuicit. Dictator consulibus in senatu & apud populum magnificè collaudatis, & suarū quoque rerū illis remisso honore, dictatura se abdicauit. Petilius de Gallis Tyburtibúsque geminum triumphum egit. Fabio satis visum, vt ouans vrbem iniret. Irridere Petilij triumphum Tyburtes: vbi enim eum secum acie conflixisse? spectatores paucos fugæ trepidationisque Gallorum extra portas egressos, postquam in se quoque fieri impetum viderint, & sine discrimine obuios cædi, recepisse se intra vrbem: eam rem triumpho dignam visam Romanis? ne nimis mirum magnumque censerent, tumultum exciere in hostium portis, maiorem ipsos trepidationem ante mœnia sua visuros. Itaque insequenti anno M. Popilio Lenate, Cn. Manlio Coss. primo silentio noctis ab Tybure agmine infesto profecti ad vrbem Romam venerunt. terrorem repente ex somno excitatis, subita res & nocturnus pauor præbuit, ad hæc multorum inscitia, qui aut vnde hostes aduenissent. conclamatum tamen celeriter ad arma est, & portæ stationibus, murique præsidiis firmati. & vbi prima lux G mediocrem multitudinem ante mœnia, neque alium quàm Tyburtem hostem ostendit, duabus portis egressi consules, vtrinque aciem subeuntium iam muros aggrediuntur, apparuitque occasione magis quam virtute fretos venisse: adeo vix primum impetum Romanorum sustinuere. quin etiam bono fuisse Romanis aduentum eorum constabat, orientémque iam seditionem inter patres & plebem, metu tam propinqui belli compres-

A sam. Alius aduentus hostium fuit proximo bello agris quàm vrbi terribilior. Populabundi Tarquinienses fines Romanos maximè qua ex parte Hetruriam adiacent, peragrauere: rebúsque nequicquam repetitis, noui Consules C. Fabius & C. Plautius iussu populi bellum indixere: Fabióque ea prouincia, Plautio Hernici euenere. Gallici quoque belli fama increbrescebat: sed inter multos terrores solatio fuit pax Latinis petentibus data, & magna vis militum ab iis ex fœdere vetusto, quod multis intermiserant annis, accepta quo præsidio cum B fulta res Romana esset, leuius fuit quod Gallos mox Præneste venisse, atque inde circa Pedum consedisse auditum est. Dictatorem dici C. Sulpitium placuit: consul ad id accitus C. Plautius dixit. magister equitum dictatori additus M. Valerius. Hi robora militum ex duobus consularibus exercitibus electa aduersus Gallos duxerunt. Lentius id aliquanto bellum, quàm parti vtrique placebat, fuit: cùm primo Galli tantum auidi certaminis fuis- C sent: deinde Romanus miles ruendo in arma ac dimicationem aliquantum Gallicam ferociam vinceret. Dictatori neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ se committere aduersus hostem, quem tempus deteriorem indies, & locus alienus faceret, sine præparato commeatu, sine firmo monimento morantem: ad hoc iis animis corporibúsque, quorum omnis in impetu vis esset, parua eadem languesceret mora. His consiliis dictator bellum trahebat, grauémque edixerat pœnam, si D quis iniussus in hostem pugnasset. Milites ægrè id patientes, prima in stationibus vigiliisque inter se dictatorem sermonibus carpere, interdum patres communiter increpare, quod non iussissent per consules geri bellum: electum esse eximium imperatorem, vnicum ducem, qui nihil agenti sibi de cœlo deuolaturam in sinum victoriam censeat. Eadem deinde hæc interdiu propalam, ac ferociora his iactare: se iniussu imperatoris aut dimicaturos, aut agmine Romam ituros: immiscerique militibus E centuriones: nec in circulis modo fremere, sed iam in principiis ac prætorio in vnum sermones confundi: atque in concionis magnitudinem crescere turba, & vociferari ex omnibus locis, vt extemplo ad dictatorem iretur: verba pro exercitu faceret Sex. Tullius, vt virtute eius dignum esset. Septimum primum pilum iam Tullius ducebat, neq. erat in exercitu qui quidem pedestria stipendia fecisset, vir factis nobilior. is præcedens militum agmen ad tribunal pergit: mirantique Sulpitio non turbam magis F quàm turbæ principem Tullium imperiis obedientissimum militem: Scilicet, dictator, inquit, condemnatum se vniuersus exercitus à te ignauiæ ratus, & prope ignominiæ caussa destitutum sine armis, orauit me vt suam caussam apud te agerem. Equidem sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa fœdè amissa obiici nobis possent: tamen hoc à te impetrari æquum censerem, vt nos virtute culpam nostram corrigere, & abolere flagitij memoriam noua gloria patereris, etiam ad Alliam fusæ legiones eandem quam per pauorem amiserant patriā, profectæ postea ab Veiis, virtute recuperauere. Nobis deûm benignitate, felicitate tua, populiq. Romani, & res & gloria est integra. quāquam de gloria vix dicere ausim: si nos & hostes haud secus quam fœminas abditos intra vallū omnibus cōtumeliis eludūt: & tu imperator noster, quod ægrius patimur, exercitum sine animis, sine armis, sine manibus iudicas esse: & prius quā expertus nos esses, de nobis ita desperasti, vt re mancorum ac debilium ducem iudicares esse. Quid enim

enim aliud esse caussæ credamus, cur veteranus dux fortissimus bello, compressis, quod aiunt, manibus sedeas? Vtcunque enim se habeat res, te de nostra virtute dubitasse videri, quàm nos de tua, verius est. Sin autem non tuum istuc, sed publicum est consilium, & consensus aliquis patrum, non Gallicum bellum nos ab vrbe, à penatibus nostris ablegatos tenet: quæso vt quæ dicam, non à militibus imperatori dicta censeas, sed à plebe patribus: quæ sicut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem succenseat milites nos esse, non B seruos vestros? ad bellum, non in exsilium missos. Si quis det signum, in aciem educat, vt viris ac Romanis dignum sit, pugnaturos: si nihil armis opus sit, otium Romæ potius quàm in castris acturos. hæc dicta sint patribus. Te imperator milites tui oramus, vt nobis pugnandi copiam facias: tum vincere cupimus, tum duce te vincere: tibi lauream insignem deferre: tecum triumphantes vrbem inire: tuum sequentes currum, Iouis Opt. Max. templum gratantes ouantésque adire. Orationem Tullij exceperunt preces multitudinis: & vndique vt signum daret, vt C capere arma iuberet, clamabant. Dictator quanquam rem bonam exemplo haud probabili actam censebat, tamen facturum quod milites vellent, se recepit. Tulliumque secreto, quænam hæc res sit, aut quo acta more, percunctatur. Tullius magnopere à dictatore petere, ne se oblitum disciplinæ militaris, ne sui, néve imperatoriæ maiestatis crederet: multitudini concitatæ, quæ ferme auctoribus similis esset, non subtraxisse se ducem, ne quis alius qualem mota creare multitudo soleret, existeret. Nam D se quidem nihil non arbitrio imperatoris acturum. illi quoque tamen videndum magnopere esse, vt exercitum in potestate haberet: differri non posse: adeo concitatos ipsos sibi locum ac tempus pugnandi sumituros, si ab imperatore non detur. Dum hæc loquuntur, iumenta forte pascentia extra vallum Gallo abigenti duo milites Roma. ademerunt. in eos saxa coniecta à Gallis: deinde ab Romana statione clamor ortus ac procursum vtrinque est. Iámque haud procul iusto prælio res erant, ni celeriter E diremtum certamen per centuriones esset. Affirmate certè eo occasu Tullij apud dictatorem fides est; nec recipiente iam dilationem re, in posterum diem edicitur acie pugnaturos. Dictator tamen, vt qui magis animis quàm viribus fretus ad certamen descenderet, omnia circumspicere atque agitare cœpit, vt arte aliqua terrorem hostibus incuteret. Solerti animo rem nouam excogitat. qua deinde multi nostri atque externi imperatores, nostra quoq; quidam ætate vsi sunt. Mulis strata detrahi iubet, binisque tantum centunculis relictis, agasones partim captiuis, partim ægrorum armis ornatos imponit. his F ferè mille effectis, centum admiscet equites, & nocte super castra in montes euadere, ac syluis se occultare iubet, neque inde ante moueri, quam ab se acciperent signum. Ipse vbi illuxit, in radicibus môtium extendere aciē cœpit sedulo, vt aduersus montes consisteret hostis. Instructo iam vani terroris apparatu, qui quidem terror plus pene veris viribus profuit: primo credere duces Gallorum non descensuros in æquum Romanos: deinde vbi digressos re- G pentè viderunt, & ipsi auidi certaminis in prælium ruunt: priúsque pugna cœpit, quàm signum ab ducibus daretur. Acrius inuasere Galli dextrum cornu: neque sustineri potuissent, ni forte eo loco dictator fuisset, Sex. Tullium nomine increpans, rogitánsque siccine pugnaturos milites spopondisset? vbi illi clamores sint arma poscentium? vbi minæ iniussu imperatoris prælium inituros? en ipsum imperatorem clara voce vocare ad præliū, & ire armatum ante prima signa: ecquis sequeretur eorū, qui modo dicturi fuerint? in castris feroces, in acie pauidi. Vera audiebant: itaque tantus pudor stimulos admouit, vt ruerēt in hostium tela alienatis à memoria periculi animis. hic primo impetus prope vecors turbauit hostes: eques deinde emissus turbatus auertit. Ipse dictator postquam labantē vna parte vidit aciem, signa in læuum cornu confert, quo turbā hostium congregari cernebat: & iis qui in môte erāt, signū quod côuenerat, dedit. Vbi inde quoq. nouus clamor ortus, & tendere obliquo môte ad castra Gallorū visi sunt, tū metu ne excluderentur, omissa oppugna est, cursúque effuso ad castra ferebantur. Vbi cū occurrisset eis M. Valerius magister equitū, qui profligato dextro cornu obequitabat hostiū munimētis, ad môtes syluásq; vertūt fugā. plurimíq; ibi à fallaci equitū specie, agasonibúsque excepti sunt: & eorū quos pauor pertulerat in syluas atrox cædes post sedatum prælium fuit. Nec alius post M. Furiū, quàm C. Sulpitius iustiorem de Gallis egit triūphum: auri quoq; ex Gallicis spoliis satis magnū pôdus saxo quadrato septū in Capitolio sacrauit. Eodem anno & à Coss. vario euentu bellatum. Nam Hernici à C. Plautio deuicti, subactique sunt. Fabius collega eius incaute atque inconsulte aduersus Tarquinienses pugnauit: nec in acie tantū ibi cladis acceptū, quàm quod CCCVII. milites Romanos captos, Tarquinieses immolarunt. qua fœditate supplicij aliquanto ignominia populi Romani insignior fuit. Accessit ad eam cladem & vastatio Romani agri, quam Priuernates, Veliterni deinde incursione repentina fecerunt. Eodem anno duæ tribus Pomptina & Publicia auditæ. Ludi votiui, quos M. Furius dictator vouerat, facti: & de ambitu à C. Petilio tribuno plebis auctoribus patribus tū primum ad populum latum est: eáque rogatione nouorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant. Haud æquè patribus læta insequenti anno C. Martio, Cn. Manlio Coss. de vnciario fœnore à M. Duellio, L. Menenio, tribunis plebis rogatio est perlata: & plebs aliquanto eam cupidius sciuit, accepitque. Ad bella noua priore anno destinata, Falisci quoq. noui hostes exorti, duplici crimine, quod & cum Tarquiniensibus iuuentus eorum militauerat: & eas qui Falerios perfugerant, cum malè pugnatum est, repetentibus fecialibus Romanis non reddiderant. Ea prouincia C. Manlio obuenit. Martius exercitu in agrum Priuernatem integrum pace longinqua induxit: milítémque præda impleuit: ad copiam rerum addidit munificentiam, quod nihil in publicum secernendo, augenti rem priuatam militi fauit. Priuernates cùm ante mœnia sua castris permunitis consedissent, vocatis ad concionem militibus: Castra nunc, inquit, vobis hostium, vrbémque prædæ do, si mihi pollicemini vos fortiter in acie operam nauaturos, nec prædæ magis quàm pugnæ paratos esse. Signum poscunt ingenti clamore: celsique, & spe haud dubia feroces in prælium vadunt. Ibi ante signa Sex. Tullius, de quo ante dictum est, exclamat: Aspice imperator, inquit, quemadmodum exercitus tuus tibi promissa præstet, piloque posito, stricto gladio in hostem impetum facit. Sequuntur Tulliū antesignani omnes: primoque impetu auertere hostem: fusum inde ad oppidum persecuti, cùm iam scalas mœnibus admouerent, in deditionem vrbem acceperunt. triumphus de Priuernatibus actus. Ab altero Cos. nihil memorabile gestum: nisi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tribu-

tim de vicesima eorum qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt. Cæterum tribuni plebis non tam lege quam exemplo moti, ne quis postea populum seuocaret, capite sanxerunt. nihil enim non per milites iuratos in consulis verba, quamuis perniciosum populo, si id liceret ferri posse. Eodem anno C. Licinius Stolo à M. Popilio Lænate sua lege decem millibus æris est damnatus, quod mille iugerum agri cum filio possideret, emácipádoque filium, fraudem legi fecisset. Noui Coss. inde M. Fabius Ambustus II. & M. Popilius Lenas II. duo bella habuere: facile alterum cum Tyburtibus, quod Lenas gessit: qui hoste in vrbem compulso agros vastauit, Falisci, Tarquiniensésque alterum consulem prima pugna fuderunt. inde terror maximus fuit, quod sacerdotes eorum facibus ardentibus anguibúsque prælatis incessu furiali militem Romanum insueta turbauerunt specie. & tunc quidem velut lymphati & attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt: deinde vbi consules, legatique, ac tribuni, puerorum ritu vana miracula pauentes irridebant, increpabántque, vertit animos repętè pudor: & in ea ipsa quę fugerant, velut cæci ruebát. Discusso itaque vano apparatu hostiũ, cum in ipsos armatos se intulissent, auertunt totam aciem: castrisque etiam eo die potiti, præda ingenti parta victores reuerterunt, militaribus iocis cùm apparatum hostium, tum suum increpantes pauorem. Concitatur deinde omne nomen Hetruscum, & Tarquiniensibus Faliscisque ducibus ad Salinas perueniunt. aduersus eum terrorem dictator C. Martius Rutilius primus de plebe dictus, magistrum equitum item de plebe C. Plautium dixit. Id verò patribus indignum videri, etiam dictaturam iam in promiscuo esse: omnique ope impediebant, ne quid dictatori ad id bellum decerneretur, pararetúrve. Eo promptius cuncta ferente dictatore, populus iussit. profectus ab vrbe vtraque parte Tyberis, ratibus exercitũ quocunque fama hostium ducebat traiecto, multos populatores agrorum vagos, palantes oppressit: castra quoque nec opinato aggressus cœpit: & VIII. millibus hostium captis, ceteris aut cæsis, aut ex agro Romano fugatis, sine auctoritate Patrum populi iussu triumphauit. Quia nec per dictatorem plebeium, nec per consulem, comitia consularia haberi volebant: & alter consul Fabius bello retinebatur, res ad interregnum redit. Interreges deinceps Q. Seruilius Hala, M. Fabius, Cn. Manlius, Cn. Fabius, C. Sulpitius, L. Æmylius, Q. Seruilius, M. Fabius Ambustus. In secundo interregno orta contentio est, quod duo patricij cõsules creabantur, intercedentibúsque tribunis interrex Fabius aiebat, in XII. tabulis legem esse, vt quodcunque postremum populus iussisset, id ius ratúmq; esset, iussum populi & suffragia esse. Cúmque intercedendo tribuni nihil aliud, quàm vt differrét comitia, valuissent: duo patricij Coss. creati sunt, C. Sulpitius Peticus tertium, M. Valerius Publicola: eodémque die magistratum inierunt. Quadringentesimo anno quàm vrbs Romana condita erat, quinto tricesimo quàm à Gallis recepta, ablato post nouum annum à plebe consulatu, patricij Coss. ambo ex interregno magistratum iniere, C. Sulpitius Peticus tertium, M. Valerius Publicola, Empulum eo anno ex Tyburtibus haud memorando certamine captum, siue duorum Coss. auspicio bellum ibi gestum est, vt scripsere quidam: seu per idem tempus Tarquiniensium quoque sunt vastati agri ab Sulpitio Cos. quo Valerius aduersus Tyburtes legiones duxit. Domi maius certamen Coss. cum plebe ac tribunis erat. fi-

A dei iam suæ, non solum virtutis ducebant esse, vt accepissent duo patricij cõsulatum, ita ambobus patritiis mandare: quin aut toto cedendum esse, si plebeius iam magistratus fiat consulatus: aut possidendum totum, quam possessionem integram à patribus accepissent. Plebs contra fremit. quid se viuere? quid in parte ciuium censeri? si quod duorum hominum virtute L. Sextij ac C. Licinij partum sit, id obtinere vniuersi non possint? Vel reges, vel decemuiros, vel si quod tristius sit imperij nomen, B patiendum esse potius, quàm ambos patricios Coss. videant. nec inuicem pareatur, atque imperetur, sed pars altera in æterno imperio locata, plebem nusquam alio natam quàm ad seruiendum putet. Non desunt tribuni auctores turbarum: sed inter concitatos per se omnes vix duces eminent. Aliquoties frustra in campum descensum cum esset, multique per seditiones acti comitiales dies: postremo victæ perseuerantia Coss. plebis eò dolor erupit, vt tribu- C nos actum esse de libertate vociferantes, relinquendúmque non campum iam solum, sed etiam vrbem captam atque oppressam regno patritiorum, mœsta plebs sequeretur. Consules relicti à parte populi, per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt. Creati consules ambo patricij, M. Fabius Ambustus tertium, T. Quintius. In quibusdam annalibus pro T. Quintio. M. Popilium Cos. inuenio. Duo bella eo anno prospere gesta: cum Tyburtibúsque ad deditionem pugnatum: Sassula ex his vrbs capta, D cæteráque oppida eandem fortunam habuissent, ni vniuersa gens positis armis in fidem consulis venisset, Triumphatum de Tyburtibus: alioquin mitis victoria fuit. In Tarquinienses acerbæ sæuitum, multis mortalibus in acie cæsis: ex ingenti captiuorum numero CCCLVIII. delecti, nobilissimus quisque, qui Romam mitteretur: vulgus aliud trucidatum. nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit. medio in foro omnes virgis cæsi, ac securi percussi. id pro immolatis in foro Tar- E quiniensium Romanis pœnæ hostibus redditum. Res bello bene gestæ, vt Samnites quoque amicitiam peterent, effecerunt. Legatis eorum comiter ab senatu responsum: fœdere in societatem accepti. Non eadem domi quæ militiæ, fortuna erat plebi Romanæ. Nam etsi vnciario fœnore facto leuata vsura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexúmque inibant. eo nec patricios ambos consules, nec comitiorum curam, publicáve stu- F dia priuatis incommodis plebs ad animum admittebat. Consulatus vterque apud patricios manet. Consules creati, C. Sulpitius Peticus quartum M. Valerius Publicola iterum. In bellum Hetruscũ, intentam ciuitatem, quia Cæritem populum misericordia cõsanguinitatis Tarquiniensibus adiunctum fama ferebat, legati Latini ad Volscos conuertere, nunciantes exercitum conscriptum armatúmque iam suis finibus imminere: inde populabundos in agrum Romanum venturos esse. Censuit igitur senatus neutram negligendam rem esse. vtroque le- G giones scribi, consulésque sortiri prouincias iussit. Inclinauit deinde pars maior curæ in Hetruscũ bellum, postquam literis Sulpitij consulis, cui Tarquinij prouincia euenerat, cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas Salinas, prædæque partem in Cæritum fines auectam, & haud dubiè iuuentutem eius populi inter prędatores fuisse. Itaque Valerium consulem Volscis oppositum, castráque ad finem Thusculanũ habentẽ, reuocatũ inde senatus dictatorem dicere iussit. T. Manlium Lucij filiũ dixit. Is cum sibi magistrum equitum A. Cornelium Cossum di-

xisset,

xisset, consulari exercitu contentus, ex auctoritate patrum, ac populi iussu Cæretibus bellum indixit. Tum primum Cærites, tanquam in verbis hostium vis maior ad bellum significandum, quàm in suis factis, qui per populationem Romanos lacessierant, esset, etiam verus belli terror inuasit: & quàm non suarum virium ea dimicatio esset, cernebant: pœnitebatque populationis, & Tarquinienses exsecrabantur defectionis auctores: nec arma aut bellum quisquã apparare, sed pro se quisque legatos mitti iubebat ad petendam erroris veniam. Legati senatum cum adissent, ab senatu reiecti ad populum, deos rogauerunt, quorum sacra bello Gallico accepta rite procurassent, vt Romanos florentes ea sui misericordia caperet, quæ se rebus affectis quondam populi Romani cepisset, conuersique ad delubra Vestæ, hospitium flaminum, Vestaliúmque ab se castè ac religiosè cultum inuocabant. Ea ne meritos crederet quisquam, hostes repente sine caussa factos? aut si quid hostiliter fecissent, consilio id magis quam furore lapsos fecisse, vt sua vetera beneficia, locata præsertim apud tam gratos, nouis corrumperent maleficiis: florentémque populum Romanum, ac felicissimum bello, sibi desumerent hostem, cuius afflicti amicitiam cepissent? Ne appellarent consilium, quæ vis ac necessitas appellanda esset. Transeuntes agmine infesto per agrum suum Tarquinienses, cum præter viam nihil petissent, traxisse quosdam agrestium populationis eius quæ sibi crimini detur, comites. eos, seu dedi placeat, dedere se paratos esse: seu supplicio affici, daturos pœnas. Cære sacratium populi Romani, diuersorium sacerdotum, ac receptaculum Romanorum sacrorum, intactum inuiolatúmque crimine belli hospitio Vestalium cultisque diis darent. Mouit populum non tam caussa præsens, quàm vetus meritum, vt maleficij quàm beneficij potius immemores essent. Itaque pax populo Cæriti data: induciásque in centum annos factas, in senatusconsulta referri placuit. In Faliscos eodem noxios crimine vis belli conuersa est: sed hostes nusquam inuenti. Cùm populatione peragrati fines essent, ab oppugnatione vrbium temperatum: legionibúsque Romam reductis, reliquum anni muris turribúsque reficiendis consumtum, & ædes Apollinis dedicata est. Extremo anno comitia consularia certamen patrum ac plebis diremit, tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum Liciniam legem haberentur: dictatore obstinato tollere potius totum è republica consulatum, quam promiscuũ patribus ac plebi facere. Prolatandis igitur comitiis cũ dictator magistratu abisset, res ad interregnum rediit. Infestam inde patribus plebem interreges cum accepissent, ad vndecimum interregem seditionibus certatum est. Legis Liciniæ patrocinium tribuni iactabant: proprior dolor plebi fœnoris ingrauescentis erat: curæque priuatæ in certaminibus publicis erumpebant. Quorum tædio patres L. Cornelium Scipionem interregem concordiæ caussa obseruare legem Liciniam comitiis consularibus iussere. P. Valerio Publicolæ datus è plebe collega C. Martius Rutilius. Inclinatis semel in concordiam animis, noui consules fœnebrem quoque rem, quæ destinere vnanimos videbatur, leuare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt, quinqueuiris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt. Meriti æquitate curáque sunt, vt per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent. Fuere autem C. Duellius, P. Decius Mus, M. Papyrius, Q. Publius, & T. Æmylius: qui rem difficillimam tractatu,

A & plerunque parti vtrique, semper certè alteri grauem, cum alia moderatione, tam impendio magis publico quàm iactura sustinuerunt. Tarda enim nomina, & impeditiora inertia debitorum, quàm facultatibus, aut ærarium mensis cum ære in foro positis dissoluit, vt populo prius caueretur: aut æstimatio æquis rerum pretiis liberauit, vt non modo sine iniuria, sed etiam sine querimoniis partis vtriusque exhausta vis ingens æris alieni sit. Terror inde vanus belli Hetrusci, cum coniurasse duodecim populos
B fama esset, dictatorem dici coëgit. dictus in castris (eo enim ad consules missum senatusconsultum est) C. Iulius, cui magister equitum adiectus L. Æmylius. Ceterum foris tranquilla omnia fuere: tentatum domi per dictatorem, vt ambo patricij consules crearentur, rem ad interregnum perduxit duo interreges C. Sulpitius, & M. Fabius interpositi obtinuere, quod dictator frustra tetenderat, mitiore iam plebe ob recens meritum leuati æris alieni, vt ambo patricij consules crearentur. Creati ipsi, C. Sulpitius
C Peticus, qui prior interregno abiit, & T. Quintius Pœnus, quidam Cæsonem, alij C. cognomen Quinto adiiciunt. Ad bellum ambo profecti, Faliscum Quintius, Sulpitius Tarquiniense, nusquam acie congresso hoste, cum agris magis quàm cum hominibus, vrendo populandoque gesserunt bella. Cuius lentæ velut tabis senio victa vtriusque pertinacia populi est, vt primum à consulibus, dein permissu eorum ab senatu inducias peterent, in quadraginta annos impetrauerunt. Ita posita duorum bel-
D lorum, quæ imminebant, cura, dum aliqua ab armis quies esset: quia solutio æris alieni multarum rerum mutauerat dominos, censum agi placuit. ceterum cum censoribus creandis indicta comitia essent: professus se petere censuram C. Martius Rutilius, qui primus dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbauit: quod videbatur quidem tempore alieno fecisse, quia ambo tum forte patricij consules erant, qui rationem eius se habituros negabant: sed & ipse constantia inceptum obtinuit, & tribuni
E omni vi recuperando ius consularibus comitiis amissum, adiuuerunt. & cum ipsius viri maiestas nullius honoris fastigium non æquabat, tum per eundem, qui ad dictaturam aperuisset viam, censuram quoque in partem vocari plebs volebat. Nec variatum comitiis est, quin cum Manlio Næuio censor Martius crearetur. Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, sed ne Licinia lex comitiis consularibus obseruaretur. Magister equitum dictatori additus Q. Seruilius, nec tamen di-
F ctatura potentiorem eum consensum patrum consularibus comitiis fecit, quàm censoriis fuerat. M. Popilius Lenas à plebe consul, à patribus L. Cornelius Scipio datus. Fortuna quoque illustriorem plebeium consulem fecit. Nam cum ingentem Gallorum exercitum in agro Latino castra posuisse nuntiatum esset: Scipione graui morbo implicito, Gallicum bellum Popilio extra ordinem datum. Is impigre exercitu scripto, cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuniores
G iussisset, signáque eodem quæstores ex ærario deferre: quatuor expletis legionibus quod superfuit militum, P. Valerio Publicolæ prætori tradidit: auctor patribus scribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli euentus subsidium reipub. esset. Ipse iã satis omnibus instructis, cõparatisq;, ad hostẽ pergit. cuius vt prius nosceret vires, quã periculo vltimo tẽtaret: in tumulo, quẽ proximum castris Gallorũ capere potuit, vallũ ducere cœpit. Gẽs ferox, & ingenij auidi ad pugnam, cum procul visis Romanorum si-

gnis, vt exēplo prælium initura explicuisset aciem: postquam neque in æquum dimitti agmen vidit, & cum loci altitudine, tum vallo etiam tegi Romanos, perculsos pauore rata, simul oppositiores, quod intenti tum maximè operi essent, truci clamore aggreditur. Ab Romanis nec opus intermissum (Triarij erant qui muniebant) & ab hastatis principibusque, qui pro munitoribus intenti armatique steterant, prælium initum. Præter virtutem locus quoque superior adiuuit, vt pila omnia hastæque non tanquam ex æquo missa, vana (quod plerumque fit) caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur, oneratique telis Galli, quibus aut corpora transfixa, aut prægrauata inhærentibus gerebant scuta, cum cursu penè in aduersum subiissent, primo incerti restitere: dein cum ipsa cunctatio & his animos minuisset, & auxisset hosti, impulsi retro ruere alij super alios, stragémque inter se cæde ipsa fœdiorem dare adeo præcipiti turba obtriti plures, quàm ferro necati. Necdum certa Romanis victoria erat: alia in campum digressis supererat moles: namque multitudo Gallorum sensum omnem talis damni exsuperans, velut noua rursus exoriente acie, integrum militem aduersus victorem hostem ciebat. stetitque suppresso impetu Romanus, & quia iterum fessis subeunda dimicatio erat, & quod consul, dum inter primores incautus agitat, læuo humero mari prope traiecto, cesserat parumper ex acie. Iámque omissa cunctando victoria erat, cum consul vulnere alligato reuectus ad prima signa: Quid stas miles? inquit. Non cum Latino Sabinóque hoste res est, quem victum armis sociū ex hoste facias. in belluas strinximus ferrum: hauriendus aut dandus est sanguis. propulistis à castris, supina valle præcipites egistis, stratis corporibus hostium superstatis. Complete eadem strage campos, qua montes replestis. Nolite exspectare dum stantes vos fugiant: inferenda sunt signa, & vadendum in hostem. His adhortationibus iterum coorti pellunt loco primos manipulos Gallorum, cuneis deinde in medium agmen perrumpunt. Inde barbari dissipati, quibus nec certa imperia, nec duces essent, vertunt impetum in suos: fusique per campos, & præter castra etiam sua fuga prælati, quod editissimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt. Consul non vltra castra insecutus, quia & vulnus degrauabat, & subiicere exercitum pugna fessum nouo labori nolebat, à persequendo hoste continuit, tumulis ab hoste occupatis. Præda omni castrorum militi data, victorem exercitum, opulentumque Gallicis spoliis Romam reduxit. Moram triumpho vulnus consulis attulit. Eadémque caussa dictatoris desiderium senatui fecit, vt esset, qui ægris consulibus comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus, addito magistro equitum P. Cornelio Scipione, reddidit patribus possessionem pristinam consulatus. ipse ob id meritum ingenti patrum studio creatus consul, collegam Appium Claudium Crassum dixit. Priusquam inirent noui consules magistratū, triumphus à Popilio de Gallis actus. magno fauore plebis: mussantésque inter se rogitabant, num quem plebeij consulis pœniteret? simul dictatorem increpabant, qui legis Liciniæ spretæ mercedem consulatum priuata cupiditate quam publica iniuria fœdiorem, cœpisset, vt se ipse consulem dictator crearet. Annus multis variisque motibus fuit insignis. Galli ex Albanis montibus, quia hyemis vim pati nequiuerant, per campos, maritimáque loca vagi populabantur. Mare infestum classibus Græcorum erat, oráque littoris Antiatis, Laurénsque tractus, & Ty-

A beris ostia, vt prædones maritimi cum terrestribus congressi, ancipiti semel prælio decertarint, dubiaque discesserint, in castra Galli, Græci retro ad naues, victos se, an victores putarent. Inter hos longè maximus extitit terror, concilia populorum Latinorum ad lucum Ferentinæ habita: responsúmque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum, absisterent imperare iis quorum auxilio egerent. Latinos pro sua libertate potiùs quàm pro alieno imperio laturos arma. Inter duo simul bella externa, defectione etiam sociorum senatus anxius,
B cum cerneret metu tenendos, quos fides non retinuisset: extendere omnes imperij vires consules delectu habendo iussit. Ciuili quippe standum exercitu esse, quando socialis cœtus desereret. Vndique non vrbana tantum, sed etiam agresti iuuentute decem legiones scriptæ dicuntur quaternum millium & ducenorum peditum, equitúmque trecenorum, quē nunc nouum exercitum si qua externa vis ingruat, hæ vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, contractæ in vnum haud facile efficiant. Adeo
C in quæ laboramus sola creuimus, diuitias, luxuriamque. Inter cetera tristia eius anni consul alter Ap. Claudius in ipso belli apparatu moritur, redierántque res ad Camillum: cui vnico cōsuli vel ob altam dignationem haud subiiciendam dictaturæ, vel ob omen faustum ad Gallicum tumultum cognominis, dictatorem arrogari haud satis decorum visum est Patribus. Consul duabus legionibus vrbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore diuisis, memor paternæ virtutis, Gallicum sibi bellum extra sor-
D tem sumit: prætorem maritimam oram tutari, Græcosque arcere littoribus iussit. & cum in agrum Pomptinum descendisset, quia neque in campis congredi nulla cogente re volebat, & prohibendo populationibus, quos rapto viuere necessitas cogeret, satis domari credebat hostem: locum idoneum statiuis delegit. Vbi cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit magnitudine atque armis insignis: quatiénsque scutum hasta, cum silentium fecisset, prouocat per interpretem, vnum ex Roma-
E nis, qui secum ferro decernat. Marcus erat Valerius tribunus militum, adolescens: qui haud indigniorē eo decore, se quam T. Manlium ratus, prius sciscitatus consulis voluntatē, in mediū armatus processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito deorū factū. námque conserenti iam manum Romano coruus repente in galea consedit, in hostem versus. Quod primo vt augurium cœlo missum lætus accepit tribunus: precatus deinde, si diuus, si diua esset, qui sibi præpetem misisset, volens
F propitius adesset, dictu mirabile, tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescunque certamen initum est, leuans se alis, os, oculósque hostis rostro & vnguibus appetiit: donec territum prodigij talis visu, oculísque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat. Coruus è conspectu elatus oriētem petit. Hactenus quietæ vtrinque stationes fuere. Postquam spoliare corpus cæsi hostis tribunus cœpit, nec Galli se statione tenuerūt, & Romanorū cursus ad victorē etiam ocyor fuit. Ibi circa iacētis Gal-
G li corpus contracto certamine pugna atrox concitatur. Iā non manipulis proximarū stationū, sed legionibus vtrinque effusis res geritur. Camillus lætū militem victoria tribuni, lætū tā præsentibus ac secūdis diis, ire in præliū iubet. Ostentánsque insignem spoliis tribunum: Hunc imitare miles, aiebat, & circa iacentem ducem sterne Gallorū cateruas. Dij hominésque illi affuere pugnæ, depugnatúmque haud quaquam certamine ambiguo cum Gallis est. Adeo

duorum

duorum militum euentum, inter quos pugnatum
erat, vtraque acies animis præceperat. Inter primos,
quorum concursus alios exciuerat, atrox prælium
fuit: alia multitudo priusquam ad coniectum teli ve-
niret, terga vertit. primo per Volscos Falernúmque
agrum dissipati sunt: inde Apuliam ac mare inferum
petierunt. Consul concione aduocata, laudatum tri-
bunum X. bobus aureáque corona donat. Ipse ius-
sus ab senatu bellum maritimum curare, cum præ-
tore iunxit castra: ibi, quia res trahi segnitia Græ-
corum non committentium se in aciem, videbatur:
dictatorem comitiorum caussa T. Manlium Tor-
quatum ex auctoritate senatus dixit. Dictator ma-
gistro equitum A. Cornelio Cosso dicto, consularia
comitia habuit. æmulumque decoris sui absentem
M. Valerium Coruinum id enim illi deinde cogno-
minis fuit, summo fauore populi treis & viginti na-
tum annos consulem renunciauit. collega Cor-
uino de plebe M. Popilius Lænas IIII. consul futu-
rus datus est. Cum Græcis à Camillo nulla memo-
rabilis gesta res. nec illi terra nec Romanus mari bel-
lator erat. Postremo cum litoribus arcerentur, aqua
etiam præter cetera necessaria vsui deficiente, Italiã
reliquere. Cuius populi ea, cuiusque gentis classis
fuerit, nihil certi est. maxime Siciliæ fuisse tyrannos
crediderim. nam vlterior Græcia eâ tempestate inte-
stino fessa bello, iam Macedonum opes horrebat. E-
xercitibus dimissis, cum & foris pax, & domi concor-
dia, ordinum otium esset: ne nimis lætæ res essent:
pestilentia ciuitatem adorta, coegit senatum impe-
rare decemuiris, vt libros Sibyllinos inspicerent:
eorumque monitu lectisternium fuit. Eodem an-
no Satricum ab Antiatibus colonia deducta, resti-
tutáque vrbs, quam Latini diruerant. Et cum Car-
thaginiensib. legatis Romæ fœdus ictum, cum ami-
citiam ac societatem petentes venissent. Idem otium
domi forisque mansit T. Manlio Tor. C. Plautio se-
cundum Coss. semunciarium tantum ex vnciario
fœnus factum: & in pensiones æquas triennij, ita vt
quarta præsens esset, solutio æris alieni dispensata est.
& sic quoque parte plebis affecta, fides tamen publi-
ca priuatis difficultatib. potior ad curã senatui fuit.
leuatæ maxime res, quia tributo ac delectu super-
sessum. Tertio anno post Satricum restitutum à Vol-
scis, M. Valerius Coruinus secundum Coss. cum C.
Petilio factus, cum ex Latio nuntiatum esset legatos
ab Antio circumire populos Latinorum ad conci-
tandum bellum: priùs quam plus hostium fieret,
Volscis arma inferre iussus, ad Satricum exercitu in-
festo pergit. quò cum Antiates, aliique Volsci præ-
paratis iam ante, si quid ab Roma moueretur, copiis
occurrissent, nulla mora inter infensos diutino odio
dimicandi facta est. Volsci ferocior ad rebellan-
dum quam ad bellandum gens, certamine victi, fu-
ga effusa Satrici mœnia petunt. & ne in muris qui-
dem satis firma spe, cum corona militum cincta iam
scalis caperetur vrbs, ad quatuor millia præter mul-
titudinem imbellem, sese dedere. Oppidum dirutum
atque incensum. ab æde tantum matris Matutæ ab-
stinuere ignem. Præda omnis militi data, extra
prædam quatuor millia deditorum habita. eos
vinctos consul ante currum triumphans egit: ven-
ditis deinde, magnam pecuniam in ærarium rede-
git. Sunt qui hanc multitudinem captiuam seruo-
rum fuisse scribant: idque magis verisimile est, quam
deditos venisse. Hos consules secuti sunt M. Fabius
Dorsuo, Ser. Sulpicius Camerinus. Auruncum inde
bellum ab repentina populatione cœptum. metuque
ne id factum populi vnius consilium omnis nominis
Latini esset, dictator velut aduersus armatum iam

A Latium L. Furius creatus, magistrum equitum Cn.
Manlium Capitolinum dixit. & cum (quod per ma-
gnos tumultus fieri solitum erat) iustitio indicto de-
lectus sine vacationibus habitus esset: legiones, quã-
tum maturari potuit, in Auruncos ducta. ibi prædo-
num magis quam hostium animi inuenti. prima ita-
que acie debellatum est. Dictator tamen, quia & vl-
tro bellum intulerant, & sine detrectatione se certa-
mini offerebant; deorum quoque opes adhibendas
B ratus, inter ipsam dimicationem ædem Iunoni Mo-
netæ vouit. cuius damnatus voti, cum victor Ro-
mam reuertisset, dictatura se abdicauit. Senatus
duumuiros ad eandem pro amplitudine P. R. facien-
dam creari iussit. Locus in arce destinatus, quæ area
ædium M. Manlij Capitolini fuerat. Consules dicta-
toris exercitu ad bellum Volscum vsi, Soram ex ho-
stibus incautos adorti, ceperunt. Anno postquam vo-
ta erat, ædes Monetæ dedicatur, C. Martio Rutilio
III. T. Manlio Torquato II. Coss. Prodigium ex-
C templo dedicationem secutum, simile vetusto
montis Albani prodigio. namque & lapidibus pluit,
& nox interdiu visa intendi. librisque inspectis, cum
plena religione ciuitas esset, senatui placuit dictato-
rem feriarum constituendarum caussa dici. dictus P.
Valerius Publicola, magister equitum ei Q. Fabius
Ambustus datus est. Non tribus tantum supplica-
tum ire placuit, sed finitimos etiam populos: ordo-
que iis, quo quisque die supplicarent, statutus. Iu-
dicia eo anno populi tristia in fœneratores facta,
quibus ab ædilibus dicta dies esset, traduntur. Et res
D haud vlla insigni ad memoriam caussa ad interre-
gnum rediit. Ex interregno vt id actum videri pos-
set, ambo patritij consules creati sunt, M. Valerius
Coruinus III. A. Cornelius Cossus. Maiora iam hinc
bella & viribus hostium, & longinquitate vel regio-
num, vel temporum spacio, quibus bellatum est, di-
centur nâmque eo anno aduersus Samnites gentem
opibus armisque validam, mota arma. Samnitium
bellum ancipiti Marte gestum Pyrrhus hostis, Pyr-
rhum Pœni secuti. Quanta rerum moles? quoties in
E extrema periculorum ventum: vt in hanc magnitudi-
nem, quæ vix sustinetur erigi imperium posset. Bel-
li autem caussa cum Samnitibus Romanis, quum
societate amicitiaque iuncti essent, extrinsecus ve-
nit, non orta inter ipsos est. Samnites Sidicinis in-
iusta arma, quia viribus plus poterant, cum intulis-
sent, coacti inopes ad opulentiorum auxilium con-
fugere, Campani sese coniungunt. Campani ma-
gis nomen ad præsidium sociorum, quam vires cum
attulissent, fluentes luxu ab duratis vsu armorum in
F Sidicino pulsi agro, in se deinde molem omnem belli
verterunt. namque Samnites omissis Sidicinis;
ipsam arcem finitimorum Campanos adorti, vnde
æque facilis victoria, prædæ atque gloriæ plus esset:
Tifata imminentes Capuæ colles cum præsidio fir-
mo occupassent, descendunt inde quadrato agmine
in planitiem, quæ Capuam Tifatáque interia-
cet. ibi rursus acie dimicatum: aduersoque præ-
lio Campani intra mœnia compulsi, cum robo-
re iuuentutis suæ acciso nulla propinqua spes esset,
G coacti sunt ab Romanis petere auxilium. Legati in-
troducti in senatum, maxime in hanc sententiam lo-
cuti sunt: Populus nos Campanus legatos ad vos
Patres conscripti misit, amicitiam in perpetuum
auxilium præsens à vobis petitum: quam si secundis
rebus nostris petissemus, sicut cœpta celerius, ita in-
firmiore vinculo contracta esset. tunc enim, vt qui
ex æquo nos venisse in amicitiam meminissemus,
amici fortitan pariter ac nunc, subiecti atque obno-
xij vobis minus essemus: nunc misericordia vestra

H

bellum eos, nouiſque hoſtis terreret. quicquid ab A vrbe longius proferrent arma, magis magiſque in imbelles gentes eos prodire. Ne Sidicinorum Campanorúmque cladibus, Samnitium æſtimarent virtutem. qualeſcunque inter ſe certauerint, neceſſe fuiſſe alteram partem vinci Campanos quidé haud dubiè magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiáque ſua, quam virtute hoſtium victos eſſe. Quid autem eſſe duo proſpera in tot ſeculis bella Samnitiũ aduerſus tot decora populi Romani, qui triumphos pene plures quàm annos ab vrbe condita numeret? B qui omnia circa ſe, Sabinos, Hetruriam, Latinos, Hernicos, Æquos, Volſcos, Auruncos, domita armis habeat? qui Gallos tot prælijs cæſos, poſtremo in mari ac naues fuga compulerit? Cum gloria belli ac virtute ſua quemqué fretos ire in aciem debere, tum etiam intueri cuius dictu auſpicioque ineunda pugna ſit: vtrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator ſit, verbis tantum ferox, operum militarium expers? an qui & ipſe tela tractare, procedere ante ſigna, verſari media in mole pugnæ C ſciat? Facta mea: non dicta vos milites, inquit, ſequi volo: nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam à me petere. Non factionibus modo, nec per conciones viſitatas nobilibus, ſed hac dextra mihi tres conſulatus, ſummámque laudem peperi. Fuit, cùm hoc dici poterat: Patricius enim erat, & à liberatoribus patriæ ortus: & eodem anno familia iſta conſulatum, quo vrbs hæc conſulem habuit. Nunc iam vobis patribus vobiſque plebeiis promiſcuus conſulatus patet: nec generis, vt ante, ſed virtutis D eſt præmium, proindè ſummum quodque ſpectate mutes decus. Non ſi mihi nouum hoc Coruini cognomen diis auctoribus homines dediſtis, Publicolarum vetuſtum familiæ noſtræ cognomen memoria exceſſit. Semper ego plebem Romanam militiæ domique priuatus, in magiſtratibus paruis magniſque æquè tribunus ac conſul, eodem tenore per omnes deinceps conſulatus colo atque colui. Nunc quod inſtat, diis bene iuuantibus nouum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite. E Non alias militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud grauate munia obeundo. in ludo præterea militari, cum velocitatis viriúmque inter ſe æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci vultu eodem: nec quenquã aſpernari parem, qui ſe offerret. factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ quã ſuæ dignitatis memor: & quo nihil popularius eſt quibus artibus petierat magiſtratus, iiſdem gerebat. Itaque vniuerſus exercitus incredibili alacritate adhortationem proſecutus ducis, caſtris egreditur. Prælium, vt F quod maxime vnquam, pari ſpe, vtrinque æquis viribus, cum fiducia ſui ſine cõtemptu hoſtium commiſſum eſt. Samnitibus ferociam augebant nouę res geſtæ, & paucos ante dies geminata victoria. Romanis contra, quadringentorum annorum decora, & conditæ vrbi æqualis victoria. Vtriſque tamen nouus hoſtis curam addebat. Pugna indicio fuit quos geſſerint animos. námque ita conflixerunt, vt aliquandiu in neutram partem inclinaret acies. Tum conſul trepidationem iniiciendam ratus, quando vi G pelli non poterant: equitibus immiſſis, turbare prima ſigna hoſtium conatur. quos vbi nequicquam tumultuantes in ſpatio exiguo voluere turmas vidit; nec poſſe aperire in hoſtes viam, reuectus ad anteſignanos legionum, cum deſiluiſſet ex equo: Noſtrũ, inquit, peditum illud milites eſt opus agitedũ vt me videritis, quacunque inceſſero in aciem hoſtiũ ferro viam facientem, ſic pro ſe quiſque obuio ſternite. illa nunc omnia, qua nunc erectæ micant haſtæ, patefacta ſtrage vaſta cernetis. Hæc dicta ded-rat, cũ equites conſulis iuſſu diſcurrunt in cornua, legionibuſque in mediam aciem aperiunt viam. Primus omnium conſul inuadit hoſté: & cum quo forte cõtulit gradum, obtruncat. hoc ſpectaculo accéſi, dextra læuaque ante ſe quiſque memorandum præliũ ciet. ſtant obnixi Samnites, quamquã plura accipiũt quàm inferunt vulnera. Aliquandiu iam pugnatum erat: atrox cædes circa ſigna Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat. Adeo morte ſola vinci deſtinauerant animis. Itaque Romani cum effluere iam laſſitudine vires ſentirent, & diei haud multum ſupereſſe, accenſi ira concitant ſe in hoſtem. Tum primum referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit: tum capi, occidi Samnis. nec ſuperfuiſſent multi, ni nox victoriam magis quàm prælium diremiſſet. Et Romani fatebantur, nunquam cum pertinaciore hoſte conflictum: & Samnites, cum quæreretur quænam prima cauſſa tam obſtinatos mouiſſet in fugam, oculos ſibi Romanorum ardere viſos aiebant, veſanoſque vultus, & furentia ora, inde plus quàm ex alia vlla re terroris ortũ. Quẽ terrorẽ non pugnæ ſolum euentu, ſed nocturna profectione cõfeſſi ſunt. Poſtero die vacuis hoſtium caſtris Romanus potitur, quo ſe omnis Campanorum multitudo gratulabũda effudit. Ceterum hoc gaudium magna propè clade in Samnio fœdatum eſt. nam ab Satricula profectus Cornelius Coſ. exercitum incaute in ſaltum caua valle peruiũ, circaque inſeſſum ab hoſte, induxit: nec prius quam recipi tuto ſigna nõ poterant, imminentem capiti hoſtem vidit. Dum id moræ Samnitibus eſt, quoad totum in vallem infimam demitteret agmé, P. Decius, tribunus militum conſpicit vnum editum in ſaltu collem, imminentem hoſtium caſtris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem. itaque conſuli territo animi: Videſne tu, inquit, A. Corneli, cacumen illud ſupra hoſtem? Arx illa eſt ſpei ſalutiſque noſtræ, ſi eam quam cæci relinquere Samnites, impigrè capimus, nec tu mihi plúſquàm vnius legionis principes haſtatoſque dederis: cũ quibus vbi euaſero in ſummum, perge hinc omni liber metu, teque & exercitum ſerua. Neque enim moueri hoſtis ſubiectus nobis ad omnes ictus ſine ſua pernicie poterit. nos deinde aut fortuna populi Romani, aut noſtra virtus expediet. Collaudatus à conſule, accepto præſidio vadit occultus per ſaltum: nec prius ab hoſte eſt viſus, quàm loco quem petebat appropinquauit. Inde admiratione pauentibus cunctis, cum omnium in ſe vertiſſet oculos: & ſpatium conſuli dedit ad ſubducendum agmen in æquiorem locum, & ipſe in ſummo conſtitit vertice. Samnites dum huc illuc ſigna vertunt: vtriuſque rei omiſſa occaſione, neque inſequi conſulem, niſi per eandem vallem, in qua paulo ante ſubiectum eum telis ſuis habuerant, poſſunt: nec erigere agmen in captum ſuper ſe ab Decio tumulum. Sed cum ira in hos magis qui fortunam gerendæ rei eripuerát, tum propinquitas loci, atque ipſa paucitas incitat: & nunc circundare vndique collem armatis volunt, vt à conſule Decium intercludant: nunc viam patefacere: vt digreſſus in vallem adoriantur. incertos quid agerent, nox oppreſſit. Decium primũ ſpes tenuit, cum ſubeuntibus in aduerſum collem ex ſuperiore loco ſe pugnaturum: deinde admiratio inceſſit, quod nec pugnam inirét: nec, ſi ab eo conſilio iniquitate loci deterrerẽtur, opere ſe valloque circundarent. Tum centurionibus ad ſe vocatis: Quænam illa inſcitia belli, ac pigritiã eſt: aut quonã modo iſti ex Sidicinis Campaniſque

victoriam pepererunt:huc atque illuc signa moue-
ri,ac modo in vnum conferri, modo educi videtis.
Opus quidem incipit nemo,cum iã circundati vallo
potuerimus esse. Tum verò nos similes istorum si-
mus,si diutius hic moremur , quàm commodum sit.
Agitedum, ite mecum: vt dum lucis aliquid super-
est,quibus locis præsidia ponant,qua pateat hinc e-
xitus,exploremus. Hæc omnia sagulo gregali ami-
ctus, centurionibus item manipularium militum
habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent,
perlustrauit.Vigiliis deinde dispositis, ceteris omni-
bus tesseram dari iubet:vbi secundæ vigiliæ bucci-
na datum signum esset, armati cum silentio ad se
venirent. Quò vbi,sicut edictum erat, taciti conue-
nerunt:Hoc silentium milites inquit, omisso mili-
tari assensu,in me audiendo seruandum est.vbi sen-
tentiam meam vobis peregero, tum quibus eadem
placebunt,in dextram partem taciti transibitis:quæ
pars maior erit, eius itabitur consilio. Nunc quæ
mente agitem, audite. Nunc fuga delatos,nec iner-
tia relictos hic vos circumuenit hostes,virtute cepi-
stis locum:virtute hinc oportet euadatis. Veniendo
huc exercitum egregium populi Romani seruastis,
erumpendo hinc,vosmetipsos seruate. Digni estis,
qui pauci pluribus opem tuleritis,ipsi nullius auxi-
lio egueritis. Cum eo hoste res est, qui hesterno
die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam
vsus non sit:hunc,tam opportunum collem immi-
nentem capiti suo non ante viderit, quàm captum
à nobis: nos tam paucos,tot ipse millibus hominum
nec ascensu arcuerit:nec tenentes locum, cùm diei
tantum superesset, vallo circundederit. Quem vi-
dentem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum opor-
tet fallatis:imo necesse est. In eo enim loco res sunt
nostræ,vt ego vobis magis necessitatis vestrę index,
quàm consilij auctor sim.neque enim maneatis, an
abeatis hinc,deliberari potest, cum præter arma, &
animos armorum memores, nihil vobis fortuna re-
liqui fecerit: fame & siti moriendum sit, si plus quã
viros ac Romanos decet,ferrum timeamus. Ergo v-
na est salus,erumpere hinc,atque abire.id aut inter-
diu, aut nocte faciamus oportet. Ecce hoc aliud
minus dubium, quippe si lux exspectetur, quæ spes
est non vallo perpetuo fossaque nos septurum ho-
stem,qui nunc corporibus suis subiectis vndique
cinxerit, vt videtis,collem? Atqui si nox opportu-
na est eruptioni, sicut est, hoc profecto noctis
aptissima hora est.signo secundæ vigiliæ conueni-
stis: quod tempus mortales somno altissimo pre-
mit. Per corpora sopita vadetis, vel silentio in-
cautos fallentes,vel sancientibus clamore subito pa-
uorem iniecturi. Me modo sequimini, quem secu-
ti estis. Ego eandem quæ duxit huc,sequar fortunã.
Quibus hæc salutaria videntur, agite dum in dex-
tram partem pedibus transire. Omnes transierunt,
vadentémque per intermissa custodiis loca Decium
secuti sunt. Iam euaserant media castra, cum super-
scandens vigilum strata somno corpora miles offen-
so scuto præbuit sonitum. quo excitatus vigil, cum
proximum mouisset, erectique alios concitarent,
ignari ciues an hostes essent : præsidium erumperet,
an consul castra cepisset:Decius, cum non fallerent,
clamorem tollere iussis militibus, torpidos somno,
insuper pauore exanimat: quo præpediti, nec arma
impigre capere,nec obsistere, nec insequi poterant,
Inter trepidationem tumultúmque Samnitium,prę-
sidium Romanum obuiis custodibus cæsis,ad castra
consulis peruadit.Aliquãtum supererat noctis, iám-
que in tuto videbantur esse,cum Decius: Macti vir-
tute,inquit,milites Romani este. vestrum iter, ac re-
A ditum omnia secula laudibus ferent: sed ad conspi-
ciendam tantam virtutem luce ac die opus est. nec
vos digni estis, quos cum tanta gloria in castra re-
duces silẽtium ac nox tegat.hic lucem quieti oppe-
riamur.Dictis obtemperatum.atque vbi primum il-
luxit,præmisso nuntio ad consulem,in castra ingen-
ti gaudio concitantur: & tessera data,incolumes re-
uerti,qui sua corpora pro salute omnium haud du-
bio periculo obiecissent,pro se quisque obuiam ef-
fusi laudant, gratulantur:singulos vniuersósque ser-
B uatores suos vocãt.diis laudes gratésque agunt: De-
cium in cœlum ferunt. Hic Decij castrensis trium-
phus fuit,incedentis per media castra, cum armato
præsidio,coniectis in eum omnium oculis,& omni
honore tribunum consuli æquantibus. Vbi ad præ-
torium ventum est, consul classico ad concionem
conuocat:orsúsque meritas Decij laudes, interfante
ipso Decio, distulit concionem qui auctor omnia
posthabendi, dum occasio in manibus esset,perpulit
consulem,vt hostes & nocturno pauore attonitos,&
C circa collem castellatim dissipatos aggrederetur.
credere etiam aliquos ad se sequendum emissos per
saltum vagari.Iussæ legiones arma capessere: egres-
sæque castris,cum per exploratores notior iam sal-
tus esset,via patentiore ad hostem ducuntur. Quem
incautum improuiso adortæ,cum palati passim Sam-
nitium milites,plerique inermes, nec coire in vnũ,
nec arma capere, nec recipere intra vallum se pos-
sent,pauentem primum intra castra compellunt:de-
inde castra ipsa turbatis stationibus capiunt. Perfer-
D tur circa collem clamor:fugátque ex suis quemque
præsidiis.ita magna pars absenti hosti cessit. Quos
intra vallum egerat pauor (fuere autem ad triginta
millia)omnes cæsi,castra direpta. Ita rebus gestis,
Cos.aduocata concione, P. Decij non cœptas solum
ante,sed cumulatas noua virtute laudes peragit: &
præter militaria alia dona aurea corona eum,& cen-
tum bobus,eximioque vno albo opimo auratis cor-
nibus donat. Milites qui in præsidio simul fuerant,
duplici frumento in perpetuum,in præsentia singu-
E lis bobus,binisque priuis tunicis donati. Secundum
cõsulis donationem legiones gramineam coronam
obsidionalẽ,clamore donum approbãtes, Decio im-
ponunt.altera corona eiusdem honoris index à præ-
sidio suo imposita est.His decoratus insignibus bo-
uem eximium Marti immolauit,centum boues mi-
litibus dono dedit, qui secum in expeditione fue-
rant. iisdem militibus legiones libras farris,& sexta-
rios vini contulerunt. Omniáque ea ingenti alacri-
tate per clamorem militarem, indicem omnium as-
F sensus,gerebantur.Tertia pugna ad Suessulam com-
missa est:qua fugatus à Marco Valerio Samnitium
exercitus,omni robore iuuentutis domo accito,cer-
tamine vltimo fortunam experiri statuit. Ab Sues-
sula nuntij trepidi Capuam, inde equites citati ad
Valerium Cos.opem oratum veniunt.Confestim si-
gna mota:relictisque impedimentis castrorum vali-
do præsidio,raptim agitur agmẽ:nec procul ab hoste
locum exiguum,vt quibus præter equos cæterorum
iumẽtorum calonumque turba abesset,castris cœpit.
G Samnitium exercitus, velut haud vlla mora pugnæ
futura esset,aciem instruit : deinde postquam nemo
obuius ibat,infestis signis ad castra hostiũ succedit.
Ibi vt militem in vallo vidit: missique ab omni parte
exploratum,quam in exiguum orbem contracta ca-
stra essent, paucitatẽ inde hostiũ colligentes retule-
runt:fremere omnis acies, cõplendas esse fossas,scin-
dendúmque vallum,& in castra irrumpendũ,transa-
ctúmque ea temeritate bellum foret, ni duces cõti-
nuissent impetũ militũ.Ceterũ quia multitudo sua
commea-

commeatibus grauis, & prius sedendo ad Suessulam, & tunc certaminis mora, haud procul ab rerum omnium inopia esset: placuit, dum inclusus paueret hostis, frumentatum per agros militem duci. interim & Romano, qui expeditus quantum humeris inter arma geri posset, frumenti secum attulisset, defutura omnia. Consul palatos per agros cum vidisset hostes, stationesque infrequentes relictas, paucis milites adhortatus, ad castra oppugnanda ducit. Quæ cùm primo clamore atque impetu cepisset, pluribus hostium in tentoriis suis, quàm in portis valloque cæsis, signa captiua in vnum locum conferri iussit: relictisque duabus legionibus custodiæ & præsidij caussa graui edicto monitis, vt donec ipse reuertisset, præda abstinerent: profectus agmine instructo, cum præmissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit. nam neque quo signo coirent inter se, neque vtrum castra peterent, an longiorem intenderēt fugam, territis constare poterat. Tantúmque fugæ ac formidinis fuit, vt ad XL. millia scutatorum, nequaquam tot cæsis, & signa militaria, cum iis quæ in castris capta erant, ad CLXXX. ad consulem deferrentur. Tunc in castra hostium reditum: ibique omnis præda militi data. Huius certaminis fortuna & Faliscos, cum in induciis essent, fœdus petere ab senatu coegit, & Latinos iam exercitibus comparatis ab Rom. in Pelignum vertit bellum. Neque ita rei gestæ fama Italiæ se finibus tenuit: sed Carthaginiēses quoque legatos gratulatum Romam misere cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella poneretur: fuit pondo XXV. Consules ambo de Samnitibus triumpharunt. sequente Decio insigni cum laude, donisque: cum incondito militari ioco haud minus tribuni celebre nomen, quam consulum esset. Campanorū deinde, Suessulanorúmque auditæ legationes: precantibúsque datum, vt præsidium eo in hyberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerētur. Iam tum minime salubris militari disciplinæ Capua, instrumento omnium voluptatum delinitos militum animos auertit à memoria patriæ. inibantúrque consilia in hybernis eodem scelere adimendæ Campanis Capuæ. per quod illi eā antiquis cultoribus ademissent: neque immerito suum ipsorum exēplum in eos versurum. Cur autem potius Campani agrum Italiæ vberrimum, dignam agro vrbem, qui nec se nec sua tutari possint, quam victor exercitus haberet, qui suo sudore ac sanguine inde Samnites depulisset? An æquum esse, deditios suos illa fertilitate atque amœnitate perfrui, se militando fessos in pestilenti atque arido circa vrbem solo luctari? aut in vrbe insidentem labem crescentis indies fœnoris pati? Hæc agitata occultis coniurationibus, nec dum vulgata in omnes consilia inuenit nouus Cos. C. Martius Rutilius, cui Cāpania forte prouincia euenerat. Q. Seruilio collega ad vrbem relicto. Itaque cum omnia ea sicur gesta erant per tribunos comperta haberet, & ætate & vsu doctus, quippe qui iam quartum Cos. esset, dictatorque & censor fuisset: optimum ratus, differendo spem quandocunque vellent consilij exsequendi militarem impetum frustrari, rumorem dissipat in iisdem oppidis & anno post præsidia hybernatura. diuisa enim erant per Campaniæ vrbes, manauerántque à Capua consilia in exercitum omnem. Eo laxamento cogitationibus dato, quieuit in præsentia seditio. Consul educto in æstiua milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit, aliis emerita dicendo stipendia esse: alios graues iam ætate, aut viribus parum validos.

A Quidam in commeatus mittebantur, singuli primo, deinde & cohortes quædam, quia procul ab domo ac rebus suis hybernassent, per speciem etiam militarium vsuum cùm alij aliò mitterentur, magna pars ablegati. quam multitudinem consul alter Romæ, prætorque alias ex aliis fingendo moras retinebat. Et primo quidem ignari ludificationis, minimè inuiti domos reuisebant. postquam neque reuerti ad signa primos, nec fermè alium, quam qui in Cāpania hybernassent, præcipuéq. ex iis seditionis

B auctores mitti viderunt: primum admiratio, deinde haud dubius incessit animos, consilia sua emanasse: iam quæstiones, iam iudicia, iam occulta singulorum supplicia, impoténsque & crudele consulum ac patrum in se regnum passuros. Hæc qui in castris erant, occultis sermonibus serunt, neruos coniurationis eiectos arte consulis cernentes. Cohors vna, cum haud procul Anxure esset: ad Lautulas saltu angusto inter mare ac montes consedit, ad excipiendos quos consul aliis atque aliis (vt ante

C dictum est) caussis mittebat. Iam valido admodum numero manus erat: nec quicquam ad iusti exercitus formam, præter ducem, deerat. incompositi itaque prædantes in agrum Albanum perueniunt: & sub iugo Albæ longæ castra vallo cingunt. perfecto inde opere, reliquum diei de imperatore sumēdo sententiis decertant, nulli ex præsentibus satis fidentes: quem autem ab Roma posse acciri? quem patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens offerat, aut cui ex iniuria insanientis exerci-

D tus caussa recte committatur? Postero die cùm eadem deliberatio teneret, ex prædatoribus vagis quidam compertum attulerunt, T. Quintium in Thusculano agrum colere, vrbis honorúmque immemorem. Patritiæ hic vir gentis erat: cui cum militiæ magna cum gloria actæ finem pes alter ex vulnere claudus fecisset, ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Nomine audito, extemplo agnouere virum: &, quod bene verteret, acciri iusserunt: sed parum spei erat, voluntate quicquam fa-

E cturum. vim adhiberi ac metum placuit. Itaque silentio noctis cum tectum villæ, qui ad id missi erát, intrassent, somno graui Quintium oppressum, nihil medium, aut imperium atque honorem. aut vbi restitaret, mortem, ni sequeretur: denuntiantes, in castra pertraxerunt. Imperator extemplo adueniēs appellatus: insigniáq. honoris exterrito subitæ rei miraculo deferunt, & ad vrbem ducere iubent. Suo magis inde impetu, quam consilio ducis conuulsis signis, infesto agmine ad lapidem octauum viæ quæ

F nunc Appia est, perueniunt: issēntque confestim ad vrbem, ni venire contra exercitum, dictatorémque aduersus se M. Valerium Coruinum dictum audissent, & Magistrum equitum L. Æmylium Mamercum. Vbi primum in conspectum ventum est, arma signaque agnouere: extemplo omnibus memoria patriæ iras permulsit. nondum erant tam fortes ad sanguinem ciuilem: nec præter externa nouerár bella: vltimaque rabies secessio ab suis habebatur. itaq.

G iam duces, iam milites vtrinque congressus quęrere ad colloquia. Quintius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum aduersus patriā? Coruinus, omnes caritate ciues, præcipue milites, & ante alios suum exercitum complexus, ad colloquium processit. Cognito ei extemplo, haud minor ab aduersariis verecundia, quam ab suis silentium datum, Deos, inquit, immortales, milites, vestros publicos, meosque ab vrbe proficiscens ita adoraui, veniámque, supplex poposci: vt mihi de vobis cōcordię partæ gloriam, non victoriam darent: satis fuit, eritque

vnde belli decus pariatur: hinc pax petenda est. A Quòd deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, eius me compotem voti vos facere potestis: si meminisse vultis, non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles quos cernitis, patriæ vestræ esse, si hunc exercitum ciuium vestrorum: si me consulem vestrum, cuius ductu auspicioque priore anno bis legiones Samnitium fudistis, bis castra vi cepistis. Ego sum M. Valerius Coruinus, milites: cuius vos nobilitatem beneficiis erga vos non iniuriis sensistis, nullius superbæ in vos legis, nullius crudelis senatusconsulti B auctor: in omnibus meis imperiis in me seuerior, quam in vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam maiestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt: iis eram natus, id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, vt potuerim tres & viginti annos natus consul patribus quoque ferox esse, non solum plebi. Quod meum factum, dictúmve consulis grauius quam tribuni audistis? Eodem tenore duos insequentes consulatus gessi: eodem hæc imperiosa dictatura geretur: vt neque in hos meos & patriæ meæ milites mitior, quàm in vos, horreo dicere hostes. Ergo vos prius in me strinxeritis ferrum, quam in vos ego. Isthinc signa canent, isthinc clamor prius incipiet atque impetus, si dimicandum est. Inducite in animum, quod non induxerunt patres auique vestri: non illi qui in Sacrum montem secesserunt: non hi qui postea Auentinum insederunt. Exspectate dum vobis singulis, vt olim Coriolano, matres coniugésque crinibus passis obuiæ ab vrbe veniant, tum Volscorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieuerunt: vos Romanus exercitus non destiteritis impio bello? Tite Quinti, quocunque istic loco seu volens seu inuitus constitisti: si dimicandum erit, tum tu in nouissimos te recipito: fugeris etiam honestius, tergúmque cui dederis, quam pugnaueris contra patriam. Nunc ad pacificandum bene atque honeste inter primos stabis, & colloquij huius salutaris interpres fueris. Postulate æqua, & ferre; quanquam vel iniquis standū est potius, quam impias inter nos conseramus manus. Titus Quintius plenus lacrymarum ad suos versus: Me quoque, inquit, milites, si quis vsus mei est, meliorem pacis quam belli habetis ducem. Non enim illa modo Volscus aut Samnis, sed Romanus verba fecit, vester consul, vester imperator, milites, cuius auspicia pro vobis experti, nolite aduersus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiscum infestius, & alios duces senatus habuit: qui maximè vobis suis militibus parceret, cui plurimum vos imperatori vestro crederetis, eum elegit. Pacem etiam qui vincere possunt, volunt. Quid nos velle oportet? Quin omissis ira & spe fallacibus auctoribus nos ipsos nostráque omnia cognitæ permittimus fidei? Approbantibus clamore cunctis, Titus Quintius ante signa progressus, in potestate dictatoris milites fore dixit: orauitque, vt caussam miserorum ciuium susciperet, susceptamque eadem fide, qua rempub. administrare solitus esset, tueretur, sibi se priuatim nihil cauere: nolle alibi quam in innocentia spem habere. militibus cauendum, quod apud patres semel plebi, iterum legionibus cautum sit, ne fraudi secessio esset. Quintio collaudato, ceteris bonum animum habere iussis, dictator equo citato ad vrbem reuectus, auctoribus patribus tulit ad populum in luco Petelino, ne cui militum fraudi secessio esset. Orauit etiam bona venia, Quirites, ne quis eam rem ioco seriove cuiquam exprobraret. Lex quoque sacrata militaris lata est, ne cuius militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur: additúmque legi, ne quis, vbi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. id propter P. Salonium postulatum est ab coniuratis, qui alternis prope annis & tribunus militum, & primus centurio erat, quē nunc primipili appellant. Huic infensi milites erant, quod semper aduersatus nouis consiliis fuisset, nec particeps eorum esset, qui ab Lautulis fugissent. Itaque cum hoc vnum propter Salonium ab senatu nō impetraretur, tum Salonius obtestatus patres conscriptos, ne suum honorem pluris quàm cōcordiam ciuitatis æstimarent, perpulit, vt id quoque ferretur. Æque impotens postulatum fuit, vt de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra demerentur, quod aduersati coniurationi fuissent. Præter hæc inuenio apud quosdam, L. Genutiū tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret. Item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus vno anno gereret, vtique liceret Coss. C ambos plebeios creari. Quæ si omnia concessa sunt plebi, apparet, haud paruas vires defectionem habuisse. Aliis annalibus proditum est, neque dictatorem Valerium dictum, sed per Coss. omnem rem actam: neque antequam Romam veniretur, sed Romæ eam multitudinem coniuratorum ad arma cōsternatam esse: nec in T. Quintij villam, sed in ædes C. Manlij nocte impetum factum: eumque à coniuratis comprehensum, vt dux fieret inde ad quartum lapidem profectos loco munito consedisse: nec ab D ducibus mentionem concordiæ ortam, sed repente, cum in aciem armati exercitus processissent, salutationem factam: & permistos dextras iungere, ac cōplecti inter se lacrymantes milites cœpisse: coactósque Coss. cum viderent auersos à dimicatione militum animos: retulisse ad patres de concordia reconcilianda. adeo nihil præterquam seditionem fuisse, eamque compositam, inter antiquos rerum auctores constat. Et huius fama seditionis, & susceptum cum Samnitibus graue bellum aliquot populos ab E Romana societate auertit: & præter Latinorum infidum iam diu fœdus, Priuernates etiam Norbam atque Setiam finitimas colonias Romanas incursione subita depopulati sunt.

DECADIS PRIMÆ

LIBER VIII.

IAM Coss. erant C. Plautius II. L. Æmylius Mamercus, cùm Setini Norbaníque Romam nuntij defectionis Priuernatium cum querimoniis acceptæ cladis venerunt. Volscorum item exercitum duce Antiati populo consedisse ad Satricum allatum est. Vtrumque bellum Plautio sorte euenit. Prius ad Priuernum profectus, extemplò acie conflixit. haud magno certamine deuicti hostes, oppidum captum, redditumque Priuernatibus, præsidio valido imposito: agri partes duæ ademptæ. Inde victor exercitus Satricum contra Antiates ductus. ibi magna vtrinque cæde atrox prælium fuit, & cum tempestas eos neutro inclinata spe dimicantes diremisset. Romani nihil eo certamine tam ambiguo fessi, in posterum diem prælium parant. Volscis recensentib. quos viros in acie amisis-

A amisissent, haud quaquam idem animus ad iterandum periculū fuit. Nocte pro victis Antium agmine trepido, sauciis, ac parte impedimentorum relicta, abierunt. Armorum magna vis tum inter cæsa corpora hostium, tum in castris inuenta est. ea Luæ matri dare se consul dixit: finesque hostium vsque ad oram maritimam est depopulatus. Alteri consuli Æmylio ingresso Sabellum agrum, non castra Samnitium, non legiones vsquam oppositæ: ferro ignique vastantem agros, legati Samnitium pacem orantes
B adeunt. à quo reiecti ad senatum, potestate factà dicendi, positis ferocibus animis, pacem sibi ab Romanis, bellique ius aduersus Sidicinos petierunt. Quæ se eo iustius petere, quod in amicitiam populi Romani secundis suis rebus, non aduersis, vt Campani, venissent: & aduersus Siducinos sumerēt arma, suos semper hostes, populi Romani nunquam amicos: qui nec, vt Samnites, in pace amicitiam: nec, vt Campani, auxilium in bello petissent: nec in fide populi Romani, nec in ditione essent. Cum de postulatis Samnitium Titus Æmylius prætor senatum
C consuluisset, reddendúmque his fœdus patres censuissent, prætor Samnitibus respondit: Nec quominus perpetua cum eis amicitia esset, per populū Roman. stetisse: nec contradici, quin quoniam ipsos belli culpa sua contracti tædium ceperit, amicitia de integro reconcilietur. Quod ad Sidicinos attinet nihil intercedi quo minus Samniti populo pacis bellique liberum arbitrium sit. Fœdere icto cum domum reuertissent, extemplo inde exercitus Romanus ductus, annuo stipendio, & trium mensium fru-
D mento accepto, quod pepigerat consul, vt tempus induciis daret, quoad legati redissent. Samnites copiis iisdem, quibus vsi aduersus Romanum bellum fuerant, contra Sidicinos profecti, haud in dubia spe erant maximè vrbis hostium potiundæ. Tum ab Sidicinis deditio prius ad Romanos cœpta fieri est: deinde, postquam patres vt seram eam, vltimáque tandem necessitate expressam aspernabātur, ad Latinos iam sua sponte in arma motos facta est. Ne
E Campani quidem (adeo iniuriæ Samnitium, quam beneficij Romanorum memoria præsentior erat) his se armis abstinuere. Ex his tot populis vnus ingens exercitus duce Latino fines Samnitium ingressus, plus populationibus quàm præliis cladium fecit. & quanquam superiores certaminibus Latini erant: haud inuiti, ne sæpius dimicandum foret, agro hostium excessere. Id spatium Samnitibus datum est Romam legatos mittendi. qui cum adiissent senatum, conquesti eadem se fœderatos pati, quæ ho-
F stes essent passi, precibus infimis petiere, vt satis ducerent Romani victoriam quam Samnitibus ex Campano Sidicinoque hoste eripuissent: ne vinci etiam se ab ignauissimis populis sinerent. Latinos Campanosque, si sub ditione populi Rom. essent, pro imperio arcerent Samniti agro. sin imperium abnuerent, armis coercerent. Aduersus hæc responsum anceps datum, quia fateri pigebat in potestate sua Latinos iam non esse, timebantque ne in arguendo abalienarent. Campanorum aliam cōditionem esse, qui nō
G fœdere, sed per deditionem in fidem venissent. Itaque Campanos seu velint, seu nolint, quieturos: in fœdere Latino nihil esse, quod bellare cum quibus ipsi velint, prohibeantur. Quod responsum, sicut dubios Samnites, quidnam facturum Romanum censerent, dimisit: ita Campanos metu abalienauit: Latinos velut nihil iam non concedentibus Romanis, ferociores fecit. Itaque per speciē aduersus Samnites belli parandi, crebra concilia indicentes, omnibus consultationibus inter se principes occultè Romanum coquebant bellum. Huic quoque aduersus seruatores suos bello Campanus aderat. Sed quanquam omnia de industria celabantur, priúsque quā mouerentur Romani, tolli ab tergo Samnitem hostem volebant: tamen per quosdam priuatis hospitiis necessitudinibusque coniunctos indicia coniurationis eius Romanam emanarunt. iussisque ante tempus consulibus abdicare se magistratu: quo maturius noui consules aduersus tantam molem belli crearentur: religio incessit, ab eis quorum imminutum imperium esset, comitia haberi: itaque interregnum initum. duo interreges fuerunt, M. Valerius, ac M. Fabius. Is creauit consules T. Manlium Torquatum III. P. Decium Murem. Eo anno Alexandrum Epiri regem in Italiam classe appulisse constat. quod bellum, si prima satis prospera fuissent, haud dubie ad Romanos peruenisset. Eadem ætas rerum magni Alexādri est, quem sorore huius ortum, in alio tractu orbis inuictum bellis iuuenem fortuna morbo extinxit. Ceterum Romani, & si defectio sociorum nominisque Latini haud dubia erat: tamē tanquam de Samnitibus, non de se curam agerent; decem principes Latinorum Romam euocauerunt, quibus imperarent quæ vellent. Prætores tum duos Latini habebant, L. Annium Setinum, & L. Numitium Circeiensem, ambos ex coloniis Romanis: per quos præter Signiam Velitrásque, & ipsas colonias Romanas, Volsci etiam exciti ad arma erant. eos nominatim euocari placuit. Haud cuiquam dubiū erat, super qua re accirentur. Itaque concilio prius habito, prætores quàm Romam proficiscerentur, euocatos se ab senatu docent Romano, & quæ actum iri secum credāt, quidnam ad ea responderi placeat, referunt. Cum aliud alij censerent, tum Annius: Quanquam ipse ego retuli quid responderi placeret, tamen magis ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quàm quid loquendum sit. Facilè erit, explicatis consiliis, accommodare reb. verba. Nam si etiam nunc sub vmbra fœderis æqui seruitutem pati possumus, quid abest, quin proditis Sidicinis, non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus: respondeamúsque Romanis, nos, vbi innuerint, posituros arma? Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos: si fœdus est, si societas æquatio iuris est: si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nūc gloriari licet: si socialis illis exercitus is est, quo adiuncto duplicēt vires suas, quem secernere ab se Coss. bellis propriis ponendis sumendísque nolint, cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis consul datur? Vbi pars virium, ibi & imperij pars est. Est quidem nobis hoc per se haud nimis amplum, quippe concedentibus Romam caput Latio esse, sed vt amplum videri posset, diuturna patientia fecimus. Atqui si quando vnquam consociandi imperij, vsurpandæ libertatis tempus optastis: en hoc tempus adest, & virtute vestra, & deum benignitate vobis datum. Tentastis patientiam negādo militem. Quis dubitat exarsisse eos, cum plus ducētorum annorum morem solueremus? Pertulerunt tamen hunc dolorem. Bellum nostro nomine cum Pelignis gessimus. Qui ne nostrorum quidem finium per nos tuendorum ius antea dabant, nihil intercesserunt Sidicinos in fidem receptos, Campanos ab se ad nos descisse, exercitus nos parare aduersus Sānites fœderatos suos audierunt: nec mouerunt se ad vrbe. Vnde hæc illis tanta modestia, nisi à conscientia virium & nostrarum & suarum? idoneos auctores habeo, querentibus de nobis Samnitibus ita respōsum ab senatu Romano esse, vt facile appareat, ne ipsos

quidem iam postulare vt Latium sub Romano imperio sit. Vsurpate modo postulando eo, quod illi vobis taciti concedunt. Si quem hoc dicere metus prohibet, en ego ipse audiente non populo Romano modo senatuque, sed Ioue ipso qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, vt si nos in fœdere ac societate esse velint, consulem alterum ab nobis, senatúsque partem accipiant. Hæc ferociter nõ suadenti solum, sed pollicenti, clamore & assensu omnes permiserunt, vt ageret dicerétque quæ è repub. nominis Latini, fidéque sua viderentur. Vbi est Romã ventum, in Capitolio ei senatus datus est. Ibi cum T. Manlius Cos. egisset cum eis ex auctoritate patrum, ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent: Annius, tanquam victor armis Capitolium cepisset, non legatus iure gentium tutus loqueretur: Tempus erat, inquit, T. Manli, vosque patres conscripti, tandem iam vos nobiscum nihil pro imperio agere, cum florentissimum deûm benignitate nunc Latium armis virisque, Semnitibus bello victis, Sidicinis Campanisque sociis, nunc etiam Volscis adiunctis, videretis: colonias quoque vestras Latinum Romano prætulisse imperium. Sed quoniam vos regno impotenti finem vt imponatis, non inducitis in animum: nos quanquam armis possumus, asserere Latium in libertatem, consanguinitati tamen hoc dabimus, vt conditiones pacis feramus æquas vtrisque, quoniam vires quoque æquari diis immortalibus placuit. Consulem alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet: senatus partem æquam ex vtraque gente esse: vnum populum, vnam rempub. fieri. Et vt imperij eadem sedes sit, idémque omnibus nomen: quoniam ab alterutra parte concedi necesse est: quod vtrisque bene vertat, sit hæc sanè patria potior, & Romani omnes vocemur. Forte ita accidit, vt parem ferociæ huius & Romani Cos. T. Manlium haberent: qui adeo non tenuit iram, vt si tanta dementia patres conscriptos cepisset, vt ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in senatum venturum se esse palam diceret, & quemcunque in curia Latinum vidisset, sua manu interempturum. & conuersus ad simulacrum Iouis: Audi Iupiter hæc scelera, inquit, audite ius fasque. Peregrinos Coss. & peregrinum senatum in tuo Iupiter augurato templo captus, atque ipse oppressus visurus es? Hæccine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus vestris Latini, hæc L. Tarquinius vobiscum postea fecit? Non venit in mentem pugna apud Regillum lacum? Adeo & cladium vestrarum veterum, & beneficiorum nostrorum erga vos, obliti estis? Cum consulis vocem subsecuta patrum indignatio esset, proditur memoriæ, aduersus crebram implorationem deûm, quos testes fœderum sæpius inuocabant consules, vocem Annij spernentis numina Iouis Romani auditam. certè cum commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite grauiter offenso, impactus imo ita est saxo, vt sopiretur. Exanimatum auctores quoniam non omnes sunt, mihi quoque in incerto relictum sit: sicut inter fœderũ ruptorum testationem ingenti fragore cœli procellam effusam. nam & vera esse, & apte ad repræsentandam iram deûm ficta possunt. Torquatus missus ab senatu ad dimittendos legatos, cum iacentem Annium vidisset, exclamat ita vt populo patribusque audita vox pariter sit: Bene habet: dij pium mouere bellum. est cœleste numen, es magne Iupiter: haud frustra te patrem deûm hominumque hac sede sacrauimus. Quid cessatis Quirites, vosque patres conscripti arma capere diis ducibus? Sic stratas

A legiones Latinorum dabo, quemadmodum legatum iacentem videtis. Assensu populi excepta vox consulis, tantum ardoris animis fecit, vt legatos proficiscentes cura magistratuum magis, qui iussu consulis prosequebantur, quã ius gentium ab ira impetuque hominum tegeret. Consensit & senatus bellum: consulésque duobus scriptis exercitibus per Marsos Pelignosque profecti, adiuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quo iam Latini sociique conuenerant, castra locant. Ibi in quiete vtrique consuli eadem dicitur visa species viri maioris, quàm pro hu-
B mano habitu, augustiorisque, dicentis: Ex vna acie imperatorem, ex altera exercitum diis Manibus matrique Terræ deberi. vtrius exercitus imperator legiones hostium, superque eas se deuouisset, eius populi partisque victoriam fore. Hos vbi nocturnos visus inter se consules cõtulerunt, placuit auerruncandæ deum iræ victimas cædi: simul vt si extis eadem quæ somno visa fuerant, portenderentur, alteruter consulum fata impleret. Vbi responsa aruspicũ
C insidenti iam animo tacitæ religioni congruerunt, tum adhibitis legatis tribunisque, & imperiis deum propalam expositis, ne mors voluntaria consulis exercitum in acie terreret: comparant inter se, vt ab vtra parte cedere Romanus exercitus cœpisset, inde se consul deuoueret pro populo Ro. Quiritibúsque. Agitatum etiam in concilio est, vt si quando vnquã seuero vllum imperio bellum administratum esset, tunc vti disciplina militaris ad priscos redigeretur mores. Curam acuebat, quod aduersus Latinos bel-
D landum erat, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes, milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis, compares, collegæque, iisdem præsidiis, sæpe iisdem manipulis permisti fuerant. Per hæc ne quo errore milites caperentur, edicunt consules, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte inter ceteros turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius consulis filius super castra hostium cũ suis turmalibus euasit, vt vix
E teli iactu ab statione proxima abesset. ibi Thusculani erant equites, præerat Geminius Metius, vir tum genere inter suos, tum factis clarus. is vbi Romanos equites insignémque inter eos præcedentem consulis filium (nam omnes inter se vtique illustres viri noti erant) cognouit: Vnáne, ait, turma Romani cũm Latinis sociisque bellum gesturi estis? Quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent? Aderunt in tempore, Manlius inquit, & cum illis aderit Iupiter ipse, fœderum
F à vobis violatorum testis, qui plus potest, pollétque. Si ad Regillum lacum ad satietatem vestram pugnauimus, hic quoque efficiemus profecto, ne quid minus quàm acies vobis, & collata signa nobiscum, cordi sint. Ad ea Geminius paululum ab suo equo prouectus: Visne igitur, dum dies ista venit, qua magno conatu exercitu moueatis, interea tu ipse congredi mecum, vt nostro duorum iam hinc euentu cernatur, quantum eques Latinus Romano præstet? Mouet ferocem animum iuuenis seu ira,
G seu detrectandi certaminis pudor, seu inexsuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperij pater, consulúmque edicti, præceps ad id certamen agitur, quo vinceret ac vinceretur, haud multum interesset. Equitibus ceteris velut ad spectaculum summotis, spatio quod vacui interiacebat campi, aduersos concitant equos: & cũ infestis cuspidibus concurrisset, Manlij cuspis super galeam hostis Metij trans ceruicem equi elapsa est. circumactis deinde equis, cũ prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset,

spicu-

spiculū inter aures equi fixit. ad cuius vulneris sensum cum equus prioribus pedibus erectis magna caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmáque innixum, attollentē à se graui casu, Manlius ab iugulo, ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit, spoliisque lectis ad suos reuectus, cum ouáte gaudio turma in castra, atque inde ad prætorium ad patrem tendit, ignarus fati, futurique, laus an pœna merita esset. Vt me omnes, inquit, pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, prouocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto. Quod vbi audiuit consul B extemplo filium auersatus, concionem classico aduocari iussit. quæ vbi frequens conuenit: Quandoquidem, inquit, tu T. Manli neque imperium consulare, neque maiestatem patriam veritus, aduersus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti: & quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti: méque in eam necessitatem adduxisti, vt aut reipublicæ mihi aut mei meorúmque obliuiscendum sit: nos potius nostro delicto plectemur, quàm respub. tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum, sed in C posterum salubre iuuētuti erimus. Me quidem cum ingenita caritas liberûm, tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te mouet: sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam, pœna restituas: I lictor, deliga ad palum. Examinati omnes tam atroci imperio: nec aliter quàm in se quisque districtam cernentes securim, D metu magis quàm modestia quieuere. Itaque velut emerso ab admiratione animo, cum silentio defixi stetissent: repente postquam ceruice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ voces sunt, vt neque lamentis, neque exsecrationibus parceretur: spoliisque contectum iuuenis corpus, quantum militaribus studiis funus vllum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur: Manliánaque imperia non in præsentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent. E Fecit tamen atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem, & præterquam quod custodiæ vigiliæq. & ordo stationum intentioris vbiq. curæ erant, in vltimo etiam certamine, cum descensum in aciem est, ea seueritas profuit. fuit enim ciuili maxime bello pugna similis. adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana republica, præter animos, erat. Clypeis antea Romani vsi sunt: deinde postquā stipēdiarij facti sunt, scuta pro clypeis fecere: & quod antea phalanges similes Macedonicis hoc postea manipulatim F structa acies cœpit esse. Postremo in plures ordines instruebantur. Ordo sexagenos milites duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Prima acies hastati erant manipuli quindecim, distantes inter se modicum spatiū: Manipulis leueis vicenos milites aliam turbam scutatorū habebat. Leues autem, qui hastam tantum gesaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen. hos G sequebantur scutati omnes insignibus maxime armis. hoc XXX. manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat, earum vnamquamque primum pilum vocabant. tribus ex vexillis constabat. Vexillum CLXXXVI. homines erant. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundū rorarios, minus roboris ætate factisq. tertium accensos, minimæ fiduciæ manum. eo & in postremam aciem reiiciebantur. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant. tum principum pugna erat. Hastati sequebantur. Triarij sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, secuta innixa humeris, hastas suberecta cuspide in terra fixas, haud secus quàm vallo septa inhorreret acie, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, à prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad triarios rediisse, cum laboratur, prouerbio increbuit. Triarij consurgentes, vbi in interualla ordinum suorum principes & hastatos recepissent, extemplò compressis ordinibus velut claudebant vias: vnóque continente agmine iam nulla spe post relicta in hostem incedebant. Id erat formidolosissimum hosti, cum velut victos insecuti, nouam repente aciem exsurgentem, auctam numero cernebant. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis alterum tantum ex Latino delectu adiiciebantur: qui in tempestate hostes erāt Romanis, eodémque ordine instruxerant aciem. Nec vexilla cum vexillis tantùm, vniuersi hastati cum hastatis, principes cum principibus, sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat. Duo primipili ex vtraque acie inter triarios erant: Romanus corpore haud quaquam satis validus, ceterum strenuus vir, peritúsque militiæ: Latinus viribus ingens, bellatorque primus: notissimi inter se, quia semper pares ordines duxerunt Romano haud satis fidenti viribus, iā Romæ permissum erat ab Coss. vt subcenturionē sibi quem vellet, legeret, qui tutaretur, eum ab vno destinato hoste. Hisq. in acie oblatus, ex centurione Latino victoriam tulit. Pugnatū est haud procul radicibus Vesuuij montis, qua via ad Veserim ferebat. Romani Coss. prius quàm educerent in aciem, immolauerunt. Decio caput iecinoris à familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam diis hostiam esse: Manlium egregiè litasse. Atqui bene habet, inquit Decius, si ab collega prospere litatum est. Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus, processere in aciem. Manlius dextro, Decius læuo cornu præerat. Primo vtrinque æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab læuo cornu hastati Romani non ferentes impressionē Latinorum, se ad principes recepere. In hac trepidatione Decius Cos. M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope Valeri opus est. agedum pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exserta, super telum subiectum pedibus stātem sic dicere: Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouensiles, dij indigetes, diui quorum est potestas nostrorum, hostiúmque, diique manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque vti populo Rom. Quiritium vim victoriámque prosperetis: hostésq. populi Romani Quiritium terrore, formidine, mortéque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro repub. Quiritium, legiones auxiliáque hostium mecum diis manibus Tellurique deuoueo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium iubet, maturéque collegæ se deuotum pro exercitu nuntiare. Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit: ac se in me-

dios hostes immisit. Conspectus ab vtraque acie aliquando augustior humano visu, sicut cœlo missus piaculum omnis deorum iræ, qui pestem ab suis auersam in hostes ferret. Ita omnis terror pauorque cum illo latus, signa primo Latinorum turbauit: deinde in totam penitus aciem peruasit. Euidentissimum id fuit, quod quacunque equo inuectus est, ibi haud secus quàm pestifero sidere icti pauebant. [vbi verò corruit obrutus telis, inde iam haud dubie cõsternatæ cohortes Latinorum, fugam ac vastitatem latè fecerunt. Simul & Romani exsolutis religione animis, velut tum primum signo dato coorti, pugnã integram ediderunt. nam & Rorarij procurrebant inter Antepilanos, addiderántque vires hastatis ac principibus: & Triarij genu dextro innixi, nutum Cos. ad consurgendum exspectabant. Procedente deinde certamine, cum aliis partibus multitudo superaret Latinorum, Manlius Cos. audito euentu collegæ, cum, vt ius fásque erat, lacrymis non minus quàm laudibus debitis prosecutus tam memorabilem mortem esset: paulisper addubitauit, an consurgendi iam Triariis tempus esset: deinde melius ratus integros eos ad vltimum discrimen seruari accẽsos ab nouissima acie ante signa procedere iubet. Qui vbi subiere, extemplò Latini, tanquam idem aduersarij fecissent, Triarios suos excitauerunt: qui aliquãdiu pugna atroci cum & semetipsi fatigasset, & hastas aut præfregissent, aut hebetassent, pellerent vi tamen hostem, debellatum iam rati, peruentúmque ad extremam aciem: tum Cos. Triariis: Consurgite nunc, inquit, integri aduersus fessos, memores patriæ parentúmque, & coniugum ac liberorum, memores consulis pro vestra victoria morte occumbentis. Vbi Triarij consurrexerunt integri, refulgentibus armis, noua ex improuiso exorta acies, receptis in interualla ordinum Antepilanis, clamore sublato principia Latinorum perturbant: hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso per alios manipulos velut inermes propè intacti euasere: tantáque cæde perrupere cuneos, vt vix quartam partẽ relinquerent hostium. Samnites quoque sub radicibus montis procul instructi, præbuere terrorem Latini. Ceterum inter omnes ciues sociosque precipua laus eius belli penes Coss. fuit: quorum alter omnes minas periculáque ab diis superis inferisque in se vnum vertit: alter ea virtute, eoque consilio in prælio fuit, vt facilè conuenerit inter Romanos Latinosque, qui eius pugnæ memoriam posteris tradiderunt, vtrius partis T. Manlius dux fuisset, eius futuram haud dubiè fuisse victoriam. Latini ex fuga se Minturnas contulerunt. castra secundum prælium capta, multique mortales ibi viui oppressi, maximè Campani. Decij corpus ne eo die inueniretur, nox quærentes oppressit: postero die inuentum inter maximam hostium stragem coopertum telis, funúsque par morti celebrante collega factũ. Illud adiiciendum videtur, licere consuli dictatorique & prætori, cum legiones hostium deuoueant: non vtique se, sed quem velit ex legione Romana scripta ciuem deuouere: si is homo qui deuotus est, moritur, propè factum videri: ni moritur, tum signum septem pedes altum, aut maius in terram defodi, & piaculum hostia cædi. vbi illud signum defossum erit, eo magistratum Romanum descendere fas non esse. Sin autem sese deuouere volet, sicuti Decius deuouit: ni moritur, neque suum, neque publicum diuinum pure faciet, qui se deuouerit. Vulcano arma, siue cui alij diuo deuouere volet: siue hostia, siue quo alio volet ius esto. Telo, super quod stans consul precatus est, ho-

A stem potiri fas non est. si potiatur, Marti suóue taurilib. piaculũ fieri. Hæc etsi omnis diuini humaniq; moris memoria aboleui, noua peregrináque omnia priscis ac patriis præferendo haud ab re duxi, verbis quoque ipsis, vt tradita nuncupatáque sunt, referre. Romanis post prælium demum factum Samnites venisse subsidio, exspectato euentum pugnæ, apud quosdam auctores inuenio. Latinis quoque ab Lauinio auxilium dum deliberando terunt tempus. victis demum ferri cœptum: & cum iam portis prima signa

B & pars agminis esset egressa: nuntio allato de clade Latinorum, cum conuersis signis retro in vrbem rediretur, prætorẽ eorum nomine Millionium dixisse ferunt, pro paulula via magnam mercedẽ Romanis esse soluẽdam. Qui Latinorum pugnę superfuerant, multis itineribus dissipati, cum se in vnum conglobassent, Vescia vrbs eis receptaculum fuit. Ibi in consiliis Numisius imperator eorum, affirmando commune vere Martem belli vtranque aciem pari cæde prostrauisse, victoriéque nomen tantum penes

C Romanos esse, cetera pro victis fortunã & illos gerere: funesta duo consulum prætoria alterum parricidio filij, alterum consulis deuoti cæde, trucidatum exercitum omnem: cæsos hastatos principésq. stragem & ante signa & post signa factam: triarios postremo rem restituisse Latinorum etsi pariter accisæ copiæ sint, tamen supplemento vel Latium proprius esse, vel Volscos, quàm Romam. Itaque si videatur eis, se ex Latinis & ex Volscis populis iuuentute propere exita, rediturum infesto exercitu Capuam esse,

D Romanosque nihil tam minus quàm prælium exspectantes, nec opinato aduentu perculsurum. Fallacibus literis circa Latium nomẽnque Volscum missis, quia qui non interfuerunt pugnæ, ad credẽdum temere faciliores erant, tumultuarius vndique exercitus raptim conscriptus conuenit. Huic agmini Torquatus consul ad Trifanũ (inter Sinuessam Minturnásque is locus est) occurrit. prius quàm castris locus caperetur, sarcinis vtrinque in aceruum coniectis, pugnatum, debellatumque est. adeo enim accisæ res sunt, vt consuli victorem exercitum ad po-

E pulandos agros eorum ducenti dederent se omnes Latini, deditionémque eam Campani sequerentur, Latium Capuáque agro mulctati. Latinus ager, Priuernati addito agro & Falernus qui populi Campani fuerat, vsque ad Vulturnum flumen plebi Romanę diuiditur. bina in Latino iugera, ita vt dodrãtem ex Priuernati compleret, data: terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adiectis. Extra pœnam fuere Latinorum Laurentes, Campanorumque equites: quia non desciuerant. Cum

F Laurentibus renouari fœdus iussum. renouatúrq. ex eo quotannis post diem decimum Latinarum. Equitibus Campanis ciuitas data: monumentoq. vt esset, æneam tabulam in æde Castoris Romæ fixerunt. vectigal quoque eis Cãpanus populus iussus pẽdere in singulos quotannis (fuere autem mille & sexcẽti) denarios nummos quadringenos quinquagenos. Ita bello gesto, præmiis pœnaque pro cuiusque merito persolutis T. Manlius Romam rediit. cui venienti seniores tantum obuiam exisse constat iuuentutem & tunc & omni vita deinde auersatam eum, execratámque.

G Antiates in agrum Hostiensem, Ardeatem Soloniũ incursiones fecerunt. Manlius Consul, quia ipse per valetudinem id bellum exsequi nequierat, dictatorem L. Papyrium Crassum, qui tum forte erat prætor, dixit ab eo magister equitum L. Papyrius Cursor dictus. Nihil memorabile aduersus Antiates ab dictatore gestum est, cum aliquot menses statiuo in agro Antiati habuisset. Anno insigni victoria

victoria

ctoria de tot ac tã potẽtib. populis, ad hoc cõsulum A alterius nobili morte alterius, ficut truci, ita claro ad memoriã imperio, fuccellere Coss. T. Æmyl. Mamercus. & Q. Publius Philo: neq. in similé materiam rerũ, & ipfi aut fuarum rerum, aut partium in republica magis quàm patriæ memores. Latinos ob iram agri amiffi rebellantes in campis Fenectanis fuderunt, caftrifque exuerũt. Ibi Publio, cuius ductu aufpicióque res geftæ erant, in deditionem accipiente Latinos populos, quorum ibi iuuentus cæfa erat: Æmylius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur B Tybur, Prænestinus, Veliternúfque populus. Venerant & ab Lanuuio Antioque auxilia. Vbi cum prælijs quidem fuperior Romanus effet: ad vrbem ipsã Pedum, caftráque fociorum populorum, quæ vrbi adiuncta erant, integer labor reftaret: bello infecto repente omiffo, conful, quia collegæ decretum triũphum audiuit, ipfe quoque triumphi ante victoriam flagitator Romã rediit. Qua cupiditate offenfis patribus, negantibúfque nifi Pedo capto aut dedito triumphum, hinc alienatus ab fenatu Æmylius, feditiofis tribunatibus fimilem deinde con- C fulatum geffit. Nam neque quoad fuit conful criminari apud populum patres deftitit, collega haud quaquam aduerfante: quia & ipfe de plebe erat. materiã autem præbebat criminibus ager in Latino Falernoque agro malignè plebi diuifus. & poftquam fenatus finire imperium confulibus cupiens, dictatorem aduerfus rebellantes Latinos dici iuffit: Æmylius, cuius tum fafces erant, collegam dictatorem dixit: ab eo magifter equitum Iunius Brutus dictus. Dictatura D popularis, & orationibus in patres criminofis fuit: & quod tres leges fecundiffimas plebi, aduerfas nobilitati tulit: vnam, vt plebifcita omnes Quirites tenerent: alteram vt legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum fuffragium patres auctores fierent: tertiam, vt alter vtiq. ex plebe, cum eò ventum fit, vt vtrumque plebeium fieri liceret cenfor crearetur. Plus eo anno domi acceptum cladis ab confulibus, ac dictatore, quàm ex victoria eorum, bellicifque rebus foris auctum imperium patres credebant. Anno infequenti L. Furio Camillo, C. Mænio E Coss. quo infignius omiffa res Æmylio fuperioris anni confuli exprobraretur, Pedum armis virifque & omni vi expugnandum ac delendum fenatus fremit: coactiq. noui confules omnibus eam rem præuertere, proficifcuntur. Iam Latio is ftatus erat rerum, vt neque bellum, neque pacem pati poffent. Ad bellum opes deerant: pacem ob agri ademti dolorem afpernabantur. mediis confiliis ftandum videbatur, vt oppidis fe tenerent, ne laceffitus Romanus causã belli haberet: & fi cuius oppidi obfidio nuntiata ef- F fet, vndique ex omnibus populis auxilium obfeffis ferretur. Neque tamen nifi admodum à paucis populis Pedani adiuti funt, Tyburtes, Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum peruenere. Aricinos, Lanuuinofque & Veliternos Antiatibus Volfcis fe coniungentes ad Afturæ flumen Menius improuifo adortus fudit. Camillus ad Pedum cum Tyburtibus maximè valido exercitu maiore mole, quanquam æque profpero euentu pugnat. Tumultũ maxime repentina inter prælium eruptio oppida- G norum fecit, in quos parte exercitus conuerfa, Camillus non compulit folum eos intra mœnia, fed eodem etiam die cùm ipfos auxiliáque eorum perculiffet, oppidum fcalis cepit. Placuit inde iam maiore conatu animoq. ab vnius expugnatione vrbis ad perdomandum Latium victorem circumducere exercitum. Nec quieuere ante, quàm expugnando, aut in deditionem accipiendo fingulas vrbes, La-

tium omne fubegere. Præfidiis inde difpofitis per recepta oppida Romani ad deftinatum omnium confenfu triumphum deceffere. Additus triumpho honos, vt ftatuæ equeftres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Priufquam comitiis in infequentem annum cõfules rogarent, Camillus de Latinis populis ad fenatum retulit, atque ita differuit: Patres confcripti, quod bello armifque in Latio agendum fuit, id iam deûm benignitate ac virtute militum ad finem venit. cæfi ad Pedum Afturámque funt exercitus hoftium: oppida Latina omnia, & Antium ex Volfcis, aut vi capta, aut recepta in deditionem, præfidiis tenentur veftris. Reliqua confultatio eft, quoniam rebellando fæpius nos folicitãt, quonam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dij immortales, ita vos potentes huius confilij fecerunt, vt fit Latium deinde, an non fit, in veftra manu pofuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum vel fæuiendo, vel ignofcendo poteftis. Vultis crudeliter confulere in deditos, victofque? licet delere omne Latiũ: vaftas inde folitudines facere, vnde fociali egregio exercitu permulta bella magnáque fæpe vfi eftis. Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam, victos in ciuitatem accipiendo? Materia crefcendi per fummam gloriam fuppeditat. Certè id firmiffimum longè imperium eft, quod obedientes gaudent. Sed maturato opus eft, quicquid ftatuere placet. Tot populos inter fpem metúmque fufpenfos animi habetis: & veftram vtique de eis curam quam primùm abfolui, & illorum animos, dum exfpectatione ftupent, feu pœna, feu beneficio præoccupari oportet. Noftrum enim fuit efficere, vt omnium rerum vobis ad confulendum poteftas effet: veftrum eft decernere quod optimum vobis, reique publicæ fit. Principes fenatus relationem confulis de fumma rerum laudare. fed cum aliorum cauffa alia effet, ita expediri poffe confilium dicere, vt pro merito cuiufque ftatueretur, fi de fingulis nominatim referrẽt populis. Relatũ igitur de fingulis, decretumque Lanuuinis ciuitas data: facráq. fua reddita cũ eo, vt ædes, lucúfque Sofpite Iunonis cõmunis Lanuuinis municipibus cum pop. Rom. effet; Aricini, Nomentaniq; & Pedani eodem iure quo Lanuuini in ciuitatem accepti. Tufculanis feruata ciuitas, quam habebant: criménque rebellionis à publica fraude in paucos auctores verfum. In Veliternos veteres ciues Romanos, quòd toties rebellaffent, grauiter fæuitum: & muri deiecti, & fenatus inde abducti, iuffique trans Tyberim habitare, vt eius qui cis Tyberim deprehenfus effet, vfque ad mille pondo clarigatio effet: nec prius quam ære perfoluto, is qui cepiffet, extra vincula captum haberet. In agrum fenatorum coloni miffi: quibus adfcriptis, fpeciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt. Et Antium noua colonia miffa, cum eo, vt Antiatibus permitteretur, fi & ipfi adfcribi coloni vellent. naues inde longæ abactæ: interdictúque mari Antiati populo eft, & ciuitas data. Tyburtes Prænestinique agro mulctati, neque ob recens tantum rebellionis commune cum aliis Latinis crimen, fed quod tędio imperij Romani cum Gallis, gente efferata, arma quondam confociaffent. Ceteris Latinis populis, connubia commerciáque, & confilia inter fe ademerunt. Campanis equitibus honoris cauffa, quia cũ Latinis rebellare noluiffent: Fundanifque, & Formianis, quod per fines eorum tuta pacatáque femper fuiffet via, ciuitas fine fuffragio data. Cumanos, Sueffulanofque eiufdem iuris conditionifque, cuius Capuam effe placuit. Naues Antiatium partim innaualia Romæ

A comprehensæ extemplò earum comites, magnum numerum matronarum indicauerunt: ex quibus ad CLXX. damnatæ. Neque de veneficiis ante eam diẽ Romæ quæsitum est. Prodigij ea res loco habita: captisque magis mentibus quàm consceleratis similis visa. Itaque memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam plebis clauum ab dictatore fixum, alienatásque discordia mentes hominum, eo piaculo compotes sui fecisse, dictatorem claui figendi caussa creari placuit. B creatus Cn. Quintilius, magistrum equitum L. Valerium dixit: qui fixo clauo magistratu se abdicarunt. Creati Coss. L. Papyrius Crassus iterum, L. Plautius Venox. cuius principio anni legati ex Volscis Fabraterni & Lucani Romam venerunt, orantes vt in fidem reciperentur: si à Samnitium armis defensi essent, se sub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros. Missi tum ab senatu legati: denuntiatumque Samnitibus, vt eorum populorum finibus vim abstinerent. C valuitque ea legatio, non tam quia pacem volebant Samnites, quàm quia nondum parati erant ad bellum. Eodem anno Priuernas bellum initum: cuius socij Fundani, dux etiam Fundanus fuit Vitruuius Vaccus, vir non domi solùm, sed etiam Romæ clarus. ædes fuere in palatio eius, quæ Vacci prata diruto ædificio publicatoque solo appellata. Aduersus hunc vastantem effusè Setinum Norbanúmque & Coranum agrum, L. Papyrius profectus, haud procul castris eius consedit. Vitruuio nec vt vallo se teneret aduersus validiorem hostem, sana constare mens, D nec vt longiùs à castris dimicaret, animus suppetere. Vis tota extra portam castrorum explicita acie, fugam magis retro quàm prælium aut hostem spectante milite sine consilio, sine audacia depugnat: & vt leui momento, nec ambiguè est victus: ita breuitate ipsa loci, facilique receptu in tam propinqua castra, haud ægrè militem à multa cæde est tutatus. nec ferè quisquam in ipso certamine, pauci in turba fugæ extremæ cùm in castra ruerent, cæsi: primisque tenebris Priuernum inde petitum agmine trepido, E vt muris potius quàm vallo sese tutarentur. A Priuerno Plautius alter Cos. peruastatis passim agris, prædáque abacta, in agrum Fundanum exercitum inducit. ingredienti fines senatus Fundanorum occurrit: negat se pro Vitruuio sectámque eius secutis precatum venisse, sed pro Fundano populo: quem extra culpam belli esse, ipsum Vitruuium indicasse, cùm receptaculum fugæ Priuernum habuerit non patriam Fundos. Priuerni igitur hostes populi Romani quærendos, persequendosque esse, qui simul à F Fundanis ac Romanis vtriusque patriæ immemores defecerint. Fundanis pacem esse, & animos Romanos, & gratam memoriam acceptæ ciuitatis: orare se consulem, vt bellum ab innoxio populo abstineat: agros, vrbem, corpora ipsorum coniugúmque ac liberorum suorum in potestate populi Romani esse, futuráque. Collaudatis Fundanis Cos. literisque Romam missis in officio Fundanos esse, ad Priuernum flexit iter. Prius animaduersum in eos qui capita coniurationis fuerant, à Cos. scribit Claudius ad CCCL. G ex coniuratis vinctos Romam missos, eámque deditionem ab senatu non acceptam: quod egentium atque humilium pœna defungi velle Fundanum populum censuerint. Priuernum duobus consularibus exercitibus cum obsideretur, alter Cos. comitiorum caussa Romam reuocatus. Carceres eo anno in circo primum statuti. Nondum perfunctos cura Priuernatis belli, tumultus Gallici fama atrox inuasit, haud fermè vnquam neglecta patribus. Extemplò igitur Coss. noui L. Æmylius Mamercus, & Cn. Plautius eo ipso die Calend. Quintilibus, quo magistratus inierunt comparare inter se prouincias iussi: & Mamercus, cui Gallicum bellum euenerat, scribere exercitum sine vlla vacationis venia. quin opificum quoque vulgus, & sellularij, minimè militiæ idoneũ genus exciti dicuntur: Veiosque ingens exercitus contractus, vt inde obuiam Gallis iretur. Longius discedi, ne alio itinere hostis falleret, ab vrbe incedens, non placuit. Paucos deinde post dies satis explorata temporis eius quiete à Gallis, Priuernum omnis conuersa vis. Duplex inde fama est, alij vi captam vrbem, Vitruuiúmque viuũ in potestatem venisse; alij, prius quàm vltima adhiberetur vis, ipsos se in deditionem consulis caduceum præferentes permisisse auctores sunt, Vitruuiúmque ab suis traditum. Senatus de Vitruuio Priuernatibusque consultus consulem Plautium dirutis Priuerni muris, præsidioque valido imposito, ad triumphum accersit. Vitruuium in carcerem asseruari iussit quoad cõsul redisset, tum verberatum necari: ædes eius, quæ essent in palatio diruendas, bona Semoni Sango censuerunt consecranda. quodque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. De senatu Priuernate ita decretum, vt, qui senator Priuerni post defectionem ab Romanis mansisset, trans Tyberim lege eadem qua Veliterni habitaret. His ita decretis, vsque ad triumphum Plautij silentium de Priuernatibus fuit: post triumphum Consule necato Vitruuio, sociisque eius noxæ, apud satiatos iam suppliciis nocẽtium tutam mentionem de Priuernatibus ratus: Quoniam auctores defectionis, inquit, meritas pœnas & diis immortalibus, & à vobis habent, Patres conscripti: quid placet de innoxia multitudine fieri? Equidem etsi meæ partes exquirendæ magis sententiæ, quàm dandæ sunt: tamen cùm videam Priuernates vicinos Samnitibus esse, vnde nunc nobis incertissima pax est, quam minimum irarum inter nos illosque relinqui velim. Cùm ipsa per se res anceps esset, prout cuiusque ingenium erat atrocius mitiúsve suadentibus, tum incertiora omnia vnus ex Priuernatibus legatis fecit, magis conditionis, in qua natus esset, quàm præsentis necessitatis memor: qui interrogatus à quodam tristioris sententiæ auctore, quam pœnam meritos Priuernates censeret: eam, inquit, quam merentur qui se libertate dignos censent. cuius cum feroci responso infestiores factos videret consul eos, qui ante Priuernatium caussam impugnabant: vt ipse benigna interrogatione mitius responsum eliceret: Quid si pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus? Si bonam dederitis, inquit, & fidam, & perpetuam: si malam, haud diuturnam. Tum verò minari, nec id ambiguè, Priuernatem quidam, & illis vocibus ad rebellandum incitari pacatos populos. pars melior senatus ad meliora responsa trahere, & dicere, viri & liberi, vocem auditam an credi posse, vllum populum, aut hominem denique in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius quàm necesse sit, mansurum? ibi pacem esse fidam, vbi voluntarij pacati sint: neque eo loco, vbi seruitutem esse velint, fidem sperandam esse. In hanc sententiam maximè cõsul ipse inclinauit animos identidem ad principes sententiarum consulares, vti exaudiri posset à pluribus dicendo, eos demum qui nihil præterquã de libertate cogitant, dignos esse qui Romani fiant. Itaque & in senatu caussam obtinuêre: & ex auctoritate patrum latum ad populum est, vt Priuernatibus ciuitas daretur. Eodem anno Anxur trecẽti in coloniam missi

sunt: bina iugera agri acceperunt. Secutus est annus nulla re belli domive insignis, P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula Coss. præterquam quod Fregellas (Sidicinorũ is ager deinde Volscorum fuerat) colonia deducta: & populo visceratio data à Marco Flauio in funere matris. Erant qui per speciem honorandę parentis meritam mercedem populo solutam interpretarentur, quod eum die dicta ab ædilibus crimine stupratæ matris familiæ absoluisset. Data visceratio in præteritam iudicij gratiam, honoris B etiam ei caussa fuit: tribunatúque plebis proximis comitiis absens præsentibus præfertur. Palæpolis fuit haud procul inde, ibi nunc Neapolis sita est: duabus vrbibus populus idem habitabat, Cumis erant oriundi. Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt. Classe qua aduecti ab domo fuerant, multum in ora maris eius, quod accolunt, potuêre. primo in insulas Ænariam & Pythecusas egressi, deinde in continentem ausi sedes transferre. Hæc ciuitas cum suis viribus, tum Samnitium infida ad- C uersus Romanos societate freta, siue pestilentię quæ Romanam vrbem adorta nuntiabatur, fidens, multa hostilia aduersus Romanos agrum Campanum Falernumque incolentes fecit. Igitur L. Cornelio Lentulo, Q. Publio Philone iterum Coss. fecialibus Palæpolim ad res repetendas missis, cùm relatum esset à Græcis, gente lingua magis strenua quàm factis, ferox responsum: ex auctoritate patrum populus Palæpolitanis bellum fieri iussit. Inter Coss. prouinciis comparatis, bello Græci persequendi Publio euenerunt. Cornelius altero exercitu Samnitibus, si D qua se mouerent, oppositus. Fama autem erat, defectioni Campanorum imminentes admoturos castra. ibi optimum visum Cornelio statiua habere. Ab vtroque consule exiguam spem pacis cum Samnitibus esse, certior fit senatus. Publius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus, quàm voluntate Græcorum recepta Palæpoli miserat. Romæ compertum est, delectum indictum à magistratibus: vniuersum, Samnium erectum: ac vicinos populos, Priuernatem E Fundanúmque & Formianum, haud ambiguè sollicitari. Ob hæc cùm legatos mitti placuisset, prius ad Samnites, quàm bellum fieret, responsum redditur à Samnitibus ferox. Vltro incusabant iniurias Romanorum: neq; eo negligentius ea quæ ipsis obiicerentur, purgabant, haud vllo publico consilio auxiliove iuuari Græcos: nec Fundanum Formianúmve à se solicitatos: quippe minimè pœnitere se virium suarum, si bellum placeat. ceterum non posse dissimulare, ægre pati ciuitatem Samnitium, quod Fre- F gellas ex Volscis captis, dirutásque ab se, restituerit Romanus populus, coloniámque in Samnitium agro imposuerit, quam coloni eorum Fregellas appellent. eam se contumeliam iniuriámque, ni sibi ab iis qui fecerint, demature, ipsos omni vi depulsuros esse. Cùm Romanus legatus ad disceptandum eos ad communes socios itque amicos vocaret: Quid perplexè agimus? inquit. Nostra certamina Romani, non verba legatorum, nec hominum quisquam disceptator, sed campus Campanus, in quo concurré- G dum est, & arma, & communis Mars belli decernet. Proinde inter Capuam Suessulámque castra castris conferamus: & Samnis Romanúsne imperio Italiam regat, decernamus. Legati Romanorum cum se non quò hostis vocasset, sed quò imperatores sui duxissent, ituros esse respondissent: iam Publius inter Palæpolim Neapolimque loco opportunè capto, diremerat hostibus societatem auxilij mutui, qua vt quisque locus premeretur, inter se vsi fuerát. Itaque

A cùm & comitiorum dies instaret, & Publium imminentem hostium muris auocari ab spe capiendæ in dies vrbis, haud è Republica esset: actum cum tribunis est, ad populum ferrent, vt, cùm Publius Philo consulatu abiisset, proconsul rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset. L. Cornelio, quia ne eum quidem in Samnium iam ingressum reuocari ab impetu belli placebat, literæ missæ, vt dictatorem comitiorum caussa diceret, dixit M. Claudium Marcellum. ab eo magister equitum dictus Sp. Posthumius. Nec tamen ab dictatore comitia sunt habita: quia vitione creatus esset, in disquisitionem venit. Consulti augures, vitiosum videri dictatorem pronuntiauerunt. Eam rem tribuni suspectã infamémque criminando fecerunt. nam neque facilè fuisse id vitium nosci, cùm consul ineunte nocte silentio diceret dictatorem: neque ab consule cuiquam publicè priuatimve de ea re scriptum esse, nec quenquam mortalium exstare, qui se vidisse aut audiuisse quid dicat, quod auspicium dirimeret: neque augures diuinare Romæ sedentes potuisse, quid in castris consuli vitij obuenisset. Cui non apparere, quod plebeius dictator sit, id vitium auguribus visum? Hæc, aliáque ab tribunis nequicquam iactata: tamen ad interregnum res redit: dilatisque alia atque alia de caussa comitiis, quartusdecimus demum interrex Lucius Æmylius Cos. erat C. Petilium, L. Papyrium Mugilanum: Cursorem in aliis annalibus inuenio. Eodem anno Alexandriam in Ægypto proditum conditam: Alexandrumque Epeiri regem ab exsule Lucano interfectum, sortes Dodonęi Iouis euentu animasse. Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caueret Acherusiam aquam Pandosiámque vrbem: ibi fatis eius terminum dari. eoqué ocyus transmisit in Italiam, vt quàm maximè procul abesset vrbe Pádosia in Epeiro, & Acheronte amni: quem ex Molosside fluentem in stagna inferna accipit Thesprotius sinus. Ceterum (vt fermè fugiendo in media fata ruitur) cùm sæpe Brutias Lucanásque legiones fudisset: Heracleam Tarentinorum coloniam, Consentiam ex Lucanis, Sipontumque Brutiorum coloniam Accerinam, aliàs inde Messapiorum ac Lucanorum cepisset vrbes: & trecentas familias illustres in Epeirum, quas obsidum numero haberet, misisset: haud procul Pandosia vrbe imminentes Lucanis ac Brutiis finibus, treis tumulos aliquantum inter se distantes insedit: ex quibus incursiones in omnem partem agri hostilis faceret: & ducentos fermè Lucanorum exsules circa se pro fidis habebat, vt pleraque eius generis ingenia sunt, cùm fortuna mutabilem gerentes fidem. Imbres continui campis omnibus inundantes cum interclusissent trifariam exercitum à mutuo inter se auxilio, duo præsidia, quæ sine rege erant, improuiso hostium aduentu opprimuntur: deletisque eis, ad ipsius obsidionem omnes conuersi. inde ab Lucanis exsulibus ad suos nuntij missi sunt: pactoque reditu promissum est regem aut viuum aut mortuum in potestatem daturos. Ceterum cum delectis ipse egregium facinus ausus, per medios erumpit hostes, & ducem Lucanorum cominus congressum obtruncat: contrahésque suos ex fuga palatos, peruenit ad amnem ruinis recentibus pontis, quem vis aquæ abstulerat, indicantem iter. quem cum incerto vado transire agmen, fessus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis: Iure Acheros vocaris, inquit. Quod vbi ad aures accidit regis, adiecit extemplò animum fatis suis, substititque dubius an transiret. Tum Sotimus minister ex regiis pueris, quid in tanto discrimine periculi cunctaretur interrogans,

indicat

indicat Lucanos insidiis quærere locum. quos vbi A conspexit rex procul grege facto venientes, stringit gladium, & per medium amnem trasmittit equum. Iamque in vadum egressum eminus veruto Lucanus exsul transfigit. lapsum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hostium præsidia. Ibi fœda laceratio corporis facta namque præciso medio, partem Consentiam misere: pars ipsis retenta ad ludibrium, quæ cum iaculis saxisque procul incesseretur, mulier vna vltra humanarum irarum fidem sæuienti turbæ immista, vt parumper sustinerent B precata, flens ait, virum sibi liberosque captos apud hostes esse: sperare corpore regio vtcumque mulctato se suos redempturam. Is finis lacerationi fuit: sepultumque Consentiæ quod membrorum reliquum fuit, cura mulieris vnius: ossaque Metapontum ad hostes remissa, inde Epeirum deuecta ad Cleopatram vxorem sororemque, Oylmpiadem: quarum mater Magni Alexandri altera, soror altera fuit. Hæc de Alexandri Epeirensis tristi euentu. quanquam Romano bello fortuna eum abstinuit, tamen quia in Italia C bella gessit, paucis dixisse satis sit. Eodem anno lectisternium Romæ quinto post conditam vrbem iisdem quibus ante placandis habitum est diis. Noui deinde consules iussu populi cum misissent, qui indicerent Samnitibus bellum, & ipsi maiore conatu quàm aduersus Græcos cuncta parabant, & alia noua nihil tum animo tale agitantibus accesserunt auxilia. Lucani atque Appuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat, in fidem venerunt, arma virosque ad bellum pollicentes. fœdere D ergo in amicitiam accepti eodem tempore etiam in Samnio res prosperè gesta. Tria oppida in potestatem venerunt, Allifæ, Callifæ, Rufrium: aliusq. ager primo aduentu Coss. longe lateque est peruastatus. Hoc bello tam prospere commisso, alteri quoq. bello quo Græci obsidebantur, iam finis aderat. nam præterquam quod interseptis munimentis hostium pars parti abscissa erat, fœdiora aliquanto intra muros iis quibus hostis territabat, patiebantur: & velut capti à semetipsis præsidiis, indigna iam liberis quoque E ac coniugibus, & quæ captarum vrbium extrema sunt, patiebantur. Itaque cum & à Tarento & à Samnitibus fama esset noua auxilia ventura: Samnitium plus quàm vellent, intra mœnia esse rebantur: Tarentinorum iuuentutem Græci Græcos haud minus per quos Samniti Nolanoque quàm vt Romanis hostibus resisterent, exspectabant. Postremo leuissimum malorum deditio ad Romanos visa. Charilaus & Nymphius principes ciuitatis communicato inter se consilio, partes ad rem agendam diuisere: vt F alter ad imperatorem Romanorum transfugeret, alter subsisteret ad præbendam opportunam consilio vrbem. Charilaus fuit, qui ad P. Philonem venit & quod bonum, faustum, felix Palæpolitanis, populoque Romano esset, tradere se ait mœnia statuisse. eo facto vtrum ab se prodita, an seruata patria videatur, in fide Romana positum esse: sibi priuatim nec pacisci quicquam, nec petere: publice petere quàm pacisci magis: vt si successisset inceptum, cogitaret populus Romanus potius cum quanto G studio periculoque reditum in amicitiam suam esset quàm qua stultitia & temeritate de officio decessum. Collaudatus ab imperatore, tria millia militum ad occupandam eam partem vrbis quam Samnites insidebant, accepit præsidi oei L. Quintius tribunus militum præpositus. Eodem tempore & Nymphius prætorem Samnitium arte aggressus perpulerat, vt quoniam omnis Romanus exercitus aut circa Palæpolim, aut in Samnio esset, sineret se classe circumuehi ad Romanum agrum: non oram modo maris, sed ipsi vrbi propinqua loca depopulaturum: sed vt falleret, nocte proficiscendum esse, extemploque naues deducendas. Quod quo maturius fieret, omnis iuuentus Samnitium, præter necessariũ vrbis presidiũ, ad littus missa. Vbi dũ Nymphius in tenebris, & multitudine semetipsa impediente sedulo aliis alia imperia turbans, terit tempus: Charilaus ex composito ab sociis in vrbem receptus, cum summa vrbis Romano milite implesset, tolli clamorem iussit: ad quem Græci signo accepto à principibus quieuere: Nolani per auersam partem vrbis via Nolam ferente effugiunt. Samnitibus exclusis ab vrbe, vt expeditior in præsentia fuga, ita fœdior, postquam periculo euaserunt, visa: quippe qui inermes nulla rerum suarum non relicta inter hostes, ludibrium non externis modo, sed etiam popularibus, spoliati atque egentes domos rediere. Haud ignarus opinionis alterius, qua hæc proditio ab Samnitibus facta traditur: cum auctoribus hoc dedi, quibus indignius credi est: tum fœdus Neapolitanum (eo enim deinde summa rei Græcorum venit) similius verò facit ipsos in amicitiam redisse. Publio triumphus decretus, quod satis credebatur obsidione domitos hostes in fidem venisse. Duo singularia hæc ei viro primum contigere, prorogatio imperij non ante in vllo facta, & acto honore triumphus. Alius subinde bellum cum alterius oræ Græcis ortum. namque cùm Tarentini rem Palæpolitanam vana spe auxilij aliquandiu sustinuissent, postquam Romanos vrbe potitos accepere: velut destituti, ac non qui ipsi destituissent, increpare Palæpolitanos: ira atque inuidia in Romanos furere, eo etiam, quod Lucanos & Appulos (nam vtraque eo anno societas cœpta est) in fidem populi Romani venisse allatum est. quippe propemodum peruentum ad se esse: iamq; in eo rem fore, vt Romani aut hostes, aut domini habendi sint. discrimen profectò rerum suarum in bello Samnitium, euentúque eius verti: eam solam gentem restare, nec eam ipsam satis validam, quando Lucanus defecerit: quem reuocari adhuc, impellique ad abolendam societatem Romanam posse, si qua ars serendis discordiis adhibeatur. Hæc consilia cum apud cupidos rerum nouandarum valuissent: ex iuuentute quidam Lucanorum pretio asciti, clari magis inter populares quàm honesti, inter se mulctati ipsi virgis, cum corpora nuda intulissent in ciuium cœtum, vociferati sunt se, quod castra Romana ingredi ausi essent, à Coss. virgis cæsos, ac propè securi percussos esse. Deformis suapte natura res, cùm speciem iniuriæ magis quam doli præ se ferret, concitati homines, cogunt clamore suo magistratus senatum vocare: & alij circumstantes concilium, bellum in Romanos poscunt: alij ad concitandam in arma multitudinem agrestium discurrunt: tumultúque etiam sanos consternante animos decernitur, vt societas cum Samnitibus renouetur, legatique ad eam rem mittantur. Repentina res, quia quàm caussam nullá, tam ne fidem quidem habebat: coacti à Samnitibus & obsides dare, & præsidia in loca munita accipere, cæci fraude & ira nihil recusarunt. Dilucere deinde breui fraus cœpit, postquam criminum falsorum auctores Tarentum commigrauere: sed amissa omni de se potestate, nihil vltra quàm vt pœniteret frustra restabat. Eo anno plebi Romani velut aliud initiũ libertatis factum est quod necti desierunt. Mutatum autem ius ob vnius fœneratoris simul libidine, simul crudelitatem insignem. L. Papyrius is fuit, cui cum se C. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset: quæ ætas formaque misericor-

A diam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis eius fructum aduentitium crediti ratus, primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus: deinde postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: postremo cum ingenuitatis magis quam præsentis conditionis memorem videret, nudari iubet, verberáque afferri. Quibus laceratus iuuenis cum se in publicũ proripuisset, libidinem, crudelitatémque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum cum ætatis B miseratione, atque indignitate iniuriæ accensa, tum suæ conditionis, liberúmque suorum respectu, in forum, atque inde agmine facto ad curiam cócurrit: & cùm consules tumultu repentino coacti, senatum vocarent, introeuntibus in curiam patribus, laceratum iuuenis tergum procũbétes ad singulorum pedes ostentabant. Victum eo die ob impotentem iniuriam vnius ingens vinculum fidei: iussique Coss. ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in neruo C teneretur: pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur. Eodem anno cum satis per se ipsum Samnitium bellum & defectio recens Lucanorum, auctorésque defectionis Tarentini sollicitos haberent patres, accessit vt & Vestinus populus Samnitibus sese coniungeret. Quæ res sicut eo anno sermonibus magis passim hominum iactata, quàm in publico vllo concilio est: ita insequentis anni Coss. L. Furio Camillo iterum, Iunio Bruto D Scæuæ, nulla prior potiorque visa est, de qua ad senatum referrent. Et quanquam res noua erat, tamen tanta cura patres incessit, vt pariter eam susceptam, neglectámque timerent, ne aut impunitas eorum lasciuia superbiáque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo, atque ira concirent finitimos populos. Et erat genus omne abundè bello Samnitibus par, Marsi Pelignique & Marucini: quos, si Vestinus attingeretur, omnes habẽdos hostes. Vicit tamen pars, quæ in præsentia videri potuit maioris animi quàm E consilij, sed euentus docuit, fortes fortunam iuuare. Bellum ex auctoritate patrum populus aduersus Vestinos iussit. prouincia ea Bruto, Samnium Camillo sorte euenit. Exercitus vtroque ducti, & cura tuendorum finium hostes prohibiti coniungere arma. Cæterum alterum Cos. L. Furium, cui maior moles rerum imposita erat, morbo graui implicitum fortuna bello subtraxit: iussúsque dictatorem dicere rei gerendæ caussa, longè clarissimum bello ea tempestate dixit L. Papyrium Cursorem, à quo Q. Fabius F Maximus Rutilianus magister equitum est dictus: par nobile rebus in eo magistratu gestis discordia tamen, qua prope ad vltimum dimicationis ventum est nobilius. Ab altero consule in Vestinis multiplex bellum, nec vsquam vario euentu gestum est. nam & peruastauit agros, & populando atque vrendo tecta hostium sataque in aciem inuitos extraxit: & ita prælio vno accidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo, vt non in castra G solum refugerent hostes, sed iam ne vallo quidem ac fossis freti dilaberentur in oppida situ vrbium mœnibusque se defensuri. Postremo oppida quoque vi expugnare adortus, primo Cutinam ingenti ardore militum, aut vulnerum ira, quod haud ferè quisquam integer prælio excesserat, scalis cepit: deinde Cingiliam vtriusque vrbis prædam militibus, quod eos neque portæ muri hostium arcuerant, concessit. In Samnium incertis itum auspiciis est: cuius rei vitium, non in belli euentum, quod prosperè

A gestum est, sed in rabiem atque iras imperatorum vertit. Namque Papyrius dictator a pullario monitus, cum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur, magistro equitum denuntiauit, vt sese loco teneret, neu absente secum hoste manum consereret. Fabius cum post profectionem dictatoris per exploratores comperisset, perinde omnia soluta apud hostes, ac si nemo Romanus in Samnio esset: seu ferox adolescens indignitate accensus, quod omnia in dictatore viderentur reposita esse: seu occasione bene B gerendæ rei inductus, exercitu instructo paratoque profectus ad Imbrinium (ita vocãt locũ) acie cũ Samnitibus conflixit. Ea fortuna pugnæ fuit, vt nihil relictum sit, quo si affuisset dictator, res melius geri potuerit. non dux militi, non miles duci defuit. eques etiam auctore L. Cominio Tribuno militum, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterat hostium agmen, detraxit frenos equis: atque ita concitatos calcaribus permisit, vt sustinere eos nulla vis posset. Per arma, per viros latè C stragem dedere. Secutus pedes impetum equitum, turbatis hostibus intulit signa. Viginti millia hostium cæsa eo die traduntur. Auctores habeo, bis cum hoste signa collata dictatore absente, bis rem egregiè gestam. Apud antiquissimos scriptores vna hæc pugna inuenitur. In quibusdam annalibus tota res prætermissa est. Magister equitum, vt ex tanta cæde multis potitus spoliis, congesta in ingentem aceruum hostilia arma subdito igne concremauit: seu votum id deorum cuipiam fuit, seu credere libet Fabio D auctore factum, ne suæ gloriæ fructum dictator caperet, noménque ibi scriberet, aut spolia in triumphum ferret. Literæ quoque de re prosperè gesta, ad senatum, non ad dictatorem missæ, argumentum fuere minime cum eo communicantis laudem. Ita certè dictator id factum accepit, vt lætis aliis victoria parta, præ se ferret iram, tristitiámque. Misso itaque repente senatu, se ex curia proripuit: tum verò non Samnitium magis legiones, quàm maiestatem dictatoriam & disciplinam militarem E à magistro equitum victam & euersam dictitans, si illi impune spretum imperium fuisset. Itaque plenus minarum, iræque profectus in castra cum maximis itineribus isset, non tamen præuenire famam aduentus sui potuit. Præcurrerant enim ab vrbe, qui nuntiarent dictatorem auidum pœnæ venire, alternis penè verbis T. Manlij facta laudantem. Fabius concione extemplo aduocata: obtestatus milites est, vt quã virtute rempublicam ab infestissimis hostibus defendissent, eadem F se, cuius ductu auspicioque vicissent, ab impotenti crudelitate dictatoris tutarentur. Venire amentem inuidia, iratum virtuti alienæ felicitatique furere. quod se absente Respublica egregiè gesta esset: mallet, si mutare fortunam posset, apud Samnites quàm Romanos victoriam esse. imperium dictitare spretũ, tanquam non eadem mente pugnari vetuerit, qua pugnatum doleat: & tunc inuidia impedire virtutẽ alienam voluisse, cupidissimisque arma ablaturum fuisse militibus, ne se absente moueri possent. & G nunc id furere, id ægrè pati, quod sine L. Papyrio non inermes, non manci milites fuerint, quod se Q. Fabius magistrum equitum duxerit, ac non accensum dictatoris. Quid illum facturum fuisse, si quod belli casus ferunt, Martisque communis, aduersa pugna euenisset, qui sibi deuictis hostibus, Republica bene gesta, ita vt non ab illo vnico duce melius geri potuerit, supplicium magistro equitũ, & nunc victori minetur. Neq. illũ magistro equitum infestiorem, quàm tribunis militum,

quam ci n

quam centurionibus, quàm militibus esse: si possit, in omnes sæuiturum fuisse, quia id nequeât, in vnum sæuire: etiam inuidiam tanquam ignem summa petere: in caput consilij, in ducem incurrere. Si se simul cum gloria rei gestæ exstinxisset, tunc victorem velut in capto exercitu dominâtem, quicquid licuerit in magistro equitum, in militibus ausurum. Proinde adessent in sua caussa omnium libertati. si cõsensum exercitus eundem, qui in prælio fuerit, in tuenda victoria videat, & salutem vnius omnibus curæ esse inclinaturum ad clementiorem sentẽtiam animum. postremò se vitam fortunásque suas illorum fidei virtutiq. permittere. Clamor è tota concione ortus, vti bonum animum haberet: neminem illi vim allaturum saluis legionibus Romanis. Haud multo post dictator aduenit: classicoque extemplò ad concionem aduocauit. Tum silẽtio facto, præco Q. Fabium magistrum equitum citauit, qui simul ex inferiore loco ad tribunal accessit, tum dictator: Quæro, inquit, de te Q. Fabi, cum summum imperium dictatoris sit, pareántque ei consules, regia potestas, prætores iisdem auspiciis, quibus Consules creati, æquum censeas necne, magistrum equitum dicto audiẽtem esse? Itémque illud interrogo, cùm me incertis auspiciis profectum ab domo scirem, vtrum mihi turbatis religionibus respub. in discrimen cõmittenda fuerit, an auspicia repetenda, ne quid dubiis dis agerem? Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magister equitum solutus ac liber potuerit esse? Sed quid ego hæc interrogo? cùm si ego tacitus abissem, tamen tibi ad voluntatis interpretationem meæ dirigenda tua sententia fuerit. Quin tu respondes, vetuerimne te quicquam rei me absente agere? vetuerímne signa cum hostibus conferre? quo tu imperio meo spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, aduersus morem militarem, disciplinámque maiorum, & numen deorum ausus es cum hoste confligere? Ad hæc, quæ interrogatus es, responde: extra ea caue vocem mittas. Accede lictor. Aduersus quę singula Q. Fabio cùm respondere haud facile esset, & nunc quereretur eundem accusatorem capitis sui, ac iudicem esse: modo vitam sibi eripi citius quam gloriam rerum gestarum posse vociferaretur: purgarétque se inuicem, atque vltro accusaret: tunc Papyrius redintegrata ira spoliari magistrum equitum ac virgas & secures expediri iussit. Fabius fidem militum implorans, lacerantibus vestem lictoribus, ad triarios tumultum iam in concionem miscentes sese recepit. inde clamor in totam concionem est perlatus: alibi preces, alibi minæ audiebantur. Qui proximi forte tribunali steterant, quia subiecti oculis imperatoris noscitari poterant, orabant vt parceret magistro equitum: neu cum eo exercitum damnaret. Extrema concio, & circa Fabium globus increpabant inclementem dictatorem: nec procul seditione aberant. Ne tribunal quidem satis quietum erat. Legati circunstantes sellam, orabant vt rem in posterum diem differret, & iræ suæ spatium, & consilio tempus daret: satis castigatam adolescentiam Fabij esse: satis deformatam victoriam: ne ad extremum finem supplicij tẽderet: neu vnico iuueni, neu patri eius clarissimo viro, neu Fabiæ genti eam inureret ignominiam. Cùm parum precibus, parum caussa proficerent: intueri, sæuientem concionem iubebant: ira irritatis militum animis subdere ignẽ, ac materiam seditioni, non esse ætatis, non prudentiæ eius: neminem id Q. Fabio pœnam deprecanti suam vitio versurum, sed dictatori: si occæcatus ira infestam multitudinem in se prauo certamine mo-

A uisset. Postremò ne id se gratiæ dare Q. Fabij crederet, se iusiurandum dare paratos esse, non videri è Repub. in Q. Fabium eo tempore animaduerti. His vocibus cùm in se magis incitarent dictatorem, quàm magistro equitum placarent, iussi de tribunali descendere legati: & silentio nequicquam per præconem tentato, cum præ strepitu ac tumultu nec ipsius dictatoris, nec apparitorum eius vox audiretur, nox velut in prælio certamini finem fecit. Magister equi-

B tum iussus postero die adesse, cum omnes affirmarent infestius Papyrium exarsurum agitatum contentione ipsa exacerbatúmque, clam ex castris Romam profugit: & patre auctore & M. Fabio, qui ter iam Cos. dictatorque fuerat, vocato extemplo senatu, cum maximè conquereretur apud patres vim atque iniuriam dictatoris, repentè strepitus ante curiam lictorum submouentium auditur: & ipse infensus aderat, pòstquam comperit profectum ex castris, cũ expedito equitatu secutus. Iterata deinde contentio

C est: & prehendi Papyrius Fabium iussit: vbi cum deprecantibus primoribus patrum, atque vniuerso senatu, perstaret in incœpto immitis animus: tum pater M. Fabius: Quandoquidem, inquit, apud te nec auctoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitásque magistri equitum à te ipso nominati valet: nec preces, quæ sæpe hostium mitigauere, quæ deorum iras placant: tribunos plebis appello, & prouoco ad populum: eúmque tibi fugienti exercitus tui, fugiẽti senatus iudicium, iudicem fero, qui certè vnus plus quàm tua dictatura

D potest, pollétque, videro cessurúsne prouocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit. Ex curia in concionem itur. quo cum paucis dictator, cùm omni agmine principum magister equitum cum ascendisset, deduci eum de rostris Papyrius in partem inferiorem iussit. Secutus pater: Bene agis, inquit, cùm eò nos deduci iussisti, vnde & priuati vocem mittere possemus. Ibi primo non tam perpetuæ orationes quàm altercatio exaudiebantur. Vicit deinde strepitum vox & indignatio Fabij senis, in-

E crepantis superbiam crudelitatémque Papyrij: se quoque dictatorem Romæ fuisse, nec à se quenquam ne plebis quidem hominem, non centurionem, non militem violatum. Papyrium tanquam ex hostium ducibus, sic ex Romano imperatore victoriam & triumphum petere. Quantum interesset inter moderationem antiquorum, & nouam superbiam crudelitatémque: dictatorem Quintium Cincinnatum in L. Minutium Cos. ex obsidione à se ereptum non vltra sæuisse, quàm vt legatum eum

F ad exercitum pro Consule relinqueret, M. Furium Camillum in L. Furio, qui contempta sua senectute & auctoritate fœdissimo cum euentu pugnasset: non solum in præsentia moderatum iræ esse, ne quid de collega secus populo aut senatui scriberet: sed cùm reuertisset, potissimum ex tribunis consularibus habuisse, quem ex collegis optione ab senatu data socium sibi imperij delegerit. Nam populi quidem, penes quem potestas omnium rerum esset, nec iram quidem vnquam atrociorem fuisse in eos, qui

G temeritate atque inscitia exercitus amisissent, quam vt pecunia eos mulctaret: capite anquisitum ob rem bello malè gestam de imperatore nullum ad eam diem esse: nunc ducibus populi Romani, quæ ne victis quidem bello fas fuerit, virgas & secures victoribus, & iustissimos meritis triũphos intentari. Quid enim tandem passurum fuisse filium suum, si exercitũ amisisset: si fusus, fugatus, castris exsutus fuisset: quo vltra iram violentiámque eius excessurã fuisse, quàm vt verberaret, necarétque? Quàm conueniens esse,

exercitus missi Sulpitio Samnites, Apuli Æmylio sorte euenerunt. Sunt qui non ipsis Apulis bellum illatum, sed socios eius gentis populos ab Samnitium vi atque iniuriis defensos scribant. Cæterum fortuna Samnitium vix à seipsis eo tempore propulsantium bellum, propius vt sit vero, facit: non Apulis ab Samnitibus arma illata, sed cum vtraq. simul gente bellum Romanis fuisse. Nec tam res vlla, memorabilis acta: ager Apulus, Samniúmque euastatū hostes nec hic nec illic inuenti. Romæ nocturnus terror ita ex somno trepidam repentè ciuitatem exciuit, vt Capitolium atque arx, mœniáque & portę plena armatorum fuerint. & cùm concursatum conclamatúmque ad arma omnibus locis esset: prima luce nec actor, nec causa terroris comparuit. Eodem anno de Thusculanis Flauia rogatione populi fuit iudicium. M. Flauius Trib. pleb. tulit ad populum, vt in Thusculanos animaduerteretur, quorum ope ac consilio Veliterni Priuernatésque populo Romano bellum fecissent. Populus Thusculanus cum coniugibus ac liberis Romam venit: ea multitudo veste murata, & specie reorum tribus circuit, genibus sē omnium aduoluens. Plus itaque misericordiæ ad pœnæ veniam impetrandam, quàm caussa ad crimen purgandum valuit. Tribus omnes, præter Polliam, antiquarunt legem. Polliæ sententia fuit, puberes verberatos necari: coniuges liberósque sub corona lege belli venire: memoriámque eius iræ Thusculanis in pœnæ tam atrocis auctores mansisse ad patrum ætatem constat: nec quenquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papyriam ferre solitum. Insequenti anno Q. Fabio, L. Fuluio Coss. A. Cornelius Aruina dictator, & M. Fabius Ambustus, magister equitum metu grauioris in Samnio belli (conducta enim pretio à finitimis iuuentus dicebatur) intentiore delectu habito, egregium exercitum aduersus Samnites duxerunt, castra in hostico incuriosè ita posito tanquam procul abesset hostis, cùm subitò aduenere Samnitium legiones tanta ferocia, vt vallum vsque ad stationem Romanam inferrent. nox iam appetebat: id prohibuit munimenta adoriri: nec dissimulabant orta luce postero die facturos. Dictator vbi propiorem spe dimicationem vidit: ne militum virtuti damno locus esset, ignibus crebris relictis, qui conspectum hostium frustrarentur, silentio legiones educit: nec tamen fallere propter propinquitatem castrorum potuit. eques extemplo insecutus, ita institit agmini, vt donec lucesceret, prælio abstineret. nec pedestres quidem copiæ ante lucem castris egressæ. Eques luce demum ausus incursare in hostem, carpendo nouissimos, premendoque iniquis ad transitum locis, agmen detinuit. interim pedes equitem assecutus: & totis iam copiis Samnis vrgebat. Tum dictator postquam sine magno incommodo progredi non poterat, eum ipsum in quo cōstiterat, locum castris dimetari iussit. Id verò circumfuso vndique equitatu, vt vallum peteretur, opúsque inciperetur, fieri non poterat. Itaque vbi neque eundi, neque manendi copiam esse videt: instruit aciem, impedimentis ex agmine remotis. instruunt contra & hostes, & animis & viribus pares. Auxerat id maximè animos quod ignari loco iniquo non hosti cessum, velut fugientes ac territos terribiles ipsi secuti fuerant. Id aliquandiu æquauit pugnam. iam pridem desueto Samnite clamorē Romani exercitus pati. At hercule illo die ab hora diei tertia ad octauam ita anceps dicitur certamen stetisse, vt neque clamor, vt primo semel cōcursu est sublatus iteratus sit: neque signa promota loco, retroue recepta. neque recursum ab vlla sit parte. In suo quisque gradu ob-

A nixi, vrgentes scutis sinē respiratione ac respectu pugnabant. fremitus æqualis, tenorque idem pugnæ in defatigationem vltimam, aut noctem spectabat. Iam viris vires, iam ferro sua vis, iam consilia ducibus deerant: cum subito Samnitium equites cum turma vna longius profecta accepissent impedimenta Romanorum, procul ab armatis sine præsidio, sine munimento stare, auiditate prædæ impetum faciunt. Quod vbi dictatori trepidus nuntius attulit: Sine modo, inquit, sese præda præpediant. Alij deinde super B alios diripi passim, ferrique fortunas militū vociferabantur. Tum magistro equitum accito: Vides tu, inquit, M. Fabi, ab hostium equite omissam pugnam? hærent impediti impedimentis nostris: aggredere (quod inter prædandum omni multitudini euenit) dissipatos: raros equis insidentes, raros quib. ferrū in manu sit, inuenies: equosque dū præda onerant cæde inermes: cruentámque illis prædam redde. Mihi legiones, peditúmque pugna curæ erunt: penes te equestre sit decus. Equitum acies qualis quæ C esse instructissima potest, inuecta in dissipatos impeditosque hostes cæde omnia replet. Inter sarcinas omissas repentè, obiacentes pedibus fugientium cōsternatorúmque equorum, neque pugnæ, neque fugæ satis potentes cæduntur. Tum deleto prope equitatu hostium M. Fabius circumductis paululum alis ab tergo pedestrem aciem adoritur. Clamor inde nouus accidens & Samnitium animos terruit: & dictator vbi respectantes hostium antesignanos, turbatáque signa, & fluctuantem aciem vidit: tū appel- D lare, tum adhortari milites, tribunos, principesque ordinum nominatim ad iterandam secum pugnam vocare. Nouato clamore signa inferuntur, & quicquid progrediebantur, magis magisq. turbatos hostes cernebant. Eques ipse iam primis erat in conspectu: & Cornelius respiciens ad manipulos militum, quod manu, quod voce poterat, monstrabat: vexilla se suorum, parmásque cernere equitum. Quod vbi auditum, simúlque visum est. adeò repentè laboris per diem pene totum tolerati, vulnerúmque obliti sunt, vt haud secus quàm si tum integri è castris E signum pugnæ accepissent, concitauerint se in hostem. nec vltra Samnis tolerare terrorem equitum, peditumque vim potuit: Partim in medio cæsi, partim in fugam dissipati sunt. Penes restantes ac circumuentos cecidit: ab equite fugientium strages est facta: inter quos & ipse imperator cecidit. Hoc demū prælium Samnitium res ita infregit, vt omnibus cōciliis fremerent, minimè id quidem mirum esse, si impio bello, & contra fœdus suscepto, infestioribus F merito diis quàm hominibus, nihil prospere agerent expiandum id bellum magna mercede, luendamque esse. id referre tantum, vtrum supplicia noxio paucorum, an omnium innoxio præbeant sanguine, audebántque iam quidam nominare auctores armorum. vnum maximè nomen per consensum clamantium Brutuli Papij exaudiebatur. Vir nobilis poténsque erat, haud dubiè proximarum induciarum ruptor, de eo coacti referre prætores decretum fecerunt, vt Brutulus Papius Romanis dederetur: & cum eo pre- G da omnis Romana, captiuique vt Romam mitterentur: quæque res per fœciales ex fœdere repetitæ essent, secundum ius fasque restituerentur. Fœciales Romam, vt censuerunt, missi, & corpus Brutuli exanime: ipse morte voluntaria ignominiæ se ac supplicio subtraxit. Placuit cum corpore bona quoq. eius dedi. nihil tamen earum rerum præter captiuos, ac si qua cognita ex præda sunt, acceptum est: cæterarum rerum irrita fuit deditio. dictator ex S. C. triumphauit. Hoc bellum à Coss. bellatum quidam auctores

sunt: eosque de Samnitibus triumphasse: Fabium etiam in Apuliam processisse, atque inde magnas prædas egisse. Nec discrepat, quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit. id ambiguitur, bellíne gerendi caussa creatus sit: an vt esset qui ludis Romanis, quia L. Plautius prætor graui morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret: functusque eo haud sane memorãdi imperij ministerio, se dictatura abdicaret. nec facile est aut ré rei, aut auctorem auctori præferre. Vitiatã memoriã funebribus laudibus reor, falsisque imaginũ titulis, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum honorúmque fallente mendacio trahunt. inde certe & singulorum gesta, & publica monumenta rerum confusa: nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur.



DECADIS PRIMÆ

LIBER IX.

SEquitur hũc annum nobilis clade Romana Caudina pax, T. Veturio Caluino, Sp. Posthumio Coss. Samnites eo anno imperatorem C. Pontium Herennij filium habuerunt, patre longè prudentissimo natum, primum ipsum bellatorem, ducémque. Is vbi legati qui ad dedendas res missi erant, pace infecta redierunt: Ne nihil actum, inquit, hac legatione censeatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Satis scio quibuscunque diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res, quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant, iis non fuisse cordi tam superbè ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim vltra fieri ad placandos deos, mitigandósque homines potuit, quàm quod nos fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli iure nostræ videbantur, remisimus: auctores belli quia viuos non potuimus, perfunctos iam fato dedimus: bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portauimus. Quid vltra tibi Romanæ, quid fœderi, quid diis arbitris fœderis debeo? Quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum iudicem feram? Neminem neque populum, neque priuatum fugio. Quod si nihil cũ potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam: & precabor, vt iras suas vertant in eos, quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint: quorum sæuitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona sequentia domini deditionem exsatient: placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem, laniandaque viscera nostra præbuerimus. Iustum est bellum, Samnites, quibus necessarium: & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. Proinde cum rerum humanarum maximum momentum sit, quam propitiis ré, quam aduersis agant diis: pro certo habete, priora bella aduersus deos magis quàm homines gessisse: hoc quod instat, ducibus ipsis diis gesturos. Hæc non læta magis quàm vera vaticinatus, exercitu educto circa Caudium castra quàm potest occultissime locat. Inde ad Calatiam, vbi iam Coss. Romanos, castráque esse audiebat, milites decem pastorum habitu mittit: pecoraque diuersos alium alibi haud procul Romanis pascere iubet præsidiis: vbi inciderint in prædatores, vt idem omnibus sermo

A constet, legiones Samnitium in Apulia esse: Luceriã omnibus copiis circumsedere: nec procul abesse, qui vi capiant. Iam & is etiam rumor antè de industria vulgatus venerat ad Romanos: sed fidem auxere captiui, eo maximè, quòd sermo inter omnes cõgruebat. Haud erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus sociis: simul ne Apulia omnis ad præsentem terrorem deficeret. ea modo, irent, consultatio fuit. Duæ ad Luceriam ferebant viæ: altera præter oram superi maris patens e- B pertaque, sed quanto tutior, tanto ferè longior: altera per Furculas Caudinas, breuior: sed ita natus locus est: saltus duo alti, angusti, syluosique sunt, montibus circa se perpetuis inter se iuncti. iacet inter eos satis patens clausus in medio campus, herbidus aquosúsque, per quem medium iter est: sed antequam venias ad eum, intrãdæ primæ angustiæ sunt: & aut eadem qua te insinuaueris, retro via repetenda: aut si ire porro pergas, per alium saltum arctiorem impeditiorémque euadendum. In eum campum via alia C per cauam rupem Romani demisso agmine, cùm ad alias angustias protinus pergerent, septas deiectu arborum saxorumque ingentium obiacentem molem inuenere. Cùm fraus hostilis appparuisset, præsidium etiam in summo saltu conspicitur. citati inde retro, quà venerant, pergunt repetere viam. eam quoque clausam sua obice armisque inueniunt. Sistunt inde gradum sine vllius imperio. stuporque omnium animos, ac velut torpor quidam insolitus membra tenet: intuentésque alij alios, cùm alterũ quisque ma- D gis mentis compotem ac consilij ducerent, diu immobiles silent. deinde vbi prætoria consulum erigi videre, & expedire quosdam vtilia operi: quanquam ludibrio fore munientes, perditis rebus ac spe omni ad mta cernebant: tamen ne culpam malis adderent, pro se quisque nec hortante vllo, ne imperante ad muniendum versi, castra propter aquam vallo circumdant, sua ipsi opera, laborémque irritum, prætérquam quòd hostes superbè increpabant, cum miserabili confessione eludentes ad Coss. mœstos, ne aduocantes quidem in consilium, quando nec consilio nec auxilio locus esset, sua sponte legati ac tribuni E conueniunt, militéque in prætorium versi opem, quã vix dij immortales ferre poterant, ab ducibus exposcunt. Quærentes magis quàm consultantes nox oppressit. cùm pro ingenio quisque fremerent: alius, per obices viarum, alius, per aduersa montium, per syluas, quà ferri arma poterant, eamus: modo ad hostem peruenire liceat, quem per annos iam propè XXX. vincimus, omnia æqua ac plana erunt Romano in perfidum Samnitem pugnanti, alius, Quò, aut quà eamus? num montes moliri sede sua paramus? F dum hæc imminebunt iuga, qua tu ad hosté venies? armati, inermes, fortes, ignaui pariter omnes capti atque victi sumus. ne ferrum quidem ad bene moriendum oblaturus est hostis: sedens bellum conficiet. His inuicem sermonibus, qua cibi, qua quietis immemor nox traducta est. Ne Samnitibus quidem consilium in tam lætis suppetebat rebus, itaque vniuersi Herennium Pontium patrem imperatoris per literas consulendum censent. Iam is grauior annis non militaribus solum, sed ciuilibus quoque abscesG serat muneribus: in corpore tamen affecto vigebat vis animi, cõsilijque. Is vbi accepit ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausos exercitus Romanos: consultus ab nuntio filij censuit omnes inde quamprimum inuiolatos dimittendos. quæ vbi spreta sententia est, iterumque eodem remeante nuntio consulebatur: censuit ad vnum omnes interficiendos. Quæ vbi tam discordia inter se velut ex ancipiti oraculo

tulo responsa data sunt. quia iam filius ipse in primis iam animum quoque patris consenuisse in affecto corpore rebatur: tamen consensu omnium victus est, vt ipsum in consilium acciret. Nec grauatus senex plaustro in castra dicitur aduectus, vocatusque in consilium, ita ferme locutus esse, vt nihil sententiæ suæ mutaret, caussas tantum adiiceret. Priore se consilio, quod optimum duceret, cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem, amicitiámque: altero consilio, in multas ætates, quibus amissis duobus exercitibus haud facile receptura vires Romana res esset, bellum differre: tertium nullū consilium esse. Cum filius aliique principes percunctando exquirerent, quid si media via consilium caperetur, vt & dimitterentur incolumes, & leges iis iure belli victis imponerentur? Ista quidem sententia, inquit, ea est, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit. Seruate modo, quos ignominia irritaueritis: ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat: viuet semper in pectoribus illorum quicquid istuc præsens necessitas inusserit, neque eos ante multiplices pœnas expetitas à vobis quiescere sinet. Neutra sententia accepta, Herēnius domum è castris est auectus. Et in castris Romanis cum frustra multi conatus ad erumpendum capti essent, & iam omnium rerum inopia esset, victi necessitate legatos mittunt, qui primum pacem æquā peterent: si pacem non impetrarent, vti prouocarent ad pugnam. Tum Pontius debellatum esse respondit: & quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub iugum missurum: alias conditiones pacis æquas victis ac victoribus fore, si agro Samnitium decederetur coloniæ abducerentur: suis deinde legibus Romanum ac Samnitem æquo fœdere victurum. His conditionibus paratum se esse fœdus cum Coss. ferire: si quid eorum displiceat, legatos iam redire ad se vetuit. Hæc cùm legatio renuntiaretur, tantus gemitus omnium subito exortus est, tantáque mœstitia incessit, vt non grauius accepturi viderentur, si nuntiaretur omnibus eo loco mortem oppetendam esse. Cum diu silentium fuisset: nec Coss. aut pro fœdere tam turpi, aut contra fœdus tam necessarium hiscere possent: tum L. Lentulus, qui tum princeps legatorum virtute atque honoribus erat: Patrem meum, inquit, Coss. sæpe audiui memorantem, se in Capitolio vnum non fuisse auctorem senatui redimendæ auro à Gallicis ciuitatis: quando nec fossa valloque ab ignauissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent: & erumpere si non sine periculo magno, tamen sine certa pernitie possent. Quod si vt illis decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit (quo sæpe modo obsessi in obsidentes eruperunt) ita nobis equo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoste copia esset; non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patria præclaram esse fateor, & me vel deuouere pro populo Romano legionibusque, vel in medios me mittere hostes paratus sum. Sed hîc patriam video: hic quicquid Romanarum legionum est: quæ nisi pro se ipsis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte sua seruent? Tecta vrbis dicat aliquis, & mœnia, & eam turbam à qua vrbs incolitur. Imo hercule produntur magis ea omnia deleto hoc exercitu, non seruantur. Quis enim ea tuebitur? Imbellis videlicet atque inermis multitudo? tam hercule, quàm à Gallorum impetu defendit. An à Veiis exercitum, Camillumque ducem implorabunt? Hic omnes spes opésque sunt: quas seruando, patriam seruamus: dedendo ad necem,

A patriam deserimus, ac prodimus. At fœda atque ignominiosa deditio est: sed ea caritas patriæ est, vt tam ignominia eam, quàm morte nostra: si opus sit, seruemus. Subeatur ergo ista quantacunque est indignitas: & pareatur necessitati, quam ne dij quidem superant. Ite Coss. redimite armis ciuitatem, quam auro maiores vestri redemerunt. Coss. profecti ad Pontium in colloquium, cùm de fœdere victor agitaret, negarunt iniussu populi fœdus fieri posse, nec sine fecialibus, cæremoniáque alia solemni. Itaque non vt vulgò credunt, B Claudiúsque etiam scribit, fœdere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. Quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, vbi precatione res trāsigitur, per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur? Spoponderunt Coss. legati, quæstores, tribuni militum: nomináque omnium qui spoponderunt, exstant: vbi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium C non exstarent, & propter necessariam fœderis dilationem obsides etiam DC. equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. Tempus inde statutum tradendis obsidibus, exercituque inermi mittendo. Redintegrauit luctum in castris consulū aduentus: vt vix ab iis abstinerent manus, quorum temeritate in eum locum deducti essent: quorum ignauia fœdius inde, quàm venissent, abituri: illis nō ducem locorum, non exploratorem fuisse: belluarum modo cæcos in foueam missos. Alij alios intueri: D contemplari arma mox tradenda, & inermes futuras dextras, obnoxiáque corpora hosti. Proponere sibimet ipsi ante oculos iugum hostile, & ludibria victoris, & vultus superbos, & per armatos inermiū iter: inde fœdi agminis miserabilem viam, per sociorum vrbes reditum in patriam, ac parentes: quò sæpe ipsi maiorésque eorum triumphātes venissent. Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos: sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre: sibi nequicquam arma, nequicquam vires, nequicquam animos datos. Hæc frementibus E hora fatalis ignominiæ aduenit, omnia tristiora experiundo factura quàm quæ præceperant animis. Iā primum cū singulis vestimentis inermes extra vallū exire iussi, & primi tradi obsides atque in custodiam abducti. Tum à Coss. abire lictores iussi, paludamentáque detracta, tantā inter ipsos qui paulo ante eos exsecrantes, dedendos lacerandosque censuerant, miserationem fecit, vt suæ quisque cōditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ maiestatis velut ab F nefādo spectaculo auerteret oculos. Primi Coss. prope seminudi sub iugum missi: tum vt quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectus: tū deinceps singulę legiones. Circumstabāt armati hostes exprobrantes, eludentésque: gladij etiam plerisque intentati: & vulnerati quidam, necatiq. si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset. Ita traducti sub iugum. & (quod pene grauius erat) per hostium oculos cū ex saltu euasissent; etsi velut ab inferis extracti, tū primum lucē aspicere visi sunt, tamē G ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit. Itaque cū ante noctem Capuā peruenire possent, incerti de fide sociorū, & quod pudor præpediebat, circa viam haud procul Capua omniū egena corpora humi prostrauerunt. Quod vbi est Capuam nuntiatum, euicit miseratio iusta sociorum superbiam ingenitam Campanis. Confestim insignia sua consulibus, fasces, lictores, arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benigne mittunt: & venientibus Capuam cunctus senatus populúsque

obuiam egressus, iustis omnibus hospitalibus, priuatisque & publicis fungitur officiis, neque illis sociorum comitas, vultúsque benigni, & alloquia non modo sermonē elicere, sed ne vt oculos quidam attollerent, aut consolantes amicos contra intuerentur, efficere poterant. Adeo super mœrorem pudor quidam effugere colloquia & cœtus hominum cogebat. Postero die cum iuuenes nobiles missi à Capua, vt proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur, reuertissent: vocatique in curiam percunctantibus maioribus natu, multò sibi mœstioris & abiectioris animi visos referrent: adeò silens, ac prope mutum agmen incessisse: tacere indolem illam Romanam: ablatosque cum armis animos: non reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quenquam præ metu potuisse: tanquam ferentibus adhuc ceruicib. iugū, sub quod emissi essent. Habere Samnites victoriam nō præclaram solum, sed etiā perpetuam: cepisse enim eos non Romam, sicut ante Gallos: sed quod multò bellicosius fuerit, Romanam virtutem, ferociámque. Cùm hæc dicerentur, audirentúrque & deploratum pene Romanum nomen in concilio sociorum fidelium esset: dicitur Offilius Calauius Ouij filius, clarus genere factisque, tum etiam ætate verendus, longè aliter se habere rem dixisse: silentium illud obstinatum, fixosque in terram oculos, & surdas ad omnia solatia aures, & pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse: aut se Romana ignorare ingenia: aut silentium illud Samnitibus flebiles breui clamore gemitúsque excitaturum: Caudinæque pacis aliquanto Samnitibus quam Romanis tristiorem memoriam fore. Quippe suos quemque eorum animos habiturum, vbicumque congressuri sint: saltus Caudinos non vbique Samnitibus fore. Iam & Romæ sua infamis clades erat. obsessos primum audierūt: tristior deinde ignominiosæ pacis magis quam periculi nuntius fuit. Ad famam obsidionis delectus haberi cœptus erat: dimissus deinde auxiliorum apparatus, postquam deditionem tam fœdè factam acceperunt: extemploque sine vlla publica auctoritate concessum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ: iustitiúmque in foro sua sponte cœptum prius quam indictum: lati claui annuli aurei positi: pene mœstior exercitu ipso ciuitas esse: nec ducib. solū atq. auctoribus sponsoribusque pacis irasci sed innoxios etiam milites odisse, & negare vrbe tectisve accipiendos. Quam concitationem animorum fregit aduentus exercitus etiam iratis miserabilis. Non enim tanquam in patriam reuertentes ex insperato incolumes, sed captorum habitu vultúque ingressi sero in vrbem, ita se in suis quisque tectis abdiderunt, vt postero atq. insequentib. diebus nemo eorum forū aut publicum aspicere vellet. Consules in priuato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum senatusconsulto est, vt dictatorem dicerent comitiorum caussa. Q. Fabium Ambustum dixerunt, & P. Ælium Petum magistrum equitum quibus vitio creatis suffecti M. Æmylius Pappus dictator, L. Valerius Flaccus magister equitum nec per eos comitia habita: & quia tædebat populum omnium magistratuum eius anni, res ad interregnum rediit. interreges Q. Fabius Maximus, M. Valerius Coruinus. Is C O S S. creauit Q. Publium Philonem, & L. Papyrium Cursorem iterum, haud dubio consensu ciuitatis, quod nulli ea tempestate duces clariores essent. Quo creati sunt die eo (sic enim placuerat patribus) magistratum inierunt, solemnibusque senatusconsultis perfectis, & de pace

A Caudina retulerunt. & Publius penes quem fasces erant: Dic Spuri Posthumi, inquit: Qui vbi surrexit eodem illo vultu quo sub iugum missus erat. Haud sum ignarus, inquit consules, ignominiæ non honoris caussa me primum excitatum, iussumque dicere non tanquam senatorem, sed tanquam reum qua infelicis belli, qua ignominiosæ pacis. Ego tamen, quando neque de noxa nostra, neque de pœna retulistis: omissa defensione, quæ non difficillima esset a-
B pud haud ignaros fortunarum humanarum, necessitatumque, sententiam de eo, de quo retulistis, pauca peragā: quæ sententia testis erit, mihine, an legionibus vestris pepercerim, cū me seu turpi, seu necessaria sponsione obstrinxi: qua tamen, quando iniussu populi facta est, non tenetur populus Romanus, neē quicquam ex ea, præterquam corpora nostra, debentur Samnitibus. Dedamur per fœciales nudi, vinctique exsoluamus religione populum, si qua obligauimus, ne quid diuini humanive obstet, quo
C minus iustum piumque de integro ineatur bellum. Interea Coss. exercitum scribere, armare, educere placet. nec prius ingredi hostium fines, quàm omnia iusta in deditionem nostram perfecta erunt. Vos dij immortales precor, quæsoque, si vobis non fuit cordi Spurium Posthumium, T. Veturium consules cum Samnitibus prospere bellum gerere: at vos satis habeatis vidisse nos sub iugum missos: vidisse sponsione infami obligatos: videte nudos vinctosque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibusque excipientes: nouos Coss. legionésque Romanas ita cum Samnite gerere bellum veli-
D tis, vt omnia ante nos consules bello gesta sunt. Quæ vbi dixit, tanta simul admiratio miseratioque viri incessit homines, vt modo vix crederent illum eundem esse Sp. Posthumium, qui auctor tam fœdæ pacis fuisset: modo miserarentur quod vir talis etiam præcipuum apud hostes supplicium passurus esset ob iram diremptæ pacis, cum omnes laudibus modo prosequentes virum, in sententiam eius pedibus irent, tentata paulisper intercessio est ab L. Liuio, &
E Q. Melio tribunis plebis, qui neque exsolui religione populum aiebant deditione sua, nisi omnia Samnitibus qualia apud Caudium fuissent, restituerentur: neque se pro eo quod spondendo pacem, seruassent exercitum populi Rom. pœnam vllam meritos esse, neque ad extremum cum sacrosancti essent, dedi hostibus, violarive posse. Tum Posthumius: Interea dedite, inquit, profanos nos, quos salua religione potestis: dedetis deinde & istos sacrosanctos, cum primum magistratu abierint: sed si me au-
F diatis, prius quàm dedantur, hic in comitio virgis cæsos, hanc iam vt intercalatæ pœnæ vsuram habeant. Nam quod deditione nostra negant exsolui religione populum: id istos magis ne dedantur, quam quia ita se res habeat, dicere, quis adeo iuris fœcialium expers est, qui ignoret? Neque ego inficias eo, patres conscripti, tam sponsiones, quàm fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur: sed iniussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum te-
G neat. An si eadem superbia qua sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, coegissent nos verba legitima dedentium vrbes nuncupare, deditum populum Romanum vos tribuni diceretis? & hanc vrbem, templa, delubra, fines, aquas Samnitium esse? Omitto deditionem, quoniam de sponsione agitur. Quid tandem si spopondissemus vrbem hanc relicturum populum Rom. si incensurum? si magistratus, si senatum, si leges non habiturum? si sub regibus futurum? Dij meliora, inquis. atque non indignitas

gnitas rerum, sponsionis vinculum leuat. Si quid est A
in quod obligari populus possit, in omnia potest. Et
ne illud quidem, quod quosdam forsitan moueat,
refert, Cos. an dictator, an prætor spoponderit. &
hoc ipsi etiam Samnites iudicauerunt, quibus non
fuit satis Coss. spondere, sed legatos, quæstores, tri-
bunos militum, spondere coegerunt. Nec à me nunc
quisquam quæsiuerit, quid ita spoponderim, cum id
nec consulis ius esset, nec illis spondere pacem, quæ
mei non erat arbitrij: nec pro vobis, qui nihil man-
daueratis, possem. Nihil ad Caudium patres conscri-
pti humanis consiliis gestum est: dij immortales & B
vestris, & hostium imperatoribus mentem ademe-
runt: nec nos in bello satis cauimus, & illi male par-
tam victoriam male perdiderunt, dum vix locis qui-
bus vicerant, credunt, dum quacunque conditione
arma viris in arma natis auferre festinant. An si sana
mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo
ad consultandum accersunt, mittere Romam lega-
tos: cum senatu cum populo de pace ac fœdere age-
re? Tridui iter expeditis erat. interea in induciis res C
fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis
certam, aut pacem afferrent. Ea demum sponsio es-
set, quam populi iussu spopondissemus. Sed neque
vos tulissetis, nec nos spopondissemus: nec fas fuit a-
lium rerum exitum esse: quàm vt & illi velut som-
nio lætiore, quàm quod mentes eorum capere pos-
sent, nequicquam eluderentur, & nostrum exercitū
eadem quæ impedierat fortuna, expediret. vanam vi-
ctoriam vanior irritam faceret pax: sponsio interpo-
neretur. quæ neminem præter sponsorem obligaret. D
Quid enim vobiscum patres conscripti, quid cum
populo Rom. actum est: Quis vos appellare potest?
quis se à vobis dicere deceptum? hostis? an ciuis? Ho-
sti nihil spopondistis: ciuem neminem spondere pro
vobis iussistis. Nihil ergo vobis nec nobiscum est,
quibus nihil mandastis: nec cum Samnitibus, cum
quibus nihil egistis. Samnitibus sponsores nos su-
mus rei satis locupletes in id quod nostrum est, in id
quod præstare possumus, corpora nostra, & animos: in
hæc sæuiant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod E
ad tribunos plebis attinet: consulite vtrū præsens de-
ditio eorum fieri possit, an in diem differatur: nos in-
terim T. Veturi, vosque cæteri vilia hæc capita luen-
dæ sponsionis feramus, & nostro supplicio libe-
remus Romana arma. Mouit patres conscriptos tum
caussa tum auctor: nec cæteros solum, sed tribunos e-
tiam plebis, vt se in senatus dicerent fore potestate.
magistratu inde se extemplo abdicauerunt: traditi-
que fœcialibus cum cæteris Caudium ducendi.
Hoc facto senatusconsulto, lux quædam affulsisse F
ciuitati visa est. Posthumius in ore erat: eū laudibus
ad cœlum ferebant: deuotioni P. Decij Coss. aliis
claris facinoribus æquabant: emersisse ciuitatem
ex obnoxia pace illius consilio & opera, ipsum se
cruciatibus & hostium iræ offerre: piaculáque pro
populo Rom. dare. Arma cuncti spectant, & bel-
lum, en vnquam futurum, vt cōgredi armatis cum
Samnite liceat. In ciuitate ira odióque ardente dele-
ctus omnium prope voluntariorum fuit: rescriptæ
ex eodem milite nouæ legiones: ductúsque ad Cau- G
dium exercitus. Prægressi fœciales vbi ad portam
venere, vestem detrahi pacis sponsoribus iubent: ma-
nus post tergum vinciri. Cùm apparitor verecundia
maiestatis Posthumium laxè vinciret: Quin tu, in-
quit, adducis lorum, vt iusta fiat deditio? Tum vbi in
cœtum Samnitium, & ad tribunal ventum Pontij est,
A. Cornelius Aruina fœcialis ita verba fecit:
Quandoquidem hisce homines iniussu populi Rom.
Quiritum fœdus ictum iri spoponderunt, atque ob
eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo popu-
lus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homi-
nes vobis dedo. Hæc dicenti: fœciali Posthumius
genu femur quanta maximè poterat vi perculit, &
clara voce ait, se Samnitem ciuem esse, illū legatum:
fœcialem à se contra ius gentium violatum: eo iu-
stius bellum Rom. gesturos. Tum Pontius: Nec ego
istam deditionem accipiam, inquit, nec Samnites ra-
tam habebunt. Quin tu Sp. Posthumi, si deos esse cē-
ses, aut omnia irrita facis, aut pacto stas? Samniti po-
pulo omnes quos in potestate habuit, aut pro iis pax
debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum
victori cum qua potes fide restituis? Populum Ro-
manum appello: quem si sponsionis ad Furculas
Caudinas factæ pœnitet, restituat legiones intra sal-
tum quo septæ fuerunt. Nemo quenquam decepe-
rit, omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per
pactionem tradiderunt: redeant in castra sua: quic-
quid pridie habuerunt, quam in colloquium est ven-
tum, habeant. Tum bellum, & fortia consilia pla-
ceant, tunc sponsio & pax repudietur. Ea verò fortu-
na, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus,
geramus bellum: nec populus Romanus consulum
sponsionem, nec nos fidem populi Romani accuse-
mus. Numquámne caussa deficiet, cur victi pacto nō
stetis? Obsides Porsenæ dedistis: furto eos subduxi-
stis. Auro ciuitatem à Gallis redemistis: inter acci-
piendum aurum cæsi sunt. Pacem nobiscum pepigi-
stis, vt legiones vobis captas restitueremus, eam pa-
cem irritam facitis, & semper aliquam fraudi spe-
ciem iuris imponitis. Non probat populus Romanus
ignominiosa pace legiones seruatas? Pacem sibi ha-
beat, legiones captas victori restituat. Hoc fide, hoc
fœderibus, hoc fœcialibus ceremoniis dignum erat,
vt tu quidem, quod petisti, per pactionem habeas tot
ciues incolumes: ego pacem quam hosti tibi remit-
tendo pactus sum, non habeam? Hoc tu A. Corneli,
hoc vos fœciales iuris gentibus dicitis? Ego verò i-
stos, quos dedi simulatis, nec accipio, nec dedi arbi-
tror: nec moror quo minus in ciuitatem obligatam
sponsione commissa, iratis omnibus diis, quorum e-
luditur numen, redeant. Gerite bellum, quando Sp.
Posthumius modo legatū fœcialem genu perculit:
ita dij credent Samnitem ciuem Posthumium non
ciuem Rom. esse: & à Samnite legatum Rom. viola-
tum: eo vobis iustum in nos factum esse bellum. Hęc
ludibria religionum non pudere in lucem proferre?
& vix pueris dignas ambages senes ac cōsulares fal-
lendę fidei exquirere? I lictor, deme vincla Romanis:
moratus sit nemo quo minus vbi visum fuerit, ab-
eant. Et illi quidem forsitan & publica, sua certè
liberata fide, ab Caudio in castra Romana inuiolati
redierunt. Samnitibus pro superba pace infestissimū
cernentibus renatum bellum, omnia quæ deinde e-
uenerunt, non in animis solum, sed prope in oculis
esse, & sero ac nequicquā laudare senis Pontij vtraq.
consilia: inter quæ se media lapsos, victoriæ posses-
sionem pace incertam mutasse, & beneficij & male-
ficij occasione amissa, pugnaturos cum eis quos po-
tuerint in perpetuum vel inimicos tollere, vel ami-
cos facere. Adeoque nullo dū certamine inclinatis
viribus post Caudinam pacem animi mutauerant, vt
clariorem inter Romanos deditio Posthumium, quā
Pontium incruenta victoria inter Samnites faceret:
& geri posse bellum Romani pro victoria certa ha-
berent, Samnites simul rebellasse & vicisse crederent
Romanum. Inter hæc Satricani ad Samnites defece-
runt, & Fregellæ colonia nec opinato aduentu Sam-
nitium (fuisse & Satricanos cum iis satis constat) no-
cte occupata est. Timor inde mutuus vtrosque vsque

septem millia militum sub iugum missa, prædáque ingens Luceriæ capta, receptis omnibus signis armisque, quæ ad Caudium amiserant: & quod omnia superabat gaudia, equitib. recuperatis, quos pignora pacis custodiendos Luceriam Samnites dederant. Haud ferme alia mutatione subita rerũ clarior victoria populi Rom. est. si quidem etiam (quod quibusdam in annalibus inuenitur) Pontius Herennij filius, Samnitium imperator, vt expiaret consulum ignominiam, sub iugum cum ceteris est missus. Ceterum id minus miror obscurum esse de hostiũ duce dedito, missoque sub iugum. id magis mirabile est ambigi, Luciúsne Cornelius dictator cum L. Papyrio Cursore magistro equitum eas res ad Caudium, atque inde Luceriam gesserit: vltorque vnicus Romanæ ignominiæ haud sciam an iustissimo triumpho ad eam ætatem secundum Furium Camillum triumphauerit, an Cos. Papyrij præcipuum id decus sit. Sequitur hunc errorem alius error: Cursorne Papyrius proximis comitiis cum Q. Æmylio Cæretano iterum ob rem bene gestam Luceriæ continuato magistratu consul tertium creatus sit, an L. Papyrius Mugilanus, & in cognomine erratum sit. Conuenit iam inde per consules reliqua belli perfecta. Æmylius cum Ferentanis vno secundo prælio debellauit: vrbémque ipsam quò se fusa contulerat acies, obsidibus imperatis in deditionem accepit. Pari fortuna consul alter cum Satricanis, qui ciues Romani post Caudinam cladem ad Samnites defecerant, præsidiúmque eorum in vrbem acceperant, rem gessit. nam cum ad mœnia Satrici admotus esset exercitus: legatísque missis ad pacem cum precibus petendam, triste responsum ab consule redditum esset, nisi præsidio Samnitium interfecto, aut tradito, ne ad se remearent plus ea voce, quàm armis illatis, terroris colonis iniectum. Itaque subinde cum exsequerentur quærendo à consule legati, quonam se pacto paucos & infirmos crederet præsidio tam valido & armato vim allaturos: ab iisdem consilium petere iussi, quibus auctoribus præsidium in vrbem accepissent, discedunt: ægréque impetrato vt de ea re consuli senatum, responsaque ad se ferri sineret, ad suos redeunt. Duæ factiones senatum distinebant: vna, cuius principes erant defectionis à populo Romano auctores: altera, fidelium ciuium. Certatum ab vtrisque tamen est, vt ad reconciliandam pacem consuli opera nauaretur. Pars altera, cum præsidium Samnitium, quia nihil satis præparati erat ad obsidionem tolerandam, excessurum proxima nocte esset, nuntiare consuli satis habuit, qua noctis hora, quámque per portam, & quam in viam egressurus hostis foret. altera, quibus inuitis descitum ad Samnites erat, eadem nocte portam etiam consuli aperuerunt, armatósque clam hostes in vrbem acceperunt. Ita duplici proditione & præsidium Samnitium, insessis circa viam syluestribus locis, necopinato oppressum est: & ab vrbe plena hostium clamor sublatus: momentoque vnius horæ Samnis cæsus, Satricanus captus, & omnia in potestate Cos. erant. Qui quæstione habita, quorum opera defectio esset facta: quos sontes comperit, virgis cæsos securi percussit: præsidioque valido imposito, arma Satricanis ademit. Inde ad Triumphum decessisse Romam Papyrium Cursorem scribunt, qui eo duce Luceriam receptam, Samnitésque sub iugum missos, auctores sunt. Et fuit vir haud dubiè dignus omni bellica laude, non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Præcipua pedum pernicitas inerat, quæ cognomen etiam dedit: victorémque cursu omnium

A ætatis suæ fuisse ferunt: & seu virium vi, seu exercitatione multa, cibi vinique eundem capacissimum, nec cum vllo asperiorem, quia ipse inuicti ad laborem corporis esset, fuisse militiam pediti pariter equitique equites etiam aliquando ausos ab eo petere, vt sibi pro re bene gesta laxaret aliquid laboris. quibus ille: Ne nihil remissum dicatis, remitto inquit, ne vtique dorsum demulceatis, cum ex equis descendetis. Et vis erat in eo viro imperij ingẽs pariter in socios, ciuésque Prænestinus prætor per B timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem: quem cum inambulans ante tabernaculum vocari iussisset, lictorem expedire securim iussit. Ad quam vocem exanimi stante Prænestino: Agedũ lictor, excide radicẽ hanc, inquit, incommodã ambulantibus: perfusúmque vltimi supplicij metu, mulcta dicta dimisit. Haud dubie illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo vnus erat vir: quo magis innixa res Romana staret: quin eum parem destinarant animis magno Alexandro ducem, si arma C Asia perdomita in Europam vertisset. Nihil minus quæsitũ à principio huius operis videri potest, quã vt plus iusto ab rerum ordine declinarem, varietatibúsq; distinguendo opera, & legentib. velut diuerticula amœna, & requiem animo meo quærerem, tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus sæpe tacitis cogitationib. volutauit animum, eas euocat in medium: vt quærere libeat, quinam euentus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit. Plurimum in bello pollere videntur militũ co- D pia & virtus, ingenia imperatorũ, fortuna per omnia humana maximè in res bellicas potẽs. Ea & singula intuẽti & vniuersa, sicut ab aliis regibus gentibusq; ita ab hoc quoque facile præstant inuictum Romanum imperium. Iam primum, vt ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum: sed clariorem tamen eum facit, quòd vnus fuit, quod adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus decessit. Vt alios reges claros ducésque omittam, ma- E gna exempla casuum humanorum: Cyrum quem maximè Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sicut Magnum modo Pompeium vertenti præbuit fortunæ? Recenseam duces Romanos, nec omnes omnium ætatum, sed ipsos eos cum quibus consulibus aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum: M. Valerium Coruinum, C. Martium Rutiliũ, C. Sulpitium, T. Manlium Torquatum, Q. Publium Philonem, L. Papyrium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, Marcum Cu- F rium: deinceps ingentes sequuntur viri, si Punicum Romano præuertisset bellum, seniorque in Italiã traiecisset. Horum in quolibet tum indoles eadem, quæ in Alexandro erat animi ingeniique, tũ disciplina militaris iam inde ab initiis vrbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum venerat. Ita reges gesserant bella: ita deinde exactores regum, Iunij, Valeriíque: ita deinceps Fabij, Quintij, Cornelij: ita Furius Camillus, quem iuuenes duo, quibus cum Alexandro dimicandum G erat, senem viderant. Militaria opera pugnando obeunti Alexandro (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) cessisset videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus: aut Valerius Coruinus, insignes ante milites, quàm duces? Cessissent Decij deuotis corporibus in hostem ruentes? Cessisset Papyrius Cursor illo corporis robore, illo animi? Victus esset consiliis iuuenis vnius, ne singulos nominem, senatus ille? quem qui ex regibus constare dixit, vnus veram speciem Romani senatus

cepit. Id verò erat periculum, ne solertius, quàm quiuis vnus ex iis quos nominaui, castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidiis præcaueret, tempus pugnæ eligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret. Non iam cum Dario rem esse dixisset: quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum eneruatum fortunæ suæ apparatibus, prædam verius quàm hostem, nihil aliud quàm bene ausus vana contemnere, incruentus deuicit. Longè alius Italiæ, quàm Indiæ, per quam temulento agmine comessabundus incessit, visus illi habitus esset, saltus Apuliæ, ac montes Lucanos cernenti, & vestigia recentia domesticæ cladis: vbi auunculus eius nuper Epiri rex Alexander absumtus erat. Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. Qui si ex habitu nouæ fortunæ, nouique (vt ita dicam) ingenij, quod sibi victor induerat, spectetur: Dario magis similis quàm Alexandro in Italiam venisset, & exercitum Macedoniæ oblitum, degenerantémque iam in Persarum mores adduxisset. Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi iacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graues, nedum victoribus: & fœda supplicia: & inter vinum & epulas cædes amicorum: & vanitatem ementiendæ stirpis. Quid si vini amor in dies fieret acrior? quid si trux ac præferuida ira? (nequicquam dubium inter scriptores refero) nullane hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus? Id verò periculum erat, quod leuissimi ex Græcis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriæ fauent, dictitare solent, ne maiestatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit populus Rom. & aduersus quem Athenis, in ciuitate fracta Macedonum armis, cernente tum maximè prope fumantes Thebarum ruinas, concionati libere ausi sint homines (id quod ex monumentis orationum patet) aduersus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit. Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, vnius tamen ea magnitudo hominis erit, collecta paulo plus decem annorum felicitate, quàm qui eo extollunt, quod populus Rom. etsi nullo bello, multis tamen præliis victus sit, Alexandro nullius pugnæ non secunda fortuna fuerit: non intelligunt se vnius hominis res gestas, & eius iuuenis, cum populi iam octingentesimum bellantis annum rebus conferre. Miremur, si cum ex hac parte secula plura numerentur, quàm ex illa anni, plus in tam longo spatio, quàm in ætate XIII. annorum fortuna variauerit. Quin tu hominis cum homine, & ducis cum duce fortunam cum fortuna confers? Quot Romanos duces nominem, quibus nunquam aduersa fortuna pugnæ fuit? Paginas in annalibus magistratuum fastisque percurrere licet, consulum, dictatorúmque quorum nec virtutis nec fortunæ vllo die populum Rom. pœnituit. Et quo sint mirabiliores quàm Alexander aut quisquam alius rex: denos vicenósque dies quidam dictaturam, nemo plusquàm annum consulatum gessit: ab Tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitiorum caussa reuocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collegæ nunc temeritas, nunc prauitas impedimento aut damno, fuit: male gestis rebus alterius successum est: tyronem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At hercule reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum tempo-

A rúmque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur. Inuictus ergo Alexander cum inuictis ducibus bella gessisset: & eadem fortunæ pignora in discrimen detulisset: imo etiam eo plùs periculi subisset, quod Macedones vnum Alexandrum habuissent, multis casibus non solùm obnoxium, sed etiam offerentem se: Romani multi fuissent Alexandro vel gloria, vel rerum magnitudine pares: quorum suo quisque fato sine publico discrimine viueret, moreretúrque. Restat vt copiæ copiis comparentur vel nu- B mero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorum. Censebantur eius ætatis lustris ducena quinquagena millia capitum. Itaq; in omni defectione sociorum Latini nominis vrbano prope delectu decē scribebantur legiones. quaterni quinique exercitus sæpe per annos in Hetruria, in Vmbria, Gallis hostibus adiunctis, in Samnio, in Lucanis gerebant bellū. Latium deinde omne cum Sabinis & Volscis, & Æquis, & omni Campania, & parte Vmbriæ Hetruriæque, & Picentibus, & Marsis, Pelignisque ac C Vestinis atque Apulis, adiunctâque omni ora Græcorum inferi maris à Thuriis Neapolim & Cumas, & inde Antio atque Hostia tenus Samnites, aut socios validos Romanis aut fractos bello inuenisset hostes, ipse traiecisset mare cum veteranis Macedonibus. non plus triginta millibus hominum, & quatuor millibus equitum, maximè Thessalorum. hoc enim roboris erat. Persas, Indos, aliásque si adiunxisset gentes, impedimētum maius quàm auxilium traheret. Adde, quod Romanis ad manum domi sup- D plementum esset: Alexandro (quod postea Annibali accidit) alieno in agro bellanti, exercitus consenuisset. Arma clypeus, sarissæque illis, Romano scitum, maius corpori tegumentum, & pilum haud paulò quàm hasta vehementius ictu missuque telum. Statarius vterque miles, ordines seruās: sed illa phalanx immobilis, & vnius generis: Romana acies distinctior, ex pluribus partibus cōstans, facilis partienti quacunque opus esset, facilis iungenti. Iam in opere quis par Romano miles: quis ad tolerandum E laborem melior? Vno prælio victus Alexander, bello victus esset. Romanum quem Caudium, quem Cannæ non fregerunt, quæ fregisset acies? Ne ille sæpe etiamsi prima prospere euenissent, Persas & Indos, & imbellem Asiam quæsisset, & cum fœminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso iuuene cum sua conferentem. Equidem cum per annos quatuor & viginti primo Punico bello classibus F certatum cum Pœnis recordor, vix ætatem Alexandri suffecturam fuisse reor ad vnum bellum. Et forsitan cum & fœderibus vetustis iuncta Punica res Romanæ esset, & timor par aduersus communem hostem duas potentissimas armis virisque vrbes armaret, simul Punico Romanoque obrutus bello esset. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus, sed experti tamen sunt Romani Macedonem hostem aduersus Antiochum, Philippum & Persen, non modo cum clade vlla, sed ne G cum periculo quidem suo. Absit inuidia verbo, & ciuilia bella sileant, nunquam ab equite hoste, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis vtique, nunquam iniquis locis laborauimus. Equitem, sagittas, saltus impeditos, auia commeatibus loca, grauis armis miles timere potest, mille acies grauiores quàm Macedonum atque Alexandri, auertit, auertétque, modo sit perpetuus huius qua viuimus pacis amor, & ciuilis cura concordiæ. Marcus Follius Flaccina inde, & L. Plautius

Venox

Venox Coss. facti. Eo anno ab frequentibus Samnitium populis de fœdere renouando legati cum senatum humi strati monissent, reiecti ad populum haud quaquam tam efficaces habebant preces. Itaque de fœdere negatum: induciæ biennij cum per aliquot dies fatigassent singulos, precibus impetratæ: Et ex Apulia Theanenses Canusinique populationibus fessi obsidibus L. Plautio Cos. datis, in deditionem venerunt. Eodem anno primum præfecti Capuæ creari cœpti, legibus ab L. Furio prætore datis: cum vtrumque ipsi pro remedio ægris rebus B discordia intestina petissent. Et duæ Romæ additæ tribus, Vfentina ac Falerina. Inclinatis semel in Apulia rebus, Theates quoq; Apuli ad nouos Coss. C. Iunium Bubulcum, Q. Æmylium Barbulam fœdus petitum venerunt. Pacis per omnem Apuliam præstandæ populo Rom. auctores, id audacter spondendo, impetrauerunt vt fœdus daretur, neque vt æquo tamen fœdere, sed vt in deditione populi Rom. essent. Apulia perdomita (nam Tarento quoque valido oppido Iunius potitus erat) in Lucanos perrectum. C inde repentino aduentu Æmylij Cos. Nerulum vi captum. Et postquam res Capuæ stabilitas Romana disciplina fama per socios vulgauit: Antiatibus quoque qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur: dati ab senatu ad iura statuenda ipsius coloniæ patroni. Nec arma modo, sed iura etiam Romana latè pollebant. C. Iunius Bubulcus, & Q. Æmylius Barbula consules, exitu anni non consulibus ab se creatis, Sp. Nautio, & M. Popilio, cæterum dictatori L. Æmylio legiones tra- D diderunt. Is cum L. Fuluio magistro equitum Satriculam oppugnare adortus, rebellandi caussam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis. hinc Samnis magno exercitu coacto ad eximendos obsidione socios haud procul castris Romanorum castra posuit, hinc Satricani magno cum tumultu pat- factis repente portis in stationes hostium incurrerunt. Inde pars vtraque spe alieni magis auxilij, quàm viribus freta suis, iusto mox prælio inito Romanos vrgent. & quanquam anceps E dimicatio erat, tamen vtrinq; tutam aciem dictator habuit: quia & locum haud facilem ad circumueniendum cepit: & diuersa statuit signa. Infestior tamen in erumpentes incessit: nec magno certamine intra mœnia cōpulit. tum totam aciem in Samnites obuertit. ibi plus certaminis fuit. Victoria sicut sera, ita nec dubia nec varia fuit. Fusi in castra Samnites, extinctis nocte ignibus, tacito agmine abeunt: & spe abiecta Satriculæ tuendæ, Plistiam ipsi socios Romanorum, vt parem dolorem hosti red- F derent, circumsidunt. Anno circumacto, bellum deinceps ab dictatore Q. Fabio gestum est. Consules noui, L. Papyrius Cursor quartum, & Q. Publius Philo quartum, sicut superiores, Romæ manserunt: Fabius ad accipiendum ab Æmylio excercitum ad Satriculam cum supplemento venit. Neque enim Samnites ad Plistiam manserant: sed accitis ab domo nouis militibus, multitudine freti castra eodem quo ante loco posuerunt, lacessentésque prælio Romanos auertere ab obsidione conabantur. G Eo intentius dictator in mœnia hostium versus, id bellum tanti ducere, quod vrbem oppugnabat: securior ab Samnitibus agere, stationibus modo oppositis, ne qua in castra vis fieret, eo ferocius obequitare Samnites vallo, neque otium pati: & cum iam prope in portis castrorum esset hostis, nihil consulto dictatore magister equitum Q. Æmylius Ceretanus magno tumultu cum omnibus turmis equitum euectus summouit hostem. Tum in minimè pertinaci genere pugnæ sic fortuna exercuit opes, vt A insignis vtrinque clades, & clara ipsorum ducum ederet funera. Prior Samnitium imperator ægrè patiens, quod tam ferociter adequitasset, inde se fundi fugarique, orando, hortandoque equites prælium integrauit. In quem insignem inter suos cientem pugnam magister equitum Romanus infesta cuspide ita permisit equum, vt vno ictu exanimem equo præcipitaret: nec vt fit, ad ducis casum perculsa magis quàm irritata est multitudo. Omnes qui circa erant, in Æmylium temere inuectum per hostium turmas, tela coniecerūt: fratrique præcipuum decus vlti Samnitium imperatoris dederunt. Is victorem detractum ex equo magistro equitum plenus mœroris atque iræ trucidauit: nec multum abfuit, quin corpore etiam, quia inter hostiles ceciderat turmas Samnites potirentur. Sed extemplo ad pedes descensum ab Romanis est: coactique idem Samnites facere: & repentina acies circa corpora ducum pedestre prælium iniit, quo haud dubiè superat Romanus: recuperatumque Æmylij corpus mista cum dolore lætitia victores in castra referunt. Samnites duce amisso, & per equestre certamen tentatis viribus, omissa Satricula, quam nequicquam defendi rebantur, ad Plistiæ obsidionem redeunt: intráque paucos dies Satricula Romanis per deditionem Plistia per vim Samnis potitur. Mutata inde belli sedes est, ad Soram è Samnio Apuliáque traductæ legiones. Sora ad Samnites defecerat, interfectis colonis Romanorum. Quo cum prior Romanus exercitus ad vlciscendam ciuium necem, recuperandamque coloniam magnis itineribus peruenisset: & sparsi per vias speculatores sequi legiones Samnitium, nec iam procul abesse alij super alios nuntiarent: obuiam itum hosti, atque ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum est. Non cædes, nō fuga alterius partis, sed nox incertos victi victorésne essent, diremit. Inuenio apud quosdam, aduersam eam pugnam Romanis fuisse: atque in ea cecidisse Q. Æmylium magistrum equitum. Suffectus in locum Æmylij C. Fabius magister equitum cum exercitu nouo ab Roma aduenit: & per præmissos nuntios consulto dictatore vbi subsisteret, quove tempore, & qua ex parte hostem aggrederetur, subsistit occultus ad omnia satis exploratis consiliis. Dictator cum per aliquot dies post pugnam continuisset suos intra vallum, obsessi magis quam obsidentis modo, signum repente pugnæ proposuit. Et efficacius ratus ad accendendos virorum fortium animos, nullam alibi quàm in semetipsos cuiquam relictam spem, de magistro equitum, nouoque exercitu militem celauit, & tanquam nulla nisi in eruptione spes esset: Locis, inquit angustis milites deprehensi, nisi quam victoriam patefecerimus, viam nullam habemus. Statiua nostra munimento satis tuta sunt, sed inopia eadem infesta. Nam & circa omnia defecerunt, vnde subuehi commeatus poterant: & si homines iuuare velint, iniqua loca sunt. Itaque non frustrabor ego vos castra hic relinquendo, in quæ infecta victoria, sicut pristino die, vos recipiatis. Armis monumenta, non monumentis arma tuta esse debent. Castra habeant, repetántq; quibus operæ est trahere bellum: nos omniū rerum respectum, præter quam victoriæ, nobis abscindamus. Ferte signa in hostem: vbi extra vallum agmen excesserit, castra quibus imperatum est incendant. Damna vestra milites, omnium circa qui defecerunt populorum præda sarcientur. Ea oratione dictatoris, quæ necessitatis vltimæ index erat, milites accensi vadunt in hostem: & respectus ipse ardentium castrorum, quanquam proximis tantum

(ita enim iusserat dictator) ignis est subditus, haud parum fuit irritamentum. Itaque velut vecordes illati, signa primo impetu hostium turbant: & in tépore postquam ardentia procul vidit castra magister equitum (id conuenerat signum) hostium terga inuadit. ita circumuenti Samnites, quà potest quisque fugam per diuersa petunt. Ingens multitudo in vnum metu conglobata, ac semetipsam turba impediens, in medio cæsa. Castra hostium capta direptáque, quorum præda onustum militem in Romana castra dictator reducit, haudquaquã tam victoria B lætum, quam quod præter exiguam deformatam incendio partem, cetera contra spem salua inuenit. Ad Soram inde reditum, nouique Coss. M. Petilius, C. Sulpitius exercitum ab dictatore Fabio accipiũt, magna parte veterum militum dimissa, nouisque, cohortibus in supplementum adductis. Ceterum cum propter difficilem vrbis situm, nec oppugnandi satis certa ratio iniretur, & aut tempore longinqua, aut præceps periculo victoria esset. Soranus transfuga clam ex oppido profectus, cum ad vigiles Romanos penetrasset, duci se extemplo ad consules iubet: C deductusque traditurum vrbem promittit. Visus inde, cum quonam modo id præstaturus esset, percunctantes doceret, haud vana afferre, perpulit prope adiuncta mœnibus Romana castra, vt sex millia ab oppido remouerentur, fore vt minus intentæ in custodiam vrbis diurnæ stationes, ac nocturnæ vigiliæ essent. ipse insequenti nocte sub oppido syluestribus locis cohortibus insidere iussis, decem milites delectos secum per ardua ac prope inuia in arcem ducit, pluribus quam pro numero virorum mis- D silibus telis eo collatis. ad hoc saxa erant & temere iacentia (vt fit) in asperis, & de industria etiam, quo locus tutior esset, ab oppidanis congesta. Vbi eã constituisset Romanos, semitámque angustam & arduam erectam ex oppido in arcem ostẽdisset: Hoc quidem ascensu, inquit, vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint: vos & decem numero, & quod plus est, Romani, Romanorúmque fortissimi viri estis, & locus pro vobis, & nox erit, quæ omnia ex incerto maiora territis ostentat. Ego iam terrore omnia implebo, vos arcem intẽti tenete. Decurrit inde quãto maximè poterat cum tumultu. Ad arma, &, Pro vestram fidem ciues, clamitans, Arx ab hostibus capta est, ite, defendite. Hæc incidens principum foribus, hæc obuiis, hæc occurrentibus in publicum pauidis increpat. Acceptum ab vno pauorem plures per vrbem ferunt. Trepidi magistratus missis ad arcem exploratoribus, cum tela & armatos tenere arcem multiplicato numero audirent, auertunt animos à spe recuperandæ arcis. Fuga cuncta complentur, portæque à semisomnis, ac maxima parte inermibus refringuntur: quarum per vnam præsidium Romanum clamore excitatum irrumpit, & concursantes per viam pauidos cædit. Iam Sora capta erat, cum Coss. prima luce aduenere, & quos reliquos fortuna ex nocturna cæde ac fuga fecerat, in deditionem accipiunt. ex his CCXXV. qui omnium consensu destinabantur, & infandæ colonorum cædis & defectionis auctores, vinctos Romam deducunt: ceteram multitudinem incolumem præsidio imposito Soræ relinquunt. Omnes qui Romam deducti erant, virgis in foro cæsi, ac securi percussi. summo gaudio plebis: cuius maximè intererat, tutam vbique, quæ passim in colonias mitteretur, multitudinem esse. Consules ab Sora profecti, in agros atque vrbes Ausonum bellum intulerunt. Mota namque omnia aduentu, cum apud Lautulas dimicatum est, fuerant, coniurationésque circa Campaniã passim factæ. Nec Capua ipsa crimine caruit. quin Romam quoque & ad principum quosdam inquirendos ventum est. Ceterum Ausonum gens proditione vrbium, sicut Sora, in potestatem venit. Ausona, & Minturnæ, & Vestina vrbes erant, ex quibus principes iuuentutis duodecim numero in proditionem vrbium suarum coniurati, ad consules veniunt: docent suos iam pridem exoptantes Samnitium aduentum, simul ad Lautulas pugnatum audierunt, pro victis Romanos habuisse, iuuentute & armis Samnites iuuisse. Fugatis inde Samnitibus, incerta pace agere, nec claudentes portas Romanis, ne accersant bellum: & obstinatos claudere, si exercitus admoueatur: in ea fluctuatione animorum opprimi incautos posse. His auctoribus mota propius castra: missique eodem tempore circa tria oppida milites, partim armati, qui occulti propinqua mœnibus insiderent loca: partim togati, tectis veste gladiis, qui sub lucem apertis portis vrbes ingrederentur. Ab iis simul custodes trucidari cœpti, simul datum signum armatis, vt ex insidiis concurrerent. ita portæ occupatæ, triáque oppida eadem hora, eodémque consilio capta: sed quia absentibus ducibus impetus est factus, nullus modus cædibus fuit: deletáque Ausonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset. Eodem anno prodito hostibus Romano præsidio, Luceria Samnitium facta: nec diu proditoribus impunita res fuit. Haud procul inde exercitus Romanus erat: cuius primo impetu vrbs sita in plano capitur: Lucerini ac Samnites ad internecionem cæsi. eoque ira processit, vt Romæ cum de colonis mittendis Luceriam consuleretur senatus, multi delendam vrbem censerent. præter odium, exsecrabile in bis captos erat, longinquitas quoque abhorrere à relegandis tam procul ab domo ciuibus inter tam infestas gentes cogebat. vicit tamen sententia, vt mitterentur coloni. duo millia & quingenti missi. Eodem anno, cum omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque occultæ principũ coniurationes patefactæ: de quibus cum ad senatum relatũ esset, haudquaquã neglecta res est. Quæstiones decretæ, dictatorémque quæstionibus exercẽdis dici placuit. C. Mænius dictus, is M. Follium magistrum equitũ dixit. Ingens erat magistratus eius terror. itaque siue timore eius, seu conscientia, Calauios, Ouium, Nouiúmque (ea capita coniurationis fuerãt) prius quam nominarentur apud dictatorem, mors haud dubiè ab ipsis conscita, iudicio subtraxit. Deinde vt quæstioni Campaniæ materia decessit, versa Romã interpretando res. nõ nominatim qui Capuę, sed in vniuersum qui vsquam coissent, coniurassént-ve aduersus Romanum populum, quæri senatum iussisse: & coitiones honorum adipiscendorum caussa factas, aduersus remp. esse, Latiorque & re & personis quæstio fieri: haud abnuente dictatore sine fine vlla quæstionis suæ ius esse. Postulabantur ergo nobiles homines: appellãtibúsque tribunos, nemo erat auxilio, quin nomina reciperẽtur. Inde nobilitas, nec ij modo in quos crimen intendebatur, sed vniuersi simul negare nobilium id crimen esse, quibus si nulla obstetur fraude, pateat via ad honorem, sed hominum nouorum ipsos adeo dictatorem magistrúmque equitum, reos magis quam quæsitores idoneos eius criminis esse: intellecturosque ita id esse, simul magistratu abissent. Tum enimuero Mænius iam famæ magis quam imperij memor, progressus in concionẽ, ita verba fecit: Et omnes anteactæ vitæ vos conscios habeo Quirites, & hic ipse honos delatus ad me, testis est innocẽtiæ meæ. Neq. enim

enim (quod sæpe alias) quia ita tempora postulabat A reipubl. qui bello clarissimus esset, sed qui maximè procul ab his coitionibus vitam egisset, dictator deligendus exercendis quæstionibus fuit. Sed quoniam quidam nobiles homines (qua de caussa vos existimare, quam me pro magistratu quicquam incompertum dicere melius est) primum ipsas expugnare quæstiones omni ope annisi sunt: dein postquam ad id parum potentes erant, ne caussam dicerent, in præsidia aduersariorum, appellationem & tribunitium auxilium, patricij confugerunt. postremo B repulsi inde (adeo omnia tutiora, quàm vt innocentiam suam purgarent, visa) in nos irruerunt. & priuatis dictatorem poscere reum, verecundiæ non fuit: vt omnes dij hominésque sciant, ab illis etiam quæ non possint, tentari, ne rationem vitæ reddant: me obuiam ire crimini, & offerre me inimicis reum: dictatura me abdico. Vos quæso Coss. si vobis datum ab senatu negotium fuerit, in me primum & hunc M. Follium quæstiones exerceatis: vt appareat innocentia nostra nos, non maiestate honoris C tutos à criminationibus istis esse. Abdicat inde se dictatura, & post eum confestim Follius magisterio equitum: primique apud Coss. (iis enim ab senatu mandata res est) rei facti, aduersus nobilium testimonia egregiè absoluuntur. Publius etiam Philo multiplicatis summis honoribus, post res tot domi belloque gestas, ceterum inuisus nobilitati, caussam dixit, absolutúsq; est. Nec diutius (vt fit) quàm dum recens erat, quæstio per clara nomina reorum viguit. inde labi cœpit ad viliora capita. donec coitio- D nibus factionibusque, aduersus quas comparata erat, oppressa est. Earum fama rerum, magis tamen spes Campaniæ defectionis, in quam coniuratum erat, Samnites in Apuliam versos, rursus ad Caudium reuocauit: vt inde ex propinquo, si qui motus occasionem aperiret, Capuam Romanis eriperent. Eò Coss. cum valido exercitu venerunt. & primo circa saltus, cum vtrinque ad hostem iniqua via esset, cunctati sunt. deinde Samnites per aperta loca breui circuitu in loca plana, Campanos campos, agmen E demittunt. ibique primum castra in conspectu hostibus data: deinde leuibus præliis equitum sæpius quam peditum vtrinque periculum factum. Nec aut euentus eorum Romanum, aut moræ, qua trahebant bellum, pœnitebat. Samnitium contra ducibus, & capi paruis quotidie damnis, & senescere dilatione belli vires suæ videbantur. Itaque in aciem procedunt, equitibus in cornua diuisis: quibus præceptum erat, intentiores ad respectum castrorum, ne qua eò vis fieret, quam ad prælium starent: a- F ciem pediti tutam fore. Coss. Sulpitius in dextro, Petilius in læuo cornu consistunt. dextra pars, qua & Samnites raris ordinibus, aut circumeundos hostes, aut ne ipsi circumirentur, constiterant, latius patefacta stetit sinistris, præterquam quod confertiores steterant, repentino consilio Petilij Coss. additæ vires: qui subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reseruabantur, in primam aciem extemplo emisit: vniuersísque hostem primo impetu viribus impulit. Commota pedestri G acie Samnitium, eques in pugnam succedit. In hunc transuerso agmine inter duas acies se inferentem Romanus equitatus concitat equos: signaque & ordines peditum atque equitum confundit, donec vniuersam ab ea parte auertit aciem. In eo cornu non Petilius solus, sed Sulpitius etiam hortator affuerat, auectus ab suis nondum conserentibus manus, ad clamorem ab sinistra parte prius exortum. Vnde haud dubiam victoriam cernés, cum ad suum

A cornu tenderet cum mille ducentis viris, dissimilé ibi fortunam inuenit. Romanos loco pulsos, victorem hostem signa in perculsos inferentem. Ceterum omnia mutauit repente consulis aduentus- nam & conspectu ducis refectus militum est animus: & maius quàm pro numero auxilium aduenerat, fortes viri: & partis alterius victoria audita, mox visa etiam prælium restituit. tota deinde iam vincere acie Romanus: & omisso certamine, cædi capique Samnites: nisi qui Maleuentum, cui nunc B vrbi Beneuentum, nomen est, perfugerunt. Ad triginta millia cæsa aut capta Samnitium, proditum memoriæ est. Coss. egregia victoria parta, protinus inde ad Bouianum oppugnandum legiones ducũt: ibique hyberna egerunt, donec ab nouis Coss. L. Papyrio Cursore quintum, C. Iunio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Petilius cum M. Follio magistro equitum exercitum accepit. Is cum audisset arcem Fregellanam ab Samnitibus captam, omisso Bouiano ad Fregellas pergit. Vnde post nocturnam C Samnitium fugam sine certamine receptis Fregellis præsidioque valido imposito, in Campaniam reditum, maxime ad Nolam armis repetendam. Eò se intra mœnia sub aduentum dictatoris & Samnitiũ omnis multitudo, & Nolana agrestis, contulerant. Dictator vrbis situ circumspecto, quo apertior aditus ad mœnia esset, omnia ædificia (& frequenter ibi habitabatur) circumiecta muris incendit, nec ita multo post, siue à Petilio dictatore, siue ab C. Iunio Cos. (nam vtrumque traditur) Nola est capta. Qui D captæ decus Nolæ ad Cos. trahunt, adiiciunt Atinã & Calatiam ab eodem captas: Petilium autem pestilentia orta claui figendi caussa dictatorem dictũ. Suessa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ sunt. Suessa Auruncorum fuerat: Volsci Pontias insulam sitam in conspectu littoris sui incoluerant. Et in tertiam Casinum vt deducerentur coloni, senatusconsultum factum est. sed triumuiros creauere, ac misere colonorum quatuor millia insequentes Coss. M. Valerius, P. Decius. Profligato ferè Samnitium E bello, prius quam ea cura decederet patribus Romanis, Hetrusci belli fama exorta est. Nec erat ea tẽpestate gens alia, cuius secũdum Gallicos tumultus arma terribiliora essent, cũ propinquitate agri: tum multitudine hominum. Itaque altero consule in Samnio reliquias belli persequẽte, P. Decius, qui grauiter æger Romæ restiterat, auctore senatu dictatorem C. Sulpitium Longum, is magistrum equitum C. Iunium Bubulcum dixit. Is prout rei magnitudo postulabat, omnes Iuniores sacramẽto adi- F git: arma quoque alia sres poscit, summa industria parat: nec tantis apparatibus elatus de inferendo bello agitat, quieturus haud dubie, nisi vltro arma Hetrusci inferrent. Eadem in comparando cohibendoque bello consilia & apud Hetruscos fuere. Neutri finibus egressi. Et censura data ea anno Appij Claudij, & C. Plautij fuit: memoriæ tamen, felicioris ad posteros nomen Appij, quod viam muniuit, & aquam in vrbem duxit: eáque vnus perfecit, quia ob infamẽ atq. inuidiosam senatus lectionem verecun- G dia victus collega magistratu se abdicauerat. Appius iam inde antiquitus insitam pertinaciã familiæ gerendo, solus censuram obtinuit. Eodem Appio auctore Potitia gens cuius ad aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, seruos publicos ministerij delegandi caussa solemnia eius sacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimouendis statu suo sacris religionem facere posset: cum duodecim familiæ ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnes intra annum

cum stirpe exstinctos: nec nomen tantum Potitiorum interiisse, sed censorem etiam Appium memori deûm ira post aliquot annos luminibus captum. Itaque Coss. qui eum annum secuti sunt, C. Iunius Bubulcus III. & Quintus Æmylius Barbula iterum, initio anni questi apud populum, deformatum ordinem praua lectione senatus, qua potiores aliquot lectis præteriti essent: negauerunt eam lectionem se, quæ sine recti prauique discrimine ad gratiam ac libidinem facta esset, obseruaturos: & senatum extemplo citauerunt eo ordine, qui ante cēsores Appium Claudiū & C. Plautium fuerat. Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtraq. pertinentia ad rem militarem: vnum, vt tribuni militum seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, quę antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum fermè fuerant beneficia. Tulere eā rogationē Tribuni plebis L. Atilius, C. Martius. Alterum, vt duumuiros nauales classis ornandæ reficiendæque caussa idem populus iuberet. Lator huius plebisciti fuit M. Decius tribunus plebis. Eiusdem anni rem dictu paruam præterirem, ni ad religionem visa esset pertinere. Tibicines, quia prohibiti à proximis censoribus erant in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi Tybur vno agmine abierunt: adeo, vt nemo in vrbe esset, qui sacrificiis præcineret. Eius rei religio tenuit Senatum: legatosque Tybur miserunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis restituerentur. Tyburtini benigne polliciti, primum accitos eos in curiam hortati sunt, vt reuerterentur Romam: postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum, eos aggrediuntur. Die festo alij alios per speciem celebrandarum cantu epularum caussa inuitant, & vino, cuius auidum ferme genus est, oneratos sopiunt: atque ita in plaustra somno victos coniiciunt, ac Romam deportant: nec prius sensere, quàm plaustris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppressit. Tunc cōcursus populi factus, impetratoque vt manerent, datū, vt triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac, quæ nunc solemnis est, licentia per vrbem vagarentur: restitutúmque in æde vescendi ius iis qui sacris præcinerent. Hæc inter duorum ingentium bellorum curam gerebantur. Cōsules inter se prouincias partiti: Iunio Samnites, Æmylio nouum bellum Hetruria sorte obuenit. In Samnio Cluuiam præsidiū Romanum, quia nequiuerat vi capi, obsessum fame in deditionem acceperant Samnites: verberibusque fœdum in modum laceratos occiderant deditos. Huic infensus crudelitati Iunius, nihil antiquius oppugnatione Cluuiana ratus, quo die aggressus est mœnia, vi cepit, atque omnes puberes interfecit. Inde victor exercitus Bouianum ductus. Caput hoc erat Pentrorum Samnitium, longe ditissimum, atque opulētissimum armis virisque. Ibi quia haud tantum iratum erat, spe prædæ milites accēsi, oppido potiuntur. Minus itaque sæuitum in hostes est: prædæ plus pene quàm ex omni Samnio vmquam egestum, benigneque omnis militi concessa. Et postquam præpotentem armis Romanum nec acies subsistere vllæ, nec castra, nec vrbes poterant: omnium principum in Samnio eo curæ sunt intentæ, vt insidiis quæreretur locus, si qua licentia populando effusus exercitus excipi ac circumueniri posset. Transfugæ agrestes, & captiui quidam, pars fortè, pars consilio oblati, congruentia ad consulem afferentes, quæ & vera erant, pecoris vim ingentem in saltum auium compulsam esse: perpulerunt vt prædatum eo expeditæ ducerentur legiones ibi ingens hostium exercitus itinera occultus insederat:

A & postquam intrasse Romanos vidit saltum, repentè exortus cum clamore ac tumultu incautos inuadit. Et primo noua res trepidationem fecit, dum arma capiunt, sarcinas congerunt in medium. dein postquā, vt quisque liberauerat se onere, aptauerátq. armis, ad signa vndique coibant, & notis ordinibus in veteri disciplina militiæ iam sine præcepto vllius sua sponte struebatur acies: consul ad ancipitem maximè pugnam aduectus, desilit ex equo: B & Iouem Martemque, atque alios testatur deos, se nullam suam gloriam inde, sed prædam militi quærentem, in eum locum deuenisse: neque in se aliud, quàm nimiam ditandi ex hoste militis curam reprehendi posse. Ab eo se dedecore nullam rem aliam, quàm virtutem militum vindicaturam. Connitentur modo vno animo omnes inuadere hostem victum acie, castris exutum, nudatum vrbibus, vltimam spem furto insidiarum tentantem, & loco non armis fretum. Sed quem esse iam virtuti Ro- C manæ inexpugnabilem locum? Fregellana arx, Soranâque, & vbicunque iniquo successum erat loco, memorabantur. His accensus miles, omnium immemor difficultatum, vadit aduersus imminentem hostium aciem. Vbi paulum laboris fuit, dum in aduersum cliuum erigitur agmen. Ceterum postquam prima signa planitiem summam ceperunt, sensitque acies æquo se iam institisse loco, versus extemplo terror est in insidiatores: easdémque latebras, quibus se paulo ante texerāt, palati atque inermes fuga repetebant: sed loca difficilia hosti quæsi- D ta, ipsos tum sua fraude impediebant. itaque ergo perpaucis effugium patuit. Cæsa ad viginti millia hominum, victorque Romanus ad oblatam vltro ab hoste prædam pecorum discurrit. Dum hæc geruntur in Samnio, iam omnes Hetruriæ populi, præter Aretinos ad arma ierant, ab oppugnando Sutrio, quæ vrbs socia Romanis velut claustra Hetruriæ erat, ingens orsi bellum. Eò alter Cos. Æmylius cum exercitu ad liberandos obsidione socios venit. Aduenientibus Romanis Sutrini commeatus benigne E in castra ante vrbē posita aduexere. Hetrusci diem primum consultando, maturarent, traheréntne bellum, traduxerunt: postero die, vbi celeriora, quàm tutiora consilia magis placuere ducibus, sole orto signum pugnæ propositum est: armatique in aciem procedunt. Quod postquam consuli nuntiatum est, extemplo tesseram dari iubet, vt prandeat miles, firmatisque cibo viribus arma capiat, dicto paretur. Consul vbi armatos paratosque vidit, signa extra vallum proferri iussit, & haud procul hoste instruxit F aciem. Aliquandiu intenti vtrinque steterunt, exspectantes vt ab aduersariis clamor & pugna inciperet. Et prius sol meridie se inclinauit, quam telum hinc aut illinc emissum est. inde ne effecta re abiretur, clamor ab Hetruscis oritur, concinúntque tubæ, & signa inferuntur. Nec segnius à Romanis pugna initur. Concurrunt infensis animis, numero hostis, virtute Romanus superat. Anceps prælium multos vtrinque, & fortissimum quenque absumit. Nec prius inclinata res est, quàm secunda acies Ro- G mana ad prima signa, integri fessis successerunt. Hetrusci, quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa circáque omnes ceciderunt. Hetrusci, quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa circáque omnes ceciderunt. Nullo vnquam prælio fugæ minus, nec plus cædis fuisset, ni obstinatos mori Thuscos nox texisset, ita vt victores prius quam victi pugnandi finem facerent. Post occasum solis signum receptui datum est: nocte ab vtroque in castra reditum. Nec deinde quicquam eo anno rei memoria dignæ

apud

apud Sutrium gestum est, quia & ex hostiũ exercitu prima tota acies deleta vno prælio fuerat, subsidiariis modo relictis, vix quod satis esset ad castrorum præsidium: & apud Romanos tantum vulnerum fuit, vt plures post prælium saucij decessèrint, quàm ceciderant in acie. Q. Fabius insequentis anni Consul bellum ad Sutrium excepit. collega Fabio C. Martius Rutilius datus est. Ceterum & Fabius supplementum ab Roma adduxit: & nouus exercitus domo accitus Hetruscis venit: Permulti iam anni erant, cum inter patritios magistratus tribunosque plebis nulla certamina fuerant: cum ex ea familia, quæ velut fatalis tum tribunis ac plebi erat, certamen oritur. Ap. Claudius censor circumactis decem & octo mensibus, quod Æmylia lege finitum censuræ spatium temporis erat, cùm C. Plautius collega eius magistratu se abdicasset: nulla vi compelli, vt abdicaret, potuit. P. Sempronius erat tribunus plebis, qui finiendæ censuræ intra legitimum tempus, actionem susceperat, non popularem magis quàm iustam, nec in vulgus, quam optimo cuique gratiorem. Is cum identidem legem æmyliam recitaret, auctorémque eius Mamercum æmylium dictatorem laudibus ferret: qui quinquennalem ante censuram, & longinquitate potestatem dominantem, intra sex mensium, & anni coegisset spatium. Dic agedum, inquit, Appi Claudi, quidnam facturus fueris, si eo tempore quo C. Furius & M. Geganius censores fuerunt, censor fuisses? Negare Appius interrogationem tribuni magnoperè ad caussam pertinere suam. nam etsi tenuerit lex æmylia eos censores, quorum in magistratu lata esset: quia post illos censores creatos eam legem populus iussisset, quódque postremum iussisset, id ius ratúmque esset: non tamen aut se, aut eorum quenquam, qui post eam legem latam creari censores essent, teneri ea lege potuisse. Hæc sine vllius assensu cauillante Appio: En, inquit, Quirites, illius Appij progenies: qui decemuir in annum creatus, altero anno se ipse creauit: tertio nec ab se, nec ab vllo creatus, priuatus fasces & imperium obtinuit: nec ante continuando abstitit magistratu, quàm obruerent eum male parta, male gesta, male retenta imperia. Hæc est eadem familia, Quirites, cuius vi atque iniuriis compulsi extorres patria Sacrum montem cepistis. hæc, aduersus quam tribunitium auxilium vobis comparastis. hæc, propter quam duo exercitus Auentinum insedistis hæc, quæ fœnebres leges: hæc, quæ agrarias semper impugnauit: hæc connubio patrum & plebis interrupit: hæc plebi ad curules magistratus iter obsepsit. hoc est nomen multo quam Tarquiniorum infestus vestræ libertati. Itáne tandem Ap. Claudi cùm centesimus iam annus sit ab Mamerco æmylio dictatore, tot censores fuerint nobilissimi fortissimique viri, nemo eorum duodecim tabulas legit? Nemo id ius esse, quod postremo populus iussisset, sciuit? Immo verò omnes sciuerunt: ideo æmyliæ potius legi paruerunt, quam illi antiquæ, qua primum censores creati erant: quia hanc postremum iusserat populus: & quia, vbi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ abrogat noua. An hoc dicit Appi non teneri Æmylia lege populum? an populum teneri, te vnum extra legem esse? Tenuit Aemylia lex violentos illos censores, C. Furium, & M. Geganium, qui quid iste magistratus in reipub. mali facere posset, indicarunt: cum ira finitę potestatis, Mamercum Æmyliũ principem ætatis suæ belli domíque ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes censores intra centum annorum spatium. tenet C. Plautium collegam tuum,

A iisdem auspiciis, eodem iure creatum. An hunc non vt qui optimo iure cẽsor creatus esset, populus creauit: tu vnus eximius es, in quo hoc præcipuum ac singulare valeat? quem tu regem sacrificiorum crees, amplexus regni nomen, vt qui optimo iure rex Romæ creatus sit, creatum se dicet? Quem semestri dictatura, quem interregno quinque diebus contentum fore putes? Quem claui figendi, aut ludorum caussa dictatorem audacter crees? Quam isti solidos ac socordes videri creditis eos, qui intra vicesimum diem ingentibus rebus gestis dictatura

B se abdicauerunt, aut qui vitio creati, abierunt magistratu? Quid ego antiqua repetam? Nuper intra decem annos C. Mænius dictator, quia cum quæstiones seuerius quam quibusdam potentibus tutum erat, exerceret: contagio eius quod quærebat, ipsi criminis obiectata ab inimicis est, vt priuatus obuiam iter crimini, dictatura se abdicauit. Nolo ego istam in te modestiam, ne degeneraueris à familia imperiosissima, & superbissima: non die, non hora

C citius quàm necesse est, magistratu abieris: modo ne excedas finitum tempus, satis est aut diem aut mensem censuræ adiicere. Triennium, inquit, & sex menses vltra quam licet Æmylia lege, censuram geram, & solus geram. Hoc quidem iam regno simile est. An collegam subrogabis, quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est? Pœnitet enim, quod antiquissimum solemne, & solum ab ipso cui fit, institutum Deo, ad nobilissimis antistitibus eius sacri ad seruorum ministerium religio-

D sus censor deduxisti, gens antiquior originibus vrbis huius, hospicio deorum immortalium sancta, propter te ac tuam censuram intra annum ab stirpe exstincta est: nisi vniuersam rempub. eo nefario obstrinxeris: quod ominari etiam reformidat animus. Vrbs eo lustro capta est, quo demortuo collega C. Iulio censore, L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam subrogauit. Et quanto modestior illius cupiditas fuit, quam tua Appi? nec solus, nec vltra finitum lege

E tempus L. Papyrius censuram gessit. tamen neminem inuenit qui se postea auctorem sequeretur. omnes deinceps censores post mortem collegæ se magistratu abdicarunt. Te nec quod dies exiit censuræ, nec quod collega magistratu abiit, nec lex nec pudor coercet. virtutem in superbia, in audacia, in contemptu deorum hominúmque ponis. Ego te Appi Claudi pro istius magistratus maiestate ac verecundia, quem gessisti, non modo manu violatum, sed ne verbo quidem inclementiori à me ap-

F pellatum vellem: sed & hæc quæ adhuc egi, peruicacia tua & superbia coegit me loqui: & nisi æmyliæ legi parueris, te in vincula duci iubebo; nec cum ita comparatum à maioribus sit, vt comitiis censoriis nisi duo confecerint legitima suffragia, non renunciato altero comitia differantur: ego te, qui solus censor creari non possis, solum censuram gerere patiar. Hæc taliaque cum dixisset, prehendi censorem, & in vincula duci iussit. Approbantibus sex tribunis actionem collegę, tres appellanti Appio au-

G xilium fuerunt, summaque inuidia omnium ordinũ solus censuram gessit. Dum ea Romæ geruntur, iam Sutrium ab Hetruscis obsidebatur: consulique Fabio imis montibus ducenti ad ferendam opem sociis tentandasque munitiones, si qua posset, acies hostium instructa occurrit. quorum ingentem multitudinem cum ostenderet subiecta late planities cõsul, vt loco paucitatẽ suorum adiuuaret, deflectit paululũ in cliuos agmẽ (aspreta erãt strata saxis) inde signa in hostẽ obuertit. Hetrusci omniũ preterquam

multitudinis ſuæ (qua ſola freti erant) immemores, prælium inieũt adeo raptim & auide, vt abiectis ſimilibus, quo celerius manus cõſererent, ſtringerent gladios, vadentes in hoſtem. Romanus contrà, nunc tela, nunc ſaxa, quibus eos affatim locus ipſe armabat, ingerere. Igitur ſcuta galeæque ictæ, cum etiam quos non vulnerauerant, turbarent. neque ſubire erat facile ad propiorem pugnam: neque miſſilia habebant, quibus eminus rem gererent: ſtantes, & expoſitos ad ictus, cum iam ſatis nihil tegeret, quoſdam etiam pedem referentes, fluctuantéſque, & inſtabilem aciem redintegrato clamore ſtrictis gladiis haſtati & principes inuadunt. eum impetum non tulerunt Hetruſci: verſiſque ſignis, fuga effuſa caſtra repetunt. Sed equites Romani præuecti per obliqua campi, cùm ſe fugientibus obtuliſſent, omiſſo ad caſtra itinere montes petunt. Inde inermi pene agmine, ac vexato vulneribus, in ſyluam Ciminiam penetratum. Romanus multis millibus Hetruſcorum cæſis, duodequadraginta ſignis militaribus captis, caſtris etiam hoſtium cum præda ingenti potitur. Tum de perſequendo hoſte agitari cœptum. Sylua erat Ciminia magis tum inuia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici ſaltus: nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita. eam intrare haud fere quiſquam præter ducem ipſum audebat, aliis omnib. cladis Caudinæ nondum memoria aboleuerat. Tum ex iis qui aderant, conſulis frater (M. Fabium Cæſonem alij, C. Claudium quidam, matre eadem qua Coſ. genitum, tradunt) ſpeculatum ſe iturum profeſſus, breuique omnia certa allaturum. Cære educatus apud hoſpites, Hetruſcis inde literis eruditus erat, linguámque Hetruſcam probe nouerat. Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos, ſed propius eſt vero, præcipuum aliquid fuiſſe in eo, qui ſe tam audaci ſimulatione hoſtibus immiſcuerit. Seruus ei dicitur comes vnus fuiſſe, nutritus vnà, eoque haud ignarus linguæ eiuſdem. nec quicquam aliud proficiſcentes, quam ſummatim regionis quæ intranda erat, naturam, ac nomina principum in populis accepere: ne qua inter colloquia inſigni nota hæſitantes deprehendi poſſent. Iere paſtorali habitu, agreſtibus telis, falcibus geſiſque binis armati. Sed neque commercium linguæ nec veſtis armorúmve habitus ſic eos texit, quam quod abhorrebat à fide quenquam externum Ciminios ſaltus intraturum. Vſque ad Camertes Vmbros penetraſſe dicuntur. ibi, qui eſſent, fateri Romanum auſum: introductúmque in ſenatum conſulis verbis egiſſe de ſocietate amicitiáque, atque inde comi hoſpitio acceptum, nuntiare Romanis iuſſum, commeatum exercitui dierum XXX. præſto fore, ſi ea loca intraſſet: iuuentutémq. Camertium Vmbrorum in armis paratam imperio futuram. Hæc cum relata conſuli eſſent: impedimentis prima vigilia præmiſſis, legionib. poſt impedimenta ire iuſſis, ipſe ſubſtitit cum equitatu: & luce orta, poſtero die obequitauit ſtationibus hoſtium, quæ extra ſaltum diſpoſitę erant: & cum ſatis diu tenuiſſet hoſtē, in caſtra ſeſe recepit: portáq. altera egreſſus, ante noctem agmen aſſequitur. poſtero die luce prima iuga Ciminij mõtis tenebat: inde cõtemplatus opulenta Hetruriæ arma, milites emittit. Ingenti iam abacta prędą, tumultuariæ agreſtium Hetruſcorum cohortes repente à principibus regionis eius concitatæ, Romanis occurrunt adeo incompoſitæ, vt vindices prædarum prope ipſi prædæ fuerint. Cæſis fugatiſq. iis, late depopulato agro victor Romanus opulentúſque rerum omnium copia in ca-

A ſtra rediit. Eò fortè quinque legati cum duobus Tribunis plebis venerant denuntiatum Fabio ſenatus verbis, ne ſaltum Ciminium tranſiret. læti ſerius ſe, quàm vt impedire bellum poſſent, veniſſe, nuntij victoriæ Romam reuertuntur. Hac expeditione conſulis motum latius erat, quàm profligatum bellum: vaſtatione namque ſub Ciminij montis radicibus iacens ora ſenſerat: conciuerátque indignatione non Hetruriæ modo populos, ſed Vmbriæ finitima. itaque quantus non vnquam antea e-
B xercitus ad Sutrium venit neque è ſyluis; tantummodo promota caſtra, ſed etiam auiditate dimicandi quamprimum in campo delata acies: deinde inſtructa primo ſuo ſtare loco, relicto hoſtibus ad inſtruendum contra ſpatio, deinde poſtquam detrectare hoſtem ſenſere, pugnam, ad vallum ſubeunt. vbi poſtquam ſtationes quoque receptas intra munimenta ſenſere, clamor repēte circa duces ortus, vt eo ſibi è caſtris cibaria eius diei deferri iuberent, manſuros ſe ſub armis: & aut nocte, aut certe luce prima caſtra hoſtium inuaſuros. Nihilo quietior Romanus
C exercitus imperio ducis continetur. Decima erat ferè diei hora, cùm cibum conſul milites iubet: præcepit vt in armis ſint, quacunque diei noctiſue hora ſignum dederit. paucis milites alloquitur: Samnitium bella extollit, eleuat Hetruſcos: nec hoſtē hoſti, nec multitudinem multitudini comparandam ait eſſe: præterea telum aliud occultum ſcituros in tempore: interea taceri opus eſſe. His ambagibus prodi ſimulabat, hoſtes, quo animus militum multitudine
D territus reſtitueretur: & quod ſine monimento conſederant, veriſimilius erat, quod ſimulabatur. Curati cibo corpora quieti dant: & quarta fere vigilia ſine tumultu excitati arma capiunt. dolabræ calonibus diuiduntur ad vallum proruendum, foſſáſque implendas intra munimenta inſtruitur acies: delectæ cohortes ad portarum exitus collocantur. dato deinde ſigno paulo ante lucem, quod æſtiuis noctibus ſopite maximè quietis tempus eſt, proruto vallo erupit acies: ſtratos paſſim inuadit hoſtes: alios immobiles, alios ſemiſomnos in cubi-
E libus ſuis: maximam partem ad arma trepidantes cædes oppreſſit, paucis armandi ſedatum ſpatium eſt. eos ipſos non ſignum certum, non ducem ſequentes fundit Romanus. fugatoſque perſequitur. Ad caſtra, ad ſyluas diuerſi tendebant. ſylua, tutius dedere refugium. nam caſtra in campis ſita eodem die capiuntur. aurum, argentumque iuſſum referri ad conſulem. cætera præda militis fuit. Cæſa aut capta eo die hoſtium millia ad ſexaginta. Eam tam claram pugnam trans Ciminium ſyluam
F ad Peruſiam pugnatam quidam auctores ſunt, metúq. in magno ciuitatem fuiſſe, ne interclusus exercitus tam infeſto ſaltu, coortis vndique Thuſcis Vmbriſque, opprimeretur. Sed vbicunque pugnatum eſt, res Romana ſuperior fuit: itaque à Peruſia, & Cortona, & Arretio, quæ fermè capita Hetruriæ populorum ea tempeſtate erant, legati pacem fœduſque ab Romanis petentes, inducias in triginta annos impetrauerunt. Dum hæc in Hetruria gerun-
G tur, Coſ. alter C. Martius Rutilius Allifas de Samnitibus vi cœpit. multa alia caſtella, vicique aut deleta hoſtiliter, aut integra in poteſtatem venere. Per idem tempus & claſſis Romana à P. Cornelio quem ſenatus maritimæ oræ præfecerat, in Campaniam acta, cum appulſa Pompeios eſſet: ſocij inde nauales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti, profectis raptim vaſtatis, vnde reditus tutus ad naues eſſet, dulcedine (vt fit) prædæ longius progreſſi, *exciuere hoſtes palatis per agros nemo

obuius

[illegible] occidi possent: redeun-[illegible] alecuti a-[illegible] partem etiam occiderunt: [illegible] trepida multitudo, ad naues [illegible]. Profectio Q. Fabij trans Ciminiam [illegible] Romæ terrorem fecerat, tam læ-[illegible] ad hostes tulerat. interclu-[illegible] exercitum obsideri, cladisque [illegible] Caudinas memorabant. eadem [illegible] semper gentem in [illegible], septam non hostium ma-[illegible] iniquitatibus esse. Iam [illegible] cusebatur, quod belli Ro-[illegible] ad Hetruscos a-[illegible] viasque ad obterendum C. [illegible] unde Hetruriam [illegible] petituri, Martius [illegible] faciat. Obuiam his Cos. [illegible] atroci, abiit in [illegible] ses fuisset, aduersæ ta-[illegible] Romanos vertit, ob amissos quos-[illegible] tribunosque militum, atque [illegible] quod insigne maxime fuit) [illegible] vulnus. Ob hæc etiam aucta fa-[illegible] terror patres inuasit: dictatorémi-[illegible] nec quin Cursor Papyrius dice-[illegible] summa rei bellicæ ponebatur, du-[illegible] erat. sed nec in Samnium nuntium [illegible] infestis tuto posse: nec viuere Mar-[illegible] videbant. Alter Cos. Fabius infestus [illegible] erat: quæ ne ira obstaret bono pu-[illegible] ex consularium numero mittendos ad [illegible] censuit: qui sua quoque eum, non pu-[illegible] auctoritate monerent, vt memoriam si-[illegible] patriæ remitteret. Profecti legati ad Fa-[illegible], cum S. C. tradidissent, adiecissent-[illegible] conuenientem mandatis: consul de-[illegible] terram oculis, tacitus ab incertis, quid-[illegible] acturus, legatis recessit. Nocte deinde si-[illegible] L. Papyrium [illegible] dictatorem dixit. cui [illegible] animum egregie vicisset legati gratias a-[illegible] obstinatum silentium obtinuit: ac sine res-[illegible] mentione facta sua, ita legatos dimisit: vt [illegible] insignem dolorem ingenti comprimi ani-[illegible] C. Iunium Bubulcum magistrum equi-[illegible]: atque ei legem curiatam de imperio fe-[illegible] omen, diem diffidit, quod Faucia cu-[illegible] principium, duabus insignis cladibus ca-[illegible] Caudinæ pacis: quod vtroque anno e-[illegible] curiæ fuerat principium. Macer Licinius [illegible] clade, quæ ad Cremeram accepta est, a-[illegible] eam curiam facit. Dictator postero [illegible] repetitis pertulit legem, & profectus [illegible] ad terrorem traducti syluam Cimi-[illegible] scriptis ad Longulam perue-[illegible] acceptis [illegible] Martio Cos. veteribus militibus, [illegible] copias [illegible], nec hostes detrectare visi [illegible] deinde, armatosque, cum ab neu-[illegible] oppressit. Quieti a-[illegible] nec suis [illegible] viribus, nec hostem [illegible] tes, statiua in propinquo habuere. Nam & [illegible] Vmbrorum exercitu acie depugnatum est. fusi [illegible] magis, quàm cæsi hostes: quia cœptam acriter [illegible] pugnam, & ad Vadimonis lacum [illegible] lege sacrata coacto exercitu, cum vir vi-[illegible], quantis nunquam alias ante simul co-[illegible] animis dimicarunt: tantoque [illegible] [illegible] res est, vt ab neutra parte emi-[illegible] pugna cœpit: & acerrime commissa, [illegible], quod aliquandiu anceps fuit, [illegible]

A est: vt non cum Hetruscis toties victis, sed cum aliqua noua gente videretur dimicatio esse. Nihil ab vlla parte mouetur fugæ: cadunt antesignani: & ne nudentur propugnatoribus signa, fit ex secunda prima acies ab vltimis deinde subsidiis cietur miles adeoque ad vltimum laboris ac periculi ventum est, vt equites Romani omissis equis ad primos peditum per arma, per corpora euaserint. ea velut noua inter fessos exorta acies turbauit signa Hetruscorum. secuta deinde impetum eorum, vtcunque affecta fue-
B rat, cætera multitudo tandem perrumpit ordines hostium. Tunc vinci pertinacia cœpta, & auerti manipuli quidam: & vt semel dedere terga, etiam certiorem capessere fugam. Ille primum dies fortuna veteri abundantes Hetruscorum fregit opes. Cæsum in acie quod roboris fuit: castra eo impetu capta, direptaque. Pari subinde periculo, gloriæque euentu bellum in Samnitibus erat: qui præter cæteros belli apparatus vt acies sua fulgeret nouis armorum insignibus, fecerunt. Duo exercitus erant.
C scuta alterius auro, alterius argento cælauerunt. Forma erat scuti: summum latius, qua pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali ad imum cuneatior, mobilitatis caussa. spongia pectori tegumentum: & sinistrum crus ocrea tectum. Galeæ cristatæ, quæ speciem magnitudini corporum adderent. Tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ. His dextrum cornu datum: illi in sinistro consistunt. Notus iam Romanis apparatus insignium armorum fuerat: doctique à duci-
D bus erant, horridum militem esse debere, non cælatum auro argentoque: sed ferro & animis fretum, quippe illa prædam verius quàm arma esse, nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera. virtutem esse militis decus, & omnia illa victoriam sequi: & ditem hostem quamuis pauperis victoris præmium esse. His Cursor vocibus instinctos milites in prælium ducit. dextro ipse cornu consistit: sinistro præfecit magistrum equitum. Simul est concursum, ingens fuit cum hoste certamen: non se-
E gnius inter dictatorem & magistrum equitum, ab vtra parte victoria inciperet. Prior forte Iunius commouit hostem, læuo dextrum cornu, sacratos more Samnitium milites, eoque candida veste, & paribus candore armis insignes. eos se orco mactare Iunius dictitans, cum intulisset signa, turbauit ordines, & haud dubie impulit aciem. Quod vbi sensit dictator: Ab læuone cornu victoria incipiet, inquit, & dextrum cornu, dictatoris acies alienam pugnam sequetur, non partem maximam victoriæ tra-
F het? concitat milites. Nec peditum virtuti equites, aut legatorum studia ducibus cedunt. M. Valerius à dextro, P. Decius ab læuo cornu, ambo consulares, ad equites in cornibus positos euehuntur: adhortatique eos, vt partem secum capesserent decoris in transuersa latera hostium incurrunt. Is nouus additus terror, cum ex parte vtraque circumdasset aciem, & ad terrorem hostium legiones Romanæ redintegrato clamore intulissent gradum, tum fuga ab Samnitibus cœpta. Iam [illegible] hominum at-
G morumque insignium campi [illegible] ac primo pauidos Sānites castra sua [illegible] ne ea quidem retenta, captis dire[illegible] iniectus ignis. Dictator ex S.C. triump[illegible] us triumpho longè maximam speciem [illegible] præbuere. Tantum magnificentiæ v[illegible] aurata scuta dominis argentariorum [illegible] dum diuiderentur. Inde natum [illegible] ornandi ab ædilibus, cum th[illegible] Et Romani quidem ad honorem [illegible] armis hostium

K

vsi sunt, Campani ab superbia & odio Samnitium, gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt. Eodem anno cum reliquis Hetruscorum ad Perusiam, quæ ipsa induciarum fidem ruperat, Fabius Cos. nec dubia nec difficili victoria dimicat. Ipsum oppidum (nam ad mœnia victor accessit) cepisset: ni legati dedentes vrbem exissent. Præsidio Perusiæ imposito, legationibus Hetruriæ amicitiam petentibus præ se Romam ad Senatum missis, Cos. præstantiore quam dictator victoria triumphans vrbem est inuectus. Quinetiam deuictorum Samnitium decus magna ex parte ad legatos P. Decium & M. Valerium est versum: quos populus proximis comitiis ingenti consensu consulem alterum, alterum prætorem declarauit. Fabio ob egregiè perdomitam Hetruriam, continuatur consulatus: Decius collega datur. Valerius prætor quartū creatus. Consules partiti prouincias. Hetruria Decio, Samnium Fabio euenit. Is profectus ad Nuceriam. Allifates iam tum pacem petentes, quod vti ea cum daretur noluissent, aspernatus, oppugnando subegit. Cum Samnitibus acie dimicatum. Haud magno certamine hostes victi: neque eius pugnæ memoria tradita foret, ni Marsi eo primum prælio cum Romanis bellassent. Secuti Marsorum defectionem Peligni eandem fortunam habuerunt. Decio quoque alteri consuli secunda belli fortuna erat. Tarquiniensem metu subegerat frumentum exercitui præbere, atque inducias in XL. annos petere. Volsiniensium castella aliquot vi cepit: quædam ex iis diruit, ne receptaculo hostibus essent: circunferendoque passim bello tantum terrorem fecit, vt nomen omne Hetruscum fœdus à consule peteret. Ac de eo quidem nihil impetratum. induciæ annuæ datæ. stipendium exercitui Romano ab hoste in eum annum pensum, & binæ tunicæ in militem exactæ, ea merces induciarum fuit. Tranquillas res iam Hetruscis turbauit repentina defectio Vmbrorum gentis integræ à cladibus belli, nisi quod transitum exercitus ager senserat. ij concitata omni iuuentute sua, & magna parte Hetruscorum ad rebellionem compulsa, tantum exercitum fecerant, vt relicto post se in Hetruria Decio, ad oppugnandam inde Romam ituros, magnificè de se, ac contemtim de Romanis loquentes, iactarent. Quod inceptum eorum vbi ad Decium Cos. perlatum est, ad vrbem ex Hetruria magnis itineribus pergit: & in agro Papiniensi ad famam intentus hostium consedit. Nec Romæ spernabatur Vmbrorum bellum: & ipsæ minæ metum fecerant expertis à Gallica clade, quam in tutam vrbem incolerent. Itaque legati ad Fabium consulem missi sunt, vt si quid laxamenti à bello Samnitium esset, in Vmbriam propè exercitum duceret. Dicto paruit consul, magnisque itineribus ad Meuaniam, vbi tum copiæ Vmbrorum erant, perrexit. Repens aduentus consulis, quem procul Vmbria in Samnio bello alio occupatum crediderant, ita exterruit Vmbros, vt alij recedendum ad vrbes munitas, quidam bellum omittendum censerent. Plaga vna (M[illegible]erinam ipsi appellabant) non continuit modo [illegible] armis, sed cōfestim ad certamen egit castra [illegible] Fabiū adorti sunt. Quos vbi effusos ruere [illegible]ta consul vidit, reuocatos milites ab [illegible] loci natura tempúsque patiebatur, i[illegible] hortatusque prædicatione vera q[illegible] in Samnio partorum decorum, ex[illegible] Hetrusci belli conficere i[illegible]as expetere, qua se vrbem R[illegible]inati sunt. Hæc tanta [illegible]ta, vt clamor sua sponte

ortus, loquentem interpellauerit [illegible] rium deinde concentu tubarum ac [illegible] effuso in [illegible] armatos [illegible]. Mirabile dictu [illegible] gi cœpta [illegible] deinde ipsi [illegible] sulem: armatique milites ex acie in [illegible] & sicubi est certamen, scutis magis quàm gladiis geritur res, vmbonibus [illegible]āque ala [illegible] stes. Plus capitum hominum quam cæditur [illegible] na vox [illegible] ciem. [illegible] à primis [illegible] diebus [illegible] V[illegible] culani sponsione in amicitiā accepti. [illegible] sortis victor belli in suam prouinciam [illegible] reduxit. Itaque ei ob res tam [illegible] priore anno populis cōtinuerat [illegible] natus in insequentem annum q[illegible] Ap. [illegible] L. Volumnius Coss. fuerunt. [illegible] Appio aduersante, [illegible] rem petiisse con[illegible] rio Trib. pleb. interpellatum [illegible] cauit, in quibusdam annalibus in[illegible] consul, cum collegæ nouum bellum [illegible] stes decernerentur, Romæ mansit, vt [illegible] bus opes augeret, quando belli de[illegible] set. Volumnium prouinciæ haud pœnituit. Multa secunda prælia fecit: aliquot vrbes [illegible] Prædæ erat largitor. & benignitatem per se [illegible] comitate adiuuabat: militemque [illegible] & periculi & laboris auidum. Q. Fabius proconsul ad vrbem Allifas cum Samnitium exercitu [illegible] gnis collatis confligit, minimè ambigua res fuit: [illegible] si hostes, atque in castra compulsi. Nec castra [illegible] retenta, ni exiguum superfuisset diei: ante noctem tamen sunt circumsessa, & nocte custodita, ne quis elabi posset. postero die vix dum luce certa, [illegible] fieri cœpta: & pacti, qui Samnitium [illegible] cum singulis vestimentis emitterentur. Ii [illegible] sub iugum missi. [illegible] Samnitium nihil ca[illegible] VII. millia sub corona veniere. Qui [illegible] Hernicum dixerat, seorsum in custodia habitus eos omnes Fabius Romam ad Senatum mittit [illegible] cum quæsitum esset, delectu, an voluntarii pro Samnitibus aduersus Romanos bellassent: per Latinos populos custodiendi dantur. Iussique eam integram rem noui consules, P. Cornelius Aruina, Q. M. Tremulus (ij enim iam creati erant) ad Senatum referre. Id ægrè passi Hernici, concilium populorum omnium habentibus. Anagninis in circo, quem Maritimum vocant: præter Alatrinatem, Ferentinatémque & Verulanum, omnes Hernici nomine populo Romano bellum indixerunt. In Samnio quoque quia decesserat inde Fabius, noui motus exorti. Calatia & Sora, præsidiaque quæ in iis Romana erant, expugnata: & in captiuorum corpora militum fœde sæuitum. itaque eò P. Cornelius cum exercitu missus. Marcio noui hostes (iam enim Anagninis, Hernicisque aliis bellum iussum erat) decernuntur. Primo ita omnia opportuna loca hostes inter consulum castra interceperunt, vt peruadere expeditus nuntius non posset, & per aliquot dies incerti rerum omnium, suspensique de statu alterius, vterque [illegible] ageret [illegible] mamque is metus manaret, adeo vt omnes [illegible] res sacramento adigerent, atque ad [illegible] rum duo iusti scriberentur exercitus. [illegible] Hernicum bellum nequaquam pro præ[illegible] ac vetustate gentis gloriæ fuit. Nihil vsquam [illegible] dignū ausi, trinis castris intra paucos dies e[illegible]

ginta dierum inducias,ita vt ad Senatum Romam legatos mitterent,pacti sunt bimestri stipendio frumentoque,& singulis in militem tunicis.Ab senatu ad Martium reiecti: cui S. C. permissum de Hernicis erat.isque gentem in deditionem accepit. Et in Samnio alter Cos. superior viribus, locis impeditior erat, omnia itinera obsepserant hostes, saltúsque peruios ceperant: ne qua subuehi commeatus possent.Neque eos, cnm quotidie signa in aciem consul proferret,elicere ad certamen poterat: satísque apparebat,neque Samnitem certamen præsens nec Romanum dilationem belli laturum. Aduentus Martij,qui Hernicis subactis maturauit collegæ venire auxilio, moram certaminis hosti exemit. nam, vt qui ne alteri quidem exercitui se ad certamen credidissent pares, coniungi vtique passi duos consulares exercitus,nihil crederent superesse spei: aduenientem incomposito agmine Martium aggrediuntur. Raptim collatæ sarcinæ in medium: & prout tempus patiebatur, instructa acies. Clamor primum in statiua perlatus,deinde conspectus procul pulueris tumultum apud alterum consulem in castris fecit:iussísque confestim arma capere iussis, raptimque eductis in aciem militibus, transuersam hostium aciẽ, atque alio certamine occupatam inuadit.clamitans, summum flagitium fore, si alterum exercitum vtriusque victoriæ compotem sinerent fieri,nec ad se sui belli vindicarent decus.Quà impetum dederat, perrumpit: aciémque per medium in castra hostium tendit: & vacua defensoribus capit,atque incendit. Quæ vbi flagrantia Martianus miles conspexit,& hostes respexere:tum passim fuga cœpta Samnitium fieri:sed omnia obtinet cædes: nec in vllam partem tutum perfugium est. Iam x x x. millibus hostium cæsis, signum receptui consules dederant: colligebántque in vnum copias inuicem inter se gratantes, cum repente visæ procul hostium nouæ cohortes,quæ in supplementum scriptę fuerant,integrauere cædem,in quas nec iussu cósulum,nec signo accepto victores vadunt, malo tyrocinio imbuendum Samnitem clamitantes. Indulgent consules legionum ardori: vt qui probe scirent,nouum militem hostium inter perculsos fuga veteranos, ne tentando quidem satis certamini fore, nec eos opinio fefellit. Omnes Samnitium copiæ veteres nouæque montes proximos fuga capiunt.eo & Romana erigitur acies. nec quicquam satis tuti loci victis est:& de iugis quæ ceperát,funduntur.iámque vna voce omnes pacem petebant. Tum trium mensium frumento impetrato,&annuo stipendio,ac singulis in militem tunicis,ad senatum pacis oratores missi.Cornelius in Samnio relictus. Martius de Hernicis triumphans in vrbem rediit: statuaque ei equestris in foro decreta est: quæ ante templum Castoris posita est. Hernicorũ tribus populis,Alatrinati, Verulano, Ferentinati, qui maluerunt,quàm ciuitatem suæ leges redditæ:connubiúmque inter ipsos, quod aliquandiu soli Hernicorũ habuerunt,permissum. Anagninis,quíque arma Romanis intulerant,ciuitas sine suffragij latione data:concilia connubiáque ademta,& magistratibus præterquam sacrorũ curatione, interdictum. Eodem anno ædes Salutis à C.Iunio Bubulco censore locata est: quam Cos. bello Samnitiũ vouerat, ab eodem collegáque eius M.Valerio Maximo viæ per agros publica impensa factæ:& cum Carthaginiensibus eodem anno fœdus tertio renouatum: legatísque eorum,qui ad id venerant comiter munera missa.Dictatorem idem annus habuit P. Cornelium Scipionem, cum magistro equitum P. De-

A cio Mure.ab iis,propter quæ creati erant, comitia consularia habita,quia neuter consulum potuerat bello abesse. Creati Coss. L. Posthumius,T. Minutius.Hos consules Piso Q.Fabio & P.Decio suggerit,biennio exemto,quo Claucium Volumniúmq & Cornelium cum Martio consules factos tradidimus. Memoriáne fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules falsos ratus transcenderit,incertum est.Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ. itaque ambo Coss.in Samnium missi, cum diuersas regiones, Tifernum Posthumius, Bouianum Minutius petissent:Posthumij prius ductu ad Tifernum pugnatum.Alij haud dubiè Samnites victos,ac triginta millia inde hominũ capta tradunt :alij marte æquo discessum:& Posthumium metum simulátem,nocturno itinere clam in montes copias abduxisse:hostes secutos duo millia inde locis munitis & ipsos consedisse.Consul vt statiua tuta copiosaq; (& ita erant)petisse videretur: postquam & munimentis castra firmauit,& omni apparatu rerum vtilium instruxit: relicto firmo præsidio, vigilia tertia,quæ duci proxime potest,expeditas legiones ad collegam,& ipsum aduersus alios sedentem, ducit. ibi auctore Posthumio Minutius cum hostibus signa confert, & cum anceps prælium in multũ diei processisset: tum Posthumius integris legionibus defessam iam aciem hostium improuiso inuadit. itaque cùm lassitudo ac vulnera fugam quoque prępedissent,occidione occisi hostes:signa vnum & viginti capta, atq; inde ad castra Posthumij perrectũ. ibi duo victores exercitus perculsum iam fama hostem adorti fundunt,fugantque,signa militaria sex & viginti capta, & imperator Samnitium Statius Cellius, multiq; alij mortales, & castra vtraque capta:& Bouianum, vbi postero die cœptum oppugnari,breui capitur.magnaque gloria rerum gestarum consules triumpharunt. Minutium consulem cum vulnere graui relatum in castra,mortuum quidem auctores sunt,& M.Fuluium in locũ eius consulem suffectum.& ab eo, cũ ad exercitum Minutij missus esset,Bouianum captum. Eodem anno Sora, Arpinum, Consentia recepta ab Samnitibus. Herculis magnum simulacrum in Capitolio positum dedicatumque.P.Sulpitio Auerrione, P. Sempronio Sopho Coss.Samnites,seu finem seu dilationem belli quærentes, legatos de pace Romam misere.quibus suppliciter agentibus responsum est nisi sæpe bellum parantes pacem petissent: Sánites, oratione vltro citróque habita,de pace transigi potuisse:nunc quando verba vana ad id locorum fuerint,rebus standum esse. P. Sempronium consulem cum exercitu breui in Samnio fore:eum,ad bellum pacem ne inclinent animi,falli non posse: comperta omnia Senatui relaturum: decedentem ex Samnio consulem legati sequerentur.Eo anno cum pacatum Samnium exercitus Romanus benignè præbito commeatu peragrasset,fœdus antiquum Samnitibus redditum.Ad Æquos inde veteres hostes,ceterũ per multos annos sub specie infidæ pacis quietos.versa arma Romana, quod incolumi Hernico nomine missitauerant simul cum iis Samniti auxilia,& post Hernicos subactos vniuersa propè gens sine dissimulatione consilij publici ad hostes desciuerat:& postquam icto Romæ cũ Samnitib.fœdere fœciales venerant res repetitum,tentationẽ aiebant esse,vt terrore incusso belli Romanos se fieri paterentur.quod quátopere optandum foret, Hernicos docuisse,quum,quibus licuerit,suas leges Romanę ciuitati præoptauerint:quib.legẽdi quid mallét,co-

A pia non fuerit, pro pœna necessariam ciuitatem fore. Ob hæc vulgo in conciliis iactata populus Romanus bellum fieri Æquis iussit: consulésque ambo ad nouum profecti bellum, quatuor millia à castris hostium consederunt. Æquorum exercitus (vt qui suo nomine per multos annos imbelles egissent) tumultuario similis, sine ducibus certis, sine imperio trepidare. alij exeundum in aciem, alij castra tuenda censent, mouet plerosque vastatio futura agrorum, ac deinceps cum leuibus præsidiis vrbium relictarum excidia. itaque postquam inter multas sententias vna, quæ omissa cura communium, ad respectum suarum quenque rerum auertisset, audita: vt prima vigilia diuersi è castris ad deportanda omnia, tuendásque mœnibus in vrbes abirent: cuncti eam sententiam ingenti assensu accepere. Palatis hostibus per agros, prima luce Romani signis prolatis in acie consistunt: & vbi nemo obuius ibat, pleno gradu ad castra hostium tendunt. ceterum postquam ibi neque stationes pro portis, nec quemquam in vallo, nec fremitum consuetum castrorum animaduerterunt: insolito silentio moti, metu insidiarum subsistunt. transgressi deinde vallum cum deserta omnia inuenissent, pergunt hostem vestigiis sequi: sed vestigia in omnes æquè ferentia partes, vt in dilapsis passim, primò errorem faciebant: post per exploratores compertis hostium consiliis, ad singulas vrbes circumferendo bello, vnum & quadraginta oppida intra dies sexaginta omnia oppugnando ceperunt: quorum pleraque diruta atque incensa: noménque Æquorum prope ad internecionem deletum. De Æquis triumphatum: exemploque eorum clades fuit, vt Marrucini, Marsi, Peligni, Ferentini mitterent Romam oratores pacis petendæ, amicitiæque iis populis fœdus petentibus datum. Eodem anno C. Flauius Cn. filius scriba patre libertino humili fortuna ortus, ceterum callidus vir & facundus, ædilis curulis fuit. Inuenio in quibusdam annalibus, cum appareret ædilibus fierique se pro tribu ædilem videret, neque eius accipi nomen, quod scriptum faceret: tabulam posuisse, & iurasse se scriptum non facturum. quem aliquanto antea desisse scriptum facere arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto, triumuiratibúsque nocturno altero, altero coloniæ deducendæ. Ceterum (id quod haud discrepat) cōtumacia aduersus contemnentes humilitatem suam nobiles certauit. Ciuile ius repositum in penetralibus Pontificum euulgauit: fastosque circa forum in albo proposuit, vt quando lege agi posset sciretur. ædem Concordiæ in area Vulcani summa inuidia nobilium dedicauit: coactúsque consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex maximus verba præire: cum more maiorum negaret, nisi consulem aut imperatorem posse templum dedicare. Itaque ex auctoritate Senatus latum ad populū est, ne quis templum arámve iniussu Senatus, aut Tribunorū plebis partis maioris dedicaret. Haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit aduersus superbiam nobilium plebeiæ libertatis, referam. Ad collegam ægrum visendi caussa Flauius cum venisset, consensuque nobilium adolescentium qui ibi assidebant, assurrectum ei non esset: curulem afferri sellam eo iussit, ac sede honoris sui anxios inuidia inimicos spectauit. Ceterum Flauium dixerat ædilem forensis factio, Ap. Claudij censura vires nacta: qui Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinauerat. & postea quàm eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat quas petierat opes vrbanas, humilibus per omnes tribus diuisis, forum & campum corrupit. tantúmque Flauij comitia indignitatis habuerunt, vt plerique nobilium annulos aureos & phaleras deponerent. Ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas: aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat, donec Q. Fabius & P. Decius censores facti. Fabius simul concordiæ caussa, simul ne humillimorū in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanásque eas appellauit, adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. Ab eodem institutum dicitur, vt equites Idibus Quintilibus transueherentur.

DECADIS PRIMÆ

LIBER X.

LVCIO Genutio, Ser. Cornelio Coss. ab externis ferme bellis otium fuit. Soram atque Albam coloniæ deductæ: Albam in Æquos sex millia colonorū scripta. Sora agri Volsci fuerat: sed possederāt Samnites. eo quatuor millia hominū missa. Eodem anno Arpinatibus Trepulanísque ciuitas data. Frusinates tertia parte ęgri damnati, quod Hernicos ab eis solicitatos compertum: capitáque coniurationis eius, quæstione ab consulibus ex senatuscōsulto habita, virgis cæsi, ac securi percussi. Tamen ne prorsus imbellem agerent annum, parua expeditio in Vmbria facta est, quod nuntiabatur ex spelunca quadam excursiones armatorum in agros fieri. In eam speluncam penetratum cum signis est: & ex eo loco obscuro multa vulnera accepta, maximéque lapidum ictu, donec altero specus eius ore (nam peruius erat) inuento, vtræque fauces congestis lignis accensæ. ita intus fumo ac vapore ad duo millia armatorum ruentia nouissime in ipsas flammas, dum euadere tendunt, absumta. M. Liuio Dentre, & C. Æmylio Coss. redintegratum Æquorum bellum. Coloniam ægrè patientes velut arcem suis finibus impositam, summa vi expugnare adorti, ab ipsis colonis pelluntur. Ceterum tantum Romæ terrorem fecere, quia vix credibile erat tam affectis rebus solos per se Æquos ad bellum coortos, vt tumultus eius caussa dictator diceretur C. Iunius Bubulcus cū M. Titinio magistro equitum, profectus primo congressu Æquos subegit, ac die octauo triumphans in vrbem cum redisset, ædem Salutis, quam Cos. vouerat, censor locauerat, dictator dedicauit. Eodem anno classis Græcorum Cleonymo duce Lacedæmonio ad Italiæ littora appulsa, Thurias vrbem in Salentinis cepit. Aduersus hunc hostem Cos. Æmylius missus, prælio vno fugatum compulit in naues, Thuriæ redditæ veteri cultori, Salentinoque agro pax parta. Iunium Bubulcum dictatorem missum in Salentinos, in quibusdam annalibus inuenio: & Cleonymum prius quam confligendum esset cum Romanis, Italia excessisse. Circumuectus inde Brundusij promontorium, medioque sinu Hadriatico ventis latus, cum læua importuosa Italię littora, dextra Illyrici Liburníque & Istri, gentes feræ & magna ex parte latrociniis maritimis infames terrerent: penitus

nitus ad littora Venetorum peruenit: ibi expositis paucis, qui loca explorarent: cum audissent tenue prætentum littus esse, quod transgressis stagna ab tergo sint irrigua æstibus maritimis: agros haud procul proximos campestres cerni: vlteriora colles: videri esse ostium fluminis præalti, quo circumagi naues in stationem tutam vidisse (Meduacus amnis erat) eò inuectam classem subire flumine aduerso iussit. Grauissimas nauium non pertulit alueus fluminis. in leuiora nauigia transgressa multitudo armatorum, ad frequentes agros tribus maritimis Patauinorum vicis colentibus eam oram peruenit. Ibi egressi leui præsidio nauib. relicto, vicos expugnát: inflammant tecta: hominum pecudúmque prædas agunt: & dulcedine prædandi longius vsque à nauibus procedunt. Hæc vbi Patauium sunt nuntiata (semper autem eos in armis accolę Galli habebant) in duas partes iuuentutem diuidút. Altera in regionem, qua effusa populatio nútiabatur: altera, ne cui prædonum obuia fieret, altero itinere ad stationem nauium (millia autem XIIII. ab oppido aberat) ducta in naues paruas, custodibus interemtis impetus factus: territique nautæ coguntur naues in alteram ripam amnis traiicere, & in terra prosperum æquè in palatos prædatores prælium fuerat: refugientibusque ad stationem Græcis Veneti obsistunt. Ita in medio circumuenti hostes cæsique. Pars capti classem indicant, regémque Cleonymum tria inde millia abesse. Ibi captiuis proximo vico in custodiam datis, pars fluuiatiles naues ad superanda vada stagnorum apte planis alueis fabricatas, pars captiua nauigia armatis complent. profectíque ad classem, immobiles naues, & loca ignota plus quam hostem timentes circumuadunt: fugientésque in altum, ac nusquam repugnantes vsque ad ostium amnis persecuti, captis quibusdam, incensisque nauibus hostium, quas trepidatio in vada intulerat, victores reuertuntur. Cleonymus vix quinta parte nauium incolumi, nulla regione maris Hadriatici prospere adita, discessit. rostra nauium, spoliáque Laconum in æde Iunonis veteri fixa, multi supersunt, qui viderunt. Patauij monumentum naualis pugnæ eo die, quo pugnatum est, quotannis solemni certamine nauium in flumine oppidi medio exercetur. Eodem anno Romæ cum Vestinis petentibus amicitiam ictú est fœdus. Multiplex deinde exortus terror. Hetruriam rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto nuntiabatur. vbi Licinium genus præpotés diuitiarum inuidia pelli armis cœptum simul. Marsos agrum vi tueri, in quem colonia Carseoli deducta erat, quatuor millib. hominum scriptis. Itaque propter eos tumultus dictus M. Valerius Maximus dictator, magistrum equitum sibi legit M. Æmyliú Paulum. Id magis credo, quam Q. Fabium ea ætate, qua eis honoribus Valerio subiectum. Ceterum ex Maximi cognomine ortú errorem haud abnuerim. Profectus dictator cú exercitu, prælio vno Marsos fundit. compulsis deinde in vrbes munitas, Miloniam, Plestinam, Fresiliam, intra dies paucos cepit: & parte agri mulctatis Marsis fœdus restituit. Tum in Hetruscos versum bellú. & cum dictator auspiciorum repetendorum caussa profectus Romam esset, magister equitum pabulatú egressus, ex insidiis circumuenitur: signisque aliquot amissis fœda militum cæde ac fuga in castra est compulsus. qui terror non eo tantum à Fabio abhorret. quod si aliqua alia arte cognomen suum æquauit, tú maximè bellicis laudibus: sed etiá quod memor Papyrianæ seueritatis nunquá vt dictatoris iniussu dimicaret, addu-

A ci potuisset. Nútiata ea clades Romá, maiorẽ quàm res erat, terrorem exciuit. nam vt exercitu deleto, ita iustitium indictum, custodiæ in portis, vigiliæ vicatim exactæ: arma, tela in muros congesta. Omnibus iunioribus sacramento adactis, dictator ad exercitum missus, omnia spe tranquilliora, & composita magistri equitum cura, castra in tutiorem locum redacta, cohortes quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas inuenit: exercitum auidum B pugnæ, quo maturius ignominia aboleretur. Itaque confestim castra inde in agrum Rusellanum promouit. Eò & hostes secuti, quanquam ex bene gesta re summam & in aperto certamine virium spẽ habebát: tamen insidiis quoque, quas feliciter experti erant, hoste tentant. Tecta semiruta, vici per vastationem agrorum deusti, haud procul castris Romanorum aberant ibi abditis armatis, pecus in cóspectu præsidij Romani, cui præerat Cn. Fuluius legatus, propulsum, ad quam illecebram cum commoueretur nemo, ab Romana statione pastorum vnus C progressus sub ipsas munitiones, inclamat alios cúctanter ab ruinis vici pecus propellétes: quid cessarent, cum per media castra Romana tuto agere possent? Hæc quum legato Cærites quidam interpretarentur, & per omnes manipulos militú ingens esset indignatio: nec tamen iniussu mouere se auderent. iubet peritos linguæ attendere animum, pastorum sermo agresti an vrbano propior esset. Cúm referrent sonum linguæ, & corporum habitum, & nitorem cultiora quam pastoralia esse: Ite igitur, dicite, inquit, detegant nequicquam conditas insidias: D omnia scire Romanum: nec magis iam dolo capi, quam armis vinci posse. Hæc vbi audita sunt, & ad eos qui consederant in insidiis, perlata: consurrectú repente ex latebris est, & in patentem ad conspectú vndique campum prolata signa. Visa legato maior acies, quàm quę ab suo præsidio sustineri posset. itaque propere ad dictatoré in auxilia accitum mittit: interea ipse impetus hostium sustinet. Nuntio allato, dictator signa ferri ac sequi armatos iubet, sed E celeriora prope omnia imperio erant. Rapta extemplo signa armáque: & vix ab impetu & cursu tenebátur. Cum ira ab accepta nuper clade stimulabat. tum concitator accidens clamor ab increscéte certamine. Vrgẽt itaque alij alios: hortantúrque signiferos vt ocyus eant. Quo magis festinantes ire videt dictator, eo impensius retentat agmen, ac sensim incedere iubet. Hetrusci cótra principio exciti pugnę omnibus copiis aderant: & super alios alij nuntiant dictatori, omnes legiones Hetruscorum capessisse pugnam: nec iam ab suis resisti posse, & ipse cernit F ex superiore loco, in quanto discrimine præsidium esset: ceterum satis fretus esse iam nunc tolerando certamini legatum, nec se procul abesse periculi vindicem, quàm maximè vult fatigari hostem, vt integris adoriatur viribus fessos. Quamquam lente procedunt, iam tamen ad impetum capiendum equiti vtique modicum erat spatium. Prima incedebant signa legionum ne quid occultum aut repentinum hostis timeret: sed reliquerat interualla inter ordines peditum, qua satis laxo spatio equi permit- G ti possent. Pariter sustulit clamorem acies: & immissus eques libero cursu in hostem inuehitur: incompositisque aduersus equestrem procellam: subitum pauorem offundit. Itaque vt prope serum auxiliú iá pene circumuentis, ita vniuersa requies data est. Integri accepere pugná: nec eá ipsa longa, aut anceps fuit. Fusi hostes castra repetunt: inferentibusque iam signa Romanis cedunt, & in vltimam castrorum

partem cóglobantur. Hærent fugientes in angustiis A portarú:pars magna aggeré vallúmque cóscendút, si aut ex superiore loco tueri se, aut superare aliqua & euadere possent. Forte quodam loco male densatus agger pondere superastantium in fossam procubuit: atque ea cum deos pandere viam fugæ conclamassent,plures inermes quàm armati euadunt.Hoc prælio fractæ iterum Hetruscorú vires: & pacto annuo stipendio,& duûm mensium frumento, permissum ab dictatore, vt de pace legatos mitterent Romam. Pax negata: induciæ biennij datæ. Dictator triumphans in vrbé rediit. Habeo auctóres,sine vllo me- B morabili prælio pacatam ab dictatore Hetruriam esse,seditionibus tantum Aretinorum compositis, & Licinio genere cum plebe in gratiam reducto. Consul ex dictatura factus M. Valerius. Non petentem, atque adeo etiam absentem creatum credidere quidam: & per interregem ea comitia facta. Id vnum non ambigitur consulatum cum Apuleio Pansa gessisse. M. Valerio & Q. Apuleio consulibus satis pacatæ foris res fuere.Hetruscum aduersæ belli res, & C induciæ quietum tenebant: Samnitem multorum annorum cladibus domitum,haud dum fœderis noui pœnitebat,Romæ quoque plebe quietam & exoneratam deducta in colonias multitudo præstabat. Tamen ne vndique tranquillæ res essent, certamen iniectú inter primores ciuitatis patritios plebeiosque,ab tribun.pleb.Q.& Cn.Ogulniis: qui vndique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis,postquam alia frustra tentata erant,eam actionem susceperunt, qua non infimam modo ple- D bem accenderent, sed ipsa capita plebis, consulares triumphalésque plebeios quorum honoribus nihil præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem promulgarunt, vt cum quatuor augures, quatuor pontifices ea tempestate essent placerétque auguri sacerdotum numerum:quatuor pontifices, quinque augeres, de plebe omnes adlegerentur.Quemadmodum ad quatuor augurum numerum,nisi morte duorum, id redigi collegium potuerit, non inuenio: cum inter augures constet E imparem numerum debere esse: vt tres antiquę tribus, Ramnenses, Titienses, Luceres,suum quæque augurem habeant:aut si pluribus sit opus, pari inter se numero sacerdotes multiplicent: sicut multiplicati sunt cum ad quatuor quinque adiecti, nouem numerum,vt terni in singulas essent,expleuerunt. Ceterum quia de plebe adlegebantur: iuxta eam rem ægre passi Patres,quam cum consulátum vulgari viderent.simulabant ad deos id magis quam ad se pertinere. ipsos visuros ne sacra sua polluantur id se o- F ptare tantum,ne qua in rempublicam clades veniat. Minus autem tetendere, assueti iam tali genere certaminum vinci, & cernebant aduersarios non id, quod olim vix sperauerint, affectantes magnos honores: sed omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum, tamen adeptos, multiplices consulatus,censurásque & triumphos.Certatum tamen suadenda dissuadédáque lege inter Appium Claudium maximè ferunt, & inter Publium Decium Murem, qui cum eadem ferme de iure patrum ac plebis, quæ G pro lege Licinia quondam, contráque eam dicta erant,cum plebeiis consulatus rogabatur, disseruissent: retulisse dicitur Decius parentis sui speciem, qualem cum multi qui in concione erant, viderant, incinctum Gabino cultu, super telum stantem: quo se habitu pro populo ac legionibus Romanis deuouisset. tum Publium Decium consulem purú piúmque diis immortalibus visum,æque ac si T. Manlius collegá eius deuoueretur: eundem P. Decium, qui sacra publica populi Romani faceret, legi ritè non potuisse? id esse periculum,ne suas preces minus audirent dij,quàm Appij Claudij? castius eú sacra priuata facere,& religiosius deos colere quàm se? quem pœnitere votorum quæ pro repub. nuncupauerint, tot consules plebeij, tot dictatores,aut ad exercitus euntes,aut inter ipsa bella? Numerarentur duces eorum annorum,quibus plebeiorum ductu & auspicio res geri cœptæ sunt: numerarentur triumphi: iam ne nobilitatis quidem suæ plebeios pœnitere. Pro certo habere, si quod repens bellum oriatur, non plus spei fore Senatui populoque Romano in patritiis,quàm in plebeiis ducibus. Quod cum ita se habeat, cui deorum hominúmque indignum videri potest,inquit,eis viris,quos vos sellis curulibus,toga prætexta,tunica palmata,& toga picta,& corona triumphali, laureáque honoraritis, quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis pontificalia atque auguralia insignia adiicere? Qui Iouis Opt.Max. ornatu decoratus, curru aurato per vrbem vectus in Capitolium ascenderit: si conspiciatur cum capite ac lituo, capite velato victimam cædat, auguriúmve ex arce capiat? Cuius imaginis titulo consulatus,censuráque,& triumphus æquo animo legetur: si auguratum aut pontificatum adieceritis, non sustinebunt legentium oculi? Equidem (pace dixerim deûm) eos nos iam populi Romani beneficio esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris, quam acceperimus,& deorum magis, quàm nostra caussa expetamus, vt quos priuatim colimus, publicè colamus. Quid autem ego sic adhuc egi, tanquam integra sit caussa patritiorum de sacerdotiis, & non iam in possessione vnius amplissimus simus sacerdotij? Decemuiros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri ceremoniarúmque aliarum plebeios videmus, nec tum patritiis vlla iniuria facta est,cum duumuiris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus: & nunc tribunus, vir fortis ac strenuus,quinque augurum loca,quatuor pontificum adiecit,in quæ plebeij nominentur:non vt vos, Appi, vestro loco pellant,sed vt adiuuent vos homines plebeij diuinis quoque rebus procurandis: sicut in ceteris humanis pro parte virili adiuuant.Noli erubescere Appi, collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti: cuius tam dictatoris magister equitum,quam magistri equitum dictator esse potes. Sabinum aduenam principem nobilitatis vestræ, seu Appium Clausum,seu Appium Claudium mauultis, illi antiqui patritij in suum numerum acceperunt, ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. Multa nobiscum decora afferimus: imo omnia eadem, quæ vos superbos fecerunt. L. Sextius primus de plebe consul est factus: Caius Licinius Stolo primus magister equitum: C. Martius Rutilius primus & dictator & censor: Q. Publius Philo primus prætor. Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos iustú imperium & auspicium domi militięque: æquè adhuc prosperum plebeium,ac patritium fuit, porroque erit. En Romæ vnquam fando audistis patritios primo esse factos, non de cœlo demissos: sed qui patrem ciere auúmque possent, id est, nihil vltra quàm ingenuos. Consulem iam patrem ciere possum,auúmque iam poterit filius meus. Nihil est aliud in re Quirites, nisi vt omnia negata adipiscamur

mur. Certamen tantum patritij petunt, nec curant quem euentum certaminum habeant. Ego hanc legem, quod bonum, faustũ, fœlixque sit vobis ac reip. vti rogastis, iubendam censeo. Vocare tribus extẽpl ò populus iubebat: apparebatque accipi legẽ: ille tamen dies est intercessione sublatus. postero die deterritis tribunis ingenti consensu accepta est. Põtifices creantur, suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Martius Rutilius, M. Liuius Denter. Quinque augures item de plebe, C. Genutius, P. Ælius Pætus, M. Minutius Fessus, C. Martius, T. Publius. Ita octo pontificum, nouem augurum numerus factus. Eodem anno M. Valerius Cos. de prouocatione legem tulit diligentius sanctam. Tertio ea tum post reges exactos lata est semper à familia eadem. Caussam renouandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quàm quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. Porcia tamen lex sola pro tergo ciuium lata videtur: quod graui pœna, si quis verberasset necassétve ciuem Romanum, sanxit. Valeria lex, cum eum qui prouocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset: si quis aduersus ea fecisset, nihil vltra, quàm improbe factum, adiecit. id (qui tum pudor hominum erat) visum credo vinculum satis validum legis. nunc vix serio ita minetur quisquam. Bellum ab eodem consule haud quanquam memorabile aduersus rebellantes Æquos, cum præter animos feroces nihil ex antiqua fortuna haberent, gestũ est. Alter Cos. Apuleius in Vmbria. Nequinum oppidum circunsedit, locus erat arduus, atque in parte vna præceps, vbi nunc Narnia sita est. nec vi, nec munimento capi poterat. itaque eam infectam rem M. Fuluius Pætus, T. Manlius Torquatus noui COSS. acceperunt. In eum annum cum Q. Fabium consulem non petentem omnes dicerent centuriæ, ipsum auctorem fuisse, Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum: eo anno maiori se vsui reipublicæ fore vrbano gesto magistratu. ita nec dissimulantem quid mallet, nec petentem tamen, ædilem curulem cum L. Papyrio Cursore factum. Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso, effecit: qui eo anno ædiles curules fuisse tradit C. Domitium. Cn. F. Caluinum, & Sp. Caruilium, Q. F. Maximum. id credo cognomen errorem in ædilibus fecisse: secutámque fabulam mistam ex ædilitiis & consularibus comitiis, conuenientem errori. Et lustrum eo anno conditum à P. Sempronio Sopho, & P. Sulpitio Auerrione censoribus: tribúsque additæ duæ, Arniensis ac Tarentina. Hæc Romæ gesta. ceterum ad Nequinum oppidum cum segni obsidione tempus tereretur: duo ex oppidanis, quorum erant ædificia iuncta muro, specu facto ad stationes Romanas itinere occulto perueniunt: inde ad consulem deducti, præsidium armatum se intra mœnia & muros accepturos confirmant. Nec aspernanda res visa, neque incaute credenda. cum altero eorum (nam alter obses retentus) duo exploratores per cuniculum missi: per quos satis comperta re, trecenti armati transfuga duce in vrbem ingressi, nocte portam quæ proxima erat, cepere: qua refracta consul exercitúsque Romanus sine certamine vrbem inuasere. ita Nequinum in ditionem populi Romani venit: colonia eò aduersus Vmbros missa, à flumine Narnia appellata. exercitus cum magna præda Romam reductus. Eodem anno ab Hetruscis aduersus inducias paratum bellum: sed eos alia molientes Gallorum ingens exercitus fines ingressus, paulisper à proposito auertit. pecunia deinde, qua multum poterant, freti socios ex hostibus facere Gallos conantur, vt eo

A adiuncto exercitu cum Romanis bellarent: de societate haud abnuunt barbari: de mercede agitur. qua pacta acceptáque, cùm parata cetera ad bellum essent, sequique Hetruscus iuberet, inficias eunt, mercedem se belli Romanis inferendi pactos: quicquid acceperint accepisse ne agrum Hetruscum vastarẽt, armisque lacesserent cultores. militaturos tamen se, si vtique Hetrusci velint: sed nulla alia mercede, quã vt in partem agri accipiantur, tandemque aliqua sede certa consistant. Multa de eo consilia populorum B Hetruriæ habita: nec perfici quicquam potuit, non tam quia imminui agrum, quàm quia accolas sibi quisque adiungere tam efferatæ gẽtis homines horrebat. Ita dimissi Galli, pecuniam ingentem sine labore ac periculo partam retulerunt. Romæ terrorem præbuit fama Gallici tumultus ad bellum Hetruscum adiecti: eo minus cunctanter fœdus ictum cum Picenti populo est. T. Manlio Cos. Hetruria prouincia sorte euenit: qui vixdum ingressus hostiũ fines, cum exerceretur inter equites, ab rapido cur-C su circumagendo equo effusus, extemplo prope exspirauit, tertius ab eo casu dies finis vitæ consulis fuit. Quo velut omine belli accepto, deos pro se commisisse bellum memorantes Hetrusci, sustulere animos. Romæ tum desiderio viri, tum incommoditate temporis tristis nuntius fuit, vt patres ab iubendo dictatore consulis subrogãdi comitia ex sententia principum habita deterruerint. M. Valerium Cos. omnes sententiæ centuriæque dixere, quem senatus dictatorem dici iussurus fuerat, eum extemplo D in Hetruriam ad legiones proficisci iussit. Aduentus eius compressit Hetruscos, adeo vt nemo extra munimenta egredi auderet: timórque ipsorum obsidioni similis esset, neque illos nouus consul vastandis agris, vrendisque tectis, cum passim non villę solum, sed frequentes quoque vici incẽdiis fumarent, elicere ad certamen potuit. Cum hoc segnius bellum opinione esset, alterius belli, quod multis inuicem cladibus haud immerito terribile erat, fama Picentium nouorum sociorum indicio exorta est: E Samnites arma & rebellionem spectare, séque ab eis solicitatos esse. Picẽtibus gratiæ actæ: & magna pars curæ patribus ab Hetruria in Samnites versa est. Caritas etiam annonæ solicitam ciuitatem habuit: vẽtumque ad inopiæ vltimum foret (vt scripsere quibus ædilem fuisse eo anno Fabium Maximũ placet) ni eius viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione præparando ac conuehendo frumento fuisset. Eo anno (nec traditur caussa) interregnum initũ. F interreges fuere, Ap. Claudius, dein P. Sulpitius. is comitia consularia habuit: creauit L. Corneliũ Scipionem, Cn. Fuluium Coss. Principio huius anni oratores Lucanorum ad nouos Cos. venerunt questũ. quia conditionibus perlicere se nequiuerint ad societatem armorum, Samnites infesto exercitu ingressos fines suos vastare, belloque ad bellum cogere. Lucano populo satis supérque erratum quondam: nunc ita obstinatos animos esse, vt omnia ferre ac pati tolerabilius ducant, quã vt vnquam postea no-G men Romanum violent. Orare patres, vt & Lucanos in fidem accipiant, & vim atque iniuriam ab se Samnitium arceant. Se quanquam bello cum Samnitibus suscepto necessaria iã facta aduersus Romanos fides sit, tamen obsides dare paratos esse. Breuis consultatio Senatus fuit ad vnum omnes iungendũ fœdus cum Lucanis, résque repetendas ab Samnitibus censeur. Benignè responsum Lucanis, ictumque fœdus. Fœciales missi, qui Samnitem decedere agro sociorũ, ac deducere exercitũ finibus Lucanis iube-

rent. quibus obuiam missi ab Samnitibus qui denunciarent, si quod adissent in Samnio concilium, haud inuiolatos abituros. Hæc postquam audita sunt Romæ, bellum Samnitibus & patres censuerunt, & populus iussit. Consules inter se prouincias partiti sunt. Scipioni Hetruria, Fuluio Samnites obuenerunt: diuersique ad suum quisque bellum proficiscuntur. Scipioni segne bellum, & simile prioris anni militiæ exspectanti, hostes ad Volaterras instructo agmine occurrerunt. Pugnatum maiore parte diei magna vtrinque cæde: nox incertis qua data victoria esset, interuenit. lux insequens victorem victumque ostendit. Nam Hetrusci silentio noctis castra reliquerunt. Romanus egressus in aciem, vbi profectione hostium concessam victoriam videt, progressus ad castra, vacuis cum plurima præda (nam & statiua trepide deserta fuerat) potitur. Inde in Faliscum agrũ copiis reductis, cum impedimēta Faleriis cum modico præsidio reliquisset, expedito agmine ad populandos hostiũ fines incedit. omnia ferro ignique vastantur, prædæ vndique actæ. nec solum modo vastũ hosti relictũ, sed castellis etiã vicisque illatus ignis. Vrbibus oppugnandis temperatum, in quas timor Hetruscos compulerat. Cn. Fuluij consulis clara pugna in Samnio ad Bouianum, haudquaquam ambiguæ victoriæ fuit. Bouianũ inde aggressus, nec ita multo post Aufidenam vi cepit. Eodem anno Carseolos colonia in agrum Æquiculorum deducta. Fuluius Cos. de Samnitibus triumphauit. Cum comitia consularia instarent, fama exorta, Hetruscos Samnitesque ingentes conscribere exercitus: palam omnibus conciliis vexari principes Hetruscorum, quod non Gallos quacunque conditione traxerint ad bellum: increpari magistratus Samnitium, quod exercitum aduersus Lucanum hostem comparatum, obiecerint Romanis. itaque suis sociorúmque viribus consurgere hostes ad bellum, & haudquaquam pari defungendum esse certamine. Hic terror, cùm illustres viri consulatum peterent, omnes in Q. Fabium Maximum primo non petentem, deinde vt inclinata studia vidit, etiam recusantem, conuertit. Quid se iam senem, ac perfunctum laboribus, laborumq; præmiis solicitarent? Nec corporis nec animi vigorem remanere eundem: & fortunam ipsam vereri, ne cui deorum nimia iam in se, & constantior quàm velint humanæ res, videatur. & se gloriæ seniorum succreuisse: & ad suam gloriam consurgentes alios lætum aspicere. nec honores magnos fortissimis viris Romæ, nec honoribus deesse fortes viros. Acuebat hac moderatione tam iusta studia, quæ verecundia legũ restinguenda ratus, legē recitari iussit, qua intra x. annos eũdem consulem refici non liceret. Vix præ strepitu audita lex est: tribunique plebis nihil id impedimenti futurum aiebant. se ad populum laturos, vti legibus solueretur. Et ille quidē in recusando perstabat. quid ergo attineret leges ferri rogitans, quibus per eosdem qui tulissent, fraus fieret? iam regi leges, non regere. Populus nihilominus suffragia inibat: & vt quæque intro vocata erat centuria consulem haud dubiè Fabium dicebat. Tum demum consensu ciuitatis victus: Dij approbent, inquit, quod agitis, acturique estis Quirites. ceterum quoniã in me, quod vos vultis, facturi estis: in collega sit meæ apud vos gratiæ locus. P. Decium expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum parente suo, quæso mecum consulem faciatis. Iusta suffragatio visa. Omnes quæ supererant centuriæ, Q. Fabium, P. Decium consules dixere. Eo anno plerisque dies dicta ab ædilib. quia plus quam quod lege finitum erat, agri possiderent: nec quisquam fermè est purgatus: vinculũmq;

A ingens immodicæ cupiditatis iniectum est. Coss. noui, Q. Fabius Maximus quartũ, & P. Decius Mus tertium, cũ inter se agitarent vti alter Samnites hostes, alter Hetruscos deligeret: quantæque in hanc aut in illã prouinciam copiæ satis essent, & vter ad vtrum bellum dux idoneus magis esset: ab Sutrio & Nepete & Faleriis legati auctores concilia Hetruriæ populorum de petenda pace haberi, totam belli molem in Samnium auerterunt. Profecti coss. quo expeditiores commeatus essent, & incertior hostis qua venturum bellum foret: Fabius per Soranum, Decius

B per Sidicinum agrum in Samnium legiones ducũt. Vbi in hostium fines ventum est, vterque populabundus effuso agmine incedit: explorant tamen latius, quàm populantur. Igitur non fefellere ad Tifernum hostes in occulta valle instructi. qua ingressos Romanos superiore ex loco adoriri parabāt. Fabius impedimentis in locum tutum remotis, præsidioq; modico imposito, præmonitis militibus adesse certamen, quadrato agmine ad prædictas hostium latebras succedit. Samnites desperantes improuiso tu-

C multu, quando in apertum semel discrimen euasura esset res, & ipsi acie iusta maluerunt concurrere. itaque & in equum descendunt, ac fortunæ se maiore animo quàm spe committunt. ceterum siue quia ex omnium Samnitium populis quodcunque roboris fuerat, contraxerant: seu quia discrimen summæ rerum augebat animos: aliquantum aperta quoque pugna præbuerunt terroris. Fabius vbi nulla ex parte hostem loco moueri videt. M. Fuluium, & M. Va-

D lerium tribunos militũ, cum quibus ad primam aciem procurrerat, ire ad equites iubet, & adhortari, vt si quando vnquam equestri ope adiutam Remp. meminerint, illo die annitantur, vt ordinis eius gloriam inuictam præstent: peditum certamine immobilem hostem restare: omnem reliquam spem in impetu esse equitum, & ipsos nominatim iuuenes pari comitate vtrumque nunc laudibus, nunc promissis onerat. Ceterum quando ne ea quoque tentata vis proficeret, consilio grassandum, si

E nihil vires iuuarent, ratus. Scipionem legatum hastatos primæ legionis subtrahere ex acie, & ad montes proximos, quàm posset occultissime, circunducere iubet: inde ascensu abdito à conspectu erigere in montes agmen: auersóque hosti ab tergo repente se ostendere. Equites ducibus tribunis haud multo plus hostibus quam suis, ex improuiso ante signa euecti, præbuerunt tumultus. aduersus incitatas turmas stetit immota Samnitium acies: nec parte vlla pelli aut perrumpi potuit. & postquam irritum

F inceptum erat, recepti post signa prælio excesserunt. Creuit ex eo hostium animus: nec sustinere frons prima tam longum certamen, increscentémque fiducia sui vim potuisset, ni secunda acies iussu Cos. in primum successisset. Ibi integræ vires sistunt inuehentem se iam Samnitem. & tempore improuisa ex montibus signa, clamorque sublatus non vero tantum metu terruere Samnitium animos. Nam & Fabius Decium collegam appropinquare exclamauit: & pro se quisque miles adesse alterũ Cos. adesse

G legiones gaudio alacres fremunt: terrorq; vtilis Romanis oblatus, fugæ formidinísque Sãnites impleuit, maxime territos, ne ab altero exercitu integro intactoque fessi opprimerentur. & quia passim in fugã dissipati sunt, minor cædes quàm pro tanta victoria fuit. tria millia & cccc. cæsi: capti trecenti fermè & viginti: signa militaria capta tria & viginti. Samnitibus Apuli se ante prælium coniũxissent, ni P. Decius Cos. iis ad Maleuentum castra obiecisset, extractosque deinde ad certamen fudisset. Ibi quoq; plus fugæ fuit

fuit quàm cædis.duo millia Apulorum cæsa spretoque eo hoste Decius in Samnium legiones duxit.Ibi duo consulares exercitus diuersis vagati partib.omnia spatio quinque mensium euastarũt.quadraginta & quinque loca in Samnio fuere. in quib. Decij castra fuerunt:alterius cõsulis sex & octoginta. nec valli tantum ac fossarum vestigia relicta, sed multa illis insigniora monimenta vastatis circa regionúmque depopulatarum. Fabius etiam vrbem Cimetrá cepit.ibi capta armatorũ duo millia CCCC. cæsi, fermè pugnantes ad quadringintos tringinta. Inde comitiorum caussa Romam profectus, maturauit eam rem agere. Cùm primò vocatæ Q. Fabium consulem dicerent omnes cẽturiæ, Ap. Claudius consularis candidatus, vir acer & ambitiosus, non sui magis honoris caussa, quàm vt patritij recuperarent duo consularia loca cum suis, tum totius nobilitatis viribus incubuit, vt se cùm Q. Fabio cõsulem dicerent.Fabius primo de se eadem fere, quæ priore anno dicendo abnuere. circunstare sellam omnis nobilitas, orare vt ex cœno plebeio consulatũ extraheret: maiestatémque pristinam tum honori, tum patritiis gentibus redderet.Fabius silentio facto media oratione studia hominum sedauit.facturũ enim se fuisse dixit, vt duorũ patritiorũ nomina reciperet, si alium quàm se consulem fieri videret: nunc se sui rationem comitiis, cùm contra leges futurum sit, pessimo extemplo non habiturum. Ita Lucius Volumnius de plebe cum Ap. Claudio Cos. est factus.priore consulatu inter se comparati. Nobilitas obiectare Fabio, fugisse eum Appium Claudium collegam, eloquentia ciuilibúsque artibus haud dubiè præstantem. Comitiis perfectis veteres Consules iussi bellum in Samnio gerere, prorogato in sex menses imperio. Itaque insequenti quoq. anno L. Volũnio, & Ap. Claudio Coss. P. Decius qui Cos. in Samnio relictus à collega fuerat, proconsul idem populari non destitit agros: donec Samnitium exercitum nusquam se prælio committentem, postremo expulit finibus. Hetruriam pulsi petierunt: & quod legationibus nequicquam sæpe tentauerant id se tanto agmine armatorum mistis terrore precib. acturos efficacius rati, postulauerũt principum Hetruriæ concilium. Quo coacto, per quot annos pro libertate dimicent, cum Romanis exponunt. omnia expertos esse, si suismet ipsorum viribus tolerare tantam molem belli possent, tentasse etiam haud magni momenti finitimarum gentium auxilia petisse pacem à populo Romano, cùm bellum tolerare non possent: rebellasse, quod pax seruientibus grauior, quàm liberis bellum esset: vnã sibi spem reliquam in Hetruscis restare: scire gentem Italiæ opulentissimam armis, viris, pecunia esse: habere accolas. Gallos inter ferrum & arma natos, feroces cùm suopte ingenio, tum aduersus Romanũ populum: quem captum à se, auroque redemtum haud vana iactantes memorent. Nihil abesse, si sit animus Hetruscis, qui Porsenæ quondam, maioribúsque eorum fuit, quin Romanos omni agro cis Tyberim pulsos dimicare pro salute sua non de intolerando Italię regno cogant. Samnitem illis exercitum paratum, instructum armis, stipendio venisse: confestim secuturos, vel si ad ipsum Romanam vrbem oppugnãdam ducant. Hæc eos in Hetruria iactantes, molientésque, bellum domi Romanum vrebat. nam P. Decius vbi comperit per exploratores profectum Samnitium exercitum aduocato cõcilio. Quid per agros, inquit, vagamur, vicatim circũferentes bellum? quin vrbes ac mœnia aggredimur? Nullus iam exercitus Samnio præsidet cessere fi-

A nibus, ac sibimet ipsi exilium consciuere. Approbantib. cunctis, ad Murgantiam validam vrbem oppugnandam ducit: tantúsque ardor militum fuit & caritate ducis, & spe maioris, quàm ex agrestibus populationibus prædæ, vt vno die vi atque armis vrbem caperent. ibi duo millia Samnitium, & centum pugnantes circumuenti captique, & alia preda ingẽs capta est, quæ ne impedimentis grauibus agmen oneraret, conuocari milites Decius iubet. Haccine, B inquit, victoria sola, aut hac præda contenti estis futuri? Vultis vos pro virtute spes gerere? Omnes Samnitium vrbes, fortunæque in vrbibus relictæ vestræ sunt, quando legiones eorum tot præliis fusas, postremo finibus expulistis. vendite ista: & illicite lucro mercatorem, vt sequatur agmen. ego subinde suggeram quæ vendatis. Ad Romuleam vrbem hinc eamus, vbi vos labor haud magnus, præda maior manet. Diuendita præda, vltrò adhortantes imperatorem, ad Romuleam pergunt. Ibi quoque sine opere, sine tormentis, simul admota sunt signa, nul- C la vi deterriti à muris, qua cuique proximum, fuit scalis raptim admotis in mœnia euasere. Captũ oppidum ac direptũ est, & ad duo millia & CCC. occisi, & sex millia hominum capta, & miles ingenti præda potitus, quam vendere sicut priorem coactus: Ferentinum inde quanquam nihil quietis dabatur, tamen summa alacritate ductus, ceterum ibi plus laboris ac periculi fuit. nam & defensa summa vi mœnia sunt: & locus erat munimento naturâque tutus, sed euicit omnia assuetus prædæ miles. ad tria millia D hostium circa muros cæsa: præda militis fuit. Huius oppugnatarum vrbium decoris pars maior in quibusdam annalibus ad maximum trahitur. Murgantia ab Decio, à Fabio Ferentinum Romuleamque oppugnatas tradunt. Sunt qui nouorum consulum hanc gloriam faciant. quidam non amborum, sed alterius, P. Volumnij: ei Samnium prouinciam euenisse. Dum ea in Samnio, cuiuscunque ductu auspicioque gererentur, Romanis in Hetruria interim bellum ingens multis ex egẽtibus cõcitur: cuius au- E ctor Gellius Egnatius ex Samnitibus erat: Thusci ferè omnes conciuerant bellum: traxerat contagio proximos Vmbriæ populos: & Gallica auxilia mercede solicitabantur: omnis ea multitudo ad castra Samnitium conueniebat. Qui tumultus repens postquam Romam perlatus est, cum iam L. Volumnius Cos. cum legionibus secunda ac tertia, sociorúmque millibus quindecim profectus in Samnium esset: Ap. Claudium primo quoque tempore in Hetruriam ire placuit. duæ Romanæ legiones secutæ, prima & F quarta, & sociorum duodecim millia: castra haud procul ab hoste posita. Ceterum magis eo profectũ est, quod mature ventum erat, vt quosdam spectantes iam arma in Hetruria populos, metus Romani nominis comprimeret: quam quod ductu consulis quicquam ibi satis scite aut fortunatè gestum sit. Multa prælia locis & temporibus iniquis commissa spésque in dies grauiorem hostem faciebat: & iam prope erat, vt nec duci milites, nec militibus dux satis fideret. Literas ad collegam accersendum ex Samnio missas, in trinis annalibus inuenio. piget ta- G men incertum ponere, cum ea ipsa inter Coss. populi Romani iam iterum eodem honore fungentes discrepatio fuerit. Appio abnuente missas, Volumnio, affirmante Appij se literis accitum. Iam Volumnius in Samnio tria castella ceperat, in quibus tria millia hostium cæsa erant, dimidium ferè eius captum. Et Lucanorum seditiones à plebeiis & egentibus ducibus ortas, summa optimatium voluntate per Q. Fabium proconsulem, missum eò cum veter-

ri exercitu compresserat. Decio populandos hostium agros relinquit: ipse cum suis copiis in Hetruriam ad collegam pergit: quem aduenientem læti omnes accepere. Appium ex conscientia sua credo animum habuisse haud immerito iratum, si nihil scripserat: si illiberali & ingrato animo, si eguerat ope, dissimulantem. vix enim salute mutua reddita, cum obuiam egressus esset: Satin' salue, inquit, Luci Volumni? vt sese in Samnio res habent? quæ te caussa, vt prouincia tua excederes, induxit? Volumnius in Samnio res prosperas esse ait: literis eius accitum venisse: quæ si falsæ fuerint, nec vsus sui sit in Hetruria, extemplo conuersis signis habiturum. Tu verò abeas, inquit: neque te quisquam moratur. etenim minime consentaneum est, cum bello tuo forsitá vix sufficias, hic te ad opem ferendam aliis gloriari venisse. Bene Hercules verteret, dicere Volumnius: malle frustra operam insumtam, quam quicquam incidisse, cur non satis esset Hetruriæ vnus consularis exercitus. digredientes iam consules, legati, tribunique ex Appiano exercitu circumsistunt: pars imperatorem suũ orare, ne collegæ auxilium, quod accipiendum vltro fuerit, sua sponte oblatum sperneretur: plures abeunti Volumnio obsistere, atque obtestari ne prauo cum collega certamine rempublicam prodat. si qua clades incidisset: desertori magis quàm deserto noxiæ fore. eò rem adductam, vt omnis rei bene aut secus gestæ in Hetruria decus dedecusque ad L. Volumnium sit delegatum. neminem quæsiturum quæ verba Appij, sed quæ fortuna exercitus fuerit dimitti ab Appio eum, sed à repub. & ab exercitu retineri. experiretur modo voluntatem militum. Hæc monendo obtestandoque prope restitantes Coss. in concionem pertraxerunt. ibi orationes longiores habitæ in eandem ferme sententiam, in quam inter paucos certatum verbis fuerat. Et cum Volũnius caussa superior, ne infacundus quidem aduersus eximiam eloquentiam collegę visus esset: cauillansq. Appius sibi acceptum referre diceret debere, quod ex muto atq; elingui facundum etiam Cos. haberét: priore cõsulatu primis vtique mẽsibus hiscere eum nequisse, nũc iam populares orationes serere: Quàm mallem, inquit Volũnius, tu à me strenue facere, quàm ego abs te scitè loqui didicissem. Postremo conditionem ferre, quæ decretura sit, non orator (neque enim id desiderare rempub.) sed imperator vter sit melior: Hetruriam & Samnium prouincias esse: vtram mallet, eligeret. suo exercitu se vel in Hetruria, vel in Samnio rem gesturum. Tum militum clamor ortus, vt simul ambo bellum Hetruscum susciperent. quo animaduerso consensu Volumnius: Quoniam in collegæ voluntate interpretanda, inquit, errauí, non cómittam vt quid vos velitis, obscurum sit. manere, an abire me velitis, clamore significate. tum verò tantus est clamor exortus, vt hostes è castris exciret. armis arreptis in aciem descendunt. & Volumnius signa canere, ac vexilla efferri è castris iussit. Appium, addubitasse ferunt, cernentem, seu pugnáté, seu quieto se fore collegæ victoriam. deinde veritum ne suæ quoque legiones Volumnium sequerentur, & ipsum flagitantibus suis signum dedisse. Ab neutra parte satis commode instructi fuerunt. nam & Samnitium dux Gellius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat: suóque impetu magis milites, quàm cuiusquam ductu aut imperio pugnam capessebant: & Romani exercitus nec pariter ambo ducti, nec satis temporis ad instruendum fuit. Prius concurrit Volumnius, quàm Appius ad hostem perueniret. itaque fronte inæquali concursum est: & velut sorte quadam mutante assuetos inter se hostes,

A Hetrusci Volumnio, Samnites parumper cunctati. quia dux aberat, Appio occurrere. Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita vt inter prima signa manibus ad cœlum sublatis conspiceretur, ita precatus esse: Bellona, si hodie nobis victoriam deis, ast ego templum tibi voueo. Hæc precatus, velut instigante dea, & ipse collegæ, & exercitus virtutem adæquauit duci. Imperatoria opera exsequitur: & milites ne ab altera parte prius victoria incipiat, nanituntur, ergo fundunt, fugántque hostes, maiorem B molem haud facilè sustinentes, quàm cum qua manus conserere assueti fuerant. vrgendo cedentes, insequendoque effusos compulere ad castra. ibi interuentu Gellij, cohortiúmque Sabellarum paulisper recruduit pugna, iis quoque mox fusis, iam à victoribus castra oppugnabantur. & cùm Volumnius ipse portæ signa inferret, Appius Bellonam victricem identidem celebrans, accenderet militum animos: per vallum, per fossas irruperunt, castra capta direptáque: præda ingens parta, & militi concessa est, C septem millia ac trecenti hostium occisi: duo millia & centum viginti capti. Dum ambo Coss. omnisque Romana vis in Hetruscum bellum magis inclinat: in Samnio noui exercitus exorti ad depopulandos imperij Romani fines, per Vestinos in Campaniam Falernúmque agrum transcendunt, ingentésque prædas faciunt. Volumnium magis itineribus in Samnium redeuntem (iam enim Fabio Decioque prorogati imperij finis aderat) fama de Samnitium exercitu populationibusque Campani agri, ad tuen- D dos socios conuertit. Vt in Calenum agrum venit: & ipse cernit recentia cladis vestigia: & Caleni narrant tantum iam prædæ hostes trahere, vt vix explicare agmen possint: itaque iam propalam duces loqui, extemplò eundum in Samnium esse: vt relicta ibi præda in expeditionem redeant, nec tam oneratum agmen dimicationi committant. Ea quanquam similia veris erant, certius tamen exploranda ratus, dimittit equites, qui vagos prædatores in agros palantes excipiant: ex quibus inquirendo E cognoscit ad Vulturnum flumen sedere hostem: inde tertia vigilia moturum iter in Samnium esse. His satis exploratis profectus tanto interuallo ab hostibus consedit, vt nec aduentus suus propinquitate nimia nosci posset: & egredientem è castris hostem opprimeret. aliquanto ante lucem ad castra accessit: gnarosque Oscæ linguæ exploratum quid agatur, mittit. Intermisti hostibus (quod facile erat in nocturna trepidatione) cognoscunt in frequẽtia armatis signa egressa, prædam prædæque custodes exire, F ignobile agmen, & sua quenque molientem, nullo inter alios consensu, nec satis certo imperio. Tẽpus aggrediendi aptissimũ visum est: & iá lux appetebat. itaque signa canere iussit: agménq. hostium aggreditur. Samnites præda impediti, infrequentes armati, pars addere gradum, ac præ se agere prædá: pars stare incerti vtrum progredi, an regredi in castra tutius foret. inter cunctationem opprimuntur, & Romani, iam transcenderant vallum, cædésque ac tumultus erat in castris. Samnitium agmen præterquam hostili G tumultu, captiuorum etiam repetina defectione turbatum erat: qui partim ipsi soluti vinctos soluebant: partim arma in sarcinis deligata rapiebant, tumultúmque prælio ipso terribiliorem intermisti agmini præbebant. memorandum deinde edidere facinus: nam Statium Egnatium ducem adeuntem ordines, hortantémque inuadunt: dissipatis inde equitibus qui cum eo aderát ipsũ circumsistunt, insidentémq. equo, captum ad Cos. Romanum rapiunt. Reuocata eo tumultu prima signa Samnitium: præliumque iá

profligatum,integratū est, nec diutius sustineri potuit. cæsa ad sex millia hominū duo millia & quingenti capti: in eis tribuni militū quatuor: signa militaria triginta: & quod lætissimum victoribus fuit, captiuorum recepta septem millia & CCCC. præda ingens sociorū accitique edicto domini ad res suas noscendas recipiendásque præstituta die, quarū rerum non exstitit dominus militi concessæ: coactiq. vendere prædam, ne alibi quàm in armis animum haberent. Magnum ea populatio Campani agri tumultum Romæ præbuerat: & per eos forte dies ex Hetruria allatum erat, post deductum inde Volum- B nianum exercitum Hetruriam concitam in arma, & Gellium Egnatium Samnitium ducē & Vmbros ad defectionē vocari. & Gallos pretio ingenti sollicitari. His nuntiis Senatus conterritus, iustitium indici, delectum omnis generis hominum habere iussit. Nec ingenui modo, aut iuniores sacramento adacti sunt, sed seniorū etiam cohortes factæ, libertinique centuriati. & defendendæ vrbis consilia agitabantur: summéque rerum prætor P. Sempronius præerat. ceterum parte curæ exonerarunt Senatum Lucij Volumnij Cos. literæ, quibus cæsos fusósque C populatores Cāpaniæ cognitum est. Itaque & supplicationes ob rem bene gestam consulis nomine decernunt: iustitiū remittitur, quod fuerat per dies decem & octo: supplicatioque perlæta fuit. Tum de præsidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptū. Itaque placuit vt duæ coloniæ circa Vestinum & Falernum agrum deducerentur: vna ad ostium Liris fluuij, quæ Minturnæ appellata: altera in saltu Vestino Falernū contingente agrū, vbi Synope dicitur Græca vrbs fuisse. Sinuessa deinde ab co- D lonis Romanis appellata. Tribunis plebis negotiū datum est, vt plebiscito iuberetur P. Sēpronius prętor triumuiros in ea loca colonis deducēdis creare. nec qui nomina darent, facilè inueniebantur: quia in stationem se prope perpetuū infestę regionis, non in agros mitti rebantur. Auertit ab eis curis Senatū Hetruriæ ingrauescens bellum, & crebræ literæ Appij, monentis ne regionis eius motum negligerent, quatuor gentes cōferre arma, Hetruscos, Samnites, Vmbros, Gallos. iam castra bifariam facta esse: quia vnus locus capere tātam multitudinem non possit. Ob hęc, & iam appetebat tempus cōmitiorum cau- E sa L. Volumnius Cos. Romam reuocatus, qui prius quàm ad suffragium centurias vocaret, in concionem aduocato populo, multa de magnitudine belli Hetrusci disseruit. iam tum cùm ipse ibi cum collega rem pariter gesserit, fuisse tantum bellum, vt nec duce vno nec exercitu geri potuerit: accessisse postea dici Vmbros, & ingentem exercitum Gallorum aduersus quatuor populos, duos Consules illo die deligi meminissent. se, nisi confideret eum consensu F populi Romani consulē declaratum iri, qui haud dubiè tum primus omnium ductor habeatur: dictatorem fuisse extemplo dicturum. Nemini dubium, rat, quin Q. Fabius omnium con.sensu destinaretur eumq; & prærogatiuæ, & primo vocatæ omnes cēturiæ consulem cum L. Volumnio dicebant. Fabij oratio fuit qualis biennio ante: deinde vt vincebatur consensu, vestra postremo ad collegam P. Deciū poscendum. id senectuti suæ adminiculum fore: duobusque consulatibus simul gestis expertum se G nil concordi collegio firmius ad rempublicam tuēdam esse. nouo imperij socio vix iam assuescere senilem animum posse: cùm moribus notis facilius se communicaturum consilia. Subscripsit orationi eius consul, cum meritis P. Decij laudibus, tum quæ ex concordia consulum bona, quæque

A ex discordia mala in administratione rerum militarium euenirent memorando: quàm propè ad vltimum discrimen suis & collegæ certaminib. nuper uentum foret: admonendo Decium Fabiumque, vt vno animo, vna mente viuerent. Esse præterea viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes: ea ingenia consularia esse callidos solertésque, iuris atque eloquentiæ consultos, qualis Ap. Claudius esset, vrbi ac foro præsides habendos, prætorésque ad reddenda iura creandos esse. His agendis dies est cōsumtus. postridie ad præscriptum consulis & consularia & prætoria comitia habita. Coss. creati, Q. Fabius & P. Decius: Appius Claudius prætor: omnes absētes. & L. Volumnio S.C. & scito plebis prorogatum in annum imperiū est. Eo anno prodigia multa fuerunt: quorū auerruncandorum caussa supplicationes in bidū Senatus decreuit. publicè vinum ac thus sacrificiis præbitum. supplicatum iere frequentes viri fœminæque. Insignem supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ patritiæ, quæ in foro boario est ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum Virginiam Auli filiam patritiam plebeio nuptam L. Volumnio consuli, matronæ quod è patribus enupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorū exarsit: cum se Virginia & patritiam & pudicā in patritiæ Pudicitiæ templum, ingressam: & vni nuptam, ad quem virgo deducta sit: nec se viri, honorúmve eius ac rerum gestarum pœnitere, verò gloriaretur. facto deinde egregio magnifica verba adauxit. in vico Longo, vbi habitabat, ex parte ædium quod satis esset loci modico sacello, exclusit, aráq; ibi posuit: & conuocatis plebeiis matronis conquesta iniuriam patritiarum: Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ plebeiæ dedico, vósque hortor, vt quod certamē virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas sit: detisque operam, vt hæc ara, quā illa si quid potest, sanctius, & à castioribus celi dicatur. Eodem fermè ritu & hæc ara, quo illa antiquior, culta est, vt nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ vni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Vulgata dein religio à pollutis, nec matronis solùm, sed omnis ordinis fœminis. postremò in obliuionem venit. Eodem anno Cn. & Q. Ogulnij ædiles curules aliquot fœneratorib. diem dixerunt, quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iouis, Iouémque in culmine cum quadrigis, & ad Ficū Ruminalem simulacra infantium, conditorum vrbis sub vberibus lupæ posuerunt, semitámq; saxo quadrato à Capena porta ad Martis strauerunt. Et ab ædilibus plebeiis L. Ælio Pæto, & C. Fuluio Curuo ex mulctatiria item pecunia, quam exegerūt pecuariis damnatis, ludi facti: pateræque aureæ ad Cereris positæ. Q. inde Fabius quintū, & P. Decius quartum, consulatum ineūnt: tribus consulatibus, cēsuráque collegæ, nec gloria magis rerum, quæ ingens erat, quàm cōcordia inter se clari. quæ ne perpetua esset, ordinum magis quàm ipsorum inter se certamē interuenisse reor: patritiis tēdentibus, vt Fabius Hetruriam extra ordinem prouinciam haberet: plebeiis auctoribus Decio, vt ad sortem reuocaret. Fuit certè contentio in Senatu: & postquam ibi Fabius plus poterat, reuocata res ad populum est. In concione, vt inter militares viros & factis potius quam dictis fretos, pauca verba habita. Fabius, quā arborem conseruisset, sub ea lege alium fructum indignum esse dicere. se aperuisse Ciminiam syluam

viamque per deuios saltus Romano bello fecisse. Quid se id ætatis solicitassent, si alio duce bellum gesturi essent? Nimirum aduersarium se, nõ socium imperij legisse sensim exprobrat: & inuidisse Deciũ cõcordib. collegiis tribus. Postremo se tendere nihil vltra, quàm vt si se dignum prouincia ducerent, in eam mitterent. in Senatus arbitrio se fuisse. & in potestate populi futurum. P. Decius Senatus iniuriam querebatur. quoad potuerint patres annisos ne plebeiis aditus ad magnos honores esset. postquam ipsa virtus peruicerit ne in illo genere hominum inhonorata esset: queri quemadmodum irrita sint non suffragia modo populi, sed arbitria etiam fortunæ, & in paucorum potestatem vertantur. Omnes ante se consules sortitos prouincias esse: nunc extra sortem Fabio Senatum prouinciam dare. Si honoris eius caussa: ita eum de se, déque republica meritum esse, vt faueat Q. Fabij gloriæ, quæ modo non sua contumelia splendeat. Cui autem dubium esse vbi vnũ bellum sit asperum ac difficile, cùm id alteri extra sortem mandetur, quin alter consul pro superuacaneo atque inutili habeatur? Gloriari Fabium rebus in Hetruria gestis velle & P. Decium gloriari: & forsitan quem ille obrutum ignẽ reliquerit, ita vt toties nouum ex improuiso incendium daret, eum se extincturum. Postremo se collegæ honores præmiáque concessurum, verecundia ætatis eius maiestatisque cum periculum, cum dimicatio proposita sit, neque cedere sua sponte, neque cessurum, & si nihil aliud ex eo certamine tulerit: illud certè laturum vt quod populi sit, populus iubeat potius, quàm patres gratificentur. Iouem optimum maximum deósque immortales se precari, vt ita sortem æquam sibi cum collega dent, si eandem virtutem felicitatémque in bello administrando daturi sint, certè id & natura æquum & exemplo vtile esse, & ad famam populi Romani pertinere, eos consules esse, quorum vtrolibet duce bellum Hetruscum geri rectè possit. Fabius nihil aliud precatus populum, quàm vt prius quàm introuocarentur ad suffragium tribus, Ap. Claudij prætoris allatas ex Hetruria litteras audirẽt, concio abit, nec minore populi consensu quàm senatus, prouincia Hetruria extra sortem Fabio decreta est. Concursus deinde ad consulem factus omnium fermè iuniorum: & pro se quisque nomina dabant. Tanta cupido erat sub eo duces stipendia faciendi. Qua circumfusus turba: Quatuor millia, inquit, peditum, & sexcentos equites dũtaxat scribere in animo est hodierno & castrino die, qui nomina dederint mecum ducam. Maiori mihi curæ est vt omnes locupletes reducam, quàm vt multis rem geram militibus. Profectus apto exercitu, & eo plus fiduciæ ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat: ad oppidum Aharnam, vnde haud procul hostes erant, ad castra Appij prætoris pergit. paucis citra millibus lignatores ei cum præsidio occurrũt, qui vt lictores prægredi viderunt, Fabiúmque esse consulem accepere: læti atque alacres diis populoq. Romano gratias agunt, quod eum sibi imperatorem misissent. Circumfusi deinde cum consulem salutarent, quærit Fabius quò pergerẽt. respondẽtibúsque lignatum se ire, ain' tandem? inquit, num castra vallata non habetis? ad hoc cum succlamatum esset, duplici quidem vallo, & fossa, & tamen in ingenti metu esse: habetis igitur, inquit, affatim lignorum: redite, & vellite vallum. Redeunt in castra, terrorémque ibi vellentes vallum, & iis qui in castris remanserant militibus, & ipsi Appio fecerunt. Tum pro se quisque alij aliis dicere, consulis se Q. Fabij facere iussu. Postero inde die castra mota, &

A Appius prætor Romam dimissus. inde nusquam statiua Romanis fuere, negabat vtile esse vno loco sedere exercitum. itineribus ac mutatione locorum nobiliorem ac salubriorem esse. Fiebant autem itinera, quanta fieri sinebat hyems haud dum exacta. Vere inde primo relicta secunda legione ad Clusium. quod Camars olim appellabant, præpositoque castris L. Scipione pro prætore Romam ipse ad consultandum de bello rediit: siue ipse sponte sua, quia bellum ei maius in conspectu erat, quàm quantum

B esse famæ crediderat: siue senatusconsulto accitus: nã in vtrumque auctores sunt. Ab Ap. Claudio prętore retractum quidam videri volunt: cum in senatu, & apud populum (id quod per literas assiduè fecerat) terrorem belli Hetrusci augeret. nõ suffecturum ducem vnum, nec exercitum vnum aduersus quatuor populos. periculosum esse, siue iuncti vnũ premant, siue id diuersi gerant bellum, ne ad omnia simul obire vnus non possit. duas se ibi legiones Romanas reliquisse: & minus quinque millia peditum

C equitúmque cum Fabio venisse, sibi placere. P. Decium consulem primo quoque tempore in Hetruriam ad collegam proficisci: L. Volumnio Samnium prouinciam dari. si consul malit in suam prouinciam ire, Volumnium in Hetruriam ad consulem cum exercitu iusto consulari proficisci. Cùm magnam partem moueret oratio prætoris, P. Deciũ censuisse ferunt, vt omnia integra ac libera Q. Fabio seruarentur, donec vel ipse, si per commodum reipub. posset, Romam venisset, vel aliquem ex legatis

D misisset, à quo disceret Senatus quantũ in Hetruria belli esset, quantisque administrandum copiis, & quot per duces esset. Fabius vt Romam rediit: & in Senatu, & productus ad populum, mediã orationem habuit, vt nec augere nec minuere videretur belli famam, magisque in altero assumẽdo duce aliorum indulgere timori, quàm suo aut reipubli. periculo consulere. Ceterum si sibi adiutorem belli, sociúmque imperij darent: quónam modo se obliuisci P. Decij consulis per tot collegia experti posse neminem omnium secum coniungi malle? & copiarum

E nem omnium secum coniungi malle? & copiarum satis sibi cum P. Decio, & nunquam nimium hostiũ fore. Sin collega quid aliud malit: ac sibi L. Volumnium darent adiutorem. Omnium rerum arbitrium & à populo, & à Senatu, & ab ipso collega Fabio permissum est, & cum Decius se in Samnium vel in Hetruriam proficisci paratum esse ostendisset: tanta lætitia ac gratulatio fuit, vt præciperetur victoria animis: triumphusque, non bellum decretum consulibus videretur. Inuenio apud quosdam, ex-

F templò consulatu inito, profectos in Hetruriam Fabium Deciumque sine vlla mentione sortis prouinciarum certaminumque inter collegas quæ exposui. Sunt quibus ne hęc quidem certamina exponere satis fuerit: adiecerint & Appij criminationes de Fabio absente ad populum, & pertinaciam aduersus præsentem Cos. prætoris, contentionémque aliam inter collegas: tendente Decio, vt suæ quisque prouinciæ sortem tueretur. Constare res incipit ex eo tempore, quo profecti ambo Coss. ad

G bellum sũt. Ceterum antequam Coss. in Hetruriam peruenirent, Senones Galli multitudine ingenti ad Clusium venerunt, legionem Romanam castraque oppugnaturi. Scipio qui castris præerat, loco adiuuãdam paucitatem suorum militum ratus in colle, qui inter vrbem & castra erat, aciem erexit. sed, vt in re subita, parum explorato itinere, ad iugum perrexit, quod hostes ceperant, parte alia aggressi. Ita cæsa ab tergo legio: atque in medio, cum hostis vndique vrgeret, circumuenta. Deletam quoque ibi legio-

legionem, ita vt nuntius non superesset, quidam auctores sunt: nec ante ad consules, qui iá haud procul à Clusio aberant, famam eius cladis perlatam, quam in conspectu fuere Gallorum equites, pectoribus equorum suspensa gestantes capita, & lanceis infixa, ouantésque moris sui carmine. Sút qui Vmbros fuisse non Gallos tradant nec tantum cladis acceptum & circumuentis pabulatoribus cum L. Manlio Torquato legato, Scipionem proprætorem subsidium è castris tulisse, victorésque Vmbros redintegrato prælio victos esse, captiuosque eis ac prædam ademtam: Similius vero est à Gallo hoste quàm Vmbro eá cladem acceptam, quod cûm sæpe alias, tum eo anno Gallici tumultus præcipuus terror ciuitatem tenuit. Itaque præterquam quod ambo consules profecti ad bellum erant cum quatuor legionibus, & magno equitatu Romano, Campanisque mille equitibus delectis ad id bellum missis, & sociorum nominisque Latini maiore exercitu quá Romani: alij duo exercitus haud procul vrbe Hetruriæ oppositi, vnus in Falisco, alter in Vaticano agro. Cn. Fuluius, & L. Posthumius Megillus, proprætores ambo, statiua in eis locis habere iussi. Consules ad hostes transgresso Apennino in agrum Sentinatem peruenerunt. Ibi quatuor millium ferme interuallo castra posita. Inter hostes deinde consultationes habitæ: atque ita conuenit, vt ne vnis castris miscerentur omnes, néve in aciem descenderent simul. Samnitibus Galli, Hetruscis Vmbri adiecti, dies indicta pugnę: Samnitibus Gallisque delegata pugna. inter ipsum certamen Hetrusci Vmbrique iussi castra Romana oppugnare. Hæc consilia turbarunt transfugæ Clusini tres, clam nocte ad Fabium consulem transgressi: qui editis hostium consiliis, dimissi cum donis, vt subinde, vt quæque res noua decreta esset, exploratam perferrent consules. Fuluio vt ex Falisco, Posthumio vt ex Vaticano exercitum ad Clusium admouerant summáque vi fines hostium depopulentur, scribunt. Huius depopulationis fama Hetruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos mouit. Instare inde consules, vt absentibus iis pugnaretur. per biduum lacessiere prælio hostem. biduo nihil dignum dictu actú. pauci vtrinque cecidere: magisq. irritati sunt ad iustum certamen animi, quàm ad discrimen summa rerum adducta. Tertio die descésum in campum omnibus copiis est. Cûm instructæ acies starent, cerua fugiens lupum è montibus exacta per campos inter duas acies decurrit: inde diuersæ feræ, cerua ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. Lupo data inter ordines via, ceruam Galli confixere. Tum ex antesignanis Romanus miles: illac fuga inquit, & cædes vertit, vbi sacram Dianæ feram iacentem videtis: hinc victor Martius lupus, integer & intactus, gentis nos Martiæ & conditoris nostri admonuit. Dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterunt. Aduersus Samnites Fabius primam ac tertiam legiones pro dextro cornu, aduersus Gallos pro sinistro Decius quintam & sextam instruit. secunda & quarta cum L. Volumnio proconsule in Samnio gerebant bellum. Primo concursu adeò æquis viribus gesta res est, vt si affuissent Hetrusci & Vmbri, aut in acie, aut in castris, quocunque se inclinassent, accipienda clades fuerit. Ceterum quanquam communis adhuc Mars belli erat, nec dum discrimen fortuna fecerat qua datura vires esset, haud quaquam similis pugna in dextro læuoq. cornu erat: Romani apud Fabium arcebant magis quam inferebant pugnam, extrahebatúrque in quam maxime serum diei certamen: quia ita persuasum erat duci, & Sánites & Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit: longiore certamine sélim residere Samnitium animos: Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque æstus fluere, primáque eorum prælia plus quam virorum, postrema minus quàm fœminarum esse, in id tempus igitur quo vinci solebat hostis, quàm integerrimas vires militi seruabat. Ferocior Decius & ætate & vigore animi, quantumcunque virium habuit, certamine primo effudit: & quia lentior videbatur pedestris pugna, equitatú in pugnam concitat: & ipsæ fortissimæ iuuenum turmæ immistus orat proceres iuuentutis, vt secum in hostem impetum faciant: duplicem illorú gloriam fore, si ab læuo cornu, & ab equite victoria incipiat. Bis auertere Gallicum equitatum. iterum longius euectos, & iam inter media equitum agmina prælium cientes, nouum pugnæ conterruit genus. essedis carrisque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarumque aduenit, & insolitos eius tumultus Romanorum conterruit equos. Ita victorem equitatú velut lymphaticus pauor dissipat, sternit inde ruentes equos virosque improuida fuga. turbata hinc etiam signa legionum, multique impetu equorum ac vehiculorum raptorum per agmen, obtriti antesignani, & insecuta, simul territos hostes vidit, Gallica acies, nullum spatium respirandi recipiendique se dedit. Vociferari Decius, quò fugerent? quámve in fuga spem haberent? obsistere cedentibus, ac reuocare fusos. deinde vt nulla vi perculsos sustinere poterat: patrem P. Decium nomine compellans, Quid vltra moror, inquit, familiare fatum? Datum hoc nostro generi est, vt luendis periculis publicis piacula simus. Iam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri ac diis manibus dabo. Hæc locutus, M. Liuium pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat ab se, præire iussit, verba, quibus se legionésque hostium pro exercitu populi Romani Quiritium deuoueret. deuotus inde eadem precatione, eodémque habitu, quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iusserat deuoueri: cum secundum solemnes precationes adiecisset, præ se agere sese formidinem ac fugam, cædémque ac cruorem: cœlestium infernorumque iras: contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium: locúmque eundum suę pestis, & Gallorum ac Samnitium fore: hæc exsecratus in se, hostésque, qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, cócitat equum: inferénsque se ipse infestis telis, interfectus est. Vix humanę inde opis videri pugna potuit. Romani duce amisso, quæ res terrori alias esse solet, sistere fugam, ac nouam de integro velle instaurare pugnam, Galli & maximè globus circumstans consulis corpus, velut alienata mente, vana incassum iactare tela, torpere quidam, & nec pugnæ meminisse, nec fugæ. At ex parte altera pontifex Liuius, cui lictores Decius tradiderat, iusserátque proprætorem esse, vociferari, vicisse Romanos defunctos consulis fato: Gallos Samnitésque Telluris matris ac deorum Manium esse: rapere ad se ac vocare Decium deuotam secum aciem furiarumque ac formidinis plena omnia ad hostes esse. Superueniunt deinde his restituentibus pugná, Cornelius Scipio, & C. Martius, cum subsidiis ex nouissima acie iussu Q. Fabij consulis ad præsidium collegæ missi. ibi auditur P. Decij euentus ingés, hortamé ad omnia pro rep. audéda. itaq; cum Galli structis ante se scutis conferti starent. nec facilis pede collato videretur pugna: iussu legatorum collecta humi pila, quæ strata inter duas acies iacebant, atq; in testudinem hostium coniecta. quibus plerisque in scuta, plerisque verutis in corpora ipsa fixis, ster-

nitur cuneus, ita vt magna pars integris corporibus attoniti conciderent. Hæc in sinistro cornu Romanorum fortuna variauerat. Fabius in dextro cornu primo (vt ante dictum est) cunctando extraxerat diem: deinde postquam nec clamor hostium, nec impetus, nec tela missa eandem vim habere visa, præfectis equitum iussus ad latus Samnitium circumducere alas, vt signo dato in transuersos quanto maximo possent impetu incurrerent: sensim suos signa inferre iussit, & commouere hostem. Postquam non resisti vidit, & haud dubiam lassitudinem esse: tum collectis omnibus subsidiis, quæ ad id tempus reseruauerat, & legiones cōcitauit, & signū ad inuadendos hostes equitib. dedit. Nec sustinuerūt Sānites impetum: prætérque aciem ipsam Gallorum relictis in dimicatione sociis, ad castra effuso cursu ferebantur. Galli testudine facta conferti stabāt. Tū Fabius audita morte collegæ, Campanorum alam quingentos ferè equites excedere aciē iubet, & circūuectos à tergo Gallicam inuadere aciem: tertiæ deinde legionis subsequi principes: & qua turbatū agmen hostium viderent, impetu equitum instare, ac territos cædere. Ipse ædem Ioui Victori, spoliáq; hostium cum vouisset ad castra Samnitium perrexit quò multitudo omnis consternata agebatur. Sub ipso vallo quia tantam multitudinem portę non recepere tentata ab exclusis turba suorum pugna est. ibi Gellius Egnatius imperator Samnitium cecidit. cōpulsi deinde intra vallū Samnites, paruoq. certamine capta castra, & Galli à tergo circumuenti. Cæsa eo die hostium X X V. millia, octo capta. Nec incruēta victoria fuit. nā ex P. Decij exercitu cæsa septem millia: ex Fabij mille ac ducenti. Fabius dimissis ad quærendum collegæ corpus. spolia hostiū coniecta in aceruum Ioui Victori cremauit. Consulis corpus eo die, quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat inueniri non potuit. Postero die inuentum relatúmque est cum multis militum lacrymis. Intermissa inde omnium aliarum rerum cura, Fabius collegæ funus omni honore, laudibusque meritis celebrat. & in Hetruria per eosdem dies ab Cn. Fuluio proprætore res ex sententia gesta: & pręter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnatum etiam egregię est. Perusinorūque & Clusinorū cæsa amplius tria millia, & signa militaria ad viginti capta Samnitium agmen cum per Pelignūagrum fugeret, circumuentum à Pelignis est. ex millibus quinque ad mille cæsi. Magna eius diei quo in Sentinati agro bellatum fama est, etiam verò stanti. Sed superiecere quidam augendo fidem, qui in hostium exercitu peditū quadraginta millia, C C C X X X. equitum sex & quadraginta mille carpentoūr scripsere fuisse, scilicet cum Vmbris Thuscisque, quos & ipsos pugnæ affuisse. & vt Romanorum quoque augerent copias, L. Volumnium proconsulem ducem cōsulibus, exercitumq. eius legionibus consulum adiiciunt. In plurib. annalibus duorum ea consulum victoria est. Volumnius in Samnio interim res gerit, Samnitiumque exercitum in Tifernum montem compulsum, non deterritus iniquitate loci, fundit fugatq. Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Hetruria, suis legionibus deductis ad vrbem, de Gallis Hetruscisque ac Samnitibus triumphauit. milites triumphantem secuti sunt. celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabij quàm mors præclara P. Decij est. excitataque memoria parentis, æquata euentu publico priuatoque filij laudib. Data ex præda militibus æris octogeni bini, sagaque, & tunicæ, præmia illa tēpestate militię haudquaquam

A spernenda. His ita rebus gestis, nec in Samnitibus adhuc, nec in Hetruria pax erat. na & Perusinis auctoribus post deductum ab consule exercitum, rebellatum fuerat: & Samnites prædatum in agrum Vestinum Formianumve, & parte alia in Æsernium, quæ Vulturno adiacent flumini, descendere. Aduersus eos Ap. Claudius prætor cū exercitu Deciano missus. Fabius in Hetruria rebellante denuò quatuor millia & quingentos Perusinorum occidit cepit ad mille septingentos quadraginta: qui redēti singuli æris trecenis decem. præda alia omnis mi-

B litibus concessa. Samnitium legiones cum partim Ap. Claudius prætor, partim L. Volumnius proconsul sequeretur in agrum Stellatem conuenerunt. ibi & Samnitium legiones omnes considunt, & Appius Volumniusque castra coniungunt. Pugnatum infestissimis animis, hinc ira stimulante, aduersus rebellantes toties, illinc ab vltima iā dimicantibus. spe. Cæsa ergo Samnitium X V I. millia trecenti capta duo millia septingenti: ex Romano exercitu cecidere duo millia septinginti. felix annus bel-

C licis rebus, pestilentia grauis, prodigiisque solicitus nam & terram multifariā pluisse, & in exercitu Ap. Claudij plerosque fulminibus ictos nuntiatum est; librique ob hæc aditi. Eo anno Q. Fabius Gurges consulis filius aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multauit: ex quo multatitio ære Veneris ædem, quæ prope Circum est, faciendam curauit. Supersunt nunc Samnitium bella, quæ cōtinua per quartum iam volumen, annumque sextum & quadragesimum à M. Valerio, A. Cornelio

D cōsulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, agimus. & ne tot annorum clades vtriusque gentis, laboréque actos nunc referam: quibus nequiuerunt tamen dum illa pectora vinci: proximo anno Sanites in Sentinati agro, Pelignis, ad Tifernum, Stellatibus cāpis, suis ipsi legionib. misti alienis ab quatuor exercitibus. quatuor ducibus Romanis cæsi fuerant, imperatorem clarissimum gentis suæ amiserant: socios belli, Hetruscos, Vmbros, Gallos, in eadem fortuna videbant, qua ipsi erant: nec suis, neç

E externis viribus iam stare poterant, tamen bello nō abstinebant, adeò ne infeliciter quidem defensæ libertatis tædebat: & vinci, quam non tentare victoriam malebant. Quisnam sit ille, quem non pigeat longinquitatis bellorum scribendo, legēdoque, quę gerentes non fatigauerunt: Q. Fabium, P. Decium, L. Posthumius Megillus, & M. Attilius Regulus, cōsules secuti sunt, Samnium ambobus decreta prouincia est: quia tres scriptos hostium exercitus, vno Hetruriam, altero populationem Campaniæ repeti,

F tertium tuendis parari finibus fama erat. Posthumiū valetudo aduersa Romæ tenuit. Attilius cum exercitu extemplò profectus, vt in Samnio hostes (ita. n. placuerat patribus) nondum egressos opprimeret, velut ex cōposito ibi obuium habuere hostem. vbi & intrare, nedum vastare ipsi Samnitium agrum prohiberentur: & egredi inde in pacata, sociorumq. populi Rom. fines Samnites prohiberentur: cum castra castris collata essent: quod vix Romanus toties victor auderet. ausi Samnites sunt (tantùm despera-

G tio vltima temeritatis facit) castra Rom. oppugnare. & quanquam non venit ad finem tam audax inceptum, tamen haud omnino vanum fuit. Nebula erat ad multum diei densa adeò, vt lucis vsum eriperet: non prospectu modò extra vallum adempto, sed propinquo etiam congredientiū inter se cōspectu. hac velut latebra insidiarum freti Samnites, vix dum satis certa luce & eam ipsam premente caligine, ad stationem Romanam in porta segniter agentem

tem

tertiam vigiliam peruenit. Improuiso oppressis, nec animi satis ad resistendum, nec virium fuit. ab tergo Samnitium decumana porta impetus factus. itaque captum quæstorium quæstorq. ibi L. Opimius Pansa occisus. conclamatum inde ad arma. Consul tumultu excitus, cohortes duas sociorum, Lucanam, Suessanam, quæ proximæ forte erant, tueri prætorium iubet: manipulos legionum principali via inducit, vix dum satis aptatis armis, in ordines eunt. & clamore magis quàm oculis hostem noscunt, nec quantus numerus sit, æstimari potest. Cedunt primo ignari fortunæ suæ, & hostem introrsum in media castra accipiunt. inde cum consul vociferaretur, expulsine extra vallum, castra deinde sua oppugnaturi essent, clamore sublato connixi primo resistere, deinde inferunt pedem, vrgentque & impulsos hostes eodem vnde, quo cœperant, expellunt porta valloque: inde pergere, ac persequi, quia turbida lux metum circa insidiarum faciebat, non ausi, liberatis castris contenti, receperunt se in vallum, trecentis fermè hostium occisis. Romanorum ab stationes primæ vigilumque & eorũ qui circa quæstorium oppressi, periere ad ducentos triginta. Animos Samnitibus non infelix audacia auxit, & non modo proferre inde castra Romanũ, sed ne pabulari quidem per agros suos patiebantur. retrò in pacatum Soranum agrum pabulatores ibant. Quarum rerum fama tumultuosior etiam, quam res erat perlata Romam, coegit L. Postumium Cos. vixdum validum proficisci ex vrbe. prius tamen quàm exiret militibus edicto Soram iussis conuenire. Ipse ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex multatitia pecunia faciendam curauerat, dedicauit. Ita ad exercitum profectus ab Sora in Samnium, ad castra collegæ peruenit, inde postquam Sãnites diffisi duobus exercitibus resisti posse, recesserunt: diuersi Coss. ad vastandos agros, vrbésque oppugnandas discedunt: Posthumius Milioniam oppugnare adortus, vi primo atque impetu: deinde postquam ea parum procedebant, opere ac vineis demũ iniunctis muro cepit. ibi capta iam vrbe ab hora quarta diei vsq. ad octauam ferè horam omnibus partibus vrbis diu incerto euẽtu pugnatum est. postremò potitur oppido Romanus Samnitium cæsi tria millia ducenti: capti quatuor millia CC præter prædam aliam. Inde Ferentinum ductæ legiones. vnde oppidani cum omnibus rebus suis, quæ ferri agique potuerunt, nocte per auersam portam silentio excesserunt. Igitur simul aduenit Cos. primo ita compositus instructúsque mœnibus successit tanquam idem quod ad Milioniam fuerat, certaminis foret: deinde vt silentium vastum in vrbe, nec arma nec viros in turribus ac muris vidit, auidũ inuadendi deserta mœnia militem detinet, ne quam occultam in fraudem incautus rueret: duas turmas sociorum Latini nominis circumequitare mœnia, atque explorare omnia iubet. Equites portam vnam alterámque eadem regione in propinquo patentes conspiciunt, itineribusque iis vestigia nocturnæ hostium fugæ. adequitant deinde sensim portis vrbémque ex tuto rectis itineribus peruiam conspiciunt: Consuli referunt excessum vrbe: solitudine haud dubia perspicuum esse, & recentibus vestigiis fugæ, ac strage rerũ in trepidatione nocturna passim relictarum. His auditis Cos. ad eam partem vrbis quam adierant equites, circumducit agmen: constitutísque haud procul porta signis, quinque equites iubet intrare vrbem, & modicum spatium progressos tres manere eodem loco, si tuta videantur, duos explorata ad se referre. Qui vbi redierunt retuleruntque eò se progressos, vnde in omnes partes circumspectus esset, longè latéque silentium ac solitudinem vidisse: extemplo Cos. cohortes expeditas in vrbem induxit, ceteros interim castra communire iussit. Ingressi milites refractis foribus paucos graues ætate, aut inualidos, inueniunt: relicta quæ migratu difficilia essent ea direpta: & cognitum ex captiuis est communi consilio aliquot circa vrbes conscisse fugam: suos prima vigilia profectos. credere eandem in aliis vrbibus solitudinem inuenturos. Dictis captiuorum fides exstitit. desertis oppidis Cos. potitur. Alteri Cos. M. Attilio nequaquam tam facile bellum fuit, cum ad Luceriam duceret legiones, quam oppugnari ab Samnitibus audierat, ad finem Lucerinũ ei hostis obuius fuit. ibi ira vires æquauit. prælium varium & anceps fuit, tristius tamen euentu Romanis, & quia insueti erant vinci, & quia digredientes magis quam in ipso certamine, senserunt quantum in sua parte plus vulnerum ac cædis fuisset. Itaq; is terror in castris ortus, qui si pugnantes cepisset, insignis accepta clades foret. tum quoque sollicita nox fuit, iam inuasurum castra Samnitem credentibus, aut prima luce cum victoribus conserendas manus. Minus cladis, ceterum non plus animorum ad hostes erat. vbi primum illuxit: abire sine certamine cupiunt. Sed via vna, & ea ipsa præter hostes erat, quam ingressi præbuere speciem recta tendentium ad castra oppugnanda. Cos. arma capere milites iubet & sequi se extra vallum: legatis, tribunis, præfectis sociorum imperat, quod apud quemq. facto opus est. Omnes affirmant, se quidem omnia facturos: sed militum iacere animos: tota nocte inter vulnera & gemitus morientium vigilatum esse. si ante lucem ad castra ventum foret, tantum pauoris fuisse, vt relicturi signa fuerint, nunc pudore à fuga contineri, alioquin pro victis esse. Quæ vbi consul accepit, sibimetipsi circumeundos alloquendosque milites ratus, vt ad quosque venerat, cunctantes, arma capere increpabat, quid cessarent, tergiuersarentúrque hostem in castra venturum, nisi illi extra castra exissent: & pro tentoriis suis pugnaturos, si pro vallo nollent armati ac dimicantibus haud dubiam victoriam esse: qui nudus atque inermis hostem maneat, ei aut mortem, aut seruitutem patiendam. Hæc iurganti increpantiq. respondebant confectos se pugna hesterna esse: nec virium quicquam, nec sanguinis superesse: maiorem multitudinem hostium apparere, quàm pridie fuerit. Inter hæc appropinquabat agmen: & iam breuiore interuallo certiora intuentes, vallum secum portare Samnitem affirmant. nec dubium esse quin castra circumuallaturi sint. Tunc enimuerò Cos. indignum facinus esse vociferari, tantam contumeliam ignominiamque ab ignauissimo accipi hoste. Etiamne circumsedebimur, inquit, in castris, vt fame potius per ignominiá, quàm ferro, si necesse est, per virtutem moriamur? Dij bene verterent, facerentque quod se dignum quisque ducerent: Cos. M. Attilium vel solum, si nemo alius sequatur, iterum aduersus hostes casurúmque inter signa Samnitium potius, quam circumuallari castra Romana videat. Dicta consulis, legati tribunique & omnes turmæ equitum, & centuriones primorum ordinũ approbauere. tum pudore victus miles segniter arma capit, segniter e castris egreditur: longo agmine, nec continenti, mœsti ac prope victi procedunt versus hostem nec spe nec animo certiorem. Itaque simul conspecta sunt Romana signa extemplo à primo Samnitium agmine ad nouissimum fremitus perfertur exire, id quod timue-

rint, ad impediendum iter Romanos: nullam inde ne fugæ quidem patere viam: illo loco aut cadendum esse, aut stratis hostibus per corpora eorum euadendum. in medio sarcinas coniiciunt: armati suis quisque ordinibus instruunt aciem. Iam exiguum inter duas acies erat spatium, & stabant expectantes, dum ab hostibus prius impetus, prius clamor inciperet: neutris animus est ad pugnandum. Diuersiq. integri atque intacti abissent, ni cedenti instaturum alterum timuissent. Sua sponte inter inuitos tergiuersantésque segnis pugna clamore incerto atque impari, cœpit nec vestigio quisquam mouebatur. Tum Cos. Romanus vt rem excitaret, equitum paucas turmas extra ordinem immisit: quorum cum plerique delapsi ex equis essent, & alij turbati: & ab Samnitium acie ad opprimēdos eos qui ceciderant, & ad suos tuendos ab Romanis procursum est. Inde paululum irritata pugna est, sed aliquanto & impigrè magis, & plures procurrerunt Samnites: & turbatus eques sua ipse subsidia territis equis proculcauit. hinc fuga cœpta totam auertit aciem Romanam. Iamque in terga fugientium Samnites pugnabant, cum Cos. equo præuectus ad portam castrorum ac statione equitum ibi opposita, edictoque vt quicunque ad vallum tenderet, siue ille Romanus, siue Samnis esset, pro hoste haberetur: hæc ipsa minitans obstitit profusè tendentibus suis in castra. Quo pergis, inquit, miles? & hic arma & viros inuenies, nec viuo Cos. tuo nisi victor castra intrabis: proinde elige cum ciue an hoste pugnare malis. Hæc dicente Cos. equites infestis cuspidibus circumfunduntur, ac peditem in pugnam redire iubent. Non virtus solum Cos. sed sors etiam adiuuit: quod non institerunt Samnites, spatiúmque circumagendi signa, vertendique aciem à castris in hostem fuit. Tum alij alios hortari, vt repeterent pugnam: centuriones ab signiferis rapta signa inferre, & ostendere suis, paucos & ordinibus incompositis effusè venire hostes. Inter hæc Cos. manus ad cœlum attollens, voce clara, ita vt exaudiretur, templum Ioui Statori vouet, si constitisset à fuga Romana acies, redintegratoque prælio cecidisset, vicissétque legiones Samnitium. Omnes vndique annisi ad restituendam pugnam, duces, milites, peditum equitumq. vis. numen etiam deorum respexisse nomen Romanum visum. Adeò facilè inclinata res, repulsique à castris hostes: mox etiam redacti ad eum locum, in quo commissa pugna erat. Ibi obiacente sarcinarum cumulo, quas coniecerant in medium, hæsere impediti: deinde ne diriperentur res, orbem armatorum sarcinis circundant. Tum verò eos à fronte vrgere pedites, ab tergo circumuecti equites. ita in medio cęsi captique. Captiuorum numerus fuit septem millia CCC. qui omnes nudi sub iugū missi. Cæsos retulere ad quatuor millia octingētos. Ne Romanis quidē læta victoria fuit. Recensente Cos. biduo acceptam cladem, amissorum militum numerus relatus septem millia trecenti. Dum hæc in Apulia gerebantur: altero exercitu Samnites Interamnam coloniam Romanam, quæ via Latina est, occupare conati, vrbem non tenuerunt. agros depopulati, cum prædam aliam inde mistam hominum atque pecudum, colonósque captos ageret, in victorem incidunt Cos. ab Luceria redeuntē: nec prædam solū amittunt, sed ipsi lōgo ac impedito agmine incōpositi cæduntur. Consul Interamnam edicto dominis ad res suas noscendas recipiendásq. reuocatis, & exercitu ibi relicto, comitiorum causa Romam est profectus. Cui de triūpho agenti negatus honos, & ob amissa tot millia militum, & quod captiuos sine

A pactione sub iugum misisset. Cos. alter Postumius, quia in Samnitibus materia belli deerat, in Hetruriam traducto exercitu, primum peruastauerat Volsiniensem agrum: deinde cum egressis ad tuendos fines haud procul mœnibus ipsorum depugnat. duo millia CC. Hetruscorum cæsi: ceteros propinquitas vrbis tutata est. In Rosellanum agrum exercitu traducto, non agri tantum vastati, sed oppidum etiam expugnatum. capta amplius duo millia hominum: duo millia circa muros cæsa. Pax tamen B clarior maiorque, quam bellum in Hetruria eo anno fuerat, parta est. tres validissimæ vrbes, Hetruriæ capita, Vulsinij, Perusia, Aretium, pacem petiere: & vestimentis militum, frumentoque pacti cum Cos. vt mitti Romam oratores liceret, inducias in quadraginta annos impetrauerunt. mulcta præsens quingentûm millium æris in singulas ciuitates imposita. Ob hasce res gestas consul cum triumphum ab Senatu moris magis caussa, quam spe impetrandi petisset: vidissetque alios, quod tardius ab vrbe C exisset, alios quod iniussu Senatus ex Samnio in Hetruriam transisset, partim suos inimicos, partim collegæ amicos, ad solatium æquatæ repulsæ sibi quoque negare triumphum: Non ita, inquit, patres conscripti, vestræ maiestatis meminero, vt me consulem esse obliuiscar. eodem iure imperij, quo bella gessi, bellis feliciter gestis, Samnio atque Hetruria subactis, victoria & pace parta, triumphabo. Ita Senatum reliquit. Inde inter tribunos plebis contentio orta est. pars intercessuros, ne nouo e- D xemplo triumpharet, aiebant: pars auxilio se aduersus collegas triumphanti futuros. Iactata res ad populum est: vocatúsque eò consul, cum L. Horatium, M. Valerium consules, C. Martium Rutilium nuper, patrem eius, qui tunc censor esset, non ex auctoritate Senatus, sed iussu populi triumphasse diceret: adiiciebat se quoque laturum fuisse ad populum ni sciret mancipia nobilium tribunos plebis legem impedituros, voluntatem sibi ac fauorem consentientis populi pro omnibus iussis esse ac futuram: posteroque die auxilio tribuno- E rum plebis trium aduersus intercessionem VII. tribunorum, & consensum Senatus, celebrante populo diem, triumphauit. Et huius anni parum constans memoria est. Posthumium, auctor est Claudius, in Samnio captis aliquot vrbibus, in Apulia fusum fugatúmque saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum: Ab Attilio in Hetruria res gestas: eumque triumphasse. Fabius ambos Coss. in Samnio, & ad Luceriam res gessisse scribit: traductúmque in Hetruriam F exercitum, sed ab vtro Cos. non adiecit. & ad Luceriam vtrinque multos occisos: inque ea pugna Iouis Statoris ędem votā, vt Romulus ante vouerat. sed fanum tantum, id est, locus templo effatus, iam sacratus fuerat. Ceterum hoc demum anno, vt ædem etiam fieri Senatus iuberet bis eiusdem voti damnata Respublica in religionem venit. Sequitur hunc annum & Cos. insignis L. Papyrius Cursor, qua paterna gloria, qua sua: & bellum ingens, vi- G ctoriáque quantam de Samnitibus nemo ad eam diem, præter L. Papyrium patrem Cos. pepererat. & forte eodem conatu apparatúque omni opulentia insignium armorum bellum adornauerant: & opes deorum etiam adhibuerant ritu quodam sacramenti vetusto, velut initiatis militibus, delectu per omne Samnium habito noua lege: vt qui iuniorum non conuenisset ad imperatorium edictum, quique iniussu abisset, caput Ioui

sacra-

sacratum esset. Tum exercitus omnis Aquiloniam A
est indictus.ad XL.millia militum,quod roboris in
Samnio erat,conuenerunt.ibi mediis ferè castris lo-
cus est conseptus cratibus pluteisque & linteis con-
tectus, patens ducētos maximè pedes in omnes pa-
riter partes. Ibi ex libro vetere linteo lecto sacrifica-
tum sacerdote Ouio Paccio quodam, homine ma-
gno natu,qui se id sacrum petere affirmabat ex ve-
tusta Samnitium religione: qua quondam vsi maio-
res eorum fuissent,cum adimendæ Hetruscis Capuę
clandestinum cœpissent consilium. Sacrificio perfe-
cto, per viatorem imperator acciri iubebat nobi- B
lissimum quemque genere factisque singuli intro-
ducebantur. erat cum alius apparatus sacri,qui per-
fundere religione animum posset: tum in loco circa
omni contecto aræ in medio,victimæque circa cæ-
sæ, & circumstantes centuriones strictis gladiis, ad-
mouebatur altaribus miles, magis vt victima,quàm
vt sacri particeps: adigebatúrque iureiurando, quæ
visa auditáque in eo loco essent, non nuntiaturum.
dein iurare cogebatur diro quodam carmine in ex-
secrationem capitis familiæque & stirpis composi-
to,nisi isset in prælium, quo imperatores duxissent: C
& si aut ipse ex acie fugisset,aut si quem fugientem
vidisset, non extemplo occidisset.Id primo quidam
abnuentes iuraturos se, obtrūcati circa altaria sunt.
iacentes deinde inter stragem victimarum, docu-
mento cæteris fuere ne abnuerent.Primoribus Sam-
nitium ea detestatione obstrictis, decem nominatis
ab imperatore,eis dictum vt vir virum legerent: do-
nec sexdecim millium numerum confecissent. ea
legio linteata,ab integumento consepti,quo sacrata
nobilitas erat,appellata est.his arma insignia data, D
& cristatæ galeæ,vt inter cæteros eminerent. Paulo
plus viginti millium alius exercitus fuit,nec corpo-
rum specie, nec gloria belli, nec apparatu linteatæ
legioni dispar.hic hominum numerus,quod roboris
erat,ad Aquiloniam consedit.Coss.profecti ab vrbe,
prior Sp.Caruilius,cui veteres legiones,quas M.At-
tilius superioris anni Cos.in agro Interamnati reli-
querat, decretæ erant, cùm eis in Samnium profe-
ctus, dum hostes superati superstitionibus concilia
secreta agant. Amiternum oppidum de Samnitibus
vi cepit.cæsa ibi millia hominum duo ferme atque
octingenti:capta quatuor millia ducenti septuagin- E
ta.Papyrius nouo exercitu(ita decretū erat) scripto
Duroniam vrbem expugnauit:minùs quàm collega
cepit hominum,plus aliquanto occidit: præda opu-
lenta vtrobique est parta. inde peruagati Samnium
Coss. maximè depopulato Atinate agro, Caruilius
ad Cominium, Papyrius ad Aquiloniam, vbi sum-
ma rei Samnitium erat,peruenit.ibi aliquandiu nec
cessatum ab armis est, neque grauiter pugnatum:la-
cessendo quietos, resistentibus cedendo, commi- F
nandóque magis quàm inferendo pugnam, dies ab-
sumebatur. quod cùm inciperetur, remitteretúr-
que,omnium rerum etiam paruarum euentus pro-
ferebatur indies.Altera Romana castra viginti mil-
lium spatio aberant: & absentis collegæ consilia
omnibus gerendis intererant rebus: intentiorque
Caruilius, quo maiore discrimine res vertebatur in
Aquiloniam, quàm ad Cominium,quod obsidebat,
erat.L.Papyrius iam per omnia ad dimicandum sa-
tis paratus, nūntium ad collegam mittit: sibi in ani- G
mo esse,postero die,si per auspicia liceret, confligе-
re cum hoste: opus esse & illum quanta maxima vi
posset,Cominium oppugnare,ne quid laxamenti sit
Samnitibus ad subsidia Aquiloniam mittenda.diem
ad proficiscendum nuntius habuit: nocte rediit, ap-
probare collegam consulta referens. Papyrius nun-
tio misso extemplo concionem habuit: multa de v-
niuerso genere belli,multa de præsenti hostium ap-
paratu vana magis specie, quàm efficaci aduentum
disseruit. Non enim cristas vulnera facere: & per
picta atque aurata scuta transire Romanum pilum:
& candore tunicarum fulgentem aciem,vbi res fer-
ro geratur,cruentari.Auream olim atque argenteam
Samnitium aciem à parente suo occidione occisam:
spoliáque ea honestiora victori hosti, quàm ipsis ar-
ma fuisse.Datum hoc nomini familiæque suę,vt ad-
uersus maximos conatus Samnitium opponerentur
duces, spoliáque ea referrent, quæ insignia publicis
etiam locis decorandis essent. Deos immortales ad-
esse propter toties petita fœdera, toties rupta: tum si
qua coniectura mentis diuinæ sit, nulli vnquam e-
xercitui fuisse infestiores, quàm qui nefando sacro
mista hominum pecudúmque cæde respersus, anci-
piti deûm iræ deuotus, hinc fœderum cum Roma-
nis ictorum testes deos, hinc iurisiurandi aduersus
fœdera suscepti exsecrationes horrens, inuitus iura-
uerit,oderit sacramentum, vno tempore deos, ci-
ues, hosteis metuat. Hæc comperta perfugarum in-
diciis, cùm apud infensos iam sua spóte milites dis-
seruisset: simul diuinæ humanæque spei pleni, cla-
more consentienti pugnam poscunt: pœnitet in po-
sterum diem dilatum certamen: moram diei noctís-
que oderunt. Tertia vigilia noctis iam relatis literis
à collega, Papyrius silentio surgit: & pullarium in
auspicium mittit. Nullum erat genus hominum in
castris intactū cupiditate pugnæ: summi infimíque
æquè intenti erant:dux militum, miles ducis ardo-
rem spectabat. Is ardor omnium etiam ad eos qui
auspicio intererant, peruenit. nam cum pulli non
pascerentur,pullarius auspicium mentiri ausus, tri-
pudium solistimum Cos. nuntiauit. Cos. lætus, au-
spicium egregium esse, & deis auctoribus rem ge-
sturos pronuntiat, signúmque pugnæ proponit.
Exeunti iam in aciem nuntiat perfuga, viginti co-
hortes Samnitium(quadringenariæ ferme erant)
Cominium profectas. quod ne ignoraret collega,
extemplo nuntium mittit: ipse signa ocyus proferri
iubet: subsidiáque suis quæque locis,& præfectos
subsidiis attribuerat.Dextro cornu L.Volumnium,
sinistro L.Scipionem, equitibus legatos alios, C.
Ceditium & Trebonium præfecit.Sp.Nautium mu-
los detractis clitellis cum cohortibus alaribus in
tumulum cōspectum propere circumducere iubet:
atque inde inter ipsam dimicationem quanto ma-
ximè posset, moto puluere ostendere. Dum his in-
tentus imperator erat,altercatio inter pullarios orta
de auspicio eius diei,exauditáque ab equitibus Ro-
manis,qui rem haud spernendam rati, Sp. Papyrio
fratris filio consulis ambigi de auspicio renuntiaue-
runt. Iuuenis ante doctrinam deos spernentem na-
tus,rem inquisitam,ne quid incompertum deferret,
ad consulem detulit. cui ille:Tu quidem macte vir-
tute diligentiáque esto: cæterum qui auspicio adest,
si quid falsi nuntiat, in semetipsum religionem re-
cipit: mihi quidem tripudium nuntiatum populo
Romano exercitusque egregium auspicium est.Cé-
turionibus deinde imperauit,vt pullarios inter pri-
ma signa constituerent. Promouent & Samnites si-
gna: insequitur acies ornata armatáque: vt hostium
quoque magnificum spectaculum esset.Prius quàm
clamor tolleretur concurreretúrque, emisso temerè
pilo ictus pullarius ante signa cecidit.quod vbi Cos.
nuntiatum est:Dij in prælio sunt,inquit, habet pœ-
nam noxium caput.Ante Cos.hæc dicentem,coruus
voce clara occinuit.quo lætus augurio consul,affir-
mans nunquam humanis rebus magis pręsentes in-

teifuisse deos, signa canere, & clamorem toli iussit. A Prælium commissum atrox, cæterum longe disparibus animis, Romanos ira, spes, ardor certaminis, auidos hostium sanguinis in prælium rapit: Samnitium magnam partem necessitas ac religio inuitos magis resistere, quàm inferre pugnam cogit. nec sustinuissent primum clamorem atque impetum Romanorum, per aliquot iam annos vinci assueti, ni potentior alius metus insidens pectoribus à fuga retineret. quippe in oculis erat omnis ille occulti paratus sacri, & armati sacerdotes, & promiscua ho- B minum pecudúmque strages, & respersæ fando nefandóque sanguine aræ, & dira exsecratio, ac furiale carmen detestandæ familiæ stirpíque compositum. his vinculis fugæ obstricti stabant, ciuem magis quã hostem timentes. Instare Romanos à cornu vtroque à media acie, & cæde deorum hominúmque attonitos metu. Repugnatur segniter, vt ab iis quos timor moraretur à fuga. Iam prope ad signa cædes peruenerat, cum ex transuerso puluis velut ingentis agminis incessu motus apparuit. Sp. Nautius (Octauium C Metium quidam eum tradũt) dux alaribus cohortibus erat: pulueram maiorem quàm pro numero excitabant: insidentes mulis calones frondosos ramos per terram trahebant: arma, signáque per turbidam lucem in primo apparebant: post altior densiórque puluis equitum speciem cogentium agmen dabat. fefellitque non Samnites modo, sed etiam Romanos: & consul affirmauit errorem, clamitans inter prima signa, ita vt vox etiam ad hostes accideret, captum Cominium, victorem collegam adesse. anni- D terentur vincere priùs quàm gloria alterius exercitus fieret. Hęc insidens equo. inde tribunis centurionibúsque imperat, vt vias equitibus patefaciant. ipse Trebonio Ceditioque prædixerat, vt vbi se cuspidem erectam quatientem vidissent, quanta maxima vi possent, concitarent equites in hostem. Ad nutum omnia, vt ex ante præparato, fiunt, panduntur inter ordines viæ: prouolat eques: atque infestis cuspidibus in medium agmen hostium ruit: perrumpitque ordines. quacunque impetum dedit. Instant Volum- E nius & Scipio, & perculsos sternunt. Tum iam deorum hominúmque victa vi, funduntur linteatæ cohortes: pariter iurati iniuratique fugiunt, nec quẽquam pręter hostes metuunt. Peditum agmen quod superfuit pugnæ, in castra ad Aquiloniam compulsum est. nobilitas equitésque Bouianum perfugerunt. equites eques sequitur, peditẽ pedes: ac diuersa cornua, dextrum ad castra Samnitium, læuum ad vrbem tendit. Prior aliquanto Volumnius castra cepit. ad vrbem Scipioni maiore resistitur vi: non quia F plus animi victis est, sed melius muri quàm vallum armatos arcent. inde lapidibus propulsant hostem. Scipio, nisi in primo pauore priùs quàm colligerentur animi, transacta res esset, lentiorem fore muniræ vrbis oppugnationem ratus interrogat milites, Satin' æquo animo paterentur ab altero cornu castra capta esse, se victores pelli à portis vrbis? Reclamantibus vniuersis, primis ipse scuto super caput elato pergit ad portam, secuti alij testudine facta in vrbem perrumpunt: deturbatisque Samnitibus, G qui circa portam erant muri occupauere. penetrare interiora vrbis, quia pauci admodum erant, non audent. Hæc primo ignorare consul, & intentus recipiendo exercitui esse. iam enim præceps in occasum sol erat, & appetens nox periculosa & suspecta omnia etiam victoribus faciebat. progressus longius, ab dextra castra capta videt: ab læua clamorem in vrbe mistum pugnantium ac pauentium fremitu esse. & tum forte certamen ad portam erat. aduectus deinde æquo propius, vt suos in muris videt, nec iam integri quicquam esse: quoniam temeritate paucorum, magnæ rei parta occasio esset, acciri quas receperat copias, signáque in vrbem inferri iussit. ingressi proxima ex parte, quia nox appropinquabat quieuere. nocte oppidum ab hostibus desertum est. Cæsa illo die ad Aquiloniam Samnitium millia triginta trecenti quadraginta: capta tria millia octingenti & septuaginta, signa militaria nonaginta septem. Cæterum illud memorię traditur, non ferme alium ducem lætiorem in acie visum, seu suopte ingenio, seu fiducia bene gerendę rei. Ab eodem robore animi, neque controuerso auspicio reuocari à prælio potuit: & in ipso discrimine, quo templa diis immortalibus voueri mos erat, vouerat Ioui Victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi prius quàm temetum biberet, sese facturum. id votum diis cordi fuit, & auspicia in bonum verterunt. Eadem fortuna ab altero consule ad Cominium gesta res. Prima luce ad mœnia omnibus copiis admotis, corona cinxit vrbem: subsidiáque firma, ne qua eruptio fieret, portis opposuit. Iam signum dantem eum nuntius à collega trepidus de vinginti cohortium aduentu, & ab impetu moratus est: & partem copiarum reuocare instructam, intentámque ad oppugnandum coegit. D. Brutum Scæuam legatum cum legione prima, & viginti cohortibus alaribus, equitatúque ire aduersus subsidium hostium iussit: quocunque in loco fuisset obuius, obsisteret ac moraretur: manúmque, si forte ita res posceret, conferret: modo ne ad Cominium eæ copiæ admoueri possent. ipse scalas ferri ad muros ab omni parte vrbis iussit: ac testudine ad portas successit. simul & refringebantur portæ, & vis vndique in muros fiebat. Samnites, sicut antequam in muris viderent armatos, satis animi habuerunt ad prohibendos vrbis aditu hostes: ita postquam iam non ex interuallo, nec missilibus, sed cominus gerebatur res: qui ægrè successerant ex plano in muros, loco quem magis timuerant victo, facile in hostem imparem ex æquo pugnabant: relictis turribus murisque in forum omnes compulsi, paulisper inde tentauerunt extremam pugnæ fortunam. deinde abiectis armis, ad quindecim millia hominum & quadringenti in fidem consulis venerunt. cæsa ad quatuor millia ac trecenti octoginta. Sic ad Cominium, sic ad Aquiloniam gesta res. Inde medio inter duas vrbes spatio, vbi tertia exspectata erat pugna, hostes non inuenti, septem millia passuum cum abessent à Cominio, reuocati ab suis, neutri prælio occurrerunt. primis ferme tenebris cum in conspectu iam castra, iam Aquiloniam habuissent: clamor eos vtrinque par accidens sustinuit. deinde è regione castrorum, quæ incensa ab Romanis erát, flamma latè fusa certioris cladis indicio progredi longius prohibuit. Eo ipso loco prope temere sub armis strati passim inquietum omne tempus noctis, exspectando timendoque lucem, egere. prima luce incerti quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur conspecti ab equitibus: qui egressos nocte ab oppido Samnites persecuti viderant multitudinem non vallo, non stationibus firmatam. Conspecta & ex muris Aquiloniæ ea multitudo erat. iámque etiam legionariæ cohortes sequebantur: cæterum nec pedes fugientes persequi potuit: & ab equite nouissimi agminis ducenti ferme & octoginta interfecti. arma multa pauidi, ac signa militaria duodeuiginti reliquere. alio agmine incolumi, vix ex tanta trepidatione, Bouianum peruentum est. Lætitiam vtriusque exercitus

Romani

Romani auxit, & ab altera parte feliciter gestæ res. vtrumque ex alterius sententia consul cum oppidum diripiendum militi dedit. exhaustis deinde tectis ignem iniicit: eodemque die Aquilonia & Cominium deflagrauere, & consules cum gratulatione mutua legionum suaque castra coniunxere. In conspectu duorum exercituum & Caruilius suos pro cuiusque merito laudauit, donauitque, & Papyrius, apud quem multiplex in acie, circa castra, circa vrbem fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papyrium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulúmque hastatorum, armillis aureisque coronis donauit. Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modo terruerat hostes: iuuenem Papyrium, propter nauatam cum equitatu & in prælio operam, & nocte qua fugam infestam Samnitibus ab Aquilonia clam egressis fecit: centuriones, militesque, quia primi portam murumque Aquiloniæ ceperant: equites omnes ob insignem multis locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat. Consilium inde habitum, cum iam tempus esset deducendi ab Samnio exercitus, aut vtriusque aut certè alterius, optimum visum, quo magis fractæ res Samnitium essent, eo pertinacius & infestius agere cætera & persequi: vt perdomitum Samnium insequentibus consulibus tradi posset. quando iam nullus esset hostium exercitus, qui signis collatis dimicaturus videretur: vnum superesse belli genus, vrbium oppugnationes: quarum per excidia militem locupletare præda, & hostem pro aris ac focis dimicantem conficere possent. Itaque literis missis ad Senatum populúmque Romanum de rebus ab se gestis, diuersi, Papyrius ad Sepinum, Caruilius ad Volanam oppugnandam, legiones ducunt. Literæ consulum ingenti lætitia & in curia & in concione auditæ: & quatridui supplicatione publicum gaudium priuatis studiis celebratum est, nec populo Romano magno solum, sed peropportuna etiam ea victoria fuit: quia per idem forte tempus rebellasse Hetruscos allatū est. Subibat cogitatio animum, quonā modo tolerabilis futura Hetruria fuisset, si quid in Sānio aduersi venisset: quę coniuratione Samnitium erecta, quoniam ambo consules, omnisque Romana vis auersa in Samnium esset, occupationem populi Romani pro occasione rebellandi habuisset. Legationes sociorum a Marco Atilio prætore in Senatum introductæ, querebantur vri & vastari agros à finitimis Hetruscis, quod desciscere à populo Romano nollent: obtestabanturque patres conscriptos, vt se à vi atque iniuria communium hostium tutarentur. Responsum legatis, curæ senatui futurum, ne socios fidei suæ pœniteret. Hetruscorum propediem eandem fortunam, quam Samnitium fore. Segnius tamen quod ad Hetruriam attinebat, acta res esset, ni Faliscos quoque, qui per multos annos in amicitia fuerant, allatum foret, arma Hetruscis iunxisse. Huius propinquitas populi acuit curam patribus, vt fœciales mittendos ad res repetendas censerent. Quibus non redditis, ex auctoritate patrum, iussu populi, bellum Faliscis indictum est: iussique consules sortiri, vter ex Samnio in Hetruriam cum exercitu transiret. Iam Caruilius Volanam, & Palumbinum, & Herculaneum ex Samnitibus ceperat: Volanam intra paucos dies, Palumbinum eodem quo ad muros accessit. ad Herculaneum bis etiam signis collatis ancipiti prælio, & cum maiore sua quàm hostium iactura dimicauit. castris deinde positis, mœnibus hostem inclusit: oppugnatum oppidum, captumque. In his tribus vrbibus capta aut cæsa ad decem millia hominum: ita, vt paruo admodum numero plures caperentur. Sortientibus prouincias consulibus, Hetruria Caruilio euenit secundum vota militum, qui vim vigoris iam in Samnio non patiebantur. Papyrio ad Sepinum maior vis hostium restitit sæpe in acie, sæpe in agmine, sæpe circa ipsam vrbem, aduersus eruptiones hostium pugnatum: neque obsidio, neque bellum ex æquo erat: non enim muris magis se Samnites, quam armis ac viris mœnia tutabantur. tandem pugnando ad obsidionem iustam coegit hostes: obsidendoque vi atque operibus vrbem expugnauit. itaque ab ira plus cædis editum capta vrbe: septem millia quadringenti cæsi, capta minus tria millia hominum: præda, quę plurima fuit, congestis Samnitium rebus in vrbes paucas, militi concessa est. Niues iam omnia oppleuerant, nec durari extra tecta poterat, itaque consul de Samnio exercitum deduxit. Venienti Romam, triumphus omnium consensu est delatus; triumphauit in magistratu, insigni, vt illorum temporum habitus erat, triumpho. pedites equitesque insignes donis transiere, ac transuecti: multæ ciuicæ coronæ vallaresque ac murales conspectæ, inspectata spolia Samnitium, & decore ac pulchritudine paternis spoliis, quæ nota frequenti publico ornatu locorum erant comparabantur. nobiles aliquot captiui, clari suis patrumque factis, ducti. æris grauis transuecta vicies centum millia, & quinquaginta triginta tria millia. id æs redactum ex captiuis dicebatur. argenti quod captum ex vrbibus erat, P.M. CCCXXX. omne æs argentumque in ærarium conditum. militibus nihil datum ex prӕda est. auctaque ea inuidia est ad plebem, quod tributum etiam id stipendium militum collatum est: cùm si spreta gloria fuisset captiuæ pecuniæ in ærarium illatæ, & militi tum dari ex præda, & stipendium militare præstari potuisset. Ædem Quirini, quam in ipsa dimicatione votam apud neminem veterem auctorem inuenio (neque hercule tam exiguo tempore perficere potuisset) ab dictatore patre votam filius consul dedicauit, exornauitque hostium spoliis: quorum tanta multitudo fuit, vt non templum tantum, forúmque his ornaretur, sed sociis etiam colonisque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum diuiderentur. A triumpho exercitum in agrum Vestinum, quia regio ea infesta ab Samnitibus erat, hybernatum duxit. Inter hæc Caruilius consul in Hetruria Troilium primum oppugnare adortus, quadringētos septuaginta ditissimos pecunia grandi pactos, vt abire inde liceret, dimisit: cæteram multitudinem oppidumque ipsum vi cepit. inde quinque castella locis sita munitis expugnauit. Cæsa ibi hostium duo millia quadringenti, minus duo millia capti. & Faliscis pacem petentibus, annuas inducias dedit: pactus centum millia grauis æris, & stipendium eius anni militibus. His rebus actis ad triumphum decessit, vt minus clarum de Samnitibus, quàm collegæ triumphus fuerat: ita cumulo Hetrusci belli æquatum. æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia: de reliquo ære ædem fortis Fortunę de manubiis faciendam locauit, prope ædem eidem deæ ab rege Seruio Tullo dedicatam; & militibus ex præda centenos binos asses, & alterum tantum centurionibus atque equitibus, malignitate collegæ gratius accipientibus munus, diuisit. Fauor consulis tutatus ad populum est L. Posthumium legatum eius, qui dicta die à M. Cāntio Tribuno plebis fugerat in legationem (vt fama ferebat) populi iudicium. iactarique magis quàm peragi accusatio eius poterat. Exacto iam anno, noui tribuni plebis magistratum inierant: iisque ipsis,

quia vitio creati erant, quinque post dies alij suffecti. Lustrum conditum eo anno est à P. Cornelio Aruina, C. Martio Rutilio, censoribus: censa capitum millia ducenta sexaginta duo, trecenta viginti duo. Censores vicesimi sexti à primis censoribus: lustrum vndeuicesimum fuit. Eodem anno coronati primum ob res bello bene gestas, ludos Romanos spectauerunt: palmæque tum primum translato è Græcia more victoribus datæ. Eodem anno ab ædilibus curulibus, qui eos ludos fecerunt, damnatis aliquot pecuariis, via à Martis silice ad Bouillas perstrata est. Comitia consularia L. Papyrius habuit: A creauit Consules Q. Fabium, Maximi filium Gurgitem, & D. Iunium Brutum Scæuam. ipse Papirius prætor factus. Multis rebus lætus annus, vix ad solatium vnius mali, pestilentiæ vrentis simul vrbem atque agros, suffecit. portentóque iam similis clades erat. Et libri aditi, quinam finis, aut quod remedium eius mali ab diis daretur. inuentum in libris: Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum, neque eo anno, quia bello occupati consules B erant, quicquam de ea re actum, præterquam quod vnum diem Æsculapio supplicatio habita est.

DECAD. I. FINIS.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS TERTIAE

LIBER PRIMVS.

IN parte Operis mei licet mihi præfari, quod in principio summæ totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maximè memorabile omnium quæ vnquam gesta sint, me scripturum, quod Annibale duce Carthaginienses cum populo Romano gessere. nam neque validiores opibus vllæ inter se ciuitates gentésque, contulerunt arma: neque his ipsis tantum vnquam virium aut roboris B fuit: & haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conserebant bello. & adeo varia belli fortuna, ancépsque Mars fuit, vt propius periculo fuerint, qui vicere, odiis etiam prope maioribus certarint, quàm viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi vltro inferrent arma: Pœnis, quòd superbè auaréque crederent imperitatum victis esse. Fama etiam est, Annibalem annorum ferme nouem pueriliter blandientem patri Amilcari, vt duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo C bello exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iureiurando adactum, se cum primum posset, hostem fore populo Romano. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniáque amissæ. nam & Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam, & Sardiniam inter modum Africæ fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito interceptam. His anxius curis ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem, per quinque annos: ita deinde nouem D annis in Hispania augendo Punico imperio gessit, vt appareret maius eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum: & si diutius vixisset, Amilcare duce Pœnos arma Italiæ illaturos fuisse, quæ Annibalis ductu intulerunt. Mors Amilcaris per opportu-A na, & pueritia Annibalis, distulerunt bellum. Medius Asdrubal inter patrem & filium octo ferme annos imperium obtinuit, flore ætatis (vti ferunt) primo Amilcari conciliatus: gener inde ob altam indolem profectus animi adscitus: & quia gener erat, factionis Barchinæ opibus, quæ apud milites plebémq; plus quàm modicæ erant, haud sane volútate principum, in imperio positus. Is plura consilio quàm vi gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam principum nouis gētibus, quàm bello aut B armis rem Carthaginiensem auxit. Cęterum nihilo ei pax tutior fuit, barbarus eum quidam palam ob iram interfecti ab eo domini obtruncauit: comprehensúsque à circunstantibus haud alio quàm si euasisset vultu, tormentis, quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, vt superante lætitia dolores, ridentis etiā speciem præbuerit. Cū hoc Asdrubale, quia miræ artis in solicitandis gentib. imperióque iungendis suo fuerat, fœdus renouauerat populus Romanus, C vt finis vtriusque imperij esset amnis Iberus. Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas seruaretur. In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogatiuam militarem, qua extemplo iuuenis Annibal intra prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, fauor etiam plebis sequeretur. Hunc vix dum puberem Asdrubal literis ad se accersierat: actáque res in senatu etiam fuerat: Barchinis nitentibus vt assuesceret militiæ Annibal, atque in pater-D nas succederet opes. Hanno alterius factionis princeps: Et æquum postulare videtur, inquit, Asdrubal, & ego tamen non censeo, quod petit, tribuendum. Cum admiratione tam ancipitis sententiæ in se omnes conuertisset, florem ætatis, inquit, Asdrubal, quem ipse patri Annibalis fruendum præbuit, iusto

iure

iure cum à filio repeti censet. nos tamen minimè decet iuuentutem nostram pro militari rudimento assuefacere libidini imperatorũ. An hoc timemus, ne Amilcaris filius nimis sero imperia immodica, & regni paterni speciem videat? & cuius regis genero hæreditarij sint relicti exercitus nostri, eius filio parum mane seruiamus? Ego istum iuuenem domi tenendum sub legibus, sub magistratibus docendum, viuere æquo iure cum cæteris censeo, ne quandoque paruus hic ignis incendium ingens exsuscitet. Pauci, ac ferme optimus quisque Hannoni assentiebantur: sed (vt plerunque fit) maior pars meliorẽ vicit. Missus Annibal in Hispaniam, primo statim aduentu omnem exercitum in se conuertit. Amilcarem viuentem redditum sibi veteres milites credere, eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri. deinde breui effecit, vt patri in se minimum momentum ad fauorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. itaque haud facile discerneres, vtrum imperatori an exercitui carior esset: neque Asdrubal alium quenquam præficere malle, vbi quid fortiter ac strenuè agendum esset, neque milites alio duce plus confidere, aut audere. plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat. nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus. vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora. id quod gerendis rebus superesset, quieti datum. ea neque molli strato, neque silentio accersita. multi sæpe militari sagulo opertum, humi iacentem inter custodias stationésque militum conspexerunt. vestitus nihil inter æquales excellens, arma atque qui conspiciebãtur. equitum peditúmque idem longè primus erat: princeps prælium inibat: vltimus confecto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes, ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum ac vitiorum triennio sub Asdrubale imperatore meruit: nulla re quæ agenda audiendaque magno futuro duci esset, prætermissa. Cæterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei prouincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque vt patrem Amilcarem, deinde Asdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret: Saguntinis inferre bellum statuit, quibus oppugnandis haud dubie Romana arma mouebantur. in Olcadum fines prius (vltra Iberum ea gens in parte magis quàm in ditione Carthaginiensium erat) induxit exercitum, vt non petisse Saguntinos, sed rerum serie finitimis domitis gentibus, iungẽdoque tractus ad id bellum videri posset. Carteiam vrbem opulentam caput gentis eius expugnat, diripitque, quo metu perculsæ minores ciuitates, stipendio imposito imperium accepere, victor exercitus opulentusque præda Carthaginem Nouã in hyberna est deductus. Ibi large partiendo prædam, stipendia præterita cum fide exsoluendo, cunctis ciuium suorum sociorúmque animis in se firmatis. Vere primo in Vaccæos promotum bellum. Hermandica & Arbacala Carteiorum vrbes vi captæ. Arbacala & virtute & multitudine oppidanorum diu defensa. Ab Hermandica profugi, exulibus Olcadum priore æstate domitæ gentis, cùm se iunxissent, concitant Carpetanos: adortique Annibalem regressum ex Vaccæis, haud procul Tago flumine agmen graue præda turbauere. Annibal prælio abstinuit, castrisque super ripam positis, cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, agmen vado traiecit: valloque ita producto, vt locum ad transgrediendum hostes haberent, inuadere eos transeuntes statuit. equitibus præcepit, vt cùm ingressos aquam viderent, adorirentur peditum agmen: in ripa elephãtos ad quadraginta disposuit. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum Vaccæorumque centum millia fuere, inuicta acies, si æquo dimicaretur campo. Itaque & ingenio feroces, & multitudine freti, & quod metu cessisse credebant hostem: id morari victoriam rati, quod interesset amnis, clamore sublato, passim sine vllius imperio, qua cuiq; proximum est, in amnem ruunt. Et ex parte altera ripæ vis ingens equitum in flumen immissa, medioque alueo haud quaquam pari certamine concursum: quippe vbi pedes instabilis, ac vix vado fidens, vel inermi equite equo temerè acto peruerti posset: eques corpore armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, cominus eminusque rem gereret. Pars magna flumine absumta, quidam verticoso amni delati in hostes, ab elephantis obtriti sunt. postremi, quibus ingressus in suam ripam tutior fuit, ex varia trepidatione cùm in vnum colligerentur, priùs quàm tanto ex pauore reciperent animos; Annibal agmine quadrato amnem ingressus, fugam ex ripa fecit: vastatisque agris, intra paucos dies Carpetanos quoque in deditionem accepit. Et iam omnia trans Iberum, præter Sagũtinos, Carthaginiensiũ erant. cum Sagũtinis bellum nondum erat. cæterum iam belli caussa certamina cum finitimis serebantur maximè Turdetanis. quos cum adisset idem, qui litis erat sator: nec certamen iuris, sed vim quæri appareret: legati à Saguntinis Romam missi auxilium ad bellum iam haud dubiè imminens orantes. Consules tunc Romæ erant, P. Cornelius Scipio, & T. Sempronius Longus, qui cum legatis in senatum introductis, de republ. retulissent, placuissétque mitti legatos in Hispaniam ad res sociorum inspiciendas, quibus si videretur digna caussa, & Annibali denuntiarent, vt ab Saguntinis sociis populi Romani abstineret, & Carthaginem in Africam traiicerent, ac sociorum populi Romani querimonias deferrent: hac legatione decreta, nec dum missa, omnium spe celerius Saguntum oppugnari allatum est. tunc delata ex integro res ad senatum. Alij prouincias consulibus Hispaniam atque Africam decernentes, terra marique rem gerendam censebant. alij totum in Hispaniam Annibalémque intendebant bellum. erant qui non temere mouendam rem tantam, exspectandósque ex Hispania legatos censerent. Hæc sententia, quæ tutissima videbatur, vicit. legatique eò maturius missi P. Valerius Flaccus & Q. Bæbius Pamphilus, Saguntum ad Annibalem: atque inde Carthaginem, si non absisteretur bello, ad ducem ipsum in pœnam fœderis rupti deposcendum. Dum ea Romani parant consultántque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur. Ciuitas ea longe opulentissima vltra Iberum fuit, sita passus mille ferme à mari. oriundi à Zacyntho insula dicuntur: mistique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. cæterum in tantas breui creuerant opes, seu maritimis seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinæ, qua fidem socialem vsque ad perniciẽ suam coluerunt. Annibal infesto exercitu ingressus fines, peruastatis passim agris, vrbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioremque quàm cætera circa vallem vergens: aduersus eum vineas agere instituit, per quas aries mœnibus

admoueri posset. Sed vt locus procul muro satis æ-
quus agendis vineis fuit: ita haud quaquam prospe-
rè postquam ad effectum operis ventum est, cœptis
succedebat. & turris ingens imminebat, & murus, vt
in suspecto loco, supra cæteræ modum altitudinis
emunitus erat: & iuuentus delecta, vbi plurimum
periculi ac laboris ostendebatur, ibi vi maiore obsi-
stebant, ac primo missilibus summouere hostem:
nec quicq iam satis tutum munientibus pati. deinde
iam non pro mœnibus modo atque turri tela mica-
re, sed ad erumpendum etiam in stationes operáque
hostium animus erat. quibus tumultuariis certami-
nibus haud fermè plures Saguntini cadebant quàm
Pœni. Vt verò Annibal ipse, dum murum incautius
subit, aduersum femur tragula grauiter ictu cecidit:
tanta circà fuga atque trepidatio fuit, vt nõ multum
abesset, quin opera ac vineæ desererentur. Obsidio
deinde per paucos dies magis quã oppugnatio fuit,
dum vulnus ducis curaretur. per quod tempus vt
quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac
munitionum nihil cessatum. itaque acrius de in-
tegro obortum est bellum, pluribusque partibus,
vix accipientibus quibusdam opera locis, vineæ
cœptæ agi, admouériq; aries. Abundabat multi-
tudine hominum Pœnus. ad centum enim quin-
quaginta millia habuisse in armis creditur. Oppida-
ni ad omnia tuenda atque obeunda multimoda arte
distineri cœpti sunt: & non sufficiebant, iam enim
feriebantur arietibus muri: quassatæ quoque multæ
partes erant. vna continentibus ruinis nudauerat vr-
bem. tres deinceps turres, quantumque inter eas
muri erat, cum fragore ingẽti prociderant: captum-
que oppidum ea ruina crediderant Pœni, qua velut
si pariter vtrosque murus texisset, ita vtrinque in pu-
gnam procursum est. Nihil tumultuariæ pugnæ si-
mile erat, quales in oppugnationib. vrbium per oc-
casionem partis alterius conseri solent: sed iustæ
acies, velut patenti campo, inter ruinas muri tecta-
que vrbis modico distantia interuallo constiterant.
Hinc spes, hinc desperatio animos irritat. Pœno cœ-
pisse iam se vrbem, si paululum adnitatur, credente:
Saguntinis pro nudata mœnibus patria corpora op-
ponentibus: nec vllo pedem referente, ne relicto à
se loco hostem immitteret. Itaque quo acrius & cõ-
fertim magis vtrinque pugnabatur, eo plures vulne-
rabantur, nullo inter arma corporaque vano interci-
dente telo. Falarica erat Saguntinis, missile telum
hastili oblongo. & cætera tereti, præterquàm ad ex-
tremum, vnde ferrum exstabat. id, sicut in pilo, qua-
dratum stuppa circumligabant, linebántque pice.
ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum
armis transfigere corpus posset. sed id maximè, etiã
si hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pauo-
rem faciebat: quod cùm medium accensum mitte-
retur, conceptumque ipso motu multo maiorẽ ignẽ
ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad
insequentes ictus præbebat. Cùm ergo diu anceps
fuisset certamen, & Saguntinis, quia præter spem
resisterent, creuissent animi: Pœnus, quia non vicis-
set, pro victo esset: clamorem repente oppidani tol-
lunt, hostémque in ruinas muri expellunt: inde im-
peditum trepidantémque exturbant: postremo fu-
sum fugatumque in castra redigunt. Interim ab Ro-
ma legatos venisse nuntiatum est. quibus obuiam
ad mare missi ab Annibale qui dicerét, nec tuto eos
aditures inter tot tam effrænatarum gentium ar-
ma: nec Annibali in tanto discrimine rerum operæ
esse legationes audire. Apparebat nõ admissos pro-
tinus Carthaginem ituros. literas igitur nuntiósque
ad principes factionis Barchinæ præmittit, vt præpa-
A rarét suorum animos, ne quid pars altera gratificari
pro Romanis posset. Itaque præterquam quod ad-
missi auditique non sunt, ea quoque vana atque ir-
rita legatio fuit. Hanno vnus aduerso senatu caus-
sam fœderis rupti magno silentio propter auctorita-
tem suam, cum assensu audientium egit. Per deos
fœderum arbitros ac testes monuisse, prædixisse se,
ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent. nõ
manes, non stirpem eius conquiescere viri: nec vn-
quam, donec sanguinis nominisque Barchini quis-
B quam supersit, quietura Romana fœdera. Iuuenem
flagrantem cupidine regni, viamque vnã ad id cer-
nentem, si ex bellis bella serendo, succinctus armis
legionibusque viuat, velut materiam igni præben-
tes, ad exercitus misistis. aluistis ergo hoc incendiũ,
quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsedent e-
xercitus, vnde arcentur fœdere: mox Carthaginem
circumsedebunt Romanæ legiones ducibus iisdem
diis, per quos priore bello rupta fœdera sunt vlti.
Vtrum hostem, an vos, an fortunam vtriusque po-
C puli ignoratis? Legatos ab sociis, & pro sociis venié-
tes bonus imperator vester in castra non admisit, ius
gentium sustulit. hi tamen vnde ne hostium quidem
legati arcentur, pulsi ad vos veniunt, res ex fœdere
repetunt: publica fraus absit: auctorem culpæ, & rei
criminis deposcunt, quo lenius agunt, segnius inci-
piunt: eo cùm cœperint, vereor ne perseuerantius
sæuiant. Ægates insulas Erycémque ante oculos
proponite, quæ terra marique per quatuor & viginti
annos passi sitis. Nec puer hic dux erat, sed pater i-
D pse Amilcar. Mars alter, vt isti volunt. sed Tarento
tum in Italiam non abstinueramus ex fœdere: sicut
nunc Sagunto nõ abstinemus. vicerunt ergo dij ho-
minésque: & id de quo verbis ambigebatur, vter
populus fœdus rupisset: euentus belli, velut æquus
iudex, vnde ius stabat, ei victoriam dedit. Carthagi-
ni nunc Annibal vineas turrésq. admouit: Cartha-
ginis mœnia quatit ariete. Sagunti ruinæ (falsus vti-
nam vates sim) nostris capitibus incidét: suscéptum-
que cum Saguntinis bellum, habendum cum Ro-
E manis est. Dedemus ergo Annibalem? dicet aliquis.
Scio meam leuem esse in eo auctoritatem, propter
paternas inimicitias. sed & Amilcarem eo periisse
lætatus sum. quod si ille viueret, bellum iam cum
Romanis haberemus: & hunc iuuenem tanquam fu-
riam facémque huius belli odi ac detestor. nec de-
dendum solum ad piaculum rupti fœderis: sed si ne-
mo deposcat, deuehendum in vltimas maris terra-
rumque oras: ablegandumque eo, vnde nec ad nos
nomen famaque eius accedere, nec sollicitare quietæ
F ciuitatis statum possit. Ego autem ita censeo, lega-
tos extemplo Romam mittendos, qui senatui satis-
faciant: alios qui Annibali nuntient, vt exercitum
ab Sagunto abducat: ipsúmque Annibalem ex fœ-
dere Romanis dedant. tertiam legationem ad res
Saguntinis reddendas decerno. Cum Hanno pero-
rasset, nemini omnium certare oratione cum eo
necesse fuit. adeo prope omnis senatus Annibalis e-
rat, infestiusque locutum arguebant Hannonem,
quàm Flaccum Valerium legatum Romanum. Re-
G sponsum inde legatis Romanis est, bellum ortum
ab Saguntinis, non ab Annibale esse. populum Ro-
manum iniuste facere, si Saguntinos vetustissimæ
Carthaginiensium societati præponat. Dum Roma-
ni tempus terunt legationibus mittendis, Annibal
quia fessum militem prœliis operibusque habebat,
paucorum iis dierum quietem dedit, stationibus ad
custodiam vinearum aliorumque operum dispositis,
interim animos eorum, nunc ira in hostes stimu-
lando, nunc spe præmiorum accendit. vt verò pro

concione

concione prædam captæ vrbis edixit militum fore, adeò accensi omnes sunt, vt si extemplò signum datum esset, nulla vi resisti videretur posse. Saguntini vt à prælijs quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies: ita non nocte, non die vnquam cessauerant ab opere, vt nouum murum ab ea parte qua patefactum oppidum ruinis erat, reficeret. Inde oppugnatio eos aliquanto atrocior, quàm ante adorta est: nec qua primùm aut potissimùm parte, ferrent opem, cum omnia variis clamoribus streperent, satis scire poterant. Ipse Annibal, quà turris mobilis omnia munimenta vrbis superans altitudine agebatur hortator aderat, quæ cùm admota catapultis balistisque per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudasset, tum Annibal occasionem ratus, quingentos fermè Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quòd cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. itaque antè quàm cæderetur, ruebat: perque patentia ruinis agmina armatorum in vrbem vadebant. locum quoque editum capiunt: collatisque eò catapultis balistisque, vt castellum in ipsa vrbe velut arcem imminentem haberent, muro circundant. & Saguntini murum interiorem ab nondum capta vrbis parte ducunt. Vtrinque summa vi & muniunt, & pugnant. sed interiora tuendo, minorem in dies vrbem Saguntini faciunt. simul crescit inopia omnium longa obsidione, & minuitur expectatio externæ opis, cum tam procul Romani, vnica spes, circà omnia hostium essent. paulisper tamen affectos animos recreauit repentina profectio Annibalis in Oretanos Carpetanósque. qui duo populi delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, metum defectionis cum præbuissent, oppressi celeritate Annibalis, omiserunt mota arma. Nec Sagunti oppugnatio segnior erat, Maharbale Himilconis filio, quem præfecerat Annibal, ita impigrè rem agente, vt ducem abesse nec ciues, nec hostes sentirent. Is & prælia aliquot secunda fecit, & tribus arietibus aliquantum muri discussit: stratáque omnia recentibus ruinis aduenienti Annibali ostendit. itaque ad ipsam arcem extemplò ductus exercitus, atroxque prælium cum multorum vtrinque cæde initum, & pars arcis capta est. Tentata deinde per duos exigua pacis spes, Alconem Saguntinum, & Alorcum Hispanum. Alcon in conscijs Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, cum ad Annibalem noctu transisset, postquam nihil lachrymæ mouebant, conditionésque tristes vt ab irato victore ferebantur, transfuga ex oratore factus, apud hostem mansit, moriturum affirmans qui sub conditionibus his de pace ageret. Postulabatur autem, redderent res Turdetanis: traditóque omni auro atque argento egressi vrbe cum singulis vestimẽtis, ibi habitarent, vbi Pœnus iussisset. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus vinci animos, vbi alia vincantur, affirmans, se pacis eius interpretem fore pollicetur. Erat autem tum miles Annibalis: cæterùm publicè Saguntinis amicus atque hospes. Tradito palàm telo custodibus hostium, transgressus munimenta, ad prætorem Saguntinum (& ipse ita iubebat) est deductus. Quò cum extemplò concursus omnis generis hominum esset factus: summota cætera multitudine, senatus Alorco datus est, cuius talis oratio fuit: Si ciuis vester Alcon, sicuti ad pacem petendam ad Annibalem venit, ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retulisset, superuacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Annibalis, nec trãsfuga ad vos venissem. cum verò ille aut vestra, aut sua culpa manserit apud hostem: si metum simulauit, sua: vestra, si periculum est apud vos vera referentibus: ego, ne ignoretis esse aliquas & salutis & pacis vobis conditiones pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestra autem causa me, nec vllius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides sit, quòd neque dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia ab Romanis sperastis, pacis vnquam apud vos mentionem feci. postquàm nec ab Romanis vobis vlla spes est, nec vestra iam aut arma vos, aut mœnia satis defendunt, pacem affero ad vos magis necessariam quàm æquam. cuius ita aliqua spes est, si eam quemadmodum, vt victor fert Annibal, sic vos vt victi audiatis: si nõ id quod amittitur, in damno cum omnia victoris sint: sed quicquid relinquitur, pro munere habituri estis. Vrbem vobis, quam ex magna iam parte dirutam, captam ferè totã habet, adimit: agros relinquit, locum assignaturus, in quo nouum oppidum ædificetis: aurum argentúmque omne, publicum priuatúmque ad se iubet deferri: coniugum vestráque corpora, ac liberorum vestrorum seruat inuiolata, si inermes cum binis vestimentis velitis à Sagunto exire. Hęc victor hostis imperat. hæc, quanquam sint grauia atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, cum omnium potestas ei à vobis facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed hæc patienda censeo potiùs, quàm trucidari corpora vestra, rapi trahíque ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure sinatis. Ad hæc audienda cum circumfusa paulatim multitudine, permistum senatui esset populi concilium: repentè primores secessione facta, priusquam responsum daretur, argentum aurúmque omne ex publico priuatóque in forum collatum, in ignẽ ad id raptim factum cõijcientes, eodẽ pleriq. semetipsos præcipitauerunt. Cum ex eo pauor ac trepidatio totã vrbẽ peruasisset, alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat: perq. ruinã eius cohors Pœnorũ impetu facto, cum signũ imperatori dedisset, nuda à stationibus custodijsq. solitis hostium esse vrbẽ, non cunctãdum in tali occasione ratus Annibal, totis viribus aggressus vrbẽ, momento cepit: signo dato, vt omnes puberes interficerentur. quod imperium crudele, cæterùm propè necessarium cognitum in ipso euentu est. cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum coniugibus ac liberis domos super seipsos concremauerunt? aut armati nullum antè finem pugnæ quàm morientes fecerunt? Captum oppidum est cum ingenti præda. quanquam pleraque ab dominis de industria corrupta erant, & in cædibus vix vllum discrimen ætatis ira fecerat, & captiui, militum præda fuerant: tamen ex precio rerum venditarum aliquantum pecuniæ redactum esse constat, & multam preciosam supellectilem vestémque missam Carthaginem. Octauo mense quàm cœptum oppugnari, captum Saguntum quidam scripsere: inde Carthaginem Nouam in hyberna Annibalem concessisse: quinto deinde mense quàm à Carthagine profectus sit, in Italiam peruenisse. Quæ si ita sunt, fieri nõ potuit vt P. Cornelius, T. Sempronius Coss. fuerint. ad quos & in principio oppugnationis legati Saguntini missi sint: & qui in suo magistratu cum Annibale, alter ad Ticinum amnem, ambo aliquanto pòst ad Trebiam pugnauerint. aut omnia breuiora aliquanto fuere: aut Saguntum principio anni, quo P. Cornelius, T. Sempronius Coss. fuerunt non cœptum oppugnari est, sed captum, nam excessisse pugna ad Trebiam in annum Cn. Seruilij & C.

tinos,crudelius quàm Pœnus hostis perdidit,vos socij prodideritis? Ibi quæratis socios censeo, vbi Saguntina clades ignota est.Hispanis populis sicut lugubre,ita insigne documentum Sagunti ruinæ erũt, ne quis fidei Romanæ,aut societati cõfidat.Inde extéplò abire finibus Volcianorũ iussi,ab nullo deinde concilio Hispaniæ benigniora verba tulere. atq; nequicquã peragrata Hispania in Galliã transeunt. in his noua terribilisq; species visa est, quòd armati (ita mos gẽtis erat)in cõcilium venerunt.Cũ verbis extollentes virtutẽ gloriámq; P.R. ac magnitudinẽ imperij,petissent ne Pœno bellũ Italiæ inferenti,per agros vrbésq; suas transitũ darent:tantus cũ fremitu risus dicitur ortus,vt vix à magistratibus maioribúsque natu iuuẽtus sedaretur. adeò stolida impudénsque postulatio visa est,césere, ne in Italiã transmittant Galli bellũ,ipsos,id auertere in se, agrosq; suos pro alienis populãdos obiicere.Sedato tandẽ fremitu,responsum legatis est,neque Romanorũ in se meritũ esse,neque Carthaginiensiũ iniuriã.ob quæ aut pro Romanis,aut aduersus Pœnos sumãt arma.Cõtrà ea audire sese,gentis suæ homines agris finibúsq; Italiæ pelli à P.R.stipendiúmq; pẽdere,& cætera indigna pati.Eadẽ fermè in cæteris Galliæ cõciliis dicta, auditáq; nec hospitale quicquã, pacatúve satis prius audiũt,quàm Massiliã venerunt. ibi omnia ab sociis inquisita cũ cura ac fide,cognita: præoccupatos iam ab Annibale Gallorum animos esse. sed ne illi quidem ipsi satis mitẽ gentẽ fore (adeò ferocia atque indomita ingenia esse)ni subinde auro,cuius auidissima gens est. principũ animi cõcilientur. Ita peragratis Hispaniæ & Galliæ populis,legati Romã redeunt,haud ita multo pòst quàm Coss. in prouincias profecti erant,ciuitatem omnẽ in expectationem belli erectam inuenerunt:satis constante fama iã Iberũ Pœnos trãsisse. Annibal Sagũto capto,Carthaginẽ Nouã in hyberna cõcesserat.ibíque auditis quæ Romæ,quæq; Carthagine acta decretáque forent,séque nõ ducẽ solũ,sed etiã causam esse belli partitis diuenditisq; reliquiis prædæ,nihil vltrà differendum ratus, Hispani generis milites conuocat: Credo ego vos, inqt, socij , & ipsos cernere pacatis omnib. Hispaniæ populis,aut finiẽdã vobis militiã, exercitúsq; dimittẽdos esse , aut in alias terras trãsferendũ bellum,ita enim hæ gentes nõ pacis solum, sed etiã victoriæ bonis florebunt,si ex aliis gentibus prædã gloriã quæremus.itaque cũ lõginqua ab domo instet militia,incertũq; sit quãdo domos vestras, & quæ cuiq; ibi chara sint,visuri sitis : si quis vestrũ suos inuisere vult,cõmeatum do. primo vere edico adsitis:vt diis bene iuuãtibus,bellũ ingentis gloriæ prædæq; futurũ incipiamus. Omnibus ferè visendi domos oblata vltrò potestas,grata erat , & iã desiderãtibus suos & lõgius in futurũ prouidentibus desideriũ. Per totũ tempus hyemis quies inter labores aut iã exhaustos,aut mox exhauriendos, renouauit corpora animósq; ad omnia deintegro patiẽda,vere primo ad edictũ cõuenere. Annibal cũ recensuisset omniũ auxilia gentiũ,Gadeis profectus Herculi vota exoluit:nouisq; se obligat votis,si cætera prospera euenissent.Inde partiens curas simul inferẽdi atque arcẽdi belli, ne dum ipse terrestri per Hispaniã Galliásq; itinere Italiã peteret.nuda apertáque Romanis Africa ab Sicilia esset , valido præsidio eã firmare statuit.pro eo supplementũ ipse ex Africa maximè iaculatorũ leuium armis petiit: vt Afri in Hispania, Hispani in Africa , melior procul ab domo futurus vterque miles velut mutuis pignoribus obligati stipendia facerẽt.Tredecim millia octingẽtos

A quinquaginta pedites cetratos misit in Africam,& funditores baleares octingentos septuaginta: equites mistos ex multis gẽtib' mille ducẽtos.has copias partim , Carthagini præsidio esse, partim distribui p Africã iubet. simul cõquisitorib. in ciuitates missis, quatuor millia cõscripta delectæ iuuentutis, præsidiũ eosdẽ & obsides duci Carthaginẽ iubet. Neque Hispaniã negligendã ratus,atque ideo haud minus quòd haud ignarus erat,circuitã ab Romanis eã legatis ad solicitãdos principũ animos,Asdrubali fratri viro impigro eã prouinciã destinat:firmátque eũ

B Africis maxime præsidiis,peditum Afrorũ vndecim millibus,octingẽtis quinquaginta. Liguribus trecẽtis Balearibus. ad hæc peditũ auxilia additi equites Libyphœnices,mistum Punicũ Afris genus, trecẽti, & Numidæ Maurique accolæ Occeani ad mille octingẽtos,& parua Ilergetũ manus ex Hispania ducẽti equites: &,ne quod terrestris deesset auxilij genus,elephãti quatuordecim. classis preterea data ad tuendã maritimã orã, quia qua parte belli vicerãt,

C ea tum quoque rẽ gesturos Romanos credi poterat: quinquaginta quinqueremes,quadriremes duæ,triremes quinque:sed aptæ instructæque remigio triginta & duæ quinqueremes erant.& triremes quinque. Ab Gadibus Carthaginẽ ad hyberna exercitus rediit:atque inde profectus præter Etouissã vrbẽ ad Iberũ,maritimáque orã ducit.Ibi fama est in quiete visum ab eo iuuenẽ diuina specie,qui se ab Ioue diceret ducẽ in Italiã Annibali missũ: proinde sequeretur,neque vsquã à se deflecteret oculos.pauidum

D primò nusquã circũspicientẽ aut respicientẽ secutũ,deinde cura humani ingenij , cũ quid nã id esset quod respicere vetitus esset,agitaret animo, temperare oculis nequiuisse. tum vidisse post se serpẽtem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri:ac pòst insequi cum fragore cœli nimbum.tum quæ moles ea, quídve prodigij esset, quærentẽ , audiuisse vastitatem Italiæ esse:pergeret porrò ire,nec vltrà inquireret,sinerétque fata in occulto. Hoc visu lætus,tripartitò Iberum copias tra-

E iecit,præmissis, q Gallorũ animos quà traducendus exercitus erat,donis cõciliarent,alpiúmque trãsitus specularentur. nonaginta millia peditũ, duodecim millia equitũ Iberũ traduxit. Ilergetes inde,Bargusiósq; & Ausetanos & Aquitaniã quæ subiecta Pyreneis mõtibus est,subegit: oræque huic omni præfecit Hãnonẽ,vt fauces quæ Hispanias Galliis iungunt in potestate essent.Decẽ millia peditũ Hãnoni ad præsidium obtinẽdæ regionis data, & mille equites.Postquã per Pyrenæũ saltum traduci exercitus cœptus est, rumorq. per barbaros manauit certior

F de bello Romano:tria millia inde Carpetanorũ peditum iter auerterunt.cõstabat non tã bello motos, quã lõginquitate viæ insuperabiliq; alpiũ transitu. Annibal quia reuocare aut vi retinere eos anceps erat,ne cæterorum etiã feroces animi irritarẽtur, supra septẽ millia hominũ domos remisit,quos & ipse grauari militia censerat , Carpetanos quoque ab se dimissos simulans.inde ne mora atque otiũ animos solicitarẽt,cũ reliquis copiis Pyrenæũ trãsgreditur:

G & ad oppidũ Illiberim castra locat.Galli quanquã Italiæ bellũ inferri audiebãt:tamen quia vi subactos trãs Pyrenæũ Hispanos fama erat, præsidiáq. valida imposita,metu seruitutis ad arma cõsternati,Ruscinonẽ aliquot populi cõueniũt. quod vbi Annibali nunciatum est,morã magis quã bellum metuens,oratores ad regulos eorũ misit, colloqui semetipsum velle cũ his:& vel illi propius Illiberim accederent, vel se Ruscinonẽ processurum,vt ex propinquo cõ-

gressus facilior esset. nã & accepturum eos in castra sua se lętũ, nec cunctanter se ipsum ad eos venturũ. hospitem enim se Galliæ, nõ hostem aduenisse: nec stricturum antè gladium, si per Gallos liceat, quã in Italiã venisset. Et per nuncios quidẽ hęc. Vt verò reguli Gallorũ castris ad Illiberim extẽplò motis, haud grauatè ad Pœnũ venerunt, capti donis cũ bona pace exercitum per fines suos pręter Ruscinonẽ oppidum transmiserunt. In Italiã interim nihil vltrà quã Iberum trãsisse Annibalẽ, à Massiliensiũ legatis Romã perlatũ erat: cum perinde ac si alpes iã trãsisset, Boij solicitatis Insubribus defecerunt: nec tã ob veteres in P.R. iras, quã quòd nuper circa Padum, Placentiã, Cremonãmq. colonias in agrum Gallicum deductas ægrè patiebãtur. Itaque armis repentè arreptis, in eum ipsum agrũ impetu facto, tantũ terroris ac tumultus fecerũt, vt nõ agrestis modò multitudo, sed ipsi triumuiri Romani, qui ad agrum venerãt assignãdum, diffisi Placentię mœnibus, Mutinã cõfugerint, C. Luctatius, A. Seruilius, T. Annius. Luctatij nomen haud dubium est. pro A. Seruilio, & T. Annio, Q. Acilium & C. Herenniũ habent quidã annales: alij P. Cornelium Asinã, & C. Papyriũ Masonem. Id quoque dubium est, legati ad Boios ad expostulãdum missi, violati sint: an in triumuiros agrũ metãteis impetus sit factus. Mutinę cũ obsiderẽtur, & gẽs ad oppugnãdarum vrbium artes rudis, pigerrima eadẽ ad militaria opera, segnis intactis assideret muris, simulari cœptum de pace agi: euocatíque ab Gallorũ principibus legati ad colloquiũ nõ cõtra ius modò gentium, sed violata etiã, quę data in id tẽpus erat, fide, cõprehẽduntur: negãtibus Gallis, nisi obsides sibi redderẽtur, eos se dimissuros. Cũ hęc de legatis nunciata essent, & Mutina pręsidiũmque in periculo esset. L. Mãlius Pr. ira accensus, effusum agmẽ ad Mutinã ducit. Syluæ tunc circa viã erant, plerisque incultis. ibi inexplorato profectus, in insidias pręcipitatus, multáque cum cęde suorum ægrè in apertos campos emersit. ibi castra communita: & quia Gallis ad tẽtãda ea defuit spes, refecti sunt militum animi, quanquã accisas res satis cõstabat. Iter deinde de integro cœptũ: nec dum per patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hostis. vbi rursus syluæ intratæ, tũ postremos adorti, cum magna trepidatiõne ac pauore omniũ, octingentos milites occiderũt: sex signa ademere. Finis & Gallis territãdi, & pauẽdi Romanis fuit, vt ex saltu inuio atque impedito euasere. inde apertis locis facilè tutãtes agmen Romani, Cãnetum vicum propinquum Pado contendere. ibi se munimento ad tempus, cõmeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio aduersus crescentem in dies multitudinẽ hostiũ tutabãtur. Qui tumultus repẽs postquã est Romã perlatus, & Punicum insuper Gallico bello auctum patres acceperunt: C. Atiliũ Pr. cum vna legione Romana, & quinque millibus sociorum delectu nouo à Cos. cõscriptis, auxilium ferre Manlio iubent: qui sine vllo certamine (abscesserant enim metu hostes) Cannetum peruenit. Et P. Cornelius in locum eius, quæ missa cũ prætore fuerat trãscripta legione noua, profectus ab vrbe sexaginta longis nauibus præter orã Hetrurię Ligurumque, & inde Salyum, mox peruenit Massiliã: & ad proximum ostium Rhodani (pluribus enim diuisus amnis in mare decurrit) castra locat, vix dum satis credens Annibalem superasse Pyreneos montes. quem vt de Rhodani quoque transitu agitare animaduertit, incertus quonam ei loco occurreret, nec dũ satis refectis ab iactatione maritima militibus, trecentos interim delectos equites, ducibus Massiliensibus, & auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia, visendósque ex tuto hostes præmittit. Annibal ceteris metu aut precio pacatis iam in Volcarum peruenerat agrum, gentis validæ. colunt autem circa vtranque ripam Rhodani. & diffisi citeriore agro arceri Pœnum posse, vt flumen pro munimento haberent, omnibus fermè suis trãs Rhodanum traiectis, vlteriorem ripam amnis obtinebant. Cæteros accolas fluminis Annibal & eos ipsos qui ipsas sedes tenuerant, simul pellicit donis ad naues vndique contrahendas, fabricandásque: simul & ipsi traiici exercitum, leuarique quamprimum regionem suam tanta vrgente hominum turba cupiebant. Itaque ingens coacta vis nauium est, lintriumque temerè ad vicinalem vsum paratarum. nouásque alias primùm Galli inchoantes cauabant ex singulis arboribus: deinde & ipsi milites simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alucos informes, nihil, dummodo innare aquæ, & capere onera possent, curantes, raptim faciebant, quibus se suáque transueherent. Iámque omnibus satis comparatis ad traiiciendum, terrebant ex aduerso hostes omnem ripam equis virísque obtinentes. quos vt auerteret, Hannonem Bomilcaris filium vigilia prima noctis cum parte copiarum, maximè Hispanis aduerso flumine ire iter vnius diei iubet: & vbi primò possit, quàm occultissimè traiecto amni, circumducere agmen: vt cum facto opus sit, adoriatur ab tergo hostem. ad id dati duces Galli educunt inde millia quinque & viginti fermè supra paruæ insulæ circumfusum amnem, latiorem vbi diuidebatur: eoque minus alto alueo transitum ostendere. ibi raptim cæsa materia, ratésque fabricatæ: in quibus equi virique, & alia onera traiicerentur. Hispani sine vlla mole in vtres vestimentis coniectis, ipsi cetris superpositis incubantes flumen transnatauere. Et alius exercitus ratibus iunctis traiectus, castris propè flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete vnius diei reficitur, intento duce ad consilium opportunè exequendum. Postero die profecti ex loco prodito fumo significant se transisse, & haud procul abesse. quod vbi accepit Annibal, ne tempori deesset, dat signum ad traiiciendum. iam paratas aptatásque habebat pedes lintres. equites ferè propter equos nantes nauium agmen ad excipiendum aduersi impetum fluminis parte superiore transmittens, tranquillitatem infrà traiicientibus lintribus præbebat. equorum pars magna nantes loris à puppibus trahebantur, præter eos quos instructos, frenatósque, vt extemplò egresso in ripam equiti vsui essent, imposuerunt in naues. Galli occursant in ripam cum varius vlulatibus, cantuque moris sui, quatientes scuta super capita, vibrantésque dextris tela. quanquam & ex aduerso terrebat tanta vis nauium cum ingenti sono fluminis, & clamore vario nautarum & militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, & qui ex altera ripa traiicientes suos hortabantur. Iam satis pauentes aduerso tumultu, terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis. mox & ipse aderat, ancépsque terror circunstabat: & è nauibus tanta vis armatorum in terram euadens, & à tergo improuisa premebat acies. Galli postquã vim facere conati, vltro pellebãtur: quà patere visum maximè iter, perrũpunt trepidíq. in vicos passim suos diffugiũt. Annibal ceteris copiis per ociũ traiectis, spernẽs iã Gallicos tumultus, castra locat. Elephãtorũ traiiciẽdorũ varia consilia

filia fuisse credo: certè varia memoria est actæ rei. quidam congregatis ad ripam elephantis, tradunt ferocissimum ex iis irritatum à rectore suo, cum refugientem eũ in aquam natantem sequeretur, traxisse gregẽ, vt quenq; timentem altitudinem destitueret vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. Ceterum magis constat ratibus traiectos. id vt tutius consilium ante rem foret: ita acta re, ad fidem pronius est. Ratem vnam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, à terra in amnem porrexerunt: quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus retinaculis validis parte superiore ripæ religatam, pontis in modum humo iniecta, constrauerunt, vt belluæ audacter velut per solum ingrederentur. altera ratis æque lata, longa pedes centum, ad traiiciendum flumen apta, huic copulata est: & cum elephanti per stabilem ratem, tanquam viam, prægredientibus fœminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt: ea extemplo resolutis quibus leuiter annexa erat vinculis, ab actuariis aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahitur. ita primis expositis, alij deinde repetiti ac traiecti sunt. nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur. primis erat pauor, cum soluta ab ceteris rate in altum raperentur. ibi vrgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationem aliquantum edebant, donec quietem ipse timor circunspicientibus aquam fecisset. excidere etiam sæuientes quidam in flumen, sed pondere ipso stabiles, deiectis rectoribus, quærentes pedetentim vadis in terram euasere. Dum elephanti traiiciuntur, interim Annibal Numidas equites quingentos ad castra Romana miserat speculatum, vbi & quantæ copiæ essent, & quid pararent. huic alæ equitum, missi, vt ante dictum est, ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt, prælium atrocius quam pro numero pugnantium editur. nam præter multa vulnera, cædes etiam prope par vtrinque fuit: fugáque & pauor Numidarum Romanis iam admodum fessis victoriam dedit. victores ad centum sexaginta, nec omnes Romani, sed pars Gallorum: victi amplius ducentis ceciderunt. Hoc principium simulque omen belli, vt summæ rerum prosperum euentum, ita haud sanè incruentam, ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit. Re ita gesta, ad vtrunque ducem sui redierunt. Nec Scipionis stare sententia poterat, nisi vt ex consiliis cœptisque hostis & ipse conatus caperet: & Annibalem incertum, vtrum cœptum in Italiam intenderet iter, an cum eo, qui primus se obtulisset Romanus exercitus, manus consereret, auerterat à præsenti certamine Boiorum legatorum, regulique Magali aduentus: qui se duces itinerum, socios periculi fore affirmãtes, integro bello, nusquam ante libatis viribus, Italiam aggrediendam censent. Multitudo timebat quidem hostes, nondum obliterata memoria superioris belli: sed magis iter immensum alpésque rem fama vtrique inexpertis horrendam metuebat. Itaque Annibal, postquam ipsi sententia stetit pergere ire, atque Italiam petere, aduocata concione, variè militum versat animos, castigando, adhortandoque. Mirari se quinam pectora semper impauida repens terror inuaserit. per tot annos vincentes eos stipendia facere: neque ante Hispania excessisse quàm omnes gentésque & terræ quas duo diuersa maria amplectantur, Carthaginiensium essent. indignatos deinde, quod quicunque Saguntum obsedissent, velut ob noxam sibi dedi postularet P.R. Iberum traiecisse ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum. tum nemini visum id longum, cùm ab occasu solis ad ortum intenderent iter, nunc, postquam multo maiorem partem itineris emensam cernãt. Pyrenæum saltum inter ferocissimas gentes superatum: Rhodanum tantum amnem, tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam ipsius fluminis vi traiectum: in conspectu alpes habeant, quarum alterum latus Italiæ sit: in ipsis portis hostium fatigatos subsistere: quid aliud alpes esse credentes quàm montium altitudines? fingerent altiores Pyrenæi iugis: nullas profecto terras cælum contingere, nec inexsuperabiles humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes: peruias paucis esse, exercitibus inuias? eos ipsos, quos cernant, legatos non pennis sublime elatos alpes transgressos: nec maiores quidem eorum indigenas, sed aduenas Italiæ cultores, has ipsas alpes ingentibus sæpe agminibus cum liberis ac coniugibus, migrantiũ modo, tuto transmisisse. Militi quidé armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti, quid inuiũm aut inexsuperabile esse: Saguntum vt caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse, Romam orbis terrarum caput petentibus, quicquam adeo asperum atque arduum videri, quod inceptum moretur? cœpisse quondam Gallos ea, quæ adiri posse Pœnus desperet, proinde aut cederent animo atque virtute genti per eos dies toties ab se victæ, aut itineris finem sperent campum interiacentem Tiberi ac mœnibus Romanis. His adhortationibus incitatos corpora curare, atque ad iter se parare iubet. Postero die profectus aduersa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad alpes via esset, sed quantum à mari recessisset, minus obuiam fore Romanum credens: cum quo, prius quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conferere. Quartis castris ad insulam peruenit: ibi Arar Rhodanúsque amnis diuersis ex alpibus decurrentes, agri aliquantulum amplexi confluunt in vnum, mediis campis insulæ nomen inditum. accolunt prope Allobroges, gens iam inde nulla Gallica gente opibus aut fama inferior: tum discors erat. regni certamine ambigebant fratres. maior, & qui prius imperitarat, Brancus nomine, minore à fratre & cœtu iuniorum, qui iure minus, vi plus poterat, pellabatur. Huius seditionis peropportuna disceptatio cum ad Annibalem reiecta esset, arbiter regni factus, quod erat senatus principumque sententia futurum, imperium maiori restituit. ob id meritum commeatu copiáque rerum omnium & vestimentis est adiutus, quæ infames frigoribus alpes præparari cogebant. Sedatis certaminibus Allobrogum, cum iam alpes peteret, non recta regione iter instituit, sed ad læuam in Tricastinos flexit: inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios: haud vsquam impedita via, priusquam ad Druentiam flumen peruenit. Is & ipse alpinus amnis longe omnium Galliæ fluminum difficillimus transitu est. nam cum aquæ vim vehat ingentem non tamen nauium patiens est: quia nullis coercitus ripis, & pluribus simul, neque iisdem alueis fluens, noua semper vada nouosque gurgites faciens (& ob eadem pediti quoque incerta via est) ad hæc saxa glomerosa voluens nihil stabilis nec tuti ingredienti præbet. & tum forte imbribus auctus ingentem transgredientibus tumultum fecit, cum super cetera trepidatione ipsi sua, atque incertis clamoribus turbarentur. P. Cornelius Cos. triduo fere postquam Annibal ab ripa Rhodani mo-

uit, quadrato agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus. ceterum vbi deserta munimenta, nec facile se tantum progressos assecuturum videt, ad mare ad naues redit, tutius faciliúsque ita descendenti ab alpibus Annibali occursurus. Ne tamen nuda auxiliis Romanis Hispania esset, quam prouinciam sortitus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum aduersus Asdrubalem misit: non ad tutandos tantummodo veteres socios, conciliandósque nouos, sed etiam ad pellendum Hispania Asdrubalem. ipse cum admodum exiguis copiis Genuam repetit, eo qui circa Padum erat exercitu Italiam defensurus. Annibal ad Druentia campestri maxime itinere cum bona pace ad alpes incolentium ea loca Gallorum peruenit. Tum, quanquam fama prius, qua quidem incerta in maius vero ferri solent, percepta res erat: tamen ex propinquo visa montium altitudo, niuésque cœlo prope immistæ: tecta informia imposita rupibus, pecora iumentáque torrida frigore, homines intonsi & inculti, animalia inanimáque omnia rigentia gelu, cetera visu quàm dictu fœdiora, terrorem renouare. Erigentibus in primos agmen cliuos apparuerunt imminentes, tumulos insidentes montani: qui si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam stragémque dedissent. Annibal consistere signa iubet: Gallísque ad visenda loca præmissis, postquam comperit transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia præruptáque, quàm extentissima potest valle, locat. Tum per eosdem Gallos, haud sane multum lingua moribusque abhorrétes, cum se immiscuissent, colloquiis montanorum, edoctus interdiu tátum obsideri saltum, nocte in sua quenque dilabi tecta: luce prima subiit tumulos, vt ex aperto atque interdiu viam per angustias facturus. die deinde, simulando aliud quam quod parabatur, consumto, cùm eodem quo constiterat loco, castra communisset: vbi primum digressos tumulis montanos, laxatásque sensit custodias, pluribus ignibus, quàm pro numero manentium in speciem factis, impedimentísque cum equite relictis, & maxima parte peditum, ipse cum expeditis acerrimo quoque viro raptim angustias euadit: iísque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit. Prima deinde luce castra mota, & agmen reliquum incedere cœpit. iam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam conueniebant: cum repente conspiciunt alios arce occupata sua super caput imminenteis, alios via transire hostes. vtraque simul obiecta res oculis, animis immobiles parumper eos defixit. deinde vt trepidationem in angustiis, suoque ipso tumultu Annibalis misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quicquid adiecissent, ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, peruersis rupibus iuxta inuia ac deuia assueti discurrunt. Tum verò simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Pœni oppugnabantur: plúsque inter ipsos, sibi cuique tendenti vt periculo prius euaderet, quàm cum hostibus certaminis erat. qui maxime infestum agmen faciebant. qui & clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant: & icti forte aut vulnerati, adeo consternati sunt, vt stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent. multósque turba, cum præcipites diruptæque vtrinque angustiæ essent, in immensum altitudinis deiecit: quosdam & armatos. inde ruinæ maximæ, modo iumenta cum oneribus deuoluebantur. Quæ quamquam fœda visu erát, stetit parúper tamen Annibal, ac suos

A continuit, ne tumultum ac trepidationé augeret. deinde postquam interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco: & cum impetu ipso fudisset hostem, suis tumultum auxit. sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fuga montanorum erant, sedatur: nec per otium modo, sed prope silentio mox omnes traducti. castellum inde, quod caput eius regionis erat, vicósque circumiectos ca- B pit, & captiuorum pecoribus per triduum exercitum aluit. & quia nec montanis primo perculsis, nec loco magnópere impediebantur, aliquantum eo triduo viæ confecit. Peruentum inde ad frequentem cultoribus alium, vt inter montana, populum, ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deinde insidiis est prope circumuentus. Magno natu principes castellorum oratores ad Pœnum veniunt: alienis malis, vtili exemplo doctos: memorantes amicitiam malle, quàm vim ex- C periri Pœnorum: itaque obedienter imperata facturos. commeatum, itinerísque duces, & ad fidem promissorum obsides acciperet. Annibal nec temere credendo, nec aspernando. ne repudiati aperte hostes fierent, benigne cum respondisset: obsidibus, quos dabant, acceptis, & commeatu, quem in viam ipsi detulerant, vsus: nequaquam, vt inter pacatos, incomposito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti & equites erant: ipse post cum robore peditum circumspectans soli- D citus omnia, incedebat. vbi in angustiorem viam ex parte altera subiectam iugo insuper imminenti ventum est, vndique ex insidiis barbari à fronte & à tergo coorti, cominus eminúsque petunt, saxa ingentia in agmen deuoluunt. maxima ab tergo vis hominum vrgebat. in eos versa peditum acies, haud dubium fecit, quin nisi firmata extrema agmina fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac prope perniciem ventum est, nam dum cunctaretur E Annibal dimittere in angustias agmen, quia non vt ipse equitibus præsidio erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilij reliquerat: occursantes per obliqua montani, perrupto medio agmine viam insedere. nóxque vna Annibali sine equitibus ac impedimentis acta est. Postero die iam segnius intercursantibus barbaris, iunctæ copiæ, saltúsque haud sine clade, maiore tamen iumentorum quam hominum pernicie superatus. inde montani pauciores iam, & latrocinij magis quàm belli more concursabant, F modo in primum, modo in nouissimum agmen: vt cuique aut locus opportunitaté daret, aut progressi moratiue aliquam occasionem fecissent. Elephanti sicut præcipites per actas vias magna mora agebantur: ita tutum ab hostibus quacunque incederent, quia insuetis adeundi propius metus erat, agmen præbebant. Nono die in iugum alpium peruentum est, per inuia pleraque, & errores, quos aut ducentium fraus, aut vbi fides iis non esset, temere initæ valles à coniectantibus iter faciebant. G Biduum in iugis statiua habita: fessísque labore ac pugnando quies data militibus: iuméntaque aliquot, quæ prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis, in castra peruenere. Fessis tædio tot malorum, niuis etiam casus, occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adiecit. Per omnia niue oppleta, quum signis prima luce motis, segniter agmen incederet, pigritiáque & desperatio, in omnium vultu emineret: prægressus signa Annibal, in promontorio quodam,

dam, vnde longè ac latè prospectus erat, consistere A iussis militibus Italiam ostentat, subiectósque alpinis montibus circumpadanos campos: mœniáque eius tum transcendere non Italiæ modo, sed etiam vrbis Romæ: cetera plana, procliuia fore: vno, aut ad summum altero prælio arcem & caput Italiæ in manu ac potestate habituros. Procedere inde agmen cœpit; iam nihil ne hostibus quidem præter parua furta per occasionem tentantibus. ceterum iter multo quam in ascensu fuerat, vt pleraque alpium ab Italia sicut breuiora, ita arrectiora sunt, B difficilius fuit. omnis enim fermè via præceps, angusta, lubrica erat, vt neque sustinere se à lapsu possent. nec si qui paululum titubassent, hærere affflicti vestigio suo: aliique super alios, & iumenta & homines occiderent. Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis saxis, vt ægrè expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset. Natura locus iam ante præceps, recenti terræ lapsu in pedum mille admodum altitudinem C abruptus erat. Ibi cum velut ad finem viæ equites constitissent, miranti Annibali quæ res moraretur agmen, nontiatur rupem inuiam esse. digressus deinde ipse ad locū visendum: haud dubia res visa, quin per inuia circa nec trita antea, quamuis longo ambitu circumduceret agmen. Ea vero via insuperabilis fuit, nam cum super veterem niuem intactam noua modicæ altitudinis esset: molli, nec præaltæ facile pedes ingredientium insistebant. vt verò tot hominum iumentorumque incessu dilapsa D est, per nudam infra glaciem, fluentémque tabem liquescentis niuis ingrediebantur. tetra ibi luctatio erat, vt à lubrica glacie non recipiente vestigium, & in prono citius pede se fallente: & seu manibus in assurgendo, seu genu se adiuuissent, ipsis adminiculis prolapsi si iterum corruissent, nec stirpes circa radicésve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant. itaque in leui tantum glacie tabidaque niue volutabantur iumenta: necabantur interdum, etiam tum infirmam ingredientia niuem: & prola- E psa iactandis grauius in continendo vngulis, penitus perfringebant: vt pleraque velut pedica capta hærerent indurata & alta concreta glacie. Tandem nequicquam iumentis atque hominibus fatigatis, castra in iugo posita, ægerrimè ad id ipsum loco purgato. tantū niuis fodiēdum atque egerendū fuit. inde ad rupem minuendam, per quam via vna esse poterat milites ducti: cum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus deiectis, detrūcatisque, struem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum F & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa in fuso aceto putre faciunt. ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis cliuos, vt non iumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circa rupem consumtum, iumenta propè fame absumebantur. nuda enim fere cacumina sunt: & si quid est pabuli, obruunt niues. inferiora vallis apricos quosdam colles habent, riuósque prope syluas, etiam humano cultu digniora, G loca. ibi iumenta in pabulum missa, & quies muniendo fessis hominibus data triduo, inde ad planum descensum est etiam locis mollioribus, & accolarum ingeniis. Hoc maximè modo peruentum est in Italiam quinto mense à Carthagine noua, vt quidam auctores sunt, quinto decimo die Alpibus superatis. Quantæ copiæ transgressis in Italiam Annibali fuerent, nequaquam inter auctores constat. qui plurimum, centum milliapeditum viginti equitum fuisse scribunt: qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum, L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Annibale scribit, maximè auctor moueret me, nisi confunderet numerum, Gallis Liguribusque additis. cum his scribit octoginta millia peditum decem equitum, adducta in Italiam (magis affluxisse verisimile est, & ita quidam auctores sunt) ex ipso autem audisse Annibale, postquam Rhodanum transierit, triginta sex millia hominum, ingentémque numerum equorum & aliorum iumentorum amisisse in Taurinis: quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam digresso. Id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quânam alpes transierit: & vulgo credere Pennino, atque inde nomen & iugo alpium inditum, transgressum. Cœlius per Cremonis iugum dicit transisse. qui ambo saltus eum non in Taurinos, sed per saltus montanos ad Libuos Gallos deduxissent. Nec verisimile est, ea tum ad Galliam patuisse itinera: vtique cum quæ ad Penninum ferant: obsepta gentibus semigermanis fuissent. neque hercule montibus his (si quem forte id mouit) ab trāsitu Pœnorum vllo Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum: sed ab eo, quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant. Per opportunè ad principia rerum Taurinis proximæ genti aduersus Insubres motum bellum erat. sed armare exercitum Annibal, vt parti alteri auxilio esset, in reficiendo maximè sentientem contracta ante mala, non poterat: otium etenim ex labore, copia ex inopia, cultus ex illuuie tabéque squalida & prope efferata corpora variè mouebat. Ea P. Cornelij Cos. caussa fuit, cum Pisas nauibus venisset, exercitu à Manlio Attilioque accepto tyrone, & in nouis ignominiis trepido, ad Padum festinandi: vt cum hoste nondum refecto manum consereret, sed cùm Placētiam Cos. venit, iam ex statiuis mouerat Annibal: Taurinorúmq. vnam vrbem caput gentis eius, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnarat: iunxissētque sibi non metu solum, sed etiam voluntate Gallus accolas Padi, ni eos circumspectantes defectionis tempus, subito aduentus Cos. oppressisset. Et Annibal mouit ex Taurinis, incertus quæ pars sequenda esset, Gallos præsertim se secuturos ratus. Iam prope in conspectu erant exercitus, cōuenerántque duces, sicut vterque inter se nondum satis noti, ita iam imbutus vterque quadam admiratione alterius. nam Annibalis & apud Romanos iam ante Sagunti excidium celeberrimum nomen erat: & Scipionem Annibalem eo ipso, quod aduersus se dux potissimum lectus esset, præstantem virum credebat: & auxerant inter se opinionem: Scipio quod relictus in Gallia, obuius fuerat in Italiam transgresso Annibali: Annibal, conatu, tam audaci traiiciendarum alpium, & effectu. Occupauit tamen Scipio Padum traiicere: & ad Ticinum amnem motis castris, prius quàm induceret in aciem, adhortandorum militum caussa talem orationem exorsus est: Si eum exercitum milites educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. quid enim adhortari referret aut eos equites, qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent? aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus, confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui? Nunc quia ille exercitus Hispaniæ prouinciæ scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit; vbi eum gerere senatus populúsque Romanus voluit: ego, vt Cos. ducem aduersus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic voluntario cer-

A tamini obtuli. Nouo imperatori apud nouos milites pauca verba facienda sunt. Ne genus belli, neve hostem ignoretis: cum iis est vobis milites pugnandum, quos terra marique priore bello vicistis: à quibus stipendium per viginti annos exegistis: à quibus capta belli præmia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus, qui victoribus & victis esse solet. Nec nunc illi quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectauere, eos duabus partibus peditum equitumque in B transitu Alpium amissis, qui plures pene perierint, quam supersint, plus spei nactos esse. At enim pauci quidé sunt, sed vigentes animis corporibúsque, quorũ robur ac vires vix sustinere vis vlla possit. Effigies imo vmbræ hominum, fame, frigore, illuuie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupésque ad hæc perusti artus, niue rigentes nerui, mébra torrida gelu, quassata confractáq; arma: claudi ac debiles equi. cum hoc equite, cum hoc pedite C pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes habetis. Ac nihil magis vereor, quàm ne antequam vos cum hoste pugnaueritis, alpes vicisse Annibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum fœderum ruptore duce ac populo deos ipsos sine vlla humana ope committere ac profligare bellum: nos autem, qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. Non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi caussa magnificè loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Licuit mihi in Hispaniam prouinciam meam ire, quò D iam profectus eram, cũ exercitu meo, vbi & fratrem consilij participem, ac periculi socium haberem: & Asdrubalem potius quàm Annibalem hostem minorem haud dubiè molem belli. tamen cum præteruehe[r]er nauibus Galliæ oram, ad famam huius hostis in terram egressus, præmisso equitatu, ad Rhodanum moui castra equestri prælio, qua parte copiarum conserendi manum fortuna data est, hostem fudi, peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terra non poteram, E neque regressus ad naues erat; quanta maximè celeritate potui, tanto maris, terrarúmque circuitu in radicibus alpium obuius fui. Huic timendo hosti vtrum cum declinarem certamen, improuisus videor incidisse, an occurrere in vestigiis eius, lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri iuuat, vtrum alios certe repentè Carthaginienses per viginti annos terra ediderit: an iidem sint, qui ad Ægates pugnauere insulas, & quos ab Eryce duodeuicenis denariis æstimatos emisistis. & vtrum An- F nibal hic sit æmulus itinerum Herculis, vt ipse fert an vectigalis stipendiariúsque & seruus populi Romani à patre relictus. quem nisi Saguntinum scelus agitaret, respiceret profectò, si non patriam victam, domum certe, pacémque, & fœdera Amilcaris scripta manu: qui iussus à Cos. nostro præsidium deduxit ab Eryce: qui graues impositas victis Carthaginiensibus leges fremens mœrénsque accepit: qui decedere Sicilia, qui stipendium populo Romano dare pactus est. Itaque vos ego mili- G tes, non eo solum animo, quo aduersus alios hostes soletis, pugnare velim: sed cum indignatione quadam atque ira, velut si seruos videatis vestros arma repentè contra vos ferentes. Licuit, si voluissemus, ad Erycem clausos, vltimo supplicio humanorum, fame interficere. licuit classem victricem in Africam traiicere, atque intra paucos dies sine vllo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus precantibus, emisimus ex obsidione: pacem cum victis fecimus; tutelæ nostræ deinde duximus, cum Africo bello vrgerentur. Pro his impertitis furiosum iuuenem sequentes, oppugnatum patriam nostram veniunt. Atque vtinam pro decore nobis hoc tantum, & non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliæ ac Sardiniæ, de quibus quondam agebatur: sed pro Italiá nobis est pugnandum. nec est alius ab tergo exercitus: qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat: nec alpes aliæ sunt, quas dum superat, comparari noua possint præsidia. Hic est obstandum milites, velut si ante Romana mœnia pugnemus. Vnusquisque se non corpus suum, sed cóiugem ac liberos paruos armis protegere putet: nec domesticas solum agitet curas, sed idéntidem hoc animo reputet, nostras núc intueri manus senatum populúmque Romanum: qualia nostra vis virtúsque fuerit, talem deinde fortunam illius vrbis ac Romani imperij fore. Hæc apud Romanos consul. Annibal rebus prius, quam verbis adhortandos milites ratus, circumdato ad spectaculum exercitu, captiuos montanos vinctos in medio constituit: armisque Gallicis ante eorum pedes proiectis, interrogare interpretem iussit, quis, si vinculis leuaretur, armáque & equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Cum ad vnum omnes ferrum pugnamque poscerent, & deiecta esset in id sors, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen eligeret. Vt cuiusq; sors exciderat; alacer inter gratulantes gaudio exsultans, cum sui moris tripudiis arma raptim capiebat. vbi verò dimicarent, is habitus animorum non inter eiusdem modo conditionis homines erat, sed etiam inter inspectantes vulgo, vt non vincentium magis quam bene morientium fortuna laudaretur. Dum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset, concione inde aduocata, ita apud eos locutus fertur: Si quem animum in alienæ sortis exemplo paulo ante habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna vestra habueritis, vicimus milites. neque enim spectaculum modo illud, sed quædam veluti imago vestræ conditionis erat. ac nescio an maiora vincula, maioresque necessitates vobis quàm captiuis vestris fortuna circumdederit. dextra læuáque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauem habentibus: circà Padus amnis, maior ac violentior Rhodano: à tergo alpes vrgent, vix integris vobis ac vigentibus transitæ. Hic vobis vincendum, aut moriendum milites est, vbi primum hosti occurristi: & eadem fortuna, quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne à diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam parentibus nostris ereptas, nostra virtute recuperaturi essemus: satis tamen ampla pretia essent. quicquid Romani tot triũphis partum congestúmque possident, id omne nostrum cum ipsis dominis futurum est. in hanc tam opimam mercedem agite, cum diis bene iuuantib. arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitaniæ Celtiberiæque montibus pecora consectando, nullum emolumentum tot laborum periculorúmque vestrorum vidistis: tempus est iam opulenta vos ac ditia stipendia facere, & magna operæ pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminàque & tot armatas gentes emensos. Hic vobis terminum laborum fortuna dedit: hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec quàm magni nominis bellum est, tam difficilem existimaueritis victoriam fore. Sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit: & incluti populi regésque perleui momento victi sunt. Nam demto hoc vno fulgore nominis

Romani, quid est quod illi vobis comparandi sint? Vt viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cũ illa fortuna taceam, ab Herculis columnis, ab Oceano, terminisque vltimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniæ & Galliæ populos, vincentes huc peruenistis: pugnabitis cum exercitu tyrone, hac ipsa æstate cæso, victo, circumsesso à Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignoranteque ducem. An me in Prætorio patris clarissimi imperatoris prope natum, certe educatum, domitorem Hispaniæ, Galliæque victorem eundem non Alpinarum modo gentium, sed ipsarum, quod multo maius est, alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? cui si quis demtis signis Pœnos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, vtrius exercitus sit Cos. Non ego illud parui æstimo milites, quod nemo vestrum est, cuius non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora: cum laudastis me milites, donastis. Alumnus prius omnium vestrum, quam imperator procedam acie aduersus ignotos inter se, ignorantesque. Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris: veteranum peditem, generosissimarum gentium equites frenatos & infrenatos, vos socios fidelissimos fortissimosque vos Carthaginienses tum ob patriam, tum ob iram iustissimam pugnaturos. Inferimus bellum: infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto maior spes maiorque animus inferentis est vim, quàm arcentis. Accendit præterea animos & stimulat dolor, iniuria, indignitas. Ad supplicium depoposcere me ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis, deditos vltimis cruciatibus affecturi fuere. Crudelissima ac superbissima gens sua omnia suique arbitrij facit: cum quibus bellum cum quibus pacem habeamus se modum imponere æquum censet: circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus, neque eos, quos statuit terminos obseruat. Ne transieris Iberum: ne quid rei tibi sit cum Saguntinis: ad Iberum est Saguntum nusquam te vestigio moueris. Parum est, quod veterrimas prouincias nostras Siciliam ac Sardiniam ademit, nisi adimat etiam Hispaniam: & si inde cessero, in Africam transcendet. Transcendet autem dico? duos Coss. huius anni, vnum in Africã, alterum in Hispaniam misere. nihil vsquam nobis relictũ est, nisi quod armis vindicauerimus. illi timidis & ignauis licet esse, qui receptũ habent, quos suus ager, sua terra per tuta ac pacata itinera fugiẽtes accipient: vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriã mortémve certa desperatione abruptis, aut vincere: aut si fortuna dubitabit, in prælio potius quàm in fuga mortem oppetere. Si hoc benefixum omnibus, destinatumque in animo est, iterum dicam, vicistis. nullum incitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acrius datum est. His adhortationibus cũ vtrinque ad certamen accensi militum animi essent, Romani ponte Ticinum iungunt tutandique pontis caussa castellum superimponunt. Pœnus opere occupatis hostibus, Maharbalem cum ala Numidarum, equitibus quingentis, ad depopulandos sociorum P.R. agros mittit: Gallis parci quam maximè iubet, principúmque animos solicitare ad defectionem. Ponte perfecto traductus Romanus exercitus in agrum Insubriũ, quinque millia passuũ à vico tumulis consedit. Ibi Annibal castra habebat, reuocatoq; propere

A Maharbale, atque equitibus, cùm instare certamen cerneret: nihil vnquam satis dictum præmonitúmque ad cohortandos milites ratus, vocatis ad concionem certa præmia pronuntiat, in quorum spem pugnarent. agrum sese daturum esse in Italia, Africa, Hispania, vbi quisque velit, immunem ipsi qui accepisset, liberisque qui pecuniam quàm agrum maluisset, ei se argento satis facturum: qui sociorum ciues, Carthaginienses fieri vellent, potestatem fa- B cturum: qui domos redire mallent, daturum se operam, ne cuius suorum popularium mutatam secum fortuna esse vellent, seruis quoque dominos prosecutis libertatem promittit, bináque pro his mancipia dominis se redditurum. Eáque vt rata scirent fore: agnum læua manu dextra silicem retinens, si falleret, Iouem ceterosque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset: secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Tum verò omnes velut diis auctoribus in spem suã quisque acceptis, id moræ quod nondum pugnarent, ad C potienda sperata rati prælium vno animo & voce vna poscunt. Apud Romanos haud quaquam tanta alacritas erat, super cetera recentibus etiam territos prodigiis. nam & lupus intrauerat castra, laniatisque obuiis, ipse intactus euaserat: & examen apum in arbore prætorio imminente consederat. Quibus procuratis, Scipio cum equitatu iaculatoribúsque expeditis profectus ad castra hostium, éxque propinquo copias, quantæ & cuius generis essent, speculandas, obuius fit Annibali, & ipsi cum equitibus ad ex- D ploranda circa loca progresso. neutri alteros primo cernebant. densior deinde incessu tot hominum equorúmque oriens puluis, signum propinquantium hostium fuit. Consistit vtrumque agmen prælio sese expediebant. Scipio iaculatores & Gallos equites in fronte locat: Romanos, sociorúmque quod roboris fuit, in subsidiis. Annibal frenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vix dum clamore sublato, iaculatores fugere inter subsidia ad secundam aciem. inde equitum certamen E erat aliquandiu anceps. deinde quia turbabant equos pedites intermisti, multis labentibus ex equis, aut desilientibus, vbi suos premi circumuentos vidissent, iam magna ex parte anceps pugna erat: donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumuecti, paululum ab tergo se ostendere. Is pauor perculit Romanos: auxitque pauorem Cos. vulnus, periculumque intercursu tum primum pubescentis filij propulsatum. Hic erat iuuenis, penes quem perfecti huiusce belli laus est, Africanus ob egregiam F victoriam de Annibale & de Pœnis appellatus. fuga tamen effusa iaculatorum maximè fuit, quos primos Numidæ inuaserunt. Alius confertus equitatus Cos. in medium acceptum, non armis modo, sed etiam corporibus suis protegens, in castra, nusquam trepide neque effuse cedendo reduxit. Seruati Cos. decus Cœlius ad seruum, natione Ligurem, delegat. Malim equidem de filio verum esse, quod & plures tradidere auctores: seruum fama obtinuit. Hoc primum cum Annibale prælium fuit: quo facile apparuit, & equitatu meliorem Pœnum esse: & ob G id campos patentes, quales sunt inter Padum alpésque, bello gerendo Romanis aptos non esse. Itaque proxima nocte iussis militibus vasa silentio colligere, castra ab Ticino mota: festinatumque ad Padum est, vt ratibus, quibus iniunxerat flumen, nondum resolutis, sine tumultu atque insectatione hostis, copias traiiceret. Prius Placentiam peruenere, quàm satis sciret Annibal ab Ticino profectos: tamen aliquot moratorum in citeriore ripa

segnitet ratem soluentes cepit. transire non potuit
pontem, vt extrema resoluta erant, tota rate in
secundam aquam labente. Cœlius auctor est, Ma-
gonem cum equitatu & Hispanis peditib. flumen
extemplo transnatasse: ipsum Annibalem per supe-
riora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis
in ordinem ad sustinendum impetum fluminis op-
positi. Ea periti amnis eius vix fecerint: nam ne-
que equites armis equisque saluis tantam vim flu-
minis superasse verisimile est, vt iam Hispanos om-
neis inflati transuexerint vtres: & multorum die-
rum circuitu Papi vada petenda fuerint, qua exer-
citus grauis impedimentis traduci posset. Potiores
apud me auctores sunt, qui biduo vix locũ rate iun-
gendo flumini inuentum tradunt, ea cum Magone
equites Hispanorum expeditos præmissos. Dum
Annibal circa flumen legationibus Gallorum au-
diendis moratus, traiicit grauius peditum agmen.
interim Mago equitésque ab transitu fluminis diei
vnius itinere Placentiam ad hostes contendunt. An-
nibal paucis post diebus sex millia à Placentia ca-
stra communiuit, & postero die in conspectu hostiũ
acie directa, potestatem pugnæ fecit. Insequenti
nocte cædes in castris Romanis, tumultu tamen
quàm re maior, ab auxiliaribus Gallis facta est. Ad
duo millia peditum, & ducenti equites, vigilibus
ad portas trucidatis, ad Annibalem transfugiunt:
quos Pœnus benigne allocutus, & spe ingentium
donorum accensos, in ciuitates quẽque suas ad so-
licitandos popularium animos demisit. Scipio cędẽ
eam signum defectionis omnium Gallorum esse ra-
tus, contactosque eo scelere velut iniecta rabie ad
arma ituros: quanquam grauis adhuc vulnere erat,
tamen quarta vigilia noctis insequẽtis tacito agmi-
ne profectus ad Trebiam fluuium, in loca altiora,
collésque impeditiores equiti castra mouet. Minus
quam ad Ticinum fefellit. missisque Annibal primũ
Numidis, deinde omni equitatu, turbasset vtiq; no-
uissimum agmen, ni auiditate prædæ in vacua Ro-
mana castra Numidæ diuertissent. ibi dum per scru-
tantes loca omnia castrorum, nullo satis digno mo-
ræ pretio tempus terunt, emissus hostis de manibus
est: & cum iam transgressos Trebiam Romanos, me-
tantésque castra conspexissent, paucos moratorum
occiderũt circa flumen interceptos. Scipio nec ve-
xationem vulneris in via iactantis vltra patiens, &
collegam (iam enim reuocatum ex Sicilia audierat)
ratus exspectãdũ, locũ, qui prope flumen tutissimus
statiuis est visus, delectum communiuit. Nec procul
inde Annibal consedisset, quantũ victoria equestri
elatus, tantum anxius inopia, quæ per hostiũ agros
euntem nusquam præparatis commeatibus maior
indies excipiebat: ad Clastidium vicum, quo ma-
gnum frumenti numerum congesserant Romani,
mittit, ibi cum vim pararent, spes facta proditionis:
nec sane magno pretio, nummis aureis quadringẽ-
tis datis P. Brundusino præfecto præsidij corrupto,
traditur Annibali Clastidium, id horreum fuit
Pœnis sedentibus ad Trebiam. In captiuos ex tra-
dito præsidio, vt fama clementiæ in principio re-
rum colligeretur, nihil sæuitum est. Cum ad Tre-
biam terrestre constitisset bellum, interim circa Si-
ciliam insulásque Italiæ imminentes, & à Sempro-
nio consule, & ante aduentum eius terra marique
res gestæ. Viginti quinqueremes cũ mille armatis
ad depopulandam oram Italiæ à Carthaginensibus
missæ nouem Liparas octo insulam Vulcani tenue-
runt, tres in fretum auertit æstus. Ad eas conspectos
à Messana duodecim naues ab Hierone rege Syra-
A cusanorum missæ, qui tum fortè Messanæ erat, con-
sulem Romanum operiens, nullo repugnante ca-
ptas naues Messanam in portum deduxerunt. Co-
gnitum ex captiuis præter viginti naues, cuius ipsi
classis essent, in Italiam missas, quinque & triginta
alias quinqueremes Siciliam petere ad solicitandos
veteres socios. Lilybæi occupandi præcipuam cu-
ram esse credere eadem tempestate qua ipsi disiecti
forent, eam quoque classem ad Ægateis insulam
deiectam. Hæc sicut audita erant, rex Messanæ Æ-
mylio prætori, cuius Sicilia erat prouincia, perscri-
B bit: monétque Lilybæum firmo teneret præsidio.
Extemplò & circa prætorem ad ciuitates missi lega-
ti, tribunique, qui suos ad curam custodiæ intende-
rent: ante omnia Lilybæum teneri ad apparatum
belli: edicto proposito, vt socij nauales decem dierũ
cocta cibaria ad naues deferrẽt: vbi signũ datum es-
set, ne qui moram conscendendi facerent: pérque
omnem oram qui erant, ex speculis conspicerent
aduentantem hostium classem. Simul atque, quan-
C quam de industria morati cursum nauium erant
Carthaginiẽses, vt ante lucem accederent Lilybæũ:
præsensum tamen est, quia & luna pernox erat, &
sublatis armamentis veniebant: extemplò datum è
speculis signum, & in oppido ad arma conclamatũ
est, & in naues conscensum, pars militum in muris
portarúmque stationibus, pars in nauibus erant. Et
Carthaginiẽses, quia rem fore haud cum imparatis
cernebant, vsque ad lucem portu se abstinuerunt:
demendis armamentis eo tempore, aptandáque ad
D pugnam classe absumto. Vbi illuxit, recepere classẽ
in altum, vt spatium pugnæ esset, exitúmque libe-
rum è portu naues hostium haberent. Nec Romani
detrectauere pugnam, & memoria circa ea ipsa lo-
ca gestarum rerum freti & militum multitudine ac
virtute. Vbi in altũ euecti sunt, Romanus confere-
re pugnã, & ex propinquo vires conferre velle. con-
tra eludere Pœnus, & arte nõ vi rem gerere, nauiũ-
que quàm virorum aut armorum malle certamen
facere. nam vt sociis naualibus affatim instructam
classem, ita inopem milite habebat: & sicubi cõser-
E ta manus esset, haudquaquam par numerus arma-
torũ ex ea pugnabat. Quod vbi animaduersum est,
& Romanis multitudo sua auxit animũ, & paucitas
illis minuit. Extemplo septem naues Punicæ cir-
cumuentæ, fugã ceteræ ceperũt. Mille & DCC. fue-
re in nauib. capti milites, nautæq; in iis tres nobiles
Carthaginiẽsiũ. Classis Romana incolumis, vna tã-
tum perforata naui, sed ea quoque ipsa reduce, in
portum rediit. Secundũ hanc pugnã, nõdum gnaris
F eis qui Messanæ erant, T. Sempronius Cos. Messanã
venit, & fretum intranti rex Hiero, classem ornatã
obuiam duxit. trãsgressúsque ex regia in prętoriam
nauem, gratulatus sospitẽ cum exercitu & nauibus
aduenisse, precatúsque prosperũ ac felicem in Sici-
liam transitum, statum deinde insulæ, & Carthagi-
niensium conata exposuit: pollicitúsque est, quo a-
nimo priore bello populum Roman. iuuenis adiu-
uisset, eo senem adiuturum: frumenta vestimentá-
que se legionibus consulis sociisque naualib. gratis
G præbiturum: grande periculum Lilybætorũ mariti-
misque ciuitatibus esse, quibusdam volentib. no-
uas fore. Ob hoc consuli nihil cunctandum visum,
quin Lilybæum classe peteret: & rex regiáque clas-
sis vna profecti. nauigantes inde, pugnatum ad Li-
lybæum, fusásque & captas hostiũ naues accepere.
A Lilybæo Cos. Hierone cum classe regia dimisso,
relictoque prætore ad tuendam Siciliæ oram, ipse
in insulam Melitam, quæ à Carthaginiensibus te-

nebatur, traiecit. Aduenienti Amilcar Gisgonis filius præfectus præsidij, cum paulo minus duobus millibus militũ, oppidúmque, cum insula traditur. inde post paucos dies reditum Lilybæum: captiuique & à consule & à prætore, præter insignes nobilitate viros, sub corona venierunt. Postquá ab ea parte satis tutam Siciliam censebat consul, ad insulas Vulcani, quia fama erat stare ibi Punicam classem, traiecit. nec quisquam hostium circa eas insulas inuentus. iam forte transmiserant ad vastandam Italiæ oram: depopulatoque Vibonensi agro, vrbem etiam terrebant. Repetenti Siciliam consuli, excursio hostium in agrum Vibonensem facta nuntiatur: literæque à senatu de transitu in Italiam Annibalis, vt primo quoque tẽpore collegæ ferret auxilium, missæ traduntur. Multis simul anxius curis, exercitum extemplo in naues impositum Ariminum supero mari misit: Sex. Pomponio legato cum viginti quinque longis nauibus Vibonensem agrũ maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit: M. Æmylio Pr. quinquaginta nauium classem expleuit: ipse compositis Siciliæ rebus, decem nauibus oram Italiæ legens, Ariminum peruenit: inde cum exercitu suo profectus ad Trebiam flumen, collegæ coniungitur. Iam ambo cõsules & quicquid Romanarum virium erat, Annibali oppositum, aut illis copiis defendi posse Romanum imperium, aut spem nullam aliam esse, satis declarabat. Tamen consul alter equestri prælio vno & vulnere suo minutus, trahi rem malebat: recentis animi alter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur. Quod inter Trebiam Padumque agri est, Galli tum incolebát, in duorum præpotentium populorum certamine per ambiguum fauorem haud dubie gratiam victoris spectátes. Id Romani, ne quid modo mouerent, æquo satis, Pœnus periniquo animo ferebat, à Gallis accitum se venisse ad liberandum eos dictitans. Ob eam iram simul vt præda militum aleret, duo millia peditum & mille equites, Numidas plerósque, mistos quosdam & Gallos populari omnem deinceps agrum vsque ad Padi ripas iussit. Egentes opi Galli, cum ad id dubios seruassent animos, coacti ab auctoribus iniuriæ ad vindices futuros declinant: legatísque ad consulem missis, auxilium Romanorum terræ ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti, orant. Cornelio nec caussa nec tempus agendæ rei placebat: suspectaque ei gens erat, tum ob infida multa facinora: tum, vt alia vetustate obsoleuissent, ob recentem Boiorum perfidiam. Sempronius contra, continendis in fide sociis maximum vinculum esse, primos qui coissent, ope defensos, censebat. Tum collega cunctante, equitatum suum, mille peditum iaculatoribus ferme admistis, ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. hi sparsos & incompositos, oneratosque præda plerosque cum inopinantes inuasissent: ingentem terrorem, cædémque ac fugam vsque ad castra stationésque hostium fecere: vnde multitudine effusa pulsi, rursus subsidio suorum prælium restituere. varia inde pugna sequentes, quanquam ad extremum æquassent certamen, maior tamen hostium Romanis fama victoriæ fuit. Ceterum nemini omnium maior iustiorque, quam ipsi cõsuli videri. gaudio efferri, qua parte copiarum alter consul victus foret, ea se vicisse. restitutos ac refectos militum animos, nec quenquam esse præter collegam, qui dilatam dimicationem vellet, eum animo magis quám corpore ægrum memoria vulneris aciem ac tela horrere, sed non esse cum ægro senescendum. quid enim vltra differri, aut teri tempus? quem tertium consulé,

A quem alium exercitum exspectari? castra Carthaginiensium in Italia, ac prope in conspectu vrbis esse. non Siciliam ac Sardiniam victis ademtas, nec cis Iberum Hispaniam peti: sed solo patrio terraque in qua geniti forent, pelli Romanos. Quantum ingemiscant, inquit, patres nostri circa mœnia Carthaginis bellare soliti si videant nos, progeniem suá, duos consules consularésque exercitus in media Italia pauentes intra castra? Pœnum, quod inter Alpes Apenninumque agri sit suæ ditionis fecisse? Hæc assidens B ægro collegæ hæc in prætorio prope concionabundus agere. stimulabat & tempus propinquum comitiorum, ne in nouos consules bellum differretur: & occasio in se vnum vertendæ gloriæ, dum æger collega erat. Itaque nequicquam dissentiente Cornelio, parari ad propinquum certamen milites iubet. Annibal cum quid optimum foret hosti, cerneret: vix vllam spem habebat, temere atque improuide quicquam consules acturos. sed cum alterius ingenium C fama prius, deinde re cognitum, percitum, ac ferox sciret esse, ferociusque factum ex prospero cum prædatoribus suis certamine crederet: adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat, cuius ne quod prætermitteret tempus, solicitusque & intentus erat, dum tyro hostium esset miles, dum meliorem rex ducibus inutilem vulnus faceret: dum Gallorum animi vigerét. quorum ingétem multitudinem sciebat segnius secuturam, quanto longius ab domo traheretur. Cũ ob hæc taliáque speraret propinquum certamen, & facere si cessaretur, cuperet, speculatorésque Galli ad D ea exploranda quæ vellet, tutiores, quia in vtrisque castris militabant, paratos pugnæ esse Romanos retulissent: locum insidiis circumspectare Pœnus cœpit. Erat in medio riuus prę altis vtrinque clausus ripis, & circa obsitus palustribus herbis, & quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis, vepribusque, quem vbi ad equites quoque tegẽdos satis latebrosum locum circumuectus ipse oculis perlustrauit: Hic erit locus, Magoni fratri ait, quem teneas. delige centenos viros ex omni pedite atque equite: cum quibus E ad me vigilia prima venias. nunc corpora curare tẽpus est. Ita prętorium missum. mox cum delectis Mago aderat. Robora virorum cerno, inquit Annibal: sed vt & numero etiam, non animis modo valeatis, singulis vobis nouenos ex turmis manipulisque vestri similes eligite: Mago locum monstrabit, quem insideatis. hostem cæcum ad has belli artes habebitis. Ita mille equitibus Magoni, mille peditibus dimissis, Annibal prima luce Numidas equites F transgressos, Trebiam flumen obequitare iubet hostium portis, iaculandoque in stationes elicere ad pugnam hostem: iniecto deinde certamine, cedendo sensim citra flumen pertrahere. Hæc mandata Numidis ceteris ducibus peditum equitumque præceptum, vt prandere omnes iuberent: armatos deinde, instratisque equis signum exspectare. Sempronius ad tumultum Numidarum primum omnem equitatũ, ferox ea parte virium, deinde sex millia peditum, postremo omnes copias ad destinatũ locum iá ante G consilio, auidus certaminis eduxit. Erat forte brumæ tẽpus, & niualis dies in locis alpibus Apenninoque interiectis, propinquitate etiá fluminum ac paludũ prægelidis. adhæc raptim eductis hominibus atque equis, nõ capto ante cibo, non ope vlla ad arcendum frigus adhibita, nihil caloris inerat: & quicquid auræ fluminis appropinquabat, afflabat acrior frigoris vis. vt vero refugientes Numidas insequentes aquá ingressi sunt: & erat pectoribus tenus aucta nocturno imbri, tum vtique egressis rigere omnibus corpora. vt vix armorum tenendorum potẽtia esset: &

simul procedentes iam die, fame etiam deficere. Annibalis interim miles ignibus ante tentoria factis, oleoque per manipulos vt mollirent artus misso, & cibo per otium capto, vbi transgressos flumen nuntiatum est hostes, alacer animis corporibusque arma capit, atque in aciem procedit. Baleares locat ante signa, leuem armaturam, octo ferme millia hominum: deinde grauiorem armis peditem, quod virium, quod roboris erat: in cornibus circunfudit decem millia equitum, & ab cornibus in vtranque partem diuisos elephantos statuit. Consul effusos sequentes equites, cum ab resistentibus subito Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato reuocatos circundedit peditibus. Duodeuiginti millia Romanorum erant, socium nominis Latini xx. auxilia praeterea Cenomanorum, ea sola in fide manserat Gallica gens, his copiis concursum est. Praelium à Balearibus ortum est, quibus cū maiore robore legiones obsisterent, deductae propere in cornua leues armaturę sunt. quae res effecit, vt equitatus Romanus extemplo vrgeretur. nam cum vix iā per se resisterent decem millibus equitum quatuor millia, & fessi Romani plerisque integris Poenis, obruti sunt insuper velut nube iaculorum à Balearibus coniecta. ad hoc elephanti imminentes ab extremis cornibus, equis maximè non visu modo, sed odore insolito territis, fugam late faciebant. Pedestris pugna par animis magis quàm viribus erat, quas recentes Poenus paulo ante curatis corporibus in praelium attulerat: contra ieiuna fessaque corpora Romanis, & rigentia gelu torpebant. restitissent tamen animis si cum pedite solum foret pugnatum: sed & Baleares pulso equite iaculabantur in latera & elephanti iam in mediam peditum aciem sese tulerant: & Mago Numidaeque, simul latebras eorum improuida praetergressa acies est, exorti à tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere. Tamen in tot circunstantibus malis mansit aliquandiu immota acies, maximè praeter spem omnium aduersus elephātos. eos pedites ad id ipsum locati veruti cōiectis & auertere, & insecuti aduersos sub caudis, qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant. Trepidantes, propéque iam in suos consternatos media acie in extremam, ad sinistrum cornu aduersus Gallos auxiliares agi iussit Annibal. extēplo haud dubiam fecere fugam. additus quoque nouus terror Romanis, vt fusa auxilia sua viderunt. Itaque cum iam in orbem vtrinque pugnarent, decem millia ferme hominum, cum alia euadere nequiuissent, media Afrorum acie, quae Gallicis auxiliis firmata erat, cum ingenti caede hostium perrupere. & cum neque in castra reditus esset, flumine interclusis: neque prae imbri satis discernere possent, quasuis opem ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. Plures deinde in omnes partes eruptiones factae, & qui flumen petiere, aut gurgitibus absumti sunt, aut inter cunctationem ingrediendi ab hostibus oppressi. qui passim per agros fuga sparsi erant, vestigia cedentis sequentes agminis Placentiā contendere. aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen fecit, transgressique in castra peruenere. Imber niue mistus, & intoleranda vis frigoris, & homines multos, & iumenta, & elephantos prope omnes consumsit. Finis insequendis hostis Poenis flumē Trebia fuit. & ita torpentes gelu in castra rediere, vt vix laetitiam victorię sentirent. Itaque nocte insequenti cum praesidium Romanorum castrorum, & quod reliquum ex magna parte militum erat, ratibus Trebiam traiicerent: aut nihil sensere Poeni obstrepente pluuia: aut quia iam moueri prae lassitudine nequibant, ac vulneribus sentire sese dissimulauerunt: quietisque Poenis, tacito agmine ab Scipione Cos. exercitus Placentiam est perductus: inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum exercituū hybernis vna colonia premeretur. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, vt iam ad vrbem Romam crederent infestis signis hostem venturum: nec quicquam spei aut auxilij esse, quo portis moenibusque vim arcerent. Vno consule ad Ticinum victo, altero ex Sicilia reuocato, duobus cōsulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse, quae accerserentur? ita territis Sempronius Cos. aduenit. ingenti periculo per effusos passim ad praedandum hostium equites, audacia magis quam consilio, aut spe fallendi resistendive, si non falleret, transgressus. Id quod vnum maximè in praesentia desiderabatur, comitiis consularib. habitis, in hyberna rediit. Creati consules Cn. Seruilius & C. Flaminius. Ceterum ne hyberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus passim Numidis equitibus, & quae his impeditiora erant, Celtiberis, Lusitanísque. Omnes igitur clausi vndique commeatus erāt, nisi quos Pado naues subueherent. Emporium prope Placentiam fuit, & opere valido & magno munitum praesidio. Eius castelli oppugnandi spe cum equitibus ac leui armatura profectus Annibal, cum plurimum in celando incepto ad effectum spei habuisset, nocte adortus non fefellit vigiles. tantus repente clamor est sublatus, vt Placentię quoque audiretur. Itaque sub lucem cum equitu consul aderat, iussis quadrato agmine legionibus sequi. Equestre praelium interim commissum: in quo, quia Annibal saucius pugna, excessit, pauore hostibus iniecto. defensum egregiè praesidium est. Paucorum inde dierum quiete sumta, & vix dum satis percurato vulnere, ad Victumuias ire pergit oppugnandas. Id emporium à Romanis Gallico bello fuerat munitū. inde locum frequentauerant accolae, misti vndique ex finitimis populis: & tum terror populationum eo plerosque ex agris compulerat. Huius generis multitudo fama impigrè defensi ad Placentiam praesidij accensa, armis arreptis obuiam Annibali procedit. Magis agmine quam acie in via cōcurrerunt. & cum ex altera parte nihil praeter inconditam turbam esset. in altera & dux militi, & duci fidens miles: ad triginta quinque millia hominùm à paucis fusa. Postero die deditione facta, praesidium intra moenia accepere: iussique arma tradere, cum dicto paruissent, signum repente victoribus datur, vt tanquam vi captam vrbem diriperent: neque vlla quae in tali re memorabilis scribentibus videri solet, praetermissa clades est. adeo omnis libidinis crudelitatísque & inhumanae superbię editum in miseros est exēplum. Hae fuere hybernae expeditiones Annibalis. Haud longis inde temporibus, dum intolerabilia frigora erant, quies militi data est: & ad prima ac dubia signa veris profectus ex hybernis, in Hetruriam ducit, eam quoque gentem, sicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate adiuncturus. Transeuntē aūt Apenninum adeo atrox tempestas adorta est, vt alpium foeditatem prope superauerit. Vento mistus imber cum ferretur in ipsa ora: primum, quia aut arma omittenda erant, aut contra enitentes vortice intorti affligebantur, constitere. deinde cum iā spiritū intercluderet, nec reciprocare animam sineret, auersi à vento parūper cōsedere. Tū verò ingenti sono coelū strepere, & inter horrēdos fragores micare ignes. capti auribus & oculis, metu omnes torpere. Tandē effuso imbre, cum eo magis accensa vis venti esset. ipso illo quo deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum

visum. Id verò laboris velut de integro initium fuit. nam nec explicare quicquam, nec statuere poterant: nec quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento, & rapiente, & mox aqua leuata vento, cum super gelida montium cacumina concreta esset, tantum niuosæ grandinis deiecit, vt omnibus omissis procumberent homines, tegminibus suis magis obruti, quàm tecti, tantáque vis frigoris insecuta est, vt ex illa miserabili hominum iumentorúmque strage, cum se quisque attollere ac leuare vellet, diu nequiret: quia torpentibus rigore neruis, vix flectere artus poterant. deinde vt tandem agitando sese mouere, ac recepere animos, & raris locis ignis fieri est cœptus: ad alienam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco velut obsessi mansere multi homines, multa iumenta, elephanti quoque ex his qui prælio ad Trebiam facto superfuerant, septem absumti. Digressus Apennino retro ad Placentiam castra mouit, & ad decem millia progressus consedit. Postero die xii. millia peditum, quinque equitum aduersus hostem ducit. Nec Sempronius Cos. (iam enim redierat ab Roma) detrectauit certamen, atque eo die tria millia passuum inter bina castra fuere. Postero die ingentibus animis, vario euentu pugnatum est. primo concursu adeo res Romana superior fuit, vt non acie vincerent solum, sed perculsos hostes in castra persequerentur: mox castra quoque oppugnarent. Annibal paucis propugnatoribus in vallo portisque positis, ceteros confertos in media castra recepit: intentosque signum ad erumpendum spectare iubet. Iam nona fermè diei hora erat. cum Romanus nequicquā fatigato milite, postquam nulla spes erat potiundi castris, signum receptui. Quod vbi Annibal accepit, laxatámque pugnā, & recessum à castris vidit, extemplo equitibus dextra læuáque emissis in hostem, ipse cum peditum robore de his castris erupit. Pugna raro vlla magis sæua: & cum vtriusque partis pernicie clarior fuisset, si extendi à die in longum spatium quiuisset. nox accensum ingentibus animis prælium diremit. itaque acrior concursus fuit quàm cædes. & sicut æquata fermè pugna erat, ita clade pari discessum est. ab vtraque parte sexcentis plus peditibus, & dimidium eius equitum cecidit. sed maior Romanis quam pro numero iactura fuit: quia equestris ordinis aliquot, & tribuni militum quinque, & præfecti sociorum tres sunt interfecti. Secundum eam pugnam Annibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit. Venienti in Ligures Annibali, per insidias intercepti duo quæstores Romani, C. Fuluius & L. Lucretius cum duobus tribunis militum, & quinque equestris ordinis senatorum ferme liberis, quo magis ratam fore cum his pacem societatémque crederet, traduntur. Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Scipio in Hispaniam cum classe & exercitu missus, cum ab ostio Rhodani profectus, Pyrenæosq. mōtes circūuectus, Emporiis appulisset classem exposito ibi exercitu, orsus à Lacetanis omnē orā, vsque ad Iberū flumē, partim renouandis societatibus, partim nouis instituendis, Romanæ ditionis fecit. inde conciliata clementiæ fama, non ad maritimos modo populos, sed in mediterraneis quoq; ac montanis ad ferociores iam gentes valuit: nec pax modo apud eos, sed societas etiam armorum parata est: validæque aliquot auxiliorum cohortes ex iis conscriptę sunt. Hanno non inscius in Iberi prouincia erat. eum reliquerat Annibal ad regionis eius præsidium, itaque priusquam alienarentur omnia, obuiam eundū ratus, castris in conspectu hostiū positis, in aciem eduxit. Nec Romano differendum certamen visum;

A quippe cui sciret cum Hannone & Asdrubale sibi dimicandum esset, malléque aduersus singulos separatim, quam aduersus duos simul rem gerere. Nec magni certaminis ea dimicatio fuit. Sex millia hostium cæsa, duo capta cum præsidio castrorum: nam & castra expugnata sunt, atque ipse dux militum cū aliquot præsidiis capitur: & Scissum propinquum castris oppidum expugnatur. cæterum pręda oppidi parui pretij rerum fuit, supellex barbarica, ac vilium mancipiorum. castra militem ditauere, nō eius B modo exercitus, qui victus erat, sed & eius qui cum Annibale in Italia militabat, omnibus fere caris rebus, ne grauia impedimenta ferentibus essent, circa Pyrenæum relictis. Priusquam certa huius cladis fama accideret, trāsgressus Iberum Asdrubal cū octo millibus peditum mille equitibus tanquam ad primum aduentum Romanorum occursurus, postquam perditas res, amissaque castra accepit, iter ad mare conuertit. Haud procul Tarracone classicos milites C naualésque socios vagos palātésque per agros (quod ferme fit, vt secundæ res negligentiam creent) equite passim dimisso, cum magna cæde, maiore fuga ad naues compellit. nec diutius circa eā loca morari ausus, ne à Scipione opprimeretur, trans Iberum sese recepit. Et Scipio raptim ad famam nouorum hostium agmine acto, cum in paucos præfectos paululum animaduertisset, præsidio Tarracone modico relicto, Emporias cum classe rediit. Vix dum digresso eo, Asdrubal aderat: & Ilergetum populo, qui obsides Scipioni dederat, ad defectio- D nem impulso, cum eorum ipsorum iuuentute agros fidelium Romanis sociorum vastat. Excito deinde Scipione hybernis, toto cis Iberum rursus cedit agro. Scipio relictam ab auctore defectionis Ilergetum gentem, cum infesto exercitu inuasisset, compulsis omnibus, Athanagiam vrbem, quæ caput eius populi erat, circumsedit: intráque dies paucos pluribus quam ante obsidibus imperatis, Ilergetes pecunia etiam mulctatos in ius ditioném- E que recepit, inde in Ausetanos prope Iberum, socios & ipsos Pœnorum, procedit: atque vrbe eorum obsessa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes, nocte haud procul iam vrbe, cum intrare vellent, excepit insidiis. Cęsa ad duodecim millia, exuti pene omnes armis, domos passim palantes per agros diffugere nec obsessos alia vlla res quàm iniqua oppugnantibus hyems tutabatur. xxx. dies obsidio fuit, per quos raro vnquam nix minus quatuor pedes alta iacuit: adeoque pluteos ac vineas Romanorum operuerat, vt ea sola, ignibus aliquoties coniectis ab F hoste, etiam tutamentum fuerit. postremo cum Amusitus princeps eorum ad Asdrubalem profugisset, viginti argenti talentis pacti deduntur Tarraconem in hyberna reditum est. Romæ autem & circa vrbem multa ea hyeme prodigia facta: aut (quod euenire solet motis semel in religionem animis) multa nuntiata, & temere credita sunt. in queis ingenium infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse: & foro boario bouem in tertiam contignationem sua sponte scandisse, atque G inde tumultu habitatorum territum sese deiecisse. & nauium speciem de cœlo affulsisse: & ædem Spei, quæ in foro olitorio est, fulmine ictam: & Lanuuij hastam se commouisse & coruum in ædem Iunonis deuolasse, atque in ipso puluinario consedisse: & in agro Amiternino multis locis hominū species procul candida veste visa, nec tamen illis congressos: & in Piceno lapidibus pluisse: & Cære sortes extenuatas: & in Gallia lupum vigili gladium è vagina raptum abstulisse. Ob cetera prodigia libros adire

decemuiri iussi. quod autem lapidibus pluisset in Piceno, nouendiale sacrum edictum: & subinde aliis procurandis propè ciuitas operata fuit. Iam primum omnium vrbs lustrata est: hostiæque maiores quibus edictum est diis cæsæ: & donum ex auri pondo xl. Lanuuium Iunoni portatum est: & signum æneú matronæ Iunoni in Auentino ędificauerunt: & lectisternium Cære, vbi sortes extenuatæ erant, imperatum: & supplicatio Fortunæ in Algido: Romæ quoque & lectisternium Iuuentæ, & supplicatio ad ædem Herculis, nominatim deinde vniuerso populo circa omnia puluinaria indicta: & Genio maiores hostiæ cæsæ quinque: & C. Attilius Seranus prętor vota suscipere iussus: si in decem annos R. P. eodem stetisset statu. Hæc procurata votáque ex libris Sibyllinis magna ex parte leuauerant animum religione. Consulum designatorum alter Flaminius, cui eę legiones, quę Placentię hybernabant, sorte euenerant: edictum & literas ad consulem misit, vt is exercitus Idibus Martiis Arimini esset in castris. Huic in prouincia consulatum inire consilium erat, memori veterum certaminum cum patribus, quę tribunis plebis, & quæ post a consul, prius de consulatu qui abrogabatur, deinde triumpho habuerat: inuisus etiam senatui ob nouam legem, quam iniquè Q. Claudius tribunus plebis aduersus senatum, vno patrum adiuuante C. Flaminio, tulerat: ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quę plus quàm trecentarum amphorarum esset, haberet. id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. Quęstus omnis patribus indecorus visus est. Res per summam contentionem acta, inuidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminio, fauorem apud plebem, alterumque inde consulatum peperit. Ob hoc ratus auspiciis ementiendis, Latiarumque feriarum mora, & consularibus aliis impedimentis retenturos se in vrbe, simulato itinere priuatus clam in prouinciam abiit. ea res vbi palam facta est, nouam insuper iram infestis iam ante patribus mouit. non cum senatu modo, sed cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere. consulem ante inauspicato factum, reuocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non paruisse: & nunc conscientia præteritorum, & Capitolium & solemnem votorum nuncupationem fugisse: ne die initi magistratus Iouis Opt. Max. templum adiret: ne senatum inuisum ipsi, & sibi vni inuisum, videret, consulerétque: ne Latinas indiceret, Iouique Latiali solemne sacrum in monte Albano faceret: ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad prouinciam iret, lixę modo sine insignibus, sine lictoribus profectum clam, furtim, haud aliter quàm si exsilij causa solum vertisset: magis pro maiestate videlicet imperij Arimini, quam Romæ magistratúm initurum: & in diuersorio hospitali, quam apud penates suos prætextam sumturum. Reuocandum vniuersi retrahendumque censuerunt: & cogendum omnibus prius præsentem in deos hominésque fungi officiis, quam ad exercitum & in prouinciam iret. In eam legationem (legatos enim mitti placuit) Q. Terentius & M. Antistius profecti, nihilomagis eum mouere, quàm priori consulatu literæ mouerant, à senatu missæ. Paucos post dies magistratú iniit: immolantique ei vitulus iam ictus è manibus sacrificantium, sese cum proripuisset, multos circumstátes cruore respersit. Fuga procul etiá maior apud ignaros quid trepidaretur, & concursatio fuit, id à plerisque in omen magni terroris acceptum. Legionibus inde duabus à Sempronio prioris anni consule, duabus à C. Attilio prætore acceptis, in Hetruriam iam per Appennini tramites exercitus duci est cœptus.

DECADIS TERTIAE LIBER II.

IAM ver appetebat, cum Annibal ex hybernis mouit, & nequicquam ante conatus transcendere Appenninum in tolerandis frigoribus, & cum ingenti periculo moratus, ac metu Galli, quos prædæ populationúmque conciuerat spes: postquam pro eo vt ipsi ex alieno agro raperent agerentque suas terras sedem belli esse, premíque vtriusque partis exercitum viderent hybernis, verterunt retro ad Annibalem ab Romanis odia: petitusque sæpe principum insidiis, ipsorumque inter se fraude, eadem leuitate qua consenserát, consensum indicantium, seruatus erat: & mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidiis muniebat. ceterum hic quoque ei timor caussa fuit maturius mouendi ex hybernis. Per idem tempus Cn. Seruilius Romæ Idibus Martiis magistratum iniit. Ibi cum de repub. retulisset, redintegrata in C. Flaminium inuidia est, duos se consules creasse, vnum habere. quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esset magistratus: id à domo, publicis priuatisque penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre: nec priuatum auspicia sequi: nec sine auspiciis profectú in externo ea solo noua atque integra cócipere posse. Augebát metum prodigia ex pluribus simul locis nuntiata: in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia auté in muro circumeunti vigilias equiti, Scipionem quem manu tenuerat, arsisse: & littora crebris ignibus fulsisse: & scuta duo sanguiné sudasse: & milites quosdam ictos fulminibus: & solis orbem minui visum: & Præneste ardentes lapides cœlo cecidisse: & Arpis palmas in cœlo visas, pugnantémque cum luna solé: & Capenę duas interdiu lunas ortas: & aquas Cærete sanguine mistas fluxisse, fontémq. ipsum Herculis cruétis manasse, sparsú maculis, & in Antij agro metétibus, cruentas in corbé spicas cecidisse: & Faleriis cœlú findi visum velut magno hiatu: quaque patuerit ingens lumen effulsisse: sortes sua sponte attenuatas, vnámque excidisse ita scriptam: Mauors telú suú concutit, & per idem tempus Romæ signum Martis Appia via ad simulacra luporú sudasse & Capuæ speciem cœli ardentis fuisse, lunæque inter imbrem cadentis. Inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: capras lanatas quibusdam factas, & gallinam in marem, gallum in fœminam sese vertisse. His sicut erant nuntiata expositis, auctoribúsque in curiam introductis, consul de religione patres consuluit. Decretum, vt ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactantibus procurarentur: & vti supplicatio per triduum ad omnia puluinaria haberetur. Cetera, cum decemuiri libros inspexissent, vt ita fierent, quemadmodum cordi esse diui carminibus præfarentur. id decemuirorum monitú decretum est, Ioui primum donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret: Iunoni Mineruæque ex argento daretur: & Iunoni Reginæ in Auentino, Iunonique Sospite Lanuuij maioribus hostiis sacrificaretur.

ficaretur: matronæque pecunia collata, quantū conferre cuique commodum esset, donum Iunoni Reginæ in Auentinum ferrent, lectisterniúmque fieret: quin & libertinæ, & ipsæ, vnde Feroniæ donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Hæc vbi facta, decemuiri Ardeæ in foro maioribus hostiis sacrificarunt, postremo ex libris Decembri iam mense ad ædem Saturni Romæ immolatū est, lectisterniúmque imperatum (& eum lectum senatores strauerunt) & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatum, populúsque eum diem festum habere ac seruare in perpetuum iussus. Dum consul placandis Romæ diis, habendoque delectu dat operam, Annibal profectus ex hybernis, quia iam Flaminium consulem Arretium peruenisse fama erat: cum aliud longius, ceterum commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit, qua fluuius Arnus per eos dies solito magis inundauerat. Hispanos & Afros, & omne quod veterani erat robur exercitus, admistis ipsorum impedimentis, nec vbi consistere coactis necessaria ad vsus deessent, primos ire iussit, sequi Gallos, vt id agminis medium esset, nouissimos ire equites: Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen: maxime Gallos, si tædio laboris, longæque viæ (vt est mollis ad talia gens) dilaberentur aut subsisterent, cohibentem. Primi, qua modo præirent duces, per præaltas fluuij ac profundas voragines hausti pene limo, immergentésque se, tamen signa sequebantur. Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere ex voraginibus poterant: aut corpora animis, aut animos spe sustinebant: alij fessa ægre trahentes membra: alij vbi semel victis tædio animis procubuissent, inter iumenta & ipsa iacentia passim morientes, maximéque omnium vigiliæ conficiebant, per quatriduum iam & tres noctes toleratæ. Cum omnia obtinentibus aquis, nihil vbi in sicco fessa sternerent corpora, inueniri posset, cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant. iumentorum itinere toto prostratorum passim aceerui, tantum quod exstaret aqua quærentibus ad quietem, parui temporis necessarium cubile dabant. Ipse Annibal æger oculis ex verna primum intemperie variante calores frigoráque, elephanto, qui vnus superfuerat, quod altius ex aqua exstaret, vectus: vigiliis tamen, & nocturno humore, palustrique cœno grauante caput, & quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur. Multis hominibus iumentisque fœde amissis, cum tandem de paludibus emersisset, vbi primum in sicco potuit, castra locat: certumque per præmissos exploratores habuit, exercitum Romanum circa Arretij mœnia esse. consulis deinde consilia atque animum, & situm regionum, itineráque, & copias, atque commeatus expediēdos, & cetera quæ cognoscenda in re erant, summa omnia cum cura inquirēdo exsequebatur. Regio erat in primis Italiæ fertilis, Hetrusci campi, qui Fesulas inter Arretiumque iacent frumenti ac pecoris, & omnium copia rerum opulenti. Consul ferox ab consulatu priore, & non modo legum aut patrum maiestatis, sed ne deorum quidem satis metuens erat. hác insitam ingenio eius temeritatem fortuna prospero ciuilibus bellicisque rebus successu aluerat. itaque satis apparebat, nec deos nec homines consulentem, ferociter omnia ac præpropere acturum: quoque pronior esset in vitia sua, agitare eum atque irritare Pœnus parat: & leua relicto hoste, Fesulas petens, Hetruriæ agros prædatum profectus. quantam maximam vastitatem potest, cædibus incendiisque cōsuli procul ostendit. Flaminius, qui ne quieto quidē

A hoste ipse quieturus erat: tum verò, posteaquam res sociorum ante oculos prope suos ferri agique vidit, suum id dedecus ratus, per mediam iam Italiam vagari Pœnum, atque obsistente nullo ad ipsa Romana mœnia ire oppugnanda: ceteris omnibus in consilio salutaria magis quam speciosa suadētibus, collegam exspectandum, vt coniunctis exercitibus cōmuni animo consilioque rem gererent, interim equitatu, auxiliisque leuium armorum ab effusa prædandi licentia hostem cohibendum: iratus, se ex cōsilio proripuit, signumque simul itineris pugnæque B proposuit. Quinimo Arretij ante mœnia sedeamus, inquit: hic enim patria & penates sunt: Annibal emissus è manibus perpopuletur Italiam, vastandoque & vrendo omnia, ad Romana mœnia perueniat. nec ante nos hinc mouerimus, quàm, sicut olim Camillū ab Veiis, C. Flaminium ab Arretio patres acciuerint. Hæc simul increpans, cum ocyus signa cōuelli iuberet, & ipse in equum insiluisset, equus repente corruit, consulémque lapsum super caput effudit. Territis omnibus qui circa erant, velut fœdo C omine incipiendæ rei, insuper nuntiatur, signum omni vi moliente signifero conuelli nequire. Conuersus ad nuntium: Num literas quoque, inquit, ab senatu affers, quæ me rem gerere vetent? abi, nuntia, signum effodiant, si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerint. Incedere inde agmen cœpit. primoribus, super quam quod dissenserant à consilio, territis etiam duplici prodigio: milite in vulgus læto ferocia ducis, cum spem magis ipsam quā caussam spei intueretur. Annibal quod agri est inter D Cortonam vrbem Thrasymenumque lacum omni clade belli peruastat, quo magis iram hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat. Et iam peruenerant ad loca insidiis nata, vbi maximè montes Cortonenses Thrasymenus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio: deinde paulo latior patescit campus, inde colles assurgunt. Ibi castra in aperto locat, vbi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret. Baleares, E ceterámque leuem armaturam post mōtes circumducit: equites ad ipsas fauces saltus tumulis aptè tegentibus locat: vt vbi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu ac montibus essent. Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum peruenisset, inexplorata postero die vixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit: id tantum hostium, quod ex aduerso erat, aspexit: à tergo ac super caput detectæ insidiæ. Pœnus vbi id quod petierat, clausum lacu montibusque, & circumfusum suis copiis habuit F hostem, signum omnibus dat inuadēdi. Qui vbi qua cuique proximum fuit, decurrere, eo magis Ro. subita atque improuisa res fuit, quod orta ex lacu nebula, campo quam montibus densior sederat: agminaque hostium ex pluribus vallibus ipsa inter se satis conspecta, eoque magis pariter decurrerunt. Romanus clamore prius vndique orto, quàm satis cerneret, se circumuentum esse sensit: & ante in frōtem lateraque pugnari cœptum est, quā satis instrueretur acies, aut expediri arma, stringiq. gladij possent. G Consul perculsis omnibus, ipse satis vt in trepida re impauidus, turbatos ordines, vertentésque se quoq. ad dissonos clamores instruit, vt tempus locusq. patitur: & quacūq. potest, adhortatur, ac stare & pugnare iubet. Nec enim inde votis, aut imploratione deū, sed vi ac virtute euadendū esse. per medias acies ferro viā fieri: & quo timoris minus sit, eò minus ferme periculi esse. Ceterum præ strepitu ac tumultu, nec cōsilium nec imperiū accipi poterat: tantúq. aberat,

vt sua signa atque ordinem & locum nosceret miles, vt vix ad arma capienda aptandáque pugna cõpeteret animus: opprimerenturque quidam onerati magis his quam tecti. & erat in tanta caligine maior vsus aurium quam oculorum ad gemitus vulnerum, ictusque corporum aut armorum, & mistos strepentium pauentiumque clamores circumferebant ora, oculósque. Alij fugientes pugnantium globo illati hærebant, alios redeuntes in pugnam auertebant fugientium agmen. Deinde vbi in omnes partes nequicquam impetus facti, & ab lateribus montes ac lacus, à fronte & à tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullá nisi in dextra ferroque salutis spem esse: tum sibi vnusquisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, & noua de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios: nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies: nec vt in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset, sors cõglobabat, & animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat: tantusque fuit ardor animorum, adeò intentus pugnæ animus, vt eum terræmotum, qui multarũ vrbium Italiæ magnas partes prostrauit, auertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit. Tres fermè horas pugnatum est, & vbique atrociter, circa consulẽ tamen acrior infestiorque pugna erat. cum & robora virorum sequebantur: & ipse quacunque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opẽ: insignisque armis, & hostem summa vi petebat, & tuebatur suos ciues: donec Insuber equum (Ducario nomen erat) faciemque noscitãs: Consul, inquit, hic est, popularibus suis, qui legiones nostras cæcidit, agrosq; & vrbem est depopulatus. iam ego hanc victimam Manibus peremtorum fœde ciuium dabo. subditisque calcaribus equo, per confertissimã hostium turbam impetum facit: obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obuiam obiecerat, consulem lancea transfixit. spoliare cupientem, triarij obiectis clypeis arcuere. Magnę partis fuga inde primum cœpit: & iam nec lacus nec montes obstabant pauori. per omnia arcta præruptáque veluti cæci euadunt: armáque & viri super alium ali præcipitantur. pars magna vbi locus fugæ deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt, sese immergunt. fuere quos inconsultus pauor nando etiam capessere fugam impulerit. quæ vbi immensa, ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut vbi nequicquã festinauerant, retro ægerrimè terram repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia fermè primi agminis per aduersos hostes eruptione impigrè facta, ignari omnium quæ post se agerentur, ex saltu euasere. & cum in tumulo quodam cõstitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quæ fortuna pugnæ esset, neque scire, nec perspicere præ caligine poterant. Inclinata ad iniqua re, cum calescente sole depulsa nebula aperuisset diem, tum liquida iam luce montes campique perditas res, stratamque ostendere fœde Romanam aciem. itaque ne in conspectos procul immitteretur eques: sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine, sese abripuerunt. postero die cum super cetera extrema fames etiam instaret: fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, sese dediderunt. quæ Punica religione seruata fides ab Annibale est, atque in vincula omnes

A coniecti. Hæc est nobilis ad Thrasymenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt: decem millia sparsa, fuga per omnem Hetruriam diuersis itineribus Romam petiere. Mille & quingenti hostium in acie, multi postea vtrinque ex vulneribus periere. Multiplex cædes vtrinque facta traditur ab aliis. Ego præterquam quod nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme sub scribentium animi: Fabium æqualẽ temporibus, huiusce belli potissimum auctorem habui. Annibal captiuorum qui Latini nominis essent, sine pretio di-

B missis, Romanis in vincula datis, segregata ex hostium coaceruatorũ cumulis corpora suorum cum sepeliri iussisset, Flaminij quoq; corpus funeris caussa magna cum cura inquisitum non inuenit. Romæ ad primum nuntium cladis eius, cum ingenti terrore ac tumultu cõcursus in forũ populi est factus. Matronæ vagæ per vias, quæ repens clades allata, quæve fortuna exercitus esset, obuios percunctãtur. & cum

C frequentis cócionis modo turba in comitium & curiam versa, magistratus vocaret: tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius Pr. Pugna, inquit, magna victi sumus. & quaquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt: cõsulem cum magna parte copiarum cæsum: superesse paucos, aut fuga passim per Hetruriam sparsos, aut captos ab hoste. Quot casus exercitus victi fuerãt, tot in curias dispertiti eorum animi erant, quorũ propinqui sub C. Flaminio Cos.

D meruerant, ignorantiũ quæ cuiusque suorũ fortuna esset. nec quisquam satis certum habet, quid aut speret, aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus ad portas maior prope mulierum quam virorũ multitudo stetit, aut suorũ aliquẽ, aut nũtios de his opperiens: circumfundebanturque obuiis sciscitantes: neque auelli vtique à notis, prius quã ordine omnia inquisissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, vt cuique aut læta aut tristia nuntiabantur: gratulantésque aut consolãtes re-

E deũtibus domos circũfusos. Fœminarum præcipuè & gaudia insignia erant, & luctus. Vnã in ipsa porta, sospite filio repente oblato, in conspectu eius exspirasse ferunt: alteram, cui mors filij falso nũciata erat, mœstam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filij gaudio nimio exanimatam. Senatum prætores per dies aliquot ab orto vsque ad occidẽtẽ solem in curia retinent, consultantes, quonam duce, aut quibus copiis resisti victoribus Pœnis posset. priusquam satis certa consilia essent, repens alia nũ-

F tiatur clades: quatuor millia equitum C. Centronio proprætore missa ad collegã à Seruilio Cos. in Vmbria, quo post pugnam ad Thrasymenum auditam auerterant iter, ab Annibale circumuenta. Eius rei fama variè homines affecit. pars occupatis maiore ægritudine animis, leuem ex cõparatione priorũ ducere recentem equitum iacturam pars non id quod acciderat, per se æstimare: sed vt in affecto corpore quamuis leuis caussa magis quã valido, grauior sentiretur: ita cum ægræ & affectæ ciuitati quodcun-

G que aduersi inciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis, quæ nihil quod aggrauaret, pati possent, æstimandum esse. Itaque ad remedium iamdiu desideratum, nec adhibitum, dictatorem dicendum, ciuitas confugit: & quia & consul aberat, à quo vno dici posse videbatur: nec per occupatã armis Punicis Italiam facilè erat aut nũtium aut literas mitti: nec dictatorem populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatorem populus creauit Q. Fabium Maximum, & magi-

magistratum equitum M. Minutium Rufum, hisque negotium ab senatu datum, vt muros turrésque vrbis firmarent, & præsidia disponerent, quibus locis videretur, pontésque rescinderet fluminum: ac tum pro penatibus, pro vrbe dimicandum esse, quando Italiā tueri nequiuissent. Annibal interim recto itinere per Vmbriam vsque ad Spoletum venit. inde cum perpopulato agro vrbé oppugnare adortus esset, cum magna cæde suorum repulsus, coniectans ex vnius coloniæ haud nimis prosperè tentatæ viribus, quanta moles Romanę vrbis esset, in agrum Picenum auertit iter, non copia solum omnis generis frugum abundantem, sed refertum præda, quam effuse auidi atque egentes rapiebant. ibi per dies aliquot statiua habita: refectúsque miles hybernis itineribus ac palustri via, prælióque magis ad euentum secundo quā leui aut facili, affectus. Vbi satis quieti datum, præda ac populationibus magis quàm otio aut requie gaudentibus, profectus, Prætutianum Adrianúmque agrum, Marsos inde Marrucinósque & Pelignos deuastat, circáque Arpos & Luceriam proximam Apuliæ regionem, Cn. Seruilius Cos. leuibus prœliis cum Gallis actis, & vno oppido ignobili expugnato, postquā de collegæ exercitusque cæde audiuit, iam mœnibus patriæ metuens, ne abesset in discrimine extremo, ad vrbem iter intendit. Q. Fabius Maximus dictator, quo die magistratum iniit, vocato senatu, ab diis orsus, cum edocuisset patres, plus negligentia ceremoniarum, auspiciorúmque, quàm temeritate atque inscitia peccatum à C. Flaminio Cos. esse: quæque piacula iræ deū essent, ipsos deos consulendos esse: peruicit, vt (quod non ferme decernitur, nisi cum tetra prodigia nūtiata sunt) decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur. qui inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod eius belli caussa votum Marti foret, id nō rite factum, de integro atque amplius faciendum esse: & Ioui ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vouendas esse, & supplicationem lectisterniúmq; habédum, & ver sacrum vouendum: si bellatum prospere esset, résque publica in eodem quo ante bellum fuisset, statu permāsisset. Senatus quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Æmyliū Præt. ex collegij pontificum, sententia omnia ea vt mature fiant, curare iubet. His senatusconsultis perfectis, L. Cornelius Lentulus Pont. Max. consulente collegio pontificum omnium primum populum consulendum de vere sacro censet: iniussu populi voueri non posse. Rogatus in hæc verba populus: Velitis iubeatísne hoc sic fieri? si res populi Rom. Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, salua seruata erit hisce duellis, datum donum duit populus Rom. Quiritium, quod duellum pop. Rom. cum Carthaginiensi est: quæque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt: quod ver attulerit ex suillo, ouillo, caprino grege, quęque profana erunt, Ioui fieri, ex qua die senatus populúsque iusserit, qui faciat, quando volet, quaque lege volet, facito: quo modo faxit, probe factum esto. si id moritur, quod fieri oportebit, profanum esto, neque scelus esto. Si quis rūpet, occidétve insciens, ne fraus esto. si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit. si atro die faxit insciens, probe factum esto. si nocte siue luce, siue seruus, siue liber faxit, probe factū esto. si ante id ea senatus populúsque iusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus, liber esto. Eiusdem rei caussa ludi magni voti æris CCCXXXIII. millibus, triente: præterea bubus Ioui CCC. multis aliis diuis bubus albis, atque ceteris hostiis. Votis rite nūcupatis, supplicatio edicta: supplicatumque iit cum coniugibus ac liberis non vrbana

A multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publica quoque contingebat. Curatum lectisternium, & per triduum habitum, decemuiris sacrorum curātibus. & puluinaria in conspectu fuere, Ioui & Iunoni vnum: alterum Neptuno & Mineruæ: tertium Marti ac Veneri: quartum Apollini ac Dianæ: quintum Vulcano ac Vestæ: sextum Mercurio & Cereri. Tum ædes votæ. Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus dictator vouit: quia ita ex fatalibus libris editum erat, vt is voueret cuius maximum imperium in ciuitate esset. Menti ædem Atilius prætor vouit. Ita rebus diuinis peractis, tum de

B bello réque publica dictator retulit, quibus quotve legionibus victori hosti obuiam eundem esse Patres censerent. Decretū, vt ab Cn. Seruilio consule exercitum acciperet: scriberet præterea ex ciuibus sociisque, quantum equitum ac peditum videretur: cetera omnia ageret faceretque, vt è republica duceret. Fabius duas legiones se adiecturū ad Seruilianū exercitum dixit, his per magistrū equitū scriptis, Tybur

C diem ad conueniendum edixit. edictoque proposito, vt quibus oppida castelláque immunita essent, in loca tuta commigrarent: ex agris quoque vti demigrarent omnes regiones eius, qua ituros Annibal esset: tectis prius incensis, ac frugibus corruptis, ne cuius rei copia esset: ipse via Flaminia profectus obuiam consuli exercituique, cum ad Tiberim circa Otriculum prospexisset agmen, consulémque cum equitibus ad se progredientem, viatorem misit, qui consuli nunciaret, vt sine lictoribus ad dictatorem veniret.

D Qui cum dicto paruisset, congressúsque eorum ingentem speciem dictaturæ apud ciues sociósque, vetustate iam prope oblitos eius imperij, fecisset, literæ ab vrbe allatæ sunt, naues onerarias commeatum ab Hostia in Hispaniam ad exercitum portantes, à classe Punica circa portum Cossanum captas esse. Itaq; extemplo consul Hostiam proficisci iussus, nauibus quæ ad vrbem Romanam aut Hostiæ essent, completis milite ac naualibus sociis, persequi hostem classem, ac littora Italiæ tutari. Magna vis hominum

E conscripta Romæ erat. Libertini etiam quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba iurauerat. Ex hoc vrbano exercitu qui minores quinque & triginta annis erant, in naues impositi: alij vt vrbi præsiderent, relicti. Dictator exercitu consulis accepto à Fuluio Flacco legato, per agrum Sabinum Tybur, quo diem ad conueniendum edixerat, nouis militibus, venit: inde Præneste transuersis tramitibus in viam Latinam est regressus: vnde itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem ducit: nullo loco, nisi

F quantum necessitas cogeret, fortunæ se commissurus. Quo primum die haud procul Arpis in conspectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quin Pœnus educeret in aciem, copiamque pugnandi faceret. sed vbi quieta omnia apud hostes, nec castra vllo tumultu mota videt: increpans quidem victos tandem Martios animos Romanorum, debellatumque & concessum eis propalam de virtute ac gloria esse, in castra rediit: ceterum tacita cura animum incensus, quod cum duce haudquaquam Flaminio Sé-

G pronioque simili, futura sibi res esset: ac tum demum edocti malis Romani parem Annibali ducem quæsissent: & prudentiam quidem, non vim dictatoris extemplo timuit, cōstantiámque eius haud dum expertus, agitare ac tentare animū mouendo crebro castra, populadoq; in oculis eius agros sociorū, cœpit: & modo citato agmine è conspectu abibat, modo repéte in aliquo flexu viæ, si excipere digressum in equū posset, occultus subsistebat. Fabius per loca alta agmine ducebat, modico ab hoste interuallo vt neque

omitteret eum, neque congrederetur, castris, nisi A quantum vsus necessario cogeret, tenebatur miles. pabulum & ligna nec pauci petebant, nec passim. equitum leuisque armaturæ statio composita instructáque in subitos tumultus, & suo militi tuta omnia, & infesta effusis hostium populatoribus præbebat. neque vniuerso periculo summa rerum committebatur: & parua momēta lenium certaminum ex tuto cœptorum finitimorum receptu, assuefaciebant territum pristinis cladibus militem, minus iam tandem aut virtutis aut fortunæ pœnitere suæ. Sed non B Annibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quàm magistrū equitū, qui nihil aliud quàm quod non imperabat, moræ ad rempublicam præcipitandam habebat, ferox rapidusque in consiliis, ac lingua immodicus, primo inter paucos, dein propalam in vulgus pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat: premendo rumque superiorum arte, quæ pessima ars nimis prosperis multorum successibus creuit, sese extollebat. Annibal ex Arpis in Samnium C transit, Beneuētanum depopulatur agrum, Telesiam vrbem capit: irritat etiam de industria ducem, si forte accensum tot indignitatibus cladibusque sociorū trahere ad æquū certamen possit. Inter multitudinem sociorum Italici generis, qui ad Thrasymenum capti ab Annibale, dimissique fuerant, tres Campani equites erant, multis iam tum illecti donis promissisque Annibalis ad conciliandos popularium animos. Hi nuntiantes, si in Campaniam exercitum admouisset, Capuę potiendæ copiam fore: cum res maior quàm auctores esset, dubium Annibalem, alternisque fidentem ac diffidentem, tamen vt Campanos ex Samnio peteret, mouerunt. Monitos vt etiam atque etiam promissa rebus confirmarent, iussosque cum popularibus & aliquibus principum redire ad se dimisit. ipse imperat duci, vt se in agrum Casinatem ducat: edoctus à peritis regionum, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendam sociis interclusurum. Sed Punicum abhorrens ab Latino nomen, Casilinum pro Casino ducem accipere fecit: auersusque ab itinere, per Alifanū, Calatinumque & Calenum agrum, in campum Stellatem descendit. vbi cum montibus fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percunctatur, vbi terrarum esset. cum is Casilini eo die mansurum eum dixisset, tum demū cognitus est error, & Casinum longe inde alia regione esse: virgisque cæso duce, & ad reliquorū terrorē in crucem sublato, castris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimisit. Vsque ad aquas Sinuessanas populatio ea peruenit. ingentē F cladem, fugā tamē terrorémque latius Numidæ fecerunt. nec tamen is terror, cum omnia bello flagrarent, fide socios dimouit, videlicet quia iusto & moderato regebantur imperio: nec abnuebant, quod vnum vinculum fidei est, melioribus parere. Vt verò ad Vulturnum flumen castra sunt posita, exurebaturque amœnissimus Italię ager, villæque passim incendiis fumabant, per iuga Massici mōtis Fabio ducente, prope de integro est orta seditio, ac duces seditionis accensi quidam: fuerat enim silentium per paucos dies: quia cum celerius solito ductum agmē G fuisset, festinari ad prohibēdam populationibus Campaniam crediderant, vt verò in extrema iuga Massici montis ventum est, hostésque sub oculis erant, Falerni agri, colonorumque Sinuessę tecta vrentes, nec vlla erat mentio pugnæ: Spectatúmne huc, inquit Minutius, ad rem fruendam oculis, sociorū cædes & incendia venimus: nec si nullius alterius nos, ne ciuium quidem horum pudet, quos in Sinuessam colonos patres nostri miserunt, vt ab Samnite hoste tuta hæc ora esset, quam nunc non vicinus Samnis vrit, sed Pœnus aduena, ab extremis orbis terrarum terminis nostra cunctatione & socordia iā huc progressus. Tantum (proh dolor!) degeneramus à patribus nostris, vt præter quam oram illi Punicas vagari classes, dedecus esse imperij sui duxerint: eam nos nunc plenam Numidarum hostium, ac Maurorum iam factam videamus: Qui modo Saguntum oppugnari indignando, non homines tantum, sed fœdera & deos ciebamus, tendentem ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti spectamus. Fumus ex incendiis villarū agrorumque in oculos atque ora venit, strepunt aures clamoribus plorantium sociorū, sæpius nos, quàm deorum inuocantium opem. nos hic pecorum more per æstiuos saltus, deuiosq; colles exercitum ducimus, conditi nubibus, syluisque. Si hoc modo peragrando cacumina saltusque Furius recipere à Gallis vrbem voluisset, quo hic nouus Camillus nobis dictator vnicus in rebus afflictis quæsitus, Italiam ab Annibale recuperare parat, Gallorum Roma esset: quam vereor ne sic cunctantibus nobis, Annibali ac Pœnis toties seruauerint maiores nostri. Sed vir, ac vere Romanus, quo die dictatorem eum ex auctoritate patrum iussuque populi dictum, Veios allatus est nuntius: cum esset satis altum Ianiculum, vbi sedens prospectaret hostem, descendit in æquum: atque illo ipso die media in vrbe, quia nunc busta Gallica sunt, & postero die citra Gabios cæcidit Gallorum legiones. Quid post multos annos, cū D ad furcas Caudinas ab Samnite hoste sub iugū missi sumus? verum tandem L. Papyrius Cursor iuga Samnij perlustrando, an Luceriam premendo, obsidendoque, & lacessendo victorem hostem, depulsum ab Romanis ceruicibus iugum superbo Samniti imposuit? Modo consuli Luctatio quæ alia res quā celeritas victoria dedit? quod postero die, quàm hostē vidit, classem grauem commeatibus, impeditam suo ipsam instrumento atque apparatu, oppressit. Stultitiā est, sedendo aut votis debellari credere posse: armari copias oportet, deducendas in ęquum, vt vir cū E viro congrediaris. Audendo, agendoque res Romana creuit, nō his sensibus, cōsiliisve, quæ timidi cauta vocant. Hæc velut concionanti Minutio, circunfundebatur tribunorum equitumque Romanorū multitudo, & ad aures quoque militum dicta ferocia voluebantur: ac si militaris suffragij res esset, haud dubie ferebāt Minutium Fabio duci prælaturos. Fabius pariter in suos haud minus quā in hostes intētus, prius ab aliis inuictum animum præstās quamquam prope sciret non in castris modo suis, sed iam etiam Romæ suam cunctationem infamem esse, obstinatus tamen eodem consiliorum tenore, æstatis reliquum extraxit: vt Annibal destitutus ab spe summa appetiti certaminis iam hybernis locum circunspectaret: quia ea regio præsentis erat copiæ, nō perpetuæ, arbusta vineæque, & consita omnia magis amœnis quā necessariis fructibus. Hac per exploratores relata fama Fabio, cum satis sciret per easdē angustias, quibus intrauerat Falernum agrum, rediturum, Calliculam montem & Casilinū occupat modicis præsidiis: quæ vrbs Vulturno flumine diremta, Falernum à Campano agro diuidit: ipse iugis iisdem exercitum reducit, misso exploratum cū CCCC. equitibus sociorum L. Hostilio Mancino: qui ex turba iuuenum audientium sæpe ferociter concionantem magistrum equitum, progressus primo exploratoris modo, vt ex tuto specularetur hostem, vbi vagos passim per vicos Numidas vidit, per occasionem etiam

etiam paucos occidit, extemplo occupatus certamine est animus, exciderüntque præcepta dictatoris, qui quàm tuto posset progressum prius recipere sese iusserat, quàm in conspectum hostium veniret. Numidæ alij occursantes, refugientésque, ad castra prope ipsum cum fatigatione equorum atq. hominum pertraxere. inde Cartalo, penes quem summa equestris imperij erat, concitatis equis inuectus, cũ prius quàm ad coniectum teli veniret, auertisset hostem, quinque millia fermè continenti cursu secutus est fugientes Mancinus. postquam nec hostem desistere sequi, nec spem vidit effugiendi esse, cohortatus suos in prælium rediit, omni parte virium impar itaque ipse, & delecti equitum circunuenti occiduntur. ceteri effuso rursus cursu. Cales primum, inde prope inuiis callibus ad dictatorem perfugerunt. Eo forte die Minutius se coniunxerat Fabio, missus ad firmãdum præsidio saltum, qui super Tarracinam in arctas coactus fauces imminet mari, ne immunito Appiæ limite, Pœnus peruenire in agrum Romanum posset. Coniunctis exercitibus dictator ac magister equitũ castra in viam deferunt, qua Annibal ducturus erat. duo inde millia hostes aberant. Postero die Pœni quod viæ inter bina castra erat. agmine compleuere. Cum Romani sub ipso constitissent vallo, haud dubiè æquiore loco, successit tamen Pœnus cum expeditis equitibus, atque ad lacessendum hostem raptim & procursando, recipiendoque sese, pugnauere. Restitit suo loco Romana acies, lenta pugna, & ex dictatoris magis quàm Annibalis fuit voluntate. C C. ab Romanis, D C C C. hostium cecidere. Inclusus inde videri Annibal, & ad Casilinum obsessus: cum Capua, & Samnium, & tantum ab tergo diuitum sociorum Romanis commeatus subueheret: Pœnus contrà intra Formiana saxa, ac Literni arenas, stagnaque perhorrida situ, hybernaturus esset. Nec Annibalem fefellit suis se artibus peti. itaque cum per Casilinum euadere non posset, petendique montes & iugum Calliculæ superandum esset: nec vbi Romanus inclusum vallibus agmen aggrederetur, ludibrium oculorum specie terribile ad frustrãdum hostem commeatus, principio noctis furtim succedere ad mõtes statuit fallacis consilij talis apparatus fuit. Faces vndique ex agris collectæ, fascésque virgarum atque arida sarmenta præligantur cornibus boum: quos domitos, indomitosque, multos inter ceteram agrestem prædã agebat. ad duo millia fermè boum effecta Asdrubalique negotium datum, vt primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, maximè, si posset, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra, boues aliquanto ante signa acti. vbi ad radices montium, viasque angustas ventum est. signum extemplo datur, vt accensis cornibus armenta in aduersos cõcitentur montes. & metus ipse relucentis flammæ ex capite, calorque iam ad viuum, ad imaque cornuum adueniẽs, velut stimulatus furore agebat boues, quo repente discursu haud secus quàm syluis mõtibusq. accensis, omnia circum virgulta ardere: capitumque inquietatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem præbebat. Qui ad transitus saltus insidendos locati erant, vbi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circunuentos se esse rati, præsidio excessere: qua ingens emicabat flamma, velut tutissimum iter petentes summa montium iuga. tum in quosdam boues palantes à suis gregibus incidẽrunt: & primo cum procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt. deinde vt humana apparuit fraus, tum verò insidias rati esse, cum

A multo maximoque strepitu concitant se in fugam, leuique armaturæ hostium incurrere. ceterũ nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine Annibal traducto per saltum, & quibusdam in ipso saltu hostiũ oppressis, in agro Alifano posuit castra. Hunc tumultum sensit Fabius: ceterum & insidias esse ratus, & ab nocturno vtique abhorrens certamine, suos munimentis tenuit. Luce prima sub iugo montis prælium fuit, quo interclusam ab suis leuem armatu-
B ram facilè (etenim numero aliquantum præstabant) Romani superassent, nisi Hispanorum cohors ad id ipsum remissa ab Annibale, peruenisset. ea assuetior montibus, & ad concursandum inter saxa rupésque aptior ac leuior, cum velocitate corporũ, tum armorum habitu, campestrem hostem grauem armis statariumque pugnæ genere facile elusit. Ita haudquaquam pari certamine digressi Hispani fere omnes incolumes, Romani aliquot suis amissis, in castra contenderunt. Fabius quoque mouit castra:
C transgressusque saltum super Alifas loco alto ac munito consedit. Tum per Samnium Romam se petere simulans Annibal, vsque in Pelignos populandus rediit. Fabius medius inter hostium agmen vrbémq. Romam iugis ducebat, nec absistens, nec congrediens. Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retroque Apuliam repetens, Gerionem peruenit, vrbem metu, quia collapsa ruinis pars mœnium erat, ab suis desertam. Dictator in Larinate agro castra communiit. inde
D sacrorum caussa Romam reuocatus, non imperio modo, sed consilio etiam, ac prope precibus agens cum magistro equitum, vt plus consilio, quàm fortunæ confidat: & se potius ducem, quàm Sempronium Flaminiumque imitetur, ne nihil actum censeret, exacta prope æstate per ludificationem hostis: medicos quoque plus interdum quiete, quàm mouendo atque agendo proficere. haud paruam rem esse, ab toties victore hoste vinci desisse, & ab continuis cladibus respirasse. Hæc nequicquam præmonito magistro equitum, Romam est profectus. Prin-
E cipio æstatis qua hæc gerebantur, in Hispania quoq; terra marique cœptum bellum est. Asdrubal ad eum nauium numerum, quem à fratre instructum, paratumque acceperat, decem adiecit. quadraginta nauium classem Himilconi tradidit, atque ita Carthagine profectus nauibus prope terram, exercitum in littore ducebat, paratus confligere quacunque parte copiarum hostis occurrisset. Cn. Scipioni, postquam mouisse ex hybernis hostẽ audiuit, primo idẽ cõsilij fuit: deinde minus terra propter ingentem famam
F nouorum auxiliorum concurrere ausus, delecto milite in naues imposito, quinque & triginta nauiũ classe ire obuiam hosti pergit. Altero ab Terracone die ad stationem X. millia passuum distantem ab ostio Iberi amnis peruenit. inde duæ Massiliensium speculatoriæ præmissæ retulerunt, classem Punicam stare in ostio fluminis, castraque in ripa posita. Itaq. vt improuidos incautosq. vniuersos simul effuso terrore opprimeret, sublatis ancoris ad hostem vadit. Multas & locis altis positas turres Hispania habet,
G quibus & speculis, & propugnaculis, aduersus latrones vtuntur. Inde primo conspectis hostium nauibus, datum signum Asdrubali est: tumultusque prius in terra & castris, quàm ad mare & ad naues est ortus, nondum aut pulsu remorum, strepituque alio nautico exaudito, aut aperientibus classem promontoriis: cum repente eques alius super alium ab Asdrubale missus, vagos in littore, quietósque intentoriis suis, nihil minus quàm hostem aut prælium eo die exspectantes, conscendere naues properè, atque

ordinem quasi Carthaginiensium nomine sic agerentur. Maior aliquanto Romanorum gratia fuit in re pari, quàm quanta futura Carthaginiensium fuerat. illos enim graues superbósque in rebus secundis expertos, fortuna & timor mitigasse videri poterat. Romanus primo aduentu, incognitus ante, ab re clementi liberalique initium fecerat: & Acedux vir prudens haud frustra videbatur socios mutasse. itaque ingenti consensu ad defectionem omnes spectare: armáque extemplo mota forent, ni hyems quæ Romanos quoque & Carthaginienses concedere in tecta coegit, interuenisset. Hæc in Hispania quoque secunda æstate Punici belli gesta, cum in Italia paululum interualli cladibus Romanis solers cunctatio Fabij fecisset: quæ vt Annibalem non mediocri solicitum cura habebat, tandem cum militię magistrum delegisse Romanos cernentem, qui bellum ratione, non fortuna gereret: ita contemta erat inter ciues armatos pariter togatósque vtique postquam absente eo, temeritate magistri equitum læto vt verius dixerim, quàm prospero euentu, pugnatum fuerat. Accesserant duę res ad augendam inuidiā dictatoris. vna fraude ac dolo Annibalis: quod cum à perfugis ei monstratus ager dictatoris esset, omnibus circa solo ęquatis, ab vno eo ferrū ignémq. & vim omnem hostium abstineri iussit, vt occulti alicuius pacti ea merces videri posset. altera ipsius facto, primo forsitan dubio, quia non exspectata in eo senatus auctoritas est: ad extremum haud ambiguè in maximam laudem verso, in permutandis captiuis quod sicut primo Punico bello factum erat, conuenerat inter duces Romanos, Pœnumque, vt quæ pars plus reciperet quàm daret, argenti pondo bina & selibras in militem præstaret CCXLVII. cum plures Romanus quàm Pœnus recepisset, argentumque pro eis debitum sæpe iactata in senatu re, quoniam nō cōsuluisset patres, tardius rogaretur: inuiolatū ab hoste agrum misso Romam filio vendidit, fidémque publicam impendio priuato exsoluit. Annibal pro Gerionis mœnibus, cuius vrbis captæ atque incensę ab se in vsum horreorum pauca reliquerat tecta, statiua habebat. inde frumentatum duas exercitus partes mittebat, cū tertia ipsa expedita in statione erat, simul castris præsidio & circunspectans ne vnde impetus in frumentatores fieret. Romanus tunc exercitus in agro Larinati erat. præerat Minutius magister equitum, profectò, sicut ante dictum est, ad vrbem dictatore. Ceterum castra, quæ in monte alto ac tuto loco posita fuerant, iam in planum deferuntur: agitabanturque pro ingenio ducis consilia calidiora, vt impetus aut in frumentatores palantes, aut in castra relicta, cum leui manu præsidioque fieret. Nec Annibalem fefellit, cum duce mutatam esse belli rationem, & ferocius quàm consultius rem hostes gesturos. Ipse autem (quod minime quis crederet) cum hostis propius esset, tertiam partem militum frumentatum, duabus in castris retentis, dimisit: deinde castra ipsa propius hostem mouit, duo ferme à Gerione millia, in tumulum hosti conspectū: vt intentū sciret esse ad frumentatores si qua vis fieret tutãdos. Propior inde ei atque ipsis imminens Romanorum castris tumulus apparuit: ad quem capiendum si luce palam iretur, quia haud dubiè hostibus breuiore via præuentus esset, nocte clam missi Numidæ ceperunt. quos tenentes locum contemta paucitate Romani postero die cum eiecissent, ipsi eò transferunt castra. Tum itaque vt exiguum spatij vallum à vallo aberat, & id ipsum totum prope compleuerat Romana acies, simul & per auersa castra à castris Annibalis equitatus cum leui armatura emissus in

A frumentatores latè cædem fugámque hostium palatorum fecit: nec acie certare Annibal ausus: quia tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat. iamq. artibus Fabij pars exercitus aberat, iā fermè sedendo & cūctando bellum gerebat, receperatq. suos in priora castra, quæ pro Gerionis mœnibus erant. Iusta quoque acie, & collatis signis dimicatum, quidam auctores sunt. primo concursu Pœnum vsque ad castra fusum, inde eruptione facta repente versum terrorem in Romanos: Numerij

B Decimi Samnitis deinde aduentu prælium restitutum. hunc principem genere ac diuitiis non Bouiani modo, vnde erat, sed toto Samnio, iussu dictatoris octo millia peditum, & equites ducentos adducentem in castra, ab tergo, cum apparuissent Annibali spem parti vtrique præbuisse noui subsidij: tumq. Fabio ab Roma veniente, Annibalem insidiarum quoque aliquid timentem recepisse suos: Romanum insecutum adiuuante Samnite duo castella eo die expugnasse: sex millia hostium cæsa, quinque admo-

C dum Romanorum. tamen in tam pari propè clade famā egregię victoriæ cum vanioribus literis magistri equitum Romam perlatam. De his rebus persæpe & in senatu & in concione actum est. Cum læta ciuitate dictator vnus nihil nec famæ, nec literis crederet, vt si vera omnia essent, secunda se magis quàm aduersa timere diceret: tum M. Metellus tribunus plebis id vnum enimuerò ferendum esse negat, non præsentem solum dictatorem obstitisse rei bene gerendæ, sed absentem etiam gestæ obstare: & in du-

D cendo bello sedulò tempus terere, quo diutius in magistratu sit, solusque & Romæ & in exercitu imperium habeat. quippe consulum alterum in acie cecidisse, alterum specie classis Punicæ persequendæ procul ab Italia ablegatum. duos prætores Sicilia atque Sardinia occupatos, quorum neutra hoc tempore prouincia prætore egeat. M. Minutium magistrū equitum, ne hostem videret, ne quid rei bellicæ gereret, propè in custodia habitum. Itaque hercule, non in Samnium modo, quo iam tanquam trans I-

E berum agros Pœnis concessum sit, sed Campanum Calenumque & Falernum agrum peruastatos esse, sedente Casilini dictatore, & legionibus populi Romani agrum suum tutante: exercitum cupiētem pugnare, & magistrum equitum, clausos propè intra vallum retentos, tanquam hostibus captiuis arma adempta tandem vt abscesserit indè dictator, vt obsidione liberatos extra vallum egressos fudisse ac fugasse hostes. Quas ob res, si antiquus animus plebi Romanæ esset, audacter se laturum fuisse de abro-

F gando Q. Fabij imperio. Nunc modicam rogationem promulgaturum de æquando magistri equitum & dictatoris iure: nec tamen, ne ita quidem prius dimittendum ad exercitum Q. Fabium, quàm consulem in locum C. Flaminij suffecisset. Dictator concionibus se abstinuit in actione minimè popularis, ne in senatu quidem satis æquis auribus audiebatur, tunc cum hostem verbis extolleret, bienniiq. clades per temeritatem atque inscitiam ducum acceptas referret: magistroque equitum, quod contra

G edictum suum pugnasset, rationem diceret reddendam esse. si penes se summa imperij consiliique sit, propediem effecturum, vt sciant homines, bono imperatori haud magni fortunam momenti esse: mentem rationémque dominari. se sæuo tempore, & sine ignominia seruasse exercitum, quàm multa millia hostium occidisse, ducere maiorem gloriam esse. Huius generis orationibus frustra habitis, & consule creato M. Attilio Regulo, ne præsens de iure imperij dimicaret, pridie

quàm rogationis ferendę dies adesset, nocte ad exer- A citum abiit. Luce orta, cum plebis concilium esset, magis tacita inuidia dictatoris, fauorque magistri equitum animos versabat, quàm satis audebant homines ad suadendum, quod vulgò placebat, prodire: & fauore superante, auctoritas tamen rogationi deerat. Vnus inuentus est suasor legis C. Terentius Varro, qui priore anno prætor fuerat, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus. patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis filioque hoc ipso in seruili eius artis ministerio vsum, is iuuenis B vbi ex eo genere quæstus pecunia à patre relicta, animum ad spem liberalioris fortunæ adiecit, togáq. & forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus, caussisque aduersus rem & famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honoré peruenit quęstura quoque & duabus ędilitatibus plebeia & curuli, postremo & prætura perfunctus. iam ad cõsulatus spem cum attolleret animos, haud parum callidè auram fauorabilis populi ex dictatoria inui- C dia petiit: sicque plebis vnus gratiam tulit. Omnes eam rogationem, quique Romæ, quique in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipsum dictatorem in contumeliam eius latam acceperunt. ipse qua grauitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi in se sæuientis iniuriam tulit: acceptisque in ipso itinere literis senatusconsulti de æquato imperio, satis fidens haudquaquam cum imperij iure artem imperandi æquatam. Cumque inuicto à ciuibus hostibusque animo ad exercitum rediit. Minutius verò cum iam ante vix D tolerabilis fuisset, secundis rebus, ac fauore vulgi: tũ vtique immodicè immodestéq; non Annibale magis victo ab se, quàm Fabio, gloriari: illum in rebus asperis vnicum ac parem ducem quæsitum Annibali, maiorem minori, dictatorem magistro equitum, quod nulla memoria habeat annalium, iussu populi æquatum in eadem ciuitate, in qua magistri equitum virgas ac secures dictatoris tremere atque horrere soliti sunt. in tantum suam felicitatem virtutémque enituisse. ergo secuturum se fortunam suam, si dicta- E toris cunctatio in segnitie deorum hominumque iudicio damnata perstaret. Itaque quo die primum congressus est cum Fabio, statuendum omniũ primũ ait esse, quemadmodum imperio adæquato vtantur. se optimum ducere, aut diebus alternis, aut si maiora interualla placerent, partitis temporibus alternis sũmum ius imperiumque esse, vt par hosti non solum consilio, sed viribus etiam esset, si quam occasionem rei gerendæ habuisset. Q. Fabio haudquaquam id placere: omnia enim fortunam habituram, quæcunque temeritas collegæ habuisset: sibi communicatũ F cum illo, sed non ademtum imperium esse. itaque se nunquam volentem parte qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum: nec se tẽpora aut dies imperij cum eo, sed exercitus diuisurum. suisque consiliis quoniam omnia non liceret, quę posset, seruaturum. Ita obtinuit, vt legiones, sicut consulibus mos esset, inter se diuiderent. prima & quarta Minutio, secũda & tertia Fabio euenerunt. item equites pari numero sociumque & Latini nominis auxilia diuiserunt. castris se quoque separari magister equitũ voluit. Duplex inde Annibali gaudium fuit (neque enim quic- G quam eorum quæ apud hostes agerentur, eũ fallebat & perfugis multa indicantibus, & per suos explorantem) nam & liberam Minutij temeritatem se suo modo capturũ, & solertiæ Fabij dimidiũ virium decessisse. Tumulus erat inter castra Minutij Pœnorũq. eũ qui occupasset, haud dubiè iniquiorem erat hosti locũ facturus. eũ non tã capere sine certamine volebat Annibal, quanquam id operæ pretium erat, quam caussam certaminis cum Minutio, quem semper occursurum ad obsistendum satis sciebat, contrahere. Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori, quia non modo syluestre quicquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat: re ipsa natus regendis insidiis eo magis, quod in nuda valle nulla talis fraus timeri poterat. & erant in anfractibus cauæ rupes, vt quædam earum ducenos armatos possent capere. In has latebras, quot quemque locum aptè insidere poterant, quinque millia conduntur peditum equitũque, necvbi tamen aut motus alicuius temere egressi, aut fulgor armorum fraudem in valle tam aperta detegeret, missis paucis prima luce ad capiẽdum quem ante diximus tumulum, auertit oculos hostium. Primo statim conspectu contemta paucitas, ac sibi quisque deposcere pellendos inde hosteis. ad locũ capiẽdũ dux ipse inter stolidissimos ferocissimosque ad arma vocat, & vanis animis & minis increpat hostem. Principio leuem armaturam dimittit, deinde conferto agmine mittit equites: postremo, cum hostibus quoque subsidia mitti videret, instructis legionibus procedit. Et Annibal laborantibus suis alia atque alia, crescente certamine, mittẽs auxilia peditum equitumque, iam iustam expleuerat aciem, ac totis vtrinque viribus certabatur. Prima leuis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumulum, pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, & ad signa legionum refugit. peditum acies inter perculsos impauida sola erat, videbaturque, si iusta aut si recta pugna esset, haudquaquam impar futura. tantum animorum fecerat prosperè ante paucos dies res gesta. sed exorti repentè insidiatores, cum tumultum terrorémque in latera vtrinque, ab tergoque incursantes fecerunt, vt neque animus ad pugnam, neque ad fugam spes cuiquam superesset. Tunc Fabius primo clamore pauentium audito, dein conspecta procul turbata acie. Ita est, inquit, non celerius quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio, Annibalem & virtute & fortuna superiorem videt. sed aliud iurgandi succensendique tempus erit: nunc signa extra vallum proferte. victoriam hosti extorqueamus cõfessionem erroris ciuibus. Iam magna ex parte cæsis aliis, circumspectantibus fugam. Fabiana se acies repentè velut cœlo demissa ad auxilium ostendit. itaque priusquam ad coniectũ teli veniret, aut manũ consereret, & suos à fuga effusa, & à feroci pugna hostes continuit. Quid solutis ordinibus vagè dissipati erant, vndique confugerant ad integram aciem. qui plures simul terga dederant, conuersi in hostem, voluentésque orbem, nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare. ac iam prope vna acies facta erat victi atque integri exercitus, inferebántque signa ad hostem: cum Pœnus receptui cecinit, palam ferente Annibale, ad se Minutium, se à Fabio victum. Ita per variam fortunam diei maiore parte exacta, cum in castra reditum esset. Minutius conuocatis militibus. Sæpe ego, inquit, audiui, milites, cum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit: secundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse. Nobis quoniam prima animi ingeniique negata sors est, secundam ac mediam teneamus, & dum imperare discimus, parere prudenti in animum inducamus, castra cum Fabio iungamus. ad prætorium eius signa cũm tulerimus: vbi ego eum parentem appellauero, quod beneficio eius erga nos, ac maiestate eius dignum est: vos milites eos, quorum vos mo-

do ar-

do arma dextrasque texerūt, patronos salutabitis: & si nihil aliud, gratorum certè nobis animorū gloriā dies hæc dederit. Signo dato, conclamatur inde vt colligantur vasa. profecti agmine incedentes, ad dictatoris castra, in admirationem, & ipsum, & omnes qui circa erant, conuerterūt. Vt constituta sunt ante tribunal signa, progressus ante alios magister equitū cum patrem Fabium appellasset, circumfusósque militum eius totum agmen patronos consalutasset: Parentibus, inquit, meis, dictator, quibus te modo nomine, quo fando possum, æquaui, vitam tantum debeo tibi cum meam salutem, tum omnium horū. itaq; plebiscitū quo oneratus magis quā honoratus sū, primus antiquo, abrogoque: & quod tibi mihiq. quod meo exercitui tuoq. cōseruato ac cōseruatori sit felix, sub imperium auspiciúmque tuum redeo, & signa hæc legionésque restituo. tu quęso placatus me magisterium equitum hos ordinibus suis quęq; tenere iubeas. Tum dextræ interiunctæ: militésq. concione dimissi à notis ignotísque benignè ac hospitaliter inuitati: lætusque dies ex admodum tristi paulò ante ac propè exsecrabili factus. Romæ, vt est perlata fama rei gestæ, dein literis non magis ipsorum imperatorum, quam vulgò militum ex vtroque exercitu affirmata, pro se quisq. Maximum laudibus ad cœlū ferre. Par gloria apud Annibalem hostésque Pœnos erat: ac tum demum sentire, cum Romanis, atque in Italia bellum esse: nam biennio ante adeò & duces Romanos, & milites spreuerant, vt vix cum eadem gente bellum esse crederent, cuius terribilem eam famam à patribus accepissent. Annibalé quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt, tandem eam nubem, quæ sedere in iugis montium, solicitatam procella imbrem dedisse. Dum hæc geruntur in Italia, Cn. Seruilius Geminus consul cum classe nauium circumuectus Sardiniæ & Corsicæ oram, & obsidibus vtrinque acceptis, in Africam transmisit: & prius quàm in continentem descēsiones faceret, Meninge insula vastata, & ab incolentibus circa eam, ne & ipsorum vreretur diriperetúrque ager, decem talentis argenti acceptis, ad littora Africæ accessit, copiásq. exposuit. Inde ad populādum agrum ducti milites, naualésque socij iuxta effusi, ac si insulas cultorū egentes prædarentur. itaque in insidias temerè illati, cùm à frequentibus palantes, & locorum ignari circumuenirentur, cum multa cæde, ac fœda fuga retrò ad naues compulsi sunt. Ad mille hominū, cùm his Sempronio Blæso quæstore amisso, classis à littorib. hostium plenis trepidè soluta in Siciliam cursum tenuit: traditaque Lilybæi, T. Otacilio prætori, vt ab legato eius P. Sura Romam reduceretur. ipse per Siciliam pedibus profectus, freto in Italiam traiecit: literisque Q. Fabij accitus & ipse & collega eius Marcus Attilius, vt exercitum ab se exacto iam prope semestri imperio acciperent. Omnium prope Annales Fabium dictatorem aduersus Annibalem rem gessisse tradunt. Cœlius etiam eum primum à populo creatum dictatorem scribit. Sed & Cœlium & ceteros fugit, vni consuli Cn. Seruilio, qui tunc procul in Gallia prouincia aberat, ius fuisse, dicendi dictatoris: quam moram quia exspectare territa iam clade ciuitas non poterat, eò decursum esse, vt à populo crearetur, qui pro dictatore esset. res inde gestas gloriámque insignem ducis, & augendæ titulum imaginis posteris, vt dictator pro dictatore diceretur, facile obtinuisse. Consules M. Attilius Regulus, Cn. Seruilius Geminus, exercitu accepto, hybernaculis maturè communitis (tum enim autumni erat tempus) Fabij artibus cum summa inter se concordia bellum gesserunt. Frumenta-

A tum exeunti Annibal diuersis locis opportunè aderant carpentes agmen, palantésque excipientes, in casum vniuersæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non veniebant. adeoque inopia est coactus Annibal, vt nisi cū fugę speciem abeūdo timuisset, Galliam repetiturus fuerit: nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis, si insequentes consules eisdem artibus bellum gererent. Cum ad Gerionem iam hyeme impendente bellum, Neapolitani legati Romam venere. ab iis quadraginta pate- B ræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ, atque ita verba facta, vt dicerent, scire se Romani populi ærarium bello exhauriri: & cum iuxta pro vrbibus agrisque sociorum, ac pro capite atque arce Italię vrbe Romana atque imperio geratur: æquum censuisse Neapolitanos: quod auri sibi cum ad ipsorum ornatum, tum ad subsidium fortunæ à maioribus relictum foret, eo iuuare populum Romanum, si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos. gratum sibi patres Romanos populumque fa- C cturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent: dignosque iudicauerint, à quibus donum animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quam re maius ampliusque acciperent. Legatis gratiæ actę pro munificentia curáque, patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta. Per eosdem dies speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus, præcisisque manibus dimissus: & serui quinque & viginti in crucem acti, quod in campo Martio cōiurasset. indici data libertas, & ęris grauis D viginti millia. Legati & ad Philippum Macedonum regem missi ad deposcendum Demetrium Pharium, qui bello victus ad eum fugisset: alij in Ligures ad expostulandum, quod Pœnum opibus auxilijsq. suis iuuissent: simul ad visendum ex propinquo, quæ in Boiis atque Insubribus gererentur. Ad Pinæum quoque regem in Illyricos legati missi ad stipēdium, cuius dies exierat, poscendum: aut, si diem proferre vellet, obsides accipiendos. adeò etsi bellum ingens in ceruicibus erat, nullius vsquam terrarum rei cura E Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat. in religionem etiam venit, ædem Concordiæ, quàm per seditionem militarem biennio ante L. Manlius prætor in Gallia vouisset, locatam ad id tempus non esse. itaque duumuiri ad eam rem creati ab Æmylio prætore vrbis, Cn. Pupius, & Cæso Quintius Flaminius, ædem in arce faciendam locauerūt. Ab eodem prætore ex Senatusconsulto literæ ad consules missæ, vt si iis videretur, alter eorum ad consules creandos Romam veniret: se in eam diem, qua iussissent, F comitia edicturum. Ad hęc à consulibus rescriptum, sine detrimento reipublicæ abscedi non posse ab hoste, itaque per interregem comitia habenda esse potius, quàm consulum alter à bello auocaretur. Patribus rectius visum est, dictatorem à consule dici comitiorum habendorum caussa. Dictus L. Veturius Philo, M. Pomponium Mathonem magistrum equitum dixit. His vitio creatis, iussisque die quarto decimo se magistratu abdicare, ad interregnum res rediit. consulibus prorogatum in annum imperium: G interreges proditi à patribus, Cn. Claudius, Appij filius, Cento: inde Publius Cornelius Asina. in eius interregno comitia habita magno certamine patrum, ac plebis. C. Terentium Varronem, sui generis hominem, plebi, insectatione principum, popularibusque artibus conciliatum, ab Q. Fabij opibus & dictatorio imperio concussis, aliena inuidia splendentē, vulgus etiā extrahere ad consulatum nitebatur. patres summa ope obstabant, ne se insectando, sibi æquari assuescerent homines. Bæbius Herennius

tribunus plebis, cognatus C. Terentij, criminando non senatum modo, sed etiam augures: quod dictatorem prohibuissent comitia perficere, per inuidiam eorum fauorem candidato suo conciliabat. Ab hominibus nobilibus per multos annos bellum quærentibus, Annibalem in Italiam abductum: ab iisdẽ cum debellari possit, fraude id bellum trahi. cum quatuor militum legionibus vniuersis pugnari posse apparuisset, ac eo quod M. Minutius absente Fabio prospere pugnasset, duas legiones hosti ad cædem obiectas deinde ex ipsa cæde ereptas, vt patet patronúsque appellaretur, qui prius vincere prohibuisset Romanos, quàm vinci. Consules deinde Fabianis artibus, cum debellari possent, bellum traxisse. Id fœdus inter omnes nobiles ictum: nec finem ante belli habituros, quàm consulem verè plebeium, id est, hominem nouum fecissent. nam plebeios nobiles iam eisdem initiatos esse sacris: & contemnere plebem, ex quo contemni desierint à patribus cœpisse. Cui non id apparere: id actum & quæsitum esse, vt interregnum iniretur: vt in patrum potestate comitia essent. id consules ambos ad exercitum morando quæsisse. id postea, quia inuitis iis dictator esset dictus comitiorum caussa, expugnatum esse, vt vitiosus dictator per augures fieret. Abhorrere igitur interregnum eos: consulatum vnum certè plebis Romanæ esse populum liberius habiturum, ac daturum ei, qui magis vincere quàm diu imperare malit. Cùm his orationibus accensa plebs esset, tribus patritiis petentibus, P. Cornelio Merenda, L. Manlio Volsone, M. Æmylio Lepido, duobus nobilibus iam familiaribus plebi, C. Attilio Serrano, & Q. Ælio Pæto quorum alter pontifex, alter augur erat, C. Terentius consul vnus creatur, vt in manu eius essent comitia rogando collegæ. Tum experta nobilitas parum fuisse virium in competitoribus eius, L. Æmylium Paulum, qui cum M. Lælio consul fuerat, & damnatione collegæ, & sua prope ambustus euaserat, in festum plebi, diu ac multum recusantem, ad petitionem compellit. is proximo comitiali die, concedentibus omnibus qui cum Varrone certauerant, párque magis in aduersando quàm collega datur consuli. Inde prætoria comitia habita. creati M. Pomponius Matho, & P. Furius Philus. Romæ iuris dicundi vrbana sors Pomponio, inter ciues Romanos & inter peregrinos P. Furio Philo euenit. Additi duo prætores, M. Claudius Marcellus in Siciliam, L. Posthumius Albinus in Galliam. Omnes absentes creati sunt, nec cuiquam eorum præter Terentium consulem, erat mandatus honos, quẽ iam non antea gessisset. præteritis aliquot fortibus ac strenuis viris, quia in tali tẽpore nullus nouus magistratus videbatur mãdãdus. Exercitus quoq; multiplicati sunt. Quantę autẽ peditũ equitúmque additę sint copiæ, adeò & numero, & genere copiarum variant auctores, vt vix quicquam satis certum affirmare ausim. Decem millia nouorum militum alij scripta in supplementũ, alij nouas quatuor legiones quinque legionibus additas, vt nouem legionibus rem gererent, numero quoque peditum equitúmq. legiones auctas, millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis: vt quina millia peditum treceni equites essent: socij duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent. Septem & octoginta millia armatorum, & ducentos in castris Romanis, cum pugnatum ad Cãnas est, quidã auctores sunt. Illud haudquaquã discrepat, maiore conatu atque impetu rem actam, quàm prioribus annis. quia spem posse vinci hostem dictator præbuerat. Ceterum prius quàm signa ab vrbe nouem legiones mo-

A uerent, decemuiri libros adire atque inspicere iussi, propter territos vulgò homines nouis prodigiis. nam & Romæ in Auentino, & Ariciæ, nuntiatum erat. sub idem tempus lapidibus pluisse, & multo cruore signa in Sabinis cędis, aquas è fonte calidas manasse. id quidem & quod sępius acciderat, magis terrebat: & in via Fornicata, quę ad cãpum erat, aliquot homines de cœlo tacti exanimatiq; fuerant. ea prodigia ex libris procurata legati à Pesto pateras aureas Romam attulerunt. iis sicut Neapolitanis gratię actę, aurum non acceptum. Per eosdem B dies ab Hierone classis Hostiam cum magno commeatu accessit. Legati Syracusani in senatum introducti, nuntiarunt cędem C. Flaminij Cos. exercitúsque allatam, adeò ęgrè tulisse regem Hieronem, vt nulla sui propria, regníque sui clade moueri magis potuerit. itaque quanquam probè sciat magnitudinem populi Romani admirabiliorem propè aduersis rebus, quàm secundis esse, missa tamen à se omnia quibus à bonis fidelibúsque sociis bella iuuari soleant. C quæ ne accipere abnuant, magnopere se P. C. orare. Iam omnium primum omnis caussa victoriam auream pondo CCCXX. afferre sese: acciperent eam, tenerentque, & haberent propriam & perpetuam. aduexisse etiam trecenta millia modiũm tritici, ducenta hordei, ne commeatus deessent. & quantum prætereà opus esset, quò iussissent, subuecturos. Milite atque equite scire, nisi Romano Latinique nominis non vti populum Romanum: leuiũ armatorum auxilia etiam externa vidisse in castris D Romanis. itaque misisse mille sagittariorum ac funditorũ aptã manũ aduersus Baleares ac Mauros, pugnacésque alias missili telo gentes. Ad ea dona consilium quoque addebant, vt prætor, cui prouincia Sicilia euenisset, classem in Africam traiiceret: vt & hostes in terra sua bellum haberent, minúsque laxamenti daretur iis ad auxilia Annibali submittenda. Ab senatu ita responsum regi est: Virum bonum, egregiúmque socium Hieronem esse, atque vno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, fidem coluisse, ac rem Romanam omni tempore ac E loco munificè adiuuisse: id perinde ac deberet, pergratum populo Romano esse. Aurum & à ciuitatib. quibusdam allatum, gratia rei accepta, non accepisse populum Romanum: victoriam, oménque accipere, sedémque ei se diuę dare, dicare Capitolium, templum Iouis Optimi Maximi. in ea arce vrbis Romę sacratam, volentem propitiámque fidem ac stabilem fore populo Romano. Funditores, sagittariique, & frumentum traditum consulibus. Quinque- F remes ad nauium classem, quę cum T. Octacilio pro pretore in Sicilia erant, quinque & viginti additę: permissúmque est, vt si è republica censeret esse, in Africam traiiceret. Delectu perfecto, consules paucos morati dies, dum socij ab nomine Latino venirẽt. Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, iureiurando à tribunis militum adacti. iussu consulum conuenturos, neque iniussu abituros. nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat: & vbi ad decuriatum aut centuriatum conuenissent, sua G voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, sese fugę atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut ciuis seruandi caussa id ex voluntario inter ipsos fœdere à tribunis ad legitimã iusiurandi adactionem trãslatum. Conciones prius quam vrbe signa mouerentur, consulis Varronis multę ac ferocęs fuere, denuntiantes, bellum accersitum in Italiam ab nobilibus, mansurumque in visceribus reipublicæ, si

plures

plures Fabios imperatores haberet, si quo die hostē vidisset, profligaturum. Collegæ eius Pauli vna, pridie quam ex vrbe proficiscerentur, concio fuit, verior quàm gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo: Mirari se, quomodo quis dux, prius quàm aut suum, aut hostiū exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset: iam nunc locatus in vrbe sciret, quæ sibi agenda armato forent: & diem prædicere posset, qua cum hoste signis collatis esset dimicaturus. Se, quæ consilia magis res dent hominibus, quàm homines rebus, ea ante tempus immatura non præcepturum, optare, vt quæ cautè atque consultè gesta essent, satis prosperè euenirent. temeritatem, prærterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse. Eum sua sponte apparebat tuta celeribus consiliis præpositurum: & quo id constantius perseueraret, Q. Fabius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur: Si aut collegam (id quod mallem) tui similem L. Æmyli haberes, aut tu collegæ tui similis esses, superuacanea esset oratio mea. nam & duo boni consules etiam me tacente omnia è republica fide vestra faceretis: & mali nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis reciperetis. nunc & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est quem video nequicquam & virum bonum, & ciuē fore, si altera parte claudicet respublica, malis consiliis idem ac bonis iuris & potestatis erit. Erras enim L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quàm cum Annibale futurum censes. nescio an infestior hic aduersarius, quam ille hostis maneat. & cū illo in acie tantum, cū hoc omnibus locis ac tēporibus certaturus es, & aduersus Annibalem legionésque eius tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est: Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis etiam tibi caussa absit C. Flaminij memoria. tamen ille cōsul demum, & in prouincia, & ad exercitum cœpit furere: hic prius quam peteret consulatum, deinde in petendo consulatu: nunc quoque consul, prius quam castra videat, aut hostē, insanit, & qui tantas iam nunc procellas, prælia atq; acies iactando inter togatos ciet, quid inter armatam iuuētutem censes facturū? & vbi extemplò verba res sequitur? Atqui sic hic, quod facturum se denuntiat, extemplo pugnauerit: aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Thrasymeno locus nostris cladibus erit. Nec gloriandi tempus aduersus vnum est: vt ego contemnendo potius, quàm appetendo gloriam, modum excesserim. sed ita res habet, vna ratio belli gerendi aduersus Annibalem est, qua ego gessi. nec euentus modo hoc docet. stultorum iste magister est: sed eadem ratio quæ fuit, futuráque, donec res eædem manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro. omnia circa plena ciuium ac sociorum sunt, armis, viris, equis, commeatibus iuuant, iuuabuntque: id iā fidei documētum in aduersis rebus nostris dederunt. meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diésque facit. Annibal contra, in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestáque, procul à domo, procul à patria. neque illi terra, neque mari est pax nullæ cū vrbes accipiunt, nulla mœnia: nihil vsquam sui videt: in diem rapto viuit. partem vix tertiam exercitus eius habet, quem Iberum amnem traiecit. plures fames quàm ferrum absumsit: nec his paucis iam victum suppeditat. Dubitas ergo, quin cū sedendo superaturi simus, qui senescat in dies? nō commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Quamdiu pro Gerionis, castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est? Sed ne aduersus te quidem ego gloriabor. Cn. Seruilius, atque Attilius, proximi consules, vide queadmodū eū ludificati sint. Hæc vna salutis est via, L. Paule, quam difficilem infestámque ciues sibi n agis, quàm hostes facient. idem enim tui, quod hostium milites, volēt: idē Varro cōsul Romanus, quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. duobus ducib. vnus resistas oportet. resistes autem, aduersus famam rumorésque hominum, si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia mouerit. A B veritate laborare nimis ius sæpe aiunt. extingui nūquam. Gloriā qui spreuerit, verā habebit. Sine timidū pro cauto, tardū pro cōsiderato, imbellē pro perito belli vocēt. malo te sapiēs hostis metuat, quàm stulti ciues laudent. omnia audentē contemnet. Annibal: nil temere agentem metuet. nec ego, vt nihil agatur, moneo, sed vt agentem te ratio ducat, non fortuna tuæ potestatis sēper tuaque omnia sint, armatus intētusque sis, neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. omnia non properanti clara certaque erunt. festinatio improuida est, C & cæca. Aduersus ea oratio consulis haud sanè læta fuit, magis fatentis ea quæ diceret, vera, quàm facilia factu esse. Dictatori magistrum equitum intolerabilem fuisse: quid consilij aduersus collegam seditiosum ac temerarium virum, atque auctoritatis fore? Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse, optare vt omnia prosperè euenirent. at si quid aduersi caderet: hostium se telis potius quàm suffragiis iratorum ciuium caput obiecturū. Ab hoc sermone profectum Paulum tradunt, prosequētibus primoribus patrū. Plebeiū cōsulē sua plebs prosecuta, turba quàm dignitate conspectior. Vt in castra venerunt, permisto nouo exercitu ac vetere, castris bifariam factis, vt noua minora essent, propius Annibali, in veteribus maior pars & omne robur virium esset: titum anni prioris consulem M. Attilium ætatem excusantem, Romam miserunt. Cn. Seruilium in minoribus castris legioni Romanæ, & socium peditū equitumque duobus millibus præficiunt. Annibal quanquam parte dimidia auctas hostium copias cernebat: tamen aduentu consulum E mirè gaudere. non solum enim nihil ex rapti in diē commeatibus superabat, sed ne vnde raperet quidem, quicquam reliqui erat, omni vndique frumento, postea quam ager parum tutus erat, in vrbes munitas conuecto: vt vix decem dierum: quod compertum postea est. frumentum superesset: Hispanorumque ob inopiam transitio parata fuerit, si maturitas temporis exspectata foret. Ceterùm temeritati consulis, ac præpropero ingenio materiam etiam fortuna dedit. quod in prohibendis prædatoribus tumul- F tuario prælio, ac procursu magis militum, quàm ex præparato, aut iussu imperatorum orto, haudquaquam par Pœnis dimicatio fuit. Ad mille & septingentos cæsi: non plus centum Romanorum sociorumq; occisis. Ceterùm victoribus effusè pro sequētibus, metu insidiarum obstitit Paulus consul, cuius eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat, Varrone indignante, ac vociferante: emissum hostem è manibus: debellarique, ni cessatum foret, potuisse. Annibal id damnum haud ægerrimè pati: G quin potius credere, velut inescatam temeritatem ferocioris consulis, ac nouorum maximè militum esse: & omnia ei hostium haud secus quam sua, nota erant: dissimiles discordésque imperitare, duas prope partes tyronum militum in exercitu esse. itaque locum & tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima nihil præ-

ter arma ferentes secum milites ducens, castra plena A omnis fortunæ publicæ priuatæque relinquit: transque proximos montes læua pedites instructos condit, dextra equites, impedimenta per cornua in medium agmen traducit, vt diripiendis velut desertis fuga dominorum castris occupatum impeditumque hostem opprimeret. Crebri relicti in castris ignes, vt fides fieret, dum ipse longius spatium fuga præriperet falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset, tenere in locis consules voluisse. Vbi illuxit, subductæ primo stationes, deinde propius adeuntibus insolitum silen- B tium admirationem fecit. Iam satis cõperta solitudine in castris concursus fit ad prætoria Coss. nuntiantium fugam hostium adeò trepidam, vt tabernaculis stãtibus castra reliquerint quoque fuga obscurior esset, crebros etiam relictos ignes. Clamor inde ortus, vt signa proferri iuberent, ducerentque ad persequendos hostes, ac protinus castra diripienda. Et Cos. alter velut vnus turbæ militaris erat. Paulus etiam atque etiam dicere, prouidẽdum præcauendumque esse. postremo cùm aliter neque seditionem, neque ducem seditionis sustinere posset C M. Statilium præfectum cũ turma Lucanorum exploratũ misit. qui vbi adequitauit portis, subsistere extra munimenta ceteris iussis, ipse cum duobus equitibus vallum intrauit: speculatusque omnia cum cura, renuntiat insidias profecto esse: ignes in parte castrorum, quæ vergat in hostem, relictos: tabernacula aperta, & omnia cara in promtu relicta: argentum quibusdam locis temerè per vias velut obiectum ad prædam vidisse. Quæ ad detinendos à cupiditate animos nuntiata erant, ea accenderunt: D & clamore sublato à militibus, nisi signum detur, sine ducibus ituros: haud quaquam dux defuit. nam extemplò Varro signum dedit proficiscendi, Paulus, cùm ei sua sponte cunctanti, pulli quoque auspicio non addixissent, obnuntiari iam efferenti porta signa collegæ iussit. quod quanquam Varro ægre est passus: Flaminij tamen recens casus, Claudiique Cos. primo Punico bello memorata naualis clades religionem animo incussit. Dij prope ipsi eo die magis distulere, quàm prohibuere imminentem pestem Romanis. nam forte ita euenit, vt cum referri signa in castra iubenti Cos. milites non parerent, E serui duo, Formiani vnus, alter Sedicini equitis, qui Seruilio atque Atrilio Coss. inter pabulatores excepti à Numidis fuerant, profugerent eo die ad dominos: qui deducti ad Coss. denuntiant omnem exercitum Annibalis trans proximos montes sedere in insidiis. Horum opportunus aduentus Coss. imperij potentes fecit: cum ambitio alterius suam primum apud eos praua indulgentia maiestatem soluisset. Annibal posteaquam motos magis incon- F sulte Romanos, quàm ad vltimum temerè euectos vidit, nequicquam detecta fraude in castra rediit. ibi plures dies propter inopiam frumenti manere nequibat: nouáque consilia indies non apud milites solum mistos ex colluuione omnium gentium, sed etiam apud ipsum ducem oriebantur. nam cùm initio fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset, exposcentium stipendium debitum, querentiumque annonam primo, postremo famem: & mercenarios milites maximè Hispani generis, de transitione ce- G pisse consilium fama esset, ipse etiam interdum Annibal de fuga in Galliam dicitur agitasse: ita vt relicto peditatu omni, cum equitatu se proriperet. Cùm hæc consilia atque hic habitus animorum esset in castris, mouere inde statuit in calidiora, atque eo maturiora messibus Apuliæ loca. simul vt quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora leuibus ingeniis essent. Profectus est nocte, ignib. similiter factis, tabernaculisque paucis in speciem relictis, vt insidiarum par priori metus contineret Romanos. Sed per eundem Lucanum Statilium omnibus vltra castra, transque montes exploratis, cum relatum esset, visum procul hostium agmen: tum die sequenti eius insequendi consilia agitari cœpta. Cùm vtriusque COS. eadem, quæ semper ante fuisset sententia, ceterum Varroni ferè omnes, Paulo nemo, præter Seruilium prioris anni COS. assentiretur: maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas vrgente fato profecti sunt. Prope eum vicum Annibal castra posuerat auersa à Vulturno vento, qui campis torridis siccitate nubes pulueris vehit: id cum ipsis castris per commodũ fuit, tum salutare præcipuè futurum erat, cum aciem dirigerent, ipsi auersi, terga tantum afflante vento, in obcæcatum puluere effuso hostem pugnaturi. COSS. satis exploratis itineribus sequentes Pœnum, vt ventum ad Cannas est, vbi in conspectu Pœnum habebant, bina castra communiunt eodẽ fermè interuallo, quo ad Gerionẽ, sicut ante, copiis diuisis. Aufidus amnis vtrisque castris affluens aditum aquatoribus ex sua cuiusque opportunitate haud sine certamine dabat. ex minoribus tamen castris, quæ posita trans Aufidum erant, liberius aquabãtur Romani, quia ripa vlterior nullũ habebat hostium præsidium. Annibal spem nactus loci ad equestrem pugnam, qua parte virium inuictus erat, facturus copiam pugnandi consulibus, dirigit aciem, lacessitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus sollicitari seditione militari, ac discordia consulũ Romana castra: cum Paulus Sempronij & Flaminij temeritatem Varroni, Varro speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplũ Fabij obiiceret: testareturque deos & homines, hic nullam penes se culpam esse, quod Annibal iam velut suam cepisset Italiam, se constrictum à collega teneri ferrum atque arma iratis & pugnare cupientibus adimi militibus: ille si quid proiectis ac proditis ad inconsultam atque improuidã pugnam legionibus accideret, se omnis culpæ exsortem, omnis tamen euentus participem fore diceret. videret, vt quibus lingua prompta ac temeraria esset, æque in pugnam vigerent manus. Dum altercationibus magis quàm consiliis tempus teritur, Annibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat instructam, cum in castra ceteras reciperet copias, Numidas ad inuadendos ex minoribus castris Romanorum aquatores trans flumen mittit. quam inconditam turbam cùm vix dum in ripam egressi clamore, ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam, atque ipsas prope portas euecti sunt. id verò indignum visum, ab tumultuario auxilio iam etiam castra Romana terreri, vt ea domo vna caussa, ne extemplo transirent flumen, dirigerẽtque aciem, tenuerit Romanos, quod summa imperij eo die penes Paulum fuerit. itaque Varro postero die, cui sors eius diei imperij erat, nihil consulto collega signum pugnæ proposuit, instructisque copiis flumen transiuit, sequente Paulo: quia magis non probare, quàm non adiuuare consilium poterat. Transgressi flumen, eas quoque quas in castris minoribus habuerant copias, suis adiungunt. atque ita instructa acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites locant, deinde pedites. læuum cornu extremi equites sociorum, intra pedites, ad medium iũcti legionib. Romanis tenuerũt iaculatores. ex ceterorum leuiũ armatorũ auxiliis prima acies facta. Cos.

cornu

cornua tenent: Terentius læuum, Æmylius dextrum Cn.Seruilio media pugna tuenda data. Annibal luce prima Balearibus leuique alia armatura præmissa: transgressus flumen, vt quosque traduxerat, ita in acie locabat: Gallos Hispanosque equites prope ripā læuo in cornu aduersus Romanum equitatum. dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acie peditibus firmata: ita vt in Afrorum, vtraq. cornua essent. interponerētur his medij Galli atque Hispani. Afros Romanam magna ex parte crederes aciem ita armati erāt, armis & ad Trebiā, cæterum magna ex parte ad Thrasymenum captis. Gallis Hispanisq; scuta eiusdem formæ fere erant: dispares ac dissimiles gladij: Gallis prælongi, ac sine mucronibus: Hispano punctim magis quàm cæsim assueto petere hostem breuitate habiles, & cum mucronibus ante cæteros armari (is gentiū habitus tū magnitudine corporū, tum specie terribilis erat) Galli super vmbilicum erant nudi: Hispani linteis prætextis purpura tunicis candore miro fulgentibus constiterant. Numerum omnium qui tum peditum equitúmque in acie stetere, illum ferunt videlicet quadraginta peditum millia, decem equitum. Duces cornibus præerant sinistrum Asdrubal, dextrum regebat Maharbal. mediam aciem Annibal ipse cum fratre Magone tenuit. sol seu de industriâ ita locatis, seu forte stando, peropportunè vtrique parti obliquus erat Romanis in meridiem, Pœnis in Septentrionem versis. ventus, quem Vulturnum incolæ regionis vocant, aduersus Romanos coortus multo puluere in ipsa ora voluendo prospectum ademit. Clamore sublato procursum ab auxiliis, & pugna leuibus primum armis commissa: deinde equitum Gallorum Hispanorúmque læuum cornu cum dextro Romano concurrit, minimè equestris more pugnæ. frontibus enim aduersis concurrendum erat: quia nullo circa ad euagandum relicto spatio; hinc amnis, hinc peditum acies claudebant. in directum vtrinque nitentes, stantibus ac confertis, postremo turbatis equis, vir virum amplexus detrahebat equo. pedestre magna iam ex parte certamen factum erat. acrius tamen quàm diutiùs pugnatum est, pulsique Romani equites terga vertunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. primo & viribus & animis pares constabant ordines Gallis Hispanisque: tandem Romani diu ac sæpe consilio agitabant, qua fronte aciéque densa impellerent hostium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, à ceteris prominentem acie. impulsis deinde ac trepide referentibus pedem insistere, ac tenore vno perpræceps pauore fugientium agmen, in mediam primam aciem illati, postremo nullo resistente, ad subsidia Afrorum peruenerūt: qui vtrinque reductis alis constiterant. mediique Galli Hispanique steterunt aliquantum prominente acie. qui cuneus vt pulsus æquauit frontem primum, deinde nitendo etiam sinum in medio dedit, Afri circa iam cornua vim fecerant: irruentibusque incautè in medium Romanis circumdedere alas: mox cornua extendendo, clausere & ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicquam prælio vno, omissis Gallis Hispanisque, quorum terga cæciderant, etiam aduersus Afros integram pugnam ineunt: non tantum eo iniquam, quòd inclusi aduersus circumfusos, sed etiam quod fessi cum recentibus ac vegetis pugnabant. Iam & in sinistro cornu Romano, vbi sociorum equites aduersus Numidas steterant, consertum prælium erat, segne primo, & à Punica cœptum fraude. Quingenti ferme Numidæ præter consueta arma teláque, gladios

A occultos sub loricis habentes, specie trāsfugarum cum ab suis parmas post terga habētes, adequitassēt. repentè ex equis desiliunt, parmisque & iaculis ante pedes hostium proiectis. in mediam aciem accepti, ductique ad vltimos, considerare ab tergo iubentur. ac dum prælium ab omni parte conseritur, quieti manserunt postquam omnium animos oculósque occupauerat certamen, tum arreptis scutis, quæ passim inter aceruos cæsorum corporum strata erant, auersam adoriuntur Romanam aciem: tergáque ferientes, ac poplites cædentes, stragem ingentem de-

B derunt, ac maiorem aliquanto pauorem ac tumultū fecerant. Cùm alibi terror ac fuga alibi pertinax in mala iā spe prælium esset: Asdrubal, qui ea parte præerat subductos ex media acie Numidas, quia segnis eorum cum aduersis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit. Hispanos & Gallos pedites iam Afris propè fessis cæde magis quàm pugna adiungit. Parte altera pugnæ Paulus, quanquam primo statim prælio funda grauiter ictus fuerat, tamen & occurrit sæpe cum confertis Annibali, & aliquot locis prælium restituit, protegentibus eum equitibus

C Romanis. omissis postremo equis, quia C O S. ad regendum equum, vires deficiebant. tum denunciãti cuidā iussisse COS. ad pedes descēdere equites, dixisse Annibalem ferunt: Quàm mallem victos mihi traderet. Equitum pedestre prælium, quale iam haud dubia hostium victoria fuit: cùm victi mori in vestigio mallent, quàm fugere: victores morantibus victoriam irati, trucidarent quos pellere non poterāt: pepulerūt tamē iā paucos superatos, & labore ac vulneribus fessos. inde dissipati omnes sunt, equosq; ad fugam, qui poterant repetebant. Cn. Lentulus

D Tr. militum. cùm prætereuehens equo sedentem in saxo cruore oppletum C O S. vidisset: L. Æmyli, inquit, quem vnum insontem culpæ cladis hodiernæ dij respicere debent, cape hunc equum, dum & tibi virium aliquid superest: comes ego te tollere possū ac protegere, ne funestam hanc pugnā morte C O S. feceris: etiam sine hoc lacrymarum satis, luctusque est. Ad ea C O S. Tu quidem Cn. Corneli macte virtute esto: sed caue frustra miserando exiguum tempus è manibus hostium euadendi absumas. Abi, nuntia publicè patribus vrbem Romam muniant, ac prius quàm hostis victor adueniat, præ-

E sidiis firment, priuatimque Q. Fabio, L. Æmylium præceptorum eius memorem exstitisse, & vixisse, & adhuc mori. & tu me in hac strage militum meorum patere exspirare, ne vt reus interream, caussáque consulatus accusator collegæ existam, vt alieno crimine innocentiam meam protegam. Hæc exigentem prius turba fugientium ciuium, deinde hostes oppressere C O S. ignorantes quis esset, obruuntque telis. Lētulum, in tumulum abripuit equus.

F tum inde effusè fugiunt. Septem millia hominum in minora castra, decem in maiora, duo fermè in vicum ipsum Cannas perfugerunt: qui extemplo à Carthalone atque equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumuenti sunt. C O S. alter, seu forte, seu consilio, nihil fugientium infestus agmini, cū quinquaginta ferè equitibus Venusiam profugit. Quadraginta millia peditū, duo millia septingenti equites, & tanta prope ciuium sociorumq. pars cæsi dicuntur. in his alter consulum, quæstores L. Attilius

G & Furius Bibaculus: X X I. Tr. mil. consulares quidā prætoriiq. & ædilitij inter eos Cn. Seruilius, & C. Minutius Numatius, qui magister equitū priore anno aliquot dieb. ante fuerat. LXXX. præterea senatores, aut qui eos magistratus gessissēt, vnde in senatū legi deberent, cū sua voluntate milites in legio-

nibus facti essent. Capta eo prælio tria millia peditum, & equites treccenti dicuntur. Hęc est pugna Cānensi clade nobilitata, par cetera Alliensi. vtque hęc illa iis, quæ post pugnā accidere, leuior, quia ab hoste cessatum est: sic strage exercitus grauior, fœdiórque fuit pugna. namque ad Alliam fuga sicut vrbem prodidit, ita exercitum seruauit: Ad Cannas fugientē C O S. vix quinquaginta secuti sunt: alterius morientis propè totus exercitus fugit. Binis in castris cùm multitudo semiermis sine ducibus esset, nuntiū qui maioribus præerant, mittūt: dum prælio, deinde ex lætitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, vt ad se trāsirent vno agmine Cānusiū habituros esse. eā sententiā alij totā aspernari. cur enim illos, qui se accersant, ipsos nō venire, cum æquè cōiungi possent? quia videlicet plena hostiū omnia in medio essent: & aliorum quàm sua corpora tanto periculo mallent obiicere. Aliis non tam sententia displicere, quàm animus deesse. P. Sempronius Tuditanus Tr. mil. Capi ergo mauultis, inquit, ab auarissimo & crudelissimo hoste? æstimarique capita vestra pretio? & exquiri ab interrogantibus, Romanus ciuis sis, an Latinus socius? vt ex tua contumelia & miseria alteri honos quæratur, non tibi: Non vos quidem L. Æmylij. qui se bene mori, quàm turpiter viuere maluit: & tot fortissimorum virorum, qui circa eum cumulati iacent, similes estis. Sed antequam opprimat lux, maioráque hostium agmina obsepiant iter: per hos qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus. Ferro atque audacia iter fit, quamuis per confertos hostes. cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen, ac si nihil obstet, transibimus. itaque ite mecum qui & vosmetipsos & rep. saluam vultis. Hæc vbi dicta dedit, stringit gladium, cuneoque facto per medios vadit hostes: & cum in latus dextrum, quod patebat, Numidæ iacularentur, translatis in dextram partem scutis, in maiora cāstra ad sexcentos euaserunt: atq; inde protinus alio magno agmine adiuncto Cannusium incolumes perueniunt. Hæc apud victos magis impetu animorum, quem ingenium suum cuique aut sors dabat, quàm ex consilio ipsorum, aut imperio cuiusquam agebantur. Annibali victori cùm ceteri circunfusi gratularentur, suaderéntque vt tanto perfunctus bello, diei quod reliquum esset, noctísque insequentis, quietem & ipse sibi sumeret, & fessis daret militibus, Maharbal præfectus equitum minimè cessandum ratus: Imo vt quid hac pugna sit actum, scias, die quinta, inquit, victor in Capitolio epulaberis. sequere cum equite, vt prius te venisse, quàm venturum sciant. Præcedant, Annibal inquit, nuncij, læta res est, sed via maior, quàm vt eam statim capere animo possim. itaque voluntatem se laudare Maharbalis ait, ad consilium prensandum tempus opus esse. Tum Maharbal: Non omnia nimirum eidem dij dedere. Vincere scis, Annibal, victoria vti nescis. Mora eius diei satis creditur saluti fuisse vrbi atque imperio. Postero die vbi primum illuxit, ad spolia legenda, fœdámque etiam hostibus spectandam stragem insistunt. Iacebant tot Romanorum millia, pedites passim equitésque, vt quem cuique sors aut pugna iunxerat, aut fuga. assurgentes quidam ex strage media cruenti, quos stricta matutino frigore excitauerant vulnera, ab hoste oppressi sunt. Quosdam & iacentes viuos succisis feminibus poplitibúsque inuenerunt, nudantes ceruicem iugulumque, & reliquum sanguinem mittantes haurire. Inuenti sunt quidam mersis in effossam terram capitibus, quos sibi ipsos fecisse foueas, obruentésque ora subiecta

A ecta super humo iniecta interclusisse spiritum apparebat. præcipuè conuertit omnes substratus Numida mortuo superincumbenti Romano viuus, naso auribúsque laceratis: cum manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem exspirasset. Spoliis ad multum diei lectis, Annibal ad minora ducit castra oppugnanda, & omnium primum brachio fluminis obiecto eos excludit. Cæterum ab omnibus labore, vigiliis, vulneribus etiam fessis, maturior B ipsius spe deditio est facta. Pacti vt arma atque equos traderent, in capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in seruos centenis: & vt eo precio persoluto, cum singulis abirent vestimentis, in castra hostes acceperunt: traditíque in custodiam omnes sunt, sed seorsum ciues sociique. Dum ibi tempus teritur, interea cum ex maioribus castris, quibus satis virium aut animi fuit, ad quatuor millia hominum, & CC. equites, alij C agmine, alij palantes passim per agros, quod haud minus tutum erat, Cannusium profugissent, castra ipsa ab saucijs timidisque eadem conditione, qua altera, tradita hosti. Præda ingens parta est: & præter equos virosque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat: (nam ad vestiendum facto perexiguo vtique militantes vtebantur) omnis cetera præda diripienda data est. Tum sepeliendi caussa conferri in vnum corpora suorum iussit. Ad octo millia fuisse dicuntur fortissimorum virorum. C O S. quoque Romanum conquisitum D sepultúmque, quidam auctores sunt. Eos qui Cannusium perfugerant, mulier Apula nomine Busa, genere clara ac diuitiis, mœnibus tantum tectisque à Cannusinis acceptos, frumento, veste, viatico etiam iuuit. pro qua ei munificentia postea bello perfecto ab senatu honores habiti sunt. Cæterùm cum ibi tribuni militum quatuor essent, Fabius Maximus de legione prima, cuius pater priore annó dictator fuerat: & de legione secunda L. Publicius Bibulus, & P. Cornelius Scipio: & de legione tertia Ap. Claudius Pulcer, qui proxime ædilis fuerat: omnium E consensu ad P. Scipionem admodum adolescentem, & ad Appium Claudium summa imperij delata est. quibus consultantibus inter paucos de summa rerum, nuntiat P. Furius Philus, consularis viri filius, nequicquam eos consultare: perditam spem souere: desperatam comploratámque rem esse publicam. nobiles iuuenes quosdam, quorum principem L. Cæcilium Metellum, mare ac naues spectare, vt deserta Italia, ad regum aliquem transfugiant. F Quod malum præterquàm quod atrox super tot clades, etiam nouum, cum stupore ac miraculo torpidos defixisset: & qui aderant, consilium aduocandum de eo censerent: negat consilij rem esse Scipio, iuuenis fatalis dux huiusce belli. audendum atque agendum, non consultandum ait in tanto malo esse. irent secum extemplo armati, qui rempublicam saluam vellent. nusquam verius, quàm vbi ea cogitentur, hostium castra esse. Pergit deinde ire sequentibus paucis in hospitium Metelli. & cum concilium ibi iuuenū, de quibus allatum erat, inuenisset: stricto super capita consultantium gladio: Ex mei G animi sententia, inquit, iuro, vt ego rempublicam non deseram, neq. aliū ciuem Romanū deserere patiar. si sciens fallo, tū me Iupiter Opt. Max. domum, familiam, rémque meā pessimo letho afficias. In hęc verba L. Cæcili iures expostulo, cæteriq. qui adestis. qui non iurauerit, in se hunc gladiū strictū esse sciat. Haud secus pauidi, quā si victorem Annibalē cernerent, iurant omnes: custodiendosq. semetipsos contra An-

[illegible] Annibalem Sci[illegible]oni t[illegible]nt. Eo tempore quo hæc Canusij agebantur, Venusiam ad COS. ad quatuor millia peditum equitumque, qui sparsi fuga per agros fuerant, peruenere. Eos omnes Venusini per familias benignè accipiendos curandosque cum diuisissent: in singulos equites togas & tunicas & quadrigatos nummos quinos vicenos, & peditibus denos, & arma quibus deerant, dederunt. cæteráque publicè ac priuatim hospitaliter facta: certatúmque, ne a muliere Canusina populus Venusinus officiis vinceretur. Sed Canusij grauius onus Busæ multitudo faciebat, & iam ad decem millia hominum erant. Appiusque & Scipio postquam incolumem esse alteram Cos. acceperunt, nuntium extemplo mittunt, quantæ secum peditum equitumque copiæ essent, sciscitatumque simul, vtrum Venusiam adduci exercitum, an manere iuberet Canusij. Varro ipse Canusium copias traduxit. Et iã aliqua species cõsularis exercitus erat, mœnibusq. se certè, si non armis, ab hoste videbantur defensuri. Romam ne has quidem reliquias superesse ciuium sociorumque, sed occidione occisum cum duobus exercitib. Coss. deletasque omnes copias, allatum fuerat. Nunquam salua vrbe tantum pauoris tumultusque intra mœnia Romana fuit. Itaque succumbam oneri, neque aggrediar narrare, quæ disserendo minora vero faciam. Consule exercituque ad Thrasymenum priore anno amisso, non vulnus, sed multiplex clades, cum duobus Coss. consulares exercitus amissi annuntiabantur: nec vlla iam castra Romana, nec ducem, nec militem esse: Annibalis Apuliam, Samnium, ac iam prope totam Italiam factam. Nulla profectò alia gens tanta mole cladis nõ obruta esset. Compares cladem ad Ægateis insulas Carthaginiensium prælio nauali acceptam? qua fracti, Sicilia ac Sardinia cessere: inde vectigales ac stipendiarios fieri se passi sunt: aut pugnam aduersam in Africa, cui postea hic ipse Annibal succubuit. nulla ex parte comparandæ sunt: nisi quod minore animo latæ sunt. P. Furius Philus, & M. Pomponius, Prætores, senatum in curiam Hostiliam vocauerunt, vt de vrbis custodia consulerent, neque enim dubitabant, deletis exercitibus, hostem ad oppugnandam Romam quod vnum opus belli restaret, venturum. Cum malis sicut ingentibus, ita ignotis, ne consilium quidem satis expedirét, obstreperétque clamor lamentantium mulierum: & nondum palam facti viui mortuique per omnes pene domos promiscuè complorarentur: tum Fabius Maximus censuit equites expeditos & Appia & Latina via mittendos, qui obuiam euntes percunctando (aliquos profectos ex fuga, passim dissipatos fore) referant, quæ fortuna consulum atque exercituum sit, & si quid dij immortales miseriti imperij, reliquum Romano nomini fecerint: vbi eæ copiæ sint: quo se Annibal post prælium contulerit, quid paret, quid agat, acturusque sit. Hæc exploranda noscendaque per impigros iuuenes esse. Illud per patres ipsos agendum: quoniam magistratuum parum sit, vt tumultum ac trepidationem in vrbe tollant, matronas publico arceant, continerique intra suum quanque limen cogant: comploratus familiarum coerceant. silentium per vrbem faciant: nuntios rerum omnium ad Pr. deducendos curent: suæ quisque fortunæ domi auctorem exspectet: custodes præterea ad portas ponant, qui prohibeant quenquam egredi vrbem: cogántque homines nullam, nisi vrbe ac mœnibus saluis, salutem sperare: vbi conticuerit tumultus, rectè tum in curiam patres reuocandos, consulendumque de vrbis custodia esse. Cum in hanc sententiam pedibus om-

A nes issent, summotáque foro per magistratus turba, patres diuersi ad sedandos tumultus discessissent: tum demum literæ à Terentio COS. allatæ sunt: L. Æmylium COS. exercitumque cæsum: Canusijque sese esse, reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligentem: ad X. millia militum ferme esse incompositorum, inordinatorumque, sed Annibalem nũc sedere ad Cannas, in captiuorum pretijs, prædáque alia victoriam nec victoris animo, nec magni ducis more metientem. Tum priuatæ quoque per domos B clades vulgatæ sunt: adeoque totam vrbem oppleuit luctus, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec vlla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem caussam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, senatusconsulto diebus XXX. luctus est finitus. Ceterum sedato vrbis tumultu, cum reuocati in curiam patres essent, aliæ insuper ex Sicilia literæ allatæ sunt ab T. Octacilio proprætore, regnum Hieronis classe Punica vastari, C cui cum opem imploranti ferre vellet, nuntiatum sibi esse, aliam classem ad Ægateis insulas stare paratam instructámque, vt vbi se versum ad tuendam Syracusanam oram Pœni sensissent, Lilybæum extemplo prouinciamque aliam Romanam aggrederentur. itaque classe opus esse, si regem socium Siciliámque tueri vellent. Literis Cos. proprætorisque lectis, M. Claudium, qui classi ad Ostium stanti præesset, Canusium ad exercitum mittendum, scribendumque consuli, vt prætori exercitum tradidisset, D primo quoque tempore, quantum per commodum reipub. fieri posset, Romam veniret. Territi etiam super tantas clades, cum cæteris prodigijs, tum quod duæ Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri compertæ: & altera sub terram, vt mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem consciuerat. L. Cantilius scriba pontificum, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Floronia stuprum fecerat, à PONT. MAX. eo vsque virgis in comitio cæsus erat, vt intér verbera E exspiraret. Hoc nefas cùm inter tot, vt fit, clades, in prodigium versum esset: decemuiri libros adire iussi sunt. Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus supplicationibusque deos possent placare: & quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra viui dimissi sunt in locum saxo consæptum, ibi ante hostiis humanis minimè Romano F sacro imbutum. Placatis satis, vt rebantur, dijs, M. Claudius Marcellus ab Ostia mille & quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romam, vt vrbi præsidio essent, mittit: ipse legione classis (ea tertia legio erat) cum tribunis militũ Theano Sidicino præmissa, classe tradita P. Furio collegæ, paucos post dies Canusium magnis itineribus contendit. Dictator ex auctoritate patrum dictus M. Iunius, & T. Sempronius magister equitum, delectu edicto, iuniores ab annis XVII. & quosdam G prætextatos scribunt. quatuor ex his legiones, & mille equites effecti. item ad socios Latinumq. nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt: arma, tela, alia parari iubent. & vetera hostium spolia detrahunt templis, porticibusq. ie. Et aliam formam noui delectus inopia liberorũ capitum ac necessitas dedit: octo millia iuuenum validorum ex seruitiis, prius sciscitantes singulos, velléntne militare, eos ta publicè armauerũt. Hic miles magis placuit, cũ pretio minore redimendi captiuos copia fieret. Nãque

Annibal secundũ tam prosperam ad Cannas pugnã, victoris magis quàm bellum gerentis intentus curis cum captiuis productis, segregatisque sociis, eos, sicut antè ad Trebiam Thrasymenumque, lacũ benignè allocutus sine pretio dimisisset: Romanos quoque vocatos, quod nunquam alias antea, satis miti sermone alloquitur. Non internecinum sibi esse, cũ Romanis bellũ: de dignitate atque imperio certare, & patres virtuti Romanæ cessisse, & se id adniti, vt suæ inuicem simul fœlicitati & virtuti cedatur. itaq. redimendi se captiuis copiam facere. pretium fore in capita, equiti quingenos quadrigatos nummos, trecenos pediti, seruo centum. Quanquam aliquantum adiiciebatur equitibus ad id pretium quod pepigerant dedentes se, læti tamen, quamcunque conditionem paciscendi acceperunt. Placuit suffragio eorum decem deligi. qui Romam ad senatum irent. nec pignus aliud fidei, quàm vt iurarent se redituros, acceptum. Missus cum his Carthalo nobilis Carthaginiensis; qui, si forte ad pacem inclinarent animos, conditiones ferret. Cùm egressi castris essent, vnus ex iis minimè Romani ingenij homo, velut aliquid oblitus, iurisiurandi soluendi caussa cum in castra redisset, ante noctem comites assequitur. Vbi eos Romam venire nuntiatum est, Carthaloni obuiam lictor missus, qui dictatoris verbis nuntiaret, vt ante noctem excederet finibus Romanis. Legatis captiuorum senatus ab dictatore datus est. Quorum princeps M. Iunius, P. C. inquit, nemo vestrum ignorat, nulli vnquam ciuitati viliores fuisse captiuos, quàm nostræ. cæterum, nisi nobis plus iusto nostra placet caussa, non alij vnquàm minus neglig ndi vobis, quàm nos, in hostium potestatem venerunt. non enim in acie per timorem arma tradidimus, sed cum prope ad noctem superstantes cumulis cæsorum corporum prælium extraxissemus, in castra recepimus nos, diei reliquum, ac noctem insequentem fessi labore ac vulneribus vallum sumus tutati. postero die cùm circumsessi ab exercitu victore aqua arceremur, nec vlla alia iam per confertos hostes erumpendi spes esset, nec esse nefas duceremus, quinquaginta millibus hominum ex acie nostra trucidatis, aliquem ex Cannensi pugna Romanum militem restare: tum demum pacti sumus pretium, quo redemti dimitteremur: arma, in quibus nihil iam auxilij erat, hosti tradidimus. Maiores nostros quoque acceperamus, se à Gallis auro redemisse: & patres nostros asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captiuorum redimendorum gratia Tarentum misisse, atque in Italia cum Gallis, & ad Heracleam cum Pyrrho, vtraque non tam clade infamis, quam pauore & fuga, pugna fuit. Cannenses campos aceruі Romanorum corporum tegunt: nec supersumus pugnæ, nisi in quibus trucidandis & ferrum & vires hostem defecerunt. Sunt etiam de nostris quidam, qui nec in acie quidem refugerunt: sed præsidio castris relicti, cum castra traderentur, in potestatem hostium venerunt. Haud equidem vllius ciuis aut commilitonis fortunæ aut conditioni inuideo, nec premendo alium, me extulisse velim videri. ne illi quidem (nisi pernicitatis pedum, & cursus aliquot præmium est) qui plerique inermes ex acie fugientes, non prius quàm Venusiæ aut Cannusij constiterunt, se nobis merito prætulerint: gloriatique sint, in se plus quàm in nobis præsidij reipub. esse. sed illis vt bonis ac fortibus viris militibusque vtemini: vt nobis iam promtioribus pro patria: quod beneficio vestro redemti, atque in patriam restituti

A fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis. octo millia seruorum audio armari: non minor numerus noster est: nec maiori pretio redimi possumus, quàm hi emuntur. nam si conferam nos cum illis, iniuriam nomini Romano faciam. Illud etiam in tali consilio animaduertendum vobis censeam P. C. si tam duri esse velitis, quod nullo nostro merito faciatis: cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet? qui nos hospitum numero habuit captiuos, an barbaro ac Pœno? qui vtrum auarior, an crudelior sit, vix existimari potest. Si videatis catenas, squalorem deformitatémque ciuium
B vestrorum, non minus profectò vos ea species moueat, quam si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. Intueri potestis solicitudinem & lacrymas in vestibulo curiæ stantium cognatorum nostrorum, exspectantiúmque responsum vestrum. cùm ij pro nobis, proque iis qui absunt, ita suspensi ac soliciti sint, quem censetis animum ipsorum esse, quorum in discrimine vita libertásque est? Si medius fidius ipse in nos mitis
C Annibal contra naturam suam esse velit, nihil tamen nobis vita opus esse censeamus, cùm indigni vt à vobis redimeremur, visi sumus. Rediere Romam quondam remissi à Pyrrho sine pretio capti: sed rediere cum legatis primoribus ciuitatis ad redimendos sese missis. Redeam ego in patriam trecentis nummis non æstimatus ciuis? Suum quisque habet animum P. C. scio in discrimine esse vitam, corpusque meum. magis me famæ periculum mo-
D uet, ne à vobis damnati ac repulsi habeamur. neque enim vos pretio pepercisse homines credent. Vbi is finem fecit, extemplo ab ea turba quæ in comitio erat, clamor flebilis est sublatus, manusque ad curiam tendebant, orantes, vt sibi liberos, fratres, cognatos redderent. Fœminas quoque metus ac necessitas turbæ huic virorum in foro immiscuerat. Senatus summotis arbitris consuli cœptus. Ibi cum sententiis variaretur, & alij redimendos de publico, alij nullam publicam impensam faciendam, nec prohibendos ex priuato redimi; si quibus argen-
E tum in præsentia deesset, dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cauendum populo, censerent: tum T. Manlius Torquatus, priscæ ac nimis duræ, vt plerisque videbatur, seueritatis, interrogatus sententiam, ita locutus fertur: Si tantummodo postulassent legati pro iis qui in hostium potestate sunt, vt redimerentur, sine vllius insectatione eorum breui sententiã peregissem. quid enim aliud quam admonendi essetis, vt morem tra-
F ditum à patribus necessario ad rem militarem exẽplo, seruaretis? nunc autem cum prope gloriati sint, quod se hostibus dediderint, præferrique non captis modo in acie ab hostibus, sed etiam iis qui Venusiam Cannusiumque peruenerunt, atque ipsi C. Terentio COS. æquum censuerint: nihil vos eorum P. C. quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atque vtinam hæc, quę apud vos acturus sum, Cãnusij apud ipsum exercitum agerem, optimum testem ignauiæ cuiusque, & virtutis: aut vnus hic saltem adesset P. Sẽpro-
G nius, quem si isti ducem secuti essent, milites hodie in castris Romanis, non captiui in hostiũ potestate essent: & cum fessis pugnando hostibus, tũ victoria lætis, & ipsis plerisq. regressis in castra sua, noctem ad erumpendũ liberã habuissent, & septena armatorum hominũ millia erumpere etiam inter confertos hostes potuissẽt. neq. enim per se ipsi id facere conati sunt, neq. alium sequi voluerunt: Nocte prope tota P. Sempronius Tuditanus nõ destitit admonere adhortarique eos, dum paucitas hostium circa castra,

dum

Dum quies ac silentium esset, dum nox inceptum tegeret, se ducem sequerentur: ante lucem perueniri in tuta loca, in sociorum vrbes posse. Sicut auorum memoria, P. Decius Trib. mil. in Samnio: sicut nobis adolescentibus priori Punico bello Calphurnius Flamma trecentis voluntariis, cum ad tumulum eos capiendum, situm inter medios hostes, duceret, dixit: Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumuentas legiones: si hoc P. Sempronius diceret, nec viros quidem, nec Romanos vos duceret, si nemo tantæ virtutis exstitisset comes. Viam non ad gloriam magis quàm ad salutem ferentem demonstrat: ducem se in patriam, ad parentes, ad coniuges ac liberos facit: vt seruemini, deest vobis animus. quid si moriendum pro patria esset, faceretis? Quinquaginta millia ciuium sociorúmque circa vos eo ipso die cæsa iacent: si tot exempla virtutis non mouent, nihil vnquam mouebit: si tanta clades vobis vilem vitam non fecit, nulla faciet. Liberi atque incolumes desiderate patriam, imo desiderate dum patria est, dum ciues eius estis. serò nunc desideratis, diminuti capite, abalienati iure ciuium, serui Carthaginiensium facti. Pretio redituri estis eò, vnde ignauia ac nequitia abiistis? P. Sempronium ciuem vestrum non audistis arma capere, ac se iubentem sequi: Annibalem paulo post audistis, castra prodi, & arma tradi iubentem. Quam ego ignauiam istorum accuso, cum scelus possim accusare? non enim modo sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi inertes summouissent. prius inquam P. Sempronio per ciuium agmen, quam per hostium fuit erumpendum. Hos ciues patria desideret, quorum si cæteri similes fuissent, neminem hodie ex iis qui ad Cannas pugnauerunt, ciuem haberet? Ex millibus septem armatorum sexcenti exstiterunt, qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent: neque iis quadraginta millia hostium obstitere. quam tutum iter duarum prope legionum agmini futurum censetis? fuisset haberetis hodie viginti millia armatorum Canusij, fortia, fidelia, P. C. Nunc autem quemadmodum hi boni, fidelésque (nam fortes ne ipsi quidem dixerint) ciues esse possunt? nisi quis credere potest fuisse, qui erumpentibus, quin erumperent, obsistere conati sunt: aut non inuidere eos cum incolumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partæ, cum sibi timorem ignauiámque seruitutis ignominiosæ caussam esse sciant. Maluerunt in tentoriis latentes simul lucem atque hostem exspectare, cum silentio noctis erumpendi occasio esset. At enim ad erumpendum è castris defuit animus, ad tutanda fortiter castra animum habuerunt. dies noctésque aliquot obsessi armati se ipsi tutati vallo sunt: tandem vltima ausi, passique cum omnia subsidia vitæ deessent, affectísque fame viribus, arma iam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quàm armis victi sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit. ante secundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ac se ipsos. Hæc vobis ipsorum per biduũ militia fuit. G cum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt: cũ pro vallo pugnandũ erat, castra tradiderunt, neque in acie, neque in castris vtiles. Vos redimam? cũ erumpere castris oporteret, cunctamini, ac manetis. cũ manere, & castra tutari armis necesse est, & castra & arma & vos ipsos traditis hosti. Ego nõ magis istos redimẽdos P. C. censeo, quã illos dedẽdos Annibali, qui per medios hostes è castris eruperunt, ac per summam virtuté se patriæ restituerunt.

A Postquam Manlius dixit: Quanquã patrum quoque plerosque captiui cognatione attingebant, præter exemplum ciuitatis minimè in captiuos iã inde antiquitus indulgẽtis, pecuniæ quoque summa homines mouit: quia nec ærarium exhaurire, magna iam summa erogata in seruos ad militiam emendos, armandósque, nec Annibalem maxime huiusce rei, vt fama erat, egentem locupletari volebant. Cum triste responsum, non redimi captiuos, redditum esset, nouúsque super veterem luctus tot iactura ciuium adB iectus esset, cum magnis fletibus questibúsque legatos ad portam prosecuti sunt. Vnus ex iis domum abiit, quod fallaci reditu in castra, iureiurando se exoluisset, quod vbi innotuit, relatúmque ad senatum est: omnes censuerunt comprehendendum, & custodibus publicè datis, deducendum ad Annibalem esse. Est & alia de captiuis fama, X. primos venisse. de eis cum dubitatum in senatu esset, admitterentur in vrbem, necne: ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur. morantibus deinde longius omnium spe, C alios tres insuper legatos venisse, L. Scribonium, & Caium Calpurnium, & L. Manlium. tum demum ab cognato Scribonij Trib. pleb. de redimendis captiuis relatum esse, nec censuisse redimendos senatum, & nouos legatos tres ad Annibalem reuertisse, decem veteres remansisse, quod per causam recognoscendi nomina captiuorum ad Annibalem ex itinere regressi, religione sese exsoluissent. de iis dedendis magna cõtentione actũ in senatu esse: victósque paucis sententiis, qui dedendos censuerint. ceterum proxi-D mis censoribus adeo omnibus notis ignominiísque confectos esse, vt quidam eorum mortẽ sibi ipsi extemplo consciuerint: ceteri non foro solum omni deinde vita, sed propè luce ac publico caruerint. Mirari magis, adeò discrepare inter auctores, quàm quid veri sit, discernere queas. Quanto autem maior hæc clades superioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio est, quod qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperunt: nulla profectò alia de re, quàm quod desperare cœperant de impe-E rio. Defecere autem ad Pœnos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites, præter Petellinos, Brutij omnes, Lucani, præter hos Surrentini, & Græcorum omnis ferme ora, Tarentini, Metapontini, Crotonienses, Locrique, & Cisalpini omnes Galli. nec tamen hæc clades defectionésque sociorum mouerunt, vt pacis vnquam mentio apud Romanos fieret, neque ante COS. Romam aduentum, nec postquam is rediit, renouauitque memoriam acceptæ cladis, quo in tempore ipso adeò ma-F gno animo ciuitas fuit, vt consuli ex tanta clade, cuius ipse maxima causa fuisset, redeunti, & obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, & gratiæ actæ, quod de republica non desperasset: cui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret.

DECADIS TERTIAE

LIBER III.

Annibal, post Cannensem pugnam, castra capta ac direpta, confestim ex Apulia in Samniũ mouerat: accitus in Hirpinos à Statio pollicẽte se Cossam traditurum. Cossanus erat Trebius, nobilis inter

ios: sed premebat eũ Cossanorũ factio, familiæ per gratiá Romanorú potentis. Post famá Cosentis pugnæ vulgatumq. Trebij sermonibus aduentũ Annibalis, cum Cossani vrbe excessissent, sine certamine tradita vrbs Pœno, præsidiumque acceptum est. Ibi præda omni atque impedimentis relictis, exercitu partito, Magonem regionis eius vrbes, aut deficientes ab Romanis accipere, aut detrectantes cogere ad defectionem iubet, ipse per agrum Campanum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, vt vrbem maritimam haberet. Vbi fines Neapolitanorum intrauit, Numidas partim in insidiis (& pleræque cauæ B sunt viæ sinusque occulti) quacunque arte poterát, disposuit: alios præ se actam prędam ex agris ostentátes obequitare portis iussit. In quos, quia nec multi & incompositi videbantur, cum turma equitum erupisset, à cedentibus consulto tracta in insidias, circumuenta est. nec euasisset quisquam, nisi mare propinquũ, & haud procul littore naues piscatoriæ pleręque conspectę peritis nandi dedissent effugiũ. aliquot tamen eo prœlio nobiles iuuenes cæsi sunt: inter quos & Hegeas præfectus equitum intemperantius cedentes secutus, cecidit. Ab vrbe oppu- C gnanda Pœnum absterruere conspecta mœnia, haudquaquam prompta oppugnanti. Inde Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate atq; indulgentia fortunę: maximè tamen inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis, senatum & sibi & plebi obnoxium Pacuuius Calauius fecerat, nobilis item, ac popularis homo, cęterum malis artibus nactus opes. Is cum eo forte anno, quo res male gesta ad Thrasymenum est, in D summo magistratu esset: iam diu infestam senatui plebem, ratus per occasionem nouandi res magnum ausuram facinus, vt si in ea loca Annibal cum victore exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis improbus homo, sed non ad extremum perditus, cum mallet incolumi quam euersa rep. dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio crederet, rationem iniit qua & senatum seruaret, & obnoxium sibi ac plebi faceret. Vocato senatu, cum sibi defectionis ab Ro- E manis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium fuisset, præfatus esset: quippe qui liberos ex Appij Claudij filia haberet, filiámque Romæ nuptum Liuio dedisset: cæterum maiorem multo rem, magísque timendam instare. non enim per defectionem ad tollendum ex ciuitate senatum, plebem spectare: sed per cædem senatus vacuam rempub. tradere Annibali ac Pœnis velle. eo se periculo posse liberare eos, si se permittant sibi, & certa- F minum in repub. obliti credant. Cùm omnes victi metu permitterent: Claudam in curiam vos, inquit, & tanquam & ipse cogitati facinoris particeps, approbando consilia, quibus nequicquam aduersater, viam saluti vestræ inueniam. in hoc fidem, quam vultis ipsi, accipite. Fide data egressus, claudi curiam iubet, pręsidiúmque in vestibulo reliquit, ne quis adire curiam iniussu suo, néve inde egredi possit. Tunc vocato ad concionem po- G pulo: Quod sæpe, inquit, optastis Campani, vt supplicij sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc non per tumultum expugnantes domos singulorum, quas pręsidiis clientium seruorúmque tuentur, cum summo vestro periculo, sed tutam habetis, ac liberá. Clausos omnes in curiá accipite, solos, inermes, nec quicquá raptim aut forte temerè egeritis, de singulorum capite vobis ius sententię dicendę faciá, vt quas quisque meritus est pœnas pendat. Sed ante omnia ita vos iræ

A indulgere oportet, vt potiorem ira salutem atque vtilitatem vestram habeatis. Etenim hos (vt opinor) odistis senatores. nam senatum omnino non habere vultis: quippe aut rex, quod abominandum: aut, quod vnum liberæ ciuitatis consilium est, senatus habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt vobis, vt & veterem senatum tollatis, & nouum cooptetis. Citari singulos senatores iubebo: de quorum capite vos consulam: quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in eius locum, virum fortem ac strenuum nouum senatorem cooptabitis, quàm de B noxio supplicium sumatur. Inde consedit, & nominibus in vrná coniectis, citari quod primũ forte nomen excidit, ipsúmque curia produci iussit. Vbi auditum est nomen, malum & improbũ pro se quisq. clamare, & supplicio dignũ. Tum Pacuuius: Video quæ sententia de hoc sit data: eiicitur pro malo atq. improbo: bonum senatorem, & iustum eligite. Primo silentium erat, inopia potioris subiiciundi. deinde cùm aliquis omissa verecundia quempiam nominasset, multo maior extéplo clamor oriebatur: cùm alij negarent nosse, alij nunc probra, nunc humilita- C tem, sordidámque inopiam & pudédę artis aut quęstus genus obiicerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio senatore factum est, vt ipsius pœnitere homines appareret, quem auté in eius substituerent locum, deesse. quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quàm ad audienda probra nominatos: & multo humiliores obscuriorésque ceteri erát eis, qui primi memoriæ occurrebát. Ita dilabi homines, notissimum quodque malum maximè tolerabile di- D centes esse, iubentésque senatũ ex custodia dimitti. Hoc modo Pacuuius cùm obnoxium vitę beneficio senatũ multo sibi magis quàm plebi fecisset, sine armis iam omnibus concedétibus dominabatur. Hinc senatores omissa dignitatis libertatisque memoria, plebem affari, salutare, benignè inuitare, apparatis accipere epulis, eius causas suscipere, ei semper parati adesse, secundum eum in lite iudicem dare, qui magis popularis, aptiórque in vulgus fauori conciliando esset. Iam verò nihil in senatu actum aliter, E quàm si plebis ibi esset concilium. Prona semper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ, terrestrísque: tum verò ita obsequio principum, & licentia plebis lasciuire, vt nec libidini nec sumptibus modus esset. ad contemtum legum, magistratuum, senatúsque, accessit tum post Cannensem cladem: vt, cuius aliqua erat verecundia, Romanum F quoque imperium spernerent. id modo erat in mora, ne id extemplo efficerent, quod connubium vetustum multas familias claras, ac potentes Romanis miscuerat: & quod, cùm militarent aliquot apud Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobilissimus quisque Campanorum, in præsidia Sicularum vrbium delecti ab Romanis, ac missi. Horum parentes cognatíque ægrè peruicerunt, vt legati ad C O S. Romanum mitterentur. Ij nondum Cannusium profectum, sed G Venusiæ cum paucis ac semiermibus C O S. inueneruntquàm poterat maximè, miserabilem bonis sociis, superbis atque infidelibus, vt erant Campani, spernendum. Et auxit rerum suarum suíque contemtum C O S. nimis detegendo cladem, nudandóque. nam cum legati ægrè ferre senatum populumque Campanum aduersi quicquam euenisse Romanis, nuntiassent, pollicerenturque omnia quæ ad bellum opus essent: Morem, inquit, magis loquendi cum sociis seruastis Campani, iubentes quæ opus

essent ad bellum, imperare, quàm conuenienter ad præsentem fortunæ nostræ statum locuti estis. quid enim nobis ad Cannas relictum est: vt quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab sociis velimus? pedites vobis imperemus, tanquam equites habeamus: pecuniam deesse dicamus, tanquam ea tantum desit. Nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna, legiones, equitatus, arma, signa, equi virique pecunia, commeatus, aut in acie, aut in ruinis postero die amissis castris perierunt. Itaque non iuuetis nos in bello oportet Campani, sed cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis. Veniat in mentem, vt trepidos quondam maiores vestros intra mœnia compulsos, nec Samnitem modo hostem, sed etiam Sidicinum pauentes, receptos in fidē apud Satriculam defenderimus, cœptúmque propter vos cum Samnitibus bellum per centum propè annos, variáte fortuna euētum tulerimus. Adiicite ad hæc, quod fœdus æquum dedimus, quod leges nostras, quod ad extremum, id quod ante Cannensem certè cladem maximum fuit, ciuitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus, cōmunicauimúsque vobiscum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta est, credere Campani oportet, communem patriam tuendam arbitrari esse. Non cum Samnite, aut Hetrusco res est, vt quod à nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat. Pœnus hostis, ne Africæ quidem indigenam, ab vltimis terrarum oris, freto Oceani, Herculisque columnis, expertem omnis iuris & conditionis & linguæ propè humanæ, militem trahit. Hunc natura & moribus immitem ferúmque, insuper dux ipse efferauit, pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis, & (quod proloqui etiam piget) vesci humanis corporibus docēdo. hos infandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit, videre atq. habere dominos, & ex Africa & à Carthagine iura petere, & Italiam Numidarum ac Maurorū pati prouinciam esse, cui non genito modo in Italia, detestabile sit? Pulchrū erit Cāpani, prolapsum clade Romanum imperium, vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta millia peditum, quatuor equitū arbitror ex Campania vos scripsisse: iam pecuniæ affatim esse, frumentique. qui si parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec Annibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse. Hac oratione COS. dimissis redeuntibusque domum legatis, vnus ex iis, Sabius Vicius, tempus venisse ait, quo Campani non agrum solum ab Romanis quondam per iniuriam ademptū recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint. fœdus enim cū Annibale quibus velint legibus facturos. neque controuersiam fore, quin ipse confecto bello Annibal victor in Africam hinc decedat, exercitúmque deportet: Italiæ imperium Campanis relinquatur. Hæc Virio loquenti assensi omnes, ita renuntiant legationem, vti deletum omnibus videretur nomen Romanum. Extemplò plebes ad defectionem, ac pars maxima senatus spectare. extracta tamen auctoritatibus seniorum per paucos dies est res: postremo vicit sententia plurium, vt iidem legati qui ad COS. Romanum ierant, ad Annibalem mitterentur. Quo priùs quàm iretur, certúmque defectionis consilium esset: Romam legatos missos à Campanis, in quibusdam Annalibus inuenio postulantes, vt alter COS. Campanus fieret, si rem Romanam adiuuari vellent, indignatione orta, summoueri à curia iussos esse: missúmque lictorem, qui ex vrbe educeret eos, atque eo die manere extra fines Romanos iuberet. Quia nimis compar Latinorum quondam postulationi erat, Cœliúsque & alij id haud sine caussa prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus. Legati ad Annibalem venerunt, pacémque cum eo his conditionibus fecerunt, ne quis imperator magistratúsve Pœnorum ius vllum in ciuem Campanum haberet, néve ciuis Campanus inuitus militaret, munúsve faceret: vt suæ leges, sui magistratus Campanis essent: vt trecentos ex Romanis captiuos Pœnus daret Campanis, quos ipsi elegissent: cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia stipendia facerent, permutatio fieret. Hæc pacta. Alia insuper, quàm quæ pacta erant, facinora Campani ediderunt. nam præfectos sociûm, ciuésque Romanos alios, partim aliquo militiæ munere occupatos, partim priuatis negotiis implicitos, plebs repente omnes comprehensos, velut custodiæ suæ caussa balneis includi iussit: vbi feruore atque æstu anima interclusa, fœdum in modum exspirarent. Ea ne fierent, neu legatio mitteretur ad Pœnum, summa ope Decius Magius, vir cui ad summam auctoritatem nihil præter sanam ciuium mentem defuit, restiterat. vt verò præsidium mitti ab Annibale audiuit: Pyrrhi superbam dominationem, miserabilémque Tarentinorum seruitutem, exempla referens, primo ne reciperetur præsidium, palam vociferatus est: deinde, vt receptum aut eiiceretur: aut, si malum facinus, quod à vetustissimis sociis consanguineísque defecissent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, vt interfecto Punico præsidio restituerent se Romanis. Hæc (neque enim occulte agebantur) cum relata Annibali essent: primo misit qui vocarent Magium ad sese in castra. deinde cùm is ferociter negasset se iturum (nec enim Annibali ius esse in ciuem Campanum), concitatus ira Pœnus, comprehendi hominem, vinctúmque attrahi ad se iussit, veritus deinde, nequid inter vim tumultus, atque ex concitatione animorum inconsulti certaminis oriretur, ipse præmisso nuntio ad Marium Blosium Pr. Campanum, postero die se Capuæ futurum, proficiscitur è castris cum modico præsidio. Martius concione aduocata edicit, vt frequentes cum coniugibus ac liberis obuiā irent Annibali. Ab vniuersis id non obedienter modò, sed enixe, fauore etiam vulgi, & studio visendi tot iam victoriis clarum imperatorē factum est. Decius Magius nec obuiam egressus est: nec, quo timorem aliquem ex conscientia significare posset, priuatim se tenuit, in foro cū filio clientibusq. paucis otiose inambulauit, trepidante tota ciuitate ad excipiendum Pœnū, visendumq. Annibal ingressus vrbē, senatum extemplo postulat. precantibusq. inde primoribus Campanorū, ne quid eo die ferè gereret, diémque vt ipse aduentu suo festū lætus ac libēs celebraret: quanquam præceps ingenio in iram erat, tamen ne quid in principio negaret, visendo vrbem magnā diei partem consumsit. Diuersatus est apud Ninnios Celeres, Stenium, Pacuuiumque inclytos nobilitate ac diuitiis. Eò Pacuuius Calauius, de quo ante dictū est, princeps factionis eius, quæ attraxerat rem ad Pœnos, filium iuuenem adduxit: abstractúmque ab se à Decij latere, cum quo ferocissime pro Romana societate aduersus Punicū fœdus steterat: nec cum aut inclinata in partem alteram ciuitas, aut patria maiestas sententiæ depulerat. Huic tum pater iuueni Annibalem deprecando magis quā purgādo placauit. victusque patris precibus, lacrymisque etiā ad cœnam eum cum patre vocari iussit: cui conuiuio neminem Campanum, præterquàm hospites, Iubelliumque Tauream, insignem bello virū, adhibiturus erat. Cœperunt epulari de die, & conuiuium

non ex more Punico, aut militari disciplina esse: sed vt in ciuitate, atque etiam domo, diu ad varias omnium voluptatum illecebras instructum. Vnus nec dominorum inuitatione, nec ipsius interdum Annibalis, Calauij filius Perolla vinci potuit. ipsique valetudinem excusans patri, animi quoque eius mirabilem interturbationem cum quæreret: ante solis fermè occasum patrem Calauium ex cõuiuio egressum secutus filius, vbi in secretum (hortus erat posticis ædium partibus) peruenerunt: Consilium, inquit, affero pater, quo non veniam solum peccati, quo defecimus ad Annibalem, impetraturi ab Romanis: sed in multo maiore dignitate & gratia simus Campani, quàm vnquam fuimus. Cum mirabundus pater, quidnam id esset consilij quæreret: toga reiecta ab humero, latus succinctum gladio nudat. Iam ego, inquit, sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus. te id prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratur, malles. Quæ vbi vidit audiuítque senex, velut si iam agendis quæ audiebat, interesset, eum metu: Per ego te, inquit, fili, quæcunque iura liberos iungunt parentibus, precor, quæsoque, ne ante oculos patris facere & pati omnia infanda velis. paucæ horæ sunt, intra quas iurantes per quicquid deorum est, dextras dextræ iungentes, fidem obstrinximus, vt sacratis de mensis essemus. Digressi à colloquio, extemplo in eum armamur? surgis ab hospitali mensa, ad quam tertium Campanorum adhibitus ab Annibale es: eã ipsam mensam cruentare vis hospitis sanguine? Annibalẽ modo pater filio meo potui placare, filium Annibali non possum? Sed si nihil sancti, non fides, non religio, non pietas, audiantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. Vnus aggressurus es Annibalem? quid illa turba tot liberorum seruorumque? quid in vnum intenti omnium oculi? qui tot dextræ? torpescéntne in amentia illa? vultum ipsius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? & si alia auxilia desint, meipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Annibalis, sustinebis? atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigendusque est. deterreri hic sine te potius, quàm illic vinci. valeant preces apud te meæ, sicut pro te hodie valuerunt. Lacrymantem inde iuuenem cernens, medium complectitur, atque osculo hærens, non ante precibus abstitit, quàm peruicit, vt gladium poneret, fidémque daret, nihil facturum tale. Tum iuuenis: Ego quidem, inquit, quam patriæ debeo pietatem, exsoluam patri. tuam doleo vicem, cui ter proditæ patriæ sustinendum est crimen: semel, cum defectionem inisti ab Romanis: iterum, cum pacis cum Annibale fuisti auctor: tertio hodie, cum restituendæ Romanis Capuæ mora atque impedimentum tu es. O patria, ferrum, quo pro te armatus hanc arcem defendere volebam, hosti minimè parcens, quando parens extorquet, recipe. Hæc cum dixisset, gladium in publicum trans maceriam horti abiecit: & quo minus res suspecta esset, se ipse conuiuio reddidit. Postero die senatus frequens datus Annibali. vbi prima eius oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis, quod amicitiam suam Romanæ societati præposuissent: & inter cetera magnifica promissa pollicitus, breui caput Italiæ omnis Capuam fore: iuráque inde cum ceteris populum Romanum etiam petiturum. Vnum esse exsortem Punicæ amicitiæ, fœderísque secum facti, quem neque esse Campanum, neque dici debere, Magium Decium, eum postulare, vt sibi dedatur, ac se præsente de eo referatur, senatúsque consultum fiat, om-

A nes in eam sententiam ierunt: quanquam magnæ parti & vir indignus ea calamitate, & haud paruo initio minui videbatur ius libertatis. Egressus curia, in templo magistratus consedit: comprehendíque Decium Magium, atque ante pedes statutum caussam dicere iussit. Qui cum manente ferocia animi negaret lege fœderis id cogi posse: tum iniectæ catenæ, ducique ante lictorem in castra est iussus. Quoad capite aperto est ductus, concionabundus incessit, ad circumfusam vndique multitudinem vociferans: Habetis eam libertatem Campani, quam peti-
B stis. foro medio, luce clara, videntibus vobis, nulli Campanorum secundus, vinctus ad mortem rapior. quid violentius Capua capta fieret? ite obuiam Annibali, exornate vrbem, diémque aduentus eius consecrate, vt hunc triumphum de ciue vestro spectetis. Hæc eo vociferante cum moueri vulgus videretur, obuolutum caput est: ocyúsque rapi extra portam iussus. ita in castra perducitur: extẽplóq. impositus in nauim, & Carthaginem missus, ne motu aliquo Capuæ ex indignitate rei orto, senatum quoque pœniteret dediti principis: & legatione missa ad re-
C petendum eum, ne aut negando rem, quam primum peterent, offendendi sibi noui socij, aut tribuẽdo, habendus Capuæ esset seditionis ac turbarum auctor. Nauẽ Cyrenas detulit tempestas, quæ tum in ditione regũ erãt. ibi cum Magius ad statuam Ptolemæi regis cõfugisset, deportatus à custodibus Alexandriam ad Ptolemæum, dum eum docuisset, contra ius fœderis vinctum se ab Annibale esse, vinculis liberatur: permissúmque vt rediret, seu Romam seu Capuã mallet. Nec Magius Capuam sibi tutam dicere: &
D Romam eo tempore, quo inter Romanos Campanósque bellum sit, transfugæ magis quam hospitis fore domicilium, nusquam malle, quam in regno eius viuere, quem vindicem atque auctorem habeat libertatis. Dum hæc geruntur, Q. Fabius Pictor legatus à Delphis Romam rediit, responsumque ex scripto recitauit: (diui quoque in eo erant, quibus, quoque modo supplicaretur.) Tum si ita faxitis Romani, vestræ res meliores felicioresque erunt: magis ex sententia respubl. vestra vobis procedet: victoriáque duelli populi Romani erit. Pythio Apollini, Repub. vestra bene gesta seruatáq. lucris meritis donũ mit-
E titote: déq. præda, manubiis, spoliisq. honorem habetote. Hæc vbi ex Græco carmine interpretata recitauit: tum dixit, se oraculo egressum extemplo, his omnibus diuis rem diuinam thure ac vino fecisse: iussumque ab antistite, sicut coronatus laurea corona & oraculum adisset, & rem diuinam fecisset, ita coronatum nauim ascendere, nec ante deponere eam, quàm Romam peruenisset. se quæcunque imperata sint cum summa religione ac dili-
F gentia exsecutum, coronam Romæ in ara Apollinis deposuisse. Senatus decreuit, vt eæ res diuinæ, supplicationésque primo quoq. tempore cum cura fierẽt. Dũ hæc Romæ atq. in Italia gerũtur, nũtius victoriæ ad Cannas Carthaginẽ venerat. Mago Amilcaris filius, non ex ipsa acie à fratre missus, sed retentus aliquot dies in recipiendis ciuitatibus Brutiorum, quæ deficiebant. Is cum ei senatus datus esset, res gestas in Italia à fratre exposuit. Cũ sex imperatoribus eũ, quorum quatuor consules, duo dictator ac magister
G equitum fuerint, cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse. occidisse supra ducẽta millia hostiũ: supra L. millia cepisse. ex quatuor consulib. duos occidisse. ex duob. sauciũ alterum, alterũ toto exercitu amisso, vix cum L. hominibus effugisse. magistrum equitũ, qui consularis potestatis sit, fusum fugatumque, dictatorem, quia se in aciem nunquam commiserit,

miserit, vnicum haberi imperatorem. Brutios Apulosque, partem Samnitum ac Lucanorum, defecisse ad Pœnos. Capuam, quod caput non Campaniæ modo, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna, Italiæ sit, Annibali se tradidisse. Pro his tantis totque victoriis verum sacrum diis immortalibus agi, haberique. Ad fidem deinde tam lætarum rerum, effundi in vestibulo curię iussit annulos aureos. qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidium super tres modios explesse, sint quidam auctores. Fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum primores id gerere insigne. Summa fuit orationis, quo propius spes belli perficiendi sit, eo magis omni ope iuuandum Annibalem esse. procul enim ab domo militiam esse, in media hostium terra, magnam vim frumenti pecuniæque absumi: & tot acies, vt hostium exercitus delesse, ita victoris etiam copias parte aliqua minuisse. mittendum igitur supplementum esse, mittendam in stipendium pecuniam, frumentúmque tam benemeritis de nomine Punico militibus. Secundum hæc dicta Magonis lætis omnibus, Himilco vir factionis Barchinæ, locum Hannonis increpandi esse ratus: Quid est Hanno? inquit: etiam nunc te pœniret belli suscepti aduersus Romanos? iube dedi Annibalem: veta in tam prosperis rebus gratias diis immortalibus agi. audiamus Romanum senatorem in Carthaginiensium curia. Tum Hanno: Tacuissem hodie Patres conscripti, ne quid in communi omnium gaudio, minus lætum quod esset vobis, loquerer. nũc interroganti senatori, pœnitiátne me adhuc suscepti aduersus Romanos belli, si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar. quorum alterum est hominis alienæ libertatis obliti, alterum suæ. Respondeam igitur Himilconi, non desisse pœnitere me belli: neque desiturum ante inuictum nostrum imperatorem incusare, quàm finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro: nec mihi pacis antiquæ desiderium vlla alia res, quam pax noua finiet. Itaque ista quæ modo Mago iactauit, Himilconi cæterisque Annibalis satellibus iam læta sunt. mihi possunt læta esse, quia res bello bene gestæ, si volumus fortuna vti, pacem nobis æquiorem dabunt. nam si prætermittimus hoc tempus, quo magis dare quàm accipere possumus, videri pacem: vereor, ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana euadat, quę tamen nunc quoque qualis est? Occidi exercitus hostium: mittite milites mihi. Quid aliud rogares, si esses victus? Hostium cepi bina castra, prædæ videlicet plena, & commeatum: frumentum & pecuniam date. Quid aliud, inquam, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne omnia ipse mirer: (mihi quoque enim quoniam respondi Himilconi, interrogare ius fasque est) velim seu Himilco, seu Mago respondeant: cum ad internecionem Romani imperij pugnatum ad Cannas sit, constétque in defectione totam Italiam esse: primum ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos? deinde ecquis homo ex V. & XXX. tribubus ad Annibalem transfugerit? Cum vtrunq. Mago negasset: Hostium quidẽ ergo, inquit, adhuc multum superest: sed multitudo ea quid animorum quidve spei habeat, scire velim. Cum id nescire se Mago diceret: Nihil facilius scitu est, inquit, ecquos legatos ad Annibalem Romani miserunt de pace? ecquam denique mentionem pacis Romæ factam esse, allatum ad vos est? Cum id quoque negasset: Bellum igitur, inquit, tam integrum habemus, quam habuimus, qua die Annibal in Italiam est ingressus.

A Quàm varia victoria priore Punico bello fuerit, plerique qui meminerimus, superfumus. nunquam terra marique magis prosperæ res nostræ visæ sunt, quam ante cõsules C. Luctatium & A. Posthumium fuerunt. Luctatio & Posthumio Coss. deuicti ad Ægates insulas sumus. Quod si (id quod dij omẽ auertant) nunc quoque fortuna aliquid variauerit, tum pacem speratis, quum vincimur: quam nunc cum vincimus, dat nemo? Ego, si quis de pace consulet, seu deferenda hostibus, seu accipienda: habeo quid sententiæ dicam: si de iis quæ Mago postulat, refertis, B nec victoribus mitti attinere puto, & frustrantibus nos falsa atque inani victoria, multo minus censeo mittenda esse. Haud multos mouit Hannonis oratio. nam & simultas cum familia Barchina leuiorem auctorem faciebat: & occupati animi præsenti lætitia, nihil quo vanius fieret gaudium suum, auribus admittebãt: debellatúmque mox fore, si adniti paululum voluissent, rebantur. Itaque ingenti consensu fit senatusconsultum, vt Annibali XL. Numidarum C millia in supplementum mitterentur, & XL. elephãti, & argenti multa talenta. Dictatorque cum Magone in Hispaniã præmissus est, ad conducenda XX. millia peditum, quatuor equitum, quibus exercitus qui in Italia, quique in Hispania erant, supplerẽtur. Ceterum hæc, vt in secundis rebus, segniter otioséque gesta sunt. Romanos præter insitam industriam animis, fortuna etiam cunctari prohibebat. nam nec consul vlli rei quæ per eum agenda esset, deerat: & dictator M. Iunius rebus diuinis perfectis, latoque D (vt solet) ad populũ, vt equum ascendere liceret: præter duas vrbanas legiones, quę principio anni à consulibus conscriptæ fuerant, & seruorum delectum, cohortésque ex agro Piceno & Gallico colectas, ad vltimum prope desperatæ Reipub. auxilium, cum honesta vtilibus cedũt, descendit equo, dixitque: Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ iudicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierẽt, eos noxa pecuniáque se exsolui iussurum. & sex millia hominum Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flami- E nij translata erant, armauit. itaque cum XXV. millibus armatorum ab vrbe proficiscitur. Annibal Capua recepta, cum iterum Neapolitanorum animos, partim spe, partim metu nequicquam tentasset, in agrum Nolanum exercitum traducit: & vt non hostiliter statim, quia non desperabat voluntariam deditionem: ita si morarentur, spem, nihil eorum quæ pati aut timere possent, prætermissurus. Senatus, ac maximè primores eius, in societate Romana cum fide pręstare. plebs nouarum (vt solet) rerum F auida atque Annibalis tota esse: metúmque agrorum populationis, & patienda in obsidione multa grauia indignáque proponere animo, neque auctores defectionis deerant. Itaque vbi senatum metus cepit, si palam contra tenderent, resisti multitudini concitatæ non posse, clam simulando dilationem mali inueniunt. placere enim sibi defectionem ad Annibalem simulant: quibus autem conditionibus in fœdus amicitiámque nouam transeant, parum constare. Ita spatio sumto, legatos properè ad præ- G torem Romanum Marcellum Claudium, qui Canusij cum exercitu erat, mittunt: docentque quanto in discrimine sit Nolana res. agrum Annibalis esse, & Pœnorum vrbem extemplò futuram, ni subueniatur. concedendo plebi senatum, vbi velint, defecturos se, ne deficere præfestinarent, effecisse. Marcellus collaudatis Nolanis, eadem simulatione extrahi rem in suum aduentum iussit: interim celari, quæ secum acta essent, spémque omnem auxilij Romani. Ipse à Canusio Calatiam petit: atque inde Vul-

turno amne traiecto, pérq; agrum Satriculanũ Trebianumque super Suessulam per montes Nolam peruenit. Sub aduentum prętoris Romam Pœnus agro Nolano excessit: & ad mare proximè Neapolim descendit cupidus maritimi oppidi potiundi, quo cursus nauibus tutus ex Africa esset. Ceterum postea quàm Neapolim à præfecto Romano teneri accepit: (M. Iunius Syllanus erat, ab ipsis Neapolitanis accitus) Neapolim quoque sicut Nolam, non admissus, petit Nuceriam. Eam cum aliquandiu circumsedisset: sæpe vi, sæpe solicitandis nequicquam nunc plebe, nunc principibus, fame demum in deditionem accepit, pactus, vt inermes cum singulis abirent vestimentis: deinde, vt quia à principio mitis omnibus Italicis, præter Romanos videri vellet, præmia atque honores iis qui remansissent, ac militare vellent secum, proposuit. nec ea spes quénquam tenuit. dilapsi omnes quocunque hospitia, aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniæ vrbes, maxime Nolam, Neapolímque. Cum fermè triginta senatores, ac forte primus quisque Capuam petissent: exclusi inde, quod portas Annibali clausissent, Cumas se contulerunt. Nuceriæ pręda militi data est, vrbs direpta, atque incensa. Nolam Marcellus non sui magis fiducia præsidij, quàm voluntate principum habebat. plebs timebatur, & ante omnes L. Bantius, quem consensus attentatæ defectionis, ac metus à prætore Romano, nunc ad proditionem patriæ, nunc si ea die fortuna defuisset, ad transfugiendum stimulabat. Erat iuuenis acer, & sociorum ea tempestate nobilissimus eques. semineceṁ eum ad Cánas in aceruo cęsorum corporum inuentum, curatúmque benignè, etiam cum donis Annibal domum remiserat ob eius gratiam meriti, rem Nolanam in ius ditionémque dare voluerat Pœno: anxiúmque eum & solicitum cura nouandi res prætor cernebat. ceterum cum aut pœna cohibendus esset, aut beneficio conciliandus sibi assumpsisse, quã hosti ademisse fortem ac strenuum maluit socium, accitúmque ad se begniuè appellat. Multos eum inuidos inter populares habere, inde existimatu facile esse, quod nemo ciuis Nolanus sibi indicauerit quàm multa eius egregia facinora militaria essent. sed qui in Romanis militauerit castris, non posse obscuram eius virtutem esse. multos sibi qui cum eo stipendia fecerint, referre, qui vir esset ille: quæque & quoties pericula pro salute ac dignitate populi Romani adisset: vtique Cannensi pugna non prius prælio abstiterit, quàm prope exsanguis ruina superincidentium virorum, equorum, armorúmque sit oppressus. Itaque macte virtute esto, inquit, apud me tibi omnis honos, atque omne præmium erit: & quo frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati atque emolumento esse. Lętúsque iuueni promissis, equum eximium dono dat, bigatósque quingentos quæstorem numerare iubet: lictoribus imperat, vt eum se adire, quoties velit, patiatur. Hac comitate Marcelli, ferocis iuuenis animus adeo est mollitus, vt nemo inde sociorum rem Romanam fortius ac fidelius iuuerit. Cùm Annibal ad portas esset Nolam enim rursus à Nuceria mouerat castra), plébsque Nolana de integro ad defectionem spectaret: Marcellus sub aduentum hostium intra muros se recepit, non castris metuens, sed ne proditionis occasionem nimis multis in eam imminentibus daret. Instrui deinde vtrinque acies cœptæ, Romanorum pro mœnibus Nolæ, Pœnorum ante castra sua. prælia hinc parua inter vrbem castráque, & vario euentu fiebant: quia duces nec prohibere paucos temere rogantcis, nec dare signum vniuersę

A pugnę volebāt. in hac cotidiana iã duorũ exercituũ statione, principes Nolanorum nunciant Marcello, nocturna colloquia inter plebē ac Pœnos fieri: statutúmque esse, vt cum Romana acies egressa portis isset, impedimenta eorum ac sarcinas diriperent: clauderéntque deinde portas, murósque occuparent, vt potientes rerum suarum atque vrbis Pœnum inde pro Romano acciperēt. Hęc vbi nunciata sunt Marcello, collaudatis senatoribus Nolanis, priusquam aliquis motus in muris oriretur, fortunam experiri B statuit. Ad treis portas in hostes versas tripartito exercitum instruxit, impedimēta subsequi iussit: calones, lixásque & inualidos milites vallū ferre. media porta robora legionum, & Romanos equites, duabus circa portis nouos milites, leuémq; armaturam, ac sociorum equites statuit. Nolani muros portásq; adire vetiti: subsidiáq; destinata impedimentis data, ne occupatis prælio legionibus, in ea impetus fieret. ita instructi intra portas stabant. Annibali sub signis (id quod per aliquot dies fecerat) ad C multū diei in acie stanti, primo miraculo esse, quod nec exercitus Romanus porta egrederetur, nec armatus quisquam in muris esset. ratus deinde prodita colloquia esse, metúque resides factos, partem militum in castra remittit, iussos propere apparatum omnem oppugnandæ vrbis in primam aciem afferre: satis fidens, si cunctantibus instaret, tumultum aliquem in vrbe plebem moturam. Moxque dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa, succeditque ad muros acies: patefacta repente D porta, Marcellus signa canere clamorémque tolli, ac pedites primum, deinde equites quanto maximo possent impetu in hostem erumpere iubet. Satis terroris tumultúsque in aciem mediam intulerat, cum duabus circà portis P. Valerius Flaccus & C. Aurelius legati in cornua hostium erupêre. Addidere clamorem lixæ calonésq; & alia turba custodiæ impedimentorum apposita, vt paucitatem maximè spernentibus Pœnis ingentis repente exercitus speciem fecerint. Vix equidem ausim affirmare, quod quidā E auctores sunt duo millia & CCC. hostium cæsos: nō plus vno Romanos amisisse. Siue tanta, siue minor victoria fuit, ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. non vinci enim ab Annibale vincere solito, difficilius fuit, quàm postea vincere. Annibal spe potiundæ Nolæ adempta, cum Acerras recessisset: Marcellus extemplo clausis portis, custodibusque dispositis, ne quis egrederetur, quæstionem in foro de iis qui clam in colloquiis hostiū fuerant, habuit. supra LXX. dānatos proditionis securi per- F cussit, bonaque eorum iussit publica esse. & summa rerum senatui tradita, cum exercitu omnī profectus supra Suessulam castris positis consedit. Pœnus Acerranos primum ad voluntariam deditionem conatus perlicere. postquam obstinatos vidit, obsidere inde atque oppugnare parat. Ceterum Acerranis plus animi quàm virium erat. itaque desperata tutela vrbis, vt circumuallari mœnia viderunt, priusquā continuarentur hostium opera, per intermissa munimenta, neglectasque custodias, silentio noctis di- G lapsi, per vias inuiaque qua quemque aut consilium aut terror tulit, in vrbes Campaniæ, quas satis certū erat non mutasse fidem, perfugerunt. Annibal Acerris direptis atque incensis, cum à Casilino dictatorem Romanum legionésque nuntij accipi nuntiassent, ne quis tam propinquis hostium castris Capuã quoque recurrat, exercitum ad Casilinum ducit. Casilinum eo tempore quingenti Prenestini habebant, cum paucis Romanis Latinique nominis, quos eodem audita Cannensis clades contulerat. Hi non

confecto

confecto Præn. ste ad diem delectu, serius profecti domo cùm Casilinum ante aduersæ pugnæ famam venissent, & aliis aggregarent sese Romanis sociisque profecti à Casilino, cum satis magno agmine irent, auertit eos retro Casilinum nuntius Cannensis pugnæ: ibi cum dies aliquot suspecti Campanis timentésque cauendis ac struendis inuicem insidiis traduxissent, iamque de Capuæ defectione agi, accipique Annibalem satis pro certo haberet: interfectis nocte oppidanis, partem vrbis quæ citra Vulturnum est (eo enim diuiditur amni) occupauere: idque præsidium Casilini habebant Romani. Additur & Perusina cohors, homines CCCC. & LX. eodem nuntio, quo Prænestini paucos ante dies Casilinum compulsi. & sati fermè armatorum ad tam exigua mœnia, & flumina altera parte cincta tuenda erat. penuria frumenti, nimium etiam vt videretur hominum, efficiebat. Annibal cum iam inde haud procul esset, Getulos cum præfecto nomine Isalca præmittit. ac primo si fiat colloquij copia, verbis benignis ad portas aperiendas, præsidiumque accipiendum pellicere iubet. sin in pertinacia perstent, rem gerere, ac tentare, si qua parte inuadere vrbem possit. Vbi ad mœnia accesser, quia silentium erat, solitudo visa, metuque concessum barbarus ratus, moliri portas & seras claustráque effringere parat: cum patefactis repente portis cohortes duæ ad id ipsum instructæ intus, ingenti cum tumultu erumpunt, stragémque hostium faciunt. Ita primis repulsis, Maharbal cum maiore robore virorum missus, nec ipse eruptionem cohortiū sustinuit. Postremum Annibal castris ante ipsa mœnia oppositis, paruam vrbem paruumque præsidium summa vi atque omnibus copiis oppugnare parat. ac dum instat, lacessitque, corona vndique circumdatis mœnibus, aliquot milites, & promptissimum quemque è muro turribusque ictos, amisit. Semel vltro irrumpentes agmine elephantorum opposito prope interclusit, trepidosque compulit in vrbem: satis multis, vt ex tanta paucitate, interfectis. plures cecidissent, ni nox prælio interuenisset. Postero die omnium animi ad oppugnandum accendútur: vtique posteaquam corona aurea muralis proposita est: atque ipse dux castelli plano loco positi segnem oppugnationem Saguntí expugnatoribus exprobrabat: Cannarū Thrasimenique & Trebiæ singulos admonens, vniuersosque inde vineæ quoque cœptæ agi, cuniculique: nec ad varios conatus hostium aut vis vlla, aut ars deerat. Socij Romanorum propugnacula aduersus vineas statuere, transuersis cuniculis hostium cuniculos excipere, & palam & clam cœptis obuiam ire, donec pudor etiam Annibalem ab incœpto auertit, castrisque communitis, ac præsidio modico imposito, ne omissa res videretur, in hyberna Capuam concessit. ibi partem maiorem hyemis exercitum in tectis habuit, aduersus omnia humana mala sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. itaque quos nulla malè vicerat vis, perdidere nimia bona, ac voluptates immodicæ: & eo impensius, quo auidius ex insolentia in eas se immerserant. somnus enim, & vinum, & epulæ, & scorta, balneáque & otium consuetudine indies blandius, ita eneruauerunt corpora animosque, vt magis deinde præteritæ eos victoriæ quàm præsentes tutarentur vires: maiusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad vrbem Romam duxisset. illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit: hic error vires ademisse ad vincendum. Itaq. hercule velut si cū alio exercitu à Capua exiret, nihil vsquam pristinæ disciplinæ tenuit. nam & redierunt pleriq; scortis impliciti: & vbi primum sub pellibus haberi cœpti sunt, viáq; & alius militaris labor excepit, tyronum modo corporibus animisque deficiebant: & deinde per omne æstiuorum tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur: neque aliæ latebræ, quàm Capua, desertoribus erant. Ceterum mitescente iam hyeme, ducto ex hybernis milite Casilinum redit. vbi quanquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continuata oppidanos præsidiumque ad vltimum inopiæ adduxerat. Castris Romanis T. Semptonius præerat, dictatore auspiciorum repetendorū caussa profecto Romam Marcellum & ipsum cupientē ferre auxiliū obsessis Vulturnus amnis inflatus aquis, & preces Nolanorū atque Accerranorū tenebant, Cāpanos timentium, si præsidiū Romanū abscessisset. Gracchus assidens tantum Casilino, quia prædictū erat dictatoris, ne quid absēte eo rei gereret, nihil mouebat, quāquā quę facile omnē patientiā vincerēt, nūtiabātur à Casilino. nam & præcipitasse se quosdam, non tolerantes famem, constabat: & stare inermes in muris nuda corpora ad missilium telorum ictus præbentés. Ea ægrè patiens Gracchus, cum neque pugnam cōserere dictatoris iniussu auderet: pugnandum autem esse, si palam frumentum importare vellet, videret, neque clam importandi spes esset: farre ex agris circa vndique cōuecto cum complura dolia complesset, nuntium ad magistratum Casilinum misit, vt exciperent dolia quæ amnis deferret. Insequenti nocte intentis omnibus in flumen, ac spem ab nuntio Romano factam, dolia medio missa amni defluxerunt: æqualiter inter omnes frumentum diuisum. id postero, quoque die ac tertio factum est. nocte & mittebantur & perueniebant: eo custodias hostium fallebant. Imbribus deinde continuis citatior solito amnis transuerso vertice dolia impulit ad ripam, quam hostes seruabant. ibi hærentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur, nuntiatúmque Annibali est: & deinde interiore custodia cautum, ne quid falleret Vulturno ad vrbem missum. Nuces inde fusæ ab Romanis castris, cum medio amni ad Casilinum defluerent, cratibus excipiebantur. Postremo ad id ventum inopiæ est, vt lora, detractásque scutis pelles, vbi feruida mollissent aqua, mandere conarentur: nec muribus, aliove animali abstinerent: & omne herbarum radicúmque genus aggeribus infimi muri eruerent. & cum hostes obarassent, quicquid herbidi terreni extra murum erat, raporum semen iniecerunt, vt Annibal, Eone vsque dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum, exclamaret. & qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemtione liberorum capitum. Septunces auri in singulos pretium conuenit fide accepta, sese tradiderunt. donec omne aurum persolutū est, in vinculis habiti. tum remissi Cumas cum fide. Id verius est, quàm ab equite in abeuntes immisso interfectos. Prænestini maxima pars fuere ex quingentis septuaginta, qui in præsidio fuerunt, minus dimidium, ferrum faméque absumsit. ceteri incolumes Præneste cum prætore suo Manitio (scriba is antea fuerat) redierunt. Statua eius indicio fuit Præneste in foro statuta, loricata, amicta toga, velato capite: & tria signa cum titulo laminę æneæ inscripto. Manitium pro militibus qui Casilini in pręsidio fuerint, votum vouisse. Idem titulus tribus signis in æde Fortunæ positis fuit subiectus. Casilinum oppidum redditum Campanis est, firmatum septingentorum militum de exercitu Annibalis præsidio: ne vbi Pœnus inde abcesś

sisset, Romani oppugnarent. Prænestinis militibus senatus Romanus duplex stipendium, & quinquennij militiæ vacationem decreuit. ciuitate cum donarentur ob virtutem, non mutauerunt. Perusinorum casus obscurior fama est, quia nec ipsorum monumento vllo est illustratus, nec decreto Romanorum. Eodem tempore Petellinos, qui vni ex Brutiis manserant in amicitia Romana: non Carthaginienses modo, qui regionem obtinebant, sed Brutij quoque ceteri ob separata ab se consilia oppugnabant. cum obsistere malis nequirent Petellini, legatos Romam ad præsidium petendum miserunt. Quorum preces lacrymæque (in questus enim flebiles, cum sibimetipsi consulere iussi sunt, sese in vestibulo curiæ profuderunt) ingentem misericordiam patribus ac populo mouerunt. consultique iterum à M. Æmylio prætore patres, circunspectis omnibus imperij viribus, fateri coacti, nihil iam longinquis sociis in se præsidij esse: redire domum, fideque ad vltimum expleta, consulere sibimetipsos in præsenti fortuna iusserunt. Hæc posteaquam renunciata legatio Petellinis est, tantus repente mœror pauorque senatum eorum cepit, vt pars profugiendi qua quisque posset, ac deserendæ vrbis auctores essent: pars, quando deserti à veteribus sociis essent, adiungendi se ceteris Brutiis, ac per eos dedendi Annibali. Vicit tamen ea pars, quæ nihil raptim vel temere agendum, consulendúmque de integro censuit. Relaxata postero die per minorem trepidationem, tenuerant optimates, vt conuectis omnibus ex agris, vrbem ac muros firmarent. Per idem fere tempus literæ ex Sicilia Sardiniáque Romam allatæ. priores ex Sicilia Octacilij Propr. in senatu recitatæ sunt. L. Furium Pr. cum classe ex Africa Lilybeum venisse. ipsum grauiter saucium in discrimine vltimo vitę esse. militi & naualibus sociis neque stipendium neque frumentum ad diem dati: neque vnde detur, esse: magnopere suadere, vt quamprimum ea mittantur: sibique, si ita videatur, ex nouis prætoribus successorem mittant. Eadémque ferme de stipendio frumentoque ab A. Cornelio Mammula Propr. ex Sardinia scripta. Responsum vtrisque non esse vnde mitteretur. iussique ipsi classibus atque exercitibus suis consulerent. Octacilius ad vnicum subsidium populi Romani Hieronem legatos cùm misisset, in stipendium quantum argenti opus fuit, & sex mensium frumentum accepit. Cornelio in Sardinia ciuitates sociæ benignè contulerunt. Et Romæ quoque propter penuriam argenti triumuiri mensarij rogatione Minutij tribuni plebis facti, L. Æmylius, qui consul censorque fuerat: & M. Attilius Regulus, qui bis consul fuerat: & L. Scribonius Libo, qui tum tribunus plebis erat. Et duumviri creati, M. & C. Attilij, ædem Concordiæ, quam L. Manlius Pr. vouerat, dedicauerunt. Et tres pontifices creati. Q. Cæcilius Metellus, Q. Fabius Maximus, & Q. Fuluius Flaccus in locum P. Scantinij demortui, & L. Æmylij Pauli COS. & Q. Ælij Pæti, qui ceciderant in pugna Cannensi. Cum cetera quę continuis cladibus fortuna minuerat, quantum consiliis humanis assequi poterant, patres explessent, tandem se quoque & solitudinem curiæ, paucitatémque conuenientium ad publicum consilium respexerunt. neque enim post L. Æmylium & C. Flaminium censores senatus lectus fuerat, cum tantum senatorum aduersæ pugnæ, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumsissent. Cum de ea re M. Æmylius Pr. dictatore post Casilinum amissum profecto iam ad exercitum, exposcentibus cun-

A ctis retulisset: tum Spurius Caruilius, cum lōga oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam ciuium, ex quibus in patres legerentur: conquestus esset, explendi senatus caussa, & iungendi arctius Latini nominis pro magna re se suadere dixit, vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres Romani censuissent, ciuitas daretur: atque in demortuorum locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quam ipsorum quondam postulatum Latinorum, patres audierunt.
B & cum fremitus indignantium tota curia esset: & præcipue Manlius esse etiam nunc stirpis eius virum diceret, ex qua quondam in Capitolio consul minatus esset, quem Latinū in curia vidisset, cum sua manu se interfecturum: Quintus Fabius Maximus nunquam rei vllius alieniore tempore mentionem factam in senatu dixit, quàm inter tam suspensos sociorum animos, incertámque fidem id tactum quod insuper solicitaret eos. eam vnius hominis temerariam vocem silentio omnium exstinguen-
C dam esse: & si quid vnquam arcani sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maximè tegendum, occulendum, obliuiscendum, pro non dicto habendum esse. Ita eius rei oppressa mentio est. Dictatorem, qui censor ante fuisset, vetustissimusque ex iis qui viuerent censores, creari placuit qui senatum legeret: accitique Caium Terentium consulem ad dictatorem dicendum iusserunt, qui cum ex Apulia, relicto ibi præsidio, magnis itineribus Romam redisset nocte proxima, vt mos
D erat, M. Fabium Buteonem ex S. C. sine magistro equitum dictatorem in sex menses dixit. is vbi cum lictoribus in Rostra ascendit, neque duos dictatores tempore vno, quod nunquam antea factum esset, probare se dixit: neque dictatorem se sine magistro equitum, nec censoriam vim permissam vni & eidem iterum: nec dictatori, nisi rei gerendæ caussa creato, in sex menses datum imperium. quæ immoderata fors, tempus ac necessitas fecerint, iis se modum impositurum. nam neque senatu quen-
E quam moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Æmylius censores in senatum legissent: transcribi tantum recitarique eos iussurum, ne penes vnum hominem iudicium arbitriúmque de fama ac moribus senatoris fuerit: & ita in demortuorum locum sublecturum: vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. Recitato vetere senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmylium & C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, necdum in senatum lecti
F essent, vt quisque eorum senator primus creatus erat. tum legit qui ædiles, tribuni, prætores, quæstorésve fuerant, tum ex eis qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent aut ciuicam coronam accepissent. Ita CLXXVII. cum ingenti approbatione omnium in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicauit, priuatúsque de Rostris descendit, lictoribus abire iussis: turbæque se immiscuit priuatas agentium res: tempus hoc sedulo terens, ne deducendi sui caussa populum de foro abduceret. ne-
G que tamen elanguit cura hominum ea mora, frequentésque eum domum deduxerunt. Consul nocte insequenti ad exercitum rediit, nō facto certiore senatu, ne comitiorum caussa in vrbe retineretur. postero die cōsultus à M. Pomponio Pr. senatus decreuit dictatori scribendum, vti si è repub. censeret esse, ad consules subrogandos veniret cum magistro equitum, & prætore M. Marcello, vt ex iis præsentibus noscere patres possent, quo statu respublica esset, consiliáq. ex rebus caperet. Qui acciti erant, omnes

…res venerat, relictis legatis, qui legionibus præessent. Dictator de se pauca ac modice locutus, in magistrum equitum T. Sempronium Gracchum magnam partem gloriæ vertit: comitiáque edixit, quibus L. Posthumius III. absens, qui tum Galliam prouinciam obtinebat, & T. Sempronius Gracchus, qui tum magister equitum erat, consules creantur. Prætores inde creati, M. Valerius Læuinus, Appius Claudius Pulcer, Q. Fuluius Flaccus, Q. Mutius Scæuola. Dictator creatis magistratibus, Theanum in hyberna ad exercitum redit, relicto magistro equitum Romæ: qui cum post paucos dies magistratum initurus esset de exercitibus scribendis, comparandisque in annum, patres consuleret. Cùm eæ res maxime agerentur, noua clades nuntiata, alia super alia cumulante in eum annũ fortuna: Posthumium consulem designatum, in Gallia ipsum atque exercitum deletos. Sylua erat vasta, Litanam Galli vocant, qua exercitum traducturus erat. eius syluæ dextra læuáque circa viam Galli arbores ita inciderant, vt immotæ starent, momento leui impulsæ occiderent. Legiones duas Romanas habebat Posthumius: sociumq. ab supero mari tantũ conscripserat, vt XXV. millia armatorũ in agros hostiũ induxisset. Galli oras extremæ syluæ cum circumsedissent, vbi intrauit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt. quæ alia in aliam instabilem per se ac male hærentem incidentes ancipiti strage arma, viros, equos obruerunt, vix vt decem homines effugerent. nam cum exanimati plerique essent arborum truncis, fragmentisque ramorum: cæteram quoque multitudinem inopinato malo trepidam, Galli saltum omnem armati circunsidentes interfecerunt: paucis è tanto numero captis, qui pontem fluminis petentes, obsesso ante ab hostibus ponte interclusi sunt. Ibi Posthumius omni vi, ne caperetur, obnixus, occubuit. spolia corporis, caputque ducis præcisum Boij ouantes templo, quod sanctissimum est apud eos, intulere: purgato inde capite, vt mos iis est, caluam auro cælauere: idque sacrum vas iis erat, quo solennibus libarent: poculúmq. idem sacerdoti esse, ac templi antistitibus. Præda quoque haud minor Gallis quàm victoria fuit. nam etsi magna pars animalium strage syluæ oppressa erat: tamen cæteræ res, quia nihil dissipatum fuga est, stratæ per omnem iacentis agminis ordinem inuentæ sunt. Hac nuntiata clade, cùm per dies multos in tanto pauore fuisset ciuitas, vt tabernis clausis, velut nocturna solitudine per vrbem acta, senatus ædilibus negotium daret, vt vrbem circumirent, aperirique tabernas, & mœstitiæ speciem publicæ vrbi demi iuberent: tum T. Sempronius senatum habuit, consolatúsque patres est, & adhortatus, ne qui Cannensi ruinæ non succubuissent, ad minores calamitates animos summitterent. quod ad Carthaginienses hostes Annibalémque attinet: prospera modo esset, sicut speraret, fortuna: Gallicũ bellũ & omitti tuto, & differri posse: vltionem eam fraudis in deorum ac populi Romani potestate fore, de hoste Pœno, exercitibúsque, per quos id bellum gereretur, consultandum atq. agitandum. Ipse primum quid peditum equitumque, quid ciuiũ, quid sociorum in exercitu esset dictatoris, disseruit. Tum Marcellus suarum copiarum summam exposuit. Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset, à peritis quæsitum est, duone consulares exercitus satis firmari tanto bello sufficerent, inibatur ratio. itaque Galliam, quanquam stimulabat iusta ira, omitti eo anno placuit. Exercitus dictatoris consuli decretus est. De exercitu Marcelli qui ex fuga Cannensi

A esset, in Siciliam eos traduci, atque ibi militare, donec in Italia bellum esset, placuit. eodem ex dictatoris legionibus reiici militum minimi quenque roboris, nullo præstituto militiæ tempore, nisi quod stipendiorum legitimorum esset. Duæ legiones vrbanæ alteri consuli, qui in locum L. Posthumij suffectus esset, decretæ sunt: eúmque cum primum saluis auspiciis posset creari placuit. Legiones præterea duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri: atque inde consul cui legiones vrbanæ euenissent, mi- B litum sumeret quantum opus esset, C. Terentio Cos. prorogari in annum imperium, neque de eo exercitu, quem ad præsidium Apuliæ haberet, quicquam minui. Dum hæc in Italia geruntur apparanturque, nihilo segnius in Hispania bellum erat, sed ad eam diem magis prosperum Romanis. P. & Cn. Scipiones inter se partiti sunt copias vt Cn. terra, P. mari nauibúsque rem gereret. Asdrubal Pœnorum imperator neutri parti virium satis fidens, procul ab ho- C ste interuallo, ac locis tutis tenebat se. cui multum ac diu obtestanti quatuor millia peditum, & quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. tum refecta tandem spe, castra propius hostem mouit: classémque & ipse instrui pararique iubet, ad insulas maritimámque oram tutandam. in ipso impetu mouendarum de integro rerum perculit eũ præfectorum nauium transitio, qui post classem ad Iberum per pauorem desertam grauiter increpiti, nunquam deinde satis fidi aut duci aut Carthaginiensiũ rebus fuerant. Fecerant ij transfugæ motum in Car- D pesiorum gente: desciuerantque iis auctoribus vrbes aliquot: vna etiam ab ipsis vi capta fuerat. In eã gentem versum ab Romanis bellum est: infestóque exercitu Asdrubal ingressus agrum hostium, pro captæ ante dies paucos vrbis mœnibus Gallum, nobilem Carpesiorum ducem, cum valido exercitu castris se detinentem aggredi statuit. Præmissa igitur leui armatura, quæ eliceret hostes ad pugnam, peditum partem ad depopulandum per agros passim dimisit, vt palantes exciperent. simul & ad castra tu- E multus erat, & per agros fugáque & cædes. deinde vndique diuersis itineribus cum in castra se recepissent, adeo repente decessit animis pauor, vt non ad munimenta modo defendenda satis animorum esset, sed etiam ad lacessendum hostem prælio. Erumpunt igitur agmine è castris tripudiantes more suo repentináque eorum audacia terrorem hosti paulo ante vltro lacessenti incussit: itaq. & ipse Asdrubal in collem satis arduum tutúmque flumine etiã obiecto tum copias subducit, & præmissam leuem armaturam, equitésque palatos eodem recepit: nec F aut colli aut flumini satis fidens, vallo castra permunit. In hoc altero pauore certamina aliquot sunt contracta, nec Numida Hispano eques par fuit: nec iaculator Maurus cetrato, velocitate pari robore animi viriumque aliquantum præstanti. Postquam neque elicere Pœnum ad certamen obuersati castris poterant, neque castrorum oppugnatio facilis erat: vrbem Asenam, quo fines hostium ingrediens Asdrubal frumentum, commeatúsque alios conuexerat, vi capiunt, omníque circa agro potiuntur. nec G iam aut in agmine, aut in castris vllo imperio contineri. Quam vbi negligentiam ex re (vt fit) bene gesta, oriri senserat Asdrubal: cohortatus milites, vt palantes sine signis hostes aggrederentur, digressus colle pergit ire acie instructa ad castra. Quem vt adesse tumultuosi nuntij refugientes ex speculis stationibúsque attulere, ad arma conclamatum est. Vt quisque arma ceperat, sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati in prælium ruunt. Iam primi

conseruerant manus, cùm alij cateruatim currerent, A alij nondum è castris exissent, tum primo ipsa audacia terruere hostem: deinde rari in conspectum illati, cum paucitas parum tuta esset, respicere alij alios, & vndique pulsi coire in orbem. & dum corporibus applicantur, armaque armis iunguntur, in arctum compulsi, cum vix mouendis armis satis spacij esset, corona hostium cincti, ad multum diei cæduntur. Exigua pars, eruptione facta, syluas ac montes petit: pariique terrore & castra sunt deserta, & vniuersa B gens postero die in deditionem venit. nec diu in pacato mansit. nam subinde ab Carthagine allatum est, vt Asdrubal primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret. quæ vulgata res per Hispaniam, omnium ferme animos ad Romanos auertit. Itaque Asdrubal extemplo literas Carthaginem mittit, indicans, quanto fama profectionis suæ damno fuisset: Si verò inde pergeret, priusquam Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore. nam præterquam quod nec præsidium nec ducem haberet, quem relinqueret pro se, imperatores esse Roma- C nos, quibus vix æquis viribus resisti possit. Itaque si vlla Hispaniæ cura esset, successorem sibi cum valido exercitu mitterent, cui si omnia prospere euenirent, non tamen otiosam prouinciam fore. Hæ literę quanquam primo admodum mouerunt senatum: tamen quia Italiæ cura prior potiórque erat, nihil de Asdrubale, neque de copiis eius mutatum est. Himilco cum exercitu iusto, & aucta classe ad retinendam terra marique, ac tuendam Hispaniam est missus, qui vt pedestres naualésque copias traiecit, ca- D stris communitis, nauibúsque subductis, & vallo circumdatis, cum equitibus delectis ipse, quantum maxime accelerare poterat, per dubios infestósque populos iuxta intentus ad Asdrubalem peruenit. Cùm decreta senatus mandatáque exposuisset, atque edidicisset ipse inuicem, quemadmodum tractandũ bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit: nulla re quàm celeritate tutior. quod vndique abierat, antequam populi consentirent. Asdrubal priusquam moueret castra, pecuniá imperat populis omnibus E suæ ditionis: satis gnarus, Annibalem transitus quosdam pretio mercatum: nec auxilia Gallica aliter quam conducta habuisse: inopem tantum iter ingressum, vix penetraturum ad alpes fuisse. pecuniis igitur raptim exactis, ad Iberum descendit. Decreta Carthaginiensium, & Asdrubalis iter, vbi ad Romanos sunt perlata, omnibus omissis rebus, ambo duces iunctis copiis ire obuiam cœptis, atque obsistere parant: rati, si Annibali vix per se ipsi tolerando Ita- F liæ hosti, Asdrubal dux atque Hispaniensis exercitus esset iunctus, illico Romani finem imperij fore. His anxij curis ad Iberum contrahunt copias, & transito amne, cum diu consultassent, vtrum castra castris conferrent, an satis haberent socios Carthaginiensium oppugnandis morari ab itinere proposito hostem: vrbem à propinquo flumine Iberam appellatam, opulentissimam ea tempestate regionis eius, oppugnare parant. quod vbi sensit Asdrubal, pro ope ferenda sociis pergit ire ad vrbem, deditam G nuper in fidem Romanorum, oppugnandam. Ita iam cœpta obsidio omissa ab Romanis est, & in ipsum Asdrubalem versum bellum. Quinque millium interuallo castra distantia habuere paucos dies, nec sine leuibus prælijs, nec vt in aciem exirent. tandem vno eodémque die velut ex composito vtrinque signum pugnæ propositum est: atque omnibus copiis in campum descensum est. Triplex stetit Romana acies: velitum pars ante signa locata, pars post signa accepta: equites cornua cinxere. Asdrubal mediam aciem Hispanis firmat: in cornibus, dextro Pœnos locat, læuo Afros, mercenariorúmque auxilia. equitum Numidas Pœnorum peditibus, ceteros Afros pro cornibus opponit. nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat. tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. Cùm hoc modo instructi starent, imperatorum vtriusque partis haud ferme dispares spes erant. nam nec multum quidem aut numero aut genere militum hi aut illi præstabant. militibus longe dispar animus erat. Romanis enim, quanquam procul à patria pugnarent, facile persuaserant duces pro Italia atque vrbe Roma eos pugnare. itaque velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnæ verteretur, obstinauerant animis vincere aut mori. Minus pertinaces viros habebat altera acies. nam maxima pars Hispani erant, qui vinci in Hispania, quàm victores in Italiam trahi, malebant. Primo igitur concursu, cum vix pila coniecta essent, retulit pedem media acies, inferentibúsque sese magno impetu Romanis terga vertit. Nihilo segnius in cornibus prælium fuit. hinc Pœnus, hinc Afer vrget: & velut in circumuentos prælio ancipiti pugnant, sed cum in medium tota iam coisset Romana acies, satis virium ad dimouenda hostium cornua habuit: itaque duo diuersa prælia erant: vtroque Romani, vt qui pulsis tandem medijs & numero & robore virorum præstarent, haud dubie superant. Magna vis hominum ibi occisa, & nisi Hispani vix dum conserto prælio tam effuse fugissent, perpauci ex tota superfuissent acie. Equestris pugna nulla admodum fuit: quia simul inclinatam mediam aciem Mauri Numidæque viderunt, extemplo fuga effusa nuda cornua, elephantis quoque præ se actis, deseruere. Et Asdrubal vsque ad vltimum euentum pugnæ moratus, è media cæde cum paucis effugit. Castra Romani cepere atque diripuere. La pugna, si qua dubia in Hispania erant, Romanis adiunxit: Asdrubalique non modo in Italiam traducendi exercitus, sed ne manendi quidem satis tuto in Hispania spem reliquit. Quæ postquam literis Scipionum Romę vulgata sunt, non tam victoria, quàm prohibito Asdrubalis in Italiam transitu lætabantur. Dum hæc in Hispania geruntur, Petellia in Brutiis aliquot post menses quàm cœpta oppugnari erat, ab Himilcone præfecto Annibalis expugnata est. multorúmque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit: nec vlla magis vis obsessos, quàm fames expugnauit. absumtis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, sutrinæ postremo coriis, herbisque, & radicibus, & corticibus teneris, strictisque rubis vixere. nec antè quàm vires ad standum in muris ferendáque arma deerant, expugnati sunt. Recepta Petellia, Pœnus ad Cõsentiam copias traducit, quam minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditionem accepit. Iisdem ferme diebus & Brutiorum exercitus Crotonem Græcam vrbem circumsedit, o- G pulentam quondam armis virisque: tum iam adeo multis magnisque cladibus afflictam, vt omnis ætatis minus viginti millia ciuium superessent. itaque vrbe defensoribus vacua, facile potiti sunt hostes. arx tantum retenta, in quam inter tumultum captæ vrbis è media cæde quidam effugere. Et Locrenses descivere ad Brutios Pœnosque prodita multitudine à principibus. Rhegini tantummodo regionis eius & in fide erga Romanos, & potestatis suæ ad vltimum manserunt. In Siciliam quoque eadem inclinatio

A tatio annorum peruenit: & ne domus quidē Hieronis tota à defectione abstinuit. namque Gelo maximus stirpis contemta simul senectute patris, simul post Cannensem cladem Romana societate, ad Pœnos defecit. mouissétq. in Sicilia res, nisi mors adeò opportuna, vt patrem quoque suspicione aspergeret armantē eum multitudinem solicitantémq. socios absumsisset. Hęc eo anno in Italia, in Africa, in Sicilia, in Hispania vario euentu acta. Exitu anni Q. Fabius Maximus à senatu postulauit, vt ędē Veneris Erycinæ, quàm dictator vouisset, dedicari liceret. Senatus decreuit, vt T. Sempronius COS. designatus,
B cum primum magistratū inisset, ad populum ferret, vt Fabium duumuirum esse iuberent ædis dedicandæ caussa. Et M. Æmylio Lepido, qui bis consul augúrque fuerat, filij tres, Lucius, Marcus, Quintus ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & XX. per triduum in foro dederunt. Ædiles curules C. Lectorius, & T. Sempronius Gracchus COS. designatus, qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt. Plebeij ludi à M. Aurelio Cotta & M. Claudio Marcello ter instaurati sunt. Circumacto tertio anno Punici belli, T. Sempronius
C COS. Idibus Martiis magistratum iniit. Prætorésq. Q. Fuluius Flaccus, qui antea consul censórque fuerat, vrbanam, M. Valerius Leuinus peregrinam sortem in iurisdictione habuit. Ap. Claudius Pulcer Siciliam, Q. Mutius Scæuola Sardiniam sortiti sunt. M. Marcello Proconsul. imperium esse populus iussit, quod post Cannensem cladem vnus Romanorum imperatorū in Italia prosperè rem gessisset. Senatus quo die primum est in Capitolio consultus,
D decreuit, vt eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuissent. Inde de exercitib. ita decretum est, vt duabus legionibus vrbanis T. Sempronius COS. Cales ad conueniendum diem ediceret. inde sex legiones in castra Claudiana supra Suessulam deducerentur. quæ ibi legiones essent (erant autem Cannensis maxime exercitus) eas Ap. Claudius Pulcer Pr. in Siciliam traiiceret: quæque in Sicilia essent, Romam deportarentur. Ad exercitum cui ad conueniendum Cales edicta dies erat,
E M. Claudius Marcellus missus, isque iussus in castra Claudiana deducere vrbanas legiones. ad veterem exercitum accipiendum deducendúmque in Siciliam, T. Metilius Croto legatus ab Ap. Claudio est missus. Taciti primo exspectauerant homines, vti consul comitia collegæ creando haberet, deinde vbi ablegatum velut de industria M. Marcellum viderunt, quem maximè consulem in eum annum ob egregie in prætura res gestas creari volebant, fremitus in curia est ortus. Quod vbi sensit consul: Vtrá-
F que, inquit, è republica fuit, Patres conscripti, & M. Claudium ad permutandos exercitus in Campaniam proficisci, & comitia non prius edici, quam is inde cōfecto quod mandatum est negotio, reuertisset: vt vos consulem, quem tempus reipublicæ postularet, quem que maxime vultis, haberetis. Ita de comitiis, donec rediit Marcellus, silentium fuit.
G Interea duumuiri creati sunt Q. Fabius Maximus, & T. Octacilius Crassus, ædibus dedicandis, Menti Octacilius, Fabius Veneri Erycinæ. Vtraque in Capitolio est, canali vno discretæ. Et de trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis Romam venerant, delatum ad populum, vt ciues Romani essent: item vti municipes Cumani essent, pridie quam populus Capanus à po-

pulo Romano defecisset. Maximè vt hoc ferretur, mouerat, quod quorum hominum essent, scire se ipsi negabant, vetere patria relicta, in eam in quam redierant, nondum adsciti. Posteaquam Marcellus ab exercitu rediit, comitia vni consuli rogando in locum L. Posthumij edicuntur. Creatur ingenti consensu Marcellus, qui extemplo magistratum occiperet. cui ineunti consulatum cum tonuisset, vocati augures vitio creatum videri pronunciauerunt, vulgoque patres ita fama ferebant, quod tum primum duo plebeij consules facti essent, id deis cordi non esse. In locum Marcelli, vbi is se magistratu abdicauit, suffectus Fabius Maximus tertium. Mare arsit eo anno: ad Sinuessam bos equuleum peperit: signa Lanuuij ad Iunonis Sospitæ cruore manauere, lapidibúsque circa id templum pluit: ob quem imbrem Nouendiale, vt assolet, sacrum fuit: ceteraque prodigia cum cura expiata. Consules exercitus inter se diuiserunt. Fabio exercitus cui M. Iunius dictator præfuerat, euenit. Sempronio, volonum quod fuerat, & sociorum XXV. millia M. Valerio Pr. legiones quæ ex Sicilia redissent, decretæ. M. Claudius Proconsul. ad eum exercitum, qui supra Suessulam Nolæ præsideret, missus. Prætores in Siciliam ad Sardiniam profecti. Consules edixerunt, quoties senatum vocassent, vti senatores, quibusque in senatu dicere sententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent. Prætores quorum iurisdictio erat, tribunalia ad Piscinam publicam posuerunt. eo vadimonia fieri iusserunt: ibique eo anno ius dictum est. Interim Carthaginem, vnde Mago frater Annibalis XII. millia peditum, & mille quingentos equites, XX. elephantos, mille argenti talenta in Italiam transmissurus erat cum præsidio LX. nauium longarum, nuntius affertur, in Hispania rem male gestam, omnésque ferme eius prouinciæ populos ad Romanos defecisse. Erant qui Magonem cum classe ea copiisque omissa Italia in Hispaniam auerterent, cum Sardiniæ recipiendæ repentina spes affulsit. Paruum ibi exercitum Romanum esse, veterem prætorem, inde Cornelium prouinciæ peritum decedere, nouum exspectari. ad hoc, fessos iam animos Sardorum esse diuturnitate imperij: & proximo iis anno acerbe atque auare imperatum: graui tributo & collatione iniqua frumenti oppressos nihil deesse aliud, quàm auctorem ad quem deficerent. Hæc clandestina legatio per principes missa erat, maxime eam rem moliente Harsicora, qui tum auctoritate atque opibus longe primus erat. His nuntiis propè vno tempore turbati, erectique, Magonem cum classe sua copiisque in Hispaniam mittunt. in Sardiniam Asdrubalem, cognomento Caluum deligunt ducem: & tantum ferme copiarum, quantum Magoni, decernunt. Et Romæ consules transactis rebus, quæ in vrbe agendæ erant, mouebant iam sese ad bellum. T. Sempronius militibus Sinuessam diem ad conueniendum edixit. & Q. Fabius, consulto prius senatu, vt frumenta omnes ex agris ante Calendas Iulias primas in vrbes munitas conueherent. qui non inuexissent, eorum se agrum populaturum, seruos sub hasta venditurum, villas incensurum. Ne prætoribus quidem, qui ad ius dicendum creati erant, vacatio à belli administratione data est. Valerium prætorem in Apuliam ire placuit ad exercitum à Terentio accipiendum: cum ex Sicilia legiones venissent, iis potissimum vti ad regionis eius præsidium Terentianum mitti cum aliquo legatorum. Et XXV. naues M. Valerio datæ sūt quibus oram maritimam inter Brundusium ac Tarentum tutari posset. Par nauium numerus Q. Fului-

Pr. vrbano decretus, ad suburbana littora tuenda C. Terentio Procons. negotiũ datum, vt in Piceno agro cõquisitionem militum haberet, locisq. iis præsidio esset. & T. Octacilius Crassus posteaquam ædem Mentis in Capitolio dedicauit: in Siciliam cum imperio qui classi præesset, missus. In hanc dimicationẽ duorum opulentissimorum in terris populorum, omnes reges gentésq. animos intenderant. inter quos Philippus Macedonum rex eo magis, quod propior Italiæ, ac mari tantum Ionio discretus erat. Is vbi primum fama accepit Annibalem alpes transgressum: vt bello inter Romanos Pœnumque orto lætatus erat: ita vtrius populi mallet victoriam esse, incertis adhuc viribus, fluctuatus animo fuerat, posteaquam tertia iam pugna, tertia victoria cum Annibale & Pœnis erat, ad fortunam inclinauit, legatosque ad Annibalem misit: qui vitantes portus Brundusinum Tarentinumque, quia custodiis nauium Romanarum tenebantur: ad Laciniæ Iunonis templum in terram egressi sunt. inde per Apuliam petentes Capuam, media in præsidia Romana illati sunt, deductiq. ad M. Valerium Leuinum prætorum, circa Nuceriam castra habentem. Ibi intrepide Xenophanes legationis princeps à Philippo rege se missum ait, ad amicitiam societatémque iũgendam cum populo Romano, mandata habere ad consules, ac senatum populumque Romanum. Inter defectiones veterum sociorum Valerius noua societate tam clari regis lætus admodum, hostem pro hospite comiter accepit. dat qui prosequantur, itineráque cum cura demonstrẽt, quæ loca, quosq. saltus, aut Romani, aut hostes teneant. Xenophanes per præsidia Romana in Campaniam, inde qua proximũ fuit, in castra Annibalis peruenit: fœdusq. cum eo, atque amicitiam iũgit legibus his, vt Philippus rex quàm maxima classe (ducẽtas autem naues videbatur effecturus) in Italiam traiiceret, & vastaret maritimã oram, bellum pro parte sua terra marique gereret. vbi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa vrbe Roma Carthaginiensium atque Annibalis esset, prædáque omnis Annibali cederet. perdomita Italia, nauigarẽt in Græciam, bellumque cum quibus regibus placeret, gererent, quæ ciuitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi, regnique eius essent. In has fermè leges inter Pœnum ducem, legatósque Macedonum ictum fœdus, missique cum iis ad regis ipsius firmãdã fidẽ legati, Gisgo, & Bostar, & Mago, eodẽ ad Iunonis Laciniæ templum, vbi nauis occulta in statione erat, perueniunt. inde profecti, cum iam altum tenerent, conspecti à classe Romana sunt, quæ præsidio erat Calabriæ littoribus: Q. Fuluius Flaccus Corcyræos ad persequendam retrahendámque nauem cum misisset, primo fugere regij conati: deinde vbi celeritate victi cesserunt, tradunt se Romanis: & ad præfectum classis adducti, cum quæreret, qui, & vnde, & quò tenderent cursum: Xenophanes primo satis iam semel felix mendacium struere, à Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium, ad quem vnum iter tutum fuerit, peruenisse: Campaniam superare nequisse, septem hostium præsidiis. deinde vt Punicus cultus habitúsque suspectos legatos fecit Annibalis, interrogatósque sermo prodidit: tum comitibus eorum seductis, ac metu territis, literæ quoque ab Annibale ad Philippum inuentæ de pace inter regem Macedonum, Pœnúmque ducem. Quibus satis cognitis, optimum visum est, captiuos, comitésque eorum Romam ad senatum, aut ad consules, vbicunque essent, quàprimum deportare, ad id celerrimæ quinq; naues delectæ: ac L. Valerius Antias, qui præesset,

A missus: eique mandatum vt in omnes naues legatos separatim custodiẽdos diuideret: daretque operam ne quod iis colloquium inter se, néve communicatio consilij esset. Per idem tempus Romæ, cum A. Cornelius Mammula ex Sardinia prouincia decedẽs, retulisset qui status rerum in insula esset, ad bellum ac defectionem omnes spectare: Q. Mutium, qui successisset sibi, grauitate cœli aquarúmque aduenientem exceptum, nõ tam in periculosum quàm longum morbum implicitum, diu ad belli vim sustinendam inutilem fore: B exercitúmque ibi vt satis firmum pacatæ prouinciæ præsidem esse, ita parum bello, quod motum iri videretur: decreuerunt patres, vt Q. Fuluius Flaccus quinque millia peditum, quadringentos equites scriberet, eámque legionem primo quoque tempore in Sardiniam traiiciendam curaret, mitteretque cum imperio quem ipsi videretur, qui rem gereret quoad Mutius conualuisset. Ad eam rem missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censórque fuerat, subegerátque in consulatu Sardos. C Sub idem ferè tempus & à Carthagine in Sardiniam classis missa duce Asdrubale, cui Caluo cognomen erat, fœda tempestate vexata, ad Baleares insulas eiicitur. ibique (adeo non armamenta modo, sed etiam aluei nauium quassati erant) subductæ naues dum reficiuntur aliquantum temporis triuerunt. In Italia cum post Cannensem pugnam fractis partis alterius viribus, alterius mollitis animis, segnius bellum esset: Campani per se adorti sunt rem Cumanam suæ ditionis facere, primo solicitantes, D vt ab Romanis deficerent, vbi id parum processit, dolum ad capiendos eos comparant. Campanis omnibus statum sacrificium ad Hamas: eò senatum Campanum venturum, certiores Cumanos fecerunt: petierúntque, vt & Cumanos eo senatus veniret ad consultandum communiter, vt eosdem vterque populus socios hostésque haberet. præsidium ibi armatum sese habituros, ne quid ab Romanis noui periculi esset. Cumani, quanquam suspecta fraus erat, nihil abnuere, ita tegi fallax consilium E posse rati. Interim T. Sempronius consul Romanus Sinuessæ, quoad conueniendum diem edixerat, exercitũ lustrato, transgressus Vulturnum flumen, circa Linternum castra posuit. Ibi, quia otiosa statiua erant, crebro decurrere milites cogebat, vt tyrones (ea maxima pars volonum erat) assuescerent signa sequi, & in acie agnoscere ordines suos. inter quæ concordiæ maxima erat cura duci. itaque legatis tribunisque præceperat, ne quam exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiã inter or- F dines sereret: vetus miles tyroni, liber voloni sese exæquari sineret. omnes satis honestos, generososque ducerent, quibus arma sua signaque populus Romanus commisisset. quæ fortuna coegisset ita fieri, eandem cogere tueri factum. Ea non maiore cura præcepta ab ducibus sunt, quam à militibus obseruata, breuíque tanta concordia coaluerant omnium animi, vt propè in obliuionem veniret, qua ex conditione quisque esset miles factus. Hæc agenti Graccho, legati Cumani nuntiarunt, quæ à G Campanis legatio paucos ante dies venisset, & quid iis ipsi respondissent. Triduum post eum diem festum esse: non senatum solum omnem ibi futurum, sed castra etiam, & exercitum Campanum. Gracchus iussis Cumanis omnia ex agris in vrbem conuehere, & manere intra muros: ipse pridie quã statutum sacrificium Campanis esset, Cumas mouet castra. Hamæ inde tria millia passuum absunt. Iam Campani eo frequentes ex composito conuenerãt: nec procul inde in occulto Marius Alfius, qui summus ma-

mus ma.

mus magistratus erat Campanis, cùm XIIII. millibus militum habebat castra, is sacrificio apparando, & inter id instruendę fraudi aliquanto intentior, quàm muniendis castris, aut vlli militari operi fuit. Triduum sacrificatum ad Hamas. nocturnum erat sacrum, ita vt ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, custodibus ad portas positis, ne quis enuntiare posset, à sexta ad decimam diei horam coactis militibus corpora curare, somnoq. operam dare, vt primis tenebris conuenire ad signū possent, vigilia fermè prima tolli iussit signa. silentique profectus agmine, cum ad Hamas media nocte peruenisset, castra Campana, vt in priuilegio neglecta, simul omnibus portis inuadit, alios somno stratos, alios perpetrato sacro inermes redeuntes, obtruncat. Hominum eo tumultu nocturno cæsa plus duo millia cū ipso duce Mario Alfio, capta sunt signa militaria quatuor & triginta. Gracchus minus centum militum iactura castris hostium potitus, Cumas se propere recepit, ab Annibale metuens, qui super Capuam ad Tifata habebat castra. Nec eum prouida viri fefellit opinio. nam simul Capuā ea clades est nuntiata, ratus Annibal ab re bene gesta insolenter lætum exercitū, tyronum magna ex parte seruorumque, spoliantē victos, prædasque agentem ad Hamas se inuenturum, citatum agmen præter Capuam rapit: obuiosque ex fuga Campanorum per duo præsidia Capuam duci, saucios vehiculis tolli, portarique iubet, ipse ad Hamas vacua ab hostibus castra, nec quicquam præter recentis vestigia cædis, stratáque passim corpora sociorum, inuenit. Auctores erant quidam, vt protinus inde Cumas duceret, vrbémque oppugnaret. Id quanquam haud modice Annibal cupiebat, vt quia Neapolim non potuerat, Cumas saltem maritimam vrbem haberet: támen quia præter arma nihil secum miles raptim acto agmine extulerat, retro in castra supra Tifata se recepit. inde fatigatus Campanorum precibus, sequenti die cum omni apparatu oppugnandæ vrbis, Cumas redit: populatoque agro Cumano, mille passus ab vrbe castra locat. Tum Gracchus magis verecundia in tali necessitate deserendi socios implorantes fidem suam populique Romani, substitit, quàm satis fidens exercitui. Nec alter consul, Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vulturnum traducere audebat exercitum: occupatus primo auspiciis repetendis Romæ: dein prodigiis, quę alia super alia nuntiabantur, expiantique ea haud facile litari aruspices respondebant. Hæ caussæ cùm Fabium tenerent, Sempronius in obsidione erat: & iam operibus oppugnabatur. Aduersus ligneam ingentem turrim admotam vrbi, aliam turrim ex ipso muro excitauit consul Romanus, aliquanto altiorem: quia muro satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo vsus erat. inde primum saxis, sudibusque, & ceteris missilibus propugnatores vrbem ac mœnia tuebantur: postremo vbi promouendo adiunctam viderunt turrim, facibus ardentibus plurimum simul ignem coniecerunt. quo incendio trepida armatorum multitudo cùm de turri sese præcipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis facta, stationes hostium fudit, fugauitque in castra, vt eo die obsesso quam obsidenti similior esset Pœnus. Ad mille CCCC. Carthaginiensium cæsi: vnde quadraginta viui capti, qui circa muros & in stationibus solute ac negligenter agentes, cum nihil minus quàm eruptionem timuissent, ex improuiso oppressi sunt. Gracchus prius quam se hostes ab repentino pauore colligerent, receptui signū dedit, ac suos intra muros recepit. Postero die Anni-

A bal elatum secunda re consulem, iusto prælio ratus certaturum, aciem inter castra atque vrbem instruxit. ceterum posteaquam neminem moueri ab solita custodia vrbis vidit, nec committi quicquam temeratiæ spei, ad Tifata redit, infecta re. Quibus diebus Cumæ liberatæ sunt obsidione, iisdem diebus & in Lucanis ad Grumentum T. Sempronius, cui Longo cognomen erat, cum Hannone Pœno prospere pugnat. supra duo millia hominum occidit: & CC. LXXX. milites amisit. signa militaria ad XLI. cepit.

B Pulsus finibus Lucanis Hanno, retro in Brutios sese recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quæ à populo Romano defecerant, vi recepta per M. Valerium prætorem. Vercellius, Siciliusque auctores defectionis securi percussi. supra mille captiuorum sub hasta vænierunt. præda alia militi concessa, exercitúsque Cumas reductus. Dum hæc in Lucanis atque in Hirpinis geruntur, quinque naues, quę Macedonum atque Pœnorum captos legatos Romá portabant, à supero mari ad inferum circumuectæ,

C prope omnem Italiæ oram, cum præter Cumas velis ferrentur, neque hostium an sociorum essent satis sciretur, Gracchus obuiam ex classe sua naues misit. Cum percunctando inuicem cognitum esset, consulem Cumis esse, naues Cumas appulsæ, captiuique ad consulem deducti, & literæ datæ. Consul literis Philippi atque Annibalis perlectis, consignata omnia ad senatum itinere terrestri misit: nauibus deuehi legatos iussit. Cum eodem fere die literæ legatique Romam venissent, & percūctatione facta, dicta

D cum scriptis congruerent, primo grauis cura patres incessit, cernentes quanta vix tolerantibus Punicum bellum, Macedonici belli moles instaret. cui tamen adeo non succubuerunt, vt extemplo agitaretur, quemadmodum vltro inferendo bello auerterent ab Italia hostem. Captiuis in vincula conditis, comitibusque eorum sub hasta venditis, ad naues XXV. quibus Q. Fuluius Flaccus præfectus præerat, viginti paratas alias decernunt. His comparatis deductisque, & additis quinque nauibus, quæ aduexerant

E captiuos legatos, quinquaginta naues ab Ostia Tarentum profectæ: iussusque Q. Fuluius militibus Varronianis, quibus L. Apustius legatus Tarenti præerat, in naues impositis, L. nauium classe nō tueri modo Italiæ oram, sed explorare de Macedonico bello. si congruentia literis, legatorumque indiciis Philippi consilia essent, vt M. Valerium prætore literis certiorem faceret. isque L. Apustio legato exercitui præposito, Tarentum ad classem profectus, primo quoque tempore in Macedoniam transmitteret:

F darétque operam, vt Philippum in regno contineret. Pecunia ad classem tuendam, bellumque Macedonicum ei decreta est, quæ Ap. Claudio in Siciliā missa erat, vt redderetur Hieroni regi. & hæc per L. Apustiū legatum Tarentum est deuecta. simul ab Hierone missa ducenta millia modium tritici, & hordei centum. Dū hæc Romani parant, agúntque ad Philippum captiua nauis vna ex iis quæ Romam missæ erant, ex cursu fugit: inde scitum, legatos cum literis captos. itaque ignarus de iis quæ cum Annibale le-

G gatis suis conuenissent, queque legati eius ad se allaturi fuissent, legationem aliam cum eisdem mandatis mittit. Legati ad Annibalem missi, Heraclitus, cui Scotino cognomen erat, & Crito Berreus, & Sositheus Magnes. hi prospere tulerūt ac retulerunt mádata. sed prius se æstas circumegit, quàm mouere ac moliri quicquam rex posset. tantum nauis vna capta cū legatis momenti fecit ad dilationem imminentis Romanis belli. Et circa Capuam, trásgresso Vulturnum Fabio post expiata tandem prodigia, ambo

consules rem gerebant. Combulteriam, & Trebulam, & Austiculam vrbes, quæ ad Pœnum defecerât, Fabius vi cepit: præsidiáque in iis Annibalis: Campani permulti capti. & Nolę, sicut priore anno, senatus Romanorum, plebs Annibalis erat, consiliáq; occulta de cæde principum & proditione vrbis inibantur. Quibus ne incepta procederét, inter Capuã, castráque Annibalis, quæ in Tifatis erant, traducto exercitu, Fabius super Vesuuium in castris Claudianis consedit, inde M. Marcellum proconsulem cum iis copiis quas habebat Nolam in præsidium misit. Et in Sardinia res per T. Manliũ prætorem administrari cœptę, quæ omissæ erant, posteaquã Q. Mutius prætor graui morbo est implicitus. Manlius nauibus longis ad Caraleis subductis, naualibusque sociis armatis, vt terra rem gereret, & à prætore exercitu accepto, duo & viginti millia peditum, mille & ducentos equites confecit. Cum his equitũ peditumq; copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Harsicoræ castris castra posuit. Harsicora tum forte profectus erat in Pellitos Sardos ad iuuentutem armandã, qua copias augeret. Filius eius nomine Hiostus castris præerat. Is adolescentia ferox, temere prælio inito fusus, fugatusque ad XXX. millia Sardorum eo prælio cæsa. mille trecenti ferme viui capti. Alius exercitus primo per agros syluásque fuga palatus: dein, quò ducem fugisse fama erat, ad vrbem nomine Cornum caput eius regionis, confugit. Debellatumq; eo prælio in Sardinia esset, ni classis Punica cum duce Asdrubale, quæ tempestate deiecta ad Baleares erat, in tempore ad spem rebellandi aduenisset. Manlius post famam appulsæ Punicæ classis Caraleis se recepit. ea occasio Harsicoræ data Pœno se iungendi. Asdrubal copiis in terram expositis, & classe remissa Carthaginem, duce Harsicora ad sociorum populi Roma. agrum populandũ profectus, Caraleis peruenturus erat, ni Manlius obuio exercitu ab effusa eum populatione continuisset. Primo castra castris modico interuallo sunt obiecta: deinceps procursationes, leuiaque certamina vario euẽtu inita, postremo descensum in aciem, signisque collatis iusto prælio per quatuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Pœni Sardis facilè vinci assuetis, fecerunt: postremo & ipsi, cum omnia strage ac fuga Sardorũ repleta essent, fusi. ceterum terga dãtes, circumducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus: cædes inde magis quam pugna fuit. Duodecim millia hostium cæsa, Sardorum simul Pœnorumq; ferme III. millia, & DCC. capti, & signa militaria septem & viginti. Ante omnia claram & memorabilem pugnam fecit Asdrubal imperator captus, & Hanno & Mago, nobiles Carthaginienses. Mago ex gente Barchina, propinquã cognatione Annibali iunctus: Hãno auctor rebellionis Sardis, bellique eius haud dubiè concitator. Nec Sardorum duces minus nobilem eam pugnam cladibus suis fecerunt. nam & filius Harsicoræ Hiostus in acie cecidit: & Harsicora cum paucis equitibus fugiens, vt super afflictas res necem quoque filij audiuit, nocte ne cuiusquam interuentus cœptum impediret, mortem sibi consciuit. Ceteris vrbs Cornus eadem, quæ ante, fugæ receptaculum fuit, quàm Manlius victore exercitu aggressus intra paucos dies recepit. Deinde aliæ quoque ciuitates, quæ ad Harsicoram Pœnósque defecerant, obsidibus datis, dediderunt sese, quibus stipendio frumentoque imperato, pro cuiusque aut viribus, aut delicto, Caraleis exercitum reduxit. Ibi nauibus longis deductis, impositoque quem secum aduexerat milite, Romã nauigat, Sardiniámque perdomitam nuntiat patri-

A bus: & stipendium quęstoribus, & frumentum ędilibus, captiuosque Fuluio prætori tradidit. Per idem tempus T. Otacilius prętor quinquaginta nauium ab Lilybæo classe in Africam traiectus, depopulatusque agrum Carthaginiensem, cum Sardiniam inde peteret, quò fama erat Asdrubalem à Balearibus nuper traiecisse, classi Africam repetenti occurrit: leuique armatura certamine in alto commisso, septẽ inde naues cum sociis naualibus cepit. ceteras metus haud secus, quàm tẽpestas passim disiecit. B Per eosdem forte dies & Bomilcar cum militibus ad supplementum Carthagine missis, quadragintáque elephantis, & commeatu, Locros accessit quem vt incautum opprimeret Ap. Claudius, per simulationem prouinciæ circumeundæ, Messanam raptim exercitu ducto, æstu secundo Locros traiecit. Iam inde Bomilcar ad Hannonem in Brutios profectus erat, & Locrenses portas Romanis clauserunt. Appius magno conatu nulla re gesta, Messanam repe- C tit. Eadem æstate Marcellus ab Nola, quam præsidio obtinebat, crebras excursiones in agrum Hirpinum & Samnites Caudinos fecit: adeoque omnia ferro atque igni vastauit, vt antiquarum cladium Samnio memoriam renouaret. itaque extemplo legati ad Annibalen missi simul ex vtraque gente, ita Pœnum allocuti sunt: Hostes populi Romani, Annibal, fuimus primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterant. posteaquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus: D à quo relicti, pacem necessariam accepimus, fuimúsque in ea per annos prope quinquaginta, ad id tempus quo in Italiam venisti. Tua nos non magis virtus fortunáque, quàm vnica comitas ac benignitas erga ciues nostros, quos captos nobis remisisti, ita conciliauit tibi, vt te saluo atque incolumi amico, non modo populum Rom. sed ne deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At Hercule non solum incolumi & victore, sed præsente te, cum ploratum propè coniugum ac liberorum nostrorũ exau- E dire, & flagrantia tecta posses conspicere: ita sumus aliquoties hac æstate deuastati, vt M. Marcellus, non Annibal vicisse ad Cannas videatur: glorienturque Romani, te ad vnum modo ictum vigentem, velut iaculo emisso torpere. Per centum prope annos cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adiuti nec duce, nec exercitu, nisi quod per biẽnium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quàm suis viribus nos defendit. Non ergo secundis rebus nostris gloriabimur: duos consules, ac duos consulares exercitus à nobis sub iugum missos, & si F qua alia aut læta aut gloriosa nobis euenerunt, quæ aspera aduersáque tunc accidérũt, minore indignatione referre possumus, quam quæ hodie eueniunt. Magni dictatores cum magistris equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros ante explorato, & subsidiis positis, & sub signis ad populandum ducebãt. nũc prope vnius & parui ad tuendam Nolam præsidij præda sumus. iam ne manipulatim quidem, sed latronũ G modo percursant totis finibus nostris negligentius, quam si in Romano vagarentur agro. Caussa autem hæc est, quod neque tu defendis: & nostra iuuentus, quæ si domi esset, tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Nec te, nec exercitum tuum norim, nisi à quo tot Romanas acies fusas stratásque esse sciam, ei facilè esse ducam opprimere populatores nostros vagos, sine signis, palatos, quo quemque trahit quamuis vana predę spes. Numidarum paucorũ illi quidẽ prędã erunt: præsidiumq; missum nobis erit: & Nolæ ademeris, si modo quos, vt socios haberes, dignos duxisti,

duxisti, haud indignos iudicas quos in fidem receptos tuearis. Ad ea Annibal respondit: Omnia simul facere Hirpinos, Samnitésque: & indicare clades suas, & petere præsidium: & queri indefensos se, neglectosq. Indicandum autem fuisse primum, deinde petendum præsidium: postremo ni impetraretur, tum denique querendum frustra opem imploratam. Exercitum se non in agrum Hirpinum, Samnitémve, ne & ipse oneri esset: sed in proxima loca sociorum populi Romani adducturum: iis populandis & militem suum repleturum se, & metu procul ab iis summoturum hostes. Quod ad bellum Romanum attineret: si Thrasymeni quam Trebiæ, si Cannarum quam Thrasymeni pugna nobilior esset: Cannarum se quoque memoriam obscuram maiore & clariore victoria facturum. Cum hoc responso, muneribúsque amplis legatos dimisit. ipse præsidio modico relicto in Tifatis, profectus cum cetero exercitu ire Nolam pergit. Eodem Hanno ex Brutiis cum supplemento Carthagine aducto, atque elephantis venit. Ibi castris haud procul positis, longe alia omnia inquirenti comperta sunt, quam quæ à legatis sociorum audierat. Nihil enim Marcellus ita gerebat, vt aut fortunæ aut temere hosti commissum dici posset. explorato, cum firmísque præsidiis tuto receptu prædatum ierat: omniáque velut aduersus præsentem Annibalem cauta prouisáque fuerunt. cum vbi sensit hostem aduentare, copias intra mœnia tenuit: per muros inambulare senatores Nolanos iussit, & omnia circa explorare, quæ apud hostes fierent. Ex iis Hanno, cum ad murum successisset: Herennium Bassum, & Herium Petrium ad colloquium euocatos, permissúque Marcelli egressos, per interpretem alloquitur. Annibalis virtutem fortunámque extollit: populi Romani obterit senescentem cum viribus maiestatem. quæ si paria essent, vt quondam fuisset, tamen expertis quam graue Romanum imperium sociis, quanta indulgentia Annibalis etiam in captiuos omnes Italici nominis fuisset: Punicam Romanæ societatem atque amicitiam præoptandam esse. Si ambo consules cum suis exercitibus ad Nolam essent, tamen non magis pares Annibali futuros, quam ad Cannas fuissent: nedum prætor vnus cum paucis & nouis militibus Nolam tutari possit. ipsorum magis quàm Annibalis interesse, capta, an tradita Nola potiretur. potiturum enim, vt Capua Nuceriáque potitus esse, sed quid inter Capuæ Nuceriæque fortunam interesset, ipsos prope in medio sitos Nolanos scire. Nolle ominari quæ captæ vrbi cessura forent: sed potius spondere, si Marcellum cum præsidio ac Nolam tradidissent, neminem alium quàm ipsos, legem quæ in societatem amicitiámque Annibalis venirent, dicturum. Ad ea Herennius Bassus respondit: Multos annos iam inter Romanum Nolanúmque populum amicitiam esse, cuius neutros ad eam diem pœniteret. & sibi si cum fortuna mutanda fides fuerat, serò iam esse mutare eam deditu ris se Annibali, non fuisse accersendum Romanum præsidium. cùm iis qui ad se tuendos venissent, omnia sibi & esse consociata, & ad vltimum fore. Hoc colloquium abstulit spem Annibali per proditionem recipiendæ Nolæ. itaque oppidum corona circumdedit, vt simul ab omni parte mœnia aggrederetur. Quem vt successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie, cum magno tumultu erupit. Aliquot primo impetu perculsi, cæsique sunt: deinde concursu ad pugnam facto, æquatisque viribus, atrox cœpit esse pugna: memorabilisque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantes. Eo die cõmisso modico certamine, atque irritatis animis, in vrbẽ Romani, Pœni in castra sese receperunt: tamen Pœnorum prima eruptione perculsi ceciderunt haud plus quã triginta: Romanorum nullus. Imber cõtinens per noctem totam vsque ad horam tertiam diei insequentis tenuit: itaque quanquam vtraque pars auida certaminis erat, eo die tamen tenuerunt sese munimentis. tertio die Annibal partem copiarum prædatum in agrum Nolanũ misit. Quod vbi animaduertit Marcellus extemplo in aciem copias eduxit, neque Annibal detrectauit. Mille fere passuum inter vrbem erant, castráque eo spatio (& sunt omnia campi circa Nolam) concurrerunt. Clamor ex parte vtraque sublatus, proximos ex cohortibus iis, quæ in agros prædatum exierant, ad prælium iam commissum reuocauit. Et Nolani aciem Romanam auxerunt. quos collaudatos Marcellus in subsidiis stare, & saucios ex acie efferre iussit: pugna abstinerent, nisi ab se signum accepissent. Prælium erat anceps, summa vi & duces adhortabantur, & milites pugnabant. Marcellus victis ante diem tertiũ, fugatis ante paucos dies à Cumis, pulsis priore anno ab Nola ab eodem se duce, milite alio, instare iubet. Non omnes esse in acie, prædantes vagari in agro, sed qui pugnant marcere Campana luxuria, vino, scortis, omnibúsque lustris per totam hyemem confectos. abisse illã vim, vigorémque: dilapsa esse robora corporum animorúmque, quibus Pyrenæi Alpiumq; superata sint iuga, reliquias illorum virorum vix arma membráque sustinentes pugnare. Capuã Annibali Cannas fuisse. ibi virtutem bellicam, ibi militarẽ disciplinam, ibi præteriti temporis famã, ibi spem futuri exstinctam. Cum hæc exprobrando hosti, Marcellus suorum militum animos erigeret, Annibal multo grauioribus probris increpabat. Arma, signáque eadem se aiebat noscere, quæ ad Trebiã, Thrasymenumque, postremo ad Cannas viderit, habuerítque militem alium profecto se in hyberna Capuam duxisse, alium inde eduxisse. Legatumne Romanũ, & legionis vnius atque alæ magno certamine vix toleratis pugnã, quos binæ acies consulares nunquam sustinuerunt? Marcellus tyrone milite, ac Nolanis subsidiis fultus nos iam iterum lacessit? Vbi ille meus miles est, qui erepto ex equo C. Flaminio consuli caput abstulit? vbi, qui L. Paulum ad Cannas occidit? ferrumne habet? an dextræ torpent? an quid prodigij est aliud? qui pauci plures vincere soliti estis, nunc paucis plures vix resistitis? Romam vos expugnaturos si quis duceret, fortes lingua iactabatis. en nunc minor res est. hic experiri vim virtutémque volo. expugnate Nolam campestrem vrbem, non flumine, non mari septam. hinc vos ex tam opulenta vrbe præda spoliisque onustos vel ducam quò voletis, vel sequar. Nec bene nec maledicta profuerunt ad confirmandos animos. Cùm omni parte pellerentur, Romanisque crescerent animi, nõ duce solum adhortante, sed Nolanis etiam per clamorem fauoris indicem accendentibus ad ardorem pugnæ, terga Pœni dederunt, atque in castra cõpulsi sunt, quę oppugnare cupientes milites Romanos, Marcellus Nolam reduxit cum magno gaudio, & gratulatione etiã plebis, quæ antè inclinatior ad Pœnos fuerit. Hostium plus mille cæsi eo die, capti mille DC. & signa militaria vndeuiginti, & duo elephãti, quatuor in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti. Posterũ diẽ induciis datis sepeliendo vtrinque cæsos in acie, consumserũt. Spolia hostium Marcellus Vulcano votum cremauit. Tertio post die (ob iram credo aliquam, aut spem liberalioris militiæ) mille CCLXXII.

A equites, miſſi Numidæ Hiſpaníque, ad Marcellum transfugerunt. eorũ forti fidelique opera in eo bello vſi ſunt ſæpe Romani. Ager Hiſpanis in Hiſpania, Numidis in Africa poſt bellum virtutis cauſſa datus eſt. Annibal ab Nola remiſſo in Brutios Hannone, cum quibus venerat copiis, ipſe Apuliæ hyberna petit, circáque Arpos conſedit. Q. Fabius vt profectum in Apuliam Annibalem audiuit, frumẽto ab Nola Neapolique in ea caſtra cõuecto, quę ſuper Sueſſulam erant, munimentiſque firmatis, & præſidio, quod per hyberna ad tutandum locum ſatis eſ- B ſet, relicto, ipſe Capuã propius mouit caſtra, agrumque Campanum ferro igníque eſt depopulatus: donec coacti ſunt Cãpani nihil admodum viribus ſuis fidentes egredi portis, & caſtra ante vrbem in aperto communire. Sex millia armatorum habebãt, peditẽ imbellem: equitatu plus poterãt. Itaque equeſtribus præliis laceſſebant hoſtẽ. Inter multos nobiles equites Campanos acerrimus erat Iubellius, cognomine Taurea: ciuis indidem erat longe omnium Campa- C norum fortiſſimus eques: adeo vt cum apud Romanos militaret, vnus eum Romanus Claudius Aſellus gloria equeſtri æquaret. Hunc Taurea cum diu perluſtrans oculis obequitaſſet hoſtium turmis, tãdem facto ſilentio, vbi eſſet Claudius Aſellus, quæſiuit. & quoniam verbis ſecum de virtute ambigere ſolitus eſſet, cur non ferro decerneret? darétque opima ſpolia victus? aut victor caperet? Hæc vbi Aſello nuntiata ſunt in caſtra, id modo moratus, vt conſulem percũctaretur, liceretne extra ordinem in prouocantem D hoſtem pugnare: permiſſu eius arma extemplo cepit: prouectúſque ante ſtationes equo, Tauream nomine compellauit, congredique vbi vellet iuſſit. iam Romani ad ſpectaculũ pugnæ eius frequentes exierant: & Campani non vallum modo caſtrorum, ſed mœnia etiam vrbis proſpectantes repleuerant. Cum iam ante ferocibus dictis rem nobilitaſſent, infeſtis haſtis concitarant equos, dein libero ſpatio inter ſe ludificantes, ſine vulnere pugnam extrahebant. Tum Campanus Romano: Equorum, inquit, hoc non equitum erit certamen, niſi è Campo in cauam hanc E viam demittimus equos: ibi nullo ad euagandũ ſpatio comminus cõſerentur manus. Dicto prope citius equũ in viam Claudius egit. Taurea verbis ferocior quàm re: Minimè ſis, inquit, canterium in foſſa. quæ vox in ruſticum inde prouerbium prodita. Claudius cum ex via longè perequitaſſet nullo obuio hoſte, in campum rurſus euectus, increpans ignauiam hoſtis, cum magno gaudio & gratulatione victor in caſtra redit. Huic pugnæ equeſtri rem, quam ſatis certam, F communis exiſtimatio eſt, mirabilem certè, adiiciũt quidam annales, cum refugientem ad vrbem Tauream Claudius ſequeretur, patenti hoſtium portæ inuectum, per alteram, ſtupentibus miraculo hoſtibus, intactum euaſiſſe. Quieta inde ſtatiua fuere, ac retro etiam conſul mouit caſtra, vt ſementem Campani facerent: nec ante violauit agrũ Campanum, quàm iam altæ in ſegetibus herbæ pabulum præbere poterant. id conuexit in Claudiana caſtra ſuper Sueſſulã, ibique hyberna ædificauit. M. Claudio proconſuli G imperauit, vt retento Nolæ neceſſario ad tuendam vrbem præſidio, ceteros milites dimitteret Romam, ne oneri ſociis, & ſũtui reipublicæ eſſent. Et T. Gracchus à Cumis Luceriam in Apuliam legiones dum duxiſſet, M. Valerium inde prætorem Brunduſium cum eo, quem Luceriæ habuerat, exercitu miſit, tuerique oram agri Salentini, & prouidere quod ad Philippum bellumque Macedonicum attineret, iuſſit. Exitu æſtatis eius qua hæc geſta perſcripſimus, literæ à P. & Cn. Scipionibus venerunt, quantas, quàm que proſperas in Hiſpania res geſſiſſent: ſed pecuniam in ſtipendium, veſtimentáque & frumentum exercitui, & ſociis naualibus omnia deeſſe. quod ad ſtipendium attineat, ſi ærarium inops eſſet, ſe aliquã rationem inituros, quo modo ab Hiſpanis ſumant. cetera vtique ab Roma mittenda eſſe: nec aliter aut exercitum aut prouinciam retineri poſſe. Literis recitatis, nemo omnium erat, qui non & vera ſcribi, & poſtulari æqua fateretur. ſed occurrebat animis, quantos exercitus terreſtres naualéſque tuerentur: quantáque noua claſſis mox paranda eſſet, ſi bellum Macedonicum moueretur. Siciliam ac Sardiniam, quæ ante bellum vectigales fuiſſent, vix præſides prouinciarum exercitus alere: tributo ſumtus ſuppeditari. verum cum ipſum tributum cõferentium numerum, tantis exercituum ſtragibus & ad Thraſymenum lacum & ad Cannas imminutum: tum qui ſupereſſent pauci, ſi multiplici grauarentur ſtipendio, alia perituros peſte. itaque niſi fide ſtaret reſpublica, opibus non ſtaturam. Prodeundum in concionem Fuluio prætori eſſe, indicandáſque populo publicas neceſſitates, exhortandoſque qui redemturis auxiſſent patrimonia, vt reipublicæ, ex qua creuiſſẽt, ad tempus commodarent: conducerẽntque ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hiſpanienſem opus eſſent: vt cum pecunia in ærario eſſet, iis primis ſolueretur. Hæc prætor in concione edixit, qua die veſtimenta, frumentum, Hiſpanienſi exercitui præbenda, quæque alia opus eſſent naualibus ſociis, eſſet locaturus. Vbi ea dies venit, ad conducendum tres ſocietates adeãt hominum vndeuiginti. quorum duo poſtulata fuere: vnum, ne alij triennio eo publicani eſſent: alterum, vt quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatiſque vi publico periculo eſſent. Vtroque impetrato, conduxerunt, priuataque pecunia reſpub. adminiſtrata eſt. Hi mores, eáque caritas patriæ per omnes ordines velut tenore vno pertinebat. Quemadmodum conducta omnia magno animo ſunt, ſic ſumma fide præbita: nec quicquam deſideratum, ac ſi ex opulento ærario, vt quondam, alerentur. Cùm hi commeatus venerunt, Illiturgi oppidum ab Aſdrubale ac Magone, & Amilcare Bomilcaris filio, ob defectionem ad Romanos, oppugnabatur. Inter hæc terna caſtra hoſtium Scipiones cum in vrbem ſociorum magno certamine ac ſtrage obſiſtentium perueniſſent, frumentum, cuius inopia erat, aduexerunt. cohortatique oppidanos, vt eodem animo mœnia tutarentur, quo pro ſe pugnantem Romanum exercitum vidiſſent, ad caſtra maxima oppugnanda, quibus Aſdrubal præerat, ducunt. Eodem & duo duces, & duo exercitus Carthaginienſium, ibi rem ſummam agi cernentes, conuenerunt. itaque eruptione è caſtris pugnatum eſt. LX. hoſtium millia eo die in pugna fuerunt, ſexdecim circiter Romanis. Tamen adeo haud dubia victoria fuit, vt plures numero, quàm ipſi erant, Romani hoſtium occiderũt, ceperint amplius tria millia hominum, paulò minùs mille equorum, vnde ſexaginta militaria ſigna, elephantis V. in prælio occiſis: terniſque caſtris eo die potiti ſunt. Illiturgi obſidione liberato, ad Incibili oppugnandum Punici exercitus traducti, ſuppletis copiis ex prouincia, vt quæ maximè omnium belli auida, modo præda aut merces eſſet, & tum iuuentute abundante. Iterum ſignis collatis eadem fortuna vtriuſque partis pugnatum. ſupra XIII. millium hoſtiũ cæſa, ſupráq. tria capta, cum ſignis duobus & XL. & nouem elephantis. Tum verò omnes prope Hiſpani populi ad Romanos defecerunt. multóque maiores ea æſtate in Hiſpania quàm in Italia res geſtæ.

DECA-

DECADIS TERTIAE

LIBER IIII.

VT ex Campania in Brutios reditum est, Hanno adiutoribus & ducibus Græcas vrbes tentauit: eo facilius in societate manêtes Romana, quod Brutios, quos & oderant & metuebant, Carthaginiensiû partis factos cernebant. Regium primum tentatum est, diésque aliquot ibi nequicquam absumti. Interim Locrenses frumentum, lignáque, & cetera necessaria vsibus ex agris in vrbem rapere, etiam ne quid relictum prædæ hostibus esset: & in dies maior omnibus portis multitudo effundi. postremo ij modo relicti in vrbe erant, qui reficere muros ac portas, teláque in propugnacula congerere cogebantur. In permistam omnium ætatum ordinumque multitudinem, & vagantem in agris magna ex parte inermem, Amilcar Pœnus equites emisit. qui violare quenquam vetiti, tantum vt excluderent ab vrbe fuga dissipatos, turmas obiecere. Dux ipse loco superiore castra ponit, vnde agros vrbémque possit conspicere. Brutiorum cohortem adire muros, atque euocare principes Locrensium ad colloquium iussit: & pollicentes amicitiam Annibalis adhortari ad vrbem tradendam Brutiis in colloquio nullius rei primo fides est: deinde vt Pœnus apparuit in collibus, & refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant, tum metu victi, consulturos se populum responderunt. aduocatáque extemplo concione, cum & leuissimus quisque nouas res, nouámque societatem mallet: & quorum propinqui extra vrbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis, pignoratos haberent animos: pauci magis taciti probarent constantem fidem, quàm probatam tueri auderent: haud dubio in speciem consensu fit ad Pœnos deditio. L. Attilio præfecto præsidij, quique cum eo milites Romani erant, clàm in portum deductis, atque impositis in naues, vt Rhegium deueherêtur: Amilcarem, Pœnósque ea conditione, vt fœdus extemplo æquis legibus fieret, in vrbem acceperunt. Cuius rei prope non seruata fides deditis est, cum Pœnus dolo dimissum Romanum incusaret, Locrenses profugisse ipsum caussarentur. Insecuti etiam equites sunt, si quo casu in freto æstus morari, aut deferre naues in terram posset. & eos quidem quos sequebantur, non sunt adepti. alias à Messana traiicientes freto Rhegium naues conspexerunt. milites erant Romani à Claudio prætore missi ad obtinendam vrbem præsidio. Itaque Rhegio extemplo abscessum est. Locrensibus iussu Annibalis data pax, vt liberi suis legibus viuerent: vrbs pariter & portus in potestate Locrensium esset, societas eo iure staret, vt Pœnus Locrensem, Locrensisque Pœnum pace ac bello iuuaret. Sic à freto Pœni reducti, frementibus Brutiis, quod Rhegium ac Locros, quas vrbes directuros se destinauerant, intactas reliquissent. Itaque per se ipsi conscriptis armatísque iuuentutis suæ XV. millibus, ad Crotonem oppugnandum pergunt ire, Græcam & ipsam vrbem, & maritimá: plurimum accessurum opibus, si in ora maris portum ac vrbem mœnibus validam tenuissent, credentes. Ea cura angebat, quod neque non accersere ad auxilium Pœnos satis audebant, ne quid non pro sociis egisse viderentur: & si Pœnus rursus ma-

A gis arbiter pacis, quam adiutor belli fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut ante Locrorum, frustra pugnaretur. itaque optimum visum est, ad Annibalem mitti legatos: cauerique ab eo, vt receptus Croto Brutiorum esset. Annibal cum præsentium eam cõsultationem esse respondisset, & ad Hannonem eos reiecisset, ab Hannone nihil certi allatum. nec enim diripi volebant nobilem atque opulentam vrbem: & sperabant, cum Brutius oppugnaret, Pœnos nec probare nec iuuare eam oppugnationem appareret,
B eo maturius ad se defecturos. Crotone nec consilium vnum inter populares, nec voluntas erat. Vnus velut morbus inuaserat omnes Italiæ ciuitates, vt plebes ab optimatibus dissentirent: senatus Romanis faueret, plebs ad Pœnos rem traheret. Eam dissensionem in vrbe perfuga nuntiat Brutiis: Aristomachum esse principem plebis, tradendæque auctorem vrbis: & in vasta vrbe, latéque omnibus desiectis mœnibus partitas stationes custodiásque senatorum
C ac plebis esse. quacunque custodiât plebis homines, ea patere aditum. Auctore ac duce perfuga Brutij corona cinxerunt vrbem, acceptique à plebe, primo impetu locos omnes, præter arcé, cepere. Arcé optimates tenebant, præparato iam ante ad talem casum perfugio. Eodem Aristomachus perfugit, tanquam Pœnis, non Brutiis auctor vrbis tradendæ fuisset. Vrbs Croto murum in circuitu patentem XII. millia passuum habuit, ante Pyrrhi Italiam aduen-
D tum. post vastitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur. flumen quod medio oppido fluxerat, extra frequêtia tectis loca præterfluebat muros procul iis quę inhabitabantur. sex millia aberat ab vrbe nobile templum, ipsa vrbe nobilius, Laciniæ Iunonis, sanctum omnibus circa populis. lucus ibi frequenti sylua, & proceris abietis arboribus septus. læta in medio pascua habuit, vbi omnis generis sacrum deæ pascebatur pecus sine vllo pastore: separatimque egressi cuiusque generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non
E fraude violati hominum. magni igitur fructus ex eo pecore capti: columnáque inde aurea solida facta, & sacrata est: inclytumq; templû diuitiis etiá, non tantû sanctitate fuit. Ac miracula aliqua affinguntur plerunque tam insignibus locis. Fama est aram esse in vestibulo templi, cuius cineré nullus vnquá moueat ventus. Et arx Crotonis vna parte imminet mari, altera vergête in agrû, situ tâtû naturali quondam munita, postea & muro cincta, qua per auersas rupes ab Dionysio Siciliæ tyranno per dolum fuerat capta.
F Eam tum arcem satis, vt videbatur, tutam, Crotoniatum optimates tenebant, circumsedente cum Brutiis eos etiam plebe sua. Postremo Brutij cum suis viribus inexpugnabilem viderent arcem, coacti necessitate, Hannonis auxilium implorant. Is conditionibus ad deditionem cõpellere Crotoniatas conatus, vt coloniam Brutiorum eò deduci antiquámque frequentiam eorum recipere vastam ac desertam bellis vrbem paterentur, omnium neminé præter Aristomachum mouit. morituros se affirmabant
G citius, quam immisti Brutiis, in alienos ritus, mores, legésque ac mox linguam etiam verterentur. Aristomachus vnus, quando nec suadendo ad deditionem satis valebat, nec sicut vrbem prodiderat, locum prodendæ arcis inueniebat, transfugit ad Hannoné. Locrenses breui post legati quum permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent, vt traduci se in Locros paterentur, nec vltima experiri vellent. iam hoc vt sibi liceret, impetrauerant & ab Annibale, missis ad idipsum legatis. Ita Crotone excessum est: deductique Crotoniatæ ad mare, naues conscendunt

Locros omnis multitudo abeunt. In Apulia ne hyems quidem quieta inter Romanos atque Annibalem erat. Luceriæ Sempronius consul, Annibal haud procul Arpis hybernabat. Inter eos leuia prælia ex occasione aut opportunitate huius aut illius partis oriebantur: meliorque eis Romanus, & indies cautior tutiorque ab insidiis fiebat. In Sicilia Romanis omnia mutauerat mors Hieronis, regnumque ad Hieronymum nepotem eius translatum, puerum vix dum libertatem, nedum dominationem modice laturum. Læte id ingenium tutores atque amici ad præcipitandum in omnia vitia acceperunt. Quæ ita futura cernens Hiero, vltima senecta voluisse dicitur liberas Syracusas relinquere: ne sub dominatu puerili, per ludibrium, bonis artibus partum firmatumque interiret regnum. Huic consilio eius summa ope obsistere filiæ, nomen regium penes puerum iacæ, regimen rerum omnium penes se, virosque suos Andronodorum, & Zoilum: nam ij tutorum primi relinquebantur. Non facilè erat nonagesimum iam agenti annum, circumsesso dies noctésque muliebribus blanditiis, liberare animum, & conuertere ad publicam priuatámque curam. Itaque tutores numero quindecim puero reliquit. quos precatus est moriens, vt fidem erga populum Romanum quinquaginta annos ab se cultam, inuiolatam seruarent: iuuenémque suis potissimum vestigiis insistere vellent, disciplinæque in qua edoctus esset. Post hæc mandata cum exspirasset, tutores prodeunt, testamento prolato, pueroque in concionem producto (erat autem xv. tunc fermè annorum) paucis, qui per concionem ad excitandos clamores dispositi erant, approbantibus testamentum, ceteris velut patre amisso in orba ciuitate omnia timentibus: funus fit regium, magis amore ciuium & caritate, quam cura suorum celebre. Deinde ceteros tutores summouet Andronodorus: iuuenem iam esse dictitans Hieronymum, ac regni potentem: deponendoque tutelam, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se vnum omnium vires conuertit. Vix quidem vlli bono moderatoque regi facilis erat fauor apud Syracusanos, succedenti tanta caritate Hieronis, verum enimuero Hieronymus, velut suis vitiis desiderabilem efficere vellet auum, primo statim conspectu omnia quàm disparia essent, ostendit. nam qui per tot annos Hieronem, filiumque eius Gelonem, nec vestis habitu, nec alio vllo insigni differentes à ceteris ciuibus vidissent, conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos: quadrigisque etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem, more Dionysij tyranni. Hunc tam superbum apparatum, habitumque conuenientes sequebantur mores, contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta: aditus non alienis modo, sed tutoribus etiam difficiles: libidines nouæ, inhumana crudelitas. itaque tantus omnes terror inuaserat, vt quidam ex tutoribus aut morte voluntaria, aut fuga præuerterent metum suppliciorum. Tres ex iis, quibus solis aditus in domum familior erat, Andronodorus & Zoilus, generi Hieronis, & Thraso quidam, de aliis quidem rebus haud magnopere audiebantur. Tendendo autem duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Romanam, certamine ac studiis interdum in se conuertebant animum adolescentis. Coniuratio in tyranni caput facta indicatur per Calonem quendam æqualem Hieronymi, & iam inde à puero in omnia familiaria iura allectum. Index vnus ex coniuratis Theodorum, à quo ipse appellatus erat, nominare potuit. qui comprehensus extemplo, traditusque

A Andronodoro torquendus, de se ipse haud cunctanter fassus, conscios celabat. postremo cum omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur, victum malis se simulans, auertit ab consciis in insontes indicium, Thrasonem esse auctorem consilij mentitus: nec nisi tam potenti duce confisos, rem tantam ausuros. ab latere inde eos nominat tyranni, quorum capita vilissima fingenti inter dolores gemitúsque occurrere. Maximè animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit. itaque

B extemplo traditur ad supplicium: adiectique pœnæ ceteri iuxta insontes. Consciorum nemo, cum diu socius consilij torqueretur, aut latuit, aut fugit. tantum illis in virtute ac fide Theodori fiduciæ fuit: tantúmque ipsi Theodoro virium ad arcana occultanda. Itaque quod vnum vinculum cum Romanis societatis erat, Thrasone sublato è medio, extemplo haud dubiè ad defectionem res spectabat. legatique ad Annibalem missi: ac remissi ab eodem cũ Annibale nobiles adolescentuli, Hippocrates & Epicides,

C nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exsule auo, Pœni ipsi materno genere. per hos iuncta societas Annibali, ac Syracusano tyranno: nec inuito Annibale apud tyrannum manserunt. Appius Claudius prætor, cuius Sicilia prouincia erat: vbi ea accepit, extemplo legatos ad Hieronymum misit, qui cum sese ad renouandam societatem, quæ cum auo fuisset, venisse dicerent, per ludibrium auditi, dimissique sunt ab quærente per iocum Hieronymo, quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas fuisset. vix

D credibilia enim legatos Annibalis narrare: velle quid veri sit, scire, vt ex eo, vtram spem sequatur, consilium capiat. Romani, cum seriò legationes audire cœpisset, redituros se ad eum dicentes esse: monito magis eo quàm rogato, ne fidem temerè mutaret, proficiscuntur. Hieronymus legatos Carthaginem mittit ad fœdus ex societate cum Annibale faciendum. Pacto conuenit, vt cum Romanos Sicilia expulissent (id autem breui fore, si naues atque exercitum misissent) Himera amnis, qui fermè insulam diuidit, finis regni Syracusani ac Punicij impe-

E rij esset. Aliá deinde inflatus assentationibus eorum qui eum non Hieronis tantum, sed Pyrrhi etiam regis materni aui iubebat meminisse, legationem misit, quia æquum censebat, Siciliam sibi omnem cedi: Italiæ imperium proprium quæri Carthaginiensi populo. Hanc leuitatem ac iactationem animi neque mirabantur in iuuene furioso, neque arguebant, dũmodo auerterent eum ab Romanis. Sed omnia in eo præcipitia ad exitium fuerunt. nam cum præmis-

F sis Hippocrate atque Epicide cum binis millibus armatorum ad tentandas vrbes, quæ præsidiis tenebantur Romanis, & ipse in Leõtinos cum cetero omni exercitu (erant autem ad xv. millia peditum equitumque) profectus esset: liberas ædes cõiurati (& omnes forte militabant) imminentes viæ angustæ, qua descendere ad forũ rex solebat, sumserunt. ibi cũ instructi armatíque ceteri transitũ exspectantes starent, vni ex eis (Indigemini fuit nomen) quia custos corporis erat, partes datæ sunt, vt cũ appropinquaret

G ianuæ rex, per caussam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen. Ita vt conuenerat, factũ est. tanquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo, moratus turbã Indigemines tantum interualli fecit, vt cũ in prætereuntem sine armis regem impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus, quam succurri posset. Clamore & tumultu audito, in Indigeminem iam haud dubiè obstantem tela cõiiciuntur: per quæ tamen, duobus acceptis vulneribus, euasit. fuga satellitum, vt iacente videre regem, facta est. interfe-

terfectores pars in forum in multitudinem lætam A
libertate,pars Syracusas pergunt ad præoccupanda
Andronodori regiorumque aliorum cõsilia. Incer-
to rerum statu Ap. Claudius bellum oriens ex pro-
pinquo cum cerneret,senatum literis certiorem fe-
cit,Siciliam Carthaginiensi populo & Annibali cõ-
ciliari. ipse aduersus Syracusana consilia, prouin-
ciam, regníque fines,omnia conuertit præsidia.Exi-
tu anni eius Q.Fabius ex auctoritate senatus Pu-
teolos,per bellum cœptum frequentari emporium,
communiit,præsidiumque imposuit. inde Romam
comitiorum caussa veniens, in eum quam primum B
diem comitialem habuit, comitia edixit,atque ex
itinere præter vrbem in campum descendit. Eo die
cum sors prærogatiuę antè iuniorum exisset,eáque
T.Octacilium & M.Æmylium Regillum consules
diceret, tum Q.Fabius silentio facto tali oratione
est vsus:Si aut pacem in Italia, aut bellũ cum eo hō-
ste haberemus,in quo negligentiæ aut errori locus
esset:qui vestris studiis,quæ in campum ad mãdan-
dos quibus velitis, honores affertis, moram vllam
offerret, is mihi parum meminisse videretur vestræ G
libertatis. sed cum in hoc bello, cum hoste nun-
quam abvllo duce sine ingenti nostra clade erratum
sit: eadem vos cura,quæ in aciem armati descendi-
tis,inire suffragium ad creandos consules decet, &
sibi sic quenque dicere:Annibali imperatori parem
consulem nomino. Hoc anno ad Capuam Iubel-
lio Taureæ Campano summo equiti prouocanti,
summus Romanus eques Asellus Claudius opposi-
tus. Aduersus Gallum quondam prouocantem in
ponte Anienis, Manlium fidenter & animo & vi- D
ribus misere maiores nostri. Ob eandem caussam
haud multis annis post fuisse non negauerim, cur
M.Valerio non diffideretur arma capienti aduersus
similiter prouocantem ad certamen Gallum.Quem-
admodum pedites equitésque optamus vt validio-
res,si minus,vt pares hosti habeamus: ita duci hostiũ
parem imperatorem quæramus. Cum,qui est sum-
mus in ciuitate dux,eum legerimus:tum repente le-
ctus,in annum creatus aduersus veterem ac perpe-
tuum imperatorem comparabitur, nullis neque tē- E
poris neque iuris inclusum angustiis, quo minus ita
omnia geret administrétque, vt tempora postulabũt
belli,nobis autem in apparatu ipso, ac tantum in-
coantibus res,annus circumagitur. Quoniam qua-
les viros creare vos consules deceat,satis est dictum:
restat vt pauca de eis,in quos prærogatiuæ fauor in-
clinauit,dicam.M.Æmylius Regillus flamẽ est Qui-
rinalis,quem neque mittere à sacris, neque retine-
re possumus, vt non Deum aut belli deseramus cu-
ram. Octacilius sororis meæ filiam vxorem, atque F
ex ea liberos habet. ceterum nõ ea vestra in me,ma-
ioresque meos merita sunt, vt non potiorem priua-
tis necessitudinibus rempublicam habeam. Quili-
bet nautarum vectorumque tranquillo mari guber-
nare potest. vbi sæua orta tempestas est, ac turbato
mari rapitur vento nauis: tum viro & gubernatore
opus est.Non trãquillo nauigamus: sed iam aliquot
procellis submersi pene sumus. itaque quis ad gu-
bernacula sedeat,summa cura prouidendum ac præ-
cauendũ nobis est. In minore re experti T.Octacili
operam tuam sumus, haud sanè cur ad maiora tibi
fidamus,documenti quicquam dedisti. Classem hoc C
anno,cui tu præfuisti, triũ rerum caussa parauimus:
vt Africæ oram popularetur:vt tuta nobis Italiæ lit-
tora essent:ante omnia, ne supplementum cum sti-
pẽdio commeatuque ab Carthagine Annibali trãs-
portaretur.Create consulem T.Octacilium: non di-
co si omnia hæc,sed si aliquid eorũ reipublicæ præ-
stitit. Sin autem te classem obtinente, etiam velut
pacati mari quælibet Annibali tuta atque integra
ab domo venerunt: si ora Italiæ infestior hoc an-
no,quàm Africæ fuit:quid dicere potes, cur te potis-
simum ducem Annibali hosti opponant? Si consul
esses, dictatorem dicendum exemplo maiorum no-
strorum censeremus.nec tu id indignari posses: ali-
quem in ciuitate Romana meliorem bello haberi,
quam te.magis nullius interest, quàm tua T.Octa-
cili,non imponi ceruicibus tuis onus sub quo cor-
cidas.Ego magnopere suadeo. eodem animo, quo,si
stantibus vobis in aciem armatis repente deligendi
duo imperatores essent,quorum ductu atque auspi-
cio dimicaretis,hodie quoque consules creetis, qui-
bus sacramenta liberi nostri dicant:ad quorum edi-
ctum conueniant:sub quorum tutela atque cura mi-
litent. Lacus Thrasymenus, & Cannæ,tristia ad re-
cordationem exemplar: at ad præcauendum simile,
vtiles documento sunt. Prærogatiua iuniorum in
suffragium reuocata. cum T.Octacilius ferociter cũ
continuare consulatum velle vociferaretur, atque
obstreperet, lictores ad eum accedere consul iussit:
& quia in vrbem non inerat, protinus in campum
ex itinere profectus, admonuit, cum securibus sibi
fasces præferre. Interim prærogatiua suffragium
iniit: creatique in ea consules Q.Fabius Maximus
quartum,M.Marcellus tertium.eosdem consules ce-
teræ centuriæ sine variatione vlla duxerunt.& præ-
tor vnus refectus, Q.Fuluius Flaccus,noui alij crea-
ti:T.Octacilius Crassus iterum, Q.Fabius consulis
filius,qui tum ædilis curulis erat: P.Cornelius Len-
tulus. Comitiis prætorum perfectis, S.C.factum est,
vt Q.Fuluio extra ordinem vrbana prouincia esset,
isque potissimum consulibus ad bellum profectis,
vrbi præesset.Aquæ magnæ & niues eo anno fuerũt:
Tyberísque agros inundauit cum magna strage te-
ctorum, pecorumque & hominum pernicie. Quin-
to anno secundi Punici belli Q.Fabius Maximus
quartũ,M.Claudius Marcellus tertium,consulatum
ineuntes,plus solito cõuerterant in se ciuitatis ani-
mos.multis enim annis tale consulũ par non fuerat.
Referebãt senes,sic Maximum Rullum cũ P.Decio
ad bellũ Gallicũ,sic postea Papyrium & Caruilium
aduersus Samnites, Brutiósque, & Lucanum cũ Ta-
rentino populum consules declaratos. Absens Mar-
cellus consul creatus,cum ad exercitum esset: præ-
senti Fabio, atque ipso comitia habente consulatus
continuatus. Tempus,ac necessitas belli, ac discri-
men summæ rerum faciebant, ne quis aut in exem-
plum exquireret,aut suspectum cupiditatis imperij
consulem haberet.quin laudabant potius magnitu-
dinem animi: quod cum summo imperatore esse o-
pus reipub.sciret, séque eum haud dubiè esse: mino-
ris inuidiam suam, si qua ex re oriretur, quam vtili-
tatem reipub.fecisset. Quo die magistratum,inierũt
cõsules, senatus in Capitolio est habitus decretum-
que omnium primum,vt consules sortirentur,com-
pararéntve inter se, vter censoribus creandis comi-
tia haberet, prius quam ad exercitũ proficisceretur,
Prorogatum deinde imperium omnibus qui ad e-
xercitus erant.iussiq; in prouinciis manere, T.Grac-
chus Luceriæ, vbi cum volonũ exercitu erat, C.Te-
rentius Varro in agro Piceno,M.Pomponius in Gal-
lico.ex prætoribus prioris anni proprętor Q.Mutius
obtineret Sardiniam, M.Valerius ad Brundusium o-
ræ maritimæ,intentus aduersus omnes motus Phi-
lippi Macedonum regis, præesset.P.Cornelio Len-
tulo prætori Sicilia decreta prouincia, T.Octacilio
classis eadem,quam aduersus Carthaginienses prio-
re anno habuisset.Prodigia eo anno multa nuntiata

ſunt: quæ, quo magis credebant ſimplices ac religioſi homines, eo etiam plura nuntiabantur. Lanuuij in æde intus Soſpitæ Iunonis coruos nidum feciſſe. In Apulia palmā viridem arſiſſe. Mantuæ ſtagnum effuſum Mintio amni cruētū visū. Et Calibus creta, & Romæ in foro Boario ſāguine pluiſſe. Et in vico Iſtrico fontem ſub terra tanta vi aquarum fluxiſſe, vt ſerias doliaque, quæ in eo loco erant, prouoluta velut impetus torrentis tulerit. Tacta de cœlo, atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, nucem in Sabinis, publicámque viam, murum ac portam Gabiis. Iam alia vulgata miracula erant: haſtam Martis Præneſte ſua ſponte promotam: bouem in Sicilia locutum: infantem in vtero matris in Marrucinis, Io triumphe, clamaſſe: ex muliere Spoleti virum factum: Hadriæ aram in cœlo, ſpeciéſque hominum circum eam cum candida veſte viſas eſſe. Quin Romæ quoque in ipſa vrbe ſecundum apud examē in foro viſum, quod mirabile eſt, quia raratum. affirmantes quidam legiones ſe armatas in Ianiculo videre, concitauerunt ciuitatem ad arma: qui cum in Ianiculum iuiſſent, negarunt quenquam ibi, præter aſſuetos collis eius cultores apparuiſſe. Hæc prodigia hoſtiis maioribus procurata ſunt ex Aruſpicum reſponſo: & ſupplicatio omnibus diis, quorum puluinaria Romæ ſint, indicta eſt. Perpetratis quę ad pacem deûm pertinebant, de republica bellóque gerendo, & quantum copiarum, & vbi quæque eſſent, Coſſ. ad ſenatum retulerunt. Duodeuiginti legionibus bellum geri placuit: binas Coſſ. ſibi ſumere: binis Galliam Siciliámque ac Sardiniā obtineri: duabus Q. Fabium prætorem Apuliæ, duabus volonum T. Gracchum circa Luceriam præeſſe: ſingulas C. Terentio procoſ. ad Picenum & M. Valerio ad claſſem circa Brunduſium, & duas vrbi præſidium relinqui. Hic vt numerus legionum expleretur, ſex nouæ legiones erant ſcribendæ. Eas primo quoque tempore Coſſ. ſcribere iuſſi, & claſſem parare, vt cum eis nauibus, quæ pro Calabriæ littoribus in ſtatione eſſent, C.L. longarum nauium claſſis eo anno expleretur. Delectu habito, & nauibus nouis deductis, Q. Fabius comitia cenſoribus creandis habuit. creati M. Attilius Regulus, & P. Furius Philus. Cum increbreſceret rumor, bellum in Sicilia eſſe: T. Octacilius eo cum claſſe proficiſci iuſſus eſt. Cum deeſſent nautę, Coſſ. ex S. C. edixerunt, vt qui L. Æmylio, C. Flaminio cenſoribus, millibus æris quinquaginta ipſe, aut pater eius cenſus fuiſſet vſque ad centum millia, aut cui poſteà res tanta eſſet facta, nautam vnum cum ſex menſium ſtipendio daret, qui ſupra centum millia, vſque ad C C C. millia, tres nautas cum ſtipendio annuo: qui ſupra trecenta millia vſque ad decies ęris, quinq; nautas: qui ſupra decies, ſeptem: ſenatores octo nautas cum annuo ſtipendio darent. Ex hoc edicto dati nautæ armati inſtructíque ab dominis cum triginta dierum coctis cibariis naues conſcenderunt. Tum primum eſt factum vt claſſis Romana ſociis naualibus priuata impenſa paratis compleretur. Hic maior ſolito apparatus præcipuè conterruit Campanos, ne ab obſidione Capuæ bellum eius anni inciperent. itaque legatos ad Annibalem oratum miſerunt, vt Capuam exercitum admoueret. ad eam oppugnandam nouos exercitus ſcribi Romæ, nec vllius vrbis defectioni magis infenſos eorum animos eſſe. Id quia tam trepidi nuntiabant, maturandum Annibal ratus, ne præuenirent Romani: profectus Arpis, ad Tifata in veteribus caſtris ſuper Capuam conſedit. inde Numidis Hiſpaniſque ad præſidium ſimul caſtrorum, ſimul

A Capuæ relictis, cum cetero exercitu ad lacum Auerni per ſpeciem ſacrificandi, re ipſa, vt tentaret Puteolos, quique ibi præſidio erant, deſcendit. Maximus poſtquam Annibalem Arpis profectum, & regredi in Campaniam, allatum eſt, nec die nec nocte intermiſſo itinere, ad exercitum redit: & T. Gracchum ab Luceria Beneuentum copias admouere: Q. Fabium Pr. (is filius Coſ. erat) Luceriam Graccho ſuccedere iubet.
B In Siciliam eodem tempore duo Prr. profecti: P. Cornelius ad exercitum, Octacilius, qui maritimæ oræ reique nauali præeſſet, & ceteri in ſuas quiſque prouincias profecti. & quibus prorogatum imperium erat: eaſdem quas priore anno regiones obtinuerunt. Ad Annibalem, cum ad lacum Auerni eſſet, quinque nobiles iuuenes ab Tarento venerunt, partim ad Thraſymenum lacum, partim ad Cannas capti, dimiſſique domos cum eadem comitate, qua vſus aduerſus omnes
C Romanorum ſocios Pœnus fuerat. Ii memores beneficiorum eius, perpuliſſe magnam partem ſe iuuentutis Tarentinæ referunt, vt Annibalis amicitiā ac ſocietatem quam P. R. mallét: legatóſque ab ſuis miſſos rogare Annibalem, vt exercitum propius Tarentum admoueat. ſi ſigna eius, ſi caſtra conſpecta à Tarento ſint, haud vllam interceſſuram moram quin vrbs dedatur. in poteſtate iuniorum plebem in manu plebis rem Tarentinam eſſe. Annibal collaudatos eos, oneratóſque ingentibus promiſſis
D domum ad cœpta maturāda redire iubet, ſe in tempore affuturum eſſe. Hac cum ſpe dimiſſi Tarentini, ipſum ingens cupido inceſſerat Tarenti potiundi. vrbem eſſe videbat cùm opulentam nobilémque, tum maritimam, & in Macedoniam opportune verſam, regémque Philippum hunc portum, ſi tranſiret in Italiam, cum Brunduſium Romani haberēt, petiturum. Sacro inde perpetrato. ad quod venerat: & dum ibi moratur, peruaſtato agro Cumano vſq; ad Miſeni promontorium, Puteolos repentè agmen conuertit ad opprimendum præſidium Romanum.
E Sex millia hominum erant: & locus munimento quoque non natura modo tutus. Triduum ibi moratus Pœnus, ab omni parte tentato præſidio· deinde, vt nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum magis irâ quàm potiundæ vrbis ſpe proceſſit. Aduentu eius in propinquum agrum Nolana mota eſt plebs. iamdiu auerſa ab Romanis, & infeſta ſenatui ſuo: Itaque legati ad acceſſendum Annibalem cum haud dubio promiſſo tradendæ vrbis venerunt. Præuenit inceptum eorum Marcel-
F lus C O S. à primoribus accitus. die vno Sueſſulam à Calibus, cùm Vulturnus amnis traiicientem moratus eſſet, contenderat. inde proxima nocte ſex millia peditum, equitéſque C C C. qui præſidio ſenatui eſſent, Nolam intromiſit. & vti à C O S. omnia impigrè facta ſunt ad præoccupandam Nolam: ita Annibal tempus terebat, bis iam ante nequicquàm tentata re ſegnior ad credendum Nolanis factus. Iiſdem diebus & Q. Fabius C O S. ad Caſiliū tentandum, quod præſidio Punico tenebatur, venit,
G & ad Beneuentum velut ex compoſito parte altera Hanno ex Brutiis cum magna peditum equitumq; manu altera T. Gracchus ab Luceria acceſſit, qui primo oppidum intrauit. deinde vt Hannonem tria millia fermè ab vrbe ad Calorem fluuium caſtra poſuiſſe, & inde agrum populari audiuit: & ipſe egreſſus mœnibus mille fermè paſſus ab hoſte caſtra locauit: ibique concionem militum habuit. Legiones magna ex parte volonum habebat: qui iam alterum annum libertatem tacitè mereri quàm poſtulare palam maluerant. ſenſerat tamen hybernis egrediens

egrediens murmur in agmine esse querentium, nunquámne liberi militaturi essent? scripseratque senatui, non tam quid desiderarent, quàm quid meruissent. bona fortique opera eorum se ad eam diem vsum: neque ad exemplum iusti militis quicquam eis præter libertatem deesse. De eo permissum ipsi erat, faceret quod è republica duceret esse. Itaque prius quam cum hoste manum consereret, pronuntiat, tempus venisse eius libertatis, quam diu sperassent, potiundæ. Postero die signis collatis dimicaturum puro ac patenti campo, vbi sine vllo insidiarum metu vera virtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplo liberum iussurum esse. qui loco cessisset, in eum seruili supplicio animaduersurum. Suam cuique fortunam in manu esse. libertatis auctorem eis non se fore solum, sed COS. M. Marcellum, & vniuersos patres, qui consulti ab se de libertate eorum, sibi permisissent. Literas inde COS. ac S.C. recitauit. Ad quæ clamor cum ingenti assensu est sublatus, pugnam poscebant, signumque vt daret extemplo, ferociter instabant. Gracchus prælio in posterum diem pronuntiato, concionem dimisit. Milites læti, præcipuè quibus merces nauatæ in vnum diem operæ, libertas futura erat: armis expediendis quod reliquum diei fuit, consumserunt. Postero die vbi signa cœperunt canere, primi omnium parati instructique ad prætorium conueniunt. sole orto Gracchus in aciem copias eduxit. Nec hostes moram dimicandi fecerunt. Decem & septem millia peditum erant, maxima ex parte Brutij ac Lucani: equites MCC. inter quos pauci admodũ Italici, ceteri Numidæ ferè omnes, Mauriq; pugnatum est, & acriter & diu quatuor horis neutro inclinata est pugna. nec alia magis Romanũ impediebat res, quã capita hostiũ pretia libertati facta. nam vt quisq. hostem impigrè occiderat, primũ capita ægrè inter turbã tumultumque abscindendo, tempus terebat. deinde occupata dextra tenendo caput, fortissimus quisque pugnator esse desierat: segnibus ac timidis tradita pugna erat. Quod vbi tribuni militũ Graccho nuntiauerũt, neminem stantem iam vulnerari hostem, carnificari iacentes, & in dextris militum pro gladiis humana capita esse: signum dari properè iussit, proiicerent capita, inuaderéntque hostem, claram satis & insignem virtutem esse: nec dubiam libertatem futuram strenuis viris. Tum redintegrata pugna est, & eques etiam in hostem emissus. Quibus cum impigrè Numidæ concurrissent, nec segnior equitum quam peditum pugna esset, iterum in dubium adducta res: cum vtrinque duces, Romanis Brutium Lucanumque toties à maioribus suis victos subactósque, Pœnus mancipia Romana, & ex ergastulo militem verbis obtereret. Postremo pronuntiat Gracchus, esse nihil quod de libertate sperarent, nisi eo die fusi fugatique hostes essent. Ea demum vox ita animos accendit, atque renouato clamore velut alij repentè facti, tanta vi se in hostem intulerunt, vt sustineri vltra non possent. Primo antesignani Pœnorum, deinde signa perturbata, postremo tota impulsa acies: inde haud dubiè terga data, ruúntque fugientes in castra adeo pauidi, trepidique, vt ne in portis quidem aut vallo quisquam restiterit: ac prope continenti agmine Romani insecuti, nouum de integro prælium inclusi hostium vallo ediderint. ibi sicut pugna impeditior in angustiis, ita cædes atrocior fuit: & adiuuere captiui, qui rapto inter tumultum ferro conglobati, & à tergo ceciderunt Pœnos, & fugam impedierunt. itaque minus duo millia hominum ex tanto exercitu, &

A ea maior pars equitum cum ipso duce effugerunt. alij omnes cæsi, aut capti. capta & signa duodequadraginta. Ex victoribus duo millia fermè cecidere, præda omnis præterquam hominum captiuorum, militi concessa est. & pecus exceptum est, quod intra dies triginta domini cognouissent. Cum præda onusti in castra redissent, quatuor millia fermè volonum militum, qui pugnauerant segnius, nec in castra irruperant simul, metu pœnæ collem haud procul castris cœperunt. postero die per Tr. militum inde deducti, concione militũ aduocata à Graccho,
B superueniũt: vbi cũ procõsul veteres milites primũ, prout cuiusq; virtus atq; opera in ea pugna fuerat, militarib. donis donasset: tũc quod ad volones attineret, omnes ait malle laudatos à se, dignos indignosque, quã quenquã eo die castigatum esse. quod bonum, faustum, felixque reipublicæ ipsísque esset, omnes eos liberos esse iubere. Ad quam vocem cum clamor ingenti alacritate sublatus esset: ac nunc complexi inter se, gratulantésque, nunc manus ad cœlum tollentes, bona omnia P.R. Graccho que ipsi
C precarentur. tum Gracchus: Prius quàm omnes iure libertatis æquassem, inquit, neminem nota strenui aut ignaui militis notasse volui. nunc exsoluta iam fide publica, ne discrimen omne virtutis ignauiæque pereat, nomina eorum qui detrectatæ pugnæ memores, secessionem paulò ante fecerunt, referri ad me iubebo: citatósque singulos iureiurando adigam, nisi quibus morbus caussa erit, nõ aliter quam stantes cibum potumque, quoad stipendia facient, capturos esse. Hanc mulctam ita æquo animo feretis,
D si reputabitis, nulla ignauiæ nota leuiore vos designari potuisse. Signum deinde colligendi vasa dedit: militésque prædam portantes agentésque per lasciuiam ac iocum ita ludibundi Beneuentum rediere, vt ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie reuerti viderentur. Beneuentani omnes turba effusa cum obuiam ad portas exissent, complecti milites, gratulari, vocare in hospitium. Apparata conuiuia omnibus in propatulo ædium fuerant: ad ea inuitabant, Gracchumque orabant, vt
E epulari permitteret militibus, & Gracchus ita permisit, in publico epularentur omnes. Ante suas quibusque fores prolata omnia, pileati, aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt, alij accubantes, alij stantes, qui simul ministrabant, vescebanturque. Digna res visa, vt simulacrum celebrati eius diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingi iuberet in æde Libertatis, quam pater eius in Auentino ex mulctatitia pecunia faciendã curauit, dedicauítque. Dum hæc ad Beneuentum geruntur, Annibal
F depopulatus agrum Neapolitanum, ad Nolam castra mouet. Quem vbi aduentare COS. sensit: Pomponio proprætore cum eo exercitu qui super Suessulam in castris erat, accito, ire obuiam hosti parat, ne moram dimicandi faceret. Claudium Neronem cum robore equitum silentio noctis per auersam maximè ab hoste portam emittit: circumuectumque occultè subsequi sensim agmen hostium iubet: & cùm coortum prælium videret, ab tergo se obiiceret.
G id errore viarũ, an exiguitate temporis Nero exsequi non potuerit, incertum est. absente eo cum præliũ commissum esset, superior quidem haud dubiè Romanus erat. sed quia equites non affuere in tempore, ratio compositæ rei turbata est. Non ausus insequi cedentes Marcellus, vincentibus suis signum receptui dedit: plus tamen duo millia hostium eo die cęsa tradũtur: Romanorũ minus CCCC. Solis ferè occasu Nero diẽ noctẽmq. nequicquã fatigatis equis hominibúsq;, ne viso quidẽ hoste rediens, adeò gra-

titer est ab COS. increpatus, vt per eum stetisse dicerat, quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades. Postero die Romanus in aciem descendit. Pœnus tacita etiam confessione victis, castris se tenuit. Tertio die silentio noctis, omissa spe Nolæ potiundæ, rei nunquam prosperè tentatæ, Tarentum ad certiorem spem proditionis proficiscitur. Nec minore animo res Romanæ domi quàm militiæ gerebantur. Censores vacui ab operum locandorum cura propter inopiam ærarij: ad mores hominum regendos animum aduertunt, castigandáque vitia: quæ velut diutinis morbis ægra corpora ex sese gignunt, B nata bello erant. Primum eos citauerunt, qui post Cannensem pugnã rempublicam deseruisse, Italiáque excedere velle dicebantur. princeps eorum Lucius Cæcilius Metellus, qui quæstor tunc fortè erat, iusso deinde eo cæterisque eiusdem noxæ reis caussam dicere, cum purgari nequissent, pronuntiarunt verba, orationémque eos aduersus rempublicam habuisse, quo coniuratio deserendæ Italiæ caussa fieret. Secundũ eos citati nimis calli di exsoluendi iurisiurandi interpretes: qui captiuorum ex itinere regressi clam in castra Annibalis, solutum quod iurauerant redditu rebantur. His superioribúsque illis equi ademti, qui publicum equum habebant: tribuq. moti ærarij omnes facti. Neque senatu modo aut equestri ordine regendo cura se censorem tenuit. nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent quibus neque vacatio iusta militiæ, neque morbus caussa fuisset. & ea supra duo millia nominum in ærarios relata tribuque omnes moti additumque ineunti censoriæ notæ triste senatusconsultum, vt ij omnes quos censores notassent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias: cui militum generi non prius quàm pulsus Italia hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat. Cum censores ob inopiã ærarij se iam locationibus abstinerent ædium sacrarum tuendarum, curuliumque eorum præbendorum, ac similium his rerum: conuenere ad eos frequentes, qui hastæ huius generis assueuerant: hortatique censores, vt omnia perinde agerent, locarentq. ac si pecunia in ærario esset. neminẽ nisi bello confecto pecuniam ab ærario petiturum esse. Cõuenere deinde domini eorum quos T. Sempronius ad Beneuentum manu emiserat: accersitosque se ab triumuiris mensariis esse dixerunt, vt pretia seruorũ acciperent. cæterum non ante quam bello confecto accepturos esse. Cum hæc inclinatio animorum plebis ad sustinendam inopiam ærarij fieret: pecuniæ quoque pupillares primo, deinde viduarum cœptæ conferri, nusquã eas tutius sanctiusq. deponere credentibus, qui deferebant, quàm in publica fide. inde si quid emtum paratumque pupillis ac viduis foret, à quæstore perscribebatur. Manauit ea priuatorum benignitas ex vrbe etiam in castra, vt non eques, non centurio stipendium acciperent: mercenariumque increpantes vocarent, qui acciperet. Q. Fabius COS. ad Casilinum castra habebat, quod duûm millium Campanorum, & septingentorum militum Annibalis tenebatur. præsidio præerat Statius Metius missus ab Cn. Magio Atellano: qui eo anno Medixtuticus erat, seruitiáque & plebem promiscue armabat, vt castra Romana inuaderet, intento COS. ad Casilinum oppugnandum. Nihil eorum Fabium fefellit. Itaque Nolam ad collegam mittit, altero exercitu, dum Casilinum oppugnatur, opus esse, qui Campanis opponatur. vel ipse relicto Nolæ præsidio modico veniret: vel si eum Nola teneret, & nec dum securæ res ab Annibale essent, T. Gracchum A Procos. à Beneuento acciturum. Hoc nũtio Marcellus duobus militum millibus in Nolæ præsidio relictis, cum cetero exercitu Casilinum venit, aduentuque eius Campani iam mouentes sese, quieuerunt. ita à duobus COS. Casilinum oppugnari cœptum. vbi cũ multa succedentes temere mœnibus Romani milites acciperent vulnera, neque satis in cœptis succederet, Fabius omittendam rem paruam, ac iuxta magis difficilem, abscedendumque inde censebat, cum res maiores instarent. Marcellus multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse dicendo, quia magna famæ momenta in vtranque partem fierent, tenuit ne incepto abiretur. Vineæ inde omniaque alia operum, machinationumque genera cum admouerentur, Campanique Fabium orarent vt abire Capuam tuto liceret, paucis egressis, Marcellus portam qua egrediebantur, occupauit: cædésque promiscuè omnium circa portã primo, deinde irruptione facta, etiam in vrbe fieri cœpta est. Quinquaginta fere C primo egressi Campanorũ cum ad Fabium cõfugissent, præsidio eius Capuam peruenerunt. Casilinum inter colloquia, cunctationemque petentium fidem, per occasionem captum est. captiui, quique Campanorum, quique Annibalis militum erant, Romam missi, atque ibi in carcere inclusi sunt: oppidanorum turba per finitimos populus in custodiã diuisa. Quibus diebus à Casilino re bene gesta recessum est, eis Gracchus in Lucanis aliquot cohortes in ea regione conscriptas cum præfecto sociorum in agros hostiũ D prædatum misit. eos effusè palatos Hanno adortus, haud multo minorem, quã à Beneuento acceperat, reddidit hosti cladem: atque in Brutios raptim, ne Gracchus assequeretur, concessit. Cos. Marcellus retro vnde venerat Nolam redit: Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendasque armis quæ defecerant vrbes, processit: Caudinus Samnis grauius deuastatus, perusti populatique latè agri, prædæ pecudum hominumque actæ: oppida vi capta, Compulteria, Telesia, Cossa, Melæ, Fulsulæ, & Orbitaniũ, E ex Lucanis Blandæ, Apulorum Ancæ oppugnatæ. Millia hostium in his vrbibus XXV. capta aut occisa: & recepti perfugæ CCCLXX. quos cum Romam misisset Cos. virgis in comitio cæsi omnes, ac de saxo deiecti. Hæc à Q. Fabio intra paucos dies gesta, Marcellũ ab gerendis rebus valetudo aduersa Nolæ tenuit. Et à Pr. Q. Fabio, cui circa Luceriã prouincia erat, Accua oppidum per eos dies vi captum, statiuáque ad Ardoneas communita. Dum hæc aliis locis ab Romanis geruntur: iam Tarentum peruenerat F Annibal cum maxima omnium, quacunque ierat, clade. in Tarentino demum agro pacatum incedere agmen cœpit. nihil ibi violatum: neque vsquam via excessum est. apparebátque non id modestia militum aut ducis nisi ad conciliandos Tarentinorum animos fieri. Ceterum cum prope iam mœnibus accessisset, nullo ad conspectum primi agminis, vt rebatur, motu facto, castra ab vrbe ferme passus mille locat. Tarentum triduo antequam Annibal ad mœnia accederet, à M. Valerio Propr. qui classi ad Brun- G dusiũ præerat, T. Valerius legatus missus. Is primorũ iuuentute cõscripta, dispositisque ad omnes portas, circáque muros, qua res postulabat, stationibus die ac nocte plurimum intentus, neque hostibus neque dubiis sociis loci quicquã præbuit ad tentandũ. Sicque diebus aliquot frustra ibi absumtis Annibal, cũ eorum nemo qui ad lacum Auerni adissent, aut ipsi venirent, aut nuntium literásve mitterent: vana promissa se temere secutum cernens, castra inde mouit. Tum quoque intacto agro Tarentino, quanquam simulata

simulata lenitas nondum profuerat: tamen spe labefactandę fidei haud absistens, Salapiam tendit: eoque frumentum ex agris Metapontino atque Heracleensi (iam media æstas exacta erat, & hybernis placebat locus) comportat. Prædatum inde Numidæ Maurique per Salentinum agrũ, proximosque Apuliæ saltus dimissi: vnde ceteræ prædæ haud multum, equorum greges maxime abacti: è quib. ad quatuor millia domanda equitibus diuisa. Romani, cum bellum nequaquam contemnendũ in Sicilia oriretur: morsque tyranni duces magis impigros dedisset Syracusanis, quàm caussam aut animos mutasset: M. Marcello alteri consulum eam prouinciam decernunt.

Secundum Hieronymi cædem primo tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat, vociferatúmque ferociter, parentandum regi sanguine coniuratorum esse. deinde libertatis restitutæ dulce auditũ nomen, crebro vsurpatum, spes facta ex pecunia regia largitionis militi, atq; fungẽdi potioribus ducibus: & relata tyranni fœda scelera, fœdioresq; libidines, adeo mutauere animos, vt insepultũ iacere corpus paulo ante desiderati regis paterentur. Cum ceteri ex coniuratis ad exercitum obtinendũ remansissent, Theodorus & Sosis regiis equis, quãto maximo cursu poterant, vt ignaros omnium regios opprimerent, Syracusas contendunt. ceterum præuenerat non fama solum, qua nihil in talibus rebus est celerius, sed nuncius etiam ex regiis seruis. itaque Andronodorus & insulam & arcem, & alia quæ poterat, quęque opportuna erãt, præsidiis firmarat. Hexapylo Theodorus ac Sosis post solis occasum iam obscura luce inuecti, cum cruentam regiam vestem, atque insigne capitis ostentarent, transuecti per Thicam, simul ad libertatem, simul ad arma vocantes, in Acradinam conuenire iubent. Multitudo pars procurrit in vias, pars in ædium vestibulis stat, pars ex tectis fenestrísque prospectant, & quid rei sit, rogitat. omnia luminibus collucent, strepitúque vario complentur. armati locis patentibus congregantur. inermes ex Olympiis Iouis templo spolia Gallorum Illyriorũmq. dono data Hieroni à P.R. fixáque ab eo, detrahunt, precantes Iouem, vt volens propitius præbeat sacra arma pro patria, pro deûm delubris, pro libertate sese armantibus. Hæc quoque multitudo stationibus per principes regionum vrbis dispositis adiũgitur. In insula inter cetera Andronodorus præsidiis firmat horrea publica. Locus saxo quadrato septus, atque arcis in modum emunitus capitur ab iuuentute, quæ præsidio eius loci attributa erat. mittúntque nuntios in Acradinam: horrea frumentúmque in senatus potestate esse. Luce prima populus omnis armatus inermísque in Acradinam ad curiam conuenit. ibi pro Concordiæ ara, quæ in eo sita loco erat, ex principibus vnus nomine Polyneus concionem & liberam & moderatam habuit: Seruitudinis indignitatisque homines expertos aduersus notum malum irritatos esse. Discordia ciuilis quas importet clades, audisse magis à patribus Syracusanos, quam ipsos vidisse. Arma quod impigre ceperint, laudare, magis laudaturum, si non vtantur nisi vltima necessitate coacti: in præsẽtia legatos ad Andronodorum mitti placere, qui denuntient, vt in potestate senatus ac populi sit: portæ insulæ pateant, reddat præsidium, si tutelam alieni regni suum regnum velit facere, eundem se censere, multo acrius ab Andronodoro, quàm ab Hieronymo repeti libertatem. ab hac concione legati missi sunt. senatus inde haberi cœptus est: quod sicut regnante Hierone manserat publicum consilium, ita post mortem eius ante eam diem nulla de re neque conuocati neque con-

A sulti fuerant. Vt ventum ad Andronodorum est, ipsum quidem mouebat & ciuium consensus: & cùm aliæ occupatæ vrbis partes, tum pars insulæ velut munitissima prodita atque alienata: sed euocatum eum ab legatis Demarata vxor, filia Hieronis, inflata adhuc regiis animis, ac muliebri spiritu, admonet sępe vsurpatæ Dionysij tyrãni vocis: quæ pedibus tractum non insidentem equo relinquere tyrannidem dixerit debere facile esse momẽto quo quis velit, cedere possessione magnæ fortunæ: facere & parare eã difficile atque arduum esse. paululum sumeret spatij B ad consultandum ab legatis eo vteretur ad accersendos ex Leontinis milites quibus si pecuniam regiam pollicitus esset, omnia in potestate eius futura. Hæc muliebria consilia Andronodorus neque tota aspernatus est, neque extemplo accepit: tutiorem ad opes affectandas ratus esse viam, si in præsentia tempori cessisset. itaque legatos renuntiare iussit, futurum se in senatus ac populi potestate. Postero die luce prima patefactis insulæ portis in forum Acradiæ venit. ibi in aram Concordiæ, ex qua pridie Polyneus concionatus erat, ascendit: orationémque eam orsus C est, qua primum cunctationis suæ veniam petiuit. Se enim clausas habuisse portas, non separantem suas res à publicis, sed strictis semel gladiis timentem, qui finis cædibus esset futurus: vtrum quod satis libertatis foret, contenti nec tyranni essent: an quicunque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent: alienæ culpæ rei trucidarentur. postquam animaduertit, eos qui liberassent patriam, seruare etiam liberatam velle, atque vndique consuli in medium: non D dubitasse, quin & corpus suum, & cetera omnia quæ suæ fidei tutelæque essent, quando eum qui mandasset, suus furor absumsisset, patriæ restitueret. Conuersus deinde ad interfectores tyranni, ac nomine appellans Theodorum ac Sosim: Facinus, inquit, memorabile fecistis. sed mihi credite, incoata vestra gloria, nondum perfecta est: periculumque ingens manet, nisi communi concordiæ consulitis, ne libera efferatur resp. Post hanc orationem claues portarum pecuniæque regiæ ante pedes eorum posuit. atque illo quidem die dimissi ex concione læti circa omnia fana deum supplica- E uerunt cum coniugibus ac liberis. postero die comitia Prt. creandis habita. creatus in primis Andronodorus: ceteri magna ex parte interfectores tyranni. duos etiam absentes Sopatrum ac Deomenem fecerunt. Qui auditis iis quæ Syracusis acta erant, pecuniam regiam quæ in Leontinis erat, Syracusas deuectam, quæstoribus ad id ipsum creatis tradiderunt, & ea quæ in insula erat, Acradina, tradita est. murique ea pars quæ ab cetera vrbe nimis firmo munimento intersepiebat insulam, consensu om- F nium deiecta est. secutæ & ceteræ res hanc inclinationem animorum ad libertatem. Hippocrates atque Epicides audita morte tyranni, quam Hippocrates etiam nuntio interfecto celare voluerat: deserti à militibus, quia id tutissimum ex præsentibus videbatur, Syracusas rediere. vbi ne suspecti obseruarentur, tanquam nouandi res aliquam occasionem quærentes: prætores primum, dein per eos senatum adeunt. Ab Annibale se missos prædicant ad Hieronymum tanquam amicum ac socium, pa- G ruisse imperio eius, cuius imperator suus voluerit, velle ad Annibalem redire. ceterum cum iter tutum non sit, vagantibus passim per totam Siciliam Romanis armis, petere vt præsidij dent aliquid. quo Locros in Italiam perducantur. gratiam magnam eos parua opera apud Annibalem inituros. Facilè

res impetrata: abire enim duces regios, cùm petitos militiæ, tum egentes eosdem atque audaces, cupiebant: sed quod volebant, non quàm maturato opus erat, nauiter expediebant. Interim iuuenes militares, & assueti militibus, nunc apud eos ipsos, nunc apud transfugas, quorum maxima pars ex naualibus sociis Romanorum erat: nunc etiam apud infimæ plebis homines crimina serebant in senatum optimatésque: moliri clam eos, atque struere, vt Syracusæ per speciem reconciliandæ societatis in ditione Romanorum sint: dein factio, & pauci auctores fœderis renouari dominentur. His audiendis credendisque opportuna multitudo maior indies Syracusas confluebat: nec Hippocrati & Epicidi solum spem nouandarum rerum, sed Andronodoro etiam præbebat. Qui fessus tandem vxoris vocibus, monentis nunc illud esse tempus occupandi res, dum turbata omnia noua atque incognita libertate essent, dum regiis stipendiis pastus obuersaretur miles, dum ab Annibale missi duces assueti militibus iuuare possent incœpta cum Themistio, cui Gelonis filia nupta erat, rem consociatam, paucos post dies Aristoni cuidam tragico actori, cui & alia arcana committere assueuerat, incautè aperit. Huic & genus & fortuna honesta erant: nec ars, quia nihil tale apud Græcos pudori est, ea deformabat. itaque fidem potiorem ratus, quàm patriæ debebat, indicium ad Prr. defert. Qui vbi rem haud vanam esse certis indiciis compererunt consultis senioribus & auctoritate eorum præsidio ad fores posito, ingressos curiam Themestium atque Andronodorum interfecerunt & cùm tumultus ab re in speciem atrociore caussam aliis ignorantibus ortus esset: silentio tandem facto, indicem in curiam introduxerunt. Qui cùm ordine omnia edocuisset, & principium coniurationis factum ab Harmoniæ Gelonis filiæ nuptiis, quibus Themistio iuncta esset: Afrorum Hispanorúmque auxiliares instructos ad cædem prætorum principiumque aliorum: bonáque eorum prædæ futura interfectoribus pronuntiatum: iam mercenariorum manum assuetam imperiis Andronodori paratam fuisse ad insulam rursus occupandam: singula deinde, quæ per quosque agerentur, totámque viris armísque instructam coniurationem antè oculos posuisset: senatui quidem tam iure cæsi, quàm Hieronymus, videbantur. Ante curiam variæ atque incertæ rerum multitudinis clamor erat. quàm ferociter minitantem in vestibulo curiæ corpora coniuratorum eo metu compresserunt: vt silentes integram plebem in concionem sequerentur. Sopatro mandatum ab senatu, & ab collegis, vt verba faceret. Is (tanquam reos agebat) àb antè acta vita orsus, quæcunque post Hieronis mortem scelestè atque impiè facta essent, Andronodorum ac Themestium arguit fecisse. Quid enim sua sponte fecisse Hieronymum puerum, ac vixdum pubescentem facere potuisse? tutores ac magistratus eius sub aliena inuidia regnasse. itaque aut ante Hieronymum, aut certè cum Hieronymo perire eos debuisse. At illos debitos iam morti destinatosque, alia noua scelera post mortem tyranni molitos. palam primo, cum clausis Andronodorus insulæ portis, hereditatem regni creuerit: quæque procurator tenuerat, pro domino possederit. proditus deinde ab eis qui in insula erant, circumsessus ab vniuersa ciuitate, quæ Acradinam tenuerit: nequicquam palam atque apertè petitum regnum, clam & dolo affectare conatus sit. & ne beneficio quidem atque honore potuerit vinci, cum inter liberatores patriæ insidiator ipse libertatis creatus esset Prætor. Sed animos eis regios, regias coniuges fecisse: alteri Hieronis, alteri Gelonis filias nuptas. Sub hanc vocem ex omnibus partibus concionis clamor oritur, nullam earum viuere debere: nec quenquam superesse tyrannorum stirpis. Hæc natura multitudinis est: aut seruit humiliter, aut superbè dominatur. libertatē, quæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt, & non fermè desunt irarum indulgentes ministri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem & cædes irritent: sicut tum extemplo Prætores rogationem promulgarunt. acceptáque pene prius quàm promulgata est, vt omnis regia stirps interficeretur, missique à Prr. Demaratam Hieronis, & Harmoniam Gelonis filias, coniuges Andronodori & Themistij, interfecerunt. Heraclea erat filia Hieronis, vxor Sosippi: qui legatus ab Hieronymo ad regem Ptolemæum missus, voluntarium consciuerat exsilium. Ea cum ad se quoque venire præscisset, in sacrarium ad penates confugit, cum duabus filiabus virginibus, resolutis crinibus, miserabilique alio habitu: & ad ea addidit preces, nunc per memoriam Hieronis patris, Gelonisque fratris, ne se innoxiam inuidia Hieronymi conflagrare sinerent. nihil se ex regno illius, præter exsilium viri habere. neque fortunam suam eandem viuo Hieronymo fuisse, quam sororis: neque interfecto eo caussam eandem esse. Quid, quod si Andronodoro consilia processissent: illa cum viro fuerit regnatura, sibi cum ceteris seruiendum? Si quis Sosippo nuntiet interfectum Hieronymum, ac liberatas Syracusas, cui dubium esse, quin extemplo conscensurus sit nauim, atque in patriam rediturus? Quantum spes hominem fallit: in liberata patria coniugem eius, ac liberos de vita dimicare? quid obstantes libertati, aut legibus? quod ab se cuiquam periculum à sola, ac propè vidua, & puellis in orbitate degentibus esse? At enim periculi quidem nihil ab se timeri: inuisam tantum regiam stirpem esse. Ablegarent ergo procul ab Syracusis, Siciliáque, & asportari Alexandriam iuberent ad virum vxorem, ad patrem filias. Auersis auribus animisque, classe ne tempus tereretur (ferrum enim quosdam expedientes cernebat) tum omissis pro se precibus, puellis vt saltem parcerent, orare instititit: à qua ætate etiam hostes irati abstinerent, ne tyrannos vlciscendo, quæ odissent scelera, ipsi imitarentur. Inter hæc abstractam à penetralibus iugulant. in virgines deinde respersas matris cruore, impetum faciunt: quæ alienata mente simul luctu metuque, velut captæ furore occursu se ex sacrario proripuerunt, vt si effugium patuisset in publicum, impleturæ vrbem tumultu fuerint. tum quoque haud magno ædium spatio inter medios tot armatos aliquoties integro corpore euaserunt. renentibusque, cum tot ac tam validæ eluctandæ manus essent: sese eripuerunt. tandem vulneribus confectæ, cum omnia replessent sanguine, exanimes corruerunt cædémque per se miserabilem, miserabiliorem casus fecit: quod paulo pòst nuntius venit, mutatis repentè ad misericordiam animis, ne interficerentur. Ira deinde ex misericordia orta: quod adeo festinatū ad supplicium, neque locus pœnitendi, aut regressus ab ira relictus esset. itaque fremere multitudo, & in locum Andronodori ac Themistij (nam ambo Prr. fuerant) comitia poscere, quæ nequaquam ex sententia prætorum futura essent. Statutus est comitiis dies: quo nec opinantibus omnibus, vnus ex vltima turba Epicidem nominauit: tum inde alius Hippocratem. crebriores deinde eæ voces, & cum haud dubio assensu multitudinis

tudinis esse. Et erat confusa concio, non populari modo, sed militari quoque turba, magna ex parte etiam perfugis, qui omnia nouare cupiebant, permistis. Prætores dissimulare primo, & trahendam rē esse: postremò victi consensu,& seditionem metuentes, pronuntiant eos prætores. Nec illi primo statim creati nudare qui vellent: quanquam ægrè ferebant, & de induciis dierum decem legatos isse ad Appium Claudium: & impetratis eis, alios qui de fœdere antiquo renouando agerent, missos. Ad Murgantiam tum classem nauium centum Romanus habebat, quò euaderent motus ex cædibus tyrannorum orti Syracusis, quove eos ageret noua atque insolita libertas, opperiens. Per eosdem dies cum ad Marcellum venientem in Siciliam legati Syracusani missi ab Appio essent, auditis conditionibus pacis: Marcellus posse rem conuenire ratus, & ipse legatos Syracusas, qui coram cum prætoribus de renouādo fœdere agerent, misit. Et iā ibi nequaquam eadem quies & tranquillitas erat. postquam Punicam classem accessisse Pachynum allatum est: demto timore Hippocrates & Epicides nunc apud mercenarios milites, nunc apud transfugas prodi Romanis Syracusas criminabantur. At verò Appius naues ad hostium portus, quid aliæ partis hominibus animi accederet, operiens, in statione habere cœpit. Ingens in speciem criminibus vanis accesserat fides: ac primo etiam tumultuosè decurrerat multitudo ad prohibendos, si in terram egrederentur. In hac turbatione rerum, in concionē vocari placuit, vbi cum alij aliò tenderent, ne procul à seditione res esset, Appollonides principum vnus orationem salutarem, vt in tali tempore, habuit: Nec spem salutis, nec perniciem propiorem vnquam ciuitati vlli fuisse. si enim vno animo omnes vel ad Romanos, vel ad Carthaginienses inclinent, nullius ciuitatis statum fortunatiorem, gratiorémve fore, si alia aliò trahat res, non inter Pœnos Romanosque bellū atrocius fore, quàm inter ipsos Syracusanos: cum intra eosdem muros pars vnaquęque suos exercitus, sua arma, suos habitura sit duces. itaque vt idem omnes sentiant, summa vi agendum esse. vtra societas sit vtilior, longè minoris adeo rem momenti consultatione esse: sed tamen Hieronis potius quàm Hieronymi auctoritatem sequendam in sociis legendis, vel quinquaginta annis feliciter expertam amicitiam, nunc incognitæ, quondam infideli, præferendam. Esse etiam momēti aliquid ad consilium, quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, vt non vtique in pręsentia bellum cum eis geratur: cum Romanis extemplo aut pacem aut bellum habendum. Quo minus cupiditatis ac studij visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. Adiectum est prætoribus ac delectis senatorum militare etiam consilium, iussi & duces ordinum pręfectique auxiliorum simul consulere. Cum sæpe acta res esset mediis certaminibus: postremò, quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla apparebat, pacem fieri placuit, mittique cum eis legatos ad rem confirmandam. Dies haud ita multi intercesserant, cum ex Leontinis legati præsidium finibus suis orantes venerunt. Legatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam, ducésque eius ablegandos. Hippocrates Pr. ducere eò trāsfugas iussus: secuti multi ex auxiliis mercenariis, quatuor millia armatorum effecerunt. Et mittentibus & missis ea læta expeditio fuit. nam & illis, quod iam diu cupiebant, nouandi res occasio data est: & hi sentinam quandam vrbis rati exhaustam, lætabantur. ceterum leuauerunt

A modo in præsentia velut corpus ægrum, quo mox in grauiorem morbum recideret. Hippocrates enim finitima prouinciæ Romanæ primo furtiuis excursionibus vastare cœpit: deinde cum ad tuendos sociorum agros missum ab Appio præsidium esset, omnibus copiis impetum, in oppositam stationem cum cæde multorum fecit. Quæ cum essent nuntiata Marcello, legatos extemplo Syracusas misit, qui pacis fidem ruptam esse dicerent: nec belli defuturam vnquam caussam, nisi Hippocrates atque Epi-
B cides non ab Syracusis modo, sed tota procul Sicilia ablegarentur. Epicides ne aut reus criminis absentis fratris præsens esset, aut deesset pro parte sua concitando bello: profectus & ipse in Leontinos, quia satis eos aduersus P.R. concitatos cernebant: auertere etiam ab Syracusis cœpit. Nam ita eos pacem pepigisse cum Romanis, vt quicunque populi sub regibus fuissent, & suæ ditionis essent: nec iam libertate contentos esse, nisi etiam regnent ac dominentur. Renuntiandum igitur eis esse, Leontinos quoque æ-
C quum censere liberos esse: vel quod in solo vrbis suæ tyrannus ceciderit: vel quod ibi primum conclamatum ad libertatem, relictisque regiis ducibus, Syracusas sit concursum. Itaque aut eximendum id de fœdere esse, aut legem eam fœderis non accipiendam. Facilè multitudini persuasum, legatisque Syracusanorum & de cæde stationis Romanæ quærentibus, & Hippocratem atque Epicidem abire, seu Locros, seu quò aliò mallent, dum modò Sicilia cederent, iubentibus, ferociter responsum est: Neque
D mandasse sese Syracusanis, vt pacem pro se cum Romanis facerent, neque teneri alienis fœderibus. Hæc ad Romanos Syracusani detulerunt, abnuentes Leontinos in sua potestate esse. itaque integro secum fœdere, bellum Romanos cum iis gesturos, neque sese defuturos ei bello: ita, vt in potestatem redacti, suæ rursus ditionis essent, sicut pax conuenisset. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, Appio quoque accito, vt altera parte aggrederetur, tanto ardore militum est vsus, ob iram inter conditiones pacis interfectæ stationis, vt primo impetu vrbem expugnarent. Hippocrates atque
E Epicides, posteaquam capi muros, refringique portas viderunt, in arcem sese cum paucis recipere. inde clam nocte Herbesum perfugiunt. Syracusanis octo millium armatorum agmine profectis domo, ad Mylam flumen nuntius occurrit, captam vrbem esse, cetera falsa mista veris ferens: cædem promiscuam militum atque oppidanorum factam, nec quenquam puberem arbitrari superesse: direptam
F vrbem, bona locupletum donata. ad nuntium tam atrocem constitit agmen: concitatisque omnibus, duces (erant autem Sosis ac Dinomenes) quid agerent, consultabant. Erroris speciem haud vanam mendacio præbuerant verberati ac securi percussi transfugæ ad duo millia hominum. Leontinorum militumque aliorum nemo post captam vrbem violatus fuerat: suaque omnia eis, nisi quæ primus tumultus captæ vrbis absumserat, restituebantur. Nec vt in Leontinos irent, proditos ad cædem
G commilitones quærentes perpelli potuere: nec vt eodem loco certiorem nuntium exspectarent. Cum ad defectionem inclinatos animos cernerent Prr. sed eum motum haud diuturnum fore, si duces amentię sublati essent, exercitum ducunt Megaram: ipsi cū paucis equitibus Herbesū proficiscuntur, spe territis omnibus, per proditionem vrbis potiundæ: quod vbi frustra eis fuit inceptum, vi agendum rati, postero die Megaris castra mouent, vt Herbesum omnibus copiis oppugnarent. Hippocrates &

Epicides non tam tutum prima specie, q[illegible]
spe, vndique abscissa, consilium esse rati, vt se mili-
tibus permitterent, & assuetis magna ex parte sibi,
& tum fama cędis commilitonum accensis, obuiam
agmini procedunt. Prima forte signa sexcentorum
Cretensium erant, qui apud Hieronymum meruc-
rant sub eis, & Annibalis beneficium habebant, ca-
pti ad Thrasymenũ inter Romana auxilia, dimissiq.
quos vbi ex signis armorúmque habitu cognouere,
Hippocrates atque Epicides, ramos oleæ, ac vela-
menta alia supplicum porrigentes: orare, vt recipe-
rent sese, receptosque tutarentur neu proderent Sy-
racusanis, à quibus mox ipsi trucidandi P. R. dede-
rentur. enimuero conclamant, bonum vt animum
haberent, omnem secum illis fortunam subituros.
Inter hoc colloquium signa constiterant, teneba-
túrque agmen: nec d[illegible]m quæ moræ caussa foret, per-
uenerat ad duces. Postquam Hippocratem atque
Epicidem adesse persuasit rumor, fremitúsque toto
agmine erat, haud dubiè approbantium aduentum
eorum extemplo Prr. citatis equis ad prima signa
perrexerunt: qui mos ille, quę licentia Cretensium
esset rogitantes, colloquia serendi cum hoste, in-
iussúque prætorum miscendi eos agmini suo? com-
prehendi vincirique catenis iusserunt Hyppocra-
tem, ad quam vocem tantus extemplo primum à
Cretensibus clamor est ortus, deinde exceptus ab
aliis, vt facilè, si vltra tenderent, appareret eis ti-
mendum esse. Soliciti incertique rerum suarum
Megaram, vnde profecti erant, referri signa iu-
bent, nuntiosque de statu præsenti Syracusas mit-
tunt. Fraudem quoque Hippocrates addit inclinatis
ad omnem suspicionem animis: & Cretensium qui-
busdã ad itinera insidẽda missis velut interceptas li-
teras, quas ipse composuerat, recitat. Prr. Syracusani
Marcello suo S. Secundum salutem, vt assolet, scri-
ptum erat rectè eum atque ordine fecisse, quod in
Leontinis nulli pepercisset: sed omnium merce-
nariorum militum eandem esse caussam: nec vn-
quam Syracusas quieturas, donec quicquam exter-
norum auxiliorum, aut in vrbe aut in exercitu suo
esset. Itaque daret operam, vt eos qui cum suis præ-
toribus castra ad Megaram haberent, in suam po-
t[illegible] statem redigeret, ac supplicio eorum liberaret
tand[illegible]m Syracusas. Hæc cùm recitata essent, tanto
clamore ad arma discursum est, vt prætores inter tu-
multum pauidi obequitauerint Syracusas, & ne fu-
ga quidem eorum seditio compressa est, impetusque
in Syracusanos milites fiebat. nec ab vllo tempe-
ratum foret, ni Epicides atque Hippocrates irę mul-
titudinis obuiam issent: non à misericordia, aut hu-
mano consilio: sed ne sp[illegible]m reditus præciderent sibi
& cùm ipsos simul milites fidos haberent simul
obsides: tum cognatos quoque eorum atque ami-
cos tanto merito primum, dein pignore sibi con-
ciliarent, expertique, quàm vana aut leui aura mo-
bile vulgus esset, militem nacti ex eo numero qui
in Leontinis circumsessi erant, subornant, vt Syra-
cusas perferret nuntium conuenientem eis, quæ ad
Mylam falso nuntiata erant: auctorémque se exhi-
bendo, ac velut visa quæ dubia erant narrando, con-
citaret iras hominum. Huic non apud vulgum mo-
do fides fuit, sed senatum quoque in curiam intro-
ductus mouit, vt vani quidã homines palam ferrent,
perbene detectam in Leontinis esse auaritiam &
crudelitatem Romanorum. eadem, si intrassent Sy-
racusas, aut fœdiora etiam, quo maius ibi auaritiæ
præmium esset, facturos fuisse. Itaque claudendas
cuncti portas, & custodiendã vrbem censere. sed non
ab eisdem omnes timere, nec eosdem odisse. apud

A militares penè omnes, partémque magnam plebis
inuisum esse nomen Romanum. prætores, opti-
matumque pauci, quanquam inflati vano nuntio
erant, tamen ad propius præsentiusque malum
cautiores esse. Et iam ad Hexapylum erant Hip-
pocrates atque Epicides: serebanturque colloquia
per propinquos popularium qui in exercitu erant,
vt portas aperirent, sinerentque communem pa-
trium defendi ab impetu Romanorum. Iam vnis
foribus Hexapyli apertis, cœpti erant recipi, cùm
Prr. interuenerunt. & primo imperio minisque,
B deinde auctoritate deterrendo, postremo, vt omnia
vana erant, obliti maiestatis, precibus agebant, ne
proderent patriam tyranni antè satellitibus, & tum
corruptoribus exercitus. Sed surdæ adeò omniũ au-
res concitatę multitudinis erãt, quod nõ minore in-
tus vi, quã foris portæ effringerẽtur, effractisq. omni-
bus tuto in Hexapylo agmen receptum est. Prr. in
Acradinam cum iuuentute popularium confugiunt
mercenarij milites, perfugęque & quicquid regio-
rum militum Syracusis erat, agmen hostium au-
gent. Ita Acradina quoque primo impetu capitur,
C prætorésque, nisi qui inter tumultum effugerunt,
omnes interficiuntur. nox cædibus finem fecit. Po-
stero die serui ad pileum vocati & carcere vincti, e-
missi, confusaq. omnis multitudo Hippocratem at-
que Epicidem creant prætores Syracusæq. cum bre-
ue tempus libertas affulsisset, in antiquam seruitu-
tem reciderunt. Hæc nuntiata cum essent Romanis,
ex Leontinis mota sunt extemplo castra ad Syra-
cusas. Et ab Appio legati per portum missi fortè in
quinqueremi erant. præmissa quadriremis cum in-
D trasset fauces portus, capitur. legati ægrè effugerunt.
Et iam non modo pacis, sed ne belli quidem iura
relicta erãt cùm Romanus exercitus ad Olympium
(Iouis id templum est) mille & quingentis passibus
ab vrbe castra posuit. inde quoque legatos præmit-
ti placuit. quibus ne intrarent vrbem, extra por-
tam Hippocrates atque Epicides obuiam cum suis
processerunt. Romanus orator non bellum se Syra-
cusanis, sed opem auxiliumque afferre ait: & iis
qui ex media cæde elapsi perfugerint ad se, & eis
qui metu oppressi, fœdiorem non exsilio solum, sed
etiam morte seruitutem patiantur. Nec cæd[illegible]m ne-
E fandam sociorum inultam Romanos passuros. Itaq.
si eis qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus
pateret, ac cædis auctores dedantur, & libertas le-
gésque Syracusanis restituantur, nihil armis opus
esse: si ea non fiant, quicunque in mora sit, bello
persecuturos. Ad ea Epicides, si qua ad se mandata
haberent, responsum eis ait se daturos fuisse. cùm in
eorum, ad quos venerint, manu res Syracusana es-
set, tum reuerterentur. Si bello lacessant, ipsa re in-
F tellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac
Leontinos oppugnare. Ita legatis relictis portas
clausit. Inde terra marique simul cœptæ oppugnari
Syracusæ: terra ab Hexapylo, mari ab Acradina, cu-
ius murus fluctu alluitur. & quia sicut Leontinos
terrore ac primo impetu ceperant, non diffide-
bant vastam disiectámque spatio vrbem parte ali-
qua se inuasuros, omnem apparatum oppugnan-
darum vrbium muris admouerunt. Et habuisset
tanto impetu cœpta res fortunam, nisi vnus ho-
G mo Syracusis ea tempestate fuisset. Archimedes
is erat, vnicus spectator cœli, siderumque: mi-
rabilior tamen inuentor ac machinator bellico-
rum tormentorum, operumque quibus ea quæ
hostes ingenti mole agerent, ipse perleui momen-
to ludificaretur. Murum per inæquales ductum
colles, pleraque alta & difficilia aditu, summis-

sa quæ-

sa quædam: & quæ planis vallibus adiri possent, vt cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Acradinæ murum, qui, vt antè dictum est, mari alluitur, ex quinqueremibus Marcellus oppugnabat. ex ceteris nauibus sagittarij funditoresque, & velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est, vix quenquam sine vulnere consistere in muro patiebantur. Hi, quia spatio missilibus opus est, procul tenebant naues, iunctæ aliæ binæ ad quinqueremes, demtis interioribus remis, vt latus lateri applicaretur: cum exteriore ordine remotum velut naues agerentur, turres cõtabulatas, machinamentáq; alia quatiendis muris portabant. Aduersus hunc naualem apparatum, Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit, in eas quæ procul erant naues, saxa ingenti pondere emittebat: propiores leuioribus, eoque magis crebris petebat telis. postremo vt sui vulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris cubitalibus ferrè cauis aperuit: per quæ caua pars sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quæ propius quidem subibant naues, quo interiores ictibus tormentorum essent: iis eas tollendas desuper murum eminentem ferrea manus firmæ catenæ illigata, cum iniecta proræ esset, grauíque libramento plumbi recelleret ad solum, suspensa priora, nauim in puppim statuebat. dein remissa subito, velut ex muro cadentem nauim cum ingenti trepidatione nautarum ita vndæ affligebant, vt etiam si rectà recideret, aliquantum aquæ acciperet. Ita maritima oppugnatio est elusa, omnisque vis est auersa, vt totis viribus terra aggrederentur. sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis impensis curâque per multos annos, Archimedis vnica arte. natura etiam adiuuabat loci: quod saxum, cui imposita muri fundamenta sunt, magna ex parte ita procliue est, vt non solum missa, sed etiam quæ pondere suo prouoluta essent, grauiter in hostem inciderent. eadem caussa ad subeundum arduum aditum, instabilémque ingressum præbebat. Ita consilio habito, cum omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione, atque obsidendo tantum arcere terra marique commeatibus hostem placuit. Interim Marcellus cum tertia ferè parte exercitus ad recipiendas vrbes profectus, quæ in motu rerum ad Carthaginienses defecerant, Helorum atque Herbesum dedentibus ipsis recepit. Megaram vi captam diruit ac diripuit, ad reliquorum ac maximè Syracusanorum terrorem. Per idem ferè tempus & Himilco, qui ad Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant Minoam, quinque & viginti millia peditum, tria equitum, XII. elephantos exposuit. Nequaquàm cum tantis copiis ante tenuerat ad Pachynum classem: sed postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ erat profectus Carthaginem, accitúsque ibi & ab legatis Hippocratis, & literis Annibalis, qui venisse tẽpus aiebant Siciliæ per summũ decus repetendæ: & ipse haud vanus præsens monitor facilè perpulerat, vt quantæ maximæ possent peditum equitumque copiæ in Siciliam traicerentur. Adueniens Heracleam, intra paucos dies inde Agrigentum recepit, aliarumque ciuitatum quæ partis Carthaginiensium erant, adeo accensæ sunt spes ad pellendos Sicilia Romanos, vt postremo etiam qui obsidebantur Syracusis animos sustulerint, & parte copiarum satis defendi vrbem posse rati, ita inter se munera belli partiti sunt, vt Epicides præesset custodiæ vrbis: Hippocrates Himil-

A coni coniunctus, bellum aduersus Cos. Romanos gereret. Cum decem millibus peditum, quingentis equitibus nocte per intermissa custodiis loca profectus, castra circa Accillas vrbem ponebat. Munientibus superuenit Marcellus, ab Agrigento iam occupato, cum frustra eò peruenire hostem festinans tetendisset, rediens: nihil minus ratus, quàm illo tempore ac loco Syracusanum sibi exercitum obuiam fore, sed tamen metu Himilconis Pœnorumque, vt quibus nequaquam eis copiis quas ha- B bebat, par esset, quàm poterat maximè intentus, atque agmine ad omnes casus composito ibat. Fortè ea cura, quæ erat aduersus Pœnos præparata, aduersus Siculos vsui fuit. Castris ponendis incompositos ac dispersos nactus eos, & plerosque inermes, quod peditum fuit, circumuenit. eques leui certamine inito, cum Hippocrate Acras perfugit. Ea pugna deficientes ab Romanis cum cohibuisset Siculos, Marcellus Syracusas rediit: & post paucos dies Himilco adiuncto Hippocrate ad flumen A- C natim octo fermè inde millia castra posuit. Sub idem ferè tempus & naues longæ quinque & quinquaginta Carthaginiensium cum Bomilcare classis præfecto in magnum portum Syracusas ex alto decurrere: & Romana item classis XXX. quinqueremes legionem primam Panormi exposuere: versumque ab Italia bellum, adeò vterque populus in Siciliam intentus fuisse videri poterat. Legionem Romanam, quæ exposita Panormi erat, venientem Syracusas prædæ haud dubiè sibi futuram Himilcò D ratus, via decipitur. mediterraneo námque Pœnos itinere duxit: legio maritimis locis classe prosequente ad Appium Claudium Pachynum cum parte copiarum obuiam progressum, peruenit. Nec diutius Pœni Syracusis morati sunt. & Bomilcar simul parum fidens nauibus suis, duplici facilè numero classe aduentantibus Romanis, simulque inutili mora cernens nihil aliud ab suis, quàm inopia aggrauari socios, velis in altum datis in Africam transmisit. & Himilco secutus nequicquam Mar- E cellum Syracusas, si qua prius quam maioribus copiis iungeretur, occasio pugnandi esset: postquam ea nulla contigerat, tutumque ad Syracusas & munimento & viribus hostem cernebat: ne frustra assidendo, spectandoque obsidionem sociorum, tempus tereret, castra inde mouit: vt quocunque vocasset defectionis ab Romanis spes, admoueret exercitum, ac præsens suas res fouentibus adderet animos. Murgantiam primum, prodito ab ipsis præsidio Romano, recepit: vbi frumenti magna F vis, commeatusque omnis generis conuecti erant Romanis. Ad hanc defectionem erecti sunt & aliarum ciuitatum animi: præsidiáque Romana aut pellebantur arcibus, aut prodita per fraudem opprimebantur. Ænna in excelso loco ac prærupto vndique sita, cùm loco expugnabilis erat, tum præsidium in arce validum, præfectumque præsidij haud sane opportunum insidiantibus habebat. L. Pinarius erat vir acer, & qui plus in eo, ne posset decipi, quàm in fide Siculorum reponeret. & tum G intenderant eum ad cauendum omni cura tot auditæ proditiones defectionésque vrbium, & clades præsidiorum. itaque nocte diéque iuxta parata instructáque omnia custodiis ac vigiliis erant: nec ab armis aut loco suo miles abscedebat. Quod vbi Ænnensium principes iam pacti cum Himilcone de proditione præsidij, animaduerterunt, nulli occasioni fraudis Romanum patere, apertè ac propalam placuerat agendum. Vrbem arcémque suæ potestatis aiunt debere esse, si liberi in societatem,

non serui in custodiam traditi essent Romanis. itaq. A claues portarū reddi sibi æquū censent, bonis sociis fidē suam maximū vinculū esse:& ita sibi populum Romanū senatúmq; gratias habiturū, si volentes, ac non coacti mansissent in amicitia. Ad ea Romanus, se in præsidio impositum esse dicere, ab imperatore suo clauésque portarum & custodiam arcis ab eo accepisse, quæ nec suo, nec Æunensium arbitrio haberet, sed eius qui commisisset præsidio decedere apud Romanos capitale esse: & necē liberorum etiam suorum eam legem parentes sanxisse consulem Marcellum haud procul esse ad eum mitterent le- B gatos, cuius iuris atque arbitrij esset. Se verò negare illi missuros: testarique, si verbis nihil agerent, vindictam aliquam libertatis suæ quæsituros. Tum Pinarius ait illis, si ad consulem grauarentur mittere, sibi saltem darent populi consilium: vt sciretur, vtrum paucorum ea denuntiata, an vniuersæ ciuitatis essent. Consensu in posterum diem concio edicitur. Postquam ab eo colloquio in arcem sese recepit, cōuocatis militibus: Credo ego vos audisse milites C inquit, quemadmodum præsidia Romana ab Siculis circumuenta & oppressa sint, per hos dies eam vos fraudem, deūm primo benignitate, dein vestra ipsi virtute, dies noctésq. perstando ac peruigilando in armis, vitastis. vtinam reliquum tempus nec patiendo infanda, nec faciendo traduci possit. Hæc, occulta fraude, cautio est: qua, quia adhuc minus cuiquam successit, apertè ac propalam claues portarum reposcunt. quas simul tradiderimus, Carthaginiensium extemplo Ænna erit: fœdiúsque D his trucidabimur, quàm Murgantiæ præsidium interfectum est. Noctem vnam ægre ad consultandum sumsi, qua vos certiores periculi instantis facerem. Orta luce concionem habituri sunt ad criminandum me, concitandúmq. in vos populū. itaq. crastino die, aut vestro, aut Ænnensium sanguine Ænna inundabitur. nec præoccupati, peculij: nec occupantes, periculi quicquam habetis. qui prior strinxerit ferrum, eius victoria erit. Intenti ergo omnes armatique signum exspectabitis. ego in cō- E cione ero: & tempus quo ad omnia instructa sint, loquendo altercandoque traham, cùm toga signum dedero, tum mihi vndique clamore sublato turbam inuadite, ac sternite omnia ferro: & cauete ne quisquam ex iis supersit, à quibus aut vis aut fraus timeri possit. Vos Ceres mater ac Proserpina precor, ceteri superni infernique dij, qui hanc vrbem, hos sacratos lacus lucosque colitis, vt ita nobis volentes propitij adsitis, si vitandæ, non inferendæ fraudis caussa hoc consilij capimus. Pluribus vos milites F hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset. inermes, incautos ad satietatem trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt, ne quid ab Himilcone & Carthaginiensibus timeri possit. Ab hac adhortatione dimissi, corpora curant. Postero die alij aliis locis ad obsidenda itinera, claudendosque oppidanis exitus, pars maxima super theatrum circáque assueti & ante spectaculis concionum, consistunt. Productus ad populum à magistratibus præfectus Romanus, cum consulis ea de re ius ac potestatem G esse, non suam & pleraque eadem quæ pridie prius dixisset: primo sensim ac plures reddere claues, dein iam vna voce id omnes iuberent, cunctantique ac differenti ferociter minitarentur, nec viderentur vltra vim vltimam dilaturi: tum præfectus toga signum, vt conuenerat, dedit. militésque intenti dudum ac parati, alij supernè in aduersam concionem clamore sublato decurrunt, alij ad exitus theatri cōferti obsistū. Cęduntur Ænnenses cauea inclusi

coaceruanturq. non cæde solū, sed etiā fuga alij super aliorū capita ruerent, atq. integri sauciis, viui mortuis incidētes cumularentur. Indè passim discurritur & vrbs captæ modo fugáq. & cedes omnia tenet nihilo remissiore militū ira, quod iure turbā inermem cædebát, quàm si periculum par & ardor certaminis eos irritaret. Ita Ænna aut malo necessario facinore retēta, Marcellus nec factū improbauit, & prædam Ænnensiū militibus cōcessit ratus timore deterritos tēperaturos proditionibus pręsidiorū Siculos. Atq. ea clades vt vrbis in media Sicilia sitę claręq. vel ob insignem munimento naturali locum, vel ob sacrata omnia vestigiis raptæ quondam Proserpinæ, prope vno die omnem Siciliam persuasit. & quia cæde infanda rebantur nōn hominum tantum, sed etiam deorum sedem violatam esse: tum verò qui etiam antè dubij fuerant, defecere ad Pœnos. Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese recepit, cum acciti à proditoribus nequicquam ad Ænnam exercitum admouissent. Marcellus retrò in Leontinos redit: frumentoque & commeatibus aliis in castra conuectis, præsidio modico ibi relicto, ad Syracusas obsidendas venit. inde Appio Claudio Romam ad consulatum petendum misso, T. Quintium Crispinum in eius locum classi castrisque præfecit veteribus ipse hybernacula quinque millia passuum ab Hexapylo (Leontiam vocant) locum communiit, ædificauitque. Hæc in Sicilia vsque ad principium hyemis gesta. Eadem æstate & cum Philippo rege, quod iam antè suspectum fuerat, motum bellum est. Legati ab Orico ad M. Valerium Pr. venerunt, præsidentem classi Brundusio, Calabriæque circa littoribus, nunciantes Philippum primum Apolloniam tentasse, leuibus biremibus C X X. flumine aduerso subuectum: deinde, vt ea res tardior spe fuerit, ad Oricum clam nocte exercitum admouisse: eámque vrbem sitam in plano, neque mœnibus, neque viris, neque armis validam, primo impetu oppressam esse. Hæc nuntiantes, orabant vt opem ferret, hostémque haud dubium Romanis, terra aut maritimis viribus arceret, qui ob nullam aliam caussam, nisi quòd imminerent Italiæ, peterentur, M. Valerius præsidio loci eius relicto T. Valerio legato, cum classe instructa paratáque, & quod longæ naues militum capere non poterant, in onerarias impositis, altera die Oricum peruenit: vrbémque eam leui tenente præsidio, quod recendens inde reliquerat Philippus, haud magno certamine recepit. Legati eo ab Apollonia venerunt nuntiantes, in obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse neque sustinere vltra vim Macedonum posse, nisi præsidium mittatur Romanum. Facturum se quæ vellent pollicitus, mille delectorum militum nauibus longis mittit ad ostium fluminis cum præfecto socium Næuio Crispo, viro impigro, & perito militiæ. Is expositis in terram militibus, nauibusque Oricum retro vnde venerat ad ceteram classem remissis, milites procul à flumine per viam minimè ab regiis obsessam duxit: & nocte ita vt nemo hostium sentiret, vrbem est ingressus. Die insequenti quieuere dum præfectus iuuentutem Apolloniatum, arma, & vrbis vires inspiceret. vbi ea visa inspectáque satis animorum fecere, simulque ab exploratoribus comperit, quanta socordia ac negligentia apud hostes esset: silentio noctis ab vrbe sine vllo tumultu egressus, castra hostium adeò neglecta atque aperta intrauit, vt satis constaret prius plus mille hominū vallum intrasse, quàm quisquā sētiret: ac si cęde abstinuisset, peruenire ad tabernaculū regiū potuisse

tuisse. Cædes proximorum portæ excitauit hostes. Inde tantus terror pauorque omnes occupauit, vt nō modò alius quisquam arma caperet, aut castris pellere hostem conaretur: sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, propè seminudus fugiēs, militi quoque nedum regi vix decoro habitu, ad flumen nauésque perfugerit. eodem & alia turba effusa est. Paulo minus tria millia militum in castris aut capta, aut occisa. plus tamen hostium aliquanto captum, quàm cæsum est. Castris direptis, Apolloniatæ catapultas, balistas, tormentáque alia, quæ oppugnandæ vrbi comparata erant, ad tuenda mœnia, si quando similis fortuna venisset, Apolloniam deuexere. cætera omnis præda castrorum Romanis concessa est. Hæc cùm Oricum essent nuntiata, M. Valerius classem extemplo ad ostium fluminis duxit, ne nauibus capessere fugam rex posset: itaque Philippus neque terrestri neque nauali certamine satis fore parem se videns, subductis aut incensis nauibus, terra Macedoniam petiit, magna ex parte inermi exercitu, spoliatoque. Romana classis cum Marco Valerio Orici hybernauit. Eodem anno in Hispania variè res gestæ. nam prius quàm Romani amnem Iberum transirent, ingentes copias Hispanorum Mago & Asdrubal fuderunt. defecissétque ab Romanis vlterior Hispania, ni Publius Cornelius raptim traducto exercitu Iberum, dubiis sociorum animis in tempore aduenisset. Primò ad castrum Altum (locus est insignis cæde magni Amilcaris) castra Romani habuere. Arx erat munita, & conuexerant antè frumentū. tamen quia omnia circa hostium plena erāt, agménque Romanum impunè incursatum ab equitibus hostium fuerat, & ad duo millia aut moratorum, aut palantium per agros interfecta: cessere inde Romani propius pacata loca, & ad montem Victoriæ castra communiuere. Eò Cn. Scipio cum omnibus copiis, & Asdrubal Gisgonis filius, tertius Carthaginiensium dux, cum exercitu iusto aduenit, contráque castra Romana trans fluuium omnes consedere. P. Scipio cum expeditis clam profectus ad loca circa visenda haud fefellit hostes: oppressissentque eum in patentibus campis, ni tumulum in propinquo cepisset. ibi quoq. circumsessus aduentu fratris obsidione eximitur. Castulo vrbs Hispaniæ valida ac nobilis, & adeo coniuncta societate Pœnis, vt vxor inde Annibali esset, ad Romanos defecit. Carthaginiēses Illiturgum oppugnare adorti, quia præsidium ibi Romanum erat, videbantúrque inopia cum locum maximè expugnaturi. Cn. Scipio vt sociis præsidioque ferret opem, cum legione expedita profectus, intra bina castra cum magna cæde hostium vrbem est ingressus. & postero die eruptione æquè felici pugnauit. supra duodecim millia hominum cæsa duobus præliis: plus decem millia capta, cum sex & triginta militaribus signis. ita ab Illiturgi recessum est obsidione. Bigerra inde vrbs (socia & hæc Romanorum erat) à Carthaginiensibus oppugnari cœpta est. Eam obsidionem sine certamine adueniens Cn. Scipio soluit. Ad Mundam exinde castra Punica mota. Et Romani eò confestim secuti sunt. Ibi signis collatis pugnatū per quatuor fermè horas, egregiéque vincentibus Romanis signum receptui est datum, quod Cn. Scipionis femur tragula confixum erat: pauorque circa cū ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. Cæterùm haud dubiū fuit, quin nisi ea mora interuenisset, castra eo die Punica capi potuerint. iā enim nō milites solū, sed elephanti etiā vsq. ad vallū acti erāt, supérque ipsos noué & triginta elephanti pilis confixi. Hoc quoq. prælio ad duodecim millia hominū dicuntur cæsa: propè tria

A millia capta, cum signis militaribus septem & quinquaginta. Ad Auringen inde Pœni recessere. & vt territis instaret, secutus Romanus. Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit nec dubia victoria fuit: minus tamen dimidio hostium quàm antea, quia pauciores superfuerant, qui pugnarent, occisum. Sed gens nata instaurandis reparandisque bellis, Magone ad conquisitionem militum à fratre misso, breui repleuit exercitū: animosque ad tētandum de integro certamē fecit. Alij plerique milites

B sicut pro parte toties intra paucos dies victa, eisdem animis quibus prius, eodémque euentu pugnauere. plus octo millia hominum cæsa: haud multo minus quàm mille capta: & signa militaria LVIII. & spolia plurima Gallica fuere: annuli aurei, torques, armillæque magnus numerus. duo etiam insignes reguli Gallorum (Mœnicapto & Ciuismaro nomina erant) eo prælio ceciderunt. octo elephanti capti, tres occisi. Cùm iam res prosperè in Hispania essent, verecūdia Romanos tandem cœpit: Saguntum deinde op-

C pidum quod caussa belli esset, octauum iam annum sub hostium potestate esse. itaq. id oppidum vi pulso præsidio Punico receperunt: cultoribúsque antiquis, quos vis reliquerat belli, restituerunt. & Turdetanus, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt, vrbémque eorum deleuere. Hæc in Hispania Q. Fabio, M. Claudio Coss. gesta: Romæ cùm tribuni plebis noui magistratum inissent, extemplo censoribus P. Furio, & M. Attilio à L.

D Metello tribuno plebis dies dicta ad populum est. quæstorem eum proximo anno ademto equo tribu mouerant, atque ærarium fecerant, propter coniurationem deserendæ Italiæ ad Cannas factam. sed nouem tribunorum auxilio vetiti caussam in magistratu dicere, dimissique fuerant. Ne lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furij. M. Attilius magistratu se abdicauit. Consularia comitia habita à Q. Fabio Maximo Cos. creati consules ambo absentes, Q. Fabius Maximus consulis filius, & T. Sempro-

E nius Gracchus iterum. Prætores fiunt M. Attilius, & qui tum ędiles curules erant, P. Sempronius Tuditanus, & Cn. Fuluius Centimalus, & M. Æmylius Lepidus. Ludos scenicos per quatriduū eo anno primū factos ab curulibus ædilibus, memoriæ proditur. Ædilis Tuditanus hic erat, qui ad Cannas, pauore aliis in tanta clade torpentibus, per medios hostes erupit. Comitiis perfectis, ab Q. Fabio Cos. designati cōsules Romā accersiti, magistratū inierūt: senatúmque de bello ac prouinciis suis, prætorúmque, &

F de exercitibus quibus quique præessent, consuluerunt. Itaque prouinciæ atque exercitus diuisi. Bellum vndecunque cum Annibale consulibus mandatū, & exercitus vnus, quē ipse Sempronius habuerat, alter quem Fabius Cos. ex binæ erant legiones. M. Æmylius Præt. cuius peregrina sors erat, iurisdictionem Attilio collegæ prætori vrbano mādarat, vt Luceriam prouinciam haberet, legionésque duas, quibus Q. Fabius, qui tum consul erat, prætor præfuerat. prætori Sempronio prouincia

G Ariminū, Cn. Fuluio Suessula, cū binis itē legionib. euenerūt: & Fuluius vrbanus legiones duceret, Tuditanus à M. Pomponio acciperet. Prorogata imperia prouinciæq. M. Claud. Sicilia. finib. eius quib. regnū Hieronis fuisset. Lētulo Propr. puincia vetus, T. Otacilio classis, exercitus nulli additi noui. M. Valerio Græcia Macedoniáque, cū legione & classe quā haberet: Q. Mutio cū vetere exercitu (duæ autē legiones erant) Sardinia. C. Terētio cum legione vna cui iam diu præerat, Picenum. Scribi prætereà duæ le-

giones vrbanæ iussæ, & viginti millia sociorum. His ducibus, his copiis aduersus multa simul aut mota aut suspecta bella munierût Romanum imperium. Consules duabus vrbanis legionibus scriptis, supplementoque in alias lecto, prius quàm ab vrbe mouerent, prodigia procurarunt, quæ nuntiata erant. Murus ac portæ tactæ:& Ariciæ etiam Iouis ædes de cœlo tacta fuerat. Et alia ludibria oculorũ auriúmque credita pro veris. nauium longarum species in flumine Tarracinæ, quæ nullæ erant, visæ. & in Iouis Vicilini templo, quod in Cosano agro est, arma B concrepuisse:& flumen Amiterni cruentum fluxisse. His procuratis ex decreto pontificum, profecti consules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius. Pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. cum ob obuiam filius progrederetur, lictorésque verecundiam maiestatis eius taciti anteirent, non summouentes patrem, præter vndecim fasces equo præuectus senex, vt consul animaduertere proximum lictorem iussit:& is, vt descenderet ex equo, inclamauit. tum demum desiliens. Experiri, inquit, volui fili, C satin' scires consulem te esse. In ea castra Crassius Altinius Arpinas clam nocte cum tribus seruis venit, promittens, si sibi præmio foret, se Arpos proditurum esse. Cùm eam tunc rem ad consilium retulisset, Fabius, aliis pro transfuga verberandus necandúsque videri, ancipitis animi communis hostis: qui post Cannensem cladem, tanquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem discessisset, traxisséque ad defectionem Arpos: tum posteaquam res Romana contra spem votáque eius velut resur- D geret, turpius videatur nouam referre proditionem, vt proditio pro septemuirali iudicio esset, sempérq. aliud sentiret. infidus socius vanus hostis ad Faleriorum Pyrrhíve proditorem, tertium transfugis documentum esset. Contra ea cõsulis pater Fabius, temporum oblitos homines in medio ardore belli, tanquam in pace libera de quoque arbitrari & agere aiebat: cũ illud potius agẽdũ, atq. eis cogitãdũ sit, si quo modo fieri possit, ne qui socij à populo Rom. desciscãt, & nõ voci ét. documẽtũ autẽ ducãt statui oportere, si quis resipiscat, & antiquã societatẽ respiciat E quod si abire ab Romanis liceat, redire ad eos nõ liceat, cui dubiũ esse, quin breui deserta ab sociis Romana res, fœderibus Punicis omnia in Italia iũcta visura sit? Se tamẽ non eũ esse, qui Altinio fidei quicquã censeat habendum, sed mediam consecuturum consilij viam. neque eum pro hoste, neq. pro socio in præsentia habitum, libera custodia haud procul à castris placere in aliqua fida ciuitate seruari per belli tempus. perpetrato bello tum consultandum, vtrum de- F fectio prior plus merita sit pœnæ, an hic reditus veniæ. Fabio assensum est, catenísque ligatus traditus & ipse & comites: & auri satis magnum pondus, quod secum tum attulerat, ei seruari iussum. Calibus eum interdiu solutum custodes sequebantur, nocte clausum asseruabant. Arpis domi primum desiderari quærique est cœptus: dein fama per totam vrbem vulgata, tumultum pro principe amisso fecit: metúque rerum nouarum extemplo nuncij ad Annibalem missi. Quibus nequa- G quam offensus Pœnus, quia & ipsum vt ambiguæ fidei virum suspectum iampridem habebat, & caussam nactus erat tam ditis hominis bona possidendi, vendendíque. ceterum vt iræ magis quàm auaritiæ datum crederent homines, crudelitati quoque grauitatem addidit: coniugémque eius ac liberos in castra accitos, quæstione prius habita, primum de fuga, deinde quantum auri argentique domi relictum esset: satis cognitis omnibus, viuos combus-

A sit. Fabius ab Suessula profectus, Arpos primum institit oppugnare, vbi cum à mille ferè passibus castra posuisset, contemplatus ex propinquo situm vrbis, mœniáque: quæ pars tutissima mœnibus erat, qua maximè neglectam custodia vidit, ea potissimum aggredi statuit. Comparatis omnibus quæ ad vrbes oppugnandas vsui sunt, centurionum robora ex toto exercitu delegit, tribunósque viros fortes eis præfecit: & milites sexcentos, quantum satis visum est, attribuit: eosque, vbi quartæ vigiliæ signum cecinisset, ad eum locum scalas iussit ferre. Porta ibi humilis & angusta erat. via infrequenti per desertam partem vrbis, eam portam scalis prius transgressos, ad murum pergere, & ex interiore parte claustra refringere iubet: & tenentes partem vrbis cornu signum dare, vt ceteræ copiæ admouerentur. parata omnia atque instructa sese habiturum. Ea impigrè facta: & quod impedimentum agentibus fore videbatur, id maximè ad fallendum iuuit. Imber à nocte media coortus, custodes vigilésque dilapsos è stationibus suffugere in tecta coegit: sonitúque primo largioris procellæ, strepitum demolientium portam, exaudiri prohibuit. lentior deinde æqualiorque accidens auribus, magnam partem hominum sopiuit. Posteaquam portam tenuerunt, cornicines in via paribus interuallis dispositos canere iubent, vt consulem excirent. Id vbi factum ex composito est, signa efferri consul iubet, ac paulo ante lucem per effractam portam vrbem ingreditur. Tum demum hostes excitati sunt, iam, & imbre conquiescente, & propinqua luce. Præsidium in vrbe erat Annibalis, quinque millia fermè armatorum: & ipsi Arpini tria millia hominum armabant. eos primos Pœni, ne quid ab tergo fraudis esset, hosti opposuerunt. Pugnatum primo in tenebris angustisque viis est. cùm Romani non vias tantum, sed tecta etiam proxima portæ occupassent, ne peti supernè ac vulnerari possent. Cogniti inter se quidam Arpiníque & Romani, atque inde colloquia cœpta fieri: percunctantibus Romanis, quid sibi vellent Arpini? quam ob noxam Romanorum, quod ob meritũ Pœnorum, pro alienigenis ac barbaris Italici aduersus veteres socios Romanos bellum gererent? & vectigalem ac stipendiariam Italiam Africæ facerent? Arpinis purgantibus, ignaros omnium se vænum à principibus datos, pene captos oppressósque à paucis esse. Initio orto plures cum pluribus colloqui. postremo prætor Arpinis ab suis ad consulem deductus, fidéque data inter signa aciésque. Arpini repentè pro Romanis aduersus Carthaginienses arma verterunt. Hispani quoque paulo minùs mille homines, nihil præterea cum consule pacti, quàm vt sine fraude Punicum emitteretur præsidium, ad consulem transtulerunt signa. Carthaginiensibus portæ patefactæ, emissique cum fide incolumes ad Annibalem, Salapiam venerunt. Arpi sine clade vllius, præterquam vnius veteris proditoris, noui perfugæ, restituti Romanis. Hispanis duplicia cibaria dari iussa, operáque eorum forti ac fideli persæpe respublica vsa est. Cùm consulum alter in Apulia, alter in Lucanis esset: equites CXII. nobiles Campani per speciem prædandi ex hostium agro, permissu magistratuum ab Capua profecti, ad castra Romana, quæ super Suessulam erant, venerunt, stationi militum, qui essent, dixerunt, colloqui se cum prætore velle. Cn. Fuluius castris præerat. cui vbi nunciatum est, X. ex eo numero iussis inermibus deduci ad se, vbi quæ postularent audiuit: (nihil autem aliud petebant, quàm vt Capua recepta, bona sibi restitue-

stitue-

ftituerentur) in fidem omnes accepti. Et ab altero prætore Sempronio Tuditano oppidum Cliternum expugnatum. amplius ſeptem millia hominum capta, & æris argentique ſignati aliquantum. Romæ fœdum incendium per duas noctes ac diem vnum tenuit. ſolo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem, cum Æquimelio Iugarioque vico. in templis Fortunæ ac matris Matutæ & Spei extra portam, latè vagatus ignis ſacra profanáque multa abſumsit. Eodem anno Publius & Cn. Cornelij, cum in Hiſpania res proſperæ eſſent, multoſque & B veteres reciperent ſocios, & nouos adiicerent, in Africam quoque ſpem extenderunt. Syphax erat ex Numidarum, ſubito Carthaginieſibus hoſtis factus. Ad eum communes tres legatos miſerunt, qui cum eo amicitiam ſocietatémque facerent: & pollicerentur, ſi perſeueraret vrgere bello Carthaginienſes, gratam eam rem fore ſenatui populóque Romano: & adnixuros, vt in tempore, & bene cumulatá gratiam referant. Grata ea legatio barbaro fuit. collocutuſque cum legatis de ratione belli gerendi, vt vete- C rum militum verba audiuit, quàm multarum rerum ipſe ignarus eſſet, ex comparatione tam ordinatæ diſciplinæ animaduertit. Tum primum, vt pro bonis ac fidelibus ſociis facerent, orauit, vt duo legationem referrent ad imperatores ſuos: vnus apud ſeſe magiſter rei militaris remaneret. rudem ad pedeſtria bella Numidarum gentem eſſe, equis tantum habilem. Ita iam inde à principiis gentis maiores ſuos bella geſſiſſe, ita ſe à pueris inſuetos: ſed habere hoſtem pedeſtri fidentem marte, cui ſe æquari D robore virium velit: & ſibi pedites comparandos eſſe: & ad id multitudine hominum regnum abundare: ſed armandi ordinandique & inſtruendi eos artem ignorare. omnis, velut forte congregata turba ſua inſcia ac temeraria eſſe. Facturos ſe in præſentia quod vellet, legati reſponderunt: fide accepta, vt remitteret extemplo eum, ſi imperatores ſui non comprobaſſent factum. Q. Statorio nomen fuit, qui apud regem remanſit. Cum duobus Romanis relata Numidáſque legatos in Hiſpaniam miſit ad ca- E piendam fidem ab imperatoribus Romanis. iiſdem mandauit, vt protinus Numidas qui intra portas, ſeu præſidia Carthaginienſium auxiliares eſſent, ad tranſitionem perlicerent. Et Statorius ex multa iuuentute regi pedites conſcripſit: ordinatoſque proximè morem Romanum inſtruendo, & decurrendo ſigna ſequi, & ſeruare ordines docuit: & operi, aliiſque inſtitutis militaribus ita aſſuefecit, vt breui rex non equiti magis fideret, quàm pediti: collatiſque æquo campo ſignis, iuſto prælio Carthaginien- F ſem hoſtem ſuperaret. Romanis quoque in Hiſpania legatorum regis aduentus magno emolumento fuit. námque ad famam eorum tranſitiones crebræ ab Numidis cœptæ fieri. Ita cum Syphace Romanis iuncta amicitia eſt. Quod vbi Carthaginienſes acceperunt, extemplo ad Galam in parte altera Numidiæ (Maſſyla ea gens vocatur) regnantem, legatus mittunt. Filium Gala Maſaniſſam habebat, ſeptem & decem annos natum, ceterum iuuenem ea indole, vt iam tum appareret eius regnum opu- G lentius, quam quòd accepiſſet, facturum. Legati, quoniam Syphax ſe Romanis iunxiſſet, vt potentior ſocietate eorum aduerſus reges populoſque Africæ eſſet, docent: melius fore Galæ quoque Carthaginienſibus iungi quamprimum, antequam Syphax in Hiſpaniam, aut Romani in Africam tranſeant: opprimi Syphacem, nihil dum præter nomen ex fœdere Romano habentem, poſſe. Facile perſuaſum Galæ, filio depoſcente id bellum, vt exercitum mit- A teret. Qui Carthaginienſium legionibus coniunctis, magno prælio Syphacem deuicit. XXX. millia eo prælio hominum cæſa dicuntur. Syphax cum paucis equitibus in Mauruſios ex acie Numidas (extremi prope Oceanum aduerſus Gadeis colunt) refugit: affluentibuſque ad famam eius vndique barbaris, ingenteis breui copias armauit: cum quibus antequam in Hiſpaniam anguſto direptam freto traiiceret, Maſaniſſa cum victore exercitu aduenit. iſque ibi cum Syphace ingenti gloria per ſe ſine vllis Carthaginienſium opibus geſſit bellum. In Hi- B ſpania nihil memorabile geſtum, præterquam quod Celtiberum iuuentutem eadem mercede, quæ pacta cum Carthaginienſibus erat, imperatores Romani ad ſe perduxerunt, & nobiliſſimos Hiſpanos ſupra CCC. inde in Italiam ad ſolicitandos populares, qui inter auxilia Annibalis erant, miſerunt. Id modo eius anni in Hiſpania ad memoriam inſigne eſt, quod mercenarium militem in caſtris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt. C

DECADIS TERTIAE

LIBER V.

DVM hæc in Africa atque in Hiſpania geruntur, Annibal in agro Tarentino æſtatem conſumſit, ſpe per proditionem vrbis Tarētinorū potiūdæ. ipſorum interim Salētinorum ignobiles vrbes ad D eum defecerunt. Eodem tempore in Brutiis ex XII. populis, qui anno priore ad Pœnos deſciuerant, Conſentini & Thurini in fidem populi Rom. redierūt. & plures rediiſſent, ni L. Pomponius Veientanus præfectus ſocium, proſperis aliquot populationibus in agro Brutio iuſti ducis ſpeciem nactus, tumultuario exercitu coacto cum Hannone conflixiſſet. Magna ibi vis hominum: ſed inconditæ turbæ agreſtiū E ſeruorumque cæſa aut capta eſt: minimumq. iacturæ fuit, quod præfectus inter ceteros eſt captus, & tū temerariæ pugnæ auctor, & antè publicanus omnibus malis armis & reip. & ſocietatibus infidus, damnoſuſque. Sempronius Coſ. in Lucanis multa prælia parua, haud vllū dignū memoratu fecit: & ignobilia oppida Lucanorū aliquot expugnauit. Quo diutius trahebatur bellū, & variabāt ſecūdę aduerſæque res, nō fortunā magis quā animos hominū: tāta religio, F & ea magna ex parte externa, ciuitatē inceſſit, vt aut homines aut dij repentè alij viderentur facti. nec iā in ſecreto modo atq. intra parietes ac poſtes cōtemnebātur Romani ritus, ſed in publico etiam ac foro Capitolioq. mulierū turba erat, nec ſacrificantiū nec precātium deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominū mētes, quorū numerū auxit ruſtica plebs. ex incultis diutino bello infeſtiſque agris egeſtate & metu in vrbem compulſa: & quæſtus ex alieno errore facilis, quem velut ex conceſſæ artis vſu G exercebant. Primo ſecretæ bonorum indignationes exaudiebātur, deinde ad Patres etiā & ad publicam querimoniā exceſſit res. Incuſati grauiter ab ſenatu ędiles triūuiriq. capitales, quòd nō prohiberent. cum emouere eam multitudinē è foro, ac diſiicere apparatus ſacrorū conati eſſent, haud procul abfuit, quin violarentur. Vbi potentius iam eſſe id malum apparuit, quàm vt minores per magiſtratus ſedaretur: M. Æmylio Pr. vrbis negotium ab ſenatu datum eſt, vt & his religionibus populum liberaret,

Is & in concione senatusconsultum recitauit, & edixit, vt quicunque libros vaticinos precationésve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet eos libros omnes literásque ad se ante Cal. Aprilis deferret: neu quis in publico sacrove loco nouo aut externo ritu sacrificaret. Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt: L. Cornelius Lētulus PONT. MAX. & C. Papyrius. C. F. Masso pontifex, & P. Furius Philus augur, & C. Papyrius L. F. Masso decēuir sacrorum. In Lētuli locum M. Cornelius Cethegus in Papyrij Cn. Seruilius Cepio, pontifices suffecti sunt. augur creatus L. Quintius Flaminius, decemuir sacrorum L. Cornelius Lentulus. Comitiorū consulariū iam appetebat tēpus, sed quia consules à bello intentos auocare non placebat: T. Sempronius Consul comitiorū caussa dictatorem dixit C. Claudium Centonem. ab eo magister equitum est dictus Q. Fuluius Flaccus. Dictator primo comitiali die creauit consules Q. Fuluium Flaccum magistrum equitum, & Appium Claudium Pulcrum, cui Sicilia prouincia in prætura fuerat. Tum prætores creati Cneus Fuluius Flaccus, C. Claudius Nero, M. Iunius Syllanus, P. Cornelius Sulla. Comitiis perfectis, dictator magistratu abiit. Ædilis curulis fuit eo anno cum M. Cornelio Cethego P. Cornelius Scipio, cui post Africanus fuit cognomen. Huic petenti ædilitatem cum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legitima ætas esset: Si me, inquit, omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum habeo. Tanto inde fauore ad suffragium ferendum in tribus discursum est, vt tribuni repente incepto destiterint. Ædilitia largitio hæc fuit. Ludi Romani pro tēporis illius copiis magnificè facti, & diē vnū instaurati, & cōgij olei in vicos singulos dati. L. Villius Tappulus & M. Fundanius Fundulus ædiles plebeij aliquot matronas apud populū probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas in exsilium egerunt. Ludi plebeij per biduū instaurati: & Iouis epulum fuit ludorum caussa. Q. Fuluius Flaccus tertium, Ap. Claudius consulatum ineunt. Et prætores prouincias sortiti sunt, P. Cornelius Sulla vrbanam & peregrinam, quæ duorum ante sors fuerat: Cn. Fuluius Flaccus Apuliam, C. Claudius Nero Suessulam, M. Iunius Syllanus Thuscos. Consulibus bellum cum Annibale, & binæ legiones decretæ. alter à Q. Fabio superioris anni consule, alter à Fuluio Centimalo acciperet. Prætorum Fuluij Flacci, quæ Luceriæ sub Æmylio Pr. Neronis Claudij, quæ in Piceno sub C. Terentio fuissent, legiones essent. supplementum in eas quisque scriberet sibi. M. Iunio in Thuscos legiones vrbanæ prioris anni datæ. T. Sempronio Graccho & P. Sempronio Tuditano imperium prouinciæque Lucani & Galliæ cum suis exercitibus prorogatæ. item P. Lentulo, qua vetus prouincia in Sicilia esset, M. Marcello Syracusæ: & qua Hieronis regnum fuisset, T. Octacilio classis, Græcia M. Valerio, Sardinia Q. Mutio Scæuolæ. Hispaniæ P. & Cn. Corneliis. Ad veteres exercitus duæ vrbanæ legiones à consulibus scriptæ, summáque trium & viginti legionum eo anno effecta est. Delectum consulum M. Posthumij Pyrgensis cum magno prope motu rerum factum impediit. Publicanus erat Posthumius, qui multis annis parem fraude auaritiáque neminem in ciuitate habuerat, præter L. Pomponium Veientanum, quem populantem temerè agros in Lucanis, ductu Hannonis priore anno ceperāt Carthaginienses. Hi, quia publicum periculum erat à vi tempestatis in iis quæ portarentur ad exercitus, & ementiti erant facta naufragia, & ea ipsa quæ vera renuntiauerant, fraude ipsorum facta erant, non casu: in veteres quassatásque naues paucis & parui pretij rebus impositis, cum mersissent eas in alto, exceptis in præparatas scaphas nautis, multiplices fuisse merces ementiebantur. Ea fraus indicata M. Æmylio Pr. priore anno fuerat, ac per eum ad senatum delata: nec tamen vllo senatusconsulto notata: quia patres ordinem publicanorum in tali tempore offensum nolebant: populus seuerior vindex fraudis erat: excitatique tandem duo tribuni plebis Sp. & L. Caruilij, cum rem inuisam infamémque cernerent, ducentûm millium æris multam M. Posthumio dixerunt. cuius certandæ cum dies aduenisset, conciliúmque tam frequens plebis adesset, vt multitudinem area Capitolij vix caperet: perorata caussa, spes vna videbatur esse, si C. Seruilius Casca tribunus plebis, qui propinquus cognatúsque Posthumio erat, prius quam ad suffragium tribus vocarentur, intercessisset. Testibus datis, tribuni populum summouerunt: sitelláque allata est, vt sortirentur, vbi Latini suffragium ferrent. Interim publicani Cascæ instare, vt consilio diem eximeret populus reclamare. & forte in cornu primus sedebat Casca, cui simul metus pudorq. animum versabat. Cum in eo parum præsidij esset, turbandæ rei caussa publicani per vacuum vi summo occupato loco in eos irruperunt, iurgantes simul cum populo tribunisque. Nec procul dimicatione res erat: cum Fuluius consul tribunis: Nonne videtis, inquit, vos in ordinem coactos esse? & rem ad seditionē spectare, ni propere dimittitis plebis conciliū? Plebe dimissa, senatus vocatur: & consules referūt de concilio plebis turbato vi atque audacia publicanorum. M. Furium Camillum, cuius exsilium ruina vrbis secuta fuerit, damnari se ab ingratis ciuib. passum esse: Decemuiros ante eū, quorum legibus ad eam diem viuerent, multos postea principes ciuitatis iudiciū de se populi passos. Posthumiū Pyrgensem suffragium populo per vim extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coegisse, contra populum Romanū aciem introduxisse, locū occupasse, vt tribunos à plebe intercluderet: tribus in suffragium vocari prohiberet. nihil aliud à cæde ac dimicatione continuisse homines, nisi patientiam magistratuum, quod cesserint in præsentia furori atque audaciæ paucorū: vinciq. se ac populum Romanū passi sint: & comitia quæ reus vi atque armis prohibiturus erat, ne caussa quærentibus dimicationem daretur, voluntate ipsius sustulerint. Hæc cum ab optimo quoque pro atrocitate rei acta essent, vimque eam contra rempublicam pernicioso exemplo factam, senatus decerneret: confestim Caruilij tribuni plebis omissa multæ certatione, rei capitalis diem Posthumio dixerunt, ac ni vades daret, prehendi à viatore, atque in carcerem duci iusserūt. Posthumius vadibus datis, non affuit, Tribuni vocauerunt plebem, quæ ita sciuit: Si M. Posthumius ante Calend. Maias non prodisset, citatúsq. eo die non respondisset, neq. excusatus esset, videri eū in exsilio esse, bonáque eius vænire, ipsi aqua & igni placere interdici. Singulis deinde eorū qui turbæ ac tumultus concitatores fuerant, rei capitalis diem dicere, ac vades poscere cœperunt. primo non dantes, deinde etiam eos qui dare possent, in carcerem coniiciebant. cuius rei periculum vitantes pleriq. in exsiliū abierūt. Hunc fraus publicanorum, deinde fraudem audacia protegens, exitum habuit. Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita. Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit. Tres ingenti certamine petierunt: Q. Fuluius Flaccus Cos. qui & antè bis consul & censor

fuerat

fuerat, & T. Manlius Torquatus, & ipse duobus consularibus & censura insignis: & P. Licinius Crassus, qui ædilitatem curulem petiturus erat. Hic senes honoratosque iuuenis in eo certamine deuicit. Ante hunc intra centum annos & viginti, nemo, præter Publium Cornelium Calussam pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non sedisset. Consules cum ægrè delectum conficerent, quod inopia iuniorũ non facile in vtrumque, vt & nouę vrbanæ legiones, & supplementũ veteribus scriberetur, sufficiebat: senatus absistere eos incœpto vetuit: & triumuiros binos creari iussit, alteros qui citra, alteros qui vltra quinquagesimum lapidem in plateis forisque & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent, vt qui minores septẽ & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & viginti annorum, aut maiores, milites facti essent. Ex hoc senatusconsulto creati triumuiri bini, conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt. Eodem tempore ex Sicilia literæ M. Marcelli de postulatis militum, qui cum P. Lentulo militabant, in senatu recitatæ sunt. Cannensis reliquiæ cladis is exercitus erat, relegatus in Siciliam, sicut ante dictum est, ne ante Punici belli finem in Italiam reportaretur. Hi permissu Lentuli primores equitum centurionũmque, & robora ex legionibus peditum legatos in hyberna ad M. Marcellum miserunt, è quibus vnus, potestate dicendi facta: Consulem inquit, te M. Marcelle in Italiam adissemus, cùm primum de nobis, etsi non iniquum, certè triste senatusconsultum factum est: nisi hoc sperassemus, in prouinciam nos morte regum, turbatam ad graue bellum aduersus Siculos, simul Pœnosque mitti, & sanguine nostro vulneribúsque magistratibus satisfacturos esse: sicut patrum memoria, qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, aduersus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt quanquam quod ob meritum nostrum succensuistis, Patres conscripti, nobis, aut succensetis? Ambos mihi consules, & vniuersum senatum intueri videor, cum te M. Marcelle intueor: quin si ad Cannas consulem habuissemus, melior & reip. & nostra fortuna esset. Sine quæso: priusquam de conditione nostra queror, noxam cuius arguimur, nos purgare. Si non deûm ira, nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarũ ordo seritur, sed culpa periimus ad Cannas, cuius tandem ea culpa fuit? militum? an imperatorum? Equidem miles nihil vnquam dicam de imperatore eo, cui præsertim, gratias sciam ab senatu actas, quod non despera erit de republica, qui post fugam actam sit per omnes annos prorogatum imperium. Ceteros item ex reliquiis cladis eius, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, & prouincias obtinere audiuimus. An vobis vestrisque liberis ignoscitis facile Patres conscripti? in hæc vilia capita sæuitis? & consuli primoribúsque aliis ciuitatis fugere, cum spes alia nulla esset, turpe non fuit? milites vtique morituros in aciem misistis? Ad Alliam prope omnis exercitus fugit: ad Furcas Caudinas ne expertus quidem certamen, arma tradidit hosti (vt alias pudendas clades exercituum taceam) tamen tantũ abfuit ab eo, vt vlla ignominia iis exercitibus inureretur, vt & vrbs Roma per eum exercitum qui ab Allia Veios transfugerat, recuperaretur: & Caudinæ legiones, quæ sine armis redierant Romam, armatæ remissæ in Samnium, eundem illum hostem sub iugum miserint, qui hac sua ignominia lætatus fuerat. Cannensem verò quisquam exercitum fugæ, aut pauoris insimulare potest? vbi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt? vnde consul cum equitib. quinquaginta fugit? vnde nemo superest, nisi quem hostis cædẽdo fessus reliquit? Cùm captiuis redemptio negabatur, nos vulgo homines laudabãt, quod reipublicæ nos seruassemus: quod ad consulem Venusiam redissemus, & speciem iusti exercitus fecissemus. Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud patres nostros fuerant captiui. quippe illis arma tantum atque ordo militandi, locúsque in quo tenderent, in castris est mutatus, quæ tamen semel nouata reipublicæ opera, & vno felici prælio recuperatũt. nemo eorum relegatus in exsilium est, nemini spes emerendi stipendia adempta. hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel, aut ignominiam finirent. Nos, quibus, nisi quod commisimus, vt quisquam ex Cannensi acie miles Romanus superesset, nihil obiici potest: non solum à patria procul Italiáque, sed ab hoste etiam relegati sumus, vbi senescamus in exsilio, ne qua spes, ne qua occasio abolendæ ignominiæ, ne qua placandæ ciuium iræ, ne qua denique bene moriendi sit. Méque ignominiæ finem, nec virtutis præmiũ petimus: modo experiri animum & virtutem exercere liceat. laborem & periculum petimus: vt virorum, vt militum officio fungamur. Bellum in Sicilia iam alterum annum ingenti dimicatione geritur, vrbes alias Pœnus, alias Romanus expugnat. peditum & equitum acies concurrũt: ad Syracusas terra marique res geritur. clamorem pugnantium, crepitumque armorum exaudimus resides ipsi ac segnes, tanquam nec manus nec arma habeamus. Seruorum legionibus T. Sempronius Cos. toties iam cum hoste signis collatis pugnauit. operæ pretium habent, libertatem, ciuitatémque pro seruis saltem ad hoc bellum emtis nobis simul congredi cum hoste liceat, & pugnando quærere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis vrbibus oppugnandis experiri virtutem? Asperrima quæque ad laborem periculumque deposcimus, vt quod ad Cannas faciendum fuit, quàm primum fiat, quoniam quicquid postea viximus, id omne destinatum ignominiæ est: Sub hæc dicta ad genua Marcelli procubuerunt. Marcellus id nec iuris nec potestatis suæ esse dixit senatui scripturum se, omniáque de sententia patrum facturum esse. Hæ literæ ad nouos consules allatæ, ac per eos in senatu recitatæ sunt, consultusq. de his literis ita decreuit senatus, militibus qui ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent, senatui nihil videri rempublicam committendam esse. si M. Claudio proconsuli aliter videretur, faceret, quod è repub. fidéque sua duceret, dum ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergo donaretur, neu in Italiam reportaretur, donec hostis intra Italiam esset. Comitia deinde à prætore vrbano de senatus sententia, plebisq. scito sunt habita, quibus creati sunt quinqueuiri muris turribusque reficiendis: & triumuiri bini, vni satis conquirendis, donisq. persignandis: alteri reficiendis ædibus Fortunæ & matris Matutæ intra portam Carmentalem: sed & Speci extra portam, quæ priore anno incendio consumtæ fuerant. Tempestates fœdæ fuere. In Albano monte biduũ continenter lapidibus pluit. tacta de cœlo multa: duæ in Capitolio ædes: vallum in castris multis locis supra Suessulam, & duo vigiles exanimati: murus turrésque quædam Cumis non ictæ modo fulminibus, sed etiam decussæ. Reate saxum ingens visum volitare: sol rubere solito magis,

sanguineóque similis. Horum prodigiorum caussa diem vnum supplicatio fuit: & per aliquot dies consules rebus diuinis operam dederunt: & per eosdem dies sacrum nouendiale fuit. Cum Tarentinorum defectio iam diu & in spe Annibali, & in suspicione Romanis esset: caussa fortè extrinsecus maturandæ eius interuenit. Phileas Tarentinus diu iá per specié legationis Romæ cum esset, vir inquieti animi, & minimè otium (quo tum diutino senescere videbatur) patientis aditum sibi ad obsides Tarétinos inuenit. Custodiebantur in atrio Libertatis minore cura: quia nec ipsis, nec ciuitati eorum fallere Romanos expediebat. Hos crebris colloquiis solicitatos, corruptis æditiuis duobus cum primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes occulti itineris factus profugit. Luce prima vulgata per vrbem fuga est, emissique qui sequerentur, à Tarracina comprehensos omnes retraxerunt. deducti in comitio, virgisque approbante populo cæsi de saxo deiiciuntur. Huius atrocitas pœnæ, duarum nobilissimarú in Italia Græcarum ciuitatum animos irritauit, tum publicè, tum etiam singulos priuatim, vt quisque tam fœdè interemptos aut propinquitate aut amicitia contingebat. Ex iis tredecim ferè nobiles iuuenes Tarétini coniurauerunt, quorum principes Nico & Philomenes erant. Hi prius quàm aliquid mouerent, colloquendú cum Annibale rati, nocte per speciem venandi vrbe egressi ad eum proficiscuntur. & cum haud procul castris abessent, cæteri sylua prope viam sese occuluerunt. Nico & Philomenes progressi ad stationes, comprehensique, vltro id petentes ad Hannibalem deducti sunt. Qui cùm & caussas consilij sui & quid pararent, exposuissent: collaudati, oneratique promissis iubentur vt fidem popularibus facerent, prædandi caussa se vrbe egressos: pecora Carthaginiensium, quæ pastum propulsa essent, ad vrbem agere. tuto ac sine certamine id facturos, promissum est. Conspecta ea præda iuuenum est: minusque iterum ac sæpius id eos audere, miraculo fuit. Congressi cum Annibale rursus fide sanxerunt, liberos Tarentinos leges suáque omnia habituros, neque vllum vectigal Pœno pensuros. præsidiumve inuitos recepturos: prodita præsidia Carthaginiensiúm fore. Hæc vbi conuenerunt, tunc verò Philomenes consuetudinem nocte egrediundi, redeundique in vrbem, frequentiorem facere (& erat venandi studio insignis) canésque & alius apparatus sequebatur: captumque fermè aliquid, aut ab hoste ex præparato ablatum reportando, donabat aut præfecto, aut custodibus portarum. nocte maximè commeare propter metum hostium credebant. Vbi iam eò consuetudinis adducta res est, vt quocunque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur: tempus agendæ rei Annibali visum est. Tridui via aberat: vbi, quo minus mirum esset vno eodemque loco statiua eum tamdiu habere: ægrum simulabat. Romanis quoque qui in præsidio Tarenti erant, suspecta esse iam segnis mora eius desierat. Cæterùm postea quam Tarentum ire constituit, decem millibus peditum atque equitum, quos in expeditione velocitate corporum ac leuitate armorum aptissimos esse ratus est, electis, quarta vigilia noctis signa mouit, præmissisque octuaginta fere Numidis equitibus præcepit, vt decurrerent circa vias, perlustraréntque omnia oculis, ne quis agrestium procul spectator agminis falleret, progressos retraherent, obuios occiderent, vt prædonum magis quàm exercitus accolis species esset, ipse raptim agmine facto, quindecim ferme millium spacio castra ab Tarento posuit. & ne ibi quidem nuntiato quò pergerent,

A tantum conuocatos milites monuit, via omnes irent: nec diuerti quenquam, aut excedere ordinem agminis paterentur: & in primis intenti ad imperia accipienda essent, neu quid nisi ducum iussú facerent, se in tempore editurum quæ vellet agi. Eadem fermè hora Tarentum fama peruenerat, Numidas equites paucos populari agros, terrorémque latè agrestibus iniecisse. Ad quem nuntium nihil vltra motus præfectus Romanus, quàm vt partem equitú postero die luce prima iuberet exire ad arcendú populationibus hostem. B Interea adeo nihil obedienter curatum est, vt contra pro argumento fuerit illa procursatio Numidarum, Annibalem exercitumque castris non mouisse. Annibal concubia nocte mouit. dux Philomenes erat cum solito captæ venationis onere. ceteri proditores ea quæ composita erant, exspectabant. Conuenerat autem vt Philomenes portula assueta venationem inferens armatos induceret: parte alia portam Temenida adiret Annibal. Ea mediterranea regione tenentem spectabat: aliquantum intra mœnia includitur. C Cùm portæ appropinquaret, editus in composito ignis ab Annibale est, refulsitque. idem redditum ab Nicone signum. extinctæ deinde vtrinque flammæ sunt. Annibal silentio ducebat ad portam. Nico tanquam ex improuiso ad portas sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncat, portámque aperit. Annibal cum peditum agmine ingreditur, equites subsistere iubet: vt quò res postulet, occurrere libero campo possent. Et Philomenes portulæ parte alia qua commeare assuerat, appropinquabat. D nota vox eius, & familiare iam signum cum excitasset vigilem, dicentis, vix sustinere grandis bestiæ onus, portula aperitur. inferentes aprum duos iuuenes secutus ipse cum expedito venatore, vigilem incautius miraculo magnitudinis in eos qui ferebant versum venábulo traiicit. ingressi deinde triginta fere armati ceteros vigiles obtruncant, refringuntque portam maximam: & agmen sub signis confestim irrupit. inde cum silentio in forum ducti, Annibali sese coniunxerunt. E Tum duo millia Gallorum Pœnus in tres diuisa partes per vrbem dimittit. Tarentinos & Afros quàm maximè frequentia occupare iubet, tumultu orto Romanos passim cædi, oppidanis parci. vt fieri id posset, præcipit iuuenibus Tarentinis, vt vbi quem suorum procul vidissent, quiescere & silere, ac bono animo esse iuberét. Iam tumultus erat, clamorque qualis esse in capta vrbe solet: sed quid rei esset, nemo satis pro certo scire. Tarentini Romanos ad diripiendam vrbem credere coortos. F Romanis seditio aliqua cum fraude videri ab oppidanis mota. Præfectus primo excitatus tumultu in portú effugit: inde acceptus scapha in arcem cófugit. Terrorem & tuba audita ex theatro faciebat. nam & Romana erat, à proditoribus ad hoc ipsum præparata, & insciéter à Græco inflata, quis aut quibus signum daret, incertú efficiebat. Vbi illuxit & Romanis Punica & Gallica arma cognita, tum dubitationé exemerút: & Græci Romanos passim cæde stratos cernentes, ab Annibale captam vrbé senserút. G Postea quam lux certior erat, & Romani qui cædib. superfuerant, in arcem confugerant, conticescebátque paulatim tumultus: tum Annibal Tarentinos sine armis cóuocare iubet. Cóuenere omnes, præterquã qui cedentes in arcé Romanos ad omné adeundá simul fortunam persecuti fuerant. Ibi Annibal benigne allocutus Tarentinos, testatusque quæ præstitisset ciuibus eorú quos ad Thrasimenú aut ad Cannas cepisset: simul in dominationem superbá Romanorú inuectus, recipere se in domos suas quenq. iussit, & foribus

foribus nomen suum inscribere, se domos eas quæ A inscriptæ nõ essent, signo extemplo dato, diripi iussurum si quis in hospitio ciuis Romani (vacuas autem cernebat domos) nomen inscripsisset, eum se pro hoste habiturum. Concione dimissa, cum titulis notatæ fores discrimen pacatæ ab hostili domo fecissent: signo dato, ad diripienda hospitia Romana passim discursum est, & fuit prædæ aliquantum. postero die ad oppugnandam arcem ducit. quam cum & mari, quo in peninsulæ modum pars maior circumluitur, & præaltis rupibus, & ab ipsa vrbe muro B & fossa ingenti septam videret, eoque nec vi, nec operibus expugnabilem esse, ne aut se ipsum cura tuendi Tarentinos à maioribus rebus moraretur, aut in relictos sine valido præsidio Tarentinos impetum ex arce cum vellent, Romani facerent: vallo vrbem ab arce intersepire statuit, non sine vlla etiam spe, cum prohibentibus opus Romanis manum posse conseri; & si ferocius procurrissent, magna cæde ita attenuari præsidij vires, vt facile per se ipsi Tarentini vrbem ab iis tueri possent. C Vbi cœptum opus est, patefacta repente porta, in munientes impetum fecerunt Romani, pellique se statio passa est, quæ pro opere erat, vt successu cresceret audacia, pluresque & longius pulsos persequerentur. Tum signa dato coorti vndique Pœni sunt, quos instructos ad hoc Annibal tenuerat. nec sustinuere impetum Romani, sed ab effusa fuga loci angustiæ eos, impedimentaque alia opere iam cœpto, alia apparatu operis, morabantur. plurimi in fossam præcipitati, D occisique sunt, plures in fuga quam in pugna. Inde & opus nullo prohibente fieri cœptum. fossa ingens ducta, & vallum intra eam erigitur: modicoque post interuallo murum etiam eadem regione addere parat, vt vel sine præsidio tueri se aduersus Romanos possent, reliquit tamen modicum præsidium, vt simul in faciendo muro adiuuaret. ipse profectus cum ceteris copiis ad Galesum flumen (quinque millia ab vrbe abest) posuit castra. Ex iis statiuis regressus ad inspiciendum opus, quod aliquantum opinione eius celerius E creuerat, spem cœpit etiam arcem expugnari posse. Et est non altitudine, vt cetera, tuta, sed loco plano posita & ab vrbe muro tantum ac fossa diuisa. Cùm iam machinationum omni genere & operibus oppugnaretur, missum à Metaponto præsidium Romanis fecit animum, vt nocte ex improuiso opera hostium inuaderent. alia disiecerunt, alia igni corruperunt. isque finis Annibali fuit ea parte arcem oppugnandi. Reliqua erat in obsidione spes, nec ea satis efficax: quia arcem tenentes, qua in peninsula F posita imminet faucibus portus, mare liberum habebant: vrbs contra exclusa maritimis commeatibus: propiusque inopiam erant obsidentes, quam obsessi. Annibal conuocatis principibus Tarentinis, omnes præsentes difficultates exposuit: neque arcis tam munitæ expugnandæ viam cernere, neque in obsidione quicquam habere spei, donec mari potiantur hostes. quod si naues sint: quibus commeatus inuehi prohibeant, extemplo aut abscessuros, aut dedituros se hostes. Assentiebantur Tarentini. G ceterum ei qui consilium afferret, opem quoque in eam rem afferendam esse censebant. Punicas enim naues ex Sicilia accitas id posse facere: suas, quæ sinu exiguo interclusæ essent, cùm claustra portus hostis haberet, quemadmodum inde in apertum mare euasuras? Euadent, inquit Annibal, MVLTA quæ impedita natura sunt, consilio expediuntur. vrbem enim in campo sitam habetis: planæ & satis latæ viæ patent in omnes partes. via, quæ in portum per mediam vrbem ad mare transmissa est, plaustris transuecham naues haud magna mole. & mare nostrum erit, quo nunc hostes potiuntur: & illinc mari, hinc terra circumsedebimus arcem. imo breui aut relictam ab hostibus, aut cum ipsis hostibus capiemus. Hæc oratio non spem modo effectus, sed ingentem etiam ducis admirationem fecit. Contracta extemplo vndique plaustra, iunctaque inter se: & machinę ad subducendas naues admotæ, munitumque iter, quo faciliora plaustra, minorque moles in transitu esset. iumenta inde & homines contracti, & opus impigrè cœptum: paucosque post dies classis instructa ac parata circumuehitur arcé, & ante ipsum portum anchoras iacit. Hũc statum rerum Annibal Tarenti reliquit, regressus ipse in hyberna. Ceterũ defectio Tarentinorum vtrum priore anno, an hoc facta sit, in diuersum auctores trahunt. plures propioresque ætate memoriæ rerum hoc anno tradunt factam. Romę consules prætoresque vsque ante diem quintum Calendas Maias Latinæ tenuerunt. eo die perpetrato sacro in monte, in suas quisque prouincias proficiscuntur. Religio deinde noua obiecta est ex carminibus Martianis. Vates hic Martius illustris fuerat. & cum inquisitio priore anno ex senatusconsulto talium librorum fieret, in M. Æmylij prætoris vrbani, qui eam rem agebat, manus venerant. is protinus nouo prætori Sullæ tradiderat. ex huius Martij duobus carminibus alterius postea aucta declarata auctoritas euentu, alteri quoque, cuius nõdum tempus venerat, afferebat fidem. Priore carmine Cannensis prædicta clades in hæc ferme verba erat: Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum: multaque millia occisa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera. piscibus atque auibus ferisque, quæ incolunt terras, iis fiat esca caro tua. nam mihi ita Iupiter fatus est. Et Diomedis Argiui campos, & Cannam flumen, qui militauerant in iis locis, iuxta atque ipsam cladem agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere. Hostes Romani si expellere vultis, vomicamque quæ gentium venit longe, Apollini vouendos censeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant: cum populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro se, suisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui ius populo plebique dabit summum, decemuiri Græco ritu hostiis sacra faciant. hæc si rectè faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior, nam is diuus extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placidè. Ad id carmen explanandum diem vnum sumserunt. postero die senatusconsultum factum est, vt decemuiri libros de ludis Apollini, reque diuina facienda inspicerent. Ea cum inspecta relataque ad senatum essent, censuerunt Patres Apollini ludos vouendos faciendosque: & quando ludi facti essent, duodecim millia æris prætori ad rem diuinam, & duas hostias maiores dandas. Alterum senatusconsultum factum est, vt decemuiri sacra Greco ritu facerent, iisque hostiis Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latone boue fœmina aurata. Ludos prætor in circo maximo cùm facturus esset, edixit vt populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorũ Apollinarium, victoriæ, nõ valetudinis ergo, vt pleriq. rẽtur, votorũ. factósq. populus coronatus spectauit: matronæ supplicauere. vulgo apertis ianuis in propatulo

epulati sunt: celebérque dies omni ceremoniarum genere fuit. Cùm Annibal circa Tarentum, consules ambo in Samnio essent, sed circumsessuri Capuam viderentur: quod malum diuturnæ obsidionis esse solet, iam famem Campani sentiebant, quia sementem facere prohibuerát eos Romani exercitus. itaque legatos ad Annibalem miserunt, orantes, vt prius quàm consules in agros suos educerent legiones, viæque omnes hostium præsidiis insiderentur, frumẽtum ex propinquis locis conuehi iuberet Capuam. Annibal Hannonem ex Brutiis cum exercitu in Campaniam transire, & dare operam, vt frumenti copia fieret Campanis, iussit Hãno ex Brutiis profectus cum exercitu, vitabundus castra hostium, cõsulesque qui in Samnio erant, cùm Beneuento iam appropinquaret, tria passuum millia ab ipsa vrbe loco edito castra posuit. inde ex sociis circa populis, quo æstate compottatum erat, deuehi frumentum in castra iussit, præsidiis datis quæ commeatus eos prosequerentur. Capuam inde nuntium misit, qua die ad accipiendum frumentum præsto essent, omni vndique genere vehiculorum iumentorúmque ex agris contracto. Id pro cetera socordia negligentiáque à Campanis actum. paulo plus X L. vehicula missa, & pauca præterea iumenta. ob id castigatis ab Hannone, quod ne fames quidem, quæ mutas accenderet bestias, curam eorum stimulare posset: alia producta dies ad frumentum maiore apparatu petendum. Ea omnia, sicut acta erant, cum enunciata Beneuentanis essent, legatos decem extemplo ad coss. (circa Bouianum castra Romanorum erant) miserunt. Qui cùm auditis quæ ad Capuam agerentur, inter se comparassent, vt alter in Campaniam exercitum duceret: Fuluius, cui ea prouincia euenerat, profectus nocte Beneuentum, mœnia est ingressus. Ex propinquo cognoscit, Hannonem cum exercitus parte profectum frumentatum: duo millia plaustrorum, inconditam, inermémque aliam turbam aduenisse: per tumultum ac trepidationem omnia agi castrorúmque formam, & militarem ordinem, immistis agrestibus iis exteris, sublatum. His satis compertis, consul militibus edicit, signa tantum armaque in proximam noctem expedirent: castra Punica oppugnanda esse. Quarta vigilia profecti, sarcinis omnibus impedimentisque Beneuenti relictis, paulo ante lucem cum ad castra peruenissent, tantum pauoris iniecerunt, vt si in plano castra posita essent, haud dubiè primo impetu capi potuerint. altitudo loci, & munimenta defenderunt. quæ nulla ex parte adiri, nisi arduo ac difficili ascensu poterant. Luce prima prælium ingens accensum est, nec vallum modo tutantur Pœni: sed, vt quibus locus æquior esset, deturbant nitentes per ardua hostes. Vicit tamen omnia pertinax virtus, & aliquot simul partibus ad vallum ac fossas peruentum est, sed cum multis vulneribus, ac militum pernicie. Itaque conuocatis tribunis militum, consul absistendum temerario incœpto ait: tutius sibi videri, reduci eo die exercitum Beneuentum: dein postero castris se hostium iungi, ne exire inde Campani: néve Hanno regredi posset. id quo facilius obtineatur, collegam quoque, & exercitum eius se acciturum, totúmque eo versurum bellum. Hæc consilia ducis, cum iam receptui caneret, clamor militum aspernantium tam segne imperium, disiecit. Proxima portæ hostium erat cohors Peligna: cuius præfectus Vibius ereptum vexillum trans vallum hostium traiecit: execratus inde seque & cohortem, si eius vexilli hostes potiti essent: princeps ipse per fossam vallúmque in castra irrumpit. Iámque intra

A vallum Peligni pugnabant, cùm altera parte Valerio Flacco tribuno militum tertiæ legionis exprobrante Romanis ignauiam, qui sociis captorum castrorum concederent decus, T. Pedanius princeps primus centurio, cum signifero signum ademisset: Iam hoc signum, & hic centurio, inquit, intra vallum hostium erit: sequantur qui capi signum ab hoste prohibituri sunt. Manipulares sui primũ transcendentes fossam, dein legio tota secuta est. Iam & consul ad conspectum transgredientium vallum mutato consilio, ab reuocandis ad incitãdos hortandósq. versus B milites, ostendere in quanto discrimine ac periculo fortissima cohors sociorũ & ciuiũ legio esset. Itaque pro se quisq. omnes per æqua atque iniqua loca, cũ vndiq. tela conii[ce]rentur, armaq. & corpora hostes obiicerent, peruadunt, irrumpuntque multi vulnerati, etiã quos vires sanguisq. desereret, vt intra vallũ hostium caderent, nitebantur. Capta itaq. momento temporis velut in plano sita, nec permunita castra. Cædes inde, non iam pugna erat, omnibus intra vallum permistis. supra sex millia hostium cæsa, supra C septem millia capiuntur cum frumẽtatoribus Campanis, omníque plaustrorum & iumentorum apparatu. capta & alia ingens præda fuit, quam Hanno, populabundus passim cum isset, ex sociorum populi Romani agris traxerat. Inde deiectis hostium castris, Beneuentum reditum est: prædámque ibi ambo consules (nam & Ap. Claudius eò post paucos dies venit) vendiderunt, diuiserúntque. & donati, quorum opera castra hostium capta erant, ante alios Vibius Pelignus, & T. Pedanius princeps tertiæ leD gionis. Hanno ab Cominio Cerito, quo nuntiata castrorum clades est, cum paucis frumentatoribus, quos forte secum habuerat, fugæ magis quàm itineris modo in Brutios rediit. Et Campani audita sua pariter sociorúmque clade, legatos ad Annibalem miserunt, qui nuntiarent, duos consules ad Beneuẽtum esse diei iter à Capua: tantum non ad portas & muros bellum esse. ni propere subueniat, celer[ius] Capuam quàm Arpos, in potestatem hostium [ven]E turam. ne Tarentum quidem, non modo arcem, ta[nti] debere esse, vt Capuam, quam Carthagini æquare sit solitus, desertam indefensámque populo Rom[a]no tradat. Annibal curæ sibi fore rem Campanam pollicitus, in præsentia duo millia equitum cum [le]gatis mittit, quo præsidio agros populationib[us ar]sent prohibere. Romanis interim, sicut aliarum [re]rum, arcis Tarentinæ præsidijque quod ibi obsideretur, cura esse. C. Seruilius legatus ex auctoritate patrum à P. Cornelio prætore in Hetruriam ad fruF mentum coemendum missus, cum aliquot nauibus onustis in portum Tarentinum inter hostium custodias peruenit. Cuius aduentu, qui ante in exigua spe vocati sæpe ad transitionem ab hostibus per colloquia erant, vltro ad transeundum hostes vocabant, solicitabántque. & erat satis validum præsidiũ, traductis ad arcem Tarenti tuendam, qui Metapõti erant, militibus. Itaque Metapontini extemplo metu quo tenebantur, liberati, ad Annibalem defeceG re. Hoc idem eadem ora maris & Thurini fecerunt. mouit eos non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorúmque, quibus indidem ex Achaia oriũdi etiam cognatione iuncti erant, quã ira in Romanos, propter obsides nuper interfectos. Eorum amici cógnatique literas ac nuntios ad Hannonem Magonémque, qui in propinquo in Brutiis erant, miserũt, si exercitũ ad mœnia admouissent, se in potestatẽ eorũ vrbẽ tradituros esse. M. Atinius Thurinis cũ modico præsidio præerat: quẽ facile elici ad certamẽ temerè ineundum rebantur posse non tam militum,

quos

quos perpaucos habebat, fiducia, quàm iuuentutis A
Thurinæ. eā ex industria centuriauerat, armauerát-
que ad tales casus. Diuisis copiis inter se duces Pœ-
ni cum agrum Thurinum ingressi essent, Hanno
cum peditum agmine infestis signis ire ad vrbem
pergit, Mago cum equitatu tectus, collibus ad te-
gendas insidias oppositis, subsistit. Atinius peditum
tantum agmine per exploratores comperto, in a-
ciem copias educit, & fraudis intestinæ. & ho-
stium insidiarum ignarus. pedestre prælium fuit
presegne, paucis in prima acie pugnantibus Roma- B
nis, Thurinis exspectantibus magis quam adiuuan-
tibus, euentum. & Carthaginiensium acies de indu-
stria pedem referebat, vt ad terga collis ab equite
suo emissi hostem incautum pertraheret. Quò vbi
ventum est, coorti cum clamore equites propere in-
conditam Thurinorum turbam, nec satis fido ani-
mo vnde pugnabat stantem, extemplo in fugam a-
uerterunt. Romani quamquam circumuentos hinc
pedes, hinc eques vrgebat, tamen aliquandiu pu-
gnam traxere. postremo & ipsi terga vertunt, atque C
ad vrbem fugiunt. Ibi proditores conglobati cum
popularium agmen patentibus portis accepis-
sent: vbi Romanos fusos ad vrbem ferri viderunt,
conclamāt instare Pœnum, permistósque hostes vr-
bem inuasuros, ni properè portas claudant. ita ex-
clusos Romanos præbuere hosti ad cædem. Atinius
tamen cum paucis receptus. Seditio inde paulisper
tenuit, cùm alij vrbem tuendam, inde alij cedēdum
fortunæ, & tradendam vrbem victoribus censerent.
ceterum, vt plerumque fortuna, & consilia mala vi- D
cerunt, Atinio cum suis ad mare ac naues deducto,
magis quia ipsi ob imperium in se mite ac iustum
consultum volebant, quam respectu Romanorum,
Carthaginienses in vrbem accipiunt. Consules à Be-
neuento in Campanum agrum legiones ducunt, nō
ad frumenta modo, quæ iam in hybernis erant, cor-
rumpenda: sed ad Capuam oppugnandam, nobilem
se consulatum tam opulentæ vrbis excidio rati fa-
cturos: simul & ingens flagitium imperio demtu-
ros, quod vrbi tam propinquæ tertium annum im- E
punita defectio esset. Cæterum ne Beneuentum
sine præsidio esset, & vt ad subita belli, si Anni-
bal (quod facturum haud dubitabant) ad opem fe-
rendam sociis Capuā venisset, equites vim sustinere
possent, T. Gracchū ex Lucanis equitatu ac leui arma
tura Beneuentum venire iubet: legionibus, statiuis-
que ad obtinendas res in Lucanis aliquem præfice-
ret. Graccho, priusquā ex Lucanis moueret, sacri-
ficanti triste prodigiū factum est. ad exta sacrificio
perpetrato angues duo ex occulto allapsi edere ie- F
cur, conspectique repēte ex oculis abierunt. Id cum
aruspicum monitu sacrificium instauraretur, at-
que intentius exta reseruata seruarentur, iterum ac
tertium venisse tradunt, libatóque iecinore inta-
ctos angues abiisse. Cùm aruspices ad imperatorem
id pertinere prodigium præmonuissent, & ab occul-
tis cauendum hominibus, consiliisque, nulla tamen
prouidentia fatum imminens moueri potuit. Fla-
uius Lucanus fuit caput partis eius Lucanorum,
cum pars ad Annibalem defecisset, quæ cum Roma- G
nis stabat: & iam anno in magistratu erat. ab iisdem
illis creatus prætor. Is mutata repente voluntate lo-
cum gratiæ apud Pœnum quærens, neque transire
ipse, neque trahere ad defectionem Lucanos satis
habuit, nisi imperatoris & eiusdem hospitis prodi-
ti capite ac sanguine fœdus cum hostibus sanxisset.
ad Magonē qui in Brutiis præerat, clā in colloquiū
venit. fidéq. ab eo accepta, si Romanū imperatorē si-
bi tradidisset, liberos cū suis legib. venturos in amici-
tiā Lucanos, deducit Pœnum, in locū pacis Gracchū
adducturus. Magonem ibi pedites equitésq. armare,
& capere eas latebras, vbi ingentem numerum oc-
culeret, iubet. Loco satis inspecto, atque vndiq. ex-
plorato, dies composita gerendæ rei est. Flauius ad
Romanum imperatorem venit. Rem se ait magnam
incoasse, ad quam perficiendā ipsius Gracchi opera
opus esset. omnium populorum prætoribus qui ad
Pœnum in illo communi Italiæ motu descissent,
persuasisse vt redirent in amicitiam Romanorum,
quando res quoque Romana, quæ prope exitium
clade Cannensi venisset, indies melior atque auctior
fieret: Annibalis vis senesceret, ac prope ad nihilum
venisset. veteri delicto haud implacabiles fore Ro-
manos: nullam vnquam gentem magis exorabilem,
promtiorémque veniæ dandæ fuisse. quoties rebel-
lioni etiam maiorum suorum ignotum? Hæc ab se
ait dicta. ceterum ab ipso Gaccho eadem hæc audire
malle eos, præsentisque contingere dextram: id pi-
gnus fidei secum ferre. Locum se consiliis edixisse à
conspectu amotum, haud procul à castris Romanis
ibi paucis verbis transigi rem posse, vt omne no-
men Lucanum in fide ac societate Romana sit. Grac-
chus fraudem & sermoni & rei abesse ratus, ac simi-
litudine veri captus, cum lictoribus ac turma equi-
tum è castris profectus duce hospite in insidias præ-
cipitatus. Hostes subitò exorti: & ne dubia proditio
esset, Flauius his se adiungit. tela vndique in Grac-
chum atque equites coniiciūtur. Gracchus ex equo
desiliit, idem ceteros facere iubet: hortaturque, vt
quod vnum reliquum fortuna fecerit, id honestent
virtute, reliquū autem quid esset paucis à multitu-
dine in valle sylua ac montibus septa circumuentis
præter mortem? id referre, vtrum præsenti torpore
pecorum modo inulti trucidentur, an toto animo à
patiendo expectandoque euentu in impetum atque
iram verso, agentes audentésque, perfusi hostium
cruore inter exspirantiū inimicorum cumulata ar-
máque & corpora cadant. Lucanum proditorem ac
transfugam omnes peterent: qui eam victimam præ
se ad inferos misisset, eum decus eximium egregi-
umque solatium suæ morti inuenturum. Inter hæc
dicta paludamento circum læuum brachiū intorto
(nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes
impetum fecit. Maior quàm pro numero hominum
editur pugna: iaculis maximè aperta corpora Ro-
manorum, & cum vndique ex altioribus locis in ca-
uam vallem coniectus esset, transfiguntur. Gracchū
iam nudatum præsidio viuum capere Pœni nitūtur.
ceterum ille conspicatus Lucanum hospitem inter
hostes adeò infestus cōfertos inuasit, vt parci ei sine
multorum pernicie non posset. Exanimē eum Ma-
go extemplo ad Annibalem misit, ponique cum ca-
ptis simul fascibus ante tribunal imperatoris iussit.
Hæc vera fama est. Gracchus in Lucanis ad campos
qui Veteres vocantur, periit. Sunt qui in agro Bene-
uentano prope Calorem fluuium ostendant à castris
cum lictoribus ac tribus seruis lauandi caussa pro-
gressum, cùm forte inter salicta innata ripis laterent
hostes, nudum atque inermem, saxisque quæ voluit
amnis, propugnantem interfectum. Sunt qui aruspi-
cum monitu quingentos passus à castris progressum
vti loco puro ea quæ antè dicta prodigia sunt, pro-
curaret ab insendentibus fortè locū duabus turmis
Numidarum circumuētum scribant. adeò nec locus
nec ratio mortis in viro tam claro & insigni constat.
Funeris quoque Gracchi varia fama est. Alij in ca-
stris Romanis sepultum ab suis, alij ab Annibale (&
ea vulgatior fama est) tradūt in vestibulo Punicorū
castrorum rogum exstructum esse, armatum exer-

ad Annibalem desciuissent,oppugnaret,intétius rem
egisse:postea nimio successu & ipsum & milites præ-
da impletos,in tantam licentiam socordiámque ef-
fusos,vt nulla disciplina militiæ esset. Annibal cum
sæpe aliàs,tum paucis diebus ante expertus, qualis
sub inscio duce exercitus esset, in Apuliam castra
mouit. Circa Herdoniam Romanæ legiones &
prætor Fuluius erant.quò vbi allatum est hostes ad-
uentare:prope est factum, vt iniussu prætoris signis
conuulsis in aciem exirent:nec res vlla magis tenuit,
quàm spes haud dubia,suo id arbitrio, vbi vellent,a-
cturos. Nocte insequenti Annibal,cum tumultua-
tum in castris,& plerosque ferociter signum vt da-
ret institisse duci ad arma vocantes,sciret: haud du-
bius prosperæ pugnæ occasionem dari, tria millia
expeditorum militum in villis circà, vepribúsque &
syluis disponit,qui signo dato simul omnes è late-
bris exsilirent. & Magonem,ac duo fermè millia e-
quitum,quà fugam inclinaturam credebat,omnia i-
tinera insidere iubet.his nocte præparatis, prima lu-
ce in aciem copias educit.Nec Fuluius est cunctatus
non tam sua vlla spe, quàm militum impetu fortui-
to tractus.itaque eadem temeritate, qua processum
in aciem est,instruitur ipsa acies ad libidinem mili-
tum forte procurrentium consistentiúmque,quo lo-
co ipsorum tulisset animus, deinde per libidinem
aut metum deserentium locum. Prima legio & sini-
stra ala primo instructæ, & in longitudinem por-
rectæ acies, clamantibus tribunis, nihil introrsus
roboris ac virium esse, & quacunque impetum fe-
cissent hostes,perrupturos. nil quod salutare esset,
non modo ad animum, sed ne ad aures quidem ad-
mittebat. Et Annibal quidem haud quaquam simi-
li exercitu,neque ita instructo aderat. ergo ne cla-
morem quidem atque impetum primum eorũ Ro-
mani sustinuere. Dux stultitia & temeritate Cente-
nio par animo nequaquam comparandus, vbi rem
inclinatam, ac trepidantes suos vidit, equo arrepto
cum ducentis ferme equitibus effugit. cetera à fron-
te pulsa,à tergo atque alis circumuenta acies eo vsq.
est cæsa,vt ex duodeuiginti millibus hominum duo
millia haud amplius euaserint. castris hostes potiti
sunt.Hæ clades super aliam alia Romam cum essent
nuntiatæ,ingens quidem & luctus & pauor ciuita-
tem cepit: sed tamen quia consules, vbi summa re-
rum esset, ad id locorum prospere gererent, minus
his cladibus commouebantur. Legatos ad consu-
les mittunt C.Lectorium,M.Mitilium: qui nuntia-
rent,vt reliquias duorum exercituum cum cura col-
ligerent, daréntque operam ne per metum ac des-
perationem hosti se dederent (id quod post Can-
nensem accidisset cladem) & vt desertores de exer-
citu volonum conquirerent. Idem negotij P.Cor-
nelio datum, cui & delectus mandatus erat. ísque
per fora conciliabuláque edixit, vt conquisitio vo-
lonum fieret, iique ad signa reducerentur. Hæc om-
nia intentissima cura acta. Ap.Claudius consul D.
Iunio ad ostium Vulturni,M.Aurelio Cotta Puteo-
lis præposito, qui, vt quæque naues ex Hetruria ac
Sardinia accessissent, extemplo in castra mitterent
frumentum : ipse ad Capuam regressus, Q.Ful-
uium collegam inuenit Casilino omnia importan-
tem, molientémque ad oppugnandam Capuam.
Tum ambo consules circumsederũt vrbem,& Clau-
dium Neronem prætorem ab Suessula ex Claudia-
nis castris exciuerunt. Is quoque modico ibi præsi-
dio ad tuendum locum relicto, ceteris cum omni-
bus copiis ad Capuam descendit. ita tria prætoria
circa Capuam erecta, tres exercitus diuersis partib.
opus aggressi,fossa valloque circumdare vrbem pa-
A rant & castella excitant modicis interuallis: mul-
tísque simul locis cum prohibentibus opera Cam-
panis eo euẽtu pugnant,vt postremo portis muroq.
se contineret Campanus.Prius tamẽ quàm hęc con-
tinuarẽtur opera, legati ad Annibalẽ missi, qui que-
rerentur desertá ab eo Capuá,ac prope redditá Ro-
manis:obtestarentúrq. vt tũc saltem opem non cir-
cumcessis modo, sed etiam circumuallatis ferret.
Consulib.literæ à P.Cornelio prætore missæ,vt pri-
usquam clauderent Capuam operibus, potestatem
B Campanis facerent, vt qui eorum vellent, exirent
ab Capua,suásque res secum auferrent.liberos fore,
suáque omnia habituros,qui ante Idùs Martias exis-
sent,post eam diem quique exissent,quique ibi man-
sissent, hostium futuros numero. Ea pronuntiata
Campanis, atque ita spreta, vt vltro dicerent con-
tumelias minarentúrque. Annibal ab Herdonia
Tarentum duxerat legiones, spe aut vi aut dolo ar-
cis Tarentinæ potiundæ. quod vbi parum proces-
sit,ad Brundusium flexit iter, prodi id oppidum ra-
C tus. ibi quoque cùm frustra tereret tempus, legati
Campani ad eum venerunt, querentes simul, oran-
tésque: quibus Annibal magnificè respondit, &
antea soluisse obsidionem, & nunc aduentum suum
consules non laturos. Cum hac spe dimissi legati,
vix regredi Capuam iam duplici fossa valloque
cinctam potuerunt. Cùm maximè Capua circum-
uallaretur, Syracusarum quoque oppugnatio ad fi-
nem venit, præterquá vi ac virtute ducis exercitús-
que, intestina etiam proditione adiuta. Namque
D Marcellus initio veris incertus, vtrum Agrigentum
ad Himilconem & Hippocratem verteret bellum,
an obsidione Syracusas premeret:quanquam nec vi
capi videbat posse inexpugnabilem terrestri ac
maritimo situ vrbem, nec fame, quam prope liberi
ab Carthagine commeatus alerent: tamen ne quid
inexpertum relinqueret, transfugas Syracusanos (e-
rant autem apud Romanos aliqui nobilissimi viri,
inter defectionem ab Romanis, qui ab nouis con-
siliis abhorrebant pulsi) colloquiis suæ partis ten-
E tare hominum animos iussit: & fidem dare, si tra-
ditæ forent Syracusæ, liberos eos ac suis legibus vi-
cturos esse. Nõ erat colloquij copia:quia multorum
animi suspecti, omnium curam oculósque conuer-
terant,ne quid falleret tale admissum. Seruus vnus
exsulum pro transfuga, intromissus in vrbem, con-
uentis paucis,initium colloquendi de tali re fecit.
deinde in piscatoria quidam naui retibus operti,
circumuectique ita ad castra Romana, collocutique
cum transfugis. & idem sæpius eodem modo alij
F atque alij;postremo ad octuaginta facti. & cùm iam
cõposita omnia ad proditionẽ essent, indicio delato
ad Epicidem per Attalum quendam indignantem
sibi rem creditam non esse, necati omnes & crucia-
ti sunt. Alia subinde spes,postquam hæc vana eua-
serat,excepit, Damasippus quidam, Lacedæmonius
missus ab Syracusis ad Philippum regem, captus ab
Romanis nauibus erat huius vtique redimendi &
Epicidi cura erat ingens : nec abnuit Marcellus iam
tum Ætolorum, cuius gentis socij Lacedæmonij
G erant, amicitiam affectantibus Romanis.Ad collo-
quium de redemtione eius missis medius maximè,
atque vtrisque opportunus locus ad portum Tro-
gilorum,ptopter turrim, quam vocant Galeagram,
est visus.quò cum sæpius commearent,vnus ex Ro-
manis ex propinquo murum contemplatus, nume-
rando lapides, æstimandoque ipse secum, qui in
fronte paterent : simul altitudinem muri, quantum
proximè coniectura poterat, permẽsus humilioremq.
aliquãto pristina opinione sua & ceterorũ omnium

ratus esse,& vel mediocribus scalis superabilem: ad
Marcellum rem defert. Haud spernenda res visa, sed
cum adiri locus,qui ob idipsum intentius custodie-
batur,non posset,occasio quærebatur. quam obtulit
transfuga,nuntians diem festum Dianæ per triduum
agi: & quia alia in obsidione desint, vino largius e-
pulas celebrari, & ab Epicide præbito vniuersæ ple-
bi, & per tribus à principibus diuiso. Id vbi accepit
Marcellus, cum paucis tribunorum militum collo-
cutus, electisque per eos ad rem tantam agendam
audendámque idoneis centurionibus militibúsque,
& scalis in occulto comparatis, ceteris signum dari
iubet,vt maturè corpora curarent,quietique darent:
nocte in expeditionem eundum esse. Inde vbi id
temporis visum, quo die epulatis iam vinóque
satiatis principium somni esset, signi vnius milites
ferre scalas iussit:& ad mille fere armati tenui agmi-
ne per silentium eo deducti. Vbi sine strepitu ac
tumultu primi euaserunt in murum, secuti ordine
alij,cum priorum audacia dubiis etiam animum fa-
ceret. Iam mille armatorum ceperant partem, cum
ceteræ admotæ pluribúsque scalis in murum eua-
debant, signo ab Hexapylo dato quo per ingentem
solitudinem erat peruentum, quia magna pars in
turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigra-
ues potabant. paucos tamen eorum comprehensos
in cubilibus interfecerunt. Prope Hexapylon est por-
tula, ea magna vi refringi cœpta, & è muro ex com-
posito tuba datum signum erat: & iam vndique non
furtim,sed vi apertè gerebatur res. quippe ad Epipo-
las, frequentem custodiis locum, peruentum erat:
terrendique magis hostes erant, quàm fallendi: sicut
territi sunt. Nam simul ac tubarum est auditus can-
tus,clamórque tenentium muros partémque vrbis:
omnia teneri custodes rati alij per murum fugere,
alij salire de muro,præcipitarique turba pauentium,
magna pars tamen ignara tanti mali erat, & grauа-
tis omnibus vino somnoque, & in vastæ magnitudi-
nis vrbe partium sensu non satis pertinente in om-
nia. Sub luce Hexapylo effracto, Marcellus omni-
bus copiis vrbem ingressus excitauit conuertitque
omnes ad arma capienda,opémque, si quam possent,
iam captæ propè vrbi ferendam. Epicides ab insu-
la,quam ipsi Nasson vocant, citato profectus agmi-
ne,haud dubius,quin paucos per negligentiam cu-
stodum transgressos murum expulsurus foret: oc-
currentibus pauidis tumultum augere eos dicti-
tans, & maiora ac terribiliora verò afferre. post-
quam conspexit omnia circa Epipolas armis com-
pleta,lacessito tantum hoste paucis missilibus, retro
in Acradinam agmen conuertit, non tam vim mul-
titudinémque hostium metuens,quam ne qua inte-
stina fraus per occasionem oriretur, clausásque inter
tumultum Acradinæ atque insulæ inueniret portas.
Marcellus vt mœnia ingressus, ex superioribus lo-
cis vrbem, omnium fermè illa tempestate pulcherri-
mam subiectam oculis vidit, illacrymasse dicitur,
partim gaudio tantæ perpetratæ rei, partim vetusta
gloria vrbis. Atheniensium classes demersæ, & duo
ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus
deleti occurrebant: & tot bella cum Carthaginien-
sibus tanto cum discrimine gesta, tot ac tam opulen-
ti tyranni regésque: præter ceteros Hiero, cum re-
centissimæ memoriæ rex, tum ante omnia quæ vir-
tus eius fortunáque sua dederat, beneficiis in popu-
lum Romanum insignis. ea cum vniuersa occurre-
rent animo, subirétque cogitatio, iam illa momento
horæ arsura omnia,& ad cineres reditura: priusquàm
signa Acradinæ admoueret, præmittit Syracusanos,
qui inter præsidia Romana,vt ante dictum est,fuerat

A vt alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam vr-
bem. Tenebant Acradinæ portas, murosque maximè
transfugæ, quibus nulla erat per conditiones veniæ
spes. ij nec adire muros, nec alloqui quemquam
passi. itaque Marcellus postquam id inceptum irri-
tum fuit,ad Euryalum signa referri iussit. Tumulus
est in extrema parte vrbis versus à mari, viæque im-
minens ferenti in agros, mediterraneáque insulæ,
percommodus ad commeatus excipiendos. Præerat
huic arci Philodemus Argiuus ab Epicide imposi-
tus, ad quem missus à Marcello Sosis, vnus ex inter-
fectoribus tyranni, cum longo sermone habito di-
B latus per frustrationem esset, retulit Marcello, tem-
pus eum ad deliberandum sumsisse. Cùm is diem de
die differret, dum Hippocrates atque Himilco ad-
mouerent castra legionésque, haud dubium, si in ar-
cem accepisset eos, deleri Romanum exercitum in-
clusum muris posse: Marcellus vt Euryalum neque
tradi neque capi vidit posse, inter Neapolim & Thi-
cam (nomina partium vrbis, & instar vrbium sunt)
posuit castra: timens ne si frequentia intrasset loca,
C contineri à discursu miles auidus prædæ non pos-
set. Legati eo ab Thica & Neapoli cum infulis &
velamentis venerunt precantes vt à cædibus & ab
incendiis parceretur. De quorum precibus quam
postulatis magis consilio habito, Marcellus ex o-
mnium sententia edixit militibus, ne quis liberum
corpus violaret, cetera prædæ futura, castraque te-
ctis parietum pro muro septa, portis regione pla-
tearum patentibus stationes præsidiáque disposuit,
ne quis in discursu militum impetus in castra fieri
D posset. Inde signo dato milites discurrerunt: refra-
ctísque foribus cum omnia terrore ac tumultu stre-
perent, à cædibus tamen temperatum est. Rapinis
nullus antè modus fuit, quàm omnia diuturna fœ-
licitate cumulata bona egessere. Inter hæc Philode-
mus, cum spes auxilij nulla, fide accepta, vt inuiola-
tus ad Epicidem rediret, reducto præsidio tradidit
tumulum Romanis. Auersis omnibus ad tumulum
ex parte captæ vrbis, Bomilcar noctem ea nactus,
qua propter vim tempestatis stare ad anchoram in
E salo Romana classis, non posset, cum triginta quin-
que nauibus ex portu Syracusano profectus, libero
mari vela in altum dedit, quinque & quinquaginta
nauibus Epicidæ & Syracusanis relictis, edoctisque
Carthaginiensibus, in quanto res Syracusana discri-
mine esset, cum C. nauibus post paucos dies redit,
multis (vt fama est) donis ex Hieronis gaza ab Epi-
cide donatus Marcellus Euryalo recepto, præsidio-
que addito, vna cura erat liber, ne qua ab tergo vis
hostium in arcem accepta, inclusos impeditosque
mœnibus suos turbaret. Acradinam inde ternis ca-
F stris per idonea dispositis loca: spe ad inopiam o-
mnium rerum inclusos redacturum se, circumsedit.
Cum per aliquot dies quietæ stationes vtrinque
fuissent, repente aduentus Hippocratis & Himilco-
nis, vt vltro vndique oppugnarentur Romani, fecit.
nam & Hippocrates castris ad magnum portum
communitis, signoque iis dato qui Acradinam te-
nebant, castra vetera Romanorum adortus est, qui-
bus Crispinus præerat: & Epicides eruptionem in
G stationes Marcelli fecit, & classis Punica littori,
quod inter vrbem & castra Romana erat, appulsa
est, ne quid præsidij Crispino submitti à Marcello
posset. Tumultum tamen maiorem hostes præbue-
runt, quàm certamen. nam & Crispinus Hippocra-
tem non repulit tantum à munimentis, sed insecu-
tus etiam est trepidè fugientem: & Epicidem
Marcellus in vrbem compulit. satísque iam e-
tiam in posterum videbatur prouisum, ne quid
ab

quid ab repentinis eorum excursionibus periculi A
foret. Accessit & pestilentia, commune malū, quod
facile vtrorumq. animos auerteret à belli consiliis.
nam tempore autūni,& locis natura grauibus,mul-
to tamen magis extra vrbem quàm in vrbe, intole-
randa vis æstus per vtraque castra omnium fermè
corpora mouit.& primo temporis ac loci vitio & æ-
gri erant,& moriebantur. Postea curatio ipsa,& cō-
tactus ægrorum vulgabat morbos: vt aut neglecti
desertique qui incidissent, morerentur: aut assidētes B
curantesque eadem vi morbi repletos secum trahe-
rent:quotidianaque funera, & mors ob omnium o-
culos esset,& vndique dies noctesque ploratus audi-
rentur. postremo ita assuetudine mali efferauerāt a-
nimos,vt non modo non lacrymis, iustóq. complo-
ratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent qui-
dē aut sepelirent: iacerēntque strata exanima corpo-
ra in conspectū similem quoque mortem exspectan-
tium:mortuique ægros,ægri validos cum metu,tum C
tabe ac pestifero odore corporum conficerent:& vt
ferro potius morerentur, ferro quidam inuadebant
soli hostium stationes.Multo tamen maior vis pestis
Pœnorū castra,quàm Romana,diu circūsidendo Sy-
racusas cæde aquisq.affecerat magis. ex hostiū exer-
citu Siculi primum videre ex grauitate loci vulgari
morbos,in suas quisq. propinquas vrbes dilapsi sūt.
at Carthaginienses, quibus nusquam receptus erat,
cum ipsis ducibus Hippocrate atque Himilcone ad
internecionē omnes perierunt.Marcellus,vt tāta vis D
ingruebat mali, adduxerat in vrbem suos:infirmáq.
corpora tecta & vmbræ recreauerant. multa tamen
ex Romano exercitu eadem peste absumti sunt.De-
leto terrestri Punico exercitu,Siculi qui Hippocratis
milites fuerant, haud in magna oppida, ceterum &
situ & munimentis tuta:tria millia alterum ab Syra-
cusis, alterum quindecim ab ostio, & commeatus è
ciuitatib.suis comportabant,& auxilia accersebant.
Interea Bomilcar iterum cum classe profectus Car-
thaginem,ita exposita fortuna sociorum,vt spem fa-
ceret: non ipsis modo salutarem opem ferri posse, E
sed Romanos quoque in capta quodammodo vrbe
capi: perpulit, vt onerarias naues quamplurimas o-
mni copia rerum onustas secum mitterent, clas-
semque suam augerent. Igitur centum triginta na-
uibus lōgis, & septuaginta onerariis profectus Car-
thagine, satis prosperos ventos ad traiiciendum in
Siciliam habuit: sed iisdem venti superare eum Pa-
chynum prohibebāt.Bomilcaris aduentus fama pri-
mo, dein præter spem mora, cum gaudium & me-
tum inuicem Romanis Syracusanísque præbuisset: F
Epicides metuens, ne si pergerent iidem, qui tum
tenebant, ab ortu solis flare per dies plures venti,
classis Punica Africam repeteret: tradita Acradina
mercenariorum militum ducibus, ad Bomilcarem
nauigat, classem in statione versa in Africam ha-
bentem,atque timentem nauale prælium, nōn tam
quod impar viribus aut numero nauium esset(quip-
pe etiam plures habebat) quàm quod venti aptio-
res Romanæ quàm suæ classi flarent. perpulit tan-
dem, vt fortunam naualis certaminis experiri vel- G
let. Et Marcellus cum & Siculum exercitum ex
tota insula conciri videret,& cum ingenti commea-
tu classem Punicam aduentare, ne simul terra ma-
rique inclusus, vrbe hostium vegeretur, quanquam
impar numero nauium erat, prohibere aditu Syra-
cusarum Bomilcarem constituit. Duæ classes infe-
stæ circa promontorium Pachynum stabant, vbi
primum tranquillitas maris in altum euexisset,con-
cursuræ.Itaque cadēte iā Euro, qui per dies aliquot
sæuierat,prior Bomilcar mouit: cuius prima classis
petere altum visa est, quo facilius superaret pro-
montorium. Ceterum postquam tendere ad se Ro-
manas naues vidit, incertum qua subita territus re,
Bomilcar vela in altum dedit,missisque nuntiis He-
racleam,qui onerarias naues retro in Africam repe-
tere iuberent,ipse Siciliam prætervectus, Tarentum
petit.Epicides à tanta repente destitutus spe, ne in
obsidionem magna ex parte captæ vrbis rediret, A-
grigentum nauigat, exspectaturus magis euentum,
quàm inde quicquam moturus. Quæ vbi in castra,
Siculorum sunt nuntiata, Epicidem Syracusis exces-
sisse,à Carthaginiensibus relictam insulam,& prope
iterum Romanis traditam; legatos de conditioni-
bus dedēdæ vrbis, explorata prius per colloquia vo-
luntate eorum qui obsidebantur, ad Marcellum
mittunt. Cum haud ferme discreparet,quin quæ v-
bique regum fuissent, Romanorum essent: Siculis
cetera cum libertate ac legibus suis seruarentur: e-
uocatis ad colloquium iis, quibus ab Epicide cre-
dita res erat, missos se simul ad Marcellum, simul
ab eo ad exercitum Siculorum aiunt, vt vna omniū
qui obsiderentur, quique extra obsidionem essent,
fortuna esset: néve alteri propriè sibi paciscerentur
quicquam. Recepti deinde ab iis,vt necessarios hos-
pitésque alloquerentur, expositis quæ pacta iam
cum Marcello haberent, oblata spe salutis perpu-
lere eos, vt secum præfectos Epicidis, Polycle-
tum & Philistionem & Epicidem,cui Sydon cogno-
men erat,aggrederentur. Interfectis iis,& multitu-
dine ad concionem conuocata: & inopiam, qua
ipsi inter se fremere occultè soliti erant, conquesti:
& quamquā tot mala vrgerent, negarunt fortunam
accusandam esse, quod in ipsorum esset potestate,
quandiu ea paterentur. Romanis caussam oppu-
gnandi Syracusas fuisse caritatem Syracusanorum,
non odium: nam vt occupatas res ab satellitibus
Annibalis, deinde Hieronymi, Hippocrate atque E-
picide audierint, tum bellum mouisse, & obsidere
vrbem cœpisse:vt crudeles tyrannos eius, non vt i-
psam vrbem expugnarent. Hippocrate verò inter-
emto Epicide intercluso ab Syracusis, & præfectis
eius occisis, Carthaginiensibus omni possessione Si-
ciliæ terra marique pulsis: quam superesse causam
Romanis, cur non perinde ac si Hiero ipse viueret,
vnicus Romanę amicitiæ cultor,incolumes Syracu-
sas esse velint? Itaque nec vrbi nec hominibus a-
liud periculi,quàm ab semetipsis esse, si occasionem
reconciliandi se Romanis prætermisissent. Eam au-
tem, qualis illo momento horæ sit, nullam deinde
fore, si simul libertas ab impotentibus tyrannis ap-
paruisset. Omnium ingēti assensu oratio audita est:
prætores tamen prius creari quàm legatos nominari
placuit.ex ipsorum deinde prætorum numero missi
oratores ad Marcellum: quorum princeps, Neque
primo, inquit, Syracusani à vobis defecimus, sed
Hieronymus, nequaquam tam in vos impius,quàm
in nos:nec postea pacem tyranni cæde compositam
Syracusanus quisquam. sed satellites regij Hippo-
crates atque Epicides oppressis nobis hinc metu,
hinc fraude,turbauerunt, nec quicquam dicere po-
test,aliquando nobis libertatis tempus fuisse, quod
pacis vobiscum non fuerit. Nunc certè cæde eorum
qui oppressas tenebant Syracusas, cum primum ar-
bitrij nostri esse cœpimus, extēplo venimus ad tra-
denda arma,dedendos nos vrbem, mœnia:nullā re-
cusandam fortunā,quæ imposita à vobis fuerit.Glo-
riam captę nobilissimę pulcherrimæque vrbis Grę-
carum dij tibi dederunt Marcelle. quicquid vn-
quam terra marique memorandum gessimus, id tui
triumphi titulo accedit. famæ ne credi malis, quan-

ta vrbs à te capta sit, quàm posteris quoque eam
spectaculo esse. quo quisquis terra, quisquis mari
venerit:nūc nostra de Atheniēsibus, Carthaginien-
sibúsque trophæa, nunc tua de nobis ostendat, in-
columésque Syracusas familiæ vestræ sub cliente-
la nominis Marcellorum, tutelâque habenda tra-
das, ne plus apud vos Hieronymi, quàm Hie-
ronis memoria momenti faciat. diutius ille mul-
to amicus fuit, quàm hic hostis: & illius etiam
benefacta persensistis, huius amentia ad perni-
ciem tantum ipsius valuit. Omnia & impetra-
bilia & tuta erant apud Romanos. inter ipsos plus
belli ac periculi erat. namque transfugæ tradi se
Romanis rati: mercenariorum quoque mili-
tum auxilia in eundem compulere metum:arreptís-
que armis prætores primum obtruncant,inde ad cę-
dem Syracusanorum discurrunt:quósque fors obtu-
lit, irati interfecerunt: atque omnia quę in promp-
tu erant, diripuere. tum ne sine ducibus essent, sex
præfectos creauere,vt terni Acradinæ ac Nasso præ-
essent. Sedato tandem tumultu, exsequentibus sci-
scitādo mercenariis, quæ acta cum Romanis essent,
dilucere:id quod erat,cœpit:aliam suam ac transfu-
garum caussam esse. In tempore legati à Marcello
redierunt, falsa eos suspicione incitatos memo-
rantes:nec caussam expetendæ pœnæ eorum vllam
Romanis esse. Erat ex tribus Acradinæ præfectis
Hispanus, Mericus nomine. ad eum inter comites
legatorum de industria vnus ex Hispanorum auxi-
liaribus est missus: qui sine arbitris Mericū nactus,
primum quo in statu reliquisset Hispaniam (& nu-
per inde venerat) exponit omnia Romanis ibi obti-
neri armis. posse eum, si operæ precium faciat, prin-
cipem popularium esse: seu militare cum Romanis,
seu in patriam reuerti libeat. contra si malle obsi-
deri pergat, quàm sedem esse terra marique clauso?
Motus his Mericus, cum legatos ad Marcellum mit-
ti placuisset, fratrem inter eos mittit: qui per eundē
illum Hispanum secretus ab aliis ad Marcellum de-
ductus, cum fidem accepisset, composuissétque a-
gēdæ rei ordinem, Acradinam redit. Tum Mericus
vt ab suspicione proditionis auerteret omnium ani-
mos, negat sibi placere legatos commeare vltro ci-
tróque: neque recipiendum quenquam neque mit-
tendum. & quo intentius custodiæ seruentur, op-
portuna loca diuidenda præfectis esse, vt suæ quisq.
partis tutandæ reus sit. Omnes assensi sunt. Partibus
diuidendis, ipsi regio euenit ab Arethusa fonte vsq.
ad ostium magni portus. id vt scirent Romani, fecit.
Itaque Marcellus nocte nauim onerariam cum ar-
matis remulco quadriremis trahi ad Acradinam
iussit: exponitque milites regione portæ quæ prope
fontem Arethusam est. Hoc cùm quarta vigilia fa-
ctum esset, expositósq. milites porta, vt conuenerat,
recepisset Mericus: luce prima Marcellus omnibus
copiis mœnia Acradinæ aggreditur: ita vt non eos
solum qui Acradinam tenebant, in se, conuerteret,
sed ab Nasso etiam agmina armatorum cōcurrerēt,
relictis stationibus suis, ad vim & impetum Ro-
manorum arcendum. In hoc tumultu actuariæ na-
ues instructæ iam ante, circumuectæque, ad Nassum
armatos exponūt. qui improuiso adorti semiplenas
stationes, & adapertas fores portæ, qua paulo antè
excurrerāt armati, haud magno certamine Nassum
cepere, desertam trepidatione & fuga custodum. ne-
que vllis minus præsidij, aut pertinaciæ ad ma-
nendum, quàm transfugis fuit: quia ne suis qui-
dem satis credentes se, medio certamine effuge-
runt. Marcellus vt captam esse Nassum didicit, & A-
cradinæ regionem vnam teneri, Mericúmq. cū præ-

A sidio suis adiūctum, receptui cecinit, ne regię opes,
quarum fama maior quàm res erat, diriperentur.
Suppresso impetu militum, & iis qui in Acradina
erant transfugis spatium locusque fugæ datus est:
& Syracusani tandem liberi metu portis Acradinæ
apertis, oratores ad Marcellum mittunt, nihil pe-
tentes aliud, quàm incolumitatem sibi, liberisque
suis. Marcellus consilio aduocato & adhibitis e-
tiam Syracusanis, qui per seditiones pulsi ab do-
mo inter præsidia Romana fuerant, respondit non
B plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis
quàm paucis his annis maleficia eorum, qui Sy-
racusas tenuerint, erga populum Romanum esse:
sed pleraque eorum quo debuerint, recidisse: fœ-
derúmque ruptorum ipsos ab se grauiores multo,
quàm populus Romanus voluerit, pœnas exegisse.
Si quidem tertium annum circumsedere Syracusas;
non vt populus reseruatam ciuitatem haberet, sed
ne transfugarum duces captam & oppressam te-
nerent. Quid potuerint Syracusani facere, exem-
C plo vel eos Syracusanorum esse, qui inter præsidia
Romana fuerint: vel Hispanum ducem Mericum,
qui præsidium tradiderit: vel ipsorum Syracusa-
norum postremo serum quidem, sed fortè consi-
lium. Omnium sibi laborum periculorúmque circa
mœnia Syracusana terra marique tamdiu exhau-
storum, nequaquam tantum fructum esse, quàm
capere Syracusas potuisse. Inde quæstor cum præsi-
dio ad Nassum ad accipiendam pecuniam regiam
custodiēdámque missus, diripiendáque vrbs milit.
D data est, custodibus diuisis per domos eorum qui
intra presidia Romana fuerunt. Cū multa iræ, multa
inuidiæ auaritiæque fœda exempla ederentur: Ar-
chimedem memorię proditum est in tāto tumultu,
quantum capta vrbs in discursu diripientium mi-
litum ciere poterat, intentum formis, quas in pul-
uere descripserat, ab ignaro milite quis esset inter-
fectum. ægrè id Marcellum tulisse, sepulturæque
curam habitam, & propinquis etiam inquisitis, ho-
nori præsidióque nomen ac memoriam eius fuisse.
E Hoc maximè modo Syracusæ captæ in quibus præ-
dæ tantum fuit quantum vix capta Carthagine tum
fuisset, cum qua æquis viribus certabatur. Paucis
ante diebus quàm Syracusæ caperentur, T. Octa-
cilius cum quinqueremibus octoginta Vticam ab
Lilybæo transmisit, & cùm ante lucem portam in-
trasset, onerarias frumento onustas cepit: egres-
súsque in terram, depopulatus est aliquantum agri
circa Vticam: prædámque omnis generis retro ad
naues egit. Lilybæum tertio die, quàm inde profe-
F ctus erat, cum centum triginta onerariis nauibus
frumento prædáque onustis rediit, idque frumen-
tum extemplo Syracusas misit, quod ni tam in tem-
pore subuenisset, victoribus victísque pariter per-
niciosa fames instabat. Eadem æstate in Hispania,
cùm biennio fermè nihil admodum memorabile
factum esset, consiliisq. magis, quàm armis bellum
gereretur, Romani imperatores egressi hybernis
copias coniunxerunt. ibi consilium aduocatum, o-
mniúmque in vnum congruerunt sententię quando
G ad id locorum id modo actum esset, vt Asdrubalem
tendentem in Italiam retinerent: tempus esse id
iam agi, vt bellum in Hispania finiretur, & satis ad
id virium credebant accessisse, triginta millia Cel-
tiberorum ea hyeme ad arma excitata. Tres exer-
citus erāt. Asdrubal Gisgonis filius, & Mago coniū-
ctis castris quinque fermè dierum iter ab Romanis
aberāt. Propior erat Amilcaris filius Asdrubal, vetus
in Hispania imperator ad vrbem nomine Anitorgin
exercitū habebat. Eū volebant prius opprimi duces
Romani,

Romani: & spes erat satis superque ad id virium esse (A): illa restabat cura, ne fuso eo perculsi, alter Asdrubal, & Mago, in auios saltus montésque recipientes sese bellum extraherent. Optimum igitur rati diuisis bifariam copiis totius simul Hispaniæ amplecti bellum, ita inter se diuiserunt, vt P. Cornelius duas partes exercitus Romanorum sociorúmque aduersus Magonem duceret atque Asdrubalem: Cn. Cornelius, cum tertia parte veteris exercitus Celtiberis adiunctis cum Asdrubale Barchino bellum gereret. vna profecti ambo duces, exercitusque Celtiberis prægredientibus, ad vrbem Anitorgin in conspectu (B) hostium, dirimente amne, ponunt castra. Ibi Cn. Scipio cum quibus ante dictum est copiis substitit, & P. Scipio profectus ad destinatam belli partem. Asdrubal postquam animaduertit exiguũ Romanum exercitum in castris, & spem omnem in Celtiberorum auxiliis esse: peritus omnis barbaricæ & præcipuè omnium earum gentium, in quibus per tot annos militabat, perfidiæ, facili linguæ commercio, cũ vtraque castra plena Hispanorum essent, per occulta colloquia paciscitur magna mercede cum Celtiberorum principibus, vt copias inde abducant. Nec (C) atrox visum facinus. non enim vt in Romanos verterent arma, agebatur: & merces, quanta vel pro bello satis esset, dabatur ne bellum gererent: & cũ quies ipsa tum reditus domum fructusque videndi suos suáque grata vulgo erant. itaque non ducibus facilius quam multitudini persuasum est: simul ne metus quidem ab Romanis erat, quippe tam paucis, se ne retinerent. Id quidem cauendum semper Romanis ducibus erit, exempláque hæc verè pro documẽtis habenda, ne ita externis credant auxiliis, vt non (D) plus sui roboris, suarumque propriè virium in castris habeant. Signis repente sublatis Celtiberi abeunt, nihil aliud quærentibus caussam, obtestantibusque vt manerent, Romanis respondentes, quàm domestico se auocari bello. Scipio, postquam socij nec precibus, nec vi retineri poterant, nec se aut parem sine illis hosti esse, aut fratri rursus coniungi vidit posse, nec vllum aliud salutare consilium in promptu esse: retro quantum posset, cedere statuit, in id omni cura intentus, ne vbi hosti æquo se committeret loco, qui transgressus flumen prope vestigiis abeuntium insistebat. Per eosdem dies P. Scipionem (E) par terror, periculum maius ab nouo hoste vrgebat. Masanissa erat iuuenis, qui eo tempore erat socius Carthaginiensium, quem deinde clarum potentémque Romana fecit amicitia. Is tum cum equitatu Numidarum & aduenienti P. Scipioni occurrit, & deinde assiduè dies noctésque infestus aderat: vt nõ vagos tãtum procul à castris lignatum pabulatumque progressos exciperet, sed ipsis obequitaret castris, inuectusque in medias sæpe stationes, omnia (F) ingenti tumultu turbaret. noctibus quoque sæpe incursu repentino in portis valloque trepidatũ est: nec aut locus aut tempus vllum à metu ac sollicitudine erat, Romanis compulsisque intra vallum, adempto rerum omnium vsu, cum propè iusta obsidio esset, futurámque artiorem eam appareret, si se Indibilis, quem cum septem millibus & quingentis Suessetanorum aduentare fama erat, Pœnis coniunxisset: dux cautus & prudens Scipio victus necessitatibus temerarium capit consilium, vt nocte Indibili (G) obuiam iret, & quocunque occurrisset loco prælium consereret. Relicto igitur modico præsidio in castris, præpositoque T. Fonteio legato, media nocte profectus cum obuiis hostibus manus conseruit. Agmina magis quàm acies pugnabant. superior tamen, vt in tumultuaria pugna Romanus erat. Ceterum & equites Numidæ repente, quos fefellisse dux ratus erat, ab lateribus circumfusi magnum terrorem intulere. Contracto aduersus Numidas certamine nouo, tertius insuper aduenit hostis. duces Pœni assecuti ab tergo iam pugnantes, ancipitique prælium Romanos circumsteterat, incertos in quem potissimum hostem, quàmve in partem conferti eruptionem facerent. Pugnanti, hortantique imperatori, & offerenti se vbi plurimus labor erat, latus dexterum lancea traiicitur: cuneosque is hostium qui in confertos circa ducem impetum fecerat, vt exanimem labentémque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt, imperatorem Romanum cecidisse. Hæc peruagata passim vox, vt & hostes haud dubiè pro victoribus, & Romani pro victis essent, fecit. fuga confestim ex acie duce amisso fieri cœpta est. Ceterùm vt ad erumpendum inter Numidas, aliáque leuium armatorum auxilia haud difficilis res erat: ita effugere tantum equitum, æquantiúmque equos velocitate peditum, vix poterant: cæsique propè plures in fuga, quàm in pugna sunt. nec superfuisset quisquam, ni præcipiti iam ad vesperum die nox interuenisset. Haud segniter inde duces Pœni fortuna vsi, confestim è prælio, vix necessaria quiete data militibus, ad Asdrubalem Amilcaris citatum agmen rapiunt, non dubia spe, cùm copias coniunxissent, debellari posse. Quò vbi est ventum, inter exercitus ducésque victoria recenti lætos gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto, & alteram pro haud dubio parem victoriam exspectantes. Ad Romanos nondum quidem fama tantæ cladis peruenerat, sed tamen mœstum quoddam silentium erat, & tacita diuinatio, qualis iam præsagientibus animis imminentis mali esse solet. Imperator ipse, præterquam quod ab sociis se desertum, hostium tantum auctas copias sentiebat, coniectura etiam & ratione ad suspicionem acceptæ cladis, quàm ad vllam bonam spem pronior erat. Quonam modo enim Asdrubalem ac Magonem, nisi defuncto suo fratre bello, sine certamine adducere exercitum potuisse? quomodo autem non obstitisse? aut ab tergo non secutum fratrem? vt si prohibere quo minus in vnum coirent & duces & exercitus hostium non posset, ipse certè cum fratre coniungeret copias. His anxius curis, id modo esse salutare in præsens credebat, cedere inde quantum posset, & inde vna nocte ignatis hostibus, & ob id quietis, aliquantum emensus est iter. Luce, vt senserunt profectos hostes, præmissis Numidis quàm poterant maximè citato agmine sequi cœperunt. ante noctem assecuti Numidæ, nunc ab tergo, nunc in latera concursantes. Consistere cœperunt, ac tutari agmen quantum possent: tamen tuto vt simul pugnarent procederéntq;, Scipio hortabatur, priusquam pedestres copiæ assequerẽtur. Ceterùm nunc agendo, nunc sustinendo agmen, cum aliquandiu haud multum procederetur, & nox iam instaret, reuocat è prælio suos Scipio: & collectos in tumulum quendam, non quidem satis tutum, præsertim agmini perculso, editiorem tamen quàm cetera circa erant, subducit. Ibi primo impedimentis & equitatu in medium receptis, circumdati pedites haud difficulter impetus incursantium Numidarum arcebant. dein postquam toto agmine tres imperatores cum tribus iustis exercitibus aderant; apparebátque parum armis ad tuendum locum sine munimento valituros esse, circunspectare atque cogitare dux cœpit, si quo modo posset vallum iniicere. sed erat adeo nudus tumulus, & asperi soli, vt nec

virgulta vallo cædendo, nec terra cespiti faciundo, A aut ducendæ fossæ, aliive ulli operi apta inueniri possent: nec ferme quicquam satis arduum aut abscissum erat, quod hosti aditum ascensúmve difficilem præberet. omnia fastigio leni subuexa, ut tamen aliquam imaginem valli obiicerent, clitellas illigatas oneribus velut struentes ad altitudinem solitam circumdabant: cumulo sarcinarum omnis generis obiecto, vbi ad moliendum clitellæ defuerant. Punici exercitus postquam aduenere, in tumulum quidem perfacile agmen erexere: munitionis verò facies no- B ua primò eos velut miraculo quodam tenuit, cũ duces vndique vociferarentur, quid starent? & non ludibrium illud vix fœminis puerísve morandis satis validum distraherent diriperéntque? captum hostem teneri latentem post sarcinas. Hæc contemtim duces increpabant: ceterùm neque transilire, neque moliri onera obiecta, nec cedere stipatas clitellas, ipsísque obrutas sarcinis facile erat. Tardatis diu, cùm amoliti obiecta onera, armatis dedissent viam, pluribúsque idem partibus fieret, capta iam vndi- C que castra erant: pauci à multis perculsique à victoribus passim cedebantur. Magna pars tamen militum, cum in propinquas refugisset syluas, in castra P. Scipionis, quibus T. Fonteius legatus præerat, perfugerunt. Cn. Scipionem alij in tumulo primo impetu hostium cæsum tradunt: alij cum paucis in propinquam castris turrim perfugisse. hanc igni circundatam, atque ita exustis foribus, quas nulla moliri potuerunt vi, captam: omnésque intus cum ipso imperatore occisos. Anno septimo postquam in His- D paniam venerat Cn. Scipio, vndetrigesimo die post fratris mortem est interfectus. Luctus ex morte eorum non Romæ maior quàm per totam Hispaniam fuit. quin apud ciues partem doloris & exercitus amissi, & alienata prouincia, & publica trahebat clades. Hispaniæ ipsos lugebant desiderabántque duces, Cneum tamen magis, quod diutius præfuerat iis, priórque & fauorem occupauerat, & specimen iustitiæ temperantiæque Romanæ primus dederat. Cum deletus exercitus, amissæque Hispaniæ viderentur: E vir vnus res perditas restituit. Erat in exercitu L. Martius Septimij filius, eques Romanus, impiger iuuenis, animique & ingenij aliquanto quàm pro fortuna, in qua erat natus, maioris. ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis disciplina: sub qua per tot annos omnes militiæ artes edoctus fuerat. Hic & ex fuga collectis militibus, & quibusdam de præsidiis deductis, haud contemnendum exercitum fecerat, iunxerátque cum T. Fonteio P. Scipionis legato. Sed tantum præstitit eques Romanus auctoritate inter F milites atque honore, vt castris citra Iberum communitis, cum ducem exercituum comitiis militarib. creari placuisset: subeuntes alij aliis in custodiã valli stationésque, donec per omnes suffragium iret, ad L. Martium cuncti summam imperij detulerint. Omne inde tempus (exiguum id fuit) muniendis castris, conuehendísque commeatibus consumtum: & omnia imperia milites cum impigrè, tum haudquaquam abiecto animo exsequebantur. Ceterùm postquam Asdrubalem Gisgonis venientem ad reliquias G belli delendas transisse Iberum, & appropinquare allatum est, signúmque pugnæ propositum ab nouo duce milites viderunt: recordati, quos paulo ante imperatores habuissent, quibúsque & ducibus & copiis freti prodire ad pugnam soliti essent, flere omnes repente, & offensare capita: & alij manus ad cœlum tendere, deos incusantes: alij strati humi suum quisque nominatim ducem implorare. neque sedari lamentatio poterat, excitantibus centurionibus manipulares, & ipso minitante & increpante Martio, quod in muliebres & inutiles se proiecissent fletus, potius quàm ad tutandos semetipsos, & rempublicam, secum acuerent animos, & ne inultos imperatores suos iacere sinerent: cum subitò clamor tubarúmque sonus (iam enim prope vallum hostes erant) exauditur. inde verso repente in iram luctu, discurrunt ad arma: ac velut accensi rabie discurrunt ad portas, & in hostem negligenter atque incompositè venientem incurrunt. Extemplo improuisa res pauorem incutit Pœnis, mirabundique vnde tot hostes tam subito exorti propè deleto exercitu forent: vnde tanta audacia, tãta fiducia sui victis ac fugatis: quis imperator duobus Scipionibus cæsis exstitisset: quis castris præesset: qui signum dedisset pugnæ: ad hæc tot, iam nec opinata primo omnium incerti stupentésque referunt pedem: dein valida impressione pulsi terga vertunt, & aut fugientium cædes fœda fuisset, aut temerarius periculosúsque sequentium impetus, ni Martius properè receptui dedisset signum, obsisténsque ad prima signa, quosdam & ipse retinens, concitatam repressisset aciem. inde in castra auidos adhuc cædisque & sanguinis reduxit. Carthaginienses trepidè primo ab hostium vallo acti, postquam neminem insequi viderunt, metu substitisse rati, contemtim rursus & sedato gradu in castra abeunt. Par negligentia in castris custodiendis fuit. nam etsi propinquus hostis erat: tamen reliquias eum esse duorum exercituum ante paucos dies deletorum, succurrebat. Ob hoc cum omnia neglecta apud hostes essent: exploratis iis, Martius ad consilium prima specie temerarium magis quàm audax, animum adiecit, vt vltro castra hostium oppugnaret: simul facilius esse ratus vnius Asdrubalis expugnari castra, quàm si se rursus tres exercitus ac tres duces iunxissent, sua defendi: simul, aut si successisset cœptis, recepturum se afflictas res: aut si pulsus esset, tamen vltro inferendo arma, contemtum sui demturum. Ne tamen subita res, & nocturnus terror etiamnum suæ fortunæ consilium perturbaret: alloquendos adhortandósque sibi milites ratus concione aduocata ita disseruit: Vel mea erga imperatores nostros viuos mortuosque pietas, vel præsens omnium nostrûm, milites, fortuna, fidem cuiuis facere potest, mihi hoc imperium, vt amplum iudicio vestro, ita re ipsa graue ac solicitum esse. quo enim tempore, nisi metus mœrorem obstupefaceret, vix ita compos mei essem, vt aliqua solatia inuenire ægro animo possem: cogor vestram omnium vicem (quod difficillimum in luctu est) vnus consolari, & ne tum quidem, vbi quonam modo has reliquias duorum exercituum patriæ conseruare possim, cogitandum est: auertere animum ab assiduo mœrore libet. præsto est enim acerba memoria: & Scipiones me ambo dies noctésque curis insomniísque agitant, & excitant sæpe somno: neu se, neu inuictos per octo annos in iis terris milites suos, commilitones vestros, neu rempublicam patiar inultam: & suam disciplinam suáque instituta sequi iubent. Et vt imperiis virorum nemo obedientior me vno fuerit: ita post mortem suam, quod quaque in re facturos illos fuisse maximè censeam, id optimum ducere vos quoque velim milites. non lamentis lacrymísque tanquam exstinctos prosequi (viuunt enim, vigéntque fama rerum gestarum) sed quotiescunque occurret memoria illorum, velut si adhortantes, signúmque dantes videatis eos, ita prælia inire. Nec alia profectò species hesterno die oculis animísque vestris oblata memorabile illud edidit prælium: quo documentum dedistis hostibus, non cum Scipioni-

Scipionibus exstinctum esse nomen Romanum: & cuius populi vis atque virtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni profecto sæuitia fortunæ emersurum esse. Nunc, qui tantum ausi estis sponte vestra, experiri libet quantum audeatis duce vestro auctore. non enim hesterno die cum signum receptui debet, sequentibus effusè vobis turbatum hostem, frangere audaciam vestram, sed differre in maiorem gloriam atque opportunitatem volui: vt postmodum præparati incautos, armati inermes, atque etiam sopitos, per occasionem aggredi possetis. Nec huius occasionis spem milites forte temere, sed ex re ipsa conceptam habeo. A vobis quoque profecto si quis quærat, quonam modo pauci à multis, victi à victoribus castra tutati sitis, nihil aliud respondeatis, quã idipsum timentes vos, omnia & operibus firmata habuisse, & ipsos armatos instructosque fuisse. Et ita se res habet. ad id quod ne timeatur, fortuna facit, minime tuti sunt homines: quia quod neglexeris, incautum atque apertum habeas. Nihil omniũ nunc minus metuunt hostes, quàm ne obsessi modo ipsi atque oppugnati, castra sua vltro oppugnemus. Audeamus quod credi non potest ausuros nos: eo ipso, quod difficillimum videtur, facillimum erit. Tertia vigilia noctis silenti agmine ducam vos, exploratum habeo, non vigilias in ordine, non stationes iustas esse. clamor in portis auditus, & primus impetus castra ceperit. tum inter torpidos somno, pauentésque ad nec opinatum tumultum, & inermes in cubilibus suis oppressos illa cædes edatur, à qua vos hesterno die reuocatos ægre ferebatis. Scio audax videri consilium: sed in rebus asperis & tenuibus fortissima quæque consilia tutissima sunt: quia si in occasionis momento, cuius prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omissam quæratis. Vnus exercitus in propinquo est: duo haud procul absunt. nunc aggredientibus per aliqua opportunitas est: & iam tentastis vestras atque illorum vires. si diem proferimus, & hesternæ eruptionis fama contenti desierimus, periculum est, ne omnes duces, omnésque copiæ conueniant. tres deinde duces, tres exercitus sustinebimus hostiũ, quos Cn. Scipio incolumi exercitu non sustinuit? Vt diuidendo copias, periere duces nostri: ita separati ac diuisi opprimi possunt hostes. alia belli gerendi via nulla est. proinde nihil præter noctis proximè opportunitatem exspectemus. Ite diis bene iuuantibus, corpora curate, vt integri vigentésque eodem animo in castra hostium irrumpatis, quo vestra tutati estis. Læti audiere ab nouo duce nouum consilium, & quo audacius erat, magis placebat. reliquum diei expediendis armis, & curatione corporum consumptum: & maior pars noctis quieti data est. quarta vigilia mouere. Erant vltra proxima castra sex millium interuallo distantes aliæ copiæ Pœnorum. Vallis caua intererat, condensa arboribus. in huius siluæ medio fermè stadio cohors Romana arte Punica alitur, & equites. Ita medio itinere intercepto, ceteræ copiæ silenti agmine ad proximos hostes ductæ. & cũ statio nulla pro portis, neque in vallo custodiæ essent, velut in sua castra, nullo vsquam obsistente, penetrauere. inde signa canunt. & tollitur clamor. pars semisopitos hostes cædunt, pars ignis escas stramenta arida tectis iniiciunt: pars portas occupat, vt fuga intercludant. hostes simul ignis, clamor, cædes, velut alienatos sensibus, nec audire, nec prouidere quicquam sinunt. incidunt inermes inter cateruas armatorum. alij ruunt ad portas, alij obseptis itineribus super vallum saliunt: & vt quisque euaserat, protinus ad castra altera fugiunt: vbi à cohorte & equitibus ex occulto prouenientibus circumuenti cæsique ad vnũ omnes sunt. quanquam etiam, si quis ex ea cæde effugisset, adeo raptim captis propioribus castris in altera transcursum castra ab Romanis est, vt præuenire nuntius cladis non posset. Ibi verò quo longius ab hoste aberant, & quia sub lucem pabulatũ, lignatum & prædatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta inuenere: arma tantum in stationibus posita, milites inermes, aut humi sedentes accubantésque, aut obambulantes ante vallum portasque. Cum his tam securis solutisque Romani calentes adhuc ab recenti pugna, ferocesque victoria prælium ineunt. itaque nequaquam resisti in portis potuit. intra portas cõcursu ex totis in castris ad primum clamorem ex tumultu facto, atrox prælium oritur. diúque tenuisset, ni cruenta scuta Romanorum visa, indicium alterius cladis Pœnis, atque inde pauorem iniecissent. hic terror in fugam auertit omnes effusique qua iter est, nisi quos cædes oppressit, exuuntur castris. Atque ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcij. Ad triginta septem millia hostium cæsa, auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit: captos ad mille octingentos triginta: prædam ingentem partam: in ea fuisse clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barchini Asdrubalis. Valerius Antias vna castra Magonis capta tradit: septem millia fermè cæsa hostium: altero prælio eruptione pugnatum cum Asdrubale, decem millia occisa: quatuor millia trecentos triginta captos. Piso quinque millia hominum, cùm Mago cedentes nostros effusè sequeretur, cæsa ex insidiis scribit. Apud omnes magnum nomen Martij ducis est: & veræ gloriæ eius etiam miracula addunt: flammam ei concionanti fusam è capite sine ipsius sensu, cum magno pauore circumstantium militum: monumentumque victoriæ eius de Pœnis vsque ad incensum Capitolium fuisse in templo clypeum, Martium appellatum, cum imagine Asdrubalis. Quietæ deinde aliquádiu in Hispania res fuere, vtrisque post tantas acceptas inuicem illatásque clades cunctantibus periculum summæ rerum facere. Dum hæc in Hispania geruntur, Marcellus captis Syracusis, cum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, vt non modo suam gloriam, sed etiam maiestatem P.R. augeret: ornamenta vrbis, signa tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam deuexit: hostiũ quidem illa spolia & parta belli iure. ceterum inde primum initium mirandi Græcarum artium opera, licentiæque hinc sacra profanáque omnia vulgo spoliandi, factũ est; quæ postremo in Romanos deos, templum idipsum primum quod à Marcello eximiè ornatum est, vertit. visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata à Marcello templa, propter excellentia eius generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet. Legationes omnium fermè ciuitatum Siciliæ ad eum conueniebant. dispar vt caussa earum, ita conditio erat. Qui ante captas Syracusas aut non defecerant, aut redierant in amicitiam, vt socij fideles accepti cultique. quos metus post captas Syracusas dediderat: vt victi à victore leges acceperunt. Erant tamen haud paruæ reliquiæ belli circa Agrigentum Romanis, Epicides & Hanno, duces reliquiæ prioris belli, & tertius nouus ab Annibale in locum Hippocratis missus, Libyphœnicum generis Hipponiates (Mutinem populares vocabant) vir impiger, & sub Annibale Magistro omnes belli artes edoctus. Huic ab Epicide & Hannone Numidæ dati auxi-

liares, cum quibus ita peruagatus est hostium agros, A
ita socios ad retinendos in fide animos eorum, fe-
rendumque in tempore cuique auxilium, adiit, vt
breui tempore totam Siciliam impleret nominis
sui, nec spes alia maior apud fauentes rebus Car-
thaginiensium esset. Itaque inclusi ad tempus mœ-
nibus Agrigenti dux Pœnus Syracusanusque, non
consilio Mutinis magis quàm fiducia ausi egredi ex-
tra muros, ad Himeram amnem posuerunt castra.
Quod vbi perlatum ad Marcellum est, extemplo co-
pias mouit: & ab hoste quatuor fermè millium in- B
teruallo consedit, quid agerent pararéntve, exspecta-
turus. Sed nullum neque locum, neque tempus cun-
ctationi consiliove dedit Mutines, transgressus am-
nem, ac stationibus hostium cum ingenti terrore
ac tumultu inuectus. Postero die propè iusto prælio
compulit hostem intra munimenta. inde reuocatus
seditione Numidarum in castris facta, cum trecen-
ti fermè eorum Heracleam Minoam concessissent,
ad mitigandos reuocandosque eos profectus, ma-
gnoperè monuisse duces dicitur, ne absente se cum C
hoste manus consererent. Id ambo ægrè passi du-
ces, magis Hanno, iam antè anxius gloria eius:
Mutinem sibi modum facere, degenerē Afrum im-
peratori Carthaginiensi misso ab senatu populo-
que. Is perpulit cunctantem Epicidem, vt transgres-
si flumen in aciem exirent. nam si Mutinem operi-
rentur, & secunda pugnæ fortuna euenisset; haud
dubiè Mutinis gloriam fore. Enimuero indignum
ratus Marcellus, se, qui Annibalem subnixum vi-
ctoria Cannensi ab Nola repulisset: his terra mari- D
que victis ab se hostibus cedere, arma propere cap e-
re milites, & efferri signa iubet. Ad instruentem e-
xercitum decem effusis equis aduolant ex hostium
acie Numidæ, nuntiantes populares suos primum
ea seditione motos, qua trecenti ex numero suo cō-
cessérint Heracleam: dein quod præfectum suum
ab obtrectantibus ducibus gloriæ eius sub ipsam
certaminis diem ablegatum videant, quieturos in
pugna. Gens fallax promissi fidem præstitit. itaque
& Romanis creuit animus, nuntio celeri per ordi- E
nem misso, destitutum ab equite hostem esse, quem
maximè timuerant: & territi hostes, præterquam
quod maxima parte virium suarum nō iuuabantur,
timore etiam incusso ne à suo ipsi equite oppugna-
rentur. Itaque haud magna vis certaminis fuit. Pri-
mus clamor atque impetus rem decreuit. Numidæ
cum in concursu quieti stetissent in cornibus, vt ter-
ga dantes suos viderunt, fugæ tantum parumper co- F
mites facti, postquam omnes Agrigentum trepido
agmine petentes viderunt, ipsi metu obsidionis pas-
sim in ciuitates proximas dilapsi. Multa millia ho-
minum cæsa captáque & octo elephanti. Hæc vlti-
ma in Sicilia Marcelli pugna fuit. victor inde Syra-
cusas rediit. Iam fermè in exitu annus erat, itaque se-
natus Romæ decreuit, vt P. Cornelius Pr. literas Ca-
puam ad Coss. mitteret: dum Annibal procul abes-
set, nec vlla magni discriminis res ad Capuam gere-
retur: alter eorum, si ita videretur, ad magistratus G
subrogandos Romam veniret. Literis acceptis, inter
se Coss. compararunt, vt Claudius comitia perfice-
ret, Fuluius ad Capuam maneret. Coss. Claudius
creauit Cn. Fuluium Centimalum, & P. Sulpitium
Seruij filium, Galbam, qui nullum antea curulem
magistratum gessisset. Prr. deinde creati L. Corne-
lius Lentulus, M. Cornelius Cethegus, C. Sulpitius,
C. Calpurnius Piso. Pisoni iurisdictio vrbana, Sul-
pitio Sicilia, Cethego Apulia, Lentulo Sardinia e-
uenit. Consulibus prorogatum in annum impe-
rium est.

DECADIS TERTIAE

LIBER VI.

CN. Fuluius Centimalus, P. Sulpitius Galba
Coss. cùm Idibus Martiis magistratum inissét:
senatu in Capitolium vocato, de Rep. de administra-
tione belli, de prouinciis exercitibusq. Patres cōsu-
luerūt. Q. Fuluio, & Appio Claudio prioris anni con-
sulibus prorogatū imperium est, atq; exercitus quos
habebant, decreti: adiectúque, ne à Capua, quam obsi-
debant, abscederent, priusquam expugnassent. Ea tū
cura maximè intentos habebat Romanos: nō tam ob
iram, quæ in nullam vnquam ciuitatem iustior fuit,
quàm quod vrbs tam nobilis ac potēs, sicut defectio-
ne sua traxerat aliquot populos, ita recepta inclina
tura rursus animos videbatur ad veteris imperij res-
pectū. Et prætoribus prioris anni, M. Iunio in Hetru-
ria, P. Sēpronio in Gallia, cum binis legionibus, quas
habuerant, prorogatum est imperiū. Prorogatum &
M. Marcello, vt proconsul in Sicilia reliquias belli
perficeret eo exercitu quem haberet. si supplemento
opus esset, suppleret de legionibus, quibus P. Corne-
lius proprætor in Sicilia præesset: dum ne quem mi-
litem legeret ex eo numero quibus senatus missionē
reditumve in patriam negasset ante belli finem. C.
Sulpitio, cui Sicilia euenerat, duæ legiones, quas P.
Cornelius habuisset, decretæ: & supplementum de
exercitu Cn. Fuluij, qui priore anno in Apulia fœdè
cæsus fugatusque erat. Huic generi militum senatus
eundem, quem Cannensibus, finem statuerat militię.
additum etiam vtrorumque ignominię est, ne in op-
pidis hybernarent, néve hyberna propius vllá vrbem
decem millibus passuum ædificarent. L. Cornelio in
Sardinia duæ legiones datæ, quibus Q. Mutius præ-
fuerat. supplementum, si opus esset, consules scribere
iussi. T. Octacilio, & M. Valerio, Siciliæ Græciæque
ora cū legionibus classibusque quibus præerant de-
creta. Quinquaginta Græci cum legione vna, centū
Siculi cum duabus legionibus habebant naues. Tri-
bus & viginti legionibus Romanis eo anno bellum
terra marique est gestum. Principio eius anni cū de
literis L. Martij referretur, res gestæ magnificę sena-
tui visæ. titulus honoris, quod imperio non populi
iussu, non ex auctoritate patrum dato, Proprętor se-
natui scripserat, magnam partem hominū offendē-
bat. Rem mali exēpli esse, imperatores legi ab exer-
citibus, & solemne auspicatorum comitiorū in ca-
stra & prouincias procul ab legibus magistratibusq;
ad militarem temeritatem transferri. & cùm quidā
referendum ad senatum censerent, melius visum dif-
ferri eam consultationem, donec proficiscerentur
equites, qui ab Martio literas attulerant. Rescribi de
frumento & vestimentis exercitus placuit: vtranque
rē eam curæ fore senatui. adscribi autem, Proprętori
L. Martio, non placuit: ne idipsum, quod cōsultatio-
ni reliquerant, pro præiudicato ferrent. Dimissis e-
quitibus, de nulla re prius consules retulerūt omniū-
que in vnum sententiæ congruebant, agendum cum
tribunis plebis esse, primo quoque tēpore ad plebem
ferrent, quem cum imperio mitti placeret in Hispa-
niam ad eū exercitum, cui Cn. Scipio imperator prę-
fuisset. Ea res cum tribunis acta promulgatáque est.
Sed aliud certamē occupauerat animos. C. Sēpronius
Blæsus die dicta Cn. Fuluium ob exercitū in Apulia
amissum

amissum in concionibus vexabat, multa imperato- A rem temeritate atque inscitia exercitum in locum præcipitem perduxisse dictitans. Neminem, præter Cn.Fuluium, ante corrupisse omnibus vitiis legiones suas, quàm proderet. itaque vere dici posse, prius eos periisse, quàm viderēt hostē: nec ab Annibale, sed ab imperatore suo victos esse. Neminem, cum suffragium ineat, satis cernere, cui imperium, cui exercitum permittat. Quid interfuisse inter T. Sempronium? Cùm ei seruorum exercitus datus esset, breui effecisse disciplina atque imperio, vt nemo eorum generis ac sanguinis sui memor in acie es- B set: præsidio sociis, hostibus terrori essent. Cum ad Beneuētum aliásque vrbes, eos velut è faucibus Annibalis ereptos P.R. restituisset, Cn.Fuluium Quiritium Romanorum exercitū, honestè genitos, liberaliter educatos, seruilibus vitiis imbuisse. ergo effecisse, vt feroces & inquieti inter socios, ignaui & imbelles inter hostes essent: nec impetum modo Pœnorum, sed nec clamorem quidem sustinere possent. Nec hercule mirum esse milites in acie non stetisse, cum primus omnium imperator fugeret. magis mi- C rari se, aliquos stantes cecidisse. & nō omnes comites Cn.Fuluij fuisse pauoris ac fugæ. C.Flaminium, L.Paulum, L.Posthumium, Cn. ac P.Scipiones cadere in acie maluisse, quàm deserere circumuentos hostibus suos exercitus, Cn.Fuluium prope vnum nuntium deleti exercitus Romam redisse. Facinus indignum esse, Cannensem exercitum, quod ex acie fugerit, in Siciliam deportatum, ne prius inde dimittatur, quàm hostis ex Italia decesserit: & hoc idem in Cn.Fuluij legionibus nuper decretū, Cn.Fuluio D fugam ex prælio ipsius temeritate commissō, impunitam esse: & eum in ganea lustrisque vbi iuuentam egerit, senectutem acturum: milites, qui nihil aliud peccauerint: quàm quod imperatoris similes fuerint, relegatos prope in exilium, ignominiosam pati militiā. adeo imparem libertatem Romæ diti ac pauperi, honorato atque inhonorato esse. Reus ab se culpam in milites transferebat. Eos ferociter pugnam poscentes productos in aciem, non eo, quo E voluerint, quia serū diei fuerit: sed postero die & tempore & loco æquo instructos, seu famam, seu vim hostium non sustinuisse. cum effuse omnes fugerēt, se quoque turba ablatum. vt Varronem Cānensi pugna, vt multos alios imperatores. Quid autem solum se restantem prodesse reip. potuisse? nisi si mors sua remedio publicis cladibus futura esse potuisset. Non se inopia commeatus, non in loca iniqua incautè deductum: non agmine inexplorato euntem insidiis circunuentum: vi aperta, armis, acie victum, F nec suorū animos, nec hostium in potestate habuisse: suum cuique ingenium, audaciam aut pauorē facere. Bis est accusatus: pecuniáque anquisitum. tertio testibus datis, cum præterquam quod omnibus probris onerabatur, iurati permulti dicerent, fugæ pauorisque initium à prætore ortum: ab eo desertos milites: cum haud vanum timorem ducis crederēt, terga dedisse: tanta ira accensa est, vt capite anquirendum concio succlamaret. De eo quoque nouum certamē ortum. nā cum tribunus bis pecunia anquisisset, ter- G tio capitis se anquirere diceret: tribuni plebis appellati. cùm collegæ negarent, se in mora esse, quo minus quod ei more maiorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad vel capitis, vel pecuniæ iudicasset priuato: tum Sempronius perduellionis se iudicare Cn.Fuluio dixit: diéque comitiis ab C.Calpurnio prætore vrbano petit. Inde alia spes ab reo tentata est, si adesse iudicio Q. Fuluius frater posset, florens tum & fama rerum gestarum, & propinqua spe Capuæ potiundæ. Id cum per literas miserabiliter pro fratris capite scriptas petisset Fuluius, negassentq; Patres è r. p. esse abscedi ab Capua priusquam dies comitiorū adērat: Cn. Fuluius exsulatum Tarquinios abiit. id ei iustū exsilium esse sciuit plebs. Inter hęc vis omnis belli versa in Capuam erat. obsidebatur tamen acrius, quàm oppugnabatur. nec aut famē tolerare seruitia ac plebs poterant, aut mittere nuntios ad Annibalem per custodias tam arctas. Inuentus est tandem quidā Numida, qui acceptis literis euasurū se professus vt promissum præstaret, per media Romana castra nocte egressus, spem accendit Campanis, dum aliquid virium superesset, ab omni parte eruptionem tentandi. Ceterùm in multis certaminibus equestria prœlia fermè prospera faciebant: pedites superabantur. sed nequaquam tā lætum vincere, quàm triste vinci vlla parte erat ab obsesso & prope expugnato hoste. Inita tádem ratio est, vt quod viribus deerat, arte æquaretur. Ex omnibus legionibus electi sunt iuuenes, maximè vigore ac leuitate corporū veloces: eis parmæ breuiores, quā equestres, & septena iacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. eos singulos in equos suos accipiētes equites, assuefecerunt, & vehi post sese, & desilire perniciter, vbi datum signum esset. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepidè visum est fieri, in campum qui medius inter castra murúmque erat, aduersus instructos Campanorum equites processerunt. & vbi ad coniectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt. pedestris inde acies ex equitatu repentè in hostium equites incurrit: iaculáque cū impetu alia super alia emittunt. quibus plurimi in equos virosque passim coniectis, permultos vulnerauerunt. pauoris tamen plus ex re noua atque inopinata iniectum est. & in perculsum hostem equites inuecti, fugam stragémque eorum vsque ad portas fecerunt. Inde equitatu quoque superior Romana acies fuit. Institutum vt velites in legionibus essent. Auctorē peditum equiti immiscendorum centurionem Q.Nauium ferunt: honoríque id ei apud imperatorem fuisse. Cùm in hoc statu ad Capuam res essent, Annibalē in diuersum Tarentinę arcis potiundæ, Capuæque retinendæ trahebant curæ. vicit tamē respectus Capuæ, in quā omnium sociorū hostiumque conuersos videbat animos, documento futuræ qualemcúque euentū defectio ab Romanis habuisset. Igitur magna parte impedimentorum relicta in Brutiis, & omni grauiore armatura, cum delectis peditum equitumque quàm poterat aptissimis ad maturandum iter, in Campaniam contendit, secuti tamen tam raptim euntem tres & triginta elephanti. in valle occulta post Tifata montem imminentem Capuę consedit. Adueniens cùm castellum Galatiā, præsidio inde vi pulso, cepisset, in circumsidētes Capuam se vertit: præmissis ante nuntiis Capuam, quo tempore castra Romana aggressurus esset, vt eodem & illi ad eruptionē parati portis omnibus sese effunderent. Res nec explorata Romanis ingentem præbuit terrorem. nam alia parte ipse adortus est: alia Campani omnes pedites equitésque, & cum iis Punicum præsidium, cui Bostar & Hanno præerant, erupit. Romani, vt in re trepida, ne ad vnam concurrendo partē, aliquid indefensi relinquerent: ita inter se copias partiti sunt. Appius Claudius Cāpanis, Fuluius Annibali est oppositus. Claudius Nero proprætor cū equitibus sextę legionis via quæ Suessulā fert: C.Fuluius Flaccus legatus cū sociali equitatu cōstitit è regione Vulturni amnis. Prœliū nō solito modo clamore ac tumultu est cœptū, sed ad aliū virorum,

cenſuit, quid ad vrbem præſidij eſſet. quantas autem A Annibal copias duceret, aut quanto exercitu ad Capuam obſidendam opus eſſet, ipſos ſcire. ſi & Romam è ducibus alter, & exercitus pars mitti poſſet, vt ab reliquo & duce & exercitu Capua rectè obſideretur: inter ſe compararent Claudius Fuluiúſque, vtri obſidenda Capua, vtri ad prohibendam obſidione patriam, Romam veniendum eſſet. Hoc ſenatusconſulto Capuam perlato, Q. Fuluius proconſul, cui collegæ ex vulnere ægro, eundum Romam erat: è tribus exercitibus milite electo, ad B quindecim millia peditum, mille equites Vulturnum traducit. inde cum Annibalem Latina via iturum ſatis comperiſſet, ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Coram, Lauinium præmiſit, vt commeatus paratos & in vrbibus haberent, & ex agris de viis in viam proferrent: præſidiáque in vrbes contraherent, vt ſua cuique reſpublica in manu eſſet. Annibal quo die Vulturnum eſt tranſgreſſus, haud procul à flumine caſtra poſuit. poſtero die præter Cales in agrum Sidici- C num peruenit. ibi diem vnum populando moratus, per Sueſſulam Allifanúmque & Caſinatem agrum via Latina ducit. ſub Caſinum biduo ſtatiua habita: & paſſim populationes factæ. Inde præter Interamnam Aquinúmque in Fregellanum agrum ad Lirim fluuium ventum, vbi interciſum pontem à Fregellanis morãdi itineris cauſſa inuenit. Et Fuluium Vulturnus tenuerat amnis, nauibus ab Annibale incenſis, rates ad traiiciendum exercitum in magna inopia materiæ ægrè comparantem. traie- D cto ratibus exercitu, reliquum Fuluio expeditum iter, non per vrbes modo, ſed circa viam expoſitis benigne commeatibus, erat. allacréſque milites alius alium, vt adderet gradum, memor ad defendendam ire patriam, hortabantur. Romam Fregellanus nuntius diem noctémque itinere continuato ingentem attulit terrorem. tumultuoſius, quam allatum erat, curſus hominum affingentium vana auditis, totam vrbem conciuerat. ploratus E mulierum nõ ex priuatis ſolum domibus exaudiebatur, ſed vndique matronæ in publicum effuſæ circa deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cœlum ac deos tendentes, orantéſque, vt vrbem Romam è manibus hoſtium eriperent: matréſque Romanas, & liberos paruos inuiolatos ſeruarent. Senatus magiſtratibus in foro præſto eſt, ſi quid conſulere velint: alij accipiunt imperia, diſcedúntque ad ſuas quiſque officiorum partes. alij offerunt ſe, ſi quo vſus operæ ſit. præſidia in arce, in Capitolio, in mu- F ris, circa vrbem, in monte etiam Albano atque arce Tuſculana ponuntur. Inter hunc tumultum Q. Fuluium Procoſ. profectum cum exercitu à Capua affertur. cui ne minueretur imperium, ſi in vrbem veniſſet, decreuit ſenatus, vt Q. Fuluio par cum conſulibus imperium eſſet. Annibal infeſtius perpopulato agro Fregellano propter interciſos pontes, per Fruſinatem Ferentinatémque & Anaginum agrum in Labicanum ... Algido Tuſculum petiit: nec receptus mœnibus ... Tuſculum dextrorſus G Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, octo millia paſſuum à Roma poſuit caſtra. Quo propius hoſtis accedebat, eo maior cædes fiebat fugientium, præcedentibus Numidis: pluresque omnium generum atque ætatum capiebantur. In hoc tumultu Fuluius Flaccus porta Capena cum exercitu Romam ingreſſus, media vrbe per Carinas Exquilias contendit. inde egreſſus inter Exquilinam Collinámque portam poſuit caſtra. Aediles plebis

A commeatum eo comportarunt. Coſſ. ſenatúſque in caſtra venerũnt, ibi de ſumma reipub. conſultatum. Placuit Coſſ. circa portas Collinam Exquilinámque ponere caſtra: C. Calpurnium Pr. vrbanum Capitolio atque arci præeſſe: & ſenatum frequentem in foro contineri, ſi quid in tam ſubitis rebus conſulto opus eſſet. Inter hæc Annibal ad Anienem fluuium tria millia paſſuum ab vrbe caſtra admouit. ibi ſtatiuis poſitis, ipſe cum duobus millibus equitum ad portam Collinam, vſque ad Herculis templum eſt B progreſſus: atque vnde proxime poterat, mœnia ſitumque vrbis obequitans contemplabatur. Id eum tam licenter atque otioſè facere, Flacco indignum viſum eſt. itaque immiſit equites, ſubmouerique, atque in caſtra redigi hoſtium equitatum iuſſit. Cum commiſſum prælium eſſet: Coſſ. transfugas Numidarum, qui tum in Auentino ad mille & CC. erant, media vrbe tranſire Exquilias iuſſerunt: nullos aptiores inter conualles tectaque hortorum, & ſepulcra, & cauas vndique vias ad pugnandum futu- C ros rati. quos cum ex arce Capitolioque cliuo publico equis decurrentes quidam vidiſſent, captum Auentinum conclamauerũt. Ea res tantum tumultum ac fugam præbuit, vt niſi caſtra Punica extra vrbem fuiſſent, effuſura ſe omnis pauida multitudo fuerit. Tunc in domos atque in tecta refugiebant: vagoſque in viis ſuos pro hoſtibus lapidibus teliſq. inceſſebant. nec comprimi tumultus, aperirique error poterat, refertis itineribus agreſtium turba pecorumque, quæ repentinus pauor in vrbem compu- D lerat. Equeſtre prælium ſecundum fuit, ſummotique hoſtes ſunt. & quia multis locis comprimendi tumultus erãt, qui temere oriebãtur, placuit, omnes, qui dictatores, Coſſ. cenſoréſve fuiſſent, cum imperio eſſe, donec receſſiſſet à muris hoſtis. Et diei quod reliquum fuit, & nocte inſequenti, multi temere excitati tumultus ſunt, compreſſique. Poſtero die tranſgreſſus Anienem, Annibal, in aciem omnes copias eduxit. nec Flaccus conſuléſque certamen de- E trectauere. Inſtructis vtrinque exercitibus in eius pugnæ caſum, in qua vrbs Romæ victori præmium eſſet, imber ingens grandine miſtus ita vtramque aciem turbauit, vt vix armis retentis in caſtra ſeſe receperint. nullius rei minore quam hoſtium metu. Et poſtero die eodem loco acies inſtructas eadem tempeſtas diremit. vbi recepiſſent ſe in caſtra, mira ſerenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Pœnos verſa eſt: auditaque vox Annibalis fertur, potiundæ ſibi vrbis Romæ modo mentem non dari, modo fortunam. Minuere etiam ſpem e- F ius & aliæ paruæ magnæque res. magna illa, quod cùm ipſe ad mœnia vrbis Romæ armatus ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audiuit: parua autem, quod per eos dies eum forte agrum in quo ipſe caſtra haberet, venisse nihil ob id diminuto pretio, cognitum ex quodam captiuo eſt. id verò adeò ſuperbum atque indignum viſum, eius ſoli quod ipſe bello captum poſſideret haberétque, inuentum Romæ emtorem: vt extemplo vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc eſſet, iuſſerit venire. His G motus ad Turiam fluuium caſtra retulit, ſex millia paſſuum ab vrbe. inde ad lucum Feroniæ pergit ire, templum ea tempeſtate inclytum diuitiis. Capenates aliqui accolæ eius erant, primitias frugum eo, donaque alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebãt. His omnibus donis tum ſpoliatum templum, æris acerui, cum rudera milites religione inducti iacerẽt, poſt profectionem Annibalis magni inuẽti. Huius populatio tẽpli haud du-

bia inter scriptores est. Cœlius Romam euntem ab Ereto diuertisse eo Annibalem tradit: iterque eius ab Reate, Cutiliisque, & ab Amiterno orditur, ex Campania in Samnium, inde in Pelignos peruenisse: prætérque oppidum Sulmonem in Marrucinos trāsisse: inde Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum, Forulósque vicum venisse. Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam breuis æui memoriam potuerint confundi. isse enim ea constat. tantum id interest, veneritne eo itinere ad vrbem, an ab vrbe in Campaniam redierit. Ceterum non quātum pertinaciæ ad premendam obsidione Capuam Romanis fuit, tantum ad defendendam Annibali. námque ex Lucanis in Brutium agrum, ad fretum verò ac Rhegium eo cursu contendit, vt propè repentino aduentu incautos oppresserit. Capua etsi nihilo segnius oppressa per eos dies fuerat, tamen aduentum Flacci sensit: & admiratio orta est, non simul regressum Annibalem. inde per colloquia intellexerunt relictos se desertósque, & spem Capuæ retinendæ deploratam apud Pœnos esse. Accessit edictum proconsulis ex S.C. propositum vulgatúmque apud hostes: vt qui ciuis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset. nec vlla facta est transitio, metu magis eos quàm fide continente: quia maiora in defectione deliquerant, quàm quibus ignosci posset. Cæterum quemadmodum nemo priuato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium consulebatur. Nobilitas rempubl. deseruerat, neque in senatum cogi poterat. in magistratu autem erat, qui non sibi honorem adiecisset, sed indignitate sua vim ac ius magistratui quem gerebat, demsisset. Iam ne in foro quidem, aut publico loco principum quisquam apparebat. domibus inclusi patriæ occasum cum suo exitio indies exspectabant. summa curæ omnis in Bostarem, Hannonémque præfectos præsidij Punici versa erat, suo nō sociorum periculo solicitos. Hi conscriptis ad Annibalem literis, non libere modo, sed etiam aspere, quibus nō Capuam solum traditam in manum hostibus, sed se quoque & præsidium in omnes cruciatus proditos incusabant: abiisse eum in Brutios, velut auertentem sese, ne Capua in oculis eius caperetur. at hercule Romanos ne oppugnatione quidem vrbis Romæ abstrahi à Capua obsidenda potuisse. tanto constantiorem inimicum Romanum quam amicum Pœnum esse. Si redeat Capuam, bellúmque omne eo vertat: & se, & Campanos paratos eruptioni fore. Non cum Rheginis neque Tarentinis bellum gesturos transisse Alpes. vbi Romanæ legiones sint, ibi & Carthaginiensium exercitus debere esse. sic ad Cannas, sic ad Thrasymenum rem bene gestam, coeundo, conferendo cum hoste castra, fortunam tentando. In hanc sententiam literæ conscriptæ, Numidis proposita mercede iam professis operam, dantur. Hi specie transfugarum cum ad Flaccum in castra venissent, vt inde tempore capto abirent: famésque, quæ tam diu Capuæ erat, nulli non probabilem caussam transitionis faceret, mulier repentè Campana in castra venit, scortum transfugarum vnius: indicátque imperatori Romano, Numidas fraude composita transisse, literásque ad Annibalem ferre. Id vnum ex iis qui sibi rem aperuisset, arguere sese paratam esse. Productus primo, satis constanter ignorare se mulierem simulabat. paulatim deinde conuictus veris, cum tormenta posci & parari videret: fassus id ita esse, literæque prolatæ: & additum etiam indicio, quod celabatur, & alios specie transfugarum Numidas vagari in castris Romanis. Hi supra LXX. comprehensi,

A & cum transfugis nouis mulctati virgis, manibúsque præcisis Capuam rediguntur. Conspectum tam triste supplicium fregit animos Campanorum. Concursus ad curiam populi factus coegit Lesium senatum vocare: & primoribus, qui iam diu publicis consiliis aberant, propalam minabantur, nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se, & in publicum omnes vi extracturos esse. Is timor frequentem senatum magistratui præbuit. Ibi cum ceteri de legatis mittendis ad imperatores Romanos
B agerent: Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, interrogatus sententiam, negat eos qui de legatis & de pace ac deditione loquantur, meminisse, nec quid facturi fuerint, si Romanos in potestate habuissent, nec quid ipsis patiendum sit. Quid vos, inquit, eam deditionem fore censetis, qua quondam, vt aduersus Samnites auxilium impetraremus, nos nostráque omnia Romanis dedi-
C mus? Iam è memoria excessit, quo tempore, & in qua fortuna à P.R. defecerimus? iam quemadmodum in defectione præsidium, quod poterat emitti, per cruciatum, & ad contumeliam necauerimus? quoties in obsidentes quam inimici eruperimus? castra oppugnauerimus? Annibalem vocauerimus ad opprimendos eos? hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? Age contrà, quæ illi infestè in nos fecerint, repetite, vt ex eo quid speretis habeatis. Cùm hostis a-
D lienigena in Italia esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderent: omissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambos Coss. & duos consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. Alterum annum circumuallatos inclusósque nos fame macerant, & ipsi nobiscum vltima pericula, grauissimos labores perpessi, circa vallum ac fossas sæpe trucidati, & propè ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. vetus atque vsitata res est, in oppugnanda hostium vrbe labores ac pericula pati: illud iræ atque odij exsecrabilis indicium est. Annibal ingentibus copiis
E peditum equitúmque castra oppugnauit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. profectus trans Vulturnum perussit Calenum agrū: nihil tanta sociorum clade auocati sunt. Ad ipsam vrbem Romam inferri signa iussit: eam quoque tempestatem imminentem spreuerunt. Transgressus Anienem, tria millia passuum ab vrbe castra posuit. postremo ad mœnia ipsa & ad portas accessit: Romam se adempturum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit: & non omiserunt. Feras bestias
F cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam auertas. Romanos Roma circumsessa, coniuges, liberi, quorum ploratus hic quoque propè exaudiebantur, aræ, foci, deum delubra, sepulchra maiorum temerata ac violata, à Capua non auerterunt. tanta auiditas supplicij expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. nec iniuria forsitan. nos quoque idem fecissemus, si data fortuna esset. Itaque quando aliter diis immortalibus visum est, cum mortem
G ne recusare quidem debeam: cruciatus contumeliásque quas sperat hostis, dum liber, dum mei potēs sum, effugere morte præterquam honesta, etiam leni possum. non videbo Ap. Claudium & Q. Fuluium victoria insolenti subnixos: neque vinctus per vrbem Romam triumphi spectaculum trahar, vt deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, ceruicem securi Romanæ subiiciam: nec dirui incendique patriam videbo: nec rapi ad stuprū matres Campanas, virginésque & ingenuos pueros. Albā, vnde ipsi oriundi erant, à fundamētis proruerūt, ne stir-

ne stirpis, ne memoria originum suarum exstaret: nedum eos Capuæ parsuros credam, cui infestiores quàm Carthagini sunt. Itaque quibus vestrum ante fato cedere, quam hæc tot & tam acerba videant, in animo est: iis apud me hodie epulæ instructæ parateque sunt. satiatis vino ciboque, poculum idē quod mihi datum fuerit, circumferetur. ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures à videndis audiendisque omnibus acerbis indignisque, quæ manent victos, vindicabit. parati erunt, qui magno rogo in propatulo ædium accenso corpora exanima iniiciant. Hæc vna via & honesta & libera ad mortem. & ipsi virtutem mirabuntur hostes, & Annibal fortes socios sciet ab se desertos ac proditos esse. Hāc orationem Virij plures audierunt cum assensu, quam forti animo id quod probabant exsequi potuerunt. Maior pars senatus multis sæpe bellis expertam populi Romani clementiam, haud diffidentes sibi quoque placabilem fore, legatos ad dedendam Romanis Capuam decreuerunt, miseruntque. Vibium Virium septem & viginti fermè senatores domum secuti sunt, epulatique cum eo, & quantum facere potuerant, alienatis mentibus vino ab imminētis sensu mali, venenum omnes sumserunt. inde misso conuiuio dextris inter se datis, vltimoque complexu, collacrymantes suum patriæque casum, alij vt eodem rogo cremarentur manserunt, alij domos digressi sunt. Impletæ cibis vinoque venæ minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt, itaque noctem totam plerique eorum, & diei insequentis partem, cum animām egissent: omnes tamen prius quam aperirentur hostibus portæ, expirarunt. Postero die porta Iouis, quæ aduersus castra Romana erat, iussu proconsulis aperta est, ea intromissa legio vna, & duæ alæ cum C. Fuluio legato. Is cum omnium primum arma teláque quæ Capuæ erant, ad se conferenda curasset, custodiis ad omnes portas dispositis, ne quis exire aut emitti posset, præsidium Punicum comprehendit. senatum Campanum ire in castra ad imperatores Romanos iussit. quò cum venissent, extemplo his omnibus catenæ iniectæ, iussique ad quæstores deferre, quod auri argentique haberent. auri pondo L X X. fuit, argenti tria millia pondo & C C. senatores quinque & viginti Cales in custodiam, duodetriginta Theanum missi, quorum de sententia maximè descitum ab Romanis constabat. De supplicio Campani senatus haudquaquā inter Fuluium Claudiúmque conueniebat. facilis impetrandæ veniæ Claudius Fuluij durior sentētia erat. Itaque Appius Romam ad senatum arbitrium eius rei totum reiiciebat. percunctandi etiam æquum esse potestatem fieri Patribus, num communicassent consilia cum aliquibus sociorum Latini nominis municipiorum, & num ope eorum in bello forēt & municipiorum adiuti? id verò minimè committendum esse, Fuluius dicere, vt sollicitarentur criminibus dubiis sociorum fidelium animi, & subiicerentur indicibus, queis neque quid facerent, neque quid dicerent, quicquam vnquam pensi fuisset. itaque se eam quæstionem oppressurum extincturúmque. Ab hoc sermone cùm digressi essent, & Appius quamuis ferociter loquentem collegem, non dubitaret tamen literas super tanta re ab Roma exspectaturum: Fuluius ne id ipsum impedimentum incœpto foret, dimittens prætorium, tribunis militum ac præfectis sociorum imperauit, vti duobus millibus equitum delectis denuntiarent, vt ad tertiam buccinam præsto essent. Cum hoc equitatu nocte Theanum profectus, prima luce portam intrauit, atque in forum perrexit: concursúque ad primum equitum ingressum facto, magistratum Sidicinum citari iussit: imperauitque vt produceret Campanos, quos in custodia haberet. Producti omnes, virgisque cæsi, ac securi percussi. Inde citato equo Cales percurrit. vbi cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum: eques citus ab Roma venit: literásque à C. Calpurnio, populoque Romano, Pr. Fuluio cum tradidisset: murmur à tribunali totam concionem peruasit, deferri rem integram ad patres de Campanis. Et Fuluius id ita esse ratus, acceptas literas neque resolutas cum in gremio reposuisset, præconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet. ita de iis quoque qui Calibus erant, sumtum supplicium. tum literæ lectę, senatusque consultum, serum ad impediendam rem actam, quæ summa ope approperata erat, ne impediri posset. Consurgentem iam Fuluium Taurea Iubellius Campanus per mediā vadēs turbā nomine inclamauit: & cū mirabūdus quidnā sese vellet, inquireret, residens Flaccus: Me quoque, inquit, iube occidi: vt gloriari possis, multo fortiorem quā ipse es, virum abs te occisum esse. Cùm Flaccus negaret profecto satis compotem mentis esse, modo prohiberi etiam se, si id vellet, S. C. diceret. tum Iubellius: Quandoquidem, inquit, capta patria, propinquis amicisque amissis, cum ipse manu mea coniugem liberosque interfecerim, ne quid indigni paterentur, mihi ne mortis quidem copia eadem est, quæ his ciuibus meis: petatur à virtute inuisæ huius vitæ vindicta. atque ita gladio, quē veste texerat, per aduersum pectus transfixus, ante pedes imperatoris moribundus procūbuit. Quia & quod ad supplicium attinet Campanorum, & pleraque alia, de Flacci vnius sententia actā erant. mortuum Appium Claudium sub deditionem Capuæ quidam tradūt. hunc quoque ipsum Tauream neque sua sponte venisse Cales, neque sua manu interfectum: sed dum inter ceteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitus exaudiri possent, quæ vociferabantur, silentium fieri Flaccum iussisse: tum Tauream illa quæ ante memorata sunt, dixisse virū se fortissimum à nequaquam pari ad virtutem occidi. sub hæc dicta iussu procōsulis præconem ita pronuntiasse: Lictor viro forti adde virgas, & in eum primum lege age. Lectum quoque senatusconsultum, priusquam securi feriret, quidā auctores sunt: sed quia adscriptum in senatusconsulto fuerit, si ei videretur, integram rem ad senatum reiiceret, interpretatum esse, quid magis è republica duceret, æstimationem sibi permissam. Capuam à Calibus reditum est: Atellāque & Calatia in deditionem acceptæ. ibi quoque in eos qui capita rerum erant, animaduersum: ita ad L X X. principes senatus interfecti, trecenti fermè nobiles Campani in carcerem conditi, alij per sociorum Latini nominis vrbes in custodias dati, variis casibus interierunt. multitudo alia ciuium Campanorum venundata. De vrbe agroque reliqua consultatio fuit: quibusdam delendam censentibus vrbem prævalidam, propinquam, inimicā. Ceterum præsens vtilitas vicit. nam propter agrum, quem omni fertilitate terrę satis constabat primum in Italia esse, vrbs seruata est, vt esset aliqua aratorū sedes. vrbi frequentādę multitudo incolarum libertinorúmque & institorum opificumque retenta. ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum tanquam vrbem, Capuā, frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse: sine consilio publico, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem

fore, præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros. Ita ad Capuam res compositæ, consilio ab omni parte laudabili, seuere & celeriter in maxime noxios animaduersum: multitudo ciuium dissipata in nullam spem reditus: non sæuitum incendiis ruinisque in tecta innoxia, murósque: & cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species incolumitate vrbis nobilissimæ opulentissimæque, cuius ruinis omnis Campania, omnes qui Campaniam circa accolunt populi ingemuissent: confessio expressa hosti, quanta vis in Romanis ad expetendas pœnas ab infidelibus sociis, & quam nihil in Annibale auxilij ad receptos in fidem tuendos esset. Romani proconsules perfuncti, quòd ad Capuam attinet cura, Claudio Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia peditum, & trecentos equites, quos ipse legisset, & socium Latini nominis peditum numerum parem, & octingentos equites decernunt. Eum exercitum Puteolis in naues impositum Nero in Hispaniam transportauit. Cum Tarraconem nauibus venisset, expositisque ibi copiis, & nauibus subductis, socios quoq; nauales multitudinis augendæ caussa armasset: profectus ad Iberum flumen, exercitum ab T. Fonteio & L. Martio accepit. inde pergit ad hostes ire. Asdrubal Amilcaris ad Lapides atros castra habebat in Ausetanis, is locus est inter oppida Illyturgin & Mentissam. huius saltus fauces Nero occupauit. Asdrubal ne in arcto res esset, caduceatorem misit, qui promitteret, si inde missus foret, se omnem exercitum ex Hispania deportaturum. Quam rem cum læto animo Romanus accepisset, diem posterum Asdrubal colloquio petiuit, vt Romani leges conscriberét de tradendis arcibus vrbium, diéque statuenda, ad quam præsidia deducerentur, suáque omnia sine fraude Pœni deportarent. Quod vbi impetrauit, extemplo primis tenebris, atque inde tota nocte, quod grauissimum exercitus erat, Asdrubal quacunq. posset, euadere è saltu iussit. data sedulo opera est, ne multi ea nocte exirent, vt ipsa paucitas tum ad hostem silentio fallendum aptior, tum ad euadendum per arctas semitas ac difficiles esset. Ventum insequenti die ad colloquium est: sed loquendo plura scribendoque dedita opera, quæ in rem non essent, die consumto, in posterum dilatum est. addita insequens nox spatium dedit & alios emittendi: nec postero die res finem inuenit. ita aliquot dies disceptádo palam de legibus, noctésque emittendis clàm è castris Carthaginiensibus absumtæ. & posteaquam maior pars emissa exercitus erat, iam ne iis quidem quæ vltro dicta erant, stabatur: minusque ac minus, cum timore simul fide decrescente conueniebat. Iá ferme pedestres omnes copiæ euaserant è saltu: cum prima luce dēsa nebula saltum omnem camposque circa intexuit. quod vbi sensit Asdrubal, mittit ad Neronem, qui in posterū diem colloquium differret. illum diem religiosum Carthaginiensibus ad agendum quicquam rei, feriatum esse. Ne tū quidem suspecta fraus. cum data esset venia eius diei, extemplo Asdrubal cum equitatu elephantisque castris egressus, sine vllo tumultu in tutum euasit. Hora ferme quarta depulsa sole nebula aperuit diem, vacuáque hostium castra conspexerunt Romani. Tum demum Claudius Punicam fraudem agnoscens, vt se dolo captum sensit, proficiscentem instititit sequi, paratus cōfligere acie: sed hostis detrectabat pugnam: leuia tamen prælia inter extremum Punicum agmē, præcursorésque Romanorum fiebant. Inter hæc Hispaniæ populi, nec qui post cladem acceptam defecerant, redibant ad Romanos, nec vlli noui deficie-

A bant. Et Romæ senatui populóque post receptam Capuam non Italiæ iam maior quàm Hispaniæ cura erat. & exercitum augeri, & imperatorem mitti placebat. nec tamen quem mitterent, satis constabat: quoniam illuc, vbi duo summi imperatores intra dies xxx. cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendus esset. Cum alij alium nominarent, postremum eò decursum est, vt populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet. diémque comitiis consules edixerunt. Primo exspectauerant, vt qui se tanto imperio di-

B gnos crederent, nomina profiterentur, quæ vt destituta expectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis, desideriúmque imperatorum amissorum. Mœsta itaque ciuitas, prope inops consilij, comitiorum die tamen in campum descendit. atque in magistratus versi, circumspectant ora principum aliorum alios intuentium, fremuntque, adeo perditas res, desperatumq. de rep. esse, vt nemo audeat in Hispaniam imperium accipere. Cum subito P. Corne-

C lius illius, qui in Hispania ceciderat, filius, quatuor & viginti ferme annos natus, professus se petere, in superiore vnde conspici posset loco constitit. In quē postquam omnium ora conuersa sunt, clamore ac fauore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium. iussi deinde inire suffragium, ad vnum omnes nō centuriæ modo, sed etiam homines P. Scipioni imperium esse in Hispaniam iusserunt. Ceterum post rem actam, vt iam resederat impetus animorum ardórque, silentium subito ortum, & tacita

D cogitatio, quidnam egissent noui, quod fauor plus valuisset, quàm ratio ætatis, maxime pœnitebat. quidam fortunam etiam domus horrebant, noménque, ex funestis duabus familiis, in eas prouincias, vbi inter sepulcra patris patruique res gerendæ essent, proficiscentis. Quam vbi ab re tanto impetu acta solicitudinē curámque hominum animaduertit, aduocata concione, ita de ætate sua, imperioque mandato, & bello quod gerendum esset, magno elatoque animo disseruit, vt ardorem eum qui resederat,

E excitaret rursus, innouaretque & impleret homines certioris spei, quàm quantam fides promissi humani, aut ratio ex fiducia rerum subiicere solet. Fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuuenta in ostentationem earum compositus: pleraque ad multitudinem aut per nocturnas visa species, aut velut diuinitus mente monita, agens: siue & ipse capti quadam superstitione animi, siue vt imperia consiliáque velut sorte oraculi missa, sine cunctatione asse-

F queretur. ad hæc iam inde ab initio præparatus animos, ex quo togam virilem sumsit, nullo die prius vllam publicam priuatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingressúsque ædem consideret: & plerúque tēpus solus in secreto ibi tereret. Hic mos, quē per omnem viam seruabatur, seu cōsulto, seu temere vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum diuinæ virum esse: retulitque famam in Alexandro magno prius vulgatā, & vanitate & fabula parem: anguis immanis concubitu conceptum, &

G in cubiculo matris eius persæpe visam prodigij eius speciem, interuentuque hominum euolutam repente, atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palàm affirmandi. Multa alia eiusdē generis, alia vera, alia assimulata, admirationis humanæ in eo iuuene excesserant modū, quibus freta tūc ciuitas, ætati haudquaquam maturæ tantam molem rerum, tantumq. imperium permisit. Ad eas copias, quas ex vetere

exercitu

exercitu Hispania habebat, quæque à Puteolis cum Claudio Nerone traiectæ erant, decem millia peditum, & mille equites adduntur, & M. Iunius Syllanus Proprætor adiutor ad res gerendas datus est. Ita cum XXX. nauium classe (omnes autem quinqueremes erat) ostiis Tyberinis profectus præter oram Tusci maris, Alpes atque Gallicum sinum, & deinde Pyrenes circumuectus promontorium, Emporiis vrbe Græca (oriundi & ipsi à Phocæa sunt) copias exposuit. inde sequi nauibus iussis, Tarraconé pedibus profectus, conuentum omnium sociorum (etenim legationes ad famam aduentus eius ex omni se prouincia effuderant) habuit: naues ibi subduci iussit: remissis quatuor triremibus Massiliésiū, quæ officij causa ab domo prosecutæ fuerant. Responsa inde legationibus, suspensis varietate tot casuum dare cœpit: ita elato ab ingenti virtutum suarum fiducia animo, vt nullum ferox verbum excideret: ingénsque omnibus quæ diceret, cum maiestas inesset, tum fides. Profectus ab Tarracone, & ciuitates sociorum, & hyberna exercitus adiit, collaudauitque milites, quod duabus tantis cladibus deinceps icti prouinciam obtinuissent. nec fructum secundarum rerum sentire hostes passi, omni cis Iberum agro eos arcuissent, sociósque cum fide tutati essent. Martium secum habebat cum tanto honore, vt facilè appareret, nihil minus cū veteri, quàm ne quis obstaret gloriæ suæ. Successit inde Neroni Syllanus. & in hyberna noui milites deducti. Scipio omnibus quæ adeunda agendáque erant maturè aditis peractisque, Tarraconem concessit. Nihilo minor fama apud hostes Scipionis erat, quàm apud ciues sociósque: & diuinatio quædam futuri, quo minus ratio timoris reddi poterat, eo opportunè maiorem inferens metum. In hyberna diuersi concesserant: Asdrubal Gisgonis vsque ad Oceanum & Gades: Mago in mediterranea, maximè supra Castulonensem saltum. Asdrubal Amilcaris filius proximus Ibero circa Saguntum hybernauit. Æstatis eius extremo, quo capta est Capua, & Scipio in Hispaniā venit: Punica classis ex Sicilia Tarētū accita ad arcédos commeatus præsidij Romani, quod in arce Tarentina erat, clauserat quidem omnes ad arcem a mari aditus: sed assidendo diutius arctiorem annonam sociis quàm hosti faciebat. non enim tantum subuehi oppidanis per pacata littora apertósque portus præsidio nauium Punicarum poterat, quantum frumenti classis ipsa turba nauali mista ex omni genere hominum absumebat: vt arcis præsidium etiam sine inuecto, quia ibi pauci erant, ex antè præparato sustentari posset: Tarentinis classique ne inuectum quidem sufficeret: tandem maiore gratia quàm venerat classis dimissa est. annona haud multum laxauerat: quia remoto maritimo præsidio subuehi frumentum non poterat. Eiusdem æstatis exitu M. Marcellus ex Sicilia prouincia cum ad vrbem venisset, à C. Calpurnio Pr. senatus ei ad ædem Bellonæ datus est, ibi cum de rebus ab se gestis disseruisset, questus leniter non suam magis quàm militum vicem, quod prouincia confecta exercitum deportare non licuisset, postulauit, triumphāri vrbem inire liceret. id non impetrauit. Cùm multis verbis actum esset, vtrum minus conueniret, cuius nomine absentis ob res prospere ductu eius gestas supplicatio decreta foret, & dijs immortalibus habitus honos, ei præsenti negare triumphum: an quem tradere exercitum successori iussissent. quod nisi manente in prouincia bello non decerneretur, cum quasi debellato triumphare, cum exercitus testis meriti atque immeriti triumphi abesset: medium visum, vt ouans vrbem iniret. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, vt M. Marcello, quo die vrbem ouans iniret, imperium esset. Pridie quàm vrbem iniret, in monte Albano triumphauit. inde ouans multam præ se prædam in vrbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum catapultæ balistæque, & alia omnia instrumēta belli lata, & pacis diuturnæ regiæque opulentiæ ornamenta, argenti ærisque fabrefacta vasa, & alia supellex, pretiosáque vestis: & multa nobilia signa, quibus inter primas Græciæ vrbes Syracusæ ornatæ fuerant. Punicæ quoque victoriæ signum, octo ducti elephanti. Et non minimum fuere spectaculum cum coronis aureis præcedentes Sosis Syracusanus, & Mericus Hispanus, quorum altero duce nocturno Syracusas introitum erat: alter Nassum, quodque ibi præsidij erat, prodiderat. His ambobus ciuitas data, & quingenta iugera agri: Sosidi in agro Syracusano, qui aut regius, aut hostium populi Romani fuisset, & ædes Syracusis cuius vellet eorum, in quos belli iure animaduersum esset: Merico, Hispanisq;, qui cum eo transierāt, vrbs agérque in Sicilia ex iis, qui à populo Romano defecissent, iussa dari. id M. Cornelio mandatum, vt vbi ei videretur, vrbem agrúmque eis assignaret. In eodem agro, Belligeni, per quem illectus ad transitionē Mericus erat, CCCC. iugera agri decreta. Post profectionem ex Sicilia Marcelli Punica classis octo millia peditum, tria Numidarum equitum exposuit. Ad eos Murgetinæ desciuerunt terræ, secutæ defectionem earum Hybla & Magella sunt, & ignobiliores quædam aliæ: Et Numidæ præfecto Mutinæ vagi per totam Siciliam sociorum populi Romani agros vrebant. Super hæc exercitus Romanus. iratus, partim quod cū imperatore non deuectus ex prouincia esset, partim quod in oppidis hybernare vetiti erant, segni fungebantur militia: magisque eis auctor ad seditionem, quàm animus deerat. Inter has difficultates M. Cornelius Pr. & militum animos nunc consolando, nunc castigando sedauit: & ciuitates omnes quæ defecerant, in deditionem redegit: atque ex his Murgantiam Hispanis, quibus vrbs agérque debebatur, ex S.C. tribuit. Consules cum ambo Apuliam prouinciam haberent, minúsque iam terroris à Pœnis & Annibale esset, sortiri iussi Apuli Macedoniamque prouincias: Sulpitio Macedonia euenit, isq; Læuino successit. Fuluius Romam comitiorum caussa accersitus, cum comitia consulibus rogandis haberet: prerogatiua centuria iuniorū declarauit T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium. Manlius qui presens erat, gratulandi caussa cum turba coiret, nec dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad tribunal consulis venit: petitque vt pauca sua verba audiret, centuriamque, quæ tulisset suffragium, reuocari iuberet. Erectis omnibus exspectatione quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusauit. Impudentem & gubernatorem & imperatorem esse, qui cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita ac fortunas committi. proinde si videretur, & redire in suffragium centuriam iuniorum iuberet: & meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit, temporúmque reipublicæ. vix dum requiescere aureis à strepitu & tumultu hostili, quo paucos ante menses assederint prope mœnia Romana. Posthæc cùm centuria frequens succlamasset, nihil se mutatæ sententiæ, eosdémque consules dicturos esse: tū Torquatus: Neque ego vestros, inquit, mores consul ferre potero, neque vos imperium meum. redite in suffragium, & cogitate bellum Punicum in Ita-

tia,& hostium ducem Annibalem esse. Tum centuria,& auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu,petit à consule, vt centuriam seniorum citaret.velle sese cum maioribus natu colloqui,& ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis centuriæ senioribus, datum secreto in ouili cum his colloquendi tempus.Seniores de tribus consulendum dixerunt esse: duobus iam plenis honorum, Q.Fabio & M.Marcello (& si vtique nouum aliquem aduersus Pœnos consulem creati vellent) M. Valerium Læuinum egregie aduersus Philippum regem terra marique res gessisse. Ita de tribus consultatione data, senioribus dimissis, iuniores suffragium ineunt, M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita,M.Valerium absentem C O S.dixerunt.auctoritatem prærogatiuæ omnes centuriæ secutæ sunt.Eludant nunc antiqua mirantes.non equidem si qua sit sapientium ciuitas, quam docti fingunt magis quàm norunt : aut principes grauiores temperantioresque à cupidine imperi, aut multitudinem melius moratam censeam fieri posse. centuriã verò iuniorum seniores consulere voluisse, quibus imperium suffragio mandaret, vix vt verisimile sit, parentum quoque hoc seculo vilis leuisque apud liberos auctoritas fecit. Prætoria inde comitia habita,P. Manlius Volso,& L.Manlius Accidinus,& C. Lectorius,& L.Cincius Alimentius creati sunt.Forte ita incidit, vt comitiis perfectis nuntiaretur: T. Octacilium,quem T.Manlio, nisi interpellatus ordo comitiorum esset, collegam absentem daturus fuisse videbatur populus, mortuum in Sicilia esse. Ludi Apollinares & priore anno fuerant, & eo anno vt fierent, referente C. Calpurnio Pr. senatus decreuit,vt in perpetuum vouerentur.Eodem anno prodigia aliquot visa,nuntiataque sunt.In æde Concordiæ Victoria quæ in culmine erat, fulmine icta decussaque ad victorias quę in ante fixæ erant,hæsit, neque inde procidit. & Anagniæ & Fregellis nuntiatum est murum portásque de cælo tactas. & in foro Subertano sanguinis riuos per diem totum fluxisse, & Ereti lapidibus pluisse, & Reate mulam peperisse. Ea prodigia hostiis maioribus sunt procurata:& obsecratio in vnum diem populo indicta, & nouendiale sacrum. sacerdotes publici aliquot eo anno mortui sunt,nouique suffecti, in locum M. Æmylij Numidæ decemuiri sacrorum M. Æmylius Lepidus: in locum M.Pomponij Mathonis pontificis C. Liuius: in locum Sp. Caruilij Maximi auguris M.Seruilius. T.Octacilius Crassus pontifex, quia exacto anno mortuus erat, ideo nominatio in locum eius non est facta. C.Claudius flamen dialis quod extra perperam dederat,flaminio abiit. Per idẽ tẽpus M.Val. Læuinus tentatis prius per secreta colloquia principum animis, ad indictũ antè ad id ipsum concilium Ætolorum classe expedita venit. Vbi cum Syracusas Capuámque captas in fidem, in Italiaque rerum secundarum successum ostentasset: adiecissetque, iam inde à maioribus traditum more Romanis colendi socios : ex quibus alios in ciuitatem,atque æquum secum ius accepissent.alios in ea fortuna haberent,vt socij esse quàm ciues mallent: Ætolos eo in maiore futuros honore, quod gentiũ transmarinarum in amicitiam primi venissent.Philippum eis & Macedonas graues accolas esse, quorum se vim ac spiritus etiam fregisse. & eo redactos esse,vt non iis modò vrbibus,quas per vim ademissent Ætolis,excedant: sed ipsam Macedoniam infestam habeant. Et Acarnanas quos ægrè ferrent Ætoli à corpore suo diretos, restituturum se in antiquam formulã,iurisq; ac ditionis eorum. Hæc dicta

A promissaq; à Romano imperatore, Scopas, qui tum prætor gentis erat,& Dorimachus princeps Ætolorum affirmarunt auctoritate sua, minore cum verecundia & maiore cum fide vim maiestatémque populi Ro. extollentes. maximè tamen spes potiundæ mouebat Acarnanię.Igitur conscriptę conditiones, quibus in amicitiam societatémque populi Romani venirent.additumque, vt, si placeret vellentque, eodem iure amicitiæ Elei Lacedæmoniique, & Attalus & Pleuratus & Scerdiletus essent: Asiæ Attalus, hi Illyriorum reges. Bellum vt extemplo Ætoli cum Philippo terra gererent. Nauibus ne minus viginti quinqueremibus adiuuaret Romanus. Vrbiũ Corcyra tenus ab Ætolia incipienti solũ tectáque,& muri cum agris Ætolorum alia omnis pręda populi Romani esset. Daréntque operam Romani vt Acarnaniam Ætoli haberent. Si Ætoli pacem cum Philippo facerent,fœderi adscriberent: ita ratã eorũ
C pacem, si Philippus arma ab Romanis sociisque, quique eorum ditionis essent, abstinuisset. Item si populus Romanus fœdere iungeretur regi, vt caueret ne ius ei belli inferendi Ætolis sociisque eorum esset. Hæc conuenerunt, conscriptáque biennio post,Olympiæ ab Ætolis,in Capitolio ab Romanis, vt testata sacratis monumentis essent, sunt posita. Moræ caussa fuerant retenti Romæ diutius legati Ætolorum. nec tamen impedimento id rebus gerendis fuit, & Ætoli extemplo mouerunt aduersus
D Philippum bellum: & Læuinus Zacynthum (parua insula est, propinqua Ætoliæ : vrbem vnam eodem quo ipsa est nomine habet, eam preter arcem vi cepit) & OEniada Naxúmque Acarnanum captas Ætolis contribuit. Philippum quoque satis implicatum bello finitimo ratus, ne Italiam Pœnósque & pacta cum Annibale posset respicere, Corcyram ipse se recepit. Philippo Ætolorum defectio Pellæ hybernanti allata est. itaque quia primo verè moturus exercitum in Græciam erat, Illyrios finitimásque eis vrbes alieno metu quietas vt Ma-
E cedonia haberet, expeditionem subitam in Oricinorum atque Apolloniatum fines fecit, egressósque Apolloniatas cum magno terrore ac pauore compulit intra muros. vastatis proximis Illyrici, in Pelagoniam eadem celeritate vertit iter.inde Dardanorum vrbem sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam,cepit.His raptim actis, memor Ætolici iunctique cum eo Romani belli per Pelagoniam & Nymphæum & Boleam in Thessaliam descendit. ad bellum secum aduersus Ætolos capessendum in-
F citari posse homines credebat: & relicto ad fauces Thessaliæ Persco cum quatuor millibus armatorũ ad arcendos aditu Ætolos,ipse priusquam maiorib. occuparetur rebus, in Macedoniam atque inde in Thraciam exercitum ac Medos eduxit.Incurrere ea gens in Macedoniã solita erat, vbi regem occupatũ externo bello, ac sine præsidio esse regnum sensisset. Ad P[illegible]gandas igitur vastare agros,& vrbem Iamphorinam,caput arcemque Medicæ oppugnare cœpit. Scopas vbi profectum in Thraciam regem,
G occupatúmque ibi bello audiuit, armata omni iuuentute Ætolorum, bellum inferre Acarnaniæ parat. Aduersus quos Acarnanum gens &, viribus impar,& iam mœnia OEniadon Naxumq; omissa cernens, Romanáq; insuper arma ingruere, ira magis instruit, quàm consilio bellum. coniugibus liberisque & senioribus supra L X. annos in propinquam Epirum missis,ab X V. ad L X. annos coniurant,nisi victores,se non redituros.qui victus acie excessisset, eum ne quis vrbe, tecto, mensa, lare reciperet,diram exsecrationem in populares, obtesta-

tionem

tionem quam sanctissimam potuerunt, aduersus hospites composuerunt: precatique simul Epirotas sunt, vt qui suorum in acie cecidissent, eos vno tumulo contegerent, adhiberéntq. humatis titulum: Hic siti sunt Acarnanes, qui aduersus vim atque iniuriam ætolorum pro patria pugnantes, mortem occubuerunt. Per hæc incitatis animis, castra in extremis finibus suis obuiam hosti posuerunt. nuntiis ad Philippum missis, quanto res in discrimine esse omittere Philippum id, quod in manibus erat, coegerunt bellum Iamphorina per deditionem recepta & prospero alio successu rerum. ætolorum impetũ tardauerat primo coniurationis fama Acarnanicæ: deinde auditus Philippi aduentus regredi etiam in intimos coegit fines. Nec Philippus, quanquam ne opprimerentur Acarnanes, itineribus magnis ierat: vltra Dium est progressus. Inde cùm audisset reditum ætolorum ex Acarnania, & ipse Pellam redit. Læuinus veris principio à Corcyra profectus nauibus, superato Leucatæ promontorio, cùm venisset Naupactum: Anticyram inde se petiturum edixit, vt præsto ibi Scopas ætolique essent. Sita Anticyra est in Locride læua parte sinum Corinthiacum intrantibus. breue terra iter eò, breuis nauigatio ab Naupacto est. Tertio fermè post die vtrinque oppugnari cœpta est. grauior à mari oppugnatio erat: quia & tormenta machinæque omnis generis in nauibus erant, & Romani inde oppugnabant. itaque intra paucos dies recepta vrbs per deditionẽ, Ætolis traditur. præda ex pacto Romanis cessit. Literæ Læuino redditæ, consulem eum absentem declaratum & successorem venire P. Sulpitium. ceterum diuturno ibi morbo implicitus, serius spe omnium Romam venit. M. Marcellus cum Idibus Martiis consulatum iniisset, senatum eo die moris modo caussa habuit, professus nihil se absente collega, neque de republica, neque de prouinciis acturum. Scire se frequentes Siculos prope vrbem in villis obtrectatorum suorum esse: quibus tantum abesse vt per se non liceat palam Romæ crimina edita ficta que ab inimicis vulgare: vt ni simularent aliquem sibi timorem absente collega dicendi de consule esse, ipse eis extemplo daturus senatum fuerit vbi quidem collega venisset, non passurum quicquam prius agi, quàm Siculi in senatum introducantur. delectum prope à M. Cornelio per totam Siciliam habitum, vt quamplurimi questum de se Romam venirent. eundem literis falsis vrbem implesse, bellum in Sicilia esse, vt suam laudem minuat. Moderati animi gloriam eo die adeptus consul senatum dimisit. ac prope iustitium omnium rerum futurum videbatur, donec alter consul ad vrbem venisset. Otium, vt solet, excitauit plebis rumores, belli diuturnitate & vastatos agros circa vrbem, qua infesto agmine isset Annibal & exhaustam delectibus Italiam, & pro republica Cannis exercitus cæsos querebantur: & consules bellicosos ambos viros acres nimis & feroces creatos: qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare ciuitatem forent passuri. Interrupit hos sermones nocte, quæ pridie Quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum. eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque, & argentariæ, quæ nunc nouæ appellantur arsere. comprehensa postea priuata ædificia (neque enim tum basilicæ erant) cõprehensæ lautumiæ forúmque piscatorium, & atriũ regium: ædes Vestæ vix defensa est, tredecim maximè seruorum opera, qui in publicum redemti ac manumissi sunt. nocte ac die continuatum incendium fuit. nec vlli dubium erat, humana id fraude

A factum esse, quod plurimis simul locis, & in iis diuersis, ignes coorti essent. Itaque consul ex auctoritate senatus pro concione edixit, qui quorum opera id conflatum incendium profiteretur, præmiũ fore libero pecuniam, seruo libertatem. Eo præmio inductus Campanorum Calauiorum seruus Manus ei nomen erat, indicauit, dominos & quinque præterea iuuenes nobiles Campanos, quorum parentes à Quinto Fuluio securi percussi erant, id incendium fecisse: vulgóq; facturos alia, ni comprehendantur.

B Comprehensi, familiæque eorum. & primo eleuabatur index, indiciúmque: pridie eum verberibus castigatum ab dominis discessisse, per iram ac leuitatem ex re fortuita crimen commentum ceterum vt corã coarguebantur, & quæstio ex ministris facinoris foro medio haberi cœpta est, fassi omnes, atque in dominos seruósque conscios animaduersum est. indici libertas data & viginti millia æris. Consuli Læuino Capuam prætereunti circumfusa multitudo Campanorum est obsecrãtium cum lacrymis,

C vt sibi Romam ad senatum ire liceret oratum, si qua misericordia tandem flecti possent, ne se ad vltimum perditum irent, noménque Campanorum à Q. Flacco deleri sinerent. Flaccus sibi priuatam simultatẽ cum Campanis negare vllam esse, publicas inimicitias & hostiles esse: & futuras, quoad alieno animo in populum Romanum esse sciret. nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano. ideo se mœnibus inclusos tenere eos: quia si qui euasissent aliqua, velut feras

D bestias per agros vagari, & laniare & trucidare quodcunque obuium detur. alios ad Annibalem transfugisse, alios ad Romam incendendam profectos. inuenturum in semiusto foro consulem vestigia sceleris Campanorum. Vestæ ædem petitam, & æternos ignes, & conditũ in penetrali fatale pignus imperij Romani. se minimè censere tutum esse, Campanis potestatem intrandi Romana mœnia fieri. Læuinus Campanos iureiurãdo à Flacco adactos, quinto die quàm à senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam iussit. Hac

E circumfusus multitudine simul Siculis obuiam egressis, potestatem Romam adeundi fecit: clarissimarum vrbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores in vrbem adducens. De republica tamen primum ac de prouinciis ambo consules ad senatum retulere. Ibi Læuinus quo statu Macedonia & Græcia, Ætoli Acarnanes Locrique essent, quásq. ibi res ipse egisset terra marique, exposuit. Philippum inferentem bellum Ætolis in Macedoniam retro ab se compulsum, ad intima penitus regni abisse, legionémque inde deduci posse. classem satis

F esse ad arcendum Italia regem. Hæc de se, déque prouincia cui præfuerat. Consulum de prouinciis communis relatio fuit. Decreuere patres, vt alteri consulum Italia bellúmque cum Annibale, prouincia esset: alter classem cui T. Otacilius præfuisset: Siciliámque prouinciam cum L. Cincio prætore obtineret. Exercitus eis duo decreti, qui in Hetruria Galliáque essent: eæ quatuor erant legiones vrbanæ

G duæ superioris anni in Hetruriam: duæ quibus Sulpitius Cos. præfuisset, in Galliam mitterentur. Galliæ & legionibus præesset, quem consul cuius Italia prouincia esset, præfecisset. In Hetruria C. Calpurnius post præturam prorogato in annum imperio missus. & Q. Fuluio Capua prouincia decreta, prorogatúmque in annum imperium. Exercitus ciuium sociorúmque minui iussus, vt ex duabus legionibus vna legio quinque millia peditum, & trecenti equites essent: dimissis qui plurima stipendia

habebent: & sociorum septem millia peditum: & trecenti equites relinquerentur: eadem ratione stipendiorum habita in veteribus militibus dimittendis. Cn. Fuluio Cos. superioris anni, nec de prouincia Apulia, nec de exercitu quem habuerat, quicquam mutatum: tantùm in annum prorogatum imperium est P. Sulpitius collega eius omnem exercitum, præter socios nauales, iussus dimittere est. Item ex Sicilia exercitus cui M. Cornelius præesset: vbi consul in prouinciam venisset, dimitti iussus L. Cincio Pr. ad obtinendam Siciliam Cannenses milites dati, duarum instar legionum. Totidem legiones in Sardiniam P. Manlio Volsoni Pr. decretæ: quibus L. Cornelius in eadem prouincia priore anno præfuerát. Vrbanas legiones ita scribere consules iussi, ne quem militem facerent, qui in exercitu M. Claudij, M. Valerij, Fuluiique fuissent, néve eo anno plures quàm vna & viginti Romanæ legiones essent. His senatusconsultis perfectis, sortiti prouincias consules. Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello aduersus Annibalem Læuino euenit. Quæ sors velut iterum captis Syracusis, ita exanimauit Siculos exspectatione sortis in consulum conspectu stantes, vt comploratio eorum flebilésque voces, & extemplo oculos hominum conuerterent, & postmodum sermones præbuerint. Circumibant enim senatum cum veste sordida, affirmantes, se non modo suam quisque patriam, sed totam Siciliam relicturos, si eo Marcellus iterum cum imperio redisset. nullo suo merito eum antè implacabilem in se fuisse: quid iratum, quod Romam de se questum venisse Siculos sciat, facturum? obrui Ætnæ ignibus, aut mergi freto, satius illi insulæ esse, quàm velut dedi noxæ inimico. Hæ Siculorum querelæ per domos primùm nobilium circumlatæ, celebratæque sermonibus, quos partim misericordia Siculorum, partim inuidia Marcelli excitabat, in senatum etiam peruenerant. Postulatum à consulibus est, vt de permutandis prouinciis senatum consulerent. Marcellus, si iam auditi ab senatu Siculi essent, aliam forsitan futuram fuisse sententiam suam, dicere nunc ne quis timore frenari eos dicere posset, quominus de eo liberè queratur, in cuius potestate mox futuri sint: si collegæ nihil intersit, mutare se in prouinciá paratum esse. deprecari senatus præiudicium. nam cùm extra sortem collegæ optionem dare prouinciæ iniquum fuerit, quanto maiorem iniuriam imo contumeliam esse, sortem suam ad eum transferri? Ita senatus, cum quid placeret, magis ostendisset, quam decreuisset, dimittitur. inter ipsos consules permutatio prouinciarum, rapiente fato Marcellum ad Annibalé facta est: vt ex quo primus aduersæ pugnæ gloriam ceperat, in eius laudem postremus Romanorum imperatorum, prosperis tum maximè bellicis rebus, caderet. Permutatis prouinciis, Siculi in senatum introducti, multa de Hieronis regis fide perpetua erga populum Romanum verba fecerunt, in gratiam publicam auertentes Hieronymum ac postea Hippacratem & Epicidem tyrannos, cum ob alia, tum propter defectionem ab Romanis ad Annibalem, inuisos fuisse sibi ob eam caussam, & Hieronymum à principibus iuuentutis propè publico consilio interfectum, & in Epicidis Hippocratisque cædem septuaginta nobilissimorũ iuuenum coniurationem factam. quos Marcelli mora destitutos, quia ad prædictum tempus exercitum ad Syracusas non admouisset, indicio facto, omnes ab tyrannis interfectos. Eam quoque Hippocratis atque Epicidis tyrannidem Marcellum excitasse, Leontinis crudeliter direptis. Nunquam deinde principes Syracusanorum desiisse ad Marcellum transire, pollicerique, se vrbem cum vellet, ei tradituros: sed cũ primo vi capere maluisse. dein cum id neque terra neque mari omnia expertus potuisset, auctores traditarum Syracusarum fabrum ærarium Sosin, & Mericum Hispanum, quam principes Syracusanorum habere, toties id nequicquam vltrò offerentes, præoptasse, quo scilicet iustiore de caussa vetustissimos socios populi Romani trucidaret ac diriperet. Si non Hieronymus ad Annibalem defecisset, sed populus Syracusanus & senatus: si portas Marcello Syracusani publicè: & non oppressis Syracusanis, tyranni eorum Hippocrates & Epicides clausissent: si Carthaginiensium animis bellum cum populo Romano gessissent: quid vltra quàm quod fecerit, nisi vt deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse? Certè præter mœnia & tecta exhausta vrbis, & refracta deûm delubra, diis ipsis ornamentisque eorum ablatis, nihil relictum Syracusis esse. bona quoque multis ademta: ita vt ne nudo quidem solo, reliquiis direptæ fortunæ alere sese ac suos possent. orare se patres conscriptos, vt si nequeant omnia, saltem quæ compareant, cognoscique possint, restitui dominis iubeant. Talia conquestos cum excedere templo, vt de postulatis eorum patres eorum consuli possent, Læuinus iussisset: imo maneant, inquit Marcellus, vt coràm his respondeam, quando ea conditione pro vobis Patres conscripti bella gerimus, vt victos armis accusatores habeamus: duę captę hoc anno vrbes, Capuam Fuluium reum, Marcellum Syracusæ habeant. Reductis in curiam legatis, tum consul: Non adeo maiestatis, inquit, populi Romani imperiique huius oblitus sum, Patres conscripti, vt si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus caussam accusantibus Græcis fuerim: sed non quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quem quicquid in hostibus feci, ius belli defendit, sed quid isti pati debuerint. qui si non fuerunt hostes, nihil interest nunc, an viuo Hierone Syracusas violauerim. sin autem desciuerunt, legatos nostros ferro atque armis petierunt, vrbem ac mœnia clauserunt, exercitúmque Carthaginiensium aduersus nos tutati sunt: quis passos esse hostilia cum fecerint indignatur? Tradentes vrbem principes Syracusanorum auersatus sum: Sosin & Mericum Hispanum, quibus tantam rem crederé, potiores habui? Non estis extremi Syracusanorum: quippe qui aliis humilitatem obiiciatis. quis est vestrûm, qui se mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in vrbem accepturum promiserit? Odistis, & execramini eos qui fecerunt: & ne hic quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum abest vt & ipsi tale quicquam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, Patres conscripti, quam isti obiiciunt, maximo argumento est, me neminem qui nauatam operá reipublicæ nostræ velit, aduersatũ esse. Et antequã obsiderẽ Syracusas, nunc legatis mittẽdis nũc ad colloquiũ eũdo tẽtaui pacẽ: & posteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipsi congresso ad portas cum principibus responsũ dabatur. multis terra marique exhaustis laboribus tandem vi atque armis Syracusas cepi. Quæ captis acciderint, apud Annibalem & Carthaginienses, victosque iustius quàm apud victoris populi Romani senatum quererentur. Ego, patres conscripti, Syracusas spoliatas si negaturus essem: nunquam spoliis earum vrbem Romam exornarem. quæ autem singulis victor aut ademi aut dedi, cum belli iure, tum ex cuiusque merito satis scio me fecisse. ea vos rata habeatis,

Pa-

tis, Patres conscripti, necne, magis reipublicæ
interest, quàm mea. mea quippe fides exsoluta est:
ad rempublicã pertinet, ne actã mea rescindẽdo, a-
lios in posterum segniores duces faciatis. Et quo-
niam coram & Siculorum, & mea verba audistis,
Patres conscripti: simul templo excedemus, vt me
absente liberius consuli senatus possit. Ita dimissis
Siculis & ipse in Capitolium ad delectum discessit.
Consul alter de postulatis Siculorum ad patres re-
tulit. Ibi cũ diu de sẽtẽtiis certatum esset: & magna
pars senatus, principe eius sẽtentiæ T. Manlio Tor-
quato, cum tyrannis bellum gerendum fuisse cen-
serent, hostibus, & Syracusanorum & populi Ro-
mani: & vrbem recipi, nõ capi: & receptam legibus
antiquis, & libertate stabiliri, non fessam miserenda
seruitute, bello affligi: inter tyrannorum & ducis
Romani certamina præmium victoris in medio
positã vrbem pulcherrimam ac nobilissimam peri-
isse, horreum atque ærarium quondam populi Ro-
mani: cuius munificentia ac donis multis tempesta-
tibus, hoc denique ipso Punico bello adiuta orna-
tãq. respublica esset. Si ab inferis existat rex Hiero
fidissimus imperij Romani cultor, quo ore aut Syra-
cusas, aut Romam ei ostendi posse? cùm vbi semi-
rutam ac spoliatam patriam respexisset, ingrediens
Romam in vestibulo vrbis, prope in porta, spolia
patriæ suæ visurus sit? Hæc taliàque cùm ad inuidiã
consulis miserationémque Siculorum dicerentur,
mitius tamen decreuerunt patres caussa Marcelli.
Quæ is gerens bellum victorq. egisset, rata habenda
esse, in reliquum curæ senatui fore rem Syracusanã
mandarunt, consulique Lævino, quoad sine iactura
reipublicæ fieri posset, fortunis eius ciuitatis consu-
leret. Missis duobus senatoribus in Capitolium ad
consulem, vti rediret in curiã, & introductis Siculis
senatusconsultum recitatum est. legatique benignè
appellati, ac dimissi, ad genua se Marcelli Cos. pro-
iecerunt: obsecrantes, vt quę deplorandę ac leuandę
calamitatis caussa dixissent, veniam eis daret, & in
fidem clientelam se vrbémq. Syracusas reciperet.
post hæc consul clementer appellatos eos dimisit.
Campanis deinde senatus datus est. quorum oratio
miserabilior, caussa durior erat. neque enim meritas
pœnas negare poterant, nec tyranni erant, in quos
culpam conferrent: sed satis pensum pœnarum, tot
veneno absumtis, tot securi percussis senatoribus,
credebant. Paucos nobilium superstites esse, quos
nec sua conscientia, vt quicquam de se grauius con-
sulerent, impulerit: nec victoris ira capitis damna-
uerit: eos libertatẽ sibi suisque, & bonorum aliquã
partẽ orare ciues Romanos affinitatibus plerosq.
& propinquis iam cognationibus ex connubio ve-
tusto iunctos. Summotis deinde ẽ tẽplo, paulisper
dubitatum an accersendus à Capua Q. Fuluius esset
(mortuus enim post captam Claudius consul erat)
vt coram imperatore qui res gessisset, sicut inter
Marcellum Siculosque disceptatum fuerat, disce-
ptaretur: dein cùm M. Attilium Cn. Fuluium fratrem
Flacci, legatos eius ac Q. Minutium & L. Veturium
Philonem, item Claudij legatos, qui omnibus ge-
rendis rebus interfuerant, in senatu viderent, nec
Fuluium auocari à Capua, nec differri Campanos
vellent: interrogatus sententiam M. Attilius Regu-
lus, cuius ex iis qui ad Capuam fuerant, maxima
auctoritas erat: In consilio, inquit, arbitror me fuis-
se consulibus Capua capta, cùm quęreretur, ecquis
Campanorum de repub. nostra benemeritus esset:
duas mulieres compertum est, Vestiam Oppiam
Attellanam, Capuæ habitantem, & Fauculam Clu-
uiam, quæ quondam quæstum corpore fecisset: il-
A lam quotidie sacrificasse pro salutẽ & victoria po-
puli Romani: hanc captiuis egentibus alimenta clã
suppeditasse: ceterorum omnium Campanorum
eundem erga nos animum, quem Carthaginiensium,
fuisse. securique percussos à Q. Fuluio fuisse magis,
quorum dignitas inter alios, quàm quorum culpa
eminebat. Per senatum agi de Campanis, qui ciues
Romani sunt, iniussu populi non video posse, idq. &
apud maiores nostros in Sutrianis factum est, cum
defecissent, vt M. Antistius tribunus plebis prius ro-
B gationem ferret: sciretque plebs, vti senatui de Su-
trianis sententiæ dicendæ ius esset. Itaq. censeo cùm
tribunis plebis agendum esse, vt eorum vnus plu-
résve rogationem ferant ad plebem, qua nobis sta-
tuendi de Campanis ius fiat. L. Attilius tribunus ple-
bis ex auctoritate senatus plebem in hæc verba ro-
gauit: Omnes Cãpani, Attellani, Calatini, Sabatini
qui se dediderunt in arbitrium ditionémque populi
Romani Fuluio preconsuli, quæque vna secum de-
diderunt, agrum vrbémque diuina humanáque, v-
C tensiliáque, siue quid aliud dediderunt: de iis rebus
quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs sic iussit:
Quod senatus maxima pars censeat, qui assidetis,
id volumus iubemúsque. Ex hoc plebiscito senatus-
consultus, Oppiæ Cluuiæque primum bona, ac li-
bertatem restituit. si qua alia præmia petere à se-
natu vellent, venire eas Romam. Campanis in fa-
milias singulas decreta facta, quę non operę pretium
est omnia enumerare. Aliorum bona publicanda,
ipsos, liberosque eorum, & coniuges vendendas, ex-
D tra filias quæ nupsissent, prius quàm in populi Ro-
mani potestatẽ venirẽt. alios in vincula condendos,
ac de his posterius consulendum. aliorum Campa-
norum summam etiam census distinxerunt, publi-
canda necne bona essent. pecua captiua, præter e-
quos & mancipia, præter puberes virilis sexus, & o-
mnia quæ solo non continerentur, restituenda cen-
suerunt dominis. Campanos omnes, Attellanos, Ca-
latinos, Sabatinos, extra quam qui eorum aut ipsi
aut parentes eorum apud hostes essent, liberos esse
E iusserunt: ita vt nemo eorum ciuis Romanus, aut
Latini nominis esset, néve quis eorum qui Capuæ
fuissent, dũ portę clausę essẽt, in vrbe agroue Cãpano
intra certam diem maneret: locus vbi habitarent
trans Tyberim, qui non contingeret Tyberim, da-
retur. qui nec Capuæ nec in vrbe Campana, quæ à
populo Romano defecisset, per bellum fuissent, eos
cis Lirim amnem Romam versus: qui ad Romanos
transissent prius quàm Annibal Capuam veniret,
cis Vulturnum emouendos censuerunt: ne quis eo-
F rum propius mare XV. millibus passuum agrum
ædificiúmve haberent. qui eorum trans Tyberim e-
moti essent, ne ipsi posterive eorum vspiam para-
rent haberéntve, nisi in Veiente aut Sutrino Nepe-
sinóve agro: dum ne cui maior quàm quinquaginta
iugerum agri modus esset. Senatorũ omnium, qui-
que magistratus Capuæ, Attellæ, Calatię gessissent,
bona venire Capuæ iusserunt. libera corpora quæ
vænundari placuerat, Romam mitti ac Romæ væ-
nire. Signa, statuas ęneas, quę capta de hostibus di-
G cerentur, quæ eorum sacra ac profana essent, ad põ-
tificum collegium reiecerunt. Ob hæc decreta mœ-
stiores aliquanto quàm Romam venerant, Campa-
nos dimiserunt. nec iã Q. Fuluij sæuitiã in sese, sed
iniquitatem deûm, atque exsecrabilem fortunam
suam incusabant. Dimissis Siculis Campanisque,
delectus habitus. scripto deinde exercitu, de re-
migum supplemẽto agi cœptum, in quam rem cum
neque hominum satis, nec ex qua pararentur, sti-
pendiúmque acciperent, pecuniæ quicquam es-

tempestate in publico esset: edixerunt consules, vt priuati ex censu ordinibúsque sicut antea remiges darent cum stipendio cibariisque dierum triginta. Ad id edictum tantus fremitus hominum, tantáque indignatio fuit, vt magis dux quàm materia seditioni deesset. Secundum Siculos Campanosque plebem Romanam perdendam, lacerandámque sibi consules sumsisse. per tot annos tributo exhaustos, nil reliqui præter terram nudam ac vastam habere. tecta hostes incendisse seruos agricultores Rempublicam abduxisse: nunc ad militiam paruo ære emendo, nũc remiges imperando, si quid cui argenti ærísve fuerit: stipendio remigum, & tributis annuis ablatum. se vt dent, quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi posse. bona sua venderent: in corpora quæ reliqua essent sæuirent. ne vnde redimantur quidem quicquam superesse. Hæc non in occulto, sed propalam in foro atque oculis ipsorum consulum ingens turba circumfusi fremebant: nec eos sedare consules nunc castigando, nunc consolando poterant. Spatium deinde his tribuere se, daréque ad cogitandum dixerunt: quo ipsi ad rem inspiciendam expediendámque vsi sunt. Senatum postero die habuerunt de remigum supplemento. vbi cùm multa disseruissent, cur æqua plebis recusatio esset: vertunt orationem eo, vt dicerent: priuatis id, seu æquum, seu iniquum onus iniungendum esse, nam vnde, cùm pecunia in ærario non esset, paraturos nauales socios? quomodo autem sine classibus aut Siciliam obtineri, aut Italia Philippum arceri posse? aut tuta Italiæ littora esse? Cùm in hac difficultate rerum consilium hæreret, ac propè torpor quidam occupasset hominum mentes, tum Læuinus Cos. Magistratus senatui, & senatus populo sicut honore præstet, ita ad omnia quæ dura atque aspera essent, subeunda ducem debere esse, si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse iuris statueris, facilius omnes obedientes habeas. nec impensa grauis est, cum ex ea plus quam pro virili parte quemque capere principum vident Itaque vt classem habeat, quam ornare volumus populus Romanus, priuatos sine recusatione remiges dare nobisinetipsis, primum imperemus aurum, argentum, æs signatum omnes senatores crastina die in publicum conferamus: ita vt annulos sibi quisque & coniugi & liberis & filio bullam, & quibus vxor filiæve sunt, singulas vncias auri pondo relinquant: argenti, qui curuli sella sederunt: equi ornamenta & libras pondo, vt salinum patellámque deorum caussa habere possint. ceteri senatores libram argenti tantum, æris signati quina millia in singulos patres familiæ relinquamus. Cæterùm omne aurum, argentum, æs signatum, ad triumuiros mensarios extemplo deferamus. nullo antè senatusconsulto facto, vt voluntaria collatio, & certamen adiuuandæ reipublicæ excitet ad æmulandum animos primum equestris ordinis, dein reliquæ plebis hanc vnam viam, multa inter nos collocuti consules inuenimus. Ingredimini diis bene iuuantibus. respub. incolumus & priuatas res facilè saluas præstat. publica perdendo, tua nequicquam serues. In hæc tanto animo consensum est, vt gratiæ vltro consulibus agerentur. senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum & æs in publicum conferunt, tanto certamine iniecto, vt prima inter primos nomina vellent in publicis tabulis esse: vt nec triumuiri accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent. Hunc consensum senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs. Ita sine edicto, sine cohortatione magistratus nec remige in supplementum, nec sti-

A pendio respublica eguit: paratisque omnibus ad bellũ, consules in prouincias profecti sunt. Neq. aliud magis tempus belli fuit, quo Carthaginiẽses Romaniq. pariter variis casibus immistis, magis in ancipiti spe ac metu fuerint. Nã Romanis & in prouinciis, hinc in Hispania aduersæ res, hinc prosperæ in Sicilia, luctũ & lætitiã miscuerant: & in Italia, cũ Tarẽtũ amissum damno & dolori: tũ arx cum præsidio retenta præter spẽ, gaudio fuit: & terrorem subditũ pauorémq. vrbis Romæ obsessæ & oppugnatæ, B Capua post dies paucos capta in lætitiã vertit. Transmarinę quoq. res quadã vice pensatæ. Philippus hostis tẽpore haud satis opportuno factus: Ætoli noui adsciti socij, Attalúsq. Asiæ rex, iã velut despondẽte fortuna Romanis imperij orientis. Carthaginienses quoque Capuam amissam, & Tarentũ captũ æquabant: & vt ad mœnia vrbis Romæ nullo prohibente se peruenisse in gloria ponebant: ita pigebat irriti incœpti, pudebátq. adeò se spretos, vt sedentib. ipsis ad Romana mœnia, alia porta exercitus Romanus in Hispaniã duceretur. ipsæ quoq. Hispaniæ quo propius C spem venerant, tantis duobus ducibus exercitibúsq; cæsis, debellatũ ibi, ac pulsos inde Romanos esse, eo plus ab L. Martio tumultuario duce ad vanũ & irritũ victoriã redactam esse, indignationis præbebant. Ita æquante fortuna, suspensa omnia vtrinque erant, integra spe, integro metu, velut illo tempore primum bellum inciperent. Annibalem ante omnia angebat, quod Capua pertinacius oppugnata ab Romanis, quàm defensa ab se, multorum Italiæ populorum D animos auerterat, quos neq; omnes tenere præsidiis, nisi vellet in multas paruásque partes carpere exercitum (quod minimè tũ expediebat) poterat: nec deductis præsidiis spei liberam, vel obnoxiam timori sociorum relinquere fidem. Præceps in auaritiam & crudelitatem animus, ad spolianda quæ tueri nequibat, vt vastata hosti relinquerentur, inclinauit. Id fœdum consiliũ cum incœpto, tum etiam exitu fuit. neq; enim indigna patientiũ modo abalienabantur animi, sed ceterorum etiam: quippe ad plures exemplum quàm calamitas pertinebat. Nec consul Ro- E manus tentandis vrbibus, sicunde spes aliqua se ostendisset, deerat. Salapiæ principes erant Dasius & Blasius: Dasius Annibali amicus, Blasius quantũ ex tuto poterat, rem Romanam fouebat, & per occultos nuntios spem proditionis fecerat Marcello. sed sine adiutore Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus, & tum quoque magis inopia consilij potioris, quàm spe effectus, Dasium appellabat. at ille cum ab re auersus, tum æmulo potentatus inimicus, rem Annibali aperit. Accersito vtroque, F Annibal cum pro tribunali quædam ageret, mox de Blasio cogniturus, staréntque summoto populo accusator & reus: Basilius de proditione Dasium appellabat. Enimuero ille velut in manifesta re exclamat, sub oculis Annibalis secum de proditione agi. Annibali, atque eis qui aderant, quo audacior res erat, minus similis veri visa est. æmulationem profectò atque odium esse: & id crimen afferri, quod quia testem habere non potuisset, liberius fingeretur. Ita G inde dimissi sunt. nec Blasius antè abstitit tam audaci incœpto, quam idem obtundendo, docendoque quàm ea res ipsis patriæque salutaris esset, peruicit, vt præsidium Punicum (hi autem Numidæ erant) Salapiáque traderetur Marcello. Nec sine cæde multa tradi potuit. longè fortissimi equitum toto Punico exercitu erant. itaque quanquam improuisa res fuit, nec vsus equorum in vrbe erat, tamẽ armis inter tumultum captis, & eruptionẽ tentauerunt: & cũ euadere nequirent, pugnãtes ad vltimũ occubuerunt,

runt, nec plus quinquaginta ex his in potestatem hostium viui venerunt, plúsque aliquanto damni hæc ala equitum amissa Annibali, quàm Salapia fuit: nec deinde vnquam Pœnus, quo longè plurimum valuerat equitatu superior fuit. Per idem tempus cùm in arce Tarentina vix inopia tolerabilis esset, spem omnem præsidium quod ibi erat Romanum, præfectúsque præsidij atque arcis M. Liuius in commeatibus ab Sicilia missis habebant. qui vt tuto præteruherentur oram Italiæ classis viginti fermè nauiũ Rhegij stabat. Præerat classi commeatibúsq. D. Quintius obscuro genere ortus, ceterum multis fortibus factis gloria militari illustris primo quinq. naues, quarum maximæ duæ triremes à Marcello ei traditæ erant, habuit, postea rem impigrè sæpe gerenti tres additæ quinqueremes: postremo ipse à sociis, Rheginisque, & à Velia & à Pesto, debitas ex fœdere exigendo, classem XX. nauium, sicut antè dictum est, effecit. Huic ad Rhegio profectæ classi Democrates cum pari classe nauium Tarentinarum numero, quindecim millia fermè ab vrbe ad Sacriportum obuius fuit. Velis tum forte improuidus futuri certaminis Romanus veniebat: sed circa Crotonem Sibarimque suppleuerat remigio naues, instructámque & armatam egregiè pro magnitudine nauium classem habebat & tum forte sub idem ferè tempus & venti vis omnis cecidit, & hostes in conspectu fuere: vt ad cōponēda armamēta, expediēdúq; remigē ac militē ad imminēs certamē vix satis tēporis esset. Raro alias tantis animis iustæ concurrerunt classes: quippe cùm in maioris discrimen rei quàm ipsæ erat, pugnarent. Tarentini, vt recuperata vrbe ab Romanis post centesimum propè annum, arcem etiam liberarent: spem commeatus quoque hostibus, si nauali prælio possessionem maris ademissent interclusuri Romani vt retenta possessione arcis ostenderent, non vi aut virtute, sed proditione ac furto Tarentum amissum. Itaque ex vtraq. parte signo dato, cum rostris concurrissent, neque retro nauem inhiberent, nec dirimi ab se hostem paterentur, quàm quis indeptus nauem erat, ferrea iniecta manu ita conserebant ex propinquo pugnam, vt non missilibus tantum, sed gladiis etiam propè collato pede præliarentur. Proræ inter se iunctæ hærebant. puppes alieno remigio circumagebantur ita in arcto stipatæ erant naues. vt vix vllum telum in mari vanum incideret. frontibus velut pedestris acies vrgebant: peruiæque naues pugnantibus erãt. Insignis tamē inter ceteras pugna fuit duarum, quę primæ agminis concurrerant inter se. in Romana naue ipse Quintius erat. in Tarentino Nico, cui Perconi fuit cognomen, non publico modò, sed priuato etiam odio inuisus atque infestus Romanis quod eius factionis erat, quæ Tarentum Annibali prodiderat. Hic Quintium simul pugnantem hortantémq. suos incautum hasta transfigit. Ille simul atque præceps cum armis procidit ante proram. victor Tarentinus in turbatam duce amisso nauem impigrè transgressus, cùm summouisset hostes, & prora iam Tarentinorum esset, puppim malè conglobati tuerentur Romani: repente & alia à puppi triremis hostium apparuit: ita in medio circumuenta Romana nauis capitur. hinc ceteris terror iniectus, vt prætoriam nauem captam videre: fugientésque passim, aliæ in alto mersæ, aliæ in terram remis abreptæ, mox prædæ fuere Thurinis Metapontinisque. ex onerariis, quæ cum commeatu sequebantur, perpaucæ in potestatem hostium venere: aliæ ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela, in al-

A tum eiectæ sunt. Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarēti res gesta. nã ad quatuor millia hominũ frumētatũ egressa, cũ in agris passim vagarētur. Liuius qui arci præsidióq. Romano prę erat, intētus in omnes occasiones gerēdę rei, C. Persiũ impigrũ virũ cũ duobus millibus armatorũ ex arce emisit qui vagē effusos per agros, palatosq. adortus, cũ diu passim cecidisset: paucos ex multis trepida fuga incedentes semiapertis portarũ foribus in vrbē cōpulit: ne vrbs eodē impetu caperetur. Ita ęquatę res ad Tarētũ, B Romani victoribus terra Tarētinis mari frumēti spes quę in oculis fuerat vtrosque frustrata pariter. Per idem tempus Læuinus Cos. iam magna parte anni circumacta, in Siciliam veteribus nouisq; sociis expectatus cùm venisset, primum ac potissimum omnium ratus Syracusanis noua pace inconditas cōponere res: Agrigentum inde, quod belli reliquum erat, tenebaturque à Carthaginiensium valido pręsidio, duxit legiones. & affuit fortuna incœpto. Hanno erat imperator Carthaginiensium, sed omnem in C Mutina Numidisque spem repositam habebat. Per totam Siciliam vagus prædas agebat ex sociis Romanorum: neque intercludi ab Agrigento vi aut arte vlla, nec quin erumperet vbi vellet, prohiberi poterat. Hęc eius gloria, quia iam imperatoris quoque famæ officiebat, postremo in inuidiam vertit: vt ne bene gestæ quidem res iam Hannoni propter auctorem satis lętę essēt: propter quę postremo præfecturam eius filio suo dedit, ratus cum imperio auctoritatem quoque ei inter Numidas erepturum. D quod longè aliter euenit. nam veterem fauorem eius sua insuper inuidia auxit: neque ille indignitatem iniuriæ tulit: confestimque ad Læuinum occultos nuntios misit de tradendo Agrigento. per quos vt est facta fides, compositúsque rei gerendæ modus: portam ad mare ferentē Numidę cùm occupassent, pulsis inde custodibus, aut cæsis, Romanos ad id ipsũ missos in vrbē accepere, & cum agmine iam in media vrbis ad forum magno tumultu irentur: ratus Hanno non aliud quàm tumultum ac secessionem (id quod & ante acciderat) Numidarum E esse, ad comprimendam seditionem processit. atq. ille, cùm ei multitudo maior quàm Numidarum procul visa, & clamor Romanus haudquaquam ignotus ad aures accidisset: prius quàm ad ictum teli veniret, capessit fuga per auersam portam emissus, assumto comite Epicide, cum paucis ad mare peruenit: nactique opportunè paruum nauigium, relicta hostibus Sicilia, de qua per tot annos certatum erat, in Africam traiecerunt. alia multitudo Pœnorum Siculorúmque ne tentato quidem certamine, F cùm cæci in fugam ruerent, clausique exitus essent, circa portas cæsa. Oppido recepto Læuinus, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit: ceteros, prædámque vendidit, omnem pecuniam Romam misit. Fama Agrigentinorum cladis Siciliam cum persuasisset, omnia repentè ad Romanos inclinauerunt. Prodita breui sunt XX. oppida. sex vi capta, voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta. Quarũ ciuitatũ principibus G cum cuiusque merito consul præmia, pœnásque exsoluisset, coegissetq; Siculos, positis tandem armis, ad agrum colendum animos conuertere: vt esset nō incolarum modo alimentis frugifera insula, sed vrbis Romæ atque Italiæ (id quod multis sæpe tempestatibus fecerat) annonam leuaret: ab Agathyrna inconditam multitudinem secum in Italiam transuexit. Quatuor millia hominũ erant, misti ex omni colluuione, exsules, obærati: capitalia ausi plerique, & cum in ciuitatibus suis, ab suis legibus vixerant

& postquam eos ex variis caussis fortuna similis conglobauerat, Agatirnæ per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam. Hos neque relinquere Læuinus in insula, tum primum noua pace coalescente: velut materiam nouandis rebus, satis tutum ratus est: & Rheginis vsui futuri erant ad populandum Brutium agrum, assuetam latrociniis quærentibus manum. Et quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum est. In Hispania principio veris P. Scipio nauibus deductis, euocatisque edicto Terraconem sociorum auxiliis, classem onerariásque ostium inde Iberi fluminis petere iubet. eodem legiones ex hybernis conuenire cùm iussisset, ipse cum quinque millibus sociorum ab Terracone profectus ad exercitum est: quò cum venisset, alloquendos maximè veteres milites, qui tantis superfuerant cladibus, ratus, concione aduocata, ita disseruit: Nemo ante me nouus imperator militibus suis priusquam opera eorum vsus esset, gratias agere iure ac merito potuit: me vobis, prius quàm prouinciã aut castra viderem, obligauit fortuna: primum, quod ea pietate erga patrem patruúmque meum, viuos mortuósque fuistis: deinde quod amissam tanta clade prouinciæ possessionem, integram & populo Romano, & successori mihi virtute vestra obtinuistis. Sed cum iam benignitate deûm id paremus atque agamus, non vt ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant: nec vt pro ripa Iberi stantes arceamus transitum hostis, sed vt vltro transeamus, transferamúsque bellum: vereor ne cui vestrum maius id, audaciúsque consilium, quàm aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro ætate mea videatur. Aduersæ pugnæ in Hispania nullius in animo quàm meo, minus obliterari possunt. Quippe cui pater & patruus intra triginta dierum spatium, vt aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. sed vt familiares orbitas ac solitudo frangit animũ: ita publica cùm fortuna, tum virtus desperare de summa rerum prohibet, eo fato, quo donata nobis sors est, vt magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites: à Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? iam quid hoc de bello memorem? omnibus aut ipse adfui cladibus, aut quibus adfui, maximè vnus omnium eas sensi. Trebia, Thrasymenus, Cannæ, quid aliud sunt quam monimenta occisorum exercituum consulúmque Romanorum? adde defectionem Italiæ, Siciliæ maioris partis Sardiniæ: adde vltimum terrorem ac pauorem, castra Punica inter Anienem & mœnia Romana posita, & visum prope in portis victorem Annibalem. In hac ruina rerum stetit vna integra atque immobilis virtus populi Romani. Hæc omnia strata humi erexit ac sustulit. Vos omnium primi milites post Cannensem cladem vadenti Asdrubali ad alpeis Italiamque (qui si se cum fratre coniunxisset, nullum iam nomen esset populi Romani) ductu auspicióque patris mei obstitistis. & hæ secundæ res illas aduersas sustinuerunt. Nunc benignitate deum omnia secunda, prospera, in dies lætiora ac meliora in Italia Siciliáque geruntur. In Sicilia Syracusæ, Agrigentúmque captum, pulsi tota insula hostes receptáque prouincia in ditionem populi Romani est. In Italia Arpi recepti, Capua capta: iter omne ab vrbe Roma trepida fuga emensus Annibal, in extremum angulum agri Brutij compulsus, nihil iam maius precatur deos, quàm vt incolumi cedere atq; abire ex hostium terra liceat. Quid igitur minus cõueniat milites, quàm cum aliæ super alias clades cumularentur, ac dij propè ipsi cum Annibale sta-

A rent, vos hic cum parentibus meis (æquentur enim ipsi etiam honore nominis) sustinuisse labantem fortunam populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætáq; sunt, animis deficere? Nuper quoq; quæ acciderunt, vtinam tam sine meo luctu, quàm vestro transissent. Nunc dij immortales imperij Romani præsides qui centuriis omnibus, vt mihi imperiũ iuberent dari, fuere auctores, iidẽ auguriis auspiciisq; & per nocturnos etiam visus omnia læta ac prospera portẽdunt, animus quoq; meus, ma-
B ximus mihi ad hoc tempus vates, præsagit nostram Hispaniã esse: breui extorre hinc omne Punicũ nomẽ, maria terrásq; fœda fuga impleturũ. Quod mens sua sponte diuinat, idẽ subiicit ratio haud fallax. Vexati ab iis socij nostrã fidẽ per legatos implorãt. tres discrepãtes, propè vt defecerint alij ab aliis, trifariã exercitũ in diuersissimas regiones distraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quæ nuper eos afflixit. nã & deseruntur ab sociis, vt prius ab Celtiberis nos: & diduxere exercitus, quæ patri, patruóq; meo caussa exi-
C tij fuit. nec discordia intestina coire eos in vnũ sinet, neq; singuli nobis resistere poterũt. Vos modo milites fauete nomini Scipionũ, soboli imperatorum vestrorũ, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite milites veteres, nouũ exercitũ, nouúmq; ducem traducite Iberum: traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe à vobis peragratas. Breui faciã, vt queadmodũ nunc noscitatis in me patris patruiq; similitudinem oris vultusq; & lineamẽta corporis: ita ingenij, fidei, virtutisq; exemplũ, expressam ad effigiem vobis
D reddam, vt reuixisse, aut renatũ sibi quisq; Scipionem imperatorem dicat. Hac oratione accensis militum animis, relicto ad præsidium regionis eius M. Syllano cũ tribus millibus peditum, & trecentis equitibus, ceteras omnes copias (erant autem viginti quinque millia peditum, duo millia & quingenti equites) Iberum traiecit. Ibi quibusdam suadentibus, vt, quoniam in tres iam diuersas regiones discessissent Punici exercitus, proximum aggrederetur: periculum esse ratus, ne eo facto in vnum omnes contrahe-
E ret, nec par esset vnus tot exercitus, Carthaginem Nouam interim oppugnare statuit: vrbem cùm ipsam opulentam suis opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam (ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hispaniæ obsides erant) sitam præterea cum opportunè ad traiiciendum in Africam, tum super portum satis amplum quantæuis classi, & nescio an vnum in Hispaniæ ora, qua nostrò adiacet mari. Nemo omnium quò iretur sciebat, præter C. Lælium. Is classe circummissus ita moderari cursum na-
F uium iussus erat, vt eodem tempore Scipio ab terra exercitum ostenderet, & classis portum intraret. Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum est, simul terra marique. castra ab regione vrbis, qua in Septentrionem versa est, posita, his ab tergo (nam frons natura tuta erat) vallum obiectum. Etenim sita Carthago sic est: Sinus est maris media ferè Hispaniæ ora, maximè Africo vento oppositus, & quingentos passus introrsus retractus, paulò plus passuum in latitudinem patens. huius in ostio sinus parua insu-
G la obiecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præterquam Africo, tutum facit: ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse in quo condita vrbs est, ab ortu solis & à meridie cincta mari: ab occasu stagnum claudit, paululum etiam ad Septentrionem fusũ, incertæ altitudinis, vtcunq; exæstuat aut deficit, mare continenti vrbẽ iugum ducentos ferè & quinquaginta passus patẽs coniungit. Vnde cũ tã parui operis munitio esset, nõ obiecit vallũ imperator Romanus, seu fiduciã hosti superbè ostentans, siue vt sub-

eun-

sæpe ad mœnia vrbis recursus pateret. Cætera quæ munienda erant, cùm perfecisset, naues etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem, instruxit:circumuectúsque classem, cùm monuisset præfectos nauiũ, vt vigilias nocturnas intenti seruarent (omnia vbique primo obsessum hostem conari) egressus in castra, vt consilij sui rationem, quod ab vrbe potissimum oppugnanda bellum orsus esset, militibus ostenderet, & spem potiundæ cohortando faceret, concione aduocata ita disseruit: Ad vrbem vnam oppugnandum si quis vos adductos credit, is magis operis vestri, quàm emolumenti rationem exactam milites habet. oppugnabitis enim verè mœnia vnius vrbis, sed in vna vrbe vniuersam ceperitis Hispaniam. Hic sũt obsides omniũ nobilium regum populorumque:qui simul in potestate vestra erunt, extemplo omnia quæ nunc sub Carthaginiensibus sunt, in ditionem tradent. hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alát & quæ nobis maximo vsui ad conciliandos animos barbarorum erit. hic tormenta, arma, armamenta, & omnis apparatus belli est, qui simul & vos instruet, & hostes nudabit. Potiemur præterea cùm pulcherrima opulentissimáque vrbe, tũ opportunissimo portu egregio: vnde terra marique quę belli vsus poscunt, suppeditentur. quæ cum magna ipsi habebimus, tum demserimus hostibus multo maiora. hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est. huc rectus ex Africa cursus est. hæc vna inter Pyrenęum & Gades statio, hinc omnis Hispania imminet Africæ. Sed quoniam vos instructos & ordinatos cognosco, ad Carthaginem Nouam oppugnandam totis viribus, & bono animo transeamus. Cumque omnes vna voce hoc faciendum succlamarent, eos Carthaginem duxit. tum terra marique eam oppugnari iubet. Contrà Mago Pœnorum dux, cùm terra marique instrui oppugnationẽ videret, & ipse copias ita disponit. Oppidanorum duo millia ab ea parte qua castra Romana erant, opponit quingentis militibus. arcem insedit:quingentos tumulo vrbis in orientem verso imponit multitudinem aliam, quo clamor, quo subita vis aduocasset, resistentem ad omnia occurrere iubet. Patefacta deinde porta eos quos in via ferente ad castra hostium instruxerat, mittit. Romani duce ipso præcipiẽte parumper cessere, vt propiores subsidiis in certamine ipso summittendis essent. Et primo haud impari stetere acie. subsidia deinde identidem summissa è castris non auerterunt solum in fugam hostes:sed adeò effusis instituerunt, vt nisi receptui cecinisset, permisti fugientibus irrupturi fuisse in vrbem viderentur. Trepidatio verò non prælio maior quã tota vrbe fuit, multę stationes pauore atque loca deserta sunt: relictique muri, cum qua cuiq. erat proximũ, desiluissẽt. Quod vbi versus Scipio in tumulũ, quem Mercuriũ Teutatem appellát, aduertit, multis partibus nudatas defẽsoribus mœnia esse, omnes è castris excitos ire ad oppugnandum vrbem, & ferre scalas iubet: ipse trium ptæ se iuuenum validorum scutis oppositis. ingẽs enim iam vis omnis generis telorum è muris volabat, ad vrbem succedit. hortatur, imperat quæ in rem sunt: quodque plurimum ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorque virtutis atque ignauiæ cuiusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt, neq; illos muri, neque superstantes armati arcere queũt, quin certatum ascendãt. Et ab nauibus eodem tẽpore ea quę mari alluitur, pars vrbis oppugnari cœpta est. ceterũ tumultus inde maior quã vis, videri poterat. Dum applicant, dũ partim exponunt scalas militésque, dum qua cuiq; proximum est, in terram euadere properant: ipsa festinatione & certamine alij alios impediunt. inter hæc repleuerat iam Pœnus armatis muros, & vis magna & ingens copia congesta telorum suppeditabat. Sed neque viri, nec tela, nec quicquam aliud æque quàm mœnia ipsa sese defendebant, raræ enim scalæ altitudini æquari poterant:& quo quæque altiores, eo infirmiores erant. itaque cũ summus quisque euadere nõ posset, subirent tamen alij onere ipso frangebantur quidã stãtibus scalis, cum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terrã delati sunt. Et cum passim homines scalæq; ruerent, & ipso successu audacia atque alacritas hostiũ cresceret, signum receptui datũ est, quod spẽ non præsentis modo ab tanto certamine ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterum dedit, scalis & corona capi vrbem non posse: opera & difficilia esse, & tempus datura ad ferendã opem imperatoribus suis. Vix prior tumultus conticuerat, cum Scipio ab defessis iã vulneratisq; recentes integrosque alios accipere scalas iubet, & vi maiore aggredi vrbem. ipse, vt ei nuntiatũ est ęstũ decedere: quod per piscatores Tarraconẽses, nũc leuibus cymbis, nũc vbi eę sederent, vadis peruagatos per stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitũ dari: eò armatos duxit. Medium fermè diei erat, & ad id quod sua sponte cedẽte in mare ęstu trahebatur aqua, acer etiã Septentrio ortus inclinatũ stagnum eodem quò æstus ferebat:& adeo nudauerat vada, vt alibi vmbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc cura ac ratione cõpertum, in prodigiũ ac deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterẽt, & stagna auferrent, viásq. ante nunquã initas humano vestigio aperirent: Neptunũ iubebat ducẽ itineris sequi, ac medio stagno euadere ad mœnia. Ab terra ingens labor succedentibus erat. nec altitudine tantum mœniũ impediebantur: sed quod eue...us ad ancipites vtrinque ictus subiectos habebant Romanos: vt latera infestiora subeuntibus, quam aduersa corpora essent. At parte in alia quietus, & per stagnũ facilis transitus, & in murum ascensus inde fuit. nam neque opere emunitus erat, vt vbi ipsius loci ac stagni præsidio satis creditũ foret: nec vlla armatorum spatio, aut custodia opposita, intentis omnibus ad opem eo ferendam, vnde periculum ostendebatur. Vbi vrbem sine certamine intrauere, pergunt inde quanto maximo cursu poterant, ad eam portam, circa quam omne contractum certamen erat, in quod adeo intenti omnium non animi solum fuerant, sed etiam oculi auréśque oppugnantium spectantiumque & adhortantium pugnantes, vt nemo ante ab tergo senserit captam vrbem, quam tela in auersos inciderunt, & vtrinque ancipitem hostem habebant. tunc turbatis defensoribus metu, & mœnia capta, & porta intus forisq; pariter refringi cœpit:& mox cædendo cõfractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetũ fecerunt. Magna multitudo & muros transcendebat, sed hi passim ad cædem oppidanorum versi: illa quæ portam ingressa erat iusta acies, cum ducibus, cum ordinibus media vrbe in forum processit. Inde cum duobus itineribus fugientes videret hostes: alios ad tumulum in orientem versum, qui tenebatur quingentorum militum præsidio: alios in arcem, in quam & ipse Mago cum omnibus ferè armatis, qui muris pulsi fuerant, refugerat. partem copiarum ad tumulum expugnandum mittit, ipse ad arcem ducit. Et tumulus primo impetu est captus: & Mago arcẽ conatus defendere cùm omnia hostium plena videret, neque spem vllam es-

se, se arcémque & præsidium dedidit. Quoad dedita arx est, cædes tota vrbe passim factæ: nec vlli puberum qui obuius fuit, parcebatur. Tum signo dato cædibus finis factus ad prædam victores versi, quæ ingens omnis generis fuit Liberorum capitum virilis sexus ad X. millia capta inde qui ciues nouæ Carthaginis erant, dimisit. vrbémque & sua omnia quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant. eos publicos fore populo Romano edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixè operam nauassent: ceteram multitudinem incolarum iuuenum ac validorum seruorum in classem ad supplementum remigum dedit. Et auxerat nauibus octo captiuis classem. Extra hanc multitudinem Hispanorum obsides erant: quorum perinde ac si sociorum liberi essent, cura habita. Captus & apparatus ingens belli, catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores CCLXXXI. balistæ maiores XXXIII. minores LII. scorpionum maiorum minorúmque & armorum telorúmque ingens numerus. signa militaria LXXIIII. Et auri argentique relata ad imperatorem magna vis. pateræ aureæ fuerunt CCLXXVI. librales ferme omnes pondo: argenti facti signatique decem & octo millia, & CCC. pondo: vasorum argenteorum magnus numerus. Hæc omnia C. Flaminio quæstori appensa adnumeratáque sunt. tritici XL. millia modiorum, hordei CCLXX. Naues onerariæ CXIII. in portu expugnatæ, captæque: quędam cum suis oneribus, fruméto, armis, ære præterea, ferróque & linteis, & sparto, & nauali alia materia ad classem ædificandam, vt minimum omnium inter tantas opes bellicas Carthago ipsa fuerit. Eo die Scipio C. Lælio cum sociis naualibus vrbem custodire iusso, ipse in castra legiones reduxit, fessósque milites omnibus vno die belli operibus (quippe qui & acie dimicassent, & in capienda vrbe tantum laboris periculique adissent: & capta, cum iis qui in arcem confugerant, iniquo etiam loco pugnassent) curare corpora iussit. Postero die militibus naualibúsque sociis conuocatis, primum diis immortalibus laudes gratiásque egit: qui se non vrbis solum opulentissimæ omnium in Hispania vno die compotem fecissent, sed ante eo congessissent omnis pene Africæ atque Hispaniæ opes, vt neque hostibus quicquam relinqueretur, & sibi ac suis omnia superessent. Militum deinde virtutem collaudauit, quod eos non eruptio hostium, non altitudo mœnium, non inexplorata stagni vada, non castellum in alto tumulo situm, non munitissima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia, perrumperéntque. Itaque quanquam omnibus omnia deberet: præcipuum tamen muralis coronæ decus eius esse, qui primus murum ascendisse se profiteretur, qui se dignum eo duceret dono. Duo professi sunt, Q. Trebellius centurio legionis quartæ, & Sex. Digitius socius naualis. Nec ipsi tam inter se acriter contendebant, quàm studia excitauerant vterque sui corporis hominum. sociis se Lælius præfectus classis, legionariis M. Sempronius Tuditanus aderat. Ea contentio cum prope seditionem veniret: Scipio tres recuperatores cum se daturũ pronunciasset, qui cognita caussa, testibúsque auditis, iudicarent, vter prior in oppidum transcendisset: C. Lælio, & M. Sempronio aduocatis partis vtriusque P. Cornelium Caudinum de medio adiecit: eósque tres recuperatores considere, & caussam cognoscere iussit. Cùm res eo maiore ageretur certamine, quod amoti tantæ dignitatis non tam aduocati, quàm moderatores studiorum fuerant: C. Lælius relicto consilio, ad tribunal ad Scipionem

A accedit: eúmque docet, rem sine modo ac modestia agi: ac prope esse, vt manus inter se conserant. Ceterum etiam si vis absit, nihilominus detestabili exemplo rem agi: quippe vbi fraude ac periurio decus petatur virtutis. Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes deos paratos iurare magis quæ velint, quàm quæ sciant: vera esse, & obstringere periurio non se solum, suumque caput, sed signa militaria & aquilas, sacramentique religionem. Hæc se ad eum de sententia P. B Cornelij & M. Sempronij deferre. Scipio collaudato Lælio, ad concionem vocauit, pronuntiauitque, se satis compertum habere, Q. Trebellium & Sex. Digitium pariter in murum ascendisse: séque eos ambos virtutis caussa coronis muralibus donare. Tum reliquos prout cuiusque meritum virtusque erat, donauit: ante omnes C. Lælium præfectum classis, & omni genere laudis sibimetipsi æquauit, & corona aurea ac XXX. bobus donauit. Tum obsides ciuitatum Hispaniæ vocari iusC sit, quorum quantus numerus fuerit, piget scribere: quippe cum alibi CCC. ferme, alibi DCCXXV. fuisse inueniam. Æquè & alia inter auctores discrepant. Præsidium Punicum alius X. alius VII. alius haud plus quam duum millium fuisse scribit. Capta alibi X. millia capitum, alibi supra V. & XX. inuenio. Scorpiones maiores minoresque ad LX. captos scripserim, si auctorem Græcum sequar Silenum: si Valerium Antiatem, maiorum scorpionum VI. millia minorum XIII. D adeo nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem conuenit, plerique Lælium præfuisse classi, sunt qui M. Iunium Syllanum dicant. Armen, præfuisse Punico præsidio, deditumque Romanis Antias Valerius: Magonem alij scriptores tradunt. Non de numero nauium captarum, non de pondere auri atque argenti & redacta pecunia conuenit. Si aliquibus assentiri necesse est, media similia veri sunt. Ceterum Scipio vocatis obsidibus, primum vniuersos bonum animum habere iussit. venisse eos in populi Romani potestatem, qui benE eficio quam metu obligare homines malit: exterásque gentes fide ac societate iunctas habere, quàm tristi subiectas seruitio. deinde acceptis nominibus ciuitatum, recensuit captiuos, quot cuiusque populi essent, & nuntios domum misit, vt ad suos quisque populi essent, & nuntios domum misit, vt ad suos quisque, recipiendos veniret. si quarum forte ciuitatum legati aderant, eis præsentibus suos restituit. cetérorum curam benigne tuendorum C. F Flaminio quæstori attribuit. Inter hæc è media turba obsidum mulier magno natu, Mãdonij vxor, qui frater Indibilis Ilergetum reguli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit: obtestarique cœpit, vt curam cultumq. fœminarũ impẽsius custodibus commendaret. Cùm Scipio nihil profecto defuturum iis diceret: tũ rursus mulier: Haud magni ista facimus, inquit, quid enim huic fortunæ non satis est? alia me angit cura, ætatem harum intuentem: nam ipsa iam extra periculum iniuriæ muliebris sum. simul ætate G & forma florentes circa eam Indibilis filiæ erant, aliæque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente colebant. Tum Scipio: Meæ, populique Romani disciplinæ caussa facerem, inquit, ne quid quod sanctum vsquam esset, apud nos violaretur: nunc vt id curem impensius, vestra quoque virtus dignitásque facit, quæ nec in malis quidem oblitæ decoris matronalis estis. Spectatæ deinde integritatis viro tradidit eas: tuerique haud secus verecundè ac modeste, quam hospitum coniuges ac matres iussit. Captiua deinde à militibus adducitur ad eũ adulta virgo,

adeò

adeò eximia forma, vt quacunque incedebat, conuerteret omnium oculos. Scipio percũctatus patriã, parentésq. inter cetera accepit, desponsatã eã principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen erat. Extẽplo igitur parentibus sponsóque ab domo accitis, cùm interim audiret deperire eũ spõsæ amore: vbi primum venit, accuratiore eum sermone quàm parentes alloquitur. Iuuenis, inquit, iuuenem appello, quo minus sit inter nos huius sermonis verecũdia. ego, cùm sponsa tua capta à militibus nostris ad me deducta esset, audirémque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem: quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto & legitimo amore, & non respublica animum nostrũ occupasset: veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cuius possum, amori faueo. Fuit sponsa tua apud me, eadem qua apud soceros tuos parentésque suos verecundia: seruata tibi est, vt inuiolatam, & dignũ me téq. dari tibi donum posset. hanc mercedem vnã pro eo munere paciscor: amicus populo Romano sis. & si me virum bonum credis esse, quales patrem, patruúmque meum iam ante hæ gentes norãt: scias multos nostri similes in ciuitate Romana esse: nec vllum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis, aut amicum malis. Cùm adolescens simul pudore gaudioq. perfusus, dextram, Scipionis tenens, deos omnes inuocaret ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis pro suo animo, atque illius erga se merito esset: parentes inde cognatique virginis appellati, qui quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus: orare Scipionem, vt id ab se donum acciperet, cœperunt: haud minorem eius rei apud se gratiam futuram affirmantes, quàm redditæ inuiolatæ foret virginis. Scipio quando tantopere peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes iussit, vocatoque ad se Allucio: Super dotem, inquit, quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent, aurumque tollere, ac sibi habere iussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum impleuit populares laudibus & meritis Scipionis. venisse diis simillimum iuuenem, vincentem omnia cum armis, tum benignitate ac beneficiis. Itaque delectu clientium habito, cum delectis mille & CCCC. equitibus intra paucos dies ad Scipionem reuertit. Scipio retentum secum Lælium, dum captiuos obsidésque & prædam ex consilio eius disponeret: rebus omnibus compositis, data quinquereme, captiuis cum Magone, & quindecim fere senatoribus, qui simul cum eo capti erant, in naue impositis, nuntium victoriæ Romam mittit. ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercẽdis naualibus pedestribusq; copiis absumsit. Primo die legiones in armis quatuor millium spatio decurrerunt. secundo die arma curare, & tergere ante tentoria iussit, tertio sudibus inter se in se modum iustæ pugnæ concurrerunt: præpilatisque missilibus iaculati sunt. quarto die quies data. quinto iterum in armis concursum est. Hunc ordinem laboris quietisque quoad Carthagine morati sunt, seruauerunt. Remigio classici milites tranquillo in altum euecti, agilitatem nauium simulacris naualis pugnæ experiebantur. Hæc extra vrbem terra marique corpora simul animosque ad bellum acuebant. Vrbs ipsa strepebat apparatu belli, fabris omniũ generum in publica officina inclusis. dux cuncta pari cura obibat: nunc in classe ac nauali erat, nunc cum legionibus decurrebat, nunc operibus aspiciẽdis tempus dabat,

A quæque in officinis, quæque in armamentario ac naualibus fabrorum multitudo plurima in singulos dies certamine ingẽti faciebat. His ita incoatis, refectisque quos quassauerat muris, dispositisque præsidiis ad custodiam vrbis, Tarraconem est profectus, à multis legationibus protinus in via aditus: quas partim dato responso ex itinere dimisit, partim distulit Tarraconem, quo omnibus nouis veteribusque sociis edixerat conuentum. Et cuncti fere qui cis I- B berum incolunt populi, multique etiam vlterioris Hispaniæ conuenerunt. Carthaginiensium duces primo ex industria famam captæ Carthaginis compresserant: deinde vt clarior res erat, qua vt tegi ac dissimulari posset, eleuabant verbis: nec opinato aduentu, ac prope furto vnius diei vrbem vnam Hispaniæ interceptam. cuius rei tam paruæ prẽmio elatum insolentem iuuenem immodico gaudio speciem magnæ victoriæ imposuisse. at vbi appropinquare C tres duces, tres victores hostium exercitus audisset, occursuram ei extemplo domesticorum funerum memoriam. Hæc in vulgus iactabant, haud quaquam ipsi ignari, quantum sibi ad omnia virium Carthagine amissa decessisset.

DECADIS TERTIAE

LIBER VII.

HIc status rerum Hispaniæ erat. In Italia consul Marcellus Salapia per proditionem recepta, Maroneam & Meles de Samnitibus vi cepit. Ad tria millia militum ibi Annibalis, quæ præsidij caussa relicta erat, oppressa. prædæ aliquantum eius militi fuit concessum. tritici quoque CCXL. millia modiũm, & CX. millia hordei inuenta. Ceterum nequaquam inde tantum gaudij E fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est haud procul ab Herdonea vrbe. Castra ibi Cn. Fuluius proconsul habebat, spe recipiundæ Herdoneæ, quæ post Cannensem cladem ab Romanis defecerat: nec loco satis tuto posita, nec præsidiis firmata. Negligentiam insitam ingenio ducis augebat spes ea, quod labare iis aduersus Pœnum fidem senserat. Postquam Salapia amissa excessisse his locis Annibalem in Brutios auditum est, ea omnia ab Herdonea per occultos nuntios delata Anniba- F li, simul curiam sociæ retinendæ vrbis, & spem fecere incautum hostem aggrediendi. Exercitu expedito, ita vt famam quoque præueniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit. & quo plus terroris hosti obiiceret, acie instructa accessit. Par audacia Romanus, consilio & viribus impar, copiis raptim eductis conflixit. quinta legio & sinistra ala acriter pugnam inierunt. Ceterum Annibal signo equitibus dato, vt cùm pedestres acies occupassent præsenti certamine oculos ani- G mosque, circumuecti, pars castra hostium, pars terga pugnantium inuaderent: ipse Cn. Fuluij similitudinem nominis, quod Cn. Fuluium prætorem biennio ante in iisdem deuicerat locis, increpans, similem euentum pugnæ fore affirmabat. Neque ea spes vana fuit. nam cum comminus acie & peditum certamine multi cecidissent Romanorum, starent tamen ordines signaque: equestris tumultus à tergo, simul à castris clamor hostilis auditus, sextam ante legionem quæ in secunda acie posita prior ab Numidis turbata est: quintam deinde,

atque eos qui ad prima signa erant, auertit. Pars in A fugam effusi, pars in medio cæsi: vbi & ipse Cn. Fuluius cum duodecim tribunis militum cecedit. Romanorum sociorúmque quot cæsa in eo prælio millia sint, quis pro certo affirmet, cum tredecim millia alibi, alibi haud plusquam septem inueniam? Castris, prædáque victor potitur. Herdoneam, quia & defecturam fuisse ad Romanos comperit, nec mansuram in fide si inde abscessisset, multitudine omni Metapontum ac Thurios traducta, incendit: principes qui cum Fuluio colloquia occulta habuisse comperti sunt, peremit. Romani, qui ex tanta clade euaserant, diuersis itineribus semiermes ad Marcellum consulem in Samnium cõfugerunt. Marcellus nihil admodum tanta clade territus, literas Romam ad senatum de duce & exercitu ad Herdoneam amisso scribit. Ceterum eundem se, qui post Cannensem pugnam ferocem victoria Annibalem contudisset, ire aduersus eum, breuem illi lætitiam qua exultet facturum. Et Romæ quidem cum luctus ingens ex præterito, tum timor in futurum erat, Consul ex Samnio in Lucanos transgressus ad Numistronem in conspectu Annibalis loco plano, cum Pœnus collem teneret, posuit castra. Addidit & aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit. Nec detrectauit Annibal, vt signa portis efferri vidit. Ita tamen aciem instruxerunt, vt Pœnus dexterum cornu in collem erigeret, Romani sinistrum ad oppidum applicarent. Ab hora tertia cum ad noctem pugnam extendissent, fessæque pugnando primæ acies essent, ab Romanis prima legio & dextera ala, ab Annibale Hispani milites & funditores Baleares, elephanti quoque commisso iam certamine, in prælium acti. Diu pugna neutro inclinata stetit. Primæ legioni tertia dexteræ alæ sinistra subit, & apud hostes integri à fessis pugnam accepere. Nouum atque atrox prælium ex tam segni repente exarsit, recentibus animis corporibusque: sed nox incerta victoria diremit pugnantes. Postero die Romani ab sole orto in multum diem stetere in acie: vbi nemo hostium aduersus prodiit, spolia per otium legêre, & congestos in vnum locum cremauere suos. Nocte insequenti Annibal silentio mouit castra, & in Apuliam abiit. Marcellus vbi lux fugam hostium aperuit, sauciis cum præsidio modico Numistrone relictis, præpositóque his L. Furio Pupurione tribuno militum, vestigiis institit sequi. Ad Venusiam adeptus eum est. Ibi per dies aliquot cum ab stationibus procursaretur, mista equitum peditumque tumultuosa magis prælia quàm magna, & ferme omnia Romanis secunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti exercitus sine vllo memorando certamine, cum Annibal nocte signa moueret, locum insidiis quærens. Marcellus nisi certa luce, & explorato ante, non sequeretur. Capuæ interim Flaccus dum bonis principum vendendis, agro qui publicatus fuerat, locando (locauit autem omnem frumento) tempus terit, ne deesset materia in Campanos sæuiendi, nouum in occulto gliscens per indicium pertractum est facinus. milites ædificiis emotos, simul vt cum agro tecta vrbis fruenda locarentur: simul metuens ne suum quoque exercitum, sicut Annibalis, nimia vrbis amœnitas emolliret: in portis murisq; semetipsos tecta mirabiliter coegerat ædificare. erant autem pleraque ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, velut de industria alimentis ignis. Hæc noctis vna hora vt omnia incenderent, C L X X. Campani principibus fratribus Blosiis, coniurauerant, indicio eius rei ex familia Blosiorum facto, portis repente iussu proconsulis clausis, cum ad arma signo dato milites concurrissent, comprehensi omnes qui in noxa erant, & quæstione acriter habita, damnati necatique, indicibus libertas, & æris dena millia data. Nucerinos & Acerranos quærentes vbi habitarent non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta, Romam Fuluius ad senatum misit. Acerranis permissum vt ædificarent quæ incensa erant. Nucerini Atellam quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare iussis, traducti. Inter multas magnásque res quæ nunc secundæ, nunc aduersæ occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria. M. Ogulnius, & P. Aquilius in Ætoliam legati ad frumentum coemendum, quod Tarentum portaretur, profecti: & mille milites de exercitu vrbano, par numerus Romanorum sociorumque, eodem in præsidium cum frumento missi sunt. Iam æstas in exitu erat, comitiorumque consularium instabat tempus. sed literæ Marcelli negantis è republica esse, vestigium abscedi ab Annibale, cui cedenti, certaménque abnuenti, grauius ipse instaret: curam iniecerant ne aut consulem tum maximè res agentem à bello auocarent, aut in annum consules deessent. optimum visum est, quanquam extra Italiam esset, Valerium potius consulem ex Sicilia reuocari. Ad eum literæ iussu senatus ab L. Manlio prætore vrbis missæ cum literis consulis M. Marcelli: vt ex iis nosceret, quæ caussa patribus eum potius quàm collegam reuocandi ex prouincia esset. Eo forte tempore legati ab rege Syphace Romam venerunt, quæ iis prospera prælia rex cum Carthaginiensibus fecisset, memorantes. Regem nec inimiciorem vlli populo quàm Carthaginiensi, nec amiciorem quàm Romano affirmabant esse. misisse eum antea legatos in Hispaniam ad Cn. & P. Cornelios Scipiones, imperatores Rom. nunc ab ipso velut fonte petere Romanam amicitiam voluisse. Senatus non legatis modo benigne respondit, sed & ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genutium, P. Petellium, P. Popilium. Dona tulere, togam & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream ex quinque pondo factam. Protinus & alios Africæ regulos iussit adire. iis quoque quæ darentur, portata, togæ prætextæ, & ternum pondo pateræ aureæ. Et Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatrámque reges M. Attilius, & M. Acilius legati ad commemorandam renouandámque amicitiam missi dona tulere: Regi togam & tunicam purpuream cum sella eburnea: Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo. Multa æstate qua hæc facta sunt, ex propinquis vrbibus agrisque nuntiata sunt prodigia. Tusculi agnum cum vbere lactanti natum: Iouis ædis culmen fulmine ictum ac prope omni tecto nudatum. Iisdem fermè diebus Anagniæ terram ante portam ictam diem ac noctem sine vllo ignis alimento arsisse: & aues ad compitum Anagninum in luco Dianæ nidos in arboribus reliquisse. Tarracinæ in mari haud procul portu angues magnitudinis miræ lasciuientium piscium more exultasse. Tarquiniis porcum cum ore humano genitum. Et in agro Capenate ad lucum Feroniæ IIII. signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. Hæc prodigia hostiis maioribus procurata decreto pontificum: & supplicatio diem vnum Romæ ad omnia puluinaria, alterum in Capenate agro ad Feroniæ lucum indicta. M. Valerius consul literis

excitus,

excitus prouincia exercitúque mandato Cincio prętori, M. Valerio Messala præfecto classis cũ parte nauium in Africam prædatum simul, speculatumque quæ populus Carthaginiensis ageret paraŕetque, misso: ipse X. nauibus Romam profectus cum prospere peruenisset, senatum extemplo habuit. ibi de suis rebus gestis commemorauit. Cùm annos prope L X. in Sicilia terra marique sæpe magnis cladibus bellatum esset, se eam prouinciam confecisse. neminem Carthaginiensem in Sicilia esse: neminem Siculum, qui metu inde fugati abfuerint, non esse. omnes in vrbes, agrósque suos reductos, arare, serere: desertam recoli tandem terram, frugiferam ipsis cultoribus, populoque Romano pace ac bello fidissimum annonæ subsidium. Exin Mutine, & si quorum aliorum merita erga populum Romanum erant, in senatum introductis, honores omnibus ad exsoluendam fidem consulis habiti. Mutines etiam ciuis Romanus factus, rogatione ab tribuno plebis ex auctoritate patrum ad plebem lata. Dum hæc Romæ geruntur, M. Valerius Messala L. nauibus cum ante lucem ad Africam accessisset, improuiso in agrum Vticensem excursionem fecit: eumque latè depopulatus, multis mortalibus cum alia omnis generis præda captis, ad naues rediit, atque in Siciliam transmisit: tertiodecimo die quàm profectus inde erat, Lilibæum reuectus. Ex captiuis quæstione habita, hæc comperta: consulique Læuino omnia ordine perscripta, vt sciret in quó statu res Africæ essent. Quinque millia Numidarum cum Masanissa Galæ filio acerrimo iuuene Carthagine esse: & alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniam ad Asdrubalem traiicerétur, vt is quã maximo exercitu primo quoq. tempore in Italiã transgressus iungeret se Annibali. in eo positã victoriam credere Carthaginiẽses. classem præterea ingentem apparari ad Siciliam repetendam, eámque se credere breui traiecturam. Hæc recitata à consule, ita mouere senatum. vt non exspectanda comitia consulis censeret, sed dictatore comitiorum habendorum caussa dicto, extemplo in prouinciam redeundum. Illa disceptatio tenebat, quod consul in Sicilia se M. Valerium Messalam, qui tum classi præesset, dictatorem dicturum esse aiebat: patres extra Romanum agrum (eum autem in Italia terminari) negabant dictatorem dici posse. M. Lucretius tribunus plebis cum de ea re consuleret, ita decreuit senatus, vt consul prius quàm ab vrbe discederet, populum rogaret, quem dictatorem dici placeret: eumque quem populus iussisset, dictatorem diceret. si consul noluisset, prętor vrbanus populum rogaret: si ne is quidem vellet, tum tribuni ad plebem ferrent. Cùm consul se populum rogaturum negasset, quod suæ potestatis esset: prætorémque vetuisset rogare: tribuni plebis rogarunt, plebésque sciuit, vt Q. Fuluius qui tum ad Capuam erat, dictator diceretur. Sed quo die id plebis consilium futurum erat, consul clam nocte in Siciliam abiit, destituitque patres literas ad M. Claudium mittendas censuerunt, vt desertæ à collega reipublicæ subueniret, dicerétque quem populus iussisset, dictatorem. Ita à M. Claudio consule Q. Fuluius dictator dictus. & ex eodem plebiscito à Q. Fuluio dictatore P. Licinius Crassus pontifex maximus magister equitum dictus. Dictator posteaquam Romam venit, Cn. Sempronium Blesum legatum, quem ad Capuam habuerat, in Hetruriam prouinciam ad exercitum misit, in locum C. Calpurnij prætoris: quem vt Capuæ exercituique suo præesset, literis exciuit. ipse comitia in

A quem diem primum potuit, edixit: quæ certamine inter tribunos dictatorémque iniecto, perfici nõ poterant. Galeria iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat, Q. Fuluium & Q. Fabium consules dixerat, eodémque iure vocatæ reliquæ inclinassent, ni tribuni plebis C. & L. Ariani se interposuissent: qui neque magistratum continuari satis ciuile esse aiebant: & multo fœdioris exempli, cum ipsum creari qui comitia haberet. itaque si suum nomen dictator acciperet, se comitiis intercessuros: si aliorũ prætérquam B ipsius ratio haberetur, comitiis se moram non facere. Dictator caussam comitiorum auctoritate Senatus, plebiscito, exemplisque turabatur. Nam Cn. Seruilio C O S. cum Flaminius alter consul ad Thrasymenum cecidisset, ex auctoritate patrum ad plebem latum, plebémque sciuisse, vt quoad bellum in Italia esset, ex iis qui consules fuissent, quos & quoties vellet, reficiendi consules populo ius esset. exempláque ea in re se habere, vetus L. Posthumij Megilli: qui interrex iis comitiis quæ ipse habuisset. Consul cum C Cn. Iunio Bubulco creatus esset: recens Q. Fabij, qui sibi continuari consulatum, nisi id bono publico fieret, profecto nunquam siuisset. His orationibus cum diu certatum esset, postremo ita inter dictatorem ac tribunos conuenit, vt eo quod censuisset Senatus, staretur. Patribus id tempus reipublicæ visum est, vt per veteres & expertos, bellique peritos imperatores respublica gereretur: itaque moram fieri comitiis non placere. Concedentibus tribunis, comitia habita. Declarati consules Q. Fabius Maximus D quintum, Q. Fuluius Flaccus III. Prætores inde creati, L. Veturius Philo, T. Quintius Crispinus, C. Hostilius Tubulus, C. Aurunculeius. Magistratibus in annũ creatis, Q. Fuluius dictatura se abdicauit. Extremo æstatis huius classis Punica nauium XL. cum præfecto Amilcare in Sardiniam traiecta, Olbiensem primo, dein postquam ibi P. Manlius Volso prętor cum exercitu apparuit, circumacta inde ad alterum insulæ latus, Caralitanum agrum vastauit: & cum præda omnis generis in Africam rediit. Sa- E cerdotes Romani eo anno mortui aliquot, suffectique. C. Seruilius pontifex factus in locum T. Octacilij Crassi. Decemuir item sacris faciundis in locum T. Sempronij T. F. Longi T. Sempronius C. F. Longus suffectus. M. Martius rex sacrorum mortuus est: & M. Æmylius Pappus maximus curio: neque in eorum locum sacerdotes eo anno suffecti. Et censores hic annus habuit L. Veturium Philonem, & P. Licinium Crassum pontificem maximum Crassus Licinius nec consul nec prætor ante fuerat, quàm cen- F sor est factus ex ædilitate gradum ad censuram fecit. Sed hi censores neque senatum legerunt, nec quicquam publicæ rei egerunt. mors diremit L. Veturij. inde & Licinius censura se abdicauit. Ædiles curules L. Veturius, & P. Licinius Varus ludos Romanos diem vnum instaurarunt. Ædiles plebis Q. Catius, & L. Porcius Licinius ex mulctatitio argento signa ænea ad Cereris dedere: & ludos pro temporis eius copia magnificè apparatos fecerunt. Exitu anni huius die IIII. & XXX. quam ab Tarra- G cone profectus erat C. Lælius legatus Scipionis, Romam venit. isque cum agmine captiuorũ ingressus vrbem magnum concursum hominum fecit. Postero die in senatum introductus, captam Carthaginem caput Hispaniæ vno die, receptásque aliquot vrbes, quæ defecissent: nouásque in societatem ascitas, exposuit. Ex captiuis comperta his ferè congruentia, quæ in literis fuerant M. Valerij Messalæ. Maxime mouit patres Asdrubalis transitus in Italiam, vix Annibali atq. eius armis obsisten-

tem. Productus in concionem Lælius eadé disseruit. Senatus ob res feliciter à P. Scipione gestas supplicationem in vnum diem decreuit. C. Lælium primo quoque tempore cum quibus venerat nauibus, redire in Hispaniam iussit. Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli multis auctoribus: haud nescius quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint. Sed mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerendo in Hispania consumsisse. Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fuluio Flacco quartum Cos. Idibus Martiis quo die magistratum inierunt, Italia ambobus prouincia decreta: regionibus tamen partitum imperium, Fabius ad Tarentum, Fuluius in Lucanis ac Brutiis rem gereret. M. Claudio prorogatum in annum imperium. Prætores sortiti prouincias: C. Hostilius Tubulus vrbanam: L. Veturius Philo peregrinam cum Gallia: T. Quintius Crispinus Capuam. C. Aurunculeius Sardiniam. Exercitus ita per prouincias diuisi. Fuluio duæ legiones, quas in Sicilia M. Valerius Læuinus haberet: Q. Fabio, quibus in Hetruria C. Calpurnius præfuisset, exercitus vrbanus vt in Hetruriam succederet: C. Calpurnius eidem præesset prouinciæ, exercituique, quem Q. Fuluius habuisset. Capuam exercitúmque T. Quintius obtineret: C. Hostilius ab C. Lectorio proprætore prouinciam, exercitúmque, qui tum iam Arimini erat, acciperet. M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ: M. Valerio cum L. Cincio (his quoque est in annum prorogatum in Sicilia imperium) Cannensis exercitus datus: eúmque supplere ex militibus qui ex legionibus Cn. Fuluij superessent, iussi. Cóquisitos eos consules in Siciliam miserunt: additáque eadem militiæ ignominia, sub qua Cannenses militabant: quique ex prætoris Cn. Fuluij exercitu ob similis iram fugæ missi eò ab senatu fuerant. Cn. Aurunculeio eædem in Sardinia legiones, quibus P. Manlius Volso eam prouinciam obtinuerat, decretæ. P. Sulpicio eadem legione, eademq; classe Macedoniam obtinere iusso, prorogatum in annum imperium. XXX. quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti iussæ: cetera classe placere prædatum in Africam aut ipsum M. Valerium Læuinum traiicere: aut mittere, seu L. Cincium, seu M. Valerium Messalam vellet. Nec de Hispania quicquam mutatum, nisi quod non in annum Scipioni Syllanóque, sed donec reuocati ab Senatu forent, prorogatum imperium est. ita prouinciæ, exercitusque in eum annum partita imperia. Inter maiorum rerum curas comitia maximi curionis, cum in locum M. Æmylij sacerdos crearetur, vetus excitauerunt certamen, patriciis, negãtibus C. Manilij Attilij qui vnus ex plebe petebat, habendam rationé esse, quia nemo ante eum, nisi ex patribus, id sacerdotium habuisset. Tribuni apellati, ad Senatum reiecerunt. Senatus populo potestatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus curio C. Manilius Attilius. Et flaminem dialem inuitum inaugurari coegit. P. Licinius pontifex maximus C. Valerium Flaccum decemuir sacris faciundis creatus in locum Q. Mutij, Scæuolæ demortui C. Lectorius. Caussam inaugurari coacti flaminis libens reticuissem, ni ex mala fama in bonam vertisset. Ob adolescentiam neglígentem luxuriosámque C. Flaccus flamen captus à P. Licinio Pótifice maximo erat, L. Flacco fratri germano, cognatisque aliis ob eadem vitia inuisus. Is, vt animũ eius cura sacrorum & cæremoniarum cepit, ita repente exuit antiquos mores, vt nemo tota iuuẽtute haberetur prior: nec probatior primoribus patrum, suis pariter, alienisque esset. Huius famæ consensu, elatus ad iustam fiduciam sui, rem intermissam per multos annos ob indignitatem flaminum priorum repetiuit, vt in Senatum introiret. Ingressum eum curiam, cùm L. Licinius prætor inde eduxisset, trib. pleb. appellauit flamen. Vetustum ius sacerdotij repetebat: datùm id cum toga prætexta & sella curuli C. Flaminio esse. Prætor non exoletis vetustate annalium exemplis stare ius, sed recentissimæ cuiusque consuetudinis vsu volebat, nec patrum nec auorum memoria dialem quenquam id ius vsurpasse. Tribuni rem inertia flaminum obliteratam, ipsis non sacerdotio damno fuisse cùm æquum censuissent, ne ipso quidem contrà tendente prætore magno assensu patrum plebisque flaminem in Senatum introduxerunt: omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitæ quàm sacerdotij iure rem eam flaminem obtinuisse. Consules prius quàm in prouincias irent, duas vrbanas legiones in supplementum quantum opus erat ceteris exercitibus militum, scripserint. Vrbanum veterem exercitum Fuluius consul C. Fuluio Flacco legato (frater hic consulis erat) in Hetruriam dedit ducendum: & legiones quæ in Hetruria erant, Romam deducendas. Et Fabius consul reliquias exercitus Fuluiani conquisitas (fuerũt autem ad tria millia CCCXXXVI.) Q. Maximum filium ducere in Siciliam ad M. Valerium proconsulem iussit: atque ab eo duas legiones, & triginta quinqueremes accipere. Nihil hæ eductæ ex insula legiones minuerunt, nec viribus nec specie eius prouinciæ præsidium. nam cum præter egregiè suppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam Numidarum equitum peditumque magnam vim haberet: Siculos quoque qui in exercitu Epicidis aut Pœnorum fuerant, belli peritos viros milites scripsit. Ea externa auxilia quum singulis Romanis legionibus adiunxisset, duorum speciem exercituum seruauit. altero L. Cincium partem insulæ, qua regnum Hieronis fuerat, tueri iussit: altero ipse ceteram insulam tuebatur, diuisam quondam Romani Punicique imperij finibus. Classis quoque nauium LXX. parata, vt omnia ambitu littorum præsidio oræ maritimæ essent. Ipse cum Mutinis equitatu prouinciã peragrabat, vt viseret agros, cultáque ab incultis notaret: & perinde dominos laudaret, castigarétque. Ita tantum ea cura frumenti prouenit, vt & Romam mitteret, & Catanam conueheret, vnde exercitui qui ad Tarentum æstiua acturus esset, posset præberi. Ceterum transportati milites in Siciliam (& erat maior pars Latini nominis, sociorumque) prope magni motus caussa fuere. adeo ex paruis sæpe magnarum momenta rerum pendent: fremitus enim inter Latinos sociosque in conciliis ortus. Decimum annum delectibus & stipendiis exhaustos esse. quotannis ferme clade magna pugnare: alios in acie occidi, alios morbo absumi. magis perire sibi ciuem qui ab Romano miles lectus sit, quàm qui à Pœno captus, quippe ab hoste gratis remitti in patriam, ab Romanis extra Italiam in exsilium verius quàm in militiam ablegari. Octauum iam ibi annum senescere Cannensem militem, moriturum antequam Italia hostis (quippe nunc cum maximè florens viribus) excedat. si veteres milites non redeant in patriam, noui legantur, breui neminem superfuturum. Itaque quod propediem res ipsa negatura sit, prius quam ad vltimam solitudinem atque egestatem perueniant, negandum populo Romano esse. si consentientes in hoc socios videant Romani, profecto de pace cum Carthaginiensibus iungenda cogitaturos, aliter nunquam

quam viuo Annibale sine bello Italiam fore. Hæc acta in conciliis. Triginta tum coloniæ populi Romani erant. ex iis duodecim cum omnium legationes Romæ essent, negauerunt consulibus esse vnde milites pecuniámque darent. Eæ fuere, Ardea, Nepete, Sutrium, Circeij, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Noua re consules icti, cum absterrere eos à tam detestabili consilio vellent, castigando increpandoque plus quàm leniter agendo profecturos rati, eos ausos esse consulibus dicere aiebant, quod consules in Senatu vt pronuntiarent, in animum inducere non possent. non enim detrectationem eam munerum militiæ, sed apertam defectionem à populo Romano esse. Redirent itaque propere in colonias, & tanquam integra re loquuti magis quàm ausi tantum nefas, cùm suis consulerent, admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Romanos: inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augende caussa missos: quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si vlla pietas, si memoria antiquæ patriæ esset. Cōsulerent igitur de integro. nam tum quidem quæ temerè agitassent, ea prodendi imperij Romani, tradendæ Annibali victoriæ esse. Cum alternis hæc consules diu iactassent, nihil moti legati, neque se quod domum renuntiarent, habere dixerunt, neque senatum suum quid noui consuleret: vbi nec miles qui legeretur, nec pecunia quæ daretur in stipendium, esset. Cùm obstinatos eos viderent consules, rem ad Senatum detulerunt, vbi tantus pauor animis hominum est iniectus, vt magna pars actum de imperio diceret. idem alias colonias facturas, idem socios consensisse omnes ad prodendam Annibali vrbem Romam. Consules hortari & consolari Senatum: & dicere, alias colonias in fide atque officio pristino fore. eas quoque ipsas quæ officio decessĕrint, si legati circa eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur, verecundiam imperij habituras esse. Permissum ab Senatu iis cum esset, agerent facerentque vt è republica ducerent: pertentatis prius aliarum coloniarum animis citauerunt legatos: quæsiuerúntque ab iis, ecquid milites ex formula paratos haberent? Pro duodeuiginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit: & milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset, plures daturos & quicquid aliud imperaret, vellétque populus Romanus, enixè facturos. ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Consules sibi parum videri præfati pro merito eorum, sua voce collaudari eos, nisi vniuersi patres in curia gratias egissent, sequi in Senatum iusserunt. Senatus quàm poterat honoratissimo decreto allocutus eos, mandat consulibus, vt ad populum quoque eos producerent, & inter multa alia præclara, quę ipsis maioribúsque suis præstitissent recens etiam meritum eorum in rempublicam commemorarent. Ne nunc quidē posttot secula sileātur, fraudētúrve laude sua. Signini fuere, & Nolani & Norbani, Satriculaniq;, & Brūdusini, & Fregellani, & Lucerini, & Venusini, & Adriani, & Firmani, & Ariminenses: & ab altero mari, Pontiani, & Pæstani, & Cosani: & mediterranei, Beneuentani, & Essernini, & Spoletini, & Placentini, & Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi Romani stetit: iisque gratiæ & in Senatu & apud populum actæ. Duodecim aliarum coloniarum, quæ detrectauerunt imperium, mentionem fieri patres vetuerunt: neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari à consulibus. Ea tacita castigatio maximè ex dignitate populi Romani visa est. Cetera expedientibus quæ ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur, promi placuit, prompta ad quatuor millia pondo auri. Inde quingena pondo data consulibus, & M. Marcello & Pub. Sulpitio Procoss. & L. Veturio prætori qui Galliam prouinciam sortitus erat. additúmque Fabio Cos. C. pondo auri præcipuum, quod in arcem Tarentiuam portaretur. cetero auro vsi sunt ad vestimenta præsenti pecunia locanda exercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama, ducisque gerebat. Prodigia quoque prius quàm ab vrbe Coss. proficiscerentur, procurori placuit. In Albano monte tacta de cœlo erant, signum Iouis arborque templo propinqua, & Ostiæ lacus, & Capuæ murus, Fortunæque ædes, & Sinuessæ murus portáque. Hæc de cœlo tacta. Cruentam etiam fluisse aquam Albanam, quidam auctores erant. Et Romæ intra cellam ædis Fortis Fortunæ de capite signum quod in corona erat, in manus spontè sua prolapsum. Et Priuerni satis constabat bouem locutum, vulturémque frequenti foro in tabernam deuolasse. Et Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac fœminam sexu infantem, quos androgynos vulgus, vt pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco sermone, appellat: & lacte pluisse, & cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis maioribus procurata, & supplicatio circa omnia puluinaria, & obsecratio in vnum diem indicta. & decretum, vt C. Hostilius prætor ludos Apollinis, sicut his annis voti factique erant, voueret facerétque. Per eos dies & censoribus creandis Quint. Fuluius consul comitia habuit. Creati censores, ambo qui nondum consules fuerant, Marc. Cornelius Cethegus, Pub. Sempronius Tuditanus. Hi censores vt agrum Campanum fruendum locarent, ex auctoritate patrum latum ad plebem est, plebésque sciuit. Senatus lectionem contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronij lectio erat. Ceterùm Cornelius morem traditum à patribus sequendum aiebat, vt qui primus censor ex iis qui viuerent, fuisset, eum principem legerent. is Tit. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui dij sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse deos, se id suo arbitrio facturum: lecturúmque Quint. Fabium Maximum. quem tum principem Romanæ ciuitatis esse, vel Annibale iudice victurus esset. Cum diu certatum esset verbis, concedente collega, lectus à Sempronio princeps in Senatu Quint. Fabius Maximus consul. Inde alius lectus senatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat infamis auctor deserendæ Italiæ post Cannensem cladem. In equestribus quoque notis eadem seruata caussa. sed erant perpauci, quos ea infamia attingeret. Illis omnibus (& multi erant) ademti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant, addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiuerunt, qui equo merere deberent: atque ex iis qui principio eius belli sexdecim annos nati fuerant, neque militauerant, omnes ærarios fecerunt. Locauerunt inde reficienda quæ circa forum incendio consumpta erant, VII. tabernas, macellum atrium regium. Transactis omnibus quæ Romæ agenda erant, consules ad bellum profecti: prior Fuluius prægressus Capuam, post paucos dies consecutus Fabius, qui & collegam

coram obtestatus, & per literas Marcellum vt A quàm acerrimo bello detineret Annibalem. dum ipse Tarentum oppugnaret: ea vrbe adempta hosti vndique pulso, nec vbi consisteret, nec quid fidum respiceret habenti, ne morandi quidem caussam in Italia fore. Rhegium etiam nuntium mittit ad præfectum præsidij, quod ab Leuino Cos. aduersus Brutios ibi locatum erat, octo millia hominum pars maxima ab Agatirna (sicut antea dictum est) ex Sicilia traducta, & rapto viuere hominum assuetorum additi erant Brutiorum indidem perfugæ, & B audacia & audendi omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad Brutium primum agrum depopulandum duci iussit, inde ad Cauloniam vrbem oppugnandam. Imperata non impigrè solum, sed etiā auidè exsecuti, direptis fugatisque cultoribus agri, summa vi vrbem oppugnabant. Marcellus consulis literis excitatus, & quia ita in animum induxerat, neminé ducem Romanū tam parem Annibali quàm se esse: vbi primum in agris pabuli copia fuit, ex hybernis profectus, ad Cannusium Annibali oc- C currit. Solicitabat ad defectioné Cānusinos Pœnus. ceterùm vt appropinquare Marcellum audiuit, castra inde mouit. Aperta erat regio sine vllis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde cœpit. Marcellus vestigiis instabat, castráque castris conferebat: & opere perfecto, extemplo in aciem legiones educebat. Annibal turmatim per equites, peditúmque iaculatores leuia certamina serens, casum vniuersæ pugnæ non necessarium ducebat, tractus est tamen ad id, quod vitabat, certamen. Nocte D prægressum eum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus. castra inde ponentem, pugnando vndique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatumque totis copiis: & cum iam nox instaret, marte æquo discessum est. castra exiguo distantia spatio raptim ante noctem permunita. Postero die luce prima Marcellus in acié copias eduxit. Nec Annibal detrectauit certamé, multis verbis adhortatus milites, vt memores Thrasymeni Can- E narumque contunderent ferociam hostis: vrgere atque instare eū: non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circunspicere. quotidie simul orientem solem, & Romanam aciem in campis videndam esse. si vno prælio haud incruentus abeat, quietius deinde tranquilliusque eum bellaturum. His irritati adhortationibus, simulque tædio ferociæ hostium quotidie instantium lacessentiumque acriter prælium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. cedere inde ab Romanis dextera ala, & extraordinarij cœpere. quod vbi Mar- F cellus vidit, duodeuicesimam legionem in primam aciem inducit. Dum alij trepidè cedunt, alij segniter subeunt, turbata tota acies est: dein prorsus fusa, & vincente pudorem metu terga dabant. Cecideréque in pugna ad duo millia & septingenti ciuium sociorumque, in his quatuor Romani centuriones fuere: duo tribuni militum, M. Licinius & M. Fuluius, signa militaria quatuor de ala prima, quæ fugit: duo de legione quæ cedentibus sociis successerat, amissa. Marcellus, postquam in ca- G stra reditum est, concionem adeo sæuam atque acerbam apud milites habuit, vt prælio per diem totum infeliciter tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. Diis immortalibus vt in tali re laudes grates-que, inquit, ago: quod victor hostis cum tanto pauore incidentibus vobis in vallum portásque, non ipsa castra est aggressus. deseruissetis profectò eodé terrore castra, quo omisistis pugnam. Qui pauor hic, qui terror? quæ repente, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos cépit? nempe iidem sunt ij hostes, quos vincendo, & victos sequendo priorem æstatem absumsistis: quibus dies noctésque fugientibus, per hos dies institistis: quos leuibus præliis fatigastis, quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: cuius & ipsius pudere ac pœnitere vos oportet. nempe æquis manibus hesterna die dirimistis pugnam. quid hæc nox? quid hæc dies abstulit? vestræ his copiæ imminutæ sunt, an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus. corpora tantum atque arma eadem sunt. an si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo, aut cohorti abstulisset? Non adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur? vos illi hodierno die primū fugati exercitus dedistis decus. Clamor inde ortus, vt veniam eius diei daret, vbi vellet, deinde experiretur militum suorū animos. Ego verò experiar, inquit, milites, & vos crastina die in aciem educam, vt victores potius quàm victi veniam impetretis quam petitis. Cohortibus quæ signa amiserant, hordeum dari iussit: centurionésque manipulorū, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit: & vt postero die omnes pedites equitésque armati adessent, edixit. Ita concio dimissa fatentium iure ac merito sese increpitos: neque illo die virum quemquam in acie Romana fuisse, præter vnum ducem: cui aut morte satisfaciendum, aut egregia victoria esset. Postero die armati oneratique ad edictum aderant. Imperator eos collaudat, pronuntiátque, à quibus orta pridie fuga esset. cohortésque quæ signa amisissent, se in primam aciem inducturum. edicere etiam sese, omnibus pugnandum ac vincendum esse: & adnitendum singulis vniuersisque, ne prius hesternæ fugæ, quàm hodiernæ victoriæ fama Romam perueniat. Inde cibo corpora firmare iussit. vt si longior esset pugna, viribus sufficerent. Vbi omnia dicta factáque sunt, quibus excitarentur animi militum, in aciem procedunt. Quod vbi Annibali nuntiatum est: Cum eo nimirum, inquit, hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. seu vicit, ferociter instat victis. seu victus est, instaurat cum victoribus certamen. Signa inde canere iussit, & copias eduxit. Pugnatum vtrinque aliquanto quàm pridie acrius est: Pœnis ad obtinendum hesternum decus adnitentibus, Romanis ad demendam ignominiam. Sinistra ala ab Romanis & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant, & legio vicesima ab dextro cornu instructa. L. Cornelius Lentulus & C. Claudius Nero legati cornibus præerant: Marcellus mediam aciem hortator testisque præsens firmabat. Ab Annibale Hispani primam obtinebant fronté, & id roboris in omni exercitu erat. Cùm anceps diu pugna esset, Annibal elephantos in primam aciem induci iussit, si quem iniicere ea res tumultum ac pauorem posset. Et primo turbarunt signa ordinésque, & partim occultatis, partim dissipatis terrore qui circa erant, nudauerant vna parte aciem: latiúsque fuga manasset, ni Cn. Decinius Flauus tribunus militum signo arrepto, primi hastati manipulum eius signi se sequi iussisset. duxit vbi maximè tumultum conglobatæ beluæ faciebant: piláque in eas conijci iussit. Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, & tam conferta turba: sed vt non omnes vulnerati sunt, ita in quorum tergis infixa stetere pila, vt est genus anceps, in fugam versi etiam integros auertere. Tum iam non vnus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo

assequi

assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila coniicere. eo magis ruere in suos belluæ, tantóque maiorem stragem edere, quàm inter hostes ediderant, quanto acrius pauor consternatas agit, quàm insidentis magistri imperio reguntur. In perturbatam transcursu belluarum aciem signa inferunt Romani pedites: & haud magno certamine dissipatos trepidantésque auertũt. Tum in fugientes equitatum immittit Marcellus, nec antè finis sequendi est factus, quàm in castra pauentes compulsi sunt. nam super alia quæ terrorem trepidationémque facerent, elephanti fortè duo in ipsa porta corruerãt, coactique erant milites per fossam vallumque ruere in castra. ibi maxima hostium cædes facta. Cæsa ad octo millia hominum, quinque elephanti. Nec Romanis incruenta victoria fuit. mille fermè & septingenti de duabus legionibus, & sociorum supra M. & C C C. occisi: vulnerati permulti ciuium, sociorúmque. Annibal nocte proxima castra mouit. Cupientem insequi Marcellũ prohibuit multitudo sauciorum. Speculatores, qui insequerentur agmen missi, postero die retulerunt Brutios Annibalem petere. Iisdem fermè diebus & ad Q. Fuluium consulem Hirpini, & Lucani, & Volscentes, traditis præsidiis Annibalis, quę in vrbibus habebant, dediderũt sese: clementérque à consule cum verborum tantum castigatione ob errorẽ præteritũ accepti. Et Brutiis similis spes veniæ facta est, cum ab iis Vibius & Pactius fratres, longè nobilissimi generis eius, eandem quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent. Q. Fabius consul oppidum in Salentinis Manduriam vi cepit. ibi ad quatuor millia hominum capta, & ceteræ prædæ aliquantum. Inde Tarentum profectus, in ipsis faucibus portus posuit castra, naues, quas Liuius tutandis commeatibus habuerat: partim machinationibus onerat, apparatúque mœnium oppugnandorum: partim tormentis & saxis omniq. missilium telorum genere instruit: onerarias quoque, non eas solum quæ remis agerentur, vt alij machinas scalásque ad muros ferrent, alij procul ex nauibus vulnerarent mœnium propugnatores. Eæ naues ab aperto mari vt vrbẽ aggrederentur, instructę paratæque sunt. Et erat liberũ mare, classe Punica, cùm Philippus oppugnare Ætolos pararet, Corcyram transmissa. In Brutiis interim Cauloniæ oppugnatores sub aduentum Annibalis, ne opprimerentur, in tumulum à præsenti impetu tutum, ad cetera inopem, concessere. Fabium Tarentum obsidentem leue dictu momentum ad rem ingentem potiundam adiuuit. Præsidium Brutiorum datum ab Annibale Tarentini habebant. eius præsidij præfectus deperiebat amore mulierculæ, cuius frater in exercitu Fabij consulis erat. Is certior literis sororis factus de noua consuetudine aduenæ locupletis, atque inter populares tam honorati, spẽ nactus per sororem quolibet impelli amantem posse, quid speraret, ad cõsulem detulit. Quæ cum haud vana cogitatio visa esset, perfuga iussus Tarentum transire, ac per sororem præfecto conciliatus, primo occultè animum eius tentãdo, dein satis explorata leuitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad proditionem custodiæ loci, cui præpositus erat. Vbi & ratio agendæ rei, & tempus conuenit, miles nocte per interualla stationum clam ex vrbe emissus, ea quæ acta erant, quæque vt agerentur, conuenerant, ad consulem refert. Fabius vigilia prima dato signo iis qui in arce erant, quique custodiam portus habebant, ipse circuitu portu ab regione vrbis in orientem versa occultus consedit. Canere inde tubæ simul ab arce, & à portu & à nauibus, quæ a-

A perto mari appulsæ erant: clamórque vndique cum ingenti tumultu, vnde minimum periculi erat, de industria ortis. Consul interim silentio continebat suos. Igitur Democrates, qui præfectus antea classis fuerat, forte illi loco præpositus, postquam quieta omnia circa se vidit, alias partes eo tumultu personare, vt captæ vrbis interdum excitaretur clamor: veritus ne inter cunctationem suam consul aliquã vim faceret, ac signa inferret, præsidium ad arcem, vnde maximè terribilis accidebat sonus, traducit. B Fabius cùm ex temporis spatio, & ex silentio ipso (quod vbi paullo ante strepebant excitantes vocantésque ad arma, inde nulla accidebat vox) deductas custodias sensisset, ferri scalas ad eam partem muri, qua Brutiorum cohortem præsidium agitare proditionis conciliator pronũtiauerat, iubet. Ea primum captus est murus, adiuuantibus recipientibúsque Brutiis, & transcensum in vrbem est: deinde proxima refracta porta, vt frequenti agmine signa inferrentur. Tum clamore sublato sub ortum fermè lucis C nullo obuio armato in forum perueniunt: omnésque vndique qui ad arcem portúmque pugnabant, in se conuerterunt. Prælium in aditu fori maiori impetu, quàm perseuerantia commissum est. non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis par Romano Tarentinus erat. Igitur pilis tantum coniectis, prius pene quàm consererent manus, terga dederunt, dilapsique per nota vrbis itinera in suas amicorúmque domos. Duo ex ducibus, Nico & Democrates, fortiter pugnan- D tes cecidere. Philomenes qui proditionis ad Annibalem auctor fuerat, cùm citato equo ex prælio auectus esset, vacuus paulo post equus erránsque per vrbem cognitus, corpus nusquam inuentum est. creditum vulgo est, in puteum apertũ ex equo præcipitasse. Carthalonem autem præfectum Punici pręsidij, cum cõmemoratione paterni hospitij positis armis venientem ad consulem, miles obuius obtruncat. Alij alios passim sine discrimine armatos inermésque cædunt, Carthaginiẽses Tarentinosque E pariter. Brutij quoque multi passim interfecti, seu per errorẽ, seu vetere in eos insito odio, seu ad proditionis famam, vt vi potius atque armis captũ Tarentum videretur, extinguendam. Tum à cæde ad diripiendam vrbem discursum. Triginta millia seruilium capitum dicuntur capta, ingens argenti vis facti signatique, auri octuaginta septem millia pondo. signa tabulęque, propè vt Syracusarum ornamenta æquarent. Sed maiore animo generis eius præda abstinuit Fabius, quã Marcellus: qui interro- F ganti scribæ, quid fieri de signis vellet (ingentis magnitudinis dij sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) deos iratos Tarentinis relinqui iussit. Murus inde qui vrbem ab arce dirimebat, dirutus est, ac disiectus. Dum hæc Tarenti aguntur, Annibal iis qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarẽti, dies noctésque cursim agmine acto cùm festinãs ad opem ferendam, captam vrbem audisset. Et Romani', inquit, suum Annibalem haberent. eadem, qua ceperaG mus, arte Tarentum amisimus. Ne tamen fugientis modo conuertisse agmen videretur, quo constiterat loco, quinque millia fermè ab vrbe posuit castra. ibi paucos moratus dies, Metapontum sese recepit. Inde duos Metapontinos cum literis principum eius ciuitatis ad Fabium Tarẽtum mittit, fidem ab consule accepturos, impunita priora fore, si Metapontũ ei cũ præsidio Punico prodidissent. Fabius vera quæ afferrẽt esse ratus, diem, qua accessurus esset Metapontũ, constituit: literásque ad principes dedit, quę

ad Annibalem delatæ sunt. Enimuero lætus successu fraudis, si ne Fabius quidē dolo inuictus esset, haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti prius quàm egrederetur ab Tarento, aues semel atque iterum nō addixerunt. hostia quoque cæsa consulenti deos, aruspex cauendum à fraude hostili, & ab insidiis, prædixit. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi vt cunctantem hortarentur, repentè comprehensi metu grauioris quæstionis detegunt insidias. Æstatis eius principio, qua hæc agebantur, P. Scipio in Hispania cùm hyemem totam reconciliandis barbarorum animis partim donis, partim remissione obsidum captiuorumque absumsisset: Edesco ad eum, clatus inter duces Hispanos, venit. Erant coniunx liberíque eius apud Romanos, sed præter eam caussam etiam velut fortuita inclinatio animorum, quæ Hispaniam omnem auerterat ad Romanum à Punico imperio, traxit eum. Eadem caussa Indibili Mandonioque fuit, haud dubiè omnis Hispaniæ principibus, cum omni popularium manu relicto Asdrubale, secedenti in imminentes castris eius tumulos, vnde per continentia iuga tutus receptus ad Romanos esset. Asdrubal cùm hostium res tacitis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore, vt nisi audendo aliquid moueret, quà cœpissent, ruerent: dimicare quàm primùm statuit. Scipio auidior etiam certaminis erat, cùm à spe, quam successus rerum augebat: tum quod prius quàm iungerentur hostium exercitus, cum vno dimicare duce, exercitúque, quàm simul cum vniuersis malebat. Cæterum etiam si cum pluribus pariter dimicandum foret, arte quadam copias auxerat. nam cum videret nullum esse nauium vsum, quia vacua omnis Hispaniæ ora classibus Punicis erat, subductis nauibus Tarraconem, nauales socios terrestribus copiis addidit. Et armorum affatim erat captorum Carthagine: & quæ post captam eam fecerat, tanto opificum numero incluso. Cum iis Scipio veris principio ab Tarracone egressus (iam enim & Lælius redierat ab Roma, sine quo nihil maioris rei motum volebat) ducere ad hostem pergit. Per omnia pacata eunti, vt cuiusque populi fines transiret, prosequentibus excipientibusque sociis, Indibilis & Mandonius cum suis copiis occurrerunt, Indibilis pro vtroque locutus, haudquaquam vt barbarus stolidè incautéque, sed potius cum verecunda grauitate: propiorque excusanti transitionem vt necessariam, quàm glorianti ea velut ad primam occasionem rapta. Scire enim se, transfugæ nomen exsecrabile veteribus sociis, nouis suspectum esse. neque eum se reprehendere morem hominum, si tamen anceps odium caussa, non nomen faciat. Merita inde sua in duces Carthaginienses commemorauit. auaritiam contra eorum, superbiámque, & omnis generis iniurias in se atque populares. Itaque corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse: animum iam pridem ibi esse, vbi ius ac fas crederet coli. ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque iniurias pati: se id Scipionem orare, vt transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit. quales ex ea die experiundo cognouerit, perinde operæ eorum pretium faciat. Ita prorsus respondet facturum Romanus. nec pro trāsfugis habiturum, qui nōn duxerint societatem ratam, vbi nec diuini quicquam, nec humani sanctum esset. Productæ deinde in conspectum eius coniuges, liberique lacrymantibus gaudio redduntur: atque eo die in hospitium abducti. Postero die fœdere accepta fides, dimissíque ad copias adducendas.

A Iisdem deinde in castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem peruentum est. Proximus Carthaginiensium exercitus Asdrubalis prope vrbem Betulam erat. pro castris equitum stationes habebat. In eas velites, antesignanique, & qui primi agminis erant, aduenientes ex itinere, prius quam castris locum caperent, adeo contemtim impetum fecerunt, vt facile appareret quid vtrique parti animorum esset. In castra trepida fuga compulsi equites sunt, signáque Romana portis prope ipsis illata. Atque illo quidem
B die irritatis tantum ad certamen animis, castra Romani posuerunt. Nocte Asdrubal in tumulum copias recepit, plano campo in summo patentem? fluuius ab tergo, ante circáque velut ripa præceps oram eius omnem cingebat. suberat & altera inferior summissa fastigio planicies, eā quoque altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. In hunc inferiorem campum postero die Asdrubal, postquam stantē pro castris hostium aciem vidit: equites Numidas, leuiúque armorum Baleares, & Afros demisit. Scipio cir-
C cumuectus ordines signáque, ostendebat hostem, prędam nata spe æquo dimicandi campo, captantem tumulos loci fiducia, non virtutis aut armorum stare in conspectu, sed altiora mœnia habuisse Carthaginem, quæ transcēdisset miles Romanus. nec tumulos, nec arcem ne mare quidem armis obstitisse suis. ad id fore altitudines, quas cepissent, hostibus, vt per præcipitia & prærupta salientes fugerent: eam quoque se illis fugam clausurum. Cohortésque duas, alteram tenere fauces vallis, per quam defertur amnis,
D iubet: alteram viam insidere, quæ ab vrbe per tumuli obliqua in agros ferret, ipse expeditos, qui pridie stationes hostium pepulerant, ad leuem armaturam infimo stantē supercilio ducit. Per aspetra primum, nihil aliud quàm via impediti iêre: deinde vt sub iactum venerunt telorum, primo omnis generis vis ingens effusa est in eos. ipsi contra saxa, quæ locus strata passim omnia fermè missilia prębet, ingerere. non milites solum, sed etiam turba calonum immista armatis. Ceterùm quanquam ascensus difficilis erat,
E & prope obruebantur telis saxísque, assuetudine tamen succedendi muros & pertinacia animi subierunt primi. Qui simul cepere aliquid æqui loci, vbi firmo consisterent gradu, leuem & concursatorem hostem, atque interuallo tutum cùm procul missilibus pugna eluditur, instabilem eundem ad cominus conserendas manus expulerunt loco: & cæde magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere. Inde Scipio iussis aduersus mediam euadere aciem victoribus, cæteras copias cum Lælio diuidit:
F atque eum parte dextra tumuli circumire, donec mollioris ascensus viam inueniret, iubet. ipse ab læua circuitu haud magno in transuersos hostes incurrit. inde prima turbata acies est, dum ad circumsonantem vndique clamorem flectere cornua, & obuertere ordines volunt. Hoc tumultu & Lælius subiit. & dum pedem referunt, ne ab tergo vulnerarentur, laxata prima acies, locúsque ad euadendum & mediis datus est: qui per tam iniquum locum stantibus integris ordinibus, elephantísque ante signa
G locatis, nunquam euasissent. Cum ab omni parte cædes fierent, Scipio, qui læuo cornu in dextrum incurrerat, maximè in nuda hostium latera pugnabat. Et iam ne fugæ quidem patebat locus. nam & stationes vtrinque Romanæ, dextra læuáque insederant vias: & portam castrorum ducis principúmque fuga clauserat, addita trepidatione elephántorum, quos territos æquè atque hostes timebant. Cæsa igitur ad octo millia hominum Asdrubal iam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantísque præmissis,

præmissis, quàm plurimos poterat de fuga excipiens, A præter Tagũ flumẽ ad Pyrenæũ tẽdit. Scipio castris hostium potitus cũ præter libera capita omnem prędam militibus cõcessisset, in recẽsenpis captiuis decem millia peditum, duo millia equitum inuenit. ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit, Afros vendere quęstorem iussit. Circumfusa inde multitudo Hispanorum & antè deditorum, & pridie captorum, regem cum ingenti consensu appellauit. Tum Scipio silentio per præconem facto, sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites B sui appellassent. regium nomen alibi magnum, Romæ intolerandum esse, regalem animum in se esse. si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite iudicarent, vocis vsurpatione abstinerent. Sensere etiam barbari magnitudinem animi, cuius miraculo nominis alij mortales stuperent, id ex tam alto fastigio aspernantis. Dona inde regulis principibusque Hispanorum diuisa, & ex magna copia captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem iussit. Cùm Afros venderet iussu imperatoris quæstor, puerum adultum inter eos forma insigni, cum audisset regij generis esse, ad Sci- C pionem misit. quem cũ percunctaretur Scipio, quis, & cuias, & cur id ætatis in castris fuisset? Numidam se lacrymans esse ait. Massiuá populares vocare. orbum à patre relictum, apud maternum auum Galam regem Numidarum educatum. cum auunculo Masanilla, qui nuper cũ equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam traiecisse. prohibitum propter ætatem à Masanissa, nunquam ante D prælium iniisse. eo die se, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio auunculo clam armis equóque sumto in aciem exisse ibi prolapso equo effusum in præceps, captum ab Romanis esse. Scipio cùm asseruari Numidam iussisset: quæ pro tribunali agenda erant, peragit. Inde cùm se in prætorium recepisset, vocatum eum interrogat, vellétne ad Masanissam reuerti? Cum effusis gaudio lacrymis, cupere verò diceret, tum puero annulum aureum, tunicam lato E clauo cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equumque ornatum donat: iussisq; prosequi quoad vellet equitibus, dimisit. De bello inde consilium habitum. & auctoribus quibusdam vt confestim Asdrubalem persequeretur, anceps id ratus, ne Mago atque Asdrubal cum eo iungerent copias, præsidio tantum ad insidendum Pyrenæum misso, ipse reliquum statis recipiendis in fidem Hispaniæ populis absumsit. Paucis post prælium factum ad Betulam diebus, cùm Scipio rediens iam Tarraconem, saltu Castulonensi excessisset: Asdrubal Gisgonis filius & F Mago imperatores ex vlteriore Hispania ad Asdrubalem venere, serum post malè gestam rem auxilium, consilio in cetera exsequenda belli haud parum opportuni. Ibi conferentibus quid in cuiusque prouinciæ regione animorum Hispanis esset, vnus Asdrubal Gisgonis vltimam Hispaniæ oram, quæ ad Oceanum & Gades vergit, ignaram adhuc Romanorum esse, eóque Carthaginiensibus satis fidam censebat. Inter Asdrubalem alterum & Magonem constabat beneficiis Scipionis occupatos omnium G animos publicè priuatimque esse: nec transitionis finem ante fore, quàm omnes Hispani milites aut in vltima Hispaniæ amoti, aut traducti in Galliam forent. Itaque etiam si senatus Carthaginiensium nõ censuisset, eundum tamen Asdrubali fuisse in Italiam, vbi belli caput & summa esset simul vt Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex Hispania abduceret, exercitum eius cum transitionibus, tum aduerso prælio imminutum Hispanis repleri militibus. Et Magonem, Asdrubali Gisgonis filio tradito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda mercede auxilia in Baleares traiicere. Asdrubalem Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abire: nec cum Romano manus cõserere. Masanissæ ex omni equitatu quod roboris esset, tria millia equitum expleri: eúmque vagum per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hostium oppida atque agros populari. His decretis, ad exsequenda quæ statuerant duces digressi. Hæc eo anno in Hispania acta. Romæ fama Scipionis indies crescere. Fabio Tarentum captum astu magis quàm virtute, gloria tamen esse, Fuluij senescere famam. Marcellus etiam aduerso rumore esse, super quàm quòd primò malè pugnauerat. quia vagante per Italiam Annibale, media æstate Venusiam in tecta milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus plebis. Is iã à prima pugna, quæ aduersa fuerat, assiduis concionibus infamem inuisumque plebi Claudium fecerat: & iam de imperio abrogando eius agebat: cum tamen necessarij Claudij obtinuerunt, vt relicto Venusiæ legato Marcellus Romam venire, ad purganda ea quæ inimici obiicerent, nec de imperio eius abrogando absente ipso ageretur. Forte sub idem tempus & Marcellus ad deprecandam ignominiam, & Q. Fuluius consul comitiorum caussa Romam venit. Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio est, ingenti concursu plebisque & omnium ordinum. Accusauit tribunus plebis non Marcellum modo, sed omnem nobilitatem. Fraude eorum & cunctatione fieri, vt Annibal decimum iam annum Italiam prouinciam habeat, diutius ibi quàm Carthagine vixerit. habere fructum imperij prorogati Marcello populum Romanum. bis cęsum exercitũ eius æstiua Venusiæ sub tectis agere. Hãc tribuni orationem ita obruit Marcellus commemoratione rerum suarum, vt non rogatio solum de imperio eius abrogando antiquaretur, sed postero die consulem eum ingenti consensu centuriæ omnes crearent. Additur collega T. Quintius Crispinus, qui tum prætor erat. Postero die prætores creati P. Licinius Crassus Diues, Pon. max. P. Licinius Varus, Sex. Iulius Cæsar, & Q. Claudius Flamen. Comitiorũ ipsorum diebus solicita ciuitas de Hetrurię defectione fuit. Principium eius rei ab Arretinis fieri, C. Calpurnius scripserat, qui eam prouinciam proprætor obtinebat. Itaque confestim eò missus Marcellus consul designatus, qui rem inspiceret, ac si digna videretur, exercitus accito bellum ex Apulia in Hetruriam transferret. Eo metu compressi Hetrusci quieuerunt. Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate ac legibus suis, responsum ab senatu est, vt redirent, cùm Fabius consul Romam venisset. Ludi & Romani & plebeij eo anno in singulos dies instaurati. ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus, & Ser. Sulpitius Galba, plebeij. C. Seruilius, & Q. Cæcilius Metellus. Seruilium negabant iure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilẽ esse, quod patrem eius, quem triumuirum agrarium occisum à Boiis circa Mutinam esse, opinio per decem annos fuerat, viuere atque in hostium potestate esse satis constabat. Vndecimo anno Punici belli cõsulatum inierunt M. Marcellus quintum (vt numeretur consulatus, quem vitio creatus non gessit) & T. Quintius Crispinus. Vtrique consulum Italia decreta prouincia est, & duo consulum prioris anni exercitus: tertius tum erat Venusiæ, cui M. Marcellus præfuerat: ita vt ex tribus eligerent duos quos vellent, tertius ei traderetur, cui Tarẽtum & Salentini prouincia euenisset. Ceteræ prouinciæ ita diuisæ prætoribus, P.

Licinio Varo vrbana: P. Licinio Crasso Pont.Max. peregrina,& quo senatus censuisset: Sex.Iulio Cæsari Sicilia: Q.Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum imperium in annum est Q.Fuluio Flacco, vt prouinciam Capuam, quæ T.Quintij prætoris fuerat, cum vna legione obtineret. Prorogatum & C.Hostilio Tubulo est, vt proprætor in Herruriā ad duas legiones succederet C.Calpurnio. Prorogatum & L. Veturio Philoni est, vt proprætor Galliam eandem prouinciam cum iisdem duabus legionibus obtineret: quibus prætor obtinuisset. Quod in L.Veturio, idem in C.Aurunculeio decretum, ab senatu, latúmque de prorogando imperio ad populum est, qui prætor Sardiniam prouinciam cum duabus legionibus obtinuerat. additæ ei ad præsidium prouinciæ quinquaginta longæ naues, quas P.Scipio ex Hispania misisset. Et P.Scipioni, & M.Syllano suæ Hispaniæ, suique exercitus in annum decreti Scipio ex octuaginta nauibus, quas aut secum ex Italia adductas, aut captas Carthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam transmittere iussus: quia fama erat, magnum naualem apparatum eo anno Carthagine esse: CC. nauibus omnem oram Italiæ, Siciliæque ac Sardiniæ impleturos. Et in Sicilia ita diuisa res est. Sex.Cæsari exercitus Cannensis est datus: M.Valerius Læuinus (ei quoque enim in annum prorogatum imperium est) classem quæ ad Siciliam erat, nauium LXX. obtineret, adderet eo XXX. naues, quæ ad Tarentum priore anno fuerant, cum ea C. nauium classe, si videretur ei, prædatum in Africam traiiceret: & P.Sulpitio, vt eadem classe Macedoniam Græciamque prouinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus quæ ad vrbem Romam fuerant legionibus nihil mutatum. Supplementum, quo opus esset, vt scriberent, consulibus permissum. Vna & viginti legionibus eo anno defensum imperium Romanum est. Et P. Licinio Varo prætori vrbano negotium datum, vt naues longas XXX. veteres reficeret, quæ Hostiæ erant, & viginti nouas naues, sociis naualibus compleret, vt quinquaginta nauium classe oram maris vicinam vrbi Romæ tueri posset. C. Calpurnius vetitus ab Arretio mouere exercitum, nisi cùm successor venisset. Idem & Tubulo imperatum, vt inde præcipuè caueret, ne qua noua consilia orirentur. Prætores in prouincias profecti. Consules religio tenebat, quod prodigiis aliquot nunciatis, non facile litabant. Ex Campania nunciata erant, Capuæ duas ædes, Fortunæ & Martis, & sepulcra aliquot de cœlo tacta: cum iis (adeo minimis etiam rebus praua religio inserit deos) mures in æde Iouis aurum rosisse: Cassini examen apum ingens in foro consedisse: & Hostiæ murum, portámque de cœlo tactam: Cære vulturium volasse in ædem Iouis: Vulsiniis sanguine lacum manasse. Horum prodigiorum caussa diem vnum supplicatio fuit. Per dies aliquot hostiæ maiores sine litatione cæsæ, diúque non impetrata pax deûm, in capita consulum, repub. incolumi, exitiabilis prodigiorum euentus vertit. Ludi Apollinares Q. Fuluio, App.Claudio Coss. à P.Cornelio Sulla prætore vrbis primum facti erant. inde omnes deinceps prætores vrbani fecerant: sed in vnum annum vouebant, diéque incerta faciebant. Eo anno pestilentia grauis incidit in vrbem, agrosque, quæ tamen magis in longos morbos quàm in perniciales euasit. Eius pestilentiæ caussa & supplicatum per compita tota vrbe est, & P.Licinius Varus Prætor vrbanus legem ferre ad populum iussus, vt hi ludi in perpetuum in statam diem vouerentur. Itaque ipse primus ita vouit, fecitque ad III. Nonas Quintiles, is dies deinde solemnis seruatus. De Arretinis & fama in dies grauior, & cura crescere patribus. Itaq. C.Hostilio scriptum est, ne differret obsides ab Arretinis accipere, cui traderet Romā deducendos, C.Terentius Varro cum imper. omissus: qui vt aduenit, extemplo Hostilius legionum vnam, quæ ante vrbem castra habebat, signa in vrbem ferre iussit, præsidiáque locis idoneis disposuit. tum in foro citatis senatoribus obsides imperauit. Cùm senatus biduum ad considerandum peteret tempus, aut ipsos extemplo dare, aut se postero die senatorum omnes liberos sumturum, edixit. Inde portas custodire iussit tribunos militum, præfectosque socium, & centuriones, ne quis nocte vrbe exiret. Id segnius negligentiusque factum. Septem principes senatus, prius quàm custodiæ in portis locarentur, ante noctem cum liberis euaserunt. Postero die luce prima cùm senatus in forum citari cœptus esset, desiderari, bonaque eorum vænierunt. à cæteris senatoribus CXX. obsides liberi ipsorum accepti, traditique C.Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quàm antè fuerāt, in senatu fecit. Itaque tanquam imminente Herrusco tumultu, legionem alteram ex vrbanis Arretium ducere iussus ipse C. Terentius, eámque habere in præsidio vrbis. C.Hostilium cum cetero exercitu placuit totam prouinciam peragrare, & cauere ne qua occasio nouare cupientibus res daretur. C.Terentius vt Arretium cum legione venit, claues portarum cùm magistratus poposcisset, negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quàm negligentia intercidisse, ipse alias claues omnibus portis imposuit, cauitque cum cura, vt omnia in potestate sua essent. Hostilium intentius monuit, vt in eo spem non moturos quicquam Hetruscos poneret, si ne quid mouere possent, precauisset. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum coram Fabio, defendente ipso quos ceperat armis, aliis infensis, & plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ, pœnæque S.C. in sententiā M.Acilij factum est, vt oppidum præsidio custodiretur, Tarentinique omnes intra mœnia continerentur: res integra postea referretur, cùm tranquillior status Italiæ esset. & de M. Liuio præfecto arcis Tarentinæ haud minore certamine actum est, aliis sententiis notantibus præfectum, quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset. aliis præmia decernentibus quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximéque vnius eius opera receptum Tarentum foret: mediis ad censores, nō ad senatū cognitionem de eo pertinere dicentibus. cuius sententiæ & Fabius fuit. adiecit tamen, fateri se opera Liuij Tarentum receptum, quod amici eius vulgo in senatu iactassent. neque enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret. Consulum alter T.Quintius Crispinus ad exercitum, quem Q.Fuluius Flaccus habuerat, cū supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliæ atque aliæ obiectæ animo religiones tenebant, in quibus, quod cum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vouisset, dedicatio eius à pontificibus impediebatur: quod negabant viam cellam amplius quàm vni deo rite dedicari: quia si de cœlo tacta, aut prodigij aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quod vtri deo diuina res fieret, sciri non posset. neque enim duobus, nisi certis deis rite vna hostia fieri. Ita addita Virtutis ædes approperato opere. neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt. Tum demum ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento proficiscitur. Locros in Brutiis Crispinus oppugnare conatus, quia magnam famam attulisse Fabio Tarentum

tum ferebatur. omne genus tormentorum, machinarúmque ex Sicilia accerſierat: & naues indidem accitæ erant, quæ vergentem ad mare partem vrbis oppugnarent. Ea omiſſa oppugnatio eſt, quia Laciniam Annibal admouerat copias: & collegam eduxiſſe iam à Venuſia exercitum fama erat, cui coniungi volebat. Itaque in Apuleiam ex Brutiis reditum, & inter Venuſiam Brutiámque minus trium millium paſſuum internallo conſules binis caſtris conſederant. In eandem regionem & Annibal rediit, auerſo ab Locris bello. Ibi conſules ambo ingenio feroces prope quotidie milites in aciem excire haud dubia ſpe, ſi duobus exercitibus conſularibus iunctis commiſiſſet ſeſe hoſtis, debellari poſſe. Annibal quia cum Marcello bis priore anno congreſſus vicerat. victúſque erat: vt cum eodem ſi dimicandum foret, nec ſpem nec metum ex vano haberet: ita duobus conſulibus haud quaquam ſeſe parem futurum credebat. itaque totus in ſuas artes verſus, inſidiis locum quærebat. Leuia tamen prælia inter bina caſtra vario euentu fiebant, quibus cum extrahi æſtatem poſſe conſules crederent, nihilominus oppugnari Locros poſſe rati, L. Cincio, vt ex Sicilia Locros cum claſſe traiiceret, ſcribunt. Et vt ab terra quoque oppugnari mœnia poſſent, ab Tarento partem exercitus qui in præſidio erat, duci eò iuſſerunt. Ea ita futura per quoſdam Thurinos comperta Annibali cum eſſent, mittit ad inſidendam ab Tarento viam. Ibi ſub tumulo Petelliæ equitum duo, peditum tria millia in occulto locata: in quæ inexplorato euntes Romani cum incidiſſent, ad duo millia armatorum cæſa, & mille & CC. ferme viui capti. alij diſſipati fuga per agros ſaltúſque Tarentum rediere. Tumulus erat ſylueſtris inter Punica & Romana caſtra, ab neutris primo occupatus: quia Romani qualis pars eius, quæ vergeret in hoſtium caſtra, eſſet, ignorabant. Annibal inſidiis, quàm caſtris aptiorem eum crediderat. itaque nocte ad id miſſas aliquot Numidarum turmas medio in ſaltu condiderat, quorum interdiu nemo ab ſtatione mouebatur, ne aut arma, aut ipſi procul conſpicerentur. Fremebant vulgo in caſtris Romanis, occupandum eum tumulum eſſe, & caſtello firmandum: ne, ſi occupatus ab Annibale foret, velut in ceruicibus haberent hoſtem. Mouit ea res Marcellum, & collegæ: Quin imus, inquit, ipſi cum equitibus paucis exploratum? ſubiecta res oculis certius dabit conſilium. Adſentiente Criſpino, cum equitibus ducentis & viginti, ex quibus XL. Fregellani, ceteri Hetruſci erant, proficiſcuntur. Secuti M. Marcellus conſulis filius, & A. Manlius, tribuni militum, ſimul & duo præfecti ſocium, L. Arennius, & M. Aulius. Immolaſſe eo die quidã memoriæ prodidere cõſulem Marcellum: & prima hoſtia cæſa, iecur ſine pite inuentum: in ſecunda omnia comparuiſſe quæ aſſolent. Auctum etiam viſum in capite: nec id ſanè aruſpici placuiſſe, quod ſecundum trunca & turpia exta, nimis læta apparuiſſent. Ceterum conſulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Annibale, vt nunquam ſatis caſtra caſtris collata diceret. Tum quoque vallo egrediens ſignum dedit, vt ad locum miles eſſet paratus: ſi collis in quem ſpeculatum irent, placuiſſet, vaſa colligerent, ac ſequerentur. Exiguum campi ante caſtra erat, inde in collem aperta vndique & conſpecta ferebat via. Numidis ſpeculator nequaquam in ſpem tantæ rei poſitus, ſed ſi quos vagos pabuli aut lignorum cauſſa longius à caſtris progreſſos poſſent excipere, ſignum dat, vt pariter ab ſuis quiſque latebris exorirentur. Non antè apparuere quib. obuiis ab iugo ipſo

A conſurgendum erat, quàm circumiere qui ab tergo intercluderent viam. Tum vndique omnes exorti, & clamore ſublato impetum fecere. Cùm in ea valle conſules eſſent, vt neque euaderent in iugum occupatum ab hoſte, nec receptum ab tergo circumuenti haberent: extrahi tamen diutius certamen potuiſſet, ni cœpta ab Hetruſcis fuga pauorem ceteris inieciſſet. non tamen omiſere pugnam deſerti ab Hetruſcis Fregellani, donec integri conſules hortando, ipſique ex parte pugnando rem ſuſtinebant. Sed B poſtquam vulneratos ambos conſules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, tum & ipſi (perpauci autem ſupererant) cum Criſpino conſule duobus iaculis icto, & Marcello adoleſcente, ſaucio & ipſo, effugerunt. Interfectus A. Manlius tribunus militum: & ex duobus præfectis ſocium M. Aulius occiſus: L. Arennius captus. & lictores conſulum quinque viui in hoſtium poteſtatem venerunt. cæteri aut interfecti, aut cum conſule effugerunt. equites tres & XL. aut C in prælio, aut in fuga ceciderunt: duodeviginti viui capti. Tumultuarum & id caſtris fuerat, vt conſulibus irent ſubſidio: cum conſulem, & filium alterius conſulis ſaucios, exiguáſque infelicis expeditionis reliquias ad caſtra venientes cernunt. Mors Marcelli cum alioqui miſerabilis fuit, tum quod nec pro ætate (maior iam enim L X. annis erat) neque pro veteris prudentia ducis, tam improuidè ſe collegámque & prope totam rempublicam in præceps dederat. Multos circa vnam rem am- D bitus fecerim, ſi quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exſequi velim. Vt omittam alios: L. Cælius triplicem geſtæ rei ordinem edit: vnam traditam fama: alteram ſcripta laudatione filij: qui rei geſtæ interfuerit: tertiam, quam ipſe pro inquiſita ac ſibi comperta affert. Ceterum ita fama variat, vt tamen plerique loci ſpeculandi cauſſa caſtris egreſſum, omnes inſidiis circumuentum tradant. Annibal magnum terrorem hoſtibus morte conſulis vnius, vulnere alterius, iniectum eſſe ratus, ne cui E deeſſet occaſioni, caſtra in tumulum, in quo pugnatum erat, extemplo transfert. ibi inuentum Marcelli corpus ſepelit. Criſpinus & morte collegæ, & ſuo vulnere territus, ſilentio inſequentis noctis profectus, quos proximos nactus eſt montes, in iis loco alto & tuto vndique caſtra poſuit. Ibi duo duces ſagaciter moti ſunt, alter ad inferendam, alter ad cauendam fraudem. Annulo Marcelli ſimul cum corpore Annibal potitus erat eius ſigni errore ne qui dolus necteretur à Pœno, metuens Criſpinus, F circa ciuitates proximas miſerat nuntios, occiſum collegam eſſe, annulóque eius hoſtem potitum: ne quibus literis crederent nomine Marcelli compoſitis. Paulo ante hic nuntius conſulis Salapiam venerat, quàm literæ ab Annibale allatæ ſunt, Marcelli nomine compoſitæ: ſe nocte quæ diem illum ſecutura eſſet, Salapiam venturum: parati milites eſſent, qui in præſidio erant, ſi quo opera eorum opus eſſet. Senſere Salapiani fraudem: & ab ira non defectionis modo, ſed etiam equitum interfectorum G rati occaſionem ſupplicij peti, remiſſo retro nuntio (perfuga autem Romanus erat) vt ſine arbitrio milites quæ vellent agerent, oppidanos per muros vrbiſque opportuna loca in ſtationibus diſponunt: cuſtodias, vigiliaſque in eam noctem intentius inſtruunt: circa portam qua venturum hoſtem rebantur, quod roboris in præſidio erat, opponunt. Annibal quarta vigilia ferme ad vrbem acceſſit. Primi agminis erant perfugæ Romanorum, & arma Romana habebant. ij vbi ad portam eſt ventum, latinè

omnes loquentes excitant vigiles, apeririq; portam A iubent: consulem adesse. Vigiles velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri, porta cataracta deiecta, clausa erat, eam partim vectibus leuant, partim funibus subducunt in tantum altitudinis, vt subire recti possent. vix dum satis patebat iter, cum perfugæ certatim ruunt per portam: & cum sexcenti fermè intrassent, remisso fune, quo suspensa erat cataracta, magno sonitu cecidit. Salapiani, alij perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, vt inter pacatos gerentes arma inuadũt: B alij è turribus portæ murisque, saxis, sudibus, pilis absterrẽt hostem. Ita inde Annibal suamet ipse fraude captus abiit: profectúsque ad Locrorum soluendam obsidionem, quam L. Cincius summa vi, operibus, tormentorúmque omni genere ex Sicilia aduecto oppugnabat. Magoni iam haud fermè fidenti retenturum defensurumq; se vrbem, prima spes morte nuntiata Marcelli affulsit: secutus inde nuntius, Annibalem Numidarum equitatu præmisso, ipsum quantum accelerare posset, cum peditum agmine C sequi. Itaque vbi primum Numidas edito è speculis signo aduentare sensit, & ipse patefacta repentè porta ferox in hostes erumpit. Et primo, magis quia improuiso id fecerat, quàm quod par viribus esset, anceps certamen erat: deinde vt superuenere Numidę, tantus pauor Romanis est iniectus, vt passim ad mare ac naues fugerent, relictis operibus machinísque, quibus muros quatiebant. Ita aduentu Annibalis soluta Locrorum obsidio est. Crispinus postquam in Brutios profectum Annibalem sensit, exercitum D cui collega præfuerat, M. Marcellum tribu. mil. Venusiam abducere iussit. ipse cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticæ agitationem præ grauitate vulnerum patiés, Romam literas de morte collegæ scripsit, quantóque ipse in discrimine esset. Se comitiorum caussa non posse Romam venire: quia nec viæ laborem passurus videretur, & de Tarento solicitus esset, ne ex Brutiis Annibal eò conuerteret agmẽ. legatos opus esse ad se mitti viros pruden- E teis, cum quibus quæ vellet, de republica loqueretur. Hæ literæ recitatæ, & luctum magnum morte alterius consulis, & metum de altero fecerunt. Itaq. & Q. Fabium filium ad exercitum Venusianum miserunt: & ad consulem tres legati missi: Sext. Iulius Cæsar, L. Lucinius Pollio, L. Cincius Alimentius, cum paucis ante diebus ex Sicilia redisset. Hi nuntiare cõsuli iussi, vt si ad comitia ipse Romam venire non posset, dictatorem in agro Romano diceret comitiorum caussa: si consul Tarentum profectus esset, Q. Claudium Pr. placere in eam regionem inde F abducere legiones, in qua plurimas sociorum vrbes tueri posset. Eadem æstate M. Valerius cum classe centum nauium ex Sicilia in Africam transmisit: & ad Clupeam vrbem exscensione facta, agrum latè nullo fermè obuio armato vastabat. inde ad naues raptim prædatores recepti, quia repente fama accidit, classem Punicam aduentare. LXXX. erant & tres naues. Cum iis haud procul Clupea prosperè pugnat Romanus. Decem & octo nauibus captis, fugatis aliis, cum magna terrestri naualique præda Lilybæũ G rediit. Eadem æstate & Philippus implorantibus Achæis auxilium tulit, quos & Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello vrebat: & Ætoli nauibus per fretum, quod Naupactum & Patras interfluit (Rhion incolæ vocant) exercitu traiecto, depopulati erant Attalum quoque regem Asiæ, quia Ætoli summum gentis suæ magistratũ ad eum proximo concilio detulerant, fama erat in Europá traiecturum. Ob hæc Philippo in Gręciam descendenti ad Lamiam vrbem Ætoli duce Physia, qui prætor in eum annum cum absente Attalo creatus erat, occurrerunt. Habebant & ab Attalo auxilia secum: & mille ferme ex Romana classe à P. Sulpitio missos. Aduersus hunc ducem, atque has copias Philippus bis prospero euentu pugnauit: multos admodum hostium vtraque pugna occidit. Inde cum Ætoli metu compulsi Lamiæ vrbis mœnibus tenerent sese, Philippus ad Phaleram exercitum reduxit. In Maliaco sinu is locus est, quondam frequenter habitatus propter egregium portum, tutásque circa stationes, & aliam opportunitaté maritimam terrestrémque. Eo legati ab rege Ægypti Ptolemæo Rhodiisque & Atheniensibus & Chiis venerunt, ad dirimẽdum inter Philippum atque Ætolos bellum. Adhibitus ab Ætolis ex finitimis pacificator Aminander rex Athamanum. Omnium autem non tanta pro Ætolis cura erat, ferocioribus, quá pro ingeniis Græcorum gentis: quàm ne Philippus regnúmque eius graue libertati futurum, rebus Græciæ immisceretur. De pace dilata consultatio est in concilium Achæorum: concilióque ei & locus, & dies certa indicta. interim triginta dierum induciæ impetratę. Profectus inde rex per Thessaliam Bœotiámque Chalcidem Eubœæ venit, vt Attalum, quem classe Eubœam petiturum audierat, portubus & littorum appulsu arceret. Inde præsidio relicto aduersus Attalum, si fortè interim traiecisset: profectus ipse cum paucis equitum, leuísque armaturæ Argos venit. Ibi curatione Hereorum Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea ciuitate oriundos referunt: Hereis peractis, ab ipso ludicro extemplo Rhiũ profectus est ad indictum multo ante sociorum concilium. Ibi de Ætolico finiendo bello actum, ne caussa aut Romanis aut Attalo intrandi Græciam esset. Sed ea omnia vix dum induciarum tempore circumacto, Ætoli turbauere: postquam & Attalum Æginam venisse, & Romaná classem stare ad Naupactum audiuere. Vocati enim in concilium Achæorum, in quo eædem legationes erant, quæ ad Phaleram egerant de pace: primum questi sunt quędam parua contra fidem conuentionis tempore induciarum facta: postremo negarunt dirimi bellum posse, nisi Messeniis Achæi Pylum redderent. Sationis restitueretur Athamanis, Scerdileto & Pleurato Parthini. Id verò indignum ratus Philippus, victos victori sibi vltro conditiones ferre, ne antea quidem se aut de pace audisse, aut inducias pepigisse dixit, spem vllam habentem quieturos Ætolos: sed vt omnes socios testes haberet, se pacis, illos belli caussam quæsisse. Ita infecta pace concilium dimisit, quatuor millibus armatorum relictis ad præsidium Achæorum, & quinque longis nauibus acceptis. quas si adiecisset missæ nuper ad se classi Carthaginiensium, & ex Bithynia ab rege Prusia venientibus nauibus, statuerat nauali prælio lacessere Romanos iamdiu in ea regione potentes maris: ipse ab eo concilio Argos regressus. iam enim Nemeorum appetebat tempus, quæ celebrari volebat præsentia sua. Occupato rege apparatu ludorum, & per eos dies festos licentius quam inter belli tempora remittente animum, P. Sulpitius ab Naupacto profectus classem appulit inter Sicyoné & Corinthum, agrumque nobilissimæ fertilitatis effusè vastauit. Fama eius rei Philippum ab ludis exciuit: raptímque cum equitatu profectus, iussis subsequi peditibus, palatos passim per agros, grauésque præda, vt qui nihil tale metuerent, adortus Romanos compulit ad naues. Classis Romana haud quaquam læta præda Naupactũ rediit. Philippus ludorũ quoque

quoque qui reliqui erant, celebritaté quãtęcunque á Romanis tum victoriæ partæ fama auxerat: lætitiaq. ingẽti celebrati festi dies. eo magis etiam, quod populariter dempto capitis insigni, purpura atque alio regio habitu, ęquauerat cæteris se in speciẽ: quo nihil gratius est ciuitatibus liberis. Præbuissétque haud dubiam eo facto spem libertatis, nisi omnia intolerãda libidine fœda ac deformia effecisset. vagabatur enim cũ vno aut altero comite per maritimas domos dies noctésque: & submittẽdo se in priuatũ fastigium, quo minus suspectus, eo solutior erat: & libertatem cùm aliis vanam ostendisset, totã in suã licentiam verterat. Neque enim omnia emebat aut eblandiebatur, sed vim etiam flagitiis adhibebat: periculosúmque & viris & parentibus erat, moram incommoda seueritate libidini regiæ fecisse. vni etiã principi Achæorum Arato ademta vxor nomine Polycratia, ac spe regiarum nuptiarũ in Macedoniam asportata fuerat. Per hæc flagitia solemni Nemeorũ peracto: paucísque additis diebus, Dymas est profectus ad præsidium Ætolorum, quod ab Eleis accitum acceptumque in vrbem erat, eiiciendum. Cycliadas (penes eum summa imperij erat) Achæique ad Dymas regi occurrere, & Eleorum accensi odio, quod à ceteris Achæis dissentirent: & infensi Ætolis, quos Romanum quoq. aduersus se mouisse bellũ credebant. Profecti à Dymis coniuncto exercitu transeunt Larissum amnem, qui Eleum agrum ab Dymeo dirimit. Primum diem quo fines hostium ingressi sunt, populando absumserunt. Postero die acie instructa ad vrbem accesserunt, præmissis equitibus, qui obequitando portis promtum ad excursiones genus lacesserent Ætolorum. Ignorabant Sulpitium cum quindecim nauibus ab Naupacto Cyllenem traiecisse: & expositis in terram quatuor millibus armatorum silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse Elim. Itaque improuisa res ingentem iniecit terrorem: postquam inter Ætolos Eleósque Romani signa atque arma cognouere. Et primò recipere suos voluerat rex: dein contracto iam inter Ætolos & Triballos (Illyriorum id genus est) certamine, cum vrgeri videret, suos, & ipse rex cũ equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo traiectus, cum prolapsum per caput regem effudisset, atrox pugna vtrinque accensa est: & ab Romanis impetu in regem facto, & protegentibus regiis. Insignis & ipsius pugna fuit, cum pedes inter equites coactus esset prælium inire. deinde cum iã impar certamen esset, cadeŕentque circa eum multi, & vulnerarentur: raptus ab suis, atque alteri equo iniectus fugit. Eo die castra quinque millia passuum ab vrbe Eleorum posuit. postero die omnes copias ad propinquũ Eleorum castellum (Pyrgum vocant) duxit, quò agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat. eam inconditam inermémque multitudinem primo statim terrore adueniens cepit: compensauerátque ea præda, quod ignominiæ ad Elim acceptum fuerat. Diuidenti prædam, captiuósque (fuerunt autem quatuor millia hominum, pecorúmque omnis generis ad viginti millia) nuncius ex Macedonia venit, Eropum quendam corrupto arcis præsidiique præfecto, Lychnidum cepisse: tenere & Dassaretiorum quosdam vicos, & Dardanos etiam concire. Omisso igitur Achaico atque Ætolico bello, relictis, tamen duobus millibus & quingentis omnis generis armatorum, cum Menippo & Polyphante ducibus ad præsidium sociorum profectus ab Dymis per Achaiam Bœotiámq. & Eubœidem, decimis castris Demetriadem in Thessaliam peruenit. Ibi alij maiorem

A afferentes tumultum nuncij occurrunt: Dardanos in Macedoniam effusos, Orestidem iam tenere, ac descendisse in Æstræum campum: famámque inter Barbaros celebrem esse, Philippum occisum. Expeditione ea qua cum populatoribus agri ad Sycionẽ pugnauit: in arborem illatus impetu equi, ad eminẽtem ramum cornu alterum galeæ perfregit: id inuentum ab Ætolo quodam, perlatúmque in Ætoliam ad Scerdiletum, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgauit. Post profectionem ex Achaia Philippi, Sulpitius Æginã classe profectus B cum Attalo sese coniunxit, Achæi cũ Ætolis, Eleisq. haud procul Messene prosperam pugnam fecerunt. Attalus rex, & P. Sulpitius Æginæ hybernarunt. Exitu huius anni T. Quintius Crispinus consul, dictatore comitiorum ludorumque faciendorum caussa dicto L. Manlio Torquato, ex vulnere moritur. Alij Tarenti, alij in Campania mortuum tradũt. Id quod nullo antè bello acciderat: duo consules sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempubl. reliquerant. Dictator Manlius magistrũ equitum C. Ser- C uiliũ (qui tum ędilis curulis erat) dixit. Senatus quo die primum est habitus, ludos magnos facere dictatore iussit: quos M. Æmylius prætor vrbanus C. Flaminio, Cn. Seruilio consulibus fecerat, & in quinquennium vouerat. Tum dictator & ludos fecit, & insequẽs lustrũ vouit. Ceterũ cũ duo cõsulares exercitus tam prope hostẽ sine ducibus essent: omnibus aliis omissis, vna præcipua cura Patres populumque incessit, cõsules primo quoque tempore creandi: & vt eos potissimum crearent, quorum virtus satis tu- D ta à fraude Punica esset. Cũ toto eo bello damnosa præpropera ac feruida ingenia imperatorum fuisse, tum eo ipso anno consules nimia cupiditate conserendi cum hoste manum, in necopinatam fraudem lapsos esse. ceterum deos immortales misertos nominis Romani, pepercisse innoxiis exercitibus, temeritatem consulum ipsorum capitibus damnasse. Cùm circumspicerent Patres, quosdam consules facerent: longè ante alios eminebat C. Claudius Nero: E ei collega quærebatur, & virũ quidẽ eum egregium ducebant: sed promtiorem acrioremque quàm tempora belli postularent, aut hostis Annibal. temperãdum acre eius ingenium moderato & prudenti viro adiuncto collega censebant. M. Liuius erat multis antè annis ex consulatu populi iudicio damnatus, quàm ignominiam adeo ęgrè tulerat, vt & rus migrarit, & permultos annos & vrbe, & omni cœtu caruerit hominũ. octauo fermè post damnationem anno M. Claudius Marcellus, & M. Valerius Læuinus F consules reduxerant eum in vrbem. sed erat veste obsoleta, capilloque & barba promissa, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominię acceptæ. L. Veturius, & P. Licinius censores eũ tondere, & squalorem deponere, & in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coegerunt. sed tũ quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat: donec cognati hominis eum caussa M. Liuij Macati, cùm de fama eius ageretur, stantem coegit in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto interuallo auditus conuertit ora hominũ in se caussamq; sermonibus præbuit, indigno iniuriam à po- G pulo factam, magnóque id damno fuisse, quod tam graui bello nec opera nec consilio talis viri vsa respublica esset. C. Neroni neque Q. Fabium, neque M. Valerium Læuinũ dari collegas posse: quia duos Patricios creari nõ liceret. eandem caussam in T. Manlio esse: præterquã quod recusasset delatum consulatum, recusaturúsque esset. egregium par consulum fore, si M. Liuium C. Claudio collegam adiun-

tem. Productus in concionem Lælius eadē disseruit. Senatus ob res feliciter à P. Scipione gestas supplicationem in vnum diem decreuit. C. Lælium primo quoque tempore cum quibus venerat nauibus, redire in Hispaniam iussit. Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli multis auctoribus: haud nescius quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint. Sed mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerendo in Hispania consumsisse. Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fuluio Flacco quartum Cos. Idibus Martiis quo die magistratum inierunt, Italia ambobus prouincia decreta: regionibus tamen partitum imperium, Fabius ad Tarentum, Fuluius in Lucanis ac Brutiis rem gereret. M. Claudio prorogatum in annum imperium. Prætores sortiti prouincias: C. Hostilius Tubulus vrbanam: L. Veturius Philo peregrinam cum Gallia: T. Quintius Crispinus Capuam. C. Aurunculeius Sardiniam. Exercitus ita per prouincias diuisi. Fuluio duæ legiones, quas in Sicilia M. Valerius Læuinus haberet: Q. Fabio, quibus in Hetruria C. Calpurnius præfuisset, exercitus vrbanus vt in Hetturiam succederet: C. Calpurnius eidem præesset prouinciæ, exercituique, quem Q. Fuluius habuisset. Capuam exercitúmque T. Quintius obtineret: C. Hostilius ab C. Lectorio proprætore prouinciam, exercitúmque, qui tum iam Arimini erat, acciperet. M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ: M. Valerio cum L. Cincio (his quoque est in annum prorogatum in Sicilia imperium) Cannensis exercitus datus: eúmque supplere ex militibus qui ex legionibus Cn. Fuluij superessent, iussi. Cóquisitos eos consules in Siciliam miserunt: additaque eadem militiæ ignominia, sub qua Cannenses militabant: quique ex prætoris Cn. Fuluij exercitu ob similis iram fugæ missi eò ab senatu fuerant. Cn. Aurunculeio eædem in Sardinia legiones, quibus P. Manlius Volso eam prouinciam obtinuerat, decretæ. P. Sulpitio eadem legione, eademq; classe Macedoniam obtinere iusso, prorogatum in annum imperium. XXX. quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti iussæ: cetera classe placere prædatum in Africam aut ipsum M. Valerium Læuinum traiicere: aut mittere, seu L. Cincium, seu M. Valerium Messalam vellet. Nec de Hispania quicquam mutatum, nisi quod non in annum Scipioni Syllanóque, sed donec reuocati ab Senatu forent, prorogatum imperium est. ita prouinciæ, exercitusque in eum annum partita imperia. Inter maiorum rerum curas comitia maximi curionis, cum in locum M. Æmylij sacerdos crearetur, vetus excitauerunt certamen, patriciis, negātibus C. Manilij Attilij qui vnus ex plebe petebat, habendam rationé esse, quia nemo ante eum, nisi ex patribus, id sacerdotium habuisset. Tribuni apellati, ad Senatum reiecerunt. Senatus populo potestatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus curio C. Manilius Attilius. Et flaminem dialem inuitum inaugurari coegit. P. Licinius pontifex maximus C. Valerium Flaccum decemuir sacris faciundis creatus in locum Q. Mutij, Scæuolæ demortui C. Lectorius. Caussam inaugurari coacti flaminis libens reticuissem, ni ex mala fama in bonam vertisset. Ob adolescentiam negligentem luxuriosamque C. Flaccus flamen captus à P. Licinio Pōtifice maximo erat, L. Flacco fratri germano, cognatisque aliis ob eadem vitia inuisus. Is, vt animū eius cura sacrorum & cæremoniarum cepit, ita repente exuit antiquos mores, vt nemo tota iuuētute haberetur prior: nec probatior primoribus patrum,

A suis pariter, alienisque esset. Huius famæ consensu, elatus ad iustam fiduciam sui, rem intermissam per multos annos ob indignitatem flaminum priorum repetiuit, vt in Senatum introiret. Ingressum eum curiam, cùm L. Licinius prætor inde eduxisset, trib. pleb. appellauit flamen. Vetustum ius sacerdotij repetebat: datūm id cum toga prætexta & sella curuli C. Flaminio esse. Prætor non exoletis vetustate annalium exemplis stare ius, sed recentissimæ cuiusque consuetudinis vsu volebat, nec patrum nec auorum memoria dialem quenquam id ius vsur-
B passe. Tribuni rem inertia flaminum obliteratam, ipsis non sacerdotio damno fuisse cùm æquum censuissent, ne ipso quidem contrà tendente prætore magno assensu patrum plebisque flaminem in Senatum introduxerunt: omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitæ quàm sacerdotij iure rem eam flaminem obtinuisse. Consules prius quàm in prouincias irent, duas vrbanas legiones in supplementum quantum opus erat ceteris exercitibus militum, scripserunt. Vrbanum veterem exercitum
C Fuluius consul C. Fuluio Flacco legato (frater hic consulis erat) in Hetruriam dedit ducendum: & legiones quæ in Hetruria erant, Romam deducendas. Et Fabius consul reliquias exercitus Fuluiani conquisitas (fuerūnt autem ad tria millia CCCXXXVI.) Q. Maximum filium ducere in Siciliam ad M. Valerium proconsulem iussit: atque ab eo duas legiones, & triginta quinqueremes accipere. Nihil hæ eductæ ex insula legiones minuerunt, nec viribus nec spe-
D cie eius prouinciæ præsidium. nam cum præter egregiè suppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam Numidarum equitum peditumque magnam vim haberet: Siculos quoque qui in exercitu Epicidis aut Pœnorum fuerant, belli peritos viros milites scripsit. Ea externa auxilia quum singulis Romanis legionibus adiunxisset, duorum speciem exercituum seruauit. altero L. Cincium partem insulæ, qua regnum Hieronis fuerat, tueri iussit: altero ipse ceteram insulam tuebatur, diuisam quon-
E dam Romani Punicique imperij finibus. Classis quoque nauium LXX. parata, vt omnia ambitu littorum præsidio oræ maritimæ essent. Ipse cum Mutinis equitatu prouinciā peragrabat, vt viseret agros, cultáque ab incultis notaret: & perinde dominos laudaret, castigarétque. Ita tantum ea cura frumenti prouenit, vt & Romam mitteret, & Catanam conueheret, vnde exercitui qui ad Tarentum æstiua acturus esset, posset præberi. Ceterum transportati milites in Siciliam (& erat maior pars Latini
F nominis, sociorumque) prope magni motus caussa fuere. adeo ex paruis sæpe magnarum momenta rerum pendent: fremitus enim inter Latinos sociosque in conciliis ortus. Decimum annum delectibus & stipendiis exhaustos esse. quotannis ferme clade magna pugnare: alios in acie occidi, alios morbo absumi. magis perire sibi ciuem qui ab Romano miles lectus sit, quàm qui à Pœno captus, quippe ab hoste gratis remitti in patriam, ab Romanis extra Italiam in exsilium verius quàm in militiam ablega-
G ri. Octauum iam ibi annum senescere Cannensem militem, moriturum antequam Italia hostis (quippe nunc cum maximè florens viribus) excedat. si veteres milites non redeant in patriam, noui legantur, breui neminem superfuturum. Itaque quod propediem res ipsa negatura sit, prius quam ad vltimam solitudinem atque egestatem perueniant, negandum populo Romano esse. si consentientes in hoc socios videant Romani, profecto de pace cum Carthaginiensibus iungenda cogitaturos, aliter nunquam

quam viuo Annibale sine bello Italiam fore. Hæc acta in conciliis. Triginta tum coloniæ populi Romani erant. ex iis duodecim cum omnium legationes Romæ essent, negauerunt consulibus esse vnde milites pecuniámque darent. Eæ fuere, Ardea, Nepete, Sutrium, Circeij, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Noua re consules icti, cum absterrere eos à tam detestabili consilio vellent, castigando increpandoque plus quàm leniter agendo profecturos rati, eos ausos esse consulibus dicere aiebant, quod cònsules in Senatu vt pronuntiarent, in animum inducere non possent. non enim detrectationem eam munerum militiæ, sed apertam defectionem à populo Romano esse. Redirent itaque propere in colonias, & tanquam integra re loquuti magis quàm ausi tantum nefas, cùm suis consulerent, admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Romanos: inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augendæ caussa missos: quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si vlla pietas, si memoria antiquæ patriæ esset. Cōsulerent igitur de integro. nam tum quidem quæ temerè agitassent, ea prodendi imperij Romani, tradendæ Annibali victoriæ esse. Cum alternis hæc consules diu iactassent, nihil moti legati, neque se quod domum renuntiarent, habere dixerunt, neque senatum suum quid noui consuleret: vbi nec miles qui legeretur, nec pecunia quæ daretur in stipendium, esset. Cùm obstinatos eos viderent consules, rem ad Senatum detulerunt, vbi tantus pauor animis hominum est iniectus, vt magna pars actum de imperio diceret. idem alias colonias facturas, idem socios consensisse omnes ad prodendam Annibali vrbem Romam. Consules hortari & consolari Senatum: & dicere, alias colonias in fide atque officio pristino fore. eas quoque ipsas quæ officio decesserint, si legati circa eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur, verecundiam imperij habituras esse. Permissum ab Senatu iis cum esset, agerent faceréntque vt è republica ducerent: pertentatis prius aliarum coloniarum animis citauerunt legatos: quæsiuerúntque ab iis, ecquid milites ex formula paratos haberent? Pro duodeuiginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit: & milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset, plures daturos & quicquid aliud imperaret, vellétque populus Romanus, enixè facturos. ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Consules sibi parum videri præfati pro merito eorum, sua voce collaudari eos, nisi vniuersi patres in curia gratias egissent, sequi in Senatum iusserunt. Senatus quàm poterat honoratissimo decreto allocutus eos, mandat consulibus, vt ad populum quoque eos producerent, & inter multa alia præclara, quę ipsis maioribúsque suis præstitissent recens etiam meritum eorum in rempublicam commemorarent. Ne nunc quidē posttot secula sileātur, fraudētúrve laude sua. Signini fuere, & Nolani & Norbani, Satriculaniq;, & Brūdusini, & Fregellani, & Lucerini, & Venusini, & Adriani, & Firmani, & Ariminenses: & ab altero mari, Pontiani, & Pæstani, & Cosani: & mediterranei, Beneuentani, & Esernini, & Spoletini, & Placentini, & Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi Romani stetit: iisque gratiæ & in Senatu & apud populum actæ. Duodecim aliarum coloniarum, quæ detrectauerunt imperium, mentionem fieri patres vetuerunt: neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari à consulibus. Ea tacita castigatio maximè ex dignitate populi Romani visa est. Cetera expedientibus quæ ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur, promi placuit, prompta ad quatuor millia pondo auri. Inde quingena pondo data consulibus, & M. Marcello & Pub. Sulpitio Procoss. & L. Veturio prætori qui Galliam prouinciam sortitus erat. additúmque Fabio Cos. C. pondo auri præcipuum, quod in arcem Tarentinam portaretur. cetero auro vsi sunt ad vestimenta præsenti pecunia locanda exercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama, ducisque gerebat. Prodigia quoque prius quàm ab vrbe Coss. proficiscerentur, procurori placuit. In Albano monte tacta de cœlo erant, signum Iouis arborque templo propinqua, & Ostiæ lacus, & Capuæ murus, Fortunæque ædes, & Sinuessæ murus portáque. Hæc de cœlo tacta. Cruentam etiam fluisse aquam Albanam, quidam auctores erant. Et Romæ intra cellam ædis Fortis Fortunæ de capite signum quod in corona erat, in manus spontè sua prolapsum. Et Priuerni satis constabat bouem locutum, vulturémque frequenti foro in tabernam deuolasse. Et Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac fœminam sexu infantem, quos androgynos vulgus, vt pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco sermone, appellat: & lacte pluisse, & cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis maioribus procurata, & supplicatio circa omnia puluinaria, & obsecratio in vnum diem indicta. & decretum, vt C. Hostilius prætor ludos Apollinis, sicut his annis voti factique erant, voueret faceretque. Per eos dies & censoribus creandis Quint. Fuluius consul comitia habuit. Creati censores, ambo qui nondum consules fuerant, Marc. Cornelius Cethegus, Pub. Sempronius Tuditanus. Hi censores vt agrum Campanum fruendum locarent, ex auctoritate patrum latum ad plebem est, plebésque sciuit. Senatus lectionem contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronij lectio erat. Ceterùm Cornelius morem traditum à patribus sequendum aiebat, vt qui primus censor ex iis qui viuerent, fuisset, eum principem legerent. is Tit. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui dij sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse deos, se id suo arbitrio facturum: lecturúmque Quint. Fabium Maximum. quem tum principem Romanæ ciuitatis esse, vel Annibale iudice victurus esset. Cum diu certatum esset verbis, concedente collega, lectus à Sempronio princeps in Senatu Quint. Fabius Maximus consul. Inde alius lectus senatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat infamis auctor deserendæ Italiæ post Cannensem cladem. In equestribus quoque notis eadem seruata caussa. sed erant perpauci, quos ea infamia attingeret. Illis omnibus (& multi erant) ademti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant, addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiuerunt, qui equo merere deberent: atque ex iis qui principio eius belli sexdecim annos nati fuerant, neque militauerant, omnes ærarios fecerunt. Locauerunt inde reficienda quæ circa forum incendio consumpta erant, VII. tabernas, macellum atrium regium. Transactis omnibus quæ Romæ agenda erant, consules ad bellum profecti: prior Fuluius prægressus Capuam, post paucos dies consecutus Fabius, qui & collegam

coram obtestatus, & per literas Marcellum vt A quàm acerrimo bello detineret Annibalem. dum ipse Tarentum oppugnaret: ea vrbe ademta hosti vndique pulso, nec vbi consisteret, nec quid fidum respiceret habenti, ne morandi quidem caussam in Italia fore. Rhegium etiam nuntium mittit ad præfectum præsidij, quod ab Leuino Cos. aduersus Brutios ibi locatum erat, octo millia hominum pars maxima ab Agatirna (sicut antea dictum est) ex Sicilia traducta, & rapto viuere hominum assuetorum additi erant Brutiorum indidem perfugæ, & B audacia & audendi omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad Brutium primum agrum depopulandum duci iussit, inde ad Cauloniam vrbem oppugnandam. Imperata non impigrè solum, sed etiã auidè exsecuti, direptis fugatisque cultoribus agri, summa vi vrbem oppugnabant. Marcellus consulis literis excitatus, & quia ita in animum induxerat, neminẽ ducem Romanũ tam parem Annibali quàm se esse: vbi primum in agris pabuli copia fuit, ex hybernis profectus, ad Cannusium Annibali occurrit. Solicitabat ad defectionẽ Cãnusinos Pœnus. C ceterùm vt appropinquare Marcellum audiuit, castra inde mouit. Aperta erat regio sine vllis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde cœpit. Marcellus vestigiis instabat, castráque castris conferebat: & opere perfecto, extemplo in aciem legiones educebat. Annibal turmatim per equites, peditúmque iaculatores leuia certamina serens, casum vniuersæ pugnæ non necessarium ducebat, tractus est tamen ad id, quod vitabat, certamen. Nocte D prægressum eum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus. castra inde ponentem, pugnando vndique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatumque totis copiis: & cum iam nox instaret, marte æquo discessum est. castra exiguo distantia spatio raptim ante noctem permunita. Postero die luce prima Marcellus in aciẽ copias eduxit. Nec Annibal detrectauit certamẽ, multis verbis adhortatus milites, vt memores Thrasymeni Can- E narumque contunderent ferociam hostis: vrgere atque instare eũ: non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circunspicere. quotidie simul orientem solem, & Romanam aciem in campis videndam esse. si vno prælio haud incruentus abeat, quietius deinde tranquilliúsque eum bellaturum. His irritati adhortationibus, simulque tædio ferociæ hostium quotidie instantium lacessentiumque acriter prælium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. cedere inde ab Romanis dextera ala, & extraordinarij cœpere. quod vbi Mar- F cellus vidit, duodeuicesimam legionem in primam aciem inducit. Dum alij trepidè cedunt, alij segniter subeunt, turbata tota acies est: dein prorsus fusa, & vincente pudorem metu terga dabant. Cecideréque in pugna ad duo millia & septingenti ciuium sociorumque, in his quatuor Romani centuriones fuere: duo tribuni militum, M. Licinius & M. Fuluius, signa militaria quatuor de ala prima, quæ fugit: duo de legione quæ cedentibus sociis successerat, amissa. Marcellus, postquam in ca- G stra reditum est, concionem adeo sæuam atque acerbam apud milites habuit, vt prælio per diem totum infeliciter tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. Diis immortalibus vt in tali re laudes gratésque, inquit, ago: quod victor hostis cum tanto pauore incidentibus vobis in vallum portásque, non ipsa castra est aggressus. deseruissetis profectò eodẽ terrore castra, quo omisistis pugnam. Qui pauor hic, qui terror? quæ repente, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos cepit? nempe iidem sunt ij hostes, quos vincendo, & victos sequendo priorem æstatem absumsistis: quibus dies noctésque fugientibus, per hos dies institistis: quos leuibus præliis fatigastis, quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: cuius & ipsius pudere ac pœnitere vos oportet. nempe æquis manibus hesterna die diremistis pugnam. quid hæc nox? quid hæc dies abstulit? vestræ his copiæ imminutæ sunt, an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus. corpora tantum atque arma eadem sunt. an si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo, aut cohorti abstulisset? Non adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur? vos illi hodierno die primũ fugati exercitus dedistis decus. Clamor inde ortus, vt veniam eius diei daret, vbi vellet, deinde experiretur militum suorũ animos. Ego verò experiar, inquit, milites, & vos crastina die in aciem educam, vt victores potius quàm victi veniam impetretis quam petitis. Cohortibus quæ signa amiserant, hordeum dari iussit: centurionésque manipulorũ, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit: & vt postero die omnes pedites equitésque armati adessent, edixit. Ita concio dimissa fatentium iure ac merito sese increpitos: neque illo die virum quemquam in acie Romana fuisse, preter vnum ducem: cui aut morte satisfaciendum, aut egregia victoria esset. Postero die armati oneratique ad edictum aderant. Imperator eos collaudat, pronuntiátque, à quibus orta pridie fuga esset, cohortésque quæ signa amisissent, se in primam aciem inducturum. edicere etiam sese, omnibus pugnandum ac vincendum esse: & adnitendum singulis vniuersisque, ne prius hesternæ fugæ, quàm hodiernæ victoriæ fama Romam perueniat. Inde cibo corpora firmare iussit. vt si longior esset pugna, viribus sufficerent. Vbi omnia dicta factáque sunt, quibus excitarentur animi militum, in aciem procedunt. Quod vbi Annibali nuntiatum est: Cum eo nimirum, inquit, hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. seu vicit, ferociter instat victis. seu victus est, instaurat cum victoribus certamen. Signa inde canere iussit, & copias eduxit. Pugnatum vtrinque aliquanto quàm pridie acrius est: Pœnis ad abtinendum hesternum decus adnitentibus, Romanis ad demendam ignominiam. Sinistra ala ab Romanis & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant, & legio vicesima ab dextro cornu instructa. L. Cornelius Lentulus & C. Claudius Nero legati cornibus præerant: Marcellus mediam aciem hortator testisque præsens firmabat. Ab Annibale Hispani primam obtinebant frontẽ, & id roboris in omni exercitu erat. Cùm anceps diu pugna esset, Annibal elephantos in primam aciem induci iussit, si quem iniicere ea res tumultum ac pauorem posset. Et primo turbarunt signa ordinésque, & partim occultatis, partim dissipatis terrore qui circa erant, nudauerant vna parte aciem: latiúsque fuga manasset, ni Cn. Decimius Flauus tribunus militum signo arrepto, primi hastati manipulum eius signi se sequi iussisset. duxit vbi maximè tumultum conglobatæ belluæ faciebant: piláque in eas coniici iussit. Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, & tam conferta turba: sed vt non omnes vulnerati sunt, ita in quorum tergis infixa stetere pila, vt est genus anceps, in fugam versi etiam integros auertere. Tum iam non vnus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo

assequi

effequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conijcere. eo magis ruere in ſuos belluæ, tantóque maiorem ſtragem edere, quàm inter hoſtes ediderant, quanto acrius pauor conſternatas agit, quàm inſidentis magiſtri imperio reguntur. In perturbatam tranſcurſu belluarum aciem ſigna inferunt Romani pedites: & haud magno certamine diſſipatos trepidantéſque auertūt. Tum in fugientes equitatum immittit Marcellus, nec antè finis ſequendi eſt factus, quàm in caſtra pauentes compulſi ſunt. nam ſup.r alia quæ terrorem trepidationémque facerent, elephanti fortè duo in ipſa porta corruerāt, coactique erant milites per foſſam vallumque ruere in caſtra. ibi maxima hoſtium cædes facta. Cæſa ad octo millia hominum, quinque elephanti. Nec Romanis incruenta victoria fuit. mille fermè & ſeptingenti de duabus legionibus, & ſociorum ſupra M. & C C C. occiſi: vulnerati permulti ciuium, ſociorúmque. Annibal nocte proxima caſtra mouit. Cupientem inſequi Marcellū prohibuit multitudo ſauciorum. Speculatores, qui inſequerentur agmen miſſi, poſtero die retulerunt Brutios Annibalem petere. Iiſdem fermè diebus & ad Q. Fuluium conſulem Hirpini, & Lucani, & Volſcentes, traditis præſidiis Annibalis, quę in vrbibus habebant, dediderūt ſeſe: clementérque à conſule cum verborum tantum caſtigatione ob errorē præteritū accepti. Et Brutiis ſimilis ſpes veniæ facta eſt, cum ab iis Vibius & Pactius fratres, longè nobiliſſimi generis eius, eandem quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes veniſſent. Q. Fabius conſul oppidum in Salentinis Manduriam vi cepit. ibi ad quatuor millia hominum capta, & ceteræ prædæ aliquantum. Inde Tarentum profectus, in ipſis faucibus portus poſuit caſtra, naues, quas Liuius tutandis commeatibus habuerat: partim machinationibus onerat, apparatúque mœnium oppugnandorum: partim tormentis & ſaxis omniq; miſſilium telorum genere inſtruit: onerarias quoque, non eas ſolum quæ remis agerentur, vt alij machinas ſcaláſque ad muros ferrent, alij procul ex nauibus vulnerarent mœnium propugnatores. Eæ naues ab aperto mari vt vrbē aggrederentur, inſtructę paratæque ſunt. Et erat liberū mare, claſſe Punica, cùm Philippus oppugnare Ætolos pararet, Corcyram tranſmiſſa. In Brutiis interim Cauloniæ oppugnatores ſub aduentum Annibalis, ne opprimerentur, in tumulum à præſenti impetu tutum, ad cetera inopem, conceſſere. Fabium Tarentum obſidentem leue dictu momentum ad rem ingentem potiundam adiuuit. Præſidium Brutiorum datum ab Annibale Tarentini habebant. eius præſidij præfectus deperiebat amore mulierculæ, cuius frater in exercitu Fabij conſulis erat. Is certior literis ſororis factus de noua conſuetudine aduenæ locupletis, atque inter populares tam honorati, ſpē nactus per ſororem quolibet impelli amantem poſſe, quid ſperaret, ad cōſulem detulit. Quæ cum haud vana cogitatio viſa eſſet, perfuga iuſſus Tarentum tranſire, ac per ſororem præfecto conciliatus, primo occultè animum eius tentādo, dein ſatis explorata leuitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad proditionem cuſtodiæ loci, cui præpoſitus erat. Vbi & ratio agendæ rei, & tempus conuenit, miles nocte per interualla ſtationum clam ex vrbe emiſſus, ea quæ acta erant, quæque vt agerentur, conuenerant, ad conſulem refert. Fabius vigilia prima dato ſigno iis qui in arce erant, quique cuſtodiam portus habebant, ipſe circuito portu ab regione vrbis in orientem verſa occultus conſedit. Canere inde tubæ ſimul ab arce, & à portu & à nauibus, quæ a-

A perto mari appulſæ erant: clamórque vndique cum ingenti tumultu, vnde minimum periculi erat, de induſtria ortis. Conſul interim ſilentio continebat ſuos. Igitur Democrates, qui præfectus antea claſſis fuerat, forte illi loco præpoſitus, poſtquam quieta omnia circa ſe vidit, alias partes eo tumultu perſonare, vt captæ vrbis interdum excitaretur clamor: veritus ne inter cunctationem ſuam conſul aliquā vim faceret, ac ſigna inferret, præſidium ad arcem, vnde maximè terribilis accidebat ſonus, traducit. Fabius cùm ex temporis ſpatio, & ex ſilentio ipſo

B (quod vbi paulo ante ſtrepebant excitantes vocantéſque ad arma, inde nulla accidebat vox) deductas cuſtodias ſenſiſſet, ferri ſcalas ad eam partem muri, qua Brutiorum cohortem præſidium agitare proditionis conciliator pronūtiauerat, iubet. Ea primum captus eſt murus, adiuuantibus recipientibúſque Brutiis, & tranſcenſum in vrbem eſt: deinde proxima refracta porta, vt frequenti agmine ſigna inferrentur. Tum clamore ſublato ſub ortum fermè lucis

C nullo obuio armato in forum perueniunt: omneſque vndique qui ad arcem portúmque pugnabant, in ſe conuerterunt. Prælium in aditu fori maiori impetu, quàm perſeuerantia commiſſum eſt. non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis par Romano Tarentinus erat. Igitur pilis tantum coniectis, prius pene quàm conſererent manus, terga dederunt, dilapſique per nota vrbis itinera in ſuas amicorúmque domos. Duo ex ducibus, Nico & Democrates, fortiter pugnan-

D tes cecidere. Philomenes qui proditionis ad Annibalem auctor fuerat, cùm citato equo ex prælio auectus eſſet, vacuus paulo poſt equus erránſque per vrbem cognitus, corpus nuſquam inuentum eſt. creditum vulgo eſt, in puteum apertū ex equo præcipitaſſe. Carthalonem autem præfectum Punici pręſidij, cum cōmemoratione paterni hoſpitij poſitis armis venientem ad conſulem, miles obuius obtruncat. Alij alios paſſim ſine diſcrimine armatos inerméſque cædunt, Carthaginiēſes Tarentinoſque

E pariter. Brutij quoque multi paſſim interfecti, ſeu per errorē, ſeu vetere in eos inſito odio, ſeu ad proditionis famam, vt vi potius atque armis captū Tarentum videretur, extinguendam. Tum à cæde ad diripiendam vrbem diſcurſum. Triginta millia ſeruilium capitum dicuntur capta, ingens argenti vis facti ſignatique, auri octuaginta ſeptem millia pondo. ſigna tabulęque, propè vt Syracuſarum ornamenta æquarent. Sed maiore animo generis eius præda abſtinuit Fabius, quā Marcellus: qui interro-

F ganti ſcribæ, quid fieri de ſignis vellet (ingentis magnitudinis dij ſunt, ſuo quiſque habitu in modum pugnantium formati) deos iratos Tarentinis relinqui iuſſit. Murus inde qui vrbem ab arce dirimebat, dirutus eſt, ac diſiectus. Dum hæc Tarenti aguntur, Annibal iis qui Cauloniam obſidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarēti, dies noctéſque curſim agmine acto cùm feſtinās ad opem ferendam, captam vrbem audiſſet. Et Romani, inquit, ſuum Annibalem haberēnt. eadem, qua ceperamus,

G arte Tarentum amiſimus. Ne tamen fugientis modo conuertiſſe agmen videretur, quo conſtiterat loco, quinque millia fermè ab vrbe poſuit caſtra. ibi paucos moratus dies, Metapontum ſeſe recepit. Inde duos Metapontinos cum literis principum eius ciuitatis ad Fabium Tarētum mittit, fidem ab conſule accepturos, impunita priora fore, ſi Metapontū ei cū præſidio Punico prodidiſſent. Fabius vera quæ afferrēt eſſe ratus, diem, qua acceſſurus eſſet Metapontū, conſtituit: literáſque ad principes dedit, quę

ad Annibalem delatæ sunt. Enimuero lætus successu fraudis, si ne Fabius quidé dolo inuictus esset, haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti prius quàm egrederetur ab Tarento, aues semel atque iterum nõ addixerunt. hostia quoque cæsa consulenti deos, aruspex cauendum à fraude hostili, & ab insidiis, prædixit. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi vt cunctantem hortarentur, repentè comprehensi metu grauioris quæstionis detegunt insidias. Æstatis eius principio, qua hæc agebantur, P. Scipio in Hispania cùm hyemem totam reconciliandis barbarorum animis partim donis, partim remissione obsidum captiuorumque absumsisset: Edesco ad eum, clatus inter duces Hispanos, venit. Erant coniunx liberíque eius apud Romanos, sed præter eam caussam etiam velut fortuita inclinatio animorum, quæ Hispaniam omnem auerterat ad Romanum à Punico imperio, traxit eum. Eadem caussa Indibili Mandonioque fuit, haud dubiè omnis Hispaniæ principibus, cum omni popularium manu relicto Asdrubale, secedenti in imminentes castris eius tumulos, vnde per continentia iuga tutus receptus ad Romanos esset. Asdrubal cùm hostium res tacitis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore, vt nisi audendo aliquid moueret, quà cœpissent, ruerent: dimicare quàm primùm statuit. Scipio auidior etiam certaminis erat, cùm à spe, quam successus rerum augebat: tum quod prius quàm iungerentur hostium exercitus, cum vno dimicare duce, exercitúque, quàm simul cum vniuersis malebat. Cæterum etiam si cum pluribus pariter dimicandum foret, arte quadam copias auxerat. nam cum videret nullum esse nauium vsum, quia vacua omnis Hispaniæ ora classibus Punicis erat, subductis nauibus Tarraconem, nauales socios terrestribus copiis addidit. Et armorum affatim erat captorum Carthagine: & quæ post captam eam fecerat, tanto opificum numero incluso. Cum iis Scipio veris principio ab Tarracone egressus (iam enim & Lælius redierat ab Roma, sine quo nihil maioris rei motum volebat) ducere ad hostem pergit. Per omnia pacata eunti, vt cuiusque populi fines transiret, prosequentibus excipientibusque sociis, Indibilis & Mandonius cum suis copiis occurrerunt, Indibilis pro vtroque locutus, haudquaquam vt barbarus stolidè incautéque, sed potius cum verecunda grauitate: propiorque excusanti transitionem vt necessariam, quàm glorianti ea velut ad primam occasionem rapta. Scire enim se, transfugæ nomen exsecrabile veteribus sociis, nouis suspectum esse. neque eum se reprehendere morem hominum, si tamen anceps odium caussa, non nomen faciat. Merita inde sua in duces Carthaginienses commemorauit. auaritiam contra eorum, superbiámque, & omnis generis iniurias in se atque populares. Itaque corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse: animum iam pridem ibi esse, vbi ius ac fas crederet coli. ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque iniurias pati: se id Scipionem orare, vt transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit. quales ex ea die experiundo cognouerit, perinde operæ eorum pretium faciat. Ita prorsus respondet facturum Romanus. nec pro trãsfugis habiturum, qui nõn duxerint societatem ratam, vbi nec diuini quicquam, nec humani sanctum esset. Productæ deinde in conspectum eius coniuges, liberíque lacrymantibus gaudio redduntur: atque eo die in hospitium abducti. Postero die fœdere accepta fides, dimissique ad copias adducendas. Iisdem deinde in castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem peruentum est. Proximus Carthaginiésium exercitus Asdrubalis prope vrbem Betulam erat. pro castris equitum stationes habebat. In eas velites, antesignanique, & qui primi agminis erant, aduenientes ex itinere, prius quam castris locum caperent, adeo contemtim impetum fecerunt, vt facile appareret quid vtrique parti animorum esset. In castra trepida fuga compulsi equites sunt, signáque Romana portis prope ipsis illata. Atque illo quidem die irritatis tantum ad certamen animis, castra Romani posuerunt. Nocte Asdrubal in tumulum copias recepit, plano campo in summo patentem ? fluuius ab tergo, ante circáque velut ripa præceps oram eius omnem cingebat. suberat & altera inferior summissa fastigio planicies, eã quoque altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. In hunc inferiorem campum postero die Asdrubal, postquam stanté pro castris hostium aciem vidit: equites Numidas, leuiúque armorum Baleares, & Afros demisit. Scipio circumuectus ordines signáque, ostendebat hostem, prędam nata spe æquo dimicandi campo, captantem tumulos loci fiducia, non virtutis aut armorum stare in conspectu, sed altiora mœnia habuisse Carthaginem, quæ transcédisset miles Romanus. nec tumulos, nec arcem ne mare quidem armis obstitisse suis. ad id fore altitudines, quas cepissent, hostibus, vt per præcipitia & prærupta salientes fugerent: eam quoque se illis fugam clausurum. Cohortésque duas, alteram tenere fauces vallis, per quam defertur amnis, iubet: alteram viam insidere, quæ ab vrbe per tumuli obliqua in agros ferret, ipse expeditos, qui pridie stationes hostium pepulerant, ad leuem armaturam infimo stanté supercilio ducit. Per aspetra primum, nihil aliud quàm via impediti iére: deinde vt sub iactum venerunt telorum, primo omnis generis vis ingens effusa est in eos. ipsi contra saxa, quæ locus strata passim omnia fermè missilia prębet, ingerere. non milites solum, sed etiam turba calonum immista armatis. Ceterùm quanquam ascensus difficilis erat, & prope obruebantur telis saxísque, assuetudine tamen succedendi muros & pertinacia animi subierunt primi. Qui simul cepere aliquid æqui loci, vbi firmo consisterent gradu, leuem & concursatorem hostem, atque interuallo tutum cùm procul missilibus pugna eluditur, instabilem eundem ad cominus conserendas manus expulerunt loco: & cæde magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere. Inde Scipio iussis aduersus mediam euadere aciem victoribus, cæteras copias cum Lælio diuidit: atque eum parte dextra tumuli circumire, donec mollioris ascensus viam inueniret, iubet. ipse ab læua circuitu haud magno in transuersos hostes incurrit. inde prima turbata acies est, dum ad circumsonantem vndique clamorem flectere cornua, & obuertere ordines volunt. Hoc tumultu & Lælius subiit. & dum pedem referunt, ne ab tergo vulnerarentur, laxata prima acies, locúsque ad euadendum & mediis datus est: qui per tam iniquum locum stantibus integris ordinibus, elephantísque ante signa locatis, nunquam euasissent. Cum ab omni parte cædes fierent, Scipio, qui læuo cornu in dextrum incurrerat, maximè in nuda hostium latera pugnabat. Et iam ne fugæ quidem patebat locus. nam & stationes vtrinque Romanæ, dextra læuáque insederant vias: & portam castrorum ducis principúmque fuga clauserat, addita trepidatione elephantorum, quos territos æquè atque hostes timebant. Cæsa igitur ad octo millia hominum Asdrubal iam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantísque præmissis,

pręmissis,quàm plurimos poterat de fuga excipiens, A præter Tagũ flumẽ ad Pyrænæũ tẽdit. Scipio castris hostium potitus cũ preter libera capita omnem prędam militibus cõcessisset, in recẽsenpis captiuis decem millia peditum, duo millia equitum inuenit. ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit, Afros vendere quęstorem iussit. Circumfusa inde multitudo Hispanorum & antè deditorum,& pridie captorum, regem eum ingenti consensu appellauit. Tum Scipio silentio per præconem facto, sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites B sui appellassent. regium nomen alibi magnum, Romæ intolerandum esse, regalem animum in se esse. si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite iudicarent, vocis vsurpatione abstinerent. Sensere etiam barbari magnitudinem animi, cuius miraculo nominis alij mortales stuperent, id ex tam alto fastigio aspernantis. Dona inde regulis principibúsque Hispanorum diuisa, & ex magna copia captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem iussit. Cùm Afros venderet iussu im- C peratoris quæstor, puerum adultum inter eos forma insigni, cum audisset regij generis esse, ad Scipionem misit. quem cũ percunctaretur Scipio, quis, & cuias, & cur id ætatis in castris fuisset? Numidam se lacrymans esse ait. Massiuã populares vocare. orbum à patre relictum, apud maternum auum Galam regem Numidarum educatum. cum auunculo Masanissa, qui nuper cũ equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam traiecisse. prohibitum propter ætatem à Masanissa, nunquam ante D prælium iniisse. eo die se, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio auunculo clam armis equóque sumpto in aciem exisse ibi prolapso equo effusum in preceps, captum ab Romanis esse. Scipio cùm asseruari Numidam iussisset: quæ pro tribunali agenda erant, peragit. Inde cùm se in prætorium recepisset, vocatum eum interrogat, velléτne ad Masanissam reuerti? Cum effusis gaudio lacrymis, cupere verò diceret, tum puero annulum aureum, tunicam lato E clauo cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equumque ornatum donat: iussisq; prosequi quoad vellet equitibus, dimisit. De bello inde consilium habitum. & auctoribus quibusdam vt confestim Asdrubalem persequeretur, anceps id ratus, ne Mago atque Asdrubal cum eo iungerent copias, præsidio tantum ad insidendum Pyrenæum misso, ipse reliquum æstatis recipiendis in fidem Hispaniæ populis absumsit. Paucis post prælium factum ad Betulam diebus, cùm Scipio rediens iam Tarraconem, saltu Castulonensi excessisset: Asdrubal Gisgonis filius & F Mago imperatores ex vlteriore Hispania ad Asdrubalem venere, serum post malè gestam rem auxilium, consilio in cetera exsequenda belli haud parum opportuni. Ibi conferentibus quid in cuiusque prouinciæ regione animorum Hispanis esset, vnus Asdrubal Gisgonis vltimam Hispaniæ oram, quæ ad Oceanum & Gades vergit, ignaram adhuc Romanorum esse, eóque Carthaginiensibus satis fidam censebat. Inter Asdrubalem alterum & Magonem constabat beneficiis Scipionis occupatos omnium G animos publicè priuatimque esse? nec transitionis finem ante fore, quàm omnes Hispani milites aut in vltima Hispaniæ amoti, aut traducti in Galliam forẽt. Itaque etiam si senatus Carthaginiensium nõ censuisset, eundum tamen Asdrubali fuisse in Italiam, vbi belli caput & summa esset simul vt Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex Hispania abduceret, exercitum eius cum transitionibus, tum aduerso prælio imminutum Hispanis repleri militibus. Et Magonem, Asdrubali Gisgonis filio tradito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda mercede auxilia in Baleares traiicere. Asdrubalem Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abire: nec cum Romano manus cõserere. Masanissæ ex omni equitatu quod roboris esset, tria millia equitum expleri: eúmque vagum per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hostium oppida atque agros populari. His decretis, ad exsequenda quæ statuerant duces digressi. Hæc eo anno in Hispania acta. Romæ fama Scipionis indies crescere. Fabio Tarentum captum astu magis quàm virtute, gloria tamen esse, Fuluij senescere famam. Marcellus etiam aduerso rumore esse, super quàm quòd primò malè pugnauerat. quia vagante per Italiam Annibale, media æstate Venusiam in tecta milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus plebis. Is iã à prima pugna, quæ aduersa fuerat, assiduis concionibus infamem inuisumque plebi Claudium fecerat: & iam de imperio abrogando eius agebat: cum tamen necessarij Claudij obtinuerunt, vt relicto Venusiæ legato Marcellus Romam venire, ad purganda ea quæ inimici obiicerent, nec de imperio eius abrogando absente ipso ageretur. Forte sub idem tempus & Marcellus ad deprecandam ignominiam, & Q. Fuluius consul comitiorum caussa Romam venit. Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio est, ingenti concursu plebisque & omnium ordinum. Accusauit tribunus plebis non Marcellum modo, sed omnem nobilitatem. Fraude eorum & cunctatione fieri, vt Annibal decimum iam annum Italiam prouinciam habeat, diutius ibi quàm Carthagine vixerit. habere fructum imperij prorogati Marcello populum Romanum. bis cęsum exercitũ eius æstiua Venusiæ sub tectis agere. Hàc tribuni orationem ita obruit Marcellus commemoratione rerum suarum, vt non rogatio solum de imperio eius abrogando antiquaretur, sed postero die consulem eum ingenti consensu centuriæ omnes crearent. Additur collega T. Quintius Crispinus, qui tum prætor erat. Postero die prætores creati P. Licinius Crassus Diues, Pon. max. P. Licinius Varus, Sex. Iulius Cæsar, & Q. Claudius Flamen. Comitiorũ ipsorum diebus solicita ciuitas de Hetrurię defectione fuit. Principium eius rei ab Arretinis fieri, C. Calpurnius scripserat, qui eam prouinciam proprætor obtinebat. Itaque confestim eò missus Marcellus consul designatus, qui rem inspiceret, ac si digna videretur, exercitus accito bellum ex Apulia in Hetruriam transferret. Eo metu compressi Hetrusci quieuerunt. Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate ac legibus suis, responsum ab senatu est, vt redirent, cùm Fabius consul Romam venisset. Ludi & Romani & plebeij eo anno in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus, & Ser. Sulpitius Galba, plebeij. C. Seruilius, & Q. Cæcilius Metellus. Seruilium negabant iure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilẽ esse, quod patrem eius, quem triumuirum agrarium occisum à Boiis circa Mutinam esse, opinio per decem annos fuerat, viuere atque in hostium potestate esse satis constabat. Vndecimo anno Punici belli cõsulatum inierunt M. Marcellus quintum (vt numeretur consulatus, quem vitio creatus non gessit) & T. Quintius Crispinus. Vtrique consulum Italia decreta prouincia est, & duo consulum prioris anni exercitus: tertius tum erat Venusiæ, cui M. Marcellus pręfuerat: ita vt ex tribus eligerent duos quos vellent, tertius ei traderetur, cui Tarẽtum & Salentini prouincia euenisset. Ceteræ prouinciæ ita diuisæ prætoribus, P.

Licinio Varo vrbana: P. Licinio Crasso Pont.Max. peregrina,& quo senatus censuisset: Sex.Iulio Cæsari Sicilia: Q.Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum imperium in annum est Q.Fuluio Flacco, vt prouinciam Capuam, quæ T.Quintij prætoris fuerat, cum vna legione obtineret. Prorogatum & C.Hostilio Tubulo est, vt proprætor in Hetruriá ad duas legiones succederet C.Calpurnio. Prorogatum & L. Veturio Philoni est, vt proprætor Galliam eandem prouinciam cum iisdem duabus legionibus obtineret: quibus prætor obtinuisset. Quod in L.Veturio, idem in C.Aurunculeio decretum, ab senatu, latúmque de prorogando imperio ad populum est, qui prætor Sardiniam prouinciam cum duabus legionibus obtinuerat. additæ ei ad præsidium prouinciæ quinquaginta longæ naues, quas P.Scipio ex Hispania misisset. Et P.Scipioni, & M.Syllano suæ Hispaniæ, suique exercitus in annum decreti Scipio ex octuaginta nauibus, quas aut secum ex Italia adductas, aut captas Carthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam transmittere iussus: quia fama erat, magnum naualem apparatum eo anno Carthagine esse: CC. nauibus omnem oram Italiæ, Siciliæque ac Sardiniæ impleturos. Et in Sicilia ita diuisa res est. Sex.Cæsari exercitus Cannensis est datus: M.Valerius Læuinus (ei quoque enim in annum prorogatum imperium est) classem quæ ad Siciliam erat, nauium LXX. obtineret, adderet eo XXX. naues, quæ ad Tarentum priore anno fuerant, cum ea C. nauium classe, si videretur ei, prædatum in Africam traiiceret: & P.Sulpitio, vt eadem classe Macedoniam Græciamque prouinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus quæ ad vrbem Romam fuerant legionibus nihil mutatum. Supplementum, quo opus esset, vt scriberent, consulibus permissum. Vna & viginti legionibus eo anno defensum imperium Romanum est. Et P. Licinio Varo prætori vrbano negotium datum, vt naues longas XXX. veteres reficeret, quæ Hostiæ erant, & viginti nouas naues, sociis naualibus compleret, vt quinquaginta nauium classe oram maris vicinam vrbi Romæ tueri posset. C. Calpurnius vetitus ab Arretio mouere exercitum, nisi cùm successor venisset. Idem & Tubulo imperatum, vt inde præcipuè caueret, ne qua noua consilia orirentur. Prætores in prouincias profecti. Consules religio tenebat, quod prodigiis aliquot nuntiatis, non facile litabant. Ex Campania nuntiata erant, Capuæ duas ædes, Fortunæ & Martis, & sepulcra aliquot de cœlo tacta: cum iis (adeo minimis etiam rebus praua religio inserit deos) mures in æde Iouis aurum rosisse: Cassini examen apum ingens in foro consedisse: & Hostiæ murum, portámque de cœlo tactam: Cære vulturium volasse in ædem Iouis: Vulsiniis sanguine lacum manasse. Horum prodigiorum caussa diem vnum supplicatio fuit. Per dies aliquot hostiæ maiores sine litatione cæsæ, diúque non impetrata pax deûm, in capita consulum, repub. incolumi, exitiabilis prodigiorum euentus vertit. Ludi Apollinares Q. Fuluio, App.Claudio Coss. à P.Cornelio Sulla prætore vrbis primum factæ erant. inde omnes deinceps prætores vrbani fecerant: sed in vnum annum vouebant, diéque incerta faciebant. Eo anno pestilentia grauis incidit in vrbem, agrósque, quæ tamen magis in longos morbos quàm in perniciales euasit. Eius pestilentiæ caussa & supplicatum per compita tota vrbe est, & P.Licinius Varus Prætor vrbanus legem ferre ad populum iussus, vt hi ludi in perpetuum in statam diem vouerentur. Itaque ipse primus ita vouit, fecitque ad III. Nonas Quintiles, is dies deinde solemnis seruatus. De Arretinis & fama in dies grauior, & cura crescere patribus. Itaq. C.Hostilio scriptum est, ne differret obsides ab Arretinis accipere, cui traderet Romá deducendos, C. Terentius Varro cum imper. omissus: qui vt aduenit, extemplo Hostilius legionum vnam, quæ ante vrbem castra habebat, signa in vrbem ferre iussit, præsidiaque locis idoneis disposuit. tum in foro citatis senatoribus obsides imperauit. Cùm senatus biduum ad considerandum peteret tempus, aut ipsos extemplo dare, aut se postero die senatorum omnes liberos sumturum, edixit. Inde portas custodire iussit tribunos militum, præfectósque socium, & centuriones, ne quis nocte vrbe exiret. Id segnius negligentiúsque factum. Septem principes senatus, prius quàm custodiæ in portis locarentur, ante noctem cum liberis euaserunt. Postero die luce prima cùm senatus in forum citari cœptus esset, desiderari, bonaque eorum vænierunt. à cæteris senatoribus CXX. obsides liberi ipsorum accepti, traditique C.Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quàm antè fuerát, in senatu fecit. Itaque tanquam imminente Hetrusco tumultu, legionem alteram ex vrbanis Arretium ducere iussus ipse C. Terentius, eámque habere in præsidio vrbis. C.Hostilium cum cetero exercitu placuit totam prouinciam peragrare, & cauere ne qua occasio nouare cupientibus res daretur. C.Terentius vt Arretium cum legione venit, claues portarum cùm magistratus poposcisset, negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quàm negligentia intercidisse, ipse alias claues omnibus portis imposuit, cauitque cum cura, vt omnia in potestate sua essent. Hostilium intentiùs monuit, vt in eo spem non moturos quicquam Hetruscos poneret, si ne quid mouere possent, precauisset. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum coram Fabio, defendente ipso quos ceperat armis, aliis infensis, & plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ, pœnæque S.C. in sententiá M.Acilij factum est, vt oppidum præsidio custodiretur, Tarentinique omnes intra mœnia continerentur: res integra postea referretur, cùm tranquillior status Italiæ esset. & de M. Liuio præfecto arcis Tarentinæ haud minore certamine actum est, aliis sententiis notantibus præfectum, quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset. aliis præmia decernentibus quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximéque vnius eius opera receptum Tarentum foret: mediis ad censores, non ad senatú cognitionem de eo pertinere dicentibus. cuius sententiæ & Fabius fuit. adiecit tamen, fateri se opera Liuij Tarentum receptum, quod amici eius vulgo in senatu iactassent. neque enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret. Consulum alter T. Quintius Crispinus ad exercitum, quem Q.Fuluius Flaccus habuerat, cú supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliæ atque aliæ obiectæ animo religiones tenebant, in quibus, quod cum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vouisset, dedicatio eius à pontificibus impediebatur: quod negabant viam cellam amplius quàm vni deo rite dedicari: quia si de cœlo tacta, aut prodigij aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quod vtri deo diuina res fieret, sciri non posset. neque enim duobus, nisi certis deis. rite vna hostia fieri. Ita addita Virtutis ædes approperato opere. neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt. Tum demum ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento proficiscitur. Locros in Brutiis Crispinus oppugnare conatus, quia magnam famam attulisse Fabio Tarentum

tum ferebatur. omne genus tormentorum, machinarúmque ex Sicilia accersierat: & naues indidem accitæ erant, quæ vergentem ad mare partem vrbis oppugnarent. Ea omissa oppugnatio est, quia Lacinium Annibal admouerat copias: & collegam eduxisse iam à Venusia exercitum fama erat, cui coniungi volebat. Itaque in Apuleiam ex Brutiis reditum, & inter Venusiam Brutiámque minus trium millium passuum interuallo consules binis castris consederant. In eandem regionem & Annibal rediit, auerso ab Locris bello. Ibi consules ambo ingenio feroces prope quotidie milites in aciem excire haud dubia spe, si duobus exercitibus consularibus iunctis commisisset sese hostis, debellari posse. Annibal quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat, victúsque erat: vt cum eodem si dimicandum foret, nec spem nec metum ex vano haberet: ita duobus consulibus haud quaquam sese parem futurum credebat. itaque totus in suas artes versus, insidiis locum quærebat. Leuia tamen prælia inter bina castra vario euentu fiebant, quibus cum extrahi æstatem posse consules crederent, nihilominus oppugnari Locros posse rati, L. Cincio, vt ex Sicilia Locros cum classe traiiceret, scribunt. Et vt ab terra quoque oppugnari mœnia possent, ab Tarento partem exercitus qui in præsidio erat, duci eo iusserunt. Ea ita futura per quosdam Thurinos comperta Annibali cum essent, mittit ad insidendam ab Tarento viam. Ibi sub tumulo Petelliæ equitum duo, peditum tria millia in occulto locata: in quæ inexplorato euntes Romani cum incidissent, ad duo millia armatorum cæsa, & mille & CC. ferme viui capti. alij dissipati fuga per agros saltúsque Tarentum rediere. Tumulus erat syluestris inter Punica & Romana castra, ab neutris primo occupatus: quia Romani qualis pars eius, quæ vergeret in hostium castra, esset, ignorabant. Annibal insidiis, quàm castris aptiorem eum crediderat. itaque nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas medio in saltu condiderat, quorum interdiu nemo ab statione mouebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. Fremebant vulgo in castris Romanis, occupandum eum tumulum esse, & castello firmandum: ne, si occupatus ab Annibale foret, velut in ceruicibus haberent hostem. Mouit ea res Marcellum, & collegæ: Quin imus, inquit, ipsi cum equitibus paucis exploratum? subiecta res oculis certius dabit consilium. Adsentiente Crispino, cum equitibus ducentis & viginti, ex quibus XL. Fregellani, ceteri Hetrusci erant, proficiscuntur. Secuti M. Marcellus consulis filius, & A. Manlius, tribuni militùm, simul & duo præfecti socium, L. Arennius, & M. Aulius. Immolasse eo die quidã memoriæ prodidere cõsulem Marcellum: & prima hostia cæsa, iecur sine pite inuentum: in secunda omnia comparuisse quæ assolent. Auctum etiam visum in capite: nec id sanè aruspici placuisse, quod secundum trunca & turpia exta, nimis læta apparuissent. Ceterum consulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Annibale, vt nunquam satis castra castris collata diceret. Tum quoque vallo egrediens signum dedit, vt ad locum miles esset paratus: si collis in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent, ac sequerentur. Exiguum campi ante castra erat, inde in collem aperta vndique & conspecta ferebat via. Numidis speculator nequaquam in spem tantæ rei positus, sed si quos vagos pabuli aut lignorum caussa longius à castris progressos possent excipere, signum dat, vt pariter ab suis quisque latebris exorirentur. Non antè apparuere quib. obuiis ab iugo ipso

A consurgendum erat, quàm circumiere qui ab tergo intercluderent viam. Tum vndique omnes exorti, & clamore sublato impetum fecere. Cúm in ea valle consules essent, vt neque euaderent in iugum occupatum ab hoste, nec receptum ab tergo circumuenti haberent: extrahi tamen diutius certamen potuisset, ni cœpta ab Hetruscis fuga pauorem ceteris iniecisset. non tamen omisere pugnam deserti ab Hetruscis Fregellani, donec integri consules hortando, ipsique ex parte pugnando rem sustinebant. Sed

B postquam vulneratos ambos consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, tum & ipsi (perpauci autem superant) cum Crispino consule duobus iaculis icto, & Marcello adolescente, saucio & ipso, effugerunt. Interfectus A. Manlius tribunus militum: & ex duobus præfectis socium M. Aulius occisus: L. Arennius captus. & lictores consulum quinque viui in hostium potestatem venerunt. cæteri aut interfecti, aut cum consule effugerunt. equites tres & XL. aut

C in prælio, aut in fuga ceciderunt: duodeviginti viui capti. Tumultuarum & id castris fuerat, vt consulibus irent subsidio: cum consulem, & filium alterius consulis saucios, exiguásque infelicis expeditionis reliquias ad castra venientes cernunt. Mors Marcelli cum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro ætate (maior iam enim LX. annis erat) neque pro veteris prudentia ducis, tam improuidè se collegâmque & prope totam rempublicam in præceps dederat. Multos circa vnam rem am-

D bitus fecerim, si quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. Vt omittam alios: L. Cælius triplicem gestæ rei ordinem edit: vnam traditam fama: alteram scripta laudatione filij: qui rei gestæ interfuerit: tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Ceterum ita fama variat, vt tamen plerique loci speculandi caussa castris egressum, omnes insidiis circumuentum tradant. Annibal magnum terrorem hostibus morte consulis vnius, vulnere alterius, iniectum esse ratus, ne cui

E deesset occasioni, castra in tumulum, in quo pugnatum erat, extemplo transfert. ibi inuentum Marcelli corpus sepelit. Crispinus & morte collegæ, & suo vulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est montes, in iis loco alto & tuto vndique castra posuit. Ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam, alter ad cauendam fraudem. Annulo Marcelli simul cum corpore Annibal potitus erat eius signi errore ne qui dolus necteretur à Pœno, metuens Crispinus,

F circa ciuitates proximas miserat nuntios, occisum collegam esse, annulóque eius hostem potitum: ne quibus literis crederent nomine Marcelli compositis. Paulo ante hic nuntius consulis Salapiam venerat, quàm literæ ab Annibale allatæ sunt, Marcelli nomine compositæ: se nocte quæ diem illum secutura esset, Salapiam venturum: parati milites essent, qui in præsidio erant, si quo opera eorum opus esset. Sensere Salapiani fraudem: & ab ira non defectionis modo, sed etiam equitum interfectorum

G rati occasionem supplicij peti, remisso retro nuntio, (perfuga autem Romanus erat) vt sine arbitrio milites quæ vellent agerent, oppidanos per muros vrbisque opportuna loca in stationibus disponunt: custodias, vigiliasque in eam noctem intentius instruunt: circa portam qua venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat, opponunt. Annibal quarta vigilia ferme ad vrbem accessit. Primi agminis erant perfugæ Romanorum, & arma Romana habebant. ij vbi ad portam est ventum, latinè

quoque qui reliqui erant, celebritatē quātęcunque d. Romanis tum victoriæ partæ fama auxerat: lætitiaq. ingēti celebrati festi dies. eo magis etiam, quod populariter dempto capitis insigni, purpura atque alio regio habitu, æquauerat cæteris se in speciē: quo nihil gratius est ciuitatibus liberis. Præbuissétque haud dubiam eo facto spem libertatis, nisi omnia intolerāda libidine fœda ac deformia effecisset. vagabatur enim cū vno aut altero comite per maritimas domos dies noctésque: & submittēdo se in priuatū fastigium, quo minus suspectus, eo solutior erat: & libertatem cùm aliis vanam ostendisset, totā in suā licentiam verterat. Neque enim omnia emebat aut eblandiebatur, sed vim etiam flagitiis adhibebat: periculosúmque & viris & parentibus erat, moram incommoda seueritate libidini regiæ fecisse. vni etiā principi Achæorum Arato ademta vxor nomine Polycratia, ac spe regiarum nuptiarū in Macedoniam asportata fuerat. Per hæc flagitia solemni Nemeorū peracto: paucísque additis diebus, Dymas est profectus ad præsidium Ætolorum, quod ab Eleis accitum acceptumque in vrbem erat, eiiciendum. Cycliadas (penes eum summa imperij erat) Achæique ad Dymas regi occurrere, & Eleorum accensi odio, quod à ceteris Achæis dissentirent: & infensi Ætolis, quos Romanum quoq. aduersus se mouisse bellū credebant. Profecti à Dymis coniuncto exercitu transeunt Larissum amnem, qui Eleum agrum ab Dymeo dirimit. Primum diem quo fines hostium ingressi sunt, populando absumserunt. Postero die acie instructa ad vrbem accesserunt, præmissis equitibus, qui obequitando portis promtum ad excursiones genus lacesserent Ætolorum. Ignorabant Sulpitium cum quindecim nauibus ab Naupacto Cyllenem traiecisse: & expositis in terram quatuor millibus armatorum silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse Elim. Itaque improuisa res ingentem iniecit terrorem: postquam inter Ætolos Eleósque Romani signa atque arma cognouere. Et primò recipere suos voluerat rex: dein contracto iam inter Ætolos & Triballos (Illyriorum id genus est) certamine, cum vrgeri videret, suos, & ipse rex cū equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo traiectus, cum prolapsum per caput regem effudisset, atrox pugna vtrinque accensa est: & ab Romanis impetu in regem facto, & protegentibus regiis. Insignis & ipsius pugna fuit, cum pedes inter equites coactus esset prælium inire. deinde cum iā impar certamen esset, cadéréntque circa eum multi, & vulnerarentur: raptus ab suis, atque alteri equo iniectus fugit. Eo die castra quinque millia passuum ab vrbe Eleorum posuit. postero die omnes copias ad propinquū Eleorum castellum (Pyrgum vocant) duxit, quò agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat. eam inconditam inermémque multitudinem primo statim terrore adueniens cepit: compensauerátque ea præda, quod ignominiæ ad Elim acceptum fuerat. Diuidenti prædam, captiuósque (fuerunt autem quatuor millia hominum, pecorúmque omnis generis ad viginti millia) nuncius ex Macedonia venit, Eropum quendam corrupto arcis præsidiique præfecto, Lychnidum cepisse: tenere & Dassaretiorum quosdam vicos, & Dardanos etiam concire. Omisso igitur Achaico atque Ætolico bello, relictis tamen duobus millibus & quingentis omnis generis armatorum, cum Menippo & Polyphante ducibus ad præsidium sociorum profectus ab Dymis per Achaiam Bœotiámq. & Eubœidem, decimis castris Demetriadem in Thessaliam peruenit. Ibi alij maiorem

A afferentes tumultum nuncij occurrunt: Dardanos in Macedoniam effusos, Orestidem iam tenere, ac descendisse in Æstræum campum: famámque inter Barbaros celebrem esse, Philippum occisum. Expeditione ea qua cum populatoribus agri ad Sycionē pugnauit: in arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit: id inuentum ab Ætolo quodam, perlatúmque in Ætoliam ad Scerdiletum, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgauit. Post profectionem ex Achaia Philippi, Sulpitius Æginā classe profectus B cum Attalo sese coniunxit, Achæi cū Ætolis, Eleisq. haud procul Messene prosperam pugnam fecerunt. Attalus rex, & P. Sulpitius Æginæ hybernarunt. Exitu huius anni T. Quintius Crispinus consul, dictatore comitiorum ludorumque faciendorum caussa dicto L. Manlio Torquato, ex vulnere moritur. Alij Tarenti, alij in Campania mortuum tradūt. Id quod nullo antè bello acciderat: duo consules sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempubl. reliquerant. Dictator Manlius magistrū equitum C. Ser- C uiliū (qui tum ędilis curulis erat) dixit. Senatus quo die primum est habitus, ludos magnos facere dictatore iussit: quos M. Æmylius prætor vrbanus C. Flaminio, Cn. Seruilio consulibus fecerat, & in quinquennium vouerat. Tum dictator & ludos fecit, & insequēs lustrū vouit. Ceterū cū duo cōsulares exercitus tam prope hostē sine ducibus essent: omnibus aliis omissis, vna præcipua cura Patres populumque incessit, cōsules primo quoque tempore creandi: & vt eos potissimum crearent, quorum virtus satis tu- D ta à fraude Punica esset. Cū toto eo bello damnosa præpropera ac feruida ingenia imperatorum fuisse, tum eo ipso anno consules nimia cupiditate conserendi cum hoste manum, in nec opinatam fraudem lapsos esse. ceterum deos immortales misertos nominis Romani, pepercisse innoxiis exercitibus, temeritatem consulum ipsorum capitibus damnasse. Cùm circumspicerent Patres, quosdam consules facerent: longè ante alios eminebat C. Claudius Nero: ei collega quærebatur, & virū quidę eum egregium E ducebant: sed promtiorem acrioremque quàm tempora belli postularent, aut hostis Annibal. temperādum acre eius ingenium moderato & prudenti viro adiuncto collega cēsebant. M. Liuius erat multis antè annis ex consulatu populi iudicio damnatus, quàm ignominiam adeo ægrè tulerat, vt & rus migrarit, & permultos annos & vrbe, & omni cœtu caruerit hominū. octauo fermè post damnationem anno M. Claudius Marcellus, & M. Valerius Læuinus F consules reduxerant eum in vrbem. sed erat veste obsoleta, capilloque & barba promissa, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominię acceptæ. L. Veturius, & P. Licinius censores eū tondere, & squalorem deponere, & in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coegerunt. sed tū quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat: donec cognati hominis eum caussa M. Liuij Macati, cùm de fama eius ageretur, stantem coegit in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto interuallo auditus conuertit ora hominū in se caus- G samq; sermonibus præbuit, indigno iniuriam à populo factam, magnóque id damno fuisse, quod tam graui bello nec opera nec consilio talis viri vsa respublica esset. C. Neroni neque Q. Fabium, neque M. Valerium Læuinū dari collegas posse: quia duos Patricios creari nō liceret. eandem caussam in T. Manlio esse: præterquā quod recusasset delatum consulatum, recusaturúsque esset. egregium par consulum fore, si M. Liuium C. Claudio collegam adiun-

decemuiri coronati laurea, prætextatique, à porta Iugario vico in forum venere. in foro pompa constitit. & per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. inde vico Tusco, Velabroque per Boarium forum in cliuum Publicum, atque ædem Iunonis reginæ perrectum. ibi duæ hostiæ ab decemuiris immolatæ, & simulacra cupressea in ædem illata. Diis ritè placatis, delectum consules habebant acrius intentiúsque, quam prioribus annis quisquam meminerat habitum. nam & belli terror duplicatus noui hostis in Italiam aduentu: & minus iuuentutis erat, vnde scriberent milites. itaque colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recusantibus edixere in diem certam, vt quo quisque iure vacationem haberet, ad senatum deferret. Ea die hi populi ad senatum venerunt: Hostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & à supero mari Senensis. Cùm vacationes suas quisque populus recitaret, nullius, cum in Italia hostis esset, præter Antiatem Hostiensémque, vacatio obseruata est. & earum coloniarum iuniores iureiurando adacti, supra quadraginta non pernoctaturos se esse extra mœnia coloniæ suæ, donec hostis in Italia esset. Cùm omnes censerent, primo quoque tempore consulibus eundum ad bellum (nam & Asdrubali occurrendum esse descendenti ab Alpibus, ne Gallos cisalpinos, néve Hetruriam erectam in spem rerum nouarum solicitaret: & Annibalem suo proprio occupandum bello, ne emergere ex Brutiis, atque obuiam fratri ire posset) Liuius cunctabatur, parum fidens suarum prouinciarum exercitibus: collegam ex duobus consularibus egregiis exercitibus, & tertio cui Q. Claudius Tarenti præesset, electionem habere, intuleratque mentionem de Volonibus reuocandis ad signa. Senatus liberam potestatem COSS. fecit, & supplendi vnde vellent: & eligendi de omnibus exercitibus quos vellent, permutandique: & ex prouinciis, quos è republica censerent esse, traducendi. Ea omnia cum summa concordia consulum acta. Volones in vndevicesimam & vicesimam legiones scripti. magni roboris auxilia ex Hispania quoque à P. Scipione Liuio missa quidam ad id bellum auctores sunt, octo millia Hispanorum Gallorúmque, & duo millia de legionibus militum, equitum ad mille octingentos, mistos Numidas Hispanósque. M. Lucretium has copias nauibus aduexisse: & sagittariorum funditorúmque ad quatuor millia ex Sicilia C. Manlium misisse. Auxerunt Romæ tumultum literæ ex Gallia missæ ab L. Porcio prætore: Asdrubalem mouisse ex hybernis, & iam alpes transire: octo millia Ligurum conscripta, armataque: coniuncturaque se transgresso in Italiam esse, nisi mitteretur in Ligures qui eos bello occuparet. se cum inualido exercitu, quoad tutum putaret, progressurum. Hæ literæ consules raptim confecto delectu maturius quàm constituerant, exire in prouincias coegerunt: ea mente, vt vterque hostem in sua prouincia contineret, neque coniungi, aut conferre in vnum vires pateretur. Plurimum in eam rem adiuuit opinio Annibalis: quod & si ea æstate transiturum in Italiam fratrem crediderat, recordando quæ ipse in transitu nunc Rhodani nunc Alpium, cũ hominibus locisque pugnando per quinque menses exhausisset, haudquaquam tam facilem maturúmque transitum exspectabat. eà tardius mouendi ex hybernis caussa fuit. Ceterum Asdrubali & sua, & aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuere. non enim receperunt modo Aruerni eum,

A deincépsque aliæ Gallicæ atque Alpinæ gentes, sed etiam secutæ sunt ad bellum. & cum per munita pleraque transitu fratris, quæ antea inuia fuerant, ducebat: tum etiam duodecim annorum assuetudine peruiis Alpibus factis, inter mitiora iam hominum transibat ingenia. insuetati namque antea alienigenis, nec videre ipsi aduenam in sua terra assueti, omni genere humano insociabiles erant, & primo ignari quò Pœnus pergerat, suas rupes suáque castella, & B pecorum hominúmque prædam peti crediderant. fama deinde Punici belli, quo duodecimum annum Italia vrebatur, satis edocuerat, viam tantum Alpes esse: duas prævalidas vrbes, magno inter se maris terrarúmque spatio discretas, de imperio & opibus certare. Hæ caussæ aperuerant Alpes Asdrubali. Ceterũ quod celeritate itineris profectum erat, id mora ad Placentiam, dum frustra obsidet magis quam oppugnat, corrupit. Crediderat campestris oppidi facilem C expugnationem esse: & nobilitas coloniæ induxerat eum, magnum se excidio eius vrbis terrorem ceteris iniecturum. Non ipse se solum ea oppugnatione impediit, sed Annibalem post famam transitus eius tanto spe sua celeriorem, iam mouentem ex hybernis, continuerat: quippe reputantem non solum quàm lenta vrbium oppugnatio esset, sed etiam quã ipse frustra eandem illam coloniam ad Trebia victor regressus tentasset. Consules diuersis itineribus profecti ab vrbe, velut in duo pariter bella distende- D rant curas hominum, simul recordantium quas primus aduentus Annibalis intulisset Italiæ clades: simul, cum illa angeret cura, quos tam propitios vrbi atque imperio fore deos, vt eodem tempore vtrobique respublica prosperè gereretur. aduersa secundis pensando, rem ad id tempus extractam esse. cum in Italia ad Thrasymenum & Cannas præcipitasset Romana respublica, prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse. postea cum in Hispania alia super aliam clades duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset, secunda in Italia Si- E ciliaque gesta quassatam rempublicam excepisset: & ipsum interuallum loci, quod in vltimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum. nunc duo bella in Italiam accepta, duos celeberrimi nominis duces circumstare vrbem Romam, & vnum in locum totum periculi molem, omne onus incubuisse. qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero iuncturum. Terrebat & proximus annus lugubris duorum consulum funeribus. His anxij curis homines digredientes in F prouincias consules prosecuti sunt. Memoriæ proditum est, plenum adhuc iræ in ciues M. Liuium ad bellum proficiscentem monenti Q. Fabio, ne priusquam genus hostium cognosset, temere manum cõsereret: respondisse, vbi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum. cũ quæreretur, quæ caussa festinandi esset: Aut ex hoste egregiam gloriam, inquit, aut ex ciuibus victis gaudium, meritum certè, & si non honestum, capiam. Priusquam Claudius consul in prouinciam perueniret, per extre- G mum finem agri Larinatis, ducentem in Salentinos exercitum Annibalem, cum expeditis cohortibus adortus C. Hostilius Tubulus incomposito agmini terribilem tumultum intulit. Ad quatuor millia hominum occidit, nouem signa militaria cepit. Mouerat ex hybernis ad famam hostis Q. Claudius, qui per vrbes agri Salentini castra disposita habebat. Itaque ne cum duobus exercitibus simul confligeret, Annibal, nocte castra ex agro Tarentino mouit, atque in Brutios concessit. Claudius in Salentinos agmen cõuertit. Hostilius Capuam petens, obuius ad

Venusiam fit Consuli Claudio. Ibi ex vtroque exercitu electa peditum quadraginta millia, duo millia & quingenti equites, quibus consul aduersus Annibalem rem gereret. reliquas copias Hostilius Capuam ducere iussus, vt Q. Fuluio proconsuli traderet. Annibal vndique contracto exercitu, quem in hybernis, aut in præsidiis agri Brutij habuerat, in Lucanos ad Grumentum venit, spe recipiendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecissent. eodem à Venusia consul Romanus exploratis itineribus contendit, & mille fere & quingentos passus castra ab hoste locat. Grumenti mœnibus prope iunctum videbatur Pœnorum vallum. quingenti passus erat inter castra Punica ac Romana. interiacebat campus, colles imminebant nudi, sinistro lateri Carthaginiensium, dextro Romanorum, neutris suspecti; quod nihil syluæ, neque ad insidias latebrarum habebant. In medio campo ab stationibus procursantes certamina haud satis digna dictu serebant. Id modo Romanum quærere apparebat, ne abire hostem pateretur. Annibal inde euadere cupiens, totis viribus in aciem descendebat. Tum consul ingenio hostis vsus, quo minus in tam apertis collibus timeri insidiæ poterant, quinque cohortes additis quinque manipulis, nocte iugum superare, & in auersis vallibus considere iubet: tempus exsurgendi ex insidiis, & aggrediendi hostem, T. Claudium Asellum tribunum militum, & P. Claudium præfectum socium edocet, quos cum iis mittebat. ipse luce prima copias omnes peditum equitúmque in aciem eduxit. Paulo post & ab Annibale signum pugnæ propositum est: clamórque in castris ad arma discurrentium est sublatus, inde eques, pedésque certatim portis ruere, ac palati per campum properare ad hostes. Quos vbi effusos consul videt, tribuno militum tertiæ legionis C. Aurunculeio imperat, vt equites legionis quanto maximo impetu possit, in hostem emittat. ita pecorum modo incompositos toto passim campo se fudisse, vt sterni opprimíque, priusquam instruantur, possint. Nondum Annibal è castris exierat, cum pugnantium clamorem audiuit. itaque excitus tumultu raptim ad hostem copias agit. Iam primos occupauerat equestris terror, peditum etiam prima legio, & dextra ala prælium inibant: incompositi hostes, vt quemque aut pediti aut equiti casus obtulit, ita conserunt manus. crescit pugna subsidiis, & procurrentium ad certamen numero augetur. pugnantésque (quod nisi in veteri exercitu, & duce vetere haud facilè est) inter tumultum ac terrorem instruxisset Annibal ni cohortium ac manipulorum decurrentium per colles clamor ab tergo auditus metum, ne intercluderenrur à castris, iniecisset. Inde pauor incussus: & fuga passim fieri cœpta est. minórque cædes fuit, quia propinquitas castrorum breuiorem fugam perculsis fecit. equites enim in tergo inhærebant: in transuersa latera inuaserant cohortes secundis collibus, via nuda ac facili decurrentes. tamen supra octo millia hominum occisa: supra septingentos capti: signa militaria nouem adempta: elephanti etiam, quorum nullus vsus in repentina ac tumultuaria pugna fuerat, quatuor occisi, duo capti. Romanorum sociorúmque ducenti ceciderunt. Postero die Pœnus quieuit. Romanus in aciem copiis eductis, posteaquam neminé signa contra efferre vidit, spolia legi cæsorum hostium, & suorum corpora collata in vnum sepeliri iussit. inde insequentibus cótinuis diebus aliquot ita institit portis, vt prope inferre signa videretur: donec Annibal tertia vigilia crebris ignibus tabernaculísque, quæ pars castrorum ad hostes vergebat, & Numidis pau-

A cis, qui in vallo portísque se ostenderent, relictis, profectus, Apuliam petere intendit. Vbi illuxit, successit vallo Romana acies: & Numidæ ex composito paulisper in portis se vallóque ostentauere: frustratique aliquandiu hostem, citatis equis agmen suorú assequuntur. Consul vbi silentium in castris, & ne paucos quidem qui prima luce obambulauerát, parte vlla cernebat: duobus equitibus speculatum in castra præmissis, postquam satis tuta omnia esse exploratum est, inferri signa iussit: tantúmque ibi moratus, dum milites ad prædam discurrunt: rece- B ptui deinde cecinit: multóque ante noctem copias reduxit. Postero die prima luce profectus, magnis itineribus famam & vestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem assequitur. Ibi quoque tumultuaria pugna fuit. supra duo millia Pœnorú cæsa. Inde nocturnis, montanísque itineribus Pœnus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit. Hanno inde (is enim præsidio eius loci præfuerat) in Brutios cum paucis ad exercitum nouum comparádum C missus. Annibal copiis ad suas additis, Venusiam retro quibus venerat itineribus repetit: atque inde Cannusium procedit. Nunquam Nero vestigiis hostis abstiterat. & Q. Fuluium, cum Metapontum ipse proficisceretur, in Lucanos, ne regio ea sine præsidio esset, accersierat. Inter hæc ab Asdrubale postquam à Placentiæ obsidione abscessit, quatuor Galli equites, duo Numidæ cum literis ad Annibalem missi, cum per medios hostes totam ferme longitudinem Italiæ emensi essent: dum Metapontum ce- D dentem Annibalem sequuntur, incertis itineribus Tarentum delati, à vagis per agros pabulatoribus Romanis ad Q. Claudium proprætorem deducuntur. Eum primo incertis implicantes responsis, vt metus tormentorum admotus fateri vera coegit, edocuerunt literas se ab Asdrubale ad Annibalé ferre. Cum iis literis, sicut erant, signatis, L. Virginio Tribuno militum ducendi ad Claudium consulem tradútur. duæ simul turmæ Samnitum præsidij caussa missæ. Qui vbi ad consulem peruenerunt, literæque lectæ per interpretem sunt, & ex captiuis per- E cunctatio facta: tum Claudius non id tempus esse reipublicæ ratus, quo consiliis ordinariis prouinciæ suæ quisque finibus per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu bellum gereret: audendum, ac nouandum aliquid improuisum, inopinatum, quod cœptum non minorem apud ciues, quàm hostes terrorem faceret, perpetratum in magnam lætitiam ex magno metu verteret: literis Asdrubalis Romam ad senatum missis, simul & ipse Patres conscriptos, F quid paret, edocet, vt cum in Vmbria se occursurum Asdrubal fratri scribat, legionem à Capua Romam accersant, delectum Romæ habeant, exercitum vrbanum ad Narniam hosti opponánt. Hæc senatui scripta. Præmissi item per agrum Larinatem, Marrucinum, Ferentanum, Prætutianum, quà exercitum ducturus erat, vt omnes ex agris vrbibúsque commeatus paratos militi ad vescédum in viam deferrent, equos iumentáque alia producerent, vt vehiculorum fessis copia esset. ipse de toto exercitu G ciuium, sociorúmque quod roboris erat, delegit, sex millia peditum, mille equites, pronunciat, occupare se in Lucanis proximam vrbem, Punicúmque in ea præsidium velle, vt ad iter omnes parati essent. profectus nocte flexit in Picenum. Et consul quidem, quantis maximis poterat itineribus, ad collegam ducebat, relicto Q. Tatio legato, qui castris præesset. Romæ haud minus terroris ac tumultus erat, quàm fuerat biennio ante, cum castra Punica obiecta Romanis mœnibus portísque fuerant. neque sa-

tis

iis constabat animis,tam audax iter consulis lauda- A
rent,vituperaréntne. apparebat(quo nihil iniquius
est) ex euentu famam habiturum. Castra prope
Annibalem hostem relicta sine duce, cum exercitu
cui detractum foret omne quod roboris, quod flo-
ris fuerit: & consulem in Lucanos ostendisse iter,
cum Picenum & Galliam peteret, castra relinquen-
tem nulla alia re tutiora,quàm errore hostis,qui du-
cem inde atque exercitus partem abisse ignoraret.
Quid futurum,si id palam fiat?& aut insequi Nero-
nem cum sex millibus armatorū profectum Anni- B
bal toto exercitu velit, aut castra inuadere prædæ
relicta,sine viribus,sine imperio,sine auspicio? Ve-
teres eius belli clades, duo consules proximo anno
interfecti terrebant. & ea omnia accidisse, cum v-
nus imperator, vnus exercitus hostium in Italia es-
set,nunc duo bella Punica facta,duos ingentes exer-
citus,duos propè Annibales in Italia esse. quippe &
Asdrubalem patre eodem Amilcare genitum, æque
impigrum ducem per tot in Hispania annos Ro-
mano exercitum bello, gemina victoria insignem C
duobus exercitibus cum clarissimis ducibus deletis.,
nam itineris quidem celeritate ex Hispania, conci-
tatis ad arma Gallicis gentibus, multo magis,quam
Annibalem ipsum gloriari posse: quippe in iis locis
hunc coegisse exercitum, quibus ille maiorem par-
tem militum fame ac frigore, quæ miserrima mor-
tis genera sunt, amisisset. Adiiciebant etiam periti
rerum Hispaniæ, haud cum ignoto duce C.Nerone
congressurum, sed quem in saltu impedito depre-
hensus forte, haud secus quàm puerum, conscri- D
bendis fallacibus cōditionibus pacis frustratus elu-
sisset. Omnia maiora etiam vero præsidia hostium,
minora sua, metu interprete semper in deteriora
inclinato, ducebant. Nero postquam iam tantum
interualli ab hoste fecerat, vt detegi consilium sa-
tis tutum esset, paucis milites alloquitur. Negat
vllius consilium imperatoris in speciem audacius,
re ipsa tutius fuisse, quam suum. Ad certam eos se
victoriam ducere, quippe ad quod bellum collega
non antequam ad satietatem ipsius peditum atque E
equitum datæ ab senatu copiæ fuissent, maiores in-
structiorésque quam si aduersus ipsum Annibalem
iret, profectus sit: eò ipsos quantumcunque virium
momentum addiderint, rem omnem inclinaturos.
auditum modo in acie (nam ne ante audiatur, da-
turum operam) alterum consulem, & alterum exer-
citum aduenisse,haud dubiam victoriam facturum.
Famam bellum conficere,& parua momēta in spem
metúmque impellere animos. Gloriæ quidem ex
re bene gesta partæ fructum prope omnem ipsos la- F
turos. Semper quod postremum adiectum sit, id
rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo con-
cursu, qua admiratione, quo fauore hominum iter
suum celebretur. Et Hercule per instructa omnia
ordinibus virorum mulierumque vndique ex agris
effusorum,inter vota ac preces & laudes ibant. illos
præsidia reipublicæ, vindices vrbis Romæ imperii-
que appellabant. in illorum armis dextrisque suam
liberorúmque suorum salutem ac libertatem reposi-
tam esse. deos omnes deásque precabantur, vt illis G
faustum iter,felixque pugna, matura ex hostibus vi-
ctoria esset, damnarenturque ipsi votorum quæ pro
iis suscepissent: vt quemadmodum nūc soliciti pro-
sequerentur eos, ita paucos post dies læti ouantibus
victoria obuiam irent. Inuitare inde pro se quisque,
& offerre,& flagitare precibus, vt quæ ipsis iumen-
tisque vsui essent,ab se potissimum sumerent, beni-
gne omnia cumulata dare. Modestia certare milites,
ne quid vltra vsum necessarium sumerent. nihilmo-
rari,nec ab signis absistere. cibum capientes diem ac
noctem ire. vix quod satis ad naturale desiderium
corporum esset,quieti dare. Et ad collegam præmis-
si erant,qui nuntiarent aduentum,percunctarentur-
que, clam an palàm, interdiu an noctu venire sese
vellet, iisdem an aliis consideret castris. Nocte clam
ingredi melius visum est. Tessera per castra ab Li-
uio cōsule data erat, vt tribunum tribunus,centurio
centurionem,eques equitem,pedes peditem accipe-
ret. neque enim dilatari castra opus esse, ne hostis
aduentum alterius consulis sentiret: & coarctatio
plurium in angusto tendentium facilior futura erat,
quod Claudianus exercitus nihil ferme præter arma
secum in expeditionem tulerat. Ceterum in ipso iti-
nere auctum voluntariis agmen erat, offerentibus
sese vltro,& veteribus militibus perfunctis iam mi-
litia, & iuuenibus, quos certatim nomina dantes, si
quorum corpori species, roburque virium aptum
militiæ videbantur, conscripserat. Ad Senam ca-
stra alterius cōsulis erant. & quingentos inde ferme
passus Asdrubal aberat. Itaque cum iam appropin-
quaret, tectus montibus substitit Nero, ne ante no-
ctem castra ingrederetur. Silentio ingressi, ab sui
quisque ordinis hominibus in tētoria adducti, cum
summa omnium lætitia hospitaliter excipiuntur.
Postero die concilium habitum, cui & L.Porcius Li-
cinius prætor affuit. Castra iuncta consulum castris
habebat: & ante aduentum eorum per loca alta du-
cendo exercitum, cum modo insideret angustos sal-
tus, vt transitum clauderet, modo ab latere aut ab
tergo carperet agmen, ludificatus hostem omnibus
artibus belli fuerat. is tum in concilio aderat. Mul-
torum eò inclinabant sententiæ, vt dum fessum via
ac vigiliis reficeret militem Nero, simul & ad no-
scendum hostem paucos sibi sumeret dies, tempus
pugnandi differretur. Nero non suadere modo, sed
summa ope orare institit, ne consilium suum, quod
tutum celeritas fecisset, temerarium morando face-
rent. Errore, qui non diuturnus futurus esset, velut
torpentem Annibalem, nec castra sua sine duce re-
licta aggredi, nec ad sequendum se iter intendisse:
antequam se moueat, delere exercitum Asdrubalis
posse rediréque in Apuliam. Qui prolatando spa-
tium hosti det, eum & illa castra prodere Annibali,
& aperire in Galliam iter, vt per otium, vbi velit,
Asdrubali coniungatur. Extemplo signum dandum,
& exeundum in aciem: abutendúmque errore ho-
stium absentium, præsentiumque: dum neque illi
sciant cum paucioribus, nec hi cum pluribus & va-
lidioribus rem esse. Consilio dimisso signum pugnæ
proponitur,confestímque in aciem procedunt. Iam
hostes ante castra instructi stabant. Moram pugnæ
attulit, quod Asdrubal profectus ante signa cū pau-
cis equitibus scuta vetera hostium notauit,quę ante
non viderat, & strigosiores equos. multitudo quo-
que maior solita visa est. Suspicatus, id quod erat,
receptui propere cecinit, ac misit ad flumen vnde a-
quabantur: vbi & excipi aliqui possent, & notari o-
culis, si qui forte adustioris coloris, vt ex recenti via
essent. simul circumuehi procul castra iubet, specu-
larique, nū auctum aliqua parte sit vallum: & attē-
dant, semel, bísne signum canat in castris. Ea cùm
ordine omnia relata essent, castra nihil aucta errorē
faciebāt. Bina erant, sicut ante aduentum cōsulis al-
terius fuerant, vna M.Liuij, altera L.Porcij, neutris
quicquam, quo latius tenderetur, ad munimenta ad-
iectum. Illud veterem ducē assuetumque Romano
hosti mouit, quod semel in prætoriis castris signum,
bis in cōsularibus referebāt cecinisse. duos profecto
consules esse: & quonā modo alter ab Annibale abs-

cessisset, cura angebat. minime id quod erat, suspicari poterat, tantæ rei frustratione Annibalem elusum: vt vbi dux, vbi exercitus esset, cum quo castra collata haberet, ignoraret. profecto haud mediocri clade absterritum, insequi non ausum: magnopere vereri, ne perditis rebus serum ipse auxilium venisset: Romanisque eadem iam fortuna in Italia, quæ in Hispania esset, interdum literas suas ad eum non peruenisse, credere: interceptisque iis, consulem ad sese opprimendum accelerasse. His anxius curis, exstinctis ignibus, vigilia prima dato signo, vt taciti vasa colligerent, signa ferri iussit. In trepidatione & nocturno tumultu duces parum intentè asseruati, alter in destinatis iam inde ante animo latebris subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranauit. Ita desertum à ducibus agmen primo per agros palatur: fessique aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim, atque infrequentia relinquunt signa. Asdrubal dum lux viam ostenderet, ripa fluminis signa ferri iubet. & per tortuosi amnis sinus flexúsque cum errore obiens, haud multum processisset: & vbi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus erat: sed cum quantum à mari abscedebat, tanto altioribus coercentibus amnem ripis, non inueniret vada, diem terendo spatium dedit ad insequendum sese hosti. Nero primum cum omni equitatu aduenit. Porcius deinde assecutus cũ leui armatura. Qui cum fessum agmen carperent ab omni parte, incursaréntque, & iam omisso itinere, quod fugæ simile erat, castra metari Pœnus in tumulo super fluminis ripam vellet: aduenit Liuius peditum omnibus copiis, non itineri modo, sed ad conserendum extemplo prælium instructis, armatisque. Sed vbi omnes copias coniunxerunt, directáque acies est, Claudius dextro in cornu, Liuius ab sinistro pugnã instruit, media acies pretori tuenda datur. Asdrubal omissa munitione castrorum, postquã pugnandum vidit, in prima acie ante signa elephantos locat. circa eos læuo in cornu aduersus Claudiũ Gallos opponit, haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat. ipse dextrum cornu aduersus M. Liuium sibi atque Hispanis (& ibi maximè in vetere milite spem habebat) sumsit Ligures in medio post elephantos posuit: sed longior quam latior acies erat. Gallos prominens collis tegebat. Ea frons quam Hispani tenebant, cum sinistro Romanorum cornu concurrit. dextra omnis acies extra prælium eminens cessabat. collis oppositus arcebat, ne aut à fronte aut ab latere aggrederentur. Inter Liuium Asdrubalémque ingens contractum certamen erat, atróxque cædes vtrinque edebatur: ibi duces ambo, ibi pars maior peditum equitúmque Romanorum, ibi Hispani, vetus miles, peritusque Romanæ pugnæ, & Ligures, durum in armis genus. eodem versi elephanti, qui primo impetu turbauerant antesignanos, & iam signa mouerant loco: deinde crescente certamine & clamore, impotentius iam regi, & inter duas acies versari, velut incerti quorum essent, haud dissimiliter nauibus sine gubernaculo vagis. Claudius, quid ergo præcipiti cursu tam longum iter emensi sumus? clamitans militibus cum in aduersum collem frustra signa erigere conatus esset, postquam ea regione penetrare ad hostem non videbat posse, cohortes aliquot subductas è dextro cornu, vbi stationem magis segnem quàm pugnam futuram cernebat, post aciem circumducit: & non hostibus modo, sed etiam suis inopinantibus, in sinistrum hostium latus incurrit: tantáque celeritas fuit, vt cum ostendissent se in latere, mox in terga iam pugnarent, ita vt omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidarentur Hispani Liguresque. Et ad Gallos iam cædes peruenerat. Ibi minimum certaminis fuit. nam & pars magna ab signis aberant, nocte dilapsi, stratique somno passim per agros: & qui aderant, itinere ac vigiliis fessi, intolerantissima laboris corpora vix arma humeris gerebant. Et iã diei medium erat, sitisque & calor hiantes cædendos capiendosque affatim præbebat. Elephanti plures ab ipsis rectoribus quàm ab hoste interfecti. fabrile scalprũ cum malleo habebant. id, vbi sæuire belluæ ac ruere in suos cœperant, magister inter aures positum ipsa in compage, qua iungitur capiti ceruix, quanto maximo poterat ictu adigebat, ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inuenta erat, vbi regendi spem vicisset. primusque id Asdrubal instituerat, dux cum sæpe alias memorabilis, tum illa præcipuè pugna. ille pugnantes hortando, pariterque obeundo pericula, sustinuit: ille fessos, abnuentésque tædio & labore, nunc precando, nunc castigando accendit: ille fugiẽtes reuocauit, omissámque pugnam aliquot locis restituit. Postremo cum haud dubia fortuna hostium esset, ne superstes tanto exercitui suum nomẽ secuto esset, concitato equo se in cohortem Romanam immisit. ibi, vt patre Amilcare, & Annibale fratre dignum erat, pugnans cecidit. Nunquam eo bello vna acie tantum hostium interfectum est, redditáque æqua Cannensi clades vel ducis vel exercitus interitu videbatur. Quinquaginta sex millia hostiũ occisa: capta quinque millia & quadringenti, præda alia magna tum omnis generis, tum auri etiam, argentique, ciuium etiam Romanorum qui capti apud hostes erant, supra quatuor millia capitum recepta, id solatij fuit pro amissis eo prælio militibus. Nam haudquaquam incruenta victoria fuit. octo ferme millia Romanorum sociorumque occisa. Adeoque etiam victores sanguinis cædisque ceperat satietas, vt postero die cum esset nuntiatum Liuio consuli, Gallos Cisalpinos, Liguresque, qui aut prælio non affuissent, aut inter cædem effugissent, vno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine vllo aut imperio: posse si vna equitum ala mittatur, omnes deleri: Supersint, inquit, aliqui nũtij & hostium cladis, & nostræ virtutis. Nero ea nocte quæ secuta est pugnam, citatiore, quã inde venerat, agmine, die sexto ad statiua sua, atque ad hostẽ perueniret. Iter eius frequentia minore (nemo enim præcesserat nuntius) lætitia verò tanta, vix vt compotes mentiũ gaudio essent, celebrátum est. Nam Romæ neuter animi habitus satis dici narrarique potest, nec quo incerta exspectatione euentus ciuitas fuerit, nec quo victoriæ famam acceperit. Nunquam per omnes dies, ex quo Claudium consulem profectum fama attulit, ab orto sole ad occidentem, aut senator quisquam à curia atque ab magistratibus abscessit, aut populus è foro. Matronæ, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationésque versæ, per omnia delubra vagæ suppliciis votisque fatigauere deos. Tam sollicitæ ac suspensæ ciuitati fama incerta primo accidit, duos Narnienses equites in castra, quæ in faucibus Vmbriæ opposita erant, venisse ex prælio nuntiantes cæsos hostes. & primo magis auribus quã animis id acceptum erat, vt maius lætiusque, quã quod mente capere, aut satis credere possent. & ipsa celeritas fidem impediebat, quod biduo antè pugnatum dicebatur. Literæ deinde ab L. Manlio Acidino missæ ex castris afferuntur de Narniensium equitũ aduentu. Eæ literæ per forum ad tribunal Prætoris latæ, senatũ curia exciuerunt, tantoque certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concursum est, vt adire nũcius non posset: traheretúrque à percunctantibus vocife-

rantibusque,

A tantibúsque, vt in Rostris priusquam in senatu literæ recitarentur. tandem summoti & coerciti à magistratibus: vixque seruari lætitia intra impotentes eius animos potuit. In senatu primùm, deinde in concione literæ recitatæ sunt: & pro cuiusque ingenio, aliis iam certum gaudium, aliis nulla antè futura fides erat, quàm legatos cõsulum, vt literas audissent. Ipsos deinde appropinquare legatos allatum est. Tũ enimuero omnis ætas currere obuiã, primus quisque oculis auribúsque haurire tantum gaudiũ cupientes. Ad Miluium vsque pontem continens agmen peruenit. Legati erant L. Veturius Philo, P. B Licinius Varus, Q. Cæcilius Metellus. Circumfusi omnis generis hominum frequentia, in forum peruenerunt, cum alij ipsos, alij comites eorum, quę acta sint, percunctarentur: vt quisque audierat, exercitum hostium, imperatorémque occisum, legiones Romanas incolumes, saluos consules esse, extemplo alii porro impertiebant gaudium suum. Cum ęgrè in curiam peruentum esset, multo ægrius summota turba, ne Patribus misceretur, literæ in senatu recitatæ C sunt. inde traducti in concionẽ legati. L. Veturius literis recitatis, ipse planius omnia quæ acta erant, exposuit cum ingenti assensu: postremo etiã clamore vniuersę concionis, cum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa deûm, vt grates agerent: ab aliis domos, vt coniugibus liberisque tam lætum nuntiũ impertirent. Senatus, quod M. Liuius & C. Claudius cõsules incolumi exercitu, ducem hostium legionésque occidissent, supplicationem in triduum decreuit. Eam D supplicationem C. Hostilius prætor pro concione edixit: celebratáque à viris, fœminisque est. Omnia templa per totum triduum æqualem turbã habuere, cum matronæ amplissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutæ metu deis immortalibus grates agerent. Statum quoque ciuitatis ea victoria mouit, vt iã inde haud secus, quàm in pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum soluendo auderent. C. Claudius consul cum in castra redisset, E caput Asdrubalis, quod seruatum cum cura attulerat, proiici ante hostium stationes: captiuósque Afros vinctos, vt erant, ostendi: duos etiam ex iis solutos ire ad Annibalem, & expromere quę acta essent, iussit. Annibal tanto simul publico familiarique ictus luctu, agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse: castrisque inde motis vt omnia auxilia, quæ diffusa latius tueri non potuerat, in extremum Italiæ angulum, Brutios contraheret: & Metapontinos, ciuitatẽ vniuersam, excitos sedibus suis, & Lu- F canorum qui suæ ditionis erant, in Brutium agrum traduxit.

DECADIS TERTIAE

LIBER VIII.

CVm transitu Asdrubalis quantum in Italiam declinauerat belli, tantum leuatæ Hispaniæ viderentur: renatum ibi subito par priori bellum est. Et Hispanias ea tempestate sic habebant Romani, Pœnique. Asdrubal Gisgonis filius ad Oceanum penitus Gadésque concesserat. Nostri maris ora, omnísque fermè Hispania, qua in orientem vergit, Scipionis ac Romanæ ditionis erat. Nouus imperator Hanno in locum Barchini Asdrubalis nouo cum exercitu ex Africa transgressus, Magonique iunctus, cũ in Celtiberia, quæ media inter duo maria est, breui magnum hominum numerum armasset: Scipio aduersus eum M. Syllanum cum decem millibus peditum, equitibus quingentis misit. Syllanus quantis maximis potuit itineribus (impediebant autem & asperitates viarum, & angustiæ saltibus crebris, vt pleraque Hispaniæ sunt, inclusę) tamen non solum nuntios, sed etiam famam aduentus sui prægressus, ducibus indidem ex Celtiberia transfugis ad hostem peruenit. Eisdem auctoribus compertum est, cum decem circiter millia ab hoste abessent: bina castra circa viam, qua irent, esse: læua Celtiberos, nouum exercitum supra nouem millia hominum, dextra Punica tenere castra. Hæc stationibus, vigiliis, omni iusta militari custodia tuta & firma esse: illa altera soluta neglectáque, vt barbarorum, & tyronum, & minus timentium, quod in suã terra essent. Ea prius aggrediendo ratus Syllanus, signa quam maximè ad læuam iubebat ferri, nec vnde ab stationibus Punicis conspiceretur. ipse præmissis speculatoribus, citato agmine ad hostem pergit. Tria millia fermè aberat, cum haud dum quisquam hostium senserat. confragosa loca, & obsita virgultis tenebant colles. ibi in caua valle, atq. ob id occulta, considere militem, & cibum capere iubet. interim speculatores transfugarum dicta affirmantes, venerunt. Tum sarcinis in medium coniectis, arma Romani capiunt, aciéque iusta in pugnam vadunt. Mille passuum aberant, cum ab hoste conspecti sunt, trepidarique repétè cœptum. Mago ex castris citato equo ad primum clamorem & tumultum aduehitur. Erant autem in Celtiberorum exercitu quatuor millia scutatorum, & CC. equites. hanc iustam legionem (& id fermè roboris erat) in prima acie locat: ceteros, leuem armaturam, in subsidiis posuit. Cum ita instructos educeret castris, vix dum in egressos vallo Romani pila coniecerunt. Subsidunt Hispani aduersus emissa tela ab hoste, inde ad remittenda ipsi consurgunt. quę cum Romani conferti, vt solent, densatis excepissent scutis: tum pes cum pede collatus, & gladiis geri res cœpta est. Ceterum asperitas locorum & Celtiberis (quibus in prælio concursare mos est) velocitatem inutilem faciebat: & haud iniqua eadem erat Romanis stabili pugnæ assuetis, nisi quod angustiæ & internata virgulta ordines dirimebant: & singuli biníque velut cum paribus cõserere pugnã cogebantur, quod ad fugam impedimento hostibus erat, id ad cædem eos velut vinctos præbebat. Et iã ferme omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, leuis armatura, & Carthaginienses qui ex alteris castris subsidio venerant, perculsi cædebantur. Duo haud amplius millia peditum, & equitatus omnis, vix inito prælio, cum Magone effugerunt. Hanno alter imperator cum eis, qui postremi iam profligato prælio aduenerant, viuus capitur. Magonem fugientem equitatus fermè omnis, & quod veterũ peditum erat secuti, decimo die in Gaditanam pro- G uinciam ad Asdrubalem peruenerunt. Celtiberi, nouus miles, in proximas dilapsi syluas, inde domos diffugerunt. Peropportuna victoria nequaquam tantum iam conflatum bellum, quanta futura materia belli, si licuisset iis Celtiberorum gente excita, & alios ad arma solicitare populos, oppressérat. Itaque collaudato benignè Syllano, Scipio spẽ debellandi, si nihil etiam ipse cunctando moratus esset, nactus, ad id quod reliquũ belli erat, in vltimã

Hispaniam aduersus Asdrubalem pergit. Pœnus cũ castra sua fortè ad sociorum animos in Betica continendos in fide haberet: signis repentè sublatis, fugæ magis quàm itineris modo penitus ad Oceanũ & Gadeis ducit. Ceterum quoad aciem tenuisset, propositum bello se fore ratus, antequam freto Gadeis traiceret, exercitum omné passim in ciuitates dimisit: vt & muris se ipsi & armis muros tutarentur. Scipio vbi animaduertit dissipatum passim bellum, & circumferre ad singulas vrbes arma, diutini magis quàm magni esse operis, retro vertit iter: ne tamen hostibus eam relinqueret regionem: L. Scipionem fratrem cum decem millibus peditum, & mille equitum ad oppugnandam opulentissimam in iis locis vrbem, quam Oringin barbari appellabant, mittit. sita in Melessum finibus est, Hispanæ gentis, ager frugifer. argentum etiam incolæ fodiunt. Ea arx fuit Asdrubali ad excursiones circa in mediterraneos populos faciẽdas. Scipio castris prope vrbem positis, prius quàm circumuallaret vrbé, misit ad portas, qui ex propinquo alloquio animos tentarent: suaderéntque, vt amicitiam potius quàm vim experirentur Romanorum. Vbi nihil pacati respondebantur, fossa duplicique vallo circumdata vrbe, in tres partes exercitum diuidit: vt vna semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima pars cum adorta oppugnare est, atrox sanè & anceps prælium fuit: non subire, non scalas ferre ad muros præ incidentibus telis facilè erat. & iam qui erexerant ad murũ scalas, alij furcis ad idipsum factis detrudebantur, in alios lupi supernè ferrei iniecti, vt in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. Quod vbi animaduertit Scipio, nimia paucitate suorum exæquatum certamen esse: & iam eo superare hostem, quod ex muro pugnaret: duabus simul partibus, prima recepta, vrbem est aggressus. Quæ res tantum pauoris iniecit fessis iam cum primis pugnando, vt & oppidani mœnia repentina fuga deserent: & Punicum præsidium metu, ne prodita vrbs esset, relictis stationibus in vnum locum se colligeret. Timor inde oppidanos incessit, ne si hostis vrbem intrasset, sine discrimine, Pœnus an Hispanus esset, obuij passim cæderentur. itaque patefacta repentè porta, frequentes ex oppido se eiecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul conijcerentur: dextras nudas ostentantes, vt gladios abiecisse appareret. Id vtrum parum ex interuallo sit conspectum, an dolus aliquis suspectus fuerit, incompertum est. Impetus hostilis in transfugas factus, nec secus quàm aduersa acies cæsi. eadémque porta signa infesta vrbi illata. & aliis partibus securibus dolabrisque cædebantur & refringebantur portæ. & vt quisque intrauerat eques, ad forum occupandum (ita enim præceptum erat) citato equo pergebat. additũ erat & triariorum equiti præsidium. legionarij ceteram partem vrbis peruadunt direptione & cæde obuiorum, nisi qui armis se tuebantur. Carthaginienses omnes in custodiam dati sunt: oppidanorum quoque ccc. ferme, qui clauserant portas: ceteris traditum oppidum, suæ redditæ res. Cecidere in vrbis eius oppugnatione hostium duo millia ferme, Romanorum haud plus XC. Læta & ipsis qui rem gessere, vrbis eius expugnatio fuit: & imperatori, ceteroque exercitui. Speciosum aduentum suum ingentem turbá captiuorum præ se agentes fecerunt. Scipio collaudato fratre, cum quanto poterat verborum honore, Carthagini ab se captæ captam ab eo Oringin æquasset. quia & hyems instabat, vt nec tentare Gades, nec dilectũ passim per prouinciam exercitum

A Asdrubalis consectati posset: in citeriorem Hispaniam recipit exercitum: dimissisque in hyberna legionibus, L. Scipione fratre Romam misso, & Hannone hostium imperatore, ceterisque nobilibus captiuis, ipse Tarraconem cõcessit. Eodem anno classis Romana cum M. Valerio Læuino proconsule ex Sicilia in Africam transmissa, in Vticensi Carthaginiensique ægro latè populationes fecit. extremis finibus Carthaginiensium, circa ipsa mœnia Vticæ

B prædæ actæ sunt. Repetentibus Siciliam classis Punica (septuaginta erant longæ naues) occurrit. decem & septem naues ex iis captæ sunt: quatuor in alto mersæ: cetera fusa ac fugata classis. Terra marique victor Romanus cum magna omnis generis præda Lilybæum repetit. Toto inde mari pulsis hostium nauibus, magni commeatus frumenti Romam subuecti. Principio æstatis eius, qua hæc sunt gesta, P. Sulpitius proconsul, & Attalus rex cùm Æ-

C ginæ (sicut ante dictum est) hybernassent: Lemnum inde classe iuncta, Romanæ v. & xx. quinqueremes, regiæ v. & xxx. transmiserunt. Et Philippus vt seu terra seu mari obuiam eundum hosti foret, paratus ad omnes conatus esset, ipse Demetriadem ad mare descendit: Larissam diem ad cõueniendum exercitui edixit. Vndique ab sociis legationes Demetriadem ad famam regis cõuenerunt. Sustulerant enim animos Ætoli, cum ob Romanam societatem, tum post Attali aduentum, finitimosque depopulaban-

D tur. nec Acarnanes solum Bœotique & qui Eubœá incolunt, in magno metu erant, sed Achæi quoque, quos super Ætolicum Machanidas etiam Lacedæmonius tyrãnus, haud procul Argiuorum fine positis castris, terrebat. Hi omnes suis quisque vrbibus quę pericula terra marique portẽderentur, memorantes, auxilia regem orabant. Ne ex regno quidem ipsius tranquillæ nuntiabantur res. & Scerdiletum Pleuratumque motos esse, & Thracum maximè Medos, si quod lõginquum bellum regem occupasset, proxima Macedoniæ incursuros. Bœoti

E quidem ipsi, & interiores Græciæ populi, Thermopylarum saltus, vbi angustæ fauces coarctant iter, fossa valloque intercludi ab Ætolis nuntiarant, ne transitum ad sociorum vrbes tuendas Philippo darent. Vel segnem ducem tot excitare tumultus circumfusi poterant. Legationes dimittit: pollicitus, prout tempus ac res sineret, omnibus laturum auxilium. in præsentia quæ maximè vrgebant, res paratent Tum præsidium vrbi mittit, vnde allatum erat, Attalum ab Lemno classe transmissa, omnem

F circa vrbem agrum depopulatum. Polyphantem cum modica manu in Bœotiam, Menippum item quendam ex regiis ducibus cũ mille peltatis (pelta cetræ haud dissimilis est) Chalcidem mittit. additi quingenti Ænianum: vt omnes insulæ partes tueri possent. ipse Scotusam est profectus: eodémque ab Larissa Macedonum copias traduci iussit. Eò nuntiatum est, concilium Ætolis Heracleam indictum: regémque Attalum ad consultandũ de summa belli venturum. Hunc conuentum vt turbaret subito

G aduentu, magnis itineribus Heracleá duxit: & concilio quidem dimisso iam venit: segetibus tamen quæ iam prope maturitatem erant, maximè in sinu Æniano euastatis, Scotusá copias reducit. ibi exercitu omni relicto cum cohorte regia Demetriadem sese recipit. inde vt ad omnes hostium motus posset occurrere, etiam in Phocydem atque Eubœam & Peparethum mittit, qui loca alta eligerẽt, vnde editi ignes apparerent. ipse in Ciseo (mós est in altitudiné ingẽte cacuminis editi) speculá posuit: vt ignibus procul sublatis signum, vbi quid moliretur hostes,

ſtes, momento temporis acciperet. Romanus imperator, & Attalus rex à Peparetho Niceam traiecerunt: inde claſſem in Eubœam, ad vrbem Oreum tranſmittunt: quæ ab Demetriaco ſinu Chalcidem & Euripum petenti ad læuam prima vrbium Eubœæ poſita eſt. Ita inter Attalum ac Sulpitium conuenit, vt Romani à mari, regij à terra oppugnarent. Quatriduo poſtquam appulſa claſſis eſt, vrbem aggreſſi ſunt. Id tempus occultis cum Platore, qui à Philippo præpoſitus vrbi erat, colloquiis abſumtum eſt. Duas arces vrbs habet: vnam imminentem mari, alteram B vrbi, media eſt: cuniculo inde via ad mare ducit, quam à mari turris quinque tabulatorum, egregium propugnaculum, claudebat. Ibi primo atrociſſimum contractum eſt certamen, & turre inſtructa omni genere telorum, & tormentis machiniſque ad oppugnandam eam ex nauibus expoſitis. Cum omnium animos oculoſque in certamen auertiſſet: porta maritimæ arcis Plator Romanos accepit, momentoque arx occupata eſt. Oppidani pulſi inde in mediã vrbem, ad alteram tendere arcem. Et ibi poſiti erant, qui fores portæ obiicerent. ita excluſi in medio C cæduntur, capiunturque. Macedonum præſidium conglobatum ſub arcis muro ſtetit, nec fuga effusè petita, nec pertinaciter prælio inito. Eos Plator veniã à Sulpitio impetrata, in naues impoſitos ad Demetrium Phthiotidis expoſuit: ipſe ad Attalum ſe recepit. Sulpitius tam facile ad Oreum ſucceſſu elatus, Chalcidem inde protinus victrici claſſe petit. vbi haudquaquam ad ſpem euentus reſpondit. Ex patenti vtrinque coactum in anguſtias mare, vt ſpeciem intuenti primo gemini portus in ora duo verſi D præbuerit: ſed haud facilè alia infeſtior claſſi ſtatio eſt. nam & venti ab vtriuſque terræ præaltis montibus ſubiti ac procelloſi decidunt: & fretum ipſum Euripi non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat: ſed temere in modum venti nunc huc, nunc illuc verſo mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur. ita nec nocte nec die quies nauibus datur. Cùm claſſem tam infeſta ſtatio E accepit, tum & oppidum alia parte clauſum mari, alia à terra egregie munitum, præſidioque valido firmatum, & præcipuè fide præfectorum principumque, quæ fluxa & vana apud Oreum fuerat, ſtabile atque inexpugnabile fuit. Id prudenter, vt in temere ſuſcepta re, Romanus fecit: quod circumſpectis difficultatibus, ne fruſtra tempus tereret, celeriter abſtitit incœpto: claſſemque inde ad Cynum Locridis (emporium id eſt Opuntiorum, vrbis mille paſſuum à mari ſitæ) traiecit. Philippum & ignes ab Oreo editi monuerant, ſed ſerius Platoris frau- F de è ſpecula elati: & imperi maritimis viribus haud facilis erat in inſulam claſſi acceſſus. Ita res per cunctationem omiſſa, ad Chalcidis auxilium vbi ſignum accepit, impigrè eſt motus. nam & ipſa Chalcis quanquam eiuſdem inſulæ vrbs eſt, tamen adeo arcto interſcinditur freto, vt ponte continenti iungatur, terra aditum faciliorem quàm mari habeat. igitur Philippus deiecto præſidio, fuſis Ætolis, qui ſaltum Thermopylarum inſidebant, cum ab Demetriade Scotuſam inde tertia vigilia profectus trepidos hoſtes Heracleam compuliſſet, ipſe vno die Phocidis Elatiam millia amplius LX. contendit. Eodem fermè die ab Attalo rege Opuntiorum vrbs capta diripiebatur. conceſſerat eam prædam regi Sulpitius, quia Oreum paucos ante dies ab Romano milite, expertibus regiis, direptum fuerat. Romana claſſis Oreum ſeſe receperat, & Attalus ignarus aduentus Philippi, pecuniis à principibus exigendis terebat tempus: adeóque improuiſa res fuit, vt niſi

A Cretenſium quidam fortè pabulatum ab vrbe longius progreſſi agmen hoſtium procul conſpexiſſent, opprimi potuerit. Attalus inermis atque incompoſitus, curſu effuſo mare ac naues petit: & molientibus ab terra naues Philippus ſuperuenit, metúmq. etiam ex terra nauticis præbuit. inde Opuntem rediit, deos hominéſque accuſans, quod tantæ rei fortunam ex oculis prope raptam amiſiſſet: Opuntij quoque ab eadem ira increpiti, quod cum trahere obſidionem in aduentum ſuum potuiſſent, viſo ſtatim hoſte prope in voluntariam deditionem cóceſſiſſent. compoſitis circa Opuntem rebus, Toronem eſt profectus. Et Attalus primo Oreum ſe recepit. inde cum fama accidiſſet, Pruſiam Bithyniæ regem in fines regni ſui tranſgreſſum, omiſſis Romanis rebus atque Ætolico bello, in Aſiam traiecit. Et Sulpitius Æginam claſſem recipit, vnde initio verus profectus erat. Haud maiore certamine, quàm Opũtem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit. Incolebant vrbem eam profugi ad Thebis Phthioticis. vrbe ſua capta à Philippo cum in fidem Ætolorum perueniſſet, ſedem eis Ætoli eam dederant, vrbis vaſtæ ac deſertæ priore quidem Philippi bello. Tum ab Torone, ſicut paulo ante dictum eſt, recepta profectus. Triconon, & Drymas, Doridis parua atque ignobilia oppida cepit. inde Elatiam iuſſis ibi ſe opperiri Ptolemæi Rhodiorúmque legatis, venit. vbi cum de finiendo Ætolico bello ageretur (affuerant enim legati nuper Heracleæ concilio Romanorum Ætolorúmque) nũtius affertur, Machanidam Olympiorum ſolenne ludicrum parenteis Eleos aggredi ſtatuiſſe. Præuertendum id ratus, legatis cum benigno reſponſo dimiſſis: ſe neque cauſſam eius belli fuiſſe, nec moram, ſi modo æqua & honeſta conditione liceat, paci facturum: cum expedito agmine profectus per Bœotiam Megaram, atque inde Corinthum deſcendit: vnde commeatibus ſumtis, Phliunta Pheneúmque petit, & iam cum Eream veniſſet, audito Machanidam fama aduentus ſui territum refugiſſe Lacedæmonem, Ægium, ſe ad concilium Achæorum recepit: ſimul claſſem Punicam, vt mari quoque aliquid poſſet, accitam ibi ratus ſe inuenturum. Paucis ante diebus in Phoceas traiecerant Pœni: inde portus Acarnum petierant, cum ab Oreo profectum Attalum Romanóſque audiſſent, veriti, ne in ſe iretur, & intra Rhium (fauces eæ ſunt Corinthij ſinus) opprimerentur. Philippus mœrebat quidé & angebatur, cum ad omnia ipſe raptim iſſet, nulli tamen ſe rei in tempore occurriſſe, & rapientem omnia ex oculis eluſiſſe celeritatem ſuam fortunam. In concilio tamen diſſimulans ægritudiné, elato animo diſſeruit: teſtatus deos hominéſque, ſe nulli loco nec tempori defuiſſe, quin vbi hoſtium arma concrepuiſſent, eo quanta maxima poſſet celeritate contenderet: ſed vix rationem iniri poſſe, vtrũ ab ſe audacius, an fugacius ab hoſtibus geratur bellum: ſic ab Opũte Attalum, ſic Sulpitium à Chalcide, ſic his ipſis diebus Machanidã è manibus ſuis elapſum. ſed non ſemper felicem eſſe fugã: nec pro difficili id bellum habendum, in quo ſi modo congreſſus cum hoſte ſis, viceris. quod primũ eſſet, confeſſionem ſe hoſtium habere, nequaquam pares eſſe eos, breui & victoriam haud dubiam habiturũ: nec meliore euentu eos ſecum, quàm ſpe pugnaturos. Læti regẽ ſocij audierunt. Reddidit inde Achæis Ereã & Thriphiliam. Alipheram autem Megalopolitis, quod ſuorum ius eſſe finium ſatis probabant, reſtituit. inde nauibus acceptis ab Achæis (erãt autem tres quadriremes, & biremes totidem) Anticyrã traiecit. inde quinqueremibus ſepté, & lembis viginti

G

amplius,quos vt adiungeret Carthaginiensium classi,miserat in Corinthium sinum, profectus ad Erythras Ætolorum,quæ prope Eupalium sunt,exscensionem fecit. Haud fefellit Ætolos. nam hominum quod aut in agris, aut in propinquis castellis Poridaniæ ac Apolloniæ fuit, in syluas montésque refugit. Pecora, quæ inter festinationem abigi nequiuerant,sunt direpta,& in naues compulsa. Cum his,ceteráque præda Nicia prætore Achæorum Ægium misso,cùm Corinthum petisset, pedestres inde copias per Bœotiam terra duci iussit. ipse à Cenchreis præter Atticen super Sunium nauigans, inter medias prope hostium classes Chalcidem peruenit. inde collaudata fide ac virtute, quod neque timor neque spes flexissent eorum animos, hortatúsque in posterum, vt eadem constantia permanerent in societate, si suam quam Oritanorum atque Opuntiorum fortunam mallent, ab Chalcide Oreum nauigat, principiúmque iis qui fugere capta vrbe,quàm se Romanis tradere,maluerát, summa rerum & custodia vrbis permissa : ipse Demetriadem ab Eubœa, vnde primo ad opem ferendam sociis profectus erat, traiecit. Casandreæ deinde centum nauium longarum carinis positis, contractáque ad effectum eius operis multitudine fabrorum naualium, quia res in Græcia tranquillas & profectio Attali fecerat, & in tempore laborantibus sociis latum ab se auxilium, retro in regnum concessit, vt Dardanis bellum inferret. Extremo æstatis eius,qua hæc in Græcia sunt gesta,cum Q. Fabius Maximus prætor legatus ab M. Liuio cõsule Romam ad senatum missus,nunciasset,consulem satis præsidij Galliæ prouinciæ credere L.Porcium cum suis legionibus esse,decedere se inde, ac deduci exercitum consularem posse : patres non M. Liuium tantum redire ad vrbem, sed collegam quoque eius C.Claudium iusserunt.Id modo in decreto interfuit,quod M.Liuij exercitum reduci, Neronis legiones Annibali oppositas manere in prouincia iusserunt.Inter consules ita per literas conuenit,vt quemadmodum vno animo rempublicam gessissent: ita,quanquam ex diuersis regionibus conuenirent, vno tempore ad vrbem accederent. Præneste qui prior venisset, collegam ibi opperiri iussus. Fortè ita euenit, vt eodem die ambo Præneste venirent. inde præmisso edicto, vt triduo post frequens senatus ad ædem Bellonæ adesset,omni multitudine obuiam effusa ad vrbem accessere. Non salutabát modo vniuersi,sed contingere pro se quisque victrices dextras consulum cupientes:alij gratulabantur,alij gratias agebát,quod eorum opera incolumis respublica esset.In senatu cum more omnium imperatorum expositis rebus ab se gestis postulassent, vt pro republica fortiter fideliterque administrata, & diis immortalibus haberetur honos, & ipsis triumphantibus vrbem inire liceret: se verò ea quæ postularét, decernere patres merito deorum primum, dein secundum deos consulum,responderunt,& supplicatione amborum nomine, & triumpho vtrique decreto.Inter ipsos, ne cum bellum communi animo gessissent, triumphum separarent,ita conuenit:quoniam in prouincia M. Liuij res gesta esset, & eo die quo pugnatum foret,eius forte auspicium fuisset:exercitus Liuianus deductus Romam venisset,Neronis de prouincia deduci non potuisset : vt M. Liuiũ quadrigis vrbem ineuntem milites sequerentur, C. Claudius equo sine militibus inueheretur. Ita consociatus triumphus, cùm vtrique,tum magis ei qui quantum merito anteibat, tantum honore collegæ cesserat,gloriam auxit. Illum equitem aiebant sex

A dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ:& eo die cum Asdrubale in Gallia signis collatis pugnasse quo eum castra aduersus se in Apulia posita habere Annibal credidisset.ita vnum consulẽ pro vtraque parte Italiæ aduersus duos duces, duos imperatores,hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse, nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Annibalem : Asdrubalẽ verò qua alia re,quã aduentu eius obrutum atque exstinctum esse? Itaq; iret alter consul sublimis curru multiiugis si vellet, B equis : vno equo per vrbem verum triumphum vehi:Neronémque etiam si pedes incedat,vel parta eo bello,vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore. Hi sermones spectantium Neronem vsque in Capitolium prosequuti sunt. Pecuniæ in ærarium tulerũt sestertium tricies octoginta millia æris,militibus M. Liuius quinquagenos senos asses diuisit. tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus,cum ad exercitum redisset.Notatũ ea die plura carmina militaribus iocis in C.Claudiũ, quã C in consulem suum iactata. equites L. Veturium & Q.Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus: hortatósque esse plebem, vt eos consules in proximum annum crearent.adiecisse equitum prærogatiuæ auctoritatem consules. postero die in concione quàm forti fidelique duorum præcipuè legatorum opera vsi essent,commemorantes. Cùm comitiorum tempus appeteret,& per dictatorem comitia haberi placuisset,C.Claudius consul M. Liuium collegam dictatorem dixit,Liuius Q. Cæcilium magistrũ equitum. D A.M.Liuio dictatore creati consules L. Veturius,Q.Cæcilius, is ipse qui tũ erat magister equitum inde prætorum comitia habita. Creati C.Seruilius,M.Cæcilius Metellus,T.Claudius Asellus,Q. Mãlius Thurinus qui tum ędilis plebis erat, Comitiis perfectis dictator magistratu abdicato dimissoque exercitu, in Hetruriam prouinciam ex S. C. est profectus ad quæstiones habendas, qui Hetruscorũ Vmbrorúmve populi defectionis ab Romanis ad Asdrubalem sub aduentum eius consilia agitassent, quique eum auxiliis aut commeatu aut ope aliqua E iuuissent. Hæc eo anno domi militiæque gesta. Ludi Romani ter toti instaurati ab ædilibus curulibus Cn. Seruilio Cæpione, Ser. Cornelio Lentulo.item ludi plebeij semel toti instaurati ab ędilib. plebis M. Pomponio Mathone, & Q. Manlio Thurino.Tertiodecimo anno Punici belli,L. Veturio Philone & Q. Cæcilio Metello consulibus, Bruttiis ambobus,vt cum Annibale bellum gererẽt,prouincia decreta.Prætores exinde sortiti sunt,M.Cęcilius F Metellus vrbanam, Q. Manlius peregrinam,C.Seruilius Siciliam,T.Claudius Sardiniam.Exercitus ita diuisi:consulum alteri, quem C. Claudius prioris anni consul,alteri quem Q. Claudius proprætor(eæ binæ legiones erant)habuisset exercitum. In Hetruria duas Volonum legiones à C. Terentio proprætore M.Liuius procõsul, cui prorogatum in annum imperium erat,acciperet. & Q.Manlio vt collegæ iurisdictione tradita,Galliam cũ exercitu, cui L.Portius proprætor pręfuerat,obtineret, decretum G est,iussúsque populari agros Gallorũ,qui ad Pœnos sub aduentum Asdrubalis defecissent.C.Seruilio cũ Cannensibus duabus legionibus,sicut P.Mãlius tenuerat,Sicilia tuẽda data. Ex Sardinia vetus exercitus,cui A.Hostilius præfuerat,deportatus. nouã legionem quam T.Claudius traiiceret secum consules conscripserunt.Q.Claudio vt Tarentum, C.Hostilio Tubulo vt Capuam prouinciam haberet,prorogatum in annũ imperium est.M.Valerius procõsul,qui tuẽdæ circa Siciliam maritimæ oræ pręfuerat,

rat, XXX. nauibus C. Seruilio traditis, cum cætera omni classe redire ad vrbem iussus. In ciuitate tanto discrimine belli sollicita, cùm omnium secundorum aduersorúmque caussas in deos verterent, multa prodigia nuntiabantur. Tarracinæ Iouis ædem, Satrici matris Matutæ de cælo tactá. Satricanos haud minus terrebát in ędem Iouis foribus ipsis duo prolapsi angues. Ab Antio nuntiatum est, cruentas spicas metentibus visas esse. Cære porcus biceps, & agnus mas, idémque fœmina natus erat. Et Albæ duos soles visos referebant, & nocte Fregellis lucem obortam. Et bos in agro Romano locutus, & ara Neptuni multo sudore manasse in circo Flaminio, dicebatur, & ædes Cereris, Salutis, Quirini, de cœlo tactæ. Prodigia consules hostiis maioribus procurare iussi, & supplicationem vna die habere. Ea ex senatusconsulto facta. Plus omnibus aut nuntiatis peregrè, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in æde Vestæ exstinctus. ob quam caussam cæsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinij pontificis. Id quanquam nihil portendentibus diis, ceterum neglegentia humana acciderat: tamen & hostiis maioribus procurari, & supplicationem ad Vestæ haberi placuit. Priusquam proficiscerentur consules ad bellum admoniti ab senatu sunt, vt in agros reducendæ plebis curam haberent, deûm benignitate summotum bellum ab vrbe Roma & Latio esse: & posse sine metu in agris habitari: minimè conuenire, Siciliæ quàm Italiæ colendæ maiorem curam esse. Sed res haudquaquam erat populo facilis, & liberis cultoribus bello absumtis, & inopia seruitiorum, & pecore direpto, villisque dirutis aut incensis: magna tamen pars auctoritate consulum compulsa in agros remigrauit. Mouerant autem huiusce rei mentionem Placentinorum & Cremonensium legati, querentes agrum suum ab accolis Gallis incursari ac vastari: magnámque partem colonorum suorum dilapsam esse: & infrequentes se vrbes, agrum vastum ac desertum habere. Manlio prætori mandatum, vt colonias ab hoste tueretur. consules ex S.C. edixerunt, vt qui ciues Cremonenses atque Placentini essent, ante certam diem in colonias reuerterentur. principio deinde veris & ipsi ad bellū profecti sunt. Q. Cęcilius cōsul exercitū ab C. Nerone, L. Veturius ab Q. Claudio proprætore accepit, nouisque militibus quos ipse conscripserat, suppleuit. In Consentinum agrum consules exercitum eduxerunt, passimque depopulati, cùm agmen iam graue præda esset, in saltu angusto à Brutiis iaculatoribusque Numidis disturbati sunt, ita vt non pręda tantum, sed armati quoque in periculo fuerint. maior tamē tumultus quā pugna fuit: & pręmissa præda, incolumes legiones in loca tuta euasere. inde in Lucanos profecti. Ea sine certamine tota gens in ditionem populi Romani rediit. Cum Annibale nihil eo anno rei gestum est. nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico priuatoque, neque lacessierunt quietum Romani: tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in vno illo duce censebant. Ac nescio an mirabilior fuerit aduersis quàm secundis rebus: quippe cum & in hostium terra per annos tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret exercitu non suo ciuili, sed mixto ex colluuione omnium gētium quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alij ritus, alia sacra, alij propè dij essent: ita quondam vno vinculo copulauerit eos, vt nulla nec inter ipsos, nec aduersus ducem seditio exstiterit, cum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces militésque commissa fuerant. Pòst Asdrubalis verò exercitū cū duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum, cedendoque in angulum Brutium cætera Italia concessum, cui non videatur mirabile, nullum motum in castris factum? nam ad cetera id quoque accesserat, vt ne alendi quidem exercitus, nisi ex Brutio agro spes esset. qui vt omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat: tum magnam partem iuuentutis abstractam à cultu agrorum, bellum occupauerat, & mos vitio etiam insitus genti, inter latrocinia militiam exercendi. nec ab domo quicquam mittebatur, de Hispania retinenda solicitis, tanquam omnia prospera in Italia essent. in Hispania res quadam ex parte eandem fortunam, quadam longè disparem habebant. eandé, quod prælio victi Carthaginienses duce amisso, in vltimam Hispanię orā vsque ad Oceanum compulsi erant: disparem autem, quod Hispania non quàm Italia modò, sed quàm vlla pars terrarum bello reparádo aptior erat locorum hominúmque ingeniis. Itaque ergo prima Romanis inita prouinciarum, quę quidem continentis sint, postrema omnium nostra demum ætate ductu auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est. Ibi tum Asdrubal Gisgonis filius, maximus clarissimúsque eo bello secundum Barchinos dux, regressus ab Gadibus, rebellandi spem adiuuante Magone Amilcaris filio, delectibus per vlteriorem Hispaniam habitis ad quinquaginta millia peditum, & quatuor millia & quingentos equites armauit. De equestribus copiis fermè inter auctores conuenit. peditum LXX. millia quidam adducta ad Silpiam vrbem scribunt. Ibi super campos patentes duo duces Pœni ea mente, ne detrectarent certamen, consederūt. Scipio, cum ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset, neque Romanis legionibus tantæ separem fore multitudini ratus, vt non in speciem saltem opponerētur barbarorum auxilia: neque in iis tamen tantum virium ponendum, vt mutando fidem, quæ cladis causa fuisset patri patruoque magnum momentum facerent: præmisso Syllano ad Colcam duodetriginta oppidis regnantem vt equites peditésque ab eo, quos se per hyemem conscripturum pollicitus erat, acciperet: ipse à Tarracone profectus, protinus ab sociis qui incolunt viá, modica contrahendo auxilia, Castulonem peruenit. Eò adducta ab Syllano auxilia tria millia peditum, & quingenti equites. Inde ad Betulam vrbem processum eum omni exercitu ciuiū, sociorū peditū equitúmque V. & XL. millibus. Castra ponétes eos Mago & Masanissa cū omni equitatu aggressi sunt: turbassént que munientes, ni abditi post tumulum opportunè ad id positi ab Scipione equites, improuiso in effusos incurrissent. Hi promptissimum quenque & proximè vallum, atque in ipsos munitores primum inuectum vix dum prælio inito fuderunt: cum ceteris, qui sub signis atque ordine agminis incesserant, lōgior & diu ambigua pugna fuit. sed cum ab stationibus primum expeditæ cohortes, deinde ex opere deducti milites, atque arma capere iussi plures, & vsque integri fessis subirent, magnúmque iam agmen armatorū à castris in prælium rueret, terga haud dubiè vertēt Pœni Numidęque. Et primo turmatim abibát, nihil propter pauorem festinationémve confusis ordinibus: dein postquam acrius vltimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat, nihil iam ordinū memores, passim qua cuique proximū fuit, in fugam effunduntur. Et quanquam eo prælio

aliquantum & Romanis aucti,& diminuti hostibus animi erat,tamē nūquā per aliquot insequētes dies ab excursionibus equitū leuisq; armaturæ cessatum est. Vbi satis tentatæ per hæc leuia certamina vires sunt,prior Asdrubal in aciem copias eduxit, deinde & Romani processere:sed vtraq.acies pro vallo stetit instructa:& cùm ab neutris pugna cœpta esset, iam die ad occasum inclinante,à Pœno prius, deinde ab Romano in castra copiæ reductę.Hoc idem per dies aliquot factum, prior semper Pœnus copias castris educebat,prior fessis stando signum receptui dabat. ab neutra parte procursum,telúmve missum aut vox vlla orta, mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienses misti Afris cornua socij tenebant.erant autem vtrinq. Hispani pro cornibus.ante Punicam aciem elephanti castellorum procul speciem præbebant.Iam hoc in vtrisque castris sermonis erat,ita vt instructi stetissent,pugnaturos. medias acies, Romanum Pœnúmque,quos inter belli caussa est, pari robore animorum armorúmq; cōcursuras. Scipio vbi hæc obstinatè credita animaduertit,omnia de industria,in eum diem quo pugnaturus erat,mutauit. Tesseram vesperi per castra dedit,vt ante lucem viri equiq; pransi essent, armatus eques frenatos stratósq; teneret equos. Vix dum satis certa luce equitatum omnem cum leui armatura in stationes Punicas immisit:inde confestim ipse cum graui agmine legionum procedit, preter opinionem destinatā suorum hostiumq.Romano milite cornibus firmatis, sociis in mediam aciem acceptis.Asdrubal clamore equitum excitatus, vt ex tabernaculo prosiluit, tumultumque ante vallum,& trepidationem suorum, & procul signa legionum fulgentia, plenósque hostiū campos vidit,equitatū omnem extemplo in equites emittit:ipse cum peditum agmine castris egreditur, nec ex ordine solito quicquam acie instruenda mutat.Equitum iamdiu anceps pugna erat,nec ipsa per se decerni poterat, quia pulsis(quod prope inuicem fiebat)in aciem peditum tutus receptus erat:sed vbi iam haud plus quingentos passus acies inter sese aberant, signo receptui dato,Scipio patefactis ordinibus, equitatum omnem leuémque armaturam in medium acceptam,diuisamq; in partes duas in subsidiis post cornua locat.inde vbi incipiendę iam pugnæ tēpus erat,Hispanos(ea media acies fuit) presso gradu incedere iubet.ipse è dextro cornu(ibi nāq; præerat) nuntium ad Syllanum & Martium mittit, vt cornu extenderent in sinistra parte, quemadmodum se tendentem à dextra vidissent, & cum expeditis peditum equitumque prius pugnā consererent cum hoste,quàm coire inter se mediæ acies possent. Ita diductis cornibus cum ternis peditum cohortibus, ternísque equitum turmis,ad hoc velitibus, citato gradu in hostem ducebant, sequētibus in obliquum aliis. Sinus in medio erat, quia segnius Hispanorum signa incedebant:& iam conflixerant cornua,cum,quod roboris in acie hostium erat, Pœni veterani Afrique nondum ad teli coniectum venissent,neque in cornua,vt adiuuarent pugnantes, discurrere auderent, ne aperirent mediam aciem venienti ex aduerso hosti. Cornua ancipiti prælio vrgebantur. eques,leuisque armatura,& velites circūductis alis,in latera incurrebant : cohortes à fronte vrgebant, vt abrumperent cornua à cetera acie. Et cùm ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum quod turba lixarum tyronumque Hispanorum Romano Latinóque militi obiecta erat. Et procedente iam die,vires etiam deficere Asdrubalis exercitum cœperant,oppressos matutino tumultu coactósque priusquā cibo corpora firmarent,raptim in

A aciē exire. Ad id sedulò diē extraxerat Scipio, vt sera pugna esset. nam ab septima demum hora pedites in signa cornibus cōcurrerunt. ad medias acies aliquāto serius peruenit pugna, ita vt prius æstus à meridiano sole, laborque standi sub armis, & simul fames sitisque corpora afficerent, quàm manus cum hoste consererent.itaque steterunt scutis innixi. nam super cetera elephanti etiā tumultuoso genere pugnę equitum velitumque & leuis armaturæ consternati è cornibus in mediam aciem sese intulerant. Fessi B igitur corporibus animisque retulere pedē, ordines tamen seruantes haud secus quàm si imperio ducis cederet integra acies.Sed cum eo ipso acrius,vbi inclinatam sensere, victores se vndique inueherent, nec facilè impetus sustineri posset: quanquam retinebat obsistebátque cedentibus Asdrubal, ab tergo esse colles tutumque receptum, si modicè se reciperent clamitans: tamen vincēte verecundiam metu,cùm proximus quisque hostem cęderet,terga extemplo data atque in fugam sese omnes effuderunt. C Ac primo consistere signa in radicibus collium, ac reuocare in ordines militem cœperant, cunctantibus in aduersum collem erigere aciem Romanis. deinde vt inferri impigrè signa viderunt, integrata fuga,in castra pauidi compellūtur. Nec procul vallo Romanus aberat:cepissetque tanto impetu castra nisi ex vehementi sole, qualis inter graues imbres nubes effulget,tanta vis aquæ deiecta esset,vt vix in castra sua receperit se victor.quosdam etiam religio ceperat vlterius quicquā eo die conandi. Carthagi- D nienses,quanquam fessos labore ac vulneribus,nox imbérque ad necessariam quietem vocabat : tamen quia metus & periculum cessandi nō dabat tempus prima luce oppugnaturis hostibus castra, saxis vndique circa ex propinquis vallibus congestis augēt vallum,munimento sese,quando in armis parū pręsidij foret,defensuri.Sed transitio sociorum, fuga vt tutior mora videretur,fecit.principium defectionis ab Attane regulo Turdetanorum factum est.is cum magna popularium manu transfugit. inde duo mu- E nita oppida cum præsidiis tradita à præfectis Romano. Et ne latius,inclinatis semel ad defectionem animis,serperet res,silentio proximæ noctis Asdrubal castra mouet. Scipio vt prima luce qui in stationibus erant, retulerunt profectos hostes , præmisso equitatu,signa ferri iubet : adeoque citato agmine ducti sunt, vt si via recta vestigia sequentes issent, haud dubiè assecuturi fuerint. ducibus est creditū, breuius aliud esse iter ad Bætim fluuium , vt transeuntes aggrederentur. Asdrubal clauso transitu ad F Oceanum flectit. & iam inde fugientium modo effusi abibant , idque aliquantum ab legionibus Romanis interualli fecit eques , leuisque armatura nunc ab tergo , nunc ab lateribus occurrendo, fatigabat morabaturque, sed cum ad crebros tumultus signa consisterent , & nunc equestria , nunc cum velitibus auxiliisque peditum prælia consererent. superuenerunt legiones. Inde non iam pugna,sed trucidatio velut pecorum fieri, donec ipse dux fugę auctor in proximos colles cum septem millibus fermè semiermium euasit ceteri. cæsi captique, castra G tumultuaria raptim Pœni tumulo editissimo communierūt. atque inde cum hostes nequicquam subire iniquo ascēsu conati essēt, haud difficulter sese tutati sūt. sed obsidio in loco nudo atque inopi vix in paucos dies tolerabilis erat : itaque transitiones ad hostes fiebant. postremo ipse dux nauibus acceptis(nec procul inde aberat mare)nocte relicto exercitu Gadeis perfugit. Scipio fuga ducis hostium audita, decē millia peditum,mille equites relinquit

Sylla

Syll[illegible] castrorum obsidionem: ipse cum ceteris co[illegible]agesimis castris, protinus caussis regulo[illegible]catúmque cognoscendis, vt præmia ad v[illegible]itorum æstimationé tribui possent, Tarraconem rediit. Post profectionem eius Masanissa cum Syllano clam congressus, vt ad noua consilia g[illegible] quoque suam obedientem haberet, cum paucis popularibus in Africam traiecit, non tam euidenti eo tempore subitæ mutationis caussa, quàm documento post id tempus constantissimæ ad vltimam senectam fidei, ne tum quidem eum sine probabili caussa fecisse. Mago inde remissis ab Asdrubale nauibus, Gades petit. Ceteri deserti ab ducibus, pars transitione, pars fuga dissipati per proximas ciuitates sunt, nulla manus numero aut viribus insignis. Hoc maximè ductu atque auspicio P. Scipionis pulsi Hispania Carthaginienses sunt, tertio decimo anno post bellum initum, quinto postquam P. Scipio prouinciam & exercitum accepit. Haud multo post Syllanus debellatum referens, Tarraconem ad Scipionem rediit. L. Scipio cum multis nobilibus captiuis nuncius receptæ Hispaniæ Romam est missus. Et cum ceteri lætitia gloriaque ingenti eam rem vulgo ferrét, vnus qui gesserat, inexplebilis virtutis veræque laudis, paruum instar eorum, quæ spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat. iam Africam magnámque Carthaginem, & in suum decus noménque velut consummatam eius belli gloriam spectabat. Itaque præmoliendas ibi ratus iam res, conciliandósque regum gentiúmque animos, Syphacem primum regem statuit tentare. Masæsylorú is rex erat. Masæsyli gés affinis Mauris, regione Hispaniæ, maximè qua sita Noua Carthago est, spectant. Fœdus ea tempestate regi cum Carthaginiensibus erat. quod haud grauius ei sanctiúsque, quàm vulgò barbaris, quibus ex fortuna pendet fides, ratus fore, oratorem ad eum C. Lælium cum donis mittit. Quibus barbarus lætus, & quia res tum prosperæ vbique Romanis, Pœnis in Italia aduersæ, in Hispania nullæ iam erant, amicitiam se Romanorum accipere annuit. firmandæ eius fidem nec dare nec accipere, nisi cum ipso coram duce Romano. Ita Lælius in id modo fide à rege accepta; tutum aduentum fore, ad Scipionem rediit. Magnum in omnia momentum Syphax affectanti res Africæ erat, opulentissimus eius terræ rex, bello iam expertus ipsos Carthaginienses, finibus etiam regni aptè ad Hispaniam, quod freto exiguo dirimuntur, positis. Dignam itaque rem Scipio ratus, quæ quoniam non aliter posset, magno periculo peteretur. L. Martio Tarracone, M. Syllano Carthagine Noua, quo pedibus ab Tarracone itineribus magnis ierat, ad præsidium Hispaniæ relictis: ipse cum C. Lælio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus, tranquillo mari plurimum remis, interdum & leni iuuante vento in Africam traiecit. Fortè ita incidit, vt eo ipso tempore Asdrubal pulsus Hispania septem triremibus portum inuectus, anchoris positis, terræ applicaret naues: cum conspectæ duæ quinqueremes, haud cuiquam dubio, quin hostium essent, opprimique à pluribus, priusquam portum intrarent, possent: nihil aliud quàm tumultum ac trepidationem simul militum ac nautarum, nequicquam armáque & naues expedientium, fecerunt. percussa enim ex alto vela paulò acriori vento, prius in portum intulerunt quinqueremes, quàm Pœni anchoras molirentur. nec vltrà tumultum agere quis quicquam in regio portu audebat. Itaque prior in terram Asdrubal, mox Scipio & Lælius egressi ad regem pergunt. Magnificumque id Syphaci (nec erat aliter) visum, duorum opulentissimorum ea tempestate duces populorum vno die simul pacem amicitiámque petentes venisse. Vtrumque in hospitium inuitat. & quoniam sors eos sub vno tecto esse, atque ad eosdem penates voluisset, contrahere in colloquium dirimendarum simultatum caussa est conatus: Scipione abnuéte, aut priuatim sibi vllum cum Pœno odium esse, quod colloquendo finiret: aut de republica se quicquam cum hoste agere iniussu senatus posse. Illud magnopere contendente rege, ne alter hospitum exclusus mensa videretur, vt in animum induceret ad easdé venire epulas, haud abnuit. cœnatúque simul apud regem est, eodem etiam lecto Scipio atque Asdrubal, quia ita cordi erat regi, accubuerunt. Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacem modo barbarum, insuetumque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum, facundè alloquendo, sibi conciliarit: mirabiliorémque sibi eum congressu coram visum præ se ferebat, quàm bello rebus gestis: nec dubitare, quin Syphax, regnumque eius in Romanorum esset potestate, eam artem illi viro ad conciliandos animos esse. Itaque non quo modo Hispania amissa sit, quærendum magis Carthaginiensibus esse, quàm quo modo Africam retineant, cogitandum. Non peregrinabundum, neque circa amœnas oras vagantem tantum ducem Romanum, relicta prouincia nouæ ditionis, relictis exercitibus, duabus nauibus in Africam traiecisse, & commisisse sese in hostilem terram, in potestatem regiam, in fidem inexpertam, sed potiundæ Africæ spem affectantem. hoc eum iampridem volutare in animo, hoc palàm fremere, quod non, quemadmodum Annibal in Italia, sic Scipio in Africa bellum gereret. Scipio fœdere icto cum Syphace, profectus ex Africa, dubiísque & plerumque sæuis in alto iactatus ventis, die quarto Nouæ Carthaginis portum tenuit. Hispaniæ sicut à bello Punico quietæ erant, ita quasdam ciuitates propter conscientiá culpæ, metu magis quàm fide, quietas esse apparebat: quarum maximè insignes & magnitudine & noxa, Illiturgi & Castulo erant. Castulonenses cum prosperis rebus socij fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipiones defecerant ad Pœnos. Illiturgitani prodédis qui ex illa clade ad eos perfugerant, interficiendísque, scelus etiam defectioni addiderant. In eos populos primo aduentu, cum dubiæ Hispaniæ essent, merito magis quàm vtiliter sæuitum foret. tūc iam tranquillis rebus, quia tempus expetendæ pœnæ videbatur venisse, accitum ab Tarracone L. Martiū tertia parte copiarū ad Castulonē oppugnandū mittit. ipse cum cetero exercitu quintis fermè ad Illiturgim castris peruenit. Clausæ erant portæ, omniáque instructa & parata ad oppugnationem arcendá: adeò conscientia quid se meritos scirent, pro indicto eis bello fuerat. Hinc exhortari milites Scipio orsus est. Ipsos claudendo portas indicasse Hispanos, quid vt timerent meriti essent. itaque multo infestioribus animis cum eis quàm cum Carthaginiensibus bellum gerendum esse. Quippe cum illis prope sine ira de imperio & gloria certari: ab iis perfidiæ & crudelitatis & sceleris pœnas expetendas esse. venisse tempus, quo & nefandam commilitonum necem, & in semetipsos, si eodem fuga delati forent, instructam fraudem vlciscerentur: & in omne tempus graui documento sancirent, ne quis vnquam Romanum ciuem militémve in illa fortuna opportunum iniuriæ duceret. Ab hac exhortatione ducis incitati scalas electis per manipulos viris di-

uidunt: partitio exercitu, ita vt parti alteri Lælius
præesset legatus, duobus simul locis ancipiti terrore
vrbem aggrediuntur. Non dux vnus aut plures prin-
cipes oppidanos, sed suus ipsorum ex conscientia
culpæ metus ad defendendam impigrè vrbem hor-
tatur. & meminerant, & admonebant alij alios,
supplicium ex se, non victoriam peti: vbi quisque
mortem oppeteret, id referre, vtrum in pugnâ &
in acie, vbi Mars communis & victum sæpe erige-
ret, & affligeret victorem: an postmodum cremata
& diruta vrbe ante ora captarum coniugum libe-
rorumque inter verbera & vincula, omni fœda atq;
indigna passi exspirarent. Igitur non militaris modo
ætas, aut viri tantum, sed fœminæ quoque puerique
supra animi corporisque vires adsunt: propugnan-
tibus tela ministrant, saxa in muros munientibus
gerunt: non libertas solum agebatur, quæ virorum
fortium tantum pectora acuit: sed vltima omnibus
supplicia, & fœda mors ob oculos erat, accende-
bantur animi & certamine laboris ac periculi, at-
que ipso inter se conspectu. Itaque tanto ardore
certamen initum est, vt domitor ille totius Hispaniæ
exercitus ab vnius oppidi iuuentute sæpe repulsus
à muris, haud satis decoro prælio trepidarit. Id vbi
vidit Scipio veritus de vanis tot conatibus suorum,
hostibus cresceret animus & segnior miles fieret:
sibimet conandum, ad partem periculi capessendam
esse ratus, increpita ignauia militum, ferri scalas
iubet: seipsum, si ceteri cunctentur, ascensurum mi-
natur. Iam subierat haud mediocri periculo mœnia,
cùm clamor vndique ab solicitis vicem imperatoris
militibus sublatus: scalæque multis simul partibus
erigi cœptæ. Et ex alterâ parte Lælius institit. Tum
victa oppidanorum vis, deiectisque propugnato-
ribus occupantur muri. arx etiam ab ea parte, quæ
inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est.
Transfugæ Afri, qui tum inter auxilia Romana e-
rant, & oppidanis in ea tuenda, vnde periculum vi-
debatur, versis, & Romanis subeuntibus qua adire
poterant: conspexerunt editissimam vrbis partem,
quia rupe præalta tegebatur, neque opere vllo mu-
nitam & ab defensoribus vacuam, leuium corpo-
rum homines, & multa exercitatione pernicium
clauos secum ferreos portantes, quà per inæqua-
liter eminentia rupis poterant, scandunt, sicubi
nimis arduum & leue saxum occurrebat: clauos
per modica interualla figentes, cùm velut gradus
fecissent: primi insequentes extrahentes manu, po-
stremi subleuantes eos qui præ se irent: in summum
euadunt inde decurrunt cum clamore in vrbem
iam captam ab Romanis. Tum verò apparuit, ab
ira & ab odio vrbem oppugnatam esse. nemo ca-
piendi viuos, nemo patentibus ad direptionem o-
mnibus, prædæ memor est: trucidant inermes iuxta
atque armatos, fœminas pariter ac viros: vsque ad
infantium cædem ira crudelis peruenit: ignem de-
inde tectis iniiciunt, ac diruunt, quæ incendio ab-
sumi nequeunt. adeò vestigia quoque vrbis exstin-
guere ac delere memoriam hostium sedis cordi
est. Castulonem inde Scipio exercitum ducit. quam
vrbem non Hispani modo conuenæ, sed Punici e-
tiam exercitus è dissipata passim fuga reliquiæ tuta-
bantur: sed aduentum Scipionis præuenerat fama
cladis Illiturgitanorum: terrórque inde ac despera-
tio inuaserat omnes, & in diuersis caussis, cum sibi
quisque consultum sine alterius respectu vellet, pri-
mo tacita suspicio, deinde aperta discordia seces-
sionem inter Carthaginienses atque Hispanos fecit.
His Cerdubellus propalam deditionis auctor, Hi-
milco Punicis auxiliaribus præerat: quos vrbém-

A que, clàm fide accepta, Cerdubellus Romano pro-
dit. Mitior ea victoria fuit, nec tantundem noxæ ad-
missum erat, & aliquantum iræ lenierat voluntaria
deditio. Martius inde in barbaros, si qui nondum
perdomiti erant, sub iius ditionémque redigendos
missus. Scipio Carthaginem ad vota soluenda diis mu-
núsq; gladiatoriũ, quod mortis caussa patris patruiq;
parauerat, edendũ rediit. Gladiatoriũ spectaculũ fuit
non ex eo genere hominũ, ex quo lanistis cõparare
mos est seruorum delectu ac libertorum, qui vena-
B lem sanguinem habent. voluntaria omnis & gra-
tuita opera pugnãtium fuit. nam alij missi ab regu-
lis sunt ad specimen insitæ genti virtutis ostenden-
dum, alij ipsi professi se pugnaturos in gratiam du-
cis, alios æmulatio & certamen, vt prouocarent, pro-
uocatíque haud abnuerent, traxit. quidam quas di-
sceptando controuersias finire nequiuerant, aut no-
luerant, pacto inter se, vt victorem res sequeretur,
ferro decreuerunt. Neque obscuri generis homines,
sed clari illustrésque, Corbis & Orsua, patrueles fra-
C tres de principatu ciuitatis, quam Ibem vocabant,
ambigentes, ferro se certaturos professi sunt. Corbis
maior erat ætate. Orsuæ pater princeps proximè
fuerat, à fratre maiore post mortem eius principatu
accepto. Cùm verbis disceptare Scipio vellet, ac se-
dare iras, negatum id ambo dicere communibus
cognatis: nec alium deorum hominúmve, quàm
Martem se iudicem habituros esse. Robore maior,
minor flore ætatis ferox, mortẽ in certamine, quàm
vt alter alterius imperio subiiceretur, præoptantes,
D quod ab tanta rabie dirimi nequirent, insigne spe-
ctaculũ exercitui præbuere, documentúmque, quá-
tum cupiditas imperij malum inter mortales esset.
Maior vsu armorum & astu facilè stolidas vires mi-
noris superauit. Huic gladiatorum spectaculo ludi
funebres additi pro copia, & prouinciali & castrensi
apparatu. Res interim nihilo minus ab legatis ge-
rebantur. Martius superato Bæte amni, quem incolæ
Cirtium appellant, duas opulentas ciuitates sine
certamine in ditionem accipit. Astapa vrbs erat,
Carthaginiensium semper partis: neque id tam di-
E gnum ira erit, quàm quod extra necessitates belli
præcipuum in Romanos gerebant odium. nec vrbẽ
aut situ, aut munimento tutam habebant, quæ fero-
ciores iis animos faceret, sed ingenia incolarum la-
trocinio læta, vt excursiones in finitimum agrum
sociorum populi Romani facerent, impulerant, &
vagos milites Romanos, lixásque aut mercatores
exciperent. magnum etiam comitatum, quia paucis
parum tutum fuerat, transgredientem fines positis
F insidiis circumuentum iniquo loco interfecerant.
Ad hanc vrbem oppugnandam cum admotus exer-
citus esset, oppidani cõscientia scelerum, quia nec
deditio tuta ad tam infestos videbatur: nec spes mœ-
nibus aut armis tuendæ salutis erat, facinus in se ac
suos fœdum ac ferum consciscunt. Locum in foro
destinant, quo preciosissima rerum suarum conge-
rerent, super eum cumulum coniuges ac liberos
considere cũ iussissent, ligna circa extruunt. facésq;
virgultorum coniiciunt. quinquaginta deinde ar-
G tis iuuenibus præcipiunt, vt donec incertus
euentus pugnæ esset, præsidium eo loco fortuna-
rum suarum corporúmque, quæ cariora fortunis es-
sent, seruarent, si rem inclinatam viderent, atque in
eo iam esse vt vrbs caperetur: scirent, omnes quos
euntes in prælium cernerent, mortem in ipsa pugna
obituros. illos se per deos superos inferosque orare,
vt memores libertatis quæ illo die aut morte ho-
nesta, aut seruitute infami finienda esset, nil relin-
querent in quod sæuire iratus hostis posset. ferrum
ignémque

ignémque in manibus esse amicæ, ac fideles potius ea quæ peritura forent, absumerét manus, quàm insultarent superbo ludibrio hostes. His adhortationibus execratio dira adiecta, si quem à proposito spes mollitiáve animi flexisset. inde concitato agmine patentibus portis ingenti cum tumultu erumpunt. Neque erat vlla satis firma statio opposita, quia nihil minus quàm vt egredi mœnibus auderent, timeri poterat. perpaucæ equitũ turmæ, læuísque armatura repentè castris ad ipsum emissa occurrit. Acrior impetu atque animis, quàm compositior ordine vllo pugna fuit. Itaque pulsus eques qui primum hosti se obtulerat, terrorem intulit leui armaturæ. pugnatúmque sub ipso vallo foret, ni robur legionum, perexiguo ad instruendum dato tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, cùm cæsi furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerét: dein vetus miles aduersus temerarios impetus pertinax, cęde primorum insequentes suppressit. conatus paulò post vltro inferre pedem, vt neminẽ cedere, atq. obstinatos mori in vestigio quemque suo vidit: patefacta acie quod vt facere posset, multitudo armatorum facilè suppeditabat, cornua hostium amplexus in orbem pugnantes ad vnum omnes occidit. Atque hæc tamen hostium iratorum, ac tum maximè dimicantium iure belli in armatos repugnátésq. edebantur. Fœdior alia in vrbe trucidatio erat, cùm turbá fœminarum puerorúmque imbellẽ inermemq; ciues sui cæderent, & in succensum rogum semianima pleraque inijcerent corpora, riuique sanguinis flammam orientem restinguerent: postremo ipsi cæde miseranda suorum fatigati, cum armis medio incẽdio se iniecerunt. Iam cędi perpetratæ victores Romani superuenerunt. ac primo conspectu tam fœdè rei mirabundi parumper obstupuerunt. dein cum aurum argentúmque cumulo rerum aliarum interfulgens auiditate ingenij humani rapere ex igne vellent correpti alij flamma sunt, alij ambusti afflatu vaporis, cũ receptus primis vrgente ab tergo ingenti turba non esset. Ita Astapa sine pręda militũ ferro ignique absumta est. Martius ceteris eius regionis metu in deditionem acceptis, victorẽ exercitum Carthaginem ad Scipionem reduxit. Per eos ipsos dies perfugæ à Gadibus venerunt, pollicentes, vrbem Punicumque præsidium quod in ea esset, & imperatorem præsidij eum classe prodituros esse. Mago ibi ex fuga substiterat: nauibusq; in Oceano collectis, aliquantum auxiliorum & trans fretum Africæ oræ, & ex proximis Hispanię locis per Hannonem præfectum coegerat. Fide accepta datáque perfugis, & Martius eo cum expeditis cohortibus, & Lælius cum septem triremibus, & quinqueremi vna est missus, vt terra marique communi consilio rem gererent. Scipio ipse graui morbo implicitus, grauiore tamen fama, cùm ad id quisq; quod audierat, insita hominibus libidine alendi de industria rumores, adijceret aliquid: prouinciam omnem, ac maximè longinqua eius turbauit: apparuitq; quantá excitatura molem vera fuisset clades, cum vanus rumor tantas procellas exciuisset. non socij in fide, non exercitus in officio mansit. Mandonius & Indibilis, quibus, quia regnum sibi Hispanię pulsis inde Carthaginiensibus destinarant animis, nihil pro se contigerat: concitatis popularibus (Lacetani autem erant) & iuuẽtute Celtiberorum excitata, agrũ Suessitanum Sedetanumque sociorum populi Romani hostiliter depopulati sunt. Ciuilis alius furor in castris ad Sucronem ortus. Octo ibi millia militum erant, præsidium gentibus, quę cis Iberum in-

A colunt, impositum. Motę autem eorum mentes sũt, nõ tum cum primum de vita imperatoris dubij rumores allati sunt: sed iam antè licẽtia ex diutino, vt fit, otio collecta, & nonnihil, quod in hostico laxius rapto suetis viuere, arctiores in pace res erãt. Ac primo sermones tantum occulti serebantur. si bellum in prouincia esset, quid sese inter pacatos facere? si debellatum in prouincia esset, cur in Italia non re- B uehi? Flagitatum quoq; stipendium procacius, quã ex more & modestia militari erat, & à custodibus probra in circumeuntes vigilias tribunos iacta: & noctu quidam prædatum in agrum circa pacatum ierant: postremò interdiu ac propalàm sine commeatu ab signis abibant. omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militiæ, aut imperio eorum qui præerant, gerebatur. forma tamen Romanorum castrorum constabat vna ea spe, quod tribunos ex contagione furoris haud expertes C seditionis defectionisque rati fore, & iura reddere in principiis sinebant, & signum ab eis petebant, & in stationes ac vigilias ordine ibant: & vt vim imperij abstulerant, ita speciem dicto parentium vltrò ipsi imperantes seruabant. Erupit deinde seditio, postquam reprehendere atque improbare tribunos ea quæ fierent, & conari obuiam ire. & propalàm abnuere furoris eorũ se futuros socios, senserũt. Fugatis itaq. ex principiis, ac paulò post è castris tribunis, ad principes seditionis gregarios milites, C. D Albium Calenum, & C. Atrium Vmbrum, delatum omnium consensu imperium est. qui nequaquam tribunitiis contenti ornamentis, insignia etiam sũmi imperij, fasces securésque attrectare ausi: neque iis venit in mentem, suis tergis, suis ceruicibus virgas illas securésque imminere; quas ad metum aliorum præferrent. Mors Scipionis falso credita occęcabat animos: sub cuius vulgatam iam famá nó dubitabant totam Hispaniam arsuram bello, in eo tumultu & sociis pecunias imperari, & diripi propinquas vrbes posse, & turbatis rebus, cum omnia om- E nes auderent, minus insignia fore quæ ipsi fecissent. Cùm alios subinde recentes nuntios non mortis modo, sed etiam funeris exspectarent, neque superueniret quisquã, euanescerétque temerè ortus rumor: tũ primi auctores requiri cœpti. & subirascentes quoq. vt credidisse potius temere, quàm finxisse rem talem videri possét: destituti duces iam sua ipsi insignia, & pro vana imagine imperij quod gererent, veram iustámque: mox in se versuram potestatem exhorrebant. Stupenti ita seditioni, cum viuere F primo, mox etiam valere Scipionem, certi auctores afferrent: tribuni militum septem ab ipso Scipione missi superuenerunt. Ad quorum primum aduentũ exasperati animi: mox ipsi placido sermone permulcentibus notos, cum quibus congressi erant, leniti sunt. circumeuntes enim tentoria primo, deinde in principiis prætorióque, vbi sermones inter se serentium circulos vidissent, alloquebantur: percunctantes magis, quæ caussa iræ consternationisque subitę G foret, quàm factum accusantes. Vulgo stipendium non datum ad diem iactabatur: & cùm eodem tempore, quo scelus Illiturgitanum exstitisset, post duorum imperatorum duorúmq. exercituum stragem, sua virtute defensum nomen Romanum, ac retentã prouincia esset, Illiturgitanos pœná noxæ meritam habere: suis rectè factis gratiam qui exsoluat non esse. Talia quærentes, æqua orare, seque ea relaturos ad imperatorem respondebant. lætari, quod nihil tristius nec insanabilius esset: & P. Scipionem deũ benignitate, & rempublicam esse gratiæ referendæ. Scipionem bellis assuetum, ad seditionum procellas

rudem, sollicitum habebat res, ne aut exercitus peccando, aut ipse puniendo modum excederet. in præsentia, vt cœpisset, leniter agi placuit, & missis circa stipendiarias ciuitates exactoribus, stipendij spem propinquam facere. Edictum subinde propositum, vt ad stipendium petendum cōuenirent Carthaginem, seu carptim partes, seu vniuersi mallent. Tranquillam seditionem iam per se languescentem repentina quia rebellantium Hispanorum fecit. redierant enim in fines omisso incœpto Mandonius & Indibilis, postquam viuere Scipionem allatum est. nec iam erat aut ciuis, aut externus, cum quo furorem suum consociarent. omnia circumspectantes consilia, nihil reliqui habebant, præter vulgatissimū à malis consiliis receptum, vt imperatoris vel iustæ iræ, vel non desperandæ clementiæ sese committerent. etiam hostibus eum ignouisse, cum quibus ferro dimicasset: suam seditionē sine vulnere, sine sanguine fuisse. nec ipsam atrocem, nec atroci pœna dignam: vt ingenia humana sunt ad suam cuique leuandam culpam nimio plus facunda. Illa dubitatio erat, singulæne cohortes, an vniuersi ad stipendium irent. inclinauit eò sententia, quod tutius censebant vniuersos ire. Per eosdem dies quibus hæc illi consultabant, consilium de iis Carthagine erat: certabatúrque sententiis, vtrum in auctores tantùm seditionis (erant autem hi numero haud plus quam quinque & triginta) animaduerteretur, an plurium supplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis quàm seditio esset. Vicit sententia lenior, vt vnde orta culpa esset, ibi pœna consisteret. ad multitudinem castigationem satis esse. Concilio dimisso, vt id actum videretur: expeditio aduersus Mādoniū Indibilémque edicitur exercitui qui Carthagine erat, & cibaria dierum aliquot parare iubetur. tribunis septem, qui & antea Sucronem ad leniēdam seditionem ierant, obuiam exercitui missis, quina nomina principum seditionis edita sunt; vt eos per idoneos homines benigno vultu ac sermone in hospitium inuitatos, sopitosque vino vincerent. Haud procul iam Carthagine aberāt, cum ex obuiis auditum, postero die omnem exercitum M. Syllano in Lacetanos proficisci, non metu modo omni qui tacitus insidebat animis, liberauit eos: sed lætitiam ingentem fecit, quod magis habituri solum imperatorem, quàm ipsi futuri in potestate eius essent. Sub occasum solis vrbē ingressi sunt, exercitúmque alterum parantem omnia ad iter viderunt. Excepti sermonibus de industria compositis, lætū opportunúmque aduentum eorum imperatori esse, quod sub ipsam profectionem alterius exercitus venissēt, corpora curāt. à tribunis sine vllo tumultu auctores seditionis per idoneos homines inducti in hospitia, comprehensi ac vincti sunt. Vigilia quarta impedimenta exercitus, cui simulabatur iter, proficisci cœpere. sub lucem signa mota, & ad portam retentum agmen: custodésque circa omnes portas missi, ne quis vrbe egrederetur. Vocati deinde ad concionem qui pridie venerant, ferociter in forum ad tribunal imperatoris, vt vltrò territuri succlamationibus concurrunt. Simul & imperator in tribunal conscendit, & reducti armati à portis inermi se concione ab tergo circumfuderunt. tum omnis ferocia concidit, & (vt postea fatebantur) nihil æquè eos terruit, quàm præter spem robur & color imperatoris, quem affectum visuros crediderant, vultusq; qualem ne in acie quidem aiebant meminisse. Sedit tacitus paulisper, donec nuntiatum est deductos in forum auctores seditionis, & parata iam omnia esse. Tum silentio per præconem facto ita

A cœpit: Nunquā mihi defuturam orationē, qua exercitum meum alloquerer, credidi: non quo verba vnquam potius quàm res exercuerim, sed quia propè à pueritia in castris habitus assueueram militaribus ingeniis. apud vos quēadmodū loquar, nec consiliū, nec oratio suppeditat: quos nec quo nomine quidē appellare debeam, scio. ciues? qui à patria vestra desciuistis. an milites? qui imperium auspiciúmque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. hostes? corpora, ora, vestitum, habitum ciuium agnosco: B facta, dicta cōsilia, animos hostium video. Quid enim vos nisi quod Illitergetes & Lacetani, aut optastis aliud, aut sperastis? & illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiæ nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspicium & imperium ad Vmbrum, Atrium, & Calenum Albinum detulistis. Negate vos id omnes fecisse, aut factū voluisse milites. paucorum enim furorem atque amentiam esse, libēter credam negātibus. nec enim ea sunt commissa, quę vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingenti- C bus expiari possint. inuitus ea tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta tractatáque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullū locum in tota prouincia, nullos homines credebam esse, vbi vita inuisa esset mea. sic me non solùm aduersus socios gesseram, sed etiam aduersus hostes. In castris meis (en quantum me opinio fefellit) fama mortis meæ non accepta solum, sed etiā exspectata est: non quod ego vulgari facinus per omnes velim: (equidem si totum exercitum meum mortem mihi D optasse crederē, hic statim ante oculos vestros morerer: nec me vita iuuaret inuisa ciuibus & militibus meis) sed multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis est, vt vēti & auræ ciēt, aut tranquilli, aut procellosi. Et caussa in vobis atque origo omnis furoris penes auctores est, vos contagione insanistis. Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parētésque ac liberos vestros, quid in deos sacramēti testes, quid aduersus auspicia, sub E quibus militastis, quid aduersus mortē militiæ, disciplinámque maiorū, quid aduersus summi imperij maiestatē ausi sitis. De me ipso taceo, temerè potius quàm auidè credideritis: is denique ego sū, cuius imperij tędere exercitū minimè mirandum sit: patria quid de vobis meruerat, quam cū Mandonio & Indibili consociando consilia prodebatis? quid populus Romanus? cū imperiū ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines priuatos detulisti? cum eo ipso nō cōtenti, si pro tribunis illos ha- F beretis, fasces imperatoris vestri ad eos, quibus seruus, cui imperarent, nunquā fuerat, Romanus exercitus detulistis. In prætorio tetenderunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit, signum ab iis petitū est: sederunt in tribunali proconsulis Scipionis: lictor apparuit: submouēte eo incesserunt: fasces & secures prælatæ sunt. Lapides pluere, & fulmina iaci de cœlo, & insuetos fœtus animalia edere, vos portenta esse putatis? hoc est portentum, quòd nullis hostiis, nullis supplicationibus sine sanguine eorū G qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit. Atque ego, quanquam nullum scelus rationem habet; tamen vt in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus ciuitatis, vrbem opulentam per decem annos tenuit. propter quod facinus tota legio, millia hominū quatuor in foro Romę securi percussi sunt. Sed illi primum non Atriū Vmbrū semilixam, nominis etiā abominandi ducē, sed Deciū Iubelliū tribunum

bonũ secuti sunt: nec cũ Pyrrho, nec cũ Samnitibus A aut Lucanis hostib. pop. Ro. se cõiunxerant. vos cum Mandonio & Indibili consilia cõmunicastis, & arma consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam Tuscis veteribus cultoribus ademtam, Mamertini in Sicilia Messanam, sic Rhegium habituri perpetuã sedem erant: nec pop. Rom. nec socios populi Rom. vltra lacessituri bello Sucronémne vos domicilium habituri eratis? vbi si vos decedens confecta prouincia imperator relinquerem, deûm hominumque fidem implorare debebatis, quod non rediretis ad B coniuges liberosque vestros. sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meique, eieceratis ex animis vestris. Viam consilij scelerati, sed non ad vltimum dementis exsequi volo. Meus viuo, & cetero incolumi exercitu, cum quo ego die vna Carthaginem cepi, cum quo quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugaui, Hispania expuli: vos octo millia hominum, maioris certè omnes pretij quàm Albius & Atrius sunt, quibus vos subiecistis, Hispaniam prouinciam populo Romano C erepturi eratis? Amolior & amoueo nomen meum: nihil vltra facilè creditam mortem meam à vobis violatus sim. quid? si ego morerer, mecum exspiratura respub. mecum casurum imperium populi Romani? ne istuc Iupiter Opt. Max. sinat, vrbem auspicato diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem esse. Flaminio, Paulo, Graccho, Posthumio Albino, M. Marcello, T. Quintio Crispino, Cn. Fuluio, Scipionibus meis, tot tam claris imperatoribus vno bello absumtis D superstes est populus Romanus, eritque mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus: meo vnius funere elata populi Romani esset respublica? Vos ipsi hic in Hispania patre & patruo meo duobus imperatoribus interfectis, Septimium Martium ducem vobis aduersus exsultantes recenti victoria Pœnos delegistis. & sic loquor tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint, M. Syllanus eodem iure, eodem imperio mecum in prouinciam E missus, L. Scipio frater meus, & C. Lælius legati, vindices maiestatis imperij deessent? vtrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, in caussa comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis, arma tamen Pœnis contra patriam, contra ciues vestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem vrbi Romæ imperare velletis? quam ob noxam patriæ? Coriolanum quondam damnatio iniusta, miserum & indignum exsilium, vt iret ad oppugnandam patriam impulit: reuocauit tamen à publico parricidio priuata pietas. vos qui dolor, quæ ira incitauit, F stipendiumne diebus paucis imperatore ægro serius numeratum, satis digna caussa fuit, cur patriæ indiceretis bellum? cur ad Illergetes descisceretis à populo Romano? cur nihil diuinarum, humanarúmve rerum inuiolatum vobis esset? Insanistis profectò milites: nec maior in corpus meum vis morbi, quàm in vestras mentes inuasit. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid sperauerint, quid optauerint. auferat omnia irrita obliuio, si potest: si non, vtcunque silentium tegat. G Non negauerim, tristem atrocémque vobis visam orationem. quanto creditis facta vestra atrociora esse, quàm dicta mea? & me ea quæ fecistis, pati æquum censetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo ferretis? sed ne ea quidem ipsa vltra exprobrabuntur. vtinam tam facile vos obliuiscamini, eorum quàm ego obliuiscar. Itaque quod ad vos vniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis superque pœnarum habeo. Albius Calenus, & Atrius Vmber, & ceteri nefariæ seditionis auctores sanguine luent quod admiserunt. vobis supplicij eorum spectaculum non modo non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens rediit, debet esse. de nullis enim quàm de vobis infestius aut iniquius consuluerunt. Vix finem dicendi fecerat, cùm ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit. præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio nudi in medium protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicij expromebatur. deligati ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi, adeò torpentibus metu qui aderant, vt non modo ferocior vox aduersus atrocitatem pœnæ, sed ne gemitus quidem exaudiretur. Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco, citati milites nominatim apud tribunos militũ in verba P. Scipionis iurarunt, stipendiumque ad nomen singulis persolutum. Hunc finem exitumq. seditio militum cœpta apud Sucronem habuit. Per idem tempus ad Bætim fluuium Hanno præfectus à Magone missus à Gadibus, cum parua manu Afrorum, mercede Hispanos solicitando, ad IIII. millia iuuenum armauit. castris deinde exutus ab L. Martio, maxima parte militum inter tumultum captorum castrorum, quibusdam etiã in fuga amissis palatos persequente equite, cũ paucis ipse effugit. Cum hæc ad Bætim fluuium geruntur, Lælius interim freto in Oceanum euectus, ad Carteiam classe accessit. Vrbs ea in ora Oceani sita est, vbi primum è faucibus angustis panditur mare. Gadeis sine certamine proditione recipiendi, vltro qui eam rem pollicerentur, in castra Romana venientibus, spes sicut ante dictum est, fuerat: sed patefacta immatura proditio est, comprehensosque omnes Mago Adherbali prætori Carthaginem deuehendos tradit. Adherbal coniuratis in quinqueremem impositis, præmissaque ea, quia tardior quàm triremis erat, ipse cum octo triremibus modico interuallo sequitur. Iam fretum intrabat quinqueremis, cùm Lælius & ipse in quinqueremi è portu Carteiæ sequentibus septem triremibus euectus, in Adherbalem ac triremes inuehitur, quinqueremem satis credens deprehensam, rapido in freto in aduersum æstum reciprocari non posse. Pœnus in re subita parumper incertus trepidauit, vtrum quinqueremem sequeretur, an in hostes rostra conuerteret. ipsa cunctatio facultatem detrectandæ pugnæ ademit. iam enim sub ictu teli erant, & vndique instabãt hostes, æstus quoque arbitrium moderandi naues ademerat. neq; erat nauali pugna similis quippe vbi nihil voluntarium nihil artis aut cõsilij esset, vna natura freti æstusque totius certaminis potens, suis alienis nauibus, nequicquam remigio in contrariam tendentes inuehebat: vt fugientem videres retro vertice intortam victricibus illatam: & sequentem, si in contrarium tactum incidisset maris, fugientis modo sese auertentem. Iam in ipsa pugna, hæc cum infestò rostro peteret hostium nauem, obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat: illa cum transuersa obiiceretur hosti. repentè intorta in proram circumagebatur. Cùm inter triremes fortuna regente anceps prælium misceretur, quinqueremis Romana seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vertices, cùm facilius regeretur duas triremes suppressit, vnius prælata impetu alteris alterius remos detersit. ceterasq. quas indepta esset, mulctasset, nisi cum reliquis quinque

nauibus Adherbal velis in Africam transmisisset, Lælius victor Carteiam reuectus, auditis quæ acta Gadibus erant. patefactam proditionem, coniuratósque missos Carthaginem, spe in irritum redacta, qua venissent: nuntiis ad L. Martium missis, nisi terere frustra tempus sedendo ad Gadeis vellent, redeundum ad imperatorem esse: assentiente Martio, paucos post dies ambo Carthaginem rediere. Ad quorum discessum non respirauit modo Mago, cum terra marique ancipiti metu vrgeretur: sed etiam audita rebellione Illergetum, spem recuperandæ Hispaniæ nactus, nuntios Carthaginem mittit ad senatum: qui simul seditionem ciuilem in castris Romanis, simul defectionem sociorum in maius verbis extollentes, hortarentur, vt auxilia mitterent, quibus traditum à patribus imperium Hispaniæ repeti posset. Mandonius & Indibilis in fines ingressi, paulisper, dum quidnam de seditione statueretur, scirent, suspensi quieuerunt: si ciuium errori ignosceretur, non diffidentes sibi quoque ignosci posse. postquam vulgata est atrocitas supplicij, suam quoque noxam pari pœna æstimatam rati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractísque quæ ante habuerant auxiliis, in Sedetanum agrum, vbi principio defectionis statiua habuerant, cum XX. millibus peditum, duobus millibus equitũ & quingentis transcenderunt. Scipio cum fide soluendi pariter omnibus noxiis innoxiisque stipendij, tũ vultu ac sermone in omnes placato facilè reconciliatis militum animis, priusquam castra à Carthagine moueret, concione aduocata, multis verbis in perfidiam rebellantium regulorũ inuectus, nequaquam eodẽ animo se ire professus est ad vindicandũ id scelus, quo ciuilem errorem nuper sanauerit. Tum se haud secus, quam viscera secantem sua, cũ gemitu & lacrymis triginta hominũ capitibus expiasse octo millium seu imprudentiam seu noxam: nunc læto & erecto animo ad cædem Illergetum ire. non enim eos neque natos in eadem terra, nec vlla secũ societate iunctos esse. eam, quæ sola fuerit, fidem atque amicitiam ipsos per scelus rupisse, in exercitu suo se, præterquam quod omnes ciues aut socios, Latinique nominis videat etiam eo moueri, quod nemo fere sit miles, qui non aut à patruo suo Cn. Scipione, qui primus Romani nominis in eã prouinciam venerit, aut à patre consule, aut à se sit ex Italia aduectus. Scipionũ nomini auspiciísq; omnes assuetos, quos sẽ cũ in patriã ad meritũ triũphũ deducere velit: quos consulatum petenti, velut si omnium communis agatur honos, affuturos speret. Quod ad expeditionem eam attineat, quæ instet, immemorem esse rerum suarum gestarum, qui id bellũ ducat. Magonis hercule sibi, qui extra orbem terrarum in circumfusam Oceano insulã cum paucis perfugerit nauibus, maiorem curam esse, quàm Illergetum. Quippe illic & ducem Carthaginiensẽ, & quantumcunque Punicum præsidiũ esse: hic latrones, latronúmque duces: quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectáque vrenda, & rapienda pecora aliqua vis sit, ita in acie ac signis collatis nullũ esse. magis velocitate ad fugam quàm armis fretos pugnaturos esse. Itaque non quod vllum inde periculum, aut semen maioris belli videat, ideo se, priusquam prouincia decedat, opprimendos Illergetes duxisse. sed primum, ne impunita tam scelerata defectio esset: deinde, ne quis in prouincia simul virtute tanta & felicitate perdomita, relictus hostis dici posset. Proinde deis bene iuuantibus sequerentur, non tam ad bellum gerendum (neque enim cum pari hoste cer-

A tamen esse) quàm ad expetendas ab hominibus scelestis pœnas. Ab hac oratione dimissos a[illegible] se comparare in diem posterum iubet, profectúsque decimis castris peruenit ad Iberum flumen. inde superato amni, die quarto in conspectu hostium posuit castra. Campus autem montibus circumseptus erat. in eam vallem Scipio cum pecora rapta pleraque ex ipsorum hostium agris, propelli ad irritandam feritatem barbarorum iussisset, velites subsidio misit. à quibus vbi per procursationem commissa pugna esset, Lælium cum
B equitatu impetum ex occulto facere iubet. mons opportunè prominens equitum insidias texit. Nec vlla mora pugnæ facta est. Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos præda occupatos incurrere. Primò missilibus territauere: deinde missis leuibus telis, quæ irritare magis quàm decernere pugnam poterant, gladios nudant, & collato pede res cœpta geri est: ancépsque pedestre certamen erat, ni equites superuenissent. neque ex aduerso tantùm illati obuios obtriuere, sed cir-
C cumuecti etiam quidam per infima cliui ab tergo se, vt plerosque intercluderent, obiecere. maiórque cædes fuit, quàm quantam edere leuia per excursiones prælia solent. Ira magis accensa aduerso prælio barbaris est, quàm imminuti animi. Itaque ne perculsi viderentur, prima luce postero die in aciem processere. Non capiebat omnes copias angustiæ, sicut antè dictum est: vallis duæ fermè peditum partes, & omnis equitatus in aciem descendit: quod reliquum peditum erat, obliquo constite-
D runt colle. Scipio pro se esse loci angustias ratus, & quod in arcto pugna Romano aptior quàm Hispano militi futura videbatur: & quod in eum locum detracta hostium acies esset, qui non omnem multitudinem eorum caperet: nouo etiam consilio adiecit animum, equitem nec se posse circumdare cornibus in tam angusto spatio: & hosti, quem cum pedite eduxisset, inutilem fore: itaque imperat Lælio, vt per colles quàm occultissimo
E itinere circumdat equites: segregétque, quantum possit, equestrem à pedestri pugna. ipse omnia signa peditum in hostes vertit: quatuor cohortes in fronte statuit, quia latius pandere aciem non poterat. moram pugnandi nullam fecit, vt ipso certamine auerteret à conspectu transeuntium per colles equitum. nec antè circumductos sensere, quàm tumultum equestris pugnæ ab tergo accepere. ita duo diuersa prælia erant, duæ peditum acies, duo equitatus per longitudinem campi (quia
F misceri ex genere vtroque prælium angustiæ non patiebantur) pugnabant. Hispanorum cum neque pedes equiti, nec eques pediti auxilio esset, pedes fiducia equitis temere commissus campo cæderetur: eques circumuentus nec peditem à fronte (iam enim stratæ pedestres copiæ erant) nec ab tergo equitem sustineret: & ipsi cum diu in orbem sese stantibus equis defendissent, ad vnum omnes cæsi sunt: nec quisquam peditum equitúmve superfuit, qui in valle pugnauerunt. Tertia pars, quæ in colle ad spectaculum ma-
G gis tutum quàm ad partem pugnæ capessendam steterat, & locum & tempus ad fugiendum habuit. inter eos & reguli ipsi fugerunt, priusquam tota circumueniretur acies, inter se tumultum elapsi. Castra eodem die Hispanorum præter ceteram prædam cum tribus fermè millibus hominum capiuntur. Romani sociique ad mille CC. eo prælio ceciderunt, vulnerata amplius tria millia hominum. minus cruenta victoria

ctoria fuiſſet , ſi patentiore campo , & ad fugam
capeſſendam facili foret pugnatum. Indibilis ab-
iectis belli conſiliis, nihil tutius afflictis rebus ex-
perta fide & clementia Scipionis ratus, Mando-
nium fratrem ad eum emittit. Qui aduolutus
genibus , fatalem rabiem temporis eius accuſat,
cum velut contagione quadam peſtifera non Il-
lergetes modo & Lacetani , ſed caſtra quoque Ro-
mana inſanierint. ſuam quidem & fratris, & reli-
quorum popularium eam conditionem eſſe , vt
aut, ſi ita videatur, reddant ſpiritum Pub. Scipioni,
ab eodem illo acceptum : aut ſeruati bis vni de-
bitam vitam pro eo in perpetuum deuoueant. an-
tea in cauſſa ſua fiduciam ſibi fuiſſe, nondum ex-
perta clementia eius: nunc contra , nullam in cauſ-
ſa , omnem in miſericordia victoris ſpem repoſi-
tam habere. Mos vetuſtus erat Romanis , cum
quo nec fœdere nec æquis legibus iungerentur a-
micitia , non prius imperio in eum tanquam pa-
catum vti , quam omnia diuina humanáque dediſ-
ſet: obſides accepti , arma adempta , præſidia vrbi-
bus impoſita forent. Scipio multis inuectus in
præſentem Mandonium , abſentémque Indibilem
verbis illos quidem merito perituros fuiſſe ipſo-
rum maleficio , ait : victuros ſuo atque populi Ro-
mani beneficio. Ceterum ſe neque arma iis adẽtu-
rum: quippe ea pignora timentium rebellionem eſ-
ſe: ſe libera arma relinquere , ſolutoſque metu ani-
mos: neque ſe in obſides innoxios, ſed in ipſos ſi de-
fecerint , ſæuiturum: nec ab inermi , ſed ab armato
hoſte pœnas expetiturum. vtramque fortunam ex-
pertis permittere ſeſe , vtrum propitios, an iratos
habere Romanos mallent. Ita dimiſſus Mandonius,
pecunia tantummodo imperata, ex qua ſtipendium
militi præſtari poſſet. Ipſe Martio in vlteriorem Hi-
ſpaniam præmiſſo , Syllano Terraconem remiſſo,
paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Il-
lergetes pernumerarent , cum expeditis Martium
iam appropinquantem Oceano aſſequitur. Incoa-
ta res iam ante de Maſaniſſa, aliis atque aliis de
cauſſis dilata erat , quod Numida cum ipſo vtique
congredi Scipione volebat, atque eius dextra fidem
ſancire. ea tum itineris tam longi ac tam deuij cauſ-
ſa Scipioni fuit Maſaniſſa cum Gadibus eſſet , cer-
tior aduentare eum à Martio factus , cauſando cor-
rumpi equos incluſos in inſula , penuriámque om-
nium rerum & facere ceteris , & ipſos ſentire , ad
hoc equitem marceſcere deſidia : Magonem perpu-
lit, vt ſe traiicere in continentem ad depopulandos
proximos Hiſpaniæ agros pateretur. Tranſgreſſus
tres principes Numidarum præmittit ad tempus lo-
cúmque colloquio ſtatuendum: duos pro obſidibus
retineri à Scipione iubet : remiſſo tertio , qui quo
iuſſus erat, adduceret Maſaniſſam : cum paucis in
colloquium venerunt. Ceperat iam antè Numi-
dam ex fama rerum geſtarum admiratio viri : ſub-
ſtitueratque animo ſpeciem quoque corporis am-
plam ac magnificam. ceterum maior præſentis ve-
neratio cepit. & præterquam quod ſuapte natura
multa maieſtas inerat , adornabat promiſſa cæſaries,
habitúſque corporis non cultus munditiis, ſed viri-
lis ac vere militaris : & ætas erat in medio virium
robore , quod plenius nitidiuſque ex morbo velut
renouatus flos iuuentæ faciebat. Prope attonitus i-
pſo congreſſu Numida gratias de fratris filio remiſ-
ſo agit. Ex eo tempore affirmat eam ſe quæſiſſe oc-
caſionem, quam tandem oblatam deum immorta-
lium beneficio non omiſerit. cupere ſe illi, populo-
que Romano operam nauare : ita vt nemo vnus ex-
ternus magis enixè adiuuerit rem Romanam. id ſe,

A etiam ſi iampridem vellet, minus præſtare in Hiſpa-
nia, terra aliena atque ignota potuiſſe: in qua autẽ
genitus educatuſque in ſpem paterni regni eſſet, fa-
cile præſtaturum. ſi quidem eundem Scipionẽ du-
cem in Africam mittant Romani , ſatis ſperare per-
breuis æui Carthaginem eſſe. Lætus eum Scipio vi-
dit audiuítque, cum caput rerum in omni hoſtium
equitatu Maſaniſſá fuiſſe ſciret, & ipſe iuuenis ſpe-
ciẽ animi præ ſe ferret. Fide data acceptaque pro-
B fectus retro Tarraconem eſt. Maſaniſſa permiſſu
Romanorum, ne ſine cauſſa traieciſſe in continen-
tem videretur : populatus proximos agros , Gades
rediit. Magoni, deſperatis in Hiſpania rebus, in qua-
rum ſpem ſeditio primo militaris , deinde defectio
Indibilis animos eius ſuſtulerunt , paranti traiicere
in Africam nuntiatum ab Carthagine eſt, iubere ſe-
natum vt claſſem quam Gadibus haberet, in Italiam
traiiceret : conductáque ibi Gallorum ac Ligurum
C quanta maxima poſſet iuuentute , coniungeret ſe
Annibali : neu ſeneſcere bellum maximo impetu,
maiore fortuna cœptum ſineret. Ad eam rem & à
Carthagine pecunia Magoni aduecta eſt , & ipſe
quantam potuit , à Gaditanis exegit : non ærario
modo eorum, ſed etiam templis ſpoliatis , & priua-
tim omnibus coactis aurum argẽtumque in publi-
cum conferre. Cùm præteruеheretur Hiſpaniæ o-
ram, haud procul Carthagine noua expoſitis in ter-
ram militib. proximos depopulatus agros inde ad
D vrbem claſſem appulit. ibi cum interdiu milites in
nauibus tenuiſſet, nocte in littus expoſitos ad par-
tem eam muri, qua capta Carthago ab Romanis
fuerat, ducit : nec præſidio ſatis valido vrbem te-
neri ratus , & aliquos oppidanorum ad ſpem no-
uandi res aliquid moturos. Ceterum nuntij ex
agris trepidi ſimul populationem agreſtiumque fu-
gam & hoſtium aduentum attulerant . & viſa inter-
diu claſſis erat, nec ſine cauſſa electam ante vrbem
ſtationẽ apparebat. itaque inſtructi armatique in-
tra portã ad ſtagnum ac mare continebantur. V-
E bi effuſi hoſtes , mixta inter milites nauali turba, ad
muros tumultu maiore quàm vi ſubierunt : patefa-
cta repentè porta , Romani cum clamore erum-
punt : turbatóſque hoſtes , ad primum incurſum
coniectumque telorum auerſos vſque ad littus
cum multa cæde perſequuntur. nec niſi naues litto-
ri appulſæ trepidos accepiſſent , ſuperfuiſſet fugæ
aut pugnæ quiſquam. In ipſis quoque trepidatum
nauibus eſt , dum ne hoſtes cum ſuis ſimul irrum-
perent , trahunt ſcalas , pontes , oráſque & ancoras,
F ne in moliendo mora eſſet , præcidunt multi-
que adnantes nauibus , incerti præ tenebris quid
aut peterent aut vitarent, fœdè interierunt. Poſtero
die cum claſſis inde retro ad Oceanum, vnde vene-
rat, fugiſſet: ad octingentos homines cæſi inter mu-
rum littuſque , & ad duo millia armatorum inuen-
ta. Mago cum Gades repetiſſet , excluſus inde ad
Cimbim (haud procul Gadibus is locus abeſt) claſſe
appulſa , mittendis legatis , quærendóque , quod
portæ ſibi ſocio atque amico clauſæ forent: purgã-
G tibus iis, multitudinis concurſu factum, infeſtæ ob
direpta quædam ab conſcendentibus naues militi-
bus ad colloquium Suffetes eorum , qui ſum-
mus Pœnis eſt magiſtratus , cum quæſtore elicuit,
laceratoſque verberibus cruci affigi iuſſit. inde na-
uibus ad Pityuſam inſulam centum millia fermè à
continenti (Pœni tum eam incolebant) traiecit.
itaque claſſis bona cum pace accepta eſt , nec com-
meatus modo benignè præbiti , ſed in ſupplemen-
tum claſſis iuuentus , armaque data quorum fidu-
cia Pœnus in Baleares inſulas (quinquaginta inde

T

millia absunt) transmisit. Duæ sunt Baleares: maior altera, atque opulentior armis virisque: & portum habet, vbi commodè hybernaturum se (& iam extremum autumni erat) censebat. ceterum haud secus quàm si Romani eam insulam incolerent, hostiliter classi occursum est. Fundis vt nunc plurimum, ita tunc solo eo telo vtebantur: nec quisquam alterius gẽtis vnus tantum ea arte, quantum inter alios omnes Baleares excellunt. Itaque tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo in propinquantem iam terræ classem effusa est, vt intrare portum non ausi, auerterent in altum naues. In minorem inde Balearium insulam traiecerunt, fertilem agro, viris armisque haud æquè validam. itaque egressi nauibus supra portum loco munito castra locant: ac sine certamine vrbe agroque potiti, duobus millibus auxiliarium inde conscriptis, missisque Carthaginem ad hybernandum, naues subduxerunt. Post Magonis ab Oceani ora discessum Gaditani Romanis deduntur. Hæc in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque gesta ipse L. Lentulo & L. Manlio Acidino prouincia tradita, decem nauibus Romam rediit. & senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hispania gessisset, disseruit: quoties signis collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset, quas gentes in ditionem populi Romani redegisset. aduersus quatuor se imperatores, quatuor victores exercitus in Hispaniam iuisse, neminem Carthaginiensem in iis terris reliquisse. Ob has res gestas magis tentata est triumphi spes, quàm petita pertinaciter: quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Senatu misso, vrbem est ingressus, argentique præ se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo CCCXLII. & signati argenti magnum numerum. Comitia inde creandis consulibus habuit L. Veturius Philo: centuriæque omnes ingenti fauore P. Scipionem consulem dixerunt. collega additur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus. Ceterum comitia maiore quàm vlla per id bellũ celebrata frequentia proditum memoriæ est. conuenerant vndique non suffragandi modo, sed etiam spectandi caussa P. Scipionis: cõcurrebantque & domum frequentes, & in Capitolium ad immolantem eũ, cùm centum bobus votis in Hispania Ioui sacrificaret: despondebátque animis sicut C. Luctatius superius bellum Punicum finisset, ita id quod instaret, P. Cornelium finiturum: atque vt Hispania omni Pœnos expulisset, sic Italia pulsurum esse. Africamque ei, perinde ac debellatum in Italia foret, prouinciam destinabant. Prætoria inde comitia habita. creati duo, qui tum ædiles plebis erant, Sp. Lucretius & Cn. Octauius, & ex priuatis Cn. Seruilius Cæpio, & L. Æmylius Pappus. Quartodecimo anno Punici belli P. Cornelius Scipio & Licinius Crassus consulatum inierunt: nominatæ consulibus prouinciæ sunt. Sicilia Scipioni extra sortem, concedente collega, quia cura sacrorum pontificem maximum in Italia retinebat, Brutij Crasso. Tum prætoriæ prouinciæ in sortem coniectæ. vrbana Cn. Seruilio obtigit: Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio, Sicilia L. Æmylio, Cn. Octauio Sardinia. Senatus in Capitolio habitus. ibi referẽte P. Scipione, senatusconsultum factum est, vt quos ludos intra seditionem militarem in Hispania vouisset: ex ea pecunia, quam ipse in ærarium detulisset, faceret. Tum Saguntinorum legatos in senatum introduxit. ex eis maximus natu: Etsi nihil vltra malorũ est P. C. quàm quod passi sumus, vt ad vltimum fidem vobis præstaremus: tamen ea vestra

A merita, imperatorumq. vestrorum erga nos fuerunt, vt nos cladium nostrarum non pœniteat. Bellũ propter nos suscepistis: susceptum quartũdecimum annum tam pertinaciter geritis, vt sæpe ad vltimum discrimen & ipsi veneritis, & populum Carthaginiensem adduxeritis. Cum in Italia tam atrox bellum & Annibalem hostem haberetis, consules cum exercitu in Hispaniã velut ad colligendas reliquias naufragij nostri misistis. P. & Cn. Cornelij, ex quo in prouinciam venerunt, nullo tempore destiterunt,
B quæ nobis secunda, quæq; aduersa hostibus nostris essent, facere. iam omnium primum oppidum nobis restituerunt: per omnem Hispaniã ciues nostros venundatos, dimissis qui conquirerent, ex seruitute in libertatem restituerunt. cum iam prope esset, vt optabilem ex miserrima fortunam haberemus: P. & Cn. Cornelius imperatores vestri, luctuosius nobis propè quàm vobis perierunt. tum verò ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem antiquam videbamur, vt iterũ periremus, & alterum excidium pa-
C triæ videremus: nec ad perniciem nostram vtiq. aut duce aut exercitu opus esse, ab Turdetanis veterrimis hostibus, qui prioris quoq. excidij caussa nobis fuerãt, exstingui posse: cũ ex insperato repente misistis nobis hunc Pub. Scipionem: quem, fortunatissimi omnium Saguntinorum videmur, quia consulẽ declaratum vidimus, ac vidisse nos, ciuibus nostris renuntiaturi sumus: spem, opem, salutem nostram. qui cum plurimas hostiũ vestrorum cœpisset, in Hispania vrbes vbique ex captorũ numero excerptos
D Saguntinos in patriam remisit. postremo Turdetaniam adeo infestã nobis, vt illa gente incolumi stare Saguntũ non posset, ita bello afflixit, vt non modo nobis (absit verbo inuidia) sed ne posteris quidẽ timenda nostris esset. deletam vrbem cernimus eorum, quorum in gratiã Saguntum deleuerat Annibal. vectigal ex agro eorum capimus, quod nobis nõ fructu iucundius est, quàm vltione. Ob hæc, quibus maiora neq. sperare, neq; optare ab diis immortalibus poteramus, gratias actũ nos decẽ legatos Sagun-
E tinus senatus populúsque ad vos misit: simul gratulatum, quod ita res per hos annos in Hispania atq; Italia gessistis, vt Hispaniam non Ibero amne tenus, sed qua terrarum vltimus finis Oceanus, domitam armis habeatis: Italiæ, nisi quatenus vallum castrorum cingit, nihil reliqueritis Pœno Ioui Opt. Max. præsidi Capitolinæ arcis, non grates tantum ob hęc agere iussi sumus, sed donũ hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium victorię ergo ferre. Id vti permittatis quæsumus: vtique, si vo-
F bis ita videtur, quæ nobis imperatores vestri commoda tribuerunt, ea rata atque perpetua auctoritate vestra faciatis. Senatus legatis Saguntinis respondit, & dirutum & restitutum Saguntum, fidei socialis vtrinque seruatæ documentum omnibus gentibus fore. suos imperatores rectè & ordine & ex voluntate senatus fecisse, quod Saguntum restituerint, ciuésque Saguntinos seruitio exemerint. quæque alia eis benignè fecerint, ea senatũ ita voluisse fieri. donum permittere vt in Capitolio po-
G nerent. Locus inde lautiáque legatis præberi iussa, & muneris ergo in singulos dari, ne minus dena millia æris. Legationes deinde ceteræ in senatũ introductæ auditæque. Et petentibus Saguntinis, vt quatenus tuto possent, Italiam spectatum irent: duces dati, literęque per oppida missæ, vt Hispanos comiter acciperent. Tum de republica, de exercitibus scribẽdis, de prouinciis relatum. Cum Africam nouam prouinciam extra sortem P. Scipioni destinati, homines fama ferrent. & ipse nulla iam modica

gloria

gloria contentus, non ad gerendum modo bellum, sed ad finiendum diceret se consulem declaratum esse: neque aliter finiri id posse, quàm si ipse in Africam exercitum transportasset: & acturum se id per populum aperte ferret, si senatus aduersaretur: idque consilium haudquaquam primoribus patrum placeret: ceterique per metum aut ambitionem mussarent. Q. Fabius Maximus rogatus sententiam: Scio, inquit, multis vestrûm videri Patres conscripti rem actam hodierno die agi, & frustra habiturum orationem, qui tanquam de integra re, de Africa prouincia sententiam dixerit. Ego autem primum illud ignoro, quemadmodum iam certa prouincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit, quam nec senatus censuit in hunc annum prouinciam esse, nec populus iussit. deinde, si est, consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre, senatum ludibrio habet: non senatorum, qui de quo consulitur, suo loco dicit sententiam. Atque ego certum habeo, dissentienti mihi ab ista festinatione in Africam traiiciendi, duarum rerum subeundam opinionem esse: vnius, insitæ ingenio meo cunctationis, quam metum pigritiámque homines adolescentes appellent, dum me non pœniteat: adhuc aliorum speciosiora primo aspectu consilia semper visa, mea vsu meliora. alterius, obtrectationis atque inuidiæ aduersus crescentem indies gloriam fortissimi consulis. A qua suspicione si me neque vita acta & mores mei, neque dictatura cum quinque consulatibus, tantúmque gloriæ belli domique partæ vindicat, vt propius fastidium eius sim, quàm desiderium: ætas saltem liberat. quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest, qui ne filio quidé meo æqualis sit? Me dictatorem, cum vigerem adhuc viribus, & in cursu maximarum rerum essem, recusantem nemo aut in senatu, aut ad populum audiuit, quo minus insectanti me magistro equitum, quod fando nunquam auditum erat, imperium mecum æquaretur. rebus quàm verbis assequi malui, vt qui aliorum iudicio mihi comparatus erat, sua mox confessione me sibi præferret. ne dum ego perfunctus honoribus, certamina mihi atque æmulationes cum adolescente florentissimo proponam: videlicet vt mihi iam viuendo, non solum rebus gerendis fesso, si huic negata fuerit, Africa prouincia decernatur. cum ea gloria quæ parta est, viuendum, atque moriendum est. Vincere ego prohibui Annibalem, vt à vobis, quorum vigent nunc vires, etiam vinci posset. Illud te mihi ignoscere P. Corneli æquum erit, si cum in me ipso núquam pluris famam hominum quàm rempub. fecerim: ne tuam quidem gloriam bono publico preponam. quamquam si aut bellum nullú in Italia, aut is hostis esset, ex quo victo nihil gloriæ quæreretur: qui te in Italia retineret, & si id bono publico faceret, simul cum bello materiam gloriæ tuæ ire ereptum videri posset, cum vero Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annú Italiam obsideat, pœnitebit te P. Corneli gloriæ tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladium nobis caussa fuit, tu consul Italia expuleris? & sicut penes C. Luctatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te huius fuerit: nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa maior clariorque, quàm hæc (modo contingat, vt te consule vincamus) futura est. Ab Drepano atque Eryce detraxisse Amilcarem, quàm Italia expulisse Pœnos atque Annibalem malis? Ne tu quidem, etsi magis partam quàm speratam gloriam amplecteris: Hispania potius quá Italia bello liberata, gloriatus fueris. Non-

A dum is est Annibal, quem non magis timuisse videatur, quàm contempsisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris? nec per istos circuitus, vt cum in Africam traieceris, secuturum te illuc Annibalem speres, potius quam recto hinc itinere, vbi Annibal est, eo bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis? hoc & natura prius est, tua cum defenderis, aliena ire oppugnatum. Pax ante in Italia quàm bellum in Africa sit, & nobis prius decedat timor, quàm vltro aliis inferatur. si B vtrûque tuo ductu auspicióque fieri potest: Annibale hic victo, illic Carthaginem expugna. si altera victoria nouis consulibus relinquenda est: prior cú maior clariorque, tum caussa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem præterquam quod & in Italia & in Africa duos diuersos exercitus alere ærarium non potest, præterquá quod vnde classes tueamur, vnde commeatibus præbendis sufficiamus, nihil reliqui est, periculi tandé quantú adeatur, quẽ fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellú in Africa geret. C Quid si, quod omnes dij omen auertant, & dicere etiam reformidat animus, sed quæ acciderút, accidere possunt) victor Annibal ire ad vrbem pergat: tum demum te consulé ex Africa, sicut Q. Fuluium à Capua accersemus? Quid quod in Africa quoque Mars cómunis belli erit? Domus tibi tua, pater patruúsque intra triginta dies cum exercitibus cæsi, documento sint, vbi per aliquot annos maximis reb. terra marique gerendis amplissimum nomen apud exteras gentes pop. Romani vestræque familiæ fece- D rant. Dies me deficiat, si reges imperatorésque temerè in hostium terras transgressos cum maximis cladib. suis exercitúumque suorú enumerare velim. Athenienses, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, auctore æq; impigro ac nobili iuuene, magna classe in Siciliam transmissa, vna pugna nauali florété rempublicam suam, in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa eadem ista, & M. Attilius, insigne vtriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint. Ne tibi P. Corneli, cum ex al- E to Africam conspexeris, ludus & iocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ Galliæque vectus, Emporias in vrbem sociorum classem appulisti: expositos milites per tutissima omnia ad socios & amicos P. R. Tarraconem duxisti: ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa Iberum exercitus patris patruique tui, post amissos imperatores ferociores calamitate ipsa facti: & dux tumultuarius quidem ille L. Martius, & militari suffragio ad tempus ele- F ctus, ceterum nobilitas ac iusti honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per summum otium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente. Cetera, neque ea eleuo, nullo tamen modo Africo bello comparanda: vbi non portus vllus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non ciuitas socia, non rex amicus, non consistendi vsquam locus, non procedendi. quacunque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Nu- G midisque credis? satis sit semel creditum, nó semper temeritas est felix, & fraus fidem in paruis sibi præstruit, vt cum operæ pretium sit, cum mercede magna fallat. Non hostes patrem patruúmque tuum armis prius quam Celtiberi socij fraude circumuenerunt, nec tibi ipsi à Magone & Asdrubale hostium ducibus, quantum ab Indibili & Mandonio in fidé acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes defectionẽ militú tuorú expertus? Et Syphax & Masanissa se quàm Carthaginiéses malunt potẽtissimos

in Africa esse: Carthaginienses quàm quenquam alium. nunc illos æmulatio inter sese, & omnes caussæ certaminum acuunt, quia procul externus metus est. ostende illis Romana arma, & exercitum alienigenam: iam velut ad commune restinguendum incendium concurrent. Aliter iidem illi Carthaginienses Hispaniam defenderunt: aliter mœnia patriæ, templa deum, aras & focos defendent: cùm euntes in prælium pauida prosequetur coniunx, & parui liberi occursabunt. Quid porro si satis confisi Carthaginienses consensu Africæ, fide sociorum regum, mœnibus suis, cū tuo exercitusque tui præsidio nudatam Italiam viderint: ipsi vltro nouum exercitum in Italiam aut ex Africa miserint? aut Magonem, quem à Balearibus classe transmissa iam præter oram Ligurum alpinorum vectari constat, Annibali se coniungere iusserint? nempe in eodem terrore erimus in quo nuper fuimus, cùm Asdrubal in Italiam transcendit. quem tu, qui non solum Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clausurus, è manibus tuis in Italia emisisti. Victum à te dices: eo quidem minus vellem, & id tua non reipubl. solum caussa, iter datum victo in Italiam esse. Patere nos omnia quæ prospera tibi ac reipubl. in imperio euenere, tuo consilio assignare: aduersa casibus incertis belli & fortunæ legare quo melior fortiorque es, eo magis talem præsidem sibi patria atque vniuersa Italia retinet. Nō potes ne ipse quidē dissimulare vbi Annibal sit, ibi caput atque arcem huius belli esse: quippe qui præ te feras, eam tibi caussam traiiciendi in Africam esse, vt Annibalē eò trahas. Siue igitur hic, siue illic, cum Annibale est tibi futura res. vtrum ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic tuo collegæque exercitu coniuncto? ne Claudius quidem & Liuius Consules tam recenti exemplo, quantum id intersit, documento sunt. Quid? Annibalem vtrum tandem extremus angulus agri Brutij frustra iamdiu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago, & tota socia Africa potentiorem armis virisque faciet? Quod istuc consilium est, ibi malle decernere, vbi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo maiores, quàm vbi duobus exercitibus aduersus vnum tot præliis & tam diuturna ac graui militia fessum, pugnandum sit? Quàm compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. ille consul profectus in Hispaniam, vt Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex prouincia rediit: tu cùm Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras, non quia reipublicæ id vtile, sed quia tibi amplū & gloriosum censes esse, sicut cum prouincia & exercitu relicto sine lege, sine senatusconsulto, duabus nauibus populi Romani imperator fortunam publicam maiestatem imperij, quæ tum in tuo capite periclitabatur, commisisti. Ego P. Cornelium P. C. reipublicæ nobisque, non sibi ipsi priuatim creatum consulem existimo: exercitúsque ad custodiam vrbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules quo terrarum velint, traiiciant. Cùm oratione ad tempus parata Fabius, tum auctoritate & inueterata prudentiæ fama magnā partem senatus & seniores maximè mouisset: pluresque consilium senis quàm animum adolescentis ferocem laudarent. Scipio ita locutus fertur: Et ipse Q. Fabius principio orationis P.C. commemorauit, in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse, cuius ego rei nō tam ipse ausim tantū virū insimulare, quàm quod ea suspicio, vitio orationis an rei, haud sanè purgata est. sic enim honores suos & famam rerū gestarū extulit verbis ad extinguendum inuidiæ crimē, tan-

A quam mihi ab infimo quoque periculū sit, ne mecū æmuletur: & non ab eo qui quia super ceteros excellat, quo me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari nolit. sic senē se perfunctum honoribus, & me intra ætatem filij sui posuit, tanquam non longius quam quantum vitę humanæ spatium est, cupiditas glorię extendatur: maximáque pars eius in memoriam ac posteritatē promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, vt se non cum præsentibus modo, sed cum omnis æui claris viris comparet. Equidem haud dissimulo, me tuas Q. Fabi laudes non assequi solū velle, sed (bona venia tua dixerim) si possim, etiam exsuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi sit, vt nolimus quenquam nostri similem euadere ciuem. Id enim non eorū modo, quibus inuiderimus, sed reipublicæ, & pene omnis generis humani detrimentum sit. Commemorauit quātum essem periculi aditurus, si in Africam traiicerem: vt meam quoque nō solum reipublicæ & exercitus vicem videretur solicitus. Vnde hæc repēte de me cura exorta? cum pater patruusque mei interfecti, cum duo exercitus eorum propè occidione occisi essent: cùm amissæ Hispaniæ, cum quatuor exercitus Pœnorum, quatuórque duces, omnia metu, armisque tenerent: cū quæsitus ad id bellū imperator nemo se ostenderet præter me, nemo profiteri nomen ausus esset: cūm mihi quatuor & viginti annos nato detulisset imperium populus Romanus: quid ita tum nemo ætatem meam, vim hostiū, difficultatem belli, patris patruique recentē cladem commemorabat? vtrum maior aliqua nunc in Africa calamitas accepta est, quàm tunc in Hispania erat? an maiores nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melioresque, quàm tunc in Hispania fuerunt? an ætas mea tunc maturior bello gerēdo fuit, quàm nūc est? an cum Carthaginiensi hoste in Hispania, quàm in Africa bellum geri aptiùs est? Facile est post fusos fugatosque quatuor exercitus Punicos, post tot vrbes vi captas, aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia vsque ad Oceanum, tot regulos, tot sæuas gētes, post receptam totam Hispaniam, ita vt vestigium nullum belli reliquum sit, eleuare meas res gestas: tam hercule quàm si victor ex Africa redierim, ea ipsa eleuare, quæ nunc retinendi mei caussa, vt terribilia eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse in Africam, negat vllos patere portus M. Attilium captum in Africa commemorat, tanquā M. Attilius primo accessu ad Africam offenderit: neque recordatur, illi ipsi tam infelici imperatori patuisse, tamen portus Africę, & res egregias primo anno gessisse, & quantum ad Carthaginienses duces attinet, inuictum ad vltimum permansisse, nihil igitur me isto exemplo terrueris: si hoc bello, non priore, si nuper, non annis ante quadraginta ista clades accepta foret, qui ego minus in Africam Regulo capto, quàm Scipionibus occisis in Hispaniam traiicerem nec felicius Xantippū Lacedæmonium Carthagini, quàm me patriæ meæ sinerem natum esse: crescerétque mihi ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis vnius virtute tantum momenti esse. At etiam Athenienses audiendi sunt, temerę in Siciliam omisso domi bello transgressi. Cur ergo, quoniam Græcas fabulas narrare vacat, non Agathoclem potius Syracusanum regem, cum diu Sicilia Punico bello vreretur, transgressum in hanc eandem Africam, auertisse eò bellum vnde venerat, refers: Sed quid vltro metum inferre hosti, & ab se remoto periculo alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus externisque exēplis admonere opus est? maius præsentiusve vllum

excm-

exemplum esse quam Annibal potest? Multum interest, alienos populere fines, an tuos vri excindique videas. plus animi est inferenti periculum, quàm propulsanti. ad hoc maior ignotarum rerum est terror, bona malaque hostium ex propinquo ingressus, fines aspicias. Nō sperauerat Annibal fore, vt tot in Italia populi ad se deficerent, quot defecerunt post Cannensem cladem: Quanto minus quicquam in Africa Carthaginiensibus firmum ac stabile est, infidis sociis, grauibus ac superbis dominis? Adhæc, nos etiam deserti ab sociis, viribus nostris milite Romano stetimus. Carthagine nihil ciuilis roboris est. mercede paratos milites habét Afros Numidasque, leuissima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil moræ sit, vna & traiecisse me audietis, & ardere bello Africam, & molientem hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem. lætiores & frequentiores ex Africa exspectate nuntios, quàm ex Hispania accipiebatis. Has mihi spes subiicit fortuna populi Romani, dij fœderis ab hoste violati testes, Syphax & Masanissa reges: quorum ego fidei ita innitor, vt veriturus perfidiam sim: multa quæ nunc ex interuallo non apparent, bellum aperiet. & id est viri & ducis, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. Habebo Q. Fabi parem quidem Annibalem: sed illum potius ego traham, quàm ille me retineat. in sua terra cogam pugnare eum, & Carthago potius præmium victoriæ erit, quam semiruta Brutiorum castella. Ne quid interim dum traiicio, dum expono exercitum in Africam, dum castra ad Carthaginem promoueo, respublica hic detrimenti capiat: quod tu Q. Fabi cùm victor tota Italia volitaret Annibal, potuisti præstare: hoc vide ne contumeliosum sit, concusso iam & pene fracto Annibale, negare posse Pub. Licinium consulem, virum fortissimum præstare. qui ne à sacris absit, pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ prouinciæ non venit. Si hercule nihilo maturius hoc, quo ego censeo, modo perficeretur bellum: tamen ad dignitatem populi Romani famamque apud reges gentésque externas pertinebat, non ad defendendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animum esse, nec hoc credi vulgarique, quod Annibal ausus sit, neminem ducem Romanorum audere: & priore Punico bello, tum, cum de Sicilia certaretur, toties Africam nostris exercitibus & classibus oppugnatam: nunc cum de Italia certatur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquādo vexata diu Italia, vratur pepuletúrque inuicem Africa. castra Romana potius Carthaginis portis immineant, quàm nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, ceteræ belli clades, quæ in nos per quatuordecim annos ingruerunt, vertantur. Quæ ad rempublicam pertinent, & bellum quod instat, & prouincias de quibus agitur, dixisse satis est. illa longa oratio nec ad vos pertinens sit, si quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania eleuauit, sic & ego contra gloriam eius eludere, & meam verbis extollere velim. neutrum faciam P. C. & si nulla alia re, modestia certe & temperamento linguæ adolescens senem vicero. ita & vixi & res gessi, vt tacitus ea opinione, quam vestra sponte conceptam animis haberetis, facile cōtentus essem. Minus æquis animis auditus est Scipio, quia vulgatum erat, si apud senatum non obtinuisset, vt prouincia Africa sibi decerneretur, ad populum extemplo laturum. Itaque Q. Fuluius,

A qui consul quater & censor fuerat, postulauit à cōsule, vt palàm in senatu diceret, permitterétne patribus, vt de prouinciis decernerent, staturúsque eo esset, quod censuissent, an ad populum laturus? Cum Scipio respondisset, se quod è republica esset, facturum. tum Fuluius: Non ego ignarus quid responsurus facturúsve esses, quæsiui: quippe cum præ te feras, tentare magis quam consulere senatum: & ni prouinciam tibi quam volueris, extemplo decernamus, paratam rogationem habeas. Itaque B à vobis tribuni plebis postulo, inquit, vt sententiam mihi ideo non dicenti, quod si in meā sententiam discedatur, non sit ratum habiturus consul, auxilio sitis. Inde altercatio orta, cum consul negaret æquum esse tribunos intercedere, quo minus suo quisque loco senator rogatus sententiam diceret: Tribuni ita decreuerunt: Si consul senatui de prouinciis permittit, stari eo quod senatus censuerit, placet, nec de ea re ferri ad populum patiemur: si non permittit, qui de ea re sententiam recusabit di- C cere, auxilio erimus. Consul diem ad colloquendū cum collega petiit, postero die permissum senatui est. Prouinciæ ita decretæ: Alteri consuli Sicilia, & triginta rostratæ naues, quas C. Seruilius superiore anno habuisset: permissúmque vt in Africam, si id è repub. esse censeret, traiiceret. Alteri Brutij, & bellum cum Annibale cum eo exercitu quem L. Veturius aut Q. Cæcilius, habuit, & vt L. Veturius & Q. Cæcilius sortirentur inter se, compararéntve, vter in Brutiis duabus legionibus, quas consul reliquisset, D rem gereret: imperiumque in annum ei prorogaretur, cui ea prouincia euenisset. Et ceteris prætoribus consulibusque, qui exercitibus prouinciisque præfuturi erant, prorogata imperia. Q. Cæcilio sorte euenit, vt cū consule in Brutiis aduersus Annibalem bellum gereret. Ludi deinde Scipionis magna frequentia & fauore spectantium celebrati. Legati Delphos ad donum ex præda Asdrubalis portandū missi, M. Pomponius Matho, & Q. Catulus, tulerunt coronam auream cc. pondo, & simulacra spolio- E rum ex M. pondo argenti facta. Scipio cum vt delectum haberet, neque impetrasset, neque magnopere tetendisset, vt volūtarios ducere sibi milites liceret, tenuit: & quia impensæ negauerat reipublicæ futuram classem, si, quæ à sociis darentur ad nouas fabricandas naues, acciperet. Hetruriæ primum populi pro suis quisque facultatibus consulem adiuturos polliciti. Cærites frumētum sociis naualibus, commeatumque omnis generis, Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea in vela, Volaterrani ar- F mamenta nauium & frumentum, Aretini XXX. millia scutorum, galeas totidem, pila, gæsa, hastas lōgas, millium quinquaginta summam pari cuiusque generis numero expleturos: secures, rutra, falces, alueolos, molas, quantum in XL. longas naues opus esset: tritici centum & XX. millia modium, in viaticum decurionibus remigibusque collaturos Perusini, Clusini, Rusellani, abietem in fabricandas naues, & frumenti magnū numerum: abiete ex publicis syluis est vsus. Vmbriæ populi, Nursini- G que & Reatini, & Amiternini, Sabinusque omnis ager, milites polliciti. Marsi, Peligni Marrucinique multi voluntarij nomina in classem dederunt. Camertes cùm æquo fœdere cum Romanis essent, cohorté armatam sexcentorum hominum miserunt: XXX. nauium carinę, XX. quinqueremes, X. quadriremes cū essent positæ, ipse ita institit operi, vt die quadragesimoquinto quā ex syluis detracta materia erat, naues instructę armatęque in aquā deductę sint. Profectus in Siciliam est XXX. nauibus longis,

voluntariorum septem ferme millibus in naues impositis. Et P.Licinius in Brutios ad duos exercitus consulares venit, ex eis eum sibi sumsit, quem L.Veturius Cos. habuerat. Metello, vt quibus præfuisset, legionibus, iis præesset, facilius cum assuetis imperio rem gesturum ratus, permisit. Et prætores diuersi in prouincias profecti. Et quia pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem à Fossa Græca ad mare versam vēdere quæstores iussi. indicio quoque permisso, qui ager ciuis Campani fuisset, vt is publicus populi Romani esset: indici præmium cōstitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima. Et Cn.Seruilio Pr. vrb. negotium datum, vt Campani ciues, vbi cuique ex S.C. liceret, habitarēt: animaduerterētque in eos qui alibi habitarent. Eadem æstate Mago Amilcaris filius ex minore Balearium insula, vbi hybernarat, iuuentute lecta, in classem imposita, in Italiam XXX. ferme rostratis nauibus, & multis onerariis, XII. millia peditum, duo ferme equitum traiicit. Genuámque nullis præsidiis maritimam oram tutantibus repentino aduentu cepit: inde ad oram Ligurum Alpinorum, si quos ibi motus facere posset, classem appulit. Ingauni (Ligurum ea gens est) bellum ea tempestate gerebant cum Epanteriis montanis. Igitur Pœnus Sauone oppido Alpino præda deposita, & decem longis nauibus in statione ad præsidium relictis, ceteris Carthaginem missis ad tuendam maritimam oram, quia fama erat Scipionem traiecturum esse; ipse societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita, montanos instituit oppugnare. Et crescebat exercitus indies, ad famam nominis eius Gallis vndique confluentibus. Ea literis cognita Sp.Lucretij, ne frustra Asdrubale cum exercitu deleto biennio ante forent læti, si par aliud inde bellum duce tantum mutato oriretur, curam ingentem accenderunt Patribus. Itaque & M.Liuium Procos. ex Hetruria volonum exercitum admouere Ariminum iusserunt: & Cn.Seruilio prætori negotium datum, vt si è republ. censeret esse, duas vrbanas legiones, cui imperio videretur dato, ex vrbe duci iuberet. M.Valerius Læuinus Aretium eas legiones duxit. Eisdem diebus naues onerariæ Pœnorum ad LXXX. circa Sardiniam ab C.Octauio, qui prouinciæ præerat, captæ. Eas Cælius frumento misso ad Annibalem, commeatuque onustas: Valerius prædam Hetruscam Ligurúmque montanorum captiuos Carthaginem portantes, captas tradit. In Brutiis nihil ferme anno eo memorabile gestum est. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos Pœnósque, nisi quod Punicum exercitum super morbum etiam fames affecit. Propter Iunonis Laciniæ templum æstatem Annibal egit: ibique aram condidit, dedicauitque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, Punicis Græcisque literis insculpto.

DECADIS TERTIAE

LIBER IX.

SCIPIO posteaquàm in Siciliam venit, voluntarios milites ordinauit centuriauitque. ex iis trecentos iuuenes florentes ætate, & virium robore insignes circa se habebat, ignorantes quem ad vsum neque centuriati, neque armati seruarentur. tum ex totius Siciliæ iuniorum numero A principes genere & fortuna trecentos equites, qui secum in Africam traiicerent, legit: diémque iis qua equis armisque instructi atque ornati adessēt, edixit. Grauis ea militia procul domo terra marique multos labores, magna pericula allatura videbatur: neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat. Vbi dies quę edicta erat aduenit, arma equósque ostenderunt. tum Scipio renūciari sibi dixit, quosdam equites Siculorum tanquam grauem & duram horrere eam militiam, si qui ita animati essent, malle eos sibi iam B tunc fateri, quàm postmodum querentes, segnes atque inutiles milites reipublicæ esse, expromerent quid sentirent, cum bona venia se auditurum. Vbi ex his vnus ausus est dicere, se prorsus, si sibi verum vellet liberum esset, nolle militare, tum Scipio ei: Quando igitur adolescens quid sentires non dissimulasti, vicarium tibi expediā, cui tu arma equúmque & cetera instrumenta militiæ tradas & tecum hinc extemplo domum ducas, exerceas, docendum C cures, equo tradito armisque. Læto conditionem accipienti, vnum ex CCC. quos inermes habebat, tradit. Vbi hoc modo exauctoratum equitem cum gratia imperatoris ceteri viderunt: se quisque excusare & vicarium accipere. Ita trecentis Siculis Romani equites substituti sine publica impensa docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt, quia edictam imperatoris erat ipsum militaturum, qui ita non fecisset. Egregiam hanc alam equitum euasisse ferunt, multisque præliis rempubl. D adiuuisse. Legiones inde cum inspiceret, plurimorum stipendiorum ex iis milites delegit, maximè qui sub duce Marcello militauerant. quos cum optima disciplina institutos credebat, tum etiam ab lōga Syracusarum obsidione peritissimos esse vrbium oppugnandarum. nihil enim paruum, sed Carthaginis iam excidia agitabat animo. Inde exercitum per oppida dispertit: frumentum Siculorum ciuitatibus imperat: ex Italia aduecto parcit: veteres naues reficit, & cum iis C. Lælium in Africam prædatum mittit. nouas Panormi subducit, quia ex viridi E materia raptim factæ erant, vt in sicco hybernarent. Præparatis omnibus ad bellum, Syracusas nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas venit. Græci res à quibusdam Italici generis eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus, concessas sibi ab senatu repetebant. Omnium primum ratus tueri publicam fidem, partim edicto, partim iudiciis etiam in pertinaces ad obtinendam iniuriam redditis, suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantum F ea res, sed omnibus Siciliæ populis grata fuit: eóque enixius bellum adiuuerunt. Eadem æstate in Hispania coortum ingens bellum, conciente Illergete Indibili nulla alia de caussa, quàm per admirationem Scipionis contemtu imperatorum aliorum orto. Eum superesse vnum ducem Romanis, ceteris ab Annibale interfectis, rebantur. eo nec in Hispaniam cæsis Scipionibus alium quem mitterent, habuisse: & posteaquam in Italia grauius bellum vrgeret, aduersus Annibalem eum accersitum, G præterquam quod nomina tantum ducum in Hispania Romani haberent, exercitum quoque inde veterem deductum. trepida omnia & inconditam turbam tyronum esse. nunquam talem occasionem liberandæ Hispaniæ fore. seruitum ad eam diem, aut Carthaginiensibus, aut Romanis: nec inuicem his, aut illis, sed interdum vtrisque simul. pulsos ab Romanis Carthaginiēses: ab Hispanis, si consētirēt, pelli Romanos posse: vt ab omni externo imperio soluta in perpetuū Hispania in patrios rediret

mores ritusq;. Hæc taliáque dicẽdo, non populares modo, sed Ausetanos quoq; vicinam gẽte cõcitat, & alios finitimos sibi atque illis populos. itaq. intra paucos dies XXX. millia peditum, quatuor fermè equitum in Sedenatum agrum, quo edictum erat, conuenerunt. Romani quoque imperatores, L. Lentulus & L. Manlius Acidinus, ne glisceret, prima negligendo bellum: iunctis & ipsi exercitibus per agrũ Ausetanum hostico tanquam pacato clementer ductis militibus, ad sedem hostium peruenere: trium millium spatio procul à castris eorum posuerunt castra. Primo per legatos nequicquam est tentatum vt discederetur an armis. deinde cum in pabulatores Romanos impetus repentè ab equitibus Hispanis factus esset, summisso ab statione Romana equitatu prælium equestre fuit, haud sanè memorando in partem vllam euentu. Sole oriente postero die armati instructique omnes mille fermè passus procul à castris Romanis aciem ostenderent. Medij Ausetani erat. cornua, dextrum Illergetes, læuum ignobiles tenebant Hispani populi. inter cornua & mediam aciem interualla patentia satis latè fecerunt qua equitatum, vbi tempus esset, emitterent. Et Romani more suo exercitum cum instruxissent, id modo hostium imitati sunt, vt inter legiones, & ipsi patentes equiti relinquerent vias. Ceterum Lentulus ei parti vsum equitis fore ratus, quæ prior in dehiscentem interuallis hostium aciem equites emisisset: Ser. Cornelio tribuno militum imperat, equites per patentes in hostium acie vias immittere equos iubeat. ipse cœpta parum prosperè pedestri pugna, tantum moratus, dum cedẽti duodecimę legioni, quæ in læuo cornu aduersus Illergetes locata erat, tertiam decimam legionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum ducit. Posteaquam æquata ibi pugna est, ad L. Manlium inter prima signa hortãtem, ac subsidia quibus res postulabat locis inducentem, venit. indicat, tuta ab læuo cornu esse: iam missum ab se Ser. Cornelium procella equestri hostes circumfusurum. Vix hæc dicta dederat, cum Romani equites in medios inuecti hostes, simul pedestres acies turbarunt, simul equitibus Hispanorum viam immittendi equos clauserunt. itaque omissa pugna equestri, ad pedestrem Hispani equites descenderunt. Romani imperatores, vt turbatos hostium ordines, & trepidationem pauorémque, & fluctuantia viderunt signa, hortantur, orant milites, vt perculsos inuadant, neu restitui aciem patiantur. Non sustinuissent tam infestum impetũ barbari, ni regulus ipse Indibilis, cum equitibus ad pedites digressis ante prima signa peditum se obiecisset. Ibi aliquandiu atrox pugna stetit. tandem postquam ij qui circa regem semineccem restantem deinde pilo terræ affixum pugnabant, obruti telis occubuerunt, tum fuga passim cœpta, plures cæsi, quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat, & quia perculsis acriter institerunt Romani, nec ante abscessum est, quàm castris quoq. exuerunt hostem. Tredecim millia Hispanorum cæsa eo dies, DCCC. fermè capti. Romanorum sociorumque paulo amplius CC. maximè in læuo cornu ceciderunt. Pulsi castris Hispani, aut qui ex prælio effugerant, sparsi primo per agros, deinde in suas quisque ciuitates redierunt. Tum à Mandonio euocati in concilium, conquestique ibi clades suas: increpitis auctorib. belli, legatos mittendos ad arma tradenda: deditionémque faciẽdam censuerunt. Quibus culpam in auctores belli Indibilem, ceterosq. principes quorum plerique in acie cecidissent conferentibus tradentibusque arma, & dedentibus sese, responsum est. in deditionem ita accipi cos. si Mandonium ceterosque belli concitatores tradidissent viuos: sin minus, exercitum se in agrum Illergetum Ausetanorumque, & deinceps aliorum populorum ducturos. Hæc dicta legatis, renuntiatque in consilium. Ibi Mandonius ceterique principes comprehensi, traditi ad supplicium. Hispanis populis reddita pax: stipendium eius anni dupl. x, & frumentum sex mẽsium imperatum, ságáque, & togæ exercitui: & obsides ab triginta fermè populis accepti. Ita Hispaniæ rebellantis tumultu haud magno motu, intra paucos dies concito & compresso, in Africam omnis terror versus. C. Lælius nocte ad Hipponem Rhegium cum accessisset, luce prima ad populandum agrum sub signis milites sociosque nauales duxit. Omnibus pacis modo incuriosè agentibus, magna clades illata, nuntiique trepidi Carthaginẽ terrore ingenti compleuere, classem Romanam, Scipionémque imperatorem (& fama fuerat iam in Siciliam transgressum) aduenisse. Nec quot naues vidissent, nec quanta manus agros popularetur, satis gnari, omnia in maius metu augente accipiebant: itaque primo terror pauorque, deinde mœstitia animos incessit: tãtum fortunam mutasse, vt qui modo ipsi exercitum ante mœnia Romana habuissent, victores stratis tot hostium exercitibus, omnes Italiæ populos aut vi aut voluntate in deditionem accepissent; ij verso Marte, Africæ populationes, & obsidionem Carthaginis visuri forent, nequaquam pari ad patienda ea robore, ac Romani fuissent. Illis Romanã plebem, illis Latium iuuẽtutem præbuisse, maiorem semper frequentioremque pro tot cæsis exercitibus subolescentem: ceterum suam plebem imbellem in vrbe, imbellem in agris esse: mercede parari auxilia ex Afris, gente ad omnem auram spei mobili atque infida iã reges. Syphacem post colloquium cum Scipione alienatum, Masinissam aperta defectione infestissimum hostem. nihil vsquam spei, nihil auxilij esse. nec Magonem ex Gallia mouere tumultus quicquam, nec cõiungere se Annibali: & Annibalẽ ipsum iam & fama senescere, & viribus. In hæc deflenda prolapsos ab recẽti nũtio animos rursus terror instans reuocauit ad cõsultandum, quonam modo obuiam præsẽtibus periculis iretur. Delectus raptim in vrbe agrisque haberi placet, mittere ad conducenda Afrorũ auxilia, munire vrbem, frumentũ conuehere, tela; arma parare, instruere naues, ac mittere ad Hipponẽ aduersus Romanam classem. Iam hæc agentibus nuntius tandem venit, Lælium, non Scipionem, copiásque, quãtę ad incursiones agrorum satis sint trãsuectas, summam belli molem adhuc in Sicilia esse. Ita respiratum, mittique ad Syphacem legationes, aliosq. regulos firmandæ societatis caussa cœptæ. Ad Philippum quoque missi, qui ducenta argenti talẽta pollicerentur, vt in Siciliam aut Italiam traiiceret. Missi & ad suos imperatores in Italiam, vt omni terrore Scipionem retinerent. ad Magonem non legati modo, sed XXV. naues longæ, sed millia peditum, octingenti equites, septem elephanti, ad hæc magna pecunia ad conducenda auxilia, quibus fretus propius vrbem Romam exercitum admoueret, coniungeretque se Annibali. Hęc Carthagine parabant agitabantque, cum ad Lælium prædas ingentes ex agro inermi ac nudo præsidiis agentem Masanissa fama Romanæ classis excitus, cum equitibus paucis venit. Is segniter rem agi à Scipione questus, q̃ nõ iã exercitũ in Africã traiecisset, perculsis Carthaginiensib. Syphace impedito finitimis bellis: quẽ certũ haberet si spatium ad sua vt velit componẽda

detur, nihil syncera fide cum Romanis acturũ. Hortaretur ac stimularet Scipionem ne cessaret: se quãquam regno pulsus esset, cum haud contemnendis copiis affuturum peditum equitumque, nec ipsi Lælio morandum in Africa esse. classem credere profectam à Carthagine, cum qua absente Scipione nõ satis tutum esset contrahi certamen. Ab hoc sermone dimisso Masanissa, Lælius postero die naues præda onustas ab Hippone soluit: reuectúsque in Siciliam, mandata Masanissæ Scipioni exposuit. Eisdẽ ferme diebus naues quæ ab Carthagine ad Magonem missæ erant, inter Albingaunos, Ligures Genuámque accesserunt. In iis locis tum forte Mago tenebat classem, qui legatorum auditis verbis, iubẽtium exercitus quàm maximos comparare, extemplo Gallorum & Ligurum (namque vtriusque gentis ingens ibi multitudo erat) concilium habuit. & missum se ad eos vindicandos in libertatem ait: &, vt ipsi cernant, mitti sibi ab domo præsidia: sed quantis viribus, quanto exercitu id bellum gereretur, in eorum potestate esse. duos exercitus Romanos, vnum in Gallia, alterum in Hetruria esse, satis scire: Sp. Lucretium secum M. Liuio iuncturũ. multa millia ipsis etiam armanda esse, vt duobus ducibus, duobus exercitibus Romanis resistatur. Galli summam ad id suam voluntatem esse dicere: sed cum vna castra Romana intra fines, altera in finitima terra Hetruria prope in conspectu habeant, si palam fiat, auxiliis adiutum ab sese Pœnum, extemplo infestos vtrinque exercitus in agrum suum incursuros. ea ab Gallis desideraret, quibus occulte adiuuari posset. Liguribus, quod procul agro vrbibúsque eorum castra Romana sint, libera consilia esse: illos armare iuuentutem, & capessere pro parte bellum æquum esse. Ligures haud abnuere. tempus modo duorum mensium petere ad delectus habendos. Interim Mago milites, Gallis dimissis, clam per agros eorum mercede cõducere, commeatus quoque omnis generis occulte ad eum à Gallicis populis mittebantur. M. Liuius exercitum volonum ex Hetruria in Galliam traducit: iunctúsque Lucretio, si se Mago ex Liguribus propius vrbem moueat, obuiam ire parat: si Pœnus sub angulo Alpium quietus se cõtineat, & ipse in eadem statione circa Ariminum Italiæ præsidio futurus. Post reditum ex Africa C. Lælij, & Scipione stimulato Masanissæ adhortationibus, & militibus prædam ex hostium terra cernentibus tota classe efferri, accensis ad traiiciendum quamprimum, interuenit maiori minor cogitatio, Locros vrbem recipiẽdi, quæ sub defectionem Italiç desciuerat & ipsa ad Pœnos. spes autem affectãdæ eius rei ex minima re affulsit, quod latrociniis magis quam iusto bello in Brutiis gerebantur res, principio ab Numidis facto, & Brutiis non societate magis Punica, quàm suopte ingenio promtis in eum morem. Postremo Romani quoque milites iam contagione quadam rapto gaudẽtes, quantum per duces licebat, excursiones in hostium agros facere. Ab iis egressi quidam vrbe Locrenses circumuenti, Rhegiúmque abstracti fuerãt. in eo captiuorum numero fabri quidam fuere, assueti fortè apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere. ij cogniti ab Locrensium principib. qui exsulabant Rhegij pulsi ab auersa factione, quç Annibali Locros tradiderat: cum cetera percunctãtibus (vt mos est iis qui diu absunt) quæ domi agerentur, exposuissent: spem fecerunt, si redemti ac remissi forent, arcem se iis tradituros, ibi se habitare, fidémque sibi rerum omnium inter Carthaginienses esse. Itaque vt qui simul desiderio patriæ a-

A gerentur, simul cupiditate inimicos vlciscẽdi arderent, redemtis extemplo iis remissisque, cùm ordinem agendæ rei composuissent, signaque quæ procul edita obseruarent: ipsi ad Scipionem Syracusas profecti, apud quem pars exsulum erat, referentes ibi promissa captiuorum, cum spem ab effectu haud abhorrentem consuli fecissent: tribuni militum cũ iis M. Sergius & P. Matienus missi: iussique ab Rhegio tria millia militum Locros ducere, & Q. Pleminio proprætori scriptum, vt rei agendæ adesset. Pro- B fecti ab Rhegio, scalas ad dictam altitudinem arcis fabricatas portantes, media fermè nocte ex eo loco vnde conuenerat, signum dedere proditoribus arcis. qui parati intentique, & ipsi scalas ad idipsum factas cum demisissent, pluribúsque simul locis scãdentes accepissent, priusquam clamor oriretur, in vigiles Pœnorum, vt in nullo tali metu sopitos, impetus est factus. quorum gemitus primo morientiũ exauditus, deinde subita consternatio ex somno & tumultus. cum caussa ignoraretur, postremo certior C res, aliis excitantibus alios, iamque ad arma pro se quisque vocabat. hostes in arce esse, & cædi vigiles, oppressique forent Romani, nequaquam numero pares, ni clamor ab iis qui extra arcem erant sublatus, incertus vnde accidisset, omnia vana augente nocturno tumultu fecisset. Itaque velut plena iam hostium arce territi Pœni, omisso certamine in alteram arcem (duæ sunt haud multum inter se distantes) confugiunt. Oppidani vrbem habebant victoribus præmium in medio positam. Ex arcibus duabus D præliis quotidie leuibus certabatur. Q. Pleminius Romano, Amilcar Punico præsidio præerat: & accersentes ex propinquis locis subsidia, copias augebãt. Ipse postremo veniebat Annibal. nec sustinuissent Romani, nisi Locrensium multitudo exacerbata superbia atque auaritia Pœnorum, ad Romanos inclinasset. Scipioni vt nuntiatum est, in maiore discrimine Locris rem verti, ipsumque Annibalem aduentare, ne præsidiũ etiam periclitaretur, haud facili inde receptu, & ipse à Messana, L. Scipione fra- E tre in præsidio ibi relicto, cum primum æstu fretum inclinatum est, naues mari secundo transmisit. Et Annibal à Buthroto amni (haud procul is ab vrbe Locris abest) nuntio præmisso, vt sui luce prima summa vi prælium cum Romanis ac Locrensibus consererent, dum ipse auersis omnibus in eum tumultum ab tergo vrbem incautam aggrederetur: vbi luce cœptã inuenit pugnam, ipse nec in arcem se includere, turba locum arctum impediturus, voluit: neque scalas, quibus scanderent muros, attule- F rat, sarcinis in aceruum congestis, cum haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus Numidis circumequitabat vrbem. dum scalæ, quæque alia ad oppugnandum opus erant, parantur, ad visendum qua maximè parte aggrederetur, progressus ad murum, scorpione ictus, qui proximus eum forte steterat. territus inde tam periculoso casu, receptui canere cum iussisset, castra procul ab ictu teli communit. Classis Romana à Messana Locros multa die superante ac- G cessit. expositi omnes nauibus: & ante occasum solis vrbem ingressi sunt. Postero die cœpta ex arce à Pœnis pugna. & Annibal iã scalis, aliisque omnibus ad oppugnationem paratis, subibat muros, cum repẽte in eum nihil minus quam tale quicquam timentem, patefacta porta erumpunt Romani. ad CC. improuidos cum inuasissent, occidunt. ceteros Annibal, vt consulem adesse sensit, in castra recipit. nuntióque misso ad eos qui in arce erant, vt sibimetipsis cõsulerẽt, nocte motis castris abiit. Et qui in arce

in arce erant, igni iniecto tectis quæ tenebant, vt is tumultus hosté moraretur, agmé suorum fugæ simili cursu ante noctem assecuti sunt. Scipio vt & arcem relictam ab hostibus, & vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses grauiter ob defectionem incusauit: de auctoribus supplicium sumsit, bonáq. eorum alterius factionis principibus ob egregiam fidem aduersus Romanos concessit, publicè nec dare nec eripere se quicquam Locrensibus dixit. Romam mitterent legatos. quam senatus æquam censuisset, eam fortuná habituros. illud satis scire, & si malè de populo Rom. meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quá sub amicis Carthaginiensib. fuerint. Ipse Q. Pleminio legato, præsidioque quod arcem ceperat, ad tuendam vrbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam traiecit. Ita superbè crudeliterque habiti Locrenses à Carthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant, vt modicas iniurias non æquo modo animo pati, sed propè libenti videri possent. verùm enimuero tátum Pleminius Amilcarem præsidij præfectum, tantum præsidiarij milites Romani Pœnos scelere atque auaritia superauerunt, vt non armis, sed vitiis videretur certari. nihil omnium quæ inopi inuisas opes potentioris faciunt, prætermissum in oppidanos est ab duce, aut à militibus. in corpora ipsorum, in liberos, in coniuges infandæ contumeliæ editæ. Iam auaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit: nec alia modo templa violata, sed Proserpinæ etiam intacti omni ætate thesauri: præterquam quòd à Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegij sui manubias retulit, spoliati dicebantur. Ergo sicut ante regiæ naues laceratæ naufragiis nihil in terram integri, præter sacram pecuniam deæ, quam asportauerant, extulerunt: tú quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem obiecit: atque inter se ducem in ducem, militem in milité, rabie hostili vertit. Summæ rei Pleminius præerat: militum pars sub eo, quam ipse ab Rhegio adduxerat, pars sub tribunis erat. Rapto poculo argenteo ex oppidani domo Pleminij miles fugiens, sequentibus quorum erat, obuius forte Sergio & Matieno tribunis militum fuit. cui cum iussu tribunorum ademtum poculum esset, iurgium inde & clamor, pugna postremo orta inter Pleminij milites tribunorumque, vt suis quisque opportunus aduenerat, multitudine simul ac tumultu crescente. Victi Pleminij milites, cum ad Pleminium cruorem & vulnera ostentantes, non sine vociferatione atque indignatione concurrissent, probra in eum ipsum iactata in iurgiis referentes accensus ira domo sese proripuit: vocatosque tribunos nudari ac virgas expediri iubet. Dum spoliandis iis (repugnabant enim, militumque fidem implorabant) tempus teritur, repentè frequentes milites feroces recenti victoria ex omnibus locis, velut aduersus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt. & cum violata iam virgis corpora tribunorum vidissent, tum verò in multo impotentiorem subito rabiem accensi, sine respectu non maiestatis modo, sed etiam humanitatis in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulctatis, faciunt. tum ipsum ab suis interceptum & seclusum hostiliter lacerant, & properè exsanguem, naso auribúsque mutilatis, relinquunt. His Messanam nunciatis, Scipio post paucos dies Locros hexeri aduectus, cùm caussam Pleminij & tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictóque in eiusdem loci præsidio, tribunis sontibus iudicatis. & in vincula coniectis, vt Romam ad senatum mitterentur, Mes-

A sanam atque inde Syracusas redit. Pleminius impotens iræ, neglectam ab Scipione & nimis leuiter latam suam iniuriam ratus: nec quemquam æstimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem eius patiendo sensisset, tribunos attrahi ad se iussit: laceratósque omnibus, quæ pati corpus vllum potest, suppliciis, interfecit: nec satiatus viuorum pœna, insepultos proiecit. Simili crudelitate & in Locrensium principes est vsus, quos ad conquerendas iniurias ad Scipionem profectus audiuit, & quæ antea per libidinem B atque auaritiam fœda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere: infamiæ atque inuidiæ non sibi modo, sed etiam imperatori esse. Iam comitiorum appetebat tempus, cùm à P. Licinio Cos. literæ Romam allatæ sunt: se, exercitúmque suum graui morbo afflictari: nec subsisti potuisse, nisi eadem vis mali, aut grauior etiam in hostes ingruisset. Itaque quoniam ipse venire ad comitia non posset, si ita Patribus videretur, se Q. Cæcilium Metellum dictatorem comitiorum caussa C dicturum, exercitum Q. Cæcilij dimitti è republica esse. nam neque vsum eius vllum in præsentia esse, cùm Annibal iam in hyberna suos receperit: & tantam incessisse in ea castra vim morbi, vt nisi maturè dimittantur, nemo omnium superfuturus videatur. Ea consuli à patribus facienda vt è republica fideque sua duceret, permissa. Ciuitatem eo tempore recens religio inuaserat, inuento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum inspectis. Quandocunque hostis alieni- D gena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam aduecta esset. In carmen ab decemuiris inuentum eo magis Patres mouit, quod & legati qui donum Delphos portauerant, referebant: & sacrificantibus ipsis Pythio Apollini, omnia læta exta fuisse: & responsum oraculo editum maiorem multo victoriá, quàm cuius ex spoliis dona portarent, adesse populo Romano. In eiusdem spei summam conferebant P. Scipionis velut præsagientem animum de fine bel- E li, quod depoposcisset prouinciam Africam. Itaque quo maturius faustis ominibus oraculisque portédentis sese victoriæ compotes fierent, id cogitare, quæ ratio transportandæ Romam deæ esset. nullas dum in Asia ciuitates socias habebat populus Romanus: tamen memores, Æsculapium quoque ex Græcia quondam haud dum vllo fœdere sociata, valetudinis populi caussa accersitum: & iam cum Attalo rege propter commune aduersus Philippum bellum cœptam amicitiam esse, facturum eum quæ F posset, populi Romani caussa: legatos ad eum decernunt, M. Valerium Læuinum, qui bis consul fuerat, ac res in Græcia gesserat, M. Cæcilium Metellú prætoriú, Ser. Sulpitiú Galbam ædilitium, duos quæstorios, C. Tremelium Flaccum, & M. Valerium Falconem. His quinque naues quinqueremes, vt ex dignitate populi Romani adirent eas terras, ad quas concilianda maiestas nomini Romano esset, decernunt. Legati Asiam petentes, protinus Delphos cùm exscendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad G quod negotium domo missi essent, perficiendi eius quam sibi spem populoque Romano portenderet. Responsum esse ferunt, per Attalum regem compotes eius fore, quod peterent. cum Romam deam deuexissent, tum curarent, vt eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet. Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrúmque iis lapidem quem matrem deûm incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportare Romam iussit. Remissus ab legatis M.

Valerius Falco nuntiauit deam apportari, quærendum virum optimum in ciuitate esse, qui eam rite hospitio acciperet. Q. Cæcilius Metellus dictator ab consule in Bruttiis comitiorum caussa dictus, exercitusque eius dimissus, magister equitum L. Veturius Philo. Comitia per dictatorem habita. Consules facti M. Cornelius Cethegus. P. Sempronius Tuditanus absens, cum prouinciam Græciam haberet. Prætores inde creati, T. Claudius Nero, M. Martius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pomponius Matho. Comitiis perfectis dictator sese magistratu abdicauit. Ludi Romani ter, plebeij septies instaurati. Curules erant ædiles Cn. & L. Cornelij Lentuli. Lucius Hispaniam prouinciam habebat. absens creatus, absens eum honorem gessit. T. Claudius Asellus, & M. Iunius Pennus plebeij ædiles fuerunt. Ædē Virtutis eo anno ad portā Capenam M. Marcellus dedicauit, septimodecimo anno post quàm à patre eius primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat. Et flamen Martialis eo anno est mortuus M. Æmylius Regillus. Neglectæ eo biennio res in Græcia erant. itaque Philippus Ætolos desertos ab Romanis, cui vni fidebant auxilio, quibus voluit conditionibus ad petendam & paciscendam subegit pacem: quod nisi omni vi perficere maturasset, bellantem eum cum Ætolis P. Sempronius proconsul, successor imperij missus Sulpitio cum decem millibus peditum, & mille equitibus, & triginta quinque rostratis nauibus, haud paruū momentum ad opem ferendam sociis, oppressisset. Vixdum pace facta nuntius regi venit, Romanos Dyrrachium venisse: Parthinosque & propinquas alias gentes motas esse ad spē nouandi res: Dimallúmque oppugnari: eò se auerterant Romani ab Ætolorum, quò missi erant, auxilio: irati, quod sine auctoritate sua aduersus fœdus cum rege pacem fecissent. Ea cum audisset Philippus, ne qui motus maior in finitimis gentib. populisq. oriretur, magnis itinerib. Apolloniā contendit, quò Sempronius se receperat, misso Lætorio legato cū parte copiarū & XV. nauibus in Ætoliā ad visendas res, pacemq. si posset, turbādam. Philippus agros Apolloniatiū vastauit, & ad vrbē admotis copiis, potestatē pugnæ Romano fecit: quē posteaquam quietum muros tantummodo tueri vidit: nec satis fidens viribus vt vrbem oppugnaret, & cum Romanis quoque sicut cum Ætolis, cupiēs pacē, si posset: sin minus, inducias facere, nihil vltra irritatis nouo certamine odiis, in regnum se recepit. Per idem tempus tædio diutini belli Epirotæ, tentata prius Romanorū voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misere, satis confidere conuenturam eam affirmantes, si ad colloquium cū P. Sempronio imperatore Romano venisset. Facile impetratum (neque enim nec ipsius quidem regis abhorrebat animus) vt in Epirum transiret. Phœnice vrbs est Epiri. ibi prius collocutus rex cū Eropo, & Darda & Philippo Epirotarum prætoribus, postea cum P. Sempronio cōgreditur. Affuit colloquio & Aminander Athamanum rex, & magistratus alij Epirotarum & Acarnanum. Primus Philippus prætor verba fecit, & petiit simul ab rege & ab imperatore Romano, vt finē belli facerent, darentque eam Epirotis veniam. P. Sempronius conditiones pacis dixit vt Parthini, & Dimallum, & Bargulum, & Eugenium Romanorum essent. Atintanas, missis Romā legatis ab senatu impetrasset, vt Macedoni accederent. In eas conditiones cum pax conuenisset, ab rege fœderi adscripti, Prusias Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ: ab Romanis Ilienses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus,

A Elei, Messenij, Athenienses. Hæc conscripta consignataque sunt, & in duos menses induciæ factæ, donec Romam mitterentur legati, vt populus in has conditiones pacem iuberet. Iusseruntque omnes tribus, quia verso in Africam bello, omnibus aliis in præsentia leuari bellis volebant. P. Sempronius pace facta ad consulatum Romam decessit. M. Cornelio, P. Sempronio consulibus (quintus decimus is annus Punici belli erat) prouinciæ, Cornelio Hetruria cum vetere exercitu, Sempronio Brutij, vt nouas scriberet legiones, decretæ. B Prætoribus, M. Martio vrbana, L. Scribonio Liboni peregrina, & eidem Gallia, M. Pōponio Mathoni Sicilia, T. Claudio Neroni Sardinia euenit, P. Scipioni cum eo exercitu, cūmque ea classe quam habebat, prorogatum in annum imperium est. Item P. Licinio, vt Brutios cum duabus legionibus obtineret, quoad eum in prouincia cum imperio morari consuli è republica visum esset. Et M. Liuio, & Sp. Lucretio cum binis legionibus, quibus aduersus Magonē Galliæ præsidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octauio, vt cum Sardiniam legionemque T. Claudio tradidisset, ipse C nauibus longis XL. maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio prætori in Sicilia Cannensis exercitus duæ legiones decretæ. T. Quintius Tarentum. C. Hostilius Tubulus Capuam, proprætores, sicut priore anno, cum vetere vterque præsidio obtinerent. De Hispaniæ imperio, quos in eam prouinciam duos consules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum proconsules, sicut priore anno tenuissent, D obtinere eas prouincias iusserunt. Consules delectum habere instituerunt, & ad nouas scribendas in Brutio legiones, & ceterorum (ita enim iussi ab senatu erant) exercituum supplementum. Quanquam nondum apertè Africa prouincia decreta erat, occultantibus id credo patribus, ne præscirent Carthaginienses: tamen in eam spem erecta ciuitas erat, in Africa eo anno debellatum iri, finémque bello Punico adesse. Impleuerat ea res superstitione animos: pronique & ad nuncianda & ad credenda prodigia E erant. eo plura vulgabantur: duos soles visos: & nocte interluxisse: & facem Setiæ ab ortu solis in occidentem porrigi visam. Tarracinæ portam, Anagniæ & portam, & multis locis murum de cœlo tactum. in æde Iunonis Sospitæ Lanuuij cum horrendo fragore strepitum editum. eorum procurandorum caussa diem vnum supplicatio fuit: & nouendiale sacrum, quod de cœlo lapidatum esset, factum. Eò accessit consultatio de matre Idæa accipienda. quàm præterquam quòd M. Valerius vnus ex legatis F regressus, actutum in Italia fore nunciauerat, recens nuntius aderat, Tarracinæ iam esse. Haud paruæ rei iudicium senatum tenebat, qui vir optimus in ciuitate esset, veram certè victoriam eius rei sibi quisque mallet, quàm vlla imperia, honorésve suffragio seu patrum seu plebis delatos, P. Scipionem Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum esse. Id quibus virtutibus inducti ita iudicauerint, sicut proditum memoriæ à primis temporum illorum scriptoribus, libens po- G steris tradiderim: ita meas opiniones, coniectando rem vetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam obuiam ire deæ iussus: isque eam de naue acciperet, & in terram elatam traderet ferendam matronis. Postquam nauis ad ostium amnis Tyberini accessisset, sicut erat iussus in salum naue euectus, ab sacerdotibus deam

accepit

accepit, [illegible] am. Matronæ primores A
[illegible] as [illegible] Claudiç Quintiæ insigne
e[illegible] cui dubia (vt traditur) antè fa-
ma [illegible] posteros tam religioso ministe-
r[illegible] æ per manus succedétes dein-
c[illegible] effusa ciuitate obuiam, thuri-
b[illegible] positis, q[illegible] à prçferebatur: atq; ac-
c[illegible] antibus vt volens propitiaque vrbé
Romam inire[illegible], in ædé Victoriç quæ est in palatio,
p[illegible]tulere d[illegible]am pridie idus Apriles: isque dies festus
fuit. populus frequens dona deæ in palatium tulit, B
lectisterniúque, & ludi fuere, Megalesia appellata.
Cum de supplemento legionum quæ in prouinciis
erant, ageretur, tempus esse à quibusdá senatoribus
subiectum est, quæ dubiis in rebus vtcunque tole-
rata [illegible] ent, ea deo iá tandé deum benignitate metu,
nó vltra pati. Erectis exspectatione patribus subie-
cerunt colonias Latinas duodecim, quç Q. Fabio, &
Q. Fuluio cósulibus abnuissent milites dare, eas an-
nú iá ferme sextú vacationé militiæ, quasi honoris
& beneficij caussa habere: cum interim boni obe- C
dientésque socij pro fide atque obsequio imperij
Romani continuis omnium annorú delectibus ex-
hausti essent. Sub hanc vocem non memoria magis
patribus renouata rei prope iam obliteratæ, quam
ira irritata est. Itaq. nihil prius referre consules passi,
decreuerunt, vt cósules magistratus, denósque prin-
cipes Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carseo-
lis, Sora, Suessa, Setia, Circeis, Narnia, Interamna (eæ
námque coloniæ in ea caussa erant) Romam exci-
rent: iis imperarent, quantum quæque earum colo- D
niarum militum plurimum dedisset populo Roma-
no, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum eius
summæ numerum peditum daret, & equites cente-
nos vicenos. si qua eum numerum equitum explere
non posset, pro equite vno tres pedites liceret dare.
pedites equitésque quàm locupletissimi legerétur,
mitterentúrque vbicunque extra Italiam supple-
mento opus esset. si qui ex iis recusarét, retineri eius
coloniæ magistratus legatósque placere: neque si
postularent, senatum dari priusquam imperata fe-
cissent. stipendium præterea iis coloniis tria millia E
æris, asses singulos imperari, exigique quotannis:
censúque in iis coloniis agi ex formula ab Roma-
nis censoribus data. dari autem placere eandem
quam populo Romano: deferrique Romam ab iu-
ratis censoribus coloniarum, priusquam magistra-
tu abirent. Ex hoc senatusconsulto accitis Romam
magistratibus primoribusque earum coloniarum,
consules cum milites stipendiumque imperassent,
alij aliis magis recusare ac reclamare negare tan- F
tum militum effici posse: vix, si simplum ex formula
imperetur, enixuros. orare, atque obsecrare, vt sibi
senatum adire ac deprecari liceret: nihil se, quare
perire merito deberent, admisisse: sed si pereundum
etiam foret, neque suum delictum, neque iram po-
puli Romani, vt plus militum darent quàm habe-
rent, posse efficere. Consules obstinati manere lega-
tos Romę iubét, magistratus ire domos ad delectus
habendos: nisi summa militum quæ imperata esset,
Romam adducta, neminem iis senatum daturum. G
Ita præcisa spe senatum adeundi deprecandique,
delectus in iis duodecim coloniis, per longam
vacationem numero iuniorum aucto, haud dif-
ficulter est perfectus. Altera itidem res, prope æ-
què longo neglecta silentio, relata à M. Valerio Læ-
uino est, qui priuatis collatas pecunias se ac M.
Claudio consule reddi tandem æquum esse dixit.
nec mirari quenquam debere. in publica obligata
fide suam præcipuam curam esse. nam præterquam

quod aliquid propriè ad consulem eius anni, quo
collatæ pecuniæ essent, pertineret, etiam se aucto-
rem ita conferendi fuisse inopi ærario, nec plebe ad
tributum sufficiente. Grata ea patribus admonitio
fuit. iussisque referre consulibus decreuerunt, vt tri-
bus pensionibus ea pecunia solueretur: primá præ-
sentem ij qui tum essent, duas tertij, & quinti con-
sules numerarent. Omnes deinde alias curas vna
occupauit, postquá Locrensium clades, quæ ignotæ
ad eam diem fuerant, legatorum aduentu vulgatæ
sunt. nec tam Q. Pleminij scelus, quàm Scipionis in
eo aut ambitio aut negligentia iras hominum irri-
tauit. Decem legati Locrensium obsiti squalore &
sordibus, in comitio sedentibus consulibus, velamé-
ta supplicum, ramos oleæ (vt Græcis mos est) porri-
gentes, ante tribunal cum flebili vociferatione hu-
mi procubuerunt. Quærentibus consulibus, Locré-
ses se dixerunt esse, ea passos à Q. Pleminio legato
Romanisque militibus, quæ pati ne Carthaginien-
ses quidem velit populus Romanus. orare, vt sibi
Patres adeundi, deplorandique ærumnas suas pote-
statem facerent. Senatu dato, maximus natu ex iis:
Scio, inquit, quanti æstimétur nostræ apud vos que-
relæ Patres conscripti, plurimú in eo momenti esse,
si probe sciatis, & quomodo proditi Locri Anniba-
li sint, & quomodo pulso Annibalis præsidio, resti-
tuti in ditionem vestrá. quippe si & culpá defectio-
nis procul à publico cósilio absit, & reditú in vestrá
ditionem appareat non voluntate solú, sed ope etiá
ac virtute etiam nostra, magis indignemini bonis ac
fidelibus sociis tam atroces atque indignas iniurias
ab legato vestro militibusque fieri. Sed ego caussam
vtriusque defectionis nostræ in aliud tempus diffe-
rendam arbitror esse, duarum rerum gratia: vnius, vt
coram P. Scipione, qui Locros recepit, quiq; omniú
nobis rectè, perperámque factorum est testis, agatur
alterius, quod qualescunque sumus, tamen, hæc quæ
passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dis-
simulare P. C. nos, cum præsidium Punicum in arce
nostra haberemus, multa fœda, indigna & à præfe-
cto præsidij Amilcare, & ab Numidis Afrisque pas-
sos esse: sed quid illa sunt collata cum iis quæ ho-
die patimur. Cum bona venia quæso audiatis P.
C. id, quod inuitus eloquar. In discrimine est nunc
humanum omne genus, vtrum vos, an Carthaginié-
ses principes orbis terrarum videat. sed si ex iis quæ
Locrenses aut ab illis passi sumus, aut à vestro præsi-
dio, nunc cum maximè patimur, æstimandum Ro-
manum ac Punicum imperium sit, nemo non illos
sibi quàm vos dominos præoptet. Et tamen videte
quemadmodum Locrenses in vos animati sint. Cum
à Carthaginiensibus iniurias multo minores accipe-
remus, ad vestrum imperatorem confugimus: cum
à vestro præsidio plusquam hostilia patiamur, nul-
quam alio, quá ad vos querelas detulimus. Aut vos
respicietis perditas res nostras P. C. aut ne ab diis
quidem immortalibus quod precemur, quicquam
superest. Q. Pleminius legatus missus est cum præ-
sidio ad recuperandos à Carthaginiensibus Locros,
& cum eodé ibi relictus est præsidio. in hoc legato
vestro (dant enim animum ad loquendum liberè vl-
timæ miseriæ) nec hominis quicquam est P. C. præ-
ter figuram & speciem, neque Romani ciuis præter
habitum & sonum Latinæ linguæ. pestis ac bellua
immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia
diuidimur, ad perniciem nauigantium circúsedis-
se fabulæ ferunt. Ac si scelus, libidinem & auaritiam
solus ipse exercere in socios vestros satis haberet,
vnam profundam quidem voraginem tamen patié-
tia nostra expleremus. nunc omnes centuriones mi-

liberósque vestros (adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse voluit) Pleminios fecit: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidũt, constuprant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum. quotidie capitur vrbs nostra, quotidie diripitur, dies noctésq. omnia passim mulierum puerorúmque qui rapiũtur atque asportantur ploratibus sonant. Miretur qui nesciat, quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus: aut illos qui faciunt, nondum tantarum iniuriarum satietas ceperit. Neque ego exsequi possum, nec vobis operæ est audire singula quę passi sumus. communiter omnia complectar. Nego domum vllam Locris, nego quemquam hominem expertem iniuriæ esse: nego vllum genus sceleris, libidinis, auaritiæ superesse, quod in vllo qui pati potuerit, prætermissum sit. Vix [illegible] mihi potest, vter casus ciuitatis sit detestabilior: cum hostes bello vrbem cepere, an cum exitiabilis tyrannus vi atque armis oppressit. omnia quæ captæ vrbes patiuntur, passi sumus, & nũc cum maximè patimur, P. C. omnia quæ crudelissimi atque importunissimi tyranni scelera in oppressos ciues edunt, Pleminius in nos, liberósque nostros & coniuges edidit. Vnum est, de quo nominatim & nos queri religio infixa animis cogat: & vos audire, & exsoluere rempublic. vestram religione, si ita vobis videbitur, velimus P. C. Vidimus enim cum quanta ceremonia non vestros solum colatis deos, sed etiã externos accipiatis. Fanum est apud nos Proserpinę, de cuius sanctitate templi credo aliquam famam ad vos peruenisse Pyrrhi bello: qui cũ ex Sicilia rediens Locros classe præterueheretur, inter alia fœda, quæ propter fidem nostram erga vos in ciuitatem nostrã facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diẽ spoliauit: atque ita pecunia in naues imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo euenit P. C.? classis postero die fœdissima tempestate lacerata: omnésque naues quæ sacrã pecuniam habebant, in littora nostra eiectæ sunt. qua tanta clade edoctus tandẽ deos esse superbissimus rex, pecuniã omnem inquisitam in thesauros Proserpinæ referri iussit. nec tamen illi vnquam postea prosperè quicquam euenit: pulsúsque Italia, ignobili atque inhonesta morte temerè nocte ingressus Argos occubuit. Hæc cum audisset legatus vester, tribunique militum, & mille alia, quæ non augendæ religionis caussa, sed pręsentis deæ numine sępe comperta nobis maioribúsque nostris, referebantur: ausi sunt nihilominus sacrilegas admouere manus, intactis illis thesauris: & nefanda præda se ipsos ac domos contaminare suas, & milites vestros. quibus per vos fidémque vestram P. C. priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quicquã rei gesseritis: ne quod piaculi commiserunt: non suo solum sanguine, sed etiam publica clade luãt. Quãquam ne nunc quidem P. C. aut in ducibus, aut in militibus vestris cessat ira deæ. aliquoties iam inter se signis collatis concurrunt. dux alterius partis Pleminius, alterius duo tribuni militum erant. non acrius cum Carthaginiensibus, quàm ipsi inter se ferro dimicauerunt: præbuissentque occasionem furore suo Locros recipiendi Annibali, ni accitus à nobis Scipio interuenisset. At hercule milites contactos sacrilegio furor agitat, in ducibus ipsis puniendis nullum deæ numen apparuit: imo ibi præsens maximè fuit. virgis cæsi tribuni ab legato sunt. legatus deinde insidiis tribunorũ interceptus, prætérquam quod toto corpore laceratus, naso quoque auribúsque decisis, exsanguis est relictus. recreatus deinde legatus ex vulneribus, tribunos militum in vincula coniectos, dein verberatos, seruilibúsque omnib. suppliciis cruciatos occidit: mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has dea pœnas à templi sui spoliatoribus habet: nec ante desinet omnibus eos agitare furiis, quàm reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Maiores quondam nostri graui Crotoniensium bello, quia extra vrbem templum est, transferre in vrbem eam pecuniam voluerunt. nocte audita ex delubro vox est, abstinerẽt manus, deam sua templa defensuram. quia mouendi inde thesauros incussa erat religio, muro circumdare templum voluerunt, ad aliquantũ iam altitudinis excitata erant mœnia, cum subito collapsa ruina sunt. Sed & nũc, & sæpe alias dea suam sedem, suumque templum aut tutata est, aut à violatoribus grauia piacula exegit. nostras iniurias nec potest, nec possit alius vlcisci, quàm vos P. C. ad vos, vestrámque fidem supplices confugimus. nihil nostra interest, vtrum sub illo legato, sub illo præsidio Locros esse sinatis, an irato Annibali & Pœnis ad supplicium dedatis. Non postulamus vt extemplo nobis, vt de absente, vt indicta caussa credatis. veniat, coram ipse audiat, ipse diluat. si quicquã sceleris, quod homo in homines edere potest, in nos prætermisit, non recusamus, quin & nos omnia eadem iterum, si pati possumus, patiamur, & ille omni diuino humanoque liberetur scelere. Hæc cum ab legatis dicta essent, quæsissétq. ab iis Q. Fabius, detulissẽtne eas querelas ad P. Scipionem: responderunt, missos legatos esse, sed eum belli apparatu occupatum esse: & in Africam aut iam traiecisse, aut intra paucos dies traiecturum. & legati gratia quanta esset apud imperatorem, expertos esse: cum inter eum & tribunos cognita caussa, tribunos in vincula coniecerit: legatum æquè sontem, aut magis etiam in ea potestate reliquerit. Iussis excedere è templo legatis, non Pleminius modo, sed etiam Scipio principum orationibus lacerari. antè omnes Q. Fabius natum ad corrumpendam disciplinam militarem arguere, sic & in Hispania plus prope per seditionem militum, quàm bello amissum, externo & regio more & indulgere licentiæ militum, & sæuire in eos. Sententiam deinde trucem orationi adiecit: Pleminium legatum vinctum Romã deportari placere, & ex vinculis caussam dicere: ac si vera forent, quæ Locrẽses quererẽtur, in carcere necari, bonáque eius publicari. P. Scipionem, quod de prouincia decessisset iniussu senatus, reuocari: agique cũ tribunis plebis, vt de imperio eius abrogando ferrent ad populũ. Locrẽsib. corã senatũ respondere: quas iniurias sibi factas quererentur, neque senatũ neque populum Romanum factas velle. viros bonos, sociósq. & amicos eos appellari liberos. coniuges, quæque alia erepta essent, restitui. pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset, cõquiri: duplámque pecuniam in thesauris reponi: & sacrum piaculare fieri: ita vt prius ad collegiũ põtificum referretur, quod sacri thesauri moti, aperti, violatíque essent, quæ piacula quib. diis, quibus hostiis fieri placeret, milites qui Locris essent, omnes in Siciliam transportari: quatuor cohortes sociorum Latini nominis in pręsidiũ Locros adduci. Perrogari eo die sententiæ accensis studiis pro Scipione & aduersus Scipionem non potuere. Præter Pleminij facinus, Locrensiumque cladem, ipsius etiam imperatoris nõ Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus iactabatur, cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio, libellis etiã palęstręque operam dare: æquè segniter mollitérque cohorte totam Syracusarum amœnitate frui: Carthaginem atque Annibalẽ excidisse de memoria: exercitum

citum omnem licētia corruptum, qualis Sucrone in Hispania fuerit, qualis nunc Locus, sociis magis quam hosti metuendus. Hæc quanquam partim vera, partim mixta, eoque similia veris iactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia: qui de ceteris Maximo assensus, de Scipionis caussa dissensit. Qui enim conuenire, quem modo ciuitas iuuenem admodum vnum recuperandæ Hispaniæ delegerit ducem, quē recepta ab hostibus Hispania ad imponendum Punico bello finem creauerit consulem, spe destinauerit Annibalem ex Italia retracturum, Africam subacturum: cum repente, tanquam Q. Pleminium indicta caussa prope damnatum ex prouincia reuocari: cum ea quæ in se nefarie facta Locrenses quærerentur, ne præsente quidem Scipione facta dicerentur: neque aliud quàm patientia, aut pudor, quod tacito pepercisset, insimulari possit? Sibi placere M. Pomponium prætorem, cui Sicilia prouincia sorte euenisset, triduo proximo in prouinciam proficisci: consules decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum prætore mitterent, & duos tribunos plebis, atque ædilem cum eo consilio prætorem cognoscere, si ea quæ Locrenses facta quererentur, iussu aut voluntate Pub. Scipionis facta essent, vt eum de prouincia decedere iuberent: si Pub. Scipio iam in Africam traiecisset, tribuni plebis, atque ædilis cum duobus legatis, quos maximè prætor idoneos censuisset, in Africam proficiscerentur: tribuni atque ædiles, qui reducerent inde Scipionem: legati qui exercitui præessent, donec nouus imperator ad eum exercitum venisset. Sin M. Pomponius, & decem legati comperissent, neque iussu neque voluntate Pub. Scipionis ea facta esse, vt in exercitu Scipio maneret, bellúmque vt proposuisset, gereret. Hoc facto S.C. cum tribunis plebis actum est, aut compararent inter se, aut sorte legerent, qui duo cum prætore ac legatis irent. Ad collegium pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ tacta, violata, elatáq. inde essent. Tribuni plebis cum prætore & decem legatis profecti, M. Claudius Marcellus, & M. Cincius Alimentius, isque ædilis plebis datus est: quem, si aut in Sicilia prætoris dicto audiens non esset Scipio, aut iam in Africam traiecisset, comprehendere tribuni iuberent, ac iure sacro an[...]æ potestatis reducerent. Prius Locros ire quàm Messanam, consilium erat. Ceterum duplex fama est, quod ad Pleminium attinet. alij, auditis quæ Romæ acta essent, in exsilium Neapolim euntem, forte in Q. Metellum vnum ex legatis incidisse, & ab eo Rhegium vi retractum: alij, ab ipso Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitū missum, qui Q. Pleminium in catenas, & cum eo seditionis principes conicerēt. Ij omnes, seu ante Scipionis, seu cum prætoris iussu traditi in custodiam Rheginis sunt. Prætor legatique Locros profecti, primam, sicut mandatum erat, religionis curam habuere. omnem enim sacram pecuniá, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquisitam, cum ea quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. Tum vocatos in concionem milites, prætor signa extra vrbē efferre iubet: castráque in campo locat, cum graui edicto, si quis miles aut in vrbe restitisset, aut secum extulisset, quod suum non esset: Locrensibus se permittere, vt quod suum quisque cognosceret, prehenderet: & quod non compareret, repeteret. ante omnia tempore placere sine mora Locrensibus restitui: non leui defuncturū pœna, qui non restituisset. Locrensium deinde concionem habuit, atque iis libertatē, legesque suas populum Romanum senatúmque re-

stituere dixit. si qui Pleminium, aliúmve quem accusare vellet, Rhegium se sequeretur. si de P. Scipione publicè queri vellent. ea quæ Locris nefariè in deos hominésque facta essent, iussu aut voluntate P. Scipionis facta esse, legatos mitterent Messanam. ibi se cum consilio cogniturum. Locrenses prætori legatisque, & senatui ac populo Romano gratias egere: se ad Pleminium accusandum ituros. Scipionem, quanquam parum iniuriis ciuitatis suæ doluerit, eum esse virum, quem amicum sibi quàm inimicum malint esse, pro certo se habere, neque iussu neque voluntate P. Scipionis tot tā nefanda commissa: sed aut Pleminio nimium, aut sibi parum creditum, naturā insitum quibusdam esse, vt magis peccari nolint, quam satis animi ad vindicanda peccata habeant. Et prætori & consilio haud mediocre onus demtum erat de Scipione cognoscendi. Pleminium & ad duos & triginta homines cū eo damnauerunt, atque in catenis Romam miserunt. ipsi ad Scipionem profecti sunt. vt ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant, de cultu ac desidia imperatoris, salutáq. militiæ disciplina, cōperta oculis perferrent Romam. Venientibus iis Syracusas, Scipio res non verba ad purgandum se parauit: exercitum omnem eò conuenire, classem expediri iussit, táquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginiensibus esset. Quo die venerunt, hospitio comiter accepti. postero die terrestrem naualémque exercitus non instructos modo, sed hos decurrentes, classem in portu simulacrum, & ipsam edentem naualis pugnæ ostendit: tum circa armamentaria & horrea aliumq. belli apparatum visendum, prætor, legatique ducti: tantaq. admiratio singularum vniuersarumq; rerum incussa, vt satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci Carthaginiensem populum, aut nullo alio posse: iuberéntq. quod dij bene verterent, traiiceret, & spei conceptę, quod die illum omnes centuriæ priorem consulem dixissent, primo quoq. tempore compotem populum Romanum faceret, adeóque lætis inde animis profecti sunt, tanquam victoriam, non belli magnificum apparatum nuntiaturi Romā essent. Pleminius, quique in eadem caussa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carceré conditi, ac primo producti ad populū ab tribunis apud præoccupatos Locrensium clade animos, nullū misericordiæ locum habuerunt. postea cum sepius producerentur, iā senescente inuidia, molliebatur ira: & ipsa deformitas Pleminij, memoriáque absentis Scipionis fauoré ad vulgū conciliabat. mortuus tamen prius in vinculis est quā iudiciū de eo perficeretur. Hunc Pleminiū Clodius Licinius in libro tertio rerū Romanarum refert ludis votiuis, quos Romæ Africanus iterū cōsul faciebat, conatum per quosdam quos pretio corruperat, aliquot locis vrbem incēdere, vt frangendi carceris fugiendique haberet occasionē. patefacto dein scelere, delegatum in Tullianū ex S.C. De Scipione nusquam nisi in senatu actum, vbi omnes legatiq. & tribuni clasé, exercitū, ducemque verbis extollentes, effecerunt, vt senatus censeret primo quoq. tempore in Africam traiiciendum: Scipioniq. permitteretur, vt ex iis exercitib. qui in Sicilia essent, ipse eligeret, quos in Africā secum traiiceret, quos prouinciæ relinqueret præsidio. Dum hęc apud Romanos geruntur, Carthaginiēses quoq. cum speculis per promontoria omnia positis, percunctantes pauentésq. ad singulos nuntios solicitam hyémé egissent: haud paruum & ipsi tuendæ Africæ momentum adiecerunt societatem Syphacis regis. cuius maximè fiducia traiecturum in Africam Romanum crediderunt. Erat Asdrubalis Gisgonis filio non ho-

ipsium modo cum rege, de quo antè dictum est, A cum ex Hispania forte in idem tempus Scipio atque Asdrubal conuenerant: sed mentio quoque incoatæ affinitatis, vt rex duceret filiam Asdrubalis. Ad eam rem confirmandam, tempusque nuptiis statuendum (iam enim nubilis erat virgo) profectus Asdrubal, vt accensum cupiditate (vt sunt ante omnes barbaros Numidæ effusi in Venerem) sensit, virginem ab Carthagine accersit, maturatque nuptias: & inter aliam gratulationem, vt publicum quoque fœdus priuato adiiceretur, societas inter B populum Carthaginiensem regemque, data vltro citroque fide, eosdem amicos inimicosque habituros, iureiurando affirmatur. Ceterum Asdrubal memor & cum Scipione initæ regi societatis, & quam vana & mutabilia barbarorum ingenia essent, veritus, ne si traiiceret in Africam Scipio, paruum vinculum eæ nuptiæ essent: dum accensum recenti amore Numidam habet, perpellit, blanditiis quoque puellæ adhibitis, vt legatos in Siciliam ad Scipionem mittat, per quos moneat eum, ne prioribus C suis promissis fretus in Africam traiiciat. se & nuptiis ciuis Carthaginiensis filiæ Asdrubalis, quam viderit apud se in hospitio, & publico etiam fœdere cum populo Carthaginiensi iunctum, hortari primum, vt procul ab Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Carthaginiensibus gerant, ne sibi intersit certaminibus eorum, armaque aut hæc aut illa abnuentem, alteram societatem sequi necesse sit. si non abstineat Africa Scipio, & Carthagini exercitum admoueat, sibi necessarium fore, & pro D terra Africa, in qua & ipse sit genitus, & pro patria coniugis suæ, proque parente ac penatibus dimicare. Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi, Syracusis eum conuenerunt. Scipio quanquam magno momento rerum in Africa gerendarum, magnaque spe destitutus erat, legatis propere, priusquam res vulgaretur, remissis in Africam literas dat ad regem: quibus etiam atque etiam monet eum, ne iura hospitij secum, neu cum populo Ro- E mano initæ societatis, neu fas, fidem, dextras, deos testes atque arbitros conuentorum fallat. Ceterum quando neque celari aduentus Numidarum poterat (vagati enim in vrbe, obuersatique prætorio erant) & si sileretur quid petentes venissent, periculum erat, ne vera eo ipso quod celarentur, sua sponte magis emanarent, timorque in exercitum incideret, ne simul cum rege & Carthaginiensibus foret bellandum: auertit à vero falsis præoccupando mentes hominum, & vocatis ad concionem militibus, non F vltra esse cunctandum ait: instare, vt in Africam quam primum traiiciat, socios reges. Masanissam prius ipsum ad Lælium venisse, querentem quod cunctando tempus tereretur. nunc Syphacem mittere legatos, idem admirantem, quæ tam diuturnæ moræ sit caussa: postulantemque, vt aut traiiciatur tandem in Africam exercitus: aut, si mutata consilia sint, certior fiat, vt & ipse sibi ac regno possit consulere. Itaque iam satis omnibus instructis apparatisque, & re iam non vltra recipiente cunctationem, in animo sibi esse, Lilybæum classe traducta, eodemque omnibus pe- G ditum equitumque copiis contractis, quæ prima dies cursum nauibus daret, deis bene iuuantibus, in Africam traiicere. Literas ad M. Pomponium mittit, vt si ei videretur, Lilybæum veniret: vt communiter consulerent, quas legiones potissimum, & quantum militum numerum in Africam traiiceret. item circum oram omnem maritimam misit, vt naues onerariæ comprehensæ Lilybæum omnes contraherentur. Quicquid militum, nauiumque in Sicilia erat, cum Lilybæum conuenissent, & nec vrbs multitudinem hominum, neque portus naues caperet, tantus omnibus ardor erat in Africam traiiciendi, vt non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia. præcipue qui superabant ex Cannensi exercitu milites, alio non alio duce credebant nauata reipubl. opera finire se militiam ignominiosam posse. Et Scipio minimè id genus militum aspernabatur, vt qui neque ad Cannas ignauia eorum cladem acceptam sciret, neque vllos æque veteres milites in exercitu Romano esse, expertosque non variis prœliis modò, sed vrbibus etiam oppugnandis. Quinta & sexta Cannenses erant legiones. eas se traiecturum in Africam cùm dixisset, singulos milites inspexit: relictisque quos non idoneos credebat, in locum eorum subiecit, quos secum ex Italia adduxerat: suppleuitque ita eas legiones, vt singulæ sena millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites. sociorum item Latini nominis pedites equitesque de exercitu Cannensi legit. Quantum militum in Africam transportatum sit, non paruo numero inter auctores discrepat. alibi decem millia peditum, duo millia & ducentos equites. alibi XV. millia peditum, mille & quingentos equites. alibi parte plus dimidia rem auctam, V. & XXX. millia peditum equitumque in naues imposita inuenio. quidam non adiecere numerum. inter quos me ipse in re dubia poni malim. Cœlius vt abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. volucres ad terram delapsas clamore militum ait: tantamque multitudinem conscendisse naues, vt nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur. Milites vt in naues ordine ac sine tumultu conscenderent, ipse eam sibi curam sumsit. nauticos C. Lælius, qui classis præfectus erat, in nauibus ante conscendere coactos continuit. commeatus imponendi M. Pomponio prætori cura data. V. & XL. dierum cibaria, è quibus XV. dierum cocta, imposita. Vt omnes iam in nauibus erant: scaphas circummisit, vt ex omnibus nauibus gubernatoresque & magistri nauium, & bini milites in forum conuenirent ad imperia accipienda. postea quam conuenerunt, primum ab iis quæsiuit: si aquam hominibus iumentisque in totidem dies, quot frumentum, imposuissent. vbi responsum est, aquam dierum V. & XL. in nauibus esse, tum edixit militibus, vt silentium quieti nautis sine certamine ad ministeria exequenda bene obedientes præstarent. cum XX. rostratis se ac L. Scipionem ab dextro cornu: ab læuo totidem rostratis C. Lælium præfectum classis cum M. Porcio Catone (quæstor tum is erat) onerariis futurum præsidio. lumina in nauibus singula rostratæ, bina onerariæ haberent: in prætoria naue insigne nocturnum trium luminum fore. Emporia vt peterent gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eoque abundans omnium copia rerum est regio, & imbelles (quod plerumque in vbere agro euenit) barbari sunt, priusq. quam à Carthagine subueniretur, opprimi videbantur posse. Iis editis imperiis, redire ad naues iussi: & postero die, dis bene iuuantibus, signo dato soluere naues. Multæ classes Romanæ è Sicilia atque ipso illo portu profectæ erant. ceterum non eo bello solum (nec id mirum, prædatum enim tantummodo pleræq. classes ierant) sed ne priore quidem vlla profectio tanti spectaculi fuit. quanquam si magnitudine classis æstimares: & bini consules cum binis exercitibus ante traiecerant: & prope totidem rostratæ in illis classibus fuerant, quot onerarias Scipio tum traiiciebat. nam præter L. longas naues, quadringentis ferme onerariis exercitum transuexit. sed & bellum bello, secundum

dū priore vt atrocius Romanis videretur, cùm quod in Italia bellabatur, tum ingentes strages tot exercituum simul cæsis ducibus effecerāt. [Scipio dux partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadam ingenti, ad incrementa gloriæ celebratus conuerterat animos: simul & mens ipsa traiiciendi, nulli antè eo bello duci tentata, quod ad Annibalē detrahendum ex Italia, transferendumque & finiēdum in Africa bellum, se transire vulgauerat. Concurrerat ad spectaculum in portum omnis turba, non habitantium modo Lilybæi, sed legationum omnium ex Sicilia: quæ & ad prosequendum Scipionem officij caussa conuenerant, & prætorem prouinciæ M. Pomponium secutæ fuerant. ad hoc legiones quæ in Sicilia relinquebantur, ad prosequendos commilitones processerant, nec classis modo prospectantibus è terra, sed terra etiam omnis circa referta turba spectaculo nauigātibus erat. Vbi illuxit, Scipio prætoria naue silentio per præconem facto: Dij deæque, inquit, qui maria terrásque colitis, vos precor quæsoque, quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur: ea mihi, populo plebique Romanæ sociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium auspiciúmque terra, mari, amnibúsq. sequuntur, bene vertant: eáq. vos omnia bene iuuetis: bonis auctib. auxitis; saluos incolumésque victis perduellibus victores spoliis decoratos, prêda onustos, triumphantésque mecum domos reduces sistatis: inimicorum hostiumque vlciscendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginiensis in ciuitatē nostram facere molitus est, ea vt mihi populóque Romano in ciuitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis. Secundum eas preces cruda exta cæsa victima (vti mos) in mare proiecit, tubáque signum dedit proficiscendi. Vento secundo vehementi satis profecti, celeriter è conspectu terræ ablati sunt. & à meridie nebula occepit, ita vt vix concursus nauium inter se vitarent. lenior ventus in alto factus. noctem insequentem eadem caligo obtinuit: sole orto est discussa, & addita vis vento. Iam terram cernebant. haud ita multo pòst gubernator Scipioni ait, non plus quinque millia passūū Africam abesse, Mercurij promontorium se cernere. si iubeat eò dirigi, iam in portu fore omnem classem. Scipio vt in conspectu terra fuit, precatus deos, vti bono reipublicæ suoque Africam viderit, dare vela, & alium infra nauibus accessum petere iubet. vento eodem ferebantur. ceterum nebula sub idem ferme tempus, quo pridie, exorta conspectum terræ ademit, & vento premēte nebula cecidit. nox deinde incertiora omnia fecit, itaque ancoras, ne aut inter se concurrerent naues, aut terræ inferrentur, iecere. vbi illuxit, ventus idem coortus, nebula disiecta aperuit omnia Africæ littora. Scipio quod esset proximum promontoriū percunctatus, cùm Pulcri promontorium id vocari audisset: Placet omen, inquit, huc dirigite naues. eò classis decurrit: copiæ omnes in terram expositæ sunt. [Prosperam nauigationem sine terrore ac tumultu fuisse, permultis Græcis Latinisque auctoribus credidi. Cœlius vnus præterquam quod non mersas fluctibus naues, cæteros omnes cælestes maritimosque terrores, postremo abreptam tēpestate ab Africa classem ad insulam Ægimurum, inde ægrè correctum cursum exponit: & propè obrutis nauibus, iniussu imperatoris scaphis haud secus quā naufragos milites sine armis cum ingenti tumultu in terram euasisse. Expositis copiis Romani castra in proximis tumulis metātur. Iā non in maritimos modo agros cōspectū primū classis, dein tumultu egredientium in terram, pauor terrorque peruenerat, sed in ipsas vrbes: neq. enim hominum modo turba mulierum puerorumq. agminibus immista, omnes passim cōpleuerat vias, sed pecora quoq. præ se agrestes agebant, vt relinqui subito Africā diceres: vrbibus verò ipsis maiorem quàm quē secum attulerant, terrorē inferebant. Præcipuè Carthagini prope vt captę tumultus fuit. nam post M. Attilium Regulum & L. Manlium Coss. annis prope quinquaginta nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos factæ erant: raptisque quæ obuia fors fecerat, prius recursum semper ad naues, quàm clamor agrestes conciret, fuerat. eo maior tum fuga pauorq. in vrbe fuit. Et hercule neq. exercit⁹ domi validus, neq. dux quem opponerent, erat Asdurbal Gisgonis filius, genere, fama, diuitiis, regia tum etiā affinitate longe primus ciuitatis erat. sed eum ab illo Scipione aliquot præliis fusum, pulsúmq. in Hispania meminerant: nec magis ducem duci parem, quàm tumultuarium exercitum suum Romano exercitui esse. itaque velut si vrbem extemplo aggressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum: portæque raptim clausæ, & armati in muris, vigiliæq. & stationes dispositæ, ac nocte insequenti vigilatum est. Postero die quingenti equites speculatum ad mare, turbandosq. egredientes ex nauibus missi, in stationes Romanorum inciderūt. iam enim Scipio classe Vticam missa, ipse haud ita multum progressus à mari, tumulos proximos ceperat, & equites in stationibus locis idoneis posuerat, & per agros miserat prædatum. Ij cum Carthaginiensi equitatu præliū cum cōmisissent, paucos in ipso certamine plerosque fugientes persecuti, in quibus præfectum quoque Hannonē, nobilem iuuenē, occiderūt. Scipio nō agros modo circa vastauit, sed vrbem etiam proximam Afrorum satis opulentam cepit. vbi præter cetera, quæ extemplo in naues onerarias imposita, missáque in Siciliam erant, octo millia liberorum capitum seruorúmq. sunt capta. Lætissimus tamen Romanis in principio rerum gerendarum aduentus Masanissæ fuit. quem quidam cum CC. haud amplius equitibus, plerique cum duûm millium equitatu tradunt venisse. Ceterum cum longè maximus omnium ætatis suę regum hic fuerit, plurimúmque rem Romanam iuuerit: operæ pretium videtur excedere paululum ad enarrandum, quàm varia fortuna vsus sit in amittendo recuperandoq. paterno regno. Militante eo pro Carthaginiensibus in Hispania, pater eius moritur: (Galæ nomen erat) regnū ad fratrem regis Desalcem pergrandem natu (mos ita apud Numidas est) peruenit. haud multo post Desalce quoq. mortuo, maior ex duobus filiis eius Capusa, puero admodum altero, paternum imperium accepit. Ceterum cum magis iure gētis, auctoritate inter suos, quàm viribus obtineret regnum: exstitit quidam Mezetulus nomine, non alienus sanguine regibus, familiæ semper inimicæ, ac de imperio varia fortuna cum iis qui tum obtinebant, certantis. Is concitatis popularibus, apud quos inuidia regum magnæ auctoritatis erat, castris palam positis, descendere regem in aciem, ac dimicare de regno coegit. in eo prælio Capusa cum multis principum cecidit, gens Masæsylorum omnis in ditionem imperiúmque Mezetuli concessit, regio tamen nomine abstinuit: contentusque nomine modico tutoris, puerum Lacumacen, qui stirpis regiæ supererat, regem appellat, Carthaginiensem nobilē fœminam, sororis filiam Annibalis, quæ

proximè Desalci regi nupta fuerat, matrimonio si- A bi iungit, spe Carthaginiensium societatis: & cum Syphace hospitium vetustum, legatis missis renouat, omnia ea auxilia præparans aduersus Masanissa audita morte patrui, dein nece fratris patruelis, ex Hispania in Mauritaniam (Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat) traiicit. ab eo supplex infimis precibus auxilium itineri, quoniam bello non poterat, quatuor millia Maurorũ impetrauit. Cum iis, præmisso nuntio ad paternos suósque amicos, cum ad fines regni peruenisset, quingenti fermè B Numidæ ad eum conuenerunt. Igitur Mauris inde, sicut conuenerat, retro ad regem remissis, quanquã aliquanto minor spe multitudo, nec cum qua tantam rem aggredi satis auderet, conueniret: ratus agendo ac moliendo vires quoque ad agendum aliquid collecturum, proficiscenti ad Syphacem Lacumaci regulo ad Tapsum occurrit. trepidum agmen cum in vrbem refugisset, & vrbem Masanissa primo impetu capit, & ex regiis alios tradentes se recepit, alios vim parantes occidit, pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Syphacem, quò primũ intenderant iter, peruenerunt. Fama huius modicæ rei C in principio rerũ prosperè actæ conuertit ad Masanissam Numidas. affluebántque vndique ex agris vicisque veteres milites Galę & incitabát iuuenem ad recuperandũ paternum regnum. Numero militũ aliquantum Mezetulus superabat. nam & ipse eum exercitum quo Capusam vicerat, & ex receptis post cædé regis, aliquot habebat: & puer Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat, quindecim millia peditum. Mezetulo decem millia equitum erant. quibuscum Masanissa nequaquam tantum peditum D equitúmve habens, acie conflixit. vicit tamen & veterum militum virtus, & prudentia inter Romana & Punica arma exercitati ducis. Regulus cum tutore & exigua Masæsylorum manu in Carthaginiensium agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno Masanula, quia sibi cum Syphace haud paulo maiorem restare dimicationem cernebat: optimum ratus cum fratre patruele gratiam reconciliare, missis qui & puero spem facerent, si in fidem Masanissæ sese permisisset, futurum in eodé honore, quo apud Galã E Desalces quondam fuisset: & qui Mezetulo præter impunitatem sua omnia cum fide restitui respóderent: ambos præoptantes exsilio modicam domi fortunam, omnia, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agétibus, ad sese perduxit. Asdrubal tum fortè cùm hæc gerebantur, apud Syphacem erat. qui Numidæ haud sanè multum ad se pertinere credenti, vtrum penes Lacumacem, an Masanissam regnum Masæsylorum esset, falli eum magnopere ait si Masanissam eisdem contentum fore, quibus patré F Galam, aut patruum eius Desalcé, credat. multo maiorem indolem in eo animi ingeniique esse, quam in vllo gentis eius vnquam fuisset. sæpe eum in Hispania raræ inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibusque. & Syphacem & Carthaginienses, nisi orientem illum ignem oppressissent, ingenti mox incendio, cum iam nullá opem ferre possent, arsuros, adhuc teneras & fragiles eius vires: vixdum coalescere fouenti regnum. Instando stimulandóque peruicit, vt exercitum ad fines Masæsylorum admoueat: atque in agro de quo sæpe cũ G Gala non verbis modo disceptatum, sed etiam armis certatum fuerat, tanquam haud dubiè iuris sui, castra locet: si quis arceat, quod maxime opus sit, acie dimicaturum. sin per metũ agro cedatur, in medium regni eundum, aut sine certamine concessuros in ditioné eius Masæsylos, aut nequaquã pares futuros armis. His vocibus incitatus Syphax, Masanissæ bellum infert: & primo certamine Masæsylos fundit fugátque. Masanissa cum paucis equitibus ex acie in montem (Balbum incolæ vocant) perfugit. familiæ aliquot cum mapalibus pecoribusque suis (ea pecunia illis est) persecuti sunt regem. cetera Masæsylorum multitudo in ditionem Syphacis concessit. Quem ceperant exsules montem, herbidus aquosusque est: & quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque carne ac lacte vescentium abundè sufficiebat alimentis. Inde nocturnis primo ac furtiuis incursionibus, deinde aperto latrocinio infesta omnia circa esse: maximè vri Carthaginiensis ager, quia & plus prædæ quàm inter Numidas, & latrocinium tutius erat. iámque adeo licenter eludebant, vt ad mare deuectam prædam venderent mercatoribus appellentibus naues ad idipsum, plurésque quam iusto sæpe in bello Carthaginiensium cæderenturque caperenturque. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, infensumque & ipsum ad reliquias belli persequendas instigabant. sed vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consectari. Bocchar ex præfectis regiis vir acer & impiger ad id delectus. ei data quatuor millia peditum, duo equitum: præmiorumque ingentium spe oneratus, si caput Masanissæ retulisset, aut viuum (id verò inæstimabile gaudium fore) cepisset. Palatos, incurioséque agentes improuiso adortus, pecorum hominumque ingenti multitudine à præsidio armatorum exclusa, Masanissam ipsum cum paucis in verticem montis compellit. inde prope vt iam debellato, nec præda modo pecorum hominumque captorum missa ad regem, sed copiis etiam vt aliquanto maioribus quàm pro reliquiis belli remissis, cum quingentis haud amplius peditibus, ducentisque equitibus degressum iugis Masanissam persecutus in valle arcta, faucibus vtrinque obsessis, inclusit. ibi ingens cædes Masæsylorum facta, Masanissa cum quinquaginta haud amplius equitibus per anfractus montis ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit tamen vestigia Bocchar: adeptusque eum parentibus prope Clupeam vrbem campis ita circumdedit, vt pręter quatuor equites, omnes ad vnum interfecerit. cum iis ipsum quoque Masanissam saucium prope è manibus inter tumultum amisit. In conspectu erant fugientis alę equitum dispersę lato campo, quibusdam vt ocurrerent per obliqua tendentibus, quacunque hostis flectebat. amnis ingens fugientes accepit (neque enim cunctanter, vt quos maior metus vrgeret, immiserant equos) raptique gurgite, & in obliquum relati. duobus in conspectu hostiũ in pręruptũ gurgité hostis, ipse periisse creditus, duo reliqui equites cum eo virgulta interioris ripæ tenuerunt. Is finis Bocchari sequendi fuit, nec ingredi flumen auso, nec habere credenti se iam quem sequerentur. Inde vanus auctor absumti Masanissę ad regem redit: missique qui Carthaginem gaudium ingens nunciarent: totaque Africa fama mortis Masanissę repleta, variè animos effecit. Masanissa in spelunca occulta cùm herbis curaret vulnus, duorum equitũ latrocinio per dies aliquot vixit. vbi primùm ducta cicatrix, patique posse visus est iactationé, audacia ingenti pergit ire ad regnũ repetendũ. atque in ipso itinere haud plus XL. equitibus collectis, cũ in Masęsylos palá iam quis esset ferens venisset, tãtum motum cum fauore pristino, tũ gaudio insperato, quod quem periisse crediderant, incolumé cernebant, fecit, vt intra paucos dies VI. millia peditum armatorum

rum

rum, quatuor equitum ad eum conuenirent: atque non in possessione modo paterni regni esset, sed etiam socios Carthaginiensium populos, Masæsylorumque fines (id Syphacis regnum erat) vastaret. Irritato ad bellum Syphace, inter Cirtham Hipponémque in iugis opportuniorum ad omnia montium consedit. Maiorem igitur eam rem Syphax ratus, quam vt per præfectos ageret, cum filio iuuene (nomen Verminæ erat) parte exercitus missa, illum circumducto agmine in se intentum hostem ab tergo inuadere iubet. Nocte profectus Vermina, qui ex occulto aggressurus erat. Syphax autem interdiu aperto itinere, vt qui signis collatis acie dimicaturus esset, mouit castra. Vbi tempus visum est quo peruenisse iam circummissi videri poterant: & ipse leni cliuo ferente ad hostem cum multitudine fretus, tum præparatis à tergo insidiis, per aduersum montem erectam aciem ducit. Masanissa fiducia maximè loci, quo multo æquiore pugnaturus erat, & ipse dirigit suos. Atrox prælium & diu anceps fuit: loco & virtute militum Masanissam, multitudine quæ nimio maior erat, Syphacem iuuante. Ea multitudo diuisa, cum pars à fronte vrgeret, pars ab tergo se circumfudisset, victoriam haud dubiam Syphaci dedit. Ne effugium quidem patebat, hinc à fronte, hinc à tergo inclusis. itaque ceteri pedites equitésque cæsi aut capti. Ducentos ferme equites Masanissa circa se conglobatos, diuisósque turmatim in tres partes erumpere iubet, loco prædicto in quem ex dissipata conuenirent fuga. ipse qua intenderat, inter media tela hostium euasit. duæ turmæ hæsere. altera metu dedita hosti, altera pertinacior in repugnando telis obruta & confixa est. Verminam prope vestigiis instantem in alia atque alia flectendo itinera eludens, tædio & desperatione tandem fessum absistere sequendo coegit. ipse cum LXX. equitibus ad minorem Syrtim peruenit. ibi cum conscientia egregiè sæpe repetiti regni paterni inter Punica emporia, gentémque Garamantum omne tempus vsque ad C. Lælij classisque Romanę aduentum in Africam consumsit. Hæc animum inclinat, vt cum modico potius, quàm cum magno præsidio equitum ad Scipionem quoque postea venisse Masanissam credam. quippe illa regnanti multitudo hæc paucitas exsulis fortunæ conueniens est. Carthaginienses ala equitum cum præfecto amissa, alioque equitatu per nouum delectum cóparato, Hánonem Amilcaris filium præficiunt. Asdrubalé subinde ac Syphacem per literas nuntiósque, postremo etiá per legatos accersunt. Asdrubalem opé ferre propè circumsessæ patriæ iubent: Syphacem orant, vt Carthagini & vniuersæ Africæ subueniat. Ad Vticam tum castra Scipio ferme mille passus ab vrbe habebat, translata à mari, vbi paucos dies statiua coniuncta classi fuerant. Hanno nequaquam satis valido non modo ad lacessendum hosté, sed ne ad tuendos quidem a populationibus agros equitatu accepto, id omnium primum egit, vt per conquisitionem numerum equitum augeret. nec aliarum gentium aspernatus, maximè tamen Numidas (id lógè primum equitum in Africa est genus) conducit. Iam ad quatuor millia equitum habebat, cúm Saleram nomine vrbem occupauit, xv. ferme millia ab Romanis castris. Quod vbi Scipioni relatum est, æstiua sub tectis agere equitatus: Sint, inquit, vel plures, dum talem ducem habeant. eóque minus sibi cessandum ratus, quo illi segnius rem agerét: Masanissam cum equitatu præmissum portis obequitare, atque hostem ad pugná elicere iubet. vbi omnis multitudo se effudisset, grauiórque iá in certamine esset, quàm vt faci-

[A] le sustineri posset, cederet paulatim, se in tépore pugna venturum. Tantum moratus, quantum satis temporis prægresso visum ad eliciendos hostes, cum Romano equitatu secutus, tegentibus tumulis, qui opportunè circa viæ flexus oppositi erant, occultus processit. Masanissa ex composito nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis obequitabat portis, aut vt cedédo cum timoris simulati specie audaciam hosti faceret, ad insequendum temerè eliciebat. Nondum omnes egressi erant, variéque dux fatigabatur: alios [B] vino & somno graues arma capere, & frenare equos cogendo, aliis, ne sparsi & inconditi sine ordine, sine signis omnibus portis excurrerent, obsistendo. Primo incautè se inuehétes Masanissa excipiebat: mox plures simul conferti porta effusi æquauerant certamen: postremo iam omnis equitatus prælio cum adesset, sustineri vltra nequiuere. Non tamen effusa fuga Masanissa, sed cedendo sensim impetus eorum excipiebat, donec ad tumulos tegentes Romanum equitatú pertraxit. Inde exorti equites & ipsi [C] integris viribus, & recentibus equis, Hannoni Afrísque pugnando ac sequendo fessis, se circunfundere: & Masanissa flexis subito equis in pugnam rediit. Mille ferme qui primi agminis fuerant, vt quibus haud facilis receptus fuit, cum ipso duce Hannone interclusi atque interfecti sunt. ceteros duces præcipue territos cęde effusè fugientes per tria millia passuum victores secuti, ad duo præterea millia equitum aut ceperunt, aut occiderút. inter eos satis constabat, non minus ducentos Carthaginiensium [D] equites fuisse, & diuitiis quosdam & genere illustres. Eodem forte quo hæc iusta sunt die, naues quæ prædam in Siciliam vexerant, cum commeatu rediere, velut ominatæ ad prædam alteram repetendam sese venisse. Duos eodem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus prœliis interfectos, non omnes auctores sunt: veriti credo ne falleret bis relata eadem res. Cœlius quidem & Valerius captum etiam Hannoné tradunt. Scipio præfectos equitésque prout cuiusque opera fuerat, & [E] ante omnes Masanissam insignibus donis donat. & firmo præsidio Saleræ imposito, ipse cum cetero exercitu profectus, non agris modo quacunque incedebat, populatis, sed vrbibus etiam quibusdam vicísque expugnatis, latè fuso terrore belli, septimo die quam profectus erat, magnam vim hominum & pecoris & omnis generis prędę trahens in castra redit: grauésque iterum hostium spoliis naues dimittit: inde omissis expeditionibus paruis populationibúsque ad oppugnádam Vticam omnes belli vires [F] conuertit: eam deinde, si cepisset, sedem ad cetera exsequenda habiturus. Simul & à classe nauales socij, qua ex parte vrbs mari alluitur: simul & terrestris exercitus ab imminente propè ipsis mœnibus tumulo est admotus. tormenta machinasque & aduexerat secum, & ex Sicilia cum commeatu missę erant, & noue in armamentario multis talium operú artificibus de industria inclusis, fiebant. Vticensibus tanta vndique mole circunsessis, in Carthaginiensi populo, Carthaginiensibus in Asdrubale, ita, si is [G] mouisset Syphacem, spes omnis erat. sed desiderio indigentiú auxilij tardius cuncta mouebantur. Asdrubal intentissima conquisitione cum ad xxx. millia peditum, tria equitum effecisset: non tamen ante aduentum Syphacis castra propius hostem mouere est ausus. Syphax cum quinquaginta millibus peditum, decem equitum, aduenit: confestímque motis ab Carthagine castris, haud procul Vtica munitionibúsque Romanis consedit. Quorú aduetus hoc tamen momét fecit, vt Scipio cú quadraginta fermè

dies nequicquam omnia experiens obsedisset Vti-
cam, abscederet inde irrito incepto, iá enim hyems
instabat. castra hyberna in promontorio, quod tenui
iugo continenti adhærens in aliquantum maris spa-
tium extéditur, communit: vno vallo & naualia ca-
stra amplectitur, iugo medio legionum castris im-
positis, littus ad septentrionem versum subductæ
naues naualésque socij tenebant, meridianam val-
lem ad alterum littus deuexam equitatus. Hæc in
Africa vsque ad extremum autumni gesta. Præter
conuectum vndique ex populatis circa agris frumé- B
tum, cómeatusque ex Sicilia atque Italia aduectos,
Cn. Octauius Propr. ex Sardinia ab T. Claudio Pr.
cuius ea prouincia erat, ingentem vim frumenti ad-
uexit: horreaque non solum ea, quæ iam facta erát,
repleta, sed noua ædificata. Vestimenta exercitui de-
erant. id mandatum Octauio, vt cum prætore age-
ret, si quid ex ea prouincia comparari ac mitti pos-
set. ea quoque haud segniter curata res. mille ducen-
tæ togæ breui spatio, duodecim millia tunicarum
missa. Æstate ea qua hęc in Africa gesta sunt, P. Sem-
pronius Cos. cui Brutij prouincia erat, in agro Cro- C
tonięsi cū Annibale in ipso itinere tumultuario prę-
lio conflixit, agminibus magis quam acie pugnatū
est. Romani pulsi: & tumultu verius quā pugna ad
mille & CC. de exercitu consulis interfectis, in ca-
stra trepidi rediere. neque oppugnare tamen ea ho-
stes ausi. Ceterum silentio proximæ noctis profe-
ctus inde consul, præmisso nuntio ad P. Licinium
proconsulé, vt suas legiones admoueret, copias con-
iunxit. ita duo duces, duo exercitus ad Annibalem
redierunt, nec mora dimicandi facta est, cum con- D
suli duplicatæ vires, Pœno recens victoria animos
faceret. In primam aciem suas legiones Sempronius
induxit: in subsidiis locatæ P. Licinij legiones. Cō-
sul principio pugnæ ædem Fortunæ Primigenię vo-
uit, si eo die hostes fudisset: composque eius voti
fuit. fusi ac fugati Pœni. supra quatuor millia arma-
torū cæsa: paulo minus treceṫi viui capti: equi qua-
draginta, & vndecim militaria signa. Perculsus ad-
uerso prælio Annibal, Crotonem exercitum abdu-
xit. Eodem tempore M. Cornelius Cos. altera parte E
Italiæ non tam armis, quàm iudiciorum terrore He-
truriam continuit, totam ferme ad Magonem, ac per
eum ad spem nouandi res versam. Eas quæstiones
ex senatusconsulto minimè ambitiosè habuit. mûl-
tique nobiles Hetrusci, qui aut ipsi ierant, aut mise-
rant ad Magonem de populorum suorum defectio-
ne, primo erant præsentes condemnati: postea con-
scientia sibimetipsi exilium consciscentes, cum ab-
sentes damnati essent, corporibus subtractis, bona
tantum quæ publicari poterant, pignoranda pœnæ F
præbebant. Dum hæc consules diuersis regionibus
agunt, censores interim Romæ M. Liuius & C. Clau-
dius senatum recitarunt. princeps iterum lectus Q.
Fabius maximus. notati septem, nemo tamen qui
sella curuli sedisset. sarta tecta acriter & cum summa
fide exegerunt. viam è foro Boario ad Veneris, &
circa foros publicos, & ædem Matris magnæ in pa-
latio faciendam locauerunt. vectigal etiam nouum
ex salaria annona statuerunt. sextante sal & Romæ,
& per totam Italiam erat. Romæ pretio eodé, plu-
ris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præ- G
bendum locauerunt. Id vectigal commentū alterum
ex censoribus satis credebant: populo iratum, quod
iniquo iudicio quondam dānatus esset. Et in pretio
salis maximè oneratas tribus, quarum opera dána-

A tus erat, credebant. Inde Salinatori Liuio inditum
cognomen. Lustrum conditum serius, quia per pro-
uincias dimiserūt censores, vt ciuium Romanorum
in exercitibus, quantus vbique esset, referretur nu-
merus. Censa cum iis CCLXV. millia hominum, cō-
didit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde
coloniarum, quod numquam antea factum erat, de-
ferentibus censoribus, censum receperunt: vt quan-
tum numero militum, quantum pecunia valerent,
in publicis tabulis monumenta exstarent. Equitum
deinde census agi cœptus est. & ambo forte censores
equum publicum habebāt. cum ad tribum Polliam
ventum est, in qua M. Liuij nomen erat: & præco
cunctaretur citare ipsum césorem: Cita, inquit Ne-
ro, M. Liuium. & siue ex residua & vetere simulta-
te, siue intempestiua iactatione seueritatis inflatus,
M. Liuium, quia populi iudicio esset condemnatus,
equum vendere iussit. Item M. Liuius cum ad Tri-
bum Narniensem & nomen collegæ ventum est,
vendere equum C. Claudium iussit, duarum rerum
caussa: vnius, quod falsum aduersus se testimonium
dixisset: alterius, quod nó syncera fide secum in gra-
tiam redisset. Itaque ibi fœdum certamen inqui-
nādi famam alterius cum suæ famæ damno factum
est. Exitu censuræ cum in leges iurasset C. Claudius,
& in ęrarium ascendisset, inter nomina eorum quos
ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde
M. Liuius in ærarium venit, & præter Metiam tri-
bum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatū
consulem aut censorem fecisset: populū Romanum
omnem, quatuor & triginta tribus, ærarios reliquit:
quod & innocentem se condemnassent, & condem-
natum consulem aut censorem fecissent: neque infi-
ciari possent aut iudicio semel, aut comitiis bis ab
se peccatum esse. inter quatuor & triginta tribus &
C. Claudium ærarium fore. quod si exemplum ha-
beret bis eundem ærarium relinquendi, C. Claudiū
nominatim se inter ærarios fuisse relicturum. Paruū
certamen notarum inter censores, castigatio incon-
stantiæ populi césoria grauitate temporum illorum
digna. In inuidia censores cum essent: crescendi ex
his ratus esse occasionem Cn. Bębius tribunus ple-
bis, diem ad populum vtrique dixit. Ea res cónsensu
patrum discussa est, ne postea obnoxia populari au-
ræ censura esset. Eadem æstate in Brutiis iam Petilia
à consulę vi capta, Consentia & Pandosia, & ignobi-
les aliæ ciuitates voluntate in deditionem venerūt.
Et cum comitiorum iam appeteret tempus, Corne-
lium potius ex Hetruria, vbi nihil belli erat, Romā
acciri placuit. Is consules Cn. Seruilium Cępionem,
& Cn. Seruilium Geminum creauit. Inde prætoria
comitia habita. Creati P. Cornelius Lentulus, P.
Quintilius Varus, P. Aelius Pætus, P. Villius Tappu-
lus. Hi duo cum ædiles plebis essent, prætores creati
sunt. Consul comitiis perfectis ad exercitum in He-
truriam rediit. Sacerdotes eo anno mortui, atque in
locum eorū suffecti. T. Veturius Philo flamen Mar-
tialis in locum M. Aemilij Regilli, qui priore anno
mortuus erat, creatus inauguratusque. & in M. Pō-
ponij Mathonis auguris & decemuiri locum creа-
ti, decęuir M. Aurelius Cotta augur, T. Sempronius
Gracchus admodum adolescens, quod tunc perra-
rum in mandandis sacerdotiis erat. Quadrigæ aureę
eo anno in Capitolio positæ ab ædilibus curulibus,
C. Liuio & M. Seruilio Gemino. Et ludi Romani bi-
duum instaurati. item per biduū plebeij ab ędilibus
P. Aelio, P. Villio: & Iouis epulum fuit ludorū causa.

DECADIS TERTIAE
LIBER X.

CN. Seruilius Cæpio, & C. Seruilius Geminus Coss. (sextusdecimus is annus belli Punici erat) cum de republica belloque & prouinciis ad senatum retulissent: censuerunt patres, vt consules inter se compararent sortirenturúe, vter Brutios aduersus Annibalem, vter Hetruriam ac Ligures prouinciam haberet: cui Brutij euenissent, exercitum à P. Sempronio Cos. acciperet. P. Sempronius (ei quoque enim proconsuli imperium in annum prorogabatur) P. Licinio succederet, is Romá reuerteretur. Bello quoque bonus habitus ad cetera, quib. neminem ea tempestate instructior ciuis habebatur, cógestis omnibus humanis à natura fortunáque bonis, ... ac dites erat, forma viribusque corporis ... , facundissimus habebatur, seu caussa ... in senatu & ad populú suadendi ac dissuadendi ... esset, iuris pontificij peritissimus. super hæc bellicæ quoque laudis consulatus cópoté fecerat. Quod in Brutiis prouincia, idem in Hetruria ac Liguribus decretum. M. Cornelius nouo consuli tradere exercitum iussus: ipse prorogato imperio Galliam prouinciam obtineret cum legionibus iis, quas prætor L. Scribonius priore anno habuisset. Sortiti deinde prouincias. Cæpioni Brutij, Seruilio Gemino Hetruria euenit. Tum prætorum prouinciæ ... iurisdictionem vrbanam P. Ælius, Sardiniam P. Lentulus, Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus (sub Spurio Lucretio ... fuerant) Quintilius Varus est sortitus. Et Lucretio prorogatum imperium, vt Genuam oppidum à Magone Pœno dirutú reædificaret. P. Scipioni non temporis, sed res gerendę fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est: decretumque vt supplicatio fieret, quod is in Africam prouinciam traiecisset; vt ea res salutaris populo R. atque ipsique duci atque exercitui esset. In Siciliam tria millia militú sunt scripta. & quia quod roboris ea prouincia habuerat, in Africá transuectum fuerat, ne qua classis ex Africa traiiceret, XL. nauibus custodiri placuerat Siciliæ maritimá oram. Tredecim nouas naues Villius secum in Siciliam duxit, ceteræ in Sicilia veteres refectæ. Huic classi M. Pomponius prioris anni prætor prorogato imperio præpositus, nouos milites ex Italia aduectos in naues imposuit. Parem nauium numerum Cn. Octauio Pr. itidem prioris anni cum pari iure imperij ad tuendam Sardiniæ oram patres decreuerunt. Lentulus Pr. duo millia militú dare in naues iussus. Et Italiæ ora, quia incertú erat, quò missuri classem Carthaginienses forent: videbatur autem quicquid nudatum praesidiis esset, petituri: M. Martio Pr. prioris anni cum totidem nauibus tuenda data est, tria millia ... in eam classem ex decreto patrum cósules ... & duas legiones vrbanas ad incerta belli ... Italiæ cum exercitibus imperioque veteribus ... L. Lentulo & L. Manlio Acidino decretæ. Viginti omnino legionibus & CLX. nauibus ... Romana eo anno gesta. Prætores in prouincias ire iussi. Consulibus imperatum, vt priusquam ab vrbe proficiscerentur, ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vouisset, si eodem statu respublica

A starct. Et nouas religiones excitabant in animis hominum, prodigia ex pluribus locis nútiata. Aurum in Capitolio coruí non lacerasse tátum rostris creditú, sed etiam edisse. Mures Antij coronam auream arroserunt. Circa Capuam omnem agrum locustarum vis ingens, ita vt vnde aduenissent parum constaret, cópleuit. Equuleus Reate cum quinque pedibus natus. Anagniæ sparsi primum ignes in cœlo, dein fax ingens arsit. Frusinone arcus solem tenui

B linea amplexus: circulum deinde ipsum maior solis orbis extrinsecus inclusit. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit. Consulum alteri primam hostiam immolanti caput iecinori defuit. Ea prodigia maioribus hostiis procurata, editi à collegio pontificum dij, quibus sacrificaretur. Iis trásactis, consules prætoresque in prouincias profecti, omnibus tamen velut eam sortitis, Africę cura erat: seu quia ibi summam rerum bellique verti cernebant, seu vt Scipioni gratificarentur, in quem tum o-

C mnis versa ciuitas erat. itaque non ex Sardinia tantum, sicut ante dictú, sed ex Sicilia quoque & Hispania vestimenta frumentúmque, & arma etiam ex Sicilia, & omne genus commeatus eo portabantur. Nec Scipio vllo tempore hyemis belli opera remiserat, quæ multa simul vndique eum circumstabant. Vticam obsidebat, castra in conspectu Asdrubalis erant. Carthaginienses deduxerant naues, classem paratam instructámque ad commeatus inter-

D cipiendos habebant. inter hæc ne Syphacis quidem recóciliandi curam ex animo dimiserat: si forte iam satietas amoris in vxoré ex multa copia eum cepisset. Ab Syphace magis pacis cum Carthaginiensib. conditiones, vt Romani Africa, Pœni Italia excederent, quàm si bellaretur, spes vlla desciturum afferebatur. Hæc per nuntios magis equidem acta crediderim (& ita pars maior auctores sunt) quam ipsum Syphacem, vt Antias Valerius prodit, in castra Romana ad colloquium venisse. Primo eas conditiones imperator Romanus vix auribus admisit. postea vt caussa probabilis suis commeandi foret in castra

E hostium mollius eadem illa abnuere: ac spem facere, sæpius vltro citroque agitantibus, rem conuenturam. Hybernacula Carthaginiensium, cógesta temere ex agris materia exædificata, lignea ferme tota erant. Numidæ præcipuè arundine textis storiaque pars maxima tectis, passim nullo ordine, quidá vt sine imperio occupatis locis, extra fossá etiá vallúmque habitabát. Hæc relata Scipioni, spem fecerant castra hostium per occasionem incendendi. Cú

F legatis quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordinis spectatæ virtutis atq; prudentiæ seruili habitu mittebat: qui dú in colloquio legati essent, vagi per castra alius alia, aditus exitusque omnes situm formámque & vniuersorum castrorum & partium, qua Pœni, qua Numidæ haberent, quantú interualli inter Asdrubalis ac regia castra esset, specularentur: moremque simul noscerent stationum vigiliarúque nocte, an interdiu opportuniores insidiantibus essent. & inter crebra colloquia alij atq;

G alij de industria, quo pluribus omnia nota essent, mittebantur. Cum sæpius agitata res certiorem spé pacis indies & Syphaci & Carthaginiensibus per eú faceret: legati Romani vetitos se reuerti ab imperatore aiunt, nisi certum responsum detur. proinde seu ipsi staret iam sententia, seu consulendus Asdrubal & Carthaginienses essent, consuleret, tépus esse aut pacem componi, aut bellum nauiter geri. Dúm consulitur Asdrubal ab Syphace, ab Asdrubale Carthaginiéses: & speculatores omnia visend, & Scipio ad cóparanda, quæ in ré opus erant, tem-

pus habuit:& ex mentione ac spe pacis, negligen-
tia, vt fit, apud Pœnos Numidasque orta cauendi
ne quid hostile interim paterentur. Tandem rela-
tum responsum, quibusdam, quia nimis cupere Ro-
manus pacem videbatur, iniquis per occasionem
adiectis, quæ peropportunè cupienti tollere indu-
cias, Scipioni caussam præbuere ac nuntio regis, cū
relaturum se ad consilium dixisset: postero die re-
spondit: se vno frustra tendente nulli alij pacem
placuisse. renuntiaret igitur, nullam aliam spem pa-
cis, quàm relictis Carthaginiensibus, Syphaci cum
Romanis esse. Ita tollit inducias, vt libera fide in-
cepta exsequeretur. deductisque nauibus (& iá ve-
ris principium erat) machinas tormentaque, veluti
à mari aggressurus Vticam imponit. duo millia mi-
litum ad capiendam, quem antea tenuerat, tumu-
lum super Vticam mittit: simul vt ab eo quod para-
bat, in alterius rei curam conuerteret hostium ani-
mos: simul ne qua, cum ipse ad Syphacem Asdruba-
lémque profectus esset, eruptio ex vrbe & impetus
in castra sua relicta cum leui præsidio fieret. His
præparatis conuocatoque consilio, & dicere explo-
ratoribus iussis: quæ comperta afferrent, Masanis-
saque, cui omnia hostium nota erát: postremo quid
ipse pararet in proximam noctem proponit. tribu-
nis edicit, vt vbi prætorio dimisso signa concinuis-
sent, extemplo educerent è castris legiones. Ita vt
imperauerat, signa sub occasum solis efferri sunt
cœpta, ad primam fermè vigiliá agmen explicaue-
runt: media nocte (septem enim millia itineris e-
rant) modico gradu ad castra hostium peruentum.
Ibi Scipio partem copiarum Lælio Masanissamque
ac Numidas attribuit: & castra Syphacis inuadere,
ignésque conijcere iubet. singulos deinde separa-
tim, Lælium ac Masanissam seductos obtestatur, vt
quantum nox prouidentiæ adimat, tantum diligé-
tia expleant curáque. se Asdrubalem Punicaque ca-
stra aggressurum. ceterum non ante cœpturum,
quàm ignem in regiis castris conspexisset. Neque
ea res morata diu est, nam vt proximis castris inie-
ctus ignis hæsit, extemplo proxima queque, & dein-
ceps continua amplexus, totis se passim dissipauit.
castris. & trepidatio quidem quanta necesse erat in
nocturno effuso tam late incendio, orta est. cete-
rum, fortuitum, non hostilem ac bellicum ignem
rati esse, sine armis ad restinguendum incendium
effusi, in armatos inciderunt hostes, maximè Nu-
midas ab Masanissa notitia regiorum castrorum ad
exitus itinerum, idoneis locis dispositos. Multos
in ipsis cubilibus semisomnes hausit flamma: multi
in præcipiti fuga ruétes super alios alij, in angustiis
portarum obtriti sunt. Relucentem flammam pri-
mo vigiles Carthaginiensium, deinde excitati alij
nocturno tumultu cum cóspexissent, ab eodem er-
rore credere & ipsi sua sponte incendium ortum: &
clamor inter cædem & vulnera sublatus, an ex tre-
pidatione nocturna esset confusus, sensum veri
adimebat. Igitur pro se quisque inermes, vt quibus
nihil hostile suspectum esset, omnibus portis qua
cuique proximum erat, ea modo quæ restinguendo
igni forent portantes, in agrum Romanum ruebát.
Quibus cæsis omnibus, præterquam hostili odio,
etiam ne quis nuntius effugeret: extemplo Scipio ne-
glectas, vt in tali tumultu, portas inuadit, ignibus-
que in proxima tecta coniectis, effusa flamma pri-
mo veluti sparsa pluribus locis reluxit: dein per có-
tinua serpens vno repente omnia incendio hausit.
Ambusti homines iumentaque fœda primum fuga,
dein strage obtruncant itinera portarum. quos non
oppresserat ignis, ferro absumti. binaque castra vna

A die deleta: duces tamen ambo, & ex tot millibus ar-
matorum MM. peditum, & quingenti equites se-
miermes, magna pars saucij, afflatique incendio ef-
fugerunt. Cæsa aut hausta flammis ad XL. millia ho-
minum sunt: capti supra VI. millia, multi Carthagi-
niensium nobiles, XI. senatores, signa militaria
CLXXVIII. equi Numidici supra II. millia DCC. e-
lephanti sex capti: octo flamma ferroque absumti:
magnaque vis armorum capta. Ea omnia impera-
tor Vulcano sacrata incendit. Asdrubal ex fuga cū
B paucis Afrorum vrbem proximam petierat: eoque
omnes qui supererant, vestigia ducis sequentes se
contulerant. metu deinde ne dederetur Scipioni, vr-
be excessit. Mox eodem patentibus portis Romani
accepti, nec quicquam hostile, quia voluntate con-
cesserant in deditionem, factum, duę subinde vrbes
captæ direptæque ea præda, & quæ castris incensis
ex igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo
millium fermè inde spatio loco munito consedit.
Asdrubal Carthaginem contendit, ne quid per me-
C tum ex recenti clade mollius consuleretur. quo tá-
tus primo terror est allatus, vt omissa Vtica Cartha-
ginem crederent extemplo Scipionem obsessurum.
Senatum itaque Suffetes, quod velut consulare im-
perium apud eos erat, vocauerunt. ibi tribus dictis
sententiis, vna de pace legatos ad Scipionem decer-
nebat: altera Annibalem ad tuendam ab exitiabili
bello patriam reuocabat: tertia Romanę in aduersis
rebus constantiæ exemplo reparandum exercitum,
Syphacémque orandum ne bello absisteret, censebat.
D Hæc sententia, quia Asdrubal præsens, Barchineque
omnes factionis bellum malebant, vicit. Inde dele-
ctus in vrbe agrisque haberi cœptus: & ad Sypha-
cem legati missi, summa ope & ipsum reparantem
bellum: cum vxor iam non vt ante blanditiis satis
potentibus ad animum amantis, sed precibus & mi-
sericordia valuisset, plena lacrymarum obtestans,
ne patrem suum patriamque proderet: iisdemque
flammis Carthaginem, quibus castra conflagrassent,
absumi sineret. Spem quoque opportunę oblatam
E afferebant legati, quatuor millia Celtiberorum cir-
ca vrbem nomine Olbam ab conquisitoribus suis
conducta in Hispania, egregię iuuentutis, sibi occur-
risse: & Asdrubalem propediem affore cum manu
haud quaquam cótemnenda. Is non benignè modo
legatis respondit, sed ostendit etiam multitudinem
Numidarum agrestium, quibus per eosdem dies ar-
ma equosque dedisset, & omnem iuuentutem affir-
mat excitarum ex regno. scire incendio, non prælio
cladem acceptam, eum bello inferiorem esse, qui ar-
F mis vincatur. Hęc legatis responsa. Et post dies pau-
cos rursus Asdrubal & Syphax copias iunxerunt: is
omnis exercitus fuit XXX. fermè millium armato-
rum. Scipionem velut debellato iá, quod ad Sypha-
cem Carthaginiensésque attineret: Vticę oppugná-
dæ intentum, iamque machinas admouentem mu-
ris, auertit fama redintegrati belli. modicisque præ-
sidiis ad specié modo obsidionis terra marique re-
lictis, ipse cū robore exercitus ire ad hostes pergit.
Primo in tumulo quatuor fermè millia distante ab
G castris regiis consedit. Postero die cum equitatu in
Magnos (ita vocát) campos subiectus ei tumulo de-
gressus, succedendo ad stationem hostium, lacessen-
dóque leuibus præliis, diem absumsit. & per inse-
quens biduú tumultuosis hinc atque illinc excur-
sionibus inuicem nihil dictu satis dignum fecerút.
quarto die vtrinque in aciė descensum est. Romanus
post principes hastatorum prima signa in subsidiis
triarios constituit, equitatú Italicú ab dextro cornu,
ab læuo Numidas Masanissamque opposuit. Syphax
Asdru

Asdrubalque Numidis aduersus Italicum equitatum, Carthaginiensibus contra Masanissam locatis, Celtiberos in mediam aciē in aduersa signa legionum accepere. Ita instructi concurrunt. Primo impetu simul vtraque cornua & Numidæ & Carthaginienses pulsi. nam neque Numidæ, maxima pars agrestis, Romanum equitatum: neque Carthaginienses, & ipse nouus miles, Masanissam recēti supra cetera victoria terribilem sustinuere. Nudata vtrinque cornibus Celtiberorum acies stabat: quod nec in fuga salus vlla ostendebatur locis ignotis: neque spes veniæ ab Scipione erat, quem benemeritum de se & de gente sua mercenariis armis in Africam oppugnatum venissent. Igitur circumfusis vndique hostibus, alij super alios cadentes obstinati moriebantur. omnibusque in eos versus, aliquantum ad fugam temporis Syphax & Asdrubal præceperunt: fatigatos cæde diutius quā pugna victores nox oppressit. Postero die Scipio Lælium Masanissamque cum omni Romano & Numidico equitatu, expeditissimisque militum ad persequendos Syphacem atque Asdrubalem mittit. ipse cum robore exercitus vrbes circa omnes, quæ Carthaginiensium ditionis erant: partim vi, partim metu subegit. Carthagini quidem erat ingens terror: & circumferentem arma Scipionem, omnibus finitimis raptim perdomitis, ipsam Carthaginem repente aggressurum credebant. Itaque & muri reficiebantur, propugnaculisque armabantur, & pro se quisque quæ diutinæ obsidioni toleranda sunt, ex agris conuehebat. Rara mentio est pacis, frequentior legatorum ad Annibalem accersendum mittendorum. pars maxima classem quæ ad commeatus excipiēdos parata erat, mittere iubent ad opprimendam stationem nauium ad Vticam incautè agentem: forsitan etiam naualia castra relicta cum leui præsidio oppressuros. In hoc consilium maximè inclinant, legatos tamen ad Annibalem mittendos censent: quippe classe vt felicissimè geratur res, parte aliqua leuari Vticæ obsidionem: Carthaginem ipsam qui tueantur, neque imperatorem alium quam Annibalem, neque exercitum alium quam Annibalis superesse. Deductę ergo postero die naues, simul & legati in Italiam profecti, raptimque omnia stimulante fortuna agebantur. & in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur. Scipio grauem iam spoliis multarum vrbium exercitum trahens, captiuis aliaque præda in vetera castra ad Vticam missis, iam in Carthaginem intentus occupat relictum fuga custodum Tunetą (abest ab Carthagine XII. millia fermè passuum) locus cum operibus, tum suapte natura tutus, & qui ab Carthagine conspici, & præbere ipse prospectum cum ad vrbem, tum ad circumfusum mare vrbi posset. Inde cum maximè vallum Romani iacerent, conspecta classis hostium est Vticam Carthagine petens. Igitur omisso opere pronunciatum iter, signáque raptim ferri sunt cœpta, ne naues in terram & obsidionem versæ, ac minimè nauali prælio aptæ opprimerentur. qui enim restitissent agili & nautico instrumento aptæ & armatæ classi, naues tormenta machinasque portantes, & aut in onerariarum vsum versæ, aut ita appulsæ muris, vt pro aggere ac pontibus præbere ascensum possent? Itaque Scipio postquam eò ventum est, vt in nauali certamine solet, rostratis, quæ præsidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro aduersus hostem opposuit: easque ipsas, ne in tumultu pugnæ turbari ordines possent, malis antennisque de naue in nauem traiectis, ac

A validis funibus velut vno inter se vinculo illigatis comprehendit: tabulasque superstrauit, vt peruius in totum nauium ordo esset: & sub ipsis pontibus interualla fecit, qua procurrere speculatoriæ naues in hostem, ac tuto recipi possent. his raptim pro tēpore instructis mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur: telorum maximè missilium, vt quāuis longo certamine sufficerent, vis ingens congeritur. ita parati atque intenti hostium aduentum opperiebantur. Carthaginienses, qui si maturassent, B omnia permista turba trepidantium primo impetu deprehēdissent: perculsi terrestribus cladibus, atque inde ne in mari quidem, vbi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni nauigatione absumto, sub occasum solis in portum (Ruscinona Afri vocant) classem appulere. postero die sub ortum solis instruxere ab alto naues velut ad iustum prælium nauale, & tanquam exituris contra Romanis. Cum diu stetissent, postquam nihil moueri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias aggrediuntur. Erat res minimè certamini nauali similis, proxime speciem C muros oppugnantium nauium. altitudine aliquantum onerariæ superabant. ex rostratis Pœni vana pleraque, vtpote supino iactu, tela in locum superiorem mittebant. grauior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus erat. speculatoriæ naues ac leuia ipsa nauigia, quæ sub constratis pontium per interualla excurrebant, primo ipso tantum impetu ac magnitudine rostratarum obruebantur: deinde & propugnatoribus quoque incommodæ erāt, quod permistæ cum hostium nauibus inhibere sæ- D pe tela cogebant, metúue ambiguo ictu suis inciderent: postremo asseres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus iniici in Romanas cœpti. quos cum neque ipsos, neque catenas quibus suspensi iniiciebātur, incidere possent: vt quæque retro inhibita rostrata onerariam hærentem vnco traheret, scindi videres vincula, quibus aliis innexa erat: seriémque aliam simul plurium nauium trahi. Hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes, & vix transiliendi in secundum or- E dinem nauium spatium propugnatoribus datū est. Sex ferme onerariæ puppibus abstractæ Carthaginem sunt. maior quàm pro re lætitia, sed eo gratior, quod inter assiduas clades ac lacrymas vnum quantumcumque ex insperato gaudium affulserat, cum eo: vt appareret haud procul exitio fuisse Romanā classem, ni cessatum à præfectis suarum nauium foret, & Scipio in tempore subuenisset. Per eosdem forte dies cum Lælius & Masanissa quintodecimo ferme die in Numidiam peruenissent, Masæsyli re- F gnum paternum Masanissæ, læti vt ad regem diu desideratum, concessere. Syphax pulsis inde præfectis præsidiisque suis, vetere se continebat regno, neutiquam quieturus. stimulabant ægrum amore vxor socérque: & ita viris equisque abundabat, vt subiectæ oculis regni per multos florentis annos vires, etiam minus barbaro atque impotenti animo spiritus possent facere. Igitur omnibus qui bello apti erant, in vnum coactis, equos, arma, tela, G diuidit: equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam ab Romanis centurionibus didicerat, distribuit. Exercitu haud minore quam quem prius habuerat. ceterum omni prope nouo atque incondito ire ad hostes pergit. Et castris in propinquo positis, primo pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi, inde iaculis summoti recurrere ad suos: inde excursiones inuicem fieri & cum pulsos indignatio accenderet, plures subire: quod irritamentum certaminum equestrium est,

cum aut vincentibus spes, aut pulsis ira aggregat suos. Ita tum à paucis prælio accenso, omnes vtrinque postremo equitum certaminis studium effudit. ac dum equestre prælium erat, multitudo Masæsylorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat. deinde vt pedes Romanus repentino per turmas suas viam danteis intercursu stabilem aciem fecit, absterruitque effusè inuehentem sese hostem: primo barbari segnius permittere equos, deinde stare ac prope turbari nouo genere pugnæ: postremo non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere peditis præsidio audétem. Iam signa quoque legionum appropinquabant. tum verò Masæsyli non modo primum impetum, sed ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt. tantum seu memoria priorum cladium, seu præsens terror valuit. Ibi Syphax dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo suo fugam sistere posset, equo grauiter icto effusus opprimitur capiturque: & viuus, lætum ante omnes Masanissæ præbiturus spectaculum, ad Lælium pertrahitur. Cirtha caput regni Syphacis erat: eoque se ingens vis hominum ex fuga contulerat. Cædes in eo prælio minor quàm victoria fuit, quia equestri tantummodo prælio certatum fuerat. nō plus quinque millia occisa, minus dimidium eius hominum captum est: impetu in castra facto, quo perculsa rege amisso multitudo se contulerat. Masanissa Lælio dicere, sibi quidem nihil esse in præsentia pulchrius, quàm victorem recuperatum tanto post interuallo inuisere receptum patrium regnum: sed tam secundis, quam aduersis rebus nō dari spatium ad cessandum. si se Lælius cum equitatu victóque Syphace Cirtham præcedere sinat, trepida omnia metu se oppressurum. Lælium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse. Assentiente Lælio, prægressus Cirtham, euocari ad colloquium principes Cirthensium iubet: sed apud ignaros regis casus, neque quæ acta essent promendo, nec minis nec suadendo ante valuit, quàm rex vinctus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum tam fœdum comploratio orta: & partim pauore mœnia sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud victorem quærentium patefactæ portæ. Et Masanissa præsidio circa portas opportunáque mœniū dimisso, ne cui fugæ pateret exitus, ad regiam occupādam citato vadit equo. Intranti vestibulum in ipso limine Sophonisba vxor Syphacis, filia Asdrubalis Pœni occurrit: & cum in medio agmine armatorum Masanissam insignem cum armis, tum cetero habitu conspexisset, regem esse (id quod erat) rata, genibus aduoluta eius: Omnia quidem, inquit, vt posses in nos, dij tibi dederunt, virtusque & felicitas tua. sed si captiuę apud dominum vitæ necisque suę vocem supplicem mittere licet: si genua, si victricem attingere dextram, precor quæsóque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus: pérque gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit: per huiusce regię deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quàm Syphacem hinc miserunt: hanc veniam supplici des, vt ipse quodcunque fert animus, de captiua statuas: neque in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire sinas. si nihil aliud quam Syphacis vxor fuissem, tamen Numidæ, atque in eadem mecum Africa geniti, quam alienigenæ & externi fidem experiri mallem. quid Carthaginiensi ab Romano, quid filiæ Asdrubalis timendum sit, vides. si nulla alia re potes, morte me vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestórque. Forma erat insignis,

A & florentissima ætas. itaque cùm diu dextram amplectens in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret: propiusque iam blanditias oratio esset quàm preces: non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed (vt est genus Numidarum in Venerem præceps) amore captiuæ victor captus, data dextera in id quod petebatur, obligandæ fidei in regiam concedit. Instituit deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem præstaret, quod cum expedire non posset, ab amore teme- B rarium atque impudens mutuatur consilium. nuptias in eum ipsum diem repente parari iubet, ne quid relinqueret integri aut Lælio, aut ipsi Scipioni consulendi velut in captiuam, quæ Masanissæ iam nupta foret. Factis nuptiis superuenit Lælius: & adeo non dissimulauit improbare factum, vt primo etiam cum Syphace & ceteris captiuis detractam eam thoro geniali mittere ad Scipionem conatus sit. victus deinde precibus Masanissæ, orantis vt arbitrium vtrius regum duorum fortunæ accessio So- C phonisba esset, ad Scipionem reiiceret: misso Syphace & ceteris captiuis, ceteras vrbes Numidiæ quæ præsidiis regiis tenebantur, adiuuante Masanissa recepit. Syphacem in castra adduci cum esset nuntiatum, omnis velut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. Præcedebat ipse vinctus, sequebatur grex nobilium Numidiarum. tum quantum quisque plurimum posset magnitudini Syphacis, famæque gentis, victoriam suam agendo, addebat. Illum esse regem, cuius tantum maiestati duo D potentissimi in terris tribuerint populi, Romanus Carthaginiensisque, vt Scipio imperator suus ad amicitiam eius petendam, relicta prouincia Hispania exercituque, duabus quinqueremibus in Africam nauigarit: Asdrubal Pœnorum imperator non ipse modo ad eum in regnum venerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit. habuisse eum tempore vno in potestate duos imperatores, Pœnum Romanumque. sicut ab diis immortalibus pars vtraque hostiis mactandis pacem petiisset, ita ab eo vtrinque pari- E ter amicitiam petitam. iam tantas habuisse opes, vt Masanissam regno pulsum eo redegerit, vt vita eius fama mortis & latebris, ferarum modo in syluis rapto viuentis, tegeretur. His sermonibus circumstantium celebratus rex, in prætorium ad Scipionem est perductus. Mouit & Scipionem cum fortuna pristina viri præsenti fortunæ collata: tum recordatio hospitij dextræque datæ, & fœderis publicè ac priuatim iuncti. Eadem hæc & Syphaci animum dederunt in alloquendo victore: nam cum Scipio quid F sibi voluisset quæreret, qui non societatem solum abnuisset Romanam, sed vltro bellum intulisset: tum ille peccasse quidem, sese, atque insanisse fatebatur: sed tum demum cum arma aduersus populum Romanum cepisset, exitum sui furoris fuisse, non principium. tunc se insanisse, cum hospitia priuata & publica fœdera omnia ex animo eiecisset: Cum Carthaginiensem matronam domum accepe- rit, illis nuptialib. facibus regiam conflagrasse suam: illam furiam pestémque omnibus delinimentis a- G nimum suum auertisse atque alienasse: nec quieuisse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma aduersus hospitem atque amicum induerit, perditio tamē atque afflicto sibi hoc in miseriis solatij esse, quod in omnium hominum inimicissimi sibi domum ac penates eandem pestem ac furiam transire videat. neque prudentiorem, neque constantiorem Masanissam quàm Syphacem esse, etiam ab iuuenta incautiorem. certe stultius illum atque intemperantius eam, quā se duxisse. Hæc nōn hostili modo odio, sed amoris

amoris etiam stimulis, amatam apud æmulum cernens cum dixisset, non mediocri cura Scipionis animum pepulit, & fidem criminibus factæ prope inter arma nuptiæ, neque consulto neque exspectato Lælio faciebant: tamque præceps festinatio, vt quo die captam reginam vidisset, eodem matrimonio iunctam acciperet: & apud penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. Et eo fœdiora hæc videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania iuuenem nullius forma pepulerat captiuæ. Hæc secum volutanti Lælius ac Masanissa superuenerunt, quos cum pariter ambos & benigno vultu excepisset, & egregiis laudibus frequenti prætorio celebrasset, abductum in secretum Masanissam sic alloquitur: Aliqua te existimo Masanissa intuentem in me bona, & principio in Hispaniam ad iungendam mecum amicitiam venisse, & postea in Africa teipsum, spésque omnes tuas in fidem meam commisisse. atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendus tibi visus sim, qua ego æque atque temperantia & continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masanissa adiecisse velim. nam non est (mihi crede) tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum ab circumfusis vndique voluptatibus. qui eas sua temperantia frenauit ac domuit, multo maius decus maiorémque victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus. Quæ me absente strenuè ac fortiter fecisti, libenter & commemoraui, & memini: cetera teipsum reputare tecum, quàm me dicēte erubescere malō. Syphax populi Romani auspiciis victus captúsque est, itaque ipse, coniunx, regnum, ager, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani est. & regem coniugémque eius, etiamsi non ciuis Carthaginiēsis esset, etiam si non patrem eius imperatorem hostiū videremus, Romam oporteret mitti: ac senatus populique Romani de ea iudicium atque arbitrium esse, quæ regem nobis socium alienasse, atque in arma coegisse præcipitem dicatur. Vince animum, caue deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quàm caussa culpæ est, corrumpas. Masanissæ hæc audienti non rubor solum suffusus, sed lacrymæ etiam obortæ. & cum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset, orassétque eum, vt quantum res sineret, fidei suæ temere obstrictæ consuleret (promisisse enim sese in nullius potestatem eam traditurum) ex prætorio in tabernaculum suum confusus concessit. Ibi arbitris remotis, cum crebro suspirio & gemitu, quod facilè à circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumsisset: ingenti ad postremum edito gemitu, fido ex seruis vno accito, sub cuius custodia regio more ad incerta fortunæ venenum erat, ei mistum in poculo ferre ad Sophonisbam iubet, ac simul nuntiare: Masanissam libenter primam ei fidem præstaturum fuisse, quam vir vxori debuerit. quoniam arbitrium eius, qui possint, adimant: secundam fidem præstare, ne viua in potestatem Romanorum veniat. memor patris imperatoris, patriæque & duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret. Hunc nuntium ac simul venenum ferens minister cum ad Sophonisbam venisset: Accipio, inquit, nuptiale munus, nec ingratum, si nihil maius vir vxori præstare potuit, hoc tamen nuntia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem. nec locuta est ferocius, quàm acceptum poculum nullo trepidationis signo dato impauide hausit. Quod vbi nuntiatum est Scipioni, ne quid æger animo ferox

A iuuenis grauius consuleret: accitum eum extemplo nunc solatur, nūc quod temeritatem temeritate alia luerit, tristioremque rem quàm necesse fuit, fecerit, leniter castigat. Postero die vt à præsenti motu auerteret animum eius, in tribunal ascendit: & concionem aduocari iussit. ibi Masanissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo vnum omniū

B externorum dignum Masanissam populus Romanus ducat. Lælium deinde & ipsum collaudatum aurea corona donat. & alij militares viri, prout à quoque nauata opera erat, donati. Iis honoribus mollitus regis animus, erectúsque in spem propinquam, sublato Syphace omnis Numidiæ potiundæ. Scipio C. Lælio cum Syphace aliisque captiuis Romam misso, cum quibus & Masanissæ legati

C profecti sunt, ipse ad Tuneta rursum castra refert: & quæ munimenta incoauerat, permunit. Carthaginienses non breui solum, sed prope vano gaudio ab satis prospera in præsens oppugnatione classis perfusi, post famam capti Syphacis, in quo plus prope, quàm in Asdrubale atque exercitu suo spei reposuerant, perculsi, iam nullo auctore belli vltro audito, oratores ad pacem petendam mittunt xxx. seniorum principes, id erat sanctius apud illos cōsilium, maximaque ad ipsum senatum regendum vis.

D Qui vbi in castra Romana & prætorium peruenerunt, more adorantium (accepto credo ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt. Conueniens oratio tam humili adorationi fuit, non culpam purgantium, sed transferentium initium culpæ in Annibalem, impotentesque eius fautores. veniam ciuitati petebant, ciuium temeritate bis iam ante euersæ, incolumi futuræ iterum hostium beneficio. imperium ex victis hostibus populum Romanum, non perniciem petere. paratis obedienter

E seruire, quæ vellet imperaret. Scipio & venisse ea spe in Africam se ait, & spem suam prospero belli euentu auctam, victoriam se non pacem domum reportaturum esse. tamen cum victoriam prope in manibus habeat, pacem non abnuere: vt omnes gentes sciant, populum Romanum & suscipere iustè bella, & finire. Leges pacis se has dicere: Captiuos & perfugas & fugitiuos restituant. exercitus ex Italia & Gallia deducant. Hispania abstineant. insulis omnibus quæ inter Italiam & Africam sūt,

F decedant. naues longas, præter viginti, omnes tradant. tritici quingenta hordei CCC. millia modium, pecuniæ summam quantam imperauerit parum conuenit. alibi quinque millia talentum, alibi quinque millia pondo argenti, alibi duplex stipendium militibus imperatum inuenio. His conditionibus, inquit, placeatne pax, triduum ab consultandum dabitur: si placuerit, mecum inducias facite. Romam ad senatum mittite legatos. Ita dimissi Carthaginienses, nullas recusandas conditio-

G nes pacis cum censuissent (quippe qui moram temporis quærerent, dum Annibal in Africam traiiceret) legatos alios ad Scipionem, vt inducias facerent: alios Romam ad pacem petēdam mittunt, ducentes paucos in speciem captiuos perfugasque & fugitiuos, quo impetrabilior pax esset. Multis ante diebus Lælius cum Syphace primoribusque Numidarum captiuis Romā venit: quæque in Africa gesta essent, omnia exposuit ordine patribus, ingenti omnium & in præsens lætitia, & in futurū spe. Con-

sulti inde Patres regem in custodiam Albam mittendum censuerunt, Lælium retinendum, donec legati Carthaginienses venirent. Supplicatio in quatriduum decreta est. P. Ælius prætor senatu misso, & concione inde aduocata, cum C. Lælio in rostra ascendit. Ibi verò audientes fusos Carthaginiensium exercitus, deuictum & captum ingentis nominis regem, Numidiam omnem egregia victoria peragratam, tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus, quibúsque aliis multitudo solet, [B] lætitiam immodicam significarent. Itaque prætor extemplo edixit, vti æditui ædes sacras omnes tota vrbe aperirent, circumeundi, salutandique deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret. Postero die legatos Masanissæ in senatum introduxit. Gratulati primum senatui sunt, quod P. Scipio prosperè res in Africa gessisset: deinde gratias egerunt, quod Masanissam non appellasset modo regem, sed fecisset, restituendo in paternum regnum: in quo post Syphacem sublatum, si ita Patribus visum [C] esset, sine metu & certamine esset regnaturus. deinde, quod collaudatum pro concione amplissimis decorasset donis: quibus ne indignus esset, & dedisse operam Masanissam, & porro daturum esse, petere, vt regium nomen ceteraque Scipionis beneficia & munera senatus decreto confirmaret: & nisi molestum esset, illud quoque petere Masanissam, vt Numidas captiuos qui Romæ in custodia essent, remitterent. id sibi amplum apud populares futurum esse. Ad ea responsum legatis, Rerum ge[D]starum in Africa prosperè communem sibi cum rege gratulationem esse. Scipionem rectè atque ordine videri fecisse, quod eum regem appellasset: & quicquid aliud fecisset, quod honori foret Masanissæ, ea Patres comprobare atque laudare. Munera quæ legati ferrent regi, decreuerunt, sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis, & lato clauo tunicis, & equos duos phaleratos, bina equestria arma cum loricis: & tabernacula, militarémque supellectilem, [E] qualem præberi consuli mos est. Hæc regi prætor mittere iussus legatis in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millibus æris, & vestimenta bina legatis, singula comitibus, Numidisque qui ex custodia missi redderentur regi. ad hoc ædes, libera loca, lautia legatis decreta. Eadem æstate qua hæc decreta Romæ, & in Africa gesta sunt, P. Quintilius Varus prætor, & M. Cornelius Procos. in agro Insubrium Gallorum cum Magone Pœno signis collatis pugnauerunt. Prætoris legiones in prima acie fuerunt: Cornelius suas in subsidiis tenuit, ipse [F] ad prima signa equo aduectus. próque duobus cornibus prætor ac proconsul milites ad inferenda in hostes signa summa vi hortabantur. posteaquam nihil commouebant, tum Cornelio Quintilius: Lentior, vt vides, fit pugna, inquit: & induratus præter spem resistendo hostium timor: ac ne vertat in audaciam, periculum est. equestrem procellam excitemus oportet, si turbare ac statu mouere volumus. itaq; vel tu ad prima signa prælium sustine, ego inducam in pugnam equites: vel ego hic in prima acie rem geram, [G] tu quatuor legionum equites in hostem emittito. Vtram vellet prætor muneris partem proconsule accipiente, Quintilius prætor cum filio, cui Marco prænomen erat impigro iuuene ad equites pergit, iussósque ascendere in equos, repentè in hostem emittit. Tumultum equestrem auxit clamor ab legionibus additus: nec stetisset hostium acies, ni Mago ad primum equitum motum paratos elephantos extemplo in prælium induxisset, ad quorum stridorem odorémque & aspectum territi equi, vanum equestre auxilium fecerunt. & vt permixtus, vbi cuspide vti & cominus gladio posset, roboris maioris Romanus eques erat: ita in ablatum pauentibus procul equis melius ex interuallo Numidæ iaculabatur. simul & peditum legio duodecima magna ex parte cæsa pudore magis quam viribus tenebat locum: nec diutius tenuisset, nisi ex subsidiis tertiadecima legio in primam aciem inducta prælium dubium excepisset, Magoq; ex subsidiis Gallos integræ legioni opposuisset. quibus haud magno certamine fusis, hastati legionis vndecimæ conglobant sese, atque elephantos iam etiam peditum aciem turbantes inuadunt. in quos cum pila confertos coniecissent, nullo fermè frustra emisso, omnes retro in aciem suorum auerterunt. quatuor grauati vulneribus corruerunt. Tum prima commota hostium acies, simul omnibus peditibus, vt auersos videre elephantos, ad augendum pauorem ac tumultum effusis. sed donec stetit ante signa Mago, gradum sensim referentes ordines tenorem pugnæ seruabant. posteaquam femore transfixo cadentem, auferrique ex prælio prope exsanguem videre: extemplo in fugam omnes conuersi. Ad V. millia hostium eo die cæsa, & signa militaria duodeuiginti capta. nec Romanis incruenta victoria fuit. II. millia & CCC. de exercitu prætoris, pars multo maxima ex legione XII. amissa. inde & tribuni militum duo, M. Cosconius, & M. Mænius. tertiædecimæ quoque legionis, quæ postremo prælio affuerat, Cn. Heluius tribunus militum in restituenda pugna cecidit, & duodeuiginti ferme equites illustres obtriti ab elephantis cum centurionibus aliquot perierunt. & longius certamen fuisset, ni vulnere ducis concessa victoria esset. Mago proximæ noctis silentio profectus quantum pati vix per vulnus poterat, itineribus extentis, ad mare in Ligures Ingaunos peruenit. ibi eum legati ab Carthagine paucis ante diebus in sinum Gallicum appulsis nauibus adierunt, iubentes primo quoq; tempore in Africam traiicere. idem & fratrem eius Annibalem (nam ad eum quoque isse legatos eadem iubentes) facturum. non in eo esse Carthaginiensium res, vt Galliam atque Italiam armis obtineant. Mago non imperio modo senatus, periculoque patriæ motus, sed metuens etiam, ne victor hostis moranti instaret: Liguresque ipsi relinqui Italiam à Pœnis cernentes, ad eos quorum mox in potestate futuri essent, deficerent: nihil sperans leniorem in nauigatione quam in via iactationem vulneris fore, & curationi omnia commodiora: impositis copiis in naues profectus, vixdum superata Sardinia ex vulnere moritur. naues quoque aliquot Pœnorum disiectæ in alto, à classe Romana, quæ circa Sardiniam erat, capiuntur. Hæc terra marique in parte Italiæ quæ iacet ad Alpes, gesta. Consul Cn. Seruilius nulla memorabili re in prouincia Hetruria, & Gallia (nam eo quoque processerat) gesta, patre Cn. Seruilio, & C. Lutatio patruo ex seruitute post decimumsextum annum receptis, qui ad vicum Tanetum à Boiis capti fuerant: hinc patre, hinc patruo latera circundantibus, priuato magis quam publico decore insignis Romam rediit. Latum ad populum est, ne Cn. Seruilio fraudi esset, quod patre, qui sella curuli sedisset, viuo, cum id ignoraret, tribunus pl. atque ædilis pl. fuisset, contra quam sancitum legibus erat. Hac rogatione perlata, in prouinciam rediit. Ad Cn. Seruilium consulem, qui in Bruttiis erat, Consentia, Vfugum, Vergæ, Besidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Clampetia, multique alij ignobiles populi senescere Punicum bellum cernentes, defecere. Idem consul cum Annibale in agro Crotoniensi acie conflixit. Obscura eius pugnæ fama est:

Valerius

Valerius Ancias quinque millia hostium cæsa ait. A quæ tanta res est, vt aut impudenter ficta sit, aut neglegenter prætermissa. Nihil certè vltra rei in Italia ab Annibale gestum. nam ad eum quoque legati ab Carthagine vocantes in Africam iis fortè diebus, quibus ad Magonem venerunt. Frendens, geménsque ac vix lacrymis temperans, dicitur legatorum verba audisse. Postea quam edita sunt mandata: Iam non perplexè, inquit, sed palàm reuocant, qui vetádo, supplementum & pecuniam mitti, iam pridem B retrahebant. Vicit ergo Annibalem non populus Romanus toties cæsus fugatúsque, sed senatus Carthaginiensis obtrectatione, atque inuidia. neque hac deformitate reditus mei tam Pub. Scipio exsultabit, atque efferet sese, quàm Hanno, qui domum nostram, quando alia re non potuit, ruina Carthaginis oppressit. Iam hoc ipsum præsagiens animo, præparauerat ante naues. itaque inutili militũ turba præsidij specie in oppida Brutij agri, quæ pauca magis metu quàm fide continebantur, dimissa, C quod roboris in exercitum erat, in Africam secutos abnuentes concesserant in Iunonis Laciniæ delubrum, inuiolatum ad eam diem, in templo ipso fœde interfectis. Raró quenquam alium patriam exsilij causa relinquentem, magis mœstum abisse ferunt, quàm Annibalem hostium terra excedentem respexisse sæpe Italiæ littora, & deos hominésque accusantẽ, se quoque ac suum ipsius caput exsecratum, quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui consul hostem in Italia Pœnum D non vidisset: se centũ millibus armatorum ad Thrasymenum & Cannas cæsis, circa Casilinum, Cumas, Nolamque consenuisse. Hæc accusans, queréńsque, ex diutina possessione Italiæ est detractus. Romam per eosdem dies, & Magonem & Annibalem profectos allatum est, cuius duplicis gratulationis minuit lætitiam, & quod parum duces in retinendis iis, cùm in mandatum ab senatu esset, aut animi, aut virium habuisse videbantur. & quod soliciti erant, omni belli mole in vnum ducem exercitumque inclinata, quò euasura esset res. Per eosdem E dies legati Saguntini venerunt, comprehensos cum pecunia adducentes Carthaginienses, qui ad conducenda auxilia in Hispaniam traiecissent, ducenta & quinquaginta auri, octingenta pondo argenti, in vestibulo curiæ posuerunt. Hominibus acceptis & in carcerem conditis, auro argentoque reddito, gratiæ legatis actæ atque insuper munera data, ac naues, quibus in Hispaniam reuerterentur. Mentio deinde ab senioribus facta est, segnius homines bona F quam mala sentire. transitus Annibali in Italiam quantum terroris pauorisque inecisset, sese meminisse. quas deinde clades, quos luctus incidisse: visa castra hostium è muris vrbis: quæ vota singulorum vniuersorúmque fuisse? quoties in conciliis voces manus ad cœlum porrigentium auditas. En vnquam ille dies futurus esset, quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent? dedisse tandem G id deos sexto decimo demum post anno, nec esse qui diis gratias agendas censeat. adeóne aduenientem quidem gratiam homines benignè accipere, nedum vt præteritæ satis memores sint. Conclamatum deinde ex omni parte curiæ est, vti referret P. Ælius prætor, decretúmque, vt V. dies circa omnia puluinaria supplicaretur, victimæque maiores immolarentur C X X. Iam dimisso Lælio, legatisque Masanissæ, cum Carthaginiensium legatos de pace ad senatum venientes Puteolis visos, inde terra venturos allatum esset: reuocari C. Lælium placuit, vt coram

eo de pace ageretur. Q. Fulu. Gillo legatus Scipionis Carthaginienses Romam adduxit: quibus vetitis ingredi vrbem, hospitium in villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est. Orationem eandem fermè, quam apud Scipionem, habuerunt, culpam omnem belli à publico consilio in Annibalem vertentes. Eum iniussu senatus non Alpes modo, sed Iberum quoque transgressum: nec Romanis solum, sed antè etiam Saguntinis priuato consilio bellum intulisse. senatui ac populo Carthaginiẽsi, si quis vera æstimet, fœdus ad eam diem inuiolatum esse cum Romanis. itaque nihil aliud sibi mandatum esse, vti peterent, quàm vt in ea pace quę postremo cum cõsule Luctatio facta esset, manere liceret. Cum more tradito à patribus, potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatis prætor fecisset: senioré́sque qui fœderibus interfuerant, alia alij interrogarent: nec meminisse se per ætatem (etenim omnes fermè iuuenes erant) dicerent legati: conclamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos qui veterem pacem repeterent, cuius ipsi non meminissent. Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ. M. Liuius Cn. Seruilium Cos. qui propior esset, accersendum, vt coram eo de pace ageretur, censebat. cum de re maiore, quàm quanta esset, consultatio incidere non posset: non videri sibi, absente consulum altero ambobúsve eam rem agi, satis ex dignitate populi Romani esse. Q. Metellus, qui triẽnio antè consul dictatórque fuerat: cum P. Scipio cædendo exercitus, agros populando, in eam necessitatem compulisset hostes, vt supplices pacem peterent: & nemo omnium verius existimare posset, qua mẽte ea pax peteretur, quam is qui ante portas Carthaginis bellum gereret: nullius alterius cõsilio quàm Scipionis, accipiendam abnuendamque pacẽ esse. M. Valerius Læuinus, qui bis consul fuerat, speculatores, non legatos venisse arguebat: iubendósq; eos Italia excedere, & custodes cum iis vsque ad naues mittendos, Scipionique scribendum, ne bellum remitteret. Lælius Fuluiúsq; adiecerunt, & Scipionem in eo positam habuisse spem pacis, si Annibal & Mago ex Italia non reuocarẽtur. ceterum omnia simulaturos Carthaginienses, duces eos exercitúsq; exspectantes: deinde quamuis recentium fœderum, & deorum omnium oblitos, bellum gesturos. Eo magis in Læuini sententiam discessum. Legati pace infecta, ac prope sine responso dimissi. Per eos dies Cn. Seruilius cõsul, haud dubius quin pacatæ Italię penes se gloria esset, velut pulsum ab se Annibalem persequens, in Siciliam, inde in Africam transiturus traiecit. Quod vbi Romæ vulgatum est, primo censuerunt Patres, vt prætor scriberet consuli senatum æquum censere, in Italiam reuerti eum: deinde, cùm prætor spreturum eum literas suas diceret, dictator ad id ipsum creatus P. Sulpitius, pro iure maioris imperij consulem in Italiam reuocauit. reliquum anni cum M. Seruilio magistro equitum circumeundis in Italia vrbibus, quæ bello alienatæ fuerãt, noscendisque singularum caussis consumsit. Per induciarum tempus & ex Sardinia ab Lentulo prætore cẽtum onerariæ naues cum commeatu & viginti rostratarum præsidio, & ab hoste & ab tempestatibus mari, tuto in Africam trãsmiserunt. Cn. Octauio CC. onerariis, XXX. longis nauibus ex Sicilia traiicienti non eadem fortuna fuit. In conspectum fermè Africæ prospero cursu vectum primo destituit ventus, dein versus in Africam turbauit, ac passim naues disiecit cũ ipse rostratis per aduersos fluctus ingẽti remigũ labore enixus, Apollinis promõtorium tenuit. onerarię pars maxima ad Ægimurũ

insulam (ea sinum ab alto claudit, in quo sita Carthago est) XXX. fermè millia ab vrbe, aliæ aduersus vrbē ipsā ad calidas aquas delatę sunt. Omnia in conspectu Carthaginis erant. itaque ex tota vrbe in forum concursum est, magistratus senatum vocare, populus incuriæ vestibulo fremere, ne tanta ex oculis manibusque amitteretur præda. Cùm quidā pacis petitæ alij induciarum (nec dum enim dies exierat) fidem opponerent, postremo permixto penè senatus populique consilio, consensum est, vt classe quinquaginta nauium Asdrubal Ægimurum traiiceret, inde per littora portusque dispersas Romanas naues colligeret. Desertæ fuga nautarum primū ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt. Nondum reuerterant ab Roma legati, neque sciebatur, quæ senatus Romani, de bello aut pace sententia esset, necdum induciarum dies exierat. eo indigniorem iniuriam ratus Scipio, ab iis qui petissent pacem & inducias, spem pacis & fidem induciarum violatam esse, legatos Carthaginem, L. Bebium, M. Seruilium, L. Fabium extemplo misit. Qui cùm multitudinis concursu propè violati essent, nec reditum tutiorem futurum cernerent: petierunt à magistratibus, quorum auxilio vis prohibita erat, vt naues mitterent, quæ se prosequerentur. Datæ triremes duæ, cùm ad Bagradam flumen peruenissent, vnde castra Romana conspiciebantur, Carthaginem redicre. Classis Punica ad Vticam stationem habebat: ex ea tres quadriremes, seu clam misso à Carthagine nuntio vti fieret, seu Asdrubale qui classi præerat, sine publica fraude auso facinus, quinqueremem Romanam superantem promontorium ex alto repentè aggressæ sunt, sed neque rostro ferire celeritate subter labentem poterant, neque transilire armati ex humilioribus in altiorem nauem. & defendebatur egregiè, quoad tela suppeditarunt, quibus deficientibus, cùm iam nulla alia res eam, quàm propinquitas terræ, multitudoque à castris in littus effusa tueri potuisset. concitatam remis quanto maximo impetu poterant, in terram cùm immisissent, nauis tantum iactura facta incolumes ipsi euaserunt. Ita alio super aliud scelere cùm haud dubiè induciæ ruptæ essent, Lælius Fuluiusque ab Roma cum legatis Carthaginiensibus superuenerunt. quibus Scipio, etsi non induciarum modo fides à Carthaginiensibus, sed etiam ius gentium in legatis suis violatum esset, tamen se nihil nec institutis populi Romani, nec suis moribus indignum in iis facturum esse cùm dixisset, legatis dimissis, bellum parabat. Annibale iam terræ appropinquante, iussus è nautis vnus ascendere in malum, vt specularetur quam tenerent regionem: cùm dixisset sepulcrum dirutum proram spectare: abominatus, præteruehi iusso gubernatore, ad Leptim appulit classem, atque ibi copias exposuit. Hæc eo anno in Africa gesta insequentia excedunt in eum annum, quo M. Seruilius Geminus, qui tum magister equitum erat, & T. Claudius Nero consules facti sunt. Ceterum exitu superioris anni cum legati sociarum vrbium ex Græcia questi essent, vastatos agros ab regiis præsidiis, missosque in Macedoniam legatos ad res repetendas, non admissos ad Philippum regem, simul nuntiassent quatuor millia militum cum Sopatro duce traiecta in Africam dici, vt essent Carthaginiensibus præsidio, & pecuniæ aliquantum vna missum: legatos ad regem, qui hæc aduersus fœdus facta videri patribus nuntiarent, mittendos censuit senatus. Missi C. Terentius Varro, Cn. Manlius, M. Aurelius, iis tres quinqueremes datæ. Annus insignis incendio ingēti, quo cliuus publicus ad solū exustus est, & aquarum magnitudine, & annonæ vilitate fuit, præterquam quod pace omnis Italia erat aperta, etiam quod magnam vim frumenti ex Hispania missam M. Valerius Falco, & M. Fabius Buteo ædiles curules quaternis æris vicatim populo descripserunt. Eodē anno Q. Fabius Maximus moritur, exactæ ætatis, siquidem verum est augurem duos & quadraginta annos fuisse, quod quidam auctores sunt. Vir certè fuit dignus tanto cognomine, vel si non nouum ab eo inciperet, superauit paternos honores, auitos æquauit. pluribus victoriis, & maioribus præliis auus insignis Rullus, sed omnia æquare vnus hostis Annibal potest. cautior tamen quàm promtior hic habitus fuit. & sicut dubites, vtrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello propriè, quod tum gerebatur, aptum erat: sic nihil certius est, quàm vnum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait. Augur in locum eius inauguratus Q. Fabius Maximus, filius in eiusdem locum pontifex, (nam duo sacerdotia habuit) Serui. Sulpitius Galba. Ludi Romani diem vnum, plebeij ter toti instaurati ab ædilibus M. Sextio Sabino, & Cn. Tremellio Flacco. Ii ambo prætores facti, & cum iis C. Liuius Salinator, & C. Aurelius Cotta. Comitia eius anni vtrum C. Seruilius consul habuerit, an quia eum res in Hetruria tenuerit, quæstiones ex S.C. de coniurationibus principum habentem, dictator ab eo dictus P. Sulpitius, incertum diuersi auctores faciunt. Principio insequentis anni M. Seruilius, T. Claudius senatu in Capitolium vocato de prouinciis retulerunt. Italiam atque Africam in sortem coniici, Africam ambo cupientes, volebāt. ceterū Q. Metello maximè annitente, neq; data, neq; negata est Africa. Cōsules iussi cum tribunis plebis agere, vt si iis videretur, populum rogarent quem vellet in Africa bellum gerere. omnes tribus P. Scipionem iusserūt. nihilominus consules prouinciam Africam (ita enim senatus decreuerat) in sortem cōiecerunt. T. Claudio Africa euenit, vt quinquaginta nauiū classem, omnes quinqueremes, in Africam traiiceret, parique imperio cum Scipione imperator esset. M. Seruilius Hetruriam sortitus. In eadem prouincia & Cn. Seruilio prorogatum imperium, si consulem remorari ad vrbem senatui placuisset. Prætores, M. Sextius Galliam est sortitus, vt duas legiones prouinciamque traderet ei P. Quintilius Varus: C. Liuius Brutios cū duabus legionibus, quibus P. Sempronius proconsul priore anno præfuerat: Cn. Tremellius Siciliam, vt ab P. Villio Tappulo prætore prioris anni prouinciā & duas legiones acciperet. Villius proprætor cum XX. nauibus longis militibus mille oram Siciliæ tutaretur: inde M. Pomponius viginti nauibus reliquis mille & quingentos milites Romam deportaret. C. Aurelio Cotæ vrbana euenit. ceteris ita, vti quisque obtinebant prouincias exercitúsque prorogata imperia. Sexdecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est. Et vt placatis diis omnia inciperent, agerentque, quos Ludos M. Claudij Marcello, T. Quintio consulibus T. Manlius dictator, quásque hostias maiores vouerat, si per quinquennium illud respublica eodem statu fuisset, vt eos cōsules prius quam ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in circo per quatriduum facti: hostiæque quibus votæ erant diis cæsæ. Inter hæc simul spes simul cura in dies crescebat: nec satis certum constare apud animos poterat, vtrum gaudio dignius esset, Annibalem post sextumdecimum annum ex Italia decedentem vacuam possessionem eius reliquisse populo Romano: an magis metuendum, quod incolumi exer

lumi exercitu in Africam traiecisset. Locum nimi-
rum,non periculum mutatum:cuius tantæ dimica-
tionis vatem,qui nuper decessisset,Q. Fabium haud
frustra canere solitum, grauiorem in sua terra futu-
rum hostem Annibalem,quàm in aliena fuisset:nec
Scipioni aut cum Syphace,inconditę barbariæ rege,
qui statarios semilixas ducere exercitus solitus sit,
aut cum socero eius Asdrubale, fugacissimo duce
rem futuram, aut tumultuariis exercitibus ex agre-
stium semiermi turba subito collectis: sed cum An-
nibale,propè nato in prętorio patris fortissimi ducis
alito atque educato inter arma,puero quondam mi-
lite,vix dum iuuene imperatore:qui senex vincēdo
factus,Hispanias,Gallias,Italiam ab Alpibus ad fre-
tum monumentis ingētium rerum complesset, du-
cere exercitum æqualem stipendiis suis,duratum o-
mnium rerum patientia, quas vix fides fiat homines
passos, perfusum millies cruore Romano, exuuias
non militum modo, sed etiam imperatorum por-
tantem.multos occursuros Scipioni in acie,qui prę-
tores,qui consules Romanos sua manu occidissent,
muralibus vallaribusque insignes coronis, perua-
gatos capta castra. captas vrbes Romanas. non esse
hodie tot fasces magistratibus populi Romani, quot
captos ex cæde imperatorum præ se ferre posset
Annibal.Has formidines agitando animis,ipsi curas
& metus augebant, etiam quod, cum assuessent per
aliquot annos ad bellum ante oculos aliis atque a-
liis in Italiæ partibus, lenta spe in nullum propin-
quum debellandi finem gerere, erexerant omnium
animos.Scipio & Annibal, velut ad supremum cer-
tamen comparati duces ij quoque quibus ingens e-
rat in Scipione fiducia, & victoriæ spes, quo magis
in propinquam eam imminebant animis, eo curæ
intentiores erant. Haud dispar habitus animorum
Carthaginiensibus erat: quos modo petisse pacem
intuentes Annibalem, ac rerum gestarum eius ma-
gnitudinem, pœnitebat: modo, cum respicerent bis
sese acie victos, Syphacem captum, pulsos se Hispa-
nia, pulsos Italia, atque ea omnia vnius virtute &
consilio Scipionis facta, velut fatalem eum ducem
in exitium suum natum horrebant. Iam Adrumetū
peruenerat Annibal. vnde ad reficiendum ex ia-
ctatione maritima militem paucis diebus sumtis,
excitus pauidis nuntiis, omnia circa Carthaginem
obtineri armis afferentium, magnis itineribus Za-
mam contendit.Zama quinque dierum iter ab Car-
thagine abest. inde præmissi speculatores,cum exce-
pti à custodibus Romanis deducti ad Scipionem es-
sent:traditos eos tribunis militum, iussósque omis-
so metu visere omnia,per castra, quà vellent, circū-
duci iussit: percunctatúsque, satin' percommodè o-
mnia explorassent, datis qui prosequerentur, retro
ad Annibalem dimisit. Annibal nihil quidem eorū
quæ nuntiabantur(nam & Masanissam cum sex mil-
libus peditum,quatuor equitum venisse eo ipso for-
tè die afferebant) læto animo audiuit, maximè ho-
stis fiducia, quæ non de nihilo profecto concepta
est,perculsus.itaq; quanquā & caussa belli eius erat,
& aduentu suo turbauerat pactas inducias, & spem
fœderum: tamen si integer, quàm si victus peteret
pacem, æquiorem impetrari posse ratus, nuntium
ad Scipionem misit, vt colloquendi secum potesta-
tem faceret.Id vtrum sua sponte fecerit, an publico
consilio, neutrum, cur affirmem, habeo. Valerius
Antias primo prælio victum eum à Scipione, quo
duodecim millia armatorū in acie sunt cæsa, mille
& septingenti capti,legatum cum aliis decem lega-
tis tradit in castra ad Scipionem venisse. Ceterùm
Scipio cum colloquium haud abnuisset, ambo ex

A composito duces castra protulerunt, vt coire ex
propinquo possent. Scipio haud procul Nadagara
vrbe,tum ad cetera loco opportuno, tum quod a-
quatio intra teli coniectum erat,consedit. Annibal
tumulum à quatuor millibus inde, tutum commo-
dúmque alioqui, nisi quod longinquæ aquationis
erat,cepit. ibi in medio locus conspectus vndique,
nequid insidiarum esset, delectus. Summotis pari
spatio armatis, cum singulis interpretibus congres-
B si sunt,non suæ modo ætatis maximi duces, sed om-
nis ante se memoriæ omnium gentium cuilibet re-
gum imperatorúmve pares. Paulisper alter alterius
conspectu admiratione mutua, propè attoniti con-
ticuere. Tum Annibal prior: Si hoc ita fato datum
erat,vt qui primus bellum intuli populo Romano,
quíque toties prope in manibus victoriam habui,is
vltro ad pacem petendam venirem, lætor, te mihi
potissimum datum,à quo peterem. Tibi quoque in-
C ter multa egregia nō in vltimis laudum hoc fuerit,
Annibalem,cui de tot Romanis ducibus victoriam
dij dedissent, tibi cessisse: tęque huic bello vestris
prius quam nostris cladibus insigni, finē imposuis-
se.hoc quoque ludibrium fortunæ casus edidit, vt
cū patre tuo consule ceperim arma,cum eodem pri-
mum Romano imperatore signa cōtulerim, ad filiū
eius inermis ad pacem petendam veniam. Optimū
quidem fuerat,eam patribus nostris mentem datam
ab diis esse,vt & vos Italię,& nos Africę imperio cō-
D tenti essemus. neque enim ne vobis quidem Sicilia
atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classi-
bus,tot exercitibus, tot támque egregiis amissis du-
cibus.Sed præterita magis reprehēdi possunt, quàm
corrigi. Ita aliena appetiuimus, vt de nostris dimi-
caremus.nec in Italia solum vobis bellum,nobis in
Africa est: sed & vos in portis vestris propè ac mœ-
nibus signa armaq; hostium vidistis: & nos ab Car-
thagine fremitum castrorum Romanorum exaudi-
uimus. Quod igitur nos maximè abominaremur,
vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna
E de pace agitur:agimúsq; ij, quorum & maximè in-
terest pacem esse, & qui quodcunque egerimus,ra-
tum ciuitates nostræ habituræ sint. animo tantum
nobis opus est, non abhorrente à quietis consiliis.
Quod ad me attinet, iam ætas senem in patriam re-
uertentem,vnde puer profectus sum, iam secundæ,
iam aduersæ res ita erudierunt, vt rationem sequi
quàm fortunam malim. tuam & adolescentiam, &
perpetuam felicitatem, ferociora vtraq; quàm quie-
tis opus est consiliis, metuo. Non temerè incerta ca-
F suum reputat,quem fortuna nūquā decepit. Quod
ego fui ad Thrasymenum, ad Cannas, id tu hodie es.
vix dum militari ætate imperio accepto, omnia au-
dacissimè incipientem nusquam fefellit fortuna.
patris & patrui persecutus mortem, ex calamitate
vestræ domus insigne virtutis pietatisq. eximiæ ce-
pisti: amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde
Punicis exercitibus pulsis. cōsul creatus, cum cete-
ris ad tutandam Italiam parum animi esset,trāsgres-
sus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis
G eadem hora captis simul incensísque castris, Sypha-
ce potentissimo rege capto, tot vrbibus regni eius,
tot imperij nostri ereptis, me sextumdecimum iam
annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti.
Potest victoriam malle, quàm pacem animus. Noui
vobis spiritus magnos magis quā vtiles: & mihi ta-
lis aliquādo fortuna affulsit. Quod si in secūdis reb.
bonā quoq; mētē darēt dij, non ea solū quæ euenis-
sent,sed etiā ea,quę euenire possēt,reputaremus. Vt
omniū obliuiscaris aliorū,satis ego documēti in o-
mnes casus sū, quē modo castris inter Aniené atq;

vrbem vestrã positis, ac iam prope scandentẽ mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis imperatoribus orbatum ante mœnia propè obsessæ patriæ, quibus terrui vestram vrbem, ea pro mea deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minimè credendum est. In bonis tuis reb. nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax. nobis petentibus magis necessaria, quàm honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. hæc in tua, illa in deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis discrimen. cùm tuas vires, tum vim fortunæ, martémque belli communem propone animo. vtrinque ferrum corpora humana erunt, nusquam minùs quàm in bello euentus respondent. Nõ tantũ ad id, quod data pace iam habere potes, si prælio vincas gloriæ adieceris: quantum ademeris, si quid aduersi eueniat. simul parta ac sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest. omnia in pace iungenda tuæ potestatis sunt, P. Corneli tunc ea habenda fortuna erit, quàm dij dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exẽpla M. Attilius quõdam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris. sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. Est quidem eius qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis. sed forsitan non indigni sumus, qui nobismetipsis mulctam irrogemus. Non recusamus, quin omnia propter quæ bellum initum est vestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania quicquid insularũ toto inter Africam Italiamque continetur mari, Carthaginienses inclusi Africæ littoribus, vos quando ita diis placuit, externa etiã terra marique videamus regentes imperia. Haud negauerim, propter non nimis syncerè petitam aut exspectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem: multum per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet Scipio. vestri quoq. (vt audio) patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerũt pacem. Annibal peto pacem: qui neque peterem, nisi vtilem crederem: & propter eandem vtilitatem tuebor eam, propter quam petij. & quemadmodum, quia à me bellum cœptum est, ne quem eius pœniteret, quoad ipsi inuidêre dei, præstiti: ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat. Aduersus hæc imperator Romanus in hanc ferè sententiam respondit, Non me fallebat, Annibal, aduentus tui spe Carthaginienses & præsentem induciarum fidem, & spem pacis turbasse: neque tu id sanè dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea quæ iampridem in nostra potestate sunt, ceterum sicut tibi curæ est sentire ciues tuos, quanto per te onere leuentur: sic mihi laborandum est, ne quę tũc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis præmia perfidię habeant. Indigni quibus eadem pateat conditio, vt etiam prosit vobis fraus petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum. & tunc Mamertinorum sociorum periculum, & nũc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. vos lacessisse, & tui ipse fateris, & dij testes sunt: qui & illius belli exitũ secundum ius fasque dederunt, & huius dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim fortunę reputo, & omnia quæcunq. agimus, subiecta esse mille casibus scio. ceterum quemadmodum superbè & violenter me faterer facere, si priusquam in Africam traiecissem, te tua voluntate cedentem Italia & imposito in naues exercitu, ipsum venientem ad pacem petendam asper-

A narer: sic nunc cùm propè manũ conserta restitantẽ ac tergiuersantem in Africam traduxerim, nulla sũ tibi verecundia obstrictus. proinde si quid ad ea, in quæ tum pax conuentura videbatur (quæ sunt, nosti) mulctæ nauium cũ commeatu per inducias expugnatarum, legatorúmque violatorum adiicitur, est quod referam ad consilium: sin illa quoque grauia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis. Ita infecta pace ex colloquio ad suos cùm se recepissent, frustra verbis testatã rẽ renũciãt armis B decernendum esse, habendámque eam fortunam, quàm dij dedissent. In castra vt est ventum, pronunciant ambo arma expedirent milites, animosque ad supremum certamen, non in vnum diem, sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores. Roma an Carthago iura gentibus daret, ante crastinam noctem scituros. neque enim Africam, aut Italiam, sed orbẽ terrarum victoriæ præmium fore: par periculum præmio, quibus aduersæ pugnæ fortuna fuisset. Nã neque Romanis effugium vllum patebat in aliena C ignotaque terra, & Carthagini supremo auxilio effuso adesse videbatur præsens excidium. Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo lõgè clarissimi duces, duo fortissimi exercitus, multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut euersuri. Anceps igitur spes & metus miscebant animos: contemplantibusque modo suam, modo hostium aciem, cùm oculis magis quàm ratione pensarent vires, simul læta, simul tristia obuersabantur. quæ ipsis sua sponte non succurrebant, ea duces admonẽdo atque hortãdo sub- D iiciunt. Pœnus XVI. annorum in terra Italia res gestas, tot duces Romanos, tot exercitus occidione occisos, & sua cuique decora, vbi ad insignẽ alicuius pugnæ memoriam militem venerat, referebat. Scipio Hispanias, & recentia in Africa prælia & confessionem hostium, quod neque non petere pacem propter metum, neque manere in ea præ insita animis perfidia potuissent. ad hoc colloquium Annibalis in E secreto habitum, ac liberum fingenti, qua velit flecti ominatur (quibus quondam auspiciis patres eorum pugnauerint ad Ægateis insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse deos) adesse finẽ belli, ac laboris in manibus esse præ se prædã Carthaginis reditũ domum in patriam ad parentes, liberos, coniuges, penatésque deos. Adeò celsus hæc corpore, vultuq; ita læto, vt vicisse iam crederes, dicebat. Instruit deinde primos hastatos, post eos principes: triariis postremam aciem clausit. non confertas autem cohor- F tes ante sua quemque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, vt esset spatium, quo elephanti hostiũ accepti nihil ordines turbarẽt. Lælium cuius antè legati, eo anno quæstoris extra sortem ex senatusconsulto opera vtebatur, cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masanissam Numidasque ab dextro opposuit. vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc leuis armatura erat) compleuit: dato præcepto, vt ad impetũ elephantorum aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram læuamque discursu applicantes se G antesignanis, viam qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent. Annibal ad terrorem primum elephantos (LXXX. autem erant, quot nulla vnquam in acie ante habuerat) instruxit: deinde auxilia Ligurum Gallorũq;, Balearibus Maurisque admistis: in secũda acie Carthaginiẽses Afrosque, & Macedonum legionẽ: modico deinde interuallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum, Brutij plerią; erant, vi ac necessitate plures quàm sua volũtate decedẽtẽ ex Italia secuti, instruxit. equitatũ etiã ipsum

circumde

circumdedit cornibus: dextrum Carthaginienses, si- A
nistrum Numidæ tenuerunt. Varia adhortatio erat
in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, nō
mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque,
non caussa militādi eadem esset. auxiliaribus & præ-
sens, & multiplicata merces ex præda ostentatur.
Galli proprio atque insito in Romanos odio accen-
duntur. Liguribus campi vberes Italiæ deductis ex
aspertimis montibus in spem victoriæ ostentantur.
Mauros Numidásque impotenti Masanissæ futuro
dominatu terret. aliis aliæ spes ac metus iactantur.
Carthaginiensibus mœnia patriæ, dij penates, sepul- B
cra maiorum, liberi cum parentibus, coniugésque
pauidæ, aut excidium seruitiúmque, aut imperiū
orbis terrarum, nihil aut in metum aut in spem me-
dium ostentatur. Cùm maximè hęc imperator apud
Carthaginiēses duces suarum gentium inter popu-
lares, pleraque per interpretes intermistos alienige-
nis ageret, tubę cornuaque ab Romanis cecinerūt:
tantúsque clamor ortus, vt elephanti in suos sinistro
maximè cornu verterētur, Mauros ac Numidas. ad- C
didit facilè Masanissa perculsis terrorem: nudauitq;
ab ea parte aciem equestri auxilio. paucæ tamen be-
stiarum intrepidæ in hostem actę, inter velitum or-
dines cum multis suis vulneribus ingentem stragem
edebant. resilientes enim ad manipulos velites, cum
viam elephantis, ne obtererentur, fecissent, in anci-
pites ad ictum vtrinque coniiciebant hastas: nec
pila ab antesignanis cessabant, donec vndique inci-
dētibus telis exacti ex Romana acie, hi quoq; in suo
dextro cornu ipsos Carthaginiensium equites in fu-
gā verterūt. Lælius vt turbatos vidit hostes, addit per- D
culsis terrorē. Vtrinq. equite nudata erat Punica a-
cies, cùm pedes concurrit, nec spe, nec viribus iā par.
adhoc, dictu parua, sed magni eadē in re gerēda mo-
menti res, congruens clamor à Romanis. eóque
maior & terribilior: dissonæ illis, vt gentium multa-
rum discrepantibus linguis, voces. pugna Romana
stabilis & suo & armorum pondere incumbentium
in hostem: concursatio & velocitas illinc maior
quàm vis. Igitur primo impetu extemplo mouēre
loco hostium aciem Romani: ala d. inde & vmbo- E
nibus pulsantes, in summotos gradu illato, aliquan-
tum spatij, velut nullo resistente, incessere: vrgentib.
& nouissimis primos, vt semel motam aciem sense-
re, quod ipsum vim magnam ad pellendum hostem
addebat. Apud hostes auxiliares cedentes secunda a-
cies Afri & Carthaginienses adeo non sustinebant,
vt contra etiam, ne resistentes pertinaciter primos
cædendo ad se perueniret hostis, pedem referrent. I-
gitur auxiliares terga dant repentè: & in suos versi, F
partim refugere in secundam aciem: partim non re-
cipientes cædere, vti paulo ante non adiuti, & tunc
exclusi. & prope duo iam permista prelia erant: cum
Carthaginienses simul cum hostibus, simul cum
suis cogerentur conserere manus, non tamen ita
perculsos iratosque in aciem accepere, sed densatis
ordinibus in cornua, vacuúmque circa campum ex-
tra prælium eiecere, ne pauidos fuga vulneribusque
milites in sanam & integram aciem miscerent. Ce-
terum tanta strages hominum armorúmq; locum in G
quo steterant paulo ante auxiliares compleuerat, vt
propè difficilior transitus esset, quàm per confertos
hostes fuerat. itaque qui primi erant hastati, per cu-
mulos corporum armorúmque, & labem sanguinis,
qua quisque poterat, sequentes hostem, & signa &
ordines confuderunt. principum quoque signa flu-
ctuare cœperant, vagam ante se cernentes aciem.
Quod Scipio vbi vidit, receptui properè canere ha-
statis iussit: & sauciis in postremam aciem subdu-

A ctis principes triariósque in cornua inducit, quo tu-
tior firmiorq; media hastatorum acies esset. Ita no-
uum de integro prælium ortum est: quippe ad veros
hostes peruentum erat, & armorum genere & vsu
militiæ, & fama rerum gestarum, & magnitudine
vel spei vel periculi pares. sed numero Romanus su-
perior erat, & animo: quod iam equites, iam elephā-
tos fuderat. iam prima acie pulsa, in secundam pu-
gnabat. In tempore Lælius & Masanissa pulsos per
aliquantum spatij secuti equites, reuertentes in a-
uersam hostium aciem incurrere. Is demum impe-
B tus perculit hostem. multi circumuenti in acie cæsi:
multi per patentem circa campum fuga sparsi, tenē-
te omnia equitatu, passim interierunt. Carthaginiē-
sium sociorumque cæsa eo die supra millia viginti:
par fermè numerus captus est, cum signis militari-
bus centum triginta tribus, elephantis vndecim. Vi-
ctores ad duo millia cecidere. Annibal cū paucis e-
quitib. inter tumultum elapsus, Adrumetū perfugit,
omnia & in prælio, & ante aciem, priusq excederet pugna, expertus: & confessione etiam Sci-
C pionis, omniúmque peritorum militiæ, illam laudē
adeptus singulari arte aciem eo die instruxisse. ele-
phātos in prima fronte: quorum fortuitus impetus,
atque intolerabilis vis, signa sequi, & seruare ordi-
nes, in quo plurimum spei ponerent, Romanos pro-
hiberet. deinde auxiliares ante Carthaginiensium
aciem ne homines misti colluuione omnium gen-
tium, quos non fides teneret, sed merces, liberum re-
ceptum fugæ haberent: simul primum ardorem atq;
impetū hostium excipientes fatigarent: ac si nihil a-
D liud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent. tum,
vbi omnis spes esset, milites Carthaginienses Afrós-
que, vt omnibus rebus aliis pares, eo quod integri
cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent. I-
talicos interuallo quoque diremtos, incertos socij,
an hostes essent, in postremam aciem, summotos.
Hoc edito velut vltimo virtutis opere, Annibal cum
Adrumetum refugisset: accitúsque inde Carthaginē
sexto ac trigesimo post anno, quàm puer inde pro-
fectus erat, rediisset? fassus in curia est, non prælio
E modo se, sed bello victum: nec spem salutis alibi,
quàm in pace impetranda esse. Scipio confestim à
prælio expugnatis hostium castris, direptísque cum
ingenti præda ad mare ac naues rediit, nuntio alla-
to, P. Lentulum cum L. rostratis, C. onerariis omni
genere commeatus, ad Vticam accessisse. Admouen-
dum igitur vndique terrorem perculsæ Carthagini
ratus, misso Lęlio Romam cum victorię nuntio, Cn.
Octauium terrestri itinere ducere legiones Cartha-
ginem iubet. ipse ad suam veterem noua Lentuli
F classe adiuncta, profectus ab Vtica portum Cartha-
ginis petit. Haud procul aberat, cùm velata infulis
ramísque oleæ Carthaginiensium occurrit nauis.
decem legati erant principes ciuitatis auctore An-
nibale missi ad petēdam pacem. qui cum ad puppim
prætoriæ nauis accessissent, velamenta supplicum
porrigentes, orantes, implorantésq; fidem & mise-
ricordiam Scipionis: nullum iis aliud responsum
datum, quàm vt Tunetem venirent, eo se moturum
castra. ipse ab contemplato situ Carthaginis non tā
G noscendi in præsentia, quàm terrendi hostis caussa,
Vticam, eodem ex Octauio reuocato, rediit. Inde
procedentibus ad Tunetem nuntius allatus: Vermi-
nam Syphacis filium cum equitibus pluribus quam
peditibus venire Carthaginiensibus auxilio. Pars
exercitus cum omni equitatu missa, turmalibus pri-
mum agmen aggressa, Numidas leui certamine fu-
dit. exitu quoque fugæ interclusi, à parte omni cir-
cumdatis equitibus XV. millia hominum cæsa, mille

& CC. viui capti sunt, & equi Numidici mille & C. signa militaria duo & septuaginta. Regulus ipse inter tumultum cum paucis effugit. Tum ad Tunetem eodem, quo antea, loco castra posita. legatiq; XXX. Carthagine ad Scipionem venerunt. Et illi quidem multo miserabilius, quàm ante, quo magis cogebat fortuna, egerunt: sed aliquanto minore cum misericordia ab recenti memoria perfidiæ auditi sunt. In concilio quanquam iusta ira omnes ad delendam stimulabat Carthaginem: tamen cùm & quanta res esset, & quàm longi temporis obsidio tam munitæ & validæ vrbis, reputarent: & ipsum Scipionem exspectatio successoris venturi ad paratam alterius labore ac periculo finiti belli famam, sollicitaret: ad pacem omnium animi versi sunt. Postero die reuocatis legatis, & cum multa castigatione perfidię monitis, vt tot cladibus edocti, tandem deos & iusiurandum esse crederent, conditiones pacis dictæ. Vt liberi legibus suis viuerent, quas vrbes quosque agros, quibúsque finibus ante bellum tenuissent, tenerent, populandique finem eo die Romanus faceret: perfugas fugitiuosque, & captiuos omnes, & naues rostratas, præter decem triremes, traderent: elephantósque, quos haberent domitos, neque domarent alios. bellum néve in Africa, néue extra Africã iniussu populi Romani gererent. Masanissæ res redderent, fœdúsque cum eo facerent, frumentum stipendiumque auxiliis donec ab Roma legati redissent, præstarent. X M. talentum argenti descripta pensionibus æquis in annos L. soluerent. obsides centum arbitratu Scipionis darent, ne minores X I I I I. annis neu XXX. maiores. inducias ita se daturum, si per priores inducias naues onerariæ quæq; captæ fuissent in nauibus, restituerent: aliter nec inducias, nec spem pacis vllam esse. Has conditiones legati cum domum ferre iussi in concione ederent, & Gisgo ad dissuadendam pacem processisset, audiretúrq; a multitudine inquieta eadē & imbelli, indignatus Annibal dici ea in tali tempore audiriq; ie, arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit. quæ inusitata liberę ciuitati species cùm fremitum populi mouisset, perturbatus militaris vir vrbana libertate: Nouem, inquit, annorum à vobis profectus, post sextum & tricesimum annum redij. militares artes, quas me à puero fortuna nūc priuata, nūc publica docuit, propè videor scire: vrbis ac fori iura, leges, mores, vos me oportet doceatis. Excusata imprudentia, de pace multis verbis disseruit, quàm nec iniqua, & necessaria esset. Id omnium maximè difficile erat, quod ex nauibus per inducias captis nihil pręter ipsas cōparebat naues: nec inquisitio erat facilis. Cum aduersantes paci arguerentur, placuit naues reddi, & homines vtique inquiri. cetera quæ abessent, æstimanda Scipioni permitti: atque ita pecunia luere Carthaginienses. Sūt qui Annibalem ex acie ad mare peruenisse, inde pręparata naue ad regem Antiochum extemplo profectum tradant: postulantique ante omnia Scipioni vt Annibal sibi traderetur, responsum esse, Annibalem in Africa non esse. Posteaquam redierunt ad Scipionem legati, quę publica in nauibus fuerant, ex publicis descripta rationibus quæstores: quæ priuata, profiteri domini iussi: pro ea summa pecuniæ X X V. millia pondo argenti præsentia exacta, induciæque Carthaginiensibus datæ in tres menses. additum, ne per induciarum tempus alio vsquam, quàm Romam mitterent legatos: & qui legati Carthaginem venissent, ne ante dimitterent eos, quàm Romanum imperatorem, qui & quæ petentes venissent, certiorem facerent. Cum legatis Carthaginiensibus Romam missi L. Ve-

A turius Philo, & M. Martius Ralla, & L. Scipio imperatoris frater. Per eos dies commeatus e Sicilia Sardiniáque tantam vilitatem annonæ effecerūt vt pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret. Romę ad nuntium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatum fuerat: iussúsque erat T. Claudius maturè in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam traiicere & alter consul M. Seruilius ad vrbem morari, donec quo statu res in Africa essent, sciretur. Segniter omnia in comparanda de-

B ducendáque classe ab T. Claudio consule facta erant, quod patres de pace Scipionis potius arbitrium esse, quibus legibus daretur, quàm consulis, censuerant. Prodigia quoque nuntiata sub ipsam famam rebellionis terrorem attulerant. Cumis solis orbis minui visus, & pluit lapideo imbri. & in Veliterno agro terra ingentibus cauernis consedit, arboréśque in profundum haustæ. Ariciæ forum, & circa tabernæ, Frusinone murus aliquot locis, & porta de cœlo tacta: & in palatio lapidibus pluit. Id

C prodigium more patrio nouendiali sacro, cetera hostiis maioribus expiata. Inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. nam ita abundauit Tybris, vt ludi Apollinares circo inundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint. ceterum ludorum ipso die serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam reuocata deductáque in circum est, cum decessisse inde aquam nuntiatum esset: lætitiámque populo, & ludis celebritatem addidit sedes sua

D solenni spectaculo reddita. Claudium Cos. profectum tandem ab vrbe inter portus Cosanum Laurentanúmque atrox vis tempestatis adorta in metum ingentem adduxit. Populonium inde cum peruenisset, stetissétque ibi dum reliquum tempestatis exsæuiret: Iluam insulam, & ab Ilua Corsicam, à Corsica in Sardiniam traiecit. ibi superantem insanos montes multos & sæuior & infestioribus locis tempestas adorta disiecit classem. multæ quassatæ, armamentísque spoliatæ naues, quædam fractæ. ita

E vexata ac lacerata classis Carales tenuit. ibi dū subductæ reficiuntur naues, hyems oppressit, circumactúmque anni tempus. & nullo prorogante imperium priuatus T. Claudius classem Romam reduxit. M. Seruilius, ne comitiorum caussa ad vrbem reuocaretur, dictatore dicto C. Seruilio Gemino in prouinciam est profectus. Dictator magistrum equitum P. Aelium Pætum dixit. Sæpe comitia indicta perfici tempestates prohibuerunt. itaque cùm pridie Idus Martias, veteres magistratus abiissent, no-

F ui suffecti non essent, respubl. sine curulibus magistratibus erat. L. Manlius Torquatus pontifex eo anno mortuus. in locū eius suffectus C. Sulpitius Galba. Ab L. Licinio Lucullo, & Q. Fuluio ædil. curul. ludi Romani tertio instaurati. Pecuniā ex ærario scribę viatorésque ædilitij clam egessisse per indicem cōperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli ædilis. P. Aelius Tubero, & L. Lętorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt, cum ludos ludorumque caussa epulum Ioui fecissent, & signa tria ex

G mulctatitio argento facta in Capitolio posuissent. Cereales ludos dictator & magister equitum ex senatusconsulto fecerunt. Legati ex Africa Romani simul Carthaginiensesque cùm venissent Romā, senatus ad ædem Bellonæ habitus est. vbi cùm L. Veturius Philo pugnatum cum Annibale esse supremā Carthaginiensibus pugna, finemque tandem lugubri bello impositum ingenti lætitia patrum exposuisset, adiecit Verminam etiam Syphacis filium, quæ non parua bene gestæ rei accessio erat, deuictum

an con-

in concionem inde prodire iussus, gaudiumque id populo impertiit. Tum patefacta gratulatione omnia in vrbe templa, supplicationésque in triduum decretę. Legatis Carthaginiensium & Philippi regis (nam ij quoque venerant) petentibus vt senatus sibi daretur, responsum iussu patrum à dictatore est, consules nouos eis senatum daturos esse. Comitia inde habita: creati consules Cn. Cornelius Lentulus, P. Ælius Pętus. Prætores M. Iunius Pęnus, cui sors vrbana euenit. M. Valerius Falco Brutios, M. Fabius Buteo Sardiniam, P. Ælius Tubero Sicilia est sortitus. Dę prouinciis consulũ nihil ante placebat agi, quàm legati Philippi regis, & Carthaginiensium auditi essent. belli finem alterius, principium alterius prospiciebant animis. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat prouinciæ Africæ seu bellum foret, facilem victoriam: seu iam finiretur, finiti tanti belli se consule gloriam petens. negare itaque priusquicquam agi passurum, quam sibi Africa decreta esset, cõcedẽte collega, moderato viro & prudenti, qui glorię eius certamẽ cũ Scipione, pręterquam quod iniquum esset etiã, impar futurũ cernebat. Q. Minutius Thermus & M. Acilius Glabrio tribuni plebis rem priore anno nequicquam tentatam ab T. Claudio consule, Cn. Cornelium tentare aiebant. ex auctoritate patrum latum ad populum esse, cuius vellent imperium in Africa esse omnes V. & XXX. tribus P. Scipioni id imperium decreuisse. Multis contentionibus & in senatu & ad populum acta res: postremò eò deducta est, vt senatui permitterent. Patres igitur iurati (ita cõuenerat) censuerunt, vti consules prouincias inter sese compararent, sortirentúrve, vter Italiam, vter classem nauium L. haberet. cui classis obuenisset, in Siciliam nauigaret. si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam traiiceret: consul mari, Scipio eodem, quo adhuc, iure imperij terra rem gereret, si conditiones conuenirent pacis, tribuni plebis populum rogarẽt vtrum consulem, an P. Scipionem iuberent pacem dare: & quem, si deportandus exercitus victor ex Africa esset, deportare. si pacem per P. Scipionem dari, atque ab eodem exercitum deportari iussissent, ne consul ex Sicilia in Africam traiiceret, alter consul, cui Italia euenisset, duas legiones à M. Sextio prætore acciperet. P. Scipioni cum exercitibus quos haberet, in prouincia Africa prorogatum imperium. Prætori M. Valerio Falconi duæ legiones in Brutiis, quibus C. Liuius priore anno præfuerat, decretæ. P. Ælius prætor duas legiones in Sicilia ab Cn. Tremelio acciperet. Legio vna M. Fabio in Sardiniam quam P. Lentulus proprætor habuisset, decernitur. M. Seruilio prioris anni consuli cum suis duabus itẽ legionibus in Hetruria prorogatum imperium est. Quod ad Hispanias attineret, aliquot iam annos ibi L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum esse, vt ij consules cum tribunis agerent, si eis videretur, vt plebem rogarent, cui iuberent in Hispania imperium esse. is ex duobus exercitibus in vnam legionem conscriberet Romanos milites, & in XV. cohortes socios Latini nominis, quibus prouinciam obtineret. veteres milites L. Cornelius & L. Manlius in Italiá deportarent. Cornelio cõsuli L. nauiũ classis ex duobus classibus, Cn. Octauij, quæ in Africa esset P. Villij, quę Siciliæ oram tuebatur, decreta: vt quas naues vellet, diligeret. P. Scipio L. longas naues haberet, quas habuisset: quibus si Cn. Octauium, sicut præfuisset, præesse vellet, Octauio proprætori in eũ annum imperium esset: si Lælium præficeret. Octauius Romam decederet, reduceretque naues quibus proconsuli vsus non esset. Et M. Fabio in Sardiniam

A decem longæ naues decretæ. Et consules duas legiones vrbanas scriberet iussi, vt quatuordecem legionibus eo anno, centum nauibus longis, respublica administraretur. Tum de legatis Philippi, & Carthaginiensium actum. priores Macedonas introduci placuit, quorum varia oratio fuit: partim purgantium quæ questi erant missi ad regem à Roma legati de populatione sociorum: partim vltro accusantium quidem & socios populi Romani, sed B multo infestius M. Aurelium: quem ex tribus ad se missis legatis delectu habito substitisse, & se bello lacessisse contra fœdus, & sæpe cum præfectis suis signis collatis pugnasse: partim postulantium, vt Macedones dúxque eorum Sopater, qui apud Annibalẽ mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Aduersus ea M. Furius missus ad id ipsum ab Aurelio ex Macedonia, disseruit. Aureliũ relictum, ne socij populi Romani fessi populationibus atque iniuria, ad regem deficerent, finibus sociorum non excessisse dedisse operam, ne impunè in a-C gros eorum transcenderent populatores. Sopatrum ex purpuratis & propinquis regis esse. cũcum quatuor millibus Macedonum & pecunia missum nuper in Africam esse Annibali Carthaginiensibúsque auxilio. De his rebus interrogati Macedones cum perplexè responderẽt, ipsi ante responsum tulerũt, bellum quærere regem, & si pergat propediem inuenturũ. Dupliciter ab eo fœdus violatum: & quod sociis populi Romani iniurias fecerit, bello armisq; lacessiuerit: & quod hostes auxiliis & pecunia iuue-D rit. & P. Scipionem recte atque ordine videri fecisse, & facere, quod eos qui arma contra populum Romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis habeat. & M. Aurelium è republica facere, grãtúmque id senatui esse, quod socios populi Romani, quando iure fœderis non posset, armis tueatur. Cum hoc tam tristi responso dimissis Macedonibus, legati Carthaginienses vocati. quorum ætatibus dignitatibúsque conspectis (nam longè primi ciuitatis E erant) tum pro se quisque diceret, verè de pace agi. Insignis tamen inter ceteros Asdurbal erat (Hædũ populares cognomine appellant) pacis semper auctor, aduersúsque factioni Barchinæ. eo tum plus illi auctoritatis fuit. belli culpam in paucorum cupiditatem à republica transferenti. Qui cùm varia oratione vsus esset, nunc purgando crimina; nunc quædam fatendo, ne impudenter certa negantibus difficilior venia esset. nunc monendo etiam Patres conscriptos, vt rebus secundis modestè ac modera-F tè vterentur: Si se atque Hannonem audissent Carthaginienses, & tempore vti voluissent, daturos fuisse pacis conditiones, quas tunc peterent. Raro simul hominibus bonam fortunam, bonámque mentem dari. populum Romanum eo inuictum esse, quod in secundis rebus sapere, & consulere meminerit. & hercule mirandum fuisse, si aliter faceret, ex insolentia, quibus bona fortuna sit, imponentes lætitiæ insanire: populo Romano vsitata ac propè iam obsoleta ex victoria gaudia esse, ac plus pene parcendo victis quàm vincendo imperium auxisse. Ceterorũ G miserabilior oratio fuit. cõmemorantium ex quãtis opibus quò recidissent Carthaginiensium res. nihil eis, qui modo orbem propè terrarum obtinuissẽt armis, superesse. præter Carthaginis mœnia. iis inclusos, non terra, non mari quicquam sui iuris cernere. vrbem quoque ipsam, ac penates ita habituros si non in ea quoque, quo nihil vlterius sit, sæuire populus Romanus velit. Cùm flecti misericordia patres appareret, senatorum vnum infestum perfidiæ Carthaginiensium succlamasse ferunt: per quos

deos fœdus icturi essent, cùm eos per quos ante ictũ esset, fefellissent? Per eosdem, inquit Asdrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul, cui classis prouincia erat, S.C. intercessit. Tum M. Attilius & Q. Minutius tribuni plebis ad populum tulerunt: vellent, iuberéntne senatum decernere, vt cum Carthaginiensibus pax fieret? & quẽ eam pacem dare, quémque ex Africa exercitus deportare iuberét? De pace vti rogatę omnes tribus erant, iusserunt pace dare P. Scipionem, eum exercitus deportare. Ex hac rogatione senatus decreuit, vt P. Scipio ex X. legatorum sententia pacem cum populo Carthaginiensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Gratias deinde patribus egere Carthaginienses: petierúntq;, vt sibi in vrbem introire, & colloqui cum ciuibus suis liceret, qui capti in publica custodia essent: esse in iis partim propinquos, amicósque suos, nobiles homines: partim ad quos mandata à propinquis haberent. Quibus conuentis cum rursus peterent, vt sibi quos vellent ex iis redimendi potestas fieret, iussi nomina edere. & cum ducentos ferme ederent, senatusconsultum factum est, vt legati Romani ducentos ex captiuis, quos Carthaginienses vellent, ad P. Cornelium Scipionem in Africam deportarent: nunciaréntque ei, vt si pax conuenisset, sine precio eos Carthaginiensibus redderet. Feciales cum in Africam ad fœdus feriendum ire iuberentur ipsis postulantibus senatusconsultum in hæc verba factum est: Vt priuos lapides silices, priuásque verbenas secum ferrent: vti prætor Romanus his imperaret, vt fœdus ferirent, illi prætorem sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumtum dari fecialibus solet. Ita dimissi ab Roma Carthaginienses cum in Africam venissent ad Scipionem, quibus antè dictum est, legibus pacem fecerunt. Naues longas, elephátos perfugas, fugitiuos: captiuorum quatuor millia tradiderunt, inter quos Q. Teren. Culleo senator fuit. Naues profectas in altum incendi iussit. Quingentas fuisse omnis generis, quę remis agerétur, quidam tradunt. quarum conspectum repentè incendium tam lugubre fuisse Pœnis, quam si ipsa Carthago arderet. De perfugis grauius, quam de fugitiuis consultum. nominis Latini qui erant, securi percussi, Romani in crucẽ sublati. Annis ante quinquaginta pax cum Carthaginiensibus postremò facta erat. Q. Luctatio, A. Manlio consulibus, bellum initum annis post tribus & viginti Pub. Cornelio, T. Sempronio consulibus, finitum est decimo octauo, Cn. Cornelio, P. Ælio Pæto consulibus. Sæpe postea ferunt Scipionẽ dixisse: T. Claudij primũ cupiditatem, deinde C. Cornelij fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Carthaginis finiret. Carthaginiensibus cum prima collatio pecuniæ diutino bello exhaustis difficilis videretur, mœstitiaque & fletus in curia esse: ridentem Annibalem ferunt conspectum. cuius cum Asdrubal

A Hædus risum increparet in publico fletu, cum ipse lacrymarum caussa esset. Si quemadmodum oris habitus cernitur oculis, inquit, sic & animus intus cerni posset, facile vobis appareret non læti, sed propè amentis malis cordi hunc, quem increpatis, risum esse, qui tamen nequaquam adeo est intempestiuus, quàm vestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lacrymæ sunt. tunc flesse decuit, cùm ademta nobis arma, incensæ naues, interdictum externis bellis. illo enim vulnere concidimus. nec tamen esse in vos odio ve- B stro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna ciuitas diu quiescere potest. si foris hostem non habet, domi inuenit: vt prævalida corpora ab externis caussis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerãtur. Tãtum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet, nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum stimulat. Itaque cùm spolia victæ Carthagini detrahebantur, cùm inermem iam ac nudam destitui inter tot armatas gẽtes Africæ cerneretis, nemo ingemuit, nũc quia tribu- C tum ex priuato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis. quàm vereor ne propediem sentiatis leuissimo in malo vos hodie lachrymasse. Hæc Annibal apud Carthaginienses. Scipio cõcione aduocata Masanissam ad regnum paternum Cirtha oppido, & ceteris vrbibus agrisque quæ in regno Syphacis in populi Romani potestatem venisset, adiectis donauit. Cn. Octauium classem in Siciliam ductam Cn. Cornelio consuli tradere iussit. legatos Carthaginiensium Romam proficisci, vt quæ ab se D ex decem legatorum sententia acta essent, ea patrũ auctoritate, populique iussu, confirmarentur. Pace terra marique parta, exercitu in naues imposito in Siciliam Lilybæum traiecit. inde magna parte militum in nauibus missa, ipse per lætam pace non minus quàm victoria Italiam, effusis non vrbibus modo ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam peruenit, triumphoque omniũ clarissimo vrbem est inuectus. Argenti tulit in ærarium pondo centũ millia XXXIII. militibus ex præ- E da quadragenos æris diuisit. Morte subtractus spectaculo magis hominum, quàm triumphantis gloria Saphax est Tibure haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. conspecta mors tamen eius fuit: quia publico funere est latus. Hũc regem in triumpho ductum Polybius haudquaquam spernendus auctor tradit. Secutus Scipionem triumphantem est pileo capiti imposito, Quintus Terentius Culleo, omnique deinde vita vt dignum erat libertatis auctorem coluit. Africanum cognomen mili- F taris prius fauor, an popularis aura celebrauerit, an sicuti Felicis Syllæ Magnique Pompeij patrum memoria cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certè hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus: exemplo deinde huius nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claráque cognomina familiæ fecere.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS QVARTAE
LIBER PRIMVS.

ME quoque iuuat, velut ipse in parte laboris ac periculi fuerim, ad finem belli Punici peruenisse. nam etsi profiteri ausum, perscripturum res omnes Romanas, in partibus singulis tanti operis fatigari minime conuenit: tamen cum in mentem venit tres & LX. annos (tot enim sunt à primo Punico ad secundum bellum finitum) æquè multa volumina occupasse mihi, quam occupauerint quadringenti LXXVIII. anni à condita vrbe ad Appium Claudium cosulē, qui primus bellum Carthaginiensibus intulit: iā prouideo animo, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quicquid progredior, in vastiorem me altitudinē, ac velut profundum inuehi, & crescere penè opus, quod prima quæq. perficiendo minui videbatur. Pacē Punicā bellum Macedonicum excepit, periculo haudquaquam coparandum aut virtute ducis, aut militum robore: claritate regum antiquorum, vetustaque fama gentis, & magnitudine imperij. quo multa quondā Europæ, maiorem partē Asiæ obtinuerant armis, prope nobilius. Ceterū cœptū bellū aduersus Philippum decem ferme antè annis, triennio prius depositum erat: cùm Ætoli & belli & pacis fuissent caussæ. vacuos deinde pace Punica iam Romanos, & infensos Philippo, tum ob infidam aduersus Ætolos aliosq. regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Annibali Pœnisque, preces Atheniensium, quos agro peruastato in vrbem compulerat, excitauerunt ad renouandum bellum. Sub idem fere tempus & ab Attalo rege & Rhodiis legati venerunt, nuntiantes Asiæ quoque ciuitates sollicitari. His legationibus responsum est, curæ eam rem senatui fore. Cōsultatio de Macedonico bello integra ad consules, qui tunc in prouinciis erant, reiecta est. Interim ad Ptolemæum Ægypti regem legati tres missi, C. Claudius Nero, M. Æmilius Lepidus, P. Sempronius Tuditanus, vt nuntiarent victum Annibalem, Pœnosque: & gratias agerent regi, quod in rebus dubiis, cum finitimi etiam socii Romanos desererent, in fide mansissent: & peterent, vt si coacti iniuriis bellum aduersus Philippū suscepissent, pristinū animum erga populum Romanum cōseruaret. Eodem fere tempore P. Ælius consul in Gallia, cùm audisset à Boiis ante suū aduentum incursiones in agros sociorum factas: duabus legionibus subitariis tumultus eius caussa scriptis, additisq. ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appiū præfectū so-

A ciūm hac tumultuaria manu per Vmbriam, quam tribum Sappiniā vocant, agrum Boiorum inuadere iussit. ipse eodem aperto itinere per medios montes duxit. Appius ingressus hostium fines, primo populationes satis prospere ac tuto fecit, delecto deinde ad castrum Mutilum satis idoneo loco ad demetenda frumenta (iam enim maturæ erant segetes) profectus, neque explorato circa, nec stationibus satis firmis, quæ armatæ inermes atque operi inten-
B tos tutarentur, palatus cum improuiso impetu Gallorum cum frumentatoribus est circumuentus. inde pauor fugaque etiam armatos cepit. ad septem millia hominum palata per segetes sunt cæsa. inter quos ipse C. Appius præfectus. ceteri in castra metu compulsi inde, [illegible] sine certo duce consensu militari proxima nocte, relicta magna parte rerum suarum, ad consulem per saltus prope inuios peruenere. qui nisi quod populatus est Boiorum fines, & cum Ingaunis Liguribus fœdus icit, nihil, quod esset me-
C morabile, aliud in prouincia cum gessisset, Romam rediit. Cum primum senatum habuit, vniuersis postulantibus, ne quam priorem rem quàm Philippo, sociorumque querelis ageret, relatum extemplo est, decreuitque frequens senatus, vt P. Ælius COS. quē videretur ei, cum imperio mitteret, qui classe accepta, quam ex Sicilia Cn. Octauius reduceret, in Macedoniam traijceret. M. Valerius Læuinus propr. missus, circa Vibonem duodequadraginta nauibus ab C. Octauio acceptis in Macedoniam transmisit. ad quem cum M. Aurelius legatus venisset, edocuis-
D setque eum quantos exercitus, quantum nauium numerum comparasset rex: & quemadmodum circa omnes non continentis modo vrbes, sed etiam insulas, partim ipse adeundo, partim per legatos conciret homines ad arma: maiore conatu Romanis id capessēdū bellū esse, ne cunctantibus iis auderet Philippus, quod Pyrrhus prius ausus ex aliquanto minore regno esset: hæc eadem scribere Aurelium consulibus & senatui placuit. Exitu huius anni cum de agris ve-
E terum militum relatum esset, quorum ductu atque auspicio proconsulis Scipionis in Africa bellum perfecissent: decreuerunt patres, vt M. Iunius prætor vrbanus, si ei videretur, decemuiros agro Samniti, Apuloque, quod eius publicum populi Romani esset metiendo, diuidendoque crearet. Creati P. Seruilius, Q. Cæcilius Metellus, Cn. & M. Seruilij (Geminis ambobus cognomen erat) L. & A. Hostilij, Catones, P. Villius Tappulus, M. Fuluius Flaccus, P. Ælius Pætus, Q. Flaminius.
F Per eos dies P. Ælio cos. comitia habente, creati Coss. P. Sulpitius Galba, C. Aurelius Cotta Prætores

exinde facti Q.Minutius Rufus, L. Furius Purpurio, A Q.Fuluius Gillo, Cn.Sergius Plancus. Ludi Romani scenici eo anno magnificè apparatéque facti ab ædilibus curulibus L.Valerio Flacco, & T.Quintio Flaminio, biduum instaurati sunt. frumentique vim ingentem quod ex Africa proconsul Scipio miserat, quaternis æris populo cum summa fide & gratia diuiserunt. Et plebei ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minutio Rufo, qui ex ædilitate prætor creatus erat. & Iouis epulum fuit ludorum caussa. Anno quingentesimo B quadragesimo quarto ab vrbe condita, P. Sulpitio Galba, C. Aurelio consulibus bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem Idibus Martiis, quo die tum consulatus inibatur, Pub.Sulpitius consul retulit, senatusque decreuit, vti Coss. maioribus hostiis rem diuinam facerent, quibus dijs ipsis videretur, cum precatione ea. Quod rem senatus populusq. Romanus de repub. deque incúdo nouo bello in animo haberet: ea res vti populo Rom. sociisq. ac nomini Latino bene ac feliciter C eueniret, secundum rem diuinam, precationémque, vt de repub. deq. prouinciis senatum consulerent. Per eos dies opportuné irritandis ad bellum animis, & literæ à M. Aurelio legato, & M.Valerio Læuino proprætore allatæ: & Atheniensium noua legatio venit, quæ regem appropinquare finibus suis nunciaret: breuique non agros modo, sed vrbem etiam in ditione eius futuram, nisi quid in Romanis auxilij foret. Cum renunciassent Coss. rem diuinam rite peractam esse, & precationi annuisse D deos, aruspices respondisse, lætaque exta fuisse, & prolationé finium victoriámque & triumphum portendi: tum literæ Valerij Aureliique lectæ, & legati Atheniensiú auditi. Senatus inde cósultum factum est, vt sociis gratiæ agerétur, quod diu sollicitati, ne obsidione quidé metu fide decessissent. de auxilio mittendo tum responderi, placere, cum cósules prouincias sortiti essent: atque is cósul cui Macedonia prouincia euenisset, ad populú tulisset, vt Philippo regi Macedonum indiceretur bellum. P. Sulpitio pro- E uincia Macedonia sorte euenit. isque rogationem promulgauit: vellent iuberent Philippo regi Macedonibusque, qui sub regno eius essent, ob iniurias, armáq. illata sociis populi Romani bellú indici. Alteri cósuli Aurelio Italia prouincia obtigit. Prætores exinde sortiti sunt, Cn. Sergius Plancus vrbaná: Q.Fuluius Gillo Siciliam: Q Minutius Rufus Brutios. L. Furius Purpurio Galliam. Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus fermè centuriis antiquata est id cum fessi diuturnitate & F grauitate belli sua sponte homines tædio laborum periculorúmq. fecerant: tum Q.Bæbius trib. pleb. viam antiquam criminandi patres ingressus, incusauerat, bella ex bellis seri, ne pace vnquá frui plebs posset. Ægrè eam rem passi patres: laceratúsque probris in senatu tribunus plebis: & consulem pro se quisque hortari vt de integro comitia rogationi ferendæ ediceret, castigaretq. segnitié populi: atque doceret, G quanto damno dedecoriq. dilatio ea belli futura esset. Cósul in campo Martio comitiis habitis, priusquam centurias in suffragiú mitteret, concione aduocata: Ignorare, inquit, videmini mihi Quirites, nó vtrum bellum an pacem habeatis vos cósuli: neq. enim liberum id vobis permittit Philippus, qui terra mariq. ingens bellú molitur) sed vtrum in Macedoniam legiones transportetis: an hoste in Italiá accipiatis. hoc quantum intersit, si vnquá ante alias, Punico certè proximo bello experti estis. Quis enim dubitat, quin si Saguntinis obsessis fidémque nostram implorantibus impigrè tulissemus opem, sicut patres nostri Mamertinis tulerant: totum in Hispaniam auersuri bellú fuerimus, quod cunctádo cum summa clade nostra in Italiam accepimus? Ne illud quidem dubium est, quin hunc ipsum Philippum pactum iá per legatos literasq. cum Annibale in Italiam traiiceret, missis cum classe Læuino qui vltro ei bellum inferret, in Macedonia continuerimus. & quod tunc fecimus, cùm hostem Annibalem in Italia haberemus: id núc pulso Italia Annibale, deuictis Carthaginiensibus, cunctamur facere? Patiamur expugnandis Athenis, sicut Saguntum expugnando Annibalem passi sumus, segnitié nostram experiri regem: nó quinto inde mense, quemadmodum ab Sagunto Annibal, sed quinto inde die quá ab Corintho soluerit naues, in Italiam perueniet. Ne æquaueritis Annibali Philippum: ne Carthaginiensibus Macedonas: Pyrrho certè æquabitis: dico, quantum vel vir viro, vel gens genti præstat. Minima accessio semper Epirus regno Macedoniæ fuit, & hodie est. Peloponnesum totam in ditione Philippus habet, Argosque ipsos nó vetere fama magis, quàm morte Pyrrhi nobilitatos. Nostra nunc comparate, quanto magis florentem Italiam, quanto magis integras res saluis ducibus, saluis tot exercitibus, quos Punicum postea bellum absumsit; aggressus Pyrrhus tamen concussit, & victor propè ad ipsam vrbem Romam venit. nec Tarentini modo, oraque illa Italiæ, quàm maiorem Græciam vocant: vt linguam, vt nomen secutos crederes: sed Lucanus, & Bruttius, & Samnis a nobis defecerunt. Hæc vos, si Philippus in Italiam transmiserit, quietura aut mansura in fide creditis? manserunt enim Punico postea bello, nunquam isti populi, nisi cum deerit ad quem desciscant, à nobis non deficient. Si piguisset vos in Africam traiicere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginienses hostes haberetis. Macedonia potius quàm Italia bellum habeat: hostium vrbes agriq. ferro atque igni vastentur. experti iam sumus foris nobis, quàm domi feliciora potentioráque arma esse. Ite in suffragium bene iuuantibus dijs, & quæ patres censuerunt, vos iubete. Huius vobis sententiæ non consul modo auctor est, sed etiam dij immortales, qui mihi sacrificanti, precantique vt hoc bellum mihi, senatui, vobisque & sociis ac nomini Latino, classibus exercitibusque nostris bene ac feliciter eueniret: læta omnia prosperaque portendere. Ab hac oratione in suffragium missi, vti rogarat, bellum iusserunt. Supplicatio inde à Coss. in triduú ex S.C. indicta est, obsecratique circa omnia puluinaria dij, quod bellum cum Philippo populus iussisset, id bene ac feliciter eueniret. consultique feciales ab Cos. Sulpitio, bellum quod indiceretur regi Philippo, vtrum ipsi vtique nunciari iuberent: an satis esset, in finibus regni, quod proximum præsidium esset, eo nunciari. feciales decreuerunt, vtrum eorum fecisset, rectè facturum. Consuli à patribus permissum, vt quem videret ex iis qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum. Tum de exercitibus consulum prætorumque actum. Consules binas legiones scribere iussi, veteres dimittere exercitus. Sulpitio, cui nouum ac magni nominis bellum decretum erat, permissum, vt de exercitu quem P. Scipio ex Africa deportasset, voluntarios quos posset, duceret: inuitum ne quem militem veterem ducendi ius esset. Prætoribus L. Furio Purpurioni, & Q. Minutio Rufo quina millia sociorum Latini nominis consul daret: quibus præsidiis alter Galliam,

alter

alter Brutios prouinciam obtineret. Q. Fuluius Gillo & ipse iussus ex eo exercitu quem P. Ælius Cos. habuisset: vt quisq. minimè multa stipendia haberet, legere, donec & ipse quinque millia sociûm ac nominis Latini effecisset: id præsidio Siciliæ prouinciæ esset. M. Valerio Falconi qui prætor priore anno Campaniam prouinciam habuerat, prorogatum in annũ imperium est: vti proprætor in Sardiniam traiiceret: atque de exercitu qui ibi esset, quinq. millia socium nominis Latini, qui eorum minimè multa stipendia haberet, legeret. Et consules duas vrbanas legiones scribere iussi: quæ si quo res posceret, multis in Italia contractis gentibus Punici belli societate, iraque inde tumentib. mitterentur. Sex legionibus Rom. eo anno vsura respubl. erat. In ipso apparatu belli legati ab rege Ptolemæo venerunt, qui nuntiarunt, Athenienses aduersus Philippũ petisse ab rege auxilium. ceterum etsi communes socij sint, tamen nisi ex auctoritate populi Rom. neq. classem, neq. exercitũ defendendi aut oppugnandi cuiusquã caussa regem in Græciam missurum esse, vel quieturum eum in regno, si populo Rom. socios defendere liceat: vel Romanos quiescere, si malint, passurũ: atq. ipsum auxilia, quæ facile aduersus Philippũ tueri Athenas possint, missurum. Gratiæ regi ab senatu actæ, responsumque, tutari socios populo Rom. in animo esse. si qua re ad id bellum opus sit: indicaturos regi, regnique eius opes scire subsidia firma ac fidelia suæ reipub. esse. Munera deinde legatis in singulos quinum millium æris ex S.C. missa. Cum delectum consules haberent, pararéntque quæ ad bellum opus essent: ciuitas religiosa, in principiis maximè nouorũ bellorum supplicationibus habitis iam, & obsecratione circa omnia puluinaria facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquandô factum esset: ludos Ioui, donumque vouere consulé, cui prouincia Macedonia euenisset, iussit. Moram voto publico Licinius pontifex maximus attulit: qui negauit ex incerta pecunia vouere debere. si ea pecunia non posset in bellum vsui esse, reponi statim debere: nec cum alia pecunia misceri: quod nisi factum esset, votum ritè solui non posse. Quanquã & res, & auctor mouebat, tamen ad collegium pontificum referre consul iussus: si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi, posse, rectiúsque etiam esse pontifices decreuerant. Vouit in eadem verba Cos. præeunte maximo pontifice, quibus antea quinquennalia vota suscipi solita erant: prætterquam quod tanta pecunia, quãtam tum, cùm solueretur, senatus censuisset: ludos, donaque facturũ vouit. toties ante ludi magni de certa pecunia voti erant: ij primi de incerta. Omnium animis in bellum Macedonicum versis, repentè nihil minùs eo tempore timentibus, Gallici tumultus fama exorta est. Insubres Cenomanique & Boij excitis Sallyis Iluatibúsque, & ceteris Liguslicis populis Amilcare Pœno duce, qui in iis locis de Asdrubalis exercitu substiterat, Placentiam inuaserant. & direpta vrbe, ac per iram magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, traiecto Pado ad Cremonã diripiendam pergunt. Vicinæ vrbis audita clades spatium colonis dedit ad claudendas portas, præsidiaque per muros disponenda: vt obsiderentur tamen prius quàm expugnarentur: nũtiosque mitterent ad populum Romanum. L. Furius Purpurio tum prouinciæ præerat, cetero ex S.C. exercitu dimisso præter quinque millia socium ac Latini nominis: cum iis copiis in proxima regione prouinciæ circa Ariminum substiterat. is tũ senatui scripsit, quo in tumultu prouincia esset. duarũ coloniarum, quę ingentem illam tempestatẽ Punici belli

A subterfugissent: alteram captam ac direptã ab hostibus: alteram oppugnari. nec in exercitu suo satis præsidij colonis laborantib. fore: nisi quinq. millia sociũ XL. millibus hostium (tot enim in armis esse) trucidãda obiicere velit, & tãta sua clade iã inflatos excidio coloniæ Romanæ augeri hostiũ animos. His literis recitatis decreuerunt, vt C. Aurelius Cos. exercitum, cui in Hetruriã ad cõueniẽdũ diẽ edixerat, Arimini eodẽ die adesse iuberet: & aut ipse, si per commodum reip. posset, ad opprimendum Gallicum tumultũ proficisceretur: aut L. Furio prętori scriberet, B vt cum ad eum legiones ex Hetruria venissent: missis inuicẽ earum quinq. millib. sociorũ, qui interim Hetruriæ præsidio essent proficisceretur ipse ad coloniã liberandã obsidione. Legatos itẽ mittendos in Africã cẽsuerunt, eosdẽ Carthaginem, eosdẽ in Numidiã ad Masanissam. Carthaginem, vt nuntiarent, ciuẽ eorũ Amilcarem relictum in Gallia, haud satis scire ex Asdrubalis prius, an ex Magonis postea exercitu, bellum contra fœdus facere. exercitus Gallorum Ligu- C rúmq. exciuisse ad arma contra pop. Rom. eum si pax placeret, reuocandum illis, & dedendum pop. Rom. esse. simul nũtiare iussi, perfugas sibi non omnes redditos esse, magnam partem eorum palam Carthagini obuersari dici: quos comprehendi conquirique debere, vt sibi ex fœdere restituantur. Hæc ad Carthaginienses mandata Masanissæ gratulari iussi, quod non patrium modo recuperasset regnum, sed parte florentissima Syphacis finium adiecta etiam auxisset. Nuntiare prætterea iussi bellum cum rege Philip- D po susceptum, quod Carthaginienses auxiliis iuuisset, iniuriasq. inferendo sociis pop. Ro. flagrãte bello Italia coegisset classes exercitusque in Græciã mitti, & distinendo copias, caussa in primis fuisset serius in Africam traiiciendi. peterẽt, vt ad id bellum mitteret auxilia Numidarum equitum. Dona ampla data, quæ ferrent regi: vasa aurea argenteaque, toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sella. iussique polliceri, si quid ei ad firmandum augendumque regnum opus esse iudicasset, enixè id populum Rom. meri- E to eius præstaturum. Verminæ quoque Syphacis filij legati per eos dies senatum adierunt, excusantes errorem adolescentiamque, & culpam omnem in fraudem Carthaginiẽsium auertentes. Et Masanissã Romanis ex hoste amicum factum: Verminã quoq; annixurum, ne officiis in populum Rom. aut à Masanissa aut ab vllo alio vincatur: petere, vt rex, sociusque & amicus ab senatu appellaretur. Respõsum legatis est: & patrem eius Syphacem sine caussa ex socio & amico hostem repente populi Romani fa- F ctum: & eum ipsum rudimentum adolescẽtiæ bello lacessentem Romanos posuisse. itaque pacem illi prius petendã à populo Romano esse, quàm vt rex sociusque & amicus appelletur. nominis eius honorem pro magnis erga se regum meritis dare populum Rom. consuesse. legatos Romanos in Africa fore: quibus mandaturum senatum, vt Verminæ pacis dent leges: liberum arbitrium eis populo Romano permittente, si quid ad eas addi, demi, mutarive vel- G let: rursus ab senatu ei postulandum fore. Legati cũ iis mandatis in Africam missi: C. Terentius Varro, Sp. Lucretius, Cn. Octauius. quinqueremes singulis datæ. Literæ deinde in senatu recitatę sunt. Q. Minutij prætoris, cui Brutij prouincia erat: pecuniam in Locris ex Proserpinæ thesauris nocte clam sublatã: nec ad quos pertineat facinus, vestigia vlla exstare. Indignè passus senatus non cessari ab sacrilegiis: & ne Pleminium quidẽ, tam clarum recensq. noxæ simul ac pœnæ exemplum homines deterrere: C. Au-

reiio consuli negotium datum, vt ad prætorem in Bruttios scriberet: senatui placere quæstionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius prætor triennio ante habuisset. quæ inuenta pecunia esset, reponi: si quo minus inuentum foret, expleri: ac piacularia, si videretur, sicut antè pontifices censuissent, fieri caussa expiandæ violationis eius templi. Prodigia etiam sub idem tempus pluribus locis nuntiata acciderunt. In Lucanis cœlum arsisse afferebant. Priuerni sereno per diem totum rubrum solem fuisse. Lanuuij templo Sospitæ Iunonis nocte strepitum ingentem exortum. Iam animalium obscœni fœtus pluribus locis nuntiabantur. In Sabinis incertus infans natus, masculus an fœmina esset. alter sexdecim iam annorum item ambiguo sexu inuentus. Frusinone agnus cum suillo capite, Sinuessæ porcus cum capite humano natus: in Lucanis in agro publico equuleus cum quinque pedibus. Fœda omnia & deformia errantisque in alienos fœtus naturæ visa. ante omnia abominati seminares: iussique in mare extemplo deportari: sicut proximè C. Claudio, M. Liuio COSS. deportatus similis prodigij fœtus erat. nihilominus decemuiros adire libros de portento eo iusserunt. Decemuiri ex libris res diuinas easdem, quę proximè secundum id prodigium factæ essent, imperarunt. carmen præterea ab ter nouenis virginibus cani per vrbem iusserunt: donumque Iunoni reginæ ferri. Ea vti fierent, C. Aurelius Coss. ex decemuirorum responso curauit. carmē sicut patrum memoria Liuius, ita tum condidit P. Licinius Tegula. Expiatis omnibus religionibus (nā etiam Locris sacrilegium peruestigatum à Q. Minutio erat, pecuniaque ex bonis noxiorum in thesauris reposita) cū consules in prouincias proficisci vellent: priuati frequentes, quibus ex pecunia, quā M. Valerio & M. Claudio Coss. mutuam dederant, tertia pēsio debebatur eo anno, adierūt senatum: quia cōsules, cū ad nouum bellum, quod magna classe magnisq. exercitibus gerendum esset, vix ærarium sufficerer: negauerant esse vnde iis in præsentia solueretur. Senatus querentes eos non sustinuit, si in Punicum bellum pecunia data, in Macedonicum quoque bellū vt resp. vellet: aliis ex aliis orientibus bellis, quid aliud quàm publicā pro beneficio tanquam ob noxam suam pecuniam fore? Cùm & priuati æquum postularent, nec tamē soluendo ære alieno respub. esset, quod mediū inter æquum & vtile erat, decreuerunt: vt quoniam magna pars eorum agros vulgo venales esse diceret: & sibimet emtis opus esse: agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret. consules agrum æstimaturos, & in iugera asses vectigales, testandi caussa publicū agrū esse, imposituros: vt si quis, cum soluere posset populus, pecuniam habere quā agrum mallet, restitueret agrum populo. Læti eam conditionem priuati accepere. Trientius, Tabuliusque is ager, quia pro tertia parte pecuniæ datus erat, appellatus. Tum P. Sulpitius secundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus, profectus ab vrbe, Brundusium venit: & veteribus militibus voluntariis ex Africano exercitu in legiones descriptis, nauibusque ex classe consulis Cornelij lectis: altera die, quā à Brundusio soluit, in Macedoniam traiecit. ibi ei præsto fuere Atheniensiū legati, orantes, vt se obsidione eximeret. Missus extemplo Athenas est C. Claudius Cento cum XX. longis nauibus, & militū copiis: neque enim ipse rex Athenas obsidebat. eo maximè tempore Abydum oppugnabat, iam cum Rhodiis & Attalo naualibus certaminibus, neutro feliciter prælio vires expertus, sed animos ei faciebat præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho Syriæ rege: diuisæque iam cum eo Ægypti opes: cui, morte audita Ptolemæi regis ambo imminebant. Contraxerant autem cum Philippo bellum Athenienses haudquaquam digna caussa: dum ex vetere fortuna nihil præter animos seruāt. Acarnanes duo iuuenes per initiorum dies non initiati, templum Cereris imprudentes religionis cum cetera turba ingressi sunt. facile eos sermo prodidit, absurdè quædam percunctantes, deductique ad antistites templi, cum palam esset, per errorē ingressos, tanquàm ob infandum scelus interfecti sunt. Id tam fœdè atque hostiliter factum gens Acarnanum ad Philippum detulit: impetrauitque ab eo, vt datis Macedonum auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur. Hic exercitus primo terram Atticā ferro igniq. depopulatus, cū omnis generis præda in Acarnaniam rediit, & irritatio animorum ea prima fuit. postea iustum bellum decretis ciuitatis vltro indicendo factum. Attalus enim rex Rhodiique secuti cedentem in Macedoniam Philippum, cùm Æginam venissent: rex Piræeum renouandæ firmandæque cum Atheniensibus societatis caussa traiecit. Ciuitas omnis obuiam effusa cum coniugibus ac liberis, sacerdotes cum insignibus suis in vrbem vrbem, ac dij propè ipsi exciti sedibus suis exceperunt. In concionem extemplo populus vocatus, vt rex quæ vellet coram ageret. deinde ex dignitate magis visum, scribere eum de quibus videretur, quàm præsentem aut referendis suis in ciuitatem beneficiis erubescere, aut significationibus acclamationibúsque multitudinis, assentatione immodica pudorem onerantis. In literis autem quæ missæ in concionem, recitatæque sunt, commemoratio erat beneficiorum, primum in ciuitatem sociam: deinde rerum quas aduersus Philippum gessisset, ad postremum adhortatio capessendi bellum, dum se, dum Rhodios, tum quidem dū etiam Romanos haberent. nequicquam postea, si tum cessassent, prætermissam occasionem quæsituros. Rhodij deinde legati auditi sunt, quorum recens erat beneficium, quod naues longas quatuor Atheniensium captas nuper à Macedonibus recuperatásque remiserant. Itaque ingenti consensu bellum aduersus Philippum decretum. Honores regi primum Attalo immodici, deinde & Rhodiis habiti. tum primum mentio illata de tribu, quam Attalida appellarent, ad decem veteres tribus addēda, & Rhodiorum populus corona aurea virtutis ergo donatus, ciuitasque Rhodiis data: quemadmodum Rhodij prius Atheniensibus dederant. Secundum hæc rex Attalus Æginam ad classem se recepit. Rhodij Ceam ab Ægina, inde per insulas Rhodum nauigarunt, omnibus, præter Andrum, Parúmque & Cythnum, quæ præsidiis Macedonum tenebantur, in societatem acceptis. Attalum Æginæ missi in Ætoliam nuntij, exspectatique inde legati aliquandiu nihil agentem tenuere, & neque illos excire ad arma potuit, gaudentes vtcunque composita cum Philippo pace: & ipse, Rhodiique, cum si institissent Philippo, egregium liberatæ per se Græciæ titulum habere potuissent: patiēdo rursus eum in Hellespōtum traiicere, occupantémq. Græciæ opportuna loca, vires colligere, bellum alere, gloriámque eius gesti perfecti. Romanis cōcesserūt. Philippus magis regio animo est vsus: qui cùm Attalum Rhodiosq. hostes nō sustinuisset: ne Romano quidē quod imminebat, bello territus, Philocle quodā ex præfectis suis cum duobus millibus peditū, equitibus ducentis ad

tis ad populandos Atheniensium agros misso, classe A auadita Heraclidi, vt Maroneam peteret, ipse terra eodem cum expeditis duobus millibus peditum, equitibus ducentis pergit, & Maroneam quidem primo impetu expugnauit. Ænum inde cum magno labore, postremo per proditionem Ganymedis præfecti Ptolemæi cepit. deinceps alia castella, Cypsela & Doriscon, & Serrheum occupat. inde progressus ad Chersonesum, Eleunta, & Alopeconnesum, tradentibus ipsis, recipit. Calipolis quoque, & Madytos dedita, & castella quædam ignobilia. Abydeni ne legatis quidē admissis, regi portas clauserunt. ea oppugnatio diu Philippū tenuit, eripiq. ex obsidione, ni cessatum ab Attalo & Rhodiis foret, potuerunt. Attalus trecentos tantum milites in præsidium, Rhodij quadriremem vnam ex classe, cum ad Tenedum stationem haberet, miserunt. eodem postea cum iam vix sustinerent obsidionem, & ipse Attalus cū traiecisset, spem tantum auxilij ex propinquo ostendit, neque terra, neque mari adiutis sociis. Abydeni primo tormentis per muros dispositis, nō terra modo adeuntes aditu arcebant: sed nauium quoque stationem infestam hosti faciebant. Postea cum & muri pars strata ruinis, & ad interiorem raptim oppositum murum cuniculis iam peruentū esset, legatos ad regem de cōditionibus tradendæ vrbis miserunt. Paciscebatur autem, vt Rhodia quadriremem cum sociis nauibus, Attalique præsidiū emitti liceret: atque ipsis vrbe excedere cum singulis vestimentis, quibus cum Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus respondisset: adeo renunciata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit, vt ad Saguntinam rabiem versi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros ingenuos virginesque infantes etiam cum suis nutricibus in gymnasium includi iuberent: aurum & argentū in forum deferri: vestem pretiosam in naues Rhodiam Cyzicenámq. quæ in portu erant, conijci, sacerdotes, victimásque adduci: & altaria in medio poni. ibi delecti primum, qui vbi cæsam aciem suorum pro diruto muro pugnantem vidissent: extemplo coniuges liberosque interficerent: aurum, argentum, vestémque quæ in nauibus esset, in mare deijcerent: tectis publicis priuatisque quàm plurimis locis possent, ignes subiicerent: & se facinus perpetraturos, præeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus, iureiurando adacti: tum militaris ætas iurat, neminem viuum, nisi victorem, acie excessuram. Hi memores deorum adeo pertinaciter pugnauerunt, vt cùm nox prælium diremtura esset, rex prior territus rabie eorū, pugna abstiterit. Principes quibus atrocior pars facinoris delegata erat, cùm paucos & confectos vulneribus ac lassitudine superesse prælio cernerent, luce prima, sacerdotes cū infulis ad vrbē dedendā Philippo mittunt. Ante deditionem ex III. legatis Romanis, qui Alexandriam missi erat, M. Æmylius duorum consensu minimus natu, audita obsidione Abydenorū, ad Philippum venit. qui questus Attalo Rhodiisque arma illata, & quod tum maximè Abydū oppugnaret, G cùm rex ab Attalo & Rhodiis vltro se bello lacessitum diceret: num Abydeni quoque, inquit, vltro tibi intulerunt arma? Insueto vera audire ferocior oratio visa est, quá quæ habenda apud regé esset. ætas, inquit, & forma, & super omnia Romanum nomē te ferociorē facit. ego autē primum velim vos fœderū memores seruare mecū pacem, si bello lacessieritis, mihi quoque in animo esse facere, vt regnum Macedonū nomenque, haud minus quá Romanum nobile bello sentiatis. Ita dimisso legato Philippus

auro argentoque, quæ coaceruata erát, accepto, hominum prædam omnem amisit. tanta enim rabies multitudinem inuasit, vt repentè proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent: periuriúmque aliis alij exprobrantes, & sacerdotibus maximè, qui quos ad mortem deuouissent, eorum deditionem viuorum hosti fecissent: repente omnes ad cædem coniugum liberorumque discurrerent: séque ipsi per omnes vias leti interficerent. Obstupefactus B eo furore rex suppressit impetum militum: & triduū se ad moriendum Abydenis dare dixit: quo spatio plura facinora in se victi ediderunt, quàm infesti edidissent victores. nec nisi quem vincula, aut alia necessitas mori prohibuit: quisquam viuus in potestatem venit. Philippus imposito Abydi præsidio, in regnum rediit. Cùm velut Sagunti excidium Annibali, sic Philippo Abydenorū clades ad Rom. bellum animos fecisset: nuncij occurrerunt, consulem iam in Epiro esse: & Apolloniam terrestres C copias, nauales Corcyrā in hyberna deduxisse. Inter hæc legatis, qui in Africam missi erant, de Amilcare Gallici exercitus duce responsum à Carthaginiensibus est, nihil vltra se facere posse, quàm vt exsilio cum mulctarent, bonaque eius publicarent. perfugas & fugitiuos. quos inquirendo vestigare potuerint reddidisse. & de ea re missuros legatos Romá, qui senatui satisfacerent. Ducenta millia modiûm tritici Romam, ducenta ad exercitum in Macedo- D niā miserūt. Inde in Numidiā ad reges profecti legati. dona data Masanissæ, mandatáque edita. Equites Numidæ, cùm M. Modarce, accepti. ipse in naues imponendos curauit, & cum ducentis millibus modium tritici, ducentis hordei in Macedoniam misit. Tertia legatio ad Verminam erat. Is ad primos fines regni legatis obuiam progressus, vt scriberent ipsi quas vellent pacis conditiones permisit. omnem pacē bonā iustámque fore sibi cum populo Rom. datæ leges pacis, iussúsque ad eam confirmandam mittere legatos Romā per id in tēpus L. Cor- E nelius Lentulus proconsul ex Hispania redit, qui cum in senatu res ab se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postulassétq. vt triūphanti sibi inuehi liceret in vrbem: rês triumpho dignas esse censebat senatus: sed exemplum à maioribus non accepisse, vt qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet. proconsulem illum Hispaniam prouinciam, non consulem, aut prætorem obtinuisse. decurrebatur tamen eò, vt ouans vrbem iniret. intercedente T. Sem- F pronio Longo tribuno pl. qui nihilo magis id more maiorum, aut vllo exemplo futurum diceret. postremo victus consensu patrum tribunus cessit. & S.C.L. Lentulus ouans vrbem est ingressus. Argenti tulit ex quadraginta quatuor millia pōdo: auri duo millia quadringenta L. militibus ex præda centum xx. asses diuisit. Iam exercitus consularis ab Arretio Ariminū traductus erat: & quinque millia socium Latini nominis ex Gallia in Hetruriam transierant. itaque L. Furius magnis itineribus ab Arimino aduersus Gallos Cremonā tum obsidentes profectus, castra mille quingētorū passuū interuallo ab hoste posuit. Occasio egregiè rei gerēdæ fuit, si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset, palati passim vagabātur per agros, nullo satis firmo relicto præsidio. lassitudini militū timuit: quod raptim ductū agmē erat. Galli clamore suorū ex agris reuocati, omissa præda, quæ in manib. erat, castra repetiuēre. & postero die in aciē progressi, nec Romanus morá pugnádi fecit. sed vix spatiū instruēdi fuit: eo cursu hostes in præliū venerunt. Dextra ala (in alas diuisum so-

A tialem exercitum habebat) in prima acie locata est: in subsidiis duæ Romanæ legiones. M. Furius dextræ alæ, legionibus M. Cæcilius, equitibus L. Valerius Flaccus (legati omnes erant) præpositi. Prætor secum duos legatos, Cn. Lectorium, & P. Titinium habebat: cum quibus circumspicere, & obire ad omnes hostium subitos conatus posset. Primo, Galli omni multitudine in vnum locum connixi, obruere atque obterere sese dextram alam, quæ prima erat, sperarunt posse. vbi id parum procedebat, circumuenire à cornibus & amplecti hostiũ aciem, quod multitudini aduersus paucos facile videbatur B conati sunt. Id vbi vidit prætor, vt & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis dextra læuáque alæ, quæ in prima acie pugnabant, circumdat: ædémque deo Ioui vouit, si eo die hostes fudisset. L. Valerio imperat, vt altera parte duarum legionum equites, alteram sociorum equitatum in cornua hostium emittat, nec circumuenire eos aciem patiatur. simul & ipse, vt extenuatam mediam diductis cornibus aciem Gallorum vidit: signa inferre confertos milites, & perrumpere ordines iubet. C & cornua ab equitibus, & medij à pedite pulsi. ac repente, cum omni parte cæde ingenti sternerentur: Galli terga vertũt, fugaque effusa repetunt castra. fugientes persecutus eques: mox & legiones insecutæ in castra impetum fecerunt. Minus sex millia hominũ inde effugerunt. cæsa & capta supra quinque & xxx. millia. cum signis militaribus LXX. carpentis Gallicis multa præda oneratis plus ducentis Amilcar dux Pœnus eo prælio cecidit: & tres imperatores nobiles Gallorum Placentini captiui ad D duo millia liberorum capitum redditi colonis. Magna victoria lætáque Romæ fuit literis allatis: supplicatio in triduum decreta est. Romanorum, sociorúmque ad duo millia eo prælio ceciderunt: plurimi dexteræ alæ, in quam primo impetu vis ingens hostium illata est. Quanquam à prætore prope debellatum erat: consul quoque C. Aurelius perfectis, quæ Romæ agenda fuerant, profectus in Galliam victorem exercitũ à prætore accepit. Consul alter, cum autumno ferme exacto in prouinciam venisset, circa Apolloniã E hybernabat. ab classe quæ Corcyræ subducta erat, C. Claudius triremésq; Romanæ (sicut ante dictũ est) Athenas missæ cùm Pyræeum peruenissent: despõdentibus iam animos sociis spem ingentem attulerant. nam & terrestres ab Corintho, quæ per Megaram incursiones in agros fieri solitæ erant, non fiebant, & prædonum à Chalcide naues, quæ non mare solum infestum, sed etiam omnes maritimos agros Atheniensibus fecerant: non modo Sunium superare, sed nec extra fretum Euripi committere a- F perto mari se audebant. Superuenerunt his tres Rhodiæ quadriremes. & erant Atticæ tres apertæ naues ad tuendos maritimos agros comparatæ. Hac classe si vrbs agrique Atheniensium defenderentur, satis in præsentia existimanti Claudio esse, maioris etiam rei fortuna oblata est. Exules ab Chalcide regiorum insidiis pulsi attulerunt, occupari Chalcidẽ sine certamine vllo posse. nam & Macedonas, quia nullus in propinquo sit hostium metus, vagari passim: & oppidanos præsidio Macedonum fretos cu- G stodiam vrbis negligere. His auctoribus profectus, quanquam Sunium ita maturè peruenerat, vt inde prouehi ad primas angustias Eubœæ posset, ne superato promontorio conspiceretur, classem in statione vsque ad noctem tenuit. primis tenebris mouit: & tranquillo prouectus Chalcidem, paulo ante lucẽ qua infrequẽtissima vrbis sũt paucis militibus turrim proximam, murúmque circa scalis cepit: alibi sopitis custodibus, alibi nullo custodiente, progressi inde ad frequentia ædificiis loca, custodibus interfectis refractaque porta, ceteram multitudinem armatorum ceperunt. inde in totam vrbem discursum est: aucto etiam tumultu, quod circa forum ignis tectis iniectus erat. conflagrarunt & horrea regia, & armamentarium cum ingenti apparatu machinarum tormentorumque. cædes inde passim fugientium pariter ac repugnantium fieri cœpta est. nec vllo iam qui militaris ætatis esset, non aut cæso aut fugato: Sopatro etiam Acarnane præfecto præsidij interfecto, præda omnis primo in forum collata, deinde in naues imposita. carcer etiam ab Rhodiis refractus, emissique captiui, quos Philippus tanquam in tutissimam custodiam condiderat. statuis inde regis deiectis truncatísque, signo receptui dato, conscenderunt naues: & Piræeũ vnde profecti erant, redierunt. Quod si tantum militum Romanorum fuisset, vt & Chalcis teneri, & non deseri præsidium Athenarum potuisset: magna res principio statim belli, Chalcis & Euripus adepta regi forent: nam vt terra Thermopylarum angustiæ Græciam, ita mari fretum Euripi claudit. Demetriade tum Philippus erat. quò cum esset nuntiata clades sociæ vrbis, quanquam serum auxilium perditis erat, tamen quæ proxima auxilio est, vltionem petens, cum expeditis quinque millibus peditum, & ccc. equitibus extemplo profectus, cursu prope Chalcidem contendit, haudquaquam dubius opprimi Romanos posse. à qua destitutus spe, nec quicquam aliud, quàm ad deforme spectaculum semirutæ ac fumantis sociæ vrbis cum venisset: paucis, vix qui sepelirent bello absumtos, relictis, æquè raptim ac venerat, transgressus ponte Euripum per Bœotiam Athenas ducit, pari incœpto haud disparem euentum ratus responsurum. & respondisset, ni speculator (hemerodromos vocant Græci, ingens die vno cursu emetientes spatium) contemplatus regium agmen è specula quadam, prægressus nocte media Athenas peruenisset. idem ibi somnus eadémque negligentia erat, quæ Chalcidem dies ante paucos prodiderat. Excitati nuntio trepido & prætor Atheniensium, & Dioxippus præfectus cohortis mercede militantium auxiliorum, conuocatis in forum militibus, tuba signum ex arce dari iubent, vt hostes adesse omnes scirent. ita vndique ad portas, ad muros discurrunt. Paucas post horas Philippus aliquanto tamen ante lucem appropinquans vrbi, conspectis luminibus crebris, & fremitu hominum trepidantium (vt in tali tumultu) exaudito, sustinuit signa: & considere ac cõquiescere agmen iussit, vi aperta propalam vsurus, quando parum dolus profuerat, ad Dipylon accessit. Porta ea velut in ore vrbis posita, maior aliquanto patentiorque quàm ceteræ est: & intra eam extraque latæ sunt viæ, vt & oppidani dirigere aciem à foro ad portam possent: & extra limes mille ferme passus in Academiæ gymnasium ferens, pediti equitique hostium liberum spatium præberet. Eo limite Athenienses cum Attali præsidio, & cohorte Dioxippi, acie intra portam instructa, signa extulerunt. Quod vbi Philippus vidit, habere se hostes in potestate ratus, & diu optata cæde (neq. enim vlli Græcarum ciuitatum infestior erat) expleturum, cohortatus milites, vt se intuẽtes pugnarẽt: sciréntque ibi signa, ibi aciem esse debere, vbi rex esset. cõcitat in hostes equum, non ira tãtum, sed etiã gloria elatus, quod ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici pugnantem egregium ducebat. Aliquãtum ante aciẽ cum equitibus paucis

euectus

euectus in medios hostes, ingentem cùm suis ardorem, tùm pauorem hostibus iniecit. plurimos manu sua cominus eminúsque vulneratos, compulsósque in portam consecutus & ipse, cùm maiorem in angustiis trepidantium edidisset cędem, in temerario incepto tutum tamen receptum habuit, quia qui in turribus portæ erant, sustinebant tela, ne in permistos hostibus suos coniicerent. intra muros deinde tenentibus milites Atheniensibus, Philippus signo receptui dato, castra ad Cynosarges (templum Herculis, gymnasiúmque & lucus erat circumiectus) posuit. sed & Cynosarges, & Lyceum, & quicquid sancti amœniue circa vrbem erat, incensum est, dirutáque nõ tecta solũ, sed etiam sepulcra, nec diuini humaniue iuris quicquam præ impotenti ira est seruatum. Postero die cum primo clausæ fuissent portæ, deinde subito apertæ: quia præsidiũ Attali ab Ægina, Romaníque ab Pyræeo intrauerant vrbem: castra ab vrbe retulit rex tria ferme millia passuum. inde Eleusinem profectus spe improuiso templi castellique, quod & imminet & circundatum est templo, capiẽdi, cum haudquaquã neglectas custodias animaduertisset, & classem à Pyræeo subsidio venire: omissæ incœpto, Megaram, ac protinus Corinthum ducit: & cum Argis Achæorum cõcilium esse audisset: inopinantibus Achæis, concioni ipsi superuenit. Consultabant de bello aduersus Nabiñ tyrannum Lacedæmoniorũ: qui translato imperio à Philopœmene ad Cycliadem nequaquam parem illi ducem, dilapsa cernens Achæorum auxilia, redintegrauerat bellum: agrósque finitimorum vastabat: & iam vrbibus quoque erat terribilis. Aduersus hunc hostem cum quantum ex quaque ciuitatum militum conscriberetur, consultarent: Philippus demturum se eis curam, quod ad Nabin & Lacedæmonios attineret, pollicitus: nec tantum agros sociorum populationibus prohibiturum, sed terrorem omnẽ belli in ipsam Laconicam, ducto eo extemplo exercitu translaturum. hæc oratio cum ingenti hominum assensu acciperetur: Ita tamen æquum est, inquit, me vestra meis armis tutari, ne mea interim nudentur præsidiis. itaque si vobis videtur, tantum parate militum, quantum ad Oreum, & Chalcidem, & Corinthum tuenda satis sint: vt meis ab tergo tutis, securus bellum Nabidi inferam & Lacedæmoniis. Non fefellit Achæos, quo spectasset tã benigna pollicitatio, auxiliumq. oblatum aduersus Lacedæmonios: id quæri, vt obsidem Achæorum iuuentutem educeret ex Peloponneso ad illigandam Romano bello gentem. & id quidem coarguere Cycliades prætor Achæorum nihil attinere ratus, id modo cum dixisset, non licere legibus Achæorum de aliis rebus referre, quàm propter quas conuocati essent: decreto de exercitu parando aduersus Nabin facto, concilium fortiter ac libere habitum dimisit, inter assentatores regios ante eam diem habitus Philippus magna spe depulsus, voluntariis paucis militibus conscriptis, Corinthum atque in Atticam terram rediit. Per eos ipsos dies, quibus Philippus in Achaia fuit, Philocles præfectus regius ex Eubœa profectus, cũ duobus millibus Thracum Macedonúmque ad depopulandos Atheniensium fines, è regione Eleusinis saltum Cithæronis transcendit. inde dimidia parte militum ad prædandum passim per agros dimissa cùm parte ipse occultus loco ad insidias opportuno consedit: vt si ex castello ab Eleusine in prædantes suos impetus fieret, repente hostes effusos ex improuiso adoriretur. Non fefellere insidiæ. itaque reuocatis qui discurrerant ad prædandum militi-

A bus, instructísque ad oppugnandum castellum Eleusinem profectus, cum multis inde vulneribus recessit: Philippoque se venienti ex Achaia coniunxit. Tentata & ab ipso rege oppugnatio eius castelli est. sed naues Rom. à Piræeo venientes, intromissúmque præsidium absistere incœpto coegerunt. Diuiso deinde exercitu rex cum parte Philoclem Athenas mittit cum parte ipse Piræeum pergit: vt dum Philocles subeundo muros. & comminanda oppugnatione contineret vrbe Athenienses: ipsi B Piræeum leui cum præsidio relictum, expugnandi facultas esset. Ceterum nihilo ei Piræei quàm Eleusinis faciliot, iisdem fere defendentibus, oppugnatio fuit. A Piræeo Athenas repente duxit. inde eruptione subita peditum equitumque inter angustias semiruti muri, qui brachiis duobus Piræeum Athenis iungit, repulsus: omissa oppugnatione vrbis, diuiso cum Philocle rursus exercitu, ad vastãdos agros profectus, cum priorẽ populationem sepulchris circa vrbem diruendis exercuisset: ne quid inuiolatum C relinqueret, templa deum, quæ pagatim sacrata habebant, dirui atque incendi iussit. Exornata eo genere operum eximiè terra Attica, & copia domestici marmoris, & ingeniis artificum præbuit huic furori materiam. neque enim diruere modo ipsa templa, ac simulacra euertere satis habuit: sed lapides quoque, ne integri cumularent ruinas, frangi iussit, & posteaquam non ita satiata, quàm iræ exercendæ materia hæc deerat: agro hostium in Bœotiam excessit, nec aliud quicquam dignum memoria inGręcia egit. D Consul Sulpitius eo tempore inter Apolloniam ac Dyrrachium ad Apsum flumen habebat castra: quò accersitum T. Apustium legatum cum parte copiarum ad depopulãdos hostium fines mittit. Apustius extrema Macedoniæ populatus, Corrhago, & Gerrhunio, & Orgesso castellis primo impetu captis, ad Antipatriam in faucibus angustis sitam vrbem venit, ac primo euocatos principes ad colloquium, vt fidei Romanorum se committerent, pellicere est conatus: deinde vbi magnitudi- E ne ac mœnibus, sitúque vrbis freti, dicta aspernabantur, vi atque armis adortus expugnauit: pubertbúsque interfectis prẽda omni militibus concessa, diruit muros, atque vrbem incendit. Hic metus Codrionem, satis validum & munitum oppidum, sine certamine vt dederetur Romanis effecit præsidio ibi relicto, Ilion (nomen propter alteram in Asia vrbem, quàm oppidum, notius) vi capitur. Reuertentem legatum ad Cos. cũ satis magna præda Athenagoras quidam regius prẽfectus in transitu F fluminis à nouissimo agmine adortus, postremos turbauit. ad quorum clamorem & trepidationem cum reuectus equo propere legatus signa cõuertisset, coniectísque in medium sarcinis aciem direxisset, non tulere impetum Romanorum militum regij. multi ex iis occisi, plures capti. Legatus incolumi exercitu reducto ad Cos. remittitur: inde extemplo ad classem. Hac satis felici expeditione bello commisso, reguli ac principes accolæ Macedonum in castra Romana veniunt, Pleuratus Scerdileti fi- G lius, & Aminander Athamanum rex, & ex Dardanis Bato, Longari filius. Bellũ suo nomine Lõgarus cum Demetrio Philippi patre gesserat. Pollicẽtibus auxilia respõdit Cos. Dardanorum & Pleurati opera, cum exercitum in Macedoniã induceret, se vsurum. Aminandro Ætolos cõcitandos ad bellũ attribuit. Attali legatis (nã ij quoq. per id tẽpus venerant) mãdat, vt Æginæ rex, vbi hybernabat, classem Romanã opperiretur. qua adiũcta, bello maritimo, sicut ante, Philippũ vrgeret. Ad Rhodios quoq. missi legati, vt

capesserent partem belli. Nec Philippus segnius A (iam enim in Macedoniam peruenerat) apparebat bellum. filium Persea, puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui ætatem eius regerent, cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quæ ad Pelagoniam sunt, mittit. Sciathum, & Peparetum, haud ignobiles vrbes, ne classi hostium prædæ ac præmio essent, diruit. Ad Ætolos mittit legatos, ne gens inquieta aduentu Rom. fidem mutaret. Concilium Ætolorum statuta die, quod Panætolium vocant, futurum erat. huic vt occurrerent, & legati regis B iter accelerarunt, & ab Cos. missus L. Furius Purpurio legatus venit. Atheniensium quoque legati ad id concilium occurrerunt. Primi Macedones, cum quibus recentissimum fœdus erat, auditi sunt, qui nulla noua re nihil se noui habere, quod afferrent, dixerunt. quibus enim de caussis, experta inutili societate Rom. pacem cum Philippo fecissent, compositam semel seruare eos debere. An imitari, inquit vnus ex legatis, Rom. licentiam, an leuitatem dicam, mauultis? qui cùm legatis vestris Romæ respondi C iussissent: quid ad nos venitis Ætoli, sine quorum auctoritate pacem cum Philippo fecistis? iidem nunc, vt bellum secum aduersus Philippum geratis, postulant, & antea propter vos, & pro vobis arma sumta aduersus eum simulabant: nunc vos in pace esse cum Philippo prohibent. Messanæ vt auxilio essent, primo in Siciliam conscenderunt: iterum, vt Syracusas oppressas ab Carthaginiensibus in libertatem eximerent. Et Messanam, & Syracusas, & totam Siciliam ipsi habent: vectigalémque prouinciam securibus & fascibus subiecerunt. Scilicet D sicut vos Naupacti legibus vestris per magistratus à vobis creatos concilium habetis, socium hostémque libere, quem velitis, lecturi, pacem ac bellum arbitrio habituri vestro: sic Siculorum ciuitatibus Syracusas, aut Messanam aut Lilybæum indicitur concilium. prætor Romanus conuentus agit, eo imperio euocati conueniunt. excelso in suggestu superba iura reddentem, stipatum lictoribus vident: virgæ tergo, secures ceruicibus imminent; & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur. E Nec id mirari debent, aut possunt: cum Italiæ vrbes, Rhegyum, Tarentum, Capuam, ne finitimas nominem, quarum ruinis creuit vrbs Roma, eiusdem subiectas videant imperio. Capua quidem sepulcrū ac monumentum Campani populi, elato, & extorri eiecto ipso populo, superest vrbs trunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium, relicta crudelius habitanda, quàm si deleta foret. Furor est, si alienigenæ homines plus lingua & moribus & legibus, quàm maris terrarumque spatio discreti, F hæc tenuerint, sperare quicquam eodem statu mansurum. Philippi regnum officere aliquid videtur libertati vestræ: qui cum merito vestro vobis infestus esset: & nihil à vobis vltra quàm pacem petiit, fidemque hodie pacis pactæ desiderat. Assuefacite iis terris legiones externas, & iugum accipite: sero ac nequicquam, cum dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. Ætolos, Acarnanas, Macedonas G eiusdem linguæ homines leues ad tempus ortæ caussæ disiungunt: coniungúntque, cum alienigenis, cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum est, eritque. natura enim quæ perpetua est, non mutabilibus in diem caussis hostes sunt. Sed vnde cœpit oratio mea, ibi desinet. Hoc eodem loco iidem homines de eiusdem Philippi pace triennio ante decreuistis, iisdem improbántibus eam pacem Romanis, qui nunc pactam & cōpositam turbare volūt. in qua consultatione nihil fortuna mutauit. cur vos mutetis, nō video. Secundum Macedonas, ipsis Romanis ita cōcedentibus iubentibúsque, Athenienses qui fœda passi iustius in crudelitatem sæuitiámque regis inuehi poterát, introducti sunt. Deplorauerūt vastationem populationémq. miserabilē agrorum. Neq. id se queri, quod hostilia ab hoste passi forent. esse enim quædam belli iura, quæ vt facere, ita pati sit fas. sata exuri, dirui tecta, prædas hominū pecorúmq. agi, misera magis quā indigna patiēti esse. verum enimuero id se queri, quod is qui Romanos alienigenas & barbaros vocet, adeo omnia simul diuina humanáq. iura polluerit, vt priore populatione cū infernis diis, secunda cū superis bellum nefariū gesserit: omnia sepulcra monumentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi. delubra sibi fuisse, quę quondam pagatim habitantes in paruis illis castellis vicisque cōsecrata, ne in vnam vrbem quidem cōtributi maiores sui deserta reliquerint. circa ea omnia templa Philippū infestos circumtulisse ignes: semiusta & trūcata simulacra deûm inter prostratos iacere postes templorum. Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam opulentámque: talem eum, si liceat, Ætoliam Græciámque omnem facturum. Vrbis quoque suæ similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subuenissent. eodem enim scelere vrbem colentem hos deos, præsidémque arcis Mineruam petitam: eodem Eleusinæ Cereris templum, eodem Piræei Iouem Mineruámque. sed ab eorum non tēplis modo, sed etiam mœnibus vi atque armis repulsum, in ea delubra quæ sola religione tuta fuerint, sæuisse. Itaque se orare atque obsecrare Ætolos, vt misereti Atheniensium, ducibus diis immortalibus, deinde Romanis qui secundum deos plurimum possint, bellum susciperent. Tū Romanus legatus: Totá orationis meæ formá Macedones primum, deinde Atheniēses mutarūt. nam & Macedones, cum ad cōquerēdas Philippi iniurias in tot socias nobis vrbes venissē: vltro accusādo Romanos, defensionē, vt accusatione potiorē haberem effecerunt: & Athenienses in deos superos inferosque nefanda atq. inhumana scelera eius referēdo, quid mihi aut cuiquam reliquerūt, quod obiicere vltra possim? Eadem Chios, Abydenos, Æneos, Maronitas, Thasios, Parios, Samios, Larissenses, Messenios: hinc ex Achaia existimate queri grauiora etiam acerbioráque eos, quibus nocendi maiorem facultatem habuit. Nam quod ad ea attinet quæ nobis obiecit: nisi gloria digna sunt, fateor ea defendi non posse. Rhegyum & Capuam, & Syracusas nobis obiecit. Rhegyū Pyrrhi bello legio à nobis, Rhegynis ipsis vt mitteremus orantibus in præsidiū missa, vrbē ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit. comprobauimus ergo id facinus? an bello persecuti sceleratam legionem in potestatem nostram redactam, tergo & ceruicibus pœnas sociis pendere cum coegissemus, vrbem, agros, suáque omnia cum libertate legibusque Rhegynis reddidimus? Syracusanis oppressis ab externis tyrannis, quod indignius esset, cum tulissemus opem, & fatigati prope per trieniū terra marique vrbe munitissima oppugnanda essemus: cum iam ipsi Syracusani seruire tyrannis, quàm capi à nobis mallent: captam iisdem armis & liberatam vrbem reddidimus. neque inficias imus, Siciliam prouinciam nostram esse, & ciuitates quæ in parte Carthaginiensium fuerunt, & vno animo cum illis aduersus nos bellum gesserunt, stipendiarias nobis ac vectigales esse. quin contra, hoc & vos & omnes gētes scire volumus, pro merito cuiq. erga nos fortunā esse. An Campanorū pœnæ, de qua

neque

neque ipsi quidem queri possunt, nos pœniteat? Hi homines, cum pro iis bellum aduersus Samnites per annos prope septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus: ipsos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremo ciuitate nobis coniunxissemus: tempore nostro aduerso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro fœdè interfecto, ad Annibalem defecerunt: deinde indignati se obsideri à nobis, Annibalem ad oppugnandam Romam miserunt. Horum si neque vrbs ipsa, neque homo quisquam superesset: quis durius quàm pro merito ipsorum statutum indignari posset? Plures sibimetipsi conscientia scelerum mortem consciuerunt, quàm à nobis supplicio affecti sint. ceteris ita oppidum, ita agros ademimus, vt agrum locúmque ad habitandum daremus: vrbem innoxiam stare incolumem pateremur, vt qui hodie videat eã, nullum oppugnatæ captæve ibi vestigium inueniat. Sed quid ego Capuam dico, cum Carthagini victæ pacem ac libertatem dederimus? magis illud est periculum, ne nimis facile victis ignoscendo, plures ob idipsum ad excipiendam aduersus nos fortunã belli incitemus. Hæc pro nobis dicta sint, hæc aduersus Philippum, cuius domestica parricidia, & cognatorum amicorumque cædes, & libidinem inhumaniorem prope quàm crudelitatem, vos, quo propiores Macedoniæ estis, melius nostis. Quod ad vos attinet Ætoli, nos pro vobis bellum suscepimus aduersus Philippum: vos sine nobis cum eo pacem fecistis: & fortitan dicatis bello Punico occupatis nobis, coactos metu vos leges pacis ab eo qui tum plus poterat, accepisse. & nos cum alia maiora vrgerent, depositum à vobis bellum & ipsi omisimus. Nunc & nos deum benignitate Punico perfecto bello, totis viribus nostris in Macedoniam incubuimus: & vobis restituendi vos in amicitiam societatémque nostram fortuna oblata est: nisi perire cum Philippo, quàm vincere cum Romanis mauultis. Hæc dicta ab Romano cum essent, inclinatis omnium animis ad Romanos, Damocritus prætor Ætolorum, pecunia, vt fama est, ab rege accepta, nihil aut huic aut illi parti assensus, rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam quàm celeritatem dixit. celerem enim pœnitentiam, sed eandem seram atque inutilem sequi: cum præcipitata raptim consilia neque reuocari, neque in integrum restitui possint. deliberationis autem eius, cuius ipse maturitatem exspectandam putaret, tempus ita iam nunc statui posse, cum legibus cautum esset, ne de pace belloue, nisi in Panætolico & Pylaico concilio ageretur, decernerent extemplo, vt prætor sine fraude, cum de bello aut de pace agere velit, aduocet concilium: & quod tum referatur decernaturq. vt perinde ius ratumq. sit, ac si in Panætolico aut Pylaicò concilio actum esset. Dimissis ita suspensa re legatis, egregiè consultum genti aiebat. nam vtrius partis melior fortuna belli esset, ad eius societatem inclinaturos. Hæc in concilio Ætolorum acta. Philippus impigrè terra marique parabat bellum. nauales copias Demetriadé in Thessalia contrahebat. Attalum, Romanámq. classem principio veris ab Ægina ratus moturos: nauibus maritimæque oræ præfecit Heraclidem, quem & ante præfecerat. ipse terrestreis copias comparabat, magna se duo auxilia detraxisse Romanis credens. ex vna parte Ætolos, ex altera Dardanos faucibus ad Pelagoniã à filio Perseo interclusis. Ab Coss. non parabatur, sed gerebatur iam bellum, per Dassaretiorum fines exercitum ducebat, frumentum, quod ex hybernis extulerat integrum vehens, quod in vsum militi satis esset,

A præbentibus agris. oppida vicique partim voluntate, partim metu se tradebant. quędam vi expugnata: quædam deserta, in montes propinquos refugientibus barbaris, inueniebâtur. Ad Lingum statiua posuit prope flumen Beuum, inde frumentatum circa horrea Dassaretiorum mittebat. Philippus consternata quidem omnia circa pauorémque ingentem hominum cernebat: sed parum gnarus quam partem petisset Cos. alam equitum ad exploran- B dum, quonam hostes iter intendissent, misit. Idem error apud Cos. erat mouisse ex hybernis regem sciebat, quam regionem petisset ignorans, is quoque speculatum miserat equites. Hæ duæ alæ ex diuerso, cum diu incertis itineribus vagatæ per Dassaretios essent, tandem in vnum iter conuenerunt. neutros fefellit, vt fremitus procul hominum equorúmque exauditus est, hostes appropinquare. itaque priusquam in conspectum venirent, equos C armaque expedierant: nec mora, vbi primum hostem videre, concurrendi facta est. Forte & numero & virtute, vtpote lecti vtrinque haud impares, æquis viribus per aliquot horas pugnarunt: fatigatio ipsorum equorumque incerta victoria diremit prælium. Macedonum XL. equites, Romanorum quinque & XXX. ceciderunt. Neque eo magis explorati quicquam, in qua regione castra hostium essent, aut illi ad regem, aut hi ad cos. retulerũt, per trãsfugas cognitũ est: quos leuitas ingeniorũ ad cognoscẽ- D das hostiũ res in omnib. bellis præbet. Philippus aliquid & ad caritatẽ suorũ, & vt prõtius pro eo periculum adirẽt, ratus profecturum se, si equitum, qui ceciderant in expeditione, sepeliendorum curam habuisset: afferri eos in castra iussit, vt conspiceretur ab omnibus funeris honos. Nihil tam incertum, nec tam inęstimabile est, quã animi multitudinis. quod promtiores ad subeundam omnem dimicationem videbatur facturum, id metum pigritiamq. incussit. nam qui hastis sagittisque, & rara lanceis vulnera facta vidissent, cum Græcis Illyriisque pugnare as- E sueti: posteaquã gladio Hispaniensi detruncata corpora brachiis abscissis, aut tota ceruice desecta diuisa à corpore capita, patentiaque viscera, & fœditatẽ aliam vulnerum viderunt: aduersus quę tela, quósq. viros pugnandum esset, pauidi vulgo cẽrnebát. ipsũ quoq. regem terror cepit, nondum iusto prælio cum Romanis cõgressum. itaque reuocato filio præsidioque quod in Pelagoniæ faucibus erat: vt iis copiis suas augeret: Pleurato Dardanisque iter in Macedoniam patefecit. Ipse cum xx. millibus peditum qua- F tuor millibus equitum, ducibus transfugis ad hostẽ profectus, paulò plus ducentis passibus à castris Romanis tumulum propinquum Athaco fossa ac vallo cõmuniuit, ac subiecta cernens Romana castra, admiratus esse dicitur, & vniuersam speciem castrorum, & descripta suis quæque partibus, tum tendẽtium ordine, tum itinerum interuallis: & negassẽ barbarorum ea castra vlli videri posse. Biduum Cos. & rex, alter alterius conatus exspectantes, cõtinuere suos intra vallum. tertio die Romanus omnes co- G pias in aciem eduxit. Rex verò tam celerem aleam vniuersi certaminis timens, quadringẽtos Triballos (Illyriorum id, sicut alio diximus loco, est genus) & Cretenses CCC. addito iis peditib. pari numero equitum cũ duce Athenagora vno ex purpuratis, ad lacessendos hostium equites misit. Ab Romanis cũ aberat acies eorum paulo plus quingentos passus, velites & equitum duæ fermè alę emissę, vt numero quoque eques pedésq. hostem æquarent. Credidere regij genus pugnæ cui assueuerant, fore, vt equites inuicem insequentes refugientésque nũc telis vte-

rentur, nunc terga darent: Illyriorum velocitas ad excursiones, & impetus subitos vsui esset. Cretenses in inuehentem se effusè hostem sagittas cōiicerent. Turbauit hunc ordinem pugnandi non acrior, quā pertinacior impetus Romanorum. nam haud secus quàm si tota acie dimicarent, & velites emissis hastis comminus gladiis rem gerebāt. & equites, vt semel in hostem euecti sūt, stantib. equis, partim ex ipsis equis, partim desilientes immiscentésq. se peditibus pugnabant, ita nec eques regius equiti par erat, insuetus ad stabilem pugnam: nec pedes concursator B & vagus & propè seminudus genere armatorum veluti Romano parmam gladiumque habenti, paritérq. & ad se tuendum, & ad hostē petendum armato: non tulere itaq. dimicationem, nec alia re quā velocitate tutantes se in castra refugerunt. Vno deinde intermisso die, cum omnibus copiis equitum leuisque armaturæ pugnaturus rex esset: nocte cetratos, quos peltastas vocāt, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderāt: præceperatq. Athenagoræ & equitibus, vt si aperto prælio procederet res, vterentur fortuna: sin minus, cedēdo sensim ad insidiarum locum hostem pertraherent. & equitatus quidē cessit duces cetratæ cohortis. non satis exspectato signo ante tempus excitatis suis occasionem bene gerendę rei amisere. Romanus & aperto prælio victor, & tutus à fraude insidiarū, in castra sese recepit. Postero die omnib. copiis Cos. in aciem descendit, ante prima signa locatis elephantis. quo auxilio tum primum Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, vsi sunt. vbi latentem intra vallum sensit, exprobrās metum successit. Posteaquā ne tum quidem potestas pugnandi dabatur, quia ex tam propinquis statiuis parum tuta frumentatio erat, dispersos milites per agros equitibus extemplo inuasuris: octo fermè inde millia interuallo tutiorē frumentationem habiturus, castra ad Octolophum (id est loco nomē) mouit. Cum in propinquo agro frumentarentur Romani, primo rex intra vallum suos tenuit, vt cresceret simul & negligentia cum audacia hosti. vbi effusos vidit, cum omni equitatu & Cretensium auxiliaribus, quantum equitem velocissimi pedites cursu æquare poterant, citato profectus agmine, inter castra Romana & frumentatores constituit signa. inde copiis diuisis, partem ad consectandos vagos frumentatores emisit, dato signo, ne quem viuum relinquerent: cum parte ipse substitit: itineraque quibus ad castra recursuri videbāttur hostes, obsedit. Iam passim cædes ac fuga erat, nec dum quisquam in castra Romana nuntius cladis peruenerat: quia refugientes in regiam stationē incidebant: & plures ab obsidentibus vias, quàm ab emissis ad cædem interficiebantur. tandem inter medias hostium stationes elapsi quidam trepidi tumultum magis quàm certum nuntium intulerunt castris. Consul equitibus iussis, qua quisque posset, opem ferre laborantibus, ipse legiones è castris educit, & agmine quadrato ad hostem ducit. Dispersi equites per agros quidam aberrarunt, decepti clamoribus aliis ex alio exsistentibus loco pars obuios habuerunt hostes. pluribus locis simul pugna cœpit. Regia statio atrocissimum prælium edebat. Nam & ipsa multitudine equitum peditumque propè iusta acies erat: & Romanorum, quia medium obsederat iter, plurimi in eam inferebantur. Eò quoque superiores Macedones erant, quod & rex ipse hortator aderat: & Cretēsium auxiliares multos ex improuiso vulnerabant, conferti præparatique in dispersos & effusos pugnantes. Quod si modum in insequendo habuissent, non in præsentis modo certa-

A minis gloriam, sed in summum etiam belli profectum foret. nunc auiditate cædis intemperātius insecuti, in prægressas cum tribunis militum cohortes Romanas incidere. & fugiens eques vt primo signa suorum vidit, conuertit in effusum hostem equos: versaque momento temporis fortuna pugnæ est, terga dantibus qui modo secuti erant. multi comminus congressi, multi fugientes interfecti: nec ferro tantum periere, sed in paludes quidam coniecti, profundo limo cum ipsis equis hausti sunt. Rex quoque in periculo fuit. nam ruente saucio equo præceps ad terram datus, haud multum abfuit quin iacens opprimeretur, saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pauidúmque regem in equum subiecit. ipse cùm pedes æquare cursu fugientes non posset equites, ab hostibus ad casum regis concitatis confossus periit. Rex circumuectus paludes peruias inuiasque trepida fuga in castra tandem, iam desperantibus plerisque incolumen euasurum, peruenit. Ducenti Macedonum equites eo prælio periere, C centum fermè capti, LXXX. admodum ornati equi, spoliis simul armorum relatis, abducti. Fuerunt qui hoc die regem temeritatis, consulem segnitiæ accusarent. nam & Philippo quiescendum fuisse, cùm paucis diebus hostes exhausto circa omni agro ad vltimum inopiæ venturos sciret: & consulem, cùm equitatum hostium, leuémque armaturam fudisset, ac prope regem ipsum cepisset, protinus ad castra hostium ducere debuisse. nec enim māsuros ita perculsos hostes fuisse, debellarique momento temporis potuisse. Id dictu, quàm re, vt pleraque facilius. D nam si omnibus peditum quoq. copiis rex congressus fuisset, forsitan inter tumultum, cum omnes victi, metuq. perculsi ex prælio intra vallum, protinus inde superuadentem munimenta victorem hostem fugerent exui castris potuerit rex. cum verò integræ copiæ peditum in castris mansissent, stationes ante portas præsidiaque disposita essent: quid nisi vt temeritatem regis effusè paulo ante secuti perculsos equites imitaretur, profecisset? neque enim ne regis E quidem primum cōsilium, quo impetum in frumētatores palatos per agros fecit, reprehendendum foret, si modum prosperæ pugnæ imposuisset. Eo quoq. minus est mirum, tētasse eum fortunam, quod fama erat Pleuratum Dardanosque ingentibus copiis profectos domo, iam in Macedoniam transcendisse, quibus si vndique circumuentus copiis foret, sedētem Romanum debellaturū credi poterat. Itaq. secundum duas aduersas equestres pugnas multo minus tutam moram in iisdem statiuis fore Philippus F ratus, cum abire inde, & fallere abiens hostem vellet, caduceatorem sub occasum solis ad consulem misso, qui inducias ad sepeliendos equites peteret, frustratus hostem secūda vigilia, multis ignibus per tota castra relictis, silenti agmine abiit. Corpus iam curabat Cos. cum venisse caduceatorem, & quid venisset, nuntiatum est. Responso tantum dato, mane postero die fore copiam cōueniendi, id quod, quod quæsitum erat, nox, dieique insequenti pars ad præcipiendum iter Philippo data est. montes, quam viā G non ingressurum graui agmine Romanum sciebat, petit. Cos. prima luce caduceatore datis induciis dimisso, haud ita multo post abisse hostem cum sēsisset: ignarus, quā sequeretur, iisdem statiuis frumentando dies aliquot consumsit. Stuberā deinde petit, atque ex Pelagonia frumentum, quod in agris erat, conuexit. inde ad Pluuinam est progressus nondum comperto quam regionem hostes petissent. Philippus cum primo ad Bruannam statiua habuisset: profectus inde transuersis limitibus, terrorem præbuit

subi

subitum hosti. mouere itaq; ex Pluuina Romani, & A ad Osphagũ flumẽ posuerunt castra. Rex haud procul inde & ipse vallo super ripã amnis ducto (Erigonũ incolę vocant) consedit. inde satis comperto Eordæam petituros Romanos ad occupãdas angustias, ne superare hostes arctis faucib. inclusum aditũ possent, præcessit. ibi alia vallo, alia fossa, alia lapidum cõgerie, vt pro muro essẽt: alia arborib. obiectis, ita vt locus postulabat, aut materia suppeditabat, opere permuniit, atq. (vt ipse rebatur) viã suaptè natura difficilẽ obiectis per omnes trãsitus operib. B inexpugnabilẽ fecit. Erãt pleraq. syluestria circa incomoda phalãgi maximè Macedonum: quæ, nisi vbi prælongis hastis velut vallũ ante clypeos obiecit (quod vt fiat, libero cãpo opus est) nullius admodũ vsus est. Thracas quoq. rõpheæ, ingentis & ipsę longitudinis, inter obiectos vndiq. ramos impediebãt. Cretensiũ vna cohors nõ inutilis erat, sed ea quoq. ipsa, vt si quis impetũ faceret in patentẽ vulneri equum equitẽq. sagittas cõiicere poterat: ita aduersus scuta Romana nec ad traiiciendum satis magnã C vim habebat, nec aperti quicquam erat quod peteret. Itaque id vt vanũ teli genus senserunt esse: saxis passim tota valle iacentibus incessẽbãt hostẽ. ea maiore cum sonitu quàm vulnere vllo pulsatio scutorum parumper succedẽtes Romanos tenuit. Deinde iis quoq. spretis, partim testudine facta per aduersos vadunt hostes: partim breui circuitu cùm in iugum collis euasissent trepidos ex præsidiis stationibusq. Macedonas deturbant, & vt in locis impeditis difficile fuga, plerosq. etiã obtruncãt. ita angustię mino- D re certamine quã quod animis propoluerant, superatæ: & in Eordæã peruentũ: vbi peruastatis passim agris, in Elimeam se recepit. inde impetum in Orestidẽ fecit, & oppidum Celetrum est aggressus in peninsula situ. lacus mœnia cingit, angustis faucib. vnum ex cõtinẽti iter est. Primo situ ipso freti clausis portis imperium abnuere: deinde postquã signa ferri, ac testudine succedi ad portam, obsessasq. fauces agmine hostium viderunt: priusquam experirentur E certamen, metu in deditionem venerunt. Ab Celetro in Dassaretios processit, vrbẽmque Pelium vi cepit. seruitia inde cum cetera præda abduxit, & libera capita sine pretio dimisit, oppidumque iis reddidit, præsidio valido imposito. nam & sita opportunè vrbs erat ad impetus in Macedoniam faciendos. Ita peragratis hostium agris, consul in loca pacata ad Apolloniam, vnde orsus bellum erat, copias reduxit. Philippum auerterant Ætoli, & Athamanes, & Dardani, & tot bella repentè alia ex aliis locis ex- F orta. Aduersus Dardanos iam recipientes ex Macedonia sese, Athenagoram cum expeditis peditibus, ac maiore parte equitatus misit, iussum instare ab tergo abeuntibus, & carpendo postremum agmen, segniores eos ad mouendos domo exercitus efficere. Ætolos Damocritus prætor, qui moræ ad decernendum bellum ad Naupactum auctor fuerat: idẽ proximo concilio ad arma conciuerat, post famam equestris ad Octolophum pugnæ, Dardanorumq; & Pleurati cum Illyriis transitum in Macedoniam, ad hæc classis Romanæ aduentum in Oreum, & su- G per circumfusas tot Macedoniæ gentes maritimam quoque instantem obsidionem. Hæ caussæ Damocritum Ætolosque restituerant Romanis: & Aminandro rege Athamanum adiuncto profecti Cercinium obsedere. Clauserant portas, incertum vi an voluntate, quia regium habebant præsidium. ceterum intra paucos dies captum est Cercinium, atq. incensum. qui superfuerãt è magna clade, liberi seruiq. inter cetera prædã abducti. Is timor omnes qui circumcolunt Bœben paludẽ relictis vrbibus montes coegit petere. Ætoli inopia prædæ inde auersi in Perrœbiam ire pergunt, Cyretias ibi vi capiunt, fœdéq. diripiunt. qui Mallœam incolunt, voluntate in deditionẽ societatẽmq. accepti. Ex Perrœbia Gõphos petendi Aminander auctor erat (& imminet Athamaniæ huic vrbi, videbatúrque expugnari sine magno certamine posse) Ætoli campos Thessaliæ opimos ad prædam petiere: sequente, quamquã nõ probante Aminandro nec effusas populationes Ætolorum, nec castra quo sors tulisset loco, sine vllo discrimine ac cura muniẽdi posita. itaque ne temeritas eorum negligentiaque sibi ac suis etiam cladis alicuius caussa esset, cum cãpestribus locis subiicientes eos castra Phecado vrbi videret, ipse pauló plus quingentorũ passuum inde tumulũ suis quãuis leui munimento tutũ cepit. Cũ Ætoli, nisi quod populabantur, vix meminisse viderẽtur se in hostiũ agro esse, alij palati semiermes vagarẽtur, alij in castris sine stationibus per somnũ vinumq. dies noctibus æquarent, Philippus inopinãtibus aduenit. quẽ cum adesse refugiẽtes ex agris quidam pauidi nuntiassẽt, trepidare Damocritus, ceterique duces: & erat forte meridianum tempus, quo pleriq. graues cibo sopiti iacebant. excitare igitur alij alios, iubere arma capere, alios dimittere ad reuocandos, qui palati per agros prædabantur, tãtaque trepidatio fuit, vt sine gladiis quidam equitum exirent, loricas pleriq. non induerent. ita raptim educti cùm vniuersi sexcentorum ægrè simul equites peditésque numerũ explessent, incidunt in regium equitatum, numero, armis, animisq. præstãtẽ. itaq. primo impetu fusi, vix tentato certamine turpi fuga repetũt castra. cæsi captiq. quidã, quos equites ab agmine fugiẽtiũ interclusere. Philippus suis iam vallo appropinquãtibus receptui cani iussit. fatigatos enim equos virósque non tam prælio, quã itineris simul lõgitudine, simul præpropera celeritate habebat. itaq. turmatim equites, inuicémque manipulos leuis armaturæ aquatum ire & prãdere iubet, alios in statione armatos retinet, operiens agmẽ peditum tardius ductum propter grauitatem armorum. quod vbi aduenit, & ipsis imperatum, vt statutis signis, armisque ante se positis, raptim cibum caperent: binis, ternísve summum ex manipulis aquandi caussa missis: interim eques cum leui armatura paratus instructusq. stetit, si quid hostis moueret. Ætoli (iam enim & quæ per agros multitudo sparsa fuerat, receperat se in castra) vt defensuri munimẽta, circa portas vallúmque armatos disponunt, dum quietos hostes ipsi feroces ex tuto spectabant, postquam mota signa Macedonum sunt, & succedere ad vallum parati atque instructi cœpere: omnes repente relictis stationibus per auersam partem castrorum ad tumulum, ad castra Athamanum perfugiunt. multi in hac quoque tam trepida fuga capti cæsique sunt Ætolorum. Philippus si satis diei superesset, nõ dubius quin Athamanes quoque exui castris potuissent: die per prælium, deinde per direptionem castrorum absumto, sub tumulo in proxima planitie consedit, prima luce insequentis diei hostem aggressurus. Sed Ætoli eodem pauore, quo sua castra reliquerant, nocte proxima dispersi fugerunt. Maximè vsui fuit Aminander, quo duce Athamanes itinerum periti summis montibus per calles ignotos sequentibus eos hostibus in Ætoliam perduxerunt. non ita multos in dispersa fuga error intulit in Macedonum equites, quos luce prima Philippus, vt desertum tumulum vidit, ad carpendum hostium agmen misit. Per eos dies & Athenagoras regius præfectus Dar-

danos recipientes se in fines adeptus, postremum agmen primo turbauit. dein postea quam Dardani conuersis signis direxere aciem æqua pugna iusto prœlio erat. vbi rursus procedere Dardani cœpissent: equite & leui armatura regij, nullum talis auxilij genus habentes, Dardanos, oneratos immobilibus armis vexabant, & loca ipsa adiuuabant. Occisi perpauci sunt, plures vulnerati, captus nemo: quia non excedunt temere ordinibus suis, sed confertim & pugnant, & cedunt. Ita damna Romano accepta bello, duabus per opportunas expeditiones coercitis gentibus, restituerat Philippus incepto forti, non prospero solum euentu. Minuit deinde ei forte oblata res hostium Ætolorum numerum. Scopas princeps gentis ab Alexandria magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo missus, sex millia peditum, & equites mercede conductos Ægyptum auexit. nec ex iuuentute Ætolorum quemquam reliquisset, ni Damocritus nunc belli quod instaret, nũc futuræ solitudinis admonens (incertum cura gentis, an vt aduersaretur Scopæ, parum donis cultus) partẽ iuniorum castigando domi cõtinuisset. Hæc ea æstate ab Romanis Philippoq. gesta erát. Classis à Corcyra eiusdé principio æstatis cum L. Apustio legato profecta, Malea superata, circa Scyllæum agri Hermionici Attalo regi coniuncta est. Tum verò Atheniensiũ ciuitas, cui odio in Philippum per metum iam diu moderata erat, id omne in auxilij præsentis spem effundit. Nec vnquam ibi desunt linguæ promtæ ad plebem concitandam, quod genus cum in omnibus liberis ciuitatibus, tũ præcipuè Athenis, oratio plurimum pollet, fauore multitudinis alitur. Rogationem extemplo tulerunt, plebésque sciuit, vt Philippi statuæ, imagines omnes, nominaque earum, item maiorum eius virilis ac muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturque dies festi sacra, sacerdotes, quæ ipsius maiorúmve eius honoris caussa instituti essent, omnia profanarentur. loca quoque in quibus positum aliquid inscriptúmve honoris eius caussa fuisset, detestabilia esse: neq; in iis quicquam postea poni dedicarique placere eorum; quæ in loco puro poni dedicariq. fas esset, sacerdotes publicos, quotiescunq. pro populo Atheniensi sociisque, & exercitibus, & classibus eorum precarentur, toties detestari atq. exsecrari Philippũ, liberos eius, regnúmq. terrestres. naualésq. copias, Macedonũ genus omne, noménque. additumque decreto, si quis quid postea quod ad notam ignominiámq. Philippi pertineret, ferret, id omne populum Atheniensé iussurum: si quis contra ignominiam, próve honore eius dixisset, fecissétve, qui occidisset eum, iure cæsurũ. postremo inclusum, vt omnia quæ aduersus Pisistratidas decreta quondam erant, eadem in Philippo seruarentur. Athenienses quidem literis, verbisq. quibus solis valét, bellum aduersus Philippum gerebant Attalus Romanique cum Piræum primo ab Hermione petissent: paucos ibi morati dies, oneratique æquè immodicis ad honores sociorum, ac quæ in iram aduersus hostem fuerant, Atheniensium decretis, nauigant à Piræeo Andrum. & cum in portu quem Gauteleon vocant, constitissent, missis, qui tentarent oppidanorum animos si voluntate tradere vrbem, quàm vim experiri mallent: postquã præsidio regio arcem teneri, nec se potestatis suæ esse respondebát: expositis copiis, omnique apparatu vrbium expugnãdarum, diuersis partibus rex & legatus Romanus ad vrbé subeunt. Plus aliquanto Græcos Romana signa, armaque non ante visa, animique militum tam prõtè succedentium muro, terruere. itaque fuga extéplo in arcem facta est, vrbe hostes

A potiti. & in arce cum biduum loci magis quàm armorum fiducia tenuissent. tertio die pacti ipsi præsidiumq;, vt cum singulis vestimẽtis Delium Bœotiæ transueherẽtur. Ea ab Romanis regi Attalo cõcessa, prædam ornamentaque vrbis ipsi auexerunt. Attalus, ne desertá haberet insulá, & Macedonum ferè omnibus, & quibusdã Andriorũ vt manerent, persuasit. postea & ab Delio, qui ex pacto trãsuecti eò fuerát: promissis regis cũ desiderium quoq. patriæ facilius ad credendum inclinaret animos, reuocati. Ab Andro B Cythnum traiecerũt. ibi dies aliquot oppugnanda vrbe nequicquam absumti. & quia vix operæpretiũ erat, abscessere. Ad Prasias (continentis Atticæ is locus est) Issæorum xx. lébi Romanorum adiuncti sunt. ij missi ad populandos Carystiorũ agros, cetera classis Geræstum, nobilé Eubœæ portum, dum à Caristo Issæi redirent, tenuit. inde omnes velis in altum datis, maris medio præter Scyrum insulam Icum peruenere. ibi paucos dies sæuiente Borea retenti, vbi prima tranquillitas data est Sciathum traiecere vastatam vrbem, direptamque nuper à Philippo. C Per agros palati milites, frumentum, & si qua alia vsui esse ad vescendum poterant, ad naues retulere. prædę nec erat quicquam, nec meruerant Græci cur diriperentur. Inde Casandreá petentes primo ad Mendam, maritimum ciuitatis eius vicum, tenuere. inde cum superato promontorio ad ipsa mœnia vrbis circumagere classem vellent, sæua coorta tempestate propè obruti fluctibus, dispersi magna ex parte amissis armamentis in terram effugerunt. Omen quoque ea maritima tempestas ad rem terra gerendam fuit. D nã collectis in vnum nauibus, expositisque copiis aggressi vrbem cum multis vulneribus repulsi (& erat validum ibi regium præsidium) irrito incepto regressi Canastræum Pallenes traiecere. inde superato Toronæ promontorio, nauigantes Acanthũ petiere. ibi primo ager vastatus, deinde vrbs vi capta ac direpta. nec vltra progressi (iã enim & graues præda naues habebát) retro vnde venerát, Sciathũ, & ab Sciatho Eubœá repetiũt. Ibi relicta classe, decem nauibus expeditis sinum Maliacũ intrauere ad colloquendum E cum Ætolis de ratione gerendi belli. Sipyrrhicas Ætolus princeps legationis eius fuit, qui ad communicanda consilia Heracleam cum rege & cum Romano legato venit. Petitum ex fœdere ab Attalo est, vt mille milites præstaret. tátũ enim numerum bellum gerẽtibus aduersus Philippũ debebat. Id negatum Ætolis, quod illi quoque grauati prius essent ad populandam Macedoniam exire, quo tempore, Philippo circa Pergamum vrente sacra profanaque, abstrahere cũ inde respectu rerum suarum potuissent. F Ita Ætoli cum spe magis, Romanis omnia pollicẽtibus, quàm cum auxilio dimissi. Apustius cum Attalo ad classem rediit. Inde consultari de Oreo oppugnando cœptum. Valida ea ciuitas & mœnibus, & quia ante fuerat tentata, firmo erat præsidio. Coniunxerant se iis post expugnationẽ Andri cum præfecto Agesimbroto xx. Rhodiæ naues tectæ omnes. eam classem in stationem ad Zelatium misere G (Isthmiæ id super Demetriadem promontorium est peropportunè obiectum) vt si quid inde mouerent Macedonum naues, in præsidio essent. Heraclides præfectus regius classé ibi tenebat, magis per occasionem, si quam negligẽtia hostium dedisset, quàm aperta vi quicquam ausurus: Oreũ diuersi Romani & rex Attalus oppugnabát: Romani à maritima arce, regij aduersus vallé inter duas iacẽté arces, qua & muro intersepta vrbs est. & vt loca diuersa, sic dispari modo etiã oppugnabant: Romani testudinibus & vineis, & ariete admouendo,

muris,

muris, regij balistis, catapultisque, & alio omni genere tormentorum tela ingerentes, & pondere ingenti saxa iacebant, & cuniculos & quicquid aliud priore oppugnatione expertum profuerat. Ceterum nō plures tantum Macedones quàm ante tuebantur vrbem, sed etiam præsentioribus animis, & castigationibus regis in admissa culpa, & simul minarum, simul promissionum in futurum memores: ita vt parum in expugnatione celeri spei esset. Interim & aliud agi posse ratus legatus, relictis quod satis videbatur ad opera perficienda, traiicit in proxima continentis: Larissamque, non illam in Thessalia nobilem vrbem, sed alteram quam Cremasten vocant, subito aduentu, præter arcem, cepit. Attalus quoque Ægeleon, nihil minus quàm tale quicquam in alterius oppugnatione vrbis timentibus oppressit. Et iam cum opera in effectu erant circa Oreum, tum præsidium quod intus erat, labore assiduo, vigiliis diurnis pariter nocturnisque, & vulneribus confectum. muri quoque pars ariete incusso subruta, multis iam locis prociderat. pér quod apertum ruina iter nocte Romani, quodq. super portum est, in arcem perruperunt. Attalus luce prima, signo ex arce dato ab Romanis, & ipse vrbem inuasit, stratis magna ex parte muris: præsidiū, oppidanique in alteram arcem perfugere: vnde biduo post deditio facta, vrbs regi, captiua corpora Romanis cessere. Iam autumnale æquinoctium instabat: & est sinus Euboicus, quem Cœla vocant, suspectus nautis. itaque ante hyemales motus euadere cupientes, Piræeum, vnde profecti ad bellum erant, repetunt. Apustius triginta nauibus ibi relictis, super Maleam nauigat Corcyram. regem spatium initiorum Cereris, vt sacris interesset, tenuit. secundum initia & ipse in Asiam se recepit, Agesimbroto & Rhodiis domum remissis. Hæc ea æstate terra marique aduersus Philippum sociosque eius à Consule & legato Romanis, adiuuantibus rege Attalo & Rhodiis gesta. Consul alter C. Aurelius ad confectum bellum cum in prouinciam venisset, haud clam tulit iram aduersus prætorem, quod absente se rem gessisset. misso igitur eo in Hetruriam, ipse in agrum hostium legiones induxit: populandoque cum præda maiore quàm gloria bellum gessit. L. Furius, simul quod in Hetruria nihil erat rei quod gereret: simul Gallico triumpho imminens, quem absente consule irato atque inuidente facilius impetrari posse ratus, Romam inopinato cum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit, expositisque rebus gestis, vt triumphanti sibi in vrbem inuehi liceret, petit. Apud magnam partem senatus, & magnitudine rerum gestarum valebat, & gratia. maiores natu negabant triumphum: & quod alieno exercitu rem gessisset, & quod prouinciam reliquisset auiditate rapiendi per occasionem triumphi. id verò eum nullo exemplo fecisse. consulares præcipue exspectandum fuisse consulem dicebant, potuisse enim castris prope vrbem positis, tutanda colonia, ita vt acie non decerneret, in aduentum eius rem extrahere. & quod prætor non fecisset, senatui faciendum esse, consulem exspectarent. vbi coram disceptantes consulem & prætorem audissent verius de caussa existimaturos esse. Magna pars senatus nihil præter res gestas, & an in magistratu suisque auspiciis gessisset censebant spectare senatum debere. Ex duabus coloniis, quæ velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus oppositæ fuissent, cùm vna direpta & incensa esset, traiecturúmque id incendium velut ex continentibus tectis in alteram

A tam propinquam coloniam esset, quid tandem prætori faciendum fuisse. nam si sine consule geri nihil oportuerit, aut senatum peccasse, qui exercitum prætori dederit (potuisse enim, si non cum prætoris, sed consulis exercitu rem geri voluerit, ita finire S. C. ne per prætorem, sed per cōsulem gereretur) aut consulem, qui non cùm exercitum ex Hetruria trāsire in Galliam iussisset, ipse Arimini occurrerit, vt bello interesset, quod sine eo geri fas non esset.

B Non exspectare belli tempora moras & dilationes imperatorum & pugnandum esse interdum, non quia velis, sed quia hostis cogat: pugnam ipsam, euentumq. pugnę spectari oportere fusos cęsosq. hosteis: castra capta ac direpta, coloniam liberata obsidione: alterius coloniæ captiuos recuperatos, restitutosq. suis debellatū vno prælio esse. non homines tantum ea victoria lętatos, sed diis quoque immortalibus per triduū supplicationes habitas quod bene ac feliciter, non quod malè ac temerè respublica à L. Furio prætore gesta esset. data fato etiam quodā

C Furiæ genti Gallica bella. Huius generis orationib. ipsius amicorúmq. victa est prę̨sentis gratia prętoris absentis consulis maiestas: triumphúmque frequentes L. Furio decreuerunt. Triumphauit de Gallis in magistratu L. Furius prætor. In ærarium tulit trecenta viginti millia æris, argenti CLXX. millia pondo. neque captiui vlli ante currum ducti: neque spolia prælata, neq. milites secuti. omnia præter victoriam, penes consulem esse apparebat. Ludi deinde à P. Cornelio Scipione, quos consul in Africa

D vouerat, magno apparatu facti. Et de agris militum eius decretum, vt quot quisq. eorum annos in Hispania aut in Africa militasset, in singulos annos bina iugera acciperet, eum agrum decemuiri assignarent. Triumuiri inde creati ad supplendum Venusinis colonorum numerum, quod bello Annibalis attenuatæ vires eius colonię erāt: C. Terentius Varro, T. Quintius Flaminius, P. Cornelius Cn. F. Scipio ij colonos Venusiam adscripserunt. Eodem anno C. Cornelius Cethegus, qui proconsul Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum in agro Sede-

E tano fūdit. quindecim millia Hispanorum eo prælio dicuntur cæsa, signa militaria capta octo & LXX. C. Aurelius Cos. cùm ex prouincia Romam comitiorum caussa venisset, non id quod animis præceperat, questus est, non exspectatum se ab senatu, neque disceptandi cum prętore consuli potestatem factam: sed ita triumphum decreuisse senatum, vt nullius, nisi eius qui triumphaturus esset, haud eorū qui bello interfuissent, verba audiret. maiores ideo

F instituisse vt legati, Tr. mil. centuriones, milites deniq. triumpho adessent, vt veritas rerum gestarum eius, cui tantus honos haberetur, publicè videretur ecquem ex eo exercitu qui cum Gallis pugnauerit, si non militem, lixam saltem fuisse, quem percunctari posset senatus, quid veri prætor vanive referret? Comitiis deinde diem indixit, quibus creati sunt cōsules L. Cornelius Lentulus, P. Villius Tappulus. Prætores inde facti L. Quintius Flamininius, L. Valerius Flaccus, & L. Villi9 Tappulus, C. Bębius

G Pamphilus. Annona quoque eo anno peruilis fuit. frumenti vim magnam ex Africa aduectam ædiles curules M. Claudius Marcellus, & Sex. Ælius Pętus binis æris in modios populo diuiserunt: & ludos Romanos magno apparatu fecerunt: diem vnum instaurarunt: signa ænea quinque ex multaticio argento in ærario posuerunt. Plebeij ludi ab ædilibus L. Terentio Massaliota, & C. Bæbio Pamphilo, quē prętorē designauerant, ter toti instaurati. Et ludi funebres eo anno per quatriduū in foro mor-

tis M. Valerij Laeuini caussa à P. & M. filiis eius factis: & munus gladiatoriū datum ab iis. paria quinque & viginti pugnauerunt. M. Aurelius Cotta decemuir sacrorum mortuus: in eius locum M. Acilius Glabrio suffectus. Comitiis ædiles curules creati sūt forte ambo, qui statim accipere magistratum non possent. nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, cùm Hispaniam obtineret prouinciam: C. Valerius Flaccus, quē præsentem creauerant, quia flamē Dialis erat, iurare in leges nō poterat: magistratum aūt plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, nō licebat gerere. Petēte Flacco vt legibus solueretur, senatus decreuit, vt si ædilis qui pro se iuraret, arbitratu consulum daret: consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerēt, vti ad plebē ferrent. Datus qui iuraret pro fratre: L. Valerius Flaccus prætor designatus. tribuni ad plebem tulerunt, plebésque sciuit, vt perinde esset, ac si ipse ædilis iurasset. Et de altero ædile plebiscitum est factum, rogantibus tribunis, quos duos in Hispania cum imperio ad exercitus ire iuberent, vt C. Cornelius ædilis curulis ad magistratum gerendum veniret, & L. Manlius Acidinus decederet de prouincia multos post annos, plebes Cn. Cornelio Lentulo, & L. Stertinio proconsulibus imperium esse in Hispania iussit.

DECADIS QVARTAE
LIBER II.

CONsules prætorésque cum Idibus Martiis magistratum inissent, prouincias sortiti sunt. L. Lentulo Italia, P. Villio Macedonia: prætoribus, L. Quintio vrbana, C. Bæbio Ariminum, L. Valerio Sicilia, L. Villio Sardinia euenit. Lentulus Cos. nouas legiones scribere iussus: Villius à P. Sulpicio exercitum accipere in supplementum eius quātum militum videretur vt scriberet, ipsi permissum. Prætori Bæbio legiones, quas C. Aurelius cos. habuisset, ita decretæ, vt retineret eas, donec consul nouo cum exercitu succederet in Galliam: vbi is venisset, omnes milites exauctorati domum dimitterentur, præter quinque millia socium. his obtineri circa Ariminum prouinciam satis esse, prorogato imperio prætoribus prioris anni: Cn. Sergio, vt militibus qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, agrum assignandum curaret: Quinto Minutio, vt in Bruttiis idem de coniurationibus quæstiones, quas Prætor cum fide curaque exercuisset, perficeret: & eos quos sacrilegio compertos in vinculis Romam misisset, Locros mitteret ad supplicium: quæque sublata ex delubro Proserpinæ essent, reponenda cum piaculis curaret. Feriæ Latinæ pontificum decreto instauratæ sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, vt assolet, datam non esse. Ab Suessa nuntiatum est, duas portas, quódque inter eas muri erat, de cœlo tactum. & Formiani legati, ædem Iouis: item Ostienses, ædem Iouis: & Veliterni, Apollinis & Sangi ædes: & in Herculis æde capillum enatum. & ex Bruttiis ab Quinto Minutio proprætore scriptum, equuleum cum quinque pedibus, pullos gallinaceos tres cum ternis pedibus natos esse. inde à P. Sulpicio proconsule ex Macedonia literæ allatæ, in quibus inter cetera scriptum erat, lauream in puppi nauis longæ enatam. Prio-

A rum prodigiorum caussa senatus censuerat, vt consul maioribus hostiis quibus diis videretur, sacrificaret. ob hoc vnum prodigium aruspices in senatū vocati, atque ex responso eorum supplicatio populo in diem vnum edicta, & ad omnia puluinaria res diuinæ factæ. Carthaginienses eo anno argentum in stipendium impositum primum Romam aduexerunt. id quia probum non esse quæstores renunciauerant, experientibúsque pars quarta decocta erat, B pecunia Romæ mutua sumta, intertrimentum argenti suppleuerunt. Petentibus deinde, vt si iam videretur senatui, obsides sibi redderentur, centum redditi obsides. de ceteris, si in fide permanerent, spes facta. Petentibus iisdem, qui non reddebantur obsides, vt ab Norba, vbi parum commodè essent, aliò traducerentur, concessum vt Signiam & Ferentinum transirent. Gaditanis item petentibus remissum, ne præfectus Gadeis mitteretur, aduersus quod iis in fidem populi Romani venientibus cum L. Marcio Septimio conuenisset. Et Narniensium legatis querentibus ad numerum sibi colonos non C esse, & immistos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum caussa triumuiros creare L. Cornelius cos. iussus. creati P. & Sex. Aelij (Pætis fuit ambobus cognomen) & C. Cornelius Lentulus. Quod Narniensibus datum erat, vt colonorum numerus augeretur, id Cossani petentes non impetrauerunt. Rebus, quæ Romæ agendæ erant, perfectis, consules in prouincias profecti. P. Villium, in Macedoniam cum venisset, atrox sedi- D tio militum iam ante irritata, nec satis in principio cōpressa, excepit. II M. ea militum fuere, quę ex Africa post deuictum Annibalē in Siciliā, inde anno fere post in Macedoniam pro voluntariis transportata erant. id voluntate factum negabant ab tribunis recusantes in naues impositos, sed vtcunque seu inuita seu suscepta foret militia, & eam exhaustam, & finem aliquam militandi fieri æquum esse. multis annis sese Italiam non vidisse, consenuisse sub E armis in Sicilia, Africa, Macedonia: confectos iam se labore & opere, exsangues tot acceptis vulneribus esse. Consul caussam postulandæ missionis probabilem, si modestè peteretur, videri dixit, seditionis nec eam, nec vllam aliam satis iustam caussam esse. itaque si manere ad signa, & dicto parere velint, se de missione eorum ad senatum scripturum modestia facilius quàm pertinacia quod velint impetraturos. Thaumacos eo tempore Philippus summa vi oppugnabat aggeribus, vineisque: & iam arietem F muris admoturus erat. ceterum incœpto absistere eum coegit subitus Aetolorum aduētus, qui Archidamo duce inter custodias Macedonum mœnia ingressi, nec die nec nocte finem vllum erumpendi nunc in stationes, nunc in opera Macedonum faciebant. & adiuuabat eos natura ipsa loci. namque Thaumacis à Pylis, sinúque Maliaco per Lamiam eunti, loco alto siti sunt, ipsis faucibus imminentes, quam Cœlen vocant: Thessaliæq; trāseunti confragosa loca, implicatásque flexibus vallium vias. vbi G ventum ad hanc vrbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, vt subiectos cāpos terminare oculis haud facile queas. ab eo miraculo Thaumaci appellati. nec altitudine solum tuta vrbs, sed quod saxo vndique abscisso rupibus imposita est. Hæ difficultates, & quod haud satis dignū tanti laboris periculique pretium erat, vt absisteret incepto Philippus, effecerunt. hyems quoque iam instabat, cum inde abscessit, & in Macedoniam in hyberna copias reduxit. Ibi ceteris quidem data quantacunq. quietis temporis, simul animos, corpo-

rúque tenuerant: Philippum, quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque laxauerat animum, tãto magis intentum in vniuersum euentum belli curæ angunt. non hostes modo timentem, qui terra marique vrgebant, sed nunc sociorum, nunc etiam popularium animos, ne & illi ad spem amicitiæ Romanorum deficerent, & Macedonas ipsos cupido nouandi res caperet. itaque & in Achaiã legatos misit, simul qui iusiurandum (ita enim pepigerant, quotannis iuraturos in verba Philippi) exigerent. simul qui redderent Achæis Orchomenon, & Heræam & Triphyliã: Illis Alipheram contẽdentibus, nunquã eam vrbẽ fuisse ex Triphylia. sed sibi debere restitui: quia vna esset ex iis, quæ ad condendam Megalopolim ex concilio Arcadũ contributæ forent. Et cum Achæis quidem per hæc societatem firmabat. Macedonum animos sibi conciliauit cum Heraclide, nam cum eum maximæ inuidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratũ in vincula cõiecit, ingenti popularium gaudio. Bellum, si quãdo vnquã ante alias, cum magna cura apparauit, exercuitque in armis & Macedonas & mercenarios milites, principioque veris cũ Athenagora omnia externa auxilia, quodq; leuis armaturæ erat, in Chaoniam per Epirum ad occupandas, quæ ad Antigoneam fauces sunt, (Sthena vocant Græci) misit, ipse post paucis diebus grauiore secutus agmine, cum situm omnem regionis aspexisset: maximè idoneum ad muniendum locum credidit esse præter amnem Aoum. Is inter montes, quorum alterum Æropum, alterum Asnaum incolæ vocant, angusta valle fluit, iter exiguum super ripam præbens, Asnaum Athenagoram cum leui armatura tenere ac communire iussit. ipse in Æropo posuit castra. qua abscissæ rupes erant, statio paucorum armatorum tenebat. quæ minus tuta erant, alia fossis, alia vallis, alia turribus muniebat magna tormentorum etiã vis, vt missilib. procul arcerent hostem, idoneis locis disposita est. tabernaculum regium pro vallo in cõspectu maximè tumulo, vt terrorem hostib. suisque spem ex fiducia faceret, positum. Consul per Charopũ Epiroticum certior factus, quos saltus cũ exercitu insedisset rex, & ipse cum Corcyræ hybernasset, vere primo in continentem tralatus ad hostem ducere pergit. quinque millia ferme ab regiis castris cum abesset, loco munito relictis legionibus, ipse cum expeditis progressus ad speculanda loca, postero die consiliũ habuit, vtrum per insessum ab hoste saltum, quanquam labor ingens periculumque proponeretur, transitum tentaret: an eodem itinere, quo priore anno Sulpitius Macedoniam intrauerat, circunduceret copias. Hoc consilium per multos dies agitãti nuntius venit, T. Quintium consulem factum, sortitumque prouinciam Macedoniam, maturato itinere iam Corcyram traiecisse. Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequiuerit omnibus à rege insessis, secutum vallem, per quam mediam fertur Aous amnis: ponte raptim facto in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse: fusum fugatúmque regem, castris exutum XII. millia hostiũ eo prælio cæsa, capta duo millia & ducentos, & signa militaria centũ XXXII. equos CCXXX. ædẽ etiam Ioui in eo prælio vo:am, si res prosperè gesta esset. Ceteri Græci Latiniq. auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile à Villio actum, integrumque bellum insequentem consulem T. Quintium accepisse tradunt. Dum hæc in Macedonia geruntur, Consul alter L. Lentulus, qui Romæ substiterat, comitia censoribus creandis habuit. multis claris petenti-

A bus viris, creati censores P. Cornelius Scipio Africanus, & P. Ælius Pætus. Hi magna inter se concordia & senatum sine vllius nota legerunt: & portoria venalium Capuæ, Puteolisque item castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt: colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab senatu erat) adscripserunt, & sub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt. Sub idem tẽpus L. Mãlius Acidinus ex Hispa-
B nia decedens, prohibitus à M. Portio Lecca tribuno plebis, ne ouans rediret, cum à senatu impetrasset priuatus vrbem ingrediens MCC. pondo argenti, XXX. pondo fermè auri in ærarium tulit. Eodem anno C. Bæbius Pamphilus, qui ab C. Aurelio consule anni prioris prouinciam Galliam acceperat, temerè ingressus Gallorum Insubrium fines, prope cum toto exercitu est circumuentus. supra sex millia & sexcentos milites amisit. tanta ex eo bello,
C quod iam timeri desierat, clades accepta est. Ea res L. Lentulum consulẽ ab vrbe exciuit, qui vt in prouinciam venit plenam tumultus, trepido exercitu accepto, prætorem multis probris increpitum prouincia decedere, atque abire Romam iussit. neque ipse consul memorabile quicquam gessit, comitiorum caussa Romam reuocatus, quę ipsa per M. Fuluium & M. Curium tribunos plebis impediebãtur: quod T. Quintium Flaminium cõsulatum ex quæstura petere non patiebantur. Iam ædilitatem, præ-
D turamque fastidiri: nec per honorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tẽdere ad cõsulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare. Rex ex campestri certamine in senatũ venit. Patres censuerunt, qui honorem, quem sibi capere per leges liceret, peteret: in eo populo creandi quem velit, potestatem fieri æquum esse. In auctoritate patrum fuere tribuni. Creati Coss. Sex. Ælius Pætus & T. Quintius Flaminius. Inde prætorũ comitia habita. creati L. Cornelius Merula, M. Claudius Marcellus, M. Porcius Cato, C. Heluius, qui æ-
E diles plebis fuerant. Ab iis ludi plebeij instaurati, & epulum Iouis fuit ludorum caussa. Et ab ædilibus curulibus C. Valerio Flacco flamine Diali, & C. Cornelio Cethego ludi Rom. magno apparatu facti. Ser. Sulpitius, & L. Galba pontifices eo anno mortui sunt: in eorum locum M. Æmylius Lepidus, & Cn. Cornelius Scipio põtifices suffecti sunt. Sex. Ælius Pætus, T. Quintius Flaminius consules magistratu inito senatũ in Capitolio cum habuissent, decreuerunt Patres, vt prouincias Macedoniam at-
F que Italiam consules compararent inter se, sortirentúrve, vtri eorum Macedonia euenisset, in supplementũ legionum tria millia militum Romanorum scriberet, & CCC. equites: itẽ sociorum Latini nominis quinque millia peditum, quingentos equites alteri consuli nouus omnis exercitus decretus. L. Lentulo prioris anni consuli prorogatum imperiũ est: vetitusque aut ipse prouincia decedere prius, aut veterem exercitum deducere, quàm cum legionibus nouis consul venisset. Sortiti consules pro-
G uincias. Ælio Italia, Quintio Macedonia euenit. Prætores, L. Cornelius Merula vrbanã, M. Claudius Siciliam, M. Porcius Sardiniam, C. Heluius Galliam est sortitus. Delectus inde haberi est cœptus. nam præter consulares exercitus prætores quoque iussi scribere milites erant. Marcello in Siciliam quatuor millia peditũ socium Latini nominis, & CCC. equites Catoni in Sardiniam ex eodem genere militum tria millia peditum, CC. equites: ita vt hi prætores ambo cum in prouincias venissent, veteres dimitterent pedites equitésque. Attali deinde

regis legatos in senatū consules introduxerunt. Hi
regem classe sua, copiisq. omnibus terra mariq. Ro-
manam rē iuuare, quæque imperarēt Romani con-
sules, impigrè atque obedienter ad eam diem fecisse
cùm exposuissent: vereri dixerūt, ne id præstare ei per
Antiochum regem vltra non liceret. vacuū namque
præsidiis naualibus terrestribusq; regnū Attali An-
tiochum inuasisse. itaque Attalum orare P. C. si sua
classe suáq. opera vti ad Macedonicum bellum vel-
lent, mitterent ipsi præsidium ad regnum eius tu-
tandum: si id nollent ipsum ad sua defendenda cum
classe ac reliquis copiis redire paterētur. Senatus le-
gatis ita respōderi iussit, quod rex Attalus classe co-
piisq. aliis duces Romanos iuuisset, id gratū senatui
esse. auxilia nec ipsos missuros Attalo aduersus An-
tiochum socium & amicū populi Romani: nec At-
tali auxilia retenturos vltra quàm regi commodum
esset. Semper populum Romanum alienis rebus ar-
bitrio alieno vsum. & principium & finem in pote-
state ipsorum, qui ope sua velint adiutos Romanos,
esse. Legatos ad Antiochum missuros, qui nuntient,
Attali, nauiúmque eius & militum opera aduersus
Philippum communem hostem vti populum Ro-
manum. gratum eum facturum senatui, si regno At-
tali abstineat, belloque abstitat. æquum esse socios
& amicos populi Romani reges inter se quoque i-
psos pacem seruare. Consulem T. Quintium, ita ha-
bito delectu, vt eos ferè legeret, qui in Hispania aut
Africa meruissent spectatæ virtutis milites, prope-
rantem in prouinciam, prodigia nuntiata, atque eo-
rum procuratio Romæ retinuerunt. De cœlo tacta
erant via publica Veiis forū & ædes Iouis Lanuuij,
Herculis ædes Ardeæ, Capuæ murus, & turres, & æ-
des quæ Alba dicitur. cœlum ardere visū erat Arre-
tij. terra Velitris triū iugerum spatio cauerna ingēti
desederat. Suessæ Auruncæ nuntiabāt agnū cum duo-
bus capitibus natum, & Sinuessæ porcū humano ca-
pite. Eorum prodigiorum caussa supplicatio vnum
diem habita, & cōsules rebus diuinis operam dede-
rūt: placatisq. diis profecti in prouincias sunt. Ælius
cum C. Heluio prætore in Galliā, exercitumq. ab L.
Lentulo acceptum, quem demittere debebat, pretori
tradidit, ipse nouis legionib. quas secum adduxerat,
bellum gesturus: neque rei memorabilis rei quicquam
gessit. Et T. Quintius alter Cos. maturius, quā prio-
res soliti erant Coss. à Brundusio cùm transmisisset,
Corcyram tenuit cum octo millibus peditum, e-
quitibus octingentis à Corcyra in proxima Epiri
quinqueremi traiecit: & in castra Romana magnis
itineribus contendit. inde Villio dimisso paucos
moratus dies, dum se copiæ à Corcyra assequeren-
tur consilium habuit, vtrum recto itinere per castra
hostium viam facere conaretur: an ne tentata qui-
dem re tanti laboris ac periculi, per Dassaretios po-
tius Lyncumque tuto circuitu Macedoniam intra-
ret. vicissétque ea sententia, ni timuisset ne cùm
à mari longius recessisset, misso è manibus hoste,
si (quod antea fecerat) solitudinibus syluisque se tu-
tari rex voluisset, sine vllo effectu æstas extrahere-
tur. vtcunque esset igitur, illo ipso tam iniquo loco
aggredi hostem placuit. sed magis fieri id placebat,
quàm quomodo id fieret, satis expediebat: diésque
XL. sine vllo conatu sedentes in conspectu hostium
absumserant. inde spes data Philippo est per Epiro-
tarum gentem tentandæ pacis, habitoque concilio
delecti ad eam rem agendá Pausanias prætor & A-
lexander magister equitum consulem & regem, vbi
in artissimas ripas Aous coit amnis, in colloquiū adduxerunt. Sūma postulatorū consulis erat,
præsidia ex ciuitatib. rex deduceret. iis quorū agros

A vrbesque populatus esset, redderet res quæ compare-
rent: ceterorum æquo arbitrio æstimatio fieret. Phi-
lippus aliā aliarum ciuitatum conditionem esse re-
spondit. quas ipse cepisset, eas liberaturum. quæ sibi
traditæ à maiorib. essent, earum hereditaria ac iusta
possessione non excessurum. si quas quererentur bel-
li clades eæ ciuitates, cū quibus bellatum foret: ar-
bitrio quo vellēt populorum, cum quib. pax vtrisq;
fuisset, se vsurum. Consul nihil ad id quidē arbitrio
aut iudice opus esse dicere, cui enim non apparere,
B ab eo qui prior arma intulisset, iniuriam ortam? nec eo
Philippum ab vllis bello lacessitum, priorem vim o-
mnibus fecisse. Inde cum ageretur, quæ ciuitates li-
berandæ essent, Thessalos primos omnium nomi-
nauit cōsul. ad id verò adeo accensus indignatione
est rex, vt exclamaret: Quid victo grauius impera-
res T. Quinti? atque ita se ex colloquio proripuit. &
temperatum ægre est, quin missilibus, quia dirempti
medio amne fuerant, pugnam inter se consererent.
Postero die per excursiones ab stationibus primo in
C planitie satis ad id patenti multa leuia commissa præ-
lia sunt deindè recipiētibus se regiis in arcta & cō-
fragosa loca, auiditate accensi certaminis eo quoque
Romani penetrauere. pro his ordo, & militaris di-
sciplina, & genus armorum erat, aptum prælio & cer-
tibus: pro hoste loca, & catapultæ balistæque in o-
mnibus prope rupibus in muris dispositæ. multis
hinc atque illinc vulneribus acceptis, cum etiam
vt in prælio iusto aliquot cecidissent, nox pugnæ
finem fecit. Cum in hoc statu res esset, pastor
D quidam à Charopo principe Epirotarum missus
deducitur ad consulem. is se in eo saltu qui regiis
tunc oneratus castris erat, armentum pascere ait,
omnes montium eorum anfractus calléisque nosse.
si secum aliquot mittere velit, non iniquo nec per-
difficili aditu supra caput hostium deducturū. hæc
Charopus renuntiari iubet, ita crederet, vt suæ po-
tius omnia, quam illius potestatis essent. Cum ma-
gis vellet credere quàm auderet consul, mistúmque
gaudio ac metu animū gereret, auctoritate motus
E Charopi, experiri spem oblatam statuit. & vt auer-
teret rem à suspicione, biduo insequenti lacessere
hostem, dispositis ab omni parte copiis, succedenti-
busque integris in locum defessorum, non destitit.
quatuor millia inde lecta peditum, & CCC. equi-
tes tribuno militum tradit: equites, quoad loca pa-
tiātur, ducere iubet. vbi ad inuia equiti ventum sit,
in planitie aliqua locari equitatū. pedites quà dux
mōstraret viam, ire: vbi, vt polliceatur, super caput
hostium peruentum sit, fumo dare signum: nec ante
F clamorem tollere, quam ab se signo accepto pugnā
cœptam arbitrari posset. nocte itinera fieri iubet &
pernox forte luna erat) interdiu cibi quietisq. sume-
ret tēpus. ducem promissis ingentibus oneratum si
fides exstet, vinctum tamen tribuno tradidit his co-
piis ita dimissis, eo intentius Romanus vndiq. instar
capere stationes. Interim die tertio cum verticem,
quem petierant, Romani cepisse, ac tenere se fumo
significarent: tum vero trifariam diuisis copiis, con-
sul valle media cum militum robore succedit: cor-
G nūa dextra læuaq. admouet castris. nec segnius ho-
stes obuiam eunt. & dum auiditate certaminis pro-
uecti extra munitiones pugnant, haud paulo supe-
rior est Romanus miles & virtute & scientia & ar-
morum genere. Postēaquam multis vulneratis in-
terfectisq. recepere se regij in loca aut munimēto
aut natura tuta, vertetat periculum in Romanos,
temere in loca iniqua, nec faciles ad receptū angu-
stias progressos. neq. impunita temeritate inde rece-
pissent sese, ni clamor primum à tergo auditus, dein
pugna

pugnæ etiam cœpto amentes repentino terrore regem fecisset. Pars in fugam effusi sunt. pars quia magis locus fugæ deerat, quàm quod animi satis esset ad pugnam, cum substitissent, ab hoste & à fronte & à tergo vigente circumuenti sunt. Deleri totus exercitus potuit, si fugientes persecuti victores essent: sed equitem angustiæ locorumque asperitas, peditē armorum grauitas impedijt. Rex primo effuse ac sine respectu fugit. dein quinque millium spatiū progressus, cum ex iniquitate locorum, id quod erat, suspicatus esset, sequi non posse hostem, substitit in tumulo quodā, diuisitque suos per omnia iuga vallesque, qui palatos in vnum colligerent. Non plus ducentis millibus hominum amissis, cetera omnis multitudo velut signum aliquod secuta, in vnum cū conuenisset, frequenti agmine petunt Thessaliam. Romani quoad tutum fuit insecuti, cædentes, spoliantesque cæsos, castra regia, etiam sine defensorib. difficili aditu, diripiunt: atque ea nocte in suis castris manserunt. Postero die consul per ipsas angustias, qua se inter valles flumen insinuat, hostem sequitur. Rex primo die ad castra Pyrrhi peruenit. locum quem ita vocant, est in Triphylia terræ Melotidis. inde postero die ingenti itinere agminis (& metus vrgebat) in montem Lingon perrexit. Ipsi mōtes Epiri sunt, interiecti Macedoniæ, Tessaliæque: latus quod vergit in Thessaliam, oriens spectat, septētrio à Macedonia obiicitur. vestiti frequentibus syluis sunt, iuga summa campos patentes, aquásque perēnes habent. Ibi statiuis rex per aliquot dies habitis, fluctuatus animo est, vtrū protinus in regnum se reciperet, an reuerti in Thessaliā præstaret. inclinauit sentētia, fuū in Thessaliam agmen dimitteret. Triccamq; proximis limitib. petit: inde obuias vrbes raptim peragrauit homines qui sequi possent, sedibus excibat, oppida incendebat, rerū suarū, quas possent, ferendarū secū dominis ius fiebat. cetera militis prędą erat, nec quod ab hoste crudelius pati possent, reliqui quicquā fuit, quàm quæ ab sociis patiebantur. Hæc etiā facienti Philippo acerba erant, sed è terra mox futura hostiū corpora saltem eripere sociorum volebat. ita euastata sunt oppida, Phaciū, Iresiæ, Euhydrium, Eretria, Palæpharus Pheras cū peteret, exclusus, quia res egebat mora si expugnare vellet, nec tēpus erat: omisso incœpto, in Macedonia transcēdit. nā etiam Ætolos appropinquare fama erat, qui audito prælio, quod circa amnem Aoum factū erat, proximis prius euastatis circa Sperchias & Macram (quā vocant) Comen, trāsgressi inde in Thessaliā, Cymines & Angeas primo impetu potiti sunt. à Metropoli dū vastant agros, concursu oppidanorū ad tuenda mœnia facto, repulsi sunt. Callithera inde aggressi, similem impetum oppidanorum pertinacius sustinuerūt compulsisque intra mœnia qui eruperant, contenti ea victoria, quia spes nulla admodum expugnandi erat, abscesserunt. Theuma inde & Calathana vicos expugnant, diripiúntque. Acharras per deditionem receperunt. Xyniæ simili metu à cultoribus desertæ sunt. Hoc sedibus suis extorre agmen in præsidium incidit, quod Athamanum, quo tutior frumentatio esset, ducebatur. incōdita inermisque multitudo, mista imbelli turba, ab armatis cæsa est. Xyniæ desertæ diripiuntur. Cyphara inde Ætoli capiunt, opportunè Dolopiæ imminens castellum. Hæc raptim intra paucos dies ab Ætolis gesta. Nec Aminander atque Athamanes post famam prosperæ pugnę Romanorum quieuerunt. Cæterum Aminādcr quia suo militi parum fidebat, petito ab consule modico præsidio, cùm Gomphos peteret: oppidum protinus nomine Phecam, situm inter Gomphos, faucésque angustas, quæ ab Athamania Thessaliam dirimunt, vi cepit. inde Gōphos adortus, & per aliquot dies summa vi vrbem tuentes, cum scalas ad mœnia erexisset, eodem metu perpulit ad deditionem. Hæc deditio Gomphorum ingentē terrorem Thessalis intulit. dedidere deinceps sese, qui Argenta, qui Pherinum & Thimarū, & Lisinas, Stimonē, & Lampsum habēt, aliáque castella iuxta ignobilia. Dum Athamanes Ætolique summoto Macedonum metu, in aliena victoria suam prędā faciunt: Thessaliaq; à tribus simul exercitibus. incerta quem hostem, quémve socium crederet, vastatur: consul faucibus, quas fuga hostiū aperuerat, in regionem Epiri transgressus, etsi probè scit cui parti, Charopo principe excepto, Epirotæ fauissent: tamen quia ab satisfaciēdi quoq; cura imperata enixè facere videt: ex præsenti eos potius quā ex præterito æstimat habitu: & ipsa facilitate veniæ animos eorum in posterum conciliat. Missis deinde nuntiis Corcyram, vt onerariæ naues in sinum venirent Ambraciū: ipse progressus modicis itineribus, quarto die in monte Cercetio posuit castra, eodem Aminandro cū suis auxiliis accito, non tam virium eius egens, quàm vt duces in Thessaliam haberet. ab eodē consilio & plerique Epirotarum voluntarij inter auxilia accepti. Primam vrbium Thessaliæ Phaleriam est aggressus. duo millia Macedonum in pręsidio habebat: qui primo summa vi restiterūt, quantum arma, quantū mœnia tueri poterant. sed oppugnatio continua non die non nocte remissa, cum cōsul in eo verti crederet ceterorum Thessalorum animos, si primi vim Romanam non sustinuissent, vicit pertinaciam Macedonum. Capta Phaleria legati à Metropoli & à Piera dedentes vrbes venerunt. venia eisdē petentibus datur. Phaleria incensa ac direpta est. Inde Æginium petit. quem locum cū vel modico præsidio tutum, ac propè inexpugnabilem vidisset, paucis in stationē proximam telis cōiectis, ad Gomphorum regionem agmen vertit. digressúsque in cāpos Thessaliæ, cum iam omnia exercitui deessent, quia Epirotarū pepercerat agris: explorato ante, vtrum Leucadem, an sinum Ambracium onerariæ tenuissent, frumentatum Ambracium inuicē cohortes misit. & est iter à Gōphis Ambraciā sicut impeditū ac difficile, ita spatio perbreui. intra paucos itaq; dies, transuectis à mari commeatibus, repleta omni rerum copia sunt castra. Inde ad Rhagen est profectus. Decem fermè millia à Larissa abest, ex Perrœbia oriundi sunt: sita est vrbs super Peneum amnem. Nihil trepidauere Thessali ad primum aduentum Romanorum. Et Philippus sicut in Thessaliam ipse progredi non audebat, ita intra Tempe statiuis positis, vt quisque locus ab hoste tentabatur, pręsidia per occasiones summittebat. Sub idem ferè tempus quo consul aduersus Philippum primum in Epiri faucibus castra posuit: & L. Quintius frater consulis, cui classis cura, maritimæq; oræ imperium mandatū ab senatu erat, cum duabus quinqueremibus Corcyram trāsuectus: postquā profectam inde classem audiuit, nihil morandum ratus, cum ad Zammam insulā assecutus esset, dimisso L. Apustio, cui successerat: tardè inde ad Maleam trahendis plerumque remulco nauibus, quæ cum cōmeatu sequebantur, peruenit. A Malea, iussis ceteris quantum maximè possent maturatè sequi, ipse tribus quinqueremibus expeditis Piræeum præcepit, accepitque naues ibi relictas ab L. Apustio legato ad pręsidium Athenarum. Eodē tempore duæ ex Asia classes profectæ, vna cū Attalo rege (eæ quatuor & viginti quinqueremes erant) Rhodia altera xx. nauium tectarū Agesimbrotus pręerat. hę circa Andrum insulā classes coniunctæ, Eubœam

inde exiguo distantem freto, traiecerunt Carystiorũ primum agros vastarunt: deinde vbi Carystus præsidio à Chalcide raptim misso firmata visa est, ad Eretriam accesserunt. Eodem & L. Quintius cum iis nauibus, quæ Piræei fuerant, Attali regis aduentu audito venit, iussitque, vt quæ ex sua classe venissent naues, Euboeam peterent. Eretria summa vi oppugnabatur: nam & trium iunctarum classium naues omnis generis tormenta machinásque ad vrbium excidia secum portabant, & agri affatim materiæ præbebant ad noua molienda opera. Oppidani primo haud impigrè tuebantur mœnia: deinde fessi vulneratique aliquot, cum & muri partem euersam operibus hostium cernerent, ad deditionem inclinarunt. sed præsidium erat Macedonũ, quos non minus quá Romanos metuebant: & Philocles regius præfectus à Chalcide nũtios mittebat, se in tempore affuturũ, si sustinerent obsidionem. Hæc mista metu spes, vltra quá vellent aut quam possent, trahere eos tẽpus cogebat. deinde postea quam Philoclẽ repulsum, trepidantémque refugisse Chalcidem acceperunt: oratores extemplo ad Attalum, veniam fidémque eius petentes miserunt. Dum in spẽ pacis intenti segnius munera belli obeunt, & ea modo parte, qua muros dirutos erat, ceteris neglectis, stationes armatas opponũt: Quintius noctu ab ea parte, quæ minimè suspecta erat, impetu facto, scalis vrbem cepit. oppidanorum omnis multitudo cum coniugibus ac liberis in arcem cõfugit: deinde in deditionem venit. pecuniæ, aurique & argenti haud sanè multum fuit: signa, tabulæ priscæ artis, ornamentáque eius generis plura, quam pro vrbis magnitudine aut opibus ceteris inuenta. Carystus inde repetita. vnde, priusquá è nauibus copiæ exponerentur, omnis multitudo vrbe deserta in arcem cõfugit. inde ad fidem ab Romano petendam oratores mittunt. oppidanis extemplo vita ac libertas cõcessa est: Macedonibus treceni nũmi in capita statutum est pretium, & vt armis traditis abirẽt. hac summa redemti in Bœotiam inermes traiecti. Nauales copiæ, duabus claris vrbibus Eubœæ intra dies paucos captis, circumuectæ Sunium Atticæ terræ promõtorium, Cẽchreas Corinthiorum emporium petierunt. Consul interim omnium spe longiorem atrociorémque oppugnationem habuit: & ea, qua minimum credidisset, resistebant hostes. nam omnem laborem in muro diruendo crediderat fore: si aditum armatis in vrbem patefecisset, fugam inde, cædémque hostium fore, quare captis vrbibus fieri solet. ceterum postea quam parte muri arietibus decussa, per ipsas ruinas transcenderunt in vrbẽ armati, illud principium velut noui atque integri laboris fuit. nam Macedones qui in præsidio erant, & multi & delecti, gloriam etiam egregiam rati, si armis potius & virtute, quàm mœnibus vrbem tuerentur: cõferti pluribus introrsus ordinibus acie firmata, cum transcendere ruinas sensissent Romanos, per impeditum ac difficilem ad receptum locum expulerunt. Id cõsul ægrè passus, nec eam ignominiam ad vnius modo expugnandæ moram vrbis, sed ad summam vniuersi belli pertinere ratus, quod ex momentis paruarũ plerumque rerum penderet: purgato loco, qui strage semiruti muri cumulatus erat, turrim ingentis altitudinis, magnam vim armatorum multiplici tabulato portantem, promouit: & cohortes inuicem sub signis, quę cuneum Macedonũ (phalangem ipsi vocant) si possent, vi perrumperent, emittebat. Sed ad loca angusta, haud latè patente interuallo diruti muri, genus armorum pugnæque hosti aptius erat. vbi conferti hastas ingentis lõgitudinis præ se Macedones obiecissent, velut in constru-

A ctam densitate clypeorum testudinem Romani pilis nequicquam emissis, cum strinxissent gladios: neque congredi propius, neque præcidere hastas poterant. & si quam incidissent aut præfregissent, hastile fragmento ipso acuto, inter spicula integrarum hastarum velut vallum explebat. ad hoc & muri pars adhuc integra vtraque tuta præstabat latera: nec ex longo spatio aut cedendum, aut impetus faciendus erat: quæ res turbare ordines solet. accessit etiam fortuita res ad animos eorum firmandos. nam cũ turris

B per aggerem parum densati soli ageretur, rota vna in altiorem orbitam depressa, ita turrim inclinauit, vt speciem ruentis hostibus, trepidationémque insanam superstantibus armatis præbuerit. Cùm parum quicquam succederet, consul. minimè æquo animo comparationem militum generis armorumque fieri patiebatur: simul nec maturam expugnandi spem, nec rationem, procul à mari, & in euastatis belli cladibus locis hybernandi vllam cernebat. itaque relicta obsidione, quia nullus in tota Acarnaniæ atque

C Ætoliæ ora portus erat, qui simul & omnes onerarias quæ commeatum exercitui portabant, caperet: & tecta ad hybernandum legionibus præberet: Anticyra in Phocide in Corinthium versa sinum ad id opportunissimè sita visa: quia nec procul Thessalia, hostiúmque locis adibant: & ex aduerso Pelopõnesum exiguo maris spatio diuisam, ad tergo Ætoliam Acarnaniámque, ab lateribus Locridẽ ac Bœotiam habebant. Phocidis primo impetu Panopeá sine certamine cepit. Anticyra haud multũ in oppu-

D gnando prębuit morę, Ambrysus inde Hyampolisq; receptæ. Daulis, quia in tumulo excelso sita est: nec scalis nec operibus capi poterat. lacessendo missilib. eos qui in pręsidio erát, cum ad excursiones eliciussent: refugiendo inuicem, insequendoque & leuibus sine effectu certaminibus, eo negligẽtiæ & contemtus adduxerũt, vt cum refugientibus in portam permisti impetũ Romani facerent. & alia ignobilia castella Phocidis terrore magis quá armis in potestatẽ venerunt. Elatia clausit portas, nec nisi vi cogerétur,

E recepturi mœnibus videbantur, aut ducem aut exercitum Romanũ. Elatiam obsidenti consuli rei maioris spes affulsit, Achæorum gẽtem ab societate regia ad Romanam amicitiam auertẽdi, Cycliadem principem factionis ad Philippum trahentium res expulerant. Aristhenus, qui Romanis gentem iungi volebat, prætor erat. Classis Romana cum Attalo & Rhodiis Cenchreis stabat, parabántq; communi omnes consilio Corinthum oppugnare. Optimum igitur ratus est, priusquam eam rem aggrederentur, lega-

F tos ad gentem Achæorum mitti, pollicẽtes, si ab rege ad Romanos defecissent. Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium. Auctore cõsule legati à fratre eius L. Quintio, & Attalo, & Rhodiis, & Atheniensibus ad Achæos missi. Sicyone datum iis est consilium. Erat autem nõ admodum simplex habitus animorum inter Achæos. terrebat eos Lacedæmonius, grauis & assiduus hostis: horrebant Romana arma: Macedonum beneficiis & veteribus & recentibus obligati erant: regem ipsum suspe-

G ctum habebant: pro eius crudelitate perfidiaque ex iis quæ tum ad tempus faceret, æstimantes, grauiorẽ post bellum dominum futurum cernebant, neque solũ quid in senatu quisque ciuitatis suę, aut in communibus cõciliis gentis pro sententia dicerẽt, ignorabant: sed ne ipsis quidem secum cogitantibus, quid vellent, aut quid optarent, satis constabat. Ad homines ita incertos introductis legatis potestas dicendi facta est. Romanus primum legatus L. Calpurnius, deinde Attali regis legati, post eos Rhodij

disserue

disseruerant. Philippi deinde legatis dicendi potestas facta est. postremi Athenienses, vt refellerent A Macedonum dicta, auditi sunt. ij ferè atrocissimè in regem, quia nulli nec plura, nec tam acerba passi erant, inuecti sunt. Et illa quidem cōcio sub occasum solis, tot legatorum perpetuis orationibus die absumto, dimissa est. Postero die aduocatur concilium: vbi cum per præconem, sicut Græcis mos est, suadendi, si quis vellet, potestas à magistratibus facta esset: nec quisquam prodiret: diu silentium aliorum alios intuentium fuit. neque mirum, si quibus sua B sponte volutantibus res inter se pugnantes obtorpuerant quodammodo animi: eos orationes quoque insuper turbauerant, vtrinque quæ difficilia essent promendo, admonēdoque per totum diem habitæ. Tandem Aristhenus prætor Achæorum, ne tacitum concilium dimitteret: Vbi, inquit, illa certamina animorum Achæi sunt, quibus in conuiuiis & circulis, cum de Philippo & Romanis mentio incidit, vix manibus temperatis? nunc in concilio ad eam rem vnam indicto, cum legatorum vtrinque C verba audieritis, cum referant magistratus, cum præco ad suadendum vocet, obmutuistis. si non cura cōmunis salutis, ne studia quidem, quæ in hanc aut illam partem animos vestros inclinarunt, vocem cuiquam possunt exprimere? cum præsertim nemo tam hebes sit, qui ignorare possit, dicendi ac suadendi quod quisque aut velit aut optimum putet, nūc occasionem esse, priusquam quicquam decernamus: vbi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus ante displicuerit, pro bono atque vtili fœdere defendendum. Hæc adhortatio prætoris non modo D quemquam vnum elicuit ad suadendum: sed ne fremitum quidem, aut murmur concionis tantæ ex tot populis congregatæ, mouit. Tum Aristhenus prætor rursus: Non magis cōsilium vobis principes Achæorum deest, quàm lingua. sed suo quisque periculo in commune consultum nō vult. forsitā equo quoque tacerem, si priuatus essem. nunc prætor, aut non dandum concilium legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimittendos non esse: respondere autem nisi ex vestro decreto qui possum? & quando nemo E vestrum, qui in hoc cōcilium aduocati estis pro sententia quicquam dicere vult, aut audet: orationes legatorum hesterno die dictas pro sententiis percenseamus, perinde ac non postulauerint quæ è re sua essent, sed suaserint quæ nobis censerent vtilia esse. Romani Rhodiique & Attalus societatē amicitiamque nostram petunt, & in bello quod aduersus Philippum gerunt, se à nobis adiuuari æquum censent. Philippus societatis secum admonet, & iurisiurandi: & modo postulat, vt secum stemus, modo ne inter- F simus armis, contentum ait se esse. Nulline venit in mentem, cur qui nondum socij sunt, plus petunt, quàm socius? Non fit hoc neque modestia Philippi, neque impudentia Romanorum. Achæi portus & dant fiduciam postulantibus, & demunt. Philippi præter legatum videmus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat, vrbium Eubœæ spolia præ se ferens: consulem, legionésque eius exiguo maris spatio dis- G iunctas Phocidem ac Locridem peruagantes videmus. Miramini cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, vt pro rege arma caperemus aduersus Romanos, modo egerit? qui, si ex eodem fœdere ac iureiurādo, cuius nobis religionē iniiciebat, rogemus eum, vt nos Philippus & ab Nabide ac Lacedæmoniis, & ab Romanis defendat: non modo præsidium quo nos tueatur, sed ne quid respondeat quidem nobis sit inuenturus: non hercle magis quàm ipse Philippus priore anno, qui pollicendo se aduersus Nabidem bellum gesturum, cum tentasset nostram iuuentutem hinc in Eubœam extrahere: posteaquam nos neque decernere id sibi præsidium, neque velle illigari Romano bello vidit, oblitus societatis eius, quā nunc iactat, vastandos depopulandosque Nabidi ac Lacedæmoniis reliquit. Ac mihi quidem minimè conueniens inter se oratio Cleomedontis visa est. Eleuabat Romanum bellum euētumque eius eundem fore, qui prioris belli, quod cum Philippo gesserint, dicebat. Cur igitur nostrum ille auxilium absens petit potius, quam præsens nos veteres socios simul ab Nabide ac Romanis tueatur: nos dico? quid ita passus est Eretriam Carystúmque capi? quid ita tot Thessaliæ vrbes? quid ita Locridem, Phocidémque? quid ita nunc Elatiā oppugnari patitur? cur excessit faucibus Epiri, claustrisque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem, aut vi, aut metu, aut voluntate? relictoque quem insidebat saltu, penitus in regnum abiit? Si sua voluntate tot socios reliquit hostibus diripiendos, quid recusare potest, quin & socij sibi consulant? si metu, nobis quoque ignoscat timentibus. si victus armis cessit, Achæi nos arma Romana sustinebimus, Cleomedon, quæ vos Macedones non sustinuistis? An tibi potius credamus, Romanos non maioribus copiis, nec viribus nunc bellum gerere, quàm antea gesserint: potius quàm res ipsas intueamur? Ætolos tum classe adiuuerunt. nec duce cōsulari, nec exercitu bellum gesserunt. sociorum Philippi maritimæ vrbes in terrore ac tumultu erāt. mediterranea adeo tuta ab Romanis armis fuerunt, vt Philippus Ætolos nequicquam opē Romanorum implorantes depopularetur. nunc autem defuncti bello Punico Romani, quod per sexdecim annos velut intra viscera Italiæ tolerauerunt: nō præsidium Ætolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra marique simul Macedoniæ intulerunt tertius iam consul summa vi gerit bellum. Sulpicius in ipsa Macedonia congressus, fudit fugauitque regem, partem opulētissimam regni eius depopulatus. nunc Quintius tenentem claustra Epiri, natura loci, munimentis, exercitúque fretum, castris exuit: fugientem in Thessaliam persecutus, præsidia regia, sociásque eius vrbes propè in conspectu regis ipsius expugnauit. Ne sint vera quæ Atheniensis modo legati de crudelitate, auaritia, & libidine regis dixerunt: nihil ad nos pertineant quæ in terra Attica scelera in superos inferosque deos sint admissa: multo minus, quā quæ Elæuntij, Abydeniqu̇e, qui procul à nobis absunt, passi sunt: nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliuiscamur: cædes direptionesq. bonorum Messenæ in media Peloponeso factas, & hospitem Cyparissiæ Garitenem cōtra ius omne ac fas inter epulas prope ipsas occisum, & Aratum patrē filiumque Sicyonios, cum senem infelicem parentem etiam appellare solitus esset, interfectos: filij etiam vxorē libidinis caussa in Macedoniam asportatā: cetera stupra virginum matronarumque obliuioni dentur. ne sint cum Philippo res, cuius crudelitatis metu obmutuistis omnes (nā quæ alia tacēdi aduocatis in cōcilium caussa est) cum Antigono mitissimo ac iustissimo rege & de nobis omnibus optimè merito existimemus disceptationē esse: nū id postularet facere, nos, quod tū fieri nō posset? Peninsula est Peloponnesus, angustis Isthmi faucibus cōtinenti adhærens, nulli apertior atque opportunior quā nauali bello. si centum tectæ naues, & quinquaginta leuiores apertæ, & triginta Issaici lembi maritimam oram vastare, & expositas prope in ipsis littoribus vrbes cœperint oppugnare, in mediterraneas scilicet nos vrbes recipiemus? tanquam non intestino, & he-

sente in ipsis visceribus vtamur bello? cũ terra Na- A
bis & Lacedæmonij, mari Romana classis vrgebunt:
vnde regiam societatem, & præsidium Macedonum
implorem? an ipsi nostris armis ab hoste Romano
tutabimur vrbes quę oppugnabuntur? egregiè enim
Dymas priore bello sumus tutati. Satis exemplorum
nobis alienæ clades præbent, ne quæramus quem-
admodum ceteris exemplo simus. nolite, quia vltro
Romani petunt amicitiam, id quod optandum vo-
bis ac summa ope petendum erat, fastidire. metu e- B
nim videlicet compulsi in aliena terra. quia sub vm-
bra auxilij vestri latere volunt, in societatem ve-
stram confugiunt, vt portubus vestris recipiantur, vt
commeatibus vtantur. Mare in potestate habent:
terras quascunque adeunt, extemplo ditionis suę fa-
ciunt. quod rogant, cogere possunt. quia pepercisse
volunt, committere vos cur pereatis, non patiuntur.
Nam quod Cleomedon modo tanquam mediam &
tutissimam vobis viam consilij, vt quiesceretis, absti-
neretisque armis ostendebat: ea non media, sed nulla
via est. Etenim præterquam quod aut accipienda, aut C
aspernanda vobis Romana societas est: quid aliud
quàm nusquam gratia stabili, velut qui euentum ex-
spectauerimus, vt fortunæ applicaremus nostra con-
silia: præda victoris erimus? Nolite, si quod omni-
bus votis petendum erat, vltro offertur, fastidire.
non quemadmodum hodie vtrunque vobis licet, sic
semper liciturum est. nec sæpe, nec diu eadem occa-
sio erit. Liberare vos à Philippo iam diu magis vo-
tis quam armis audetis. sine vestro labore & pericu-
lo, qui vos in libertatem vindicarent, cum magnis D
classibus exercitibúsque mare traiecerunt. hos si so-
cios aspernamini, vix sanæ mentis estis. sed aut so-
cios, aut hostes habeatis oportet. Secundùm oratio-
nem prætoris murmur ortum aliorum cum assensu,
aliorum inclementer assentientes increpantium: &
iam non singuli tantum, sed populi vniuersi inter se
altercabantur: tum inter magistratus gentis (De-
miurgos vocant, decem numero creantur) certamen
nihilo segnius quàm inter multitudinem esse. quin- E
que relaturos se de societate Romana aiebant, suf-
fragiúmque daturos quinque lege cautum testaban-
tur, ne quid quod aduersus Philippi societatem es-
set, aut referre magistratibus, aut decernere conci-
lio ius esset. Hic quoque dies iurgiis est consumtus.
Supererat vnus iusti concilij dies (tertio enim lex
iubebat decretum fieri) in quem adeo exarsere stu-
dia, vt vix parentes à liberis temperauerint. Rhisia-
sus Pellenensis erat, filium Demiurgum nomine
Memnonem habebat, partis eius quę decretum reci- F
tari, perrogarique sentẽtias prohibebat. is diu obte-
status filium, vt consulere Achæos communi saluti
pateretur: neu pertinacia sua gentem vniuersam per-
ditum iret: posteaquam parum proficiebant preces,
iuratus se cum sua manu interemturum, nec pro fi-
lio, sed pro hoste habiturum: minis peruicit, vt po-
stero die coniungeret iis se qui referebant. qui cum
plures facti referrẽt, omnibus ferè populis haud du-
biè approbantibus relationem, ac præ se ferentibus
quid decreturi essent: Dymæi, ac Megalopolitani, &
quidam Argiuorum, priusquam decretum fieret, G
consurrexerunt, ac reliquerunt cõcilium: neque mi-
rante vllo neque improbante. Nam Megalopolita-
nos auorum memoria pulsos ab Lacedæmoniis re-
stituerat in patriam Antigonus. & Dymæis captis
nuper, direptisque ab exercitu Romano, cum redi-
mi eos vbicumque seruirent, Philippus iussisset: non
libertatem modo, sed etiam patriam reddiderat. iam
Argiui præterquam quod Macedonum reges ab se
oriundos credunt, priuatis etiã hospitiis, familiariq;
amicitia plerique illigati Philippo erant. ob hæc cõ-
cilio, quod inclinauerat ad Romanam societatem
ineundam, excesserunt. veniaque iis huius secessio-
nis fuit, & magis & recentibus obligatis beneficiis.
Ceteri populi Achæorum cum sententiæ perroga-
rentur, societatem cum Attalo ac Rhodiis præsen-
ti decreto confirmarunt: cum Romanis, quia iniussu
populi non poterat rata esse, in id tempus, quo
Romam mitti legati possent, dilata est. in præsentia
tres legatos ad L. Quintium mitti placuit, & exerci-
tum omnem Achæorum ad Corinthum admoueri,
captis Cenchreis, iam vrbem ipsam Quintio oppu-
gnante. Et ij quidẽ è regione portæ, quæ fert Sicyo-
nem, posuerunt castra. Romani ad Cenchreas versam
partem vrbis, Attalus traducto per Isthmum exerci-
tum, ab Lechæo alterius maris portu, oppugnabant
primo segnius, sperantes seditionem intus fore inter
oppidanos ac regium præsidium. Posteaquam vno
animo omnes, & Macedones tanquam communem
patriam tuebantur, & Corinthij ducem præsidij An-
drosthenem haud secus quam ciuẽ, & suffragio cre-
atum suo imperio iusto patiebantur: omnis inde spes
pugnantibus in vi & armis & operibus erat: vndi-
que aggeres haud facili aditu ad mœnia admouebã-
tur. Aries ex ea parte, quam Romani oppugnabant
aliquãtum muri diruerat. in quem locum quia nu-
datus munimento erat, protegendum armis cùm
Macedones concurrissent: atrox prælium inter eos
ac Romanos ortum est. ac primo multitudine facilè
expellebantur Romani, assumtis deinde Achæorum
Attalique auxiliis, æquabant certamen: nec dubium
erat, quin Macedonas Græcósque facilè loco pulsuri
fuerint. Transfugarum Italicorum magna multitu-
do erat: pars ex Annibalis exercitu metu pœnæ à
Romanis Philippum secuti: pars nauales socij reli-
ctis nuper classibus ad spem honoratioris militiæ
transgressi. hos desperata salus si Romani vicissent
ad rabiem magis quàm audaciam accendebat. Pro-
montorium est aduersus Sicyonem Iunonis, quã vo-
cant Acræam, in altum excurrens: traiectus indẽ Co-
rinthum, septem millia fermè passuum. eo Philocles
regius & ipse præfectus, mille & quingentos milites
per Bœotiam duxit. præsto fuere à Corintho lembi,
qui præsidium id acceptũ Lechæum traiicerent. Au-
ctor erat Attalus incensis operibus omittendæ extẽ-
plo oppugnationis pertinacius Quintius in incœpto
perstabat. is quoque, vt pro omnibus portis disposita
vidit præsidia regia, nec facilè erumpentium impe-
tus sustineri posse, in Attali sententiam concessit. ita
irrito incœpto dimissis Achęis reditum ad naues est.
Attalus Piræeum, Romani Corcyram petierunt.
Dum hæc à nauali exercitu geruntur, Cos. in Phoci-
de ad Elatiam castris positis, primo colloquiis rem
per principes Elatensium tentauit: posteaquam ni-
hil esse in manu sua, & plures validioresque esse re-
gios quàm oppidanos respondebatur tum simul ab
omni parte operibus armisque vrbem est aggressus.
Ariete admoto quantum inter turres muri erat pro-
rutum, cum ingenti fragore ac strepitu nudasset vr-
bem: simul & cohors Romana per apertum recenti
strage iter inuasit: & ex omnibus oppidi partibus,
relictis suis quisque stationibus, in eum, qui preme-
batur impetu hostium, locum concurrerunt. Eodem
tempore Romani & ruinas muri superuadebant: &
scalas ad stantia mœnia inferebant, & dum in vnam
partem oculos animosque hostium certamen auer-
terat: pluribus locis scalis capitur murus, armatique
in vrbem transcenderunt. Quo tumultu audito ter-
riti hostes, relicto quem conferti tuebantur loco, in
arcẽ omnes metu, inermi quoq; sequẽte turba, con-
fugerunt.

fugerunt. ita vrbe potitur Cos. qua direpta, missis in arcem, qui vitam regiis, si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fidéque in hæc data, post paucos dies arcem recipit. Ceterum aduentu in Achaiam Philoclis regij præfecti non Corinthus tantum liberata obsidione, sed Argiuorum quoque ciuitas per quosdam principes Philocli prodita est, tentatis prius animis plebis. Mos erat, comitiorum die primo, velut ominis caussa, prætores pronuntiare Iouem Apollinémque & Herculem. additum legi erat, vt iis Philippus rex adiiceretur. cuius nomen, post pactam cum Romanis societatem quia præco non adiecit, fremitus primo multitudinis ortus, deinde clamor subiicientium Philippi nomen, iubentiumque legitimum honorem vsurpare, donec cum ingenti assensu nomen recitatum est. Huius fiducia fauoris Philocles accersitus nocte, occupat collem imminentem vrbi (Larissam eam arcem vocát) positóque ibi præsidio, cú lucis principio signis infestis ad subiectum arci forum vaderet, instructa acies ex aduerso occurrit. præsidium erat Achæorum nuper impositum, quingenti fere iuuenes delecti omnium ciuitatum. Ænesidemus Dymæus præerat. Ad hortator à præfecto regio missus, qui excedere vrbe iuberet (neque enim pares eos oppidanis solis, qui idé quod Macedones sentirent, nedum adiunctis Macedonibus esse: quos ne Romani quidem ad Corinthum sustinuissent) primo nihil nec ducem, nec illos mouit. Post paulo vt Argiuos quoque armatos e parte altera venientes magno agmine viderunt: certam perniciem cernentes, omnem tamen casum, si pertinacior dux fuisset, videbantur subituri. Ænesidemus, ne flos Achæorum iuuentutis simul cú vrbe amitteretur: pactus cú Philocle vt abire illis liceret, ipse quo loco steterat, armatus cum paucis cliétibus non excessit. missus à Philocle qui quæreret, quid sibi vellet? nihil fatus tátúmodo cú proiecto pre se clypeo staret: in præsidio creditæ vrbis moriturum se armatum respondit. tum iussu præfecti à Thracibus coniecta tela, interfectique omnes. Et post pactam inter Achæos & Romanos societatem duæ nobilissimæ ciuitates, Argi & Corinthus, in potestate regis erát. Hæc ab Romanis ea æstate in Græcia terra marique gesta. In Gallia nihil sané memorabile ab Sex. Ælio Cos. gestum. cùm duos exercitus in prouincia habuisset: vnú retentum, quem dimitti oportebat: cui L. Cornelius Procos. præfuerat (ipse ei C. Æliú prætorem præfecit) alterum, quem in prouinciam adduxit: totum prope annum Cremonensibus Placentinisque cogendis redire in colonias, vnde belli casibus dissipati erant, consumsit. Quemadmodú Gallia præter spem quieta eo annó fuit: ita circa vrbem seruilis prope tumultus excitatus est. Obsides Carthaginiensium Setiæ custodiebantur: cum iis, vt principum liberis, magna vis seruorum erat, augebant eorum numerum, vt ab recenti Africo bello, & ab ipsis Setinis captiua aliquot nationis eius ex præda emta mancipia. Cum coniurationem fecissent, missis ex eo numero, qui in Setino agro, deinde circa Norbá & Circeios seruitia solicitarent: Satis iam omnibus præparatis ludis, qui Setiæ propediem futuri erant, spectaculo intentum populum aggredi statuerant. Setia per ædem & repentinum tumultum capta, Norbam & Circeios occupare. Huius rei tam fœdæ indicium Romam ad L. Cornelium Lentulum prætorem vrb. delatum est. Serui duo ante lucem ad eú venerunt, atque ordine omnia quę acta futuraque erant, exposuerunt. quibus domi custodiri iussis, prætor senatu vocato, edoctóque, quæ indices afferrent, proficisci ad eam coniurationem quærendam atque

A opprimendá iussus. cum quinque legatis profectus obuios in agris sacramento rogatos arma capere, & sequi cogebat. Hoc tumultuario delecti duobus millibus ferme hominum armatis, Setiam, omnibus quo pergeret ignaris, venit. ibi raptim principibus cóiurationis comprehensis, fuga seruorum ex oppido facta est. dimissi deinde per agros qui vestigarent. Egregia duorum opera seruorum indicum, & vnius liberi fuit. ei centum millia grauis
B æris dari patres iusserunt. seruis vicena quina millia æris, & libertatem. pretium eorum ex ærario solutum est dominis. Haud ita multo post ex eiusdem coniurationis reliquiis nuntiatum est seruitia Præneste occupatura. Eó L. Cornelius prætor profectus, de quingentis fere hominibus, qui in ea noxa erant, supplicium sumsit. In timore ciuitas fuit, obsides captiuosque Pœnorum ea moliri. itaque & Romæ vigiliæ per vicos seruatæ: iussique circumire eas minores magistratus: & triumuiri carceris lautumiarum intentiorem custodiam habere iussi. & circa nomen
C Latinum à prætore literæ missæ vt & obsides in priuato seruarentur, neque in publicum prodeundi facultas daretur: & captiui ne minus decem pondo compedibus vincti in nulla alia quàm in carceris publici custodia essent. Eodem anno legati ab rege Attalo coronam auream CCXLVI. pondo in Capitolio posuerunt: gratiásque senatui egerunt, quod Antiochus, legatorum Romanorum auctoritate motus, finibus Attali exercitum deduxisset. Eadem ęstate equites ducenti, & elephanti decem, & tritici mo-
D dium ducenta millia ab rege Masanissa ad exercitú, qui in Græcia erat, peruenerunt. Item ex Sicilia Sardiniaque magni commeatus, & vestiméta exercitui missa. Siciliam M. Marcellus, Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat, sanctus & innocens, asperior tamen in fœnore coercendo habitus. fugatique ex insula fœneratores, & sumtus, quos in cultum prætorú socij facere soliti erant, circumcisi, aut sublati. Sex. Ælius Cos. ex Gallia comitiorum caussa Romam cum rediisset, creauit Coss. Cn. Cornelium Cethegum, &
E Q. Minutium Rufum. Biduo post prætorum comitia habita. Sex prætores illo anno primú creati, crescentibus iam prouinciis, & latius patescente imperio. creati autem hi, L. Manlius Volso, Cn. Sempronius Tuditanus, M. Sergius Silus, M. Heluius, M. Minutius Rufus, L. Acilius. Sempronius & Heluius ex iis ædiles plebis erant. ædiles curules Q. Minutius Thermus, & T. Sempronius Longus. Ludi Romani eo anno quater instaurati. Cn. Cornelio, & Q. Minutio Coss. omnium primum de prouinciis consulum prę-
F torumque actum. prius de prætoribus transacta res, quæ transigi sorte poterat. vrbana Sergio, peregrina iurisdictio Minutió obtigit. Sardiniam Acilius, Siciliam Manlius, Hispaniam Sempronius citerioré, Heluius vlteriorem est sortitus. Consulibus Italiam Macedoniamque sortiri parantibus, L. Oppius & Q. Fuluius tribuni plebis impedimento erant, quod longinqua prouincia Macedonia esset: neque vlla alia res maius bello impedimentum ad eam dié fuisset, quàm quod vixdum incoatis rebus, in ipso
G conatu gerendi belli prior Cos. reuocaretur. Quartum iam annum esse ab decreto Macedonico bello, quærendo regem & exercitum eius, Sulpicium maiorem partem anni absumsisse. Villium congredientem cum hoste re infecta reuocatum. Quintium rebus diuinis Romæ maiorem partem anni retentum, ita gessisse tamen res, vt si aut maturius in prouinciam venisset, aut hyems magis sera fuisset, potuerit debellare. nunc prope in hyberna profectum ita comparari dici bellum, vt nisi successor impe-

diat, perfecturus æstate proxima videatur. His orationibus peruicerunt, vt consules in senatus auctoritate fore dicerent se, si idem tribuni facerent. Permittentibus vtrisque liberam consultationem, patres consulibus ambobus Italiam prouinciam decreuerunt. T. Quintio prorogarunt imperium, donec successor ei venisset. Consulibus binæ legiones decretæ, & vt bellum cum Gallis Cisalpinis, qui defecissent à populo Romano, gererent. Quintio in Macedoniam supplementum decretum peditum quinque millia, & CCC. equites, & sociorum naualium tria millia. Præesse id m, qui præerat, classi L. Quintius Flaminius iussus. Prætoribus in Hispanias octona millia peditum socium ac Latini nominis data: & quadringenti equites, vt dimitterent veterem ex Hispanis militem, & terminare iussi, qua vlterior citeriórve prouincia seruaretur. Macedoniæ legatos P. Sulpitium, & P. Villium, qui Coss. in ea prouincia fuerant, adiecerunt. Prius quàm Coss. Prætorésq. in prouincias proficiscerentur, prodigia procurari placuit, quod ædes Vulcani Summaniq. Romæ, quod & Fregellis murus, & porta de cœlo tacta erat: & Frusinone inter noctem lux orta: & Æsculapo agnus biceps cum quinque pedibus natus: & Formiis duo lupi oppidum ingressi, obuios aliquot laniauerant: Romæ non in vrbem solum, sed in Capitolium penetrauerat lupus. C. Acilius Trib. pl. bs tulit, vt quinque colonias in oram maritimam deducerétur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Linternique, vna Puteolos, vna ad castrum Salerni. his Buxentum adiectum. trecenæ familiæ in singulas colonias iubebantur mitti. triumuiri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati, M. Seruilius Geminus, Q. Minutius Thermus, T. Sempronius Longus. Delectu rebusque aliis diuinis humanisque, quæ per ipsos agendæ erat, perfectis, Coss. ambo in Galliam profecti. Cornelius recta ad Insubres via, qui tum in armis erant, Cenomanis assumptis: Q. Minutius in læua Italiæ ad inferum mare flexit iter: Genuámque exercitu abducto, ab Liguribus orsus est bellum. Oppida Clastidium & Litubium, vtraque Ligurum, & duæ gentis eiusdem ciuitates, Celelates, Cerdiciatésque sese dediderunt. Et iam omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Iluates Ligurum, sub ditione erant. quindecim oppida, hominum viginti millia esse dicebantur, quæ se dediderant. inde in agrum Boiorum legiones duxit. Boiorum exercitus haud ita multo ante traiecerat Padum, iunxeratque se Insubribus & Cenomanis: quod ita acceperant, coniunctis legionibus Coss. rem gesturos, vt & ipsi collatas in vnum vires firmarent. Postquam fama accidit, alterum Cos. Boiorum vrere agros: seditio extemplo orta est. postulari Boij, vt laborantibus opé vniuersi ferrent. Insubres negare se sua deserturos, ita diuisæ copiæ: Boiisque in agrum suum tutandum profectis, Insubres cum Cenomanis super amnis Mincij ripas consederunt. Infra eum locum quinque millia passuum & Cos. Cornelius eidem flumini castra applicuit. inde mittendo in vicos Cænomanorum, Brixiámque, quę caput gentis erat, vt satis comperit, nó ex auctoritate seniorum iuuentutem in armis esse, nec publico consilio Insubrium defectioni Cænomanos se adiunxisse: excitis ad se principibus, id agere ac moliri cœpit, vt desciscerent ab Insubribus Cænomani, & signis sublatis aut domos redirent, aut ad Romanos transirent. & id quidem impetrari nequiit. in id data fides Cos. est, vt in acie aut quiescerent, aut si qua etiam occasio fuisset, adiuuarent Romanos. Hęc ita conuenisse Insubres ignorabant: suberat tamé quædam suspicio animis, labari fidem sociorum. Itaque cum in aciem eduxissent, neutrum A iis cornu committere ausi, ne si dolo cessissent, rem totam inclinarent: post signa in subsidiis eos locauerunt. Cos. principio pugnæ vouit ædem Sospitæ Iunoni, si eo die hostes fusi fugatique essent: à militibus clamor sublatus, compotem voti Cos. se facturos, & impetus in hostes est factus. non tulerunt Insubres primum concursum. Quidam, & à Cænomanis terga repente in ipso certamine aggressis tumultum ancipitem iniectum auctores sunt: cæsaque in medio v. & xxx. millia hostium, quinque millia & DCC. viuos captos: in iis Amilcarem Pœnorum im- ¶ peratorem, qui belli caussa fuisset: signa militaria CXXX. & carpenta supra CC. Oppida quæ defectionem secuta erant, dediderunt se Romanis. Minutius Cos. primo effusis populationibus peragrauerat fines Boiorum, deinde vt relictis Insubribus ad sua tuenda recepérant sese, castris se tenuit, acie dimicandum cum hoste ratus. Nec Boij detrectassent pugnam, ni fama victos Insubres allata animos fregisset. itaque relicto duce castrisque, dissipati per vicos, C sua vt quisque defenderent, rationem gerendi belli hosti mutarunt. omissa enim spe per vnam dimicationem rei decernendæ, rursus populari agros, & vrere tecta, vicosque expugnare cœpit. Per eosdem dies Clastidium incensum. inde in Ligusticos Iluates, qui soli non parebant, legiones ductæ. Ea quoq; gens, vt Insubres acie victos, Boios, ita vt tentare spé certaminis non auderent, territos audiuit, in deditionem venit. Literæ cósulum à Gallia de gestis prosperè sub idem tempus Romam allatæ. M. Sergius D Pr. vrbanus in senatu eas, deinde ex auctoritate patrum ad populú recitauit. supplicatio in quatriduú decreta. Hyems iam eo tempore erat. Cú T. Quintius capta Elatia in Phocide ac Locrid. hyberna disposita haberet, Opunte seditio orta est. Factio vna Ætolos, qui propiores erát: altera Romanos accersebat. Ætoli priores venerunt. sed opulentior factio exclusis Ætolis, missoque ad imperatoré Romanum nuntio, vsque ad aduentú eius tenuit vrbem. Arcem regium tenebat præsidium: neq; vt discederent inde, aut Opuntiorú minis, aut auctoritate imperátis con- E sulis Romanis perpelli potuerunt. Mora cur non extéplo oppugnarétur, ea fuit, quod caduceator ab rege venerat, locú ac tempus petens colloquio. Id grauatè concessum regi est: non quin cuperet Quintius per se partim armis, partim códitionibus confectum videri bellum. Nec dú enim sciebat, vtrum successor sibi alter ex nouis consulibus mitteretur: an, quod summa vi vt tenderent, amicis & propinquis mádauerat, imperium prorogaretur. aptum autem fore F colloquium credebat, vt sibi liberum esset, vel ad bellum manenti, vel ad pacem decedenti rem inclináre. In sinu Maliaco prope Nicæam littus elegere. eo rex ab Demetriade cum quinque lembis, & vna naue rostrata venit. Erant cum eo principes Macedonum, & Achæorum exul vir insignis Cycliadas. Cum imperatore Romano rex Aminander erat, & Dionysodorus Attali legatus, & Agesimbrotus præfectus Rhodiæ classis, & Phaneas princeps Ætolorú, & Achæi duo, Aristhenus & Xenophó. Inter hos Ro- G manus ad extremum littus progressus, cum rex in proram nauis in ancoris stantis processisset: Commodius, inquit, si in terram egrediaris, ex propinquo dicamus inuicé, audiamúsque. Cùm rex facturum se id negaret: Quem tandé, inquit Quintius, times? Ad hoc ille, superbo & regio animo: Neminem equidem timeo præter deos immortales, non omniú auté credo fidei, quos circa te video, atque omnium minimè Ætolis. Istud quidem, ait Romanus, par

omnibus

omnibus periculū est, qui cum hoste ad colloquiū A
conueniuntur,vt nulla fides sit. Non tamen inquit
rex,T.Quinti,par perfidiæ præmium est, si fraude a-
gat ... Philippus,& Phæneas. neque enim æquè dif-
ficulter ætoli prætorem alium, ac Macedones re-
gem in meum locum substituant.Secundum hæc si-
lentium fuit.Cùm Romanus eum æquum censeret
prioré dicere,qui petisset colloquium: rex, eius es-
se priorem orationem,qui daret pacis leges, nō qui
acciperet:tum Romanus,simplicem suam orationē
esse.ea enim se dicturum, quæ ni fiant, nulla sit pa-
cis conditio.Deducēda ex omnibus Græciæ ciuita-
tibus regi præsidia esse.captiuos & transfugas sociis
populi Romani reddendos.restitnenda Romanis ea
Illyrici loca,quæ post pacem in Epiro factam occu-
passet.Ptolemæo regi Ægypti reddendas vrbes,quas
post Philopatoris Ptolemæi mortem occupasset.
Suas populique Romani conditiones has esse: cete-
rum & sociorum audiri postulata ęquum esse. Atta-
li regis legatus naues captiuosque, quæ ad Chium
nauali prælio capta essent,& Nichephorium,Vene-
risque templum, quæ spoliasset euastassétque pro
incorruptis restitui:Rhodij Peræam(regio est con-
tinentis aduersus insulam,vetustæ eorum ditionis)
repetebant,postulabántque præsidia deduci ab Ias-
so & Bargyliis, & Euromensium vrbe, & in Helle-
sponto Sesto atque Abydo: & Panopolin Byzantiis
in antiquam formulam iuris restitui:& liberari omnia
Asiæ emporia portúsque. Achæi Corinthum & Ar-
gos repetebant. Prætor ætolorum Phaneas cum
eadem ferè quæ Romani, vt Græcia decederetur, D
postulasset:redderenturque ætolis vrbes, quæ quō-
dam iuris aut ditionis eorum fuissent: excepit ora-
tionem eius princeps ætolorum Alexander, vir(vt
inter ætolos)facundus. Iamdudum se reticere ait,
non quo quicquam agi putet eo colloquio, sed ne
quem sociorum dicētem interpellet. Neque de pa-
ce cum fide Philippum agere, neque bella vera vir-
tute vnquā gessisse. in colloquiis insidiari & capta-
re: in bello non congredi ęquo campo,neque colla- E
tis signis dimicare:sed refugientem incēdere ac di-
ripere vrbes,& vincentium præmia victum corrū-
pere.At nō sic antiquos Macedonum reges,sed acie
bellare solitos: vrbibus parcere, quantum possent,
quo opulentius imperium haberent.Nam de quorū
possessione dimicetur, tollentem nihil sibi præter
bellum relinquere,quod cōsilium esse? Plures prio-
re anno sociorum vrbes in Thessalia euastasse Phi-
lippum,quàm omnes qui vnquam hostes Thessaliæ
fuerint.ipsis quoque ætolis eum plura sociam quā F
hostem ademisse. Lysimachiam pulso prætore &
præsidio Ætolorum occupasse eum. Chium itē suæ
ditionis vrbem funditus euertisse,ac delesse. eadem
fraude habere eum Thebas Phthias, Echinum, La-
rissam & Pharsalum. Motus oratione Alexādri Phi-
lippus,nauem,vt exaudiretur,propius terram appli-
cuit.Orsum eum dicere in ætolos maximè violen-
ter Phaneas interfatus, non in verbis rem verti ait,
aut bello vincendum,aut melioribus parendum es-
se.Apparet id quidem,inquit Philippus,etiam cęco:
iocatus in valetudinem oculorum Phaneę. & erat G
dicacior natura,quàm regem decet:& ne inter seria
quidem risu satis temperans. Indignari inde cœpit,
ætolos tanquam Romanos, decedi Gręcia iubere:
qui, quibus finibus Græcia sit, dicere non possint.
ipsorum enim ætoliæ Agræos Apodeotásque & Am-
philochos,quæ permagna eorum pars sit, Græciam
non esse. An quod à sociis eorum non abstinuerim,
iustam querelam habent ? cum ipsi pro lege hunc
morem antiquitus seruent, vt aduersus socios ipsi
suo publica tantum auctoritate demta iuuentutē
suam militare sinant: & contrariæ persæpe acies in
vtraque parte Ætolica auxilia habeant? Neque ego
Chium expugnaui: sed Prusiam socium & amicum
oppugnantem adiuui:& Lysimachiam ab Thrasibus
vindicaui: sed quia me necessitas ad hoc bellum à
custodia eius auertit,Thraces habent.Et Ætolis hæc:
Attalo autem Rodiisque nihil iure debeo.non enim
à me, sed ab illis principium belli ortum est. Ro-
B manorum autem honoris caussa Peræam Rhodiis,&
naues Attalo cum captiuis,qui comparebunt, re sti-
tuam. Nam quod ad Nicephorium Venerisque tē-
pli restitutionem attinet: quid ei restitui popnlan-
tibus respondeam? nisi quo vno modo luci syluæq;
cæsæ restitui possunt, curā impensamque sationis
me præstaturum: quoniam hæc inter se reges postu-
lare & respondere placet. Extrema eius oratio ad-
uersus Achæos fuit:in qua orsus ab Antigoni primū
suis, deinde erga eam gentem meritis, recitari de-
creta eorum iussit, omnes diuinos humanosque ho-
C nores complexa. atque ad ea adiecit recens de exer-
citu,quod ab se desciuisset. inuectúsque grauiter in
perfidiam eorum,Argos tamen se redditurum eis di-
xit.de Corintho cum imperatore Romano delibera-
turum esse,quæsiturúmque simul ab eo, vtrum iisne
vrbibus decedere se æquum censeat, quas à se ipso
captas iure belli habeat:an iis etiā,quas à maioribus
suis accepisset? Parantibus Achæis Ætolisque ad ea
respondere, cum prope occasum sol esset, dilato in
posterum diem colloquio,Philippus in stationem ex
qua profectus erat,Romani sociique in castra redie-
runt.Quintius postero die ad Nicæam(is enim locus
placuerat)ad constitutū tempus venit. Philippi nul-
lus vsquā nec nuntius ab eo per aliquot horas venie-
bat,& iam desperantibus venturū repente apparue-
runt naues.atque ipse quidem, cū tam grauia & in-
digna imperarentur,inopem consilij diē se consum-
sisse desiderando aiebat. Vulgo credebatur de indu-
stria rem in serum tractam, ne tempus dari posset A-
chæis Aetolisque ad respondendum,& eam opinio-
nem ipse affirmauit, petendo vt summotis aliis, ne
tempus altercando tereretur, & aliquis finis rei im-
poni posset, cum ipso imperatore Romano liceret
sibi colloqui.Id primo nō acceptum, ne excludi col-
loquio viderentur socij: deinde cum haud absisteret
petere,ex omnium consilio Romanus imperator cū
Appio Claudio Tr.mil. ceteris summotis, ad extre-
mum littus processit. Rex cum duobus, quos pridie
adhibuerat,in terram est egressus. Ibi cum aliquan-
diu secreto locuti essent,quæ acta ad suos Philippus
retulerit minus compertum est.Quintius hęc retulit
ad socios. Romanis eum cedere tota Illyrici ora,per
fugas remittere,ac si qui essent captiui:Attalo naues,
& cum iis captos nauales socios, Rhodiis regionem
quā Peræam vocant, reddere: Iasso & Bargyliis non
cessurum. ætolis Pharsalum Larissámque reddere,
Thebas non reddere. Achæis nō Argis modo, sed e-
tiam Corintho cessurum. Nulli omniū placere par-
tium,quibus cessurus aut non cessurus esset, destina-
teo.plus enim amitti in iis,quā acquiri: nec vnquā,
nisi tota deduxisset Græcia præsidia, caussas certami-
num deponere. Cum hæc toto ex concilio certatim
omnes vociferarentur,ad Philippum quoque procul
stanté vox est perlata. Itaque à Quintio petit, vt rem
totam in posterum diem differret. profecto aut per-
suasurum se, aut persuaderi sibi passurum. Littus ad
Throniū colloquio destinatur. eo mature conuentū
est.Ibi Philippus primo & Quintium, & omnes qui
aderant,rogare,ne spem pacis turbare vellet: postre-
mo petere tempus,quo legatos Romam ad senatum

mittere posset. aut his conditionibus se pacem impetraturum, aut quascunque senatus dedisset leges pacis accepturum. Id ceteris haudquaquam placebat. nec enim aliud quàm moram & dilationem ad colligendas vires quæri. Quintius verùm id futurũ fuisse, dicere, si æstas & tempus rerum gerendarum esset. nunc hyeme instante nihil amitti, dato spacio ad legatos mittendos. Nam neque sine auctoritate senatus quicquã eorum ratum fore, quæ cum rege ipsi pepigissent: & explorari, dum bello necessariam quietem ipsa hyẽs daret, senatus auctoritatẽ posse. In hanc sentẽtiam & ceteri sociorum principes cõcesserunt, induciisque datis in duos menses, & ipsos mittere singulos legatos ad edocendum senatum, ne fraude regis caperetur, placuit. additum induciarum pacto, vt regia præsidia Phocide ac Locride ex templo deducerentur. Et ipse Quintius cum sociorum legatis Aminandrum Athamanum regem, vtq; speciem legationis adiiceret, Q. Fabium (vxoris Quintij sororis filius erat) & Q. Fulviũ, & Appium Claudium misit. Vt ventum Romam est, prius sociorum legati quam regis auditi sunt. cetera eorum oratio conuitiis regiis consumta est. Mouerunt eo maximè senatum, demonstrando maris terrarúmque regionis eius situ: vt omnibus appareret, si Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia rex teneret, non posse liberam Græciam esse, & ipsum Philippum non contumeliosius quàm verius compedes eas Græciæ appellare. Legati deinde regis intromissi, quibus longiorẽ exorsis orationem, breuis interrogatio, cessurúsne iis tribus vrbibus esset, sermonem incidit, cum mandatum sibi de his nominatim negarent quicquam. Sic infecta pace regij dimissi. Quintio liberum arbitrium pacis ac belli permissum. Quod vt satis apparuit, non tædere belli senatum, & ipse victoriæ quàm pacis auidior, neque colloquium postea Philippo dedit, neque legationem aliam, quàm quæ omni Græcia decedi nũtiaret, admissurum dixit. Philippus cum acie decernendum videret, & vndique ad se contrahendas vires, maximè de Achaiæ vrbibus, regionis ab se diuersæ, & magis tamen de Argis quàm de Corintho sollicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciariã dare, vt victori sibi restitueret: si quid aduersi accidisset, ipse haberet: Philocli, qui Corintho Argisque præerat, scribit, vt tyrannum ipse conueniret. Philocles præterquam quod iam veniebat cum munere, adiicit ad pignus futuræ regi cũ tyranno amicitię, filias suas regem Nabidis filiis matrimonio coniungere velle. Tyrannus primo negare aliter vrbẽ eam se accepturum, nisi Argiuorum ipsorum decreto accersitus ad auxilium vrbis esset: deinde, vt frequenti concione non aspernatos modo, sed abominatos etiam nomẽ tyranni audiuit, caussam se spoliãdi eos nactum ratus, tradere vbi vellet, vrbem, Philoclẽ iussit. Nocte ignaris omnibus acceptus in vrbem est tyrannus. prima luce occupat superiora omnia loca, portæq. clausæ, paucis principum tumultum inter primum elapsis. eorum absentium direptæ fortunæ. pręsentibus aurum atque argentum ablatũ. pecunię imperatæ ingentes. qui non cunctanter cõtulere sine cõtumelia & laceratione corporum sunt dimissi. quos occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in seruilem modum lacerati atque extorti. Cõcione inde aduocata, rogationẽ promulgauit, vnam de tabulis nouis, alteram de agro viritim diuidẽdo, duas faces nouantibus res ad plebem in optimates accẽ-

A dendam. Posteaquam in potestate Nabidis Argiuorum ciuitas erat, nihil eius memor tyrannus, à quo eam ciuitatem, & quam in conditionem accepisset, legatos Elatiam ad Quintium & Attalũ Æginæ hybernantẽ mittit, qui nuntiarent, Argos in potestate sua esse. eo si veniret Quintius ad colloquium, non diffidere sibi omnia cum eo conuentura. Quintius vt eo quoque præsidio Philippum nudaret, cum annuisset se venturum, mittit ad Attalum, vt ab Ægina Sicyonẽ sibi occurreret. ipse ab Antycira decẽ quin- B queremibus, quas iis forte ipsis diebus L. Quintius frater eius adduxerat ex hybernis Corcyræ, Sicyonẽ transmisit. Iam ibi Attalus erat: qui quũ tyranno ad Romanum imperatorẽ, non Romano ad tyrannum eundũ diceret: in sententiam suam Quintium traduxit, ne in vrbẽ ipsam Argos iret. Haud procul vrbe Mycenica vocatur. in eo loco vt congrederentur, conuenit. Quintius cum fratre & Trib. mil. paucis, Attalus cum regio comitatu, Nicostratus Achæorũ Pr. cum auxiliaribus paucis venit. tyrãnum ibi cum C omnibus copiis opperientem inuenerunt. progressus armatus cum satellitib. armatis est in medium fere interiacentis campi. inermis Quintius cum fratre & duobus Trib. militum, inermes itẽ regi Pr. Achæorum, & vnus ex purpuratis latus cingebant. Initium sermonis ab excusatione tyrãni ortũ, quod armatus ipse armatisq; septus, cum inermes Romanũ imperatorem regẽmq; cerneret, in colloquium venisset. neque enim se illos timere dixit, sed exsules Argiuorum. Inde vbi de cõditionibus amicitię cœptum D agi est, Romanus duas postulare res: vnam, vt bellũ cum Achęis finiret: alteram, vt aduersus Philippum mitteret secũ auxilia. Auxilia se missurum dixit. pro pace cum Achæis inducię impetratę, donec bellum cũ Philippo finiretur. De Argis quoq. disceptatio ab Attalo rege est nata, cum fraude Philoclis proditam vrbẽ, vt ab eo teneri argueret: ille, ab ipsis Argiuis, vt se defenderet, accitus. Cõcionẽ Argiuorum rex postulabat, vt id sciri posset. nec tyrannus abnuere: sed deductis ex vrbe præsidiis liberam concionem, non immistis Lacedæmoniis, declaraturam quid Argiui E vellent, præberi debere dicebat rex. Tyrannus negauit deducturum. Hęc disceptatio sine exitu fuit. de colloquio discessum: sexcentis Cretensibus ab tyrãno datis Romano induciisq. inter Nicostratum Pr. Achæorũ & Lacedæmoniorum tyrannũ in quatuor menses factis. Inde Quintius Corinthum est profectus, & ad portã cum Cretensium cohorte accessit, vt Philocli præfecto vrbis appareret tyrãnum à Philippo descisse. Philocles & ipse ad imperatorẽ Romanũ in colloquium venit, hortantiq. vt extẽplo tran- F siret, vrbemq. traderet, ita respõdit, vt distulisse rem magis quã negasse videretur. A Corintho Quintius Anticyrã traiecit: inde fratrem ad tentandã Acarnanum gentẽ misit. Attalus ab Argis Sicyonẽ est profectus. Ibi & ciuitas nouis honoribus veteres regis honores auxit, & rex ad id, quod sacrũ Apollinis agrum grãdi quodã pecunia redemerat eis, tũ quoq. ne sine aliqua munificentia pręteriret ciuitatẽ sociã atque amicam, decẽ talenta argenti dono dedit, & G decem millia medimnum frumẽti. atq. ita Cẽchreas ad naues rediit. Et Nabis firmato præsidio Argis Lacedæmonẽ regressus, cũ ipse viros spoliasset, ad fœminas spoliandas vxorem Argos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc simul plures genere inter se iunctas domum accersendo, blandiendoque ac minando non aurum modo iis, sed postremo vestem quoque, mundúmque omnem muliebrem ademit.

DECADIS QVARTAE
LIBER III.

His patribus cohærens Acarnaniæ, quingentos fermè passus longæ fauces erát. latæ haud amplius centum & viginti. in his angustiis Leucas posita est, colli applicata verso in orientem, & Acarnaniam, ima vrbis plana sunt, iacentia ad mare, quo Leucadia ab Acarnania diuiditur. inde terra marique expugnabilis est Nã & vada sunt stagno similiora quàm mari, & cápus terrenus omnis, operíque facilis. itaque multis simul locis aut subruti aut ariete decussi ruebant muri. Sed quàm vrbs ipsa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hostium animi, die ac nocte intenti reficere quassata muri, obstruere quæ patefacta ruinis erant, prælia impigrè inire, & armis magis muros, quàm se ipsos mœnib. tutari. diutiúsque spe Romanorum obsidionem eam extraxissent, ni exsules quidam Italici generis Leucade habitantes, ab arce milites accepissét. eos tamen ex superiore loco magno cum tumultu decurrentes, acie in foro instructa iusto prælio aliquandiu Leucadij sustinuerunt interim & scalis capta multis locis mœnia, & per stragem lapidum ac ruinas transcensum in vrbem. iamq; ipse legatus magno agmine circumuenerat pugnantes pars in medio cæsi, pars armis abiectis dediderunt sese victori. Et post dies paucos audito prælio quod ad Cynoscephalas pugnatum erat. omnes populi Acarnaniæ in deditionem legati venerunt. Iisdem diebus, omnia simul inclinante fortuna, Rhodij quoq. ad vindicandam à Philippo continentem regionem (Peræam vocant) possessam à maioribus suis, Pausistratum prætorem cum octingentis Achæis peditibus, mille & nongentis ferè armatis ex vario genere auxiliorum collectis, miserunt. Galli, & Nisuetæ, & Pisuetæ, & Tamiani, & Arei ex Africa, & Laodiceni ex Asia erant. cum his copiis Pausistratus tendebat in Stratonicensi agro locum peropportunum, ignaris regiis qui tenuerant. occupauit. In tempore & ad ipsum excitum auxilium mille Achæi pedites cum centum equitibus superuenerunt. Theoxenus iis præerat. Dinocrates regius præfectus recuperandi castelli caussa primo castra ad ipsa tendebat. mouit inde ad alterum castellum. Item Stratonicensis agri: Astragon vocant. omnibúsque ex præsidiis, quæ multifariam disiecta erant, deuocatis, & ab ipsa Stratonicea Thessalorum auxiliaribus, Alabanda, vbi hostes erant, duc. re p. r. gi. Nec Rhodij pugnam detrectauerunt. atque castris in propinquum collatis extemplo in aciem descensum est. Dinocrates quingentos Macedonas dextro cornu, læuo Agrianos locat: in medium accepit contractos ex castellorum (Cares maximè erant) præsidiis equites: cornibus circumdat. Cretensium auxiliares Thracúmque Rhodia cohors dextro cornu, sinistro mercenarios milites, lectam ditum manum habuere: medios mixta ex pluribus gentibus auxilia: equites, leuísq. armaturæ quod erat, cornibus circumiectum. Eo die steterunt tantum acies vtræq. super ripam, qui tenui aqua interfluebat torrentis paucísq. telis emissis, in castra receperunt sese Postero die eodem ordine instructi maius aliquanto prælium quàm pro numero ediderunt pugnantium nec enim plus terna millia peditũ fuere & centeni fermè equites ceterum non numero tantũ nec armorum genere, sed animis quoque paribus, & æqua spe pugnarunt. Achæi primi torrente superato in Agrianos impetum fecere. deinde tota propè cursu transgressa agmen acies est. diu anceps pugna stetit. numero Achæi mill & ipsi quadringentos loco expulere. inclinat dein dextrum omne cornu. Macedones vsque dum ordine & velut stipata phalanx consistebat moueri nequiuerunt. postquam læuo latere nudato circumiacere hastas in venientem ex transuerso hostem conati sunt, turbati extemplo tumultum primo inter se fecerunt: terga deinde vertunt: postremò abiectis armis, in præcipitem fugam effusi, Bargyllas petentes fugerunt. Eodem & Dinocrates perfugit. Rodij quantum diei superfuit secuti, receperunt sese in castra. Satis constat, si confestim victores Stratoniceam petissent, recipi eam vrbem sine certamine potuisse. Prætermissæ eius rei occasio est, dum in castellis vicisque Peræ recipiendis tempus teritur. interim animi eorum, qui Stratoniceam præsidio obtinebant, confirmati sunt. mox & Dinocrates cum iis quæ prælio superfuerant copiis intrauit muros. nequicquam inde obsessa oppugnatáque vrbs est. recipi nisi aliquanto post per Antiochum non potuit. Hæc in Thessalia hæc in Achaia, hæc in Asia per eosdem dies fermè gesta Philippus cum audisset Dardanos transgressos fines regni, superiora Macedoniæ euastare, quamuis toto propè orbe terrarum vndique se suósque profligante fortuna vrgebatur, tamen morte tristius ratus Macedoniæ etiam possessione pelli delectu raptim per vrbes Macedonum habito, cum sex millibus peditũ, & quingentis equitibus circa Stobos Pelagoniæ improuiso hostes oppressit. Magna multitudo hominũ in prælio, maior prædandi cupidine palata per agros cæsa est. quibus fuga expeditior fuit, ne tentato quidem casu pugnæ in fines suos redierunt. Ea vna expeditione non pro reliquo statu fortunæ facta, refectis suorum animis, Thessalonicam se recepit. Nõ tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne simul & cum Philippo foret bellandum quàm opportunè, iam Antiocho in Syria mouente bellum, Philippus est superatus. nam præterquam quod facilius cũ singulis, quàm si in vnum ambo simul contulissent vires, bellatum est: Hispania quoq; sub idẽ tempus magno tumultu ad bellum consurrexit. Antiochus cum priore æstate omnibus quæ in Cœle Syria sunt ciuitatibus Ptolemæi in suam potestatem redactis, in hyberna Antiochiam concessisset: nihilo quietiores post a res habuit: omnibus enim regni viribus connixus, cùm ingentes copias terrestres maritimásque comparasset, principio veris præmissis terra cum exercitu filiis duobus Ardue ac Mithridate, iussisque Sardibus se opperiri, ipse cum classe centum tectarũm nauium, ad hoc leuioribus nauigiis cæriisque ac lembis ducentis proficiscitur, simul per omnem oram Ciliciæque & Cariæ tentaturus vrbes quæ in ditione Ptolemæi essent: simul Philippũ (nec dum enim debellatum erat) exercitu nauibusque adiuturus. Multa egregia Rhodij pro fide erga P.R. próque vniuerso nomine Græcorum terra marique ausi sunt, nihil magnificentius, quàm quod ea tempestate non territi tanta mole imminentis belli, legatos ad regem miserunt: Nephelida (promontorium Ciliciæ est, inclytum fœdere antiquo Atheniensium) si eo contineret copias suas, se obuiam ituros: non ab odio vllo, sed ne coniungi cum Philippo paterentur, & impedimento esse Romanis liberantibus Græciam Coracesium eo tempore Antiochus operibus oppugnabat: Zephyrio, & Solis, & Aphro-

disiade, & Coryco, & superato Aneurio (promonto- A
rium id quoque Ciliciæ est) Selinunte recepto, omni-
bus his aliisque eius oræ castellis aut metu aut vo-
lũtate sine certamine in deditionem acceptis, Cora-
cesium præter spem clausis portis tenebat eum. ibi
legati Rhodiorum auditi. & quanquam ea legatio
erat, quæ accendere regium animum posset, tẽpera-
uit iræ, & legatos se Rhodum missurum respondit,
iisque mandaturum, vt renouarẽt vetusta iura cum
ea ciuitate, sua maiorúmque suorum: & vetarent
eos aduẽtum pertimescere regis, nihil his aut sociis B
eorum noxæ futurum, fraudive. Nam Romanorum
amicitiam se non violaturum, argumento & suam
recentem ad eos legationem esse, & senatus honori-
fica in se decreta responsaque. Tum fortè legati re-
dierũt ab Roma, comiter auditi dimissique, vt tem-
pus postulabat, incerto adhuc aduersus Philippum
euentu belli. Cũ hæc legati regis in concione Rho-
diorum agerent, nuntius venit, debellatum ad Cy-
noscephalas esse. Hoc nũtio accepto, Rhodiis, dem-
to metu à Philippo omni, erat consilium obuiam C
eundi classe Antiocho. illam alteram curam non o-
miserunt tuendæ libertatis ciuitatũ sociarum Pro-
lemæi, quibus bellum ab Antiocho imminebat. Nã
alias auxiliis iuuerunt, alias prouidendo ac præ-
monendo conatus hostis: caussáque libertatis fue-
runt Cauniis, Myndiis, Halicarnassensibus, Samiis-
que. Non operæ est persequi, vt quæque acta in his
locis sint, cũ ad ea quæ propriè Romani belli sunt,
vix sufficiã. Eodẽ tempore & Attalus rex æger The-
bis Pergamum aduectus moritur altero & septua- D
gesimo anno, cum quatuor & quadraginta annos
regnasset. Huic viro præter diuitias nihil ad spem
regni fortuna dederat. his simul prudenter, simul
magnificè vtendo effecit, primum vt sibi, deinde vt
aliis non indignus videretur regno. Victis deinde
prælio vno Gallis, quæ tum gens recenti aduentu
terribilior Asiæ erat, regium asciuit nomen: cuius
magnitudini semper animũ æquauit. summa iusti-
tia suos rexit, vnicam fidem sociis præstitit. Vxorẽ
ac liberos quatuor superstites habuit. mitis ac mu-
nificus amicus fuit. regnum adeo stabile ac firmum E
reliquit, vt ad tertiam stirpem possessio eius descen-
derit. Cùm is status rerũ in Asia Græciaque & Ma-
cedonia esset, vix dum terminato cum Philippo bel-
lo, pace certè nondũ perpetrata, ingens in Hispania
vlteriore coortum est bellum. M. Heluius eam pro-
uinciam obtinebat. is literis senatum certiorem fe-
cit, Colcam & Luscinum regulos in armis: cum
Colca decem & septem oppida, cum Luscino vali-
das vrbes, Cardonem & Bardonem, & maritimam F
orã omnẽ, quæ nondum animos nudauerat, ad fini-
timorum motus consurrecturã. His literis à M. Ser-
gio Pr. cuius iurisdictio inter ciues & peregrinos e-
rat, recitatis, decreuerunt patres, vt comitiis præto-
rum perfectis, cui prætori prouincia Hispania ob-
uenisset, is primo quoque tempore de bello His-
paniæ ad senatum referret. Sub idem tempus Coss.
Romam venerunt. quibus in æde Bellonę senatum
habentibus, postulantibusque triumphum ob res G
prosperè bello gestas, C. Atinius Labeo, & C. Vrsa-
nius Trr. pl. vt separatim de triumpho agerent, Coss.
postularunt communem se relationem de ea re fieri
non passuros, ne par honos in dispari merito esset.
Cúmq. Minutius vtrique prouinciam Italiam obti-
gisse diceret, communi animo consilioque se & col-
legam res gessisse, Cornelius adiiceret, Boios aduer-
sus transgredientes Padum, vt Insubribus Cęnoma-
nisque auxilio essent, depopulãte vicos eorum atq.
agros collega, ad sua tuenda auersos esse: tribuni res
tantas bello gessisse Cornelium fateri, vt non magis
de triumpho eius, quàm de honore diis immortali-
bus habendo dubitari posset: non tamen nec illum,
nec quenquam alium ciuem, tantum gratia atq; o-
pibus valuisse, vt cùm sibimet triumphũ impetras-
set, collegæ eundẽ honorẽ impudenter petẽti daret.
Q. Minutiũ in Ligurib. leuia prælia, vix digna dictu
fecisse in Gallia magnũ numerum militum amisisse.
nominabant etiam tribunos militum T. Iuuentium,
& Cneum Labeonis fratrem, qui aduersa pugna cũ
multis aliis viris fortibus ciuibus ac sociis cecidis-
sent: oppidorum paucorum ac vicorum falsas, & in
tempus simulatas, sine vllo pignore deditiones fa-
ctas esse. Hæ inter consules tribunosque altercatio-
nes biduũ tenuerunt, victique perseuerantia tribu-
norum consules separatim retulerunt. Cn. Cornelio
omnium consensu decretus triumphus. & Placenti-
ni Cremonensésque addiderunt fauorem consuli,
gratias agentes, commemorantésque, obsidione se
esse ab eo liberatos: plerosque etiam, cum apud ho-
stes essent, seruitute exceptos. Q. Minutius tentata
tantum relatione, cum aduersum omnem senatum
videret, in monte Albano se triumphaturum & iure
imperij consularis, & multorum clarorum virorum
exemplo dixit. Cn. Cornelius de Insubribus Cæno-
manisque in magistratu triumphauit. multa signa
militaria tulit, multa Gallica spolia captiuis carpe-
tis transuexit. multi nobiles Galli ante currum tra-
ducti. inter quos quidam Amilcarem ducem Pœno-
rum fuisse auctores sunt. ceterum magis in se con-
uertit oculos Cremonensium Placentinorumque
colonorum turba pileatorum currum sequentium.
Tulit in triumpho ducenta triginta septem millia
quingentos, argenti bigati septuaginta nouem mil-
lia. septuagenos æris militibus diuisit, duplex equi-
ti, triplex centurioni. Q. Minutius Cos. de Ligurib.
Boiisque Gallis in monte Albano triumphauit. is
triumphus vt loco & fama rerum gestarum, & quod
sumtum non erogatum ex ærario omnes sciebant,
inhonoratior fuit: ita signis carpentisque, & spoliis
fermè æquabat. pecuniæ etiam propè par summa
fuit æris translata ducẽta & quinquaginta quatuor
millia, argenti bigati quinquaginta tria millia, &
ducenta militib. centurionibusq. & equitibus itẽ in
singulos datũ, quod dederat collega. Secũdũ trium-
phũ cõsularia comitia habita. creati Coss. L. Furius
Purpureo & M. Claudius Marcellus. Pr. postero die
facti Q. Fabius Buteo, T. Sẽpronius Lõgus, Q. Minu-
tius Thermus, M. Acilius Glabrio, L. Apustius Fullo,
C. Lælius. Exitu eius anni literæ à T. Quintio vene-
runt, se signis collatis cum rege Philippo in Thessa-
lia pugnasse hostium exercitũ fusum fugatúmque.
Hæ literę prius in Senatu à Sergio Pr. deinde ex au-
ctoritate patrum in concione sunt recitatæ. Ob res
prosperè gestas in dies quinque supplicationes de-
cretæ. Breui post legati & à T. Quintio, & ab rege
venerunt. Macedones deducti extra vrbem in vil-
lam publicam, ibique iis locus & lautia præbita:
& ad ædem Bellonæ senatus est habitus. haud mul-
ta verba facta, cùm Macedones, quæcunque sena-
tus censuisset, id regem facturum esse dicerent.
Decem legati more maiorum, quorum ex consi-
lio T. Quintius imperator leges pacis Philippo
daret, decreti: adiectúmque, vt in eo numero
legatorum P. Sulpitius & P. Villius essent, qui
Coss. prouinciam Macedoniam obtinuissent. Cos-
sanis eo die postulantibus, vt sibi colonorum nu-
merus augeretur, mille ascribi iussi, dum ne quis
in eorum numero esset, qui post M. Corne-
lium & T. Sempronium Coss. hostis fuisset. Ludi

Roma

Romani eo anno in circo scenáque ab ædilibus A curulibus L. Cornelio Scipione, & Cn. Manlio Volsone & magnificentius quàm alias facti, & lætius, propter res bello bene gestas, spectati, totique ter instaurati. Plebeij septies instaurati. Acilius Glabri, C. Lælius cos ludos fecerunt. ex argéto mulctatitio tria signa ænea, Cereri Liberoque & Liberæ posuerunt. L. Furius & M. Claudius Marcellus consulatu inito, cùm de prouinciis ageretur, & Italiam vtrique prouinciam senatus decerneret: vt Macedoniam cum Italia sortirentur, petebant. B Marcellus prouinciæ cupidior, pacem simulatam ac fallacem dicédo & rebellaturum, si exercitus inde deportatus esset, regem, dubios sententia patres fecerat. & forsitan obtinuissent Coss. ni Q. Martius Rex, & C. Atinius Labeo Tr. plebis se intercessuros dixissent, ni prius ipsi ad plebem tulissent. vellent iuberéntne cum rege Philippo pacem esse? Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta C tribus vti rogatæ iusserunt. Et quo magis pacem ratam esse in Macedonia vulgo lætarentur, tristis ex Hispania nuntius allatus effecit, vulgatæque literæ, Cn. Sempronium Tuditanum PROCOS. in citeriore Hispania prælio victum, exercitum eius fusum fugatumque, & illustres viros in acie cecidisse. Tuditanum cum graui vulnere latum ex prælio haud ita multo post exspirasse. Coss. ambob. Italia prouincia cum his legionibus quas superiores Coss. habuissét decreta, & vt quatuor legiones nouas scriberẽt: duas quæ quò senatus censuisset, mitterétur. & T. Quin- D tius Flaminius duabus legionibus prouinciam eodẽ exercitu obtinere iussus. imperium ei prorogatũ. Pr. deinde prouincias sortiti. L. Apustius Fullo vrbanam iurisdictionem, M. Acilius Glabrio inter ciues & peregrinos, Q. Fabius Buteo Hispaniam vlteriorem, Q. Minutius Thermus citeriorem, C. Lælius Siciliam, T. Sempronius Lõgus Sardiniam, Q. Fabio Buteoni, & Q. Minutio, quib. Hispaniæ prouinciæ euenerant, Coss. legiones singulas ex quatuor ab se scriptis, quas viderentur vti darent, decretum est: so- E ciûm ac nominis Latini quaterna millia peditum, trecenos equites. hique primo quoque tempore in prouincias ire iussi. Bellum in Hispania quinto post anno quàm secúdum bellum Punicum, finitum est. Priusquam hi prætores ad bellum prope nouum, quia tum primum suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce ad arma ierant, proficiscerentur, aut ipsi Coss. ab vrbe mouerent: procurare, vt assolet, prodigia quæ nunciabantur, iussi L. Iulius equestris in Sabinos proficiscens fulmine ipse equusque exani- F mati fuerant. ædes Feroniæ in Capenate de cœlo tacta erat, ad Monetæ duarum hastarum spicula arserant. lupus Esquilina porta ingressus frequentissima parte vrbis cùm in forum decurrisset, Tusco vico atque inde Melio per portam Capenam propè intactus euaserat. Hæc prodigia maioribus hostiis sunt procurata. Iisdem diebus Cn. Cornelius Lentulus qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispaniam obtinuerat: cùm S.C. vrbem esset ingressus, tulit præ se auri mille & quingéta pódo quindecim G argenti viginti millia, signati denariós triginta quatuor millia. & quingentos quinquaginta. L. Stertinius ex vlteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe, quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem & matris Matutæ, vnum in maximo circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit. Hæc par hyemẽ fermè acta. Hybernabat eo tempore Athenis Q. Quintius à quo cùm multa socij peterent, Bœoti petierunt impetrauerúntque, vt hi qui suæ gentis militassent apud Philippum sibi restituerentur. id à Quintio facilè impetratum: non quia satis dignos eos credebat, sed quia Antiocho rege iam suspecto fauor conciliandus nomini Romano apud ciuitates erat. Restitutis, cõfestim apparuit quã nulla inita apud Bœotos gratia esset. ná & ad Philippũ gratias agentes pro redditis hominibus, perinde atque ab ipso hi, & non à Q. & Rom. dati essent, miserũt: & comitiis proximis Bœotarché nullam aliam ob caussam Barcillam quendam, quàm quod præfectus Bœotorum apud regem militantiũ fuisset, fecerunt, præteritis Zeusippo & Pisistrato, aliisque qui Romanæ societatis auctores fuerunt. Id ægrè & in præsentia hi passi, & in futurum etiam metum ceperunt, cùm ad portas propè sedéte exercitu Romano ea fierent: quidnam se futurum esset, profectis in Italiá Romanis Philippo ex propinquo socios adiuuante, & infesto his qui partis aduersæ fuissent. Dũ Romana arma propinqua habebát, tollere Barcillam principem fautorum regis statuerũt. & tempore ad eam rem capto, cùm in publico epulatus reuerteretur domum temulentus, prosequentibus mollibus viris, qui ioci caussa cõuiuio celebri interfuerant: ab sex armatis, quorum tres Italici, tres Ætoli erant, circumuentus occiditur. Fuga comitũ & quiritatio facta: & tumultus tota vrbe discurrétiũ cũ luminibus. percussores proxima porta euaserunt. Luce prima concio frequens velut, exstante indicio ad vocem præconis conuocata in theatro erat. palá ab suo comitatu, & obscœnis illis viris fremebant interfectũ: animis autem Zeusippum auctorem destinabant cædis. in præsentia placuit comprehendi eos qui simul fuissent, quæstionémque ex his haberi. Qui dum quæruntur, Zeusippus consimili animo auertendi ab se criminis caussa in concionem progressus, errare ait homines, qui tam atrocem cædem pertinere ad illos semiuiros crederent: multáque in eam partem probabiliter argumẽtatus; quibus fidẽ apud quosdam fecit, nunquam si cõscius esset oblaturum se multitudini, mentionémve cędis nullo lacessente facturum fuisse. alij non dubitare, obuiam eundo impudenter criminis suspicionem auerti. Torti post paulo insontes, cùm scirent ipsi opinionem omnium, ea pro indicio vsi Zeusippum & Pisistratum nominauerunt, nullo adiecto, cur scire quicquam viderentur, argumento. Zeusippus tamen cum Stratonida quodam nocte perfugit Tanagram, suam magis conscientiam quàm indicium hominũ nullius rei consciorum metuens. Pisistratus spretis indicibus Thebis mãsit. Seruus erat Zeusippo, totius internũcius & minister rei. quem indicẽ Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit. literas ad Zeusippum mittit, seruum conscium toleret. non tam idoneum ad celandam rem eum videri sibi, quam ad agendam fuerit. Has qui tulit literas, iussit Zeusippo dare quàm primum is, quia non sibi conueniendi eius copia fuit: ipsi illi seruo, quem ex omnibus domino fidissimum credebat, tradidit. & adiecit à Pisistrato de re magnopere pertinente ad Zeusippum esse. Conscientia ictus cum extemplo traditurũ eas affirmasset, aperit, perlectis literis pauidus Thebas refugit. Et Zeusippus quidẽ fuga serui motus Athenas, tutiorem exsilio locum ratus, concessit. De Pisistrato aliquæ quæstionis tormentis habitæ, & sumtum suppliciũ est. Efferauit ea cędes Thebanos Bœotósque omnes ad execrabile odium Romanorum: Zeusippũ principem gentis id facinus conscisse. ad rebellandũ neque vires, neq; ducem habebant. proximũ bello quod erat, in latrociniũ versi, alios hospites, alios vagos per hyberna milites ad

varios commeantes vſus excipiebant. quidam in ipſis itineribus ad notas latebras inſidiantibus, pars in deſerta per fraudem diuerſoria deuecti deductique opprimebantur. poſtremo non tantum odio, ſed etiam auiditate prædæ ea facinora faciebant: quia negotiandi fermè cauſſa argentum in zonis habentes in commeatibus erant. Cum primo pauci, deinde in dies plures deſiderarentur, infamis eſſe Bœotia omnis cœpit, & timidius quàm in hoſtica egredi caſtris miles. tū Quintius legatos ad quærendum de latrociniis per ciuitates mittit. Plurimi pedites circa Copaidem paludem inuenti. ibi ex limo eruta extractaque ex ſtagno cadauera, ſaxis aut amphoris, vt pondere traherentur in profundum annexa. multa facinora Acræphiæ & Coroneæ facta inueniebātur. Quintius primo noxios tradi ſibi iuſſit, & pro quingentis militibus (tot enim intercepti erant) quinginta talenta Bœotos conferre: quorum neutrum cum fieret, verbis tantum ciuitates excuſarent, nihil publico conſilio factum eſſe: miſſis Athenas & in Achaiam legatis, qui teſtarētur ſociis, iuſto pioque bello ſe perſecuturum Bœotos, & cum parte copiarum P. Claudio Acræphiā ire iuſſo, cum parte Coronæam circūſedit, euaſtatis prius agris, qua ab Elatia duo diuerſa agmina iere. Hac perculſi clade Bœoti, cum omnia terrore ac fuga compleſſent, legatos mittunt. qui cum in caſtra admitterentur, Achæi Athenienſéſque ſuperuenerūt. Plus auctoritatis Achæi habuerunt deprecantes: ac ni impetraſſent pacem Bœotis, bellum ſimul gerere decreuerunt. Per Achæos Bœotis copia adeundi alloquendique Romanum facta eſt. Iuſſiſque tradere noxios & mulctæ nomine triginta talenta conferre, pax data, & ab oppugnatione receſſum. Poſt paucos dies decem legati ab Roma venerunt, quorum ex conſilio pax data Philippo in has leges eſt: omnes Græcorum ciuitates, quæ in Europa, quæque in Aſia eſſent, libertatem ac ſuas leges haberent. quæ earum ſub ditione Philippi fuiſſent præſidia ex his Philippus deduceret: his quæ in Aſia eſſent, Euromo Pedaſiſque & Bargyllis, & Iaſſo, & Myrina, & Abydo, & Thaſſo, & Perintho, eas quoque enim placere liberas eſſe Decianorum libertate. Quintius Pruſiæ Bithiniorum regi ſcriberet, quid ſenatui & decem legatis placuiſſet. captiuos, trāsfugáſque reddere Philippum Romanis, & naues omnes tectas tradere: quin & regiam vnam inhabilis propè magnitudinis, quàm ſexdecim verſus remorū agebant: ne plus quingentis armatorum haberet, néve elephantum vllum. bellum extra Macedoniæ fines ne iniuſſu ſenatus gereret. mille talentum daret populo Romano, dimidium præſens, dimidium penſionibus decē annorum. Valerius Antias quaternum millium pōdo argenti vectigal in decem annos, triginta quaterna millia pondo, & ducenta præſens viginti millia pondo. idem nominatim adiectum ſcribit, ne cum Eumene Attali filio (nouus is tum rex erat) bellum gereret. In hæc obſides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. Adiecit Valerius Antias, Attalo abſenti Æginā inſulā elephātoſq; dono datos, & Rhodiis Stratoniceā Cariæ, atq. alias vrbes, quas Philippus tenuiſſet: Athenieſibus inſulas datas, Paron, Imbrū, Delum, Scyrum. Omnibus Græciæ ciuitatibus hāc pacem approbantibus, ſoli Ætoli id decretum decem legatorum clā muſſantes carpebant. literas inanes vana ſpecie libertatis adūbratas eſſe. cur enim alias Romanis tradi vrbes, nec nominari eas: alias nominari, & ſine traditione iubere liberas eſſe? niſi vt quæ in Aſia ſint, liberentur longinquitate ipſa tutiores: quæ in Græcia ſint, ne nominatę in-

A tercipiantur, Corinthus, & Chalcis, & Oreum, cum Eretria & Demetriade. Nec tota ex vano criminatio erat. dubitabatur enim de Corintho, & de Chalcide, & Demetriade, quia in S. C. quo miſſi decem legati ab vrbe erant, ceteræ Græciæ atque Aſię haud dubie liberabātur: de his tribus vrbibus legati, quod tempora reipub. poſtulaſſent, id è Republica fidéque ſua facere ſtatuere iuſſi erant. Antiochus rex erat, quem tranſgreſſurum in Europam, cum primum ei res ſuę placuiſſent, non dubitabant, ei tam opportunas ad
B occupandum patere vrbes nolebant. Ab Elatia Anticyram, cum decem legatis inde Corinthum traiecit. ibi conſilia decem legatorum tractabantur. Idētidem Quintius liberandam omnem Græciam, ſi Ætolorum linguas retunderet: ſi veram caritatem, maieſtatem apud omnes nominis Romani vellent eſſe: ſi fidem facere, ad liberandam Græciam, non ad transferendum à Philippo ad ſe imperium, ſe mare traieciſſe. Nihil contra ea de libertate vrbium alij dicebant. ceterum ipſis tutius eſſe, manere pauliſper
C ſub tutela præſidij Romani, quam pro Philippo Antiochum dominum accipi. Poſtremo ita decretum eſt: Corinthus redderetur Achæis, vt in Acrocorintho tamen præſidium eſſet: Chalcidem ac Demetriadem retineri, donec cura de Antiocho deceſſiſſet. Iſthmiorum ſtatum ludicrum aderat, ſemper quidem & alias frequens, cum propter ſpectaculi ſtudium inſitum genti, quo certamina omnis generis artium, viriumque ac pernicitatis viſuntur: tum quia propter opportunitatem loci per duo diuerſa
D maria omnium Græcorum vndique conuentus erat. Sed exſpectatione erecti, qui deinde ſtatus futurus Græciæ, quæ ſua fortuna eſſet: alij non taciti ſolum opinabantur, ſed ſermonibus etiam ſerebant. Romani ad ſpectaculum cōſederunt. & preco cum tubicine, vt mos eſt, in mediam arenam, vnde ſolenni carmine ludicrum indici ſolet, proceſſit: & tuba ſilentio facto, ita pronuntiat: Senatus Romanus, & T. Quintius imperator, Philippo rege, Macedonibuſque deuictis, liberos, immunes ſuis legibus eſſe
E iubet Corinthios, Phocenſes, Locrenſéſque omnes, & inſulam Eubœam, & Magnetas, Theſſalos, Perrœbios, Achæos, Phthiotas. Percenſuerat omnes gentés quę ſub ditione Philippi regis fuerant. Audita voce præconis, maius gaudium fuit, quàm quod vniuerſum homines caperent. vix ſatis credere ſe quiſque audiſſe: alij alios intueri mirabundi, velut ſomnij vanam ſpeciem quod ad quenque pertineret, ſuarum aurium fidei minimum credētes, proximos interrogabant. Reuocatus præco, cū vnuſquiſ-
F que non audire, ſed videre libertatis ſuæ nuntium aueret. iterum pronuntiaret eadem. tum ab certo iam gaudio tantus cum clamore plauſus eſt ortus, totiéſque repetitus, vt facilè appareret, nihil omnino bonorum multitudini gratius, quam libertatem eſſe. Ludicrum ita raptim peractum eſt, vt nullius nec animi, nec oculi ſpectaculo intenti eſſent. adeò vnum gaudium præoccupauerat omnium aliarum ſenſum voluptatum. Ludis verò dimiſſis, curſu propè omnes tendere ad imperatorem Romanum, vt
G ruente turba in vnum, adire, cōtingere dextram cupientium, coronas lemniſcóſq. iacentium, haud procul periculo fuerit. ſed erat trium fermè & triginta annorum, & cum robur iuuentæ, tum gaudium ex tam inſigni gloriæ fructu vires ſuppeditabant. nec præſens omnium modo effuſa lætitia eſt, ſed per multos dies gratis & cogitationibus & ſermonibus reuocata. Eſſe aliquam in terris gentem, quæ ſua impenſa, ſuo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum. nec hoc finitimis, aut propinquæ vi

quæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti iūctis præstet, maria traiiciat: ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit & vbique ius, fas, lex, potētissima sint. vna voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Asiæ vrbes, hoc spe concipere, audacis animi fuisse: ad effectum adducere, virtutis, & fortunæ ingentis. Secundum ista iam Quintius, & decem legati legationes regum, gentium, ciuitatúmq. audiuere. Primi omnium regis Antiochi vocati legati sunt. his eadem quæ ferè Romæ erant verba, sine fide rerum iactantibus, nihil iam perplexè, vt ante cùm dubiæ res incolumi Philippo erant: sed apertè pronuntiatum, vt excederet Asiæ vrbibus, quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuissent, abstineret liberas, omnésque Græcas. ante omnia denuntiatū, ne in Europā aut ipse trāsiret, aut copias traiiceret. Dimissis regis legatis, cōuentus gentium ciuitatūq. est haberi cœptus. eoq. maturius peragebatur, quod decreta decē legatorū ciuitates nominatim pronūtiabant (Orestis Macedonū est) q; primi ab rege defecissent, suæ leges redditæ Magnetes, & Perrœbi, & Dolopes liberi quoque pronuntiati. Thessalorum genti præter libertatem cōcessam Achæi Phthiotæ dati, Thebis Phthioticis & Pharsalo excepto. Ætolos de Pharsalo & Leucade postulantes vt ex fœdere sibi restituerentur, ad senatum reiecerunt. Phocenses, Locrenses, & quæ sicut antea fuerāt adiecta decreti auctoritate his cōtribuerunt. Corinthus & Triphylia, & Herea, (Peloponnesi & ipsa vrbs est) reddita Achæis. Oreum & Eretriam decem legati Eumeni regi Attali filio dabāt. dissentiēte Quintio, venit res in arbitrium senatus. senatus libertatem his ciuitatibus dedit, Carysto adiecto. Pleurato Lingus & Parthenus dati. Illyriorum vtraque gens sub ditione Philippi fuerat. Aminandrum tenere iusserunt castella, quæ per belli tempus Philippo capta ademisset. Dimisso cōuentu decem legati partiti munia inter se, ad liberādas suæ quisque regionis ciuitates discesserunt: P. Lentulus Bargyllas: L. Stertinius Hephæstiam & Thassum & Thraciæ vrbes. P. Villius & L. Terentius ad regem Antiochum: Cn. Cornelius ad Philippum. Cui de minoribus rebus editis mādatis percunctatus si consilium non vtile solum, sed etiā salutare admittere auribus posset: cùm rex gratias quoque se actur ū diceret, si quid quod in rem suā esset, exprimeret: magnopere ei suasit, quoniam pacem impetrasset, ad societatem amicitiamque petendam mitteret Romam legatos: ne, si quid Antiochus moueret, exspectasse, & temporum opportunitates captasse ad bellandum videri posset. Ad Tempe Thessalica Philippus est conuentus. qui cum se missurum extemplo legatos respondisset Cornelius Thermopylas, vbi frequens Græciæ statis diebus esse solet conuentus (Pylaicum appellant) venit. Ætolos præcipuè monuit, vt constanter & fideliter in amicitia populi Romani permanerent. Ætolorum principes alij interquesti sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset: alij ferocius incusarunt, exprobrarúntque, non modo vinci sine Ætolis Philippum, sed ne transire quidem in Græciam Romanos potuisse. Aduersus ea respondere, ne in altercationem excederet res, cùm supersedisset Romanus, omnia eos æqua impetraturos. si Romam misissent, dixit. itaque ex auctoritate eius decreti legati sunt. Hunc finem bellum cum Philippo habuit. Cùm hæc in Græcia Macedoniaque & Asia gererentur: Hetruriam infestam propè coniuratio seruorum fecit. Ad quærendam opprimendamq. eam M. Acilius prętor, cui inter ciues peregrinosq; iurisdictio obtigerat, cum vna ex duabus legione vrbana missus, alios iam congregatos pugnādo vicit. ex his multi occisi, multi capti: alios verberatos crucibus affixit, qui principes coniurationis fuerant: alios dominis restituit. Consules in prouincias profecti sunt. Marcellum Boiorū ingressum fines, fatigato per diem totum milite via facienda castra in tumulo quodam ponētem Corolanus regulus Boiorum cum magna manu adortus, ad tria millia hominum occidit: & illustres viri aliquot in illo tumultuario prælio ceciderūt, inter quos præfecti socium T. Sempronius Gracchus, M. Iunius Syllanus, & tribuni militum de legione secunda, A. Ogulnius & P. Claudius. castra tamen ab Romanis impigrè permunita retentaq., cùm hostes à prospera pugna nequicquam oppugnassent. Statiuis deinde eisdem per dies aliquot sese tenuit, dum & saucios curaret, & tanto terrore animos militum reficeret. Boij, vt est gens minimè ad moræ tedium patiens, in castella sua vicosq. dilapsi sunt. Marcellus Pado cōfestim traiecto, in agrum Comensem, vbi Insubres Comensibus ad arma excitis castra habebant, ducit. legiones in ipso itinere prælium cōmittunt. & primo adeò acriter inuaserunt, vt antesignanos impulerint. quod vbi animaduertit, veritus, ne motī semel pellerentur, cohortem Marsorum opposuit, & equitum Latinorum omnes turmas in hostem emisit. quorum cùm primus secūdúsque impetus retudisset inferentem se ferociter hostem, confirmata & reliqua acies Romana restitit primo. deinde signa acriter intulit. nec vltra sustinuerunt certamē Galli, quin terga verterent, atque effusè fugerēt. In eo prælio supra quadraginta millia hominum cæsa. Valerius Antias scribit, & quingenta septem signa militaria capta, & carpenta quadringinta triginta duo, & aureos torques multos, ex quibus vnum magni ponderis Claudius in Capitolio Ioui donum in æde positum scribit. Castra eo die Gallorum expugnata direptaque, & Comum oppidum intra dies paucos captum, castella inde duodetriginta ad consulem defecerūt. Id quoque inter scriptores ambigitur, vtrum in Boios prius, an Insubres cōsul exercitum induxerit, aduersamq. prospera pugna obliterauerit: an victoria ad Comum parta, deformata clade in Boiis accepta sit. Sub hęc tam varia fortuna gesta, L. Furius Purpureo alter consul per tribum Sappiniam in Boios venit. Iam castro Mutilo appropinquabat, cùm veritus ne intercluderetur simul à Boiis Liguribusque eadē via qua adduxerat, reduxit: & magno circuitu per aperta, eaque tuta loca ad collegam peruenit. Dein iunctis exercitibus primum Boiorum agrum vsque ad Felsinam oppidum populantes peragrauerunt. Ea vrbs ceteraq. castella, & Boij ferè omnes, præter iuuentutē quę prędandi caussa in armis erat (tunc in deuias syluas recesserat) in deditionem venerunt. In Ligures deinde traductus exercitus. Boij negligenti. coactum agmē Romanorum, quia ipsi procul abesse viderentur, improuiso aggressuros se rati, per occultos saltus secuti sunt, quos non adepti, Pado repentè nauibus traiecto, Leuos Libuosque cū peruastassent: redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agresti præda in agmen incidunt Romanum. Celerius prælių acriusque commissum, quàm si tempore locoque ad certamen destinatis, preparatis animis cōcurrissent. Ibi quantam vim ad stimulandos animos ira haberet, apparuit. nam ita cædis magis quàm victoriæ auidi pugnauerunt Romani, vt vix nuntium cladis hosti relinquerent. Ob eas res gestas cōsulum literis Romā allatis, supplicatio in triduū decreta est. Bre-

qui post Marcellus Romā venit, triūphusq. ei magno consensu patrum est decretus. Triumphauit in magistratu de Insubribus Comensibusque. Boiorum triumphi spem collegæ reliquit: quia ipsi propriè aduersa pugna in ea gente euenerat, collegæ secunda. Multa spolia hostium captiuis carpentis traducta: multa militaria signa læta: æris trecenta viginti millia: argēti bigati ducenta triginta quatuor millia, in pedites singulos dati octingenti æris: triplex equiti centurionique. Eodem anno Antiochus rex cum hybernasset Ephesi, omnes Asiæ ciuitates in antiquam imperij formulā redigere est conatus: reliquas quidem, aut quia locis planis positæ erāt, aut quia parum mœnibus armisque ac iuuentuti fidebant, haud difficulter iugum accepturas. Smyrna & Lampsacus libertatem vsurpabant: periculumque erat, ne si concessum his foret quos metuebat, Smyrnam in Æolide Ioniaque, Lampsacū in Hellesponto, aliæ vrbes sequerentur. Igitur & ipse ab Epheso ad Smyrnam obsidendā misit: & quæ Abydi copiæ erant præsidio tātum modico relicto, duci ad Lampsacum oppugnandum iussit: nec vi tātum terrebat, per legatos leniter alloquendo, castigandoq. temeritatem & pertinaciam spem conabatur facere, breui quæ peterent habituros. & tum satis & ipsis, & omnibus aliis apparere, ab rege impetratam eos libertatem, non per occasionem raptam habere. Aduersus quæ respondebant, nihil neque mirari, neque succensere. Antiochum debere, si spem libertatis differri non satis æquo animo pateretur. Ipse initio veris nauibus ab Epheso profectus, Hellespontum petit. terrestreis copias ab Abydo traiecit Chersonesi vrbem. terrestri naualem exercitum iunxit. & quia clauserāt portas circumdedit mœnia armatis: & iam opera admouenti deditio est facta. Idem metus tum incolentes alias Chersonesi vrbes in deditionem dedit. Lysimachiam inde omnibus simul naualibus terrestribusque copiis venit. quam cum desertam ac stratam propè ruinis inuenisset (ceperant autem, direptamque incenderāt Thraces paucis ante annis) cupido eum restituendi nobilem vrbem, & loco sitam opportuno, cepit. itaq. omni cura simul est aggressus & tecta murosque restituere: & partim redimere seruientes Lysimachienses, partim fuga sparsos per Hellespontum Chersonesumque conquirere contrahereq; partim nouos colonos, spe commodorum proposita, ascribere, & omni modo frequentare. simul vt Thracum summoueretur metus, ipse parte dimidia terrestrium copiarum ad depopulandum proxima Thraciæ est profectus, partem naualésque socios omnes reliquit in operibus reficiendæ vrbis. Sub hoc tempus & L. Cornelius missus ab senatu ad dirimenda inter Antiochū Ptolemæūmque reges certamina, Selymbriæ substitit: & decem legatorum P. Lentulus à Bargyliis, P. Villius & L. Terentius à Thasso Lysimachiam petierunt. eodem & à Selymbria L. Cornelius, & ex Thracia post paucos dies Antiochus conuenerunt. Primus congressus cum legatis, & deinceps inuitatio benigna & hospitalis fuit. vt de mandatis statúque præsenti Asiæ agi cœptū est, animi exasperati sunt. Romani omnia acta eius, ex quo tēpore è Syria classe soluisset, displicere senatui non dissimulabant: restituique Ptolemæo ciuitates omnes quę ditionis eius fuissent, æquum censēbant. nam quod ad eas ciuitates attineret, quas à Philippo possessas Antiochus per occasionem, auerso Philippo in Romanum bellum intercepisset: id verò ferendum non esse, Romanos per tot annos terra marique tanta pericula ac labores exhausisse. Antiochum belli præ-

A mia habere. Sed vt in Asiam aduentus eius dissimulari ab Romanis, tanquam nihil ad eos pertinens, potuerit: quod iam etiam in Europam omnibus naualibus terrestribusque copiis transierit, quantum à bello aperto Romanis abesse? illum quidem etiam si in Italiam traiiciat, negaturum. Ad ea rex: Satis iā ante videre se, Romanos inquirere, quid regi Antiocho faciendum: at quousque terra marique progrediendum fuerit ipsis, non cogitare. Asiam nihil B ad populum Romanum pertinere: nec magis illis inquirendum esse, quid Antiochus in Asia, quàm Antiocho quid in Italia populus Romanus faciat. Quod ad Ptolemæum attineat, cui ademtas ciuitates querantur: sibi cum Ptolemæo & amicitiam esse, & id agere se, vt breui etiam affinitas iungatur. Nec ex Philippi quidem aduersa fortuna spolia vlla se petisse: aut aduersus Romanos in Europam traiecisse. * fuerit, quo victo omnia quæ illius fuissent, C iure belli Seleuci facta sint: existimare suæ ditionis esse occupatis maioribus suis rerum aliarum alia cura, primo quædam ex his Ptolemæum, deinde & Philippum vsurpando aliena possedisse sicut quædā ex proxima Thracia, quę indubitatè Lysimachi fuerint. ad ea facienda in antiquum venisse: & Lysimachiam deletam Thracum impetu, de integro condere, vt Seleucus filius eam sedem regni habeat. His disceptationibus per dies aliquot habitis, rumor sine vllo satis certo auctore allatus de morte Ptole- D mæi regis, vt nullus exitus imponeretur sermonibus. nam dissimulabat pars vtraque se audisse. & L. Cornelius, cui legatio ad duos reges Antiochum Ptolemęúmque mandata erat, spatium modici temporis ad conueniendum Ptolemęū petebat, vt priusquā moueretur aliquid in noua possessione regni, perueniret in Ægyptum, & Antiochus suam fore Ægyptū, si tum occasio esset, censebat. itaq. dimissis Romanis relictoque Seleuco filio cum terrestribus copiis ad restituendam, vt instituerat, Lysimachiam: ipse omni classe nauigās Ephesum, legatis ad Q. Quin- E tium missis, qui ad fidem de societate agerent, oram Asiæ legens peruenit in Lyciā. Patarisq. cognito viuere Ptolemæum nauigandi quidem in Ægyptum omissum consilium est. Cyprum nihilominus tendens, cum Chelidonium promontorium superasset, paulisper seditione remigum est retentus in Pamphylia circa Eurimedontem amnem. Inde profectū cum ad capita (quæ vocant) Sari fluminis, fœda tempestas oborta propè, cum omni classe demersit. multæ naues eiectæ: multæ ita haustæ mari, vt nemo in F terram enauerit. magna vis hominum ibi interiit, non remigum tantum, militumque ignotorum, sed etiam insignium amicorum. Collectis reliquiis naufragij, cum res non in eo esset, vt Cyprum tentaret, minus opulēto agmine quàm profectus erat, Seleuciam redit. ibi subduci nauibus iussis (iā enim hyēs instabat) ipse in hyberna Antiochiam processit. In hoc statu regum erant res. Romæ eo primum anno triumuiri epulones facti, C. Licinius Lucullus, T. Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & G Pub. Porcius Lecca. His triumuiris item vt pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ ius. Sed magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quæstoribus vrbanis, Quinto Fabio Labeoni, & L. Aurelio. Pecunia opus erat: quod vltimam pensionem pecuniæ in bellum collatæ persoluere placuerat priuatis. quæstores ab auguribus, pōtificibus, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant. ab sacerdotibus tribuni nequicquam appellati, omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est. Eodem anno duo mortui pontifices, no

ces.nouique in eorum locum suffecti:M Marcellus A consul in locum T.Sempronij Tuditani, qui prætor in Hispania decesserat: & L. Valerius in locum M. Cornelij Cethegi. Et Quintus Fabius Maximus augur mortuus est admodum adolescens priusquam vllum magistratum caperet: nec eo anno augur in eius locum est suffectus. Comitia inde consularia habita à M. Marcello consule. creati Coss. L.Valerius Flaccus,M.Porcius Cato. Prætor inde facti C. Fabricius Luscinus,C.Atinius Labeo, Cn.Manlius Volso,App.Claudius Nero, P. Manlius,P. Porcius B Lecca. Ædiles curules, M. Fuluius Nobilior,& C. Flaminius, tritici decies centum millia binis æris populo diuiserunt, id C.Flaminij honoris caussa,ipsius patrisque,aduexerant Siculi Romam. Flaminius gratiam eius communicauerat cum collega. Ludi Romani & apparati magnificè sunt,& ter toti instaurati. Ædiles pl. Cn. Domitius Ænobarbus,& C.Scribonius Curio maximus multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt, tres ex his cōdemnati sunt.ex eorum mulctatitia pecunia ędem in insu- C la Fauni fecerunt. Ludi plebeij per biduum instaurati,& epulū fuit ludorum caussa. L. Valerius Flaccus,& M. Portius quo die magistratum inierunt de prouinciis cum ad senatum retulissent, patres censuerunt, cum in Hispania tantum gliscerет bellum, vt iam consulari & duce & exercitu opus esset, placere,cōsules Hispaniam citeriorem & Italiam prouincias aut comparare inter se,aut sortiri. vtri Hispania prouincia euenisset, eum duas legiones & quinque millia socium Latini nominis, & quingē- D tos equites secum portare, & naues longas viginti ducere. alter cōsul duas legiones scriberet. His Galliam prouinciam obtineri satis esse,fractis proximo anno Insubrium & Boiorum animis. Cato Hispaniam,Valerius Italiam est sortitus. Prætores deinde prouincias sortiti,C. Fabricius Luscinus vrbanam, C. Atinius Labeo peregrinam,C. Mālius Volso Siciliam, Appius Claudius Nero Hispaniam vlteriorem,P.Porcius Lecca Pisas, vt ab tergo Liguribus esset, P. Manlius in Hispaniam citeriorem adiutor E consul datur. T. Quintio, suspectis non solum Antiocho & Ætolis,sed etiam Nabide Lacedæmoniorum tyranno prorogatum in annum imperium est, duas legiones haberet, in eas si quid supplementi opus esset, consules scribere & mittere in Macedoniam iussi. Appio Claudio præter legionem, quam Quintus Fabius habuerat, duo millia peditum & ducentos equites nouos conscribere permissum. Par numerus peditum equitúmque nouorum Pub. Manlio in citeriorem Hispaniam decretus, & legio F eadem quæ fuerat sub Minutio prætore,data. Et P. Porcio Leccæ ad Hetruriam circa Pisas ducenti peditum, & quingenti equites exGallico exercitu decreti. In Sardinia prorogatum imperium Sempronio Lōgo.Prouinciis ita distributis, consules priusquam ab vrbe proficiscerentur, ver sacrum ex pontificum iussu fecere, quod C. Cornelius Mammula prætor vouerat de senatus sententia,populique iussu, Cn.Seruilio,C.Flaminio Coss. annis post vno & viginti factum est quàm votum. Per eosdem dies C. G Claudius Appij filius, Pulcer, augur in Q. Fabij Maximi locum,qui priore anno mortuus erat, lectus inauguratúsque est. Mirantibus iam vulgo hominibus quod Hispania mouisset bellū negligi:literæ à Quinto Minutio allatæ sunt, se ad Turbam oppidum cum Budare & Besaside imperatoribus Hispanis signis collatis prosperè pugnasse: duodecimmillia hostium cæsa: Budarem imperatorem captum,ceteros fusos fugatosque. His literis lectis minus terroris ab Hispanis erat,vnde ingens bellum exspectatum fuerat.Omnes curæ post aduentum vtique decem legatorum in Antiochum regem conuersæ.His expositis prius quę cum Philippo acta essent,& quibus legibus data pax, non minorem belli molē restare ab Antiocho docuerunt.Ingenti classe, egregio terrestri exercitu in Europam eum traiecisse. nisi auertisset vana spes ex vaniore rumore orta Ægypti inuadendæ mox bello Græciam arsuram fuisse.neq. enim ne Ætolos quidem quieturos,cum ingenio inquietam, tum iratam Romanis gentem. hærere & aliud in visceribus Græciæ ingens malū: Nabin nunc Lacedæmoniorum, mox si liceat,vniuersæ Græciæ futurum tyrānum,auaritia & crudelitate omnes fama celebratos tyrannos æquantem. cui si Argos velut arcem Pelopōneso impositam tenere liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus, nequicquam liberatam à Philippo Græciam fore.pro rege,si nihil aliud, longinquo vicinum tyrānum dominum habituram. Hæc cum iam ab grauibus auctoribus, tū qui omnia per seipsos explorata referrent,audirent maiores: quod ad Antiochū attineret maturanda his,cum rex quacunq; de caussa in Syriam concessisset,de tyranno consultatio visa est. Cum diu disceptatum esset,vtrum iam caussæ satis videretur,cur decerneretur,an permitterent T. Quintio,quod ad Nabin Lacedemonium attineret, faceret quæ è repub.censeret esse, permiserunt:eam rem esse rati, quæ maturata dilatave non tam magni momenti ad summam rem populi Romani esset:magis id animaduertendum esse, quid Annibal & Carthaginienses, si cum Antiocho ortum foret bellum acturi essent. Aduersæ Annibali factionis homines principibus Romanis,amicis quisque suis, identidem scribebant: nuntios literasque ab Annibale ad Antiochum missas, & ab rege ad eum clam legatos venisse.vt feras quasdam nunquam mitescere: sic immitem implacabilémque eius viri animū esse.marcescere otio situq.ciuitatem queri eum, & inertia operis: nec sine armorum sonitu excitari posse. Hæc probabilia memoria prioris belli per vnum illum non magis gesti quàm moti faciebat. Irritauerat etiam recenti facto multorum potentiū animos. Indicum ordo Carthagine ea tempestate dominabatur,eo maximè, quod iidem perpetui iudices erant.res,fama, vitaque omniū in illorum potestate erat,qui vnum eius ordinis, & omnes aduersos habebat. nec accusator apud iudices infensos deerat. Horum in tam impotēti regno(neque enim ciuiliter nimiis opibus vtebātur)prætor factus Annibal,vocare ad se quæstorem. Idem pro nihilo habuit.nam & aduersæ factionis erat, & quia ex quæstura in iudices,potentissimum ordinem referebantur:iam pro futuris mox opibus animos gerebat. Enimuerò indignum id ratus Annibal, viatorem ad prehendendum quæstorem misit:subductumque in concionem non ipsum magis quàm ordinem iudicum, præ quorum superbia atque opibus nec leges quicquam essent, nec magistratus, accusauit. & vt secundis auribus accipi orationem animaduertit,& infimorum quoque libertati grauem esse superbiam eorum: legem extemplo promulgauit pertulitque, vt in singulos annos iudices legerentur,ne quis biēnium continuum iudex esset.Ceterum quantam eo facto ad plebem inierat gratiam: tantum magnæ partis principum offendebat animos. Adiecit aliud, quod bono publico sibi proprias simultates irritauit. Vectigalia publica partim negligentia dilabebantur: partim prædæ ac diuisui principū quibusdā& magistratibus erant.quin&pecunia quæ in sti-

pendium Romanis suo quoque anno penderetur, deerat: tributúmque graue priuatis imminere videbatur. Annibal postquam vectigalia quanta terrestria maritimáq. essent, & in quas res erogarentur, animaduertit, & quid eorum ordinarij reipub. vsus consumerent, quantum peculatus auerteret: omnibus residuis pecuniis exactis, tributo priuatis remisso, satis locupletem rép. fore ad vectigal præstádum Romanis pronuntiauit in cócione & præstitit promissum. Tum verò isti quos pauerat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi & irati, Romanos in Annibalē, &ipsos caussam odij quærentes, instigabant. Itaque diu repugnante Scipione Africano, quia parú ex P.R. dignitate esse ducebat subscribere odiis accusationibúsq. Annibalis & factionibus Carthaginiensium inserere publicam auctoritatem, nec satis habere bello vicisse Annibalem, nisi velut accusatores calumniam in eum iurarent, ac nomen deferrent: tandem peruicerunt, vt legati Carthaginem mitterentur, qui apud senatum eorú arguerent Annibalem cum Antiocho rege consilia belli faciendi inire. Legati tres missi C. Seruilius, M. Claudius Marcellus, Quintus Terentius Culleo. qui cùm venissent, ex consilio inimicorum Annibalis, quærentibus caussam aduentus, dici iusserunt, venisse ad controuersias, quæ cum Masanissa rege Numidarum Carthaginiensibus essent, dirimendas, id creditum vulgo, Annibalem vnum se peti ab Romanis non fallebat, & ita pacem Carthaginiensibus datam esse, vt inexpiabile bellum aduersus se vnum maneret. itaque cedere tempori & fortunę statuit, & præparatis iam omnibus ante ad fugam, obuersatus eo die in foro auertendæ suspicionis caussa, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus ignaris consilij est egressus. Cùm equi quo in loco iussi erant præsto fuissent, nocte via cita regionem quandam agri Vocani transgressus, postero die manè inter Acyllam & Thapsum ad suá turrim peruenit. ibi eum parata instructáq. remigio excepit nauis. ita Africa Annibal excessit, sæpius patriæ quàm suorum euentus miseratus. Eo die in Cercinā insulā traiecit. vbi cùm in portu naues aliquot Pœni onerarias cum mercibus inuenissent, & ad egressum eum è naue concursus salutantium esset factus percunctantibus legatum se Tyrú dici iussit: veritus tamen ne qua earum nauis nocte profecta Thaysum aut Acyllam nuntiaret se Cercinæ visum sacrificio apparari iusso magistros nauium mercatoréſque inuitari iussit: & vela cum antennis ex nauib. corrogari, vt vmbra (etenim media æstas fortè erat) cœnantib. in littore fieret. quantú res & tempus patiebatur, apparatę celebratæq. eius diei epulę sút: multóq. vino in serú noctis cóuiuiú productú. Annibal quú primum fallendi eos, qui in portu erát, tempus habuit: nauem soluit. ceteri sopiti cùm postero die tádem ex somno pleni crapulæ surrexissent, id quod serum erat, aliquot horas remis in naues collocandis & aptandis armamentis absumserunt. Carthagine & multitudinis assuetæ domum Annibalis frequentare concursus ad vestibulum ædium est factus: & vt non comparere eum vulgatum est, in forum turba conuenit principem ciuitatis quærentium, & alij fugam conscisse (id quod erat) alij fraude Romanorum interfectum. idque magis ferebant: variosque vultus cerneres, vt in ciuitate aliorum alias partes fouentiú factionibus. visum deinde Cercinæ eum, tandem allatum est. Romani legati cum in senatu exposuissent, compertum patribus Romanis esse, & Philippum regem ante ab Annibale ma-

A ximè accensum, bellum populo Romano fecisse: & nunc literas nuntiosque ab eo ad Antiochú regem profectos, haud quieturum ante, quàm bellum toto orbe terrarum concisset: ne his* debere impunè esse, si satis facere Carthaginienses populo Romano vellent: nihil eorum sua voluntate, nec publico consilio factum esse, Carthaginienses responderunt quicquid æquum censuissent Romani, facturos esse. Annibal prospero cursu Tyrum peruenit: exceptusque à conditoribus Carthaginis vt alia patria, vir tam clarus omni genere honorum, paucos B moratus dies Antiochiam nauigat. ibi profectum iam regem cum audiuisset: filium eius solemne ludorum ad Daphnen celebrantem conuenisset, comiter, ab eo exceptus, nullá moram nauigandi fecit. Ephesi regem est consecutus, fluctuantem adhuc animo incertúmque de Romano bello, sed haud paruum momentum animo eius ad moliendum aduétus Annibalis fecit. Ætolorum quoque eodem tempore alienati ab societate Romana animi sunt: C quorum legatos Pharsalum & Leucadem, & quasdam alias ciuitates ex primo fœdere petentes, senatus ad Quinctium reiecit.

DECADIS QVARTAE

LIBER IV.

D INter bellorum magnorum, aut vix dum finitimorum, aut imminentium curas intercessit res parua dictu, sed quæ studiis in magnum certamē excesserit. M. Fundanius, & L. Valerius tribuni plebis ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio, T. Sépronio Coss. in medio ardore Punici belli ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestiméto versicolori vteretur: neu iuncto vehiculo in vrbe op- E pidóve, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur. M. & P. Iunij Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur: nec eam se abrogari passuros aiebant. Ad suadendum dissuadendúmque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum fauentium aduersantiumque legi complebatur. Matronæ nulla nec auctoritate, nec verecundia, nec imperio virorum contineri limine poterant omnes vias vrbis, aditusque in forum obsidebant, viros descendentes ad fo- F rum orantes, vt florente republica, crescente indies priuata omnium fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. augebatur hæc frequentia mulierum indies: nam etiam ex oppidis conciliabulisque conueniebant. iam & consules prætorésque, & alios magistratus adire & rogare audebant. ceterum minimè exorabilem alterum vtique consulem M. Porcium Catonem habebant: qui pro lege, ne abrogaretur, ita disseruit: Si in sua quisque nostrum matrefamilias, Quirites, G ius & maiestatem viri retinere instituisset, minus cum vniuersis fœminis negotij haberemus. Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, vniuersas horremus. Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse virorum omne genus in aliqua insula cóiuratione muliebri à stirpe sublatum esse. Ab nullo genere nó æquè summum periculum est, si cœtus & concilia & secretas consultationes esse sinas. Atque ego vix statuere

statuere apud animum meum possum, vtrum peior ipsa res, an peiore exemplo agatur. quorum alterum ad nos Coss. reliquosque magistratus, alterum ad vos Quirites magis pertinet. Nam vtrum è republica sit necne, id quod ad vos fertur: vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, siue sua sponte, siue auctorib. vobis M. Fundani & L. Valeri facta est, haud dubiè ad culpam magistratuum pertinens, nescio vobis tribuni, an Coss. magis sit deformis: vobis, si fœminas ad concitādas tribunitias seditiones iam adduxistis: nobis, si vt plebis quondā, sic nunc mulierū secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam paulò antè per medium agmen mulierum in forum perueni. quod nisi me verecundia singularum magis maiestatis & pudoris, quàm vniuersarum tenuisset, ne compellatæ à consule viderētur, dixissem, qui hic mos est in publicum procurrendi, & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? istud ipsum suos quæque domi rogare non potuistis? an blandiores in publico quàm in priuato & alienis quàm vestris estis? quanquam ne domi quidem vos, si sui iuris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur abrogarenturque curare decuit. Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt in manu esse parentum, fratrum, virorum: nos (si diis placet) iam etiam rempublic. capessere eas patimur: & foro quoque & concionibus & comitiis immisceri. quid enim nunc aliud per vias & compita faciunt, quàm quod aliæ rogationes tribunorum plebis suadent: aliæ legem abrogandam censent? Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali: & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimum hoc eorum est, quæ iniquo animo fœminę sibi aut moribus aut legibus iniunctum patiuntur, omnium rerum libertatem imo licentiam, si vera dicere volumus desiderant. quid enim, si hoc expugnauerint, nō tentabunt? Recēsete omnia muliebria iura, quibus licentiā earum alligauerint maiores nostri, per quæque subiecerint viris. quibus omnibus constrictas vix tamen continere potestis. quid si carpere singula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini: tolerabiles vobis eas fore creditis? extemplo simul pares esse cœperint, superiores erunt. At hercule ne quid nouum in eas rogetur, recusant: non ius, sed iniuriā deprecātur, imo vt quam accepistis, iussistis suffragiis vestris legem, quàm vsu tot annorum & experiendo comprobastis hanc vt abrogetis: id est vt vnam tollendo legem, ceteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus est, id modo quæritur, si maiori parti & in summam prodest. si quod cuiquā priuatim officiet ius, id destruet ac demolietur: quid attinebit vniuersas rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audire quid sit propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum, ac vix foro se & concione abstineant, vt captiui ab Annibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum? procul abest, absitque semper talis fortuna reipub. sed tamen cùm fuit negastis hoc piis precibus earum. At non pietas nec solicitudo pro suis, sed religio congregauit eas. Matrem Idæam Pessinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? Vt auro & purpura fulgeamus, inquiunt: vt carpentis festis profestisq. diebus velut triūphātes de lege victa & abrogata & captis & ereptis suffragiis vestris per vrbem vectemur: ne vllus modus sumtibus, nec luxuriæ sit. Sæpe me

A querentem de fœminarum sæpe de virorum, nec de priuatorum modo, sed etiam magistratuum sumtibus audistis: diuersisque duobus vitiis, auaritia & luxuria ciuitatem laborare: quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Hæc ego quo melior lætiórque indies fortuna reipub. est, quo magis imperium crescit, & iam in Græciam Asiámque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eo plùs horreo, ne B illæ magis res nos ceperint, quàm nos illas. infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic vrbi. iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantésque, & antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. ego hos malo propitios deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus non virorum modo, sed etiam mulierum animos donis tentauit. C nondum lex Oppia ad coërcendam luxuriam muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. quam caussam fuisse censetis, eadem fuit, quæ maioribus nostris nihil de hac re lege sanciendi. Nulla erat luxuria, quæ coerceretur. Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum: sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges quæ iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vectigalis iam & stipendiaria plebs esse senatui D cœperat? Itaque minimè mirandum est, nec Oppiā nec aliam vllam tum legem desideratam esse, quæ modum sumtibus mulierum faceret, cùm aurum & purpuram data & oblata vltro non acciperent. Si nunc cum illis donis Cyneas vrbē circumiret, stantes in publico inuenisset quę acciperent. Atque ego nonnullarum cupiditatum ne caussam quidē aut rationem inire possum. Nam vt quod alii liceat tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris, aut indignationis habeat: sic æquato omnium E cultu, quid vnaquæque vestrûm veretur, ne in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parsimoniæ vel paupertatis, sed vtrunque lex vobis demit, cum id quod habere non licet non habetis. Hanc inquit, ipsam exæquationem non fero, illa locuples cur non insignis auro & purpura conspicior? cur paupertas aliarum sub hac legis specie latet, vt quod habere non possunt, habituræ, si liceret, fuisse videantur? Vultis hoc certamen vxoribus vestris inicere Quirites, vt diuites id habere velint, F quod nulla alia possit? pauperes, ne ob hoc ipsū contemnantur, supra vires se extendant? Nę simul pudere quod non oportet, cœperit: quod oportet, non pudebit. Quæ de suo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum & qui exoratus, & qui non exoratus erit, cum quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant, & quod maius est, legem & suffragia rogant, & à quibusdam impetrant aduersus te & rem tuam & liberos tuos inexorabiles. G simul lex modum sumtibus vxoris tuæ facere desierit: tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare Quirites futuram rem, quo fuit antequam lex de hoc ferretur. & hominem improbum non accusari tutius est, quàm absolui: & luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nūc ipsis vinculis, sicut fera bestia, irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo. vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim. Post hæc tribuni quoque plebis, qui se intercessuros professi erant, cùm pauca in eandem sententiam adiecissent, tum

L. Valerius pro rogatione ab se promulgata ita disseruit: Si priuati tantummodo ad suadendum dissuadendúmque id quod à nobis rogatur, processissent, ego quoque cum satis dictum pro vtraq. parte existimaré, tacitus suffragia vestra exspectassem. Nunc cum vir grauissimus Cos. M. Porcius nō auctoritate solum, quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiam longa & accurata insectatus sit rogationem nostram, necesse est paucis respondere. qui tamen plura verba in castigandis matronis, quam in rogatione nostra dissuadenda consumsit. & quidem vt in dubio poneret, vtrum id quod reprehenderet, matronæ sua sponte, an nobis auctoribus fecissent. Rem defendam, non nos: in quos iecit magis hæc Cos. verbo tenus, quàm vt re insimularet. Cœtum & seditiones, & interdum secessionem muliebrem appellauit, quod matronæ in publico vos rogassent, vt legem in se latam per bellum temporibus duris, in pace & florente ac beata repub. abrogaretis. Verba magna quæ rei augendæ caussa conquirátur, & hæc & alia esse scio, & M. Catonem oratorem non solum grauem, sed interdum etiá trucé esse scimus omnes, cum ingenio sit mitis. Nam quid tandem noui matronæ fecerunt, quod frequentes in caussa ad se pertinente in publicum processerunt? nunquam ante hoc tempus in publico apparuerút? Tuas aduersus te Origines reuoluam, accipe quoties id fecerint, & quidem semper bono publico. Iam à principio regnante Romulo, cú Capitolio ab Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, nonne intercursu matronarum inter acies duas, prælium sedatú est? Quid regibus exactis, cú Coriolano Marcio duce legiones Volscorum castra ad quintum lapidem posuissent, nonne id agmé quo obruta hæc vrbs esset, matronæ auerterunt? Iam vrbe capta à Gallis, aurú quo vrbs redempta est, nónne matronæ consensu omnium in publicum contulerunt. Proximo bello (ne antiqua repetam) nonne & cum pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adiuuerunt ærarium? & cum dij quoque noui ad opem ferendam dubiis rebus accerserentur: matronæ vniuersæ ad mare profectæ sunt ad matrem Idæam accipiendam? Dissimiles, inquit, caussæ sunt. nec mihi caussas æquare propositum est. nihil nouum factum purgare satis est. Cæterum quod in rebus ad omnes pariter viros fœminasque pertinentibus fecisse eas nemo miratus est, in caussa proprie ad ipsas pertinente miramur fecisse? Quid autem fecerunt? superbas medius fidius aures habemus, si cú domini seruorum non fastidiant preces, nos rogari ab honestis fœminis indignamur? Venio nunc ad id de quo agitur: in quo duplex consulis oratio fuit. ná & legem vllam omnino abrogari est indignatus, & eam præcipuè legem. quæ luxuriæ muliebris coercédę caussa lata esset. & illa communis pro legibus visa consularis oratio est: & hæc aduersus luxuriá seuerissimis moribus conueniebant. Itaque periculum est, nisi quid in vtraq. vani sit docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis caussa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut vsus coarguit, aut status aliquis reipub. inutilem fecit: sic quas tempora aliq. desiderarunt, leges, mortales (vt ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video. quæ in pace latæ sunt, plerunque bellum abrogat: quæ in bello, pax: vt in nauis administratione alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui sunt. Hæc cum ita natura distincta sint, ex vtro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? Quid vetus

A regia lex, simul cum ipsa vrbe nata? aut (quod secundum est) à decemuiris ad condenda iura creatis in XII. tabulis scripta? sine qua cum maiores nostri nō existimarint matronale decus seruari posse: nobis quoque ferendú sit, ne cú ea pudoré sanctitatemq; fœminarum abrogemus? Quis igitur nescit nouam istam legem esse, Q. Fabio, T. Sempronio consulibus XX. annis ante latā? sine qua cum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint. quod tandem ne abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculú est?

B Nam si ista lex id eo lata esset, vt finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret. cur sit autem lata, ipsum indicauit tempus. Annibal in Italia erat victor ad Cannas: iam Tarentum, iam Arpos, iam Capuam habebat: ad vrbem Romam admoturus exercitum videbatur, defecerant socij, non milites in supplementum, non socios nauales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: serui, quibus arma darentur, ita vt pretium pro iis bello perfecto dominis sol-

C uerentur, emebantur: in eádem diem frumentum & cætera quæ belli vsus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi erát: seruos ad remum numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus: aurum & argentum omne à senatoribus eius rei initió orto, in publicum conferebamus. viduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant: cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus. Tali tempore in luxuria & ornatu matronæ

D occupatæ erant, vt ad eam coercendam lex Oppia desiderata sit: cum quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, senatus finiri luctum triginta diebus iussit. Cui non apparet, ob inopiam & miseriá ciuitatis, quia omnium priuatorum pecuniæ in vsum publicum vertendæ erant, istam legem scriptam, tamdiu mansuram, quamdiu caussa scribendæ legis mansisset. Nam si quæ tunc temporis caussa aut decreuit senatus, aut populus iussit, in perpetuum seruari oportet: cur

E pecunias reddimus priuatis? cur publica præsenti pecunia locamus? cur serui qui militent nō emuntur? cur priuati nō damus remiges, sicut tunc dedimus? Omnes alij ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum reipublicæ sentient: ad coniuges tantum nostras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet? Purpura viri vtemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis vtentur: magistratibus in coloniis municipiisq́ue, hic Romæ infimo

F genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus: nec id vt viui solum habeant tantum insigne, sed etiam vt cum eo crementur mortui: fœminis duntaxat purpuræ vsu interdicemus? & cùm tibi viro liceat purpura in veste stragula vti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere nō sines? & equus tuus speciosius instratus erit, quàm vxor vestita? Sed in purpurea, quæ teritur, absumitur, iniustam quidem, sed aliquam tamen caussam tenacitatis video: in auro verò, in quo præ-

G ter manus pretium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? præsidium potius in eo est, & ad publicos, & ad priuatos vsus: sicuti experti estis. Nullam æmulationem inter se singularum, quádo nulla haberet, esse aiebat. At hercule vniuersis dolor & indignatio est, cum sociorum Latini nominis vxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint: cùm insignes eas esse auro & purpura: cum illas vrbe per vrbé: se pedib. sequi, tanquam in illarú ciuitatib. nō in sua imperiú sit. Virorú hoc animos

vulnera

vulnerare posset: quid muliercularum cęteris, quas A etiam parua mouent? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica his contingere possunt munditiæ, & ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt: his gaudent & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri. Quid aliud in luctu, quàm purpuram atque aurum deponunt? quid cum eluxerunt, sumunt? quid in gratulationibus supplicationibusque, nisi excellentiorem ornatum adiiciunt? Scilicet si legem Oppiam abrogaueritis, non vestri arbitrij erit, si quid eius vetare volueritis, B quod nunc lex vetat. Minus filiæ, vxores, sorores, etiam quibusdam in manu erunt. Nunquam saluis suis exuitur seruitus muliebris. & ipsæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, detestatur. In vestro arbitrio suum ornatum, quàm in legis malũt esse, & vos in manu & tutela, nō in seruitio debetis habere eas, & malle patres vos aut viros, quā dominos dici. Inuidiosis nominibus vtebatur modo consul seditionem muliebrem & secessionem appellando. Id C enim periculum est, ne sacrum montem, sicut quondam irata plebs, aut Auentinum capiant. Patiēdum huic infirmitati est quodcunque vos censueritis. quo plus potestis, eo moderatius imperio vti debetis. Hæc cum contra legem, proque lege dicta essent: aliquanto maior frequentia mulierum postero die sese in publicum effudit: vnoque agmine omnes Brutorum ianuas obsederunt, qui collegarum rogationi intercedebant: nec ante abstiterunt. quàm remissa intercessio à tribunis est. Nulla deinde dubitatio fuit, quin omnes tribus legem abrogarent. D annis viginti post abrogata est, quàm lata. M. Porcius consul, posteaquam abrogata est Oppia lex, extemplo vigintiquinque nauibus longis, quarum quinque sociorum erant, ad Lunæ portum profectus, eodem exercitu conuenire iusso, & edicto per oram maritimam misso, nauibus omnis generis contractis, à Luna proficiscens, edixit, vt ad portum Pyrenæi sequerentur, inde se frequenti classe ad hostes iturum. Preteruecti Ligustinos montes, sinúmque Gallicum, ad diem quam edixerat, cōuenerunt. E Inde Rhodam ventum, & præsidium Hispanorum, quod in castello erat, vi deiectum ab Rhoda secundo vento Emporias peruentum. ibi copiæ omnes, præter socios nauales, in terram expositæ. Iam tunc Emporiæ duo oppida erant muro diuisa vnum Græci habebant à Phocæa, vnde & Massilienses oriundi: alterum Hispani, sed Græcum oppidum in mare expositum, totum orbem muri minus quadringētos passus patentem habebat: Hispanis retractior F à mari trium millium passuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni ab diuo Cæsare post deuictos Pompeij libertos adiecti. nunc in corpus vnum confusi omnes, Hispanis prius, postremo & Græcis in ciuitatem Romanam adsciti. Miraretur quis, cū cerneret aperto mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam ferè & bellicosæ genti obiectos, quæ res eos tutaretur. disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optimè timor continet. Partem muri versam in agros egregiè G munitam habebant, vna tantũ in eā regionem porta imposita: cuius assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat. nocte pars tertia ciuiũ in muris excubabat: neq. moris tātum aut legis caussa, sed quāta si hostis ad portas esset, obseruabant vigilias, & circumibant cura. Hispanum neminem in vrbem recipiebant. ne ipsi quidem temere vrbe excedebant. ad mare patebat omnibus exitus. porta ad Hispanorum oppidum versa nunquā nisi frequentes, pars tertia ferè, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. caussa exeundi hæc erat: cōmercio eorum Hispani imprudentes maris gaudebant: mercariq. & ipsi ea, quæ externa nauibus inueherentur, & agrorum exhibere fructus volebant. huius mutui vsus desiderium, vt Hispana vrbs Græcis pateret, faciebat. Erant etiam eo tutiores, quod sub vmbra Romanæ amicitiæ latebant, quam sicut minoribus viribus quàm Massilienses: ita pari colebāt fide. tunc quoque consulem exercitumq. comiter ac benignè acceperūt. Paucos ibi moratus dies Cato, dum exploraret vbi & quantæ hostium copiæ essent, vt ne mora quidem segnis esset: omne id tempus exercendis militibus consumsit. Id erat forte tempus anni, vt frumentum in areis Hispani haberent. Itaq. redemtoribus vetitis frumentum parare, ac Romam dimissis: Bellum, inquit, seipsum alet. profectus ab Emporiis agros hostium vrit, vastātque: omnia fuga & terrore complet. Eodem tempore M. Heluio decedenti ex vlteriore Hispania cum præsidio sex millium dato ab Appio Claudio prætore Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Iliturgi occurrerunt. Viginti millia armatorum fuisse Valerius scribit: duodecim millia ex iis cæsa, oppidum Iliturgi receptum, & puberes omnes interfectos. Inde ad castra Catonis Heluius peruenit. & quia tuta iam ab hostibus regio erat: præsidio in vlteriorem Hispaniam remisso, Romam est profectus: & ob rem feliciter gestam ouans vrbem est ingressus. Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia pondo, septingenta triginta duo. & signati bigatorum XVII. millia XXIII. & Oscensis argenti CXX. millia CCCCXXXVIII. Caussa triumphi negandi senatui fuit, quod alieno auspicio, & in aliena prouincia pugnasset. Ceterum biennio post redierat, cū prouincia successori Q. Minutio tradita, annūm insequentem retentus ibi longo & graui morbo fuisset. Itaque duobus modo mensibus ante Heluius ouans vrbem est ingressus, quàm successor eius Q. Minutius triumpharet. Hic quoq. tulit argenti pondo triginta quatuor millia octingenta bigatorũ LXXVIII. millia. & Oscensis argenti CCLXXVIII. millia. in Hispania interim consul haud procul Emporiis castra habebat, eo legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus vnus filius erat, venerūt, querentes castella sua oppugnari: nec spem vllam esse resistendi, nisi præsidio Romanus miles esset, V. millia militum satis esse: nec hostes, si tanta manus venisset, mansuros. Ad ea consul, moueri quidē se vel periculo eorum, vel metu dicere: sed sibi nequaquam tantum copiarum esse, vt cum magna vis hostium haud procul absit, cū qua mox signis collatis dimicandum sibi indies exspectet: diuidendo exercitum, minuere tuto vires posset. Legati vbi hæc audiuerunt, flentes ad genua consulis prouoluuntur. orant, ne se in reb. tam trepidis deserat, quo enim se repulsos ab Romanis ituros? nullos se socios, nihil vsquam in terris aliud spei habere potuisse, se extra id periculum esse, si decedere fide, si coniurare cum ceteris voluissent, nullis minis, nullis terriculis se motos, sperantes satis opis & auxilij sibi in Romanis esse. id si nullum sit, si sibi à consule negetur, deos hominésque se testes facere, inuitos & coactos se, ne eadem quæ Sagūtini passi sunt, patiantur, defecturos, & cum ceteris potius Hispanis quàm solos perituros esse. Et illo quidem die sic sine responso dimissi. Consulem nocte quæ insecuta est, anceps cura agitare. nolle deserere socios, nolle minuere exercitum, quod aut moram sibi ad dimicandum, aut in dimicando periculum afferret.

A possset. stat sententia non minuere copias, ne quid interim hostes inferant ignominiæ: sociis spem pro re ostendendam censet. Sæpe vana pro veris, maximè in bello valuisse: & credentem se aliquid auxilij habere, perinde atque haberet, ipsa fiducia & sperando atque audendo seruatum. Postero die legatis respondit: quanquam vereatur, ne suas vires aliis eas commodando minuat, tamen illorum se temporis ac periculi magis quàm sui rationem habere. denunciari militum parti tertiæ ex omnibus B cohortibus iubet, vt cibum, quem in naues imponant, maturè coquant: nauesque in diem tertium expediri iussit: duos ex legatis Bilistagi atque Ilergetibus nuntiare ea iubet: filium reguli comiter habendo, & muneribus apud se retinet. Legati non ante profecti quàm impositos in naues milites viderunt: id pro haud dubio iam nuntiantes, non suos modo, sed etiam hostes fama Romani auxilij aduẽtantis impleuerunt. Consul vbi satis quod in speciẽ fuit, ostẽtatum est, reuocari ex nauibus milites iu- C bet. ipse cum iam ad tempus anni appeteret, quo geri res possent: castra hyberna mille passuum ab Emporiis posuit, inde per occasiones nunc hac parte, nunc illa, modico præsidio castris relicto, prædatum milites in hostium agros educebat. Nocte ferme proficiscebantur, vt & quàm longissimè à castris procederent, & inopinantes opprimerent. & exercebat ea res nouos milites, & hostium magna vis excipiebatur: nec iam egredi extra munimenta castellorum audebant. Vbi satis admodum & suorum & hostium animos est expertus, conuocari tribunos præ- D fectósque, & equites omnes & centuriones iussit: Tempus, inquit, quod sæpe optastis, venit: quo vobis potestas fieret virtutem vestram ostendendi. Adhuc prædonũ magis quam bellantium militastis more. Nunc iusta pugna hostes cum hostibus conferetis manus. non agros inde populari, sed vrbiũ opes haurire licebit. Patres nostri cum in Hispania Carthaginiensium & imperatores ibi & exercitus essent: ipsi nullũ imperatorem, nullos in ea milites haberent: tamen addere hoc in fœdere voluerunt, vt E imperij sui Iberus fluuius esset finis. Nunc cum duo prætores, cum Cos. cum tres exercitus Romani Hispaniam obtineát: Carthaginiensium iam prope decem annis nemo in his prouinciis sit: imperium nobis citra Iberum amissum est. hoc armis & virtute recuperetis oportet: & nationem rebellantem magis temere quàm constanter bellantem, iugum quo se exuit, accipere rursus cogatis. In hunc modum maximè adhortatus, pronuntiat se nocte ad castra hostium deducturum. Ita ad corpora curanda dimissi. F Nocte media, cum auspicio operam dedisset, profectus, vt locum quem vellet, priusquam hostes sentirent, caperet: præter castra hostium circumducit: & prima luce acie instructa sub ipsum vallum tres cohortes mittit. Mirantes barbari à tergo apparuisse Romanum, discurrere ipsi ad arma. Interim consul apud suos: Nusquam nisi in virtute spes est, milites, inquit, & ego sedulo, ne esset, feci. inter castra no- G stra & nos, medij hostes: ab tergo hostium ager est. Quod pulcherrimũ, idem tutissimum est, in virtute, spem positam habere. Sub hæc cohortes recipi iubet, vt barbaros simulatione fugæ eliceret. Id quod crediderat, euenit. pertimuisse & cedere rati Romanos, porta erumpunt: & quantum inter castra sua & hostium aciem relictum erat loci, armatis complét. Dum trepidant acie instruenda, consul iam paratis ordinatisque omnibus incompositos aggreditur. Equites primo ab vtroque cornu in pugnam induxit. sed in dextro extemplo pulsi, cedentésque trepidi etiam pediti terrorem intulere. Quod vbi vidit Consul duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci iubet: & ab tergo se ostendere prius quam concurrerent peditum acies. Is terror obiectus hosti, rem metu Romanorum equitum inclinatam æquauit. tamen adeò turbati erant dextræ alæ equites peditesque, vt quosdam Cos. manu ipse reprehenderit, & aduersos in hostem verterit. ita & quamdiu missilibus pugnatum est, anceps pugna erat: & iam ab dextra parte, vnde terror & fuga cœperat, ægrè Romanus resistebat. à sinistro cornu & ab fronte vrgebantur barbari, cohortes ab tergo instantes pauidi respiciebant. vt emissis soliferreis falaricisque gladios strinxerunt, tum velut redintegrata est pugna. non cæcis ictibus procul ex improuiso vulnerabantur: sed pede collato, tota in virtute ac viribus spes erat. Fessos iam suos Cos. ex secunda acie subsidiariis cohortibus in pugnam inductis, accendit: noua acies facta, integri recentibus telis fatigatos adorti hostes, primum acri impetu velut cuneo perculerunt: deinde dissipatos in fugam auerterunt: effusóque per agros cursu, castra repetebantur. Vbi omnia fuga completa vidit Cato, ipso ad secundam legionem, quæ in subsidio posita erat, equo reuehitur: & signa præ se ferri, plenoque gradu ad castra hostium oppugnanda succedere iubet. si quis extra ordinem auidius procurrit, ipse interequitans spato percutit, & tribunos centurionésque castigare iubet. Iam castra hostium oppugnabantur: saxisque & sudibus & omni genere telorum summouebantur à vallo Romani. vbi recens admota legio est, tum & oppugnantib. animus creuit, & infensius hostes pro vallo pugnabant. Cos. omnia oculis perlustrat: vt qua minima vi resistatur, ea parte irrumpat. ad sinistram portam infrequentes videt: eo secundæ legionis principes hastatosq. inducit. Non sustinuit impetum eorũ statio, quæ portę opposita erat. & ceteri postquam intra vallum hostes vident, ipsis castris exuti, signa armaque abiiciunt. cæduntur in portis suomet ipsi agmine in arcto herẽtes, secundani terga hostium cędunt, ceteri castra diripiunt. Valerius Antias supra sexaginta millia hostium cæsa eo die scribit. Cato ipse haud sanè detrectator laudum suarum multos cæsos ait, numerum non adscribit. Tria eo die laudabilia fecisse putatur. Vnum, quod circumducto exercitu procul nauibus suis castrisque, vbi spem nisi in virtute haberent, inter medios hostes prælium commisit: alterum, quod cohortes ab tergo hostibus obiecit: tertium quod secundam legionem, ceteris omnibus effusis ad sequendos hostes, pleno gradu sub signis compositam instructamq. subire ad portam castrorum iussit. Nihil deinde à victoria cessatũ cùm receptui signo dato suos spoliis onustos in castra reduxisset, paucis horis noctis ad quietem datis ad prædandum in agros duxit. effusius, vt sparsis hostibus fuga, prædati sunt. quæ res non minus quàm pugna pridie aduersa Emporitanos Hispanos accolasque eorum in deditionem compulit. multi & aliarum ciuitatum qui Emporias perfugerant, dediderunt se: quos omnes appellatos benignè, vinoq. & cibo curatos, domos dimisit. Confestim inde castra mouit. & quacunque incedebat agmen, legati dedentium ciuitates suas occurrebant. & cum Tarraconem venit, iam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat, captiuique & Romani & socium ac Latini nominis variis casibus in Hispania oppressi, domum Cos. à barbaris reducebantur. Fama deinde vulgatur, Cos. in Turdetaniam exercitũ ducturum: & ad deuios montanos profecturum etiam

falso

falso perlatum est. Ad hunc vanũ & sine auctore vllo rumore Bergistanorum ciuitatis septem castella defecerunt. eos deducto exercitu Cos. sine memorando prælio in potestatem redegit. Haud ita multo post iidem regresso Tarraconem Cos. priusquam inde quoquam procederet, defecerunt. Iterum subacti: sed non eadem venia victis fuit. sub corona væniere omnes, ne sæpius pacem solicitarent. Interim Pub. Manlius prætor, exercitu vetere à Q. Minutio, cui successerat, accepto, adiuncto & Ap. Claudij Neronis ex vlteriore Hispania vetere item exercitu, in B Turdetaniam proficiscitur. Omnium Hispanorum maximè imbelles habentur Turdetani. freti tamen multitudine sua, obuiam ierunt agmini Rom. Eques immissus turbauit extemplo aciem eorum, pedestre prælium nullius fermè certaminis fuit. milites veteres periti hostium bellique haud dubiam pugnam fecerunt. Nec tamen ea pugna debellatum est. X. millia Celtiberum mercede Turdetani conducunt, alienisque armis parabant bellum. Cos. interim rebellione Bergistanorum ictus, ceteras C quoque ciuitates ratus per occasionem idem facturas, arma omnibus cis Iberum Hispanis ademit. quam rem adeo ægrè passi, vt multi mortem sibimetipsi consciscerent: ferox gens nullam vitam rati sine armis esse. Quod vbi Cos. renuntiatum est, senatores omnium ciuitatum ad se vocari iussit. atque iis: Non nostra, inquit, magis quàm vestra refert vos non rebellare: siquidem id maiore Hispanorum malo, quàm exercitus Romani labore semper adhuc factum est. id vt ne fiat, vno modo arbitror caueri D posse, si effectum erit, ne possitis rebellare. volo id quàm mollissima via consequi, vos quoque in ea re consilio me adiuuate. nullum libẽtius sequar, quam quod vosmetipsi attuleritis. Tacentibus spatium se ad deliberandum dierum paucorum date dixit. cùm reuocati secundo quoque concilio tacuissent, vno die muris omnium dirutis, ad eos qui nondum parebant, profectus: vt in quanque regionem venerat, omnes qui circa incolebant, populos in deditionem accepit. Segesticam tantum grauem atque opulentam ciuitatem vineis & pluteis cepit. Eo maiorem habebat difficultatem in subigẽdis hostibus, E quàm qui primi venerant in Hispaniam, quod ad illos tædio imperij Carthaginiensium Hispani deficiebant: huic ex vsurpata libertate in seruitutẽ velut asserendi erãt. & ita mota omnia accepit, vt alij in armis essent, alij obsidione ad defectionem cogerentur: nec nisi in tempore subuentum foret, vltra sustentaturi fuerint. Sed in Cos. ea vis animi atq; ingenij fuit, vt omnia maxima minimàq. per se adiret F atq; ageret: nec cogitaret modo imperarétq. quæ in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret: nec in quenquam omnium grauius seueriúsq. quàm in semetipsum imperium exerceret: parsimonia & vigiliis & labore cum vltimis militũ certaret: nec quicquam in exercitu suo præcipui, præter honorẽ atq. imperium haberet. Difficilius bellum in Turdetania prætori Pub. Manlio Celtiberi mercede exciti ab hostibus, sicũt ante dictũ est, faciebant. itaq. eò Cos. accersitus literis prætoris legiones duxit. Vbi eò G venit (castra separatim Celtiberi & Turdetani habebãt) cum Turdetanis extemplo leuia prælia incursantes in stationes eorum Romani facere: semperq. victores ex quamuis temere cœpto certamine abire. Ad Celtiberos in colloquium tribunos militum ire Cos. atq. iis trium conditionum electionem ferre iubet. Primam, si transire ad Romanos velint, & duplex stipendium accipere, quam quantum à Turdetanis pepigissent. alteram, si domos abire, publica fide

A accepta, nihil eam rem noxæ futuram, quod hostibus se Romanorum iunxissent: tertiam, si vtique bellum placeat, diem locúmque constituant, vbi secum armis decernant. A Celtiberis dies ad consultandum petita. concilium immistis Turdetanis habitum magno cum tumultu: eo minus decerni quicquam potuit. Cum incertum bellum an pax cũ Celtiberis esset, commeatus tamẽ haud secus quam in pace, ex agris castellisque hostium Romani portabant, dein sæpe munimẽta eorum, velut communi pacto commercio priuatis induciis ingredientes. Cos. vbi hostes ad pugnam elicere nequit, primum prædatum sub signis aliquot expeditas cohortes in agrum integræ regionis ducit: deinde audito, Sagũtiæ Celtiberum omnes sarcinas impedimẽtáque relicta eo pergit ducere ad oppugnandum. Posteaquã nulla mouẽtur re, persoluto stipendio non suis modo, sed etiam prætoris militibus, relictóque omni exercitu in castris prætorianis, ipse cum septem cohortibus ad Iberum est regressus. Ea tam exigua manu oppida aliquot cepit. defecere ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani. Lacetanos, deuiam & syluestrẽ gentem, cum insita feritas continebat in armis, tum conscientia, dum Cos. exercitúsque Turdulo bello est occupatus, depopulatorum subitis incursionibus sociorum. Igitur ad oppidum eorum oppugnandum Cos. ducit non Romanas modo cohortes, sed iuuentutem etiam merito infensorum iis sociorum. Oppidum longum in latitudinem haud quaquam tantundem patens habebant. Quadringentos inde ferme passus constituit signa. ibi delectarum cohortium stationem relinquens, præcepit eis, ne se ex eo loco ante mouerent, quam ipse ad eos venisset. ceteras copias ad vlteriorem partem vrbis circunducit. Maximum ex omnibus auxiliis numerum Suessetanæ iuuentutis habebat. eos ad murum oppugnandum subire iubet. Quorum vbi arma signáque Lacetani cognouere: memores quàm sæpe in agro eorum impune persultassent, quoties ipsos signis collatis fudissent fugassentq; repente patefacta repẽte porta, vniuersi in eos erumpunt. Vix clamorẽ eorum, nedum impetum Suessetani tulere. quod posteaquam, sicut futurum ratus erat, Cos. fieri etiam vidit, equo citato subter murum hostium ad cohortes aduehitur: atque eas arreptas, effusis omnibus ad sequẽdos Suessetanos, qua silentium ac solitudo erat, in vrbem inducit: priúsque omnia cepit, quàm se reciperent Lacetani. Mox ipsos nihil præter arma habentes in deditionem accepit. Confestim inde victor ad Vergium castrum ducit. Receptaculum id maximè prædonum erat: & inde incursiones in agros pacatos prouinciæ eius fiebant. Transfugit inde ad Cos. princeps Vergestanus: & purgare se ac populares cœpit, non esse in manu ipsis rempublicam. prædones receptos totum suæ potestatis id castrum fecisse. Cos. cum domum redire, confictã aliqua probabili cur abfuisset caussa, iussit. cum se muros subisse cerneret, intentósque prædones ad tuenda mœnia esse: tum vti cum suæ factionis hominibus meminisset arcem occupare. Id vti præceperat, factum repente anceps terror hinc muros ascendentibus Romanis, illinc arce capta barbaros circumuasit. Huius potitus loci Cos. eos qui arcem tenuerant, liberos esse cum cognatis, suáque habere iussit: Vergestanos ceteros quæstori vt venderet imperauit. de prædonibus supplicium sumsit. Pacata prouincia, vectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque, quibus tum institutis locupletior indies prouincia fuit. Ob has res gestas in Hispania, supplicationem in triduum Patres decreue-

runt. Eadem æstate alter Cos. L. Valerius Flaccus in A Gallia cum Boiorum exercitu propter Litaniam syluam signis collatis secundo prælio conflixit. Octo millia Gallorum cæsa traduntur. ceteri omisso bello in vicos suos atque agros dilapsi. Cos. reliquũ æstatis circa Padum Placentiæ & Cremonæ exercitum habuit, restituitque quæ in iis oppidis bello diruta fuerant. Cùm hic status rerum in Italia Hispaniaque esset, T. Quintio in Græcia ita hybernis actis, vt exceptis Ætolis, quibus nec pro spe victoriæ præmia contigerant, nec diu quies placere po- B terat, vniuersa Græcia simul pacis libertatisque perfruens bonis, egregiè statu suo gauderet: nec magis in bello virtutem Romani ducis, quàm in victoria temperantiam iustitiamque & moderationẽ miraretur: senatusconsultum, quo bellum aduersus Nabin Lacedæmonium decretum erat, affertur quo lecto Quintius, conuentus Corinthum omnium sociarum ciuitatum legationibus in diem certam edicto, vbi frequentes vndique principes conuenerunt, C ita vt ne Ætoli quidem abessent, tali oratione est vsus: Bellum aduersus Philippum non magis communi animo consilioque Romani & Græci gesserunt, quàm vtriq. suas caussas belli habuerunt. Nam & Romanorum amicitiam, nunc Carthaginienses hostes eorũ iuuãdo, nunc hic sociis nostris oppugnandis violauerat: & in vos talis fuit, vt nobis etiam si nostrarum obliuisceremur iniuriarum, vestræ iniuriæ satis digna caussa belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex vobis pendet. Refero enim ad vos, vtrum Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide D occupatos, pati velitis sub ditione eius esse: an æquũ censeatis, nobilissimam vetustissimámque ciuitatem in media Græcia sitam, repeti in libertatem: & eodem statu, quo ceteras vrbes Peloponnesi & Græciæ esse. Hæc consultatio, vt videtis, tota de re pertinente ad vos est: Romanos nihil contigit, nisi quatenus liberatæ Græciæ vnius ciuitatis seruitus non plenam nec integram gloriam esse sinit. Ceterum si vos nec cura eius ciuitatis, nec exemplum nec periculum mouet, ne serpat latius contagio eius mali: nos æqui bonique facimus, de hac re vos E consulo, staturus eo quod plures censueritis. Post orationem Romani imperatoris percenseri aliorũ sententiæ cœptæ sunt. Cùm legatus Atheniensium, quantum poterat, gratiis agendis Romanorũ in Græciam merita extulisset, imploratos auxilium aduersus Philippum tulisse opem, nõ rogatos vltro aduersus tyrannum Nabin offerre auxilium: indignatúsq. esset hæc tanta merita sermonibus tamen aliquorum carpi futura calumniantium, cum F fateri potius præteritorum gratiam deberent: apparebat incessi Ætolos. Igitur Alexander princeps gẽtis inuectus primum in Athenienses, qui libertatis quondam duces & auctores, assentationis propriæ gratia communem caussam proderent: questus deinde Achæos Philippi quondam milites, postremum ab inclinata eius fortuna transfugas, & Corinthum recepisse, & id agere, vt Argos habeant: Ætolos G primos hostes Philippi, semper socios Romanorum, pactos in fœdere suas vrbes, agrosque fore deuicto Philippo, fraudari Echino & Pharsalo: insimulauit fraudis Romanos, quod vano titulo libertatis ostentato, Chalcidem & Demetriadem præsidiis tenerent: qui Philippo cunctãti deducere inde præsidia, obiicere semper soliti sunt: nunquã, donec Demetrias Chalcísq. & Corinthus tenerentur, liberam Græciam fore: postremo, manẽdi in Græcia retinẽdiq. exercitus Argos & Nabin caussam facerẽt. Deportarent legiones in Italiã Ætolos polliceri, aut

conditionibus & voluntate sua Nabin præsidium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos in potestate cõsentientis Græciæ esse. Hac vaniloquentia primum Aristænum prætorem Achæorum excitauit. Ne istuc, inquit, Iupiter Opt. Maxim. siuerit, Iunoq. regina, cuius in tutela Argi sunt, vt illa ciuitas inter tyrannum Lacedæmoniũ & latrones Ætolos præmium sit posita in eo discrimine, vt miserius à nobis recipiatur, quã ab illo capta est. Mare interiectum ab istis prædonib. non tuetur nos T. Quinti. quid, si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum nobis est? Linguã tantũ Græcorum habẽt. sicut speciem hominum, moribus ritibúsque efferacioribus quàm vlli barbari, imo quàm rapacissimæ belluæ vtuntur. Itaque vos rogamus Romani, vt & ab Nabide Argos recuperetis, & ita res Græciæ constituatis, vt à latrocinio quoq. Ætolorum satis pacata hæc relinquatis. Romanus cunctis vndique increpantibus Ætolos, responsurum se fuisse iis dixit, nisi ita infensos omnes in eos videret, vt sedandi potius, quàm irritandi essent. contentum itaque opinione ea quæ de Romanis Ætolisq. esset, referre se dixit, quid de Nabidis bello placeret, nisi redderet Achæis Argos. Cùm omnes bellum decreuissent auxilia vt pro viribus suis quæque ciuitates mitterent, est hortatus. Ad Ætolos legatum etiam misit, magis vt nudaret animos, id quod euenit, quàm spe impetrari posse. Tribunis militũ vt exercitũ ab Elatia accerserẽt, impetrauit. Per eosdẽ dies & Antiochi legatis de societate agentib. respõdit, nihil se absentibus decẽ legatis sententiæ habere Romã eundum ad senatum iis esse. Ipse copias eductas ab Elatia ducere Argos pergit. atque ei circa Cleonas Aristænus prætor cùm X. millibus Achæorum, equitibus mille occurrit & haud procul inde iunctis exercitibus posuerunt castra. Postero die in campum Argiuorum descenderunt: & quatuor ferè millia ab Argis locum castris capiunt. Præfectus præsidio Laconum erat Pythagoras, gener idem tyranni, & vxoris eius frater qui sub aduentum Romanorum & vtrasque arces (nam duas habent Argi) & loca alia, quæ aut opportuna aut suspecta erant, validis præsidiis firmauit. sed inter agenda hæc pauorẽ iniectum aduentu Romanorum dissimulare haud quaquam poterat: & ad externum terrorem intestina etiã seditio accessit. Damocles erat Argiuus, adolescens maioris animi quàm cõsilij: qui primo iureiurando interposito, de præsidio expellendo cum idoneis collocutus, dum vires adiicere coniurationi studet, incautior fidei æstimator fuit. colloquentem eum cum suis satelles à præfecto missus cùm accerseret, sensit proditum consilium esse. hortatúsque coniuratos qui aderant, vt potius, quàm extorti morerentur, arma secum caperent: atque ita cum paucis in forum ire pergit, clamitans, vt qui saluam rempublicam vellent, auctorem & ducem se libertatis sequerentur. Haud sanè mouit quẽquam, quia nihil vsquam spei propinquæ, nedum satis firmi præsidij cernebant. Hæc vociferantem eum Lacedæmonij circumuentũm cum suis interfecerunt. comprehẽsi deinde quidam & alij: ex iis occisi plures, pauci in custodiam coniecti. multi proxima nocte funibus per murum demissi, ad Romanos transfugerunt. Quintius, affirmantibus iis, si ad portas Romanus exercitus fuisset, non sine effectu futurum eum motum fuisse, & si propius castra admouerentur, non quieturos Argiuos: misit expeditos pedites equitesq; qui circa Cylarabin (gymnasium id est, minus trecẽtos passus ab vrbe) cũ erũpẽtib. à porta Lacedæmoniis præliũ cõmiserunt, atq. eos haud magno certamine compu-

compulerunt in vrbem : & castra eo ipso loco vbi pugnatum erat, imperator Romanus posuit. Diem inde vnum in speculis fuit, si quid noui motus oriretur. posteaquam oppressam metu ciuitatem vidit, aduocat concilium de oppugnandis Argis. Omniũ principum Græciæ præter Aristænum, eadem sententia erat, cum caussa belli non alia esset, inde potissimum ordiendum bellum. Quintio id nequaq iã placebat, sed Aristænum contra omnium consensũ differentem cum haud dubia approbatione audiuit:& ipse adiecit:cum pro Argiuis aduersus tyrannum bellum susceptum sit, quid minus conueniens esse, quam omisso hoste Argos oppugnari? se verò caput belli Lacedæmonem & tyrannum petiturum. Et dimisso concilio, frumentatum expeditas cohortes misit. quod maturi erat circa, demessum & conuectum est. viride, ne hostes mox haberent, protritum & corruptum. castra d inde mouit, & Parthenio monte superato, præter Tegeam tertio die ad Caryas posuit castra. ibi priusquam hostium intraret agrum, sociorum auxilia exspectauit. Venerunt Macedones à Philippo mille quingenti, & Thessalorum equites quadringenti. nec iam auxilia, quorum affatim erat, sed commeatus finitimis vrbibus imperati morabantur Romanum. Nauales quoq; magnæ copiæ conueniebant iam ab Leucade L. Quintius cùm quadraginta nauibus venerat: iam Rhodiæ decem & octo tectæ naues: iam Eumenes rex circa Cycladas insulas erat, cum decem tectis nauib. triginta lembis, mistisq; ie aliis minoris formæ nauibus, ipsorum quoque Lacedæmoniorũ exsules permulti tyrannorum iniuria pulsi spe recuperandæ patriæ in castra Romana conuenerant. Multi autem erant iam per aliquot ætates, ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem, alij ab aliis pulsi. princeps erat exsulum Agesipolis, cuius iure gentis regnum Lacedæmone erat? pulsus infans ab Licurgo tyranno post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedæmone fuit. Cùm terra mariq; tantum belli circũstaret tyrannum, & propè nulla spes esset vires suas, hostiúmq; æstimanti, nõ tamen omisit bellum: sed & à Creta mille delectos iuuentutis eorum exciuit, cũ mille iam haberet:& tria millia mercenariorum militum. x. millia popularium cum castellanis agrestibus in armis habuit:& fossa valloque vrbem communiuit, & ne quid intestini motus oriretur, metu & acerbitate pœnarum tenebat animos. Quoniam vt saluum vellent tyrannum, sperare non poterat: cum suspectos quosdam ciuium haberet: eductis in campum omnibus copiis (Dromon ipsi vocant) positis armis, ad concionem vocari iussit Lacedæmonios, atq; eorum concioni satellites armatos circumdedit, & pauca præfatus cur sibi omnia timenti cauentiq; ignoscendum in tali tempore foret, & ipsorum referre, si quos suspectos status præsens rerum faceret, prohiberi potius ne quid moliri possint, quàm puniri molientes. itaque quosdã se in custodia habiturum, donec ea quæ instet tempestas, prætereat. hostibus repulsis, à quibus, si modo proditio intestina satis caueatur, minus periculi esse, extemplo eos emissurum. Sub hęc citari nomina octoginta fermè principum iuuẽtutis iussit: atq; eos, vt quisque ad nomen responderat, in custodiam tradidit:& nocte insequenti omnes interfecit. Ilotarum deinde quidam (hi sunt iam inde antiquitus castellani, agreste genus) transfugere voluisse insimulati, per omnes vicos sub verberibus acti necantur. Hoc terrore obstupuerant multitudinis animi ab omni conatu nouorum consiliorũ intra munitiones copias continebat, nec parem se ratus, si dimicare acie vellet: & vrbem relinquere tam suspensis & incertis omnium animis metuens. Quintius satis iam omnibus paratis profectus ab statiuis, die altero ad Sellasiam super Oenunta fluuium peruenit: quo in loco Antigonus Macedonum rex cũ Cleomene Lacedæmoniorum tyranno signis collatis dimicasse dicebatur. inde, cum audisset ascensum difficilis & arctæ viæ esse, breui per monteis circuitu, præmissis qui munirent viam, lato satis & patenti limite ad Eurotam amnem sub ipsis prope fluentem mœnibus peruenit, vbi castra metãtes Romanos, Quintiúmque ipsum cum equitibus atque expeditis prægressum auxiliares tyranni adorti, in terrorem ac tumultum coniecerũt. nihil tale exspectantes: quia nemo his obuius toto itinere fuerat, ac veluti pacato agro transierant. Aliquandiu p ditibus equites, equitibus pedites vocantibus, cum in se cuique minimum fiduciæ esset, trepidatum est. tandem signa legionum superuenerunt: & cũ primi agminis cohortes inductæ in prælium essent, qui modo terrori fuerant, trepidantes in vrbem compulsi sunt. Romani cum tantum à muro recessissent, vt extra ictum teli essent, acie directa paulisper steterunt. posteaquam nemo hostium contra exibat, redierunt in castra. Postero die Quintius prope flumen præter vrbem sub ipsas Mænali montis radices ducere copias instructas pergit. primæ legionariæ cohortes ibant, leuis armatura & equites agmen cogebãt. Nabis intra murum instructos paratosque sub signis habebat mercenarios milites, in quibus omnis fiducia erat, vt ab tergo hostem aggrederetur. posteaquam extremum agmen præteriit, tum ab oppido eodem, quo pridie eruperant tumultu pluribus simul locis erumpunt. Ap. Claudius agmen cogebat: qui ad id quod futurum erat, ne inopinatũ accideret, præparatis suorum animis, signa extemplo conuertit, totúmq; in hostem agmen circumegit. itaq; velut rectæ acies concurrissent, iustum aliquandiu pręlium fuit. tãdem Nabidis milites in fugam inclinarunt. quę minus infida ac trepida fuisset, ni Achæi locorum prudentes institissent: hi & cædem ingentem ediderunt, & dispersos passim fuga plerosque armis exuerunt. Quintius prope Amyclas posuit castra. inde cũ perpopulatus omnia circumiecta vrbi frequentis & amœni agri loca esset, nullo iam hostium porta excedente, mouit castra ad flumen Eurotam. inde vallem Taygeto subiectam, agrosq; ad mare pertinentes euastat. Eodem ferè tempore L. Quintius maritimæ oræ oppida partim voluntate, partim metu aut vi recepit. certior d inde factus, Gyttheum oppidum omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum esse, nec procul à mari castra Romana abesse, omnibus id copiis aggredi constituit. Erat eo tempore valida vrbs & multitudine ciuium incolarúmque, & omni bellico apparatu instructa. In tempore Quintio rem haud facilem aggredienti rex Eumenes & classis Rhodiorum superuenerunt. ingens multitudo naualium sociorum è tribus contracta classibus, intra paucos dies omnia quæ ad oppugnationem vrbis terra, marique munitæ facienda opera erant, effecit. Iam testudinibus admotis, murus subruebatur: iam arietibus quatiebatur. itaq; vna crebris ictibus euersa est turris: quodque circa muri erat, cursu eius prostratum. & Romani simul à porta, vnde aditus planior erat, vt distenderent ab apertiore loco hostes: simul per patefactum ruina iter irrumpere conabantur. nec multum abfuit, quin quà intenderant penetrarent. sed tardauit impetum eorum spes obiecta dedendæ vrbis, mox deinde eadem turbata,

Dexagoridas & Gorgopas pari imperio præerant vrbi. Dexagoridas miserat nuntium ad legatum Romanum, traditurum se vrbem. & cum ad eam rem tempus & ratio conuenisset, à Gorgopa proditor interficitur, intentiúsque ab vno vrbs defendebatur: & difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius cum quatuor millibus delectorum militum superuenisset. Is cum supercilio haud procul distantis tumuli ab vrbe instructam aciem ostendisset, & ex altera parte L. Quintius ab operibus suis terra marique instaret: tum vera desperatio Gorgopam quoque coegit id consilij, quod in altero morte vindicauerat, capere. & pactus vt abducere inde milites, quos præsidij caussa habebat, liceret, tradidit Quintio vrbem. Priusquam Gytheum traderetur, Pythagoras præfectus Argis relictus, tradita custodia vrbis Timocrati Pellenensi, cum mille mercenariis militibus, & duobus militibus Argiuorum Lacedæmonem ad Nabin venit. Nabis sicut primo aduentu Romanæ classis & traditione oppidorum maritimæ oræ conterritus erat: sic parua spe cum acquieuisset, Gytheo ab suis retento, posteaquam id quoque traditum Romanis audiuit esse: cum ab terra omnibus circa hostibus nihil spei esset, à mari quoque toto se interclusum: cedendum fortunæ ratus, caduceatorem primum in castra misit, ad explorandum si paterentur legatos ad se mitti. qua impetrata re, Pythagoras ad imperatorem venit nullis cum aliis mandatis, quàm vt tyranno colloqui cum imperatore liceret. Concilio aduocato, cùm omnes dandum colloquium censuissent: dies locusque constituitur. In mediæ regionis tumulos modicis copiis sequentibus cum venissent: relictis ibi in statione conspecta vtrinque cohortibus, Nabis cum delectis custodibus corporis, Quintius cum fratre & Eumene rege, & Sosilao Rhodio, & Aristæno Achæorum prætore, tribunisque militum paucis descendit. ibi permisso vt seu dicere prius, seu audire mallet, ita cœpit tyrannus: Si ipse per me, T. Quinti, vosque qui adestis, caussam excogitare, cur mihi aut indixissetis bellum, aut inferretis, possem, tacitus euentum fortunæ meæ expectassem: nunc imperare animo nequiui, quin priusquam perirem, cur periturus essem scirem, & hercule si tales essetis, quales esse Carthaginienses fama est, apud quos nihil societatis fides sancti haberet: in me quoque vobis quid faceretis, minus pensi esse, non mirarer. nunc cum vos intueor, Romanos esse video, qui rerum diuinarum fœdera humanarum fidem socialem sanctissimam habeatis. cùm me ipse respexi, eum esse spero, cui & publicè, sicut ceteris Lacedæmoniis, vobiscum vetustissimum fœdus sit, & meo nomine priuatim amicitia ac societas nuper Philippi bello renouata. At enim ego eam violaui & euerti, quod Argiuorum ciuitatem teneo. Quomodo hoc tuear? re an tempore? Res mihi duplicem defensionem præbet. nam & ipsis vocantibus ac tradentibus vrbem eam accepi, non occupaui: & accepi, cum Philippi partium, non in vestra societate esset. Tempus autem eo me liberat, quod cum iam Argos haberem, societas mihi vobiscum conuenit: & vt vobis mitterem ad bellum auxilia, non vt Argis præsidium deducerem, pepigistis. At hercle in ea controuersia quæ de Argis est, superior sum, & æquitate rei, quod non vestram vrbem, sed hostium: quod volentem, non vi coactam accepi: & vestra confessione, quod in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Ceterũ nomen tyranni & facta me premunt, quod seruos ad libertatem voco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine

A hoc respondere possum: me, qualiscunque sum eundem esse, qui fui cum tu ipse mecum T. Quinti, societatem pepigisti. tum me regem appellari à vobis memini: nunc tyrannum vocari video. itaque si ego nomen imperij mutassem, mihi meæ inconstantiæ, cum vos mutetis, vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitudinem seruis liberatis auctam, & egentibus diuisum agrum attinet: possum quidem & in hoc me iure temporis tutari. iam feceram hæc, qualiacunque sunt, cum societatem

B mecum pepigistis, & auxilia in bello aduersum Philippum accepistis. sed si nunc ea fecissem, non dico, quid in eo vos læsissem, aut vestram amicitiam violassem: sed illud me more atque instituto maiorum fecisse. Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea quæ Lacedæmone fiunt. nihil comparare singula necesse est. vos à censu equitem, à censu peditem legitis: & paucos excellere opibus, plebẽ subiectam esse illis vultis. noster legum lator non in paucorum manu rempublicam esse voluit quem

C vos senatum appellatis: nec excellere vnum aut alterum ordinem in ciuitate: sed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit, vt multi essent qui arma pro patria ferrent. Pluribus me ipse egisse quàm pro patriæ sermone breuitatis, fateor, & breuiter peroratum esse potuit; nihil me, posteaquam vobiscum amicitiam institui, cur eius vos pœniteret, commisisse. Ad hæc imperator Romanus: Amicitia & societas nobis nulla tecũ, sed cum Pelope rege Lacedæmoniorum iusto ac legitimo facta est.

D cuius ius tyranni quoq. qui postea per vim tenuerũt Lacedæmone imperium, quia nos bello nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupauerant, vsurparunt, sicut tu quoq. hoc Macedonico bello fecisti. nam quid minus conueniret, quàm nos qui pro libertate Græciæ aduersus Philippum gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam? & eo tyranno, quàm qui vnquam fuit, sæuissimo & violentissimo in suos? Nobis verò, etiamsi Argos nec cepisses per fraudem, nec teneres, liberantib. omnem Græciã

E Lacedæmon quoq. vindicanda in antiquã libertatẽ erat, atq. in leges suas: quarum modo, tãquam æmulus Lycurgi, mẽtionem fecisti. An vt ab Iasso & Bargyllis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis: Argos & Lacedæmonem, duas clarissimas vrbes, lumina quondam Græciæ sub pedibus tuis relinquemus, quæ titulum nobis liberatæ Græciæ seruientes deforment? At enim cum Philippo Argiui senserunt. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris satis cõpertum habemus, duorum aut sum-

F mum trium in ea re, non ciuitatis culpam esse: tam hercle, quàm in te tuoque præsidio accersendo accipiendoque in arcem, nisi sit publico consilio actũ. Thessalos & Phocenses & Locrenses consensu omnium scimus partium Philippi fuisse. tamen cum ceteram liberauimus Græciam: quid tandem censes in Argiuis, qui insontes publici consilij sint, facturos? Seruorum ad libertatem vocatorum, & egẽtibus hominibus agri diuisi crimina tibi obiici dicebas: non quidem nec ipsa mediocria, sed quid ista sunt

G præ iis qui à te tuisq. quotidie alia super alia facinora eduntur: exhibe liberam concionem vel Argis, vel Lacedæmone, si audire iuuat vera dominationis impotentissimæ crimina. Vt omnia alia vetustiora omittam: quam cædem Argis Pythagoras iste gener tuus pene in oculis mei edidit? quam tu ipse, cũ iam prope in finibus Lacedæmoniorum essem? Agedum, quos in cõcione cõprehensos, omnibus audiẽtibus ciuibus tuis, in custodia te habiturũ esse pronuntiasti: iube vinctos produci, vt miseri parentes, quos

quos falsò lugent, viuere sciant. At enim vt iã ita sint hæc, quid ad vos Romani? Hoc tu dicas liberantibus Græciam? hos iis, qui vt liberare possent, mare traiecerunt, terra marique gesserunt bellum? Vos tamen, inquis, vestrámque amicitiam ac societatem propriè non violaui. Quoties vis te id arguam fecisse? sed nolo pluribus: summam rem complectar. Quibus igitur rebus amicitia violatur: nempe his maximè duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si cum hostibus te coniungas. Vtrumque à te factum est. nam & Messenem vno atque eodem iure fœderis, quo & Lacedæmonem, in amicitiam nostram acceptam, socius ipse sociam nobis vrbem vi atque armis cepisti: & cum Philippo hoste nostro non societatem solum, sed si diis placet, affinitatem etiam per Philoclem præfectum eius pepigisti, & bellum aduersum nos gerens, mare circa Maleam infestum nauibus piraticis fecisti: & plures propè ciues Romanos, quàm Philippus, cepisti atque occidisti: tutiorque Macedoniæ ora, quàm promontorium Maleæ commeatus ad exercitus nostros portantibus nauibus fuit. Proinde parce sis fidem ac iura societatis iactare, & omissa populari oratione, tanquam tyrannus & hostis loquere. Sub hæc Aristænus núc monere Nabin, nunc etiam orare, vt dum liceret, dum occasio esset, sibi ac fortunis suis consuleret. referre deinde nominatim tyrannos ciuitatum finitimarum cœpit. qui deposito imperio, restitutáque libertate suis, non tutam modo, sed etiam honoratam inter ciues senectutem egissent. His dictis inuicem, audiuisque, nox prope diremit colloquiũ. Postero die Nabis Argis se cedere, ac deducere præsidium, quando ita Romanis placeret, & captiuos & perfugas redditurum dixit. aliud si quid postularent, scriptum vt ederent petiit, vt deliberare cum amicis posset. Ita & tyranno ad consultandum tempus datum est: & Quinctius sociorum etiam principibus adhibitis, habuit consilium. Maximæ partis sententia erat, perseuerandum in bello esse, & tollendum tyrannum: nunquam aliter tutam libertatem Græciæ fore. satius multo fuisse non moueri bellum aduersus eum, quàm omitti motum. & ipsum velut comprobata dominatione firmiorem futurum, auctore iniusti imperij assumpto P.R. & exemplo multos in aliis ciuitatibus ad insidiandum libertati ciuium suorum incitaturum. Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatior erat. videbat enim compulso intra mœnia hoste, nihil præter obsidionem restare: eam autem fore diuturnam. non enim Gytheum, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset: sed Lacedæmonem validissimam vrbem viris armisque oppugnaturos. vnam spem fuisse, si qua admouentibus exercitum, dissensio inter ipsos ac seditio excitari posset, cum signa portis prope inferri cernerent, neminem se mouisse. Adiiciebat & cum Antiocho infidam pacem Villium legatum inde redeuntem nuntiare. multo maioribus quàm ante, terrestribus naualibusque copiis in Europam eum transisse. si occupasset obsidio Lacedæmonis exercitum, quibus aliis copiis aduersus regem tam validum ac potentem bellum gesturos? Hæc propalam dicebat. illa tacita suberat cura, ne nouus cos. Græciam prouinciam sortiretur, & incoati belli victoria successori tradendo esset. Cum aduersus tendendo nihil moueret socios. simulando se transire in eorum sententiam, omnes in assensum consilij sui traduxit. Bene vertat, inquit, obsideamus Lacedæmonem, quando ita placet. ceterum cùm res tam lenta, quam ipsi scitis, oppugnatio vrbium sit, & obsidentibus prius sæpe quàm obsessis

A tædium afferat: iam nunc hoc ita proponere vos animis oportet. hybernandum circa Lacedæmonis mœnia esse, quæ mora si laborem tantum, ac periculum haberet, vt & animis & corporibus ad sustinenda ea parati essetis, hortarer vos. nunc impensa quoque magna eget in opera, in machinationes & tormenta, quibus tanta vrbs oppugnanda est, in commeatus nobis vobisque in hyemem expe-
B diendos. Itaque ne aut repente trepidetis, aut rem incoatam turpiter destituatis, scribendum antè vestris ciuitatibus censeo, explorandúmque quid quæque animi, quid viriũ habeat. Auxiliorum satis superque habeo. sed quo plures sumus pluribus rebus egebimus, nihil iam præter nudum solum ager hostium habet: ad hoc hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis. Hæc oratio primum animos omnium ad respicienda cuique domestica mala cõuertit: segnitiam, inuidiam & obtrectationẽ
C domi manentium aduersus militantes, libertatem difficilem ad consensum, inopiam publicam, malignitatem conferendi ex priuato. versis itaque subito voluntatibus. facere è republica populi Romani sociorúmque esse crederet, imperatori permiserunt. Inde Quinctius adhibitis legatis tantum, tribunisque militum, conditiones in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit. Sex mensium induciæ vt essent Nabidi Romanisque & Eumeni regi, & Rhodiis. Legatos extemplo mitterent Romam, T. Quinctius & Nabis, vt pax ex auctoritate senatus confirmare-
D tur. Ex qua die scriptæ conditiones pacis editæ Nabidi forent: ea dies vt induciarum principium esset, & vt ex ea intra decimum diem ab Argis ceterisque oppidis, quæ in Argiuorum agris essent, præsidia omnia deducerentur, vacuaque & libera traderentur Romanis, & ne quod inde mancipium regium publicumque aut priuatum educeretur: & si qua antè educta forent, dominis rectè restituerentur. Naues quas ciuitatib. maritimis ademisset, redderet. néve ipse nauem vllam, præter duos lẽbos, qui nõ
E plus quàm sexdecim remis agerẽtur, haberet. Perfugas & captiuos omnib. sociis populi Rom. ciuitatibus redderet, & Messeniis omnia quæ comparerent, quæque domini cognoscerent. Exsulibus quoque Lacedæmoniis liberos & coniuges restitueret, quæ earum viros sequi voluissent: inuita ne qua exsulis comes esset. Mercenariorum militum Nabidis, qui aut in ciuitates suas, aut ad Romanos transissent, iis res suæ omnes rectè redderentur. In Creta insula ne quam vrbem haberet: quas habuisset, redderet Ro-
F manis, ne quam societatem cum vllo Cretensium, aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret. Ciuitatibus omnibus quas ipse restituisset, quæque se suáque in fidem ac ditionem populi Rom. tradidissent, omnia præsidia deduceret, séque ipse suosque ab his abstineret. Ne quod oppidum, ne quod castellum in suo alienóve agro conderet. Obsides ea ita futura, daret quinque, quos imperatori Romano placuisset: filium in his suum, & talenta centum argenti in præsenti, & quinquaginta talenta in
G singulos annos per annos octo. Hæc conscripta castris propius vrbem motis, Lacedæmonem mittũtur nec sanè quicquam eorum satis placebat tyráno, nisi quod præter spem reducendorum exsulum mentio nulla facta erat. maximè autẽ omnium ea res offendebat, quod & naues & maritimæ ciuitates ademtæ erant. fuerat tamen ei magno fructui mare, omnem oram à Malea prædatoriis nauibus infestam habẽti, iuuentutẽ prætereà ciuitatũ earũ ad supplementum longè optimi generis militum habebat. Has conditiones, quanquam ipse in secreto volutauerat cum

amicis: vulgo tamen omnes fama ferebant, vanis vt ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda satellitum regiorũ ingeniis. Non tam omnia vniuersi, quam ea quæ ad quemque pertinerent, singuli carpebant. qui exsulum coniuges in matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid possederant, tanquam amissuri, non reddituri, indignabantur. seruis liberatis à tyranno, nó irrita modo futura libertas, sed multa fœdior quàm fuisset ante seruitus, redeuntibus in aratorum dominorum potestatem, ante oculos obuersabatur: mercenarij milites & pretia militiæ casura in pace ægrè ferebant, & reditum sibi nullum esse in ciuitates videbant, infensas non tyrannis magis quàm satellitibus eorum. Hæc inter se primo in circulis serentes fremere: deinde ad arma subito discurrerunt. quo tumultu cum per se satis irritatam multitudinem cerneret tyrannus, concionem aduocari iussit. ibi cum ea quæ imperarentur à Romanis, exposuisset: & grauiora atque indigniora quædã falso affinxisset, & ad singula nunc ab vniuersis, nunc à partibus concionis acclamaretur, interrogauit, quid se respondere ad ea, aut quid facere vellent? propè vna voce omnes nihil respondere. bellum geri iusserunt: & pro se quisque qualia multitudo solet, bonum animum habere, & bene sperare iubentes, fortes fortunam adiuuare aiebant. His vocibus incitatus tyrannus, & Antiochum Ætolosque adiuturos pronunciat, & sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. Exciderat pacis mentio ex omnium animis, & in stationes non vltra quieturi discurrunt. Paucorum lacessentium excursio, & emissa iacula extemplo Romanis dubitationem quin bellandum esset, exemerunt. leuia inde prælia per quatriduum primum sine vllo satis certo euentu commissa, quinto die propè iusta pugna adeo pauentes in oppidum Lacedæmonij compulsi sunt vt quidam milites Romani terga fugientium cædentes, per intermissa, vt tunc erant, mœnia vrbem intrarint. Et tunc quidem Quintius satis eo terrore coercitus excursionibus hostium, nil præter ipsius oppugnationem vrbis superesse ratus, missis qui omnes nauales socios à Gytheo accerserent, ipse interim cum tribunis militum ad visendum vrbis situm mœnia circumuehitur. Fuerat quondam sine muro Sparta. tyranni nuper locis patentibus planisque obiecerant murum: altiora loca, & difficiliora aditu, stationibus armatorum pro munimento obiectis tutabantur. Vbi satis omnia inspexit, corona oppugnandam ratus, omnibus copiis (erant autem Romanorum sociorúmque, simul peditum equitumque, simul terrestriumque ac naualium copiarum ad quinquaginta millia hominum) vrbẽ cinxit. Alij scalas, alij ignẽ, alij alia quibus nõ oppugnarẽt modo, sed etiam terrerent, portabant, iussi clamore sublato subire vndique omnes, vt qua primum occurrerent, quàve opem ferrent, ad omnia simul pauentes Lacedæmonij ignorarent. Quod roboris in exercitu erat, trifariam diuisum. parte vna à Phœbeo, altera à Dictynneo, tertia ab eo loco quem Heptagonias appellant (omnia autem hæc aperta sine muro loca sunt) aggredi iubet. Cùm tantus vndique terror vrbem circumuasisset: primo tyrannus & ad clamores repentinos, & ad nuntios trepidos motus, vt quisque maximè laboraret locus, aut ipse occurrebat, aut aliquos mittebat. deinde circumfuso vndiq. pauore ita obtorpuit, vt nec dicere quod in rem esset, nec audire posset, nec inops modo consilij, sed vix mentis compos esset. Romanos primo sustinebant in angustiis Lacedæmonij, ternæq. acies tempore vno locis diuersis pugnabant: deinde crescente certamine, nequaquam erat prælium par. missilib. enim Lacedæmonij pugnabant. à quibus se & magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles, & quod alij vani, alij leues admodum ictus erant. nam propter angustias loci, confertámque turbam, non modo ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant, sed ne vt de gradu quidem libero ac stabili conarentur. itaque ex aduerso missa tela nulla in corporibus, rara in scutis hærebant. à circunstantibus ex superioribus locis quidam vulnerati sunt: mox progressos iam etiam ex tectis non tela modo, sed tegulæ quoque inopinantes perculerunt. sublatis deinde supra capita scutis, continuatisque ita inter se, vt non modo ad cæcos ictus, sed ne ad inserendum quidem ex propinquo telum loci quicquam esset, testudine facta subibant. & primo angustiæ paulisper sua hostiumque refertæ turba tenuerunt. posteaquam in patentiorem viam vrbis paulatim vrgentes hostem processere, non vltra vis eorum atq. impetus sustineri poterant. Cùm terga vertissent Lacedæmonij, & effusa fuga superiora peterent loca: Nabis quidem, vt capta vrbe trepidans, quánam ipse euaderet, circumspectabat. Pythagoras cum ad cetera animo officióque ducis fungebatur: tum verò vnus, ne caperetur vrbs, caussa fuit. succendi enim ædificia proxima muro iussit, quæ cum momento temporis arsissent, vt adiuuantibus ignem, qui alias ad exstinguendum opem ferre solent, ruere in Romanos tecta, nec tegularum modò fragmenta, sed etiam ambusta tigna ad armatos peruenire, & flamma latè fundi, fumus terrorem etiam maiorem quàm periculum facere. Itaque & qui extra vrbem erant Romanorum, tum maximè impetus facientes recessere à muro: & qui iam intrauerant, ne incendio à tergo oriente intercluderentur à suis, receperunt sese. & Quintius posteaquam quid rei esset, vidit: receptui canere iussit. ita iam à capta propè vrbe reuocati redierunt in castra. Quintius plus ex timore hostium quàm ex re ipsa spei nactus, per triduum insequens territauit eos, nunc præliis lacessendo, nunc operibus intersepiendo quædam, ne exitus ad fugam esset. His comminationibus compulsus tyrannus, Pythagoram rursus oratorem mittit, quem Quintius primo aspernatus, excedere castris iussit: deinde suppliciter orantem, aduolutúmque genibus tandem audiuit. Prima oratio fuit omnia permittentis arbitrio Romanorum. dein cum ea velut vana & sine effectu nihil proficerent, eò deducta res est, vt his conditionibus quæ ex scripto paucis ante diebus editæ erant, induciæ fierent: pecuniaq. & obsides accepti. Dum oppugnatur tyrannus, Argiui nuntiis aliis propè super alios efferentibus, tantum non iam captam Lacedæmonem esse, erecti & ipsi simul eo quod Pythagoras cum parte validissima præsidij excesserat, contemta paucitate eorum qui in arce erant, duce Archippo quodam præsidium expulerunt. Timocratem Pellenensem, quia clemẽter præfuerat, viuum fide data, emiserũt. Huic lætitiæ Quintius superuenit, pace data tyranno, dimissisque ab Lacedæmone Eumene & Rhodiis & L. Quintio fratre ab classe. Læta ciuitas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die stata propter belli mala prætermissum, in aduentum Romani exercitus ducisque indixerunt, præfecerúntque ludis ipsum imperatorem. Multa erant quæ gaudium cumularent. reducti ciues ab Lacedæmone erant, quos nuper Pythagoras, quósque antè Nabis abduxerant, redierant, qui post compertam à Pythagora coniurationem, & cæde iam cœpta effugerant

gerant, libertatem ex longo interuallo, libertatisque auctores Romanos, quibus caussa bellandi cũ tyranno ipsi fuissent, cernebant. testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis libertas est Argiuorum. Achæis quantum restituti Argi in communi Achaiæ concilium lætitiæ afferebant: tantum serua Lacedæmon relicta, & lateri adhærens tyrannus, non syncerum gaudium præbebát. Ætoli verò eam rem omnibus conciliis lacerare. Cum Philippo nõ antè desitum bellari, quàm omnibus excederet Græciæ vrbibus, tyranno relictam Lacedæmonem regem autem legitimum, qui in Romanis fuerat castris, ceterosque nobilissimos ciues in exsilio victuros. Nabidis dominantis satellitem factum populum Romanum. Quintius ab Argis Elatiam, vnde ad bellum Spartanum profectus erat, copias reduxit. Sunt qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum tradant, sed castris aduersus Romana castra positis: diúque cunctatum, cum Ætolorum auxilia exspectasset, coactũ ad extremum acie confligere, impetu in pabulatores suos ab Romanis facto. eo prælio victum, castrísque exutum, pacem petisse, cum cecidissent quindecim millia militum, capta plus quatuor millia essent. Eodem ferè tempore & à T. Quintio de rebus ad Lacedæmonem gestis, & ab M. Porcio Cos. ex Hispania literæ allatæ. vtriusque nomine ternos in dies supplicatio à senatu decreta est. L. Valerius Cos. cum post fusos circa Litanam syluam Boios quietam prouinciam habuisset, comitiorum caussa Romam rediit: & creauit Cos. P. Cornelium Scipionem Africanum iterum, & T. Sempronium Longum. Horum patres primo anno secundi Punici belli Coss. fuerant. Prætoria inde comitia habita. creati P. Cornelius Scipio & duo Cn. Cornelij, Merenda & Blasio & Cn. Domitius Ænobarbus, & Sex. Digitius, & T. Iuuentius Talna. Comitiis perfectis Cos. in prouinciam rediit. Nouũ ius eo anno à Ferentinatibus tentatũ, vt Latini, qui in coloniã Romanã nomina dedissent, ciues Romani essent. Puteolos Salernũq; & Bruxentum adscripti coloni, qui nomine dederãt, cum ob id se pro ciuibus Romanis ferrẽt, senatus iudicauit nõ esse eos ciues Romanos. Principio anni quo P. Scipio Africanus iterũ, & T. Sẽpronius Lõgus Coss. fuerunt, legati Nabidis tyranni Romã venerant duo. his extra vrbẽ in æde Apollinis senatus datus est. pax, quæ cũ T. Quintio conuenisset, vt rata esset, petierũt, impetraueruntque. De prouinciis cùm relatum esset, senatus frequens in eam sententiam ibat, vt quoniam in Hispania & Macedonia debellatum foret, consulibus ambobus Italia prouincia esset. Scipio satis esse Italiæ vnum consulem censebat, alteri decernendam Macedoniam esse. bellum graue ab Antiocho imminere. Iam ipsum sua sponte in Europam transgressum, quid deinde facturum cẽserent? cùm hinc Ætoli haud dubiè hostes vocarent ad bellum, illinc Annibal Romanis cladibus insignibus imperator stimularet? Dum de prouinciis consulum disceptatur, prætores sortiti sunt. Cn. Domitio vrbana iurisdictio, T. Iuuentio peregrina euenit. Pub. Cornelio Hispania vlterior, Sex. Digitio citerior. Duobus Cn. Corneliis, Blasioni Sicilia, Merendæ Sardinia. In Macedoniam nouũ exercitum transportari non placuit: eum qui esset ibi, reduci in Italiam à Quintio, ac dimitti. item eũ exercitum dimitti, qui cum M. Porcio Catone in Hispania esset, cõsulibus ambobus Italiam prouinciam esse, & duas vrbanas eos legiones scribere, vt dimissis quos senatus censuisset exercitibus, VIII. omnino Romanæ legiones essent. Ver sacrũ factum

A erat priore anno, M. Porcio, & L. Valerio cõsulibus. Id cum P. Licinius pontifex non esse rectè factum collegio primũ, deinde ex auctoritate collegij patribus renuntiasset: de integro faciendum arbitratu pontificum censuerunt, ludosque magnos, qui vna voti essent, tanta pecunia, quanta assoleret, faciendos. Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Cal. Martias, & pridie Cal. Maias, P. Cornelio Scipione, & T. Sempronio Longo Coss. Censorum inde comitia habita sunt. creati censores Sex. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus, principem senatus

B P. Scipionem consulem, quem & priores censores legerant, legerunt. tres omnino senatores, neminem curuli honore vsum, prætererunt. gratiam quoque ingentem apud eum ordinem pepererunt, quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarũt, vt loca senatoria secernerent à populo, nã antea in promiscuo spectabant. equitibus quoque perpaucis adẽti equi. nec in vllum ordinẽ sæuitũ. atrium Libertatis, & villa publica ab eisdem refecta, amplificatáque.

C Ver sacrum, ludique votiui, quos vouerat Ser. Sulpitius Galba Cos. facti. Cum spectaculo eorum occupati animi omniũ essent. Q. Pleminius, qui propter multa in deos homínésque scelera Locris admissa in carcerem coniectus fuerat, comparauerat homines, qui pluribus simul locis vrbis nocte incendia facerent, vt in consternata nocturno tumultu ciuitate refringi carcer posset. ea res indicio cõsciorum palam facta delatáque ad senatum est. Pleminius in inferiorem dimissus carcerem est, necatúsque. Co-

D loniæ ciuium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, treceni homines in singulas. Item Salernum, Buxentúmque coloniæ ciuium Romanorum deductæ sunt. deduxere triũuiri, T. Sempronius Longus, qui tum Cos. erat: M. Seruilius, Q. Minutius Thermus. Ager diuisus est, qui Campanorum fuerat. Si põtum item, in agrum qui Arpinorum fuerat, Coloniam ciuium Romanorum alij triumuiri, D. Iunius Brutus, M. Bæbius Pamphilus, M. Heluius deduxerunt. Tempsam itẽ, & Crotonem ciuium Romanorum Coloniæ dedu-

E ctæ. Tempsanus ager de Brutiis captus erat Brutij Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant. Triumuiri. Cn. Octauius, L. Æmylius Paulus, C. Pletorius Crotonem: Tempsam L. Cornelius Merula, & C. Salonius deduxerunt. Prodigia quoque alia visa eo anno Romæ sunt, alia nuntiata. in foro & comitio & Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt. & terra aliquoties pluit, & caput Vulcani arsit. nũtiatum est, Interamnæ lac fluxisse: pueros inge-

F nuos Arimini sine oculis ac naso: & in Piceno agro non manus, non pedes habentem natum. Ea prodigia ex pontificum decreto procurata, & sacrificium nouendiale factum, quod Adriani nuntiauerant in agro solo lapidibus pluuisse. In Gallia L. Valerius Flaccus procos. circa Mediolanum cum Gallis Insubribus, & Boiis qui Dorolaco duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnauit. X. millia hostium sunt cæsa. Per eos dies collega eius M. Porcius Cato ex Hi-

G spania triumphauit. tulit in eo triumpho argenti infecti XXV. millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta: auri pondo mille quadraginta: militibus ex præda diuisit in singulos ducenos septuagenos æris, triplex equiti. T. Sempronius Cos. in prouinciam profectus, in Boiorum primum agrum legiones duxit. Boiorix tum regulus eorum cum duobus fratribus tota gente concitata ad rebellandum, castra locis idoneis posuit, vt appareret dimicaturos, si hostis

fines intrasset. Cos. vbi quantæ copiæ, quanta fiducia esset hosti sensit: nuntium ad collegam mittit, vt si videretur ei, maturaret venire, se tergiuersando in aduentum eius rem extracturum. Quæ caussa Cos. cunctandi, eadem Gallis, præterquam quod cunctatio hostium animos faciebat, rei maturandæ erat, vt priusquam coniungerentur consulum copiæ, rem transigerent. per biduum tamen nihil aliud quàm steterunt parati ad pugnam, si quis contra egrederetur. tertio subire ad vallum castraque omni simul parte aggressi sunt. Cos. extemplo arma capere milites iussit. armatos inde paulisper continuit, vt & stolidam fiduciam hosti augeret, & disponeret copias, quibus quæque portis erumperent, duæ legiones duabus principalibus portis signa efferre iussæ, sed in ipso exitu ita conferti obstitere Galli, vt clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est, nec dextris magis gladiisque gerebatur res, quàm scutis corporibusque ipsis obnixi vrgebant: Romani, vt signa foras efferrent: Galli, vt aut ipsi in castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent. nec ante in hanc aut illam partem moueri acies potuerunt, quàm Q. Victorius primipili centurio, & C. Attinius Tr. mil. quartæ hic, ille secundæ legionis (rem in asperis præliis sæpe tentatam) signa adempta signiferis in hostes iniecerunt, dum repetunt enixè signum, priores secundani se porta eiecere. Iam hi extra vallum pugnabant, quarta legione in porta hærente, cùm alius tumultus ab aduersa parte castrorum est exortus. in portam quæstoriam irruperant Galli: resistentésque pertinacius occiderant L. Posthumium quæstorem, cui Tympano fuit cognomen: & M. Atinium & T. Sempronium præfectos socium, & ducentos fermè milites. Capta ab ea parte castra erant, donec cohors extraordinaria missa à Cos. ad tuendam quæstoriã portam, & eos qui intra vallum erant, partim occidit, partim expulit castris. & irrumpentibus obstitit. Eodem ferè tempore & quarta legio cum duabus extraordinariis cohortibus porta erupit. ita simul tria prælia circa castra locis distantibus erant: clamoréque dissoni ad incertos suorum euentus à præsenti certamine animos pugnantium auertebant. Vsque ad meridiem æquis viribus, ac propè pari spe pugnatum est. labor & æstus mollia & fluida corpora Gallorũ, & minimè patientia sitis, cum decedere pugna coegisset: in paucos restantes impetum Romani fecerunt, fusosque compulerunt in castra. Signum inde receptui à Cos. datum est, ad quod pars maior receperunt sese, pars certaminis studio, & spe potiundi castris hostium, perstitit ad vallum eorum paucitate contemta. Galli vniuersi ex castris erumpunt, fusi inde Romani, quæ imperio Coss. noluerant, suo pauore ac terrore castra repetunt. ita varia hinc atque illinc nunc victoria, nũc fuga fuit. Gallorum tamen ad XI. millia, Romanorum V. millia sunt occisa. Galli recepere in intima finium sese. Consul Placentiam legiones duxit. Scipionem alij coniuncto exercitu cum collega, Boiorum Ligurúmque agros populatum isse, quoad progredi syluæ paludésq. passæ sint, scribunt: alij, nulla memorabili re gesta comitiorum caussa rediisse Romam. Eodem hoc anno T. Quintius Elatiæ, quo in hyberna reduxerat copias, totum hyemis tempus iure dicendo consumsit, mutandisque iis quæ aut ipsius Philippi, aut præfectorum eius licentia in ciuitatibus facta erant, cum suæ factionis hominum vires augendo, ius ac libertatem aliorum deprimeret. Veris initio Corinthum. conuentu edicto, venit. ibi omnium ciuitatum legationes in concionis modũ circumfusas est allocutus, orsus ab inita primum Romanis amicitia cum Græcorum gente, & imperatorum qui ante se in Macedonia fuissent, suisque rebus gestis. Omnia cum approbatione ingẽti sunt audita, præterquàm cum ad mentionem Nabidis ventum esset, id minimè conueniens liberanti Græciam videbatur, tyrannum reliquisse, non suæ solum patriæ grauem, sed omnibus circa ciuitatibus metuendum, hærentem visceribus nobilissimæ ciuitatis. Nec ignarus huius habitus animorũ Quintius si sine excidio Lacedæmonis fieri potuisset, fatebatur pacis cum tyranno mentione admittendam auribus non fuisse: nunc cũ aliter quã ruina grauissima ciuitatis opprimi non posset, satius visum esse, tyrãnum debilitatum, ac totis propè viribus ad nocendum cuiquam ademtis, relinqui, quã intermori vehementioribus, quã quæ pati posset, remediis, ciuitatem sinere, in ipsa vindicta libertatis perituram. Præteritorum cõmemorationi subiecit. proficisci sibi in Italiã, atq. omnẽ exercitum deportare, in animo esse. Demetriadis Chalcidisq. præsidia intra decimum diem audituros deducta: Acrocorinthum ipsis extemplo videntibus vacuam Achæis traditurum: vt omnes scirent, vtrum Romanis an Ætolis mentiri mos esset, qui malè commissam libertatem populo Romano sermonibus distulerint, & mutatos pro Macedonibus Romanos dominos. Sed illis nec quid dicerent, nec quid facerent, quicquam vnquam pensi fuisse. Reliquas ciuitates monere, vt ex factis nõ ex dictis amicos pẽsent, intelligantq. quibus credendum, & à quibus cauendum sit, libertate modicè vtantur. temperatam eã salubrẽ & singulis ciuitatibus esse: nimiam & aliis grauem, & ipsis qui habeant, effrenatam & præcipitem esse. concordiæ in ciuitatibus principes & ordines inter sese, & in commune omnes ciuitates consultarent. aduersus cõsentientes. nec regẽ quemquam satis validũ, nec tyrannũ fore. discordiã & seditionem omnia opportuna insidiantibus facere: cùm pars quæ domestico certamine inferior sit, externo potius se applicet, quàm ciui cedat. alienis armis partam, externa fide redditam libertatem, sua cura custodirent seruarentque: vt populus Romanus dignis datam libertatem, ac munus suum bene positum sciret. Has velut parentis voces cum audirent, manare omnibus gaudio lacrymę, adeo vt ipsum quoq. confunderent dicentem. Paulisper fremitus approbantium dicta fuit: monentiumque aliorum alios, vt eas voces velut oraculo missas in pectora animosque demitterent. silentio deinde facto petiit ab iis, vt ciues Romanos, si qui apud eos in seruitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliã, ne ipsis quidem honestum esse, in liberata terra liberatores eius seruire. Omnes acclamarunt, gratias se inter cetera etiam ob hoc agere, quod admoniti essent, vt tam pio ac necessario officio fungerentur. Ingens numerus erat bello Punico captorum: quos Annibal, cum à suis non redimerentur, venundederat. Multitudinis eorum argumentũ est, quod Polybius scribit, centum talentis eam nõ Achæis stetisse: cũ quingenos denarios pretiũ in capita, quod redderetur dominis, statuissent. mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. adiice nunc pro portione, quot verisimile sit totam Græciam habuisse. Nondũ conuentus dimissus erat, cum respiciunt præsidium ab Acrocorintho descendens protinus ad portam duci atq. abire. Quorum agmen imperator secutus, prosequentibus cunctis, seruatorem liberatorémq. acclamãtibus, salutatis dimissisque eis, eadẽ qua venerãt via Elatiam rediit. inde cum omnibus copiis

Ap. Clau-

Ap. Claudium legatum dimittit. per Thessaliam atque Epirum ducere Oricum iubet, atque ibi se opperiri. inde namque in animo esse exercitum in Italiam traijcere. & L. Quintio fratri legato & præfecto classis scribit, vt onerarias ex omni Græciæ ora eodem contraheret. Ipse Chalcidem profectus deductis non à Chalcide solum, sed etiam ab Oreo atque Eretria, præsidiis, conuentum ibi Euboicarum ciuitatem habuit, commonitósque in quo statu rerum accepisset eos, & in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem inde proficiscitur, deductoque præsidio, prosequentibus cunctis, sicut Corinthi & Chalcide, pergit ire in Thessaliam, vbi non liberandæ modo ciuitates erant, sed ex omni colluuione & confusione in aliquam tolerabilem formam redigendæ. Nec enim temporum modo vitiis ac violentia & licentia regia turbati erant, sed inquieto etiam ingenio gentis, nec comitia, nec conuentum, nec concilium vllum, non per seditionem ac tumultum, iam inde à principio ad nostram vsque ætatem traducentes. A censu maximè & senatum & iudices legit potentioremque eam partem ciuitatum fecit, cui salua tranquilláque omnia magis esse expediebat. Ita cù percensuisset Thessaliam per Epirum in Oricum vnde erat traiecturus, venit. Ab Orico copiæ omnes Brundusium transportatæ: inde per totam Italiam ad vrbem propè triumphantes, non minore agmine rerum captarum, quàm suo præ se acto venerunt. Postquam Romam ventum est, senatus extra vrbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est: triumphúsque meritus ab lubentibus decretus. Triduum triumphauit. die primo arma, tela, signaque ærea & marmorea transtulit, plura Philippo adempta quàm quæ ex ciuitatibus ceperat. secundo die aurum, argentumque, factum infectúmque & signatum. infecti argenti fuit decim & octo millia pondo, & ducenta LXX. facti vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis: & ex ære multa fabre facta: ad hoc clypea argentea X. signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, tetradrachmam vocant, triū ferè denariorum in singulis argenti est pondus. auri pondo fuit tria millia septingenta quatuordecim & clypeū vnum ex auro totū: & Philippei nūmi aurei quatuordecim millia, quingēti XIIII. tertio die coronæ aureæ, dona ciuitatū, trāslatæ CXIIII. & hostiæ ductæ, & ante currum multi nobiles captiui obsidésq. inter quos Demetrius regis Philippi filius fuit: & Armenes Nabidis tyranni filius, Lacedæmonius. ipse deinde Quintius in vrbem est inuectus. milites secuti currum frequentes, vt omni ex prouincia exercitu deportato. his duceni quinquageni æris in pedites diuisi: duplex centurioni, triplex equiti. præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui seruitute exemti fuerant. Exitu huius anni Q. Ælius Tubero trib. pleb. ex S. C. tulit ad plebem, plebésque sciuit, vt Latinæ duæ coloniæ, vna in Brutios, altera in Thurinum agrum deduceretur. his deducendis triumuiri creati, quibus in trienniū imperium esset: in Brutio Q. Næuius, M. Minutius Rufus, M. Furius Crassipes: in Thurinum agrum A. Manlius, P. Ælius, L. Apustius. ea bina comitia Cn. Domitius prætor vrbanus in Capitolio habuit. ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt vna Iunonis Sospitæ in foro olitorio, vota locatáque quadriennio ante à C. Cornelio consule Gallico bello. censor idem dedicauit: altera Fauni. ædiles eam biennio ante ex mulctatitio argento faciendam locarant, C. Scribonius, & Cn. Domitius, qui prætor vrbanus eam dedicauit & ædem Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali dedicauit Q. Martius Ralla, duumuir ad idipsum creatus. vouerat eam decem annis antè Punico bello P. Sempronius Sophus: locauerat idem censor, & in insula Iouis ædem C. Seruilius duumuir dedicauit. vota erat sex annis antè Gallico bello ab L. Furio Purpurione prætore, ab eodem postea consule locata. Hæc eo anno acta P. Scipio ex prouincia Gallia ad consules subrogandos rediit. Comitia Coss. fuere, quibus creati sunt L. Cornelius Merula, & Q. Minutius Thermus. Postero die creati sunt prætores, L. Cornelius Scipio M. Fuluius Nobilior, C. Scribonius, M. Valerius Messala, L. Porcius Licinius, & C. Flaminius Megalesia, ludos scenicos, C. Attilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt. Horū ædilium ludos Romanos primum senatus à populo secretus spectauit: præbuitque sermones (sicut omnis nouitas solet) aliis tandem quod multo ante debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini: aliis ademptum ex dignitate populi quicquid maiestati patrum adiectum esset, interpretantibus, & omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, & concordiæ & libertati æquè minuendæ esse. Ad D. quinquagesimū octauū annum in promiscuo spectatū esse. quid repentè factum cur immisceri sibi in cauea patres plebem nollent? cur diues pauperem cōsessorē fastidiret? nouā & superbā libidinē ab nullius ante gentis senatu neq. desideratā, neque institutā. Postremò ipsum quoque Africanum, quod consul auctor eius rei fuisset pœnituisse ferunt. Adeo nihil motum ex antiquo probabile est. veteribus, nisi quæ vsus euidenter arguit, stari malunt. Principio anni quo L. Cornelius, Q. Minutius Coss. fuerunt, terræmotus ita crebri nuntiabantur, vt non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homines tæderet. nam neque senatus haberi, neque Respub. administrari poterat, sacrificando expiandoq. occupatis consulibus postremo decemuiris adire libros iussis, ex responso eorum supplicatio per triduum fuit. coronati ad omnia puluinaria supplicauerunt: edictumq. est, vt omnes qui ex vna familia essent, pariter supplicarent. itē ex auctoritate senatus consules edixerunt, ne quis quo die terræmotu nuntiato feriæ indictæ essent, eo die alium terræmotū nuntiaret. Prouincias deinde consules prius, tū prætores sortiti. Cornelius Galliam, Minutius Ligures, sortiti sunt. C. Scribonius vrbanam, M. Valerius peregrinam. L. Cornelius Siciliam, L. Porcius Sardiniam, C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fuluius Hispaniam vlteriorem. Nihil belli eo anno exspectātibus Coss. literæ M. Cincij (præfectus in Pisis erat) allatæ. Ligurum xx. millia armatorum, coniuratione per omnia cōciliabula vniuersæ gētis facta, Lunensem primum agrum depopulatos, Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrasse. Itaque Minutius Coss. cui ligures prouincia euenerat, ex auctoritate patrum in rostra ascendit: & edixit, vt legiones duæ vrbanæ, quæ superiore anno conscriptæ essent, post diem decimum Arretij adessent in earum locum se duas legiones vrbanas scripturum. item sociis, & Latini nominis magistratibus, legatisque eorum qui milites dare debebant, edixit, vt in Capitolio se adirent. ex iis xv. millia peditum & quingentos equites pro numero cuiusq; iuniorum descripsit: & inde è Capitolio protinus ire ad portam & vt maturaretur res, proficisci ad delectum iussit. Fuluio Flaminioque terna millia Romanorum peditum, & centeni equites in supplementum, & quina millia sociūm Latini nominis, & duceni equites decreti: mandatumque prætoribus,

vt veteres dimitterent milites cùm in prouinciā venissent. Cùm milites qui in legionibus vrbanis erant, frequentes tribunos plebeios adissent, vti caussas cognoscerent eorum quibus aut emerita stipendia, aut morbus caussæ essent, quo minus militarent: eam rem literæ T. Sempronij discusserunt, in quibus scriptum erat, Ligurum decem millia in agrū Placentinum venisse: & eum vsque ad ipsa coloniæ mœnia, & Padi ripas cum cædibus & incendiis perpopulatos esse. Boiorum quoque gētē ad rebellionem spectare: ob eas res tumultum esse. Decreuit senatus, tribunos plebis non placere caussas militares cognoscere, quo minus ad edictum conueniretur. adiecerunt etiam vt socij nominis Latini, qui in exercitu P. Cornelij, T. Sempronij fuissent, & dimissi ab iis Coss. essent, ad quam diem L. Cornelius Cos. edixisset, & in quem locum edixisset. Hetruriæ, cōuenirent: & vt L. Cornelius Cos. in prouinciam proficiscens, in oppidis agrisque quà iturus esset: si quos ei videretur, milites scriberet armaretq. & duceret secum: dimittendique ei quos eorum, quandoque vellet, ius esset. Posteaquam consules delectu habito profecti sunt in prouincias: tum T. Quintius postulauit, vt de his quæ cum decem legatis ipse statuisset, senatus audiret, eáque si videretur, auctoritate sua confirmaret. id eos facilius facturos, si legatorum verba, qui ex vniuersa Græcia & magna parte Asiæ, quinque ab regibus venissent, audissent. Hæ legationes à C. Scribonio Pr. vrbano in senatum introductæ sunt, benignéque omnibus responsum. cum Antiocho, quia lōgior disceptatio erat, decem legatis, quorum pars in Asia, aut Lysimachiæ apud regem fuerant, delegata est. Quintio mandatum, vt adhibitis iis legatorum regis verba audiret: responderetque iis, quæ ex dignitate atque vtilitate populi Romani responderi possent. Menippus & Hegesianax principes regiæ legationis erant. ex iis Menippus ignorare se dixit, quidnam perplexi sua legatio haberet, cū simpliciter ad amicitiam petendam, iungendámq. societatem venissent. esse autem tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias ciuitates regésque. vnum, cum bello victis dicerētur leges. vbi enim omnia ei qui armis plus posset, dedita essent: quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius ius atque arbitrium esse. alterum, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent, tunc enim repeti reddique per conuentionem res: & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque commodo componi. tertium esse genus, cum qui hostes nunquā fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se iungendam coeant: eos neque dicere, neque accipere leges. id enim victoris & victi esse. ex eo genere cum Antiochus esset, mirari se, quod Romani æquum censeant ei leges dicere, quas Asiæ vrbium liberas & immunes, quas stipendiarias esse velint, quas intrare præsidia regia regemque vetent: cum Philippo enim hoste pacem, non cum Antiocho amico societatis fœdus ita sanciendum esse. Ad ea Quintius: Quoniam vobis distinctè agere libet, & genera iungendarum amicitiarum enumerare: ego quoque duas conditiones ponam, extra quas nullam esse regi nuntietis amicitiæ cum populo Romano iungēdæ. vnam, si nos nihil quod ad vrbes Asiæ attinet, curare velit. vt & ipse omni Europa abstineat: alteram, si se ille Asiæ finibus nō contineat, & in Europā trāscēdat, vt & Romanis ius sit Asiæ ciuitatū amicitias & tueri quas habeant, & nouas cōplecti. Enimuero id auditu etiam dicere indignum esse Hege-

A sianax, Thraciæ & Chersonesi vrbibus arceri Antiochum, quæ Seleucus proauus eius, Lysimacho rege bello victo, & in acie cæso, per summum decus parta liquerit. pari cum laude eadem ab Thracibus possessa, partim armis receperit Antiochus: partim deserta, sicut ipsam Lysimachiā, & reuocatis cultoribus frequentauerit, & quæ strata ruinis atq. incendiis erant, ingētibus impensis ædificauerit. Quid igitur simile esse, ex ea possessione ita parta, ita recu-B perata deduci Antiochum, & Romanos abstinere Asia, quæ nunquam eorum fuerit: Amicitiā Romanorum expetere Antiochum, sed quæ impetrata gloriæ sibi, nō pudori sit. Ad hæc Quintius: Quandoquidē, inquit, honesta pensamus: sic, vt aut sola, aut prima certè pensari decet principi orbis terrarū populo, & tanto regi: vtrum tandem videtur honestius, liberas velle omnes, quæ vbique sunt Græciæ vrbes, an seruas & vectigales facere: Si sibi Antiochus pulchrum esse censet, quas vrbes proauus belli iure habuerit, auus paterq. nūquā vsurpauerint, pro suis C eas repetere in seruitutem: & populus Romanus susceptum patrocinium libertatis Græcorum non deserere, fidei constantiæque suæ ducit esse: sicut à Philippo Græciam liberauit, ita & ab Antiocho Asiæ vrbes, quæ Graij nominis sint liberare in animo habet. neque enim in Æolidē Ioniamq. coloniæ in seruitutem regiā missæ sunt, sed stirpis augēdæ caussa gentisq. vetustissimæ per orbē terrarum propagandæ. Cum hæsitaret Hegesianax, nec inficiari posset, honestiorē caussam libertatis quàm seruitutis præ-D texti titulo: Quin mittimus ambages, inquit Pub. Sulpitius, qui maximus natu ex decē legatis erat, alteram ex duabus conditionibus, quæ modo disertè à Quintio datæ sunt, legite aut supersedete de amicitia agere. Nos verò, inquit Menippus, nec volumus nec possumus pacisci quicquam, quo regnū Antiochi minuatur. Postero die Quintius legationes vniuersas Græciæ Asiæque cum in senatum introduxisset, vt scirē quali animo populus Romanus, qua-E lique Antiochus erga ciuitates Græciæ essent: postulata & sua & regis exposuit. Renuntiarēt ciuitatibus suis, populū Romanū qua virtute quáque fide libertatem eorū Philippo vindicauerit: eadem ab Antiocho, nisi decedat Europa, vindicaturum. Tum Menippus deprecari & Quintium & patres institit, ne festinarēt decernere, quo decreto turbaturi orbē terrarum essent. tempus & sibi sumerent, & regi ad cogitandum darent, cogitaturum cū renūciatæ cōditiones essent, & impetraturum aliquid, aut pacis F caussa cōcessurum. Ita integra dilata res est. Legatos mitti ad regē eosdē, qui Lysimachiæ apud eum fuerāt, placuit, P. Sulpitium, P. Villium, P. Æliū. Vixdum ij profecti erant, cùm à Carthagine legati bellum haud dubiè parare Antiochum Annibale ministro attulerunt: inieceruntq. curā, ne simul & Punicum bellum excitaretur. Annibal patria profugus peruenerat ad Antiochum, sicut ante dictum est: & erat apud regem in magno honore, nulla alia arte, nisi quod volutanti diu cōsilia de Romano bello, nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat. G Sentētia eius vna atq; eadem semper erat, vt in Italia bellum gereretur. Italiā & cōmeatus & militē præbituram externo hosti. si nihil ibi moueatur, liceatque populo Romano viribus & copiis Italiæ extra Italiam bellum gerere; neque regem neque gentem vllam parem Romanis esse. Sibi centum tectas naues, XVI. millia peditum, mille equites deposcebat. ea se classe primum Africam petiturum. magnopere cōfidere & Carthaginienses ad rebellādū ab se cōpelli posse. si illi cunctentur, se aliqua parte Itali

bellum

bellum excitaturum Romanis. Regem cum ceteris A omnibus transire in Europam debere, & in aliqua parte Graeciae copias continere, neque traiicientem, & quod in speciem famamque belli satis sit, paratum traiicere. In hanc sententiam cum adduxisset regem, praeparandos sibi ad id popularium animos ratus literas, ne quo casu interceptae palam faceret conata, scribere non est ausus. Aristonem quendam Tyrium nactus Ephesi, expertusque solertiam leuioribus ministeriis. partim donis, partim spe praemiorum oneratum, quibus etiam ipse B rex annuerat, Charthaginem cum mandatis mittit. edit nomina eorum, quibus conuentis opus esset, instruit etiam secretis notis, per quas haud dubiè agnoscerent sua mandata esse. Hunc Aristonem Carthagine obuersantem, nō prius amici quàm inimici Annibalis, qua de caussa venisset, cognouerunt. Et primo in circulis conuiuiisque celebrata sermonibus res est. deinde in senatu quidam nihil actum esse dicere exsilio Annibalis: si absens quoque nouas moliri res, solicitandoque animos hominum, C turbare statum ciuitatis posset. Aristonem quendam Tyrium aduenam, instructum mandatis ab Annibale & ab Antiocho rege venisse: certos homines quotidie cum eo secreta colloquia serere, & in ococculto colloqui, quod mox in omnium pernicie erupturum esset. Conclamauere omnes, vocari Aristonem debere, & quaeri quid venisset: & nisi expromeret, cum legatis Romam mitti. satis prō temeritate vnius hominis suppliciorum pensum esse. priuatos suo periculo peccaturos, Rempublicam nō extra noxam modo, sed etiam extra famam noxae D conseruandam esse. Vocatus Ariston purgare sese, & firmissimo propugnaculo vti quod nihil literarū ad quemquam attulisset, ceterum nec caussam aduentus satis expediebat, & in eo maxime haesitabat, quod cum Barchinae solum factionis hominibus collocutum eum arguebant. Orta deinde altercatio est, aliis pro speculatore comprehēdi iam & custodiri iubentibus, aliis negantibus tumultuandi caussam esse. mali rem exempli esse, de nihilo hospites corripi idem Carthaginiensibus & Tyri, & in aliis E emporiis in quę frequenter commeent, euenturum. Dilata eo die res est. Ariston Punico ingenio inter Poenos vsus, tabellas conscriptas celeberrimo loco supra sedem quotidianā magistratus prima vespera suspendit. ipse de tertia vigilia nauem conscendit & profugit. Postero die cum Suffetes ad ius dicendū consedissent: cōspectae tabellae, demptaeque & lectae. scriptum erat, Aristonem priuatim ad neminem, publicè ad seniores (ita senatum vocabant) mandata habuisse. Publicato crimine minus intenta de F paucis quaestio erat. mitti tamen legatos Romam, qui rem ad Coss. & senatum deferrēt, placuit simul qui de iniuriis Masanissae quererentur. Masanissa postea quam & infames Carthaginienses, & inter se ipsos discordes sensit, principib. propter colloquia Aristonis senatū, senatu propter indicium eiusdem Aristonis populo suspecto, locum iniuriae esse ratus, agrum maritimum eorum & depopulatus est, & G quasdam vrbes vectigales Carthaginiensium sibi coegit stipendium pendere. Emporia vocant eam regionem. ora est minoris Syrtis, & agri vberis. vna ciuitas eius Leptis. ea singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedit. Hanc tum regionem & totam infestam Masanissa, & ex quadam parte dubiae possessionis, sui regni an Carthaginiensium esset, effecerat. & quia simul ad purganda crimina, & questum de se Romam eos ituros comperit, qui & illa onerarent suspicionibus & de iure vectigalium disceptarent, legatos & ipse Romam misit. Auditi de Tyrio aduena primum Carthaginienses curam iniecere patribus, ne cum Antiocho simul & Poenis bellandum esset. maximè ea suspicio crimen vrgebat, quod quem comprehensum Romam mitti placuisset, nec ipsum nec nauem eius custodissent. De agro deinde cum regis legatis disceptari coeptū. Carthaginienses iure finium caussam tutabantur, quod intra eos terminos esset, quibus P. Scipio victor agrum qui iuris esset Carthaginiēsium, finisset, & confessione regis, qui cum Aphirem profugum ex regno suo cum parte Numidarum vagantē circa Cyrenas persequeretur: precario ab se iter per eum ipsum agrum, tanquam haud dubiè Carthaginiensium iuris petisset. Numidae & de terminatione Scipionis mentiri eos arguebant. & si quis veram originem iuris exigere vellet, quem proprium agrum Carthaginiensium in Africa esse? aduenis, quantū secto bouis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad vrbem communiendam precario datum. quicquid Byrsam sedem suam excesserint, vi atque iniuria partum habere. Neque enim de qua agatur, probare eos posse: non modo semper ex quo coeperint: sed ne diu quidem eos possedisse per opportunitates nunc illos, nunc reges Numidarum vsurpasse ius: semperque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset. Cuius conditionis res fuerit, priusquam hostes Romanis Carthaginienses socius atque amicus rex Numidarum esset: eius sinerent esse, nec se interponerent, quo minus qui possent, tenerent. Responderi legatis vtriusque partis placuit: missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginiensem & regem in re praesenti disceptarent. Missi P. Scipio Africanus, & C. Cornelius Cethegus, & M. Minutius Rufus: audita, inspectaq; re suspēsa omnia, neutro inclinatis sētētiis reliquere. Id vtrum sua sponte fecerint, an quia mandatum ita fuerit, non tam certum est, quàm videtur tēpori aptum fuisse integro certamine eos relinqui. nam ni ita esset, vnus Scipio vel notitia rei, vel auctoritate ita de vtrisque meritus, finire nutu disceptationem potuisset.

DECADIS QVARTAE
LIBER V.

PRincipio anni quo haec gesta sunt, Sex. Digitius praetor in Hispania citeriore cum ciuitatibus iis, quae post profectionem M. Catonis permultae rebellauerant, crebra magis quàm digna dicta praelia fecit: & adeo pleraque aduersa, vt vix dimidium militum quàm quod acceperat, successori tradiderit. nec dubium est, quin omnis Hispania sublatura animos fuerit: ni alter praetor P. Cornelius Cn. F. Scipio trans Iberum multa secunda praelia fecisset: quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Praetor haec gesserat Scipio. Idem propraetor Lusitanos peruastata vlteriori prouincia cum ingēti prędа domum redeuntes in ipso itinere aggressus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euētu pugnauit, numero militum impar superior aliis. nam & acie frequenti armatis aduersus longū & impeditū turba pecorum agmen, & recenti milite aduersus fessos longo itinere cōcurrerat. tertia namque vigilia exierant hostes: huic nocturno itineri tres diurnae

A horæ accesserant: nec vlla quieta data laborem viæ prælium exceperat. Itaque principio pugnę vigoris aliqui in corporibus animisque fuit. & turbauerat primo Romanos: deinde æquata paulisp pugna est. In hoc discrimine ludos Ioui, si fudisset cecidissetque hostes, proprætor vouit. tandem gradum acrius intulere Romani, cessitque Lusitanus: deinde prorsus terga dedit. & cùm institissent fugientibus victores, ad XII. millia hostium sunt cæsa: capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & signa militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu Rom. septuaginta & tres amissi. ¶ Pugnatum inde haud procul Ilipa vrbe est. eo victorem opulentum prēda exercitum P. Cornelius reduxit. ea omnis ante vrbem exposita est, potestasque dominis suas res cognoscendi facta. cętera vendenda quæstori data. quod inde effectum est, militi diuisum. Nōdum ab Roma profectus erat C. Flaminius prætor, cùm hæc in Hispania gerebantur. itaque tam aduersæ quàm secundæ res per ipsum amicosque eius magnis sermonibus celebrabantur. C & tentauerat, quoniam bellum ingens in prouincia exarsisset, & exiguas reliquias exercitus ab Sex. Digitio, atque eas ipsas plenas pauoris ac fugæ accepturus esset, vt vnam sibi ex vrbanis legionibus decernerent: ad quam cum militem ab se ipso scriptum ex senatusconsulto adiecisset: eligeret ex omni numero sex millia & quingentos pedites, & equites trecentos. ea se legione (nam in Sex. Digitij exercitu haud multum spei esse) rem gesturum. Seniores negare D ad rumores à priuatis temere in gratiam magistratuum confictos, senatusconsulta facienda esse. nisi quod aut prætores ex prouinciis scriberent, aut legati renuntiarent, nihil ratum haberi debere. si tumultus in Hispania esset, placere tumultuarios milites extra Italiam scribi à prætore. Mens ea senatus fuit, vt in Hispania tumultuarij milites legerentur. Valerius Antias & in Siciliam nauigasse delectus caussa C. Flaminium scribit: & ex Sicilia Hispaniā petentem tempestate in Africam delatum, vagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse: E his duarum prouinciarum delectibus tertium in Hispania adiecisse. Nec in Italia segnius Ligurum bellum crescebat. Pisas iam quadraginta millibus hominum, affluente quotidie multitudine ad famā belli spémque prædæ, circumsedebant. Minutius Cos. Arretium die quem edixerat ad conueniendum militibus venit. inde quadrato agmine ad Pisas duxit. & cùm hostes mille passum ab oppido trans fluuium mouissent castra, consul vrbem haud dubiè seruatam aduentu suo est ingressus. F Postero die & ipse trans fluuium quingentos fere passus ab hoste posuit castra. inde leuibus præliis à populationibus agrum sociorum tutabatur. in aciem exire non audebat, nouo milite, & ex multis generibus hominum collecto, nec dum noto satis inter se, vt fidere alij aliis possent. Ligures multitudine freti & in aciem exibant, parati de summa rerum decernere: & abundantes militum numero, passim multas manus per extrema finium ad prædandum emittebant: & cum coacta vis magna pecorum prædæque G esset, paratum erat præsidium, per quod in castella eorum vicosque ageretur. Cùm bellum Ligustinum ad Pisas constitisset, consul alter L. Cornelius Merula per extremos Ligurum fines exercitum in agrū Boiorum induxit. vbi longè alia belli ratio quam cum Liguribus erat. consul in aciem exibat: hostes pugnam detractabant: prædatumque vbi nemo obuiam exiret, discurrebant Romani: Boij diripi sua impunè quā tuēdo ea cōserere certamen malebant.

Posteaquam omnia ferro ignique satis euastata erant, cōsul agro hostiū excessit, & ad Mutinam agmine incauto, vt inter pacatos, ducebat. Boij vbi egressū è finib. suis hostē sensere: sequebatur silēti agmine, locum insidiis quærētes. nocte prætergressi castra Romana saltū, quà transeundū erat Romanis, insederunt. Id cum parum occultè fecissent, consul qui multa nocte solitus erat mouere castra, ne nox terrorem in tumultuario prælio augeret lucem exspectauit. & cū luce moueret, tamen turmā equitum exploratum misit. Posteaquam relatū est, quātæ copiæ & in quo loco essent, totius agminis sarcinas in mediū cōiici iussit, & triarios vallum circūiicere: cetero exercitu instructo ad hostem accessit. Idē & Galli fecerunt, posteaquam apertas esse insidias, & recto ac iusto prælio, vbi vera virtus vinceret, dimicandum viderunt. Hora secunda ferme cōcursum est sinistra sociorū equitum ala, & extraordinarij prima in acie pugnabant, præerant duo consulares legati, M. Marcellus, & T. Sempronius prioris anni cōsul. Nouus Cos. nunc ad prima signa erat: nūc legiones cōtinebat in subsidiis. ne certaminis studio prius cōcurrerēt, quā datū signū esset. equites earū extra aciem in locū patentē Q. & P. Minutios tribunos militū educere iussit: inde cum signum dedisset, impetum ex aperto facerēt. Hæc agēti nuntius venit à T. Sempronio Longo, non sustinere extraordinarios impetum Gallorum, & cæsos permultos esse: & qui supersint, partim labore, partim metu remisisse ardorem pugnæ. Legionem alterā ex duabus, si videretur, summitteret priusquam ignominia acciperetur. Secunda legio missa est, & extraordinarij recepti. tum redintegrata est pugna, cum & recens miles & frequens ordinibus legio successisset. & sinistra ala ex prælio subducta est, dextra in primam aciem subiit. Sol ingenti ardore torrebat minimè patientia æstus corpora Gallorum: densis tamen ordinibus nunc alij in alios, nunc in scuta incumbentes sustinebant impetus Romanorum. Quod vbi animaduertit Cos. ad perturbandos ordines eorum C. Liuium Salinatorem, qui præerat alariis equitibus, quam concitatissimos equos immittere iubet: & legionarios equites in subsidiis esse. Hæc procella equestris primo confudit & turbauit, deinde dissipauit aciem Gallorum, non tamen vt terga darent. obstabant duces hastilibus cędentes terga trepidantium, & redire in ordines cogentes. sed interequitantes alarij non patiebantur. Cōsul obtestabatur milites, vt paululum admiterentur, victoriā in manibus esse. dum perturbatos & trepidantes viderent, instarent. si restitui ordines siuissent, integro rursus eos prælio & dubio dimicaturos. Inferre vexillarios iussit signa. omnes connixi tandem auerterunt hostem. postquam terga dabant, & in fugam passim effundebantur, tum ad persequendos eos legionarij equites immissi. Quatuordecim millia Boiorum eo die cæsa sunt, viui capti mille nonaginta duo, equites ducenti viginti vnus, tres duces eorum, signa militaria ducenta XII. carpenta LXIII. Nec Romanis incruēta victoria fuit. supra quinq. millia militū ipsorum aut sociorū sunt amissa, cēturiones tres & XX. præfecti sociū quatuor, & M. Genutius & M. Martius trib. militū secundę legionis. Eodem fere tempore duorū cōsulū literæ allatæ sunt: L. Cornelij de prælio ad Mutinā cū Boiis facto, & Q. Minutij à Pisis, comitia suæ sortis esse ceterū adeo suspēsa omnia in Ligurib. se habere, vt abscedi inde sine pernitie sociorū & dāno reipubl. nō posset. si ita videretur patribus, mitterēt ad collegā, vt is qui profligatum bellū haberet, ad comitia Romā rediret. si id facere

grauare-

grauaretur, quod non sue sortis id negotium esset: se quidem facturum quodcunque senatus censuisset. sed etiam atque etiam viderent: si magis è repub. esset, interregnum initi, quàm ab se in eo statu relinqui prouinciam. Senatus C. Scribonio negotium dedit, vt duos legatos ex ordine senatorio mitteret ad L. Cornelium consulem, qui literas collegæ ad senatum missas deferrent ad eum, & nunciaret, senatum, nisi is ad magistratus subrogandos Romam veniret, potius quam Q. Minucius à bello integro auocaretur, interregnum iniri passurum. Missi legati renunciarunt L. Cornelium ad magistratus subrogandos Romã venturum. De literis L. Cornelij, quas scripserat, secundum prælium cum Boiis factum, disceptatio in senatu fuit: quia priuatim plerisque senatoribus legatus M. Claudius scripserat, fortunæ populi Romani & militum virtuti gratiam habendã, quod res bene gesta esset. consulis opera & militum aliquantum amissum, & hostium exercitum, cuius delendi oblata fortuna non fuerat, deletum. milites eo plures periisse, quod tardius ex subsidiis qui laborantibus opem ferrent, successissent. hostes è manibus emissos, quod equitibus legionariis & tardius datum signum esset, & persequi fugientes non licuisset. De ea re nihil temere decerni placuit: ad frequentiores consultatio delata est. instabat enim cura alia, quod ciuitas fœnore laborabat: & cum multis fœnebribus legibus constricta auaritia esset, via fraudis inita erat, vt in socios qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent. ita libero fœnore obruebant debitores. cuius coercẽdi cum ratio quæreretur: diem finiri placuit, Fœneralia quæ proximè fuissent vt qui post eam diem socij ciuib. Romanis credidissent pecunias, profiterentur, & ex ea die pecuniæ creditę quibus debitor vellet legibus, ius creditori diceretur. Deinde post aquam professionibus detecta est magnitudo æris alieni per hãc fraudem cõtracti, M. Sempronius tribunus plebis, ex auctoritate patrum plebem rogauit, plebésque sciuit, vt cũ sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuib. Romanis esset. Hæc in Italia domi militięque acta. in Hispania nequaquam tantum belli fuit, quantũ auxerat fama. C. Flaminius in citeriori Hispania oppidum Iluciã in Oretanis cepit: deinde in hyberna milites deduxit, & per hyemẽ prœlia aliquot nulla memoria digna aduersus latronum magis quã hostium excursiones, vario tamen euentu, nec sine militum iactura sunt facta. Maiores res gestę à M. Fuluio. Is apud Toletum oppidum cum Vaccæis Vectonibusque & Celtiberis signis collatis dimicauit: exercitum earum gentium fudit fugauitque regem Hilermum viuum cepit. Dum hęc in Hispania gerebantur, comitiorum iam appetebat dies. itaque L. Cornelius Cos. relicto ad exercitum M. Claudio legato, Romam venit. Is in senatu cum de rebus à se gestis disseruisset, quóve in statu prouincia esset: questus est cum patribus cõscriptis, quod tanto bello vna secunda pugna tam feliciter perfecto, non esset habitus diis immortalibus honos: postulauit deinde, vt supplicationem simul triumphúmque decernerent. Prius tamen quam relatio fieret, Q. Metellus qui cõsul dictatórq; fuerat, literas eodẽ tẽpore dixit, & consulis L. Cornelij ad senatum, & M. Marcelli ad magnã partem senatorũ allatas esse inter se pugnantes: eóque dilatam esse consultationem, vt præsentibus auctoribus earum literarum disceptaretur. itaq. expectasse sese, vt cõsul, qui sciret ab legato suo aduersus se scriptũ aliquid, cum ipsi veniendum esset, deduceret eũ secũ Romam: cum etiam verius esset, T. Sempronio impe-

A rium habenti tradi exercitum, quã legato, nunc videri esse amotum de industria, ne ea quæ scripsisset, præsens diceret, aut argueret coram: & si quid vani afferret, argui posset, donec ad liquidũ veritas explorata esset. itaq; nihil eorũ quę postularet Cos. decernẽdum in presentia censere. Cum pergeret nihilo segnius referre, vt supplicatio decerneretur, triumphãtiq; sibi in vrbẽ inuehi liceret, M. & C. Titinij tribuni plebis se intercessuros, si de ea re fieret senatuscõsultũ, dixerunt. Cẽsores erãt priore anno creati Sex.
B Ælius Pætus, & Cn. Cornelius Cethegus. Cornelius lustrũ condidit. censa sunt ciuiũ capita CXLIII. millia septingenta quatuor. Aquæ ingẽtes eo anno fuerũt: & Tyberis loca plana vrbis inundauit. circa portam Flumentanã etiam collapsa quędã ruinis sunt. & porta Cœlimontana fulmine icta est, murúsque circa multis locis de cœlo tactus, & Aricię & Lanuuij & in Auentino lapidibus pluit. & à Capua nũciatum est examen vesparum ingens in forũ aduolasse, & in Martis æde cõsedisse. eas collectas cum cura, &
C igni crematas esse. Horum prodigiorum caussa decẽuiri libros adire iussi, & nouendiale sacrum factũ, & supplicatio indicta est, atq. vrbs lustrata. Iisdem diebus ædiculam Victoriæ virginis prope ædẽ Victoriæ M. Porcius Cato dedicauit, biennio postquam vouit. Eodem anno coloniam Latinam in agrũ Ferentinum triumuiri deduxerunt, Cn. Manlius Volso, L. Apustius Fullo, P. Ælius Tubero, cuius lege deducebatur. tria millia peditum iere, CCC. equites: numerus exiguus pro copia agri. Dari potuere tricena
D iugera in pedites, sexagena in equites Apustio auctore tertia pars agri dempta est: quo post, si vellẽt, nouos colonos adscribere possent. vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt. In exitu iã annus erat, & ambitio magis quã vnquã alias exarserat consularibus comitiis. multi & potentes petebant patricij plebeiique, P. Cornelius, Cn. filius, Scipio, qui ex Hispania prouincia nuper decesserat, magnis reb. gestis: & L. Quintius Flamininus, qui classi in Græcia præfuerat. & Cn. Manlius Volso. hi pa-
E tricij. plebeij autem, C. Lælius, Cn. Domitius, C. Liuius Salinator, M. Acilius. sed omnium oculi in Quintium Corneliumque coniecti. nam & in vnũ locum petebant ambo patricij, & rei militaris gloria recens vtrumque commendabat. Ceterum ante omnia certamẽ accendebant fratres candidatorum duo clarissimi ætatis suæ imperatores. maior gloria Scipionis, & quo maior, eo propior inuidię: Quintij recentior, vt qui eo anno triumphasset. Accedebat, quod alter decimum iam prope annum assiduus in
F oculis hominum fuerat: quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit: consul iterum post deuictum Annibalem censórq. fuerat. in Quintio noua & recentia omnia ad gratiam erant. nihil nec petierat à populo post triumphum, nec adeptus erat. Pro fratre germano, non patruele se petere aiebat, pro collega & participe administrati belli. se terra, fratrem mari rem gessisse. Is obtinuit, vt præferretur cãdidato, quem Africanus fratérque ducebant: quem Cornelia gens, Cornelio consule comi-
G tia habente: quem tantum præiudicium senatus virum è ciuitate optimum iudicatum, qui matrem Idæam Pessinunte venientem in vrbem acciperet. L. Quintius & Cn. Domitius Ænobarbus Coss. facti. adeóne in plebeio quidem Cos. cum pro C. Lælio niteretur, Africanus valuit. Postero die prætores creati L. Scribonius Libo, M. Fuluius Centumalus, A. Attilius Serranus, M. Bæbius Pamphilus, L. Valerius Tappus, Q. Salonius Sarra. Ædilitas insignis eo anno fuit M. Æmylij Lepidi, & L. Æmylij Pauli

Multos pecuarios damnarunt: ex ea pecunia clypea A inaurata in fastio Iouis ædis posuerunt. porticum vnam extra portam Trigeminam, emporio ad Tyberim adiecto: alteram à porta Fontinali ad Martis aram, qua in campum iter esset, perduxerunt. Diu nihil in Liguribus dignum memoria gestum erat. extremo eius anni bis in magnum periculum res adducta est. nam & castra consulis oppugnata ægrè sunt defensa: & non ita multo post per saltum angustum cum duceretur agmen Romanum, ipsas fauces exercitus Ligurum insedit, qua cū exitus nō B pateret, conuerso agmine redire institit consul, & à tergo fauces saltus occupatæ à parte hostium erant: Caudinæque cladis memoria non animis modo, sed prope oculis obuersabatur. Numidas octingentos ferme equites intra auxilia habebat. Eorum præfectus consuli pollicetur, se parte vtra vellet cum suis erupturum. tantum vti diceret vtra pars frequentior vicis esset, in eos se impetum facturum, & nihil prius quàm flammam tectis iniecturum, vt is pauor cogeret Ligures excedere saltū quem obsiderent, & discurrere ad opem ferendam suis. Collau- C darum eum consul spe præmiorum onerat. Numidæ equos conscendunt, & obequitare stationibus hostium neminem lacessentes cœperunt. Nihil primo aspectu contemptius. equi hominésq. paululi & graciles: discincti & inermis eques, præterquam quod iacula secum portat: equi sine frenis, deformis ipse cursus rigida ceruice & extento capite currentium. Hunc contemptum de industria augentes, labi ex equis, & per ludibrium spectaculo esse. itaq. qui primo intenti paratique, si lacesserentur, in stationi- D bus fuerant: iam inermes, sedentésque pars maxima spectabant. Numidæ adequitare, dein refugere: sed propius saltum paulatim euehi, velut quos impotentes regendi equi inuitos efferrent. postremo subditis calcaribus per medias stationes hostiū erupere, & in agrum latiorem euecti, omnia propinqua viæ tecta incendunt: proximo deinde vico inferunt ignem: ferro flammáque omnia peruastant. Fumus primo conspectus, deinde clamor trepidátium in vicis auditus, postremo seniores puerique refu- E gientes tumultum in castris fecerunt. itaq. sine cōsilio, sine imperio pro se quisque currere ad sua tutanda: momentoque temporis castra relicta erant, & obsidione liberatus Cos. quo intēderat, peruenit. Sed neque Boij, neque Hispani, cum quibus eo anno bellatum erat, tam inimici infestique erant Romanis, quam Ætolorum gens. Ii post deportatos ex Græcia exercitus primo in spe fuerant, & Antiochū in vacuam Europæ possessionem venturum: nec Phi- F lippum aut Nabin quieturos, vbi nihil vsquam moueri viderunt, agitādum aliquid miscendumq. rati, ne cunctando senescerent consilia: concilium Naupactum indixerunt. Ibi Thoas prætor eorum conquestus iniurias Romanorum, statumque Ætoliæ, quod omnium Græciæ gentium ciuitatiúmque inhonoratissimi post eam victoriam essent, cuius caussa ipsi fuissent: legatos censuit circa reges mittēdos, qui non solum tentarent animos eorum, sed suis G quemque stimulis mouerēt ad Romanum bellum. Damocritus ad Nabin, Nicander ad Philippum, Dicæarchus frater prætoris ad Antiochum est missus. Tyráno Lacedæmonio Damocritus ademtis maritimis ciuitatibus eneruatam tyrannidē dicere: inde militem, inde naues, naualésque socios habuisse: inclusum suis propè muris Achæos videre dominantes in Peloponneso, nunquam habiturum recuperādi sua occasionem, si eam quæ tū esset, prætermisisset. nullum exercitū Romanum in Græcia esse: nec

propter Gytheum, aut maritimos alios Laconas dignā caussam existimaturos Romanos, cur legiones in Græciam rursum transmittant. Hæc ad incitandū animum tyranni dicebantur, vt cum in Græciam Antiochus traiecisset, conscientia violatæ per sociorum iniurias Romanæ amicitiæ coniungeret se cū Antiocho. Et Philippum Nicander haud dissimili oratione incitabat. erat etiam maior orationi materia, quo ex altiore fastigio rex quàm tyrannus detractus erat, quoque plures ademtæ res, ad hoc vetusta regum Macedoniæ fama peragratúsque orbis terrarum victoriis eius gentis referebatur. Et tutum vel incœpto, vel euentu se consilium afferre. nam neque vt ante se moneret Philippus, quam Antiochus cū exercitū transierit in Græciam, suadere: & qui sine Antiocho aduersus Romanos Ætolósque tādiu sustinuerit bellum, ei adiuncto Antiocho sociis Ætolis, qui tum grauiores hostes quā Romani fuerint, quibus tandem viribus resistere Romanos posse? Adiiciebat de duce Annibale, nato aduersus Romanos hoste, qui plures & duces & milites eorum occidisset, quam quot superessent. Hæc Philippo Nicander. Alia Dicæarchus Antiocho, & omnium primum prędam de Philippo Romanorū esse dicere, victoriam Ætolorum & aditū in Græciam Romanis nullos alios quam Ætolos dedisse: & ad vincendum vires eosdē præbuisse. deinde quantas peditum equitúmque copias præbituri Antiocho ad bellum essent: quæ loca terrestribus copiis, quos portus maritimis. Tum de Philippo & Nabide libero mendacio abutebatur: paratum vtrúque ad rebellandū esse, & primam quanque occasionē recuperādi ea quę bello amisissent, arrepturos. Ita per totum simul orbem terrarū Ætoli Romanis cōcitabant bellum. reges tamen aut nō moti, aut tardius moti sunt. Nabis extemplo circa omnes vicos maritimos dimisit ad seditiones in iis miscēdas, & alios principū donis ad suā caussam perduxit: alios pertinaciter in societate Romana manentes occidit. Achæis omnium maritimorum Laconum tuendorum à T. Quintio cura mandata erat. itaq; extemplo & ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerēt fœderis eum Romani, denuntiarēntque, ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret: & auxilia ad Gytheū, quod iam oppugnabatur à tyranno, & Romam qui ea nuntiarent, legatos miserunt. Antiochus rex ea hyeme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo regi Ægypti filia in matrimoniū data, cū Antiochiam se recepisset: per Ciliciam Tauro mōte superato, extremo iā hyemis Ephesum peruenit. inde principio veris, Antiocho filio misso in Syriam ad custodiam vltimarū partium regni, ne quid absente se à tergo moueretur: ipse cum omnibus terrestribus copiis ad Pisidas, qui circa Selgam incolunt, oppugnandos est profectus. Eo tēpore legati Romani P. Sulpitius, & P. Villius, qui ad Antiochum (sicut ante dictū est) missi erant, iussi prius Eumenē adire, Elæam venere: inde Pergamū (ibi regia Eumenis fuit) ascenderunt. Cupidus belli aduersus Antiochum Eumenes erat: graue, si pax esset, accolam tāto potentiorē regem credens: eundē si motū bellū esset, non magis parem Romanis fore, quā Philippus fuisset: & aut funditus sublatum iri: aut si pax victo daretur, multa illi detracta, sibi accessura: vt facile deinde se ab eo sine vllo Romano auxilio tueri posset. etiam si quid aduersi casurum foret, satius esse Romanis sociis quamcumque fortunam subire, quam solū aut imperium pati Antiochi, aut abnuentem vi atq; armis cogi. Ob hæc quantū auctoritate, quantum consilio valebat, incitabat Romanos ad bellum. Sulpitius æger Pergami substitit. Villius

lius cum Pisidiæ bello occupatum esse regē audisset, Ephesum profectus: dum paucos ibi moratur dies, dedit operam, vt cum Annibale, qui tum ibi forte erat, sæpe congrederetur, vt animum eius & tentaret, si qua posset, & metum demeret periculi ei quicquam ab Romanis esse. His colloquiis aliud quidem actum nihil est: secutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, vt vilior ob ea regi Annibal & suspectior ad omnia fieret. Claudius secutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse legatione tradit, eúmque Ephesi collocutum cum Annibale. & sermonem etiam vnum refert, quo quærenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Annibal crederet, respondisset, Alexandrum Macedonum regem: quod parua manu innumerabiles exercitus fudisset, quódque vltimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. quærenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse. castra metari primū docuisse: ad hoc neminē elegātius loca cepisse, præsidia disposuisse: artem etiam conciliandi sibi homines eā habuisse, vt Italicæ gentes regis externi, quā populi Romani tam diu principis in ea terra, imperium esse mallent. exsequenti quē tertiū duceret, haud dubiè semetipsum dixisse. tum risum obortū Scipioni. & subiecisse: Quidnam tu diceres, si me vicisses? tū me verò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores esse, & perplexum Punico astu responsum, & adulationis genus Scipionem mouisse, quod è grege se imperatorum velut inæstimabilem secreuisset. Villius ab Epheso Apameam processit. eo & Antiochus audito Romanorum legatorum aduentu occurrit. Apameæ congressi, disceptatio eadem ferme fuit, quæ Romæ inter Quintiū & legatos regis fuerat. mors nuntiata Antiochi filij regis, quem missum paulo ante dixeram in Syriā, diremit colloquia. Magnus luctus in regia fuit, magnúmque eius iuuenis desideriū. id enim iā specimen sui dederat, vt si vita longior contigisset, magni iustique regis in eo indolem fuisse appareret. Quo charior acceptiorque omnibus erat, eo mors eius suspectior fuit, grauem successorem eum instare senectuti suæ patrem credentem per spadones quosdam, talium ministeriis facinorum acceptos regibus, veneno sustulisse. Eam quoque caussam clandestino facinori adiiciebant, quod cum Seleuco filio Lysimachiam dedisset: Antiocho quam similem daret sedem, vt procul ab se per honorem eum quoque ablegaret, non habuisset. Magni tamen luctus species per aliquot dies regiā tenuit. legatusque Romanus, ne alieno tempore incommodus obuersaretur, Pergamum concessit. rex Ephesum. omisso quod incoauerat bello, rediit. ibi per luctum regia clausa cum Minione quodam, qui princeps amicorum eius erat, secreta consilia agitauit. Minio ignarus omnium externorum, viresque æstimans regis ex rebus in Syria aut Asia gestis, non caussa modo superiorem esse Antiochum, quod nihil æqui postularent Romani, sed bello quoque superaturum credebat. Fugienti regi disceptationem cum legatis, seu iam experto eam minus prosperam, seu mœrore recenti cōfuso, professus Minio, se quæ pro caussa essent dicturum, persuasit, vt à Pergamo accerserentur legati. Iam conualuerat Sulpitius, itaque ambo Ephesum venerunt. rex à Minione excusatus, & absente eo res agi cœpta est. Ibi præparata oratione Minio: Specioso titulo, inquit, vti vos Romani Græcarum ciuitatū liberandarū video. sed facta vestra orationi non conueniunt: & aliud Antiocho iuris statuistis, alio ipsi vtimini. Qui enim magis Smyrnæi Lampsaceni que Græci sunt, quàm Neapolitani & Rhegini & Tarentini, à quibus stipendiū, à quibus naues ex fœdere exigitis? Cur Syracusas atq; in alias Siciliæ Græcas vrbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & securibus mittitis? nihil aliud profectò dicatis, quā armis superatis vos iis has leges imposuisse. Eadem de Smyrna & Lampsaco, ciuitatibusque, quæ Ioniæ Æolidis sunt, caussam ab Antiocho accipite. bello superatas à maioribus, & stipēdiarias ac vectigales factas, in antiquum ius repetit. itaque ad hæc ei responderi velim, si ex æquo disceptatur, & non belli caussa quæritur. Ad ea Sulpitius: Fecit verecūdè, inquit, Antiochus, qui si alia pro caussa eius non erant quæ dicerentur, quælibet ista quàm se dicere maluit. Quid enim simile habet ciuitatum earū quas comparasti caussa? Ab Rheginis & Neapolitanis & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, vno & perpetuo tenore iuris semper vsurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus. Potésne tandem dicere, vt ij populi non per se, non per alium quenquam fœdus mutauerint. sic Asiæ ciuitates, vt semel venerunt in maiorum Antiochi potestatem, in perpetua possessione regni vestri permansisse? & non alias earum in Philippi, alias in Ptolemæi fuisse potestate? alias per multos annos nullo ambigente libertatem vsurpasse? Nam si quod aliquando seruierunt temporū iniquitate pressi, ius post tot secula asserendi eos in seruitutem faciet: quid abest quin actū nobis nihil sit, quod à Philippo liberauimus Græciam? & repetant posteri eius Corinthum, Chalcidem, Demetriadem, & Thessalorum totam gentem? Sed quid ego caussam ciuitatum ago, quam ipsis agentibus & nos, & regem ipsum cognoscere æquius est? Vocari deinde ciuitatum legationes iussit, præparatas iam ante & instructas ab Eumene: qui quantumcunque virium Antiocho decessisset, suo id accessurum regno ducebat. Admissi plures, dum suas quisque nūc querelas, nunc postulationes inserit. æquā iniquis miscentes, è disceptatione altercationem fecerunt. Itaque neque remissa vlla re, neque impetrata, æquè ac venerant, omnium incerti legati Romam redierunt. Rex dimissis iis, consilium de bello Romano habuit. Ibi alius alio ferocius: quia quo quisq; asperius aduersus Romanos locutus esset, eo spes gratiæ maior erat. alius superbiam postulatorum increpare, tanquā Nabidi victo, sic Antiocho, maximo Asiæ regum, imponentium leges. quanquam Nabidi tamen dominationem in patriam suam, & patriam Lacedæmonem remissam: Antiocho si Smyrna, & Lampsacus imperata faciant, indignum videri. alij paruas, & vix dictu dignas belli caussas tanto regi eas ciuitates esse, sed initium semper per ius iniusta impetrandi fieri. nisi crederent, Persas cum aquam terrámque ab Lacedæmoniis petierunt, gleba terræ & haustu aquæ eguisse. per similem tentationem Romanis de duabus ciuitatibus agi. & alias ciuitates, simul duas iugū exuisse vidissent, ad liberatorem populum defecturas. si non libertas seruitute potior sit, tamen omni præsenti statu spem cuique nouandi res suas blandiorem esse. Alexander Acarnan in concilio erat, Philippi quondam amicus, nuper relicto eo secutus opulentiorem regiam Antiochi: & tanquam peritus Græciæ, nec ignarus Romanorum, in eum gradum amicitiæ regis, vt consiliis quoque arcanis interesset, acceptus erat. Is tanquam non verum bellandum esset nécne, consuleretur: sed vbi & qua ratione bellum gereretur, victoriam se haud dubiam proponere animo affirmabat, si in Europam transisset rex, & in aliquā Græciæ parte sedē bello cepisset. Iam primum Ætolos, qui vmbilicum Græciæ incolerent,

in armis eum inuenturum, antesignanos ad asperrima quæque belli paratos. in duobus velut cornibus Græciæ Nabin à Peloponeso concitaturũ omnia, repetentem Argiuorum vrbem, repetentem maritimas ciuitates, quibus eum depulsum Romani Lacedæmonis muris inclusissent: à Macedonia Philippum, vbi primum bellicum cani audisset, arma capturum. nosse se spiritus eius, nosse animum: scire ferarum modo, quæ claustris aut vinculis teneantur, ingentes iam diu iras eum in pectore voluere. meminisse etiam se, quoties in bello precari omnes deos solitus sit, vt Antiochum sibi darent adiutorem. cuius voti si compos nunc fiat, nullam moram rebellandi facturum. tãtum non cunctandum neque cessandum esse. In eo enim victoriam verti, si & loca opportuna, & socij præoccuparentur. Annibalem quoque sine mora mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos. Annibal non adhibitus est in consilium, propter colloquia cum Villio suspectus regi, & in nullo postea honore habitus. Primo eam contumeliam tacitus tulit. deinde melius esse ratus, & percunctari caussam repentinæ alienationis, & purgare se tempore apto, quæsita simpliciter iracundiæ caussa, auditaque: Pater Amilcar, inquit, Antioche, paruum admodum me, cum sacrificaret, altaribus admotum iureiurando adegit, nunquam amicum fore pop. Rom. sub hoc sacramento sex & xxx. annos militaui: hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc duce, si tu spem meam destitueris, vbicunque vires, vbi arma esse sciam, inueniam toto orbe terrarũ quærens aliquos Romanis hostes. itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliã materiam crescendi ex me quærant. odi, odiòque sum Romanis. id me verum dicere pater Amilcar, & dij testes sunt. proinde cũ de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto. si qua res te ad pacem compellet, in id cõsilium alium cum quo deliberes, quærito. Non mouit modò talis oratio regem, sed etiam reconciliauit Annibali. Ex consilio ita discessum est, vt bellum gereretur. Romæ destinabant quidem sermonibus hostem Antiochum, sed nihil dum ad id bellum præter animos parabant. Cõsulibus ambobus Italia prouincia decreta est: ita vt inter se compararent, sortirentúrve, vter comitiis eius anni præesset: ad vtrũm ea non pertineret cura, vt paratus esset, si quo eum extra Italiam opus esset ducere legiones. Huic consuli permissum, vt duas legiones scriberet nouas, & socium ac Latini nominis xx. millia, & equites DCCC. Alteri Cos. duæ legiones decretę, quas L. Cornelius Cos. superioris anni habuisset, & sociûm ac Latini nominis ex eodem exercitu pedites xv. millia, & equites quingenti. Q. Minutio cũ exercitu quem in Ligurib. habebat, prorogatum imperium: additum in supplementum, vt IIII. millia peditum Romanorum scriberentur, & CL. equites & sociis eodẽ v. millia peditum imperarentur, CCL. equites. Cn. Domitio extra Italiam, quo senatus censuisset, prouincia euenit. L. Quintio Galliæ & comitia prætorum habita. Prætores deinde prouincias sortiti: M. Fuluius Centumalus vrbanam, L. Scribonius Ligo peregrinam, L. Valerius Tappus Siciliam, Q. Salonius Sarra Sardiniam, M. Bæbius Pamphilus Hispaniam citeriorem, A. Attilius Serranus vlteriorem. Sed his duobus primum S.C. deinde plebis etiam scito permutatę prouinciæ sunt. Attilio classis & Macedonia, Bæbio Brutij decreti. Flaminio, Fulnióque in Hispaniis prorogatum imperium. Bæbio Pamphilo in Brutios duæ legiones decretæ, quæ priore anno vrbanæ fuissent: vt & sociis eodem millia peditum xv. imperarentur, & quingenti equites. A. Attilius triginta naues quinqueremes facere iussus, & ex naualibus veteres deducere, si quę vtiles essent, & scribere nauales socios. Et consulibus imperatum, vt ei duo millia sociûm ac Latini nominis, & mille pedites darent Romanos. Hi duo Prr. & duo exercitus, terrestris naualisque, aduersus Nabin apertè iam oppugnantem socios P.R. dicebantur parari. ceterum legati ad Antiochum missi exspectabantur: & priusquam ij redissent, vetuerat Cn. Domitium Cos. senatus ab vrbe discedere. Prr. Fuluio & Scribonio, quibus vt ius dicerent Romæ, prouincia erat, negotium datum, vt præter eam classem cui Attilius præfuturus erat, centum quinqueremes pararent. Priusquam Cos. prætorésque in prouincias proficiscerentur, supplicatio fuit prodigiorum caussa. Capram sex hœdos vno fœtu edidisse ex Piceno nuntiatum est: & Arretij puerum natum vnimanum. Amiterni terra pluisse: Formiis portam murumq; de cœlo tacta, & (quod maximè terrebat Cos. Cn. Domitium) bouẽ locutum, Roma caue tibi. Ceterum prodigiorũ caussa supplicatum est. bouem cum cura seruari aliíque aruspices iusserunt. Tyberis infestiore quã priore impetu illatus vrbi, duos pontes, ædificia multa, maximè circa portam Flumentanam euertit. saxum ingens, siue imbribus, siue motu terræ leniore, quam vt alioqui sentiretur, labefactatum, in vicum Iugarium ex Capitolio procidit, & multos oppressit. in agris passim inundatis pecua ablata: villarum strages facta est. Priusquam L. Quintius Cos. in prouinciam perueniret, Q. Minutius in agro Pisano cum Liguribus signis collatis pugnauit: nouem millia hostium occidit: ceteros fusos fugatósque in castra compulit. ea vsque in noctẽ magno certamine oppugnata defensaque sunt. nocte clam profecti Ligures, prima luce Romanus vacua castra inuasit: prædæ minus inuentum est, quod subinde spolia agrorum capta domos dimittebant. Minutius nihil deinde laxamenti hostibus dedit. ex agro Pisano in Ligures profectus, castella vicósque eorum igni ferróque peruastauit. ibi præda Hetrusca, quæ missa à populatoribus fuerat, repletus est miles Romanus. Sub idem tempus legati ab regibus Romam reuerterunt. qui cum nihil, quod satis maturam caussam belli haberet, nisi aduersus Lacedæmonium tyrannum attulissent, quẽ & Achæi legati nuntiabant contra fœdus maritimam oram Laconum oppugnare: Attilius Pr. cum classe missus est in Græciam ad socios tuendos. Cos. quando nihil ab Antiocho instaret, proficisci ambos in prouincias placuit. Domitius ab Arimino quo proximum fuit: Quintius per Ligures in Boios venit. Duo consulum agmina diuersa latè agrum hostium peruastarunt. Primò equites eorum pauci cum præfectis, deinde vniuersus senatus, postremo in quibus aut fortuna aliqua, aut dignitas erat, ad mille quingenti ad Coss. transfugerunt. Et in vtraque Hispania eo anno res prosperè gestæ. Nam & C. Flaminius oppidum Litabrum munitum opulentúmque vineis expugnauit, & nobilẽ regulum Corribilonem viuum cepit: & M. Fuluius Procos. cum duobus exercitibus hostium duo secunda prælia fecit: oppida duo Hispanorum, Vescellam Holonémque, & castella multa expugnauit. alia voluntate ad eum defecerunt: tum in Oretanos progressus, & ibi duobus potius oppidis, Noliba & Cusibi, ad Tagum amnem ire pergit. Toletum ibi parua vrbs erat, sed loco munita: eam cũ oppugnaret, Vectonũ magnus exercitus Toletanis subsidio venit. cum his signis collatis prosperè pugnauit: & fusis Vectonibus, operibus Toletum cepit. Ceterum eo tempore minus ea

bella, quæ gerebantur, curæ patribus erant, quàm A exspectatio nondum cœpti cum Antiocho, belli. nam etsi per legatos identidem omnia explorabantur, tamen rumores temere sine vllis auctoribus orti, multa falsa veris miscebant. inter quæ allatum erat, cum in Ætoliam venisset Antiochus, extemplo classem eum in Siciliam missurum. Itaque senatus etsi Pr. Attilium cum classe miserat in Græciam, tamen quia non copiis modo, sed etiam auctoritate opus erat ad tuendos sociorum animos, T. Quintium & Cn. Octauium & Cn. Seruilium & P. Villiū legatos in Græciam misit: & vt M. Bæbius ex Brutiis B ad Tarentum & Brundusium promoueret legiones, decreuit: vt inde, si res posceret, in Macedoniam traiiceret: & vt M. Fuluius Pr. classem nauium triginta mitteret ad tuendam Siciliæ oram, & vt cum imperio esset, qui classem eam duceret (duxit L. Oppius Salinator, qui priore anno ædilis plebis fuerat) & vt idem Pr. L. Valerio collegæ scriberet, periculum esse, ne classis regis Antiochi ex Ætolia in Siciliam traiiceret. Itaque placere senatui, ad eum exer- C citum, quem haberet, tumultuariorum militum ad XII. millia pedites, & quadringentos equites scribere eum: quibus oram maritimam prouinciæ, qua vergeret in Græciam, tueri posset. Eum delectum Pr. non ex Sicilia ipsa tantum, sed etiam ex circumiacentibus insulis habuit: oppidáque omnia maritima, quæ in Græciam versa erant, præsidiis firmauit. Addidit alimenta rumoribus aduentus Attali, Eumenis fratris, qui nuntiauit Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse: Ætolos ita se D parare, vt sub aduentum eius in armis essent. Et Eumeni absenti, & præsenti Attalo gratiæ actæ: & ædes liberæ, locus Attalo ac lautia decreta, & munera data, equi duo, bina equestria arma, & vasa argentea centum pondo: & aurea viginti pondo. Cùm alij atque alij nuntij bellum instare afferrent, ad rem pertinere visum est, Coss. primo quoque tempore creari. itaque S.C. factum est, vt M. Fuluius Pr. literas extemplo ad COS. mitteret, quibus certior fieret. senatui placere: prouincia exercitúq; tradito legatis, Ro- E mam reuerti eum, & ex itinere præmittere edictum, quo comitia Coss. creandis ediceret. Paruit his literis COS. & præmisso edicto, Romam venit. Eo quoque anno magna ambitio fuit, quod patritij tres in vnum locum petierunt, Pub. Cornelius Cn. F. Scipio, qui priore anno repulsam tulerat, & L. Cornelius Scipio, & Cn. Manlius Volso. P. Scipioni, vt dilatum viro tali, non negatum honorem appareret, consulatus datus est. additus ei de plebe collega, M. Acilius Glabrio. Postero die Prr. creati L. Æmylius Pau- F lus, M. Æmylius Lepidus, M. Iunius Brutus, A. Cornelius Mammula, C. Liuius, & L. Oppius, vtrique eorum Salinator cognomen erat. Oppius is erat, qui classem triginta nauiū in Siciliam duxerat. Interim dum noui magistratus sortirentur prouincias, M. Bebius à Brundusio cum omnibus copiis trāsire in Epirum est iussus, & circa Apolloniam copias continere: & M. Fuluio prætori vrbano negotium datum est. vt quinqueremes nouas quinquaginta faceret. Et populus quidem Romanus ita se ad omnes conatus G Antiochi præparabat. Nabis iam non differebat bellum, sed summa vi Gyttheū oppugnabat: & infestus Achæis, quod miserant obsessis præsidium, agros eorum vastabat. Achei non antea ausi capessere bellum, quàm ab Roma reuertissent legati, vt quid senatui placeret, scirent: post reditum legatorum, & Sicyonem concilium edixerunt, & legatos ad T. Quintium miserunt, qui consilium ab eo peterent. In cōcilio omnium ad bellum extemplo capessendum inclinatæ sententiæ erant: literæ T. Quintij cunctationem iniecerūt, quibus auctor erat prætorem classémque Romanam exspectandi. Cùm principum alij in sententia permanerent, alij vtendum eius, quē ipsi consuluissent, consilio censerēt, multitudo Philopœmenis sententiam exspectabat. Pr. is tum erat, & omnes eo tempore & prudentia & auctoritate anteibat. Is præfatus, bene comparatū apud Ætolos esse, ne Pr. cū de bello consuluisset, ipse sententiam diceret: statuere quamprimum ipsos quid vellent, iussit. prætorem decreta eorum cum fide & cura exsecuturum, annixurumque, vt quantum in cōsilio humano positum esset, nec pacis eos pœniteret, nec belli. Plus ea oratio momenti ad incitandos ad bellum habuit, quàm si apertè suadendo, cupiditatem res gerendi ostendisset. Itaque ingenti consensu bellum decretum est: tempus & ratio administrandi eius libera prætori permissa sunt. Philopœmen præterquam quod ita Quintio placeret, & ipse existimabat classem Romanam exspectandam, quæ à mari Gyttheum tueri posset. sed metuēs ne dilationem res non pateretur, & non Gyttheum solum, sed præsidium quoque missum ad tuendam vrbem amitteretur: naues Achæorum deduxit. Comparauerat & tyrannus modicam classem ad prohibenda, si qua obsessis mari summitterentur præsidia, tres tectas naues, & lembos pristísque tradita vetere classe ex fœdere Romanis. harum nouarum nauium agilitatem, vt experiretur, simul vt omnia satis apta ad certamen essent. profectos in altum quotidie remigem militemque simulacris naualis pugnæ exercebat: in eo ratus verti spem obsidionis, si præsidia maritima interclusisset. Prætor Achæorum sicut terrestrium certaminum arte quemuis clarorum imperatorum, vel vsu vel ingenio æquabat: ita rudis in re nauali erat: Arcas mediterraneus homo, externorum etiam omnium, nisi quod in Creta præfectus auxiliorum militauerat, ignarus. Nauis erat quadriremis vetus, capta annis octoginta ante, cùm Crateri vxorem Nicæam à Naupacto Corinthum veheret. huius fama motus (fuerat enim nobile in classe regia quondam nauigium) deduci ab Ægio putrem iam admodum, & vetustate dilabentem iussit. Hac tum prætoria naue præcedente classem, cum in ea Patrensis Tiso præfectus classis veheretur, occurrerunt à Gytheo Laconum naues: & primo statim incursu ad nouam & firmam nauem vetus, quæ per seipsa omnibus compagibus aquam acciperet, diuulsa est: captique omnes qui in naue erant. cetera classis prætoria naue amissa, quantum quæque remis valuit, fugerunt. ipse Philopœmen in leui speculatoria naue fuit: nec ante fugæ finem, quàm Patras ventum sit, fecit. Nihil ea res animum militaris viri, & multos experti casus imminuit: quin contra, si in re nauali, cuius esset ignarus, offendisset: eo plus in ea, quorum vsu calleret, spei nactus, breue id tyranno gaudium se effecturum affirmabat. Nabis cum prospera elatus re, tum spem etiam haud dubiam nactus, nihil iam à mari periculi fore, & terrestres aditus claudere opportunè positis præsidiis voluit. tertia parte copiarum ab obsidione Gytthei abducta, ad Pleias posuit castra. Imminet is locus & Leucis & Acris, qua videbantur hostes exercitum admoturi. Cum ibi statiua essent, & pauci tabernacula haberent, multitudo alia casas ex arundinibus textas, fronde quę vmbram modō præberet, texissent. priusquam in conspectum hostium veniret Philopœmen, nec opinantem eum improuiso genere belli aggredi statuit. Nauigia parua in stationem occultam agri Argiui cōtraxit. In ea expeditos milites, cetratos plerosque cū fundis & ia-

culis & alio leui genere armaturę imposuit. inde litA tora legens, cũ ad propinquum castris hostium promontorium venisset, egressus callibus notis, nocte Pleias peruenit: & sopitis vigilibus vt in nullo propinquo metu, ignem casis ab omni parte castrorum iniecit. Multi prius incendio absumti sunt, quam hostium aduentum sentirent: & qui senserant nullam opem ferre potuerunt. ferro flammáque omnia absumta. perpauci tamen ex tam ancipiti peste ad Gytthium in maiora castra perfugerunt. Ita perculB sis hostibus Philopœmen protinus ad depopulandã Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est, duxit: & magna vi pecorum hominúmque inde abrepta, priusquam à Gytheo tyrannus præsidium agris mitteret, discessit. Idem Tegeã exercitu contracto, concilioque eodem & Achęis & sociis indicto, in quo & Epirotarum & Acarnanum fuere principes, statuit: quoniam satis & suorum à pudore maximè ignominiæ restituti animi, & hoC stium conterriti essent, ad Lacedæmonem ducere: eo modo vno ratus ab obsidione Gytthi hosté abduci posse. Ad Carias primum in hostium terra posuit castra. Eo ipso die Gyttheum expugnatum est, cuius rei ignarus Philopœmen castra ad Barbosthené (mons est decem millia passuum ab Lacedæmone) promouit. Et Nabis recepto Gytthio, cum expedito exercitu inde profectus, cum præter Lacedæmonem raptim duxisset: Pyrrhi (quæ vocant) castra occupauit: quem peti locum ab Achæis non dubitabat. inde hostibus occurrit. Obtinebant autem longo D agmine propter angustias vię propè quinque millia passuum: cogebatur agmen ab equitibus, & maximè à parte auxiliorum, quod existimabat Philopœmen tyránum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, à tergo suos aggressurum. Duæ res simul inopinatæ perculerunt eum: vna, præoccupatus quem petebat locus: altera, quod prima agmine occurrisse hostem cernebat: vbi cum per loca confragosa iter esset, sine leuis armaturæ præsidio signa ferri non videbat posse. Erat autem Philopœmen præcipuæ E in ducendo agmine locisque capiendis solertiæ atque vsus: nec belli tantum temporibus, sed etiam in pace ad id maximè animum exercuerat. Vbi iter quopiam faceret, & ad difficilem transitu saltem venisset, contemplatus ab omni parte loci naturam, cum solus iret, secum ipse agitabat animo, cum comites haberet, ab iis quærebat, si hostis eo loco apparuisset: quid si à fronte, quid si ab latere hoc aut illo, quid si à tergo adoriretur, capiendum consilij foret? posse instructos recta acie, posse inconditum F agmen, & tantummodo aptum vię, occurrere. quem locum ipse capturus esset, cogitando aut quærendo exsequebatur: aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim interesse) vsurus: quo impedimenta, quo sarcinas, quo turbam inermem reiiceret. quanto ea, aut quali præsidio custodiret: & vtrum pergere qua cepisset ire, via, an eam qua venisset, repetere melius esset: castris quoque, quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci: qua opportuna aquatio, qua pabuli ligno-G rumque copia esset: qua postero die castra mouenti tutum maximè iter, quæ forma agminis foret. His curis cogitationibúsque ita ab ineũte ætate animum agitauerat, vt nulla ei noua in tali re cogitatio esset. Et cum omnium primum agmen constituit: dein Cretenses auxiliares, & quos Tarentinos vocabant, equites binos secum trahentes equos ad prima signa misit: & iussis equitibus subsequi, super torrentem, vnde aquari possent, rupem occupauit. eò impedimenta omnia, & calonum turbam collectam armatis circumdedit, & pro natura loci castra cõmuniuit. tabernacula statuere inaspretis, & inęquabili solo difficile erat. Hostes quingentos passus aberant, ex eodem riuo vtrinque cum præsidio leuis armaturæ aquati sunt: & priusquam, qualia in propinquis castris solent, contraheretur certamen, nox interuenit postero die apparebat pugnandum pro aquatoribus circa riuum esse. nocte in valle à cõspectu hostium auersa, quantam multitudinem locus occulere poterat, condidit cetratorum. Luce orta Cretensium leuis armatura, & Tarentini equites super torrentem prælium commiserunt. Letemnastus Cretensis popularibus suis, equitibus Lycortas Megalopolitanus præerat. Cretenses & hostium auxiliares, equitumque idem genus Tarentini præsidio aquatoribus erant. aliquandiu dubium prælium fuit, vt eodem ex parte vtraque hominum genere & armis paribus procedente certamine, & numero vicere tyranni auxiliares: & quia ita præceptum à Philopœmene præfectis erat, vt modico edito prælio in fugam inclinarent, hostémque ad insidiarum locum pertraherent, effusè secuti fugientes per conuallem plerique & vulnerati & interfecti sunt, priusquam occultum hostem viderent. Cetrati ita, quantum latitudo vallis patiebatur, instructi sederant, vt facilè per interualla ordinum fugientes suos acciperent. consurgunt deinde ipsi integri, recentes, instructi, & in hostes inordinatos, effusos, labore etiam & vulneribus fessos impetum faciunt. nec dubia victoria fuit. extemplo terga dedit tyranni miles, & haud paulo concitatiore cursu, quam secutus erat, fugiens in castra est compulsus. multi cęsi captique in ea fuga sunt. & in castris quoque foret trepidatum, ni Philopœmen receptui cani iussisset: loca magis confragosa, & quacunque temere processisset, iniqua, quàm hostem metuens. Inde & ex fortuna pugnæ, & ex ingenio ducis cõiectans, in quo tum is pauore esset, vnũ ex auxiliaribus specie transfugæ mittit ad eum, qui pro comperto afferret, Achæos statuisse postero die ad Eurotam amnem, qui propè ipsis affluit mœnibus, progredi: vt intercluderent iter, ne aut tyrannus cum vellet, receptum ad vrbem haberet: aut commeatus ab vrbe in castra portarentur: simul etiam tentaturos, si quorum animi solicitari ad defectionem à tyráno possent. Non tam fidem dictis perfuga fecit, quam perculso metu relinquendi castra caussam probabilem præbuit. Postero die Pythagoram cum auxiliaribus & equitatu stationem agere pro vallo iussit. ipse tãquam in aciem cum robore exercitus egressus, signa ocyus ferri ad vrbem iussit. Philopœmen posteaquã citatum agmen per angustam & procliuem viam duci raptim vidit, equitatum omnem & Cretẽsium auxiliares in stationem hostium, quæ pro castris erat, emittit. illi vbi hostes adesse, & à suis se desertos viderunt, primo in castra recipere se conati sunt: deinde posteaquam instructa acies tota Achæorum admouebatur, metu ne cum ipsis castris caperentur, sequi suorum agmen aliquantum prægressum insistunt. Extemplo cetrati Achæorum in castra impetum faciunt, & diripiunt: ceteri ad persequendos hostes ire pergunt. Erat iter tale, per quod vix tranquillum ab hostili metu agmen expediri posset. Vt verò ad postremos prælium ortum est, clamorque terribilis à tergo pauentium ad prima signa est perlatus, pro se quisq; armis abiectis, in circumiectas itineri syluas diffugiunt: momẽtoq; tẽporis strage armorũ septa via est, maximè hastis, quæ pleræq; aduersę cadentes, velut vallo obiecto iter impediebant. Philopœmen vtcunq. possent, instare & persequi auxiliaribus

ribus iussis (vtique enim equitibus haud facilem futuram fugam) ipse grauius agmen via potentiore ad Eurotam amnem deduxit. ibi castris sub occasum solis positis, leuem armaturam, quam ad persequendum reliquerat hostem, opperiebatur. qui vbi prima vigilia venerant, nuntiantes tyrannum cum paucis ad vrbem penetrasse, ceteram multitudinem inermem toto sparsam vagari saltu corpora curare eos iubet. ipse ex cetera copia militum, qui, quia priores in castra venerant, refecti & cibo sumto & modica quiete erant: delectos, nihil praeter gladios secum ferentes extemplo educit: & duarum portarum itineribus, quae Pheras, quaeque Barbosthenem ferunt, eos instruxit, qua ex fuga recepturos sese hostes credebat. Nec eum opinio fefellit. nam Lacedaemonij quoad lucis superfuit quicquam, deuiis callibus medio saltus se recipiebant. Primo vespere vt lumina in castris hostium conspexere, è regione eorum occultis semitis se tenuerunt. vbi praetergressi ea sunt, iam tutum rati, in patentes vias descenderunt. ibi excepti ab insidente hoste, passim ita multi caesi captique sunt, vt vix quarta pars de toto exercitu euaserit. Philopoemenes incluso tyranno in vrbe, insequentes dies propè triginta vastandis agris Laconum absumsit: debilitatisque ac propè fractis tyranni viribus, domum rediit, aequantibus eum gloria rerum Achaeis imperatori Romano, & quod ad Laconicũ bellum attineret, praeferentibus etiam. Dum inter Achaeos & tyrãnum bellum erat, legati Romanorum circumire sociorum vrbes soliciti, ne Aetoli partis alicuius animos ad Antiochum auertissent, minimum operae in Achaeis adeundis consumsẽrũt: quos, quia Nabidi infesti erant, ad caetera quoque satis fidos censebant esse. Athenas primum, inde Chalcidem, inde in Thessaliam iere, allocutique concilio frequenti Thessalos, Demetriadem iter flexere. eò Magnetum concilium indictum est. Accuratior ibi habenda oratio fuit, quod pars principum alienati à Romanis, totique Antiochi & Aetolorum erant: quia cum reddi filium obsidem Philippo allatum esset, stipendiumque impositum remitti, inter cetera vana allatum erat, Demetriadem quoque ei reddituros Romanos esse. id ne fieret, Eurylochus princeps Magnetum, factionisque eius quidem omnia nouari Aetolorum Antiochique aduentu malebant. Aduersus eos ita disserendum erat, ne timorem vanum iis demendo, spes incisa Philippum abalienaret: in quo plus ad omnia momenti, quàm in Magnetibus esset. Illa tantum cõmemorata, cum totam Graeciam beneficio libertatis obnoxiam Romanis esse, tum eam ciuitatem praecipuè. Ibi enim non praesidium non modo Macedonũ fuisse, sed regiam exaedificatã, vt praesens semper in oculis habẽdus esset dominus. Ceterum nequicquam ea facta, si Aetoli Antiochum in Philippi regiam adducerent, & nouus & incognitus pro vetere & experto habendus rex esset. Magnetarchen summum magistratum vocant. is tum Eurylochus erat, ac potestate ea fretus, negauit dissimulandum sibi & Magnetibus esse, quae fama vulgata de reddẽda Demetriade Philippo foret. id ne fieret, omnia & conanda & audenda Magnetibus esse. & inter dicendi contentionem inconsultius euectus proiecit: tum quoq; specie liberam Demetriadem esse, re vera omnia ad nutum Romanorum fieri. Sub hanc vocem fremitus variantis multitudinis fuit, partim assentientium, partim indignantium dicere id ausum eum. Quintius quidem adeo exarsit ira, vt manus ad coelum tendens, deos testes ingrati ac perfidi animi Magnetum inuocaret. Hac voce perterritis omnibus, Zeno ex principibus vnus, ma-

A gnae cum ob eleganter actam vitam auctoritatis, tum quod semper Romanorum haud dubiè partis fuerat: ab Quintio legatisque aliis flens petiit, ne vnius amentiam ciuitati assignarent, suo quemque periculo furere. Magnetas non libertatem modo, sed omnia quae hominibus sancta caraque sint, T. Quintio & populo Romano debere. Nihil quenquam à diis immortalibus precari posse, quod non Magnetes ab illis haberent. & in corpora sua citius per furorem saeuituros, quam vt Romanam amicitiam

B violarent. Huius orationem subsecutae multitudinis preces sunt. Eurylochus ex concilio itineribus occultis ad portam, atque inde protinus in Aetoliam profugit. Iam enim, & id magis indies, Aetoli defectionem nudabant, eoque ipso forte tempore Thoas princeps gentis, quem miserant ad Antiochum, redierat: indéque Menippum secum adduxerat, regis legatum. qui priusquam conciliũ iis daretur, impleuerant omnium aures, terrestres naualésque copias commemorando, ingentem vim pedi-

C tum equitúmque venire, ex India elephantos acciros: ante omnia, quo maximè moueri credebãt multitudinis animos, tantum aduehi auri, vt ipsos emere Romanos possit. Apparebat quid ea oratio in concilio motura esset. Nam & venisse eos, & quae agerent, omnia Romanis legatis deferebantur & quanquam propè abscissa res erat, tamen non ab re esse Quintio visum est, sociorum aliquos legatos interesse ei concilio, qui admonerent Romanae societatis Aetolos, qui vocem liberam mittere aduer-

D sus regis legatum auderent. Athenienses maximè in eam rem idonei visi sunt, propter & ciuitatis dignitatem, & vetustam societatem cum Aetolis ab iis Quintius petiit, vt legatos ad Panaetolicum concilium mitterent. Thoas primus in eo concilio renuntiauit legationem. Menippus post eum intromissus, optimum fuisse omnibus, qui Graeciam Asiámque incolerent, ait integris rebus Philippi potuisse interuenire Antiochum, sua quemque habituros fuisse, neque omnia sub nutum ditionemque

E Romanam peruentura. Nunc quoque inquit: Si modo vos quae incoastis, consilia constanter perduceritis ad exitum poterit diis iuuantibus, & Aetolis sociis, Antiochus quamuis inclinatas Graeciae res restituere in pristinam dignitatem ea autem in libertate posita est, quae suis stat viribus, non ex alieno arbitrio pendet. Athenienses quibus primis post regiam legationem dicendi, quae vellent, potestas facta est, mentione omnis regis praetermissa Romanae societatis Aetolos, meritorúmq; in vniuersam Grae-

F ciam T. Quintij admonuerunt, ne temerè eam celeritate nimia conciliorum euerterent. Consilia callida & audacia prima specie laeta, tractatu dura, euentu tristia esse. legatos Romam. & in iis T. Quintium haud procul inde abesse, dum integro omnia essent, verbis potius de iis quae ambigerentur disceptarent, quàm Asiam, Europámque ad funestum armarent bellum. Multitudo auida nouandi res, Antiochi tota erat, & ne admittendos quidem in concilium Romanos censebant. principum maximè seniores au-

G ctoritate obtinuere, vt daretur iis concilium. Hoc decretum Athenienses cum retulissent, eundum in Aetoliam Quintio visum est. aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Aetolos belli culpam esse. Romanos iusta ac propè necessaria sumturos arma. Posteaquam ventũ est eo, Quintius in concilio orsus à principio societatis Aetolorum cum Romanis, & quoties ab iis fides mota foederis esset, pauca de iure ciuitatum, de quibus ambigeretur, disseruit. Si quid tamen aequi se se habe-

se arbitrarentur, quanto esse satius, Romam mittere legatos, suo disceptate seu rogare senatum mallent, quàm pop. Rom. cum Antiocho admissis Ætolis, non sine motu magno generis humani, & pernicie Græciæ, dimicare? nec vllos prius cladem eius belli sensuros, quàm qui mouissent. Hæc nequicquam velut vaticinatus Romanus. Thoas deinde ceterique factionis eiusdem cum assensu omnium auditi, peruicerunt, vt ne dilato quidem concilio, & absentibus Romanis decretum fieret, quo accerseretur Antiochus ad liberandum Græciam, disceptandumque inter Ætolos & Romanos. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Democritus Pr. eorum. Nam eum idipsum decretum posceret eum Quintius, non veritus maiestatem viri, aliud in præsentia, quod magis instaret, præuertendum sibi esse dixit: decretum responsúmque breui in Italia, castris super ripam Tyberis positis, daturum. tantus furor illo tempore gentem Ætolorum tantusque magistratus eorum cepit. Quintius legatique Corinthum redierunt. Inde vt quæque de Antiocho nihil per se ipsi moti & sedentes exspectare aduentum viderentur regis, concilium quidem vniuersæ gẽtis post dimissos Romanos non habuerunt, per apocletos autem (ita vocant sanctius consilium. ex delectis constat viris) id agitabant, quonam modo res in Græcia nouarentur. Inter omnes cunctabat, in ciuitatibus principes, & optimúmque Romanæ societatis esse, & præsenti statu gaudere multitudinem, & quorum res non ex sententia ipsorum essent, omnia nouari velle. Ætoli consilium vno die spei quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt, Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupandi. Singuli in singulas missi sunt principes, Thoas Chalcidem, Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem. Húc exsul Eurylochus, de cuius fuga, caussáque fugæ ante dictum est: quia reditus in patriam nulla spes alia erat, adiuuit. Literis Eurylochi admoniti propinqui amicique, & qui eiusdem factionis erant, liberos & coniugem eius cum sordida veste tenentes velamenta supplicum concionem frequentẽ adire iubent singulos vniuersósque obtestantes, ne insontem, indemnatum consenescere in exsilio sinerent. Et simplices homines misericordia, & improbos seditiosósque immiscendi res tumultu Ætolico spes mouit. pro se quisque reuocari iubebant. His præparatis Diocles cum omni equitatu (& erat tunc præfectus equitum) specie reducentis exsulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, cum millia sex ab vrbe abesset, luce prima tribus electis turmis, cetera multitudine equitum subsequi iussa, præcessit. Posteaquam portæ appropinquabat, desilire omnes ex equis iussit, & loris ducere equos itineris maximè modo solutis finibus, vt comitatus magis præfecti videretur, quàm præsidium. Ibi vna ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequẽs equitatus posset, media vrbe ac per forum manu Eurylochum tenens, multis occurrentibus gratulantibúsque domum deduxit. mox equitum plena vrbs erat, & loca opportuna occupabantur. tũ in domos missi, qui principes aduersæ factionis interficerent. Ita Demetrias Ætolorum facta est. Lacedæmone cũ vrbi vis afferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat: quem spoliatum maritimis oppidis à Romanis, tunc intra mœnia etiam Lacedæmonis ab Achæis cõpulsum, qui occupasset occidere, eum totum gratiam res apud Lacedæmonios laturum. Caussam mittendi ad eum habuerunt, quòd fatigabat precibus, vt auxilia sibi, cum illis auctoribus rebellasset, mitterentur. Mille pedites Alexameno dati sunt, & triginta dele-

A cti ex iuuentute equites. His à Pr. Damocrito in concilio arcano gentis, de quo ante dictum est, denuntiatum, ne se ad bellũ Achaicum, aut rem vllam, quá sua quisq; opinione præcipere posset, crederent missos esse. quicquid Alexamenũ res mouisset subiti cõsilij capere, ad id quamuis inopinatum, temerarium audax, obedienter exsequendum parati essent. ac pro eo acciperent, tanquam ad id vnum agendum missos à domo se scirent. Cum his ita præparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem aduenien extemplo spei impleuit. Antiochum iam in Europam transisse,

B mox in Græcia fore, terras, maria armis viris completurum. nõ cum Philippo rem esse credituros Romanos. Numerum iniri peditum equitúmq; ac nauium non posse: elephantorum aciem conspectu ipso debellaturam. Ætolos toto suo exercitu paratos esse venire Lacedæmonem, cum res poscat: sed frequentes armatos ostendere aduenienti regi voluisse. Nabidi quoque & ipsi faciendum esse, vt quas haberet copias, non sineret subtectis marcescere otio: sed e-

C duceret, & in armis decurreret, cogeret, simul animos acueret, & corpora exerceret cõsuetudine leuiorem laborem fore, & comitate ac benignitate ducis etiã non iniucundum fieri posse. Educi inde frequenter ante vrbem in campum ad Eurotam amnem cepere. Satellites tyranni media ferè in acie cõsistebant. Tyrannus cum tribus summum equitibus, inter quos plerumque Alexamenus erat, ante signa vectabatur, cornua extrema inuisens. in dextro cornu Ætoli erant, & qui antè auxiliares tyranni fuerant, & qui

D venerant mille cum Alexameno. Fecerat sibi morẽ Alexamenus, nunc cum tyranno inter paucos ordines circumeundi, monendique eum quæ in rem esse videbantur: nunc in dextrum cornu ad suos adequitandi: mox inde, velut imperato quo res poposcisset, recipiendi se ad tyrannum. Sedemque diem patrando facinori statuerat, eo paulisper cum tyranno vectatus, cum ad suos concessisset tum equitibus à domo secum missis. Agenda, inquit, res est iuuenes, audendáque, quam me duce impigrè exsequi iussi estis. parate animos dextrásque, ne quis eo, quod

E me viderit facientem, cesset. qui cunctatus fuerit, & suum consilium meo interponet, sciat sibi reditum ad penates non esse. Horror cunctos cepit, & meminerant cum quibus mandatis exissent. Tyrannus ab læuo cornu veniebat. Ponere hastas equites Alexamenus iubet, & se intueri. colligit & ipse animum confusum tãtæ cogitatione rei. Posteaquam appropinquabat, impetum facit: & transfixo equo tyrannum deturbat. Iacentem equites confodiunt. multis frustra in loricam ictibus datis, tandem in nudum

F corpus vulnera peruenerunt, & priusquam à media acie succurreretur, expirauit. Alexamenus cum omnibus Ætolis citato gradu ad regiam occupandam pergit. Corporis custodes, cum res in oculis gereretur pauor primo cepit: deinde posteaquam abire Ætolorum agmen videre, concurrunt ad relictum tyranni corpus, & spectatorũ turba ex custodibus vitæ, mortisq; vltoribus est facta. nec mouisset se quisquá si extẽplo positis armis vocata in conciõné multitu-

G do fuisset, & oratio habita tẽpori conueniens. Frequentes inde retenti in armis Ætoli, sine iniuria cuiusquam: sed vt oportuit in cõsilio fraude cœpto omnia in maturandam perniciem eorum qui fecerant, sunt acta. Dux regia inclusus, diem ac noctẽ in scrutandis thesauris tyranni cõsumsit. Ætoli velut capta vrbe, quam liberasse videri volebant, in prædam si Simul indignitas rei, simul cõtemtus, animos Lacedæmoniis ad coeũdum fecit. alij dicere, exturbandos Ætolos, & libertatem cũ restitui videretur inter-

ceptam

A ceptam repetendam: alij, vt caput agendæ rei esset, regij generis aliquem in speciem assumendum. Laconicus eius stirpis erat puer admodum, educatus cum liberis tyranni. eum in equum imponunt, & armis arreptis Aetolos vagos per vrbem cædunt. tum regiam inuadunt. Ibi Alexamenum cum paucis resistentem, obtruncant. Aetoli circa Chalciœcon (Mineruæ est templum æreum) congregati cæduntur. Pauci armis abiectis, pars Thegeam, pars Megalopolin perfugiunt. ibi comprehensi à magistra- B tibus, sub corona venierunt. Philopœmenes audita cæde tyranni, profectus Lacedæmonem, cum omnia turbata metu inuenisset, euocatis principibus, & oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, societati Achæorum Lacedæmonios adiunxit: eo etiam facilius, quod ad idem fortè tempus A. Attilius cum quatuor & viginti quinqueremibus ad Gytheum accessit. Iisdē diebus circa Chalcidem Thoas per Euthymidam principem pulsum, opibus eorum qui Romanæ societatis erant, post C T. Quintij legatorúmque aduentum, & Herodorū Cianum mercatorem, sed potentem Chalcide propter diuitias, preparatis ad proditionē iis, qui Euthymidæ factionis erant: nequaquam eandem fortunam, qua Demetrias per Eurylochū occupata erat, habuit. Euthymidas ab Athenis (eum domicilio delegerat locum) Thebas primum, hinc Salganea processit. Herodorus ad Thronium inde haud procul in Maliaco sinu duo millia peditum, & Thoas ducentos equites, onerarias leues ad triginta habe- D bat. Eas cum sexcentis peditibus Herodorus traiicere in insulam Atalantam iussus, vt inde, cum pedestres copias appropinquare iam Aulidi atque Euripo sensisset, Chalcidem traiiceret. Ipsi ceteras copias nocturnis maximè itineribus, quanta poterant celeritate Chalcidē ducebant. Mictio & Xenoclides, penes quos tum summa rerum pulso Euthymida, Chalcide erat, seu ipsi per se suspicati, seu indicata re, primo pauidi, nihil vsquam spei, nisi in fuga ponebant: deinde posteaquam resedit terror, E & prodi & deseri non patriam modo, sed etiam Rom. societatem cernebant, consilio tali animum adiecerunt. Sacrum anniuersarium eo fortè tempore Eretriæ Amarynthidis Dianæ erat: quod non popularium modo, sed Carystiorū etiam cœtu celebratur. Eo miserunt qui orarent Eretrienses Carystiosque, vt & suarum fortunarum in eadem insula geniti misererentur, & Romanam societatem respicerent, ne sinerent Aetolorū Chalcidem fieri. Euboeam habituros, si Chalcidem habuissent. graues F fuisse Macedonas dominos, multo minus tolerabiles futuros Aetolos. Romanorū maximè respectus ciuitates mouit, & virtutem nuper in bello, & in victoria iustitiā benignitatemq; expertas. Itaq; quod roboris in iuuentute erat, vtraque ciuitas armauit, misitque. His tuenda mœnia Chalcidis oppidani cum tradidissent: ipsi omnibus copiis transgressi Eurypum, ad Salganea posuerunt castra. inde caduceator primum, deinde legati ad Ætolos missi percunctatum, quo suo dicto factove socij atque amici G ad se oppugnandos venirent. Respondit Thoas, dux Ætolorum, non ad oppugnandos, sed ad liberandos ab Romanis venire sese. Splendidiore nunc eos catena, sed multo grauiore vinctos esse, quàm cum presidium Macedonū in arce habuissent. Se verò negare Chalcidēses aut seruire vlli, aut presidio cuiusquam egere. Ita digressi ex colloquio legati ad suos. Thoas & Ætoli, vt qui spem omnem in eo, vt improuiso opprimerent, habuissent: ad iustum bellum oppugnationémque vrbis mari ac terra munitæ haudquaquam pares, domum rediere. Euthymidas posteaquam castra popularium ad Salganea esse, profectosque Ætolos audiuit, & ipse à Thebis Athenas reddit. Et Herodorus cum per aliquot dies intentus ab Atalanta signū nequicquā exspectasset, missa speculatoria naue, vt quid moræ esset, sciret: posteaquam rem omissam à sociis vidit, Thronium, vnde venerat, repetit. Quintius quoque his auditis à Corintho veniens nauibus, in Chalcidis Euripo Eumeni regi occurrit. Placuit quingentos milites præsidij caussa relinqui Chalcide ab Eumene rege, ipsum Athenas ire. Quintius quò profectus erat, Demetriadem contendit, ratus Chalcidē liberatam momenti aliquid apud Magnetas ad repetendam societatem Romanam facturam. & vt præsidij aliquid esset suæ partis hominibus. Eunomo P. Thessalorum scripsit, vt armaret iuuentutem, Villium ad Demetriadem præmisit, ad tentandos animos, non aliter, nisi pars aliqua inclinaret ad respectum pristinæ societatis, rem aggressurus. Villius quinqueremi naue hostius portus est inuectus. Eò multitudo Magnetum omnis cum se effudisset, quæsiuit Villius, vtrum ad amicos, an ad hostes sese venisse mallent? Respondit Magnetarches Eurylochus ad amicos venisse eum: sed abstineret portu, & sineret Magnetas in concordia & libertate esse: nec per colloquij speciem multitudinem sollicitaret. Altercatio inde, non sermo fuit, cum Romanus vt ingratos increparet Magnetas, imminentésque prædiceret clades: multitudo obstreperet, nunc senatum, nunc Quintium accusando. Ita irrito incœpto Villius ad Quintium sese recepit. At Quintius nuntio ad Pr. misso, vt reduceret domum copias, ipse nauibus Corinthum rediit. Abstulerunt me velut de spatio, Græciæ res immistæ Romanis: non quia ipsas operæ precium esset perscribere, sed quia caussæ fuerunt cum Antiocho belli. Coss. designatis (inde namque diuerteram) L. Quintius, & Cn. Domitius Coss. in prouincias profecti sunt: Quintius in Ligures, Domitius aduersus Boios. Boij quieuerūt, atque etiam senatus eorum cum liberis, & præfecti cum equitatu (summa omnium mille & quingenti) Cos. dediderunt sese. ab altero Cos. ager Ligurū latè est vastatus, castellàque aliquot capta: vnde non præda modo omnis generis cum captiuis parta, sed recepti quoque aliquot ciues sociique, qui in hostium potestate fuerant. Eodem hoc anno Vibonē colonia deducta est ex S. C. plebisque scito. tria millia & septingenti pedites ierunt, trecenti equites. triumuiri deduxerunt eos, Q. Næuius, M. Minutius, M. Furius Crassipes. quinadena iugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equitibus. Brutiorum proximè fuerat ager Brutij ceperāt de Græcis. Romæ per idem tempus duo maximi fuerunt terrores, diutinus alter, sed segnior. terra diēs duodequadraginta mouit. per totidē dies feriæ in solicitudine ac metu fuere. in triduum eius rei caussa supplicatio habita est. alter nō pauor vanus, sed vera multorū clades fuit. incēdio à foro Boario orto, diē noctémque ædificia in Tyberim versa arsere, tabernæq; omnes cū magni precij mercibus cōflagrauerūt. Iam ferè in exitu annus erat, & in dies magis fama de Antiochi bello & cura patrib. crescebat. itaque de prouinciis magistratuū designatorū, quo intentiores essent omnes, agitari cœptū est. Decreuere, vt Coss. Italia, & quo senatus censuisset (iam esse bellū aduersus Antiochum regem omnes sciebant) prouinciæ essent. cuius ea sors esset, quatuor millia peditum ciuium Romanorum, & trecenti equites sex millia socium Latini nominis cū quadringētis

equitibus sunt decreta. Eorum delectum habere L. Quintius Cos. iussus, ne quid moraretur quo minus Cos. nouus quo senatus censuisset, extemplo proficisci posset. Item de prouinciis prætorum decretum est, prima vt sors duæ, peregrina vrbanáque & inter ciues ac peregrinos iurisdictio esset, secunda Brutij, tertia classis vt nauigaret quò senatus censuisset quarta Sicilia, quinta Sardinia, sexta Hispania, vlterior. Imperatum præterea L. Quintio Cos. est vt duas legiones ciuium Romanorum nouas conscriberet, & sociûm ac Latini nominis viginti millia peditum, & octingentos equites. eum exercitum prætori, cui Brutij prouincia euenisset, decreuerunt. Ædes duæ Ioui eo anno in Capitolio dedicatæ sunt. Vouerat L. Furius Purpurio prætor Gallico bello vnam, alteram Cos. Dedicauit Q. Martius Ralla duumuir. Iudicia in fœneratores eo anno multa seuerè sunt facta, accusátib. priuatos ædilibus curulibus M. Tuccio, & P. Iunio Bruto. de mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Iouis supra fastigium ædiculæ, & XII. clypea inaurata. & iidem porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt. Intentis in apparatum noui belli Romanis, ne ab Antiocho quidem cessabatur. Tres eum ciuitates tenebant. Smyrna & Alexandria, Troas, & Lampsacus: quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam pellicere: neque à tergo relinquere traiiciens ipse in Europam volebat. Tenuit eum & de Annibale deliberatio: & primo naues apertæ, quas cum eo missurus in Africam fuerat, moratæ sunt: deinde an omnino mittédus esset, consultatio mota est maximè à Thoante Ætolo, qui omnibus in Græcia tumultu completis, Demetriadem afferebat in potestate esse: & quibus mendaciis de rege multiplicando verbis copias eius erexerat multorum in Græcia animos: iisdem & regis spem inflabat, omnium votis eum accersiri concursum ad littora futurum, vnde classem regiam prospexissent. Hic idem ausus de Annibale est mouere sententiã propè iam certam regis. nam neque dimittendam partim nauium à classe regia censebat, neque si mittendæ naues forent, minus quempiam ei classi quàm Annibalem præficiendum. Exsulem illum & Pœnum esse, cui miles indies noua consilia vel fortuna sua, vel ingenium possit facere: & ipsam eam gloriam belli, qua velut dote Annibal concilietur, nimiam in præfecto regio esse. regem conspici, regem vnum ducem, vnum imperatorem videri debere. Si classem, si exercitum amittat Annibal, idem damni fore, ac si per alium ducem amittantur: si quid prosperè eueniat, Annibalis eam, non Antiochi gloriam fore. Si verò vniuerso bello vincendi Romanos fortuna detur, quàm spem esse, sub rege victurum Annibalem vni subiectum, qui patriam prope non tulerit? non ita se à iuuenta eum gessisse, spe animoque complexum orbis terrarum imperium, vt in senectute dominum laturus videatur. Nihil opus esse regi Annibale duce, comite & consiliario eodem ad bellum vti posse. modicum fructum ex ingenio tali neque inutilem fore. si summa petantur, & dantem & accipientem prægrauatura, Nulla ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quàm eorum qui genus ac fortunam suam animis non æquant: quia virtutem & bonum alienum oderunt. Extemplo consilium mittendi Annibalis, quod vnũ in principio belli vtiliter cogitatũ erat, abiectũ est. Demetriadis maximè defectione ab Romanis ad Ætolos elatus, non vltra differre profectioné in Græciam constituit. Priusquam solueret naues, Iliũ à mari ascédit, vt Mineruæ sacrificaret. Inde ad classé regressus proficiscitur xl. tectis nauib. apertis lx. & ducentæ, onerariæ cùm omnis generis cómeatu, bellicóque alio apparatu sequebantur. Imbrum primo insulam tenuit, inde Scyathum traiecit. ibi collectis in alto quæ dissipatæ erant nauibus, ad Pteleum primum continentis venit. Ibi Eurylochus ei Magnetarches principésque Magnetum ab Demetriade occurrerunt. quorum frequentia lætus, die postero in vrbis portum nauibus est inuectus. Copias haud procul inde exposuit. X. millia peditum fuere. & quingenti equites, sex elephanti: vix ad Græciam nudam occupandam satis copiarum, nedum ad sustinendum Romanum bellum, Ætoli, posteaquam Demetriadé venisse Antiochum allatum est, concilio indicto decretum, quo accerserent eum fecerunt. Iam præfectus ab Demetriade rex, quia ita decreturos sciebat: Phaleram in sinum Maliacũ processerat. Inde decreto accepto Lamiam venit, exceptus ingenti fauore multitudinis cum plausibus clamoribúsque, & quibus aliis lætitia effusa vulgi significatur. In concilium vt ventum est, à Phanea prætore principibusque aliis introductus. facto silentio rex dicere orsus. Prima eius oratio fuit excusantis, quod tanto minoribus spe atque opinione omnium copiis venisset. Id suæ impensæ erga eos voluntatis maximum debere indicium esse, quod nec paratus satis vlla re. & tempore ad nauigandum immaturo, vocantibus legatis eorum haud grauatè obsecutus esset, credidissétq; cùm se vidissent Ætoli omnia vel in se vno posita præsidia existimaturos esse. Ceterum eorum quoque se, quorum exspectatio destituta in præsentia videatur, spem abũdè expleturum. nam simul primum anni tempus nauigabile præbuisset mare, omnem Græciam se armis, viris equis, omnem oram maritimam classibus completurũ, nec impensæ, nec labori, nec periculo parsurum, donec depulso ceruicibus eorum imperio Romano, liberam verè Græciam, atque in ea principes Aetolos fecisset. cum exercitibus commeatus quoque omnis generis ex Asia venturos. in præsentia curæ esse Aetolis debere, vt copia frumenti suis, & annona tolerabilis rerum aliarum suppeditetur. In hanc sententiam rex cum magno omnium assensu locutus discessit. Post discessum regis inter duos principes Aetolorum, Phaneam & Thoantem contentio fuit, Phaneas reconciliatore pacis & disceptatore de iis, quæ in controuersia cum populo Romano essent, vtendum potius Antiocho censebat, quàm duce belli. Aduentum eius & maiestatem ad verecundiam faciendam Romanis vim maiorem habituram, quàm arma. Multa homines ne bellare necesse sit, voluntate remittere, quæ bello & armis cogi non possint. Thoas negare, paci studere Phaneam: sed discutere apparatum belli velle, vt tædio & impetus elanguescat regis, & Romani tempus ad comparandum habeant. Nihil enim æqui ab Romanis impetrari posse, toties legationibus missis Romam, toties cum ipso Quintio disceptando, satis expertum esse. nec nisi abcissa omni spe auxilium Antiochi imploraturos fuisse. quo celerius spe omnium oblato, non esse elanguescendum: sed orandum potius regem, vt quoniam, quod maximum fuerit, ipse vindex Græciæ venerit, copias quoque terrestres naualésque accersat armatũ regem aliquid impetraturum, inermem non pro Aetolis modo: sed ne pro se quidem ipso momenti vllius futurum apud Romanos. Hæc vicit sententia, imperatorémque regem appellandum censuerunt, & XXX. principes, cum quibus si qua vellet consul

consultaret, delegerunt. Ita dimisso concilio, multitudo omnis in suas ciuitates dilapsa est. Rex postero die cum apocletis eorum, vnde bellum ordiretur, consultabat. optimum visum est, Chalcidem frustra nuper ab Ætolis tentatam primum aggredi, & celeritate in eam rem magis quã magno conatu & apparatu opus esse. Itaq; cum mille peditibus rex, qui ab Demetriade secuti erant, profectus per Phocidem est. & alio itinere principes Ætoli, iuniorum paucis euocatis, ad Cheroniã occurrerunt, & X. constratis nauibus secuti sunt. Rex ad Salganea castris positis, nauib. ipse cum principibus Ætolorũ Euripum traiecit. & cum haud procul portu egressus esset, magistratus quoque Chalcidensium & principes ante portã processerunt. pauci vtrinque ad colloquium congressi sunt. Ætoli magnopere suadere, vt salua Romanorum amicitia regem quoque assumerent socium atque amicum. Neque enim eum inferendi belli, sed liberandæ Græciæ caussa in Europam traiecisse, & re liberandæ nõ verbis & simulatione, quod fecissent Romani. Nihil autem vtilius Græcię ciuitatibus esse, quàm vtramque complecti amicitiam. ita enim ab vtriusque iniuria tutam alterius semper præsidio & fiducia fore. nam si non recepissent regem, viderent quid patiendum iis extemplo foret: cum Romanorum procul auxiliũ, hostis Antiochus, cui resistere viribus suis non possent, ante portas esset. Ad hæc Mictio vnus ex principibus, mirari se dixit, ad quos liberandos Antiochus relicto regno suo in Europam traiecisset. nullam enim ciuitatem se in Græcia nosse, quæ aut præsidium habeat, aut stipendium Romanis pendat, aut fœdere iniquo alligata, quas nolit, leges patiatur. itaque Chalcidenses neque vindice libertatis vllo indigere, cum liberi sint: neque præsidio, cum pacem eiusdem P.R. beneficio & libertatem habeant. Amicitiam regis non aspernari, neque ipsorum Ætolorum. id primum eos pro amicis facturos, si insula excedant atque abeant. nam ipsis certum esse, non modo non recipere mœnibus, sed ne societatem quidem vllam pacisci, nisi ex auctoritate Romanorum. Hæc renuntiata regi ad naues, vbi restiterat, cum essent: in præsentia (neque enim iis venerat copiis, vt vi agere quicquam posset) reuerti Demetriadem placuit. ibi, quoniam primum inane inceptum euasisset, consultare cum Ætolis rex, quid deinde fieret. Placuit Achęos & Aminandrum regem Athamanum tentare. Bœotiorum gentem auersam ab Romanis iam inde à Barcillæ morte, & quæ secuta eam fuerant, censebant. Achæorũ Philopœmenem principem æmulatione gloriæ in bello Laconum, infestum inuisúmque esse Quintio credebant. Aminander vxorem Apamiam filiam Alexandri cuiusdam Megalopolitani habebat, qui se oriundum à Magno Alexandro ferens, filiis duobus Philippum atque Alexandrum, & filiæ Apamiam nomina imposuerat, quam regiis inclytam nuptiis maior ex fratribus Philippus secutus in Athamaniam fuerat. Hunc fortè ingenio vanum Ætoli & Antiochus impulerant in spem, quod is verè regum stirpis esset, regni Macedoniæ, si Aminandrum Athamanésque Antiocho coniunxisset. & ea vanitas promissorum non apud Philippum modo, sed etiam apud Aminandrum valuit. in Achaia legatis Antiochi Ætolorumque coram T. Quintio Ægij datũ est concilium. Antiochi legatus prior quàm Ætoli est auditus. Is vt plerique quos opes regiæ alunt, vaniloquus, maria terrásque inani sonitu verborum compleuit. Equitum innumerabilem vim traiici Hellesponto in Europam, partim loricatos, quos ca-

A taphractos vocant: partim sagittis ex equo vtentes, & à quo nihil satis tecti sit auersos refugiente equo certius figentes. His equestribus copiis quanquam vel totius Europæ exercitus in vnum coacti obrui possent. adiiciebat multiplices copias peditũ, & nominibus quoque gentium vix fando auditis terrebat: Dahas, Medos, Elymæosque & Cadusios appellans. Naualium verò copiarum quas nulli portus capere in Græcia possent, dextrum cornu Sidonios & Tyrios, sinistrum Aradios & ex Pamphylia Side- B tas tenere. quas gentes nullæ vnquam nec arte nec virtute nauali æquassent. Iam pecuniam, iam alios belli apparatus referre superuacaneum esse: scire ipsos, abundasse semper auro regna Asiæ. Itaq; non cum Philippo, nec Annibale rem futurã Romanis, principe altero ciuitatis, altero Macedoniæ tantùm regni finibus incluso: sed cum magno Asiæ totius, partisque Europæ rege. Eum tamen quanquam ab vltimis orientis terminis ad liberandam Græciã veniat, nihil postulare ab Acheis, & in quo fides eo- C rum aduersus Romanos priores socios atque amicos lædatur. non enim vt secum aduersus eos arma capiant, sed vt neutri parti sese coniungant, petere pacem vtrique parti, quod medios deceat amicos, optent, bello se non interponant. Id ferme & Ætolorum legatus Archidamus petiit, vt quæ facillima & tutissima esset, quietem præstarent, spectatorésque belli, fortunarum alienarum euentum sine vllo discrimine rerum suarum opperirentur. Prouectus deinde est intemperantia linguæ in maledicta, nunc cõmuniter Romanorum, nunc propriè ipsius D Quintij, ingratos appellans, & exprobrans non victoriam modo de Philippo, virtute Aetolorum partam, sed etiam salutem ipsiúmque & exercitum sua opera seruatos. Quo enim illum vnquam imperatoris functum officio esse? auspicantem immolantémque, & vota nuncupantem sacrificuli vatis modo in acie vidisse, cum ipse corpus suum pro eo telis hostium obiiceret. Ad ea Quintius: Coram quibus magis quam apud quos verba faceret, dicere Archidamum rationem habuisse. Achęos enim pro- E bè scire, Ætolorum omnem ferociam in verbis, non in factis esse, & in conciliis magis concionibusque, quàm in acie apparere: itaque parui Achæorum existimationem, quibus notos esse se scirent, fecisse: legatis regis, & per eos absenti regi eum se iactasse. Quod si quis antea ignorasset, quę res Antiochum & Ætolos cõiũxisset, ex legatorum sermone potuisset apparere. mentiẽdo inuicẽ, iactãdoq; vires quas nõ haberẽt, inflasse vana spe: atq. inflatos esse: dũ ij ab se Philippum victum, sua virtute protectos Romanos, F & quæ modo audiebatis, narrant: vos, ceterásq. ciuitates & gẽtes, suam sectam esse secuturos: rex cõtra peditum equitumque nubes iactat, & consternit maria suis classibus. Est autem res simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei. hominis & boni, & sciti cõuiuatoris. apud quem solstitiali tempore comiter accepti cum miraremur, vnde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio: homo nõ quàm isti sunt G gloriosus, renidens, condimentis ait varietatem illam & speciem ferinæ carnis ex mansueto factam. Hoc dici aptè in copias regis, quæ paulò antè iactatæ sint, posse. varia enim genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum, Dahas, & Medos & Cadusios, & Elymæos, Syros omnes esse: haud paulo mãcipiorum, melius propter seruilia ingenia, quam militum genus. Et vtinam subiicere oculis vestris Achæi possem concursationem regis magni ab Demetriade, nunc Lamiam in concilium Ætolorum, nunc Chalcidem: videretis vix duarum malè

plenarum legiũcularum instar in castris regis. videretis regem nunc mendicantem propè frumentum ab Ætolis, quod militi admetiatur: nũc mutuas pecunias fœnore in stipendium quærentem: nunc ad portas Chalcidis stantem: & mox inde exclusum, nihil aliud quàm Aulide atque Euripo spectatis, in Ætoliam redeuntem. Malè crediderunt & Antiochus Ætolis, & Ætoli regiæ vanitati, quo minus vos decipi debetis, sed expertæ toties spectatæque Romanorum fidei credere. Nã quod optimum esse dicant, non interponi vos bello, nihil tã vanum, imò tam alienum rebus vestris est. quippe sine gratia, sine dignitate præmium victoris eritis. Nec absurdè aduersus vtrosque respondisse visus est: & facilè erat orationem apud fauẽtes æquis auribus accipi. nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit, quin omnes eosdem genti Achæorum hosteis & amicos, quos populus Roman. censuisset, iudicarent: bellúmque & Antiocho & Ætolis nuntiari iuberent. Auxilia etiam quo cẽsuit Quintius, quingẽtorum militum Chalcidem, quingentorum Piræeũ extemplo miserunt. Erat enim haud procul seditione Athenis res, trahentib. ad Antiochum quibusdã spe largitionum venalem pretio multitudinem, donec ab iis qui Romanæ partis erãt, Quintius est accitus, & accusante Leonte quodam Apollodorus auctor defectionis damnatus, atque in exilium est eiectus. Et ab Achæis quidam cum tristi responso legati ad regem rediit, Bœoti nihil certi responderunt. Cùm Antiochus in Bœotiam venisset, tũ quid sibi faciendũ esset, se deliberaturos esse. Antiochus cum ad Chalcidis præsidium & Achæos & Eumenẽ regem misisse audisset, maturandum ratus, vt & præuenirent sui, & venientes, si possent, exciperent: Menippum cum tribus fermè millibus militum, & cũ omni classe Polixenidam mittit: ipse paucos post dies sex millia suorum militum, & ex ea copia quæ Lamiæ repentè colligi potuit, non ita multos Ætolos ducit. Achæi quingenti, ab Eumene rege modicum auxilium missum, duce Xenoclide Chalcidensi nondum obsessis itineribus tuto transgressi Euripum, Chalcidem peruenerunt. Romã milites, quingenti fermè & ipsi, cum iam Menippus castra ante Salganea ad Hermeum, quà transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet, venerunt. Mictio erat cum iis legatus à Chalcide ad Quintium ad idipsum præsidium petendum missus. qui posteaquã obsessas ab hostib. fauces vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium conuertit, vt inde in Eubœam trãsmissurus. Templum est Apollinis Delium imminẽs mari. quinque millia passuum à Tanagra abest. minus quatuor millium inde in proxima Eubœæ est mari traiectus. Vbi & in fano lucoque, ea religione & eo iure sancto quo sunt templa, quæ asyla Græci appellant: & nondum aut indicto bello, aut ita commisso, vt strictos gladios, aut sanguinem vsquam factũ audissent, cum per magnum otiũ milites, alij ad spectaculũ tẽpli luciq; versi, alij in littore inermes vagarẽtur, magna pars per agros lignatum pabulatumq. dilapsa esset: repentè Menippus palatos passim aggressus eos cecidit, ad quinquaginta viuos cepit. perpauci effugerunt, in quib. Mictio parua oneraria naue exceptus. Ea res Quintio Romanisque sicut iactura militum molesta, ita ad ius inferendi Antiocho belli adiecisse aliquantum videbatur. Antiochus admoto ad Aulidẽ exercitu, cum rursus oratores partim ex suis, partim Ætolos Chalcidem misisset: qui ead m illa quę nuper cum minis grauioribus agerent, nequicquã contra Mictione & Xenoclide tenentibus, facilè tenuit, vt portæ sibi a-

A perirentur. Qui Romanæ partis erant, sub aduẽtum regis ab vrbe excesserunt. Achæorũ & Eumenis milites Salganea tenebãt, & in Euripo castellũ Romani milites pauci custodiæ caussa loci cõmuniebant. Salganea Menippus, rex ipse castellum Euripi oppugnare est adortus. Priores Achęi & Eumenis milites pacti, vt sine fraude liceret abire, præsidio excesserunt. pertinacius Romani Euripum tuebantur. Hi quoque tamen cùm terra marique obsiderentur, & iam machinas tormentáque comportari viderent, B non tulere obsidionem. Cùm id quod caput erat Eubœæ teneret rex, ne ceteræ quidem eius insulæ vrbes imperium abnuerunt: magnoque principio sibi orsus bellum videbatur, quod tanta insula & tot opportunæ vrbes in suam ditionem venissent.

C
DECADIS QVARTAE
LIBER VI.

PVblium Cornelium Cn. F. Scipionem & M. Acilium Glabrionem consules inito magistratu, patres priusquam de prouinciis agerent, res diuinas facere maiorib. hostiis iusserunt in omnibus fanis, in quib. lectisternium maiore parte anni fieri solet: D precariq. quod senatus de nouo bello in animo haberet, vt ea res senatui populoque Romano bene atq; feliciter eueniret. Ea omnia sacrificia læta fuerũt, primisque hostiis perlitatum est, & ita aruspices respõderunt, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi. Hæc cùm renuntiata essent, solutis religione animis, patres rogationem ad populum ferri iusserunt: vellent iuberéntne cum Antiocho rege, quíque sectam eius secuti essent, bellum iniri? si ea rogatio perlata esset: E tum, si ita videretur consulibus, rem integram ad senatum referrent. Publius Cornelius eam rogationem pertulit. tum senatus decreuit, vt consules Italiam & Græciã prouincias sortirentur. cui Græcia euenisset, vt præter eum numerum militum, quẽ L. Quintius in eam prouinciam ex auctoritate senatus scripsisset, imperassétve, eum exercitum acciperet, quem M. Bæbius prætor anno priore ex S. C. in Macedoniam traiecisset. & extra Italiam permissum, vt si res postulasset, auxilia ab sociis ne supra F quinque millium numerum acciperet. L. Quintiũ superioris anni consulem legari ad id bellum placuit. Alter Cos. cui Italia prouincia euenisset, cum Boiis iussus bellum gerere, vtro exercitu mallet ex duobus, quos superiores Coss. habuissent: alterum vt mitteret Romam, eæque vrbanæ legiones essent, paratæ quo senatus censuisset. His ita in senatu ad id, quæ cuius prouincia foret decretis, tum demum sortiri consules placuit. Acilio Græcia, Cornelio Italia euenit. Certa deinde sorte senatusconsultum G factum est, quod populus Romanus eo tẽpore duellum iussisset cum rege Antiocho esse, quique sub imperio eius essẽt, vt eius rei caussa supplicationem imperarent consules: vtique M. Acilius Cos. ludos magnos Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria. Id votum in hæc verba pręeunte P. Licinio pontifice maximo cõsul nuncupauit: Si duellũ, quod cum Antiocho rege sumi populus iussit, id ex sententia senatus populiq. Romani confectum erit, tum tibi Iupiter populus Romanus ludos magnos dies

dies X. continuos faciet: donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam senatus decreuerit. quisquis magistratus eos ludos quando vbiq; faxit. Hi ludi rectè facti, donáque data rectè sunto. Supplicatio inde ab duobus Coss. edicta per biduū fuit. Consulibus sortitis prouincias, extemplo & prætores sortiti sunt. M. Iunio Bruto iurisdictio vtraque euenit: A. Cornelio Mammulæ Brutij, M. Æmylio Lepido Sicilia, L. Oppio Salinatori Sardinia, C. Liuio Salinatori classis, L. Æmylio Paulo Hispania vlterior. His ita exercitus decreti. A. Cornelio noui milites conscripti priore anno ex S. C. à L. Quintio consule dati sunt: iussúsque tueri omnem oram circa Tarentum Brundusiúmque. L. Æmylio Paulo in vlteriorem Hispaniam præter eum exercitum, quem à M. Fuluio proprætore accepturus esset: decretum, vt nouorum militum tria millia duceret, & trecentos equites; ita vt in iis duæ partes sociûm Latini nominis, tertia ciuium Romanorum esset. Idem supplementi ad C. Flaminium, cui imperium prorogabatur, in Hispaniam citeriorem est missum. M. Æmylius Lepidus à L. Valerio, cui successurus esset, simul prouinciā exercitúmque accipere iussus. L. Valerium, si ita videretur, proprætorē in prouincia retinere, & prouinciam ita diuidere, vt vna ab Agrigento ad Pachynum esset: altera à Pachino Tyndarium. eam maritimam oram L. Valerius XX. nauibus longis custodiret. Eidem prætori mandatum, vt duas decimas frumenti exigeret: id ad mare comportandum deuehendúmque in Græciam curaret. Idem L. Oppio de alteris decimis exigendis in Sardinia imperatum. ceterum non in Græciam, sed Romā id frumentum portari placere. C. Liuius prætor, cui classis euenerat, cum XXX. nauibus paratis traiicere in Græciam primo quoque tempore iussus, & ab Attilio naues accipere veteres quæ in naualibus erant, vt reficeret & armaret. M. Iunio prætori negotium datum est, & in eā classem socios nauales libertinos legeret. Legati terni in Africam ad Carthaginienses, & in Numidiam ad frumentum rogandum, quod in Græciam portaretur, missi: pro quo pretium solueret populus Romanus. Adeoque in apparatum curámque eius belli ciuitas intenta fuit. vt P. Cornelius Cos. ediceret, qui senatores essent, quibúsque in senatu sententiā dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab vrbe Roma abiret, quàm vnde eo die redire posset: néve vno tempore quinq; senatores ab vrbe Roma abessent. In comparanda impigrè classe C. Liuium prætorem contentio orta cum colonis maritimis, paulisper tenuit: nam cùm cogerentur in classem, tribunos plebis appellarunt. ab iis senatum reiecti sunt. senatus ita, vt ad vnum omnes consentirent, decreuit, vacationē rei naualis his colonis non esse. Hostia, & Fregena, & castrum nouum, & Pyrgi, & Antium, & Tarracina, & Minturnæ, & Sinuessa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certauerunt. consul deinde M. Acilius ex S. C. ad collegium fœcialum retulit, ipsine vtique regi Antiocho indiceretur bellum? an satis esset ad præsidium aliquod eius nuntiare? & num Ætolis quoq; separatim indici iuberent bellum? & num prius societas eis & amicitia renuntianda esset, quàm bellū indicendum? Fœciales responderunt, iam ante sese cùm de Philippo consulerentur, decreuisse: nihil referre, ipsi coram, an ad præsidium nuntiaretur, amicitiam renuntiatam videri, cum legatis toties repetentibus res, nec reddi nec satis fieri æquum censuisset. Ætolos vltro sibi bellum indixisse, cum Demetriadem sociorum vrbem per vim occupassent:

A Chalcidem terra mariq; oppugnatum issent: regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum traduxissent. Omnibus iam satis comparatis, M. Acilius Cos. edixit, vt quos L. Quintius milites conscripsisset, & quos sociis nominiq; Latino imperasset, quos secum in prouinciam ire oporteret, & tribuni militum legionis primæ & tertiæ, vti omnes Brundusium idib. Maiis conuenirent, ipse ad quintū nonas Maias paludatus vrbe egressus est. Per eosdem dies & prætores in prouincias

B profecti sunt. Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Philippo & Ptolemæo Ægypti rege, Romā venerunt, pollicentes ad bellum auxilia & pecuniam & frumentum. ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, XX. millia pondo argenti allata. Nihil est acceptum, gratiæ regibus actæ, & cùm vterque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur, Ptolemæo id re-

C missum, Philippi legatis responsum gratum eum senatui populoque Romano facturum, si M. Acilio consuli non defuisset. Item ab Carthaginiensibus & Masanissa rege legati venerunt. Carthaginienses tritici modium mille, hordei quingenta millia ad exercitum, dimidium eius Romam apportaturos polliciti sunt: id vt ab se munus Romani acciperet petere se, & classem suorum suo sumtu comparaturos, & stipendium quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturos. Masanissæ legati quingenta millia modium tritici

D trecenta hordei ad exercitum in Græciam, Romam trecenta millia modium tritici, CC. quingenta hordei, equites quingentos, elephātos XX. regem ad M. Acilium consulem missurum. De frumento vtrisq; responsum, ita vsurum eo populum Romanum, si pretium acciperent. De classe Carthaginiensibus remissum, præterquam si quid nauium ex fœdere deberent. de pecunia ita responsum, nullam ante diē accepturos. Cùm hæc Romæ agebantur, Chalcide Antiochus ne cessaret per hybernorum tem-

E pus, partim ipse solicitabat ciuitatum animos mittendis legatis, partim vltrò ad eum veniebant, sicut Epirotæ communi gentis consensu, & Elei è Peloponneso venerunt. Elei auxilium aduersus Achæos petebant, qûos post bellum non ex sua sententia indictū Antiocho, primū ciuitatis suæ arma illaturos credebant. Mille iis pedites cum duce Cretensi Euphane sunt missi. Epirotarum legatio erat minimè in partem vllam liberi aut simplicis animi. Apud regem gratiam initam volebant, cum eo vt cauerēt

F ne quid offenderent Romanos. petebant enim, ne se temerè in caussam deduceret, expositos aduersus Italiam pro omni Græcia, & primos impetus Romanorum excepturos, sed si ipse posset terrestribus naualibúsque copiis præsidere Epiro, cupidè cum omnes Epirotas & vrbibus & portubus suis accepturos. si id non posset, deprecari, ne se nudos atque inermes Romano bello obiiceret. Hac legatione id agi apparebat, vt siue (quod magis credebant) abstinuisset Epiro, integra sibi omnia apud exercitus

G Romanos essent, conciliata satis apud regem gratia, quod accepturi fuissent venientem. siue venisset, sic quoque spes veniæ ab Romanis foret, quod non exspectato longinquo auxilio ab se, præsentis viribus succubuissent. Huic tam perplexæ legationi, quia non satis in promtu erat quid responderet, legatos se missurum ad eos dixit, qui de iis quæ ad illos seq; communiter pertinerent, loquerentur. in Bœotiam ipse profectus est, caussas in speciem iræ aduersus Romanos eas quas antè dixi habentem, Barcillæ necem & bellum à Quintio Coroneæ propter Ro-

manorum militum cædes illatum: re vera per multa iam sæcula publicè priuatimq; labéte egregia quondam disciplina gentis, & multorum eo statu, qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset. Obuiam effusis vndique Bœotiæ principibus, Thebas venit. Ibi in concilio gentis, quanquam & ad Delium impetu in præsidium Romanum facto, & ad Chalcidem commiserat nec à paruis nec dubiis principiis bellum: tamé eandem orationem exorsus, qua in colloquio primo ad Chalcidem, quáque per
B legatos in concilio Achæorum vsus erat, vt amicitiam secum institui, non bellum indici Romanis postularet, neminem quid ageretur, fallebat. decretum tamen sub leui verborum prætextu pro rege aduersus Romanos factum est. Hac quoque gente adiuncta Chalcidem regressus, præmissis inde literis, vt Demetriadem conuenirent principes Ætolorum, cum quibus de summa rerum deliberarent, nauibus eo ad diem indictam concilio venit. Et Aminander accitus ad consultandum ex Athamania, & Annibal Pœnus iam diu non adhibitus, interfuit
C ei consilio. Consultatum de Thessalorum gente est, quorum omnibus qui aderant, voluntas tentanda videbatur. in eo modo diuersæ sententiæ erant, quod alij extemplo agendum, alij ex hyeme, quæ tunc fermè media erat differendum in veris principium, & alij legatos tantummodo mittendos, alij cum omnibus copiis eundú censebant, terrendósq; metu, si cunctarentur. Cùm circa hanc ferè consultationem disceptatio omnis verteretur: Annibal nominatim interrogatus, sententiam in vniuersi
D belli cogitationem regem, atque eos qui aderant, tali oratione auertit: Si ex quo traiecimus in Græciam adhibitus essem in consilium, cum de Eubœa, de Achæis, de Bœotia agebatur, eandem sententiam dixissem, quam hodie cum de Thessalis agitur, dicam. Ante omnia Philippum & Macedonas in societatem belli quacunque ratione censeo deducendos esse: nam quod ad Eubœam Bœotosq. & Thessalos attinet, cui dubium est quin vt quibus nullæ
E suæ vires sint, præsentibus adulando semper, quem metum in consilio habeant, eodem ad impetrandá veniam vtantur? simul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad consuetum imperium se auertant? nec iis noxæ futurum sit, quod cum Romani procul abessent, vim tuam præsentis, exercitusque tui experiri noluerint? Quanto igitur prius potiúsque est Philippum nobis coniungere, quàm hos, cui si semel in caussam descenderit, nihil integri futurum sit: quique eas vires afferat, quæ non accessio tantum ad Romanum esse bellum, sed per se ipsæ nuper sustinere potuerint Romanos. Hoc ego
F adiuncto (absit verbo inuidia) qui dubitare de euentu possim? cum quibus aduersus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam, vt ipsi oppugnentur. Ætoli qui Philippum (quod inter omnes constat) vicerunt, cum Philippo aduersus Romanos pugnabunt. Aminander atque Athamanum gens, quorum secundum Ætolos plurima fuit opera in eo bello, nobiscum stabunt. Philippus tum te quieto totam molem sustinebat belli: nunc duo maximi reges, Asiæ Europæque viribus aduersus vnum
G populum, vt meam vtramque fortunam taceam, patrum certè ætate ne vni quidem Epirotarum regi parem, quicquid tandem erit, vobiscum comparatus, geretis bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet cóiungi nobis Philippum posse? vna cómunis vtilitas, quæ societatis maximum vinculum est: altera, auctores vos Ætoli. vester enim legatus hic Thoas inter cetera, quæ ad exciendum in Græciam Antiochú dicere est solitus, ante omnia hoc semper affirmauit, fremere Philippú, & ægrè pati sub specie pacis leges seruitutis sibi impositas. illæ quidé feræ bestiæ vinctæ aut clausæ, & refringere claustra cupienti, regis irá verbis æquabat: cuius si talis animus est, soluamus nos eius vincula, & claustra refringamus, vt erúpere diu coercita ira in hostes cómunes possit. Quod si nihil eum legatio nostra mouerit: ad nos, quoniá nobis eum adiungere non possumus, ne hostibus nostris ille adiúgi possit, caueamus. Seleucus filius tuus Lysimachiæ est: qui si eo exercitu qué secú habet, per Thraciá proxima Macedoniæ cœperit depopulari, facile ab auxilio ferendo Romanis Philippú ad sua potentissimú tuéda auertet. De Philippo meam sententiá habes. De ratione vniuersi belli quid sentiré iá ab initio nó ignorasti. quod si tú audisses me, nó in Eubœa Chalcidem captá, & castellú Euripi expugnatum Romani, sed Hetruriá Liguriámq; & Galliæ Cisalpinæ orá bello ardere, & qui maximus iis terror est, Annibalem in Italia esse audirent. Nunc quoque accersas censeo omnes nauales terrestrésque copias, sequantur classem onerariæ cú cómeatib. ná hic sicut ad belli munera pauci sumus, sic nimis multi pro inopia cómeatuum. cum omnes tuas contraxeris vires, diuisa classe partem Corcyræ in statione habebis, ne transitus Romanis liber ac tutus pateat: partem ad littus Italiæ, quod Sardiniam Africámque spectat, traiicies: ipse cum omnibus terrestribus copiis in Byllionum agrum procedes: inde Græciæ præsidebis, & speciem Romanis traiecturum te præbens & si res poposcerit, traiecturus. Hęc suadeo, qui vt nó omnis peritissimus sim belli, cum Romanis certè bellare bonis malisque meis didici. In quę consilium dedi, in eadem nec infidelem, nec segnem operam polliceor. Dij approbét eam sententiam, quæ tibi optima visa fuerit. Hæc fermè Annibalis oratio fuit, quam laudarunt magis in præsentia qui aderant, quàm rebus ipsis exsecuti sunt. nihil enim eorú est factú, nisi quod ad classem copiasque accersendas ex Asia Polyxenidam misit. Legati Larissá ad concilium Thessalorú sunt missi, & Ætolis Aminandroq. dies ad cóueniendú exercitui Pheras est indictus: eodé & rex cum suis copiis confestim venit. Ibi dum opperiretur Aminandrum atque Ætolos, Philippum Megalopolitanum cum duobus millibus hominum ad legenda ossa Macedonum circa Cynoscephalas, vbi debellatum erat cum Philippo, misit: siue ab ipso quærente sibi commendationem ad Macedonum gentem & inuidiam regi, quod insepultos milites reliquisset, monitus, siue ab insita regibus vanitate, ad consilium specie amplum, re inane, animo adiecto. Tumulus est in vnum ossibus, quæ passim strata erant, coaceruatis factus, qui nullam gratiam ad Macedonas, odium ingens ad Philippum mouit. Itaque qui ad id tempus fortunam esset in consilio habiturus, is extemplo ad M. Bæbium proprætoré misit Antiochum in Thessaliam impetum fecisse. si videretur ei, moueret ex hybernis: se obuiam processurum, vt quid agendum esset, consultarent. Antiocho ad Pheras iam castra habenti, vbi coniunxerant ei se Ætoli & Aminander: legati ad Larissa venerunt, quærentes quod ob factú dictúmve Thessalorum bello lacesseret eos: simul orantes, vt remoto exercitu, per legatos, si quid ei videretur, secum disceptaret. Eodem tépore quingentos armatos duce Hippolocho Pheras in præsidium miserunt. hi exclusi aditu, iam omnia itinera obsidentibus regiis, Scotussá se receperút. Legatis Larissæorum rex clementer respondit, nó belli faciendi, sed tuédæ & stabiliendæ libertatis Thessalorum caussa

se Thes-

se Thessaliam intrasse. Similia his qui cum Pheræis ageret, missus: cui nullo dato responso. Pheræi ipsi suum legatum ad regem, principem ciuitatis Pausaniam miserunt. Qui cùm haud dissimilia his, vt in caussa pari, quæ pro Chalcidensibus in colloquio ad Euripi fretum dicta erant, quædam etiam ferocius egisset: rex etiam atque etiam deliberare eos iussos ne id consilij caperent, cuius dum in futurum nimis cauti & prouidi essent, extemplo pœniteret, dimisit. Hæc renuntiata Pheras legatio cùm esset, ne paulum quidem dubitarunt, quin pro fide erga Romanos, quicquid fors belli tulisset, paterentur. Itaque & hi summa ope parabant se ad vrbem defendendam: & rex ab omni parte simul oppugnare mœnia est aggressus: & qui satis intelligeret (neque enim dubium erat) in cuius nutu eius vrbis positum esse, quàm primam aggressus esset: aut sperni deinde ab vniuersa gente Thessalorum, aut timeri se, omnem vndique terrorem obsessis iniecit. Primum impetum oppugnationis satis constanter sustinuerunt: deinde cùm multi propugnantes caderent aut vulnerarentur, labare animi cœpere. reuocati deinde castigationibus principum ad perseuerandum in proposito, relicto exteriore circulo muri deficientibus iam copiis, in interiorem partem vrbis concesserunt, cui breuior orbis munitionis circumiectus erat. postremo victi malis, cùm timerent, ne vi captis nulla apud victorem venia esset, dediderunt se. Nihil inde moratus rex, IIII. millia armatorum, dum recens terror esset, Scotusam misit. Nec ibi mora deditionis est facta, cernentibus Pheræorum recens exemplum: qui quod pertinaciter primo abnuerant, malo domiti tandem fecissent. cum ipsa vrbe Hippolochus Larissæorúmque deditum est præsidium. Dimissi ab rege inuiolati omnes, quod eam rem magni momenti futuram rex ad conciliandos Larissæorum animos credebat. Intra decimum diem quàm Pheras venerat, his perfectis Cranonem profectus cum toto exercitu primo aduentu cepit. inde Cypterā & Metropolin & iis circumiecta castella recepit: omniaque iam regionis eius, præter Atracem & Gyrtonem, in potestate erant. Tum aggredi Larissam constituit, ratus vel terrore ceterarum expugnatarum, vel beneficio præsidij dimissi, vel exemplo tot ciuitatum dedentiū sese, non vltra in pertinacia mansuros. Elephantis agi ante signa terroris caussa iussis, quadrato agmine ad vrbem incessit, vt incerti fluctuarentur animi magnæ partis Larissæorum inter metum præsentem hostium, & verecundiam absentium sociorum. Per eosdem dies Aminander cum Athamanum iuuentute occupat Pellinæum. & Menippus cum tribus millibus peditum Ætolorum & ducentis equitibus in Perrhæbiam profectus, Malicœam & Cyretias vi cepit: depopulatusque est agrum Tripolitanum. His raptim peractis, Larissam ad regem redeunt: consultanti, quidnam agendum esset de Larissa, superuenerunt. Ibi in diuersum sententiæ tendebant: aliis vim adhibendam, & non differendum censentibus, quin operibus ac machinis simul vndiq. mœnia aggrederentur vrbis sitæ in plano, à parte campestri vndique facilis aditu: aliis nunc vires vrbis nequaquam Pheris conferendę memorantibus, nūc hyemem & tempus anni nulli bellicæ rei, minimè obsidioni atque oppugnationi vrbium aptum incerto regi inter spem metumque legati à Pharsalo, qui ad dedendam vrbem suam fortè venerant, animos auxerunt. M. Bæbius interim cum Philippo in Dassaretiis congressus, Ap. Claudium ex communi consilio ad præsidium Larissæ misit: qui per

A Macedoniam magnis itineribus in iugum montium quod super Gonnos est, peruenit. Oppidum Gonni XX. millia ab Larissa abest: in ipsis faucibus saltus, quæ Tempe appellantur, situm. Ibi castrametatus latius quàm pro copiis, & plures quàm quot satis in vsum erant, ignes cùm accendisset: speciem quàm quæsierat, hosti fecit: omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse. Itaque hyemem instare apud suos caussatus rex, vnum tantum moratus diem ab Larissa recessit, & Demetriadem

B rediit. Ætolique & Athamanes in suos receperunt se fines Appius & si cuius rei caussa missus erat solutam cernebat obsidionem: tamen Larissam ad confirmandos in reliquum sociorum animos descendit: duplexque lætitia erat, quod & hostes excessiant finibus & intra mœnia præsidium Romanum cernebant. Rex Chalcidem à Demetriade profectus amore captus virginis Chalcidensis Cleoptolemi filiæ: cùm patrem, primo adlegando, deinde coram ipse rogando fatigasset, inuitum se grauioris for-

C tunæ conditioni illigantem: tandem impetrata re; tanquam in media pace nuptias celebrat, & reliquum hyemis, oblitus quantas simul duas res suscepisset, bellum Romanum, & Græciam liberandam; omissa omnium rerum cura, in conuiuiis, & vinum sequentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis quàm satietate earum in somno traduxit. Eadem omnes præfectos regios, qui vbiq; ad Bœotiam maximè præpositi hybernis erant, cepit luxuria. in eandem & milites effusi sunt, nec quisquam eorum

D aut arma induit, aut stationem aut vigilias seruauit, aut quicquam quod militaris operis aut muneris esset, fecit. Itaque principio veris cùm per Phocidē & Chæroneam quò cōuenire omnem vndique exercitum iusserat, venisset: facilè animaduertit nihilo seueriore disciplina milites quàm ducem hybernasse. Alexandrum inde Acarnanem & Menippum Macedonum Stratum, Ætoliæ copias ducere iussit: ipse Delphis sacrificio Apollini facto, Naupactum processit. consilio principum Ætoliæ habito, via quæ

E præter Chalcidem & Lysimachiam fert ad Stratum, suis qui per Maliacum sinum veniebant, occurrit. Ibi Mnesilochus princeps Acarnanū multis emens donis, non ipse solum gentem regi conciliabat, sed Clytum etiam prætorem, penes quem tum sūma potestas erat, in suam sententiam adduxerat. Is cùm Leucadios, quod Acarnaniæ caput est, non facile ad defectionem posse cerneret impelli, propter metum Romanæ classis, quæ cū Attalo, quæve circa Cephaleniam erat, arte eos est aggressus. nam cùm in con-

F cilio dixisset tuenda mediterranea Acarnaniæ esse, & omnibus qui arma ferrent, exeundum ad Medeonem & Thyrrheum, ne ab Antiocho aut Ætolis occuparentur: fuere qui dicerent nihil attinere omnes tumultuosè concitari: satis esse quingentorum hominum præsidium eam iuuentutem nactus, trecentis Medione, ducentis Thyrrhei in præsidio positis, id agebat vt pro obsidibus futuri venirent in potestatem regis. Per eosdem dies legati regis Medionem venerunt: quibus auditis cum in concione quidnam

G respondendum regi esset, consultaretur: & alij manendum in Romana societate, alij nōn aspernandā amicitiam regis censerent: media visa est Clyti sententia, eáq; accepta est: vt ad regem mitterent legatos, peterentq; ab eo, vt Medeonios super tanta re consultare in concilio Acarnanum pateretur. In eā legationem Mnesilochus, & qui eius factionis erant, de industria coniecti, clam missis qui regem admonere copias iuberent, ipsi terebant tempus. itaque vix dū iis egressis legatis, Antiochus in finib. & mox

ad portas erat: & trepidantibus qui expertes proditionis fuerant, tumultuosq; iuuentute ad arma vocantibus, ab Clyto & Mnesilocho in vrbem est inductus: & aliis sua voluntate affluentibus, metu coacti etiam qui dissentiebant, ad regem conuenerunt. quos placida oratione territos cum permulsisset, ad spem vulgatæ clementiæ aliquot populi Acarnaniæ defecerunt. Tyrrheum à Macedone profectus est, Mnesilocho eodem & legatis præmissis. Ceterum detecta Medeone fraus, cautiores, non timidiores Tyrrhenses fecit dato ei haud perplexo responso, nullam se nouam societatem, nisi ex auctoritate Romanorum imperatorum accepturos: portisque clausis, armatos in muris disposuerunt. Et peropportunè ad confirmandos Acarnanum animos Cn. Octauius missus à Quintia cum presidium & paucas naues ab A. Posthumio: qui ab Attilio legato Cephaleniæ prepositus fuerat, accepisset: Leucadem venit, impleuitq; spei socios: M. Acilium Cos. iam cum legionib. mare traiecisse, & in Thessalia castra Romana esse. Hunc rumorem quia similem veri tempus anni maturum iam ad nauigandum faciebat: rex præsidione imposito, & in quibusdam aliis Acarnaniæ oppidis, Tyrrheo abscessit, & per Ætoliæ ac Phocidis vrbes Chalcidem rediit. Sub id tempus M. Bæbius & Philippus rex iam ante hybernum in Dassaretiis congressi, cum Ap. Claudium, vt obsidione Larissam eximeret, in Thessaliam misissent: quia id tempus rebus gerendis immaturum erat, in hyberna regressi principio veris coniunctis copiis in Thessaliam descenderunt. in Acarnania tum Antiochus erat. aduenientes, Philippus Mallœam Perrhæbiæ, Bæbius Phacium est aggressus. quo primo propè impetu capto, Phestum eadem celeritate capit. Inde Atracem cum se recepisset, Chyretias hinc & Ericium occupat. præsidiisque per recepta oppida dispositis, Philippo rursus obsidenti Mallœam se coniungit. Sub aduentum Romani exercitus, seu ad metum virium, seu ad spem veniæ cum dedidissent sese: ad ea recipienda oppida, quæ Athamanes occupauerant, vno agmine ierant. Erant autem hæc, Æginium, Ericinium, Gomphi, Silana, Tricca, Melibœa, Phaloria. Inde Pellinæũ, vbi Philippus Megalopolitanus cum quingentis peditibus & equitibus XL. in præsidio erat, & circũsidunt: & priusquam oppugnarent, mittunt ad Philippum qui moneret, ne vim vltimam experiri vellet. Quib. ille satis ferociter respondit, vel Romanis vel Thessalis se crediturum fuisse: in Philippi se potestatem commissurum non esse. Postea quam apparuit vi agendum, quia videbatur & Limnæam eodem tempore oppugnari posse, regem ad Limnæam ire placuit: Bæbius restitit ad Pellinæum oppugnandũ. Per eos fortè dies M. Acilius Cos. cum decem millibus peditum, duobus millib. equitum XIV. elephantis mari traiecto, pedestres copias Larissam ducere delectos militum tribunos iussit. ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum venit. Aduentu consulis deditio sine cunctatione est facta, traditumque pręsidium regium, & cum iis Athamanes. Ab Limnæa Pellinęum consul proficiscitur. Ibi primi Athamanes tradiderunt sese: deinde & Philippus Megalopolitanus, cui decedenti de præsidio cum obuius forte fuisset Philippus rex, ad ludibrium regem eum consalutari iussit: ipse congressus fratrem haud sanè decoro maiestati suæ ioco appellauit. deductus inde ad Cos. custodiri iussus: & haud ita multo post in vinculis Romã missus. cetera multitudo Athamanũ aut militum Antiochi regis, quę in præsidiis deditorum per eos dies oppidorum fuerat, Philippo tradita regi est. fuere autem ad tria millia hominum.

A Cósul Larissam est profectus, ibi de sũma belli cósultaturus. In itinere ab Pieria & Metropoli legati tradẽtes vrbes suas occurrerũt. Philippus Athamanũ præcipuè captiuis indulgenter habitis, vt per eos cõciliaret gentem: nactus spẽ Athamanię potiundæ exercitum eò duxit præmissis in ciuitates captiuis. Et illi magnam auctoritatem apud populares habuerunt, clementiã erga se regis munificẽtiamq; cõmemorantes: & Aminander cuius præsentis maiestas aliquos in fide continuisset, veritus ne traderetur Philippo iampridem hosti, & Romanis merito tum
B propter defectionem infensis. cum coniuge ac liberis regno excessit, Ambraciamq; se contulit. ita Athamania omnis in ius ditionémque Philippi concessit. Consul ad reficienda maximè iumenta, quæ & nauigatione & postea itineribus fatigata erant, paucos Larissæ moratus dies, velut reparato modica quiete exercitu, Cranonẽ est profectus. Venienti Pharsalus, Scotussa & Pheræ, quæque in eis præsidia Antiochi erant, deduntur. ex iis interrogatis qui
C manere secum vellent, mille volentes Philippo tradit, ceteros inermes Demetriadem remittit. Proernam inde recepit, & quæ circa eam castella erant. Ducere tum porro in sinum Maliacum cœpit. Appropinquante faucibus, super quas siti Thaumaci sunt, deserta vrbe iuuentus omnis armata syluas & itinera insedit, & in agmen Romanum ex superioribus locis incursauit. Cósul primo mittere qui ex propinquo colloquẽtes deterrerent eos à tali furore. postea quam perseuerare in incœpto vidit, tri-
D buno cum duorum signorum militibus circummisso, interclusit ad vrbem iter armatis, vacuámque eam cepit. tum clamore ab tergo captæ vrbis audito, refugientium vndique ex syluis insidiatorũ cædes facta est. A Thaumacis altero die cósul ad Sperchium amnem peruenit, inde Hypatæorum agros vastauit. Cùm hæc agebantur, Chalcide erat Antiochus: qui iam tum cernens nihil se ex Græcia pręter amœna Chalcide hyberna & infames nuptias petisse Ætolorum vana promissa incusare, & Thoan-
E tem: Annibalem verò non vt prudentem tantum virum, sed propè vatem omnium quæ tum euenirent, admirari. ne tamen temerè cœpta segnitia insuper euerteret, nuntios in Ætoliam mittit, vt omni contracta iuuentute conuenirent. Iam & ipse eo decem millia ferè peditum, ex iis qui post a venerant ex Asia, expleta, & equites quingentos duxit. Quò cum aliquanto pauciores quam vnquam ante conuenissent: & principes tantum modo cum paucis clientibus essent, atque ij dicerent omnia sedulò ab se facta, vt quam plurimos ex ciuitatibus suis
F euocarent, nec auctoritate nec gratia nec imperio aduersus detrectantes militiam valuisse: destitutus vndique & ab suis qui morabantur in Asia, & ab sociis qui ea in quorum spem vocauerant, non præstabant, intra saltum Thermopylarum sese recepit. Id iugum, sicut Apennini dorso Italia diuiditur, ita mediam Gręciam dirimit. ante saltum Thermopylarum septentrionem versus Epirus & Perrhæbia & Magnesia & Thessalia est, & Phthio-
G tæ Achæi, & sinus Maliacus intra fauces ad meridiem vergunt. Ætoliæ pars maior, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœoti, adiunctáque in insula Eubœa, & excurrente in altum velut promontorio Attica terra sita ab tergo, & Peloponnesus. Hoc iugum ab Leucade & mari ad occidentem verso per Ætoliam ad alterũ mare orienti obiectum tendens, ea spreta rupésq. interiectas habet, vt non modo exercitus, sed ne expediti quidem facilè vllos ad transitum calles inueniant. extremos ad orientem

rientem montes Oetam vocant, quorum quod altissimum est, Callidromon appellatur: in cuius valle ad Maliacum sinum vergente, iter est non latius quam sexaginta passus. hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint. ideo Pylæ, & ab aliis quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur, nobilis Lacedæmoniorũ aduersus Persas morte magis memorabili quàm pugna. Haud quaquam pari tum animo Antiochus intra portas loci eius castris positis, munitionibus insuper saltum impediebat. & cum duplici vallo fossaque, & muro etiam qua res postulabat, ex multa copia passim iacentium lapidum permunisset omnia: satis fidens, nunquam ea vim Romanum exercitum facturum, Ætolos ex IIII. millibus (tot conuenerant) partim ad Heracleam præsidio obtinendam, quæ ante ipsas fauces posita est, partim Hypatam mittit: & Heracleam haud dubius consulem oppugnaturum, & iam multis nuntiantibus circa Hypatam omnia euastari. Consul depopulatus Hypatensem primum, deinde Heracleensem agrum, inutili vtrobique auxilio Ætolorum, in ipsis faucibus prope fontes calidarum aquarum aduersus regem castra posuit. Ætolorum vtræque manus Heracleam sese incluserunt. Antiochum, cui priusquam hostem cerneret, satis omnia permunita & præsidiis obsepta videbantur, timor deinde incessit, ne quos per imminentia iuga calles inueniret ad transitum Romanus. nam & Lacedæmonios quondam ita à Persis circumitos fama erat, & nuper Philippum ab iisdem Romanis: itaque nuntium Heracleam ad Ætolos mittit, vt hanc saltem sibi operam eo bello præstarent, vt vertices circa montium occuparent obsiderentque, ne qua transire Romanus posset. Hoc nuntio audito, dissensio inter Ætolos orta est. pars imperio parendum regis, atque eundum censebant: pars subsistendum Heracleæ ad vtramque fortunam, vt siue victus à consule rex esset, in expedito haberent integras copias ad opem propinquis ferendam ciuitatibus suis: siue vinceret, vt dissipatos in fugam Romanos persequerentur. Vtraq. pars non mansit modo in sententia sua, sed etiam exsecuta est consilium: duo millia Heracleæ substiterũt, duo trifariam diuisa, Callidromum & Rhodũtiam, & Tichiunta (hæc nomina cacuminibus sunt) occupauere. Consul posteaquam insessa superiora loca ab Ætolis vidit, M. Porcium Catonem & L. Valerium Flaccum consulares legatos cum binis millibus delectorum peditum ad castella Ætolorum, Flaccum in Rhoduntiam & Tichiunta, Catonem in Callidromum mittit. Ipse priusquam ad hostem copias admoueret, vocatos in concionem milites, paucis est allocutus: Plerósque omnium ordinum milites, inter vos esse video, qui in hac eadem prouincia T. Quintij ductu auspicióque militaueritis. Macedonico bello inexsuperabilis magis saltus ad amnem Aoum fuit, quàm hic: quippe portæ sunt hæ: & vnus inter duo maria clausis omnibus velut naturalis transitus est. munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt, & validiores impositæ. exercitus hostium ille & numero maior, & militum genere aliquanto melior: quippe illic Macedones Thracésque & Illyrij erant, ferocissimæ omnes gentes: hic Syri & Asiatici Græci sunt, leuissima genera hominum, & seruituti nata: rex ille bellicosissimus, exercitatus iam inde ab iuuenta finitimis Thracum atque Illyriorum & circa omnium accolarum bellis: hic, vt aliam omnem vitam omittam, is est, qui cum ad inferendum populo Romano bellum ex Asia in Europã trãsisset: nihil memorabilius toto tempore hybernorum gesserit, quàm quod amoris caussa ex domo priuata & obscuri etiam inter populares generis vxorem duxit: & nouus maritus velut saginatus nuptialibus cœnis, ad pugnam processit. Summa virium spésque eius in Ætolis fuit, gente vanissima & ingratissima, vt vos prius experti estis, nunc Antiochus experitur. nam nec conuenerunt frequentes, nec contineri in castris potuerunt, & in seditione ipsi inter se sunt: & cùm Hypatam tuendã Heracleámque depoposcissent, neutram tutati, pars refugerunt in iuga montium, pars Heracleæ incluserunt sese. Rex ipse confessus nusquam æquo campo non modo congredi se ad pugnam audere, sed ne castra quidem in aperto ponere, relicta omni ante se regione ea quam se nobis ac Philippo ademisse gloriabatur, condidit se intra rupes: ne ante fauces quidem saltus, vt quondã Lacedæmonios fama est, sed intra penitus retractis castris. quod quantum interest ad timorem ostendendum, an muris alicuius vrbis obsidendum sese incluserit? Sed neque Antiochum tuebuntur angustiæ: nec Ætolos vertices illi quos ceperunt. satis vndique prouisum atque præcautum est, ne quid aduersus vos in pugna præter hostes esset. Illud proponere animo vestro debetis: non vos pro Græciæ libertate tantum dimicare (quanquàm is quoque egregius titulus esset, liberatam à Philippo ante, nũnc ab Ætolis, & ab Antiocho liberare) neque ea tantum in præmium vestrum cessura, quæ nunc in regiis castris sunt: sed illum quoque omnem apparatum, qui in dies ab Epheso exspectatur, prædæ futurum: Asiam deinde Syriámque & omnia vsque ad ortus solis ditissima regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit? & omne humanum genus secundum deos nomen Romanum veneretur? In hæc tanta præmia dignos parate animos, vt crastino die bene iuuantibus diis acie decernamus. Ab hac concione dimissi milites, priusquam corpora curarent, arma telàque parant. Luce prima signo pugnæ proposito instruit aciem consul arcta fronte, ad naturam & angustias loci. Rex postquam signa hostium conspexit, & ipse copias eduxit. Leuis armaturæ partem ante vallum in primo locauit, tum Macedonum robur, quos Sarissophoros appellabant, velut firmamentum circa ipsas munitiones constituit. his ab sinistro cornu iaculatorum sagittariorúmque & funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit, vt ex altiore loco nuda latera hostium incesserent. ab dextro Macedonibus ad ipsum munimentorum finem, qua loca vsque ad mare inuia palustri limo & voraginibus claudunt, elephantos cum assueto præsidio posuit: post eos equites, tum modico interuallo relicto, ceteras copias in secunda acie. Macedones pro vallo locati, primo facile sustinebant Romanos, tentantes ab omni parte aditus: multum adiuuantibus qui ex loco superiore fundis, velut nimbum, glandes & sagittas simul ac iacula ingerebant. deinde vt maior nec iam toleranda vis hostium inferebat se, pulsi loco intra munimenta subductis ordinibus cõcesserunt. inde ex vallo prope alterum vallum hastis præ se obiectis fecerunt: & ita modica altitudo valli erat, vt & locum superiorem ad pugnandum suis præberet: & propter longitudinem hastarum subiectum haberet hostem. Multi temerè subeũtes vallum transfixi sunt: & aut incœpto irrito recessissent, aut plures cecidissent: ni M. Porcius ab iugo Callidromi, deiectis in-

de Ætolis, & magna ex parte cæsis (incautos enim & plerosque sopitos oppresserat) super imminentē castris collem apparuisset. Flacco non eadem fortuna ad Tichiunta & Rhoduntiam, nequicquam subire ad ea castella conato, fuerat. Macedones, quique alij in castris regiis erant, primo, dum procul nihil aliud, quam turba & agmen apparebat: Ætolos credere visa procul pugna subsidio venire, ceterum vt primum signáque & arma ex propinquo cognita errorem apparuerunt, tantus repentè pauor omnes cepit, vt abiectis armis fugerent. Et munimenta sequentes impedierunt, & angustiæ vallis per quam sequendi erant: & maximè omnium, quod elephanti nouissimi agminis erant, quos pedes ægre præterire, eques nullo poterat modo, timentibus equis tumultumque inter se maiorem quam in prælio edentibus. aliquantum temporis & direptio castrorum tenuit. Lilæum tamen eo die persecuti sunt hostem. Multis in ipso itinere cæsis captisque non equis virisque tantum, sed etiam elephantis, quos capere non potuerant, interfectis, in castra reuerterunt: quæ tentata eo die inter ipsum pugnæ tempus ab Ætolis Heracleam obtinentibus præsidio, sine vllo haud parum audacis incœpti effectu fuerant. Consul noctis insequentis tertia vigilia præmisso equitatu ad persequendum hostem, signa legionum prima luce mouit. Aliquantum viæ præceperat rex, vt qui non ante quàm Elatiæ ab effuso constiterit cursu: vbi primum reliquis pugnæque & fugæ collectis, cum perexigua manu semiermium militum Chalcidem se recepit. Romanus equitatus ipsum quidem regem Elatiæ assecutus non est, sed magnam partem agminis aut lassitudine subsistentis, aut errore, vt qui sine ducibus per ignota itinera fugerent, dissipatos oppresserunt. nec præter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit: etiam ex X. millibus militum, quos Polybio auctore traiecisse secum regem in Græciam scripsimus, exiguus numerus. Quid si Antiati Valerio credamus. LX. millia militum fuisse in regio exercitu scribenti? XL. inde millia cecidisse? supra V. millia capta cum signis militaribus CCXXX? Romanorum CL. interfecti sunt. Consule per Phocidem & Bœotiam exercitum ducente, consciæ defectionis ciuitates cum velamentis ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur: ceterum per omnes dies haud secus quam in pacato agro sine violatione vllius rei agmen processit, donec in agrum Coronensem ventum est. Ibi statua regis Antiochi posita in templo Mineruæ Itoneæ iram accendit: permissúmque militi est, vt circumiectum templo agrum popularetur. deinde cogitatio animum subiit, cum communi decreto Bœotiorum posita esset statua, indignum esse in vnum Coronensem agrum sæuire reuocato extemplo milite finis populandi factus: castigati tantum verbis Bœoti ob ingratum in tantis, támque recentibus beneficiis animum erga Romanos. Inter ipsum pugnæ tempus X. naues regiæ cum præfecto Isidoro ad Thronium in sinu Maliaco stabant eo grauis vulneribus Alexander Acarnan nuntius aduersæ pugnæ cum perfugisset, trepidæ inde recenti terrore naues Ceneum Eubœæ petierunt. Ibi mortuus sepultusque Alexander. Tres quæ ex Asia profectę eundem portum tenuerant naues, audita exercitus clade, Ephesum redierunt. Isidorus ab Ceneo Demetriadem, si forte eo deferret fuga regem, traiecit. Per eosdem dies A. Attilius præfectus Romanæ classis magnos regios commeatus iam fretum, quod

A ad Andrum insulam est, præteruectos excepit. alias mersit, alias cepit naues, quæ nouissimæ agminis erant, cursum in Asiam verterunt Attilius Pyræum, vnde profectus erat, cum agmine captiuarum nauium reuectus magnam vim frumenti & Atheniēsibus & aliis eiusdem regionis sociis diuisit. Antiochus sub aduentum consulis à Chalcide profectus, Tenum primo tenuit, inde Ephesum transmisit. Consuli Chalcidem venienti portæ patuerunt, cum appropinquante eo Aristoteles præfectus regis vrbe excessisset, & ceteræ vrbes in Eubœa sine certamine traditæ. paucósque per dies omnib. perpacatis, sine vllius noxa vrbis exercitus Thermopylas reductus, multo modestia post victoriam, quam ipsa victoria laudabilior. Inde consul M. Catonem, per quem quæ gesta essent, senatus populúsque Romanus haud dubio auctore sciret, Romam misit. Is à Creusa (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras Achaiæ petit: à Patris Corcyram vsque Ætoliæ atque Acarnaniæ littora legit. atque ita ad Hydruntum Italiæ traiecit, quinto die inde pedestri itinere Romam ingenti cursu peruenit. ante lucem ingressus vrbem, à porta ad prætorem M. Iunium iter intēdit. Is prima luce senatū vocauit. quo L. Cornelius Scipio aliquot diebus ante à consule dimissus, cùm aduenicns audisset, prægressum Catonē in senatu esse, superuenit exponenti quæ gesta essent. Duo inde legati iussu senatus in concionem sunt producti: atque ibi eadē quę in senatu de rebus in Ætolia gestis exposuerūt. Supplicatio in triduum decreta est: & vt XL. hostiis maioribus prætor quibus diis ei videretur, sacrificaret. Per eosdem dies & M. Fuluius Nobilior, qui biennio antè prætor in vlteriorem Hispaniam erat profectus, ouans vrbem est ingressus. Argenti bigati præ se tulit CXXX. millia & extra numeratum XII. millia pondo argenti: auri pondo CXXVII. Acilius ab Thermopilis Heracleam ad ætolos præmisit: vt nunc saltem experti regiam vanitatem, resipiscerēt: traditáque Heraclea, cogitarent de petēda ab senatu seu furoris sui seu erroris venia. Et cæteras Græciæ ciuitates defecisse eo bello ab optimè de se meritis Romanis: sed quia post fugam regis, cuius fiducia ab officio decessissent, non addidissent pertinaciam culpæ, in fidem receptas esse. Ætolos quoque, quanquam non secuti sint regem, sed accercierint, & duces belli non socij fuerint si pœnitere possint, posse & incolumes esse. Ad ea cùm pacati nihil responderetur, apparétque armis rem gerendam, & rege superato bellum Ætolicum integrum restare, castra ab Thermopylis ad Heracleam mouit: eóque ipso die, vt situm nosceret vrbis, ab omni parte equo mœnia est circumuectus. Sita est Heraclea in radicibus Oetæ montis: ipsa in campo arcem imminentem loco alto, & vndique præcipitē habet. Contemplatus omnia quæ noscenda erant, quatuor simul locis aggredi vrbem constituit. à fluuio Asopo, qua & gymnasium est, L. Valeriū operib. atque oppugnationi præposuit. arcem extra muros, quæ frequentius propè quàm vrbs habitabatur, T. Sempronio Longo oppugnandam dedit, à sinu Maliaco, quæ aditum haud facilem pars habebat, M. Bæbium: ab altero amniculo, quem Melana vocāt, aduersus Dianæ templum Ap. Claudium opposuit. Horum magno certamine intra paucos dies turres arietésque, & alius omnis apparatus oppugnandarum vrbium perficitur: & cùm ager Heracliensis paluster omnis, frequénsque proceris arboribus benignè ad omne genus operum materiam suppeditabat, tū quia refugerāt intra mœnia

Ætoli,

Ætoli, desertaque in vestibulo vrbis erant tecta, in varios vsus non tigna modo & tabulas, sed laterem quoque & cæmēta & saxa variæ magnitudinis præbebant. Et Romani quidem operibus magis quam armis vrbē oppugnabāt, Ætoli cōtra armis se tuebantur. nam cùm ariete quaterentur muri non laqueis, vt solet, exceptos declinabant ictus: sed armari frequentes quidam ignes etiam, quos aggeribus iniicerent, ferebant. fornices quoque in muro erant apti ad excurrendum. & ipsi cum pro dirutis reficerent muros, crebriores eos, vt pluribus erumperetur in hostem locis faciebant. Hoc primis diebus, dum integræ vires erant, & frequentes & impigrè fecerūt, indies deinde pauciores & segnius, etenim cùm multis vrgerentur rebus, nulla eos res æquè ac vigiliæ conficiebant: Romanis in magna copia militum succedentibus aliis in stationem aliorum, Ætolos propter paucitatem eosdem dies noctésque assiduo labore vrgente. per IIII. & XX. dies, ita vt nullum tempus vacuum dimicatione esset, aduersus quatuor è partibus simul oppugnantē hostem nocturnus diurno continuatus labor est. Cùm fatigatos iam Ætolos sciret Cos. & ex ratione temporis, & quod ita trāsfugæ affirmabant, tale consilium iniit. media nocte receptui signum dedit & ab oppugnatione simul omnes milites deductos vsque ad tertiam diei horam quietos in castris tenuit: inde cœpta oppugnatio ad mediam rursus noctem perducta est, intermissa deinde vsque ad tertiam diei horam. Fatigationem rati caussam esse Ætoli non continuendæ oppugnationis, quæ & ipsos affecerat: vbi Romanis datum receptui signū esset, velut ipsi quoque hoc reuocati pro se quisque ex stationibus decedebant: nec ante tertiam diei horam armati in muris apparebant. Consul cùm nocte media intermisisset oppugnationem, quarta vigilia rursus ab tribus partib. summa vi aggressus, ab vna T. Sempronium tenere intentos milites, signúmque expectare iussit: ad ea in nocturno tumultu, vnde clamor exaudiretur, haud dubiè ratus hostes concursuros. Ætoli pars sopiti affecta labore ac vigiliis corpora ex somno moliebantur: pars vigilantes adhuc ad strepitum pugnantium in tenebris currunt. Hostes partim per ruinas iacentis muri transcendere conantur, partim scalis ascensus tētant. aduersus quos vndique ad opem ferendam cōcurrūt Ætoli. Pars vna in qua ædificia extra vrbem erant, neque defenditur, neque oppugnatur: sed qui oppugnarent, intenti signum exspectabant, defensor nemo aderat. Iam dilucescebat, cùm signum consul dedit: & sine vllo certamine partim per semiruta, partim scalis integros muros transcēdere. Simul clamor index capti oppidi est exauditus, vndique Ætoli desertis stationibus in arcem refugiūt. Oppidum victores permissu consulis diripiunt: non tam ab ira nec ab odio quàm vt miles coercitus in tot receptis ex potestate hostium vrbibus aliquo tandem loco fructum victoriæ sentiret. Reuocatos inde à medio fermè die milites cùm in duas diuisisset partes, vnam radicibus montium circumduci ad rupem iussit: quę fastigio altitudinis par, media valle velut abrupta ab arce erat: sed adeo prope geminata cacumina eorum montium sunt, vt ex vertice altero coniici tela in arcem, possent: cum dimidia militum parte consul ab vrbe ascensurus in arcem signum ab iis qui ab tergo in rupem euasuri erant, exspectabat. Non tulere qui in arce erant Ætoli, primum eorum, qui rupem ceperant, clamorem: deinde impetu ab vrbe Romanorum: & fractis iam animis, & nulla ibi præ-

A parata re ad obsidionem diutius tolerandum: vtpote congregatis fœminis puerisque, & imbelli alia turba in arcem, quæ vix capere, nedum tueri multitudinem tantam posset. itaque ad primum impetum abiectis armis dediderunt sese. Traditus inter ceteros principes Ætolorum & Damocritus est, qui principio belli decretum Ætolorum, quo accersendum Antiochum censuerant, T. Quintio poscenti responderat, in Italia daturum, cum castra ibi Ætoli posuissent. ob eam ferociam maius

B victoribus gaudium traditum fuit. Eodem tempore quo Romani Heracleam, Philippus Lamiam ex composito oppugnabat, circa Thermopylas cum consule redeunte ex Bœotia, vt victoriam ipsi populóque Romano gratularetur. excusaretq; quod morbo impeditus bello non interfuisset, congressus inde diuersi ad duas simul oppugnandas vrbes profecti. intersunt septem millia fermè passuum. & quia Lamia posita est in tumulo: tum regionem ea maximè despectat oppidum, qua breue interuallum

C videtur, & omnia in cospectu sunt: cum enixè velut proposito certamine Romani Macedonésque diem ac noctē aut in operibus aut in præliis essent: hoc maior difficultas Macedonibus erat, quod Romani aggere & vineis, & omnibus supra terram operibus, subtus Macedones cuniculis oppugnabāt: & in asperis locis silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat. & cum parum procederet inceptum, per colloquia principum oppidanos tētabat rex, vt vrbem dederēt: haud dubius, quin si prius Heraclea

D capta foret, Romanis se potius quàm sibi dedituri essent, suámque gratiam consul in obsidione liberanda facturus esset. Nec eum opinio est frustrata: confestim enim ab Heraclea capta nuntius venit, vt oppugnatione abstineret. Æquius esse, Romanos milites qui acie dimicassent cum Ætolis, præmia victoriæ habere. Ita recessum ab Lamia est, & propinquæ clade vrbis ipsi, ne quid simile paterentur, effugerunt. Paucis priusquam Heraclea caperetur diebus, Ætoli concilio Hypatam coacto, lega-

E tos ad Antiochum miserunt: inter quos & Thoas idem qui & antea missus est. mandata erant, vt ab rege peterent primum, vt ipse coactis rursus terrestribus naualibusque copiis in Græciam traiiceret: deinde si qua ipsum teneret res, vt pecuniam & auxilia mitteret. id cum ad dignitatem eius fidémque pertinere, non prodi socios, tum etiam ad incolumitatem regni, non sinere Romanos omni cura vacuos, cum Ætolorum gentem sustulissent, omnib. copiis in Asiam traiicere. Vera erant quæ dicebantur:

F eo magis regem mouerunt. itaque in præsentia pecuniá, quę ad vsus belli necessaria erat, legatis dedit: auxilia terrestria naualiaq. affirmauit missurum. Thoantem vnum ex legatis retinuit, & ipsum haud inuitum morantem, vt exactor præsens promissorum adesset. Ceterum Heraclea capta fregit tádem animos Ætolorum: & post paucos dies quam ad bellum renouandum, acciendumque regem, in Asiam miserant legatos: abiectis belli consiliis, pacis petendæ oratores ad consulem miserunt. Quos

G dicere exorsos consul interfatus, cùm alia sibi præuertenda esse dixisse: redire Hypatam eos datis dierum X. induciis, & L. Valerio Flacco cum iis misso, iussit: ei quæ secum aucturi fuissent exponere: & si qua vellent alia. Hypatam vt est ventum, principes Ætolorum apud Flaccum concilium habuerunt, consultantes, quonam agendum modo apud consulem foret. Parantibus iis antiqua iura fœderum ordiri, meritáque in poplum Romanum, absistere iis Flaccus iussit, quæ ipsi violassent: confessionem

iis culpæ magis profuturam, & totam in preces orationē versam. nec enim in caussa ipsorum, sed in populi Romani clementia spem salutis positā esse. & se suppliciter agentibus iis adfuturum, & apud consulē, & Romæ in senatu. eò quoque enim mittendos fore legatos. Hæc vna via omnibus ad salutem visa est, vt in fidem se permitterēt Romanorū. Ita enim & illis violandi supplices verecundiam se imposituros: & ipsos nihilominus suæ potestatis fore, si quid melius fortuna ostendisset. Posteaquā ad consulē ventum est, Phaneas legationis princeps lōgam orationem, & variè ad mitigandā iram victoriis cōpositam, ita ad extremum finiuit, vt diceret, Ætolos se suáque omnia fidei populi Rom. permittere. Id consul vbi audiuit: Etiam atq. etiam videte, inquit, Ætoli, vt ita permittatis. Tū decretum Phaneas, in quo id disertè scriptum erat ostendit. Quādo ergo inquit, ita permittitis, postulo, vt mihi Dicæarchum ciuem vestrum, & Menetam Epirotam (Naupactum is cum presidio ingressus ad defectionem compulerat) & Aminādrum cum principibus Athamanum, quorum concilio ab nobis defecistis, sine mora dedatis. Prope dicentem interfatus Romanum Phaneas: Non in seruitutem, inquit, sed in fidem tuam nos tradimus: & certum habeo te imprudentia labi, qui nobis imperes quæ moris Græcorum non sint. Ad hæc Cos. nec hercule, inquit, magnopere nunc curo quid Ætoli satis ex more Græcorum factum esse censeant: dū ego more Romano imperium id habeam in deditos modo decreto suo ante armis victos: itaque ni prospere fit quod impero, vincire vos iam iubeo. afferrique catenas, & circumsistere lictores iussit. Tum fracta Phaneæ ferocia, Ætolisq. aliis est: & tandem cuius conditionis essent, sensere. & se quidem Phaneas, & qui adsint Ætolorum, scire facienda esse quæ imperentur, dixit: sed ad decernenda ea concilio Ætolorum opus esse: ad id petere, vt decem dierum inducias daret. Petente Flacco pro Ætolis, induciæ datę: & Hypatam reditum est. Vbi cum in concilio delectorum, quos Apocletos vocant, Phaneas, & quę imperarentur, & quæ ipsis propè accidissent, exposuisset: ingemuerunt quidem principes conditioni suę, parendum tamen victori censebant: & ex omnibus oppidis conuocandos Ætolos ad concilium. Postquam verò omnis coacta multitudo eadem illa audiuit, adeo sęuitia imperij atque indignitate exasperati animi sunt. vt si in pace fuissent, illo impetu iræ concitari potuerint ad bellum. Ad iram accedebat & difficultas eorum quæ imperarentur: quonam modo enim vtrique regem Aminandrum se tradere posse? & spes fortè oblata, quod Nicander eo ipso tempore ab rege Antiocho veniens impleuit exspectatione vana multitudinem, terra mariq. ingens parari bellum. Is duodecimo die quam conscenderat nauem, in Ætoliam perfecta legatione rediens, Phalaram in sinu Maliaco tenuit. Inde Lamiā pecuniam cum deuexisset, ipse cum expeditis vespera prima inter Macedonum Romanáque castra medio agro dum Hypatam notis callibus petit, in stationem incidit Macedonum: deductúsque ad regem est, nondum conuiuio dimisso. Quod vbi nunciatum est, velut hospitis, non hostis aduentu motus Philippus, accumbere eum, epularique iussit: atque inde dimissis aliis solum retentum, ipsum quidem de se timere quicquam vetuit. Ætolorum praua concilia, atque in ipsorum caput semper recidentia, accusauit: qui primum Romanos, deinde Antiochum in Græciam adduxissent, sed præteritorum, quæ magis reprehendi quàm corrigi possint oblitū

A se, non facturum vt insultet aduersis rebus eorum. Ætolos quoq. finire tādem aduersus se odia deberet & Nicandrum priuatim eius diei quo seruatus à se foret, meminisse. Ita datis qui in tutum eum prosequerentur, Hypatam Nicander consultantibus de pace Romana superuenit. M. Acilius vendita aut concessa militi circa Heracleam præda, posteaquā nec Hypatæ pacata esse consilia, & Naupactum cōcurrisse Ætolos, vt inde totum impetum belli sustinerent, audiuit: præmisso Ap. Claudio cum IIII.
B millibus militum ad occupanda iuga, qua difficiles transitus montium erant, ipse OEtam ascendit: Herculique sacrificium fecit in eo loco quem Pyram, quod ibi mortale corpus eius dei sit crematū, appellant: inde toto exercitu profectus, reliquum iter satis expedito agmine fecit. Vt ad Coracem est ventum (mons est altissimus inter Callipolin & Naupactum) ibi & iumenta multa ex agmine præcipitata cū ipsis oneribus sūt, & homines vexati & facile apparebat quàm cum inerti hoste res esset,
C qui tam impeditum saltum nullo præsidio vt clauderet transitum; insedisset. Tum quoque vexato exercitu ad Naupactum descendit: & vno castello aduersus hostem posito, ceteras partes vrbis, diuisis copiis pro situ mœnium, circumsedit. nec minus operis laborisque ea oppugnatio quam Heracleæ habuit. Eodem tempore & Messene in Peloponneso ab Achæis, quo concilij eorum recusaret esse, oppugnari cœpta est. Etenim duæ ciuitates Messene & Elis extra concilium Achaicū erant, cū Ætolis sentiebant, Elei tamen post fugatum ex Græcia
D Antiochum legatis Achæorum lenius responderāt: dimisso præsidio regio cogitaturos se, quid sibi faciendum esset. Messenij sine responso dimissis legatis mouerant bellum: trepidique rerum suarum: cum iam ager effuso exercitu passim vreretur, castráq. prope vrbem poni viderent: legatos Chalcidē ad T. Quintium auctorem libertatis miserunt, qui nuntiarent, Messenios Romanis, non Achæis, & aperire portas, & dedere vrbem paratos esse. Auditis legatis extemplo profectus Quintius, Megalopo-
E lim ad Diophanem Pr. Achæorum misit: qui extēplo reducere eum à Messene exercitum, & venire ad se iuberet. Dicto paruit Diophanes: & soluta obsidione expeditus ipse prægressus agmen, circa Andaniam paruū oppidum inter Megalopolim Messenémque positum, Quintio occurrit. & cum caussas oppugnationis exponeret, castigatum leniter, quod tantam rem sine auctoritate sua conatus esset, dimittere exercitum iussit: nec pacem omnium bono partam turbare. Messeniis imperauit vt exsu-
F les reducerent, & Achæorum concilij essent: si qua haberent, de quibus aut recusare, aut in posterum cauere sibi vellent, Corinthum ad se venirent. Diophanem concilium Achæorum extemplo sibi præbere iussit. ibi de Zacyntho intercepta per fraudem insula questus, postulauit vt restitueretur Romanis. Philippi Macedonum regis Zacynthus fuerat: eam mercedem Aminandro dederat, vt per Athamaniā
G ducere exercitum in superiorem partem Ætoliæ liceret: qua expeditione fractis animis, Ætolos compulit ad petendam pacem. Aminander Philippum Megalopolitanum insulæ præfecit: postea per bellum quo se Antiocho aduersus Romanos coniunxit, Philippo ad munia belli reuocato, Hieroclē Agrigentinum successorem misit. Is post fugam ab Thermopylis Antiochi, Aminandrúmque à Philippo Athamania pulsum, missis vltro ad Diophanem prætorem Achæorum nuntiis, pecuniam pactus, insulam Achæis tradidit. Id præmium belli suum

suum esse, æquum censebant Romani. nō enim M.
Acilium Cos. legionésque Romanas Diophani &
Achæis ad Thermopylas pugnasse. Diophanes ad-
uersus hæc purgare interdum sese, gentémq; inter-
dum de iure facti disserere. Quidam Achæorum &
initio eā se rem aspernatos testabantur, & tunc per-
tinaciam increpitabant prætoris: auctoribúsque iis
decretum est, vt T. Quintio ea res permitteretur.
Erat Quintius sicut aduersantibus asper, ita si ce-
deres, idem placabilis. Omissa igitur contentione
vocis vultúsque: Si vtilem, inquit, possessionē eius
insulæ censerem Achæis esse, auctor essem senatui
populoque Romano, vt eam vos habere sinerent.
ceterum sicut testudinem, vbi collecta in suum
tegimen est, tutam ad omneis ictus video esse, vbi
exserit partes aliquas, quodcunque nudauit, obno-
xium atque infirmum habere: haud dissimiliter vos A-
chæi clausos vndique mari, quæ intra Peloponnesi
sint terminos, ea & iungere vobis, & iuncta tueri fa-
cile: simul auiditate plura amplectendi, hinc exce-
datis, nuda vobis omnia, quæ extra sint, & exposita
ad omnes ictus esse. Assentiente omni concilio, nec
Diophane vltra tendere auso, Zacynthus Romanis
traditur. Per idem tēpus Philippus rex proficiscen-
tem Cos. ad Naupactum percunctatus, si se interim
quæ defecissēt ab societate Romana vrbes, recipe-
re vellet: permittente eo, ad Demetriadem copias
admouit, haud ignarus quanta ibi tum perturbatio
esset. Destituti enim ab omni spe cum deserto se
ab Antiocho, spē nullam in Ætolis esse cernerent:
dies noctéque aut Philippi hostis aduentū, aut in-
festiorē etiam, quo iustius irati erant, Romanorum
expectabant. Turba erat ibi incondita regiorum,
qui primo pauci in præsidio relicti, postea plures
plerique inermes ex prælio aduerso fuga delati, nec
viriū nec animi satis ad obsidionem tolerandā ha-
bebant. itaque præmissis à Philippo, qui spem im-
petrabilis veniæ ostendebant, responderunt patere
portas regi. Ad primum eius ingressum principum
quidā vrbe excesserūt: Eurilochus mortem sibi cō-
sciuit. Antiochi milites (sic enim pacti erant) per
Macedoniam Thraciámque, prosequentibus Ma-
cedonibus, ne quis eos violaret, Lysimachiam de-
ducti sunt. Erant & paucæ naues Demetriade, qui-
bus præerat Isidorus. eæ quoque cum præfecto suo
dimissæ sunt. Inde Dolopiam & Aperantiā & Per-
rhæbiæ quasdam ciuitates recepit. Dum hæc à Phi-
lippo geruntur, T. Quintius recepta Zacyntho ab
Achaico concilio Naupactum traiecit, quæ iam per
duos menses (sed prope excidium erat) oppugnaba-
tur: & si capta vi foret, omne ibi nomen Ætolorum
ad internecionem videbatur venturum. Ceterum
quanquā merito iratus erat Ætolis, quod solos ob-
trectasse gloriæ suæ, cū liberaret Græciam, memine-
rat: & nihil auctoritate sua motos esse, cum quæ tū
maxime acciderant, casura præmonens, à furioso
incepto eos deterreret: tamen sui maximè operis
esse credens, nullā gentē liberatæ à se Græciæ fun-
ditus euerti, obambulare muris, vt facile nosceretur
ab Ætolis, cepit. Confestim a primis stationibus
cognitus est, vulgatumq; per omnes ordines Quin-
tium esse. itaque concursu facto vndique in muros
manus pro se quisque tendentes, consonante cla-
more nominatim Quintium orare, vt opem ferret
ac seruaret. Et tum quidem, quanquam moueretur
his vocibus, manu tamen abnuit, quidnam opis in
se esset. Ceterum posteaquam ad Cos. venit: Vtrum
fallit, inquit, te M. Acili, quid agatur? an cum satis
prouideas, nihil id magnopere ad summam reipu-
blicæ pertinere cēses? Erexerat expectatione Cos. &

A quin exprómis, inquit, quid rei sit? Tum Quintius
Ecquid vides te deuicto Antiocho in duabus vrbi-
bus oppugnandis tempus terere, cum iam prope
annus circumactus sit imperij tui? Philippum autē,
qui non aciem, non signa hostiū vidit: non solū vr-
bes, sed tot iam gētes, Athamaniam, Perrhæbiā Ape-
rantiam, Dolopiam sibi adiunxisse: atqui nō tantū
interest nostra Ætolorum opes ac vires minui: quā-
tum non supra modum Philippum crescere: & vi-
ctoriæ tuę premium te militēsq; tuos nōdū duas vr-
B bes, Philippum tot gentes Græciæ habere. Assentie-
batur his Cos. sed pudor, si irrito incepto absce-
deret obsidione, occurrebat. tota inde Quintio res
permissa est. Is rursus ad eam partem muri qua pau-
lo ante vociferati Ætoli fuerant, rediit ibi cum im-
pensius orarent, vt misereretur gentis Ætolorum, e-
xire aliquos ad se iussit. Phaneas ipse principésque
alij extemplo egressi sunt quibus prouolutis ad
pedes: Fortuna, inquit, vestra facit vt & iræ meæ, &
orationis temperem. euenerunt quæ prædixi euen-
C tura: & ne hoc quidem reliqui vobis est, vt indignis
accidisse ea videantur: ego tamen sorte quadam
nutriendæ Græciæ datus, ne ingratis quidem bene-
facere absistam: mittite oratores ad Cos. qui indu-
cias tantum temporis petant, vt mittere legatos
Romam possitis, per quos senatui de vobis permit-
tatis. ego apud Cos. deprecator defensórque vobis
adero. Ita vt censuerat Quintius, fecerunt: nec as-
pernatus est legationem Cos. induciisque in diem
certam datis, qua legatio renuntiari ab Roma pos-
D set: soluta obsidio est, & exercitus in Phocidem
missus. Cos. cum T. Quintio ad Achaicum conciliū
Ægium traiecit. ibi de Eleis & exsulibus Lacedæ-
moniorum restituendis actum: & neutra perfecta
res: quia suæ gratiæ reseruari eam Achæi, Elei per
se ipsi, quàm per Romanos maluerunt Achaico
contribui concilio. Epirotarum legati ad Cos. ve-
nerunt, quos non syncera fide in amicitia fuisse sa-
tis constabat: militem tamen nullum Antiocho de-
derant: pecunia iuuisse eum insimulabantur: legatos
E ad regem ne ipsi quidem misisse infitiabantur. Iis
petentibus, vt in amicitia pristina esse liceret: res-
pondit Cos. se vtrum hostium, an pacatorum eos
numero haberet, nondum scire, senatum eius rei
iudicem fore, integram se caussam eorum Romam
reiicere: inducias ad id dierum XC. dare. Epirotæ
Romam missi senatum adierunt, iis magis quæ
non fecissent hostilia referentibus, quàm purgan-
tibus ea de quibus arguebantur: responsum datum
est, quo veniam impetrasse, non caussam probasse
F videri possent. Et Philippi regis legati sub idem
tempus in senatum introducti gratulantes de vi-
ctoria: iis petentibus, vt sibi sacrificare in Capi-
tolio, donúmque ex auro liceret ponere in ædem
Iouis O P T. M A X. permissum ab senatu. C. Pon-
do coronam auream posuerunt. Non responsum
solum benignè legatis est, sed Philippi quoq; filius
Demetrius, qui obses Romæ erat, ad patrem redu-
cendus legatis datus est. Bellum quod cum Antio-
cho rege in Græcia gestum est à M. Acilio Cos. hūc
G finem habuit. Alter Cos. P. Cornelius Scipio Galliā
prouinciam sortitus. Priusquam ad bellum quod
cum Boiis gerendum erat, proficisceretur: postula-
uit ab senatu, vt pecunia sibi decerneretur ad ludos
quos Proprætor in Hispaniam inter ipsum discrimen pu-
gnæ vouisset. Nouum atque iniquum postulare est
visus. censuerunt ergo, quos ludos inconsulto se-
natu ex sua vnius sententia vouisset: eos vel de ma-
nubiis, si quam pecuniam ad id reseruasset, vel sua
ipse impensa faceret. Eos ludos per dies decem P.

Cornelius fecit. Per idem ferè tempus ædes matris magnæ Idææ dedicata est: quam deam is P. Cornelius aduectam ex Asia, P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio Coss. in palatium à mari detulerat. Locauerant ædem faciendā ex S.C. M. Liuius, Claudius cēsores. M. Cornelio, T. Sempronio Coss. tredecim annis postquam locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus: ludiq; ob dedicationem eius facti: quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos. Item Iuuentutis ædem in circo maximo C. Licinius Lucullus duumuir dedicauit. vouerat eum sexdecim annis ante M. Liuius Cos. quo die Asdrubalem exercitúmque eius cecidit. idem censor eam faciendam locauit, M. Cornelio, T. Sempronio Coss. Huius quoque dedicandæ caussa ludi facti: & eo omnia cum maiore religione facta, quod nouū cum Antiocho instabat bellum. Principio eius anni, quo hæc iam profecto ad bellum M. Acilio, manente adhuc Romę P. Cornelius Cos. agebātur: boues duos domitos in Carinis per scalas peruenisse in tegulas ædificij, proditum memoriæ est. eos viuos comburi, cinerémq. eorū deiici in Tyberim aruspices iusserunt. Tarracinæ & Amiterni nuntiatū est, aliquoties lapidibus pluuisse. Minturnis ædem Iouis, & tabernas circa forum de cœlo tactas esse. Vulturni in ostio fluminis duas naues fulmine ictas cōflagrasse. Eorum prodigiorum caussa libros Sibyllinos ex S.C. decemuiri cum adissent, renuntiarūt ieiuniū instituēdum Cereri esse: & id quinto quoque anno seruandum: & vt nouendiale sacrū fieret, & vnum diem supplicatio esset, coronati supplicarent: & Cos. P. Cornelius quibus diis quibusque hostiis edidissent decemuiri, sacrificaret. Placatis diis nunc votis ritè soluēdis, nūc prodigiis expiandis, in prouinciam proficiscitur Cos. atq. inde Cn. Domitium Proconsulē dimisso exercitu Romā decedere iussit, ipse in agrum Boiorum legiones induxit. Sub idem ferè tempus Ligures lege sacrata coacto exercitu, nocte improuiso castra Q. Minutij Procos. aggressi sūt. Minutius vsque ad lucē intra vallum militē instructū tenuit intentus, ne quà transcenderet hostis munimenta: prima luce duabus simul portis eruptionem fecit. Nec primo impetu quod sperauerat, Ligures pulsi sūt: duas amplius horas dubium certamen sustinuere. postrema cum alia atque alia agmina erumperent, & integri fessis succederent ad pugnam: tandem Ligures inter cetera etiam vigiliis confecti, terga dederunt. cæsa supra quatuor millia hostium: ex Romanis sociisque minus CCC. perierunt. Duobus ferè post mēsibus P. Cornelius Cos. cum Boiorum exercitu signis collatis egregiè pugnauit. Duodetriginta millia hostium cæsa Antias Valerius scribit: capta tria millia & quadringentos: signa militaria CXXIIII. equos mille ducentos triginta: carpenta ducenta quadraginta septem: ex victoribus mille quadringentos octoginta quatuor cecidisse. Vbi, vt in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est, magnam tamen victoriam fuisse apparet, quod & castra capta sunt, & Boij post eam pugnam extemplo dediderunt sese, & quod supplicatio eius victoriæ caussa decreta ab senatu, victimæque maiores cæsæ. Per eosdem dies M. Fuluius Nobilior ex vlteriore Hispania ouās vrbem est ingressus argenti transtulit decem millia pondo, bigati argenti CXXX. auri CXXVII. P. Cornelius Cos. primo obsidibus à Boiorum gente acceptis, agri parte ferè dimidia eos mulctauit: quo si vellet, P.R. colonias mittere posset. inde Romam

A vt ad triūphum haud dubium decēdens, exercitū dimisit; & adesse Romæ ad diem triumphi iussit. ipse postero die quam venit, senatu in æde Bellonæ vocato, cum de rebus ab se gestis disseruisset, postulauit vt sibi triumphanti liceret in vrbem inuehi. P. Sēpronius Blæsus tribunus plebis non negandū Scipioni, sed differendum honorem triumphi cēsebat. Bella Ligurum Gallicis semper iuncta fuisse: eas inter se gentes mutua ex propinquo ferre auxilia. Si P. Scipio deuictis acie Boiis, aut ipse cum victore exercitu in agrum Ligurum trāsisset, aut partem copiarum Quinto Minutio misisset, qui iam tertiū ibi annum dubio detineretur bello, debellari cū Liguribus potuisse. Nunc ad triumphum frequentandum deductos esse milites, qui egregiam nauare operam reipublicæ potuissent: posse etiam si senatus quod festinatione triumphi prætermissum esset, id restituere differendo triumpho vellet. Iuberent Cos. cum legionibus redire in prouinciam: dare operam vt Ligures subigantur. nisi illi cogantur in ius dicionémque P. R. ne Boios quidem quieturos: aut pacem, aut bellum vtrobique habenda. deuictis Liguribus, paucos post menses Procos. P. Corneliū multorum exemplo qui in magistratu non triumphauerunt triumphaturum esse. Ad ea Cos. neque se Ligures prouinciam sortitum esse ait, neq. cum Liguribus bellum gessisse, neq. triumphum de iis postulare. Q. Minutium confidere breui subactis iis meritum triumphū postulaturum, atq. impetraturum esse. se de Gallis Boiis postulare triumphum, quos acie vicerit, castris exuerit, quorum gentem biduo post pugnam totā acceperit in deditionem: à quibus obsides abduxerit, pacis futuræ pignus. Verum enimuero illud multo maius esse, quod tantum numerum Gallorum ceciderit in acie, quod cum tot millibus certe Boiorum nemo ante se imperator pugnauerit. plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum cæsam, multa millia capta, senes puerósq. Boiis superesse. Itaq. id quemquam mirari posse, cur victor exercitus, cum hostem in prouincia neminem reliquisset, Romam venerit ad celebrandum Cos. triumphum? Quorum militum si & in alia prouincia opera vti senatus velit, vtro tandem modo promptiores ad aliud periculum nouúmque laborem ituros credat, si persoluta sine detrectatione prioris periculi laborisq. merces sit? an si spem pro re ferentes dimittant, iam semel in prima spe deceptos? Nam quod ad se attineat, sibi gloriæ in omnem vitam illo die satis quæsitum esse, quo se virum optimum iudicatum ad accipiendam matrem Idæam misisset senatus. hoc titulo, etiam si consulatus, nec triūphus addatur, satis honestā honoratámque P. Scipionis Nasicæ imaginem fore. Vniuersus senatus nō ipse modo ad decernendum triumphum consensit, sed etiam Tr. pl. auctoritate sua compulit ad remittendam intercessionem. P. Cornelius Cos. triumphauit de Boiis. In eo triumpho Gallicis carpentis arma signáq. & spolia omnis generis transuexit, & vasa ænea Gallica: & cum captiuis nobilibus equorum quoque captorum gregem traduxit: aureos torques transtulit MCCCCLXX. ad hæc auri pondo CCXLV. argenti infecti factiq. in Gallicis vasis non infabre suo more factis, duo millia CCCXL. pondo. bigatorum nummorum CCXXXIIII. militib. qui currum secuti sunt, tricenos vicenos quinos asses diuisit. duplex centurioni, triplex equiti. Postero die concione aduocata de rebus ab se gestis, & de iniuria tribuni bello alieno se illigantis, vt suæ victoriæ fructu se defraudaret, cum disseruisset, milites exauctoratos dimisit.

Dum

Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus Ephesi securus admodum de bello Romano erat, tanquam non transituris in Asiam Romanis, quàm securitatem ei magna pars amicorum aut per errorem, aut assentando faciebat. Annibal vnus, cuius eo tempore maxima apud regem auctoritas erat, magis mirari se aiebat, quod non iam in Asia essent Romani, quàm venturos dubitare. Propius esse in Asiam ex Græcia, quàm ex Italia in Græciam traiicere: & multo maiorem caussam Antiochum quàm Ætolos esse neq. enim mari minus quàm terra pollere Romana arma. iampridem classem circa Maleam esse. audire sese nuper nouas, naues nouũq. imperatorē rei gerendę caussa ex Italia venisse. itaque desineret Antiochus pacem sibi spe vana facere! in Asia,& de ipsa Asia breui terra mariq. dimicãdum ei cum Romanis esse, & aut imperium adimendum orbem terrarum affectantibus, aut ipsi regnum amittendũ. Vnus vera & prouidere & fideliter prædicere visus. itaque ipse rex nauibus que paratæ instructæq. erãt. Chersonesum petit, vt ea loca, si forte terra venirēt Romani, præsidiis firmaret. ceteram classem Polyxenidam parare & deducere iussit. speculatorias naues ad omnia exploranda circa insulas dimisit. C. Liuius pręfectus Romanę classis cum quinquaginta nauibus tectis profectus ab Roma Neapolim, quo ab sociis eius oræ conuenire iusserat apertas naues, quæ ex fœdere debebantur. Siciliam inde petit: fretóque Messam prętervectus, cùm sex Punicas naues ad auxilium missas accepisset, ab Rheginis Locrisque & eiusdem iuris sociis debitas exegisset naues, lustrata classe ad Lacinium altum petit. Corcyram, quam primam Grecię ciuitatem adiit, cum venisset percunctatus de statu belli (nec dum enim omnia in Græcia perpacata erant) & vbi classis Romana esset, posteaquam audiuit circa Thermopylarum saltum in statione Cos. ac regē esse, classem Piræei stare, maturandum ratus omnium rerum caussa pergit protinus nauigare Peloponnesum, Samum, Zacyntúmque, quia partis Ætolorum maluerant esse, protinus depopulatus, Maleam petit: & prospera nauigatione vsus, paucis diebus Piræeũ ad veterem classem peruenit, Ad Scyllæum Eumenes rex cum tribus nauibus occurrit. cum Æginæ diu incertus consilij fuisset, vtrum ad tuendum rediret regnum (audiebat enim Antiochum Ephesi nauales terrestrésque parare copias) an nusquam abscederet ab Romanis, ex quorum fortuna sua penderet A. Pireo A. Attilius traditis successori quinque & XX. nauibus tectis, Romam est profectus. Liuius vna & LXXX. rostratis nauibus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum traiecit. Eo fere tempore Cos. Acilius Naupactum oppugnabat. Liuium Deli per aliquot dies & est ventosissima regio inter Cycladas fretis alias minoribus, alias minoribus diuisas) aduersi venti tenuerunt. Polyxenidas certior per dispositas speculatorias naues factus, Deli stare Romanam classem, nuntios ad regem misit: qui omissis quæ in Hellesponto agebat, cum rostratis nauibus, quantum accelerare potuit. Ephesum rediit, & consilium extemplo habuit, faciendúmne periculum naualis certaminis foret. Polyxenidas negabat cessandum, & vtique prius confligendum quàm classis Eumenis, & Rhodiæ naues coniungerentur Romanis. ita numero non fermè impares futuros se, ceteris omnibus superiores, & celeritate nauium & varietate auxiliorum. nam Romanas naues, cùm ipsas inscitè factas immobiles esse, tum etiam vt quæ in terram hostium veniant, oneratas cõmeatu venire: suas autem, vt pacata omnia circa se relin- A quẽtes, nihil præter militem atque arma habituras. multum etiam adiuturam notitiã maris terrarumque & ventorum, quæ omnia ignaros turbatura hostes essent. Mouit omnes auctor consilij, qui & re consilium exsecuturus erat. Biduum in apparatu morati, tertio die C. nauibus, quarum LXX. tectæ, ceteræ apertæ, minoris omnes formæ erant, profecti Phocæam petierunt. inde cum audisset appropinquare iam Romanam classem rex, quia non interfuturus nauali certamini erat: Magnesiam quæ ad Sipylum est, concessit ad terrestres copias com- B parandas. classis ad Cyssuntem portum Erythræorum, tanquam ibi aptius exspectatura hostem, contendit. Romani vbi primum aquilones (ij namque per aliquot dies tenuerant) cecidere, ab Delo Phanas, portum Chiorum in Ægeum mare versum, petunt. inde ad vrbem circumegere naues, commeatúque sumto, Phocæam traiiciunt. Eumenes Elæam ad suam classem profectus, paucis post inde diebus cum quatuor & viginti nauibus tectis, apertis pluri- C bus, paulo à Phocæa ad Romanos, parantes instruẽtésque se ad nauale certamen, rediit. Inde C. quinquaginta tectis nauibus, apertis fermè L. profecti, primo aquilonibus transuersis cum vrgerentur in terram, cogebantur tenui agmine prope in ordinem singulæ naues ire: deinde vt lenita paulum vis venti est, ad Corycum portum, qui super Cyssuntem est, conati sunt traiicere. Polyxenidas, vt appropinquare hostes allatum est, occasione pugnandi lætus, sinistrum ipse cornu in altum extendit, D dextrum cornu præfectos nauium ad terram explicare iubet: & æqua fronte ad pugnam procedebat. Quod vbi vidit Romanus, vela contrahit, malosque inclinat, & simul armamenta componens opperitur, insequentes naues. Iam fermè triginta in fronte erant: quibus vt æquaret læuũ cornu, dolonibus erectis altum petere intendit: iussis, qui sequebantur, aduersus dextrum cornu prope terram proras dirigere. Eumenes agmen cogebat: ceterum vt demendis armamentis tumultuari primum cœ- E ptum est, & ipse quanta maxima celeritate potest, concitat naues. Iam omnibus in conspectu erant, duæ Punicæ naues antecedebant Romanam classẽ. quibus obuiæ tres fuerunt regię naues: & vt in numero impari, duæ regiæ vnam circumsistunt. & primum ab vtroque latere remos detergunt. deinde transcendunt armati, & deiectis cæsisque propugnatoribus, nauem capiunt. Vna, quę compari marte concurrerat, postquam captam alteram nauem vidit, priusquam à tribus simul circumueniretur, F retro ad classem refugit. Liuius indignatione accensus, prætoria naue in hostes tendit. aduersus quam eadem spe duæ, quæ Punicam vnam nauem circumuenerant, cum inferrentur, demittere in aquam remos ab vtroque latere remiges stabillendæ nauis caussa iussit, & in aduenientes hostium naues ferreas manus iniicere: & vbi pugnam pedestri similem fecisset, meminisse Romanæ virtutis, nec pro viris ducere regia mancipia. Haud paulo facilius, quàm ante duæ vnam, tunc vna duas naues G expugnauit, cepitque. Et iam classes quoque vndique concurrerant, & passim permistis nauibus pugnabatur. Eumenes, qui extremus cõmisso certamine aduenerat, vt animaduertit læuum cornu hostiũ ab Liuio turbatum, dextrum ipse, vbi æqua pugna erat, inuadit. Nec ita multo post primum ab lęuo cornu fuga cœpit. Polyxenidas enim vt virtute militum haud dubiè superari se vidit, sublatis dolonibus effusè fugere intendit. mox idem & qui

prope terram cum Eumene contraxerāt certamen,
fecerunt. Romani & Eumenes, quoad sufficere re-
miges potuerunt, & in spe erant extremi agminis
vexandi, satis pertinaciter secuti sunt. posteaquam
celeritate nauium, vtpote leuium, suas commeatu
onustas eludi frustra tendentes viderunt, tandem
substiterunt, XIII. captis nauibus cum milite ac re-
mige, X. demersis. Romanæ classis vna Punica nauis
in primo certamine ab duabus circumuenta periit.
Polyxenidas non prius quam in portu Ephesi fugæ
finem fecit. Romani eo die, vnde egressa regia clas-
sis erat, manserunt: postero die hostem persequi in-
tenderunt. Medio ferè incursu obuiæ fuere iis V. &
XX. tectæ Rhodiæ naues, cum Pausistrato præfecto
classis. Iis adiunctis Ephesum hostē persecuti, ante
ostium portus acie instructa, steterunt. Posteaquam
confessionē victis satis expresserunt, Rhodij & Eu-
menes domos dimissi, Romani Chium petentes,
Phœnicuntem primum portū Erythrææ terræ præ
tervecti, nocte anchoris iactis, postero die in insulā
ad ipsam vrbem traiecerūt. vbi paucos dies remige
maximè reficiendo morati, Phocæam transmittunt.
ibi relictis ad præsidium vrbis IIII. quinqueremi-
bus, ad Cannas classis venit, & cum iam hyems ap-
peteret, fossa vallóque circundatis naues subductæ.
Exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati
sunt Coss. L. Cornelius Scipio, & C. Lælius, intuen-
tibus cūctis ad finiēdū cum Antiocho bellum poste-
ro die Prr. creati, M. Tuccius, L. Aurunculeius, Cn.
Fuluius, L. Æmylius, P. Iunius, C. Attinius Labeo.

DECADIS QVARTAE
LIBER VII.

LVcio Cornelio Scipione, & C. Lælio
Coss. nulla prius secundum regiones a-
cta in senatu res est, quàm de Ætolis.
& legati eorum institere, quia breuem in-
duciarum diem habebant, & ab T. Quintio, qui tum
Romam ex Græcia redierat, adiuti sunt. Ætoli, vt
quibus plus in misericordia senatus, quam in caussa
spei esset, suppliciter egerunt, veteribus benefactis
noua pensantes maleficia ceterum & præsentes in-
terrogationibus vndique senatorum confessionem
magis noxæ, quam responsa exprimentium fatiga-
ti sunt: & excedere curia iussi, magnum certamen
præbuere. Plus ira quàm misericordia in caussa eo-
rum valebat: quia non vt hostibus modo, sed tan-
quam indomitæ & insociabili genti succensebant
Per aliquot dies cum certatū esset, postremo neque
dari neque negari pacem placuit. duæ conditiones
eis latæ sunt, vel senatui liberum arbitrium de se
permitterent, vel mille talentum darent, eosdémq;
amicos atque inimicos haberent. Exprimere cupi-
entibus, quarum rerum in se arbitrium senatui
permitterent, nihil certi responsum est. ita infecta
pace dimissi, vrbe eodem die, Italia intra XV. dies
excedere iussi. Tum de consulum prouinciis cœptum
est agi ambo Græciam cupiebant multum Lælius
in senatu poterat. Is cùm senatu aut sortiri aut
comparare inter se prouincias consules iussisset e-
legantius facturos dixit, si iudicio patrum, quam si
sorti eam rem permisissēt Scipio responso ad hoc
dato, cogitaturum quid sibi faciendum esset. cum
fratre vno locutus: iussúsque ab eo permittere au-
dacter senatui, renuntiat collegæ, facturum se quod

A is censeret. Cum res aut noua aut vetustate exem-
plorum memoriæ iam exoletæ, relata, exspectatio-
ne certaminis senatum erexisset, P. Scipio Africa-
nus dixit, si L. Scipioni fratri suo prouinciam Græ-
ciam decreuissent, se legatum iturum. Hęc vox ma-
gno assensu audita sustulit certamen. Experiri libe-
bat, vtrum plus regi Antiocho in Annibale victo,
an in victore Africano Cos. legionibusque Roma-
nis auxilij foret, ac propè omnes Scipioni Græciā,
Lælio Italiā decreuerunt. Prr. inde prouincias sor-
B titi, L. Aurunculeius vrbanam, Cn. Fuluius peregri-
nam, L. Æmylius Regillus classem, P. Iunius Brutus
Tuscos, M. Tuccius Apuliam & Brutios, C. Atinius
Siciliam. Consuli deinde, cui Gręcia prouincia de-
creta erat, ad eum exercitum, quē à M. Acilio (duæ
autē legiones erant) accepturus esset, in supplemē-
tum addita peditum ciuium Romanorum tria milia,
lia, equites cētum, & sociūm Latini nominis quin-
que millia, equites C C. & adiectum, vt cum in pro-
C uinciā venisset, si è repub. videretur esse, exercitum
in Asiam traiiceret Alteri Cos. totus nouus exerci-
tus decretus, duæ legiones Romanæ, & sociūm La-
tini nominis XV. millia peditum, equites sexcenti.
Exercitum ex Liguribus Q. Minutius (iam enim cō-
fectam pr uinciam scripserat, & Ligurum omne
nomen in deditionem venisse) traducere in Boios,
& P. Cornelio Procos. tradere iussus. Ex agro quo
victos bello mulctauerat Boios, deductæ vrbanæ,
legiones, quæ priore anno cōscriptę erant, M. Tuc-
cio Pr. datæ, & sociūm Latini nominis peditum
XV. milia equites sexcenti, ad Apuliam Brutiosq;
D obtinendos. A. Cornelio superioris anni P. qui Bru-
tios cum exercitu obtinuerat, inperatum, si ita con-
suli videretur, vt legiones in Ætoliam traiectas
M. Acilio traderet, si is manere ibi vellet, si Acilius
redire Romam mallet, vt A. Cornelius cum eo ex-
ercitu in Ætolia remaneret. C. Atinium Labeo-
nem prouinciam Siciliam exercitumq; à M. Æmy-
lio accipere placuit, & in supplementum scribere
ex ipsa prouincia, si vellet, peditū duo millia, & cen-
tū equites. P. Iunius Brutus in Tuscos exercitu no-
E uum, legionem vnā Romanam, & decem millia so-
ciūm Latini nominis scribere, & quadringentos e-
quites: L. Æmylius, cui prouincia maritima erat, vi-
ginti naues longas, & socios nauales à M. Iunio Pr.
superioris anni accipere iussus, & scribere ipse mil-
le nauales socios, duo millia peditū. cum iis naui-
bus militibusque in Asiam proficisci, & classem à
C. Liuio accipere. Duas Hispanias Sardiniámque
obtinentibus prorogatum in annum imperium est,
F & iidem exercitus decreti: Siciliæ Sardiniæque binę
eo anno decimæ frumenti imperatæ. Siculum om-
ne frumentum in Ætoliam ad exercitum portari
iussum: ex Sardinia pars Romam, pars in Ætoliam,
eodem quo Siculum. Priusquam Coss. in prouin-
cias proficiscerentur, prodigia per pontifices pro-
curari placuit. Romæ Iunonis Lucinę templum de
cœlo tactum erat, ita vt fastigium valuæque de-
formarentur. Puteolis pluribus locis murus, & por-
G ta fulmine icta, & duo homines examinati. Nur-
siæ sereno satis constabat nimbum ortum, ibi
quoque duos liberos homines exanimatos. Terra
apud se pluisse Thusculani nuntiabant, & Rea-
tini mulam in agro suo peperisse. Ea procurata, La-
tinæque instauratæ, quod Laurentibus carnis quæ
dari deberet data non fuerat. Supplicatio quoque
earum religionum caussa fuit, quibus diis decem-
uiri ex libris vt fieret, ediderunt. decem ingenui,
decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id
sacrificiū adhibiti, & decemuiri nocte lactentib. rem
diuinam

diuinam fecerunt. P. Cornelius Scipio Africanus, A priusquam proficisceretur, fornicem in Capitolio aduersus viam qua in Capitolium ascenditur, cum signis septem auratis, duobus equis, & marmorea duo labra ante fornicem posuit. Per eosdem dies principes Ætolorum tres & XL. inter quos Damocritus & frater eius erat, ab duabus cohortibus missis à M. Acilio Romam deducti, & in Latomias coniecti sunt. cohortes inde ad exercitum redire L. Cornelius Cos. iussit Legati ab Ptolemęo & Cleopatra B regibus Ægypti. gratulantes quod M. Acilius Cos. Antiochum regem Græcia expulisset, venerunt, adhortantesque vt in Asiam exercitum traiicerent. omnia perculsa metu non in Asia modo, sed etiam in Syria esse. reges Ægypti ad ea quæ censuisset senatus, paratos fore. Gratiæ regibus actæ, legatis munera dari iussa, in singulos quaternum milliū æris. L. Cornelius Cos. peractis quæ Romæ agenda erāt, pro concione edixit, vt milites quo ipse in supplementum scripsisset, quíque in Brutiis cum A. Cornelio proprætore essent: vt hi omnes Idibus Quin- C tilibus Brundusium conuenirent. item tres legatos nominauit, Sex. Digitium, L. Apustium, C. Fabriciū Luscinum, qui ex ora maritima vndique naues Brundusium contraherent, & omnibus iam paratis, paludatus ab vrbe est profectus. Ad V. millia voluntariorum ex Romanis sociisque, qui emerita stipēdia sub imperatore P. Africano habebant, presto fuere exeunti Cos. & nomina dederunt. Per eos dies, quibus est profectus ad bellū Cos. ludis Apollinaribus, ad quintum Idus Quintiles cœlo sereno in- D terdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem solis subisset. Et L. Æmylius Regillus, cui naualis prouincia euenerat, eodem tēpore profectus est. L. Aurunculeio negotium ab senatu datū est, vt XXX. quinqueremes, viginti triremes faceret. quia fama erat, Antiochum post prælium nauale maiorem classem aliquanto reparare. Ætoli posteaquā legati ab Roma retulerunt, nullam spem pacis esse, quāquā omnis ora maritima eorum, quę in Peloponesum versa E est, depopulata ab Achæis erat, periculi magis quàm damni memores, vt Romanis intercluderent iter, Coracem montē occupauerunt. neque enim dubitabant, ad oppugnationem Naupacti eos principio veris redituros esse. Acilio, qui id exspectari sciebat, satius visum est inopinatā aggredi rem, & Lamiam oppugnare. nā & à Philippo prope ad excidium adductos esse, & tunc eo ipso quod nihil tale timerēt, opprimi incautos posse. Profectus ab Elatia, primū in hostium terra circa Sperchium amnem posuit F castra: inde nocte motis signis, prima luce corona mœnia est aggressus. Magnus pauor ac tumultus, vt in re improuisa fuit: constantius tamen, quàm quis facturos crederet in tam subito periculo, cum viri propugnarent, fœminę tela omnis generis saxaque in muros gererent, multifariam scalis appositis, vrbem eo die defenderunt. Acilius signo receptui dato, suos in castra medio ferme diei reduxit, & tunc cibo & quiete refectis corporibus priusquam prætorium dimitteret, denuntiauit, vt ante lucem armati paratique essent: nisi expugnata vrbe se eos in G castra non reducturum. Eodem tempore quo pridie pluribus locis aggressus, cum oppidanos iam vires, iam tela, iam ante omnia animus deficeret, intra paucas horas vrbem cepit. Ibi partem diuendita, partim diuisa præda, consilium habitum quid deinde faceret. Nemini ad Naupactum iri placuit, & occupato ad Coracem ab Ætolis saltu ne tamen segnia æstiua essent, & Ætoli non impetrātam pacem ab senatu nihilominus per suam cunctationem haberent, oppugnare Acilius Amphissam statuit, ab Heraclea, per Oetam exercitus eò ductus. Cum ad mœnia castra posuisset, non corona, sicut Lamiam, sed operibus oppugnare vrbem est adortus. Pluribus simul locis aries admouebatur: & cum quaterentur muri, nihil aduersus tale machinationis genus parare, aut comminisci oppidani conabantur. omnis spes in armis & audacia erat: eruptionibúsque crebris & stationes hostium, & eos ipsos qui circa opera & machinas erant, turbabant. Multis tamen locis murus decussus erat, cum allatum est, successorem Apolloniæ exposito exercitu, per Epirum ac Thessaliam venire. Cum XIII. millibus peditum & quingentis equitibus Cos. veniebat. Iam in sinum Maliacum venerat: & præmissis Hypatā, qui tradere vrbem iuberent, posteaquam responsum est, nihil nisi ex communi Ætolorum decreto facturos, ne tenere se opugnatio Hypatæ, nondum Amphissa recepta, præmisso fratre Africano Amphissam ducit. Sub aduentum eorum oppidani relicta vrbe (iam enim magna ex parte nudata mœnibus erat) in arcem, quam inexpugnabilem habent, omnes armati atq. inermes cōcessere. Cos. sex millia fermè passuū inde posuit castra. eo legati Atheniēses primum ad P. Scipionem pręgressum agmen (sicut ante dictum est) deinde ad Cos. venerunt, deprecantes pro Ætolis, Clementius responsum ab Africano tulerunt, qui caussam relinquēdi honestè Ætolici belli quærēs, Asiā & regē Antiochū spectabat: iussérátq. Athenienses non Romanis solum, vt pacem bello præferrent, sed etiam Ætolis persuadere. Celeriter auctoribus Atheniensibus frequens ab Hypata legatio Ætolorū venit, & spē pacis eis sermo etiam Africani, quem priorem adierunt, auxit: commemorantis multas gentes populósque in Hispania prius, deinde in Africa in fidem suā venisse, in omnibus se maiora clementiæ benignitatisque, quam virtutis bellicæ monumenta reliquisse. Perfecta videbatur res, cum aditus Cos. idem illud responsum retulit, quo fugati ab senatu fuerant. Eo tanquam nouo cùm icti Ætoli essēt (nihil enim nec legatione Atheniensium, nec placido Africani responso profectum videbant) referre ad suos dixerūt velle. Reditum inde Hypatam est, nec consiliū expediebatur. Nā neque vnde mille talentum daretur, erat: & permisso libero arbitrio, ne in corpora sua saeuiretur, metuebant, redire itaque eosdem legatos ad Cos. & Africanum iusserunt, & petere vt si dare vere pacem, non tantum ostendere, frustrantes spē miserorum vellent: aut ex summa pecuniæ demerent, aut permissionem extra ciuium corpora fieri iuberent. nihil impetratum vt mutaret Cos. & ea quoque irrita legatio dimissa est. Secuti & Athenienses sunt: & princeps legationis eorum Echedemus fatigatos tot repulsis Ætolos, & complorantes inutili lamentatione fortunam gentis, ad spē reuocauit, auctor inducias sex mensiū petendi, vt legatos Romam mittere possent. dilationem nihil ad præsentia mala, quæ vltima essent, adiecturam, leuari permultos casus tempore interposito præsentes clades posse. Auctore Echedemo iidem missi, prius P. Scipione conuento, per eum inducias temporis eius quod petebant, à Cos. impetrauerunt. & soluta obsidione Amphissæ, M. Accilius tradito cōsuli exercitu prouincia decessit. & Cos. ab Amphissa Thessaliam repetit, vt per Macedoniam Thraciámque duceret in Asiam. Tum Africanus fratri: Iter quod insistis L. Scipio, ego quoque approbo, sed totum id vertitur in voluntate Philippi. qui si imperio nostro fidus est, & iter, & commeatus, &

omnia quæ in longo itinere exercitus alant iuuát- que, nobis suppeditabit. si is destituat, nihil per Thraciam satis tutum habetis. itaque prius regis animum explorari placet: optimè explorabitur, si nihil ex præparato agentem opprimet qui mittetur. T. Sempronius Gracchus longè tum acerrimus iuuenum ad id delectus, per dispositos equos prope incredibili celeritate ab Amphissa (inde enim est dimissus) die tertio Pellam peruenit. In conuiuio rex erat, & in multum vini processerat. ea ipsa remissio animi suspicionem dempsit, nouare eum quicquam velle. Et tum quidem comiter acceptus hospes, postero die commeatus exercitui paratos benigne, pontes in fluminibus factos, vias, vbi transitu difficiles erant, munitas vidit. Hæc referens, eadem qua ierat celeritate Thaumacis occurrit consuli. Inde certiore & maiore spe lætus exercitus ad præparata omnia in Macedoniam peruenit. Venientes regio apparatu accepit, & prosecutus est rex. Multa in eo & dexteritas & humanitas visa, quæ commendabilia apud Africanum erant, virum sicut ad cetera egregium, ita è comitate, quæ sine luxuria esset, non auersum. Inde non per Macedoniá modo, sed etiam Thraciam prosequente & præparante omnia Philippo, ad Hellespontum peruentum est. Antiochus post naualem ad Coricum pugnam, cum totam hyemem liberam in apparatus terrestres maritimosque habuisset, classi maximè reparandæ, ne tota maris possessione pelleretur, intentus fuerat. Succurrebat, superatum se cũ classis abfuisset Rhodiorum, quod si ea quoque (nec commissuros Rhodios vt iterum morarentur) certamini adesset, magno sibi nauium numero opus fore, vt viribus & magnitudine classem hostium æquaret. Itaque & Annibalem in Syriam miserat ad Phœnicum accersendas naues: & Polyxenidam, quo minus prospere gesta res erat, eo enixius & eas quæ erant, reficere: & alias parare naues iussit. Ipse in Phrygia hybernauit. Vndique auxilia accersens, etiam in Gallogræciam miserat. Bellicosiores ea tempestate erant, Gallicos adhuc, nondum exoleta stirpe gentis, seruantes animos. Filium Seleucũ in Æolide reliquerat cum exercitu ad maritimas continendas vrbes, quas illinc à Pergamo Eumenes, hinc à Phocæa Erythrisque Romani solicitabant. Classis Romana, sicut ante dictum est, ad Canas hybernabat. eo media fermè hyeme rex Eumenes cum duobus millibus peditum, equitibus octingentis venit. Is cum magnã prædam agi posse dixisset ex hostium agro, qui circa Thyatira esset, hortando perpulit Liuiũ, vt quinque millia militum secum mitteret. missi ingentem prædá intra paucos dies auerterunt. Inter hæc Phocææ seditio orta, quibusdam ad Antiochum multitudinis animos auocantibus. Grauia hyberna nauium erant, graue tributum, quod togæ quingentæ imperatæ erant cum quingentis tunicis. grauis etiam inopia frumenti, propter quam naues quoque, & præsidium Romanum excessit. tum verò liberata metu factio erat, quæ plebem in concionibus ad Antiochum trahebat. senatus & optimates in Romana societate perstandum censebant, defectionis auctores plus apud multitudinem valuerunt. Rhodij, quo magis cessatum priore æstate erat, eo maturius æquinoctio verno eundem Pausistratum classis præfectum cũm sex & triginta nauibus miserũt. Iam Liuius à Canis cũ XXX. nauibus & VIII. quadriremibus, quas secum Eumenes rex adduxerat, Hellespontum petebat, vt ad transitum exercitus, quem terra venturum opinabatur, præpararet, quæ opus essent. In portum, quem vocant Achæo-

A rum, classem primum aduexit, inde Ilium ascendit, sacrificioque Mineruæ facto, legationes finitimas ab Eleunte & Dardano & Rhœteo, tradentes in fidem ciuitates suas, benignè audiuit. inde ad Hellespóti fauces nauigat: & decem nauibus in statione contra Abydum relictis, cætera classe in Europá ad Seston oppugnandam traiecit. Iam subeuntibus armatis muros fanatici Galli primum cum solemni habitu ante portá occurrunt, iussu se matris deum famulos deæ venire memorant, ad precandum Ro- B manum, vt parceret mœnibus, vrbique. Nemo eorũ violatus est, mox vniuersus senatus cũ magistratib. ad dedendam vrbem processit. Inde Abydum traiecta classis. vbi cum tentatis per colloquia animis nihil pacati responderetur, ad oppugnationem sese expediebant. Dum hæc in Hellesponto geruntur Polyxenidas regius præfectus (erat autẽ exsul Rhodius) cum audisset profectam ab domo popularium suorum classem, & Pausistratum præfectum superbè quædam & contemtim in se concionantem di- C xisse, præcipuo certamine animi aduersus eum sumto, nihil aliud dies noctésque agitabat animo quam vt verba magnifica eius rebus confutaret. Mittit ad eum hominem & illi notum, qui diceret, & se Pausistrato patriæque suæ magno vsui, si liceat, fore, & à Pausistrato se restitui in patriam posse. Cum quonam modo ea fieri possent, mirabũdus Pisistratus percunctaretur, fidem petenti dedit agendæ cómuniter rei aut silentio tegendæ. Tum internuntius aperit, regiam classem aut totam aut maiorem D eius partem Polyxenidam traditurum ei. pretium tanti meriti nullum aliud pacisci, quàm reditum in patriam. Magnitudo rei, nec vt crederet, nec vt aspernaretur dicta, effecit. Panormum Samiæ terræ petit, ibique ad explorandam rem, quæ oblata erat, subsistit. Vltro citróque nuntij cursare, nec fides ante Pausistrato facta est, quàm coram nuntio eius Polyxenidas sua manu scripsit, se ea quæ pollicitus esset, facturum: signóque suo impressas tabellas misit. eo verò pignore velut auctoratum sibi prodito- E rem ratus est. neque enim eum, qui sub rege viueret, commissurũ fuisse, vt aduersus semetipsum indicia manu sua testata daret. Inde ratio simulatæ proditionis composita. Omnium se rerum apparatum omissurum, Polyxenidas dicere: non remigem, non socios nauales ad classem frequentes habiturum: subducturum per simulationem reficiendi quasdam naues, alias in propinquos portus dimissurum, paucas ante portum Ephesi in salo habiturũ: quas, si exire res cogeret, obiecturus certamini fo- F ret. Quam negligentiam Polyxenida in classe sua habiturum Pausistratus audiuit, eam ipse extemplo habuit. partem nauium ad commeatus accersẽdos Halicarnassum, partem Samum ad vrbem misit, vt paratus esset, cum signum aggrediendi à proditore accepisset. Polyxenidas augere simulando errorem subducit quasdá naues alias velut subducturus esset, naualia reficit. remiges ex hybernis. non Ephesum accersit, sed Magnesiam occultè cogit. Forte quidam Antiochi miles, cum Samum rei priuatæ G caussa venisset, pro speculatore cóprehensus, deducitur Panormum ad præfectum. is percunctanti quid Ephesi ageretur, incertum metu, an erga suos haud syncera fide, omnia aperit, classem instructam paratámque in portu stare; remigiúmque omne Magnesiam ad Sipylum missum: perpaucas naues subductas esse, & naualia tegi, nunquam intentius rem naualem administratam esse. Hæc ne pro veris audirentur, animus errore & spe vana præoccupatus fecit. Polyxenidas satis omnibus comparatis,

nocte

nocte remige à Magnesia accersito, deductisque raptim quæ subductæ erant nauibus, cum diem non tam in apparatu absumsisset, quàm quod conspici proficiscentem classem nolebat, post solis occasum profectus LXX. nauibus tectis, vento aduerso ante lucem Pygela portum tenuit. vbi cum interdiu ob eandem caussam quieuisset, nocte in proxima Samiæ terræ traiecit. Hinc Nicandro quodam archipirata cum quinque nauibus tectis Palinurum iusso petere, atque inde armatos, quà proximum per agros iter esset, Panormum ad tergum hostium ducere, ipse interim classe diuisa, vt ex vtraque parte fauces portus teneret, Panormũ petit. Pausistratus primo, vt in re nec opinata, turbatus parumper, deinde vetus miles celeriter collecto animo, terra melius arceri quam mari hostes posse ratus, armatos duobus agminibus ad promontoria, quæ cornibus obiectis ab alto portum faciunt, ducit: inde facilè telis ancipitibus hostem summoturus. id inceptum eius Nicander à terra missus cum turbasset, repentè mutato consilio, naues conscendere omnes iubet. Tum verò ingens pariter militum nautarúmque trepidatio orta, & veluti fuga in naues fieri, cum se mari terráque simul cernerent circumuentos. Pausistratus vnam viam salutis esse ratus, si viam facere per fauces portus, atque erumpere in mare apertum posset: posteaquam consecutos suos vidit, sequi ceteris iussis, ipse princeps concitata naue remis ad ostium portus tendit. Superantem iam fauces nauem eius, Polyxenidas tribus quinqueremibus circumsistit. Nauis rostris icta supprimitur, telis obruuntur propugnatores, inter quos & Pausistratus impigrè pugnans interficitur. Nauium reliquarum ante portum aliæ, aliæ in portu deprehensæ: quædam à Nicandro, dum moliuntur à terra, captæ. Quinque tantum Rhodiæ naues cum duabus Cois effugerunt, terrore flammæ micantis via sibi inter confertas naues facta. contis enim binis à prora prominentibus trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant. Erythrææ triremes, cum haud procul à Samo Rhodiis nauibus, quibus vt essent præsidio veniebant, obuiæ fugientibus fuissent, in Hellespontum ad Romanos cursum auerterunt. Sub idem tempus Seleucus proditam Phocæam porta vna per custodes aperta recepit, & Cymæ aliæque eiusdem oræ vrbes ad eum metu defecerunt. Dum hæc in æolide geruntur, Abydus cum per aliquot dies obsidionem tolerasset, præsidio regio tutante mœnia, iam omnibus fessis, Philota quoque præfecto præsidij permittente, magistratus eorum cum Liuio de conditionibus tradendæ vrbis agebant. rem destinebat, quod vtrum armati, an inermes emitterentur regij, parum conueniebat. Hæc agentibus cum interuenisset nuntius Rhodiorum cladis, emissa de manibus res est. metuens enim Liuius, ne successu tantæ rei elatus Polyxenidas, classem quæ ad Canas erat, opprimeret, Abydi obsidione, custodiáque Hellesponti extemplo relicta, naues quæ subductæ Canis erant, deduxit. Et Eumenes Eleam venit. Liuius omni classe, cui adiunxerat triremes duas Mitylenæas, Phoceam petit. quam cum teneri valido regio præsidio audisset, nec procul Seleuci castra esse, depopulatus maritimam oram, & præda maximè hominum raptim in naues imposita, tantum moratus, dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit. Rhodiis primo audita clades simul pauorẽ, simul luctum ingentem fecit. nam præter nauium militumque iacturam, quod floris, quod roboris in iuuentute fuerat, amiserant: multis nobilibus secu-

A tis inter cetera auctoritatem Pausistrati, quæ inter suos merito maxima erat. deinde quod fraude capti, quod à ciue potissimum suo forent, in iram luctus vertit. Decem extemplo naues, & diebus post paucis decem alias profecto omnium Eudamo miserunt, quem aliis virtutibus bellicis haudquaquá Pausistrato parẽ, cautiorem, quo minus animi erat, ducem futurum credebant. Romani & Eumenes
B rex in Erythræam primum classem applicuerunt. ibi noctem vnam morati, postero die Corycum Teiorum promontorium tenuerunt. inde cum in proxima Samiæ vellent traiicere, nó exspectato solis ortu, ex quo statum cœli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt. medio in cursu aquilone in septentrionem verso, exasperato fluctibus mari iactari cœperunt. Polyxenidas Samum petituros ratus hostes, vt se Rhodiæ classi coniungerent, ab Epheso profectus primo ad Myonnesum
C stetit, inde ad Macrin (quam vocant) insulam traiecit: vt præteruehentis classis si quas aberrantes ex agmine naues posset, aut postremum agmen opportunè adoriretur. Posteaquam sparsam tempestate classem vidit, occasionem primo aggrediendi ratus, paulo post increbrescẽte vento, & maiores iam voluente fluctus. quia peruenire se ad eos videbat non posse, ad Æthaliam insulam traiecit, vt inde postero die Samũ ex alto petentes naues aggrederetur. Romani pars exigua, primis tenebris portum Samiæ desertum tenuerunt: classis cetera noctem totam
D in alto iactata in eundem portum decurrit. Ibi ex agrestibus cognito, hostium naues ad Æthaliam stare, consilium habitum, vtrum extemplo decernerent, an Rhodiam exspectarent classem. dilata re (ita enim placuit) Corycum, vnde venerant, traiecerunt. Polyxenidas quoque cum frustra stetisset, Ephesum rediit. Tum Romanæ naues vacuo ab hostibus mari Samum traiecerunt. Eodem & Rhodia classis post dies paucos venit. Quá vt exspectatam esse appareret, profecti extemplo sunt Ephesum, vt
E aut decernerent naualí certamine, aut si detrectaret hostis pugnam, quod plurimum interat ad animos ciuitatum, timoris confessionem exprimerent. Contra fauces portus instructa in frontẽ nauium acie stetere. posteaquam nemo aduersus ibat, classe diuisa, pars in salo ante hostium portus in ancoris stetit, pars in terram milites exposuit. In eos iam ingentẽ prædam late depopulato agro agentes, Andronicus Macedo, qui in præsidio Ephesi erat, iam mœnibus appropinquantes, eruptionem fecit, exutosque ma-
F gna parte prædæ, ad mare ac naues redegit. Postero die insidiis medio fermè viæ positis, ad eliciendum extra mœnia Macedonem Romani ad vrbẽ agmine iere. inde, cum ea ipsa suspicio, ne quis exiret, deterruisset, redierunt ad naues: & terra marique fugientibus certamen hostibus, Samũ, vnde venerat, classis repetit. inde duas sociorum ex Italia, duas Rhodias triremes cum præfecto Epicrate Rhodiorum ad fretum Cephaleniæ tuendum præmisit. Infestum id latrocinio Lacedæmonius Hybristas cum iuuentu-
G te Cephalenum faciebat: clausumque iá mare commeatibus Italicis erat. Piræei L. Æmylio Regyllo succedẽti ad nauale imperiũ Epicrates occurrit, qui audita clade Rhodiorum, cũ ipse duas tantum quinqueremes haberet, Epicraten cum quatuor nauibus in Asiam secum reduxit. prosecutæ etiam apertæ Atheniensium naues sunt. Ægeo mari traiecit Eodem Timasicrates Rhodius cũ duabus quadriremibus ab Samo, nocte intempesta venit, deductusque ad æmyliũ, præsidij caussa se missum ait, quod eam oram maris infestá onerariis regiæ naues ex-

A cursionibus crebris ab Hellespõto atque Abydo facerent. Traiicienti Æmylio à Chio Samum duæ Rhodiæ quadriremes missæ obuiam à Liuio, & rex Eumenes cum duabus quinqueremibus occurrit. Samũ posteaquã ventũ est, accepta à Liuio classe, & sacrificio, vt assolet, rite facto, Æmylius concilium aduocauit. Ibi C. Liuius (is enim est primus rogatus sententiam) neminem fidelius dare posse concilium dixit, quàm eum, qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit. B Se in animo habuisse tota classe Ephesum petere, & onerarias ducere multa saburra grauatas, atque eas in faucibus portus supprimere. & eo minoris molimẽti ea claustra esse, quod in fluminis modum, lõgum & angustũ & vadosum ostiũ portus sit. ita adẽpturũ se maris vsum hostib. fuisse, inutilemq. classẽ facturum. Nulli ea placere sentẽtia. Eumenes rex quæsiuit, quid tandẽ vbi demersis nauibus frenassent claustra maris: verum libera sua classe abscessuri inde forẽt ad opẽ ferendã sociis, terroremq. hostibus præbendũ? an nihilominus tota classe portũ obsessuri? C siue enim abscedãt, cui dubium esse quin hostes exacturi demersas moles sint? & minore molimento aperturi portum quàm obstruatur? sin autem manẽdum ibi nihilo minus sit, quid attinere claudi portum? Quin contra illos tutissimo portu, opulẽtissima vrbe fruẽtes, omnia Asia præbẽte, quieta statiua acturos, Romanos aperto in mari fluctibus tempestatibusque obiectos, omnium inopes in assidua statione futuros, ipsos magis alligatos impeditosque, ne quid eorum quæ agenda sint, possint agere, quàm vt hostes D clauso habeant. Eudamus præfectus Rhodiæ classis magis eam sibi displicere sententiam ostendit, quàm ipse quid censeret, faciendum dixit. Epicrates Rhodius, omissa in præsentia Epheso, mittendam nauium partem in Lyciam censuit & Patara caput gentis in societatem adiungendam in duas res magnas id vsui fore, & Rhodios pacatis contra insulam suam terris, totis viribus incumbere in vnius E belli, quod aduersus Antiochum sit, curam posse: & eam classem quæ in Lycia compararetur, intercludi, ne Polyxenidæ coniungatur. Hæc maximè mouit sententia, placuit tamen Regyllũ tota classe subire ad portum Ephesi, ad inferendum hostibus terrorem. C. Liuius cum duabus quinqueremibus Romanis, & quatuor quadriremibus Rhodiis, & duabus apertis Smyrnæis in Lyciã est missus. Rhodum prius iussus adire, & omnia cum iis communicare consilia. Ciuitates quas prætervectus est, Miletus, Myndus, Halycarnassus, Cnidus, Cous, imperata F enixè fecerunt. Rhodum vt est ventum, simul & ad quam rem missus esset, iis exposuit, & consuluit eos. Approbantibus cunctis, & ad eam quã habebat classem, assumtis tribus quadriremibus nauigat Patara. Primo secundus ventus ad ipsam vrbem ferebat eos, sperabántque subito terrore aliquid moturos, posteaquam circumagẽte se vento fluctibus dubiis volui cœptum est mare, peruicerũt quidem remis, vt tenerent terram: sed neque circa vrbẽ tuta statio erat, nec ante hostium portus in salo stare poterant, aspero mari, & nocte imminente, præ- G tervecti mœnia, portum Phœnicunta minus duûm millium spatio inde distantem petiere, nauibus à maritima vi tutum. sed altæ rupes insuper imminebant, quas celeriter oppidani assumtis regiis militibus, quos in præsidio habebant, cœperunt. Aduersus quos Liuius quanquam erãt iniqua ac difficilia ad exitus loca, Illyros auxiliares, & Smyrnæorum expeditos iuuenes misit. Ij dum missilibus primo, & aduersus paucos leuibus excursionibus, lacesse-

A batur magis quàm conserebatur pugna, sustinuerũt certamen. posteaquam plures ab vrbe affluebant, & iam omnis multitudo effundebatur, timor incessit Liuium, ne & auxiliares circumuenirentur, & nauibus etiam ab terra periculum esset. ita non milites solum, sed etiam nauales socios, remigum turbam, quibus quisque poterat telis, armatos in prælium eduxit. Tum quoque anceps pugna fuit: neque milites solũ aliquot, sed L. Apustius tumultuario prælio B cecidit. postremo tamen fusi fugatique sunt Lycij, atq. in vrbem cõpulsi. & Romani cum haud incruenta victoria ad naues redierũt. inde in Telmissicum profecti sinum, qui latere vno Cariam, altero Lyciam contingit, omissa Patara amplius tentandi spe Rhodij domum dimissi sunt, Liuius prætervectus Asiam, in Græciam transmisit: vt conuentis Scipionibus, qui tum circa Thessaliam erant, in Italiam traiiceret. Æmylius posteaquam omissas in Lycia res, & Liuium profectum in Italiã cognouit, C cum ipse ab Epheso repulsus tempestate irrito incepto Samum reuertisset, turpe ratus tentata frustra Patara esse, proficisci eo tota classe, & summa vi aggredi vrbem statuit. Miletum & ceteram oram sociorum prætervecti, in Bargylletico sinu exscensionem ad Iassum fecerunt. Vrbem regium tenebat præsidium, agrũ circa Romani hostiliter depopulati sunt. Missis deinde qui per colloquia principum & magistratuum tentarent animos, posteaquã nihil in potestate sua responderunt esse, ad vrbem oppugnandam ducit. Erant Iassensiũ exsules cũ Romanis, D ij frequentes Rhodios orare instituerunt, ne vrbem & vicinam sibi & cognatam innoxiam perire sinerent: sibi exsilij nullam aliam caussam esse, quàm fidem erga Romanos. eadem vi regiorum, qua ipsi pulsi sint, teneri eos qui in vrbe maneant: omnium Iassensium vnam mentem esse, vt seruitutem regiam effugere vellent. Rhodij moti precibus, Eumene etiam rege assumto, simul suas necessitudines commemorando, simul obsessæ regio præsidio vrbis casum mi- E serando, peruicerunt, vt oppugnatione abstineretur. Profecti inde pacatis ceteris, cum oram Asiæ legerent, Loryma (portus aduersus Rhodum est) peruenerunt. Ibi in principiis sermo primo inter tribunos militum secretus oritur, deinde ad aures ipsius Æmylij peruenit, abduci classem ab Epheso, ab suo bello, vt ab tergo liber relictus hostis in tot propinquas sociorum vrbes omnia impunè conari posset. Mouere ea Æmylium, vocatosque Rhodios cum percunctatus esset, possétne Pataris vniuersa classis F in portu stare? cum respondissent non posse, caussam nactus omittendæ rei, Samum reduxit naues. Per idem tempus Seleucus Antiochi filius cũ per omne hybernorum tẽpus exercitum in Æolide continuisset, partim sociis ferendo opem, partim quos in societatem pellicere nõ poterat, depopulandis transire in fines regni Eumenis, dum is procul à domo cũ Romanis & Rhodiis Lyciæ maritima oppugnaret, statuit. Ad Elæã primo infestis signis accessit: deinde omissa oppugnatione vrbis, agros hostiliter depopulatus, ad caput arcémq. regni Pergamum du- G cit oppugnandã. Attalus primo stationibus ante vrbem positis, & excursionibus equitũ leuisque armaturæ magis lacessebat quã sustinebat: hostẽ postremo cum per leuia certamina expertus nulla parte virium se parẽ esse, intra mœnia se recepisset, obsideri vrbs cœpta est. Eodem fermè tẽpore & Antiochus ab Apamea profectus: Sardibus primũ, deinde haud procul Seleuci castris ad caput Caici amnis statiua habuit, cũ magno exercitu misto variis ex gentibus plurimum terroris in Gallorum mercede condu-

ctis

ctis quatuor millibus erat. hos paucis admissis, ad peruastandum passim Pergamenum agrum misit. Quæ posteaquam Samum sunt nuntiata, primo Eumenes auocatus domestico bello cum classe Elæam petit: inde cum præsto fuissent equites, peditumque expediti: præsidio eorum tutus, priusquam hostes sentirent aut mouerentur, Pergamum contendit. ibi rursus leuia per excursiones prælia fieri cœpta, Eumene summæ rei discrimen haud dubiè detrectante. Paucos post dies Romana Rhodiáque classis, vt Regi opem ferrent, Elæam ab Samo venerunt. Quos vbi exposuisse copias Elææ, & tot classes in vnum cõuenisse portum Antiochum allatum est: & sub idem tempus audiuit consulem cum exercitu iam in Macedonia esse, pararique quæ ad transitum Hellesponti opus essent: tempus venisse ratus, prius quã terra mariq. simul vrgeretur, agendi de pace, tumulum quendã aduersus Elæã castris cœpit. ibi peditũ omnibus copiis relictis cũ equitatu (erant autẽ sex millia equitum) in cãpos sub ipsa Elææ mœnia descendit: misso caduceatore ad Æmylium, velle se de pace agere. Æmylius Eumene à Pergamo accito, adhibitis & Rhodiis, consiliũ habuit. Rhodij haud aspernari pacem. Eumenes nec honestum esse dicere, eo tẽpore de pace agi: nec exitum rei imponi posse. Qui enim, inquit, aût honestè inclusi mœnibus, & obsessi velut leges pacis accipiemus? aut cui rata ista pax erit, quam sine consule non ex auctoritate senatus, nõ iussu populi Rom. peregerimus? Quæro enim, pace per te facta, rediturúsne extemplo in Italiam sis? classem exercitumque deducturus? an exspectaturus quid de ea re consuli placeat? quid senatus censeat? aut populus iubeat? Restat ergo vt maneas in Asia, & rursus in hyberna copiæ reductæ, omisso bello, exhauriant commeatibus præbendis socios, deinde, si ita visum sit iis, penes quos potestas fuerit, instauremus nouum de integro bellum, quod possumus, si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, ante hyemem diis volentibus perfecisse. Hæc sententia vicit: responsúmque Antiocho est, ante consulis aduentum de pace agi non posse. Antiochus pace nequicquam tentata, vastatis Elæensium primum, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, Adramytteum hostiliter itinere facto petit: agrum opulentum, quem vocant Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum. neque alio vllo loco Asiæ maior regiis militibus parta est præda. Eodem Adramytteum, vt vrbi præsidio essent, nauibus circumuecti Æmylius & Eumenes venerunt. Per eosdem fortè dies Elæam ex Achaia mille pedites cum centum equitibus, Diophane omnibus his copiis præposito, accerserunt: quos egressos nauibus obuiam missi ab Attalo nocte Pergamum deduxerunt, veterani omnes & periti belli erant, & ipse dux Philopœmenis, summi tum omnium Græcorum imperatoris, discipulus: qui biduum simul ad quietem hominum equorumque, & ad visendas hostium stationes, quibus locis temporibusque accederent, reciperéntque sese, sumpserunt. Ad radices ferè collis in quo posita est vrbs, regij succedebãt: ita libera ab tergo populatio erat, nullo ab vrbe ne in stationes quidem, qui procul iacularetur, excurrente. postquam semel cõpulsi metu se mœnibus incluserunt, contemtus eorũ, & inde negligentia apud regios oritur. non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos: paucis ad arma & ordines relictis, dilapsi ceteri sparserãt se toto passim cãpo: pars in iuueniles lusus lasciuiámque versi, pars vescentes sub vmbra, quidã somno etiam strati. Hæc Diophanes ex alta vrbe Pergamo contemplatus, arma suos capere, & ad portam præsto esse iubet: ipse Attalum adit, & in animo sibi esse dixit hostium stationem tentare. Ægrè id permittẽte Attalo, quippe qui centũ equitibus aduersus trecentos, mille peditibus cum quatuor millib. pugnaturum cerneret: porta egressus, haud procul statione hostiũ occasionẽ opperiens cõsedit. Et qui Pergami erant, amentiam magis quã audaciã credere esse: & hostes paulisper in eos versi, vt nihil moueri viderũt, nec ipsi quicquã ex solita negligentia, insuper etiam eludentes paucitatem, mutarunt. Diophanes quietos aliquandiu suos, velut ad spectaculum modo eductos, continuit: posteaquam dilapsos ab ordinibus hostes vidit, peditibus quantum accelerare possent, sequi iussis, ipse princeps inter equites cum turma sua quantum potuit effusissimis habenis, clamore ab omni simul pedite atque equite sublato stationem hostium improuiso inuadit. Non homines solum, sed equi etiam territi, cum vincula abrupissent, trepidationem & tumultum inter suos fecerunt. pauci stabant impauidi equi: eos ipsos nõ sternere, nõ infrenare aut ascẽdere facile poterant: multo maiorem quàm pro numero equitũ terrorẽm Achæis inferentibus: pedites verò ordinati & præparati sparsos per negligentiã, & semisomnes propè adorti sunt. cædes passim fugáq. per cãpos facta est: Diophanes secutus effusos quoad tutũ fuit, magno Achæorum genti decore parto, (spectauerant enim è mœnibus Pergami non viri modo, sed fœminæ etiam in præsidiũ vrbis rediit. Postero die regiæ magis compositæ & ordinatæ stationes quingentis passibus longius ab vrbe posuerunt castra: & Achæi eodem fermè tempore atque in eundẽ locum processerunt. Per multas horas intẽti vtrinque velut iam futurũ impetũ exspectauere: posteaquã haud procul occasu solis redeũdi in castra tẽpus erat, regij signis collatis abire agmine ad iter magis quã ad pugnã cõposito cœpere. Quieuit Diophanes, dũ in cõspectu erãt: deinde eodẽ quo pridie impetu in postremum agmen incurrit, tantúmq. rursus pauoris ac tumultus incussit, vt cum terga cæderẽtũr, nemo pugnãdi caussa restiterit: trepidantésque, & vix ordinẽ agminis seruantes, in castra cõpulsi sunt. Hæc Achæorum audacia Seleucũ ex agro Pergameno mouere castra coegit. Antiochus posteaquam Romanos & Eumenem ad tuendum Adramytteum venisse audiuit, ea quidem vrbe abstinuit, depopulatus agros. Peræam inde coloniam Mitylenæorum expugnauit. Cotton & Corylenus & Aphrodisias & Prienne primo impetu captæ sunt. inde per Thyatira Sardeis rediit. Seleucus in maritima ora permanens, aliis terrori, aliis præsidio erat. Classis Romana cum Eumene Rhodiisque Mitylenem primo, inde retro vnde profecta erat, Elæam rediit. Inde Phocæam petentes, ad insulam quã Bacchium vocant. (imminet vrbi Phocænsium) appulerunt, & quibus ante abstinuerãt tẽplis signisque (egregiè autem exornata insula erat) cum hostiliter diripuissent ad ipsam vrbẽm trãsmiserunt. eã diuisis inter se partibus cũ oppugnarẽt & viderent sine operibus armis, scalisque capi nõ posse: missum ab Antiocho præsidiũ trium millium armatorũ cum intrasset vrbem, extemplo oppugnatione omissa, classis ad insulam se recepit: nihil aliud quã depopulato circa vrbẽ hostium agro. Inde placuit Eumenem domum dimitti, & præparare consuli atq. exercitui quę ad transitũ Hellesponti opus essent: Romanã Rhodiámq. classem redire Samum, atque ibi in statione esse, ne Polyxenidas ab Epheso moueret. Rex Elæam, Romani & Rhodij Samum redierunt. Ibi M. Æmylius frater prætoris decessit.

Rhodij celebratis exequiis aduersus classem, quam fama erat ex Syria venire, XIII. suis nauibus,& vna Coa quinqueremi,altera Gnidia, Rhodum,vt ibi in statione essent,profecti sunt. Biduo antequam Eudamus cum classe à Samo veniret, XIII. à Rhodo naues cum Pāphilida præfecto aduersus eandē Syriacam classem misse,assumtis nauibus quatuor quę Carię præsidio erant,oppugnātibus regiis Dędala,& quædam alia parua castella obsidione exemerunt. Eudamū confestim exire placuit.additæ huic quoq. sunt ad eam classē quam habebat, sex apertæ naues. Profectus cū quantū accelerare poterat, maturasset; ad portum,quē Megisten vocāt,pręgressos cōsequitur,inde vno agmine Phaselidē cum venissent, optimum visum est ibi hostē opperiri. In cōfinio Lyciæ & Pāphylię Phaselis est. prominet penitus in altum, cōspiciturq.prima terrarū Rhodum à Cilicia petentibus,& procul nauiū præbet prospectū.eo maximè vt in obuio classi hostium essent, electus locus est. Ceterum quod nō prouiderunt, & loco graui & tempore anni(medium enim ęstatis erat)ad hoc insolito odore ingruere morbi vulgo, maximè in remiges cœperunt.cuius pestilentię metu profecti cum pręteruherentur Pamphylium sinum, ad Eurymedontem amnem appulsa classe,audiunt ab Aspendiis ad Sidam iam hostes esse. Tardius nauigarent regij aduerso tempore Etesiarum, quod velut statum fauoniis ventis esset.Rhodiorum duę & triginta quadriremes,quatuor triremes fuere. Regia classis VII. & xxx.maioris formæ nauium erat,in quibus tres hepteres,& quatuor hexeres habebat, præter has decē triremes erant.& alij adesse hostes ex specula quadam cognouere. Vtraq. classis postero die luce prima,tāquam eo die pugnatura, è portu mouit:& posteaquam superauere Rhodij promōtoriū, quod ab Sida prominet in altum, extēplo & cōspecti ab hostib. sunt,& ipsi eos viderunt. Ab regio sinistro cornu,quod ab alto obiectum erat,Annibal:dextero Apollonius purpuratorum vnus preerat.& iā in frontem directas habebant naues. Rhodij longo agmine veniebant. prima prætoria nauis Eudami erat: cogebat agmen Chariclitus: Pamphilidas mediæ classi præerat.Eudamus posteaquam hostium aciem instructam& paratam ad cōcurrendum vidit,& ipse in altum euehitur,& deinceps quæ sequebātur,seruantes ordinem in frontem dirigere iubet. Ea res primo tumultum præbuit. nam nec sic in altum euectus erat,vt ordo omnium nauium ad terram explicari posset:& festinans ipse præpropere cū quinque solis nauibus Annibali occurrit: ceteri quia in frontē dirigere iussi erant,nō sequebantur: extremo agmine loci nihil ad terram relicti erat : trepidantibúsque iis inter se , iam in dextro cornu aduersus Annibalem pugnabatur. Sed momento temporis & nauium virtus & vsus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis demsit. nam & in altum celeriter euectæ naues, locū post se quæque venienti ad terram dedere, & si qua concurrerat rostro cū hostium naui,aut proram lacerabat,aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu præteruecta, in puppim impetum dabat. Maximè exterruit hepteris regia à multo minore Rhodia naue vno ictu demersa.itaque iam haud dubiè dexterum cornu hostium in fugam inclinabat.Eudamum in alto multitudine nauium maximè Annibal , ceteris omnibus longe præstantem,vrgebat : & circūuenisset, ni signo sublato ex prætoria naue,quo dispersam classem in vnū colligi mos erat , omnes quæ in dextro cornu vicerant naues, ad opem ferendam suis concurrissent, tum & Annibal,quæque circa eum erant naues, ca-

A pessunt fugam:nec insequi Rhodiis ex magna parte ægris,& ob id celerius fessis remigibus, potuerunt. Cum in alto,vbi substiterant, cibo reficerent vires, contemplatus Eudamus hostes claudas mutilatásq. naues apertis nauibus remulco trahentes , XX. paulo amplius integras abscedentes , è turri prætoria nauis silentio facto: Exsurgite,inquit, & egregium spectaculum capessite oculis. Consurrexere omnes, contemplatique trepidationem fugāmque hostium , propè vna voce exclamauere omnes, vt

B sequerentur. Ipsius Eudami multis ictibus vulnerata nauis erat.Pamphilidam & Chariclitum insequi, quoad putarēt tutum,iussit.Aliquandiu secuti sunt: posteaquam terræ appropinquabat Annibal , veriti ne includerentur vento in hostium ora,ad Eudamū reuecti hepterem captam , quæ primo cōcursu icta erat,ægrè Phaselidem pertraxerunt. inde Rhodum non tam victoria læti,quàm alius alium accusantes, quod cum potuisset, nō omnis summersa aut capta classis hostium foret, redierunt. Annibal ictus vno

C prælio aduerso, ne tum quidem præteruehi Lyciam audebat.cum coniungi veteri regiæ classi quamprimum cuperet.Et id ne ei facere liberum esset, Rhodij Chariclitum cum XX.nauibus rostratis ad Patara & Megisten portum miserunt. Eudamum cum VII. nauibus maximis ex ea classe cui præfuerat, Samum redire ad Romanos iusserunt, vt quantum consilio,quantum auctoritate valeret, compelleret Romanos ad Patara oppugnanda. Magnam lætitiam Romanis iam prius nuntius victoriæ, deinde

D aduentus attulit Rhodiorum.& apparebat, si ea cura Rhodius demta esset, vacuos eos tuta eius regionis maria præstituros : sed profecto Antiocho ab Sardibus,ne opprimerentur vrbes maritimæ, abscedere custodia Ioniæ atque Æolidis prohibuerunt. Pamphilidá cum quatuor nauibus tectis ad eā classem quæ circa Patara erat,miserunt. Antiochus non ciuitatum modo quæ circa se erant, contrahebat præsidia , sed ad Prusiam Bithyniæ regem miserat legatos literasque, quibus transitum in Asiam Ro-

E manorum increpabat. Venire eos ad omnia regna tollenda,vt nullum vsquam orbis terrarum,nisi Romanum imperium esset. Philippum & Nabin expugnatos se tertium peti. vt quisque proximus ab oppresso sit,per omneis velut continens incendium peruasurum.ab se gradum in Bithyniam fore,quando Eumenes in voluntariam seruitutem concessisset.His motum Prusiam literæ Scipionis consulis, sed magis eius fratris Africani , à suspicione tali auerterunt, qui præter consuetudinem perpetuam

F populi Romani, augendi omni honore regum sociorum maiestatem domesticis ipse exemplis Prusiam ad promerendam amicitiam suam compulit. Regulos se acceptos in fidem, in Hispania reges reliquisse:Masanissam non in patria modo locasse regno,sed in Syphacis, à quo ante expulsus fuisset,regnum imposuisse : & esse eum non Africæ modo regum longe opulentissimum, sed toto in orbe terrarum cuiuis regum vel maiestate vel viribus parem. Philippum & Nabin hostes vt bello superatos ab

G T.Quintio, tamen in regno relictos : Philippo quidem anno priore etiam stipendium remissum , & filium obsidem redditum: & quasdam ciuitates extra Macedoniam , patientibus Romanis imperatoribus, recepisse eum. In eadem dignitate & Nabin futurum fuisse , nisi eum suus primo furor , deinde fraus Ætolorum absumsisset. Maximè confirmatus est animus regis,posteaquam ad eum C.Liuius,qui prætor ante classi præfuerat , legatus ab Roma venit, & edocuit quanto & spes victoriæ certior Ro-

manis quã Antiocho, & amicitia sanctior firmiorque apud Romanos futura esset. Antiochus posteaquam à spe societatis Prusiæ decidit, Ephesum ab Sardibus est profectus ad classem, quæ per aliquot menses instructa ac parata fuerat, visendam. magis quia terrestribus copiis exercitum Romanum & duos Scipiones imperatores videbat sustineri non posse, quàm quod res naualis ipsa per se aut tentata sibi vnquam feliciter, aut tunc magnæ & certæ fiduciæ esset. erat tamen momentum in præsentia spei, quod & magnam partem Rhodiæ classis circa B Patara esse, & Eumenem regem cum omnibus nauibus suis consuli obuiam in Hellespontum profectum audierat. aliquid etiam inflabat animos classis Rhodia ad Samum per occasionem fraude præparata absumta. His fretus, Polyxenida cum classe ad tentandam omni modo certaminis fortunam misso, ipse copias ad Notium ducit: (id oppidum Colophonium mari imminens abest à vetere Colophone duo ferme millia passuum) & ipsam vrbem suæ ille potestatis volebat, adeo propinquam Epheso, vt nihil terra marive ageret, quod non subiectum C oculis Colophoniorum, ac per eos notum extemplo Romanis esset: quos audita obsidione non dubitabat ad opem ferendam sociæ vrbi classem à Samo moturos: eam occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. Igitur operibus oppugnare vrbem aggressus, & ad mare partibus duabus pariter munitionibus deductis, vtrinque vineas & aggerẽ muro iniunxit, & testudinibus arietes admouit. Quibus territi malis Colophonij oratores Samum ad D L. Æmylium fidem prætoris populique Romani implorantes, miserunt. Æmylium & Sami segnis diu mora offendebat, nihil minus opinantem quàm Polyxenidam bis nequicquam ab se prouocatum potestatem pugnæ facturum esse: & turpe existimabat, Eumenis classem adiuuare consulem ad traiiciendas in Asiam, legiones: se Colophonis obsessæ auxilio incertam finem habituro alligari. Eudamus Rhodius, qui & tenuerat eum Sami, cupientẽ pro- E ficisci in Hellespontum, cunctisque instare & dicere: quanto satius esse vel socios obsidione eximere, vel victam iam semel classem vincere iterum, totámque maris possessionem hosti eripere, quàm desertis sociis, tradita Antiocho Asia, terra marique in Hellespontum. vbi satis esset Eumenis classis, à sua parte belli discedere. Profecti à Samo ad petendos commeatus, consumtis iam omnibus, Chium parabant traiicere. Id erat horreum Romanis, eóque omnes ex Italia missę onerarię dirigebant cur- F sum. Circũuecti ab vrbe ad auersa insulæ obiecta aquiloni, ad Chium & Erythras sunt. Cum pararent traiicere, literis certior fit prætor, frumenti vim magnam Chium ex Italia venisse: vinum portantes, naues tempestatibus retentas esse: simul allatum est Teios regiæ classi benignè commeatus præbuisse: quinque millia vasorum vini esse pollicitos. Teium ex medio cursu classem repentè auertit: aut volentibus iis vsurus cõmeatu parato hostibus aut ipsos pro hostibus habiturus. Cùm direxissent ad terram proras, quindecim fermè eius naues circa Myonne- G sum apparuerunt. quas primo ex classe regia prætor esse ratus, instituit sequi: apparuit inde piraticas celoces & lembos esse. Chiorum maritimam oram depopulati, cum omnis generis præda reuertentes, posteaquam videre ex alto classem, in fugam verterunt. & celeritate superabant leuioribus, & ad id fabrefactis nauigiis, & propiores terræ erant, itaque priusquam appropinquaret classis, Myonesum perfugerunt: vnde se à portu ratus abstracturum naues, A ignarus loci sequebatur prętor. Myonesus promontorium inter Teium Samúmque est: ipse collis est in modum metæ in acutum cacumen à fundo satis lato fastigiatus: à continenti arctæ semitæ aditum habet: à mari exesæ fluctibus rupes claudunt, ita vt quibusdam locis superpendentia saxa plus in altũ quàm quæ in statione sunt naues, promineant. Circa ea appropinquare non ausę naues, ne sub ictu superstantium in rupibus piratarum essent, diem triuere: tandem sub noctem vano incœpto cum abstitissent, Teium postero die accessere: & in portu qui à tergo vrbis est (Geræsticum ipsi appellant) nauibus constitutis, prætor ad depopulandum circa vrbem agrum milites emisit. Teij cum in oculis populatio esset, oratores cum infulis & velamentis ad Romanum miserunt. Quibus purgantibus ciuitatem omnis facti dictíque hostilis aduersus Romanos, & iuuisse eos commeatu classem hostium arguit, & quantum vini Polyxenidæ promisissent, quæ si eadem classi Romanæ darent, reuocaturum se à populatione militem: si minus, pro hostibus eos habiturum. Hoc tam triste responsum cum retulissent legati, vocatur in concionem à magistratibus populus, vt quid agerent, consultarent. Eò fortè Polyxenidas cum regia classe à Colophone profectus, posteaquam mouisse à Samo Romanos audiuit, & ad Myonnesum piratas persecutos Teiorum agrum depopulari, naues in Geræstico portu stare: ipse aduersus Myonesum in insula (Macrin nautici vocát) ancoras portu occulto iecit. inde ex propinquo explorans quid hostes agerent, primo in magna spe fuit, quemadmodum Rhodiã classem ad Samum circumsessis ad exercitũ faucibus portus expugnasset, sic & Romanam expugnaturum. nec est dissimilis natura loci: promontoriis coeuntibus inter se ita clauditur portus, vt vix duæ simul inde naues possint exire. nocte occupare fauces Polyxenidas in animo habebat: & denis nauib. ad promontoria stantibus, quæ ab vtroque cornu in latera exeũtium nauium pugnarent: ex cetera classe, sicut ad Panormum fecerat, armatis in littora expositis, terra marique simul hostes opprimere quod non vanum ei consilium fuisset, ni cum Teij facturos se imperata promisissent, ad accipiendos commeatus aptius visum esset. Romanis, in eum portum qui ante vrbem est, classem transire. Dicitur & Eudamus Rhodius vitium alterius portus ostendisse, cum forte duæ naues in arcto ostio implicitos remos fregissent. & inter alia id quoque mouit prætorem vt traduceret classem, quod ab terra periculum erat, haud procul inde Antiocho statiua habente. Traducta classe ad vrbem, ignaris omnibus egressi milites nautæque sunt ad commeatus, & vinum maximè diuidendum in naues, cum medio fortè diei agrestis quidam ad prętorem adductus nuntiat, alterum iam diem classem stare ad insulam Macrin: & paulo ante visas quasdam moueri tanquam ad profectionem naues. Re subita perculsus prætor tubicines canere iubet, vt si qui per agros palati essent, redirent. tribunos in vrbem mittit ad cogendos milites nautásque in naues. Haud secus quàm in repẽtino incendio aut capta vrbe trepidatur: aliis in vrbem currentibus ad suos reuocandos: aliis ex vrbe naues cursu repetentibus: incertisque clamoribus quibus ipsis tubæ obstreperent, turbatis imperiis, tandem concursum ad naues est. Vix suam quisque noscere aut adire præ tumultu poterat: trepidatúmque cũ periculo & in mari & in terra foret, ni partibus diuisis Æmylius cũ pretoria naue primus è portu in altũ euectus, excipiens insequẽt eis suo quæq;

ordine in frontem instruxisset: Eudamus Rhodiáque classis substitissent ad terram, vt & sine trepidatione conscenderent: & vt quæque parata esset, exiret nauis. ita & explicuere ordinem primæ in conspectu prætoris, & coactum agmen ab Rhodiis est; instructáque acies velut cerneret regios, in altum processit. inter Myonnesum & Corycum promontorium erant, cùm hostem conspexere. Et regia classis binis in ordinem nauibus longo agmine veniens, & ipsa aciem aduersam explicuit, tantum læuo euecta cornu, vt amplecti & circumire dexterum cornu Romanorum posset. quod vbi Eudamus qui cogebat agmen, vidit, non posse exæquare ordinem Romanos, & tantum non iam circumiri à dextro cornu: concitat naues (& erant Rhodiæ naues longè omnium celerrimæ tota classe) æquatoque cornu, prætoriæ naui in qua Polyxenidas erat, suam obiecit. Iá totis classibus simul ab omni parte pugna conserta erat. Ab Romanis LXXX. naues pugnabant, ex quibus Rhodiæ quinque & XX. erát. Hostium classis vndenonaginta nauiũ fuit, & maximæ formæ naues, tres hexeres habebat, duas hepteres. Robore nauium & virtute militum Romani longè Rhodios præstabant: Rhodiæ naues agilitate, & arte gubernatorum & scientia remigũ. Maximo tamen hostibus terrori fuere, quæ ignes præ se portabant: & quod vnum iis Panormum circumuentis saluti fuerat, id tum maximum momentum ad victoriam fuit. nam metu ignis aduersi regiæ naues ne prora concurrerent, cum declinassent, neque ipsæ ferire rostro hostem poterant, & obliquas se ipsæ ad ictus præbebant: & si qua concurrerat, obruebatur infuso igni, magísque ad incendium quàm ad prælium trepidabant. Plurimum tamẽ quę solet militum virtus in bello valuit. mediam námque aciem hostium Romani cum rupisset, circumuecti ab tergo pugnãtibus aduersus Rhodios regiis sese obiicere: momentoq; temporis & media acies Antiochi, & læuo in cornu circumuentę naues mergebãtur. Dextra pars integra sociorum magis clade quàm suo periculo terrebatur. ceterum posteaquã alias circumuentas, prætoriam nauem Polyxenidæ relictis sociis vela dantem videre: sublatis raptim dolonibus (& erat secundus petentibus Ephesum ventus) capessunt fugam: quadraginta duabus nauibus in ea pugna amissis: quarum tredecim captæ in potestatem hostium venerunt, ceteræ incensæ aut demersæ. Romanorum duæ naues fractæ sunt, vulneratæ aliquot. Rhodia vna capta memorabili casu. nam cum rostro percussisset Sidoniam nauem, ancora ictu ipso excussa è naue sua, vnco dẽte velut manu ferrea iniecta, alligauit alterius proram: inde tumultu iniecto cum diuellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodij, tractum ancorale & implicitum remis latus alterum detersit: debilitatam ea ipsa quæ icta cohæserat, nauim cepit. Hoc maximè modo ad Myonnesum nauali prælio pugnatum est. Quo territus Antiochus, quia possessione maris pulsus, longinqua tueri diffidebat se posse: præsidium ab Lysimachia, ne opprimeretur ibi ab Romanis, deduci prauo, vt res ipsa postea docuit, consilio iussit. non enim tueri solum Lysimachiam à primo impetu Romanorum facile erat: sed obsidionem etiam per totam hyemem tolerare, & obsidentes quoque ad vltimam inopiam adducere extrahendo tempus, & interim spem pacis per occasiones tentare. Nec Lysimachiam tantum hostibus tradidit post aduersam naualem pugnam: sed etiam Colophonis obsidione abscessit, & Sardeis recepit se. atque inde in Cappadociam ad Ariaraten, qui

A auxilia accerserent, & quocunque alio poterat ad copias contrahendas, in vnum iá consilium, vt acie dimicaret, intentus, misit. Regillus æmylius post victoriam naualẽ profectus Ephesum, direptis ante portũ nauibus, cum confessionẽ cõcessi maris vltimam hosti expressisset: Chium, quo ante naualem prælium cursum à Samo intenderat, nauigat. ibi naues in prælio quassatas cum refecisset, L. æmyliũ Scauũ cum XXX. nauibus Hellespontũ ad exercitũ traiiciendum misit. B Rhodias partæ prædæ & spoliis naualibus decoratas domũ redire iubet. Rhodij impigrè præuertere, ad traiiciendásque copias cõsulis iere: atque eo quoq. functi officio, tum demum Rhodũ rediere. Classis Romana ab Chio Phocæá traiecit. In sinu maris intimo posita hæc vrbs est, oblõga forma: duûm milliũ & quingentorum passuum spatium murus amplectitur: coit deinde ex vtraq. parte in arctiorem velut cuneũ, Lamptera ipsi appellant. C mille & ducentos passus ibi latitudo patet. inde in altũ lingua mille passuum excurrens, medium ferè sinum velut nota distinguit. vbi cohæret faucibus angustis, duos in vtranque regionem versos portus tutissimos habet, qui in meridiem vergit. Naustathmos ab re appellatum, quia ingentem vim nauium capit. alter prope ipsum Lamptera est. Hos portus tutissimos cũ occupasset Romana classis, priusquam aut scalis aut operibus mœnia aggrederetur, mittẽdos censuit prætor, qui principum magistratuumq. animos tentarẽt. posteaquam obstinatos vidit, duo- D bus simul locis oppugnare est adortus. Altera pars infrequens ædificiis erat: templa deum aliquantum tenebant loci. ea prius ariete admoto, quatere muros turrésq. cœpit. deinde cum eò multitudo occurreret ad defendẽdum, altera quoque parte admotus aries: & iam vtrinque sternebãtur muri, ad quorum casum cum impetũ Romani milites per ipsam stragem ruinarum facerent. alij scalis etiá ascensum in muros tentarent, adeo obstinatè restiterunt oppidani, vt facilè appareret plus in armis & virtute, quá E in mœnibus auxilij esse. coactus ergo periculo militum prætor receptui cani iussit, ne obiiceret incautos furentibus desperatione ac rabie. Dirẽpto prælio, ne tum quidem ad quietem versi, sed vndique omnes ad munienda & obmolienda quæ ruinis strata erant, concurrerunt. Huic operi intentis superuenit Q. Antonius à prætore missus, qui castigata pertinacia eorum, maiorem curam Romanis quàm illis ostenderet esse, ne in perniciem vrbis pugnaretur. si absistere furore vellent, potestatem iis dare ea- F dem conditione qua prius C. Liuij in fidem venissent, se tradendi. Hæc cùm audissent, quinque dierum spacio ad deliberandum sumpto, tentata interim spe auxilij ab Antiocho, posteaquam legati missi ad regem, nihil in eo esse præsidij retulerant: tum portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur. Cum signa in vrbem inferrentur, & pronũciasset prætor, parci se deditis velle: clamor vndique est sublatus, indignum facinus esse Phocæenses nũquam fidos socios, semper infestos hostes impunè G eludere. ab hac voce velut signo à prætore dato ad diripiendá vrbẽ passim discurrerunt. Æmylius primo resistere & reuocare, dicendo captas, nõ deditas diripi vrbes, & in his tamen arbitrium esse imperatoris, nõ militum. posteaquam ira & auaritia imperio potentiora erant: pręconibus per vrbem missis, liberos omnes in forum ad se cõuenire iubet, ne violarentur: & in omnibus quæ ipsius potestatis fuerũt, fides constitit prætoris vrbem agrósque & suas leges iis restituit: & quia iam hyems appetebat, Phocææ portus ad hybernandum classi delegit. Per idem ferè

tempus consuli transgresso Æniorum Maronitarúmque fines nunciatur, victam regiam classem ad Myonnesum, relictámque à præsidio Lysimachiam esse. Id multo quam de nauali victoria lætius fuit: vtique posteaquam eò venerunt refertaque vrbs omnium rerum commeatibus, velut in aduentum exercitus, præparatis, eos excepit: vbi inopiam vltimam laboremque in obsidenda vrbe sibi proposuerát. Ibi paucos dies statiua habuere, vt impedimenta ægrique consequerentur, qui passim per omnia Thraciæ castella fessi morbis ac longitudine viæ relicti erant. Receptis omnibus ingressi rursus iter Chersonnesum, Hellespontum perueniunt. vbi omnibus cura regis Eumenis ad traiiciendum præparatis, velut in pacata littora nullo prohibente, aliis aliò delatis nauibus, sine tumultu traiecere. Ea vero res Romanis auxit animos, concessum sibi transitum cernentibus in Asiam, quam rem magni certaminis futuram crediderant. Statiua deinde ad Hellespontum aliquádiu habuerunt: quia dies forte quibus Ancilia mouentur, religiosi ad iter inciderant. Iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, disiunxerant ab exercitu: caussáque & is ipse moræ erat, dum consequeretur. Per eos forte dies legatus ab Antiocho in castra venerat. Byzantius Heraclides de pace afferens mandata: quam impetrabilem fore, magnam ei spem attulit mora & cunctatio Romanorum: quos simul Asiam attigissent, effuso agmine ad castra regia ituros crediderat. Statuit tamen non prius adire cõsulem, quam P. Scipionem: & ita mandatum ab rege erat. in eo maximam spem habebat: præterquam quod & magnitudo animi, & satietas gloriæ placabilem eum maximè faciebat: notumque erat gentibus qui victor ille in Hispania, qui deinde in Africa fuisset: etiam quod filius eius captus in potestate regis erat. Is vbi & quando & quo casu captus sit, sicut pleraq; alia, parũ inter auctores constat. alij principio belli à Chalcide Oreum petentem circumuentum ab regiis nauibus tradunt: alij, posteaquam transitum in Asiam est: cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra, effuso obuiam equitatu cum reciperet sese, in eo tumultu delapso equo, cum duobus equitibus oppressum, ita ad regem deductum esse. Illud satis constat, si pax cum populo Romano maneret, hospitiumque priuatim regni cũ Scipionibus esset, neque liberalius neque benignius haberi colique adolescentem, quam cultus est, potuisse. Ob hac cum aduentum P. Scipionis legatus expectasset: vbi is venit, consulem adit, petitque vt mandata audiret. Aduocato frequenti concilio legati verba sunt audita. Is multis ante legationibus nequicquam vltro citroque de pace missis, eam ipsam fiduciam impetrandi sibi esse dixit, quod priores legati nihil impetrassent. Smyrnam enim & Lampsacum & Alexandriam Troadem, & Lysimachiam in Europa, iactatas in illis disceptationibus esse: quarum Lysimachia iam cessisse regem, ne quid in Europa habere eum dicerẽt: eas quæ in Asia sint ciuitates tradere paratum esse: & si quas alias Romani, quod suarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint. impensæ quoque in bellum factę partem dimidiam regem præstiturum populo Romano. Hę conditiones erant pacis. Reliqua oratio fuit, vt memores rerum humanarum & suę fortunę moderarentur, & alienam ne vrgerent: finirent Europa imperium, id quoque immensum esse: & parari singula acquirendo facilius potuisse, quam vniuersa teneri posse. Quod si Asię quoque partem aliquã abstrahere velint, dummodo non dubiis regionibus fi-

A niant: vinci suam temperantiam Romana cupiditate, pacis & concordiæ caussa regem passurum. Ea quę legato magna ad pacem impetrandam videbãtur parua Romanis visa. nam & impensam quæ in bellum facta esset, omnem præstare regem æquum cẽsebant, cuius culpa bellum excitatum esset: & nõ Ionia modo atque æolide deduci debere præsidia regia: sed sicut Græcia omnis liberata esset, ita quæ in Asia sint, omnes liberari vrbes. id aliter fieri non posse, quàm vt eis Taurum montem possessione
B Asiæ Antiochus cedat. Legatus posteaquam nihil æqui in concilio impetrare se censebat, priuatim (sic enim imperatum erat) P. Scipionis tentare animum est conatus. Omnium primum filium ei sine pretio redditurum regem dixit: deinde ignarus & animi Scipionis, & moris Romani, auri pondus ingens est pollicitus, & nemine tantum regio excepto, societatem omnis regni si per eum pacem impetrasset. Ad ea Scipio: Quod Romanos omnes, quod me ad quem missus es, ignoras, minus miror,
C cùm te fortunã eius à quo venis, ignorare cernam. Lysimachia tenẽda erat, ne Chersonnesum intraremus: aut ad Hellespontum obsistẽdum, ne in Asiam traiiceremus, si pacem tanquam à solicitis de belli euentu petituri eratis. cõcesso verò in Asiam transitu, & non solum frenis, sed etiam iugo accepto, quæ disceptatio ex æquo, cum imperium patiendum sit, relicta est? Ego ex munificentia regia maximum donum filium habebo: aliis deos precor, ne vnquam fortuna egeat mea, animus certe non egebit. pro
D tanto in me munere gratum me esse in se sentiet, si priuatam gratiam pro priuato beneficio desiderabit. publicè nec habebo quicquam ab illo, nec dabo. quod in præsentia dare possim, fidele consilium est. abi, nuntia meis verbis, bello absistat, pacis conditionem nullam recuset. Nihil ea mouerũt regem, tutam fore belli aleam ratum, quando perinde ac victo iam sibi leges dicerentur. omissa igitur in præsentia mentione pacis, totam curam in belli apparatum intendit. Consul omnibus præparatis
E ad proposita exsequenda, cum ex statiuis mouisset: Dardanum primum, deinde Rhœteum, vtraque ciuitate obuiam effusa, venit. inde Ilium processit: castrisque in campo, qui est subiectus mœnibus positis, in vrbem arcémque cum ascendisset, sacrificauit Mineruę præsidi arcis, & Iliensibus in omni rerum verborúmque honore ab se oriũdos Romanos prę-ferentibus, & Romanis lætis origine sua. inde profecti sextis castris ad caput Caici amnis peruenerũt. Eò & Eumenes rex conatus primo ab Hellesponto
F reducere classem in hyberna Elæam, aduersis deinde ventis cũ aliquot diebus superare Lecton promontorium non potuisset, in terram egressus, ne deesset principiis rerum, qua proximum fuit, in castra Romana cum parua manu contendit. Ex castris Pergamus remissus ad commeatus expediendos, tradito frumẽto quibus iusserat Cos. in eadem statiua rediit. inde plurium dierum præparatis cibariis, consilium erat ire ad hostem, priusquam hyems opprimeret. Regia castra circa Thyatira erant. ibi cum
G audisset Antiochus P. Scipionem ægrum Eleam delatum, legatos qui filium ad eum reducerent, misit. Non solum animo patrio gratũ munus, sed corpori quoque salubre gaudium fuit. satiatusque tandem complexu filij, Renunciate, inquit, gratias regi me agere: referre gratiam aliam nunc nõ posse, quã vt suadeam, ne ante in aciem descendat, quàm vt in castra me redisse audierit. Quanquam LX. millia peditum, plus XII. millia equitum animos interdum ad spem certaminis faciebant: motus tamẽ An-

tiochus tāti auctoritate viri, in quo ad incertos belli euentus omnis fortunæ posuerat subsidia, recepit se trāsgressus Phrygium amnem: circaque Magnesiam quæ ad Sipylum est, posuit castra. & ne si extrahere tempus vellet, munimenta Romani tentarent: fossam sex cubitis altam, XII. latam cum duxisset, extra duplex vallum fossæ circundedit: interiore labro murum cum turribus crebris obiecit, vnde facilè arceri transitu fossæ hostis posset. Consul circa Thyatira regem esse ratus, cōtinuis itineribus quinto die ad Hyrcanum campum descendit. inde cum profectum audisset, secutus vestigia citra Phrygium amnem quatuor millia ab hoste posuit castra. Eo mille ferme equites (maxima pars Gallogræci erāt, & Dacæ quidam, aliarúmque gentium sagittarij equites intermisti) tumultuosè amne traiecto, in stationes impetum fecerunt. Primo turbauerunt incompositos, deinde cum longius certamen fieret, Romanorum, ex propinquis castris facili subsidio, cresceret numerus: regij fessi iam, & plures non sustinentes, recipere se conati, circa ripam amnis priusquam flumen ingrederentur, ab instantibus tergo aliquot interfecti sunt. Biduum deinde silentium fuit, neutris transgredientibus amnem. tertio post die Romani simul omnes transgressi sunt, & duo millia ferme & quingentos passus ab hoste posuerunt castra. Metantibus & muniendo occupatis tria millia delecta equitum peditumque regiorum magno terrore ac tumultu aduenere. aliquanto pauciores in statione erant: & tamen per se nullo à munimento castrorum milite auocato, & primo æquum prælium sustinuere, & crescente certamine pepulerunt hostes, centum ex his occisis, centum ferme captis. Per quatriduum insequens instructæ vtrinque acies pro vallo stetere. quinto die Romani processere in medium campi. Antiochus nihil promouit signa, ita vt extremi minus mille pedes à vallo abessent. Consul posteaquam detrectari certamen vidit, postero die in concilium aduocauit, quid sibi faciendum esset, si Antiochus pugnandi copiam non faceret. instare hyemem: aut sub pellibus habendos milites fore, aut si cōcedere in hyberna vellent, differendum esse in æstatem bellum. Nullum vnquam hostem Ramani æquè contemserunt. conclamatum vndique est, duceret extemplo, & vteretur ardore militum, qui tāquam non pugnandum cū tot millibus hostium: sed par numerus pecorum trucidandus esset, per fossas, per vallum castra inuadere parati erant, si in prælium hostis nō exiret. Cn. Domitius ad explorandum iter, & qua parte adiri vallum hostium posset, missus, posteaquā omnia certa retulit, postero die ꝓpius castra admoueri placuit: tertio signa in medium campi prolata, & instrui acies cœpta est. Nec Antiochus vltra tergiuersandū ratus, ne & suorum animos minueret detrectando certamen, & hostium spem augeret, & ipse copias eduxit, tantum progressus à castris, vt dimicaturū appareret. Romana acies vnius prope formę fuit & hominum & armorum genere. duæ legiones Romanę, duę sociûm ac Latini nominis erant: quina millia & quadrigenos singulæ habebant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt: hastatorum prima signa deinde principū erant: triarij postremos claudebant. Extra hanc veluti iustam aciem à parte dextera consul Achæorum cetratis immistos auxiliares Eumenis tria millia fermè peditum æquata fronte instruxit: vltra eos equitū minus tria millia opposuit, ex quibus Eumenis octingenti, reliquus omnis equitatus Romanus erat: extremos Tralles & Cretenses (quingētorum vtrique numerum explębant)

A statuit. læuum cornu non videbatur egere talibus
auxiliis, quia flumen ab ea parte ripæque deruptę
claudebant: quatuor tamē inde turmę equitum op-
positæ. Hæc summa copiarum erat Romanis, & duo
millia mistorum Macedonū Thracúmque, qui vo-
luntate secuti erant hi præsidio relicti sunt castris.
sexdecim elephantos post triarios in subsidio loca-
uerūt. nam præterquam quod multitudinem regio-
rum elephantorum (erant autem quatuor & L.) su-
stinere non videbantur posse: ne pari quidem nume-
ro Indicis Africi resistunt siue quia magnitudine
B (longe enim illi præstant) siue robore animorum
vincūtur. Regia acies varia magis multis gentibus,
dissimilitudine armorum auxiliorumque erat. X. &
sex millia peditum more Macedonum armati fue-
re, qui phalangitæ appellabantur. hæc media acies
fuit in fronte in decem partes diuisa. partes [illegible] in-
terpositis binis elephantis distinguebat. a fronte in-
trorsus in duos & XXX. ordines armatorum acies
patebat. hoc & roboris in regiis copiis erat. & perin-
C de cū alia specie, tum eminentibus tantum inter ar-
matos elephantis magnum terrorem præbebat. In-
gentes ipsi erant: addebant speciem frontalia & cri-
stæ, & tergo impositæ turres, turribusque superstan-
tes præter rectorem quaterni armati. Ad latus dex-
terum phalangitarum mille & quingentos equites
Gallogræcorum opposuit. his tria millia equitum
loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adiunxit.
addita his ala mille fermè equitum, agema eam vo-
cabant. Medij erant lecti viri & eiusdem regionis
D misti multarum gentium equites continēs his grex
XVI. elephantorum est oppositus in subsidiis. ab ea-
dem parte paululum producto cornu regia cohors
erat: Argyraspides à genere armorum appellaban-
tur. Dacæ deinde equites sagittarij mille & ducen-
ti, tum leuis armaturæ trium millium pari fermè
numero, pars Cretenses, pars Tralles, duo millia &
quingenti Mysi sagittarij adiuncti erant. Extremū
cornu claudebant quatuor millia misti Cyrtæi fun-
ditores, & Elymæi sagittarij. Ab læuo cornu pha-
langitis adiuncti erant Gallogræci equites mille &
E quingenti, & similiter his armati duo millia Cap-
padocum ab Ariarate missi rege. inde auxiliares mi-
sti omnium generum duo millia & septingenti, &
tria millia cataphractorum equitum, & mille alij e-
quites, regia ala leuioribus tegumentis suis equo-
rúmque, alio haud dissimili habitu: Syri plerique e-
rant Phrygibus & Lydis immisti. ante hunc equita-
tum falcatę quadrigę & cameli quos appellant dro-
madas. his insidebant Arabes sagittarij, gladios ha-
F bentes tenues, longos quaterna cubita: vt ex tanta
altitudine contingere hostem possēt. inde alia mul-
titudo par ei quæ in dextro cornu erat, primi Ta-
rentini, deinde Gallogræcorum equitum duo mil-
lia & quingenti: inde Neocretes mille: & eodem
armatu Cares & Cilices mille & quingenti, & toti-
dem Tralles; & tria millia cetratorum: Pisidæ hi e-
rant & Pamphylij & Lycij: tum Cyrtæorum & Ely-
mæorum paria in dextro cornu locatis auxilia &
XVI. elephanti modico interuallo distātes. Rex ipse
G in dextero cornu erat, Seleucum filium & Antipa-
trum fratris filium in læuo præposuit; media acies
tribus permissa, Minioni & Zeusidi, & Philippo ma-
gistro elephantorum. Nebula matutina crescente
die leuata in nubes, caliginem dedit: humor inde ab
austro velut perfudit omnia. quę nihil admodū Ro-
manis, eadem per incōmoda regiis erant. nam & ob-
scuritas lucis in acie modica Romanis nō adimebat
in omnes partes cōspectum: & humor toto ferè gra-
ui armatu nihil gladios aut pila hebetebat, regij

tam

tam lata acie, ne ex medio quidem cornua sua circumspicere poterant, ne dum extremi inter se conspicerentur: & humor arcus fundásque & iaculorum armenta emollierat. falcatæ quoque quadrigæ, quibus se perturbaturum hostium aciem Antiochus crediderat, in suos terrorem verterunt. Armatæ autem in hunc maximè modum erant, cuspides circa temonem ab iugo decem cubita exstantes, velut cornua habebát: quibus quicquid obuium daretur: transfigerent, & in extremis iugis binæ circa eminebant falces: altera æquata iugo, altera inferior in B terrã deuexa ita, vt quicquid ab latere obiiceretur, abscinderet: hæc, vt prolapsos subeuntésque contingeret, item ab axibus rotarũ vtrinque binæ eodem modo diuersæ deligabantur falces. Sic armatas quadrigas, quia si in extremo aut in medio locatæ fecissent, per suos agendæ erant: in prima acie, vt ante dictum est, locauerat rex. Quod vbi Eumenes vidit, haud ignarus pugnæ, & quàm anceps esset auxilij genus, si quis pauorem magis equis iniiceret, quam iusta adoriretur pugna: Cretenses sagittarios C funditorésque & iaculatores equitum non confertos, sed quam maximè possent dispersos excurrere iubet: simul omnibus partibus tela ingerere. Hæc velut procella partim vulneribus missiliũ vndique coniectorum, partim clamoribus dissonis ita consternauit equos, vt repente velut effrenati passim incerto cursu ferrentur: quorum impetus & leuis armatura, & expediti funditores, & velox Cretensis momento declinabant: & eques insequẽdo, tumultum ac pauorem equis camelisque & ipsis simul cõ- D sternatis augebat, clamore & ab alia circumstantium turba multiplici adiecto. Ita medio inter duas acies campo exiguntur quadrigæ: amotoque inani ludibrio, tum demum ad iustum prælium, signo vtrinque dato, concursum est. Ceterum vana illa res veræ mox cladis causa fuit. auxilia enim subsidiaria, quæ proxima locata erant, pauore & consternatione quadrigarum territa, & ipsa in fugam versa, nudarunt omnia vsque ad cataphractos equites. ad quos E cũ dissipatis subsidiis peruenisset equitatus Romanus: ne primum quidem impetum pars eorum sustinerunt: alij fusi sunt, alij propter grauitatem tegimentorum armorumque oppressi sunt. totum deinde læuum cornu inclinauit: & turbatis auxiliaribus qui inter equitem, & quos appellant phalangitas, erant, vsque ad mediam aciem terror peruenit. Ibi simul perturbati ordines, & impeditus intercursu suorum vsus prælongarum hastarum (sarissas Macedones vocant) intulere signa Ro. legiones, & pila in F perturbatos coniecere. ne interpositi quidem elephanti militem Rom. deterrebant, assuetum iam ab Africis bellis & vitare impetum belluæ, & ex transuerso aut pilis incessere, aut si propius subire posset, gladio neruos incidere. Iam media acies fere omnis à fronte prostrata erat: & subsidia circum ita à tergo cædebantur: cum in parte alia fugam suorum, & prope iam ad ipsa castra clamorem pauentium accepere. námque Antiochus à dextro cornu, cum ibi fiducia fluminis nulla subsidia cerneret, præter quatuor turmas equitum: & eas dum applicant se G suis, ripam nudantes impetum in eam partem cum auxiliis & cataphracto equitatu facit: nec à frõte tãtum instabat, sed circumito à flumine cornu, iam ab latere vrgebat, donec fugati equites primum, deinde proximi peditum effuso cursu ad castra compulsi sunt. Præerat castris M. Æmylius tribunus militum, M. Lepidi filius, qui post annos paucos põtifex maximus factus est. is qua fugam cernebat suorum, cũ præsidio omni occurrit: & stare primo, deinde redire in pugnam iubebat, pauorem & turpẽ fugam increpãs. minæ exinde erãt: in perniciẽ suam cæcos ruere, ni dicto parerent. postremo dat signum suis, vt primos fugientium cædant, turbam insequentium ferro & vulneribus in hostes redigant. Hic maior timor minorem vicit. ancipiti coacti metu primo cõstiterunt, deinde & ipsi redierunt in pugnam: & Æmylius cum suo præsidio (erant autem duo millia virorum fortium) effuse sequenti regi acriter restitit. & Attalus Eumenis frater à dextro cornu, à quo læuum hostium primo impetu fugatum fuerat: vt ab sinistro fugam suorum & tumultum circa castra vidit, in tempore cum ducẽtis equitibus aduenit. Antiochus posteaquam & eos, quorum terga modo viderat, repentes pugnam, & aliam à castris & ex acie affluentem turbam conspexit, in fugam vertit equum. ita vtroque cornu victores Romani, per aceruos corporum, quos in media maximè acie cumulauerant, vbi & robur fortissimorum virorum, & arma grauitate fugam impedierant, pergunt ad castra diripienda. equites primi omnium Eumenis, deinde & alius equitatus toto passim campo sequuntur hostem: & postremos vt quosque adepti sunt, cædunt. ceterum fugientibus maior pestis intermistis quadrigis, elephantisque & camelis erat sua ipsorum turba: cum solutis ordinibus velut cæci super alios allij ruerent, & in cursu belluarum obtererentur. In castris quoque ingens & maior prope quam in acie cædes est edita. nam & primorum fuga in castra maximè inclinauit: & huius fiducia multitudinis, qui in præsidio erant, pertinacius pro vallo pugnarunt, retenti in portis valloque, quæ se impetu ipso capturos crediderant Romani: posteaquam tandem perruperunt, ab ira grauiorem ediderunt cædem. Ad quinquaginta millia peditum cæsa eo die dicuntur: quitum quatuor millia, mille & quadringenti capti: & quindecim cum rectoribus elephanti. Romanorum aliquot vulnerati sunt: ceciderunt non plus CCC. pedites, quatuor & viginti equites, & de Eumenis exercitu quinque & viginti. Et illo quidem die victores direptis hostium castris cũ magna præda in sua reuerterunt. postero die spoliabant cæsorum corpora, & captiuos contrahebant. legati ab Thyatira & à Magnesia ad Sipylum ad dedendas vrbes venerunt. Antiochus cum paucis fugiẽs, in ipso itinere pluribus congregantibus se, modica manu armatorum media ferme nocte Sardeis concessit. inde cum audisset Seleucum filium & quosdam amicorum Apameam prægressos, & ipse quarta vigilia cum coniuge ac filia petit Apameam, Zenoni tradita custodia vrbis, Timone Lydiæ præposito. quibus spretis consensu oppidanorum & militum qui in arce erant, legati ad consulem missi sunt. Sub idem fere tempus, & ab Trallibus & à Magnesia quę super Mæandrum est, & ab Epheso legati ad dedendas vrbes venerunt. Reliquerat Ephesum Polyxenidas audita pugna: & classe vsque ad Patara Lyciæ peruectus, metu stationis Rhodiarum nauium quæ ad Megisten erat, in terram egressus, cum paucis itinere pedestri Syriam petiit. Asiæ ciuitates in fidem cõsulis ditionémque populi Romani sese tradebát. Sardibus iam consul erat: eo & P. Scipio ab Elæa, cũ primum pati laborem viæ potuit, venit. Sub idẽ fere tempus caduceatoꝛ ab Antiocho per P. Scipionem à consule petiit impetrauitque, vt oratores mittere liceret regi, paucos post dies Zeusis, qui pręfectus Lydiæ fuerat, & Antipater fratris filius, venerunt. hi prius Eumene conuento, quem propter vetera certamina auersũ maximè à pace credebát esse, & placatiore eo & sua & regis spe inuẽto, tũ P. Scipione, &

per eum Cos. adierunt: præbitóque iis petentibus frequenti concilio ad mandata edenda: Nun tā quid ipsi dicamus, habemus, inquit Zeuxis, quàm vt à vobis quæramus Romani, quo piaculo expiare errorem regis pacem veniámque impetrare à victoribus possimus. Maximo semper animo victis regibus populisque ignouistis. quanto id maiore & placatiore animo decet vos facere in hac victoria, quæ vos dominos orbis terrarum fecit? positis iam aduersus omnes mortales certaminibus, haud secus quàm deos consulere & parcere vos generi humano oportet. Iam antequam legati venirent, decretum erat quid responderetur. respondere Africanum placuit. is in hūc modū locutus fertur: Romani ex iis quę in deum immortalium potestate erant, ea habemus, quæ dij dederunt animos, qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus gerimúsque: neque eos secundæ res extulerunt, nec aduersæ minuerunt. eius rei, vt alios omittam, Annibalem vestrum vobis darem testem, nisi vos ipsos dare poss m. Posteaquam Hellespontum traiecimus, priusquam castra regia, priusquam aciem videremus, cum communis mars, & incertus belli euentus esset, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus. Europa abstinete Asiáque omnī, quæ cis Taurum montem est, decedite. pro impensis deinde in bellum factis, xv. millia talentum Euboicorum dabitis, quingenta præsentia, duo millia & quingenta cum S.P.Q.R. pacem comprobauerint, mille deinde talentum per XII. annos Eumeni quoque reddi CCCC. talenta, & quod frumenti reliquum ex eo quod patri debitum est, placet. Hęc cū pepigerimus, facturos vos vt pro certo habeamus, erit quidem aliquod pignus si obsides viginti nostro arbitratu dabitis. Sed nunquam satis liquebit nobis ibi pacem esse P.R. vbi Annibal erit. eum ante omnia deposcimus. Thoantem quoque Ætolum, concitatorem Ætolici belli, qui & illorum fiducia vos, & vestra illos in nos armauit, dedetis, & cum eo Mnasimachum Acarnana, & Chalcidenses Philonē & Eubulidam. In deteriore sua fortuna pacem faciet rex, quia serius facit quam facere potuit. si nunc moratus fuerit, sciat regum maiestatem difficilius ab sūmo fastigio ad medium detrahi quam à mediis ad ima præcipitari. Cum his mandatis ab rege missi erant legati, vt omnem pacis conditionem acciperent. itaque Romam mitti legatos placuit. Cos. in hyberna exercitum Magnesiam ad Mæandrum & Tralleis Ephesumque diuisit. Ephesum ad Cos. paucos post dies obsides ab rege adducti sunt: & legati, qui Romam irent, venerunt. Eumenes quoque eodem tempore profectus est Romam, quo legati regis secutæ eos sunt legationes omnium Asiæ populorum. Dum hæc in Asia geruntur, duo fere sub idē tempus cum triumphi spe proconsules de prouinciis Romam redierūt: Q. Minutius ex Liguribus, M. Acilius ex Ætolia. Auditis vtriusq; rebus gestis, Minutio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus. isque triumphans de rege Antiocho & Ætolis vrbem est inuectus. Prælata sunt in eo triūpho signa militaria CCXXX. & argenti infecti tria millia pondo: signati tetradrachmum Atticum CXIII. millia: cistophorum CCXLII. vasa argentea cælata multa, magnique ponderis. tulit & supellectilem regiam, argenteam, ac vestem magnificam, coronas aureas, dona sociarum ciuitatum XLV. spolia omnis generis: captiuos nobiles, Ætolos, & regios duces sex & triginta duxit. Damocritus Ætolorum dux paucos ante dies cum è carcere nocte effugisset, in ripa

A Tyberis consecutis custodibus, priusquam comprehenderetur, gladio se transfixit. milites tantum, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus & spectaculo, & fama rerum triumphus fuit. Huius triumphi minuit lætitiam nuntius ex Hispania tristis, aduersa pugna in Vascetanis ductu L. Æmylij proprætoris apud oppidum Liconem cum Lusitanis sex millia de exercitu Romano cecidisse: ceteros pauentes intra vallum compulsos ægrè castra defendisse, ad modum fugiētium magnis itineribus in B agrum pacatum reductos. Hæc ex Hispania nuntiata. Ex Gallia legatos Placentinorum & Cremonensium L. Aurunculeius pretor in senatum introduxit. Iis querētibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo absūmtis, quosdā tædio accolarum Gallorum reliquisse colonias: decreuit senatus, vti C. Lælius Cos. si ei videretur, sed millia familiarum conscriberet, quæ in eas colonias diuideretur. & vt L. Aurunculeius pretor triumuiros crearet ad eos colonos deducēdos. Creati M. Attilius Serranus, L. C Valerius P.F. Flaccus, L. Valerius C.F. Tappo. Haud ita multo post cum iam cōsularium comitiorū appeteret tempus: C. Lęlius Cos. ex Gallia Romam rediit. is non solum ex facto absente se SC. in supplementum Cremonæ & placentiæ colonos scripsit, sed vt noue coloniæ duę in agrum qui Boiorū fuisset, deducerentur, & retulit, & auctore eo patres censuerunt. Eodem tempore L. Æmylij pretoris literæ allatę de nauali pugna ad Myonesum facta, & L. Scipionem Cos. exercitum in Asiam traiecisse. Victo-D rię naualis ergo in vnum diem supplicatio decreta est: in alterum diem, quod exercitus Romanus tum primum in Asia posuisset castra, vt ea res prospera & læta eueniret, vicenis maioribus hostiis in singulas supplicationes sacrificare Cos. est iussus. Inde consularia comitia magna cōtentione habita. M. Æmylius Lepidus petebat, aduersa fama hominum, quod prouinciam Siciliam petendi caussa, non consulto senatu vt sibi id facere liceret, reliquisset. petebant cum eo. M. Fuluius Nobilior, Cn. Manlius Volso, M. Valerius Messala. Fuluius Cos. vnus creatur, cū cete-E ri cēturias nō explessent. isque postero die Cn. Manlium, Lepido deiecto (nam Messala tacuit) collegam dixit. Præ. exinde facti, duo Q. Fabij, Labeo & Pictor (flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat) M. Sempronius. Tuditanus, Sp. Posthumius Albinus, L. Plautius Hypseus, L. Bæbius Diues. M. Fuluio Nobiliore, & Cn. Man. Volsone Coss. Valerius Antias auctor est rumorem celebrem Romæ fuisse, & pene pro certo habitum, recipienti Scipionis adole-F scentis caussa Cos. L. Scipionem, & cum eo P. Africanum in colloquium euocatos regis, & ipsos comprehensos esse & ducibus captis confestim ad castra Romana exercitum ductū, eáque expugnata, & deletas omnes copias Romanorum esse: ob hæc Ætolos sustulisse animos, & abnuisse imperata facere, principésque eorum in Macedoniam & in Dardanos & in Thraciam ad conducenda mercede auxilia profectos: hæc qui nuntiarent Romam, A. Terentium Varronem, & M. Claudium Lepidum ab C. G Cornelio proprætore ex Ætolia missos esse. Subtexit deinde fabulæ huic, legatos Ætolos in senatu inter cetera hoc quoque interrogatos esse: vnde audissent imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege, & exercitum deletum esse? Ætolos respondisse, ab suis legatis se, qui cum Cos. fuerint, certiores factos. Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque affirmata res mea opinione sit, nec pro vana prætermissa. Ætoli legati in senatū introducti, cum & caussa eos sua & fortuna hortaretur,

retur, vt confitendo seu suæ culpæ, seu errori veniá peterent supplices: orsi à beneficiis in populum Romanum, & propè exprobrantes virtutem suam in Philippi bello, & offenderunt aures insolentia sermonis: & eò, vetera & oblitterata repetendo, rem adduxerunt, vt haud paulo plurium maleficiorũ generis, quàm beneficiorum memoria subiret animos patrum, & quibus misericordia opus erat, iram & odium irritarent. Interrogati ab vno senatore, permitterentne arbitrium de se populo Romano? deinde ab altero, habiturine eosdem quos populus Romanus, socios & hostes essent? nihil ad ea respondentes egredi templo iussi sunt. Conclamatum deinde propè ab vniuerso senatu est, totos adhuc Antiochi Ætolos esse: & ex vnica ea spe pendere animos eorum. itaque bellum cum haud dubiis hostibus gerendum, perdomandosque feroces animos esse. Etiam illa res accendit, quod eo ipso tempore quo pacem ab Romanis petebant, Dolopiæ atque Athamaniæ bellum inferebant. Senatusconsultum in M. Acilij sententiam, qui Antiochum Ætolosque deuicerat, factum est, vt Ætoli eo die iuberẽtur proficisci ab vrbe, & intra quintumdecimum diem Italia excedere. A. Terentius Varro ad custodiendum iter eorum missus, denuntiatúmque, si qua deinde legatio ex Ætolis, nisi permissu imperatoris, qui eam prouinciam obtineret, & cum legato Romano venisset Romam, pro hostibus omnes futuros. Ita dimissi Ætoli. De prouinciis deinde Coss. retulerunt. sortiri eos Ætoliam & Asiam placuit, qui Asiam sortitus esset, exercitus ei quem L. Scipio haberet, est decretus, & in eius supplementum quatuor millia peditum Romanorum, ducenti equites, & sociorum ac Latini nominis octo millia peditum, & quadringenti equites: his copiis vt bellum cum Antiocho gereret. Alteri Cos. exercitus, qui erat in Ætolia, est decretus: & vt in supplementũ scriberet, permissum, ciuium sociorumque eundem numerum quem collega: naues quoque idem Cos. quæ priore anno paratæ erant, ornare iussus, ac ducere secum: nec cum Ætolis solum bellum gerere, sed etiam in Cephaleniam insulam traiicere. Mandatum eidem, si per commodum reipub. facere posset, vt ad comitia Romam rediret: nam præterquam quod, magistratus annui subrogandi essent, censores quoque placere creari. si qua res eum teneret, senatum certiorem faceret, se ad comitiorum tempus occurrere non posse. Ætolia M. Fuluio, Asia Cn. Manlio sorte euenit. Prætores deinde sortiti sunt, Sp. Posthumius Albinus vrbanam, & inter peregrinos M. Sempronius Tuditanus Siciliam, Q. Fabius Pictor flamen Quirinalis Sardiniam, Q. Fabius Labeo classem, L. Plautius Hypseus Hispaniam citeriorem, L. Bæbius Diues Hispaniam vlteriorem. Siciliæ legio vna, & classis quæ in ea prouincia erat, decreta. & vt duas decimas frumenti nouus prætor imperaret Siculis, earum alteram in Asiam, alteram in Ætoliam mitteret. idem ab Sardis exigi, atque ad eosdem exercitus id frumentum, ad quos Siculum deportari iussum. L. Bæbio supplementum in Hispaniam datum mille Romani pedites, equites quinquaginta, & sex millia peditũ Latini nominis, & CC. equites. Plautio Hypseo in Hispaniam citeriorem mille Romani dati sunt pedites, duo millia socium Latini nominis, & ducenti equites. cum his supplemẽtis vt singulas legiones duæ Hispaniæ haberent. Prioris anni magistratibus C. Lælio cum suo exercitu prorogatum in annum imperium est. Prorogatum & P. Iunio proprætori in Hetruria cum eo exercitu qui in prouincia esset: & M. Tuccio proprætori in Bruttiis & Apu-

A lia. Priusquam in prouincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Posthumiũ Albinum fuerat. Cos. illum cum C. Luctantio collega in Siciliam ad classem proficiscentem. ad sacra retinuerat Metellus Pont. Max. prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit. & in senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum est, & imperia inhibita vltro citróque, & pi-
B gnora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, & prouocatum ad populum est. religio ad postremum vicit, & dicto audiẽs esse flamen pontifici iussus: & mulctæ ex iussu populi remissæ. Ira prouinciæ ereptæ prætorem magistratu abdicare se conantem, patres auctoritate sua deterruerunt: & vt ius inter peregrinos diceret, decreuerunt. Delectibus deinde intra paucos dies (neque enim multi milites legendi erant) perfectis, Cos. prætoresque in prouincias proficiscuntur. Fama deinde de rebus in Asia gestis
C temerè vulgata sine auctore: & post dies paucos nuntij certi, literæque imperatoris Romam allatæ, quæ non tantum gaudium ab recenti metu attulerant (desierant enim victam Ætoliam metuere) quá auerterunt famam, quod ineuntibus id bellum grauis hostis & suis viribus, & quod Annibalem rectorem militiæ haberet, visus fuerat. nihil tamen aut de Cos. mittendo in Asiam mutandum, aut minuendas eius copias censuerunt: metu, ne cum Gallis foret bellandum. Haud multo post M. Aurelius Cotta,
D legatus L. Scipionis, cum Antiochi regis legatis, & Eumenes rex Rhodiique, Romam venerunt. Cotta in senatu primum: deinde in cõcione iussu patrum, quæ acta in Asia essent, exposuit. supplicatio inde in triduum decreta est: & XL. maiores hostiæ immolari iussæ. Tum omnium primum Eumeni senatus datus est. Is cum breuiter & egisset gratias patribus, quod obsidione se ac fratrem exemissent, regnumque ab iniuriis Antiochi vindicassent: & gratulatus esset, quod mari terráq; prosperè res gessissent: quod-
E que regem Antiochum fusum fugatúmque, & exutũ castris, prius Europa, pòst & Asia, quæ cis Taurum montem est, expulissent: sua deinde merita malle eos ex imperatoribus suis legatisque, quàm se cõmemorante cognoscere dixit. Hæc approbantibus cunctis, iubentibusque dicere ipsum omissa in id verecundia, quid sibi ab S.P.Q.R. tribui æquũ censeret, propensius cumulatiúsque, si quo possit, prout eius merita sint, senatum facturum. ad ea rex: Si ab aliis sibi præmiorũ optio deferretur, libenter, data modo fa-
F cultate consulendi senatũ Romanum, consilio amplissimi ordinis vsurũ fuisse, ne quid aut immoderatè cupisse, aut petisse parũ modestè videri posset. verum enimuerò cũ ipsi daturi sint, multo magis munificentiam eorũ in se fratrésque suos ipsorũ arbitrij debere esse. Nihil hac oratione eius P.C. deterriti sunt, quo minus dicere ipsum iuberẽt. & cum aliquandiu hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes inuicé, non magis mutua quá inexplicabili facilitate certatũ esset, Eumenes templo exces-
G sit. Senatus in eadem perstare sentẽtia, vt absurdum esse diceret, ignorare regem quid sperans aut petens venerit, quæ commoda regno suo sint, ipsum optimè scire: Asiam longe melius quàm senatum nosse. reuocandum igitur, & cogendum, quæ vellet, quæque sentiret, exprimere. Reductus a prætore in templum rex, & dicere iussus: Perseuerassem, inquit, tacere P.C. nisi Rhodiorum legationem mox vocaturos vos scirem: & illis auditis, mihi necessitatẽ fore dicendi, quæ quidem eo difficilior oratio erit, quod

A ea postulata eorum futura sunt: vt non solum nihil, quod contra me sit, sed ne quod ad ipsos quidem propriè pertineat, petere videantur. agent enim caussam ciuitatum Græcarum,& liberari eas dicent debere. quo impetrato, cui dubium est, quin & à nobis auersuri sint, non eas modo ciuitates quæ liberabuntur, sed etiam veteres stipendiarias nostras? ipsi autem tanto obligatos beneficio, verbo socios, reuera subiectos imperio & obnoxios habituri sint? & (si diis placet) cùm has tantas opes affectabunt, B dissimulabunt vlla parte id ad se pertinere: vos modo id decere, & conueniens esse antefactis dicent. Hæc vos ne decipiat oratio, prouidendum vobis erit, néve non solum inæqualiter alios nimium deprimatis ex sociis vestris, alios præter modum extollatis: sed etiam ne qui aduersus vos arma tulerint, in meliore statu sint quam socij & amici vestri. Quod ad me attinet, in aliis rebus cessisse intra finem iuris mei cuilibet videri malim, quam nimis pertinaciter in obtinenda eo tetendisse. In certamine autem amicitiæ vestræ, beneuolentiæ erga C vos, honoris qui à vobis habebitur, minimè æquo animo vinci possum. Hanc ego maximam hereditatem à patre accepi, qui primus omnium Asiam Græciamque incolentium in amicitiam vestram venit, eámque perpetua & constanti fide ad extremum finem vitæ perduxit: nec animum duntaxat vobis bonum ac fidelem præstitit, sed omnibus interfuit bellis quæ in Græcia gessistis, terrestribus naualibusque: omni genere commeatuum ita, vt nemo sociorum vestrorum æquari vlla parte posset, D vos adiuuit. postremo cùm Bœotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa concione intermortuus, haud multo post exspirauit. Huius ego vestigia ingressus, voluntati quidem & studio in colendis vobis adiicere (etenim inexsuperabilia hæc erant) nihil potui: rebus ipsis meritisque & impensis officiorum vt superare possem, fortuna, tempora, Antiochus, & bellum in Asia gestum præbuerunt materiam. Rex Asiæ, & partis Europæ Antiochus filiam E suam in matrimonium mihi dabat, restituebat extemplo ciuitates quæ defecerant à nobis, spem magnam in posterum amplificandi regni faciebat, si secum aduersus vos bellum gessissem. Non gloriabor eo, quod nihil in vos delinquerim: illa potius, quę Vetustissima domus nostrę vobiscū amicitia digna sunt, referam. terrestribus naualibusque copiis, vt nemo vestrorum sociorum ęquiparare posset, imperatores vestros adiuui: commeatus terra marique suppeditaui: naualibus prœliis, quæ multis locis fa- F cta sunt, omnibus affui: nec labori meo, nec periculo vsquam peperci: quod miserrimum est in bello, obsidionem passus sum, Pergami inclusus cum discrimine vltimo simul vitæ regnique, liberatus deinde obsidione, cum alia parte Antiochus, alia Seleucus circa arcem regni mei castra haberent, relictis rebus meis, tota classe ad Hellespontum L. Scipioni Cos. vestro occurri, vt eum in traiiciendo exercitu adiuuarem. Postquā in Asiam exercitus vester est transgressus, nunquam à Cos. abscessi. nemo miles Romanus magis assiduus in castris vestris fuit, G quam ego, fratrésque mei. nulla expeditio, nullum equestre prælium sine me factum est. in acie ibi steti, eam partem sum tutatus, in qua me Cos. esse voluit. Non sum hoc dicturus P.C. quis hoc bello meritis erga vos mecum comparari potest? ego nulli omnium neque populorum, neque regnum, quos in magno honore habetis, non ausim me comparare. Masanissa hostis vobis antequam socius fuit: nec incolumi regno cum auxiliis suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copiis, cum turma equitum in castra confugit vestra: tamen eum, quia in Africa aduersus Syphacem & Carthaginienses fideliter atque impigrè vobiscum stetit, non in patrium solum regnum restituistis: sed adiecta opulentissima parte Syphacis regni, præpotentem inter Africæ reges fecistis. Quo tandem igitur nos pręmio atque honore digni apud vos sumus, qui nunquam hostes, semper socij fuimus? Pater, ego fratresque mei non in Asia tantum, sed etiam procul ab domo in Peloponneso, in Bœotia, in Ætolia, Philippi, Antiochi, Ætolico bello, terra marique pro vobis arma tulimus. Quid ergo postulas? dicat aliquis. Ego P.C. quoniam dicere vtique volentibus vobis parendum est: si vos ea mente vltra Tauri iuga Antiochum emouistis, vt ipsis teneretis eas terras: nullos accolas nec finitimos habere, quam vos malo: nec vlla alia re tutius stabiliúsque regnum meum futurum spero. sed si vobis decedere inde, atque exercitus deducere in animo est: neminem digniorē esse ex sociis vestris, qui bello à vobis parta possideat, quam me, dicere ausim. At enim magnificum est liberare ciuitate seruas. ita opinor, si nihil hostile aduersus vos fecerunt: sin autem Antiochi partis fuerunt, quanto est vestra prudentia & æquitate dignius, sociis benemeritis, quam hostibus vos consulere? Grata oratio regis patribus fuit,& facilè apparebat munificè omnia & propenso animo facturos. Interposita Smyrnæorum breuis legatio est, quia non aderant quidam Rhodiorū. Collaudatis egregiè Smyrnæis, quod omnia vltima pati, quam se regi tradere maluissent: introducti Rhodij sunt. quorum princeps legationis, expositis initiis amicitiæ cum P.R. meritisque Rhodiorum Philippi prius, deinde Antiochi bello: Nihil, inquit, nobis tota nostra actione. P.C. neque difficilius, neque molestius est, quā quod cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo vno maximè regum, & priuatum singulis,&, quod magis nos mouet, publicum ciuitati nostrę hospitium est. ceterum non animi nostri P.C. nos, sed rerum natura, quę potentissima est, disiungit, vt nos liberi etiam aliorum libertatis caussam agamus: reges serua omnia, & subiecta imperio sua esse velint. Vt cúmque tamen res se habet, magis verecundia nostra aduersus regem nobis obstat, quam ipsa disceptatio aut nobis impedita est, aut vobis perplexam deliberationem præbitura videtur. nam si aliter socio atque amico regi, & benemerito hoc ipso in bello, de cuius præmiis agitur, honos haberi nullus posset, nisi liberas ciuitates ei in seruitutem traderitis, esset deliberatio anceps, ne aut regem amicum inhonoratum dimitteretis, aut decederetis instituto vestro.& gloriam Philippi bello partam, nunc seruitute tot ciuitatum deformaretis, sed ab hac necessitate aut gratiæ in amicum minuendæ, aut gloriæ vestræ, egregiè vos fortuna vindicat. est enim deum benignitate non gloriosa magis quam diues victoria vestra: quæ vos facilè isto velut ęre alieno exsoluat. nam & Lycaonia, & Phrygia vtraque, & Pisidia omnis, & Chersonesus, quæque circumiacent Europę, in vestra sunt potestate: quarum vna quęlibet regi adiecta multiplicare regnum Eumenis potest: omnes verò datæ maximis eum regibus æquare. Licet ergo vobis & præmiis belli ditare socios, & non decedere instituto vestro: & meminisse quem titulum prætenderitis prius aduersus Philippum, nūc aduersus Antiochum belli: quid feceritis Philippo victo, quid nunc à vobis, non magis quia fecistis, quàm quia id vos facere decet, desideretur atque exspectetur. alia enim aliis & honesta & probalis est caussa

armo-

rum. illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi portus orámque aliquá maris vt possideát: vos nec cupistis hæc antequam haberetis, nec nunc cum orbis terrarum in ditione vestra sit, cupere potestis. pro dignitate & gloria apud omne genus humanum, quod vestrum nomen imperiumque iuxta ac deos immortales iam pridem intuetur, pugnastis. quæ parare & quærere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit. gentis vetustissimæ nobilissimæque vel fama rerum gestarú, vel omni commendatione humanitatis doctrinarúmque, tuendam ab seruitio regio libertatem suscepistis. hoc patrocinium receptæ in fidem & clientelam vestram vniuersæ gentis perpetuum vos præstare decet, Non quæ in solo modo antiquo sunt, Græcæ magis vrbes sunt quàm coloniæ earum, illinc quondam profectæ in Asiam: nec terra mutata mutauit genus aut mores. certare pio certamine cuiuslibet bonæ artis ac virtutis ausi sumus cum parentibus quæque ciuitas & conditoribus suis. Adistis Græciæ, adistis Asiæ vrbes plerique, nisi quod longius à vobis absumus, nulla vincimur alia re. Massilienses, quos, si natura insita velut ingenio terræ vinci posset, iampridem efferassent tot indomitæ circumfusæ gentes: in eo honore, in ea merito dignitate audimus apud vos esse, ac si medium vmbilicú Græciæ incolerent. non enim sonum modo linguæ, vestitúmque & habitum, sed ante omnia mores & leges & ingenium syncerum integrúmque à contagione accolarum seruarunt. Terminus est nunc imperij vestris mons Taurus. quicquid intra eum cardinem est, nihil longinquum vobis videre debet. quò arma vestra peruenerunt, eodem ius hinc profectú perueniat. Barbari, quibus pro legibus semper dominorum imperia fuerunt, quo gaudent, reges habeant: Græci suam fortunam, vestros animos gerunt. domesticis quódam viribus etiam imperium amplectebantur. nunc imperium vbi est, ibi vt sit perpetuum, optant: libertatem vestris tueri armis satis habent, quoniam suis non possunt. At enim quędam ciuitates cum Antiocho senserunt: & aliæ prius cum Philippo, & cum Pyrrho Tarentini, ne alios populos enumerem, Carthago libera cum suis legibus est. Huic vestro exemplo quantum debeatis, videte P.C. inducetis in animum negare Eumenis cupiditati, quod iustissimæ iræ vestræ negatis. Rhodij & in hoc & in omnibus bellis quæ in illa ora gessistis, quam forti fidelique opera vos adiuuerimus, vestro iudicio relinquimus, nunc in pace id consilium afferimus, quod si comprobaueritis, magnificentius vos victoria vsos esse quam vicisse, omnes existimaturi sint. Apta magnitudini Romanæ oratio visa est. Post Rhodios Antiochi legati vocati sunt. Ij vulgato petentium veniam more, errorem fassi regis, obtestati sunt P. C. vt suæ potius clementiæ, quàm regis culpæ, qui satis superque pœnarum dedisset, memores consulerent: postremo pacem datam à L.Scipione imperatore, quibus legibus dedisset, confirmarent auctoritate sua. Et senatus eam pacem seruandam censuit: & paucos post dies populus iussit. fœdus in Capitolio cum Antipatro principe legationis, & eodem fratris filio regis Antiochi est ictum. Auditæ deinde & aliæ legationes ex Asia sunt, quibus omnibus datum est responsum, decem legatos more maiorum senatum missurum ad res Asiæ disceptandas componendásque: summam tamen hanc fore, vt cis Taurum montem quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam Cariámque, vsque ad Mæandrum amné, ea ciuitatis Rhodiorum essent. ceteræ ciuitates Asiæ quæ Attali stipendiariæ fuissent, eędem Eumeni ve-

A ctigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuissent eæ liberæ atque immunes essent. Decem legatos hos decreuerunt: Q.Minutium Rufum, L.Furium Purpurionem, Q.Minutium Thermum, Ap.Claudium Neronem, Cn.Cornelium Merulá, M.Iunium Brutum, L.Aurunculeium, L.Æmylium Paulum, P.Cornelium Lentulum, P.Ælium Tuberonem. His quæ præsentis disceptationis essent, libera mandata de summa rerum senatus constituit. Lycaoniam omnem, & Phrygiam vtramque, & Mysiam, regias syl- B uas & Lidiæ Ioniæque extra ea oppida quæ libera fuissent, quo die cum rege Antiocho pugnatum est, & nominatim Magnesiam ad Sipylum, & Cariam, quæ Hydrela appellatur, agrúmque Hydreletanum ad Phrygiam vergentem, & castella vicósque ad Mæandrum amnem, & oppida, nisi quæ libera ante bellum fuissent: Telmissum item nominatim, & castra Telmissium, præter agrum qui Ptolomei Telmissij fuisset: hæc omnia quæ supra scripta sunt, re- C gi Eumeni iussa dari. Rhodiis Lycia data, extra eundem Telmissum, & castra Telmissium & agrum qui Ptolemæi Telmissij fuisset: hæc & ab Eumene & ab Rhodiis excepta. Ea quoque his pars data Cariæ, quæ propior Rhodum insulam trans Mæandrum amnem est: oppida, vici, castella, agri qui ad Pisidiam vergunt: nisi quæ eorum oppida in libertate fuissent pridie quam cum Antiocho rege in Asia pugnatum est. Pro his cum gratias egissent Rhodij: de Solis vrbe, quæ in Cilicia est, egerunt. Argis & illos, sicut sese, oriundos esse. ab ea germanitate fra- D ternam sibi cum iis caritatem esse. petere hoc extraordinarium munus, vt eam ciuitatem ex seruitute regia eximerent. Vocati sunt regis Antiochi legati, actúmque cum iis est: nec quicquam impetratum, testante fœdera Antipatro: aduersus quæ ab Rhodiis non Solos, sed Ciliciam peti, & iuga Tauri transcendi. Reuocatis in senatum Rhodiis, cum quantopere tenderet legatus regius, exposuissent patres, adiecerant: si vtique eam rem ad ciuitatis suæ dignitatem pertinere censerent Rhodij, senatum o- E mni modo expugnaturum pertinaciam legatorum. Tum verò impensius quàm ante Rhodij gratias egerunt: cessurósque se potius arrogantiæ Antipatri, quàm caussam turbandæ pacis præbituros dixerunt. ita nihil de Solis mutatum est. Per eos dies, quibus hæc gesta sunt, legati Massiliensium nuntiauerunt, L.Bæbium prætorem in prouinciam Hispaniam proficiscentem, ab Liguribus circumuentum, magna parte comitum cæsa, vulneratum ipsum cum paucis sine lictoribus Massiliam perfugisse, & intra triduú exspirasse. Senatus ea re audita decreuit, F vti P. Iunius Brutus, qui proprætor in Hetruria esset, prouincia exercitúque tradito vni cui videretur ex legatis, ipse in vlteriorem Hispaniam proficisceretur: eáque ei prouincia esset. Hoc S.C. literæque à Sp. Posthumio prætore in Hetruriam missæ sunt. profectúsque in Hispaniam est P. Iunius proprætor, in qua prouincia prius aliquáto quam successor veniret, L. Æmylius Paulus, qui postea regem Persea magna gloria vicit, cum priore anno haud prospere rem gessisset: tumultuario exercitu colle- G cto, signis collatis cum Lusitanis pugnauit. fusi fugatique sunt hostes. cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia ac c c. capti, & castra expugnata. Huius victoriæ fama tranquilliores in Hispania res fecit. Eodem anno ante diem tertium Calendas Ianuarias Bononiam Latinam coloniam ex S.C. L. Valerius Flaccus, M.Atilius Serranus, L. Valerius Tappo triumuiri deduxerunt. tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena iugera, ceteris

colonis quinquagena sūt data. ager captus de Gallis Boiis fuerat. Galli Tuscos expulerant. Eodem anno censuram multi & clari viri petierunt. quę res tanquam in se parum magni certaminis caussam haberet, aliam contentionem multo maiorem excitauit. petebant T. Quintius Flamininus, P. Cornelius, Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, M. Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Aetolosque deuicerat. in hunc maximè, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, fauor populi se inclinabat. Id cum ęgrè paterentur tot nobiles, nouum sibi hominem tātum præferri: P. Sempronius Gracchus. & C. Sempronius Rutilius tribuni plebis, ei diem dixerunt, quod pecuniæ regiæ prædæque aliquantum captæ in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium detulisset. Varia testimonia legatorum tribunorúmque militum erant. M. Cato ante alios testes conspiciebatur: cuius auctoritatem perpetuo tenore vitæ partam, toga candida eleuabat. is testis, quæ vasa aurea atque argentea captis castris inter aliam prædam regiam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse. postremo in huius maximè inuidiā desistere se petitione Glabrio dixit; quando quod taciti indignarentur nobiles homines, id æque nouus competitor inæstimabili periurio incesseret. centum millium mulcta irrogata erat. his de ea re certatum est. tertio, cum de petitione destitisset reus: nec populus de mulcta suffragium ferre voluit: & tribuni eo negotio destiterunt. Censores, T. Quintius Flamininus, M. Claudius Marcellus creati. Per eosdem dies L. Aemylio Regillo, qui classe præfectum Antiochi regis deuicerat, extra vrbem in æde Apollinis cum senatus esset, auditis rebus gestis eius, quātis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naues demersisset aut cepisset, magno cōsensu patrum triumphus naualis est decretus. Triumphauit Cal. Februariis. in eo triumpho vndequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt: pecunia nequaquam tanta pro specie regij triumphi. tetradrachma Attica XXXIIII. millia DCC. cistophorum CXXXII. millia CCC. Supplicationes deinde fuerūt ex S.C. quod L. Aemylius Paulus in Hispania prospere rem gessisset. Haud ita multo post L. Scipio ad vrbem venit: qui ne cognomine fratri cederet, Asiaticum se appellari voluit: & in senatu & in concione de rebus ab se gestis disseruit. Erant qui fama id maius bellum quam difficultate rei fuisse interpretarentur: vno memorabili prælio debellatum, gloriamque, eius victoriæ defloratam ad Thermopylas esse. Caeterum vere æstimanti, Aetolicum magis ad Thermopylas bellum quam regium fuit. quota enim parte virium suarum ibi dimicauit Antiochus? in Asia totius Asiæ steterunt vires, ab vltimis orientis omnium gentium contractis auxiliis. Merito ergo & diis immortalibus, quātus maximus poterat, habitus est honos, quod ingentem victoriam facilem etiam fecissent: & imperatori triumphus est decretus. Triumphauit mense intercalario pridie Calen. Martias, qui triumphus spectaculo oculorū maior quàm Africani fratris eius fuit: recordatione rerum & æstimatione periculi certaminisque non magis comparandus, quam si imperatorem imperatori, aut Antiochum ducem Annibali cōferres. Tulit in triūpho, signa militaria CCXXXIIII. oppidorum simulacra CXXXIIII. eburneos dentes mille CCXXXI. aureas coronas CCXXXIIII. argenti pondo CXLVII. millia, & CCCCXX. tetradrachmum Atticorum CCXXXIIII. millia: cistophorum CCCXXXI.

A millia, & LXX. nummos aureos Philippeos CXL. millia: vasorum argenteorum (omnia cælata erant) mille pondo & CCCCXXIII. aureorum mille pondo XXIIII. & duces regij præfecti, & purpurati duo XXX. ante currum ducti. Militibus quini viceni denarij dati: duplex centurioni, triplex equiti, & stipendium militare, & frumentum duplex post triumphum datum. prælio in Asia facto duplex dederat. Triumphauit anno fere postquam consulatu abiit. Eodem fere tempore & Cn. Manlius Cos. in Asiam, & Q. Fabius Labeo Pr. ad classem venit. Caeterum
B Cos. non deerat cum Gallis belli materia. mare pacatum erat, deuicto Antiocho. cogitanti itaque Fabio, cui rei potissimū insisteret, ne otiosam prouinciam habuisse videri posset: optimum visum est in Cretam insulam traiicere. Cydoniatę bellum aduersus Gortynios Gnosiósque gerebant & captiuorum Romanorum atque Italici generis magnus numerus in seruitute esse per totam insulam dicebatur. Classe ab Epheso profectus, cum primum Cretæ littus attigit, nuntios circa ciuitates misit, vt ar-
C mis absisterent, captiuosque in suis quæque vrbibus agrisque conquisitos reducerēt, & legatos mitterēt ad se, cum quibus de rebus ad Cretenses pariter Romanosque pertinentibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenses mouerunt. captiuos, præter Gortynios, nulli reddiderūt. Valerius Antias ad quatuor millia captiuorum, quia belli minas timuerūt, ex tota insula reddita scripsit: eámque caussam Fabio, cùm rem nullam aliam gessisset, naualis triūphi impetrandi ab senatu fuisse. A Creta Ephesum Fa-
D bius rediit, inde tribus nauibus in Thraciæ orā missis ab Æno & Marona pręsidia Antiochi deduci iussit, vt in libertate eæ ciuitates essent.

DECADIS QVARTAE

LIBER VIII.

E DVm in Asia bellum geritur, ne in Aetolia quidem quietę res fuerant. principio à gēte Athamanū orto. Athamania ea tēpestate, pulso Aminādro, sub præfectis Philippi regio tenebatur presidio, qui superbo atque immodico desideriū imperio Amināndri fecerāt. Exsulāti tū Aminandro in Ætolia, literis suorum, indicantium statum Athamaniæ, spes re-
F cuperandi regni facta est. remissique nuntij ab eo ad principes Argitheam (id enim caput Athamaniæ erat) si populárium animos satis perspectos haberet, inpetrato ab Ætolis auxilio, in Athamaniam se venturum cum delectis ætolorum, quod consilium esset gentis, & Nicandro pr. Quos vbi ad omnia paratos esse vidit, certiores subinde facit, quo die cum exercitu Athamaniam ingressurus esset. Quatuor primo fuere coniurati aduersus Macedonum præsidium. hi senos sibi adiutores ad rem ge-
G rēdam assumserunt. deinde paucitate parum freti, quæ celandæ rei quam agendæ aptior erat, parem priori numerum adiecerunt. ita duo & L. facti, quadrifariam se diuiserant. pars vna Heracleam, altera Tetraphyliam petit, vbi custodia regiæ pecuniæ esse solita erat: tertia Theudoriam, quarta Argitheam. Ita inter omnes conuenit, vt primo quieti, velut ad priuatam rem agendam venissent, in foro obuersarentur: die certa multitudinē omnem conuocarent ad

præsidia

præsidia Macedonum arcibus expellenda. Vbi ea dies aduenit, & Aminander cum mille Ætolis in finibus erat: ex composito quatuor simul locis præsidia Macedonum expulsa, literæque in alias vrbes passim dimissæ, vt vindicarent sese ab impotenti dominatione Philippi, & restituerent in patrium ac legitimum regnum. Vndique Macedones expelluntur. Theium oppidum literis à Zenone præfecto præsidij interceptis, & arce ab regiis occupata, paucos dies obsidentibus restitit: deinde id quoque traditum Aminandro est, & omnis Athamania in potestate erat, præter Athenæum castellum, finibus Macedoniæ subiectum. Philippus audita defectione Athamaniæ, cum sex millibus armatorum profectus, ingenti celeritate Gomphos peruenit. ibi relicta maiore parte exercitus, (neque enim ad tanta itinera suffecissent) cum duobus millibus Athenæum, quod vnum à præsidio suo retentum fuerat, peruenit. inde proximis tentatis, cùm facile animaduertisset cetera hostilia esse, Gomphos regressus, omnibus copiis simul in Athamaniam redijt. Zenonem inde cum mille peditibus præmissum Ethopiam occupare iubet, opportunè Argitheæ imminentem: quem vbi teneri à suis locum vidit, ipse circa templum Ioui sacrum posuit castra. ibi vnum diem fœda tempestate retentus, postero die ducere ad Argitheam intendit. Euntibus extemplo apparuere Athamanes, in tumulos imminentes viæ discurrentes. ad quorum conspectum constitere prima signa, totóque agmine pauor & trepidatio erat: & pro se quisque, quidnam futurum esset, cogitare, si in valles subiectas rupibus agmen foret demissum. Hæc tumultuatio regem cupientem, si se sequerentur raptim euadere angustias, reuocare primos, & eadem qua venerat via referre coegit signa. Athamanes primo ex interuallo quieti sequebantur. postea quam Ætoli sese coniunxerunt, hos, vt ab tergo agmini instarent, reliquerunt: ipsi à lateribus se circumfuderunt. quidam per notos calles breuiore via prægressi, transitus insedere: tantúmque tumultus Macedonibus est iniectum: vt fugæ magis effusæ, quàm itineris ordinati modo, multis armis virisque relictis, flumen traiecerint. His finis sequendi fuit. inde tuto Macedones Gomphos, & à Gomphis in Macedoniam redierunt. Athamanes Ætolique Ethopiam ad Zenonem ac mille Macedonas opprimendos vndique concurrerunt. Macedones parum loco freti, ab Ethopia in altiorem deruptioremque vndique tumulum concessere, quo pluribus locis aditu inuento expulere eos Athamanes: dispersósque & per inuias atque ignotas rupes iter fugæ non expedientes: partim ceperunt, partim interfecerunt multi pauore in derupta præcipitati, perpauci cum Zenone ad regem euaserunt. postera die per inducias sepeliendi cæsos potestas facta est. Aminander recuperato regno legatos & Romam ad senatum, & ad Scipiones in Asiam, Ephesi post magnum cum Antiocho prælium morantes, misit. Pacem petebat, excusabátque sese, quod per Ætolos recuperasset paternum regnum. Philippum incusabat. Ætoli ex Athamania in Amphilochos profecti sunt, & maioris partis voluntate in ius ditionémque totam redegerunt gentem. Amphilochia recepta (nam fuerat quondam Ætolorum) eadem spe in Aperantiam transcenderunt: ea quoque magna ex parte sine certamine in deditionem venit. Dolopes nunquam Ætolorum fuerant: Philippi erant hi primum ad arma concurrerunt: ceterum posteaquam Amphilochos cum Ætolis esse, fugámque ex Athamania Philippi, & cædem præsidij eius accepere, & ipsi à Philippo

A ad Ætolos deficiũt. Quibus circũiectis gentibus iam vndique se à Macedonibus tutos credentib. esse Ætolis fama affertur Antiochum in Asia victum ab Romanis. nec ita multo post legati ab Roma rediere sine spe pacis Fuluiúmque Cos. nuntiátes iam cum exercitu traiecisse. His territi, prius ab Rhodo & Athenis legationibus excitis, vt per auctoritatem ciuitatum earum suæ preces nuper repudiatæ, faciliorem aditum ad senatum haberent: principes gentis ad tentandum vltimam spem Romam miserunt:

B nihil, ne bellum haberent, priusquam penè in conspectu hostis erat, præmeditati. Iam M. Fuluius Apolloniam exercitu traiecto cum Epirotarum principibus consultabat, vnde bellum inciperet. Epirotis Ambraciam placebat aggredi, quæ tum contribuerat se Ætolis. siue ad tuendam eam venirent Ætoli, apertos circa campos ad dimicandum esse: siue detrectarent certamen, oppugnationem fore haud difficilem. nam & copiam in propinquo materiæ ad aggeres excitandos & cetera opera esse: &

C Arethontem nauigabilem amnem opportunum ad comportanda quę vsui sint, pręter ipsa mœnia fluere, & ęstatem aptam rei gerendę adesse. His persuaserunt vt per Epirum duceret. Consuli ad Ambraciam aduenienti magni operis oppugnatio visa est. Ambracia tumulo aspero subiecta est. Perrhantem incolæ vocant: vrbs qua murus vergit in campos & flumen, occidentem: arx quæ posita in tumulo est orientem spectat: amnis Arethon ex Acarnania fluẽs cadit in sinum maris, ab nomine propinquæ vrbis

D Ambraciũ appellatũ: Præterquã quod hinc amnis munit, hinc tumuli: muro quoque firmo septa erat, patente in circuitu paulo amplius tria millia passuũ. Fuluius bina à campo castra modico inter se distantia interuallo vnum castellum loco edito contra arcem obiecit: ea omnia vallo ac fossa ita iungere parat, ne exitus inclusis ab vrbe, néve aditus foris ad auxilia intromittẽda esset. Ad famã oppugnationis Ambraciæ Stratum iam edicto Nicandri Pr. conuenerant Aetoli. inde primo copiis omnib. ad prohi-

E bendam obsidionẽ venire in animo fuerat: deinde posteaquã vrbẽ iam magna ex parte operib. septam viderunt, Epirotarum trãs flumen loco plano castra posita esse diuidere copias placuit, cum mille expeditis Eupolemus Ambraciam profectus, per nondũ commissa inter se munimẽta vrbẽ intrauit Nicãdro cum cetera manu primo Epirotarũ castra nocte aggredi consilium fuerat, haud facili ab Romanis auxilio, quia flumen intererat. deinde periculo sũ inceptum ratus, ne qua sentirent Romani, & regressus

F inde in tutum non esset, deterritus ab hoc consilio ad depopulandam Acarnaniam iter conuertit. Cos. iam munimentis, quibus sepienda vrbs erat, iam operib. quę admouere muris parabat, perfectis, quinque simul locis mœnia est aggressus: tria paribus interuallis faciliore aditu à campo aduersus Pyrrheum quod vocant, admouit: vnum è regione Aesculapij, vnum aduersus arcem: arietib. muros quatiebat, asserib. falcatis detergebat pinnas Oppidanos primo & ad speciem, & ad ictus mœnium cum terribili

G sonitu editos pauor ac trepidatio cepit. deinde vt præter spem stare muros viderunt: collectis rursus animis, in arietes tollenonibus libramenta plumbi aut saxorum, stipitésve robustos incutiebant, falces ancoris ferreis iniectis in interiorem partem muri trahentes asserem perfringebant: ad hoc eruptionibus & nocturnis in custodias operũ & diurnis in stationes, vltro terrorem inferebant. In hoc statu res ad Ambraciam cùm essent, iam Ætoli à populatione Acarnaniæ, Stratum redierant: inde

Nicander prætor, spem nactus soluendæ incœpto forti obsidionis, Nicodamū quendam cum Ætolis quingentis Ambraciam intromittit. noctem certam tempúsque etiam, nostis constituit, quo & illi ab vrbe opera hostium, quæ aduersus Pyrrhæum erant, aggrederentur, & ipse ad castra Romana terrorem faceret: posse ratus ancipiti tumultu, & nocte augente pauorem, memorabilem rem geri. Et Nicodamus intempesta nocte, cum alias custodias fefellisset, per alias impetu constanti erupisset, superato brachio in vrbem penetrat: animique aliquantum ad omnia audenda, & spei obsessis adiecit: & simul constituta nox venit, ex composito repente opera est aggressus. Id incœptum conatu quàm effectu grauius fuit, quia nulla ab exteriore parte vis admota est, seu metu deterrito prætore Ætolorum, seu quia potius visum est Amphilochis opem ferre nuper cœptis: quos Perseus Philippi filius missis ad Dolopiam Amphilochósque recipiendos, summa vi oppugnabat. Tribus locis, sicut ante dictum est, ad Pyrrhæum opera Romana erant: quæ omnia simul, sed nec apparatu, nec vi simili Ætoli aggressi sunt. alij cum ardētibus facibus, alij stupam picémque & malleolos ferentes, tota collucente flāmis acie, aduenere: multos primo impetu custodes oppresserunt. deinde postquam clamor tumultúsque in castra est perlatus, datúmque à Cos. signū, arma capiunt, & omnibus portis ad opem ferendā effunduntur. vno in loco ferro ignique gesta res est à duobus irrito incœpto, cum tētassent magis quàm iniissent certamen, Ætoli abscesserunt. atrox pugna in vnum inclinauerat locum. ibi diuersis partibus duo duces Eupolemus & Nicodamus pugnantes hortabantur, & propè certa fouebant spe iam Nicandrum ex composito affore, & terga hostium inuasurum. Hæc res aliquandiu animos pugnantium sustinuit. ceterum postea quam nullum ex composito signum à suis accipiebant, & crescere numerū hostium cernebant, destituti segnius instare, postremo re omissa, iam vix tuto receptu, fugientes in vrbem compelluntur, parte operum incensa, & pluribus aliquanto, quàm ipsi ceciderant, interfectis. quod si ex composito acta res fuisset, haud dubium erat expugnari vna vtique parte opera cum magna cæde hostium potuisse. Ambracienses, quique intus erant Ætoli, non ab eius solum noctis incœpto recessere, sed in reliquum quoque tempus, velut proditi à suis, segniores ad pericula erant. iam nemo eruptionibus, vt ante in stationes hostium, sed dispositi per muros & turres ex tuto pugnabant. Perseus vbi adesse Ætolos audiuit, omissa obsidione vrbis quam oppugnabat, depopulatus tātum agros, Amphilochia excessit, atque in Macedoniam rediit. Et Ætolos inde auocauit populatio maritimæ oræ. Pleuratus Illyriorum rex cum LX. lembis Corinthium sinum inuectus, adiunctis Achæorum quæ Patris erant, nauibus, maritima Ætoliæ vastabat. aduersus quos mille Ætoli missi, quacunque se classis circumegerat, per littorum anfractus breuioribus semitis occurrebāt. Et Romani ad Ambraciam pluribus locis quatiendo arietibus muros, aliquantum vrbis nudauerant: nec tamen penetrare in vrbem poterant. nam & pari celeritate nouus pro diruto murus obiiciebatur, & armati ruinis superstātes instar munimenti erant: itaque cum aperta vi parum procederet Cos. res, cuniculum occultum, vineis ante contecto loco, agere instituit, & aliquādiu, cum dies noctésque in opere essent, non solum sub terra fodientes, sed egerentes etiam humum, fefellere hostem. tumulus repente terræ eminens,

A index operis oppidanis fuit, pauidique ne iam subrutis muris facta in vrbem via esset, fossam intra murum è regione eius operis, quod vineis contectum erat, ducere instituunt. cuius vbi ad tantam altitudinem, quantæ esse solum infimum cuniculi poterat, peruenerunt: silentio facto pluribus locis aure admota sonitum fodientium captabant. quem vbi acceperūt, aperiunt rectam in cuniculum viam. nec fuit magni operis. momento enim ad inane, suspenso fulturis ab hostibus muro, peruenerunt. B ibi commissis operibus, cum è fossa in cuniculum pateret iter, primo ipsis ferramentis quibus in opere vsi erant: dein celeriter armati etiam subeuntes occultam sub terram ediderūt pugnam. segnior deinde ea facta est, intersepientibus cuniculum, vbi vellent, nunc ciliciis prætentis, nunc foribus raptim obiectis. Noua etiam haud magni operis aduersus eos qui in cuniculo erant, excogitata res est. dolium à fundo pertusum, qua fistula modica inseri posset, & fistulam ferream, operculúmque dolij ferreum, C & ipsum pluribus locis perforatum fecerunt. hoc tenui pluma completum dolium ore in cuniculum verso posuerunt: per operculi foramina prælongæ hastæ quas sarissas vocant, ad summouendos hostes eminebant. scintillam leuem ignis inditam plumæ, folle fabrili ad caput fistulæ imposito, flando accenderunt. inde non solum magna vis fumi, sed acrior etiam fœdo quodam nidore ex adusta pluma, cum totum cuniculum complesset, vix durare quisquam intus poterat. Cum in hoc statu res ad Ambraciam D esset, legati ab Ætolis Phaneas & Damoteles cum liberis mandatis decreto gentis ad Cos. venerunt. nam pr. eorum cùm alia parte Ambraciam oppugnari cerneret, alia infestam oram nauibus hostium esse, alia Amphilochos Dolopiámque à Macedonibus vastari, nec Ætolos simul ad tria diuersa bella occursantes sufficere: conuocato concilio Ætolos principes, quid agendum esset, consuluit. Omnium eò sententiæ decurrerūt, vt pax, si posset, æquis, si minus, tolerandis conditionibus peteretur. E Antiochi fiducia bellum susceptum Antiocho terra marique superato, & prope extra orbem terræ vltra iuga Tauri exacto, quam spem esse sustinendi belli? Phaneas & Damoteles, quod è re Ætolorum, vt in tali casu, fidéque sua esse censerent, agerent, quod enim sibi consilium, aut cuius rei electionem à fortuna relictam? Cum his mandatis legati missi orare Cos. vt parceret vrbi, misereretur gentis quondam sociæ, nolle dicere iniuriis, miseriis certe coactæ insanire non plus mali meritos Ætolos Antio- F chi bello, quàm boni ante, cum aduersus Philippum bellatum sit, fecisse. nec tum largè gratiam relatam sibi, nec nunc immodice pœnam iniungi debere. Ad ea Cos. respondit: Magis sæpe, quam verè vnquam Ætolos pacem petere imitarentur Antiochū in petenda pace, quem in bellū traxissent. non paucis vrbibus eum, de quarum libertate certatum sit, sed omni Asia cis Taurum montem, opimo regno excessisse. Ætolos nisi inermes de pace agentes non auditurum se arma illis prius, equósque omnes tra- G dendos esse, deinde mille talentum argenti P. R. dādum, cuius summæ dimidium præsens numeraretur, si pacem habere vellent, ad ea adiectum iri in fœdus esse, vt eosdem quos P. R. amicos atque hostes habeant. Aduersus quæ legati, & quia grauia erant, & quia suorum animos indomitos ac immutabiles nouerant, nullo reddito responso domum regressi sunt, vt etiam atque etiam quid agendum esset, re integra prætorem & principes consulerent. Clamore & iurgio excepti, quod diu rem traherent, qualem-

qualemcumque pacem referri iussi, cùm redirent Ambraciam Acarnanum insidiis prope viam positis quibuscum bellum erat, circumuenti, Tyrrheum custodiendi deducuntur. Hęc mora iniecta est paci. Cùm iam Atheniensium Rhodiorumque legati qui ad deprecandum pro his venerant, apud Cos. essent: Aminander quoque Athamanum rex fide accepta venerat in castra Romana, magis pro Ambracia, vbi maiorem partem temporis exsulauerat, quàm pro Ætolis solicitus. per hos certior factus Cos. de casu legatorũ, adduci eos à Tyrrheo iussit. quorum post aduentum agi cœptum est de pace. Aminander, quod sui maximè operis erat, impigrè agebat, vt Ambracienses compelleret ad deditionem id cùm per colloquia principum succedens muris parum proficeret: Postremo Cos. permissu ingressus vrbem, partim consilio, partim precibus euicit, vt permitterent se Romanis. Et Ætolos C. Valerius Læuini filius, qui cum ea gente primum amicitiam pepigerat, consulis frater, matre genitus eadem, enixè adiuuit. Ambracienses prius pacti, vt ætolorum auxiliares sine fraude emitterent, aperuerũt portas. dein vt quingenta Euboica darent talenta, ex quibus CC. præsentia, CCC. per annos sex pensionibus æquis, captiuos perfugasque redderent Romanis vrbem, ne quam formulæ sui iuris facerent, quæ post id tempus quo T. Quintius traiecisset in Græciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset, Cephalenia insula, vt extra ius fœderis esset. Hæc quanquam spe ipsorum aliquanto leuiora erant: petentibus Ætolis vt ad concilium referrent, permissum est parua disceptatio de vrbibus tenuit. quæ cùm sui iuris aliquando fuissent, auelli velut à corpore suo ægrè patiebátur, ad vnũ tamen omnes accipi pacem iusserunt. Ambracienses coronam auream COS. centum & quinquaginta pondo dederunt. signa ænea marmoreáq; & tabulæ pictæ quibus ornatior Ambracia, quia regia ibi Pyrrhi fuerat, quã ceteræ regionis eius vrbes erant, sublata omnia auectáq; nihil præterea tactũ violatumve. Profectus ab Ambracia Cos. in mediterranea Ætoliæ ad Argos Amphilochum (XXII. millia ab Ambracia abest) castra posuit. eò tandem legati ætoli mirante Cos. quod morarentur, venerunt. Inde posteaquam approbasse pacem conciliũ ætolorum accepit, iussis proficisci Romam ad senatum, permissóq; vt & Athenienses & Rhodij deprecatores irent, dato qui simul cum iis proficisceretur, C. Valerio fratre, ipse in Cephaleniã traiecit. Præoccupatas aures animosq; principum Romę criminibus Philippi inuenerunt, qui per legatos, per literas, Dolopas Amphilochosque & Athamaniam ereptas sibi quærens, pręsidiáq; sua postremo etiam filium Persea ex Amphilochis pulsum, auerterat senatum ab audiendis precibus eorũ, Rhodij tamẽ & Athenienses cum silentio auditi sunt. Atheniẽsis legatus Leon Icesiæ filius, eloquentia etiam dicitur mouisse. qui vulgata similitudine, mari tranquillo, quod ventis concitaretur, æquiparando multitudinem ætolorum, vsus, cùm in fide Romanæ societatis mansissent, insita gentis tranquillitate quiesse eos aiebat. posteaquam flare ab Asia Thoas & Dicæarchus, ab Europa Menetas & Damocritus cœpissent: tum illam tempestatem coortam, quæ ad Antiochum eos, sicuti in scopulum, intulisset. Diu iactati ætoli, tandem vt conditiones pacis conuenirent, effecerunt. fuerunt autem hę: Imperium maiestatemq; P. R. gens ætolorum cõseruato sine dolo malo. ne quem exercitũ, qui aduersus socios amicosque eorum ducetur, per fines suos transire si-

A nito, neve vlla ope iuuato hostes eosdem habeto, quos P.R. armáque in eos ferro, bellumque pariter gerito. perfugas, fugitiuos captiuosque reddito Romanis sociisq; præterquã si cui capti cũ domos redissẽt iterũ capti sunt: aut si qui eo tẽpore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter præsidia Romana ætoli essent. aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyræorum magistratibus sine dolo malo tradantur: qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inuentus B fuerit, reddatur. obsides XL. arbitratu Cos. Romanis dato, ne minores XII. annorum, neu maiores XL. obses ne esto, prætor, præfectus equitum, scriba publicus, neu quis qui antè obses fuerit apud Romanos. Cephalenia extra pacis leges esto. De pecuniæ summa quam penderent, pensionibusque eius nihil ex eo quod cum Cos. conuenerat, mutatum. pro argento si aurũ dare mallent, darent, conuenit: dũ pro argenteis decẽ aureus vnus valeret. Quæ vrbes, qui agri, qui homines Ætolorum iuris aliquando fue- C rũt, qui eorum T. Quintio, Cn. Domitio Coss. postve eos Coss. aut armis subacti, aut voluntate in deditionem P.R. venerunt, ne quem eorum Ætoli recepisse velint. Æniadæ cum vrbe agrisque Acarnanum sunto. His legibus fœdus ictum cum Ætolis est. Eadem non æstate solum, sed etiam iisdem prope diebus quibus hæc à M. Fuluio Cos. in Aetolia gesta sunt: Cos. alter Cn. Manlius in Gallogræcia bellum gessit, quod nunc ordiri pergam. Vere primo Ephesum Cos. venit, acceptisque copiis à L. Scipione & exercitu lustrato, concionem apud milites D habuit. qua collaudata virtute eorum, quod cũ Antiocho vno prælio debellassent: adhortatus eos ad nouum cum Gallis suscipiendum bellum, qui & auxiliis Antiochum iuuissent, & adeo indomita haberent ingenia, vt ne quicquam Antiochus emotus vltra iuga Tauri montis esset, nisi frangerentur opes Gallorum: de se quoque pauca, nec falsa, nec immodica adiecit. Læti milites cum frequenti assensu Cos. audierunt, partẽ virium Antiochi fuisse Gallos credentes, rege superato nullum momẽtum E in solis per se Gallorum copiis fore. Eumenẽ haud in tempore abesse (Romæ tunc erat) credere Cos. ignarũ locorũ hominumq;, & cuius interesset frangi Gallorũ opes. Attalũ igitur fratrẽ eius accersit à Pergamo, hortatusq; ad capessendũ secũ bellũ, pollicentẽ suã suorumq; operã domũ ad comparãdũ copias dimittit. Paucos post dies profecto ab Epheso Cos. ad Magnesiã occurrit Attalus cũ mille peditibus, equitibus CC. Athæneo fratre iusso cũ cęteris copiis F subsequi: cõmẽdata iis custodia Pergami, quos fratri regnoque fidos credebat. Cos. collaudato iuuene, cum omnibus copiis ad Mæandrum progressus, castra posuit, quia vado superari amnis non poterat: & contrahendæ naues erant ad exercitum traiiciendum. Transgressi Mæandrum ad Hieranconem peruenerunt. Fanum ibi augustum Apollinis, & oraculum sortes versibus haud inconditis dare, vates dicuntur. hic alteris castris ad Harpasum flu- G men ventum est, quo legati ab Alabandis venerunt, vt castellum, quod ab ipsis nuper descisset, aut auctoritate aut armis cogeret iura antiqua pati. Eodem & Athenæus Eumenis & Attali frater cum Cretensi Leuso, & Corrago Macedone venit. mille pedites mistarum gentium, & trecentos equites secum adduxerunt. Cõsul tribuno militum misso cum modica manu, castellum vi receptum Alabandensibus reddit. ipse nihil via digressus ad Antiochiam super Mæandrum amnem posuit castra. Huius amnis fontes Celenis oriuntur. Celenæ vrbs caput

quondam Phrygiæ fuit. migratum inde haud procul veteribus Celenis: nouæque vrbi Apameæ nomen inditum ab Apamea sorore Seleuci regis. Et Marsyas amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit. famáque ita tenet, Celenis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse. Mæander ex arce summa Celenarum ortus, media vrbe decurrens per Caras primum, deinde Ionas, in sinum maris editur, qui inter Prienem & Miletum est. Ad Antiochiam in castra consulis Seleucus Antiochi filius ex fœdere icto cum Scipione ad frumentum exercitui dandum venit. parua disceptatio de Attali auxiliaribus orta est, quòd Romano tantum militi pactum Antiochum vt daretur frumentum, Seleucus dicebat. discussa ea quoque est constantia consulis, qui misso tribuno edixit, ne Romani milites acciperent, priusquam Attali auxilia accepissent. Inde ad Gordiutichos (quod vocant) processum est. ex eo loco ad Tabas tertiis castris peruentum. In finibus Pisidarum posita est vrbs in ea parte, quæ vergit ad Pamphylium mare. integris viribus regionis eius feroces ad bellandum habebant viros. Tum quoque equites, in agmen Romanum eruptione facta, haud modicè primo impetu turbauere. deinde vt apparuit nec numero se nec virtute pares esse in vrbem compulsi veniam erroris petebant. dedere vrbem parati. V. & XX. talenta argenti, & X. millia medimnum tritici imperata. ita in deditionem accepti. Tertio inde die ad Chaum amnẽ peruentum. inde profecti Erizam vrbem primo impetu ceperunt. Ad Thabusion castellum imminens flumini Indo ventum est, cui fecerat nomen Indus ab Elephanto deiectus. Haud procul à Cibyra aberant, nec legatio vlla à Moagete tyranno ciuitatis eius homine ad omnia infido atque importuno, veniebat. ad tentandum eius animum C. Heluium cum quatuor millibus peditum & quingentis equitibus consul premittit. Huic agmini iam fines ingredienti legati occurrerunt, nuntiantes paratum esse tyrannum imperata facere orabant, vt pacatus fines iniret, cohiberétque à populatione agri militem. & in coronam auream XV. talenta afferebant. Heluius integros à populatione agros seruaturum pollicitus ire ad consulem legatos iussit. quibus eadem referentibus consul: Neq; Romani, inquit, bonæ voluntatis vllum signum erga nos tyranni habemus, & ipsum talem esse inter omnes constat, vt de pœna eius magis quàm de amicitia nobis cogitandum sit. Perturbati hac voce legati, nihil aliud petere, quàm vt coronam acciperet: veniendique ad eum potestatem tyranno, & copiam loquendi ac purgandi se faceret. Permissu consulis postero die in castra tyrannus venit vestitus comitatusque vix ad priuati modicè locupletis habitum. & oratio fuit summissa & infracta, extenuantis opes suas, vrbiumque suæ ditionis egestatem querentis. Erant autem sub eo præter Cibyram, Syleum, & quæ Alimne appellatur. ex his, vt se suosque spoliaret, V. & XX. talenta se confecturum, propè vt diffidens pollicebatur. Enimuero, inquit consul, ferri iam ludificatio ista non potest, parum est non erubuisse absentem, cùm per legatos frustrateris nos, nisi præsens quoque in eadem impudentia persistas? V. & XX. talenta tyrannidem tuam exhaurient? quingenta ergo talenta nisi triduo numeras, populationem in agris, obsidionem in vrbe expecta. Hac denuntiatione conterritus, perstare tamen in pertinaci simulatione inopiæ, & paulatim illiberali adiectione, nunc per cauillationem, nunc precibus & simulatis lacrymis, ad cen-

A tum talenta est perductus. adiecta X. millia medimnum frumenti. Hæc omnia intra sex dies exacta. A Cibyra per agros Sindensium exercitus ductus, transgressusq; Caularem amnem, posuit castra. postero die est præter Caralitin paludem agmen ductum ad Mœandrum manserunt. inde progredientibus ad Lagon proximam vrbem, metu incolæ fugerunt. vacuum hominibus, & refertum rerum omnium copia oppidũ diripuerunt. inde ad Lysi fluminis fontem, postero die ad Cobulatum amnem B progressi. Termessenses eo tempore Hyriensium arcem vrbe capta oppugnabant. inclusi, cùm alia spes auxilij nulla esset, legatos ad consulem orantes opem miserunt. cum coniugibus ac liberis in arce inclusos se mortẽ indies aut ferro aut fame patiendam exspectare. Volenti consuli caussa in Pamphyliam diuertendi oblata est. adueniens obsidione Hyrienses exemit. Termesso pacẽ dedit, quinquaginta talentis argenti item Aspendiis ceterique Pamphyliæ C populis. Ex Pamphylia rediens ad flumen Taurum primo die, postero ad Xylinen (quam vocant) comen posuit castra. profectus inde continentibus itineribus ad Cormasam vrbem peruenit. Darsa proxima vrbs erat: eam metu incolarum desertam, plenam omnium rerum copia inuenit. Progredienti præter paludes legati ab Lysinia dedentes ciuitatem venerunt. Inde in agrum Sagalassenum, vberem fertilémque omni genere frugum, ventum est. Colunt Pisidæ longè optimi bello regionis eius. D cum ea res animos facit, tũ agri fœcũditas & multitudo hominum, & situs inter paucas munitæ vrbis. Consul, quia nulla legatio ad fines præsto fuerat, prædatum in agros misit. tum demum fracta pertinacia est, vt referri agique res suas viderunt, legatis missis, pacti quinquaginta talentis, & XX. millibus medimnum tritici, & XX. hordei, pacem impetrauerunt. Progressus inde ad Obrimæ fontes, ad vicum, quem Aporidos comen vocant, posuit castra. Eò Seleucus ab Apamea postero die venit. Ægros inde & inutilia impedimenta cum Apa-E meam dimisisset, ducibus itinerum à Seleuco acceptis, profectus eo die in Metropolitanum cãpum, postero die Dinias Phrygiæ processit. inde Sinnada venit, metu omnibus circa oppidis desertis. quorum iam præda graue agmen trahens, vix quinque millium die toto itinere perfecto, ad Beudos, quod vetus appellant, peruenit. ad Anaburam inde, & altero die ad Mæandri fontes, tertio ad Abassum posuit castra. ibi plures dies statiua habuit: quia peruentum erat ad Tolistobogiorũ fines. Galli, magna hominum vis, seu inopia agri, seu prædæ spe, nul-F lam gentem per quas ituri essent, parem armis rati, Brenno duce in Dardanos peruenerunt. ibi seditio orta, & ad XX. millia hominum cum Lomnorio ac Lutario regulis, secessione facta à Brenno, in Thraciam iter auerterunt. vbi cum resistentibus pugnãdo pacem petentibus stipendium imponendo, Byzantium cum peruenissent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo regionis eius obtinuerunt, Cupido inde eos in Asiam transeundi, audientes ex propinquo quanta vbertas terræ eius es-G set, cepit. & Lysimachia fraude capta, Chersonesum omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt. ibi verò exiguo diuisis freto cernentibus Asiam, multo magis animi ad transeundum accendi nuntiosque ad Antipatrum præfectum eius oræ de transitu mittebant. quæ [illegible] lentius spe ipsorum traheretur, alia rursus noua [illegible] seditio est. Lomnorius [illegible] at, cum maiore parte hominum repetit Byzantium [illegible] Macedonibus

cedonibus per speciem legationis ab Antipatro ad speculandum missis, duas tectas naues, & tres lembos adimit. his alios atque alios dies noctésq; transuehendo, intra paucos dies omnes copias traiecit. Haud ita multo post Lomnorius, adiuuante Nicomede Bithyniæ rege, à Byzantio transmisit. coeunt deinde in vnum rursus Galli & auxilia Nicomedi dant, aduersus Zybœam patrem tenentem Bithyniæ gerenti bellum. atque eorum maximè opera deuictus Zybœa est, Bithyniáque omnis in deditionem Nicomedis concessit. Profecti ex Bithynia in Asiā processerunt. non plus ex XX. millibus hominum quàm decem armata erant. tamen tantum terroris omnibus quæ cis Taurum incolunt gentibus iniecerunt, vt quas adissent, quásque non adissent, pariter vltimæ propinquis imperio parerent. Postremo cùm tres essent gentes, Tolistobogij, Trocmi, Tectosagi; in tres partes qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diuiserunt. Trocmis Hellesponti ora data, Tolistobogij Æolida atq; Ioniam, Tectosagi mediterranea Asiæ sortiti sunt; & stipendium tota cis Taurum Asiæ exigebant. sedem autem ipsi sibi circa Halyn flumen ceperunt, tantúsque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, vt Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Primus Asiam incolentium abnuit Attalus, pater regis Eumenis: audacique incœpto præter omniū opinionem affuit fortuna: & signis collatis superior fuit non tamen ita infregit animos eorum, vt abstinerent imperio. Eisdem opes vsque ad bellum Antiochi cum Romanis manserunt. tum quoque pulso Antiocho, magnam spem habuerunt, quia procul mari incolerent, Romanum exercitum ad se non peruenturum. Cum hoc hoste tam terribili omnibus regionis eius, quia bellum gerendum erat pro concione milites maximè in hunc modum allocutus est consul: Non me præterit, milites, omnium quæ Asiam colunt gentium, Gallos fama belli præstare. inter mitissimum genus hominum ferox natio peruagata bello prope orbem terrarum sedem cepit. procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælōgi gladij: ad hoc cantus ineuntium prælium, & vlulatus, & tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus: omnia de industria cōposita ad terrorem. Sed hæc quibus insolita atque insueta sunt, Græci & Phryges & Cares timeant: Romanis Gallici tumultus assuetis etiam vanitates notæ sunt. Semel primo congressu ad Alliam eos olim fuderunt maiores nostri ex eo tēpore per ducentos iam annos pecorum in modum consternatos cædunt fugántque, & plures prope de Gallis triumphi, quàm de toto orbe terrarum acti sunt. Iam vsu hoc cognitum est, si primum impetum, quem feruido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore & lassitudine membra, labant arma: mollia corpora, molles, vbi ira consedit, animos, sol, puluis, sitis, vt ferrum non admoueas, prosternunt. Non legionibus legiones eorum solum experti sumus, sed vir vnus cum viro congrediendo T. Manlius, M. Valerius, quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus, docuerunt. iam M. Manlius vnus agmine scandentes in Capitolium Gallos detrusit. & illis maioribus nostris cum haud dubiis Gallis in terra sua genitis res erat. hi iam degeneres sunt, misti, & Gallogræci verè, quod appellantur. sicut in frugibus pecudibusque, non tantum semina ad seruandam indolem valent quantum terræ proprietas, cœlique sub quo alūtur, mutat Macedones

A qui Alexandriā in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias sparsas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Ægyptios degenerarunt, Massilia inter Gallos sita traxit aliquantum ab accolis animorum. Tarentinis quid ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit? Generosius in sua quicquid sede gignitur, insitū alienæ terræ in id quo alitur, natura vertente se degenerat. Phrygas igitur Gallicis oneratos armis, sicut in acie Antiochi cecidistis, victos victores cædetis. Magis id vereor, ne parum inde gloriæ, quàm ne B nimium belli sit. Attalus eos rex sæpe fudit fugauitque. Nolite existimare, belluas tātum recens captas feritatem illam syluestrem primo seruare: deinde cum diu manibus humanis alantur, mitescere in hominum feritate mulcenda nōn eandem naturam esse. Eosdémne hos creditis esse, qui patres eorūm auique fuerunt? extorres inopia agrorum profecti domo per asperrimam Illyrici orā, Pæoniam inde & Thraciam, pugnando cū ferocissimis C gentibus emensi, has terras ceperunt. duratos eos tot malis exasperatósque accepit terra, quæ copia rerum omniū saginaret. vberrimo agro, mitissimo cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa cum qua venerant mansuefacta est feritas. Vobis mehercule Martis viris cauenda ac fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ. tantum hæ peregrinæ voluptates ad exstinguendum vigorem animorum possunt, tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet. Hoc tamen feliciter euenit, quod si- D cut vim aduersus vos nequaquam, ita famam apud Græcos parem illi antiquæ obtinent, cum qua venerunt belliq; gloriam victores eandem inter socios habebitis, quàm si seruantes antiquū specimen animorū Gallos vicissetis. Concione dimissa missisq; ad Eposognatum legatis, qui vnus ex regulis & in Eumenis amicitia manserat: & negauerat Antiocho aduersus Romanos auxilia, castra mouit. primo die ad Alandrum flumen, postero ad vicum quem vocant Tyscon, ventum. Eò legati Oroandensium cum venissent amicitiam petentes, CC. talenta iis E sunt imperata: precantibúsque vt domum renuntiarent, potestas facta. Ducere inde exercitum consul ad Plitendum, deinde ad Alyattos castra posita. Eò missi ad Eposognatum, redierūt, & legati compulsi reguli, orantes ne Tectosagis bellum inferrēt: & ipsum in eam gentem iturum, & Eposognatum, persuasurúmque vt imperata faciant. Data venia regulo, duci inde exercitus per Axylon (quam vocant) terram, cœptus. Ab re nomen habet. non ligni modo quicquam, sed ne spinas quidem, aut vllum F aliud alimentum fert ignis: fimo bubulo pro lignis vtuntur. Ad Cuballum Gallogræciæ castellum castra habentibus Romanis apparuere cum magno tumultu hostium equites. nec turbarunt tantum stationes Romanas repente inuecti, sed quosdam etiam occiderunt. qui tumultus cum in castra perlatus esset, effusus repente omnibus portis equitatus Rōmanus fudit, fugauitque Gallos, & aliquot fugientes occidit. Inde consul, vt qui iam ad hostes G peruentum cerneret: explorato deinde, & cum cura coacto agmine procedebat. & continentibus itineribus, cum ad Sangarium flumē peruenisset, pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit. Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam fluēns, miscetur ad Bithyniā Tymbri fluuio: inde maior iam geminatis aquis per Bithyniam fertur, & in Propontidem sese effundit, non tamen tam magnitudine memorabilis, quā quod piscium accolis ingentem vim præbet. Transgressis ponte perfecto

flumen præter ripam euntibus Galli matris magnæ à Pesinunte occurrere cũ insignibus suis, vaticinãtes fanatico carmine: deã Romanis belli viam & victoriam dare, imperiumque eius regionis. Accipere se omnem eum dixisset consul, castra eo ipso loco posuit. postero die ad Gordiũ peruenit. Id haud magnum quidem oppidum est, sed plusquam mediterraneum celebre & frequens emporium: tria maria pari ferme distantia interuallo habet. Hellespontum, ad Sinopem, & alterius oræ littora Cilicæ maritimi colunt, multarum magnarumque præterea gentium fines cõtingit, quarum commercium in eum maxime locum mutui vsus contraxere. Id tum desertum fuga incolarum oppidum, refertum idem copia rerum omnium inuenerunt. Ibi statiuã habentibus legati ab Eposognato venerunt, nuntiantes profectum eum ad regulos Gallorum, nihil æqui impetrasse. ex campestribus vicis agrisque frequentes demigrare, & cum coniugibus ac liberis, quæ ferre atque agere possent, præ se agentes portantesque, Olympum montem petere, vt inde armis locorumque situ sese tueantur. Certiora postea Oroandensium legati attulerunt. Tolistobogiorum ciuitatem Olympum montem cepisse. diuersos Tectosagos alium montem qui Magna dicatur, petisse. Trocmos, coniugibus ac liberis apud Tectosagos depositis, armatorum agmine Tolistobogiis statuisse auxilium ferre. Erant autem tunc trium populorum reguli Corgiago & Combolomarus, & Gaulotus. iis hæc maxime belli ratio sumendi fuerat, quod cùm montes editissimos eius regionis tenerent: conuectis omnibus quæ ad vsum quamuis longi temporis sufficerent, tædio se fatigaturos hostes censebant. nam neque ausuros per tam ardua atque iniqua loca subire eos: & si conarentur, vel parua manu prohiberi ac deturbari posse: nec quietos in radicibus gelidorum montium sedentes frigus, aut inopiam laturos. Et cùm ipsa altitudo locorum eos tutaretur, fossam quoque & alia munimenta verticibus iis quos insederant, circumiecere. minima apparatus missilium telorum cura fuit: quod saxa affatim præbituram asperitatem ipsam locorum credebant. Consul, quia non cõminus pugnam, sed procul locis oppugnandis futuram præceperat animo: ingentem vim pilorum, velitarium hastarum, sagittarium, glandisque & modicorum qui funda mitti possent, lapidum parauerat. instructúsque missilium apparatu ad Olympum montem ducit, & à quinque fermè millibus locat castra. Postero die cum quadringentis equitibus, & Attalo progressum eum ad naturam montis, situmq; Gallicorum castrorum visendum equites hostium. duplex numerus effusi castri in fugam auerterunt. occisi quoque pauci fugientium, vulnerati plures. Tertio die cum omnibus ad loca exploranda profectus, quia nemo hostium extra munimenta processit: tuto circumuectus montem animaduerti meridiana regione terrenos, & placidè accliuos ad quendam finem colles esse, ad septentrionem arduas & rectas prope rupes, atque omnibus fermè aliis inuiis itinera tria esse: vnum medio monte, qua terrena erant: duo difficilia ab hyberno solis ortu, & ab æstiuo occasu. Hæc contemplatus eo die sub ipsis radicibus posuit castra. postero die sacrificio facto, cum primis hostiis litasset, trifariam exercitũ diuisum ducere ad hostem pergit. ipse cum maxima parte copiarum, qua æquissimum aditum præbebat mons, ascendit. L. Manlium fratrem ab hyberno ortu, quo ad loca patiantur, & tuto possit, subire iubet. si qua periculosa, & prærupta occurrant: non

A pugnare cum iniquitate locorum, neque inexsuperabilibus vim afferre, sed oblique monte ad se declinare, & suo agmini coniungi. C. Heluium cum tertia parte circumire sensim per infima montis deinde ab æstiuo occasu erigere agmen. & Attali auxilia trifariam æquo numero diuisit: secum esse ipsum iuuenem iussit. equitatum cum elephantis in proxima tumulis planicie reliquit edictum præfectis, vt intenti quid vbique geratur, animaduertat, opemque ferre, quo postulent res, properent. Galli

B duobus lateribus satis fidentes inuia esse, ab ea parte quę in meridiem vergeret. vt armis clauderent viã, quatuor fermè millia armatorum ad tumulum imminentem viæ minus M. passuum à castris occupandum mittunt: eo se rati velut castello iter impedituros. Quod vbi Romani viderunt, expediunt sese ad pugnam. ante signa modico interuallo velites eunt, & ab Attalo Cretenses sagittarij & funditores, & Tralli Thraces: signa peditum vt per arduum, leni gradu ducuntur, ita præ se habentium

C scuta vt missilia tantum vitarent: pede collato non viderentur pugnaturi. Missilibus ex interuallo loci prælium commissum est, primo par, Gallos loco adiuuante, Romanos varietate & copia telorum, procedente certamine nihil iam æqui erat. scuta longa, ceterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipsa plana malè tegebant Gallos, nec iam tela alia habebant præter gladios, quorum, cum manum hostis non consereret, nullus vsus erat, saxis nec modicis, vt quæ non præparassent, sed quod cuique temere trepidanti ad manum venisset:

D vt insueti, nec arte nec viribus adiuuantes ictum, vtebantur sagittis, glande iaculis incauti ab omni parte cõfigebãtur: nec quid agerẽt, ira & pauore obcæcatis animis cernebant. & erãt deprehensi genere pugnę, in quod minimè apti sunt. nam quemadmodum cóminus, vbi inuicem pati & inferre vulnera licet, accendit ira animos eorum: ita vbi ex occulto, & procul leuibus telis vulnerantur: nec quò ruãt cæco impetu, habent, velut feræ transfixæ in suos temere incurrunt. Detegebat vulnera eorum, &

E quod nudi pugnant, & sũt fusa & candida corpora: vt quæ nunquam nisi in pugna nudentur: & plus sanguinis è multa carne fundebatur, & fœdiores patebant plagæ, & candor corporum magis sanguine atro maculabatur: sed non tam patentibus plagis mouentur: interdũ insecta cute, vbi latior quàm altior plaga est, etiam gloriosius se pugnare putant. iidem, cum aculeus sagittæ, aut glandis abditæ introrsus tenui vulnere in speciem vrit: & scrutantes quæ vellant, telum non sequitur: tum in rabiem &

F pudorem tam paruæ perimentis pestis versi, prosternunt corpora humi, sic vt passim procumberẽt. alij ruentes in hostem vndique configebantur: & cum cõminus venerant, gladiis à velitibus trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet, & in dextera hastas, quibus eminus vtitur, gladio Hispaniensi est cinctus, quod si pede collato pugnandum est, translatis in leuam hastis, stringit gladium. Pauci

G ci supererant iam Gallorum, qui postquam ab leui armatura superatos se viderunt, & instare legionum signa, effusa fuga castra repetunt, pauoris & tumultus iam plena: vt vbi fœminę puerique & alia imbellis turba permista esset. Romanos victores deserti fuga hostium acceperunt tumuli. Sub idem tempus L. Manlius, & C. Heluius, cum quoad viam colles obliqui dederunt, ascendissent: postea quam ad inuia ventum est, flexere iter in partem montis, quæ vna habebat iter: & sep[…]i consulis agmen modico vterque interuallo, velut ex composito, cœpe-

to, cœperunt: quod primo optimum factu fuisset, id in necessitate ipsa compulit. subsidia enim in talibus iniquitatibus locorum maximo sępe vsui fuerunt: vt primis fortè deturbatis, secundi & tegant pulsos & integri pugnam excipiant. Consul postquam ad tumulos ab leui armatura captos prima signa legionum peruenerunt, respirare & conquiescere paulisper militem iubet, simul strata per tumulos corpora Gallorum ostendat. & cum leuis armatura tale prælium ediderit, quid ab legionib. quid ab iustis animis, quid ab animis fortissimorum militum expectari? castra illis capienda esse, in quæ compulsus ab leui armatura hostis trepidet. præcedere tamen iubet leuem armaturam: quę cùm [illegible] agmen colligendis per tumulos telis, vt missilia sufficerent, haud segnè id ipsum tempus consumpserat. Iam castris appropinquabant, & Galli, ne parum se munimenta sua tegerent, armati pro vallo constiterant. obruti deinde omni genere telorum, cum quo plures ac densiores erant, eo minus vani quicquam interciderent teli: intra vallum momento temporis compelluntur, stationibus tantum firmis ad ipsos aditus portarum relictis. In multitudinem conpulsam in castra, vis ingens missilium telorum coniiciebatur, & vulnerari multos, clamor permistus mulierum atque puerorum ploratibus significabat. In eos qui portas stationibus suis clauserant, legionum antesignani pila coniecerunt. hi verò non vulnerabantur, sed transuerberatis scutis plerique inter se conserti hærebant. nec diutius impetum Romanorum sustinuerunt Patentib. iam portis, priusquam irrumperent victores, fuga è castris Gallorum in omnes partes facta est. ruunt cæci per vias, per inuia: nulla præcipitia saxa, nullę rupes obstant. nihil præter hostem metuunt: itaque plerique præcipites per vastam altitudinem prolapsi aut debilitati exanimãtur. Consul castris captis direptione prædaque abstinet. militem sequi pro se quenque & instare, & perculsis pauorem addere iubet. Superuenit & alterum cum L. Manlio agmen, nec eos castra intrare sinit. protinus ad persequendos hostes mittit. & ipse paulo post, tradita captiuorum custodia tribunis militum sequitur, debellatum ratus, si in illo pauore quàm plurimi cæsi forent aut capti. Egresso consule, C. Heluius cum tertio agmine aduenit. nec continere suos à direptione castrorum valuit. prædaque eorum iniquissima sorte, qui pugnę nõ interfuerant, facta est. Equites diu ignari & pugnę & victoriæ suorum steterunt, deinde & ipsi, quantum equi in colles subire poterant: sparsos fuga Gallos circa radices montis consectati cæcidere aut cepere. Numerus interfectorum haud facile iniri potuit, quia latè inter omnes anfractus montium fugaque & cædes fuit: & magna pars rupibus inuiis in profũdę altitudinis conualles delapsa est, pars in syluis vepribúsque occisa. Claudius qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad XL. millia hominum cæsa, auctor est. Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augẽdo esse solet, non plus decem millia. Numerus captiuorum haud dubiè millia XL. expleuit: quia omnis generis ætatisque turbam secum traxerant. demigrantium magis quam in bellum euntium modo. Consul armis hostium in vno concrematis cumulo, ceteram prædam conferre omnes iussit: & aut vendidit quod eius in publicum redigẽdum erat, aut cum cura, vt quàm æquissima esset, per milites diuisit. Laudati quoque pro [illegible]cione omnes sunt, donatique pro merito quisq; ante omnes Attalus súmo ceterorũ assẽsu. nã singularis eius iuuenis cũ virt[us] & industria

A in omnibus laboribus periculisque tum modestia etiam fuerat. Supererat bellum integrum cum Tectosagis. Ad eos profectus Cos. tertiis castris Ancyram nobilem in illis locis vrbem, peruenit, vnde hostes paulo plus X. millia aberant. vbi cum statiua essent, facinus memorabile à captiua factum est. Orgiagontis reguli vxor forma eximia custodiebatur inter plures captiuos. cui custodiæ centurio præerat, & libidinis & auaritiæ militaris. is primo eius animum tentauit: quem cum abhorrentem à
B voluntario videret stupro, corpori quod seruũ fortuna erat, vim fecit. deinde ad leniendam indignitatem iniuriæ spem reditus ad suos mulieri facit: & ne eam quidem, vt amans. gratuitam, certo auri põdere pactus, ne quem conscium suorum haberet, ipsi permittit, vt quem vellet, vnum ex captiuis nuntium ad suos mitteret. locum prope flumen constituit: quò duo, ne plus, necessarij captiuæ cum auro venirent nocte insequenti ad eam accipiendã. Forte ipsius mulieris seruus inter captiuos eiusdem cu-
C stodiæ erat, hunc nuntium primis tenebris extra stationes centurio educit. Nocte insequenti & duo necessarij mulieris ad constitutum locum, & centurio cum captiua venit. vbi cum aurum ostenderent, quod summam talenti Attici (tanti enim pepigerat) expleret: mulier lingua sua, stringerent ferrũ, & centurionem pensantem aurum occiderent, imperauit. Iugulati præcisum caput ipsa inuolutum veste ferens ad virum Orgiagõtem, qui ab Olympo domum refugerat, peruenit. quem priusquam
D complecteretur, caput centurionis ante pedes eius abiecit: mirãtique cuiusnam id caput hominis, aut quod id facinus haudquaquam muliebre esset, & iniuriam corporis, & vltionem violatæ per vim pudicitiæ, confessa viro est. aliaque (vt traditur) sanctitate, & grauitate vitæ huius matronalis facinoris decus ad vltimum cõseruauit. Ad Ancyram in statiua Tectosagum oratores ad consulem venerũt, petẽtes ne ante ab Ancyra castra moueret, quam collocutus cũ suis regibus esset. nullas cõditiones pa-
E cis iis non bello fore potiores. Tempus in posterũ diem constituitur, locúsq; qui maximè medius inter castra Gallorum, & Ancyram est visus. Quò cum consul ad tempus cum præsidio quingentorum equitum venisset, nec vllo Gallorum ibi viso, regressus in castra esset: oratores iidem redeunt, excusantes, religione obiecta venire reges non posse. principes gentis, per quos æque res transigi possent, venturos. Consul se quoque Attalum missurum dixit. Ad hoc colloquium vtrinque ventum est. trecẽtos
F equites Attalus præsidij caussa cũ adduxisset, dictæ sunt pacis conditiones. Finis rei quia absẽtibus ducibus imponi non poterat: conuenit vti consul regẽsque eo loco postero die congrederẽtur. Frustratio Gallorũ eo spectabat, primum vt tererent tempus, donec res suas cum quibus periclitari nolebãt, cum cõiugibus ac liberis trans Halyn flumen traiicerent: deindę quod ipsi consuli parum cauto aduersus colloqui fraudem insidiabantur. Mille ad eã rem ex omni numero audaciæ expertæ delegerunt
G equites & successisset fraus, ni pro iure gentium cuius violandi consilium initum erat, stetisset fortuna pabulatores lignatoresq; Romani in eam partem in qua colloquium futurum erat, ducti sũt: tutius id futurum tribunis ratis, quia cõsulis pręsidiũ & ipsum pro statione habituri erant, hosti oppositum, suam tamen alteram stationem propius castra sexcentorum equitum posuerũt. Consul affirmãte Attalo venturos reges, & transigi rem posse, profectus è castris, cum eodem quo antea præsidio equi-

tum quinque millia ferè processisset, nec multum à
constituto loco abesset: repentè concitatis equis
cum impetu hostili videt Gallos venientes, consti-
tuit agmen, & expedire tela animosque equitibus
iussis primo constanter initium pugnæ accepit,
nec cessit: dein cùm prægrauaret multitudo cedere
sensim, nihil confusis turmarum ordinibus, cœpit:
postremo cùm iam plus in mora periculi, quàm
in ordinibus conseruandis præsidij esset, omnes
passim in fugam effusi sunt. tum vero instare dissi-
patis Galli, & cedere, magnaque pars oppressa fo-
ret, ni statio pabulatorum sexcenti equites occur-
rissent. ij procùl clamore pauido suorum exaudito
cùm tela equósque expedissent, integri profligatam
pugnam acceperunt. itaque versa extemplo for-
tuna est, versus in victores à victis terror & pri-
mo impetu fusi Galli sunt, & ex agris cócurrebant
pábulatores, & vndique obuius hostis Gallis erat:
vt ne fugam quidem facilem aut tutam haberent,
quia recentibus equis Romani fessos sequebantur.
pauci ergo effugerunt. captus est nemo. maior
multo pars per fidem violati colloquij pœnas mor-
te luerunt: Romani ardentibus ira animis postero
die omnibus copiis ad hostem perueniunt. biduum
natura montis per seipsum exploranda, ne quid
ignoti esset, absumsit consul. tertio die cum au-
spicio operam dedisset, deinde immolasset, in qua-
tuor partes diuisas copias educit: duas vt medio
monte duceret, duas ab lateribus, vt aduersus cor-
nua Gallorum erigeret. Hostium quod roboris e-
rat, Tectosagi & Trocmi mediam tenebant aciem
millia hominum quinquaginta. equitatum, quia
equorum nullus inter inæquales rupes vsus erat,
ad pedes deductum, X. millia hominum, ab dextro
locauerunt cornu. Ariaratis Cappadoces & Morzi
auxiliares in læuo quatuor fermè millium nume-
rum explebant. Consul, sicut in Olympo monte,
prima in acie locata leui armatura, telorum omnis
generis vt equè magna vis ad manum esset, curauit.
Vbi appropinquarunt, omnia eadem vtrinque quæ
fuerant in priore prælio, erant, præter animos &
victoribus ab re secunda auctos, & hostibus fra-
ctos: quia etsi non ipsi victi erant, suæ gentis ho-
minum cladem pro sua ducebant. itaque à paribus
initiis cœpta res, eundem exitum habuit. Velut nu-
bes leuium telorum coniecta obruit aciem Gallo-
rum: nec aut procurrere quisquá ab ordinibus suis,
ne nudaret vndique corpus ad ictus, audebat: &
stantes quo densiores erant, hoc plura velut desti-
natum petentibus, vulnera accipiebant. Consul
iam per se turbatus, si legionum signa ostendisset,
versuros extemplo in fugam omnes ratus: receptis
inter ordines velitibus, & alia turba auxiliorum, a-
ciem promouit. Galli & memoria Tolistobogio-
rum cladis territi, & inhærentia corporibus geren-
tes tela, fessique & stando & vulneribus, ne pri-
mum quidem impetum & clamorem Romanorum
tulerunt. Fuga ad castra inclinauit: sed pauci intra
munimenta se recepere. pars maior dextra leuaque
prælati, qua quenque impetus tulit, fugerunt: victo-
res vsque ad castra secuti ceciderunt terga. deinde
in castris cupiditate prędę hæserunt, nec sequebátur
quisquam. In cornibus Galli diutius steterunt, quia
serius ad nos peruentum est, ceterum ne primum
quidem coniectum telorum tulerunt. Consul qui
ingressos in castra ab direptione abstrahere non
poterat, eos qui in cornibus fuerant, protinus ad
sequendos hostes misit. per aliquantum spatium
secuti, non plus tamen octo millia hominum in
fuga (ná pugna nulla fuit) ceciderút: reliqui flumé

A Halyn traiecerunt. Roma magna pars ea nocte in
hostium castris mansit: ceteros in sua castra consul
reduxit. postero die captiuos prædamque recen-
suit: quæ tanta fuit, quantam auidissima rapiendi
gens, cum cis montem Taurum omnia armis per
multos tenuisset annos coaceruare potuit. Galli
ex dissipata passim fuga in vnum locum congre-
gati, magna pars saucij aut inermes, nudati omni-
bus rebus, oratores de pace ad consulem miserunt.
B Eos Manlius Ephesum venire iussit: ipse (iam enim
medium autumni erat) locis gelidis propinqui-
tate Tauri montis excedere properans, victorem
exercitum in hyberna maritimæ oræ reduxit. Dum
hæc in Asia gerútur, in ceteris prouinciis tranquil-
læ res fuerunt. Censores Romæ T. Quintius Fla-
mininus & M. Claudius Marcellus senatum rele-
gerunt. princeps in senatu tertium lectus P. Scipio
Africanus. quatuor soli præteriti sunt, nemo curu-
C li vsus honore: & in equitatu recensendo mitis
admodum censura fuit. substructionem super Æ-
quimelium in Capitolio, & viam silice sternen-
dum à porta Capena ad Martis locauerunt. Campa-
ni vbi censerentur, senatum consuluerunt. decre-
tum, vti Romæ censerentur. Aquæ ingentes eo an-
no fuerunt. Tyberis duodecies campum Martium
planáque vrbis inundauit. Ab Cn. Manlio consule
bello in Asia cum Gallis perfecto, alter Cos. M.
Fuluius perdomitis ætolis, cum traiecisset in Ce-
phaleniam, circa ciuitates insulæ misit percuncta-
D tum, vtrum se dedere Romanis, an belli fortunam
experiri mallent: metus ad omnes valuit, ne dedi-
tionem recusarent, obsides inde imperatos pro vi-
ribus inopis populi vicenos Nesiotæ, Cranonij,
Pallenses & Samæi dederunt. Insperata pax Ce-
phaleniæ affulserat, cum repente vna ciuitas, incer-
tum quam ob caussam, Samæi desciuerunt. Quia
opportuno loco vrbs posita esset, timuisse se aie-
bant, ne demigrare cogerentur ab Romanis. cete-
rum ipsine sibi eum finxerint metum, & timore
E vano quietem exuerint, an iactata sermonibus res
apud Romanos, perlata ad eos sit, nihil comperti
est, nisi quod datis iam obsidibus, repente portas
clauserunt: & ne suorum quidem precibus (miserat
enim sub muros consul ad tentandam misericor-
diam parentum populariumque se) desistere ab incœ-
pto voluerunt. Oppugnari deinde, postea quam ni-
hil pacati respondebatur, cœpta vrbs est, apparatum
omnem tormentorum machinarumque transue-
ctum ab Ambraciæ oppugnatione habebat: & ope-
F ra quæ facienda erant, impigre milites perfecerunt
duobus igitur locis admoti arietes, quatiebant mu-
ros. Nec ab Samæis quicquam quo aut opera aut
hostis arceri posset, prætermissum est. duabus ta-
men maxime resistebant rebus, vna interiorem sé-
pe iuxta validum pro diruto nouum obstruentes
murum altera, eruptionibus subitis nunc in opera
hostium, nunc in stationes: & plerunque iis præliis
superiores erant. Vna ad coercendos inuenta haud
magna memoratu res est. centum funditores ab
G ælio & Patris & Dymis acciti. A pueris ij more
quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenæ
immistis strata littora sunt, funda mare apertú in-
cessentes exercebantur. itaque longius certiusque
& validiore ictu quàm Balearis funditor, eo telo
vsi sunt. & est non simplicis habenæ, vt balearica a-
liarumque gentium funda: sed triplex scutale cre-
bris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur
in iactu glans, sed librata cum sederit, velut ner-
uo missa excutiatur. coronas modici circuli magno
ex interuallo loci assueti traiicere. nó capita solum
hostium

hostium vulnerabant, sed quem locum destinassent oris. Et fundæ Samæos cohibuerunt, ne tam crebro, neve tam audacter erumperent: adeo vt precarentur ex muris Achæos, vt parumper abscederent: & secum Romanis stationibus pugnantes quiete spectarent. Quatuor menses obsidionem Samæi sustinuerũt. cum ex paucis quotidie aliqui eorum caderent aut vulnerarentur: & qui superarent, fessi & corporibus & animis essent: Romani nocte per arcem quam Cyatidem vocant (nam vrbs in mare deuexa, in occidentem vergit) muro superato in forum peruenerunt. Samæi posteaquam captam vrbis partem ab hostibus senserunt, cum coniugibus ac liberis in maiorem refugerunt arcem: inde postero die dediti, direpta vrbe, sub corona omnes venierunt. Consul compositis rebus Cephaleniæ, præsidio Samæ imposito, in Peloponnesum, iam diu accersentibus Ægiensibus maximè ac Lacedæmoniis traiecit. Ægium à principio Achaici consilij semper cõuentus gentis indicti sunt, seu dignitati vrbis id, seu loci opportunitati datum est. hunc moré Philopœmen eo primum anno labefactare conatus, legem parabat ferre, vt in omnibus ciuitatib. quæ Achaici concilij essent, inuicem conuentus agerentur, & sub aduentum consulis Damiurgis ciuitatum, qui summus est magistratus, Ægiũ euocantib. Philopœmen (prætor tũ erat) Argos cõ ientũ edixit. quò cũ appareret oes ferè cõuẽturos, cõsul quoq. quãquã Ægiensiũ fauebat causse, Argos venit. vbi cũ disceptatum fuisset, & ré inclinatã cerneret, incœpto destitit. Lacedæmonij deinde cũ in sua certamina auerterũt. Sollicitã eã ciuitaté exsules maximè habebãt. quorum magna pars in maritimis Laconicæ oræ castellis, quæ omnia adempta erant, habitabant. id ægrè patientes Lacedæmonij, vt aliquem liberum ad mare haberent aditum, si quando Romam, aliòve quò mitterent legatos, simulque vt emporium & receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios vsus esset, nocte adorti vicum maritimum nomine Lan, improuiso occupauere. Vicani, quique ibi exsules habitabant, primo inopinata re territi sunt: deinde sub lucem congregati, leui certamine expulerunt. Lacedæmonios terror tamen omnem maritimam oram peruasit: legatosque communiter & castella omnia vicique, & exsules, quibus ibi domicilia erant, ad Achæos miserunt. Philopœmen prætor, iam inde ab initio exsulum caussæ amicus, & auctor semper Achæis minuendi opes & auctoritatem Lacedæmoniorum, concilium quærentibus dedit. decretumque eo referente factum est, cùm in fidem Achæorum, tutelámque T. Quintius & Romani Laconicæ oræ castella & vicos tradidissent: & cum abstinere his ex fœdere Lacedæmonij deberent, Las vicus oppugnatus esset, cædésque ibi facta: qui eius rei auctores affinésque essent, nisi dederentur Achæis, violatum videri fœdus. Ad exposcendos eos legati extemplo Lacedæmonem missi sunt. Id imperium adeo superbum & indignũ Lacedæmoniis visum est, vt si antiqua ciuitatis fortuna esset, haud dubiè arma extéplo capturi fuerint. maximè autem consternauit eos metus, si semel primis imperiis obediendo, iugum accepissent, ne, id quod iãdiu moliretur Philopœmen, exsulibus Lacedæmoné traderet. Furentes igitur ira, triginta hominibus ex factione, cum qua consiliorum aliqua societas Philopœmeni atque exsulibus erat, interfectis, decreuerunt renunciandam societatem Achæis: legatosque extemplo Cephaleniam mittendos, qui consuli M. Fuluio, quiq. Romanis Lacedæmonem dederent: orarentq. eum vt veniret in Peloponnesum ad vr-

A bem Lacedæmonem, in fidem ditionémq. pop. Romani accipiendam. Id vbi legati ad Achæos retulerunt, omnium ciuitatum, quæ eius concilij erant, consensu, bellum Lacedæmoniis indictũ est. ne extéplo gereretur, hyems impediit. incursionib. tamen paruis, latrocinij magis quàm belli modo, non terra tantum, sed etiam nauibus à mari fines eorum vastati. Hic tumultus consulem in Peloponnesum adduxit: iussuque eius Elin concilio indicto, Lacedæmonij ad disceptandum acciti. Magna ibi non dis-
B ceptatio modo, sed etiam altercatio fuit. Cui consul cum alia satis ambitiosè, partem vtranque fouendo incertà respondisset: vna denuntiatione, vt bello abstinerent, donec Romam legatos ad senatum misissent, finem imposuit. Vtrinque legatio missa Romam est. exsules quoq. Lacedæmoniorũ suam caussam legationémque Achæis iniunxerunt. Diophanes & Lycortas, Megapolitani ambo, principes legationis Achæorum fuerunt, qui dissidentes in Republica, tum quoque minimè inter se conue-
C nientes orationes habuerunt. Diophanes senatui disceptationem omnium rerum permittebat: eos optimè cõtrouersias inter Achæos ac Lacedæmonios finituros esse. Lycortas ex præceptis Philopœmenis postulabat, vt Achæis ex fœdere ac legibus suis, quæ decreuissent, agere liceret, libertatémque sibi illibatã, cuius ipsi auctores essent, præstarent. Magnæ auctoritatis apud Romanos tum gens Achæorum erat. nouari tamen nihil de Lacedæmoniis placebat. Ceterum responsum ita perplexum fuit, vt & Achæi sibi de Lacedæmone permissum acciperent: & Lace-
D dæmonij non omnia concessa iis interpretarentur. Hac potestate immodicè Achæi, ac superbè vsi sũt, Philopœmeni continuatur magistratus, qui veris initio exercitu indicto, castra in finibus Lacedæmoniorum posuit. legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis: & ciuitatem in pace futuram, si id fecissent, pollicens: & illos nihil indicta caussa passuros. Silentium præ metu ceterorum fuit: quos nominatim depoposcerat, ipsi se ituros professi sunt: fide accepta ab legatis, vim absfuturam
E donec caussam dixissent. Ierunt alij etiam illustres viri, & aduocati priuatis: & quia pertinere caussam eorum ad rempublicam censebant. Nunquam aliàs exsules Lacedæmoniorum Achæi secum adduxerant in fines, quia nihil æquè alienaturum animos ciuitatis videbatur. tũc exercitus totius prope antesignani exsules erant. Ij venientibus Lacedæmoniis, ad portam castrorum agmine facta occurrerunt. & primò lacessere iurgiis, deinde alterca-
F tione orta cum accenderentur iræ, ferocissimi exsulum impetum in Lacedæmonios fecerunt, Cùm illi deos & fidem legatorum testarentur: & legati & prætor summoueret turbas, & protegeret Lacedæmonios, vinculáque iam quosdam iniicientes arceret, crescebat tumultus concitata turba. Et Achæi ad spectaculum primo concurrerunt, deinde vociferantibus exsulibus quæ passi forent, & orantibus opem, affirmantibúsque simul, nunquam talem oc-
G casionẽ habituros, si eam pretermisissent. fœdus quod in Capitoliõ, quod Olympiæ, quod in arce Athenis sacratum fuisset, irritum per illos esse: priusquam alio de integro fœdere obligarentur, noxios puniẽdos esse: accensa his vocibus multitudo, ad vocem vnius, qui vt ferirent, inclamauit, saxa coniecit. atque ita XVII. quibus vincula per tumultum iniecta erant, interfecti sunt. LXIII. postero die comprehensi, à quibus prætor vim arcuerat, non quia saluos vellet, sed quia perire caussa indicta nolebat: obiecti multitudini iratæ, cum auersis aurib. pauca

locuti essent, damnati omnes & traditi sunt ad sup-
plicium. Hoc metu iniecto Lacedæmoniis impera-
tum primum, vt muros diruerent, deinde vt omnes
externi auxiliares, qui mercede apud tyrānos mili-
tassent, terra Laconica excederent: tum vti quę ser-
uitia tyranni liberassent (ea magna multitudo erat)
ante diem certam abirent: qui ibi mansissent, eos
prehendendi, vendendi, abducendi Achęis ius esset.
Lycurgi leges moresque abrogarent. Achæorum as-
suescerent legibus institutisque. ita vnius eos cor-
poris fore, & de omnib. rebus facilius consensuros.
Nihil obedientius fecerunt, quàm vt muros dirue-
rent: nec ægrius passi sunt, quam exsules reduci. De-
cretum Tegeę in concilio communi Achęorum de
restituendis iis factum est, & mentione illata, exter-
nos auxiliares dimissos, & Lacedæmoniis ascriptos
(ita enim vocabant, quia tyrannis liberati erant)
vrbe excessisse, in agros dilapsos: priusquam dimit-
teretur exercitus, ire prætorem cum expeditis, &
comprehendere id genus hominum, & vendere iu-
re prædæ placuit, multi comprehensi vænierunt.
porticus ex ea pecunia Megalopoli permissu A-
chęorum refecta est, quam Lacedæmonij diruerant.
Et agei Belbinatis, quem iniuria tyranni Lacedæ-
moniorum possederant, restitutus eidem ciuitati
ex decreto vetere Achæorum: quod factum erat
Philippo Amyntæ filio regnante. Per hæc velut e-
neruata ciuitas Lacedæmoniorum diu Achæis ob-
noxia fuit. nulla tamen res tanto erat damno, quam
disciplina Lycurgi. cui per octingentos annos assue-
uerāt, sublata. A concilio, vbi apud consulem inter
Achęos Lacedęmoniósque disceptatum est. M. Ful-
uius, quia iam in exitu annus erat, comitiorū caus-
sa profectus Romam, creauit cōsules M. Valerium
Messalam, & C. Liuium Salinatorem: cum M. Æmy-
lium Lepidum inimicum eo quoque anno peten-
tem deiecisset. Prætores inde creati Q. Martius Phi-
lippus, M. Claudius Marcellus, C. Stertinius, C. Ca-
tinius, P. Claudius Pulcer, L. Manlius Acidinus. Co-
mitiis perfectis, consulem M. Fuluium in prouin-
ciam & ad exercitum redire placuit, eique & colle-
gæ Cn. Manlio imperium in annū prorogatum est.
Eo anno in ædem Herculis signum dei ipsius ex de-
cemuirorum responso, & seiuges in Capitolio au-
rati ab Cn. Cornelio positi. cōsulem dedisse inscri-
ptum est. & duodecim clypea ærata ab ædilibus cu-
rulibus P. Claudio & Ser. Sulpitio Galba sunt posita
ex pecunia, quæ frumentarios ob annonam com-
pressam damnarūt. & ædilis plebis Q. Fuluius Flac-
cus duo signa aurata, vno reo damnato (nam separa-
tim accusauerant) posuit. collega eius A. Cæcilius
neminem condemnauit. Ludi Romani ter, plebeij
quinquies toti instaurati. M. Valerius Messala inde,
& C. Liuius Salinator consulatum Idib. Martiis cū
inissent, de republica, déq. prouinciis & exercitib.
senatum consuluerunt. De Ætolia & Asia nihil mu-
tatū est. Consulibus, alteri Pisę cum Liguribus: alte-
ri Gallia prouincia decreta est. comparare inter se
aut sortiri iussi: & nouos exercitus, binas legiones
scribere: & vt sociis Latini nominis quina dena mil-
lia peditū imperarēt, & mille ducētos equites. Mes-
salę Ligures, Salinatori obtigit Gallia. Prætores in-
de sortiti sūt. M. Claudio vrbana, P. Claudio pere-
grina iurisdictio euenit. Q. Martius Siciliā, C. Ster-
tinius Sardiniam, L. Manlius Hispaniam citeriorē,
C. Catinius vlteriorem est sortitus. De exercitibus
ita placuit è Gallia legiones, quæ sub C. Lælio fue-
rant, ad M. Tucciū proprætorem in Brutios traduci:
& qui in Sicilia esset, dimitti exercitum: & clas-
sem quæ ibi esset, Romam reducere M. Sempro-

A nium proprætorem. Hispaniis legiones singulæ,
quæ tum in iis prouinciis erant, decretæ: & vt ter-
na millia peditum, ducenos equites ambo præto-
res in suplementum sociis imperarent, secumque
transportarent. Priusquam in prouincias noui ma-
gistratus proficiscerent, supplicatio in triduum
pro collegio decemuirorum imperata fuit in om-
nibus compitis: quod luce inter horā tertiam fer-
me & quartam tenebræ obortæ fuerant. & nouen-
B diale sacrificium indictum est, quod in Auentino
lapidibus pluisset. Campani, cum eos ex senatus
consulto, quod priore anno factum erat, censores
Romæ censeri coegissent (nam antea incertum fue-
rat, vbi censerentur) petierunt, vt sibi ciues Roma-
nas ducere vxores liceret: & si qui prius duxisset,
vt habere eas: & ante eam diem nati, vt iusti sibi li-
beri heredesque essent. vtraque res impetrata. De
Formianis Fundanisque municipibus, & Arpinati-
C bus C. Valer. Tappo tribunus plebis promulga-
uit, vt iis suffragij latio (nam ante sine suffragio ha-
buerāt ciuitatem) esset. Huic rogationi quatuor tri-
buni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferre-
tur, cum intercederent: edocti populi esse, non se-
natus ius, suffragium quibus velit impartiri destite-
runt incœpto. Rogatio perlata est, vt in Æmylia tri-
bu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates fe-
rent. atq. in his tribubus tum primū ex Valerij ple-
biscito cēsi sunt. M. Claudius Marcellus censor, sor-
te superato T. Quintio, lustrum condidit. censa ci-
D uium capita CCLVIII. millia. CCCVIII. Lustro
perfecto consules in prouincias profecti sunt. Hye-
me ea quæ hæc Romæ gesta sunt, ad Cn. Manlium
consulem primum. deinde proconsulem hybernan-
tem in Asia legationes vndique ex omnibus ciuita-
tibus gentibusq. quæ cis Taurum montem incolunt
conueniebant: & vt clarior nobiliorq. victoria Ro-
manis de rege Antiocho fuit, quam de Gallis, ita
lætior sociis erat de Gallis quam de Antiocho. To-
lerabilior regia seruitus fuerat, quam feritas imma-
nium barbarorum, incertúsq. indies terror, quo ve-
E lut tempestas eos populantes inferret. itaq. vt quib.
libertas Antiocho pulso, pax Gallis domitis data
esset, non gratulatum modo venerant sed coronas
etiam aureas pro suis quęq. facultatibus attulerant.
Et ab Antiocho legati, & ab ipsis Gallis, vt pacis le-
ges dicerentur: & ab Ariarate rege Cappadociæ
venerunt ad veniam petendam, luendámq. pecunia
noxam, quod auxiliis Antiochum iuuisset. Ei CC.
talenta argenti sunt imperata. Gallis responsum est,
Eumenes rex venisset, tum daturum iis leges. ciui-
tatum legationes cum benignis responsis lætiores
F etiam quam venerant, dimissæ. Antiochi legati pe-
cuniā in Pamphyliam, frumentúmq. ex pacto cum
L. Scipione fœdere iussi aduehere. eò se cū exercitu
venturum. Principio deinde veris lustrato exercitu
profectus, die octauo Apameam venit. ibi triduum
statiuis habitis, tertiis rursus ab Apamea castris in
Pamphiliā, quo pecuniam frumentumq. regios o-
uehere iusserat, peruenit. M.& D. talenta argenti ac-
G cepta Apameam deportantur. frumentum exercitui
diuidetur. Inde ad Pergam ducit: quæ vna in iis lo-
cis regio tenebatur præsidio: appropinquanti præ-
fectus præsidij obuius fuit, XXX. dierum tempus
petens, vt regem Antiochum de vrbe tradenda con-
suleret. dato tempore, ad eam diem præsidio deces-
sum est à Perga L. Manlio fratre cū IIII. millibus mi-
litum Oroanda ad reliquum pecuniæ, ex eo quod
pepigerant, exigendum misso, ipse, quia Eumenem
regem & decem legatos ab Roma Ephesum venis-
se audierat, iussis sequi Antiochi Legatis, Apame-
am exe

meam exercitum reduxit. Ibi ex X. legatorum sententia fœdus in hæc verba ferè cum Antiocho conscriptum est. Amicitia regi Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus esto. Ne quẽ exercitum qui cum populo Romano sociisve bellum gesturus erit, rex per fines regni sui, eorumve qui sub ditione eius erunt, transire finito, neu commeatu, neu qua alia ope iuuato. idem Romani sociiq; Antiocho, & iis qui sub imperio eius erunt, præstét. Belli gerendi ius Antiocho ne esto cum iis qui insulas colũt, néve in Europam transeundi. Excedito vrbibus, agris, vicis, castellis cis Taurũ montem vsque ad Tanaim amnem, & à valle Tauri vsque ad iuga quæ Lycaoniam vergit. Ne qua arma efferto ex iis oppidis, agris castellisq. quibus excedat: si qua extulit, quæ quoque oportebit, rectè restituito. Ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum vrbium ciues, quæ regno abscedũt, cũ rege Antiocho, intraque fines eius regni sunt, Apameam omnes ante diem certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos sociósque sunt, iis ius abeundi manendique esto. Seruos, seu fugitiuos, seu bello captos, seu qui liber captus aut trãsfuga erit, reddito Romanis sociisq; Elephantos tradito omnes, neque alios parato. Tradito & naues lõgas, armamentáq; earum: néve plures quàm decẽ naues actuarias, nulla quarum plus quam XXX. remis agatur, habeto, néve monerem ex belli caussa, quod ipse illaturus erit, néve nauigato citra Calycadnum, néve Sarpedonem, promõtoria: extra quam si qua nauis pecuniam, stipendium, aut legatos, aut obsides portabit. Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub ditione populi Romani sunt, Antiocho regi ius né esto, ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum sociorúmve quæ ædes ædificiáque intra fines regni Antiochi sunt, quo iure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorúmve sunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio esto. Si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi, repetendique ius item esto. Si quas vrbes quas tradi oportet, ij tenent quibus Antiochus dedit, ex iis præsidia deducito, vtique rectè tradantur, curato. Argenti probi Attica talenta XII. millia dato intra duodecim annos pensionibus æquis. talentum ne minus pondo LXXX. Romanis ponderibus pendat, & tritici DXL. millia modium. Eumeni regi talẽta CCCL. intra quinquenniũ dato: & pro frumento quod æstimatione fiat: talenta CXXVII. Obsides Romanis XX. dato, & pro triennio mutato, ne minores octonũdenum annorũ, neu maiores quinumquadragenũ. Si qui sociorũ populi Romani vltro bellum inferet Antiocho, vim vi arcẽdi ius esto, dum ne quam vrbem aut belli iure teneat, aut in amicitiã accipiat. cõtrouersias inter se iure ac iudicio disceptent: aut si vtrisque placebit, bello. De Annibale Pœno, & Ætolo Thoante, & Mnasimacho Acarnane, & Chalcidensibus Eubulo & Philone dedendis, in hoc quoq. fœdere adscriptũ est. & si quid postea addi, mutarive placuisset, vt id saluo fœdere fieret. Consul iurauit in hoc fœdus: ab rege qui exigerent iusiurandum, profecti Q. Minutius Termus, & L. Manlius: qui tũ forte ab Oroandis rediit. & Q. Fabio Labeoni, qui classi præerat, scripsit: vt Patara extemplo proficisceretur: quæque ibi naues regiæ essent, concideret cremaréque. Profectus ab Epheso quinquaginta tectas naues aut concidit aut incendit. Telmessum eadem expeditione, territis subito aduentu classis oppidanis recepit. Ex Lycia protin*, iussis ab Epheso sequi, qui ibi relicti erát, per insulas in Grçciã traiecit: Athenis

A paucósq; moratus dies, dum Piræeum ab Epheso naues venirent, totam inde classem in Italiam reduxit.

Cn. Manlius, cum inter cætera quæ accipienda ab Antiocho erant, elephantos quoque accepisset, donóque Eumeni omnes dedisset: deinde caussas ciuitatum, multis inter nouas res turbatis, cognouit. Et Ariarates rex, parte dimidia pecuniæ imperatæ Eumenis beneficio, cui despõderat per eos dies filiam, remissa in amicitiam est acceptus. Ciuitatum au- B tem cognitis caussis, decem legati aliam aliarum fecerunt cõditionem. Quæ stipendiariæ regi Antiocho fuerant, & cum populo Romano senserant: iis immunitatem dederũt. quæ partium Antiochi fuerant aut stipendiariæ Attali regis, eas omnes vectigal pendere Eumeni iusserunt. nominatim præterea Colophoniis qui in otio habitant, & in Cymæis & Milesiis immunitatem concesserunt. Clazomeniis super immunitatem & Drymusam insulam do- C no dederunt. & Milesiis, quem sacrum appellant, agrum restituerunt. & Iliensibus Rhœteum & Gergithum addiderunt, non tam ob recentia vlla merita, quàm originum memoria. eadem & Dardanum liberandi caussa fuit. Chios quoque & Smyrnæos & Erythræos pro singulari fide quam eo bello præstiterunt, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæensibus & ager quem ante bellum habuerant, redditus: & vt legibus antiquis vterentur, permissum. Rhodiis affirmata, quæ data priore decreto erant. Lycia & Caria datæ vsque ad Mæandrum amnem præter Telmessum. D Regi Eumeni Chersonnesum in Europa, & Lysimachiam, castella, vicos, agros eius, quibus finibus tenuerat Antiochus, adiecerunt: in Asia Phrygiam vtramque: alteram ad Hellespontum, maiorem alteram vocant: & Mysiam quam Prusias rex ademerat ei, restituerunt: & Lycaoniam, & Myliada, & Lydiam, & nominatim vrbes Tralleis, atque Ephesum & Telmessum. De Pamphylia disceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos cùm esset, quia pars vltra Taurum est: integra res ad senatum reiicitur. E His fœderibus decretisque datis, Manlius cum decem legatis omnique exercitu ad Hellespontum profectus, euocatis eò regulis Gallorum, leges quibus pacem cum Eumene seruarent, dixit, denunciauitque, vt morem vagandi cum armis finirent, agrorúmque suorum terminis se continerent. Contractis deinde ex omni ora nauibus, & Eumenis etiam classe per Athenæum fratrem regis ab Elæa adducta, copias omnes in Europam traiecit. inde per Chersonnesum modicis itineribus graui præda omnis generis agmen trahens, Lysimachiæ statiua F habuit: vt quam maximè recentibus & integris iumentis Thraciam, per quam iter vulgo horrebant, ingrederetur. Quò profectus est ab Lysimachia die, ad amnem Melana, quem vocant: inde postero die Cypsela peruenit. à Cypselis via decẽ milliũ ferè siluestris, angusta, cõfragosa excipiebat. propter cuius difficultatẽ itineris, in duas partes diuisus exercitus & præcedere vna iussa, altera magno interuallo co- G gere agmẽ media impedimẽta interposuit: plaustra cũ pecunia publica erát, pretiosáq; alia præda. Itaq; cũ per saltũ iter, Thracum decẽ haud amplius millia ex quatuor populis, Astij & Cæni & Maduateni & Cœletæ ad ipsas angustias viam circumsederunt. Opinio erat, non sine Philippi regis Macedonum fraude id factum, eum scisse, non alia quàm per Thraciam redituros Romanos, & quantam pecuniam secum portarent. In primo agmine imperator erat sollicitus propter iniquitatem locorũ. Thraces nihil se mouerunt, donec armati trans-

irent. posteaquam primos superasse angustias viderunt, postremos nondum appropinquantes impedimenta & sarcinas inuadunt. cæsisque custodibus, partim ea quæ in plaustris erant, diripere, partim sub oneribus iumenta abstrahere. Vnde postquam clamor primum ad eos qui iam ingressi saltum sequebantur, deinde etiam ad primum agmen est perlatus, vtrinque in medium concurritur, & inordinatum simul pluribus locis, prælium conseritur. Thracas præda ipsa impeditos oneribus, & plerosque, vt ad rapiendum manus vacuas haberent, inermes ad cædem præbet: Romanos iniquitas locorum barbaris per calles notos occursantibus, & latentibus interdum per cauas valles, prodebat. ipsa etiã onera plaustráque vt fors tulit, his aut illis incommode obiecta pugnantibus impedimẽto sunt: alibi prædo, alibi prædæ vindex cadit. prout locus iniquus æquúsve his aut illis, prout animus pugnantium est, prout numerus (alij enim pluribus quã ipsi erant, alij paucioribus occurrerant) varia pugnę fortuna est: multi vtrinque cadunt. Iam nox appetebat, cùm prælio excedunt Thraces, non fuga vulnerum, aut mortis: sed quia satis prædę habebant. Romanorum primum agmen extra saltum circa templum Bendidium castra loco aperto posuit: pars altera ad custodiam impedimentorum medio in saltu duplici circundata vallo mãsit. postero die prius explorato saltu quàm mouerent, primis se coniungunt. In eo prælio, cum & impedimentorum pars, & calonũ & milites aliquot, cum passim toto prope saltu pugnaretur, cecidissent: plurium Q. Minutij Thermi morte damni est acceptum, fortis ac strenui viri. Eo die ad Hebrum flumen peruentum est. inde Æniorum fines pręter Apollinis, Zerinthium quem vocant incolæ, tẽplum superant. Aliæ angustiæ circa Tempyra excipiunt (hoc loco nomen est) nec minus confragosæ, quã priores: sed quin nihil syluestre circa est: ne latebra quidẽ ad insidiandum præbent. Huc ad eandem spẽ prædæ Thrausi, gens & ipsa Thracum, conuenere: sed quia nudæ valles, procul vt conspicerẽtur angustias obsidentes efficiebant: minus terroris tumultusque fuit apud Romanos. quippe etsi iniquo loco, prælio tamẽ iusto, acie aperta collatis signis dimicandum erat. cõferti subeũtes cum clamore impetu facto, primum expulere loco hostes, deinde auertere. fuga inde cædésque suis ipsos impedientibus angustiis fieri cœpta est. Romani victores ad vicum Maronitarum (Sarem appellant) posuerunt castra. postero die patenti itinere Priaticus campus eos excepit, triduúmque ibi frumentum accipientes manserunt, partim ex agris Maronitarum, conferentibus ipsis, partim ex nauibus suis, quæ cum omnis generis commeatu sequebantur. Ab statiuis diei via Apolloniam fuit. hinc per Abderitarum agrum Neapolim peruentum est. Hoc omne per Grecorum colonias pacatum iter fuit. reliquum inde per medios Thracas dies noctésque etsi non infestum, suspectum tamẽ, donec in Macedoniã peruenerunt. Mitiores Thracas idem exercitus cum à Scipione eadem via duceretur, habuerat, nullam ob aliam caussam, quam quod prædæ minus quod peteretur, fuerat. Quanquam tum quoque Claudius auctor est, ad quindecim millia Thracum præcedenti ad exploranda loca agmen Mutini Numidæ occurrisse, quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos. Mutinis filium per medios hostes cum centũ quinquaginta delectis equitibus perrupisse. eundem mox, cum iam Mutines in medio elephantis collocatis in cornua equitibus dispositis manum cum

A hoste conseruisset, terrorem ab tergo præbuisse: atque inde turbatos equestri velut procella hostes ad peditum agmen non accessisse. Cn. Manlius per Macedoniam in Thessaliam exercitum traduxit. inde per Epirum Apolloniam cum peruenisset, nondum adeo hyberno contempto mari, vt traiicere auderet, Apolloniæ hybernauit. Exitu prope anni M. Valerius Cos. ex Liguribus ad magistratus subrogandos Romam venit, nulla memorabili in prouincia re gesta, vt ea probabilis moræ caussa esset, quod solito serius ad comitia venisset.

B Comitia Coss. rogandis fuerunt ad XII. Calend. Martias. creati M. Æmylius Lepidus, C. Flaminius. Postero die Pr. facti Ap. Claudius Pulcer, Ser. Sulpitius Galba, Q. Terentius Culleo, L. Terentius Massaliota, Q. Fuluius Flaccus, M. Furius Crassipes. Comitiis perfectis, quas prouincias prætoribus esse placeret, retulit ad senatum consul, decreuerunt duas Romæ iuris dicendi caussa, duas extra Italiam, Siciliam & Sardiniam: duas in Italia, Tarentum, & Galliam. & ex-

C templo priusquam inirent magistratum, sortiti iussi. Seruius Sulpitius vrbanam, Q. Terentius peregrinam est sortitus. L. Terentius Siciliam, Q. Fuluius Sardiniam, Ap. Claudius Tarentum, M. Furius Galliam. Eo anno L. Minutius Myrtilus, & L. Manlius, quod legatos Carthaginienses pulsasse dicebantur, iussu M. Claudij Pr. vrbani per fœciales traditi sunt legatis, & Carthaginem auecti. In Liguribus magni belli, & gliscentis indies magis, fama erat. itaque Coss. nouis quo die de prouinciis & de Re-

D pub. retulerent, senatus vtrique Ligures prouinciã decreuit. Huic S.C. Lepidus Cos. intercedebat, indignum esse prædicans Coss. ambos in valles Ligurum includi. M. Fuluium & Cn. Manlium bienniũ iam, alterum in Europa, alterum in Asia, velut pro Philippo atque Antiocho, substitutos regnare. si exercitus in his terris esse placeat, Coss. iis potius quam priuatos præesse oportere. Vagari eos cum belli terrore per nationes, quibus bellũ indictum non sit, pacem pretio venditantes. si eas prouincias

E exercitibus obtinere opus esset, sicut M. Acilio L. Scipio consul, L. Scipioni M. Fuluius & Cn. Manlius successissent consules: ita Fuluio Manlióque C. Liuium & M. Valerium consules debuisse succedere. nunc certe perfecto Ætolico bello, recepta ab Antiocho Asia, deuictis Gallis, aut Coss. ad exercitus consulares mitti, aut reportari legiones inde, reddique tandem Reipublicæ debere. Senatus his auditis in sententia perseuerauit: vt Coss. ambobus Ligures prouincia esset: Manlium Fuluiúmque decedere de prouinciis, & exercitus inde deducere, ac redi-

F re Romam placuit. Inimicitiæ inter M. Fuluium, & M. Æmylium Coss. erant, & supra cetera Æmylius serius biennio se Cos. factum M. Fuluij opera aiebat. itaque ad inuidiam ei faciendam legatos Ambracienses in senatum subornatos criminibus introduxit. qui sibi, cum in pace essent, imperataque à prioribus Coss. fecissent, & eadem præstare obediẽtes M. Fuluio parati essent, bellum illatum questi. agros primum depopulatos, terrorem direptionis & cædis vrbi iniectum, vt eo metu claudere co-

G gerentur portas. obsessos deinde & oppugnatos se, & omnia exempla belli edita in se, cædibus, incendiis, ruinis, direptione vrbis, coniuges, liberos in seruitium abstractos: bona ademta: &, quod se ante omnia moueat, templa tota vrbe spoliata ornamentis, simulacra deum, deos denuo ipsos conuulsos ex sedibus suis ablatos esse. parietes postesque nudatos, quos adorent, ad quos precentur & supplicent, Ambraciensibus non superesse. Hæc queren-

querentes interrogando criminosè ex composito Cos. ad plura velut non sua sponte dicenda eliciebat. Motis partibus, alter Cos. C. Flaminius M. Fuluij caussam excepit. qui veterem & obsoletam viá ingressos Ambracienses dixit: Sic M. Marcellum à Syracusanis, sic Q. Fuluium à Campanis accusatos. quin eadem opera T. Quintium à Philippo rege, M. Acilium, & L. Scipionem ab Antiocho Cn. Manlium à Gallis, ipsum Fuluium ab Ætolis & Cephaleniæ populis accusari paterentur? Ambraciam oppugnatum & captam, & signa inde ornamentaque ablata, & cetera facta, quæ captis vrbibus soleant, negaturum aut me pro M. Fuluio, aut ipsum M. Fuluium censetis P.C. qui ob has res gestas triumphum à vobis postulaturus sit? Ambraciam captam: signáque quæ ablata criminatur, & cetera spolia eius vrbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis: Nihil est, quod se ab Ætolis separent. eodem Ambraciensium & Ætolorum caussa est. Itaque collega meus vel in alia caussa inimicitias exerceat, vel si in hac vtique mauult, retineat Ambracienses suos in aduentum M. Fuluij. ego nec de Ambraciensibus, nec de Ætolis decerni quicquam absente M. Fuluio patiar. Cum Æmylius callidam malitia inimici, velut omnibus notam insimularent, & tépus eum morando extracturum diceret, ne consule inimico Romam veniret, certamine consulum biduú absumtum est. nec præsente Flaminio decerni quicquam videbatur posse captata occasio est, cum æger fortè Flaminius abesset. & referente Æmylio S. C. factum est, vt Ambraciensibus omnes suæ res redderentur: in libertate essent, ac legibus suis vterentur. portoria, quæ vellent, terra marique caperent, dum eorum immunes Romani ac socij Latini nominis essent. signa aliaque ornamenta, quæ quererentur ex ædibus sacris sublata esse: de iis, cum M. Fuluius Romam reuertisset, placere ad collegium pontificum referri, & quod ij censuissent, fieri. Neque his contentus Cos. fuit, sed postea per infrequétiam adiecit S.C. Ambraciam non videri vi captam esse. Supplicatio inde ex decéuirorum decreto pro valetudine populi fuit per triduum: quia grauis pestilentia vrbem atque agros vastabat. Latinæ inde fuerunt. Quibus religionibus liberati Coss. & delectu perfecto (nouis enim vterque maluit vti militibus) in prouinciam profecti sunt: veteresque omnes dimiserunt. Post consulum profectionem Cn. Manlius Procos. Romam venit, cui cum ab Ser. Sulpitio pr. senatus ad ædem Bellonæ datus esset & ipse commemoratis rebus ab se gestis postulasset, vt ob eas diis immortalibus honos haberetur, sibique triumphanti vrbem inuehi liceret: contradixerunt pars maior decem legatorum, qui cum eo fuerant, & ante alios P. Furius Purpurio. & L. Æmylius Paulus: Legatos sese Cn. Manlio datos pacis cum Antiocho faciendæ caussa, fœderisque & legú quæ cum L. Scipione incoatæ fuissent perficiendarum Cn. Manlium summa ope tetendisse, vt eam pacem turbaret: & Antiochum, si sui potestatem fecisset, insidiis exciperet: sed illum cognita fraude Cos. cú sæpe colloquiis petitis captatus esset, non congressum modo, sed conspectum etiam eius vitasse. cupientem transire Taurum, ægrè omnium legatorum precibus, ne carminibus Sibyllæ prædictam superantibus terminos fatales cladem experiri vellet, retentum. admouisse tamen exercitum, & prope ipsis iugis ad diuortia aquarum castra posuisse. cum nullam ibi caussam belli inueniret, quiescentibus regiis circumegisse exercitum ad Gallogræcos, cui nationi non ex senatus auctoritate, non

A populi iussu bellum illatum quod quem vnquam de sua sententia facere ausum? Antiochi, Philippi, Annibalis, & Pœnorum recentissima bella esse. de omnibus his cósultum senatum, populumque iussisse. sæpe legatos ante missos, res repetitas: postremo qui bellum indicerent, missos. Quid eorum Cn. Manli factum est, vt istud publicum P. R. bellú, & non tuum priuatum latrocinium dicamus? At eo ipso contentus fuisti. recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos tibi hostes delegeras: an & per B omnes anfractus viarum, cum ad biuia consisteres, vt quò flexisset agmen Attalus Eumenis frater, eò Cos. mercenarius cú exercitu Romano sequereris. Pisidiæ Lycaoniæque & Phrygiæ recessus omnes atque angulos peragrasti, stipem à tyrannis castellanisque deuiis colligens? quid enim tibi cum Oroandis? quid cum aliis æquè innoxiis populis? Bellum autem ipsum cuius nomine triumphum petis, quo modo gessisti? loco æquo, tempore tuo pugnasti? Tu verò rectè, vt diis immortalibus ho- C nos habeatur, postulas. primum quod pro temeritate imperatoris nullo iure gentium bellum inferentis pœnas luere exercitum noluerunt: deinde, quod belluas, non hostes nobis obiecerunt. Nolite nomé tantum existimare mistum esse Gallogræcorum: multo ante & corpora & animi misti ac vitiati sunt. an si illi Galli essent, cum quibus millies vario euétu in Italia pugnatum est, quantum in imperatore nostro fuit, nuntius illinc redisset? bis cum iis pugnatum est, bis loco iniquo subiit, in valle inferio- D re pedibus pene hostium aciem subiecit, vt si non tela ex superiore loco mitterent: sed corpora sua nuda iniicerent, obruere nos potuerint. Quid igitur incidit? magna fortuna P. R. est, magnum & terribile nomen. recenti ruina Annibalis, Philippi, Antiochi, prope attonitæ erant tantæ corporum moles. fundis sagittisque in fugam consternatæ sunt. gladius in acie cruentatus non est Gallico bello: velut apium examinata ad crepitum primum missilium auolauere. At hercule nos iidem, admo- E nente fortuna, quid, si hostem habuissemus, casurum fuisset: cúm redeuntes in latrunculos Thracas incidissemus: cæsi, fugati, exuti impedimentis sumus. Q. Minutius Thermus in quo haud paulo plus damni factum est, quam si Cn. Manlius, cuius temeritate ea clades inciderat, perisset: cum multis fortibus viris cecidit. exercitus spolia regis Antiochi referens trifariam dissipatus. alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter vepres in latebris ferarum noctem vnam delituit. Pro his triumphus F petitur. Si nihil in Thracia cladis ignominiæque foret acceptum, de quibus hostibus triumphum peteres? de iis, vt opinor, quos tibi hostes senatus, aut P. R. dedisset, sic huic L. Scipioni, sic illi M. Acilio de rege Antiocho, sic paulo antè T. Quintio de rege Philippo, sic. Pub. Africano de Annibale & Pœnis & Syphace triumphus datus. & minima illa, cúm iam senatus censuisset bellum, quæsita tamen sunt, quibus nuntiandum esset? ipsis vtique regibus nuntiaretur? an satis esset ad præsidium G aliquod nuntiari? Vultis ergo hæc omnia pollui & confundi? tolli fœcialia iura? nullos esse fœciales? fiat (pace deum dixerim) iactura religionis: obliuio deorum capiat pectora vestra. num senatum quoque de bello consuli non placet? non ad populú ferri, velint, iubeantne cum Gallis bellú geri? Modo certè Coss. Græciam atque Asiam volebant, tantum perseuerantibus vobis Ligures prouinciam decernere, dicto audientes fuerunt. meritò ergo à vobis prosperè bello gesto triumphú petent,

quibus auctoribus gesserunt. Talis oratio Furij & Æmylij fuit. Manlium in hunc maximè modum respondisse accepimus. Tr. pl. antea solebant triumpham postulantibus aduersari P.C. quibus ego gratiam habeo quod seu mihi, seu magnitudini rerum g. starum hoc dederunt, vt non solum silentio comprobarent honorem meum: sed referre etiam, si opus esset, viderentur parati esse. ex decem legatis, si diis placet, quod consilium dispensandæ cohonestandæque victoriæ imperatoribus maiores d. derũt nostri, aduersarios habeo. L. Furius, L. Æmylius currum triumphalem me conscendere prohibent, coronam insignem capiti detrahunt. quos ego, si tribuni me triumphare prohiberent, testes citaturus fui rerum à me gestarum. Nullius equidem inuideo honori P.C. vos tribunos plebis nuper, viros fortes ac strenuos, impedientes Q. Fabij Labeonis triumphum, auctoritate vestra deterruistis. triumphauit, quem non bellum iniustum gessisse, sed hostem omnino non vidisse, inimici iactabant. ego, qui cum centum millibus ferocissimorum hostium signis collatis toties pugnaui, qui plus XL. millia hominum cepi, aut occidi, qui bina castra eorum expugnaui, qui citra iuga Tauri omnia pacatiora, quã terra Italia est, reliqui: non triumpho modo fraudor, sed caussam apud vos P.C. accusantibus meis ipse legatis dico. Duplex eorum, vt animaduertistis P.C. accusatio fuit. nam nec gerẽdum mihi fuisse bellum cum Gallis, & gestum temere atque imprudenter dixerunt. Non erant Galli hostes, sed tu eos pacatos imperata facientes violasti. Non sum postulaturus à vobis P.C. vt quæ communiter de immanitate gentis Gallorum, de infestissimo odio in nomen Romanum scitis, ea de illis quoque qui Asiam incolunt, existimetis. Gallos, remota vniuersæ gentis infamia atque inuidia, per se ipsos æstimate. Vtinã rex Eumenes, vtinam Asiæ ciuitates omnes adessent. & illos potius querentes, quàm me accusantẽ audiretis. mittite agedum legatos circa omnes Asiæ vrbes, & quærite vtrum à grauiori seruitute, Antiocho vltra Tauri iugum emoto, an Gallis subactis, liberati sint? quoties agri eorum vastati sint, quoties prædæ abactæ, referant: cum vix redimẽdi captiuos copia esset, & mactatas humanas hostias immolatósque liberos suos audirent. Stipendium scitote pependisse socios vestros Gallis: & nunc liberatos per vos regio imperio, fuisse pensuros, si à me foret cessatum. quo longius Antiochus emotus esset, hoc impotentius in Asia Galli dominarentur: & quicquid est terrarum citra Tauri iuga, Gallorum imperio, non vestro adiecissetis. At enim sunt quidem ista vera. etiam Delphos, quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum, Galli spoliauerunt: nec ideo P.R. his bellum indixit aut intulit. Equidem aliquid interesse rebar inter id tempus, quo nondum in iure ac ditione vestra Græcia atque Asia erat, ad curandum animaduertendúmque quid in his terris fieret: & hac, quo finem imperij Rom. Taurum montem statuistis: quo libertatem immunitatémve ciuitatibus datis, quo aliis fines adiicitis, alias agro mulctatis, aliis vectigal imponitis, regna augetis, minuitis, donatis, adimitis: curæ vestræ censetis esse, vt pacem terra mariq; habeant. An nisi præsidia deduxisset Antiochus quæ quieta in suis arcibus erant, non putaretis liberatam Asiam? si Gallorum exercitus effusi vagarentur, rata dona vestra, quæ dedistis regi Eumeni, rata libertas ciuitatibus esset? Sed quid ego hæc ita argumentor: tanquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos? Te L. Scipio appello, cuius ego mihi

A succedens in vicem imperij tui virtutem fœlicitatémque pariter non frustra ab diis immortalibus precatus sũ: T.P. Scipio, qui legati ius, collegæ maiestatem, & apud fratrem Cos. & apud exercitum habuisti: sciatísne in exercitu Antiochi Gallorum legiones fuisse: videritis in acie eos, in cornu vtroque (id enim roboris esse videbatur) locatos? pugnaueritis vt cũ hostibus iustis? cæcideritis? spolia eorum retuleritis? Atqui cum Antiocho non cum Gallis
B bellum his senatus decreuerat, & populus iusserat. Sed simul, vt opinor, cũ his decreuerant iusserántq. qui inter eius præsidia fuissent. ex quibus præter Antiochum, cum quo pacem pepigerat Scipio, & cum quo nominatim fœdus vt fieret, mãdaueratis, omnes hostes erant, qui pro Antiocho arma aduersus nos tulerunt. in qua caussa cùm Galli ante omnes fuissent, & reguli quidam & tyranni: ego tamen & cum aliis pro dignitate imperij vestri coactis luere peccata sua, pacem pepigi: & Gallorum
C animos, si possent mitigari feritate insita, tentaui: & posteaquam indomitos atque implacabiles cernebam, tum demum vi atque armis coercendos ratus sum. Nunc quoniam suscepti belli purgatum est crimẽ, gesti reddenda est ratio. in quo confiderẽ equidẽ caussæ meæ, etiã si non apud Romanũ, sed apud Carthaginiẽsẽ senatũ agerẽ: vbi in crucẽ tolli imperatores dicũtur, si prospero euẽtu, prauo cõsilio rẽ gesserũt. Sed ego in ea ciuitate, quæ ideo omnib. rebus incipiendis gerendisque deos adhibet: quia nullius calumniæ subiicit ea, quæ dij comprobaue-
D runt: & in solemnibus verbis habet, cùm supplicationem aut triumphum decernit, quod bene ac feliciter Rempublicam administrarit: si nollem, si graue ac superbum existimarem virtute gloriari: pro felicitate mea exercitúsque mei, quod tantam nationem sine vlla militum iactura deuicimus, postularem, vt diis immortalibus honos haberetur: & ipse triumphans in Capitolium ascenderem, vnde
E votis ritè nuncupatis profectus sum: negaretis hoc mihi cum diis immortalibus? Iniquo enim loco dimicaui. Dic igitur quo æquiore potuerint dimicare? cùm montẽ hostes cepissent, loco munito se tenerent? nempe eundum ad hostes erat, si vincere vellem. Quid? si vrbem eo loco haberent, & mœnibus se tenerent? nempe oppugnandi erant. Quid? ad Thermopylas æquióne loco Marcus Acilius cum rege Antiocho pugnauit? quid? Philippum non eodem modo super Aoum amnem iuga tenentem montium T. Quintius deiecit? Equidem
F adhuc qualem aut sibi fingant, aut vobis videri velint hostem fuisse, non inuenio. si degenerem, & emollitum amœnitate Asiæ, quid periculi vel iniquo loco subeuntibus fuit? si timendum & feritate animorum, & robore corporum: huícne tantæ victoriæ triumphum negatis? Cæca inuidia est P.C. nec quicquam aliud scit, quàm detrectare virtutes, corrumpere honores ac præmia earum. Mihi quæso ita ignoscatis P.C. Longiorem orationem non cupiditas gloriandi de me, sed necessaria criminũ defensio fecit. An etiam per Thraciam saltus patẽtes,
G qui angusti erant, & plana ex arduis, & culta ex syluestribus facere potui? & præstare necubi notis sibi latebris delitescerent latrones Thraces? ne quid sarcinarum raperetur? ne quod iumentum ex tanto agmine abstraheretur? ne quis vulneraretur? ne ex vulnere vir fortis ac strenuus Q. Minutius moreretur? In hoc casu, quo infeliciter incidit, vt talem ciuem amitteremus, hærent. quod saltu iniquo loco alieno cum adortus hostis nos esset, duæ simul acies primi & nouissimi agminis hæren-

hærentem ad impedimenta nostra exercitum barbarorum circumuenerunt. quod multa millia ipso die, plura multo post dies paucos ceciderunt & ceperunt. hoc si ipsi tacuerint, vos scituros, cùm testis orationis meæ totus exercitus sit, non credunt. Si gladium in Asia non strinxissem, si hostem non vidissem: tamen Proconsul triumphum in Thracia duobus prœliis merueram. Sed iam dictum satis est. quin pro eo quod pluribus verbis vos, quam volui, fatigaui: veniam à vobis petitam impetratámq. velim P.C. Plus crimina eo die, quàm defensi valuissent, ni altercationem in serum perduxissent. dimittitur senatus in ea opinione, vt negaturus triumphũ fuisse videretur. Postero die & cognati amiciq. Cn. Malij summis opibus annixi sunt, & auctoritas seniorũ valuit, negantium exẽplum proditum memoriæ esse, vt imperator qui perduellibus deuictis, confecta prouincia exercitum reportasset, sine curru & laurea priuatus inhonoratusque vrbem iniret. hic pudor malignitatem vicit, triumphumque frequentes decreuerunt. Oppressit deinde mentionẽ memoriámque omnem contentionis huius maius, & cum maiore & clariore viro certamen ortum. P. Scipioni Africano (vt Valerius Antias auctor est) duo Q. Petilij diem dixerunt. id prout cuiusque ingenium erat, interpretabantur. Alij nõ tribunos pl. sed vniuersam ciuitatem, quæ id pati posset, incusabant. duas maximas orbis terrarum vrbes ingratas vno prope tempore in principes inuentas, Romam ingratiorem: si quidem victa Carthago victum Annibalem in exsilium expulisset, Roma victrix victorem Africanum expellat. Alij, neminem vnum ciuẽ tantum eminere debere, vt legibus interrogari non possit. nihil tam æquandæ libertatis esse, quam potentissimum quenque posse dicere caussam. quid autem tuto cuiquam nedum summam Reipublicæ permitti, si ratio non sit reddenda? qui ius æquum pati non possit, in eum vim haud iniustam esse. hæc agitata sermonibus, donec dies dicendæ caussæ venit. nec alius antea quisquam, nec ille ipse Scipio Cos. cẽsórve maiore omnis generis hominum frequẽtia, quã reus illo die in forũ est deductus. Iussus dicere caussam, sine vlla criminũ mẽtione orationẽ magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, vt satis cõstaret, neminem vnquã, neq. melius, neque verius laudatum esse. dicebantur enim ab eodem animo ingenióque, à quo gesta erant. & aurium fastidium aberat: quia pro periculo, nõ in gloriã referebantur. Trib. pleb. vetera luxuriæ crimina Syracusanorum hybernorum, & Locris Pleminianum tumultum cum ad fidem præsentium criminum retulissent, suspicionibus magis quàm argumentis pecuniæ captæ reum accusarunt. Filium captum sine precio redditum omnibusque aliis rebus Scipionem, tanquam in eius vnius manu pax Romana bellumque esset, ab Antiocho cultum dictatorem eum consuli, non legatum in prouincia fuisse. nec ad aliam rem [illegible] profectum, quàm vt id quod Hispaniæ, Galliæ, Siciliæ, Africæ iam pridem persuasum esset: hoc Græciæ Asiæque & omnibus ad orientem versis regibus gentibusq. appareret: vnum hominem caput columenque imperij Romani esse: sub vmbra Scipionis ciuitatem dominam orbis terrarum latere: nutus eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse. Infamia intactum, inuidia qua possunt, vrgent. Orationibus in noctem perductis, producta dies est. vbi ea venit, tribuni in rostris prima luce consederunt. citatus reus magno agmine amicorum clientumq. per mediam concionẽ ad rostra subiit: silentioque facto: Hoc, inquit, die Tri-

A buni plebis vósque Quirites, cum Annibale & Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac fœliciter pugnaui. itaque cum hodie litibus & iurgiis supersederi æquum sit: ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem Optimum Max. Iunonémque & Mineruam, ceterósque deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo: hisque gratias agam, quod mihi & hoc ipso die, & sæpe alias egregiè Reipublicæ gerendæ mentem facultatémque dederunt, vestrum quoque quibus commodum est: ite mecum Quirites, & orate deos, vt mei similes principes habeatis. ita, si ab annis septendecim ad senectutem semper vos ætatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis præcessi. Ab rostris in Capitolium ascendit, simul se vniuersa concio auertit, & secuta Scipionem est: adeo, vt postremo scribæ viatorésque tribunos relinquerent, nec cum
C iis præter seruilem comitatum, & præconem, qui reum ex rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modo, sed per totam vrbem omnia tẽpla deum cum P.R. circumijt. Celebratior is prope dies fauore hominum, & æstimatione veræ magnitudinis eius fuit, quàm quo triumphans de Syphace rege & Carthaginiensibus vrbem est inuectus. Hic speciosus vltimus dies P. Scipioni illuxit. post quem cum inuidiam & certamina cum tribunis prospiceret, die longiore producta in Liternum concessit,
D certo consilio ne ad caussam dicendam adesset. maior animus & natura erat, ac maiori fortunæ assuetus, quàm vt reus esse sciret & summittere se in humilitatẽ caussam dicentium. Vbi dies venit, citariq. absens est cœptus, L. Scipio morbũ caussæ esse cur abesset excusabat: quam excusationem cum tribuni qui diem dixerant, non acciperent, & ab eadem superbia non venire ad caussam dicendam arguerent, qua iudicium & tribunos pl. & concionem reliquisset: & quibus ius de se dicendæ sententiæ & libertatẽ ademisset, his comitatus, velut captos tra-
E hens triumphum de P.R. egisset: secessionémque eo die in Capitolium à Trib. pl. fecisset: Habetis ergo temeritatis illius mercedem, quo duce & auctore nos reliquistis, ab eo ipsi relicti estis. & tantum animorum indies nobis decrescit, vt ad quem ante annis XVII. exercitum & classem habẽtem, tribunos plebis ædilémque in Siciliam mittere ausi sumus, qui prehenderent eum, & Romam reducerent: ad eum priuatum ex villa sua extrahẽdum ad caussam dicendam mittere non audeamus? Tribuni pl. appellati ab L. Scipione ita decreuerũt: si morbi caus-
F sa excusaretur, sibi placere accipi eã caussã, diemq; è collegiis produci. Tribunus pleb. eo tempore Tib. Semptonius Gracchus erat, cui inimicitiæ cum P. Scipione intercedebant: is cum vetuisset nomen suum decreto collegarum ascribi, tristiorémque omnes sententiam expectarent: ita decreuit. Cùm L. Scipio excuset morbum esse caussæ fratri: satis id sibi videri se P. Scipionem priusquam Romam redisset, accusari non passurum: tum quoque, si se appellet, auxilio ei futurum, ne caussam dicat. ad id fastigium rebus gestis, honoribus P.R.P. Scipionem
G deorum hominumque consensu peruenisse: vt sub rostris reum stare, & præbere aures adolescentium conuiciis, populo Romano magis deforme, quàm ipsi sit. Adiecit decreto indignationem. Sub pedibus vestris stabit tribuni domitor ille Africæ Scipio? ideo quatuor nobilissimos duces Pœnorum in Hispania, quatuor exercitus fudit fugauitque ideo Syphacem cepit, Annibalem deuicit, Carthaginem vectigalem nobis fecit, Antiochum (recepit

enim fratrem consortem huius gloriæ L.Scipio) ul-
tra Tauri iuga emouit, vt duobus Petiliis succum-
beret: vos de P. Africano palmam peteretis? nullis-
ve meritis suis, nullis vestris honoribus vnquam in
arcem tutam,& velut sanctam clari viri peruenirét:
vbi si nó venerabilis, inuiolata saltem senectus eo-
rum considat? Mouit & decretum & adiecta oratio
non cęteros modo, sed ipsos etiam accusatores: &
deliberaturos se quid sui iuris & officij essent, dixe-
rúnt. Senatus deinde, concilio plebis dimisso, habe-
ri est cœptus. ibi gratiæ ingentes ab vniuerso ordi-
ne, præcipuè à consularibus senioribusq. Tib.Grac-
cho actæ sunt, quod Rempub. priuatis simultatibus
potiorem habuisset. & Petilij vexati sunt probris,
quod splendere aliena inuidia voluissent, & spolia
ex Africani triumpho peterent. Silentium deinde
de Africano fuit. vitam Literni egit sine desiderio
vrbis. Morienté rure eo ipso loco sepeliri se iussisse
ferunt: monumentumque ibi ædificari, ne funus si-
bi in ingrata patria fieręt. Vir memorabilis, bellicis
tamen quá pacis artibus memorabilior prima pars
vitæ, quàm postrema fuit: quia in iuuenta bella as-
siduè gesta: cum senecta res quoque defloruere,nec
præbita est materia ingenio. quid ad primum con-
sulatum secundus,etiam si censuram adiicias? quid
Asiatica legatio & valetudine aduersa inutilis, & fi-
lij casu deformata, & post reditum necessitate aut
subeundi iudicij, aut simul cum patria deserendi?
Punici tamen belli perpetrati,quo nullum neq.ma-
ius neque periculosius Romani gessere, vnus præci-
puam gloriá tulit. Morte Africani creuere inim-
corum animi:quorum princeps fuit M.Portius Ca-
to, qui viuo quoque eo allatrare eius magnitudiné
solitus erat. hoc auctore existimantur Petilij& viuo
Africano rem ingressi, & mortuo rogationem pro-
mulgasse. Fuit autem rogatio talis. Velitis,iubeatis,
quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege
Antiocho est, quinque sub eius imperio fuerunt:
quod eius in publicum relatum non est, vti de ea re
Ser. Sulpitius P. vrbanus ad senatum referat? quem
eam rem velit senatus quærere de iis, qui prætores
nunc sunt? Huic rogationi primo Q. & L.Mummij
intercedebant. senatum quærere de pecunia non re-
lata in publicum, ita vt antea semper factum esset,
æquum censebant. Petilij nobilitatem & regnum
in senatu Scipionem accusabant. L. Furius Purpu-
rio consularis, qui in decem legatis in Asia fuerat:
latius rogandum censebat: non quæ ab Antiocho
modo pecuniæ captæ forent, sed quæ ab aliis regi-
bus gentibusque, Cn. Manlium inimicum inces-
sens. Et L.Scipio, quem magis pro se quam aduer-
sus legem dicturum apparebat, dissuasor processit.
is post mortem P. Africani fratris, viri omnium
fortissimi clarissimique eam exortam rogationem
est conquestus. parum enim fuisse, non laudari pro
rostris P. Africanum post mortem, nisi etiam accu-
saretur. & Carthaginienses exsilio Annibalis con-
tentos esse:populum Romanum ne morte quidem
P. Scipionis exsatiari: nisi & ipsius fama sepulti la-
ceretur, & frater insuper accessione inuidiæ macte-
tur: M.Cato suasit rogationem exstat oratio eius de
pecunia regis Antiochi: & Mummios tribunos au-
ctoritate deterruit, ne aduersaretur rogationi. Re-
mittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus
vti rogasset, iusserunt. Ser. Sulpitio deinde referen-
te, quem rogatione Petilia quærere vellent, Q. Te-
rentium Culleonem patres iusserunt. Ad hunc
prætorem adeo amicum Corneliæ familiæ, vt qui
Romæ mortuú elatumque P. Scipionem (est enim
ea quoq.fama)tradunt, pileatum,sicut in triumpho

A ierat, in funere quoque ante lectum isse memoriæ
prodiderint:& ad portam Capenam mulsum prose-
cutis funus dedisse: quod ab eo inter alios captiuos
in Africa ex hostibus receptus esset: aut adeo in-
micum eundem, vt propter insignem simultaté, ab
ea factione, quæ aduersa Scipionibus erat, delectus
sit potissimum ad quæstionem exercendam: ceterú
ad hunc nimis æquum aut iniquum prætorem reus
extemplo factus L.Scipio: simul & delata & recepta
nomina legatorum eius, A.& L.Hostiliorum Ca-
B tonum,& C.Furij Aculeonis quæstoris:& vt omnia
contracta societate viderentur, scribæ quoque duo,
& accensus. L. Hostilius,& scribæ & accésus, prius-
quam de Scipione iudicium fieret, absoluti sunt:
Scipio & A. Hostilius legatus, & C. Furius dam-
nati, quo commodior pax Antiocho daretur, Sci-
pionem VI. millia pondo auri, quadringenta o-
ctoginta argenti plus accepisse, quàm in ærarium
retulerit: A. Hostilium LXXX. pondo auri, argenti
CCCCIII. Furium quæstorem auri centum XXX.
C argenti CC. pondo. Has ego summas auri & ar-
genti relatas apud Antiatem inueni. In L. Scipio-
ne malim equidem librarij mendum, quam men-
dacium scriptoris esse in summa auri atque argenti.
similius enim veri est,argenti quam auri maius pon-
dus fuisse: & potius quadragies quàm ducéties qua-
dragies litem æstimatam:eo magis, quod tantæ sum-
mæ rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam
esse in senatu tradunt:librúmque rationis eius cùm
Lucium fratrem afferre iussi[illegible]t, inspectante senatu
D suis ipsum manibus c[illegible], indignantem
quod cum bis millies [illegible] æra[illegible] tulisset, quadra-
gies ratio ab se posce[illegible] fiducia animi,
cum quæstores pecuniam ex æ[illegible]o contra legem
promere non auderent: popul[illegible] claues, & se a-
perturum ærarium dixisse, [illegible] vt clauderetur effe-
cisset. Multa alia in Scipionis exitu maximè vi-
tæ, diéque dicta, morte, funere, sepulcro in diuer-
sum trahunt: vt cui famæ, quibus scriptis assentiar,
non habeam. Non de accusatore conuenit. alij M.
E Næuium, alij Petilios diem dixisse scribunt. non de
tempore quo dicta dies sit, non de anno quo mor-
tuus sit: non vbi mortuus,aut elatus sit. alij Romæ,
alij Literni & mortuum & sepultum. vtrobiq. mo-
numenta ostenduntur, & statuæ. nam & Liter-
ni monumentum, monumentóque statua super-
imposita fuit: quam tempestate disiectam nuper
vidimus ipsi: & Romæ extra portam Capenam in
Scipionum monumento tres statuæ sunt: quarum
duæ P.& L. Scipionum dicuntur esse: tertia poetæ
F Q.Ennij, nec inter scriptores rerú discrepat solum,
sed orationes quoque (si modo ipsorum sunt, quæ
feruntur Pub.Scipionis & Tib. Gracchi) abhorrent
inter se. Index orationis P.Scipionis,nomen M. Næ-
uij Tr.pl.habet: ipsa oratio sine nomine est accusa-
toris: nebulonem modo, modo nugatorem appel-
lat. Ne Gracchi quidem oratio aut Petiliorum ac-
cusatorum Africani, aut diei dictæ Africa[illegible]llam
mentionem habet. alia tota serenda fabula [illegible] Grac-
chi orationi conueniens: & illi auctores [illegible]quendi
G sunt:qui,cum L.Scipio & accusatus & damnatus sit
pecuniæ captæ ab rege, legatum in Hetruria fuisse
Africanum tradunt. quo post famam de fratris casu
allatam,relicta legatione cucurrisse eú Romam: &
cum à porta recta ad forum se contulisset: quod in
vincula duci fratrem dictum erat, repulisse à cor-
pore eius viatorem, & tribunis retinentibus magis
piè quam ciuiliter vim fecisse. hæc enim ipse Grac-
chus queritur, dissolutam esse à priuato tribuni-
tiam potestatem, & ad postremum cum auxilium

L.Scipioni polliceretur, adiicit, tolerabilioris exẽpli esse à Trib. pl. potius quàm à priuato victam videri & tribunitiam potestatem, & Rempubli. esset sed ita hanc vnam impotentem eius iniuriam inuidia onerat, vt increpando quod degenerarit tantum à se ipse, cumulatas ei veteres laudes moderationis & temperantię pro reprehensione præsenti reddat. castigatum enim quondam ab eo populum ait, quod eum perpetuum consulem & dictatorem vellet facere, prohibuisse statuas sibi in comitio, in rostris, in curia, in Capitolio, in cella Iouis poni. prohibuisse ne decerneretur, vt imago sua triumphali ornatu è templo Iouis Opt. Max. exiret. Hæc vel in laudatione posita ingentem magnitudinem animi moderandis ad ciuilem habitum honoribus significarent, quæ exprobrando inimicus fatetur. Huic Graccho minorem ex duabus filiis (nam maior P. Cornelio Nasicæ haud dubiè à patre collocata erat) nuptam fuisse conuenit, illud parum constat, vtrum post mortem patris & desponsa sit, & nupserit: an veræ illæ opiniones sint, Gracchum, cum L. Scipio in vincula duceretur, nec quisquã collegarum auxilio esset, iurasse sibi inimicitias cum Scipionibus, quæ fuissent, manere: nec se gratiæ quærendæ caussa quicquam facere, sed in quem carcerem reges & imperatores hostium ducentem vidisset. P. Africanum, in eum se fratrem eius duci non passurum. Senatum eo die forte cœnantem in Capitolio consurrexisse, & petisse, vt inter epulas Graccho filiam Africanus despondisset. quibus ita inter publicum solemne sponsalibus rite factis, cum se domum recepisset, Scipionem Æmiliæ vxori dixisse: filiam se minorem despondisse. cum illa muliebriter indignabunda nihil de communi filia secum consultatum adiecisset, non si Tib. Graccho daret, expertem consilij debuisse matrem esse; lætum Scipionem tam concordi iudicio, ipsi desponsam respondisse. Hæc de tanto viro, quanquam & opinionibus & monumentis literarum variarent, proponenda erant. iudiciis à Q. Terẽtio Pr. perfectis, Hostilius & Furius damnati, prædes eodem die quæstoribus vrbanis dederunt. Scipio cum contenderet, omnem quam accepisset pecuniam, in ærario esse, nec se quicquam publici habere, in vincula duci est cœptus. P. Scipio Nasica tribunos appellauit, orationemque habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Cornelię gentis, sed propriè familiæ suæ. Parentes suos & P. Africani, ac L. Scipionis qui in carcerem duceretur, fuisse Cn. & P. Scipiones, clarissimos viros. eos, cum per aliquot annos in terra Hispania aduersus multos Pœnorum Hispanorumque & duces & exercitus nominis Romani famam auxissent, non bello solum, sed quod Romanę temperantiæ fideique specimen illis gentibus dedissent, ad extremum ambos pro P. R. morte occubuisse, cum illorum tueri gloriam posteris satis esset: P. Africanum tantum paternas superauisse laudes, vt fidem fecerit, nõ sanguine humano, sed stirpe diuina satum se esse. L. Scipionem, de quo agatur, vt quæ in Hispania, quæ in Africa, cum legatus fratris esset, gessisset, prætereantur, consulem & ab senatu dignum visum. cui extra sortem Asia prouincia, & bellum cum Antiocho rege decerneretur: & à fratre, cui post duos consulatus censuràmque & triumphum legatus in Asiam iret. ibi ne magnitudo & splendor legati laudibus COS. officeret, forte ita incidisse, vt quo die ad Magnesiam signis collatis L. Scipio Antiochum deuicisset, æger P. Scipio Elææ dierum aliquot via abesset. non fuisse minorem eum exercitum, quàm Annibalis, cum quo

A in Africa esset pugnatum. Annibalem eundem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator Punici belli fuerit. & bellum quidem ita gestum esse, vt ne fortunam quidem quisquam criminari possit. in pace crimen quæri, eam dici venisse. hic X. legatos simul argui, quorum ex consilio data pax esset. quin exstitisse ex X legatis, qui Cn. Manlium accusarent: tamen non modo ad criminis fidem, sed ne ad moram quidem triumphi eam accusationem valuisse. At Hercule in Scipione ipsas leges

B pacis, vt nimium accommodatas Antiocho, suspectas esse. integrum enim ei regnum relictum, omnia possidere eum victum, quæ ante bellũ eius fuerint. auri & argenti cum vim magnam habuisset, nihil in publicum relatum, omne in priuatum versum. An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, si omne in vnum cõferatur, sit latam? Nam quid de finibus regni dicam? Asiam omnem, & proxima Europæ tenuisse Antiochum:

C ea quanta regio orbis terrarum sit à Tauro monte in Ægeum vsque prominens mare: quot non vrbes modo, sed gentes amplectatur, omnes scire. hanc regionem dierum plus triginta in lõgitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem, vsque ad Tauri montis iuga Antiocho ademptam, expulso in vltimum angulum orbis terrarum. Quid si gratuita pax esset, plus adimi ei potuisse? Philippo victo Macedoniam, Nabidi Lacedæmonem relictã, nec Quintio crimen quæsitum: non enim habuisse

D eum Africanum fratrem: cuius cùm gloria prodesse L. Scipioni debuisset, inuidiam nocuisse. tantum auri argentique iudicatum esse in domum L. Scipionis illatum, quantum venditis omnibus bonis redigi non posset. vbi ergo esse regium aurum? vbi tot hereditates acceptas? in domo, quam sumtus nõ exhauserint, extare debuisse nouæ fortunæ cumulum. At enim quod ex bonis redigi non possit, ex corpore & tergo per vexationem & contumelias L. Scipionis petituros inimicos: vt in carcerem inter fures nocturnos & latrones vir clarissimus includa-

E tur, & in robore & tenebris expiret: deinde nudus ante carcerem proiiciatur. Non id Corneliæ magis familiæ, quàm vrbi Romanæ fore erubescendum. Aduersus ea Terentius Pr. rogationem Petilliam, & senatusconsultum, & iudicium de L. Scipione factũ recitauit. se, ni referatur pecunia in publicum quæ iudicata sit, nihil habere quod faciat, nisi vt prehendi damnatum, & in vincula duci iubeat. Tribuni cum in consilium secessissent, paulo post C. Fannius ex

F sua collegarúmque aliorum, præter Gracchum, sententia pronunciauit, prætori non intercedere tribunos quo minus sua potestate vtatur. Tib. Gracchus ita decreuit. Quo minus ex bonis L. Scipionis quod iudicatum sit, redigatur, se non intercedere prætori. L. Scipionem, qui regem opulentissimum orbis terrarum deuicerit, imperium P. R. propagauerit in vltimos terrarum fines, regem Eumenem, Rhodios, alias tot vrbes Asiæ deuinxerit P. R. beneficiis: plurimos duces hostium in triumpho ductus carcere

G incluserit, non passurum inter hostes P. R. L. Scipionem in carcere & in vinculis esse, mittique eum se iubere. Tanto assensu auditum est decretum, adeo dimissum L. Scipionem læti homines viderunt, vt vix in eadem ciuitate videretur factum iudiciũ. In bona deinde L. Scipionis possessum publicè quæstores prætor misit. neque in iis non modo vestigium vllum comparuit pecuniæ regiæ, sed nec tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat. Collata pecunia à cognatis amicisq. & clien-

tibus est L.Scipioni:vt si acciperet eam, locupletior A aliquanto esset, quàm ante calamitatem fuerat. nihil accepit:quæ necessaria ad cultum erant,redemta ei à proximis cognatis sunt:vertêrátque Scipionum inuidia in prætorem, & consilium eius, & accusatores.

DECADIS QVARTAE LIBER IX.

DVm hæc (si modo hoc anno acta sunt) Romæ aguntur, Coss. ambo in Liguribus gerebant bellum. Is hostis velut natus ad continendam inter magnorum interualla bellorum Romanis militaré disciplinam erat: nec alia prouincia militem magis ad virtutem acuebat. nam Asia & amœnitate vrbiũ, C & copia terrestrium maritimarumque rerum, & mollitia hostium, regiísque opibus ditiores quàm fortiores exercitus faciebat. præcipuè sub imperio Cn.Manlij solutè ac negligenter habiti sunt. itaque asperius paulò iter in Thracia, & exercitatior hostis magna clade eos castigauit. in Liguribus omnia erant quæ militem excitarent:loca montana & aspera,quæ & ipsis capere labor erat, & ex præoccupatis deiicere hostem:itinera ardua, angusta, infesta insidiis:hostis leuis,& velox & repentinus, qui nullum D vsquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret:oppugnatio necessaria munitorum castellorum,laboriosa simul, periculosáque: inops regio, quæ parsimonia astringeret milites, prædæ haud multum præberet. itaque non lixa sequebatur, non iumentorum longus ordo agmen extendebat. nihil præter arma & viros omnem spem in armis habentes, erat. nec deerat vnquam cum iis vel materia belli,vel caussa: quia propter domesticam inopiam vicinos agros incursabant:nec tamen E in discrimen summæ rerum pugnabatur. C. Flaminius Cos. cum Friniatibus Liguribus in agro eorum pluribus prœliis secundis factis, in deditionem gentem accepit,& arma ademit: & quia non syncera fide tradebant,cum castigarentur, relictis vicis in montem Auginum confugerunt. confestim secutus est Cos. ceterum effusi rursus, & pars maxima inermes, per inuia & rupes diruptas præcipitantes fugerunt, qua sequi hostis non posset. ita trans Apenninum abierunt. qui castris se tenuerant,circumsessi & expugnati sunt. Inde trans Apenninum ductæ F legiones. ibi montis quem ceperant,altitudine paulisper se tutati,mox in deditionem concesserunt. tũ cõquisita,cum interiore cura arma,& omnia ademta. Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum Bononiensémque ita incursauerant,vt coli non posset, his quoque perdomitis, Cos. pacem dedit finitimis. & quia à bello quieta vt esset prouincia, effeceratne in otio militem haberet, viam à Bononia perduxit Arretium. M. Æmylius alter Cos. agros Ligurum vicósque,qui in campis aut vallibus erant, ipsis montes duos, Ballistam G Suismontiumque tenentibus, deussit, depopulatusque est. deinde eos qui in montibus erant adortus, primo leuibus prœliis fatigauit: postremo coactos in aciem descendere,iusto prœlio deuicit, in quo & ædem Dianæ vouit. Subactis cis Apenninum omnibus,tum transmontanos adortus (in his & Frisinates Ligures erant, quos non adierat C. Flaminius) omnes Æmylius subegit, armáque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus,in agrum Gallicum exercitum duxit, viámque ab Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminũ perduxit. prœlio vltimo quo cũ Liguribus signis collatis conflixit, ædem Iunoni reginæ vouit. Hæc in Liguribus eo anno gesta. In Gallia M.Furius Pr. insontibus Cænomanis, in pace speciem belli quærens,ademerat arma. id Cænomani conquesti Romæ apud senatum,reiectiq. ad Cos. Æmylium,cui vt B cognosceret statueretq. senatus permiserat, magno certamine cum prætore habito, tenuerunt caussam. arma reddita Cænomanis, decedere è Prouincia Pr. iussus. Legatis deinde sociorum Latini nominis, qui toto vndiq. ex Latio frequentes cõuenerant, senatus datus est: his querẽtibus magnã multitudinẽ ciuiũ suorũ Romam commigrasse, & ibi censos esse. Q. Terentio Culleoni Pr. negotium datum est,vt eos cõquireret,& quẽ C.Claudio, M.Liuio censoribus, pόstve eos cẽsores, ipsum parẽtũmve eius apud se censum esse probasse, socij vt redire eò cogeret, vbi censi essent. Hac cõquisitione XII. millia Latinorum domos redierũt,iã tũ multitudo alienigenarum vrbẽ onerãte. Priusquã Coss. redirẽt Romã, M. Fuluius Procos. ex Ætolia rediit. isq. ad ædẽ Apollinis in senatu cũ de rebus in Ætolia Cephaleniaque ab se gestis dissernisset, petiit à patribus, vt æquum censerent ob Rempublicã bene ac feliciter gestam, & diis immortalibus honorem haberi iubere, & sibi triumphum decernere. M. Aburius Tr. pl. si quid de ea re ante M.Æmylij Cos. aduentum decerneretur, intercessurum se ostendit. cũ contradicere velle, proficiscentémq. in prouinciam ita sibi mandasse, vt ea disceptatio integra in aduẽtũ suũ seruaretur. Fuluium tẽporis iacturã facere. senatũ etiam præsente Cos. quod vellet, decreturũ. M.Fuluius. Si aut simultas M. Æmylij secum ignota hominibus esset, aut quam is eas inimicitias impotẽti ac prope regia ira exerceret: tamen non fuisse ferendum, absentem Cos. & deorum immortalium honori obstare, & meritum debitumque triumphum morari: imperatorem rebus egregiè gestis, victorémque exercitum cum præda ac captiuis ante portas stare, donec Cos. ob hoc ipsum moranti redire Romam libitum esset. Verum enimuero cum sint notissimæ sibi cum Cos. inimicitiæ, quid ab eo quenquã posse æqui expectare? qui per infrequentiam furtim S.C. factum ad ærarium detulerit: Ambraciam non videri captã, quæ aggere ac vineis oppugnata sit, vbi incẽsis operibus alia de integro facta sint, vbi circa muros supra subterq. terrã per dies quindecim pugnatũ: vbi à prima luce, dum iã transcendisset muros miles, vsque ad noctem diu anceps prælium tenuerit: vbi plus tria millia hostium sint cæsa. Iam de deorum immortalium templis spoliatis in capta vrbe qualẽ calumniam ad põtifices attulerit? nisi Syracusarum ceterarumq. captarũ ciuitatũ ornamentis vrbẽ exornari fas fuerit, in Ambraciã vnam captã nõ valuerit belli ius. se & P. C. orare, & tribunis petere, ne se superbissimo inimico ludibrio esse sinant. Vndique omnes alij deprecari tribunum, alij castigare. Tib. Gracchi collegæ plurimum oratio mouit, ne suas quidem simultates pro magistratu exercere boni exempli esse: alienarum verò simultatum Tr. pl. cognitorem fieri, turpe & indignum collegij eius potestate & sacratis legibus esse. suo quemque iudicio & homines odisse aut diligere, & res probare aut improbare debere: non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi, astipulatique irato cõsuli tribunũ pl. & quid priuatim M. Æmylius

Æmylius mandauerit, meminisse, tribunatum sibi à P.R. mandatum obliuisci. & mandatum pro auxilio ac libertate priuatorum, nō pro cōsulari regno. ne hoc quidem cernere eum, fore vt memoriæ ac posteritati mandetur, eiusdē collegij alterū è duobus Tr.pl. suas inimicitias remisisse reipublicæ, alterum alienas & mandatas exercuisse. His victus castigationibus tribunus cū tēplo excessisset, referente Ser. Sulpitio Pr. triūphus M. Fuluio est decretus. Is cū gratias P.C. egisset, adiecit, ludos magnos se Ioui Op. Max. eo die quo Ambraciam cepisset, vouisse. in eam rē sibi centū pōdo auri à ciuitatibus collatum. petere vt ex pecunia, quam in triūpho latā in ærario positurus esset, id aurū secerni iuberēt. Senatus pontificum collegium consuli iussit, nū omne id aurum in ludos consumi necessum esset? Cùm pontifices negassent ad religionem pertinere quanta impensa in ludos fieret: senatus Fuluio, quantū vellet, impēderet, permisit, dū ne summam octoginta millium excederet. Triūphare mēse Ianuario statuerat, sed cum audisset Cos. Æmylium literis Aburij Trib. plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum, quàm in bello haberet, prætulit triumphi diem. Triumphauit ad X. Cal. Ianuarias de Ætolis, & de Cephalenia. Aureæ coronæ centum XII. pondo ante currum latæ sunt, argenti pondo millia LXXXIII. auri pondo CCXLIII. auri tetradrachma Attica CXVIII. millia, Philippei nummi XII. millia CCCCXXII. signa ænea CCLXXXV. signa marmorea CCXXX. arma, tela, cætera spolia hostium magnus numerus. ad hæc catapultæ, balistæ, tormenta omnis generis: duces aut Ætoli & Cephalenes, aut regij ab Antiocho ibi relicti ad septem & XX. M[illegible]ros eo die, priusquā in vrbem inueheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones Romanos sociósq. donis militaribus donauit. militibus ex præda vicenos quinos denarios diuisit, duplex centurioni, triplex equiti. Iā consulariū comitiorum appetebat tēpus, quibus quia M. Æmylius, cuius sortis ea cura erat, occurrere non potuit, C. Flaminius Romam venit. ab eo creati Coss. Sp. Posthumius Albinus: Q. Martius Philip. Pr. inde facti T. Mænius, P. Cornelius Sulla. C. Calpurnius Piso, M. Licinius Lucullus, C. Aurelius Scaurus, L. Quinctius Crispinus. Extremo anni magistratibus iam creatis, ad tertium Nonas Martias Cn. Manlius Volso de Gallis qui Asiam incolunt triumphauit. serius ei triumphandi caussa fuit, ne Q. Terentio Culleone prætore caussam lege Petilia diceret, & incēdio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret: eo infensioribus in se, quam in illum iudicibus, quod disciplinam militarem seuerè ab eo cōseruatam successor ipse omni genere licētiæ corruperat. neque ea sola infamiæ erant, quæ in prouincia procul ab oculis facta narrabantur: sed etiam magis quæ militibus eius quotidie conspiciebantur. Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico inuecta in vrbem est. ij primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ suppellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romā aduexerunt. tunc psalteriæ sambucistriæque & cōuiualia ludionū oblectamēta addita epulis: epulæ quoq. ipsæ & cura & sumtu maiore apparari cœptæ. tum coquus, vilissimum antiquis mancipium & æstimatione & vsu, in pretio esse: & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. vix tamē illa, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. In triumpho tulit Cn. Manlius coronas aureas CC. duodecim pondo: argenti pondo CCXX. millia: auri pondo MMCIII. tetradrachmum Atticum CXXVII. millia. Cistophorum CCL. Philippeorum aureorum nummorum sedecim millia CCCCXX. & arma spoliáq. multa Gallica carpentis transuecta. duces hostium duo & quinquaginta ducti ante currum. Militibus quadragenos binos denarios diuisit, duplex centurioni, & stipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites. Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum secuti sunt. carmináque à militibus ea in imperatorē dicta, vt facilè appareret in ducem indulgentē ambitiosúmq. ea dici, triumphū esse militari magis fauore quàm populari celebrē. Sed ad populi quoque gratiam conciliandam amici Manlij valuerūt. quibus annitētibus S.C. factū est, vt ex pecunia quæ in triumpho translata esset, stipendiū collatum à populo in publicū, quod eis solutum antea non esset, solueretur. vicenos quinos & semisses in millia æris quæstores vrbani cum fide & cura soluerūt. Per idē tempus Tr. mil. duabus Hispaniis cum literis C. Catinij & L. Manlij, qui eas prouincias obtinebāt, venerunt. ex iis literis cognitum est: Celtiberos Lusitanósq. in armis esse, & sociorum agros populari. de ea re consultationem integram senatus ad nouos magistratus reiecit. Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Posthumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis in signū Pollentiæ procidit, atque id deiecit. ea religione moti Patres, & diem vnum adiiciendum ludorum celebritati censuerunt, & signa duo pro vno reponenda, & nouum auratum faciendum. Et Plebeij ludi ab ædibus C. Sempronio Blæso, & M. Furio Lusco diem vnū instaurati sunt. Insequens annus Sp. Posthumiū Albinū, & Q. Martiū Philippū coss. ab exercitu, bellorúmq. & prouinciarum cura ad intestinæ cōiurationis vindictam auertit. Pr. prouincias sortiti sunt: T. Mænius vrbanam, M. Licinius Lucullus inter ciues & peregrinos: C. Aurelius Scaurus Sardiniā, P. Cornelius Sulla Siciliam, L. Quinctius Crispinus Hispaniam citeriorem. C. Calpurnius Piso Hispaniam vlteriorem. Coss. ambobus quæstio de clandestinis coniurationib. decreta est. Græcus ignobilis in Hetruriam primū venit, nulla cum arte earū quas multas ad animorū corporúmq. cultum nobis eruditissima omnium gens inuexit, sed sacrificulus & vates: nec is qui aperta religione propalam & quæstum & disciplinā profitēdo, animos horrore imbueret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant quæ primo paucis tradita sūt: deinde vulgari cœpta per viros mulierésque: additæ voluptates religioni vini & epularum, quo plurium animi illicerentur. cum vinum animos & nox, & misti fœminis mares, ætatis teneræ maioribus, discrimen omne pudoris exstinxissent: corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ: cum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatē haberet: nec vnū genus noxæ, stupra promiscua ingenuorum fœminarúmq. erant, sed falsi testes, falsa signa, testimoniáq. & iudicia ex eadē officina exibant. venena indidem, intestinæque cædes, ita vt ne corpora quidē interdum ad sepulturam exstarent. multa dolo, pleráq. per vim audebantur. occulebat vim, quod præ vlulatibus, tympanorúmq. & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra & cædes exaudiri poterat. Huius mali labes ex Hetruria Romam velut contagione morbi penetrauit. primo vrbis magnitudo capacior patientiórq. talium malorum ea celauit. tandem indicium hoc maximè modo ad

Posthumium consulem peruenit. P. Ebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, sub tutela Duroniæ matris & vitrici T. Sempronij Rutilij educatus fuerat. & mater dedita viro erat: & vitricus, quia tutelam ita gesserat, vt rationem reddere non posset: aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. via vna corruptelæ Bacchanalium erant: mater adolescentulum appellat, se pro ægroto vouisse, vbi primum conualuisset, Bacchis eum se initiaturam: damnatam voti deûm benignitate exsoluere id velle. X. dierum castimonia opus esse: decimo die cœnatum, deinde purè lautum, in sacrarium deducturam. Scortum nobile libertina Hispala Fecenia, non digna quæstu, cui ancillula assueuerat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur. huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Ebutio fuit, minimè adolescentis aut rei aut famæ damnosa. vltro enim amatus appetitúsque erat: & malignè omnia præbentibus suis, meretriculæ munificentia sustinebatur. quin eo processerat consuetudine capta, vt post patroni mortem, quia in nullius manu erat: tutore à tribunis & prætore petito, cum testamentum faceret, vnum Ebutium institueret heredem. Hæc amoris pignora cum essent, nec quicquam secretum alter ab altero haberent, per iocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset: religionis se caussa, vt voto pro valetudine sua facto liberetur, Bacchis initiari velle. Id vbi mulier audiuit, perturbata, Dij meliora, inquit, mori & sibi & illi satius esse, quàm id faceret, & in caput eorum detestari minas periculáque, qui id suasissent. Admiratus cum verba, tū perturbationem tantam adolescens, parcere exsecrationibus iubet: matrem id sibi assentiente vitricō imperasse. Vitricus ergo, inquit, tuus (matrem enim insimulare forsitan fas non sit) pudicitiam, famam, spem, vitámque tuam perditum ire hoc facto properat? Eo magis mirabundo, quærentique quid rei esset, pacem veniámque precata deorum dearúmque, si coacta caritate eius silenda enuntiasset: ancillam se ait dominæ comitem id sacrarium intrasse, liberam nunquā eò accessisse. scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse: & iam biennio cōstare, neminem initiatum ibi maiorem annis XX. vt quisque introductus sit, velut victimā tradi sacerdotibus. eos deducere in locum qui circumsonet vlulatibus, cantúque symphonię, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox quiritantis cum per vim stuprū inferatur, exaudiri possit. Orare deinde atque obsecrare, vt eam rem quocunque discuteret modo: nec se eò pręcipitaret, vbi omnia infanda patienda primū, deinde faciēda essent, neque ante dimisit eum, quā fidē dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum. Posteaquam domū venit, & mater mētionē intulit: quid eo die, quid deinceps ceteris quæ ad sacra pertinerent, faciendum esset, negat eorū se quicquā facturum, nec initiari sibi in animo esse, aderat sermoni vitricus, confestim mulier exclamat, Hispalæ concubitu carere eum decē noctes nō posse, illius excetræ delinimentis & venenis imbutum, nec parētis nec vitrici, nec deorum verecundiam habere: iurgantes hinc mater, hinc vitricus, cū quatuor cū seruis domo exegerunt. Adolescens inde ad Ebutiam se amitam contulit, caussámque ei, cur esset à matre eiectus, narrauit. deinde ex auctoritate eius postero die ad Cos. Posthumium, arbitris remotis, rem detulit. Consul post diem tertium ad se iussum redire dimisit. ipse Sulpitiam grauem fœminam, socrum suam percūcta-

A tus est, ecquam anum Ebutiam ex Auentino nosset? cùm ea nosse probam, & antiqui moris fœminam respondisset: opus esse sibi ea cōuenta dixit: mitteret nuntium ad eā, vt veniret. Ebutia accita ad Sulpitiam venit: & consul paulo post, velut forte interuenisset, sermonem de Ebutio fratris eius filio infert. Lacrymæ mulieri obortæ, & miserari casum adolescentis cœpit: qui spoliatus fortunis, à quibus minimè oporteret: apud se tunc esset, eiectus à matre, quod probus adolescens (dij propitij essent) ob-
B scœnis, vt fama esset, sacris initiari nollet. Satis de Ebutio exploratum ratus consul, non vanum auctorem esse: dimissa Ebutia, socrū rogat vt Hispalam indidem ex Auentino libertinam non ignotam viciniæ accerseret ad sese. eam quoque esse quæ percunctari vellet. Ad cuius nuntium perturbata Hispala, quod ad tam nobilem & grauem fœminam ignara caussæ accerseretur: posteaquam lictores in vestibulo, turbámq. consularē & consulē ipsum cōspexit, prope exanimata est. In interiorē partē ædiū
C abductam socrum adhibita cōsul, si vera dicere inducere in animum posset, negat perturbari debere. fidem vel ab Sulpitia tali fœmina, vel ab se acciperet, expromeret sibi quæ in luco Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. Hoc vbi audiuit, tantus pauor tremórque omnium membrorum mulierem cepit, vt diu hiscere non posset, tandem confirmata puellam admodum se ancillam initiatā cum domina ait. aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil quid ibi fiat, scire. Iam idipsum consul laudare, quod initiatam se non inficiaretur: sed & ce-
D tera eadē fide expromeret. neganti vltra quicquam scire, non eandem dicere, si coarguatur ab alio, ac per se fatenti, veniā aut gratiam fore. cum sibi omnia exposuisse, qui ab illa audisset. Mulier haud dubiè, id quod erat, Ebutium indicem arcani rata esse, ad pedes Sulpitiæ procedit, & eam primo orare cepit, ne mulieris libertinæ cum amatore sermonē, in rē non seriā modo, sed capitalē etiā verti vellet. se terrēdi eius caussa, nō quod sciret quicquam, ea locutā esse. Hic Posthumius accēsus, ira, tū quoq.
E ait eā cum Ebutio se amatore cauillari credere, non in domo grauissimæ fœminæ, & cū cōsule loqui. & Sulpitia attollere pauentē, simul illā adhortari, simul irā generi lenire. Tandē cōfirmata, multū incusata perfidia Ebutij, qui optimi in eo ipso meriti talē gratiā retulisset. magnū sibi metū deorū, quorū occulta enuntiaret, maiorē multo dixit hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent. itaq. hoc se Sulpitiā, hoc consulem orare, vt se extra Italiam aliquo amandarent, vbi reliquum vitæ degere tuto posset. Bono animo esse iubere eam con-
F sul, & sibi curæ fore dicere, vt Romę tuto habitaret. Tū Hispala originē sacrorū expromit. Primo sacrarium id fœminarū fuisse, nec quenquam virum eo admitti solitum, tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. sacerdotes inuicem matronas creari solitas. Pacullam Miniam Campanam sacerdotem omnia tāquam deum monitu immutasse. nam & viros eam primam suos fi-
G lios initiasse, Minium & Herennium Cerrinos, & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus, quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri fœminis & noctis licentia accesserit: nihil id facinoris, nihil flagitij prætermissum. plura virorū inter sese, quàm fœminarum esse stupra. si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari, nihil nefas ducere, hanc summam inter eos religionem esse. viros velut mente capta

te capta cúm iactatione fanatica corporis vaticinari. matronas bacchatum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim: demissásque in aquam faces, quia viuum sulphur cũ calce insit, integra flamma efferre. Raptos à diis homines dici, quos machinæ illigatos ex cóspectu in abditos specus abripiant. eos esse, qui aut coniurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam prope populum esse: in his nobiles quosdá viros fœminásque. biennio proximo institutũ esse, ne quis maior XX. annis initiaretur. captari ętates & erroris & stupri patientes. Peracto iudicio aduoluta rursus genibus, preces easdem, vt se ablegaret, repetiuit. Consul rogat socrum, vt aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hispala immigraret. cœnaculũ super ædes datũ est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso. res omnes Feceniæ extemplo translatæ, & familia accersita. & Ebutius migrare ad consulis clientem iussus. Ita cum indices ambo in potestate essent, rem ad senatũ Posthumius defert. Omnibus ordine expositis, quæ delata primo, quæ deinde ab se inquisita forent, Patres pauor ingens cepit: cum publico nomine, ne quid eæ coniurationes cœtúsque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent, tum priuatim suorum quisque vicem, ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem senatus gratias consuli agendas, quod eam rem & cum singulari cura, & sine vllo tumultu inuestigasset: quæstionem deinde de Bacchanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandat. indicibus Ebutio ac Feceniæ ne fraudi ea res sit, curare, & alios indices præmiis inuitare iubet. sacerdotes eorum sacrorũ, seu viri seu fœminæ essent, non Romæ modo, sed per omnia fora & conciliabula conquiri, vt in consulum potestate essent. edici præterea in vrbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, ne quis qui Bacchis initiatus esset, coisse aut conuenisse caussa sacrorum velit, neu quid talis rei diuinæ fecisse. ante omnia vt quæstio de his habeatur, qui coierint coniurauerintve quò stuprum flagitiúmve inferretur. Hæc senatus decreuit. Consules ædilibus curulibus imperarunt, vt sacerdotes eius sacri omnes conquirerent, comprehésósque libero conclaui ad quæstionem seruarent. ædiles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent. triumuiris capitalibus mandatum est, vt vigilias disponerent per vrbem, seruarentque, ne qui nocturni cœtus fierent: vtque ab incendiis caueretur, adiutores triumuiris quinque viri dati, vti cis Tyberim suæ quisque regionis ædificiis præessent. Ad hæc officia dimissis magistratibus, consules in rostra ascenderunt: & concione aduocata cum solemne carmen precationis, quod præfari priusquam populum alloquantur, magistratus solent, peregisset consul, ita cœpit: Nulli vnquá concioni Quirites, tam non solum apta, sed etiam necessaria hæc solemni deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret hos esse deos, quos colere, venerari, precarique maiores vestri instituissent: non illos qui prauis & externis religionibus captas mentes velut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar inuenio, si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: si omnia nudauero, ne nimium terroris offundam vobis vereor. quicquid dixero, minus quam pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse. vt ad cauendũ satis sit, dabitur opera à nobis Bacchanalia tota iampridem Italia, & nunc per vrbem etiam multis locis esse, non fama modò accepisse vos, sed crepitibus

A etiam vlulatibúsque nocturnis, qui personant tota vrbe, certũ habeo. ceterum quæ ea res sit, ignorare: alios deorum aliquem cultum, alios concessum ludum & lasciuiam esse credere: & qualecunq. sit, ad paucos pertinere. quod ad multitudinem eorũ attinet, si dixero multa millia hominum esse, illico necesse est exterreamini, nisi adiunxero qui qualésque sint. Primum igitur mulierum magna pars est, & is fons mali huiusce fuit. deinde simillimi fœminis mares stuprati & constupratores, fanatici, vigiles,

B vino, strepitibus, clamoribúsq; nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires coniuratio, ceterum incrementum ingens virium habet, quod indies plures fiunt. Maiores vestri ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum caussa exercitus edictus esset, aut plebi concilium tribuni edixissent, aut aliqui ex magistratibus ad concionem vocasset, fortè temerè coire voluerũt: & vbicunq. multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierum ac virorum esse creditis?

C Si quibus ætatibus initientur mares, sciatis: nõ misereat vos eorum solum, sed etiam pudeat. Hoc sacramento initiatos iuuenes milites faciendos censetis Quirites? iis ex obscœno sacrario eductis arma committenda? hi coperti stupris suis alienísq. pro pudicitia coniugum ac liberorum vestrorum ferro decernent? Minus tamen esset, si flagitiis tantum effœminati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentẽ à fraudibus

D abstinuissẽt. Nũquá tantũ malũ in Rep. fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quicquid iis annis libidine, quicqd fraude, quicquid scelere peccatũ est, ex illo vno sacrario scitote ortum esse. Necdũ omnia in quæ coniurauerunt, edita facinora habẽt. adhuc priuatis noxiis, quia nondum ad remp. opprimendam satis virium est, coniuratio sese impia tenet. crescit & serpit quotidie malum: iam maius est, quàm vt capere id priuata fortuna possit: ad summá Reip. spectat. nisi præcauetis Quirites, iá huic diur-

E næ legitimè ab consule vocatæ par nocturna concio esse poterit: nunc illi vos singuli vniuersos concionantes timent. iam vbi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis, illi coierint: consultabunt de sua salute simul ac vestra pernicie, tum singulis vobis vniuersi timendi erunt. Optare igitur vnusquisque vestrùm debet, vt bona mens suis omnibus fuerit. si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum cum quibus in omne flagitiũ & facinus coniurauit, non suum iudicet esse. Ne quis etiam erro-

F re labatur vestrum quoque, non sum securus. nihil enim in spem fallacius est, quàm praua religio. vbi deorum numẽ prætenditur sceleribus, subit animũ timor, ne fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris aliquid immistum violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta pontificum, senatuscõsulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum auorúmque ętate negotium est magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatésque foro, circo, vrbe prohiberent? vaticinos

G libros conquirerent, comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, preterquam more Romano, abolerent? Iudicabant enim prudentissimi viri omnis diuini humanique iuris, nihil æquè dissoluendæ religionis esse, quàm vbi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Hæc vobis prædicẽda ratus sum: ne qua superstitio agitaret animos vestros, cum demolientes nos Bacchanalia, discutientésque nefarios cœtus cerneretis. omnia diis propiciis volentibúsque ea faciemus. qui quia suum numen sceleri-

tibus libidinibúsque contaminari indignè ferebát, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri vt impunita essent, sed vt vindicarentur & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandauit: nos quæ ipsis nobis agenda sunt, impigre exsequamur. vigiliarum nocturnarum curam per vrbem minoribus magistratibus mandauimus. vos quoque æquũ est quæ vestra munia sunt, quo quisque loco positus erit, quod imperabitur, impigre præstare, & dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultus oriatur. Recitari deinde senatusconsulta iusserunt, indicique præmium proposuerunt: si quis quem ad se deduxisset, nomenve absentis detulisset. qui nominatus profugisset, diem certam se finituros, ad quam nisi citatus respondisset, absens damnaretur. si quis eorum, qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur, ei laxiorem diẽ daturos, si venire ad caussam dicendam vellet. Edixerunt deinde, ne quis quid fugæ caussa vendidisse, néve emisse vellet: ne quis reciperet, celaret, ope vlla iuuaret fugientes. Concione dimissa terror magnus vrbe tota fuit, nec mœnibus se tantum vrbis, aut finibus Romanis continuit, sed passim per totam Italiam literis hospitum de senatusconsulto & concione & edicto consulum acceptis, trepidari cœptum est. Multi ea nocte quæ diem insecuta est, quo in concione res palam facta est, custodiis circa portas positis, fugientes à triumuiris comprehensi & reducti sunt, multorum nomina delata. quidam ex iis viri fœminæque mortem sibi consciuerunt. Cõiurasse supra VII. millia virorum ac mulierum dicebantur: capita autem coniurationis cõstabat esse, M. & L. Catinios de plebe Romana, & Faliscum L. Opiternium, & Minium Cerrinium Campanum. ab his omnia facinora & flagitia orta. eos maximos sacerdotes cõditorésque eius sacri esse. data opera est, vt primò quoque tempore comprehenderentur. Adducti ad Cos. fassique de se nullam moram iudicio fecerunt. Ceterum tanta fuga ex vrbe facta erat, vt quia multis actiones & res peribant, cogerẽtur prætores T. Mænius & M. Licinius per senatũ res in diẽ tricesimum differre, donec quæstiones a Cos. perficerentur. Eadem solitudo, quia Romæ non respondebant, nec inueniebantur, quorum nomina delata erant, coegit consules circa fora proficisci, ibiq. quærere, & iudicia exercere. Qui tantum initiati erant, & ex carmine sacro, præeunte verba sacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda coniuratio in omne facinus ac libidinem continebatur: nec earũ rerum vllam rem, in quas iureiurando obligati erãt, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant. qui stupris aut cædibus violati erant, qui falsis testimoniis, signis adulterinis, subiectione testamẽtorum, fraudibus aliis contaminati, eos capitali pœna afficiebant. plures necati, quam in vincula coniecti sunt. magna vis in vtraque caussa virorum mulierumque fuit. Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebãt, vt ipsi in priuato animaduerterent in eas: si nemo erat idoneus supplicij exactor, in publico animaduertebatur. datũ deinde consulibus negotium est, vt omnia bacchanalia Romæ primum, deinde per totam Italiam diruerẽt, extra quam si qua ibi vetusta ara, aut signum consecratum esset. in reliquum deinde S.C. cautum est, ne qua bacchanalia Romæ, néve in Italia essent, si quis tale sacrum solemne & necessarium duceret, nec sine religione & piaculo se id omittere posse, apud prætorem vrbanum profiteretur, prætor senatũ consuleret, si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret, dũ ne plus quinque sacrificio interessent: neu qua pecunia cõmunis, neu quis magister sacrorum, aut sacerdos esset. Aliud deinde huic coniunctum, referẽte Q. Martio Cos. S.C. factum est, vt de iis quos pro indicibus consules habuissent, integra res ad senatum referretur, cũ Sp. Posthumius quæstionibus perfectis Romam redisset. Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittẽdum censuerunt, magistratibúsq. Ardeatium prædicendum, vt in intentiore eũ custodia asseruarent, non solum ne effugeret, sed ne mortis consciscẽdæ locum haberet. Sp. Posthumius aliquanto post Romam venit. eo referente de P. Ebutij & Hispalæ Feceniæ præmio, quod eorũ opera indicata bacchanalia essent, S.C. factũ est, vt singulis his centena millia æris quæstores vrbani ex ærario darent: vtiq. Cos. cum tribunis plebis ageret, vt ad plebem primo quoque tempore ferrent: vt P. Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, néve censor ei equum publicum assignaret: vtique Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset, vtique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset: vtique consules prætoresq. qui nunc essent, quive postea futuri essent, curarent, ne quid ei mulieri iniuriæ fieret, vtique tuto esset. senatum velle & æquum cẽsere, vt ita fieret. Ea omnia lata ad plebem, factáque sunt ex S.C. & de ceterorum indicum impunitate præmiisque consulibus permissum est.

Et iam Q. Martius quæstionibus suæ regionis perfectis, in Ligures prouinciã proficisci parabat, tribus millibus peditũ Romanorũ, CL. equitibus, & quinque millibus Latini nominis peditum, ducẽtis equitibus in supplementum acceptis. Eadem prouincia, idem numerus peditũ equitúmque & collegæ decretus erat. Exercitus acceperunt, quos priore anno C. Flaminius & M. Æmylius Cos. habuerunt. duas præterea legiones nouas ex S.C. scribere iussi sunt. & XX. millia peditum sociis & nomini Latino imperarunt, & equites mille trecẽtos, & tria millia peditum Romanorum, CC. equites, totum hunc exercitum, præter legiones in supplementum Hispaniẽsis exercitus duci placebat. itaq. cõsules dũ ipsi quæstionibus impediebantur, T. Mænium delectui habendo præfecerunt. Perfectis quæstionibus prior Q. Martius in Ligures Apuanos est profectus. Dum penitus in abditos saltus, quæ latebræ receptaculáq. semper illis fuerant, persequitur: in præoccupatis angustiis loco iniquo est circumuẽtus. quatuor millia militum amissa, & legionis secundæ signa tria, vndecim vexilla sociûm ac Latini nominis in potestatem hostium venerunt: & arma multa, quæ quia impedimento fugientibus per syluestres semitas erant, passim iactabantur. nec prius sequendi Ligures finem quàm fugæ Romani fecerunt. Consul vbi primum ex hostium agro euasit, ne quantum diminutæ copiæ forent, appareret, in locis pacatis exercitum dimisit. non tamen obliterare famam rei male gestæ potuit. nam saltus vnde eum Ligures fugauerant, Martius est appellatus. Sub hunc nuntium ex Ligustinis vulgatum literæ ex Hispania missam gaudio tristitiam afferentes, recitatæ sunt. C. Catinius, qui biennio ante prætor in eam prouinciam profectus erat. cum Lusitanis in agro Astensi signis collatis pugnauit. ad sex millia hostium sunt cæsa: ceteri fusi, fugati, castrisque exuti. ad oppidum deinde Astam oppugnandum legiones ducit. id quoque haud multo maiore certamine cepit quã castra, sed dum incautius subit muros, ictus ex vulnere post dies

dies paucos moritur. Literis de morte proprætoris allatis, senatus censuit mittendum, qui ad Lunæ portum C. Calpurnium prætorem consequeretur, nuntiarétque senatum æquum censere, ne sine imperio prouincia esset, maturare eũ proficisci. Quarto die, qui missus erat, Lunam venit. paucis ante diebus Calpurnius profectus erat. Et in citeriore Hispania L. Manlius Acidinus, qui eodem tempore quo C. Atinius in prouinciam ierat, cum Celtiberis acie conflixit. incerta victoria discessum est, nisi quod Celtiberi castra inde nocte proxima mouerunt. Romanis & suos sepeliendi, & spolia legendi ex hostibus potestas facta est. Paucos post dies coacto maiore exercitu Celtiberi ad Calagurrim oppidum vltro lacessiuerunt prælio Rom. Nihil traditur, quæ caussa numero aucto infirmiores eos fecerit. Superati prælio sunt, ad XII. millia hominum cæsa, plus duo capta, & castris Ro. potirus, & nisi successor aduentu suo inhibuisset impetum victoris, subacti Celtiberi forent. Noui prr. ambos exercitus in hiberna deduxerunt. Per eos dies quibus hæc ex Hispania nuntiata sũt, ludi Taurilia per biduũ facti religionis caussa. per dies x. apparatos deinde ludos M. Fuluius, quos vouerat Ætolico bello, fecit. Multi artifices in Græcia venerant honoris eius caussa. athletarum quoq. certamen tum primo Ro. spectaculo fuit. & venatio data leonum & pantherarũ: & prope huius seculi copia ac varietate ludicrum celebratum est. Nouendiale deinde sacrũ renuit, quod in Piceno per triduum lapidibus pluerat, ignésque cœlestes, multifariam orti, adussisse complurium leui afflatu vestimenta maximè dicebantur. Addita & vnum diem supplicatio ex decreto pontificum. quod ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat. Hostiis maioribus consules procurarunt, vrbémque lustrarunt. Sub idem tempus & ex Vmbria nuntiatum est, semimarem duodecim fermè annos natum inuentum. id prodigium abominantes, arceri Ro. agro, necarique quamprimum iusserunt. Eodem anno Galli transalpini transgressi in Venetiam sine populatione aut bello, haud procul inde vbi nunc Aquileia est, locum oppido condendo ceperunt. Legatis Rom. de ea re trans Alpes missis responsum est neque profectos ex auctoritate gentis eos, nec quid in Italia facerent, se scire. L. Scipio ludos eo tempore quos bello Antiochi vouisse sese dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus ciuitatibusque. per dies decem fecit. Legatum eũ post damnationẽ & bona vendita, missum in Asiam ad dirimenda inter Antiochum & Eumenem reges certamina, Valerius Antias est auctor. tum collatas ei pecunias, congregatósque per Asiam artifices: & quorum ludorum post bellum, in quo votos diceret, mentionẽ non fecisset, de iis post legationem demum in senatu actum. Cùm iam in exitu annus esset, Q. Martius abiens magistratu abiturus erat. Sp. Posthumius quæstionibus, cum summa fide curáque perfectis, comitia habuit. Creati sunt consules Ap. Claudius Pulcher, M. Sempronius Tuditanus. Postero die prætores facti P. Cornelius Cethegus, A. Posthumius Albinus, C. Afranius Stellio, C. Atilius Serranus, L. Posthumius Tempsanus, M. Claudius Marcellus. Extremo anni, quia Sp. Posthumius Cos. renuntiauerat, peragrantem se propter quæstiones vtrumque littus Italiæ, desertas colonias. Si pontũ supero, Buxentum infero mari inuenisse, triumuiri ad colonos eo scribendos ex S. C. ab T. Mænio prætore vrbano creati sunt, L. Scribonius Libo, M. Tuccius, Cn. Bæbius Pamphilus. Cũ Perseo rege & Macedonibus bellum quod imminebat, non vnde plerique opinantur, nec ab ipso Perseo caussas cepit. incotta initia à Philippo sunt. & is ipse, si diutius vixisset, id bellum gessisset. Vna eum res, cùm victo leges imponerentur, maximè angebat, quod qui Macedonũ ab se defecerant in bello, in eos ius sæuiẽdi ademtũ ei ab senatu erat: cum quia rẽ integrã Quintius in cõditionibus pacis distulerat, nõ desperasset impetrari posse, Antiocho rege deinde bello superato ad Thermopylas, diuisis partibus, cũ per eosdem dies consul Acilius Heracleam, Philippus Lamiam oppugnasset: capta Heraclea quia iussus abscedere à mœnibus Lamiæ erat, Romanísque oppidum deditum est, ægrè eam rem tulerat. permulsit iram eius cõsul, quod ad Naupactũ ipse festinãs, quo se ex fuga Ætoli contulerant: Philippo permisit vt Athamaniæ & Aminandro bellum inferrent, & vrbes quas Thessalis Ætoli ademerant, regno adiiceret. Haud magno certamine & Aminandrum Athamania expulerat, & vrbes aliquot ceperat. Demetriadẽ quoq. vrbẽ validã, & ad omnia opportunã, & Magnetum gentẽ suæ ditionis fecit. inde & in Thracia quasdam vrbes nouæ atque insuetæ libertatis vitio, seditionibus principum turbatas, partibus quæ domestico certamine vincerentur, adiungendo se, cepit. His sedata in præsẽtia regis ira in Romanos est: nunquam tamen remisit animũ à colligẽdis in pace viribus, quibus quandocũque data fortuna esset, ad bellum vteretur. Vectigalia regni nõ fructibus tãtum agrorũ, portoriisque maritimis auxit, sed metalla etiã & vetera intermissa recoluit, & noua multis locis instituit. vt vero antiquam multitudinem hominũ, quæ belli cladibus amissa erat, restitueret: nõ sobolem tantum stirpis parabat, cogẽdis omnibus procreare atque educare liberos, sed Thracum etiam magnam multitudinẽ in Macedoniam traduxerat: quietusque aliquandiu à bellis, omni cura in augẽdas regni opes intẽtus fuerat. Rediere deinde caussæ, quæ de integro iram mouerent in Romanos. Thessalorum & Perræborũ querelæ de vrbibus suis ab eo possessis, & legatorum Eumenis regis de Thracis oppidis per vim occupatis, traductáque in Macedonia multitudine, ita auditæ erant, vt eas non negligi satis appareret. Maximè mouerat senatum quod iam Æni & Maroneæ affectari possessionem audierant, minùs Thessalos curabant. Athamanes quoque legati venerunt, non partis amissæ, non finium iacturã querentes: sed totam Athamaniã sub ius iudiciúmque regis venisse. Et Maronitarũ exsules erant pulsi, quia libertatis caussam defendissent, ab regio præsidio, ij non Maroneam modo, sed etiã Ænum in potestate nuntiabant Philippi esse. Venerant & à Philippo legati ad purganda ea: qui nihil nisi permissu Romanorum imperatorũ factũ affirmabant: ciuitates Thessalorũ & Perræborum & Magnetum, & cum Animandro Athamanum gentẽ, in eadẽ caussa, qua Ætolos, fuisse. Antiocho rege pulso, occupatum oppugnandis Ætolicis vrbibus consulem ad recipiendas eas ciuitates Philippum misisse, armis subactos parere. Senatus ne quid absente rege statueret, legatos ad eas controuersias disceptandas misit, Q. Cæciliũ Metelliũ, M. Bæbiũ Pamphilũ, T. Sẽproniũ. Quorum sub aduentũ, ad Thessalica Tempe omnibus iis ciuitatibus, quibus cum rege disceptatio erat, concilium indictum est, ibi cùm Romani legati disceptatorum loco, Thessali Perræbique & Athamanes haud dubij accusatores, Philippus ad audienda crimina tanquam reus, consedissent: pro ingenio quisque eorum qui principes legationum erant, & gratia cum Philippo aut odio, acerbius leniúsve egerunt. In controuersiam autem

Veniebant, Philippopolis, Tricca, Phaloria, & Eury-
menæ, & cetera circa eas oppida: vtrum Thessalo-
rum iuris, cùm vi ademtę possessęque ab Aetolis fo-
rent: (nã Philippũ Aetolis ademisse eas constabat)
an Aetolica antiquitus ea oppida fuissent. ita enim
Acilium regi concessisse, si Aetolorum fuissent: & si
voluntate, non vi atque armis coacti, cum Aetolis
essent. Eiusdem formulæ disceptatio de Perræborũ
Magnetúmq. oppidis fuit. omnium enim iura pos-
sidendo per occasiones Aetoli miscuerant. Ad hæc
quæ disceptationis erant, querelæ Thessalorum ad-
iectæ, quod ea oppida, si iam redderentur sibi spo-
liata ac deserta redditurus esset. nam præter belli ca-
sibus amissos, quingentos principes iuuentutis in
Macedoniam abduxisse, & opera eorũ in seruilibus
abuti ministeriis: & quę reddiderit coactus Thessa-
lis, inutilia vt redderet, curasse. Thebas Phthias vnũ
maritimum emporium fuisse quondam Thessalis
quæstuosum & frugiferum. ibi nauibus onerariis
comparatis, regẽ, quæ præter Thebas Demetriadẽ
cursum dirigerent, negotiationem maritimam om-
nem eo auertisse. Iámne à legatis quidẽ, qui iure gẽ-
tium sancti sint, violandis abstinere. insidias positas
euntibus ad T. Quintium, itaq. ergo in tãtum metũ
omnes Thessalos cõiectos, vt nõ in ciuitatibus suis,
non in communibus gẽtis conciliis quisquã hisce-
re audeat. procul enim abesse libertatis auctores Ro-
manos, lateri adhærere graue dominum, prohiben-
tem vti beneficiis populi Rom. quid autẽ si vox li-
bera non sit, liberũ esse? nunc se fiducia & præsidio
legatorũ ingemiscere magis quàm loqui, nisi pro-
uideãt aliquid Romani, quo & Græcis Macedoniã
accolentibus metus & audacia Philippi minuatur,
nequicquam & illum victum, & se liberatos esse: vt
equum tenacem non parentem, frenis asperioribus
castigandum esse. Hæc acerbè postremi, cum prio-
res leniter permulsissent iram eius, petẽtes vt igno-
sceret pro libertate loquentibus: & vt deposita do-
mini acerbitate, assuesceret sociũ atque amicũ sese
præstare, & imitaretur populũ Romanum, qui cari-
tate quàm metu adiungere sibi socios mallet. Thes-
salis auditis, Perræbi Gonnocondylũ, quod Philip-
pus Olympiadẽ appellauerat, Perræbiæ fuisse, & vt
sibi restitueretur, agebant. & de Mallœa & Ericinio
eadem postulatio erat. Athamanes libertatem re-
petebant, & castella Athenæum & Petneum. Phi-
lippus, vt accusatoris potius quã rei speciem habe-
ret, & ipse à querelis orsus, Menelaidem in Dolo-
pia, quæ regni sui fuisset, Thessalos vi atque armis
expugnasse questus est. itẽ Petram in Pieria ab iisdẽ
Thessalis Perræbisque captam. Xynias quidẽ haud
dubiè Aetolicum oppidũ sibi eos contribuisse: & Pa-
racheloida, quæ sub Athamania esset, nullo iure
Thessalorum formulæ factam. Nã quæ sibi crimina
obiiciantur de insidiis legatorũ, & maritimis por-
tubus frequentatis aut desertis: alterũ deridiculum
esse, se reddere rationẽ quos portus mercatores aut
nautici petant, alterũ mores suos respuere. tot an-
nos esse, per quos nũquam cessauerint legati nunc
ad imperatores Romanos, nunc Romam ad senatũ
crimina de se referre. quẽ vnquam verbo violatum
esse? semel ad Quintium euntibus insidias dici fa-
ctas. sed quid iis acciderit, non adiici, quærentium
quid falsò obiiciant, cum veri nihil habeant, ea cri-
mina esse. insolenter & immodicè abuti Thessalos
indulgentia populi Romani, velut ex diutina siti ni-
mis auidè meram haurientes libertatem: ita seruo-
rum modo præter spem repentè manumissorum, li-
centiam vocis & linguæ experiri, & iactare sese in-
sectatione & conuitiis dominorum. Elatus deinde

A ira adiecit, nondum omnium dierum solem occi-
disse: Id minaciter dictum non Thessali modo in
sese, sed etiam Romani acceperunt. & cum fremi-
tus post eam vocem ortus, & tandem sedatus esset:
Perræborum inde Athamanúmque legatis respon-
dit, eandem de quibus illi agant, ciuitatum caus-
sam esse. consulem Acilium & Romanos sibi de-
disse eas, cùm hostium essent, si suum munus qui
dedissent, adimere velint, scire se cedendum esse:
sed meliori ac fideliori amico in gratiam leuium,
B & inutilium sociorum iniuriam eos esse facturos.
nec enim vllius rei minus diuturnam esse gratiam
quàm libertatis: præsertim apud eos qui malè vten-
do eam corrupturi sint. Caussa cognita pronuntia-
uerunt legati, placere deduci præsidia Macedonum
ex iis vrbibus, & antiquis Macedoniæ terminis re-
gnum finiri. de iniuriis quas vltro citróque illatas
querantur, quod modo inter eas gentes & Macedo-
nas disceptetur, formulam iuris exsequendi consti-
tuendam esse. Inde grauiter offenso rege, Thessa-
C lonicen ad cognoscendum de Thraciæ vrbibus pro-
ficiscuntur. Ibi legati Eumenis, si liberas esse Ænũ
& Maroneam velint Romani, nihil sui pudoris esse
vltra dicere, quàm vt admoneant: re, non verbo eos
liberos relinquant, nec suum munus intercipi ab
alio patiantur: sin autem minor cura sit ciuitatum
in Thracia positarum, multo verius esse, quæ sub
Antiocho fuerint, præmia belli Eumenem quam
Philippum habere: vel pro patris Attali meritis bel-
lo, quod aduersus Philippum ipsum gesserit popu-
D lus Romanus: vel suis, quod Antiochi bello terra
marique laboribus periculisque omnibus interfue-
rit. Habere eum præterea decem legatorum in eam
rem præiudicium. qui cum Chersonesum Lysima-
chiámque dederint, Maroneam quoque atque
Ænum profecto dedisse, quæ ipsa propinquita-
te regionis velut appendices maioris muneris es-
sent. Nam Philippum quidem quo aut merito
in populum Romanum, aut iure imperij, cum tam
E procul à finibus Macedoniæ absint, ciuitatibus his
præsidia imposuisse? vocari Maronitas iuberent.
ab iis certiora omnia de statu ciuitatum earum sci-
turos. Legati Maronitarum vocati, non vno loco
tantum vrbis præsidium regium esse, sicut in aliis
ciuitatibus, dixerunt: sed pluribus simul, & plenam
Macedonum Maroneam esse. itaque dominari as-
sentatores regios, his solis loqui & in senatu & in
concionibus licere: eos omnes honores & capere
ipsos, & dare aliis, optimum quenque quibus liber-
F tatis, quibus legum cura sit, aut exsulare pulsos pa-
tria, aut inhonoratos & deterioribus obnoxios sile-
re. De iure etiam finium pauca adiecerunt, Q. Fa-
bium Labeonem, cum in regione ea fuisset, dire-
xisse finem Philippo veterem viam regiam, quæ ad
Thraciæ Paroreiam subeat, nusquam ad mare de-
clinantem: Philippum nouam postea deflexisse
viam, qua Maronitarum vrbes agrosq. amplectatur.
Ad ea Philippus longè aliam quam aduersus Thes-
salos Perræbósque nuper, ingressus dissere͂di viam.
Non cum Maronitis, inquit, mihi, aut cum Eume-
G ne disceptatio est, sed iam vobiscũ Romani, à quib.
nihil æqui me impetrare iamdiu animaduerto. Ci-
uitates Macedonum, quæ à me inter inducias de-
fecerant, reddi mihi æquum cẽsebam: nõ quia magna
accessio ea regni futura esset (sunt enim & parua
oppida, & in finibus extremis posita) sed quia mul-
tum ad reliquos Macedonas continendos exem-
plũ pertinebat, negatũ est mihi. Bello Aetolico La-
miam oppugnare iussus à consule M. Acilio, cum
diu fatigatus, ibi prœliis operibúsq. essẽ, transcendẽ-

tem

cum me iam muros, à capta prope vrbe reuocauit A consul, & abducere copias inde coegit. ad huius solatium iniuriæ permissum est, vt Thessaliæ Perrhæbiæque & Athamanum reciperem quędam castella magis quàm vrbes. ea quoque ipsa vos mihi Q. Cæcili paucos ante dies ademistis. Pro non dubio paulo antè, si diis placet, legati Eumenis sumebant, quę Antiochi fuerunt. Eumenem æquius esse quam me habere. Id ego aliter longe iudico esse. Eumenes enim, non nisi vicissent Romani, sed nisi bellum gessissent, manere in regno suo non potuit. itaque ille B vestrum meritum habet, non vos illius. mei autem regni tantum aberat, vt vlla pars in discrimine fuerit, vt tria millia talentum, & quinquaginta tectas naues, & omnes Grecię ciuitates, quas antea tenuissem, pollicentem vltro Antiochum in mercedem societatis sim aspernatus, hostémq; ei me esse prius etiam quam M. Acilius exercitum in Græciá traiiceret, prę me tuli: & cum eo consule belli partem quamcumque mihi delegauit, gessi, & insequenti consuli L. Scipioni, cum terra statuisset ducere exer- C citum ad Hellespontum, non iter tantum per regnum nostrum dedi, sed vias etiam muniui, pontes feci, commeatus præbui: nec per Macedoniam tantum, sed per Thraciam, vbi etiam inter cetera pax quoque præstanda à barbaris erat. Pro hoc studio meo erga vos, ne dicam merito, vtrum adiicere vos Romani aliquid, & amplificare & augere regnum meum munificentia vestra oportebat? an quę habebam aut meo iure, aut beneficio vestro, eripere? id quod nũc facitis. Macedonum ciuitatis, quas regni mei fuisse fatemini, non restituuntur. Eumenes tan- D quam ad Antiochum spoliandum me venit: & si diis placet, X. legatorum decretum calumniæ impudentissimæ pretendit, quo maximè & refelli & coargui potest. disertissimè enim planissiméque in eo scriptum est, Chersonesum & Lysimachiam Eumeni dari. vbi tandem Ænus & Maronea & Thracię ciuitates ascriptę sũt? Quod ab illis nę postulare quidem est ausus, id apud vos tanquam ab illis impetrauerit, obtinebit? Quo in numero me apud vos esse velitis, referte. si tanquam inimicum & hosté in- E sectari propositum est: pergite vt cœpistis facere; sin aliquis respectus est mei, vt socij atque amici regis, deprecor ne me tanta iniuria dignum iudicetis. Mouit aliquantum oratio regis legatos. itaque medio responso rem suspenderunt. si decem legatorũ decreto Eumeni datę ciuitates eę essent, nihil se mutare. si Philippus bello cepisset eas, pręmium victoriæ iure belli habiturum. si neutrum eorũ foret, placere cognitionem senatui reseruari: & vt omnia in F integro manerent, pręsidia quę in iis vrbibus sint, deduci. Hę caussę maximè animum Philippi alienarunt ab Romanis, vt non à Perseo filio eius nouis causis motum, sed ob has à patre bellum relictũ filio videri possit. Romę nulla belli Macedonici suspicio erat. L. Manlius proconsul ex Hispania rediebat: cui postulanti ab senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat. exemplum obstabat, quòd ita comparatum more maiorum erat, ne quis qui exercitum non de- G portasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatámq; prouinciam tradidisset successori: medius tamé honos Manlio habitus, vt ouans vrbem iniret. Tulit coronas aureas quinquaginta duas: auri prætereа pondo CXXXII. argenti XVI. millia CCC. & pronunciauit in senatu, decem millia pondo argenti, & LXXX. auri Q. Fabium quęstoré aduehere. id quoque se in ærarium illaturũ. Magnus motus seruilis eo anno in Apulia fuit. Tarentũ prouinciam L. Posthumius prætor habebat. is de pastorum coniuratione, qui vias latrociniis pascuáque publica infesta habuerant, quæstionem seuere exercuit. ad septem millia hominum condemnauit: multi inde fugerunt. de multis sumtum est supplicium. Consules diu retenti ad vrbem delectibus, tandem in prouincias profecti sunt. Eodem anno in Hispania prætores C. Calpurnius & L. Quintius, cum primo vere ex hybernis copias eductas in Beturia iunxissent, in Carpetaniam vbi hostium castra erant, progressi B sunt, communi animo consilióque parati rem gerere. Haud procul Hippone & Toleto vrbibus inter pabulatores pugna orta est: quibus dũ vtrinque subuenitur à castris, paulatim omnes copiæ in acié eductæ sunt. in eo tumultuario certamine & loca sua, & genus pugnæ pro hoste fuere. duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt: non institere perculsis hostes. Prætores Romani, ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis tacito signo exercitum abduxerunt. Luce pri- C ma Hispani acie instructa ad vallũ accesserunt: vacuáque præter spé castra ingressi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant, diripuerunt: regressique in sua castra, paucos dies quietis statiuis manserunt. Romanorum sociorum in prælio fugáque ad quinque millia occisa: quorum se spoliis hostes armarunt: inde ad Tagum flumen profecti sunt. Prætores interim Romani omne id tempus contrahendis ex ciuitatibus sociis Hispanorum auxiliis, reficiendísque ab terrore aduersæ pugnæ militum animis consumserunt. vbi satis placuere vires, D & iam miles quoque ad delédam priorem ignominiam hostem poscebat, XII. millia passuum ab Tago flumine posuerunt castra. inde tertia vigilia sublatis signis, quadrato agmine principio lucis ad Tagi ripam peruenerunt. Trans fluuium in colle hostium castra erant: extemplo qua duobus locis vada nudabat amnis, dextera parte Calpurnius, læua Quintius exercitum traduxerunt, quieto hoste, dum miratur subitum aduentum, cõsultátque, qui tumultum iniicere trepidantibus in ipso transitu amnis potuisset. interim Romani impedimentis quoque omni- E bus traductis contractísque in vnum locum, quia iam moueri videbant hostem, nec spacium erat castra communiendi, aciem instruxerunt. in medio locatæ, quinta Calpurnij legio, & octaua Quintij: id robur totius exercitus erat. campum apertum vsque ad hostium castra habebant, liberum à metu insidiarum. Hispani posteaquam in citeriore ripa duo Romanorum agmina conspexerunt, vt priusquam se iungere atque instruere possent, occupa- F rent eos, castris repentè effusi cursu ad pugnam tendunt. Atrox in principio prælium fuit, & Hispanis recenti victoria inflatis, & insueta ignominia milite Romano accenso, acerrimè media acies, duæ fortissimæ legiones dimicabant: quas cum aliter moueri loco non posse hostis cerneret, cuneo institit pugnare: & vsque plures confertioréśque medios vrgebant. Ibi posteaquam laborare aciem Calpurnius prætor vidit, T. Quintilium Varum & L. Iuué- G tium Taluam legatos ad singulas legiones adhortandas propere mittit. docere & monere iubet, in illis spem omnem vincendi & retinédæ Hispaniæ esse. si illi loco cedant, neminem eius exercitus non modo Italiam, sed ne Tagi quidem vlteriorem ripá vnquam visurum. ipse cum equitibus duarũ legionũ paululum circumuectus, in cuneũ hostium, qui mediam vrgebat aciem, ab latere incurrit. Quintius cum suis equitibus alterum hostium latus inuadit: sed longè acrius Calpurniani equites pugnabant,

& prætor ipſe ante alios. nam & primus hoſtem A percuſſit, & ita ſe immiſcuit mediis, vt vix vtrius partis eſſet, noſci poſſet. & equites prætoris eximia virtute,& equitum pedites acceſſi ſunt. pudor mouit primos centuriones, qui inter tela hoſtium prætorem conſpexerunt. itaque vrgere ſigniferos pro ſe quiſque, iubere inferre ſigna, & confeſtim militem ſequi. renouatur ab omnibus clamor. impetu fit velut ex ſuperiore loco. haud ſecus ergo quàm torrentis modo fundunt ſternúntque perculſos: nec ſuſtinere B alij ſuper alios inferentes ſeſe poſſunt. fugientes in caſtra equites perſecuti ſunt, & permiſti turbæ hoſtium intra vallum penetrauerunt, vbi ab relictis in præſidio caſtrorum prælium inſtauratum: coactique ſunt Romani equites deſcẽdere ex equis dimicantibus iis legio quinta ſuperuenit: deinde, vt quæque potuerant, copiæ affluebant. Cæduntur paſſim Hiſpani per tota caſtra, nec plus quã quatuor millia hominum effugerunt. inde tria millia ferè qui arma retinuerant, montem propinquum ceperunt. mille ſemiermes maximè per agros palati sũt. ſupra xxxv. C millia hoſtium fuerant, & quibus tam exigua pars pugnæ ſuperfuit. ſigna capta cxxxii. Romani ſociique paulo plus ſexcenti, & prouincialium auxiliorũ cl. fermè ceciderunt. tribuni militũ quinque amiſſi, & pauci equites Romani cruentæ maximè victoriæ ſpeciem fecerũt. In caſtris hoſtiũ, quia ipſis ſpatium ſua communiendi non fuerat, manſerunt. Pro concione poſtero die laudati, donatique à C. Calpurnio equites phaleris, pronũtiauitque, eorum maximè opera hoſtes fuſos, caſtra capta & expugnata D eſſe. Q. uintius alter prætor ſuos equites catellis ac fibulis donauit, donati & centuriones ex vtriuſque exercitu permulti, maximè qui mediã aciem tenuerunt. Conſules delectibus, aliiſque quæ Romæ agẽdæ erant, peractis rebus, in Ligures prouinciam exercitum duxerunt. Sempronius à Piſis profectus in Apuanos Ligures, vaſtando agros, vrendóque vicos & caſtella eorum, aperuit ſaltum vſque ad fluuium Macram, & Lunæ portum. Hoſtes montem anti- E quam ſedem maiorum ſuorum ceperunt. & inde ſuperata locorum iniquitate prælio deiecti ſunt. Et Ap. Claudius felicitatẽ virtutémque collegæ in Liguribus Ingaunis æquauit ſecundis aliquot præliis: ſex præterea oppida eorum expugnauit. multa millia hominum in iis cepit. belli auctores XLIII. ſecuri percuſſit. Iam comitiorum appetebat tempus. prior tamen Claudius quàm Sempronius, cui ſors comitia habendi obtigerat, Romam venit: quia P. Claudius frater eius conſulatum petebat. Compe- F titores habebat patricios, L. Æmylium, Q. Fabium Labeonem, Ser. Sulpitium Galbam, veteres candidatos, & ab repulſis eo magis debitum, quia primo negatus erat, honorem repetentes: etiam quia plus quã vnum ex patriciis creari non licebat, arctior petitio quatuor petentibus erat. Plebeij quoque gratioſi homines petebant, L. Porcius, Q. Terentius Culleo, Cn. Bæbius Pamphilus, & ij repulſi, in ſpem impetrandi tandem aliquando honoris dilati. Claudius vnus ex omnibus nouus candidatus erat. Opinione hominum haud dubiè deſtinebantur Q. Fabius La- G beo, & L. Porcius Licinius, ſed Claudius conſul ſine lictoribus cum fratre toto foro volitando, clamitantibus aduerſariis, & maiore parte ſenatus, meminiſſe eum debere prius ſe conſulem populi Romani quam fratrem P. Claudij eſſe: quin ille ſedens pro tribunali aut arbitrum, aut comitiorũ tacitum ſpectatorẽ ſe preberet? coerceri tamen ab effuſo ſtudio nequiit. Magnis contentionibus tribunorum quoque plebis, qui aut contra cõſulem, aut pro ſtudio eius pugnabant, comitia aliquoties turbata, donec perpulit Appius, vt deiecto Fabio fratrem traheret. Creatus P. Claudius Pulcer, præter ſpem ſuam & ceterorum: locum ſuum tenuit L. Porcius Licinius, quia moderatis ſtudiis non vi Claudiana inter plebeios certatum eſt. Prætorum inde comitia ſunt habita. C. Decimius Flauus, P. Sempronius Longus, P. Cornelius Cethegus, Q. Næuius Matho, C. Sempronius Blæſus, A. Terentius Varro, prætores facti. Hæc eo anno quo Ap. Claudius, M. Sempronius cõſules fuerunt, domi militiæque geſta. Principio inſequentis anni, quo P. Claudius, L. Porcius conſules erant: cum Q. Cæcilius, M. Bæbius & T. Sempronius, qui ad diſceptandum inter Philippum & Eumenem reges, Theſſalorúmque ciuitates miſſi erant, legationem renuntiaſſent: regum quoque eorum ciuitatúmque legatos in ſenatum introduxerunt. Eadem vtrinque iterata, quæ dicta apud legatos in Græcia erant. Aliam deinde legationem nouã patres, cuius princeps Ap. Claudius fuit, in Macedoniam & in Græciam decreuerunt ad viſendum, redditæ ne ciuitates Rhodiis & Theſſalis & Perræbis eſſent. Iiſdem mandatum, vt ab Æno, & Maronea præſidia deducerentur, maritimáque omnis Thraciæ ora à Philippo & Macedonibus liberaretur. Peloponneſum quoque adire iuſſi, vnde prior legatio diſceſſerat incertiore ſtatu rerum, quàm ſi non veniſſent. nam ſuper cetera etiam ſine reſponſo dimiſſi, nec datum petentibus erat Achæorum cõcilium. de qua re querente grauiter Q. Cæcilio, ſimul Lacedæmoniis deplorantibus mœnia diruta, abductam plebem in Achaiam & venundatam, ademtas quibus ad eam diem ciuitas ſtetiſſet, Lycurgi leges: Achæi maximè concilij negati crimen excuſabant, recitando legem, quæ niſi belli paciſve cauſſa, & cum legati ab ſenatu cum literis, aut ſcriptis mandatis venirent, vetaret indici concilium. Ea ne poſtea excuſatio eſſet, oſtendit ſenatus curæ iis eſſe debere, vt Romanis legatis ſemper adeundi concilium gentis poteſtas fieret: quemadmodum & illis, quoties vellent, ſenatus daretur. Dimiſſis iis legationibus, Philippus à ſuis certior factus, cedendum ciuitatibus deducendáque præſidia eſſe, infenſus omnibus, in Maronitas iram effudit. Onomaſto, qui præerat maritimæ oræ, mandat, vt partis aduerſæ principes interficeret. Ille per Caſandrum quendã vnum ex regiis, iam diu habitãtem Maroneæ, nocte Thracibus intromiſſis, velut in bello capta vrbe, cædem fecit. Id apud Romanos legatos querentes tam crudeliter aduerſus innoxios Maronitas, tam ſuperbè aduerſus populum Romanum factum, vt quibus libertatem reſtituendam ſenatus cenſuiſſet, ij pro hoſtibus trucidarentur: abnuebat quicquam eorum ad ſe, aut quenquam ſuorum pertinere. ſeditione inter ipſos dimicatum, cùm alij ad ſe, alij ad Eumenem ciuitatem traherent. id facile ſcituros eſſe, ſi percunctarentur ipſos Maronitas. haud dubius, perculſis omnibus terrore tam recentis cædis, neminem hiſcere aduerſus ſe auſurum. Negare Appius, rem euidentem pro dubia quærendam: ſi ab ſe culpam remouere vellet, Onomaſtum & Caſandrũ, per quos acta res diceretur, mitteret Romã, vt eos ſenatus percunctari poſſet. Primo adeo perturbauit ea vox regem, vt non dolor, non vultus ei conſtaret: deinde collecto tandem animo, Caſandrum qui Maroneæ fuiſſet, ſi vtique vellent, ſe miſſurum dixit: ad Onomaſtum quidem quid eam rem pertinere? qui non modo Maroneæ, ſed ne in regione quidẽ propinqua fuiſſet.

fuisset. Et parcebat magis Onomasto honoratiori amico, & eundem indicem haud paulo plus timebat: quia & ipse sermonem cũ eo contulerat, & multorũ talium ministrum & conscium habebat. Cassander quoque missis, qui per Epitum ad mare prosequerentur eum, ne qua indicium emanaret, veneno creditur sublatus. Et legati à Philippi colloquio ita digressi sunt, vt præ se ferrent nihil eorum sibi placere: & Philipus minimè quin rebellandum esset dubius, quia tamen immaturæ ad id vires erant, ad moram interponendam Demetrium minorem filium mittere Romam simul ad purganda crimina, simul ad deprecãdam iram senatus statuit: satis credens ipsum etiam iuuenem, quod Romæ obses specimen regiæ indolis dedisset, aliquid momenti facturum. Interim per specimen auxilij Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis Thracum iniiciẽdum profectus perculsis iis vno prælio, & Amadoco duce capto, in Macedoniam rediit: missis ad accolas Istri fluminis barbaros, vt in Italiam irrumperent, sollicitandos. Et in Peloponneso aduẽtus Romanorum legatorum, qui ex Macedonia in Achaiam ire iussi erant, expectabatur. aduersus quos vt præparata consilia haberent, Lycortas prætor concilium indixit. Ibi de Lacedæmoniis actum. Ex hostibus eos accusatores factos. & periculum esse, ne victi magis timendi forent, quam bellantes fuissent: quippe in bello sociis Romanis Achæos vsos, nunc eosdẽ Romanos æquiores Lacedæmoniis quàm Achæis esse: vbi Areus etiam & Alcibiades, ambo exsules suo beneficio restituti, legationem Romam aduersus gentem Achæorum ita de ipsis meritam suscepissent: adeoque infesta oratione vsi essent, vt patria pulsi, nõ restituti in eam viderentur. Clamor vndique ortus, referret nominatim de iis. & cum omnia ira, nõ consilio gererentur, capitis damnati sunt. Paucos post dies Romani legati venerunt. his Clitore in Arcadia datum est concilium. Priusquam agerẽt quicquam, terror Achæis iniectus erat, & cogitatio, quam non ex æquo disceptatio futura esset: quod Areum & Alcibiadem capitis ab se in concilio proximo damnatos cum legatis videbant: nec hiscere quisquam audebat. Appius ea quę apud senatum questi erant Lacedæmonij displicere senatui ostendit: cædem primum ad conflictum factam eorum, qui à Philopœmene ad caussam dicendam euocati venissent: deinde cum in homines ita sæuitum esset, ne in vlla parte crudelitas eorum cessaret: muros dirutos vrbis nobilissimæ esse, leges vetustissimas abrogatas, inclytamque per gentes Lycurgi disciplinam sublatã. Hæc cum Appius dixisset, Lycortas, & quia prætor, & quia Philopœmenis actoris omnium quæ Lacedæmone acta fuerant, factionis erat, ita respondit. Difficilior nobis Ap. Claudi apud vos oratio est, quã Romæ nuper apud senatum fuit. tunc enim Lacedæmoniis accusantibus respondendum erat: nũc à vobis ipsis accusati sumus, apud quos caussa dicẽda est. quã iniquitatem conditionis subimus illa spe, iudicis animo te auditurum esse, posita contentione, qua paulo ante egisti. Ego certè cum ea quæ & hic antea apud Q. Cæcilium, & postea Romæ questi sũt Lacedemonij, à te paulo ante relata sint: non tibi, sed illis me apud te respondere credam. Cædem obiicitis eorũ qui à Philopœmene pretore euocati ad caussam dicendam, interfecti sunt. hoc ego crimen non modo non à vobis Romani, sed ne apud vos quidem nobis obiiciẽdum fuisse arbitror. quid ita? quia in vestro fœdere erat, vt maritimis vrbibus abstinerent Lacedæmonij. Quo tempore armis capus vrbes, à quibus abstinere iussi erant, nocturno

A impetu occupauerunt: si T. Quintius, si exercitus Romanus, sicut antea, in Peloponneso fuisset, eo nimirum capti & oppressi confugissent. cùm vos procul essetis, quò alio nisi ad nos socios vestros, quos antea Gytheo opem ferentes, quos Lacedæmonem vobiscum simili de caussa oppugnantes viderant, confugerent? Pro vobis igitur iustum piumque bellum suscepimus. quod cum alij laudent, reprehendere ne Lacedæmonij quidem possint, & dij quoque ipsi comprobauerint, qui nobis victoriam B dederunt: quonam modo ea quæ belli iure acta sunt, in disceptationem veniunt? quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad nos. nostrum est, quod euocauimus eos ad caussam dicendam, qui ad arma multitudinẽ exciuerant, qui expugnauerant maritima oppida, qui diripuerant, qui cædem principum fecerant. quod verò illi venientes in castra interfecti sunt: vestrum est Areu & Alcibiade, qui nunc nos, si diis placet, accusatis, non nostrum. Exsules Lacedæmoniorum, quo in numero ij quo- C que duo fuerunt, & tunc vobiscum erant: quod domicilio sibi delegerant maritima oppida: se petitos credentes, in eos quorum opera patria extorres, ne in tuto quidem exsilio posse consenescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonij igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt: nec iure, an iniuria cæsi sint, argumentari refert. At enim illa certè vestra sunt Achæi, quod leges disciplinámq; vetustissimam Lycurgi sustulistis: quod muros diruistis. quæ vtraque ab iisdem obiici qui possunt? cum muri Lacedæmoniis nõ ab Lycurgo, D sed paucos ante annos ad dissoluendam Licurgi disciplinam exstructi sint: tyranni enim nuper eos arcem & munimentum sibi, non ciuitati parauerunt. & si exsistat hodie ab inferis Lycurgus, gaudeat ruinis eorum, & nunc se patriam & Spartam antiquam agnoscere dicat. Non Philopœmenem exspectare, nec Achæos sed vos ipsi Lacedemonij vestris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis vestigia debuistis. vestræ enim illæ deformes veluti cicatrices seruitutis erant. & cum sine muris E per octingentos prope annos liberi, aliquando etiã principes Græciæ fuissetis muris velut compedibus circumdatis vincti per centum annos seruistis. Quod ad leges ademtas attinet, ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos ademisse arbitror: nos non suas ademisse, quas non habebant, sed nostras leges dedisse: nec malè consuluisse ciuitati, cum concilij nostri eam fecerimus, & nobis miscuerimus, vt corpus vnum & concilium totius Peloponnesi esset. tunc opinior, si aliis ipsi legibus viuere- F mus, alias istis iniunxissemus, queri se iniquo iure esse, & indignari possent. Scio ego Appi Claudi hanc orationem, qua sum adhuc vsus, neque sociorum apud socios, neque liberæ gẽtis esse: socios seruorum verius disceptantium apud dominos. nam si non vana illa vox præconis fuit, qua liberos esse omnium primos Achæos iussistis: si fœdus ratum est, si societas & amicitia ex æquo obseruatur, cur ego, quid Capua capta feceritis Romani, non quæro? G vos rationem reposcitis, quid Achæi Lacedæmoniis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui sunt, finge, à nobis. quid? vos senatores Campanos securi non percussistis? muros diruimus: vos non muros tantum, sed vrbem & agros ademistis. Specie, inquis, æquum est fœdus apud Achæos, re precaria libertas: apud Romanos etiam imperium est. Sentio Appi: & si non oportet, non indignor: sed oro vos, quantúlibet intersit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hostes vestri nostriq; apud vos sint, ac

nos socij: imo ne meliore iure sint. nam vt in æquo
essent, nos fecimus, cum leges iis nostra dedimus:
cum vt Achæi concilij essent, fecimus. Parum est
victis, quod victoribus satis est: plus postulant ho-
stes, quam socij habent. quæ iureiurando, quæ mo-
numentis litterarum in lapide insculptis in æternam
memoriam sancta atque sacrata sunt: ea cum periu-
rio nostro tollere parant. Veremur quidem vos Ro-
mani: &, si ita vultis, etiam timemus. sed plus & ve-
remur & timemus deos immortales. Cum assensu
maximæ partis est auditus: & locutum omnes pro
maiestate magistratus censebāt: vt facile appareret,
molliter agendo dignitatem suam tenere apud Ro-
manos non posse. Tum Appius suadere se magno-
pere Achæis dixit, vt dum liceret, voluntate sua fa-
cere, gratiam inirent, ne mox inuiti & coacti face-
rent. Hæc vox audita quidem cum omnium gemi-
tu est, sed metum iniecit imperata recusandi. id mo-
do petierunt, vt Romani, quæ viderentur de Lace-
dæmoniis mutarent: nec Achæos religione obstrin-
gerent, irrita ea quæ iureiurando sanxissent, facien-
di. damnatio tantum Arei & Alcibiadis, quæ nuper
facta erat, sublata est. Romæ principio eius anni
cum de prouinciis consulum & Prr. actū esset: Coss.
Ligures, quia bellum nusquam alibi erat, decreti.
Prr. C. Decimius Flauus vrbanam, P. Cornelius Ce-
thegus inter ciues & peregrinos sortiti sunt: C. Sem-
pronius Blæsus Siciliam, Q. Næuius Matho Sardi-
niam, & vt idem de veneficiis quæreret: A. Teren-
tius Varro Hispaniam citeriorem, P. Sempronius
Longus Hispaniam vlteriorem. De iis duabus pro-
uinciis legati per id fere tempus L. Iuuētius Talua,
& T. Quinctilius Varus venerū. qui quātum bellum
eam profligatū in Hispania esset, senatu edocto, po-
stularūt simul, vt pro rebus tam prospere gestis diis
immortalibus haberetur honos, & vt prætoribus e-
xercitū deportare liceret. Supplicatio in biduū de-
creta est. de legionibus deportandis, cum de consu-
lum prætorumque exercitibus ageretur, rem inte-
gram referri iusserunt. Paucos post dies Coss. in Li-
gures binæ legiones, quas Ap. Claudius & M. Sem-
pronius habuerant, decretę sunt. De exercitibus Hi-
spaniensibus magna contentio fuit inter nouos Prr
& amicos absentium, Calpurnij Quintijque: vtraque
caussa tribunos plebis, vtraque consulem habebat.
ij se intercessuros S. C. si deportandos censerent e-
xercitus, denuntiabant. illi si hæc intercessio fieret,
nullam rem aliam se decerni passuros. Victa postre-
mo absentium gratia est: S. C. factum, vt Prr. IIII.
millia peditum Rom. scriberent, quadringentos e-
quites, & V. millia sociorum peditum Latini nomi-
nis, quingentos equites, quos secum in Hispaniam
portarent. cūm eas legiones quatuor descripsissent,
quod plus quàm quina millia peditū, treceni equi-
tes in singulis legionibus esset, dimitterent: eos pri-
mum qui emerita stipendia haberent, deinde vt cu-
iusque fortissima opera Calpurnius & Quintius in
prælio vsi essent. Hac sedata contentione, alia subin-
de C. Decimij Pr. morte exorta est. Sicinius, & L.
Puppius, qui ædiles proximo anno fuerant, & C. Va-
lerius flamē Dialis, & Q. Fuluius Flaccus: is quia æ-
dilis curulis designatus erat, sine toga candida, sed
maxima ex omnibus contentione petebat: certa-
ménque ei cum flamine erat & postea quam primo
æquare, mox superare etiam est visus: pars tribuno-
rum plebis negare rationē eius habendā esse, quod
duos simul vnus magistratus, præsertim curules, ne-
que capere posset, nec gerere: pars legibus eum solu-
æquum censere, vt quem vellet Pr. creandi populo
potestas fieret. L. Porcius Cos. primo in ea sententia

A esse, ne nomen eius acciperet: deinde vt ex auctori-
tate senatus idem faceret: cōuocatis patribus re-
re se ad eos dixit, quod nec iure vllo, nec exemplo
tolerabili liberæ ciuitati ædilis curulis designatus
præturam peteret: sibi, nisi quid aliud iis videretur,
in animo esse è lege comitia habere. Patres censue-
runt vti L. Porcius Cos. cum Q. Fuluio ageret, ne
impedimento esset quo minus comitia Pr. in locum
C. Decimij subrogandi è lege haberentur. Agenti
B Cos. ex S. C. respondit Flaccus, nihil quod se indignū
esset, factutū. Medio responso spem ad voluntatem
interpretantibus fecerat, cessurum patrum auctori-
tati esse. comitiis acrius etiam quàm ante petebat,
criminando extorqueri sibi à Cos. & senatu P. R. be-
neficium: & inuidiam geminati honoris fieri: tan-
quam non appareret, vbi designatus Pr. esset, extem-
plo ædilitate se abdicaturum. Cos. cum & pertina-
ciam petentis crescere, & fauorem populi magis
magisque in eum inclinari cerneret, dimissis comi-
tiis senatum vocauit. censuerunt frequentes, quo-
C niam Flaccum auctoritas patrum nihil mouisset, ad
populum cum Flacco agendum. Concione aduoca-
ta cum egisset Cos. ne tum quidem de sententia mo-
tus, gratias P. R. egit, quod tanto studio, quotiescū-
que declarandæ voluntatis potestas facta esset, Pr. se
voluisset facere. ea sibi studia ciuium suorum desti-
tuere non in animo esse. Hæc verò tam obstinata
vox tantum ei fauorem accendit, vt haud dubius
Pr. esset, si Cos. accipere nomen vellet. Ingens
certamen tribunis & inter seipsos, & cum Cos. fuit,
D donec senatus à Cos. est habitus, decretumque, quo-
niam prætoris subrogandi comitia ne legibus fie-
rent, pertinacia Q. Flacci, & praua studia hominum
impedirent, senatum censere satis prætorum esse:
P. Cornelius vtramque in vrbe iurisdictionem ha-
beret, Apollinique ludos faceret. His comitiis
prudentia & virtute senatus sublatis, alia maioris
certaminis, quo & maiore de re, & inter plures po-
tentioresque viros, sunt exorta. Censuram summa
E contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. & L.
Scipiones, Cn. Manlius Volso, L. Furius Purpurio,
patricij: plebeij autem, M. Porcius Cato, M. Fuluius
Nobilior, T. & M. Sempronij, Longus & Tudita-
nus. sed omnes patricios plebeiósque nobilissima-
rum familiarum M. Porcius longè anteibat. In hoc
viro tanta vis animi ingeniique fuit, vt quocunque
loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse
videretur. nulla ars neque priuatæ neque publicæ
rei gerendæ ei defuit. vrbanas rusticásque res pari-
F ter callebat. ad summos honores alios scientia iuris,
alios eloquētia, alios gloria militaris prouexit. huic
versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, vt na-
tum ad id vnum diceres, quodcunque ageret. in bel-
lo manu fortissimus, multisq; insignibus clarus pu-
gnis: idem postea quam ad magnos honores perue-
nit, summus imperator: idem in pace, si ius consule-
res, peritissimus: si caussa oranda esset, eloquentissi-
mus, nec is tantum cuius lingua viuo eo viguerit,
monumentum eloquentię nullum exstet. viuit imo,
vigétque eloquentia eius, sacrata scriptis omnis ge-
G neris: orationes & pro se multæ, & pro aliis, & in a-
lios. nam non solū accusando, sed etiam caussam di-
cēdo fatigauit inimicos. simultates nimio plures &
exercuerunt eū, & ipse exercuit eas. nec facile dixe-
ris, vtrum magis presserit eum nobilitas, an ille agi-
tauerit nobilitatē. Asperi procul dubio animi & lin-
guæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit: sed inuicti cu-
piditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemtor
gratiæ, diuitiarum: in parsimonia, in patientia labo-
ris periculiq; ferrei prope corporis animique: quem
ne se-

ne senectus quidem, quæ soluit omnia, fregerit: qui sextum & octogesimum annum agens caussam dixerit, ipse pro se orauerit, scripseritque: nonagesimo anno S. Galbam ad populi adduxerit iudiciū. Hunc, sicut omnia vita, ita tum petentem premebat nobilitas: consenserántque præter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat, candidati omnes ad deiiciendum honore eum: non solum vt ipsi potius adipiscerentur, nec quia indignabantur nouum hominem censorem videre: sed etiam quod tristem censuram, periculosámque multorum famæ, & ab læso à plerisque, & lædendi cupido exspectabát. etenim tum quoque minitabundus petebat, refragari sibi qui liberam & fortem censuram timerent, criminando. & simul L. Valerio suffragabatur: illo vno collega castigare se noua flagitia, & priscos mores reuocare posse. His accensi homines, aduersa nobilitate, non M. Porcium modo censorem fecerunt, sed etiam collegam ei L. Valerium Flaccum adiecerunt. Secundum comitia censorum Coss. prætoresque in prouincias profecti sunt, præter Q. Næuium. quem quattuor non minus menses, priusquam in Sardiniam iret, quæstiones veneficij, quarum magnam partem extra vrbem per municipia conciliabulaque habuit, quia ita aptius visum erat, tenuerūt. Si Antiati Valerio credere libet, ad duo hominum millia damnauit. Et L. Posthumius Pr. cui Tarentum prouincia euenerat, magnas pastorum coniurationes vindicauit, & reliquias bacchanalium quęstionis cum omni exsecutus est cura. multos qui aut citati non affuerant, aut vades deseruerant, in ea regione Italiæ latentes, partim noxios iudicauit, partim comprehensos Romam ad senatum misit. in carcerem omnes à P. Cornelio coniecti sunt. In Hispania vlteriore, fractis proximo bello Lusitanis, quietæ res fuerunt. In citeriore A. Terentius in Suessetanis oppidum Corbionem vineis & operibus expugnauit, captiuos vendidit. quieta deinde hyberna & citerior prouincia habuit. Veteres Prr. C. Calpurnius Piso, & L. Quintius Romam redierunt: vtrique magno patrum consensu triumphus est decretus. prior C. Calpurnius de Lusitanis & Celtiberis triūphauit. coronas aureas tulit LXXXIII. & duodecim millia pondo argenti. paucos post dies L. Quintius Crispinus ex iisdem Lusitanis Celtiberisque triumphauit. tantundem auri atque argenti in eo triumpho translatum. Censores M. Porcius & L. Valerius metu mista exspectatione senatum legerunt. septem mouerunt senatu: ex quibus vnum insignem & nobilitate & honoribus, L. Quintium Flamininum cōsularem, patrum memoria institutum fertur, vt censores motis è senatu ascriberent notas. Catonis, & aliæ quidem acerbæ orationes exstant in eos, quos aut senatorio loco mouit, aut quib. equos ademit. Longe grauissima in L. Quintium oratio est: quasi accusator ante notam, non censor post notam vsus est, retinere Quintium in senatu, ne frater quidem T. Quintius si tum censor esset, potuisset. Inter cetera obiecit ei Philippum Pœnum, carum ac nobile scortum ab Roma in Galliam prouinciam spe ingētium donorum perductum. eum puerum per lasciuiam cum cauillaretur, exprobrari consuli persæpe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatoriū abductus ab Roma esse, vt obsequiū amatori iactaret. forte epulántibus iis, cum iam vino incaluissent, nunciatum in conuiuio esse, nobilem Boium cum liberis transfugam venisse. conuenire Cos. velle, vt ab eo fidem præsens acciperet. introductum in tabernaculum, per interpretem alloqui Cos. cepisse. inter cuius sermonem Quintius scorto: Vis tu, in-

A quit, quoniam gladiatorum spectaculum reliquisti, iam hunc Gallum morientem aspicere? Et cum is vix dum serio annuisset, ad nutum Cos. stricto gladio, qui super caput pendebat, loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti fidémque P.R. atque eorum qui aderant imploranti, latus transfodisse. Valerius Antias, vt qui nec Catonis orationem legisset, & fabulæ tantum sine auctore editæ credidisset, aliud argumentum, simile tamen & libidine & crudelitate, peragit. Placentiæ formosam mulie-
B rem, cuius amore deperiret, in conuiuium accersitam scribit, ibi iactantem sese scorto inter cetera retulisse, quàm acriter quæstiones exercuisset, & quā multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. tum illam infra eum accubantem negasse, vnquam vidisse quenquam securi ferientem: & peruelle id videre. hic indulgentem amatorem vnum ex illis miseris attrahi iussum securi percussisse. Facinus siue eo modo quo censor obiecit, siue vt Valerius tradit, commissum est, sæuum
C atque atrox: inter pocula atque epulas, vbi libare diis dapes, vbi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis in sinu Cos. recubantis, mactatam humanam victimam esse, & cruore mensam respersam. In extrema oratione Catonis conditio Quintio fertur, vt si id factum negaret, ceteraque quæ obiecisset, sponsione defenderet sese: sin fateretur, ignominiane sua quenquam doliturum censeret, cum ipse vino & Venere amens, sanguine hominis in conuiuio lusisset? In equitatu recognoscen-
D do L. Scipioni Asiatico ademtus equus in censibus quoque accipiendis tristis & aspera in omnes ordines cēsura fuit. ornamenta & vestem muliebrem & vehicula, quę pluris quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores iussit. item mancipia minora annis XX. quæ post proximum lustrum X. millibus æris, aut eo pluris venissent, vti ea quoque decem tanto pluris quam quanti essent, æstimarentur, & his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. Aquam publicam omnem in priuatū
E ædificium aut agrum fluentem ademerunt. & quæ in loca publica inædificata, immolitáve priuati habebant, intra dies xxx. demoliti sunt. opera deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus sternendos lapide, detergendásque qua opus esset, cloacas in Auentino, & in aliis partibus, qua nondum erant, faciēdas locauerunt. & separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, vt iter populo esset, & viam per Formianum montem. Cato atria duo, Mænium & Titium in latomiis, & quatuor tabernas in publi-
F cum emit: basilicámque ibi fecit, quæ Porcia appellata est. & vectigalia summis preciis, vltro tributa infimis locauerunt. Quas locationes cum senatus precibus & lacrymis publicanorum victus induci, & de integro locari iussisset: censores edicto summotis ab hasta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum imminutis preciis locauerūt. Nobilis censura fuit, simultatúmque plena: quæ M. Porcium, cui acerbitas ea assignabatur, per omnem vitam exercuerunt. Eodem anno coloniæ duæ, Pol-
G lentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrū deductæ sunt. sena iugera in singulos data diuiserunt agrum, coloniásque deduxerunt iidem triumuiri, Q. Fabius Labeo, & M. & Q. Fuluij, Flaccus & Nobilior, Coss. eius anni nec domi nec militiæ memorabile quicquam egerunt. in insequentem annum crearūt Coss. M. Claudium Marcellum, Q. Fabium Labeonē. M. Claudius, Q. Fabius Idibus Martiis, quo die consulatum inierunt, de prouinciis suis prætorúmque retulerūt. Pretores creati erāt, C. Valer. flamen Dia-

lis, qui & priore anno petierat: & Sp. Posthumius Albinus, & P. Cornelius Sisenna, L. Puppius, L. Iulius Cn. Sicinius. Consulibus Ligures cum iisdem exercitibus, quos P. Claudius & M. Porcius habuerant, prouincia decreta est. Hispaniæ extra sortem prioris anni prætoribus cum suis exercitibus seruatæ. Prætores ita sortiri iussi, vti flamini Diali vtique altera iuris dicendi Romæ prouincia esset: peregrinam est sortitus. Sisennę Cornelia vrbana, Sp. Posthumio Sicilia, L. Puppio Apulia, L. Iulio Gallia, Cn. Sicinio Sardinia euenit. L. Iulius proficisci maturè est iuss⁹. Galli transalpini per saltus ignotę antea vię (vt ante dictum est) in Italiam transgressi, oppidum in agro qui nunc Aquileiensis est ædificabant. id eos vt prohiberet, quoad eius sine bello posset, prætori mandatum est. si armis prohibendi essent, Coss. certiores faceret: ex his placere alterum aduersus Gallos ducere legiones. Extremo prioris anni comitia auguris creandi habita erant. in demortui Cn. Cornelij Lentuli locū creatus erat Sp. Posthumius Albinus. Huius principio anni P. Licinius Crassus Pon. Max, mortuus est: in cuius locum M. Sempronius Tuditanus pontifex est cooptatus. Pont. Max. est creatus C. Seruilius Geminus P. Licinij funeris caussa visceratio data, & gladiatores CXX. pugnauerunt. & ludi funebres per triduum facti: post ludos epulum. in quo, cum toto foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis coorta coegit plerosque tabernacula statuere in foro, eadem paulo post, cum vndique conserenasset, sublata. defunctósque vulgo ferebant, quod inter fatalia vates cecinissent, necesse esse tabernacula in foro statui. Hac religione leuatis altera iniecta, quod sanguine per biduum pluisset in area Vulcani: & per decemuiros supplicatio indicta erat eius prodigij expiendi caussa. Priusquā Coss. in prouincias proficiscerentur, legationes transmarinas in senatum introduxerūt: nec vnquam ante tantum regionis eius hominum Romæ fuerat. nam ex quo fama per gentes quæ Macedoniam accolunt, vulgata est, crimina querimoniásque de Philippo non negligenter ab Romanis audiri, multis operæpretium fuisse queri, pro se quæque ciuitates gentésque, singuli etiam priuatim (grauis enim accola omnibus erat) Romam aut ad spem leuandæ iniuriæ, aut ad deflendæ solatio venerunt. Et ab Eumene rege legatio, cum fratre eius Athenæo venit ad querendum simul, quod non deducerentur ex Thracia præsidia: simul quo in Bithyniam Prusiæ bellū aduersus Eumenem gerenti auxilia missa forent. Respondendum ad omnia iuueni tum admodū Demetrio erat: cum haud facilè esset, aut ea quę obiicerētur, aut quæ aduersus ea dicenda erant, memoria complecti. nec enim multa solum, sed etiam pleraque oppido quam parua erant: de controuersia finium, de hominibus raptis, pecoribusque abactis, de iure aut dicto per libidinem, aut non dicto, de rebus per vim aut per gratiā iudicatis. nihil horū neque Demetrium docere dilucidè, nec se satis liquido discere ab eo senatus cū cerneret posse: simul & tyrocinio & perturbatione iuuenis moueretur: quęri iussit ab eo, ecquem de his rebus commentarium à patre accepisset? cum respondisset accepisse se, nihil prius, nec potius visum est, quam regis ipsius de singulis responsa accipere. librum extēplo poposcerunt: deinde vt ipse recitaret, permiserūt. Erant autē de rebus singulis in breue coactæ caussæ: vt alia fecisse se secūdum decreta legatorum doceret: alia nō per se stetisse quo minus faceret, sed per eos ipsos qui accusarent, interposuerat & querelas de iniquitate decretorum, & quam non ex æquo disceptatum

A apud Cæcilium foret: indigneque sibi, nec vllo suo merito insultatum ab omnibus esset. Has nota irritati eius animi collegit senatus. ceterum alia excusanti iuueni, alia recipiēti futura ita, vt maximè vellet senatus, responderi placuit. Nihil patrem eius neque rectius, nec magis quod ex voluntate senatus esset, fecisse, quàm quod vtcunque ea gesta essent, per Demetrium filium satisfieri voluisset Romanis. multa, & dissimulare, & obliuisci & pati præterita senatū posse, & credere etiam Demetrio cre-

B dendum esse: obsidem enim se animum eius habere, etsi patri corpus reddiderit. & scire quantum salua in patrem pietate possit, amicum eū P.R. esse, honorisq; eius caussa missuros in Macedoniā legatos: vt si quid minus factum sit quā debuerit, tum quoq; sine piaculo rerum prætermissarum fiat. velle etiam sentire Philippum, integra omnia sibi cum P.R. Demetrij filij beneficio esse. Hæc quę augendæ amplitudinis eius caussa facta erant, extemplo in inuidiā, mox etiam in perniciem adolescenti verterunt. La-

C cedæmonij deinde introducti sunt. Multæ & paruæ disceptationes iactabantur: sed quę maximè rē continerent, erant: vtrū restituerentur quos Achæi dānauerāt, nec ne: iniquè, an iure occidissent, quos occiderant. vertebatur & vtrum manerent in Achaico concilio Lacedæmonij, an vt ante fuerat, secretum eius vnius in Pelopōneso ciuitatis ius esset. Restitui, iudiciaque facta tolli placuit: Lacedęmonē manere in Achaico concilio: scribique id decretū, & consignari à Lacedæmoniis & Achæis. Legatus in Macedoniam Q. Martius est missus, iussus idem in Pelo-

D ponneso sociorum res aspicere. nam ibi quoq; & ex veteribus discordiis residui motus erant: & Messenij desciuerant à concilio Achaico. cuius belli & caussas & ordinē si expromere velim, immemor sim propositi, quo statui nō vltra attingere externa, nisi quæ Romanis cohærerēt rebus. Euētus memorabilis est, quod cū bello superiores essent Achæi, Philopœmen prætor eorū capitur ad præoccupādā Coronen, profectus, quā hostes petebāt: in valle iniqua cū equitib. paucis oppressus. Ipsum potuisse effugere Thracum

E Cretensiúmq; auxilio tradunt. sed pudor relinquendi equites nobilissimos gentis, ab ipso nuper lectos, tenuit. quibus dum locum ad euadendas angustias cogendo ipse agmen præbet, sustinens impetus hostiū: prolapso equo & suo ipse casu, & onere equi super eum ruētis haud multū abfuit quin exanimaretur, septuaginta annos iā natus, & diutino morbo, ex quo tū primum reficiebatur, viribus admodum attenuatis. Iacentē hostes superfusi oppresserunt: cognitúmque primum à verecūdia memoriáque merito-

F rū haud secus quam ducem suum attollūt, reficiúntque, & ex valle deuia in viam portant: vix sibimetipsi præ nec opinato gaudio credentes. pars nuntios Messenen præmittunt, debellatum esse, Philopœmenem captum adduci. Primum adeo incredibilis visa res, vt non pro vano, modo, sed vix pro sano nuntius audiretur: deinde vt super alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides. & priusquam appropinquare vrbi satis scirent, ad spectaculū omnes simul liberi ac serui pueri quoq; cū fœmi-

G nis effunduntur. itaq; clauserat portam turba: dū pro se quisq;, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro cōperto tantam rē habiturus videretur. Ægrè summouentes obuios intrare portam, qui adducebant Philopœmenem, potuerunt: atq; turba conferta iter reliquum clauserat. & cum pars maxima exclusa à spectaculo esset, theatrum repentè, quod vię propinquū erat, compleuerunt: & vt eò in conspectum populi adduceretur, vna voce omnes exposcebāt. Magistra-

tus &

tus & principes verûm nê quem motum misericordia præsentis tanti viri faceret, cum alios verecundia pristinæ maiestatis collata præsenti fortunæ, alios recordatio ingétium meritorum motura esset, procul in conspectu eum statuerunt: deinde raptim ex oculis hominum abstraxerunt: Pr. Dinocrate dicente, esse, quæ pertinentia ad summam belli percunctari eum magistratus vellent. inde adducto eo in curiam, & senatu vocato, consultari cœptum. Iam inuesperascebat, & non modo cetera, sed ne in proximam quidem noctem, vbi satis tuto custodiretur, expediebant. obstupuerant ad magnitudinem pristinæ eius fortunæ virtutisque, & neque ipsi domû recipere custodiendum audebant, ne cuiquam vni custodiam eius satis credebant. admonent deinde quidam, esse thesaurum publicû sub terra, saxo quadrato septum: eo vinctus demittitur, & saxum ingens, quo operitur, machina superimpositum est. ita loco potius quam homini cuiquá credendá custodiam rati, lucem insequentem exspectauerunt. Postero die multitudo quidem integra, memor pristinorum eius in ciuitatem meritorum, parcendum, ac per eum remedia quærenda esse præsentium malorum, censebant: defectionis auctores, quorû in manu respublica erat, in secreto cõsultantes omnes ad necem eius cõsentiebant: sed vtrum maturarent, an differrent, ambigebatur. vicit pars auidior pœnæ: missûsque qui venenum ferret. Accepto poculo nihil aliud locutum ferût, quàm quęsisse si incolumis Lycortas (is alter imperator Achæorum erat) equitésque euasissent. postea quam dictum est incolumes esse: Bene habet, inquit: & poculo impauidè exhausto, haud ita multo post exspirauit. Nec diuturnum mortis eius gaudiû auctoribus crudelitatis fuit. victa námq; Messene bello exposcentibus Achæis noxios dedit, ossáque reddita Philopœmenis sunt: & sepultus ab vniuerso Achaico est concilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, vt ne diuinis quidem abstineretur. Ab scriptoribus rerum Græcis Latinisque tantû huic viro tribuitur, vt à quibusdá eorum velut ad insignem notam huius anni memoriæ mandatum sit, tres claros imperatores eo anno decessisse, Philopœmenem, Annibalem, P. Scipioné. adeo in æquo eum duarum potentissimarum gentiû summis imperatoribus posuerunt. Ad Prusiá regem legatus T. Quintius Flamininus venit, quem suspectum Romanis & receptus post fugá Antiochi Annibal, & bellum aduersus Eumenem motum faciebat. ibi seu quia à Flaminino inter cetera obiectum Prusiæ erat hominem omnium qui viuerent infestissimum P.R. apud eum esse: quia patriæ suæ primum, deinde fractis eius opibus, Antiocho regi auctor belli aduersus P.R. fuisset: seu quia ipse Prusias, vt gratificaretur præsenti Flaminino Romanisque, per se necandi aut tradendi eius in potestatem consilium cepit: à primo colloquio Flaminini milites extemplo ad domum Annibalis custodiendam missi sunt. Semper talem exitum vitæ suæ Annibal prospexerat animo, & Romanorum inexpiabile odium in se cernens, & fidei regum nihil sane confisus. Prusiæ verò leuitaté etiá expertus erat. Flaminini quoque aduentum velut sibi fatalem horruerat. ad omnia vndique infesta vt iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus à domo fecerat, & ex iis quosdam occultos, ne custodia sepirentur. sed graue imperium regû nihil inexploratum, quod inuestigari volunt, efficit. totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt, vt nemo inde elabi posset. Annibal, postea quam est nuntiatum milites regios in vestibulo esse, postico, quod deuium maximè atque occultissimi exitus erat, fugere conatus, vt id quoque occursu militum obseptum sensit, & omnia circa clausa custodiis dispositis esse: venenum quod multo antè præparatum ad tales habebat casus, poposcit. Liberemus, inquit, diuturna cura P.R. quádo mortem senis exspectare longum censent, nec magnam, nec memorabilé ex inermi proditóque Flamininus victoriam feret. mores quidem P. R. quantum mutauerit, vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho regi hosti armato exercitum in Italia habenti, vt à veneno caueret, prædixerunt: hi legatû consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt. Exsecratus deinde in caput regnúmque Prusiæ, & hospitales deos violatæ ab eo fidei testes inuocans, poculum exhausit. Hic vitę exitus fuit Annibalis, Scipioné & Polybius & Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego neque his neque Valerio assentior: his, quod céforibus M. Porcio, L. Valerio principem senatus ipsum L. Valeriû censorem lectum inuenio, cum superioribus tribus lustris Africanus fuisset: quo viuo, nisi vt ille senatu moueretur, quá notam nemo memoriæ prodidit, alius princeps in locum eius electus non esset. Antiatem auctoré refellit tribunus plebis M. Næuius: aduersus qué oratio inscripta P. Africani est. Hic Næuius in magistratum libris est tribunus pl. P. Claudio, L. Porcio Coss. sed iniit tribunatû Appio Claudio, M. Sempronio Coss. ad quartum Idus Decébres. inde tres menses ac Idus Martias sunt. quib. P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt. ita & vixisse in tribunatu Næuij videtur: diésq; ei dici ab eo potuisse: decessisse autem ante L. Valerij & M. Porcij censuram. Trium clarissimorum suę cuiusque gentis virorum non magis tempore congruente comparabilis mors videtur esse, quàm quod nemo eorum satis dignum splendore vitæ exitum habuit. iam primum omnes non in patrio solo mortui, nec sepulti sunt. veneno absumti Annibal & Philopœmen: exsul Annibal proditus ab hospite: captus Philopœmé in carcere & in vinculis exspirauit. Scipio, etsi non exsul, neque dánatus, die tamen dicta, ad quam non affuerat, reus absens citatus voluntarium nô sibimet ipse solum, sed etiam funeri suo exsilium indixit. Dû ea in Peloponneso à quibus diuertit oratio, geruntur: reditus in Macedoniam Demetrij legatorúmque aliter aliorum affecerat animos. vulgus Macedonum, quos belli ab Romanis imminétis metus terruerat, Demetrium vt pacis auctorem cum ingenti fauore conspiciebant: simul & spe haud dubia regnû ei post mortem patris destinabant. nam etsi minor ætate quam Perseus esset, hunc tamen iusta matremfamilias, illum pellice ortum esse. illû, vt ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere: hunc, insignem Philippi similitudinem præ se ferre. ad hoc, Romanos Demetrium in paterno solio locaturos: Persei nullam apud eos gratiam esse. Hæc vulgo loquebãtur. itaque & Persea cura angebat, ne parum pro se vna ætas valeret, cùm omnibus aliis rebus frater superior esset: & Philippus ipse, vix sui arbitrij fore quem heredem regni relinqueret, credés, sibi quoque grauiorem esse quam vellet, minorem filium censebat. offendebatur interdum cõcursu Macedonum ad eum: & alteram iam se viuo regiam esse indignabatur. Et ipse iuuenis haud dubiè inflatior redierat, subnixus erga se iudiciis senatus, concessisque sibi, quæ patri negata essent. & omnis mentio Romanorû, quantam dignitaté ei apud ceteros Macedonas, tantá inuidiam non apud fratrem modo, sed etiam apud patré conciliabat, vtique postea quam alij legati Romani venerût, & cogebatur

A decedere Thracia, præsidiáque deducere, & alia aut ex decreto priorum legatorum, aut ex noua constitutione senatus facere. sed omnia mœrens quidem & gemens, eo magis, quod filium frequentiorē prope cum illis, quàm secum cernebat: obedienter tamen aduersus Romanos faciebat, ne quam inpuendi extemplo belli caussam præberet. auertendos etiam animos à suspicione talium consiliorum ratus, mediam in Thraciam, exercitum in Odrysas & Dentheletas & Bessos duxit. Philippopolin vrbem fuga desertam oppidanorum, qui in proxima montium

B iuga cum familiis receperant sese, cepit: campestrésque barbaros, depopulatus agros eorum, in deditionem accepit. relicto inde ad Philippopolin præsidio, quod haud multo post ab Odrysis expulsum est, oppidum in Deuriopo condere instituit. Pœoniæ ea regio est prope Erigonum fluuium, qui ex Illyrico per Pœoniam fluens in Axium amnem editur. Haud procul Stobis, vetere vrbe, nouam vrbē Perseida, vt is filio maiori haberetur honos, appellari

C iussit. Dum hæc in Macedonia geruntur, Coss. in prouincias profecti. Marcellus nuntium præmisit ad L. Porcium proconsulem, vt ad nouum Gallorum oppidum legiones admoueret. aduenienti consuli Galli sese dediderunt. duodecim millia armatorum erant. plerique arma ex agris rapta habebant. ea ægrè patientibus iis ademta, quæque alia aut populantes agros rapuerant, aut secum attulerant. de his rebus qui quererentur, legatos Romam miserunt. Introducti in senatum à C. Valerio Pr. expo-

D suerunt: se, superante in Gallia multitudine, inopia coactos agri & egestate, ad quærendam sedem Alpes transgressos. quæ inculta per solitudines viderent, ibi sine vllius iniuria consedisse. oppidum quoque ædificare cœpisse: quod indicium esset, nec agro nec vrbi vlli vim allaturos venisse. nuper M. Claudium ad se nūtium misisse, bellum se cum iis, ni dederentur gesturum. se certam, etsi non speciosam pacem, quam incerta belli præoptantes, dedisse se prius in fidem, quam in potestatem populi Roma-

E ni. post paucos dies iussos & agro & vrbe decedere; sese tacitos abire quò terrarum possent, in animo habuisse. arma deinde sibi, & postremo omnia alia quæ ferrent ageréntve, ademta. orare se S.P.Q.R. ne in se innoxios deditos acerbius quàm in hostes sæuirent. Huic orationi senatus ita responderi iussit. Neque illos recte fecisse, cum in Italiam venerint, oppidúmque in alieno agro, nullius Romani magistratus, qui ei prouinciæ præesset, permissu ædificare conati sint: neque senatui placere deditos spoliari.

F itaque se cum iis legatos ad Coss. missuros: qui si redeant vnde venerint, omnia iis sua reddi iubeant: quique protinus erant trans Alpes, & denuntient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant. Alpes prope inexsuperabilem finem in medio esse. non vtique iis melius fore, quam qui eas primi peruias fecissent. Legati missi L. Furius Purpurio, Q. Minutius, L. Manlius Acidinus. Galli redditis omnibus quæ sine cuiusquam iniuria habebāt, Italia excesserunt. Legatis Romanis transalpini po-

G puli benignè responderunt. seniores eorum nimiam lenitatem populi Romani castigarunt, quod eos homines, qui gentis iniussu profecti occupare agrum imperij Romani, & in alieno solo ædificare oppidū conati sunt, impunitos dimiserint: debuisse grauem temeritatis mercedem statui. quod verò etiam sua reddiderint: vereri ne tanta indulgentia plures ad talia audenda impellantur. Et exceperunt & prosecuti cum donis legatos sunt. M. Claudius COS. Gallis ex prouincia exactis, Istricum bellum moliri cœpit: literis ad senatum missis, vt sibi in Istriam trāducere legiones liceret. Id senatui placuit. Illud agitabant, vti colonia Aquileiam deduceretur. nec satis constabat, vtrum Latinam, an ciuium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam potius coloniam deducendam patres cēsuerunt. triumuiri creati sunt P. Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Eodem anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum ciuium sunt deductæ. bina millia hominum in agro qui proximè Boiorum, ante Tuscorum fuerat, octona iugera Parmæ, quina Mutinę acceperunt. deduxerunt triumuiri M. Æmylius Lepidus, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus. Et Saturnia colonia ciuium Romanorum in agrum Caletranum est deducta. deduxerunt triumuiri Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, Tib. Sēpronius Gracchus. iugera in singulos data decem. Eodem anno A. Terentius propr. haud procul flumine Ibero in agro Ausetano & prælia secūda cum Celtiberis fecit, & oppida quę ibi cōmunierant, aliquot expugnauit. Vlterior Hispania eo anno in pace fuit: quia & P. Sempronius proprætor diutino morbo est implicitus, & nullo lacessente peropportune quieuerunt Lusitani. Nec in Liguribus memorabile quicquam à Q. Fabio COS. gestū, M. Marcellus ex Istria reuocatus, exercitu dimisso Romam comitiorum caussa rediit. Creauit COSS. Cn. Bæbium Pamphilum, & L. Æmylium Paulum. Cum M. Æmylio Lepido hic ædilis curulis fuerat, à quo consule quintus annus erat, cum is ipse Lepidus post duas repulsas COS. factus esset. Pr. inde facti Q. Fuluius Flaccus, M. Valerius Læuinus, L. Manlius iterum, M. Ogulnius Gallus, L. Cæcilius Denter, C. Terentius Istra. Supplicatio extremo anno fuit prodigiorum caussa, quod sanguinem per biduum pluisse in area Concordię satis credebant: nuntiatúmque erat, haud procul Sicilia insulam, quæ non ante fuerat, nouam editam è mari esse. Annibalem hoc anno Antias Valerius decessisse auctor est: legatis ad eam rem ad Prusiam missis præter T. Quintium Flaminium, cuius in ea re celebre est nomen, L. Scipione Asiatico, & P. Scipione Nasica.

DECADIS QVARTAE LIBER X.

PRINCIPIO insequentis anni COSS. prætorésque sortiti prouincias sunt. consulibus nulla præter Ligures, quæ decerneretur, erat. Iurisdictio vrbana M. Ogulnio Gallo inter peregrinos M. Valerio euenit. Hispaniarum Q. Fuluio Flacco citerior, Manlio vlterior, L. Cæcilio Dentri Sicilia, C. Terentio Istræ Sardinia. COSS. delectus habere iussi. Q. Fabius ex Liguribus scripserat, Apuanos ad rebellionem spectare, periculúmque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent. Et ex Hispaniis citeriorem in armis esse, & cum Celtiberis bellari sciebant: in vlteriore: quia diu æger prætor esset, luxuria & otio solutam disciplinam militarem esse. Ob eam nouos exercitus conscribi placuit, quatuor legiones in Ligures, vti singulæ quina millia & ducenos pedites, trecenos haberēt equites: sociorū iisdē Latini nominis XV. millia peditum addita, & octingenti equites: hi duo consulares exercitus essent. scribere præterea iussi septem millia peditum sociorum ac Latini nomini

minis, & quadringentos equites, & mittere ad M. Marcellum in Galliam: cui ex consultatu prorogatum imperium erat. in Hispaniam etiam vtranque quæ ducerentur, quatuor millia peditum ciuium Romanorum, & CC. equites, & sociorum septem millia peditum cum CCC. equitibus scribi iussa. & Q. Fabio Labeoni cum exercitu quem habebat in Liguribus, prorogatum in annum imperium est. Ver procellosum eo anno fuit. Pridie Parilia medio fermè die atrox cum vento tempestas coorta, multis sacris profanisque locis stragem fecit, signa ænea in Capitolio deiecit: forem ex æde Lunæ, quæ in Auentino est, raptam tulit, & in posticis parietibus Cereris templi affixit: signa alia in Circo maximo cum columnis quibus superstabant, euertit: fastigia aliquot templorum à culminibus abrupta fœdè dissipauit. itaque in prodigium versa ea tempestas, procurarique aruspices iusserunt. simul procuratū est, quod tripedē mulum Reate natū nuntiatum erat: & à Formiis ædem Apollinis ac Caietæ de cœlo tactam. ob ea prodigia XX. hostiis maioribus sacrificatum est, & diem vnum supplicatio fuit. Per eosdem dies ex literis A. Terentij proprætoris cognitum, P. Sempronium in vlteriore prouincia, cùm plus anno æger fuisset mortuum esse. eo maturius in Hispaniam Prr. iussi proficisci. Legationes transmarinæ deinde in senatum introductæ sunt. prima Eumenis & Pharnacis regum, & Rhodiorum querentium. de Sinopensium clade Philippi quoque legati & Achæorum & Lacedæmoniorum sub idem tempus venerunt. iis prius Martio audito, qui ad res Græciæ Macedoniæque visendas missus erat, responsa data sunt. Asiæ regibus ac Rhodiis responsum est, legatos ad eas res visendas missurum senatum. De Philippo auxerat curam Martius. nam ita fecisse eum quæ senatui placuissent, fatebatur, vt facile appareret, non diutius quàm necesse esset, facturum. neq; obscurum erat rebellaturum: omniaq; quæ tunc ageret diceretque, eò spectare. Iam primum omnem ferè multitudinem ciuium ex maritimis ciuitatibus cùm familiis suis in Emathiam, quæ nunc dicitur, quondam appellata Pœonia est, traduxit: Thracibúsque & aliis barbaris vrbes tradidit habitandas: fidiora hæc genera hominum fore ratus in Romano bello. Ingentem ea res fremitum in tota Macedonia fecit, relinquentesque penates suos, cum coniugibus ac liberis pauci tacitum dolorem continebant: exsecrationésque in agminibus proficiscentium in regem, vincente odio metum, exaudiebantur. His ferox animus omnes homines, omnia loca temporaq; suspecta habebat. postremo negare propalam cœpit, satis tutum sibi quicquam esse, nisi liberos eorum quos interfecisset comprehensos in custodia haberet, & tempore alio tolleret. eam crudelitatem fœdam per se, fœdiorem vnius domus clades fecit. Herodicum principem Thessalorum multis ante annis occiderat, generos quoque eius postea interfecit: in viduitate relictæ, filiæ, singulos filios paruos habentes. Theoxena & Archo nomina his mulieribus erant. Theoxena multis petentibus aspernata nuptias est: Archo Poridi cuidam longè principi gentis Ænianum nupsit: & apud eum plures enixa partus, paruis admodum relictis omnibus decessit. Theoxena, vt in suis manibus liberi sororis educarentur, Poridi nupsit: & tanquam omnes ipsa enixa foret, suum sororisque filios in eadem habebat cura. posteaquam regis edictum de comprehendendis liberis eorum qui interfecti essent, accepit ludibrio futuros non regis modo, sed custodum etiam libidinis rata, ad

A rem atrocem animum adiecit, ausaque est dicere, se sua manu potius omnes interfecturam, quàm in potestatē Philippi venirent. Poris abominatus mētionem tam fœdi facinoris, Athenas deportaturum eos ad fidos hospites dixit, comitémque ipsum fugæ futurum esse. Proficiscuntur ab Thessalonica Æniam ad statum sacrificium, quod conditori Æneæ, cum magna ceremonia, quotannis faciunt. ibi die per solemnes epulas consumto, nauem præparatam à Poride sopitis omnibus de tertia vigilia
B conscendunt, tanquam redituri in Thessalonicam, sed traiicere in Eubœam erat propositum. ceterum in aduersum ventum nequicquam eos tendentes prope terram lux oppressit. & regij qui præerant custodiæ portus, lembum armatum ad pertrahendam eam nauim miserunt, cum graui edicto, ne reuerterentur sine ea. Cùm iam appropinquabant, Poris quidem ad hortationem remigum nautarúmque intentus erat: interdum manus ad cœlum tendens, opem vt dij ferrent, orabat. ferox interim
C fœmina ad multo antè præcogitatum reuoluta facinus, venenū diluit, ferrúmque promit. & posito in conspectu poculo, strictisq; gladiis: Mors, inquit, vna vindicta est. viæ ad mortem hę sunt. qua quemque animus fert, effugite superbiam regiam. agite iuuenes mei, primum qui maiores estis, capite ferrum: aut haurite poculum, si segnior mors iuuat. Et hostes aderant & auctor mortis instabat. alij alio letho absumti semianimes è naue præcipitantur. ipsa deinde virum comitem mortis complexa in
D mare sese deiecit. naue vacua dominis regij potiti sunt. Huius atrocitas facinoris nouam velut flammam regis inuidiæ adiecit, vt vulgo ipsum liberosque eius exsecrarentur. quæ diræ breui ab omnibus diis exauditæ, vt sæuiret ipse in suum sanguinem effecerunt. Perseus enim, cum indies magis cerneret fauorem dignitatémque Demetrij fratris apud Macedonum multitudinem crescere, & gratiā apud Ro. sibi spem nullam regni superesse, nisi in scelere ratus, ad id vnū omnes cogitationes intendit. ceterum cum se ne ad id quidem, quod muliebri cogi-
E tabat animo satis per se validum crederet: singulos amicorum patris tentare sermonibus perplexis instituit. & primo quidam ex his aspernantium tale quicquam speciem præbuerunt, quia plus in Demetrio spei ponebant. deinde crescente indies Philippi odio in Romanos, cui Perseus indulgeret. Demetrius summa ope aduersaretur: prospicientes animo exitum incauti à fraude fraterna iuuenis, adiuuandum quod futurum erat rati, fouendamque
F spem potentioris, Perseo se adiungunt. cetera in suum quęque tempus agenda differunt. in presentia placet, omni ope in Rom. accendi regem, impelliq; ad consilia belli, ad quę iam sua sponte animum inclinasset. simul vt Demetrius indies suspectior esset ex composito sermones ad spem Ro. trahebant. ibi cū alij mores & instituta eorum, alij res gestas, alij speciem ipsius vrbis nondum exornatæ neque publicis, neque priuatis locis, alij singulos principum eluderent: iuuenis incautus & amore nominis Ro.
G & certamine aduersus fratrem, omnia tuendo suspectum se patri, & opportunum criminibus faciebat. itaque expertem eum pater omnium de rebus Romanis consiliorum habebat. totus in Persea versus, cùm eo cogitationes eius rei dies ac noctes agitabat. Redierant, quos fortè miserat in Bastarnas ad accersenda auxilia: adduxerántque inde nobiles iuuenes, & regij quosdam generis, quorum vnus sororem suam in matrimonium Philippi filio pollicebatur: erexeràtque consociatio gentis eius ani-

cati tantum deos, vt à me cœptum ſcelus in me fi- A
nem habeat, nec per meum latus tu petaris. ſin au-
tem quod circumuentis in ſolitudine natura ipſa
ſubiicit, vt hominum quos nũquam viderint, fidem
tamen implorent, mihi quoque ferrum in me ſtri-
ctum cernenti, vocem mittere liceat, per te, pa-
triúmque nomen, quod vtri noſtrum ſanctius ſit,
iampridem ſentis. ita me audias precor, tanquam ſi
voce & comploratione nocturna excitus mihi qui-
ritāti interueniſſes: Demetrium cum armatis nocte B
intempeſta in veſtibulo meo deprehendiſſes. quod
tum vociferarer in te præſenti pauidus, hoc nunc
poſtero die queror. Frater, non comeſſantium in
vicem iamdiu viuimus inter nos. regnare vtique vis
huic ſpei tuæ obſtat ætas mea, obſtat gentium ius,
obſtat vetuſtus Macedoniæ mos, obſtat verò etiam
patris iudicium. huc tranſcendere niſi per meum
ſanguinem non potes. omnia moliris & tentas. ad-
huc ſeu cura mea, ſeu fortuna reſtitit parricidio tuo.
Heſterna die in luſtratione & decurſu & ſimulachro C
ludicro pugnæ funeſtum prope prælium feciſti. nec
me aliud à morte vindicauit, quàm quod me ac
meos vinci paſſus ſum. ab hoſtili prælio tanquam
fraterno luſu pertrahere me ad cœnam voluiſti.
Credis me pater inter inermes conuiuas cœnaturũ
fuiſſe, ad quem armati comeſſatum venerunt? cre-
dis nihil à gladiis nocte periculum fuiſſe, quem ſu-
dibus te inſpectante propè occiderant? Quid hoc
noctis, quid inimicus ad iratum, quid cum ferro
ſuccinctis iuuenibus venis? cõuiuam me tibi com-
mittere auſus non ſum. comeſſatorem te cum ar- D
matis venientem recipiam? Si aperta ianua fuiſſet,
funus meum parares hoc tempore pater, quo que-
rentem audis. Nihil ego ſi tanquam accuſator cri-
minoſè, nec dubia argumentis colligendo ago. quid
enim? negat ſe cum multitudine veniſſe ad ianuam
meam? an ferro ſuccinctos ſecum fuiſſe? quos no-
minauero, accerſe. poſſunt quidem omnia audere,
qui hoc auſi ſunt, non tamen audebunt negare. ſi
deprehenſos intra limen meum cum ferro ad te de-
duxiſſem, pro manifeſto haberes: fatentes pro de- E
prehenſis habe. Exſecrare nunc cupiditatem regni,
& furias fraternas concita. ſed ne ſint cæcæ pater
exſecrationes tuæ, diſcerne & diſpice inſidiatorem,
& petitum inſidiis: noxium huic eſſe caput, qui oc-
ciſurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos
deos: qui petiturus fraterno ſcelere fuit, perfugium
in patris miſericordia & iuſtitia habeat. quo enim
alio confugiam? cui non ſolemne luſtrale exercitus
tui, non decurſus militum, non domus, non epulæ,
non nox ad quietem data naturæ beneficio morta- F
libus, tuta eſt? ſi iero ad fratrem inuitatus, morien-
dũ eſt, ſi recepero intra ianuã comeſſatũ fratrẽ, mo-
riendũ eſt. nec eundo, nec manendo inſidias euito.
quò me conferam? nihil præter deos pater & te co-
lui, non Romanos habeo, ad quos confugiam. pe-
riſſe expetunt, quia tuis iniuriis doleo, quia tibi a-
demtas tot vrbes, tot gentes, modo Thraciæ mari-
timam oram indignor. nec me, nec te incolumi Ma-
cedoniam ſuam futuram ſperant. ſi me ſcelus fratris
te ſenectus abſumſerit, aut ne ea quidẽ exſpectata G
fuerit, regem regnúmque Macedoniæ ſua futura
ſciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani re-
liquiſſent, mihi quoque id relictum crederem re-
ceptaculum. At in Macedonibus ſatis præſidij eſt.
Vidiſti heſterno die impetum in me militum. quid
illis defuit, niſi ferrum? quod illis defuit interdiu,
conuiuæ fratris noctu aſſumſerunt. Quid de magna
parte principum loquar? qui in Romanis ſpem o-
mnem dignitatis & fortunæ poſuerunt, & in eo qui

omnia apud Romanos poteſt. neque Hercule iſtum
mihi tantum fratri maiori, ſed propę eſt vt tibi quo-
que ipſi regi & patri præferant. iſte enim eſt, cuius
beneficio pœnam tibi ſenatus remiſit, qui nunc te
ab armis Romanis protegit, qui tuam ſenectutem
obligatam & obnoxiam adoleſcentiæ ſuæ eſſe æ-
quum cenſet. Pro iſto Romani ſtant, pro iſto o-
mnes vrbes tuo imperio liberatæ. pro iſto Mace-
dones, qui pace Romana gaudent: mihi præter te
pater, quid vſquam aut ſpei aut præſidij eſt? Quò
ſpectare illas literas ad te nunc miſſas T. Quintij
credis? quib. & bene te conſuluiſſe reb. tuis ait, quod
Demetrium Romam miſeris: & hortatur vt iterum
& cum pluribus legatis & primoribus quoq; Mace-
donum remittas eum. T. Quintius nunc eſt auctor
omnium rerũ iſti & magiſter. eum ſibi, te abdicato
patre, in locum tuum ſubſtituit. illic ante omnia
clandeſtina concocta ſunt conſilia. quæruntur ad-
iutores conſiliis, cùm te plures & principes Mace-
donum cum iſto mittere iubet. qui hinc integri &
ſynceri Romam eunt, Philippum regem ſe habere
credentes, imbuti illinc & infecti Romanis delini-
mentis, redeunt. Demetrius iis vnus omnia eſt, eum
iam regem viuo patre appellãt. Hęc ſi indignor, au-
diendum eſt ſtatim non ab aliis ſolum, ſed etiam à
te pater, cupiditatis regni crimen. ego verò, ſi in me-
dio ponitur, non agnoſco. quem enim ſuo loco mo-
ueo, vt ipſe in eius locum ſuccedam? vnus ante me
pater eſt, & vt diu ſit, deos rogo. ſuperſtes ei ita ſim,
ſi merebor, vt ipſe me eſſe velit: hæreditatẽ regni ſi
pater tradet, accipiam. Cupit regnũ, & quidem ſce-
leratè cupit, qui tranſcendere feſtinat ordinem æ-
tatis, naturę, moris Macedonum, iuris gentium. Ob-
ſtat frater maior, ad quem iure, voluntate etiam
patris, regnum pertinet, tollatur. nõ primus regnum
fraterna cæde petiero. pater ſenex, & filio ſolus or-
batus, de ſe magis timebit, quàm vt filij necem vl-
ciſcatur. Romani lętabuntur, probabunt, defendent
factum. Hæ ſpes incertæ pater, ſed non inanes ſunt.
ita enim res ſe habet: periculum vitæ propellere à
me potes puniendo eos qui ad me interficiendum
ferrum ſumſerunt: ſi facinori eorũ ſucceſſerit, mor-
tem meam idem tu perſequi non poteris. Poſtea-
quam dicendi finem Perſeus fecit, coniecti eorum
qui aderãt oculi in Demetriũ ſunt, velut confeſtim
reſponſurus eſſet. deinde diu ſilentiũ fuit. Cùm per
fuſum fletu appareret omnibus loqui non poſſe,
tandem vicit dolorem ipſa neceſſitas, cum dicere
iuberent. atque ita orſus eſt. Omnia quæ reorum
antea fuerãt auxilia, pater, prœoccupauit accuſator,
Simulatis lacrymis in alterius perniciẽ, veras meas
lacrymas ſuſpectas tibi fecit, cùm ipſe ex quo ab
Roma redij, per occulta cum ſuis colloquia dies
noctéſque inſidietur, vltro mihi non inſidiatoris
modo, ſed latronis manifeſti & percuſſoris ſpeciẽ
induit. Periculo ſuo te exterret, vt innoxio fratri
per eundem te maturet perniciem. perfugium ſibi
nuſquam gẽtium eſſe ait, vt ego ne apud te quidem
quicquam ſpei reliquę habeam. circumuentum, ſo-
lum, inopem, inuidia gratię externæ, quæ obeſt po-
tius quàm prodeſt, onerat. Iam illud quàm accuſa-
toriè? quod noctis huius crimẽ miſcuit cum cetera
inſectatione vitę meę: vt & hoc, quod iam quale ſit
ſcies, ſuſpectum alio vitæ noſtræ tenore faceret; &
illam vanam criminationem ſpei, voluntatis, conſi-
liorum meorum, nocturno hoc ficto & compoſito
argumento fulciret. ſimul & illud quæſiuit, vt re-
pentina & minimè præparata accuſatio videretur:
quippe ex noctis huius metu & tumultu repentino
exorta. Oportuit autem Perſeu, ſi proditor ego pa-

tris regnique eram, si cum Romanis, si cum aliis inimicis patris inieram consilia, non exspectatam fabulam noctis huius esse, sed proditionis meæ ante me accusatum: si illa separata ab hac vana accusatio erat, inuidiámque tuam aduersus me magis quam crimen meum indicatura, hodie quoque eam aut prætermitti, aut in aliud tempus differri: vt perspiceretur, vtrum ego tibi, an tu mihi, nouo quidem & singulari genere odij, insidias fecisses. ego tamen quantum in hac subita perturbatione potero, separabo ea quæ tu confudisti, & noctis huius insidias aut tuas aut meas detegam. Occidendi sui consilium meminisse videri vult, vt scilicet maiore fratre sublato, cuius iure gentium, more Macedonum, tuo etiam, vt ait, iudicio regnum est futurum: ego minor in eius quem occidissem, succederem locum. quid ergo illa sibi vult pars altera orationis, qua Romanos à me cultos ait, atque eorum fiducia in spem regni me venisse: nam si & in Romanis tantum momenti esse credebam, vt quem vellent, imponerent Macedoniæ regem, & meæ tantum apud eos gratiæ confidebam, quid opus parricidio fuit? an vt cruentem fraterna cæde diadema gererem? vt illis ipsis, apud quos aut vera, aut certe simulata probitate partá gratiá habeo, siquá fortè habeo, exsecrabilis & inuisus essē? nisi T. Quintiū credis, cuius virtute, & consiliis me nunc arguis regi, cum & ipse tali pietate viuat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse auctorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum iudicia, ac pene omnium deorum hominúmque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit: idem tanquam in aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem vltimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, vt vter timuerit, ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris cepisse iudicetur? Exsequamur tamē quocunque modo confícti ordinem criminis. Pluribus modis se petitum criminatus est, & omneis insidiarum vias in vnum diem contulit. volui interdiu eum post lustrationem, cum concurrimus, & quidem, si diis placet, lustrationem die occidere. volui, cum ad cœnam inuitaui, veneno scilicet tollere. volui, cum comessatum gladiis accincti me secuti sunt, ferro interficere. tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, vides: lusus, conuiuij, comessationis: quis dies? qualis? quo lustratus exercitus, quo inter diuisam victimá prælatis omnium qui vnquam fuere Macedoniæ regū armis regiis, duo soli tua tegentes latera, pater, præfecti sumus, & secutum est Macedonum agmen. hoc ego, etiam si quid ante admisissem piaculo dignum, lustratus, & expiatus sacro, tum cum maximè in hostiam itineri nostro circumdatam intuens, parricidium, venena, gladios in comessationē præparatos volutabam in animo: vt quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem? sed cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere vult, aliud alio confundit. nam si veneno te inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit, quàm pertinaci certamine & cōcursu iratum te efficere? vt merito, sicut fecisti, inuitatus ad cœnam abnueres? cum autem iratus negasses, vtrum vt placarem, te danda opera fuit, vt aliam quærerem occasionem, quoniam semel venenum parauera: an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit, vt ferro te, & quidem eo die per speciem comessationis occiderem? quo deinde modo, si te metu mortis credebam cœnam euitasse meam, nō ab eodem metu comessationem quoque euitaturum existimabam? non est res qua erubescam pater, si die festo inter æquales largiore vino sū vsus: tu quoque velim inquiras, qua lætitia, quo lusu apud me celebratum hesternum cōuiuium sit, illo etiam prauo forsitan gaudio prouehente, quod in iuuenili armorum certamine pars nostra non inferior fuerat. miseria hæc & metus crapulam facile excusserunt: quæ si non interuenissent, insidiatores non sopiti iaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus erā, non temperassem vino in vnum diem? non milites abstinuissem meos? Et ne ego me solus nimia simplicitate tuear, ipse quoque minimè malus ac suspicax frater, nihil aliud scio, inquit, nihil arguo, nisi quod cum ferro comessatum venerunt. si quæram vnde idipsum scieris, necesse erit te fateri, aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam, aut illos ita apertè sumsisse ferrum, vt omnes viderent. Et ne quid ipse aut prius inquisisse, aut nunc criminosè argumentari videretur, te quærere ex iis quos nominasset, iubebat, an ferrum habuissent? vt tanquam in re dubia, cum id quæsisses, quod ipsi fatentur, pro conuictis haberētur. Quin tu illud quæri iubes? num tui occidendi caussa ferrum sumserint? num me auctore & sciente? hoc enim videri vis, non illud quod fatentur. & palam est, & sui se tuendi caussa sumsisse dicunt. recte an perperam fecerint ipsi sui facti rationem reddēt. meam caussam quæ nihil eo facto contingitur, ne misceueris: aut explica, vtrum aperte an clam te aggressuri fuerimus? si apertè, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tuū speculatorē pulsarūt? si clam, quis ordo consilij fuit? cōuiuio soluto cùm comessator ego discessissem, quatuor substitissent, vt sopitum te aggrederentur? quomodo fefellissent, & alieni, & mei, & maximè suspecti, quia paulo ante in rixa fuerant? quomodo autem trucidato te ipse euasuri fuerint? quatuor gladiis domus tua capi & expugnari potuit? Quin tu omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod inuidiam vrit, reuerteris? cur vsquam regni tui mentio fit Demetri? cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris quàm ego? cur spem meam, quæ si tu non esses, certa erat, dubiam & solicitam facis? Hæc sentit Perseus, & si nōn dicit: hæc istum inimicum, hæc accusatorem faciunt, hæc domum, hæc regnum tuū, criminibus & suspicionibus replēt. Ego autem pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere vnquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis: sic illud nec debui facere, nec debeo, vt indignus te patre, indignus omnibus videar. id enim vitiis meis, non cedendo cui ius fásque est, non modestia cōsequar. Romanos obiicis mihi, & ea quę glorię esse debēt, in crimen vertis. ego nec obses Romanis vt traderer, nec vt legatus mitterer Romam, petij. à te missus ire non recusaui, vtroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem. itaq; mihi cum Romanis amicitiæ caussa tu fuisti pater, quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit. si bellū esse cœpit, qui obses, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie, vt prosit mihi gratia Romanorū, postulo: ne obsit, tantum deprecor, nec in bello cœpit, nec ad bellum reseruatur. pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum. neutra res mihi nec gloriæ nec crimini sit. Ego si quid impiè in te pater, si quid sceleratè in fratrē admisi, nullam deprecor pœnam. si innocens sum, ne inuidia cōflagrē, cū crimine non possim, deprecor. Non

hodie me

hodie me primum frater accusat: sed hodie primum A apertè, nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat: te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. in eo vbi præsidium esse oportebat, ibi exitiū est. E conuiuio & comessationibus prope semisomnus raptus sum ad caussam parricidij dicendam sine aduocatis, sine patronis ipse pro me dicere cogor. si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandam & componendam orationem sumsissem, cùm quid aliud quàm ingenij fama periclitaretur? ignarus B quid accersitus essem, te iratum & iubentem dicere caussam, fratrem accusantem audiui. ille diu antè præparata, meditata in me oratione est vsus: ego id tantum temporis quo accusatus sum, ad cognoscendum quid ageretur habui. vtrum momento illo horæ accusatorum audirē? an defensionem meditarer? attonitus repentino atque inopinato malo vix quid obiiceretur, intelligere potui, nedum satis sciā quo modo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi patrem iudicem haberē? apud quem etiam si cari- C tate à fratre maiore vincor, misericordia certe reus vinci non debeo, ego enim vt me mihi tibiq; serues precor: ille, vt me in securitatem suam occidas, postulat. quid eum, cùm regnum ei tradideris, facturū credis in me esse, qui iam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet? Dicenti hæc lacrymæ simul spiritum & vocem intercluserunt. Philippus commotis iis, paulisper collocutus cum amicis, pronuntiauit, non verbis se, nec vnius horæ disceptatione caussam eorum diiudicaturum, sed inqui- D rendo in vtriusque vitam mores, & dicta factáque in magnis paruisque rebus obseruando: vt omnibus appareret, noctis proximæ crimen facilè reuictum suspectam nimiam cum Romanis Demetrij gratiā esse. Hæc viuo Philippo velut semina iacta sunt Macedonici belli, quod maximè cum Perseo gerendū erat. Consules ambo in Ligures, quæ tum vna consularis prouincia erat, proficiscuntur. & quia prospere ibi res gesserunt, supplicatio in vnum diem decreta est. Ligurum duo millia ferè ad extremum fi- E nē prouinciæ Galliæ, vbi castra Marcellus habebat, venerunt, vti reciperentur orantes. Marcellus opperiri eodem loco Liguribus iussis, senatum per literas consuluit. senatus rescribere M. Ogulnium prætorem Marcello iussit, verius fuisse, consules quorum prouincia esset, quàm se, quid è republica esset decernere. tum quoque non placere sibi, per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi. atque eos ad consules mitti senatum æquum censere. Prætores eodem tempore, P. Manlius in vlte- F riorem Hispaniam, quàm & priore prætura prouinciam obtinuerat, Q. Fuluius Flaccus in citeriorē peruenit, exercitúmq; à Terentio accepit. nam vlterior morte P. Sempronij proprætoris sine imperio fuerat. Fuluium Flaccum oppidum Hispanum, Vrbicuam nomine oppugnantem Celtiberi adorti sunt. dura ibi prælia aliquot facta, multi Romani milites & vulnerati & interfecti sunt. vicit perseuerantia Fuluius quod nulla vi abstrahi ab obsidione potuit. Celtiberi fessi præliis variis abscesse- G runt. vrbs amoto auxilio eorum intra paucos dies capta & direpta est. prædam militibus prætor concessit. Fuluius hoc oppido capto: P. Mālius exercitu tantum in vnum coacto qui dissipatus fuerat, nulla alia memorabili gesta re, exercitus in hyberna deduxerunt. Hæc ea æstate in Hispania gesta. Terentius, qui ex ea prouincia decesserat, ouans vrbem iniit. translatum argenti pondo IX. millia CCCXX. auri LXXX. pondo, & duæ coronæ aureæ pondo

LXVII. Eodem anno inter populum Carthaginiensem & regem Masanissam in re præsenti disceptatores Romani de agro fuerunt, c. p. [illegible] um ab Carthaginiēsib. pater Masanissæ Gala. Galā Syphax inde expulerat: postea in gratiam soceri Asdrubalis Carthaginiensibus dono dederat. Carthaginiēses eo anno Masanissa expulerat. Haud minore certamine animorū, quàm cū ferro & acie dimicarunt, res acta apud Romanos. Carthaginienses, quod primo maiorū suorū fuisset, deinde à Syphace ad se peruenisset, repetebāt. Masanissa paterni regni agrū se & recepisse, & habere iure gentium aiebat, & caussa & possessione superiorem esse. nihil aliud se in ea disceptatione metuere, quàm ne pudor Romanorum, dum vereantur ne quid socio atque amico regi aduersus communes suos atq; illius hostes indulsisse videantur, damnō sit. Legati possessionis ius non mutarunt, caussam integram Romam ad senatum reiecerunt. In Liguribus nihil postea gestum. recesserant primum in deuios saltus, deinde dimisso exercitu, passim in vicos castellaque sua dilapsi sunt. Consules quoque dimittere exercitum voluerunt, ac de ea re patres consuluerunt. Alterum ex his dimisso exercitu ad magistratus in annum creandos venire Romam iusserunt, alterum cum legionibus suis Pisis hyemare. Fama erat, Gallos transalpinos iuuentutem armare: nec in quam regionem Italiæ effusura se multitudo esset sciebatur ita inter se cōsules compararunt, vt Cn. Bæbius ad comitia iret, quia M. Bębius frater eius consulatum petebat. Comitia Consulibus rogandis fuere. Creati P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Pamphilus. Prætores inde facti duo Q. Fabij, Maximus & Buteo, T. Claudius Nero, Q. Petilius Spurinus, M. Pinarius Posca, L. Duronius. his inito magistratu prouinciæ ita sorte euenerunt. Ligures consulibus: prætoribus, Q. Petilio vrbana, Q. Fabio Maximo peregrina, Q. Fabio Buteoni Gallia, T. Claudio Neroni Sicilia, M. Pinario Sardinia, L. Duronio Apulia & Istri adiecti, quod Tarentini Brundusinique nuntiabant maritimos agros infestos transmarinarum nauium latrociniis esse. eadem Massilienses de Ligurum nauibus querebantur. Exercitus inde decreti quatuor legiones consulibus, quę quina millia ducenos Romanos pedites, trecenos haberent equites, & quindecim millia socium, ac Latini nominis, octingentos equites. In Hispaniis prorogatum veteribus prætoribus imperium est cum exercitibus quos haberent, & in supplementum decreta tria millia ciuium Romanorum, ducenti equites, & socium Latini nominis sex millia peditum, trecenti equites. Nec rei naualis cura omissa. duumuiros in eam rem consules creari iussi, per quos naues viginti deductę naualibus sociis ciuibus Romanis, qui seruituti [illegible] seruissent, complerentur: ingenui tantum iis præessent. Inter duumuiros ita diuisa, tuendā nauibus maritima ora, vt promontorium iis Mineruæ velut cardo in medio esset: alter in dexteram partem vsque ad Massiliam læuam alter vsque ad Barium tueretur. Prodigia multa fœda & Romę eo anno visa, & nuntiata peregrè. In areā Vulcani & Concordiæ sanguine pluit, & pontifices hastas motas nūtiauere. & Lanuuij simulachrum Iunonis sospitæ lacrymasse. & pestilentia in agris fora, que, & conciliabulis, & in vrbe tanta erat, vt libitina tunc vix sufficeret. His prodigiis cladibúsque anxij patres decreuerunt, vt & consules, quibus diis videretur hostiis maioribus sacrificarent, & decemuiri libros adirent. eorum decreto supplicatio circa omnia puluinaria Romæ in diem vnum indicta est.

vltro suam offerens operam fide data arcana eius
aperit. Fugam ad Romanos Demetrius medita-
batur. cui consilio adiutor deum beneficio oblatus
videbatur Pęoniæ prętor per cuius prouinciá spem
ceperat, elabi tuto posse. Hoc concilium extemplo
& fratri proditur, & auctore eo indicatur patri.
Literæ primum ad obsidentem Petram allatæ sunt.
inde Herodorus (princeps hic amicorum Demetrij
erat) in custodiam est coniectus, & Demetrius dis-
simulanter asseruari iussus. Hæc super cetera tristem
aduectum in Macedoniam regi fecerunt. mouebant
eum & præsentia crimina. exspectandos tamen
quos ad exploranda omnia Romam miserat, cen-
sebat. His anxius curis cùm aliquot menses egisset,
tádem legati, iam ante premeditatis in Macedonia
quæ ab Roma renuntiarent, venerunt, qui super ce-
tera scelesta falsas etiam literas signo adulterino T.
Quintij signatas reddiderunt regi. deprecatio e-
rat in literis: si quid adolescens cupiditate regni
prolapsus secum egisset, nihil eum aduersus suorum
quemquam facturum: neque eum sese esse, qui vllius
impij consilij auctor futurus videri possit. Hæ literę
fidem Persei criminibus fecerunt. itaq; Herodorus
extemplo diu excruciatus sine indicio rei vllius in
tormentis moritur. Demetrium iterum ad patrem
accusauit Perseus de fuga per Pæoniam præparata.
arguebát eum corrupti quidam, vt comites itineris
essent. Maximè falsæ literæ T. Quintij vrgebant, ni-
hil tamen palam grauius pronuntiatum de eo est,
vt dolo potius interficeretur. nec id cura ipsius, sed
ne pœna eius consilia aduersus Romanos nudaret.
ab Thessalonica Demetriadem ipsi cum iter esset,
ad Æstreum Pæoniæ Demetrium mittit cum eo-
dem comite Dida: Perseũ ad Philippopolin ad obsi-
des Thracum accipiendos digredienti ab se Didæ
mandata dedisse dicitur de filio occidendo. Sacrifi-
cium ab Dida, seu institutum seu simulatum est, ad
quod celebrandum inuitatus Demetrius ab Æstreo
Heracleam venit. in ea cœna dicitur venenum da-
tum. poculo epoto extemplo sensit. & mox coortis
doloribus relicto conuiuio, cum in cubiculum re-
cepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parri-
cidium fratris, ac Didæ scelus incusans, torquèba-
tur. intromissi deinde Thyrsis quidam Stuberęus, &
Berreus Alexander, iniectis tapetibus in caput fau-
césque spiritum intercluserunt. ita innoxius adole-
scens cum in eo ne simplici quidem genere mortis
contenti inimici fuissent, interficitur. Dum hæc in
Macedonia geruntur, L. Æmylius Paulus proroga-
to ex consulatu imperio principio veris in Ligures
Ingaunos exercitum introduxit. Vbi primum in
hostium finibus castra posuit: legati ad eum per
speciem pacis petendæ speculatum venerunt. negá-
ti Paulo nisi cum deditis pacisci se pacem, non tam
id recusabant, quam tempore opus esse aiebant, vt
generi agresti hominum persuaderetur. ad hoc de-
cem dierum induciæ cum darentur, petierunt dein-
de ne trans montes proximos castris pabulatum li-
gnatúmque milites irent. culta ea loca suorum fi-
nium esse. id vbi impetrauere, post eos ipsos mon-
tés vnde auerterant hostem, exercitu omni coacto,
repentè multitudine ingenti castra Romanorum
oppugnare simul omnibus portis aggressi sunt. sum-
ma vi totum vnum diem oppugnarunt, ita vt ne
efferendi quidem signa Romanis spacium, nec ad
explicandam aciem locus esset. conferti in portis
obstando magis quàm pugnando castra tutaban-
tur. sub occasum solis cùm recessissent hostes, duos
equites ad M. Bæbium consulem cum literis Pisas
mittit, vt obsesso sibi per inducias quam primum

A subsidio veniret. Bæbius exercitum M. Pinario præ-
tori eunti in Sardiniam tradiderat. ceterum & sena-
tum literis certiorem fecit, obsideri à Liguribus L.
Æmylium: & M. Claudio Marcello, cuius proxima
inde prouincia erat, scripsit, vt si videretur ei exer-
citum ex Gallia traduceret in Ligures, & L. Æmy-
lium liberaret obsidione. Hæc sera futura auxilia e-
rant. Ligures postero die ad castra redeũt. Æmylius
cùm & venturos scisset, & educere in aciem copias
potuisset, intra vallum suos tenuit, vt extraheret rẽ
in id tempus Bæbius, quo cum exercitu venire à Pi-
B sis posset. Romę magnam trepidationem literæ Bæ-
bij fecerunt, eò maiorem quod paucos post dies
Marcellus tradito exercitu Fabio Romam cum ve-
nisset, spem ademit, eum qui in Gallia esset, exercitũ
in Ligures traduci posse, quia bellum cum Istris es-
set, prohibentibus coloniam Aquileiam deduci. eò
profectum Fabium, neque inde regredi bello in-
coato posse. Vna & ea ipsa tardior quàm tempus
postulabat, subsidij spes erat, si cõsules maturassent
C in prouinciam ire. id vt facerent, pro se quisque pa-
trum vociferari. Consules nisi confecto delectu ne-
gare se ituros, nec suam segnitiem, sed vim morbi
in caussa esse, quo serius perficeretur. non tamen po-
tuerunt sustinere consensum senatus, quin paludati
exirent, & militibus, quos conscriptos haberent,
diem edicerent, quo Pisas conuenirent. permissum
vt qua irent, protinus subitarios milites scriberẽt,
duceréntque secum. Et prætoribus Q. Petilio & Q.
Fabio imperatum est, vt Petilius duas legiones ci-
D uiũ Romanorum tumultuarias scriberet, & oẽs mi-
nores quinquaginta annis sacramento rogaret: Fa-
bio vt sociis Latini nominis quindecim millia pedi-
tum, octingentos equites imperaret. Duumuiri na-
uales creati C. Matienus & C. Lucretius, nauesque
iis ornatæ sunt, Matienóque cuius ad Gallicum si-
num prouincia erat, imperatum, vt classem primo
quoque tempore duceret in Ligurum oram, si quo
vsui esse L. Æmylio atque eius exercitui posset. Æ-
mylius postequam nihil vsquam auxilij ostende-
E batur, interceptos credens equites, non vltra diffe-
rendũ ratus quin per se fortuná tentaret priusquam
hostes venirent, qui iam segnius socordiúsq; oppu-
gnabant, ad quatuor portas exercitum instruxit: vt
signo dato simul omnibus partibus eruptioné fa-
cerent quatuor extraordinariis cohortibus duas ad-
iunxit, præposito M. Valerio legato: erũpere extra-
ordinaria porta iussit. ad dextram principalem ha-
status legionis primæ instruxit: principes ex eadem
legione in subsidiis posuit. M. Seruilius & L. Sulpi-
F tius Tribb. mil. his præpositi. tertia legio aduersus
principalem sinistram portam instructa est. id tan-
tum mutatum: principes primi & hastati in subsidiis
locati: Sex. Iulius Cæsar & L. Aurelius Cotta tribb.
mil. huic legioni præpositi sunt. Q. Fuluius Flaccus
legatus cum dextra ala ad quæstoriam portam po-
situs, duæ cohortes & triarij duarum legionum in
præsidio castrorum manere iussi. Omnes portas cõ-
cionabundus ipse imperator circumiit, & quibus-
cunque irritamentis poterat, iras militũ acuebat:
G nũc fraudem hostium incusans, qui pace petita, in-
duciis datis, per ipsum induciarũ tempus contra ius
gentium ad castra opugnáda venissent. nũc quátus
pudor esset edocens, ab Liguribus latronibus verius
quàm hostibus iustis Romanum exercitum obsi-
deri. Quo ore quisquam vestrũm, si hinc alieno prę-
sidio non vestra virtute euaseritis occurret? non di-
co eis militibus, qui Annibalem, qui Philippum, qui
Antiochum maximos nostræ ætatis reges ducesque
vicerunt, sed iis qui hos ipsos Ligures aliquoties

pecorum modo fugientes per saltus inuios consectati ceciderunt: quod Hispani, quod Galli, quod Macedones Pœniue non audeant, Ligustinus hostiis vallum Romanum subit, obsidet vltro & oppugnat quem scrutantes ante deuios saltus abditum & latentem vix inueniebamus? Ad hæc consentiens reddebatur militum clamor, nullam militum culpam esse, quibus nemo ad erumpẽdum signum dedisset. daret signum intellecturum eosdem qui antea fuerint, & Romanos & Ligures esse. Bina eis montes castra Ligurum erant. ex iis primis diebus sole orto pariter omnes compositi & instructi procedebant: tum nisi exsatiati cibo vinoque arma non capiebant. dispersi, inordinati exibant, vt quibus pro spe certum esset, hostes extra vallum signa non elaturos. Aduersus ita incompositos eos venientes, clamore pariter omnium qui in castris erant, calonum quoque & lixarum sublato, simul omnibus portis Romani erumperunt. Liguribus adeo improuisa res fuit, vt perinde ac si insidiis circumuenti forent, trepidarent. Exiguum temporis aliqua forma pugnæ fuit. fuga deinde effusa, & fugientium passim cædes erat. equitibus dato signo, vt cõscenderent equos, nec effugere quenquam finerent, in castra omnes trepida fuga compulsi sunt: deinde ipsis exuti castris. Supra quindecim millia Ligurũ eo die occisa: capta duo millia & quingẽti. Triduo post Ligurum Ingaunorum omne nomen obsidibus datis in ditionem venit: gubernatores nautæque conquisiti, qui prædatores fuissent nauibus, atque omnes in custodiam coniecti. Et à C. Matieno duumuiro naues eius generis in Ligustina ora XXXII. captæ sunt. Hæc qui nuntiarent, literásq; ad senatum ferrẽt, L. Aurelius Cotta, & Sulpitius Gallus Romam missi: simulq; peterent, vt L. Æmylio confecta prouincia decedere, & deducere secũ milites liceret, atque dimittere. Vtrumque permissum ab senatu. & supplicatio ad omnia puluinaria per triduum decreta: iussique prætores, Petilius vrbanas dimittere legiones, Fabius sociis atq; nomini Latino remittere delectum: & vti prætor vrbanus consulibus scriberet, senatum æquũ censere, subitarios milites tumultus caussa cõscriptos, primo quoque tẽpore dimitti. Colonia Grauiscæ eo anno deducta est in agrum Hetruscum, de Tarquiniensibus quondam captum: quina iugera agri data. triumuiri deduxerunt, C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcer, C. Terentius Istra. Siccitate & inopia frugum insignis annus fuit. sex menses nunquam pluuisse memoriæ proditum est. Eodem anno in agro L. Petilij scribæ sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliũtur terram, duæ lapideæ arcæ octonos fermè pedes longæ, quaternos latæ, inuentæ sunt, operculis plumbo deuinctis. literis Latinis Græcisque vtraque arca inscripta erat: in altera Numam Pompilium Pomponis filium regem Romanorum sepultum esse: in altera libros Numæ Pompilij inesse. Eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulũ sepulti regis habuerat, inanis inuenta sine vllo vestigio corporis humani, aut vllius rei, per tabem tot annorũ omnibus absũptis. in altera duo fasces candelis inuoluti septenos habuere libros, non integros modò, sed recentissima specie: septem Latini de iure pontificio erant: septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adijcit Antias Valerius Pythagoricos fuisse, vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. Primo ab amicis qui in re præsenti fuerũt libri lecti, mox pluribus legentib. cũ vulgarentur, Q. Petilius prætor vrbanus

A studiosus legendi, eos libros à L. Petilio sumsit: & erat familiaris vsus, quod scribã eũ quæstor Q. Petilius in decuriam legerat. Lectis rerum summis, cum animaduertisset pleraque dissoluendarum religionum esse, L. Petilio dixit, sese eos libros in ignẽ cõiecturum esse. prius quã id faceret, se ei permittere vti, si quod seu ius, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eũ facturum. Scriba tribunos plebis adit, ab tribunis ad senatũ res est reiecta. prætor se iusiu- B rãdum dare paratum esse aiebat, libros eos legi seruariq; non oportere. Senatus censuit satis habendũ, quod prætor iusiurãdum polliceretur. libros primo quoq; tempore in comitio cremandos esse. pretium pro libris quantum Q. Petilio prætori maiorique parti tribunorum plebis videretur, domino esse soluendum. id scriba non accepit. libri in comitio igne à victimariis facto in conspectu populi cremati sunt. Magnum bellum ea æstate coortũ in Hispania citeriore. Ad V. & XXX. millia hominum, C quantum nunquam fermè antea Celtiberi comparauerant. Q. Fuluius Flaccus eam obtinebat prouinciã. is quia armare iuuentutẽ Celtiberos audierat & ipse quãta poterat à sociis auxilia cõtraxerat: sed nequaquam numero militum hostem æquabat. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, & castra locauit ad oppidum Eburam, modico præsidio in vrbe posito. Paucis post diebus Celtiberi millia duo ferme inde sub colle posuerunt castra. quos vbi adesse prætor Romanus sensit, M. Fuluium fratrem D cum duabus turmis sociorum equitum ad castra hostium speculatum misit, quàm proximè succedere ad vallum iussum, vt viseret quanta essent. pugna abstineret, reciperétque sese, si hostium equitatum euntem vidisset. Ita vt præceptum erat, fecit per dies aliquot. nihil vltra motum, quàm vt hæ duæ turmæ ostenderentur, deinde subducerentur, vbi equitatus hostium castris procurrisset. Postremo & Celtiberi omnibus simul peditũ equitũmq; copiis castris egressi, acie directa, medio ferme spa- E tio inter bina castra constiterunt. Campus erat planus omnis, & aptus pugnæ. ibi stetere Hispani hostẽ exspectantes. Romanus intra vallum suos cõtinuit per quatriduum continuum: & illi eodem loco aciem instructam tenuerunt. ab Romanis nihil motum. inde quieuere in castris Celtiberi, quia pugnæ copia non fiebat, equite tantum in stationem egrediebantur, vt parati essent, si quid ab hoste moueretur. pone castra vtrique pabulatum & lignatũ ibant, neutri alteros impedientes. Prætor Romanus F vbi satis tot dierum quiete credidit spem factam hosti, nihil se priorem moturum, L. Acilium cum ala sinistra, & sex millibus prouincialium auxiliorũ circumire montem iubet, qui ab tergo hostibus erat: inde vbi clamorẽ audisset, decurrere ad castra eorum nocte profecti sunt, ne possẽt conspici. Flaccus luce prima C. Scriboniũ præfectum sociũ ad vallũ hostiũ cum equitibus extraordinariis sinistræ alæ mittit. quos vbi & propius accedere, & plures quàm soliti erant, Celtiberi conspexerunt, omnis G equitatus effunditur castris: simul & peditibus signum ad exeundum datur. Scribonius, vti præceptũ erat, vbi primum fremitum equestrium audiuit, auertit equos, & castra repetit: eo effusius sequi hostes. primo equites, mox & peditum acies aderat, haud dubia spe castra eo die se oppugnaturos. quingentos passus, non plus à vallo aberant. Itaque vbi Flaccus satis abstractos eos à præsidio castrorum suorũ ratus est, intra vallum exercitu instructo, tribus partibus simul erumpit: clamore non tantum

ad arde-

ad ardorem pugnæ excitandum sublato, sed etiam vt A qui in mentibus erant, exaudirent, nec morati sunt quin decurrerét, sicut imperatum erat, ad castra: vbi quingentorum armatorum, non amplius, relictum erat præsidiú: quos cum & paucitas sua, & multitudo hostiú, & improuisa res terruisset, propè sine certamine capiuntur castra. castris quæ pars maxima à pugnantibus conspici poterat, iniecit Acilius ignem postremi Celtiberorum qui in acie erant, primi flammam conspexere: deinde per totam aciem vulgatum B est, castra amissa esse, & tum cum maximè ardere, vnde illis terror, inde Romanis animus creuit. iam clamor suorum vincentium accidebat, iam ardétia hostium castra apparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati sunt. ceterum postquam receptus pulsis nullus erat: nec vsquá nisi in certamine spes: pertinacius de integro capessunt pugná. Acie media vrgebantur acriter à quinta legioné aduersus læuum cornu, in quo sui generis prouincialia auxilia instruxisse Romanos cernebant, cum maiore fiducia intu- C lerút signa. Iam prope erat vt sinistrum cornu pelleretur Romanis, ni septima legio successisset. simul ab oppido Ebura, qui in præsidio relicti erant, in medio ardore pugnæ aduenerunt, & Acilius ab tergo erat. Diu in medio cæsi Celtiberi. qui supererát, in omnes passim partes capessút fugam: equites bipartito in eos emissi, magná cædé edidere. ad viginti tria millia hostium eo die cæsa. capta quatuor millia. & DCCC. cú equis plus quingétis, & signa militaria LXXXVIII. Magna, victoria non tamen incruéta fuit. Romani de duabus legionibus milites paulo plus CC. sociú D Latini nominis DCCC. triginta, externorum auxiliarium duo millia ferme & quadringenti ceciderút. Pr. in castra victoré exercitum reduxit. Acilius manere in castris ab se captis iussus. postero die spolia de hostibus lecta: & pro cócione donati, quorú virtus insignis fuerat. Sauciis deinde in oppidú Eburá deuectis, per Carpetaniá ad Contrebiá ductæ legiones. ea vrbs circumsessa cum à Celtiberis auxilia accersisset, morátibus iis, nó quia ipsi cúctati sunt, sed quia profectos à domo inexplicabiles cótinuis imbri- E bus viæ, & inflati amnes tenebant, desperato auxilio suorum in deditioné venit. Flaccus quoq. tépestatibus fœdis coactus, exercitum omnem in vrbé introduxit. Celtibere, qui domo profecti erant, deditionis ignari, cum tandé superatis, vbi primum remiserút imbres, amnibus Contrebiam venisent: posteaquam castra nulla extra mœnia viderút, aut in alterá partě translata rati, aut recessisse, hostes per negligentiam effusi ad oppidum accesserunt. In eos duabus portis F Romanis eruptionem fecerunt. & incompositos adorti fuderunt: quæ res ad resistendú eos, & ad capessendam pugnam impediit, quo nó vno agmine, nec ad signa frequentes veniebant, eadem magnæ parti ad fugam saluti fuit: sparsi enim toto passim campo se diffuderunt, nec vsquam confertos eos hostis circumuenit. tamé ad duodecim millia sút cæsa, capta plus quinq. millia hominú, equi quadringenti, signa militaria LXII. qui palati è fuga domú se recipiebát, alterum agmé Celtiberorum venientium, deditioné Cótrebiæ & suam cladem narrando, auerterunt. ex- G templo in vicos castelláq. sua omnes dilapsi. Flaccus à Cótrebia profectus, per Celtiberiá populabúdus ducit legiones. multa castella oppugnauit, donec maxima pars Celtiberorum in deditioné venit. Hæc in citeriore Hispania eo anno gesta. Et in vlteriore Málius Pr. secundo aliquot prelia cú Lusitanis fecit. Aquileia colonia Latina eodem anno in agro Gallorú est deducta. tria millia peditú, quinquagena iugera, cétutiones cétena, cétena quadragena equites acceperunt. triumuiri deduxerút P. Cornel. Scipio Nasica, C. Flamin. L. Málius Acidinus. Ædes duę eo anno dedicatę sunt: vna Veneris Erycinę ad portá Collinam dedicauit L. Porcius L. F. Licinius duumuir. vota erat ab Cos. L. Porcio Ligustino bello. altera in foro olitorio Pietatis. eá ędé dedicauit M. Acilius Glabrio duúuir, statuámq. auratá, quę prima omniú in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit. Is erat, qui ipse eá ędé vouerat, quo die cú rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, locauerat q. ide ex S. C. Per eosdé dies, quib. hę ędes dedicatę sút, L. æmy. Paul. procos. ex Ligurib. Ingaunis triúphauit. Transtulit coronas aureas quinq. & viginti. nec pterea quicquá auri argétiq. in triúpho latú. captiui multi princip. Ligurú áte currú ducti. ęris trecenos militib. diuisit. Auxerút ei triúphi famá legati Ligurú, pacé ppetuá orátes. ita in animú induxisse Ligurú géré, nulla vnquá arma, nisi imperata à P. R. sumere Responsú à Q. Fab. Pr. est Ligurib. iussu senat*, orationé eá nó nouá Ligurib. esse: més verò vt noua & orationi cóueniés esset, ipsorú id plurimú referre, ad Coss. irét, & quę ab iis imperata essét, facerent. nulli alij quá cósulib. senatum crediturú esse, syncera fide in pace Ligures esse. Pax in Ligurib. fuit. In Corsica pugnatú est cú Corsis. ad duo millia eorú M. Pinarius Pr. in acie occidit. qua clade cópulsi, obsides dederút, & cerę cétú millia pódo. Inde in Sardiniá exercitus ductus, & cú Ilienfibus, géte ne núc quidé omni parte pacata, secúda plia facta, Carthaginiésib. eodé anno C. obsides redditi. pacémq. cú iis. P. R. nó ab se tátú, sed ab rege etiá Masanissa pręstitit, qui tú pśidio armato agrú, qui in cótrouersia erat, obtinebat. Otiosam prouinciá Cos. habuerút. M. Bębius comitiorú caussa Romam reuocatus Coss. creauit: A. Postumiú Albinú Luscú, & C. Calpurniú Pisoné Prr. exinde facti Tib. Sépronius Gracc. L. Posthumius Albinus, P. Cornelius Mamercus, T. Minutius Molliculus, A. Hostilius Mácinus, C. Mænius ij omnes magistratú Idib. Martiis inierút Principio eius anni, quo A. Posthumius, & C. Calpurnius Piso Coss. fuerunt, ab A. Postumio Cos. in senatum introducti, qui ex Hispania citeriore venerát à Q. Ful. Flacco, L. Minutius legatus, & duo Trr. mil. T. Męnius, & L. Terétius Massaliota. hi cú duo secúda plia. deditioné Celtiberiæ, cófectá prouinciá nunciassét, nec stipédio quod mitti soleret, nec fruméto portato ad exercitum in eum annum opus esse, petierunt ab senatu primum, vt ob res psperè gestas diis immortalibus honos haberetur: deinde vt Q. Ful. decedéti de puincia, deportare inde exercitum, cui* forti opera & ipse, & multi ante eum Prr. vsi essét, liceret, quod fieri. pterquam quod ita deberet, etiá prope necessarium esset. ita enim obstinatos esse milites, vt non vltra retineri posse in prouincia viderentur, iniussúq. abituri inde essent, si non dimitterétur: aut in perniciosá, si quis impése retineret seditionem exarsuri. Coss. ambobus prouinciam Ligures esse senatus iussit. Prr. inde sortiti sunt: A. Hostilio vrbana, T. Minutio peregrina obuenit. P. Cornelio Sicilia, C. Mænio Sardinia: Hispanias sortiti, L. Posthumi* vlterioré Tib. Sépronius citeriorem. Is quia successurus Q. Fuluio erat, ne vetere exercitu prouincia spoliaretur: quæro, inquit, de te L. Minuti, cum cófectá prouinciá nunties, existiméśne Celtiberos perpetuo in fide másuros, ita vt sine exercitu ea prouincia obtineri possit? si neq. de fide barbarorum quicquá recipere aut affirmare nobis potes, & habédum illic vtique exercitum céses, vtrú tádé auctor senatui sis supplemétum in Hispaniá mittendi? vt ij modo, quib. emerita stipédia sint, milites dimittátur. veterib. militib. tyrones immisceantur? an deductis de prouincia veterib. legionib*

pus & loc⁹ postulabát, sine vlla trepidatione instruxit: cum his deditis rem esse admonés, scelus & perfidiam illis, nō virtutem nec animum accessisse. reditū ignobilem in patriā, clarū ac memorabile eos sibi fecisse: cruētos ex recēti cæde hostiū gladios, & manantia sanguine spolia, Romā ad triūphū delaturos. Plura dici tēpus nō patiebatur. instabant se hostes, & in partib. extremis iam pugnabatur: deinde acies concurrerūt. atrox vbiq. pugna, sed varia fortuna erat. egregiè legiones, nec segni⁹ duæ alę pugnabát. externa auxilia ab simili armatura, meliore aliquantū militū genere vrgebatur, nec locū tueri poterát. Celtiberi vbi ordinata acie & signis collatis se nō esse pares legionib. sēserant, cuneo impressioné fecerūt: quo tátum valent genere pugnę, vt quacunq. parte pellere impetu suo, sustineri nequeát. tunc quoq. turbatæ legiones sunt, ppè interrupta acies. Quā trepidatione vbi Flaccus conspexit, equo aduehitur ad legionarios equites: & ecquid auxilij in vobis est? actum iā de hoc exercitu erit. cum vndiq̃ acclamassét, quin ederet, q̃d fieri vellet, non segniter imperiū exsecuturos. Duplicate turmas, inquit, duarum legionum equites, & permittite equos in cuneum hostium, quo nostros vrgēt: id cum maiore vi equorū facietis, si effrenatos in eos equos immittitis, quod sæpe Ro. equites cum magna laude sua fecisse, memoriæ proditum est. Dicto paruerunt, detractisq. frenis bis vltro citroq. cum magna strage hostium infractis omnib. hastis trāscurrerunt. Dissipato cuneo, in quo omnis spes fuerat, Cel. trepidare, & ppè omissa pugna, locum fugæ circunspicere. Et alarij equites postquā Rom. equitum tam memorabile facinus videre, & ipsi virtute eorum accensi, sine vllo imperio, in pturbatos iā hostes equos immittunt. Tunc verò Cel. omnes in fugā effunduntur: & imper. Romanus auersos hostes contemplatus, ædem Fortunæ equestri, Iouiq. Opt. Max. ludos vouit. Cęduntur Cel. p totum saltum dissipati fuga. decem & septem mil. hostium cęsa eo die traduntur. viui capti plus tria millia, ducentis septuaginta septem cum signis militaribus equis propè mille centum, nullis castris eo die victor exercitus mansit. victoria non sine iactura militum fuit. quadringenti LXXII. milites Romani socium ac Latini nominis mille decem & nouem, cum his tria millia militum auxiliariorum perierunt. ita victor exercitus renouata priore gloria Tarraconem est perductus. Venienti Fuluio Tiber. Sempron. prætor, qui biduo ante venerat, obuiam processit: gratulatúsque est, quod rempublicā egregiè gessisset. cum summa cōcordia quos dimitterent, quósq. retinerent milites cōposuerunt. Inde Fului⁹ exauctoratis militibus in naues impositis, Romam est pfectus. Sempron. in Celtiberiam legiones duxit. Cos. ambo in Ligures exercitus induxerunt diuersis partib. Posth. prima & tertia legione Balistam Suismōtiumq. montes obsedit: & pmendo pręsidiis angustos saltus eorum, cómeatus intercludit inopiáq. omnium rerum eos pdomuit. Ful. secunda & quarta legione, adortus à Pisis Apuanos Ligures qui eorum circa Macram fluuium incolebát, in deditionem acceptos ad septem millia hominum in naues impositos, præter oram Hetrusci maris Neapolim trāsmisit. inde in Sāninm traducti, agérq. his inter populares datus est. Mōtanorum Ligurum ab A. Posth. vineæ cæsæ, frumentáq. deusta, donec cladib. omnib. belli coacti in deditionem venerunt, armáq. tradiderunt. Nauibus inde Posthumius ad visedá orá Ingaunorum Intemeliorumq. Ligurum pcessit. priusquam hi Cos. venirent ad exercitumq. qui Pisas inductus erat, præerant A. Posth. & frater Q. Fuluij M. Fuluius Nobili, secundæ legionis Fuluius tribunus militum erat. is mensib. suis dimisit legionem iureiurādo adactis centurionibus, æs in ærarium ad quæstores esse

A delaturos. Hoc vbi Placentiam (nam eo fortè erat pfectus) Ful. nuntiatum est: cum equitibus expeditis secutus dimissos, quos eorum potuit assequi, deduxit castigatos Pisas, de ceteris Cos. certiorem fecit. eo referente S.C. factum est, vt M. Fuluius in Hispaniam relegaretur vltra nouā Carthaginem. Literæq. ei datę sunt à Cos. ad P. Manlium in Hispaniam vlteriorem deferendæ. milites iussi ad signa redire. causa ignominiæ, vti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni, decretum. qui miles ad exercitum non redisset, eum ipsum, bonáq. eius vendere Cos. iussus. Eo-B dem anno L. Duronius, qui prætor anno superiore ex Illyrico cum decem nauib. Brundusium redierat: inde in portu relictis nauib. cum venisset Romā, inter exponendas res quas ibi gessisset, haud dubié in regem Illyriorum Gentium latrocinij omnis maritimi caussā auertit. ex regno ei⁹ omnes naues esse, quę superi maris oram depopulatę essent. de his reb. se legatos misisse, nec conueniendi regis potestatem factam. Venerant Romam legati à Gentio, qui quo tempore C Rom. cōueniendi regis caussa venissent, ægrum fortè eum in vltimis partibus fuisse regni dicerent. petere Gentium ab senatu, ne crederent confictis criminib. in se, quę inimici detulissent. Ad ea Duronius adiecit, multis ciuib. Romanis & sociis Latini nominis iniurias factas in regno ei⁹, & ciues Romanos dici Corcyræ retineri. eos omnes Romā adduci placuit. C. Claudium prætorem cognoscere: neq. ante Gentio regi legatisve ei⁹ responsum reddi. Inter multos alios, quos pestilētia eius anni absumsit, sacerdo-D tes quoque aliquot mortui sunt. L. Valerius Flaccus pōtifex mortuus est. in ei⁹ locum suffectus est Q. Fabius Labeo. P. Manlius, qui nuper ex vlteriore Hispania redierat, triumuir epulo, Q. Fuluius, M.F. in locū eius triumuir cooptatus. tum prætextatus erat. de rege sacrificio sufficiendo in locum C. Cornelij Dolabellæ cōtentio inter C. Seruilium Pont. Max. fuit, & L. Cornelium Dolabellam duumuirum naualem, quem vt inauguraret pōtifex, magistratu sese abdicare iubebat, recusantiq. id facere: ob eam rē mulcta duumuiro dicta à pontifice, déque ea cū prouocasset, E certatum ad populū. cum plures iam tribus intro vocatæ dicto esse audientem pōtifici duumuirum iuberent, mulctámq. remitti, si magistratu se abdicasset: vitium de cœlo quod comitia turbaret interuenit. religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dollabellæ. P. Clœlium Siculum inaugurarūt. qui secundo loco inauguratus erat. Exitu anni & C. Seruilius Geminus Pon. Max. decessit. idem decemuir sacrorū fuit. pōtifex in locum ei⁹ à collegio cooptatus est Q. Ful. Flaccus: in pontificem maximū Æmylius Lepidus, cum multi clari viri petissent. & decemuir sacrorum Q. F Martius Philippus in eiusdem locū est cooptatus, & augur Sp. Posth. Albinus decessit in locum eius. P. Scipionem filium Africani augures cooptarunt. Cumanis eo anno petentib. pmissum, vt publicè Latinè loquerentur, & præconib. Latine vēdendi ius esse. Pisanis agrū pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ. triumuiri creati ad eā rē Q. Fabius Buteo, M. & P. pop. Lenates. A. C. Mænio prætore, cui prouincia Sardinia cum euenisset, additum erat, vt quęreret de veneficiis lōgius ab vrbe de-G cem millib. passuū: literæ allatæ, se iā tria millia hominum dānasse, & crescere sibi quęstionem indiciis. aut eam sibi esse defendendam aut pinciā dimittēdā. Q. Ful. Flacc⁹ ex Hispania rediit Romā cū magna fama gestarū rerū, quod cū extra vrbē triūphi caussa esset, Cos. est creat⁹ cū L. Mālio Acidino. & post paucos dies cū militib. quos secū deduxerat, triumphās vrbē est inuect⁹. Tulit in triūpho coronas centum viginti quatuor: præterea auri pōdo triginta vnū, & signati Oscēsis nūmū cētū septuaginta tria millia ducen-

fugerēt:ipſe intrā vallum ad omnes portas inſt uxit
copias. Haud multū tēporis intercellit,cū ex cōpoli-
to refugientium ſuorum agmē, poſt effuſe ſequētes
barbaros conſpexit,inſtructā ab hoc ipſū intra vallū
habebat aciē.itaq.tantū moratus,vt ſuos refugere in
caſtra libero introitu ſineret,clamore ſublato, ſimul
omnib.portis erupit.Nō ſuſtinuere impetū nec opi-
natū hoſtes:qui ad caſtra oppugnāda venerāt,ne ſua
quidē tueri potuerunt. nā extēplo fuſi,fugati, mox
intra vallū pauentes cōpulſi,poſtremo exuuntur ca-
ſtris.Eo die nouē millia hoſtiū cęſa:capti viui trecēti
viginti,equi cētūduodecim,ſigna militaria triginta
ſep ē.De exercitu Romano centū nouem ceciderūt.
Ab hoc prælio Gracchus duxit ad depopulādū Cel-
tiberiam legiones.& cum ferret paſſi cuncta, atque
ageret,populiq. alij volūtate, alij metu iugū accipe-
rēt,CIII.oppida intra paucos dies in deditionem ac-
cepit.præda potitus ingenti eſt.Cōuertit inde agmē
retro,vnde venerat ad Alcen,atq.eā vrbē oppugnare
inſtitit. Oppidani primum impetū hoſtium ſuſtinue
rūt,deinde cū iam nō armis modo,ſed etiā operibus
oppugnarētur,diffiſi pręſidio vrbis in arcem vniuerſi
cōceſſerūt:poſtremo & inde præmiſſis oratoribus in
ditionē ſe ſuāq.omnia Romanis permiſerūt.Magna
inde p̄da facta eſt:multi captiui nobiles in poteſtatē
venerunt:inter quos & Thurri filij duo,& filia.Regu-
lus hic earum gētium erat, lōge potētiſſimus omniū
Hiſpanorum.Audita ſuorum clade,miſſis qui fidem
venienti in caſtra ad Gracchū peterēt, venit.& primū
quęſiuit ab eo ne liceret ſibi ac ſuis viuere?cum prę-
tor victurum reſpōdiſſet:quęſiuit iterum,ſi cum Ro-
manis militare liceret?id quoq.Gracchо permittēte,
Sequar,inquit.vos aduerſus veteres ſocios meos,qm̄
illos ad me * propiuut ſuſpicere. Sequutus eſt inde
Romanos, fortiq.ac fideli opera multis rē Romanā
adiuuit.Ergauia inde nobilis,& potens ciuitas, alio-
rū circa populorum cladibus territa, portas aperuit
Romanis: eā deditionem oppidorum haud cum fi-
de factā,quidā auctores ſunt.e qua regione abduxiſ-
ſet legiones extēplo inde rebellatum,magnoq. eum
poſtea p̄lio ad mōtē Chaunum cum Celtiberis,à pri-
ma luce ad ſextā horā, diei, ſignis collatis pugnaſſe?
multos vtrinq.cecidiſſe,nec aliud magnopere victo-
res fuiſſe Romanos,niſi ꝙ poſtero die manētes intra
vallum p̄lio laceſſierint: ſpolia per totā diē legiſſe.
tertio die p̄lio maiore iterum pugnatum:& tum de-
mum haud dubiè victos Celtiberos, caſtraq.eorum
capta & direpta eſſe. viginti duo millia hoſtium eo
die eſſe cęſa,plus trecētos captos:parē ferè equorum
numerum:& ſigna militaria ſeptuaginta duo: inde
debellatum,verāq. pacē nō fluxa, vt ante,fide Celti-
beros feciſſe.Eadē ęſtate & L.Poſthumiū in Hiſpania
vlteriore bis cum Vacceis egregiè pugnaſſe ſcribūt.
ad triginta & quinq. mil.hoſtium occidiſſe,& caſtra
oppugnaſſe.Propius verò eſt, ſerius in p̄uinciā pue-
niſſe,quā vt ea ęſtate potuerit res gerere.Cēſores fide
li cocordia ſenatum legerunt. Princeps elect9 eſt ip-
ſe Cēſor M.Æmyli9 Lepid9 Pōt.Max.tres eiecti de ſe-
natu.retinuit quoſdā Lepid9 à collega p̄teritos Ope-
rę pecunia attributa diuiſaq.inter ſe,hęc cōfecerunt.
Lepidus molē ad Tarracinam, ingratum opus, ꝙ p̄-
dia habebat ibi, priuatamq. publicę rei impenſam
inſuerat.Theatrum & p̄ſcenium ad Apollinis ędem
Iouis in Capitolio, columnāſque circa poliendas
albo locauit.& ab his columnis,quę incommodè
oppoſita videbantur ſigna amouit:clypeaque de co-
lumnis, & ſigna militaria affixa omnis generis
demſit. M.Fuluius plura, & maioris locauit vſus.
portum,& pilas pontis in Tyberim,quibus pilis for-
nices poſt aliquot annos P.Sipio Africanus,& L.Mū-
mius cenſores locauerūt imponēdos:baſilicam poſt

A argentarias nouas,& forum piſcatorium circūdatis
tabernis,quas vēdidit in priuatum. & forum & por-
ticū extra portā Trigeminā,& alia poſt naualia,& ad
fanū Herculis,& poſt ſpei ad Tyberim, ędē Apollinis
medici. habuere & in p̄miſcuo prætores pecuniam:
ex ea cōmuniter locarūt aquā adducēdā, fornicēſq.
faciendos impedimēto operi fuit M. Licinius Craſſus,
q. per fundum ſuū duci nō eſt paſſus.Portoria quoq.
& vectigalia iidē multa inſtituerūt. cōplura ſacella
publicaq. occupata à priuatis, publicāq. ſacra,vt pa-
B terēt,eſſentq. populo,curarūt.mutarunt ſuffragia:re-
gionatimq.generib.hominū cauſſiſq. & quæſtib.tri-
bus deſcripſerunt.Et alter ex cēſorib.M.Æmyli9 pe-
tiit ab ſenatu, vt ſibi dedicationis tēplorum reginæ
Iunonis & Dianæ, quæ bello Liguſtino ante annis
octo vouiſſet,pecunia ad ludos decerneretur.viginti
millia æris decreuerūt.Dedicauit eas ædes vtraq.in
circo Flaminio. ludóſq.ſcenicos triduū poſt dedica-
tionē tēpli Iunonis,biduum poſt Dianæ,& ſingulos
dies fecit in circo.Idē dedicauit ędē Lariū p̄marinū
C in cāpo.vouerat eam annis quadraginta ante L.Æ-
mylius Regillus, nauali p̄lio aduerſus p̄fectos regis
Antiochi. ſupra valuas tēpli tabula cum titulo hoc
fixa eſt: * Duello magno regib.dirimēdo caput ſubi-
gēdis patrandæ pacis hæc pugna exeunti L.Æmylio
M.Æmyl.filio, auſpicio,imperio, felicitate ductuq.
eius inter Epheſum Camuchúmque inſpectāte Coſ.,
ipſo Antiocho,exercitu omni,equitatu,elephantiſq.
claſſis regis Antiochi antea ſic victa fuſa,contuſa,fu-
gataq. eſt:ibiq.eo die naues lōgæ cum omnib.ſociis
D captæ quadraginta duæ. ea pugna pugnata rex An-
tiochus,regnúmque eius.Ei9 rei ergo ædem Laribus
p̄marinis vouit. Eodem exemplo tabula in æde Io-
uis in Capitolio ſupra valuas fixa eſt.Biduo quo ſe-
natum legerunt cēſores, Q.Ful.Coſ. p̄fectus in Li-
gures per inuios mōtes valleſq. ſaltus cum exercitu
trāſgreſſus,ſignis collatis cum hoſte pugnauit: neq.
tātū acie vicit, ſed caſtra quoq. eodē die cepit.Tria
mil. ducēti hoſtiū, omniſq. ea regio Ligurū in deditionē
tionē venit.Coſ.deditos in Cāpeſtreis agros deduxit,
E p̄ſidiáq.mōtib.impoſuit. Celeriter & ex p̄uincia li-
teræ Romam venerunt. ſupplicationes ob ea res ge-
ſtas in triduum decretæ ſunt. Prætores quadraginta
hoſtiis maioribus p ſupplicationes rem diuina fece-
runt.Ab altero Coſ. L.Mālio nihil memoria dignum
in Ligurib. eſt geſtum. Galli tranſalpini tria millia
hominum in Italiam tranſgreſſi, neminem bello la-
ceſſentes,agrum à Coſ. & ſenatū petebant, vt pacati
ſub imperio P. R. eſsēt.eos ſenatus excedere Italia
iuſſit, & Coſ.Q. Fuluium quęrere,& animaduertere
F in eos q principes & auctores trāſcēdendi Alpes fuiſ-
ſent. Eodem anno Philippus rex Macedonum ſenio
& mœrore cōſumtus, poſt mortem filij deceſſit.De-
metriade hybernabat, cū deſiderio anxius filij,tū pœ-
nitētia crudelitatis ſuę,q̄ ſtimulabat animū: & alter
fili9 haud dubiè & ſua & aliorū opinione rex,conuer-
ſiq. in eū omniū oculi,& deſtituta ſenectus.aliis ex-
ſpectātibus ſuā mortē.aliis ne exſpectātib.q dē quo
magis angebatur:& cū eo Antigonus Echecratis fili9.
nomē patrui Antigoni ferēs q tutor Philippi fuerat,
G regiæ vir maieſtatis,nobili etiā pugna aduerſus Cle-
omenē Lacedæmonium clarus.tutorē eum Græci,vt
cognomine à ceteris regib.diſtinguerēt,appellarunt.
Huius fratris filius Antigonus ex honoratis Philippi
amicis vn9 incorrupt9 p̄manſerat: eiq.ea fides nequaq̄
amicū Perſea,inimiciſſimum fecerat.is p̄ſpiciēs ani-
mo,quāto cū periculo ſuo hereditas regni venturæ
eſſet ad Perſea vt primum labare animum regis &
ingemiſcere interdum filij deſiderio ſēſit nunc præ-
bendo aures , nunc laceſſendo etiā mentionē rei te-
merè actę,ſepè querenti querens & ipſe aderat,& cū

multa adsoleat veritas præbere vestigia sui omni ope adiuuabat, quo matuři omnia emanarēt. Suspecti & ministri facinoris, Apelles maximè, & Philocl. erāt, q Romā legati fuerāt, literasq. exitiales Demet. sub nomine Flaminini attulerāt, eas falsas esse, & à scriba vitiatas, signūm q. adulterinū, vulgo in regia fremebāt. Ceterum cū suspecta magis q̄ manifesta esset res, forte Xychus obuius fit Antigono: cōphēsúsq. ab eo in regiā est pductus. relicto eo custodib. Antigonus ad Philippū pcessit: Multis inquit sermonib. intellexisse videor magno te æstimaturū, si circa vera omnia possis de filiis tuis vter ab vtro petit⁹ fraude & insidiis esset. homo vn⁹ omnium, qui nodū huis erroris exsoluere possit, in potestate tua est Xych. fortè vocatū pductūque in regiam, vocari iuberet. Adductus, prima ita negare incōstāter, vt paruo metu admoto, paratū indicē esse appareret, cōspectū tortoris verberúmq. nō sustinuit: ordinemq. omnē facinoris legatorū ministeriiq. sui exposuit. Extēplo missi q legatos cōphenderent. Philoclē, q præsēs erat, oppresserūt. Appelles missus ad Chereā quēdā psequēdū, indicio Xychi audito in Italiā traiecit. De Philocle nihil certi vulgatū est. alij primo audacter negātē, postq̄ in cōspectū adductus sit Xychus, nō vltra tetēdisse alij tormēta etiā inficiātē ppessū affirmāt. Philippo redintegratus est luctus, geminatúsq. & infelicitatem suā in liberis grauiorē, q alter perisset, cēsebat. Perseus certior fact⁹ omnia detecta esse, potētior quidē erat, q̄ vt fugā necessariā duceret: tātū vt pcul abesset: curabat: interim velut ab incēdio flagrātis iræ, dū Philippus viueret, se defēsur⁹. qui spe potiūdi ad pœnā corporis eius amissa, q reliquū erat, id studere, ne super impunitatē etiā pmio sceleris frueretur. Antigonū igitur appellat, cui ad palā facti parricidij gratia obnoxius erat, neq. padēdū aut pœnitēdū cū regē Macedon. ppter recē ē patrui Antigoni gloriā fore cēsebat. Quādo in eā fortunā veni, inquit, Antigone, vt orbitas mihi, q̄ alij detestātur parētes, optabilis esse debeat: regnū q à patruo tuo forti, nō solū fideli tutela eius custoditū & auctū etiā accepi: id tibi tradere in animo est. Te vnū habeo quē dignū regno iudicē, si neminē haberē, perire & exstingui id mallē, quā Perseo scelestæ fraudis præmium esse. Demetriū excitatū ab inferis, restitutúmq. credā mihi, si te, q morti innocētis, q meo infelici errori, vnus inlacrymasti, in locū eius substitutū relinq̄. Ab hoc sermone omni genere honoris pducere eū nō destitit, cū in Thracia Perse⁹ abesset: circūire Macedoniæ vrbes, principibusq. Antigonum cōmēdare, & si via lōgior suppetisset, haud dubiū fuit, quin eum in possessione regni relicturus fuerit. Ab Demetriade pfect⁹, Thessalonicæ plurimū tēporis moratus fuerat. inde cū Amphipolim venisset, graui morbo est implicitus. Sed animo tñ ægrū magis fuisse q̄ corpore cōstat: curisq. & vigiliis, cū identidem species & vmbræ insōtis interemti filij cū diris agitarēt, exstinctū esse cū execrationib. alterius admoueri tñ potuisset Antigonus, si haud statim palā facta esset mors regis. Medicus Calligenes, qui curationi præerat, nō exspectata morte regis, à primis desperationis notis nūtios pdispositos, ita vt conuenerat, misit ad Perseū: & mortē regis in aduentū eius oēs q extra regiā erāt cælauit. Oppressit igit opinātis gnarosq. oēs Perse⁹, & regnū scelete partū inuasit. Peropportuna mors Philippi fuit ad dilationē & ad vires bello cōtrahendas nā post paucis dieb. gēs Bastarnarum diu sollicitata ab suis sedib. magna peditū equitúmq. manu Istrum traiecit. inde pgressi q nuntiarēt regi, Antigonus & Cotto. nobilis erat Bastarna. de ea re Antigonus sæpe intuitus cum ipso Cottone legatus ad concitādos Bastarnas missum haud pcul Amphipoli famæ icerti nūtio occurrerūt mortuū esse

A regem. quæ res oēm ordinē cōcilij turbauit. Cōpositū autē sic fuerat: trāsitū p Thraciā tutū, & cōmeatus Bastarnis, vt Philipp. pstaret, id vt facere posset regionū principes donis coluerat, fide sua obligata: pacato agmine trāsituros Bastarnas. Dardanorū gentē delere ppositū erat, inq. eorū agro sedes dare Bastarnis. duplex inde erat cōmodū futurū, si & Dardani, gēs sēp infestissima Macedoniæ tēporibusq. iniquis regū imminēs, tolleretur: & Bastarnæ relictis in Dardania cōiugib. liberisq. ad populādā Italiā possēt mitti. per Scordiscos iter esse ad mare Adriaticum Italiamque

B alia via traduci exercitum nō posse, facile Bastarnis Scordiscos iter daturos. nec. n. aut lingua aut morib. æquales abhorrere. & ipsos adiūcturos se, cū ad pdā opulētissimæ gentis ire vidissēt. Indę in omnē euentū consilia cōmodabantur. siue cæsi ab Romanis forēt Bastarnæ Dardanos tamē sublatos prędámq. ex reliquiis Bastarnarum, & possessionē liberā Dardaniæ, solatio fore. siue pspere gessissent: Romanis auersis in Bastarnarū bellū, recuperaturū se in Græcia quæ

C amisisset. Hęc Philippi cōsilia fuerant. Ingressi sunt pacato agmine. fide Cottonis & Antigonis: sed haud multo post famā mortis Philippi, neq. Thraces commercio faciles erant, neq. Bastarnæ emto cōtenti esse poterant, aut in agmine contineri, ne decederēt via. Inde iniuriæ vltro citróq. fieri: quarū indies incremēto bellum exarsit. Postmo Thraces, cum vim ac multitudinem sustinere hostiū nō possent, relictis cāpestribus vicis in montē ingētis altitudinis (Donucam vocant) concesserunt. Quò vbi ire Bastarnæ vellent:

D quali tēpestate Gallos spoliātes Delphos fama est perētos esse, talis tū Bastarnas nequicq̄ ad iuga mōtiū appropinquantes oppressit. Neq; enim imbre tantum effuso, dein creberrima grandine obruti sunt, cū ingēti fragore cœli tonitribusq. & fulguribus præstringētibus aciem oculorū: sed fulmina etiā sic vndiq. micabāt, vt peti viderentur corpora: nec solū milites, sed etiā principes icti caderēt. itaque cum præcipiti fuga per rupes praltas, im pudi sternerētur ruerentq. instabāt qdē perculsis Thraces: sed ipsi deos auctores

E fugæ esse, cœlúmq. in se ruere aiebāt. Dissipati procella, cū tāquā ex naufragio pleriq. semiermes in castra vnde pfecti erāt, redissent, cōsultari quid agerent cœptum. inde orta dissēsio: alijs redeundū, aliis penetrandū in Dardaniā cēsentibus. Triginta ferme millia hominū (Clōdico duce profecti erant) peruenerunt. cetera multitudo retro qua venerat, transdanubianā regionē repetiit. Perse⁹ potit⁹ regno, interfici Antigonū iussit. & dū firmaret res, legatos Romā ad amicitiā paternā renouādam, petendúmq. vt rex

F ab senatu appellaretur, misit. Hęc eo āno in Macedonia gesta. Alter cōsulū, Q. Fuluius ex Liguribus triūphauit. quē triumphum magis gratiæ, quam rerū gestarum magnitudini datū constabat. Armorū hostiliū magnā vim transtulit: nullā pecuniam admodū. diuisit tamē in singulos milites tricenos æris, duplex cēturionib. triplex equiti. Nihil in eo triūpho magis insigne fuit, quā q forte euenit, vt eodē die triūpharet, quo priore anno ex ptura triūphauerat. Secundū triumphū comitia edixit, quib. creati Coss. sunt M.

G Iunius Brutus. A. Manlius Volso Prętorum inde trib. creatis, comitia tēpestas diremit. postero die reliqui tres facti, ante diē quartum Idus Martias, M. Titinius Curuus, T. Claudi⁹ Nero, T. Fōteius Capito. Ludi Romani instaurati ab ædilib. curulib. Cn. Seru. Cępione, Ap. Claudio Cētone, ppter pdigia quę euenerāt. Terra mouit, in foris publicis, vbi lectisternium erat: deorū capita, q in lectis erāt, auerterūt se, lanaq. cū in tegumētis, quę Ioui opposita fuit, decidit. de mēsa oleas quoq. pgustasse mures, in pdigiū versū est. Ad ea expiāda nihil vltra q̄ vt ludi instaurarētur, actum est.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS QVINTAE

LIBER PRIMVS.

Acephalus

* *

à patre in pace habitam armasse, eóque iuuentuti prædandi cupidæ pergratus esse dicebatur. Consilium de Histrico bello cum haberet consul, alij gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent, alij consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, quæ diem nom proferebat. Profectus ab Aquileia consul, castra ad lacum Timaui posuit. Imminet mari is lacus Eodem decem nauibus C. Furius duumuir naualis venit. Aduersus B Illyriorum classem creati duumuiri nauales erant, qui tuendam viginti nauibus mari superiore Anconam velut cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra littora vsque ad Tarétum. C. Furius læua vsque ad Aquileiam tueretur. Eę naues ad proximum portum in Histriæ fines cum onerariis & magno commeatu missæ, secutusque cum legionibus consul, quinque fermè millia mari posuit castra. In portu emporium breue perfrequens factum. omniaque hinc in castra supportabantur: & quo id tu- C tius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circundatę sunt: in Histriáque suum præsidium statiuum, repentina cohors Placentina interposita inter mare & castra. & vt idem aquatoribus ad fluuium esset præsidium, M. Ebutius tribunus millitum secundæ legionis duos manipulos militum adiicere iussus est. T. & C. Ælij tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, via quæ Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum: Car- D melus pro regulo erat tribus aut amplius millibus armatorum. Histri vt primum ad lacum Timaui castra sunt Romana mota, ipsi post collem occulto loco consederunt: & inde obliquis itineribus agmē sequebantur, in omnem occasionem intenti: nec quicquam eos quæ terra marique agerentur, fallebat. postquam stationes inualidas esse pro castris, eorum turba inermis frequens inter castra & mare mercantium, sine vllo terrestri aut maritimo munimento viderunt, duo simul præsidia, Placentinæ co- E hortis, & manipulorum secundæ legiones aggrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum: qua dilabante ad primum teporem solis, per lucens iam aliquid, incerta tamen vt solet lux speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo maiorem iis quā erat hostium aciem ostendit: qua territi vtriusque stationis milite ingenti tumultu cum in castra confugissent, haud paulo ibi plus quam quod secum ipsi attulerāt, terroris fecerunt. Nam neque dicere quid fugissent,

A nec percontantibus reddere responsum poterant: & clamor in portis, vt ibi nulla esset statio quæ sustinerent impetum, audiebatur: & cócursatio in obscuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hostis intra vallū esset. Vna vox audiebatur, ad mare vocantiū. Id fortè temerè ab vno exclamatū. totis passim personabat castris. Itaq. primo velut iussi id facere, pauci armati, maior pars inermes, ad mare decurrūt: dein plures, postremo propè omnes: & ipse consul, cum frustra reuocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus ad extremum valuisset vnus remansit. M. Licinius Strabo tribunus militum tertiæ legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc in vacua castra impetu facto Histri, cum alius armatus iis nemo obuiam isset, in prætori instruentem atque adhortantem suos, oppresserunt. Prælium atrocius quàm pro paucitate resistētium fuit: ne ante finitum est, quam tribunus militum; quique circa eum constiterant. interfecti sunt. Prætorio deiecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæstorium forum, quitanámque hostes peruenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expositámque copiam, & stratos lectos in quęstorio inuenissent, regulus accubans epulari cœpit: mox idem ceteri omnes armorum hostiúmque obliti faciūt: & vt quibus insuetus liberalior victus esset, auidius vino cibóque corpora onerāt. Nequaquam eadé est tum rei forma apud Romanos: terra mari trepidatur. nautici tabernacula detendunt, cómeatúmque in littore expositum in naues rapiunt. milites in scaphas & mare territi ruunt. nautę metu ne compleantur nauigia, alij turbæ obsistunt, alij ab littore naues in altum expellunt: inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus & cæde inuicem militum nautarúmque oritur: donec iussu consulis procul à terra classis summota est. Secernere inde inermes ab armatis cœpit. vix M C C. ex tanta multitudine qui arma haberent, perpauci equites qui equos secum eduxissent, inueniti sunt: cetera deformis turba, velut lixarum calonúmque, præda vere futura, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuntius ad tertiā legioné reuocandā & Gallorum præsidium opprimendum venit: & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendámque ignominiam redire cœptum est. Tribuni militum tertiæ legionis pabulum lignáq. proiicere iubent. centurionibus imperant, vt grauiores ætate milites binos in ea iuméta ex quibus onera deiecta erant, imponant: equites vt singulos è iuuenibus pedites secum in equos tollant. egregiam gloriam legionis fore, si castra metu secūdanotū amissa, suę

virtute recipiant: & recipi facile esse, si in præda occupati barbari subito opprimantur: sicut ceperint, posse capi. Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa: nec signiferos armati morantur. priores tamen consul copiæque, quæ à mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius tribunus primus secundę legionis non hortabantur modo milites, sed docebat etiam: si victores Histri, quibus armis cepissent castra iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse: deinde stationes certè pro vallo habituros: vino somnóque verisimile esse mersos iacere. Sub hæc A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signũ iussit. Ille si vnum se sequerentur, quo celerius fieret, facturum dixit: connixúsque cũ trans vallum signum traiecisset, primus omnium portam intrauit. Et parte alia T. & C. Ælij Trr. mil. tertiæ legionis cum equitatu adueniunt: confestim & quos binos oneraria in iumenta imposuerant secuti, & Cos. cum toto agmine. At Histrorum pauci, qui modicè vinosi erant, memores fuerunt fugæ: aliis somno mors continuata est, integráque sua omnia Romani, præterquã quid vini cibique absumtum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquam intra vallum suos senserunt, armis arreptis cædem ingentẽ fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popilij equitis: Sabello cognomẽ erat, is pede saucio relictus, longe plurimos hostium occidit. Ad octo millia Histrorum sunt cæsa, captus nemo: quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. Rex tamen Histrorum temulẽtus ex conuiuio raptim à suis in equum impositus fugit. ex victoribus CCXXXVII. milites perierunt: plures in matutina fuga, quã in recipiẽdis castris. Forte ita euenit, vt Cn. & L. Gauillij, nouelli Aquileiẽses cum commeatu venientes, ignari prope in capta castra ab Histris inciderent. Ij cùm Aquileiam relictis impedimentis refugissent, omnia terrore ac tumultu, non Aquileiæ modo, sed Romæ quoque post paucos dies impleuerunt: quo nõ capta tãtum castra ab hostibus, nec fuga quæ vera erat, sed perditas res, deletumq. exercitum omnẽ allatũ est. Itaq. quod in tumultu fieri solet, delectus extra ordinem, non in vrbe tãtum, sed tota Italia indicti. Duæ legiones ciuium Romanorum cõscriptæ, & decem millia peditum cum equitibus D. sociis nominis Latini imperata. M. Iunius cõsul transire in Galliã, & ab ciuitatibus prouinciæ eius, quãtum quæq. posset, militũ exigere iussus. Simul decretum, vt T. Claudius prætor militibus legionis quartæ, & socium Latini nominis V. millibus, equitum CC L. Pisas vt conuenirent, ediceret: eámque prouinciam dum consul inde abesset, tutaretur. M. Titinius Pr. legionem primã, parem numerum sociorum peditum equitumque Ariminum conuenire iuberet. Nero paludatus Pisas in prouinciam est profectus. Titinius C. Cassio Tr. mil. Ariminum, qui præesset legioni misso, delectum Romæ habuit. M. Iunius COS. ex Liguribus in prouinciam Galliam transgressus auxiliis protinus per ciuitates Galliæ, militibúsque colonis imperatis Aquileiam peruenit. Ibi certior factus exercitum incolumem esse, scriptis literis Romam, ne tumultuaretur, ipse remissis auxiliis, quæ Gallis imperauerat, ad collegã est profectus. Romę magna ex nec opinato lætitia fuit, delectus omissus est, exauctorati qui sacramẽto dixerant, & exercitus, qui Arimini pestilentia effectus erat, domum dimissus. Histri magnis copiis cum castra haud procul consulis castris haberent, postquam alterum consulem cum exercitu nouo aduenisse audierunt, passim in ciuitates dilapsi sunt. consules Aquileiam in hyberna legiones reduxerunt. Sedato tãdem Histrico tumultu S.C. factum est, vt COSS. inter se compararent vter eorum ad comitia habẽda Romã rediret. Cùm absentem Manlium Tr. pl. A. Licinius Nerua, & C. Papyrius Turdus in concionibus lacerarent rogationẽmq. promulgarent, ne Manlius post Idus Martias (prorogatæ namque consulibus iam in annum prouinciæ erant) imperium retineret, vti caussam extemplo dicere, cum abisset magistratu, posset: huic rogationi Q. Ælius collega intercessit, magnisque contentionibus obtinuit ne perferretur. Per eos dies Tib. Sempronius Gracchus, & L. Posthumius Albinus, ex Hispania Romã cum reuertissent, senatus iis à M. Titinio Pr. datus in æde Bellonæ ad disserendas res quas gessissent, postulãdósque honores meritos, vt diis immortalibus haberetur honos. Eodem tempore & in Sardinia magnum tumultum esse, literis T. Ebutij Pr. cognitum est, quas filius ad senatum attulerat. Ilienses adiunctis Balarorum auxiliis pacatam prouinciam inuaserant: nec eis inualido exercitu, & magna parte pestilentia absumto, resisti poterat. Eadẽ & Sardorum legati nuntiabant, orãtes vt vrbibus saltẽ (iam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret. Hæc legatio totumq. quod ad Sardiniam pertinebat, ad nouos magistratus reiectum est. Æquè miserabilis legatio Lyciorum, qui crudelitatẽ Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, querebantur, fuisse sub ditione Antiochi: eam regiã seruitutẽ collatam cùm presenti statu, præclaram libertatẽ visam. Nõ publico tantum se premi imperio, sed singulos iustum pati seruitium: iuxta se cõiuges liberósq. vexari: in corpus, in tergum sæuiri: famã ꝗ indignum sit, maculari dehonestariq. & palam res odiosas fieri, iuris etiam vsurpandi caussa, ne pro dubio habeant, nihil inter se & argento parata mancipia interesse. Motus his senatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit: nec vllos alicui, quã qui nati liberi sint, in seruitutẽ dari placere. Lycios ita sub Rhodiorum simul imperio & tutela esse, vt in ditione P. R. ciuitates sociæ sint. Triũphi deinde ex Hispania duo continui acti. Prior Sẽpronius Gracchus de Celtiberis sociisq. eorum: postero die L. Posthumius de Lusitonis, aliisq. eiusdem regionis Hispanis triumphauit. XL. millia põdo argenti Tib. Gracchus transtulit, XX. millia Albinus. Militibus denarios quinos vicenos, duplex cẽturioni, triplex equiti, ambo diuiserunt: sociis tantundẽ quantum Romanis. Per eosdem forte dies M. Iunius Cos. ex Histria comitiorum caussa Romam venit. Eum cum in senatu fatigassent interrogationibus Tr. pl. Papyrius & Licinius, de his quæ in Histria essent acta, in cõcionem quoque produxerunt. Ad quę cum consul, se dies non plus XI. in ea prouincia fuisse, responderet: quæ se absente acta essent, se quoque vt illos, fama cõperta habere: exsequebantus deinde, querentes, quod ita non potius A. Manlius Romam venisset, vt rationem redderet P. R. cur ex Gallia prouincia, quam sortitus esset, in Histriam transisset: quando id bellum senatus decreuisset, quando id bellum P. R. iussisset. At hercule priuato quidem consilio bellum susceptum esse, sed gestum prudenter fortitérque. Imò vtrum susceptum sit nequius, an inconsultius gestum dici non posse. Stationes duas nec opinantes ab Histris oppressas, castra Romana capta, quod peditum, quod equitum in castris fuerit, ceteros inermes fusósque ante omnes consulem ipsum ad mare ac naues fugisse. priuatum rationem redditurum earum retũ esse, quoniam

niam noluisset. Comitia deinde habita: Consules creati C. Claudius Pulcer, Tib. Sempronius Gracchus. Et postero die prætores facti, P. Ælius Tubero iterum, C. Quintius Flamininus, C. Numisius, C. Mummius, Cn. Cornelius Scipio, C. Valerius Læuinus. Tuberoni vrbana iurisdictio, Quintio peregrina euenit, Numisio Sicilia, Mummio Sardinia. sed ea propter belli magnitudinem prouincia consularis facta. Gracchus eam sortitur, Histriam Claudius, Scipio & Læuinus Galliam in duas diuisam prouincias sortiti sunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiúsque consulatum inierunt, mentio tantum de prouinciis Sardinia Histriáque & vtriusque hostibus fuit, qui in his prouinciis bellum conciuissent. Postero die legati Sardorum, qui ad nouos magistratus delati erant, L. Minutius Thermus, qui legatus Manlij consulis in Histria fuerat, in senatum venit. Ab his edoctus est senatus, quantum belli eæ prouinciæ haberent. Mouerunt senatum & legationes socium nominis Latini, quę & censores & priores consules fatigauerunt, tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat, ciues suos Romæ censos plerosque Romam commigrasse, quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, vt deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent. Fregellas quoque millia IIII. familiarium transisse ab se Samnites Pelignique querebantur: neque eo minus aut hos aut illos in delectum militum dare. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim ciuitatis inducta erant. Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, vt ciues Romani fierent. Ea lege malè vtendo, alij sociis, alij populo Romano iniuriam faciebant. Nam & ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam conditionem vt manumitterentur, mancipia dabant, libertinique ciues essent: & quibus stirpes adesset quam relinquerent, vt ciues Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus iuris spretis, promiscuè sine lege, sine stirpe, in ciuitatem Romanam per migrationem & censum transibant. Hæc ne postea fierent, petebant legati, & vt redire in ciuitates iuberent socios. deinde vt lege cauerent, ne quis quem ciuitatis mutandæ caussa suum faceret, néve alienaret: & si quis ita ciuis Rom. factus esset, ciuis non esset. Hæc impetrata ab senatu. Prouinciæ deinde quæ in bello erant, Sardinia atque Histria decretæ. in Sardiniam duæ legiones scribi iussæ: quina millia in singulas, & duceni pedites, treceni equites, & duodecim millia peditũ sociorũ ac Latini nominis, & DC. equites, & X. quinqueremes naues, si deducere ex naualibus vellet. Tantundem peditum equitúmque in Histriam quantum in Sardiniam decretum. Et legionem vnam cum equitibus CCC. & quinque millia peditum sociorum, & CCL. mittere equites in Hispaniam consules ad M. Titinium iussi. Priusquam consules prouincias sortirentur, prodigia nũciata sunt: lapidem in agro Crustumino in lacum Martis de cœlo cecidisse. puerum trunci corporis in agro Romano natum, & quadrupedem anguem visum, & Capuæ multa in foro ędificia de cœlo tacta: & Puteolis duas naues fulminis ictu concrematas esse. Inter hæc quæ nuntiabantur, lupus etiam Romæ interdiu agitatus, cum Collina porta intrasset, per Æsquilinam magno consectantium tumultu euasit. Eorum prodigiorum caussa consules maiores hostias immolarunt: & diem vnum circa omnia puluinaria supplicatio fuit. Sacrificiis ritè perfectis prouincias sortiti sunt. Claudio Histria, Sempronio Sardinia obuenit. Legem deinde sociis C. Clau-

A dius tulit S.C. & edixit, qui socij ac nominis Latini, ipsi maiorésve eorum M. Claudio, T. Quintio censoribus, pósque ea apud socios nominis Latini cẽsi essent, vt omnes in suam quisque ciuitatẽ ante Cal. Nouembres redirent. Quæstio, ita non redissent, L. Mummio prætori decreta est. Ad legem & edictum Cos. S.C. adiectum est, vt dictator, Cos. interrex, censor, Pr. qui nunc esset apud forum, darent operam, vt qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur, vt iusiurandum daret: qui eum manumitteret, ciui-

B tatis mutandæ caussa manu non mittere, qui id non iuraret, eum manumittendum non censuerunt. Hęc in posterum caussa iurisque dictio C. Claudio Cos. decreta est. Dum hæc Romę geruntur, M. Iunius, & A. Manlius qui priore anno consules fuerant, cum Aquileiæ hybernassent, principio veris in fines Histrorum exercitum introduxerunt: vbi cum effusè popularentur, dolor magis & indignatio diripi res suas cernentes Histros, quàm certa spes satis sibi virium aduersus duos exercitus exciuit, cõcursu ex o-

C mnibus populis iuuentutis facto, repentinus & tumultuarius exercitus acrius primo impetu quã perseuerantius pugnauit. Ad quatuor millia eorum in acie cæsa, ceteri omisso bello in ciuitates passim diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos miserunt. Hæc cum Romæ cognita literis proconsulum essent, C. Claudius consul veritus ne forte ea res prouinciam exercitúmque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, vno omnium

D certiore facto collega, nocte profectus præceps in prouinciam abiit: vbi inconsultius quam venerat, se gessit. Nam cùm concione aduocata fugam è castris A. Manlij aduersus auribus militum, quippe qui primi ipsi fugissent, iactasset, ingessisset probra M. Iunio, quod se dedecoris socium collegæ fecisset, ad extremum vtrumque decedere prouincia iussit. Quod cum milites Cõsulis imperio dicto audiẽtes futuros sese dicerent, cum is more maiorum secundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus

E paludatis profectus ab vrbe esset, furens ira, vocatum qui pro quæstore Manlij erat, catenas poposcit, vinctos se Iunium Manliumque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est, & circumfusus exercitus fauens imperatorum causæ, & consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus consul, & contumeliis singulorum, & multitudinis (nam insuper irridebant) ludibriis, naue eadem qua venerat, Aquileiam rediit. Inde collegæ scripsit, vt mili-

F tum nouorum ei parti, quæ scripta in Histriam prouinciam esset, ediceret, Aquileiam vt conueniret, ne quid se Romæ teneret, quo minus votis nuncupatis paludatus ab vrbe exiret. Hæc collegæ obsequenter facta, breuisque dies ad conueniendum edicta est. Claudius prope consecutus est literas suas. Concione aduenięns de Manlio & Iunio habita, non vltra triduum moratus Romæ, paludatis lictoribus votisque in Capitolio nuncupatis, in prouinciam æquè amplius præcipiti celeritate ab-

G iit. Paucis ante diebus Iunius Manliusque oppidum Nesatium, quò se principes Histrorum & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnant. Eò Claudius duabus legionibus nouis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso: ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit: amnémque præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Histris præbebat multorum dierum opere exceptum, nouo alueo auertit. Ea res barbaros miraculo terruit abscissæ a-

quæ & ne tum quidem memores pacis, in cædem A coniugum ac liberorum versi, etiam vt spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul comploratio-nem fœminarum puerorumque simul nefandam cædem milites transgressi murum oppidum intra-runt. Cuius capti tumultum, vt ex pauido clamore fugientium accepit rex, traiecit ferro pectus, ne viuus caperetur: cæteri capti aut occisi. Duo deinde oppida Mutila & Faueria vi capta & deleta. Præda, B vt in gente inopi, spe maior fuit. & omnis militibus concessa est. V. millia capitum DCXXXII. sub coro-na venierunt. auctores belli virgis cæsi & securi percussi. Histria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata est: omnésque vndique populi obsidibus datis in ditionem venerunt. Sub Histrici finem belli, apud Ligures concilia de bello haberi cœpta. T. Claudius proconsul, qui Pr. priore anno fuerat, cum præsidio legionis vnius Pisis præerat. C cuius literis senatus certior factus: eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter Cos. iam in Sardiniam traiecerat) deferẽdas censet: & adiicit decretũ, quo-niam Histria prouincia confecta esset, si ei videre-tur, exercitum traduceret in Ligures. simul ex lite-ris Cos. quas de reb. in Histria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta. Et ab altero COS. Tib. Semp. in Sardinia prospere res gestæ. Exercitum in agrum Sardorum Iliensium induxit. Balarorum ma-gna auxilia Iliensibus venerant. Cum vtraque gen- D te signis collatis conflixit. Fusi fugatique hostes, ca-strísque exuti. XII. millia armatorum cæsa. Postero die arma lecta coniici in aceruum iussit consul. sa-crúmq. id Vulcano cremauit. Victorem exercitum in hyberna sociarum vrbium reduxit. Et C. Clau-dius literis T. Claudij & S.C. accepto, ex Histria le-giones in Ligures trãsduxit. Ad Scultennam flumen in campos progressi castra habebant hostes. Ibi cum his acie dimicatum. XV. M. cæsa plus DCC. aut in prælio, aut in castris (nam ea quoque expugnata E sunt) capti. est signa militaria vnum & L. capta. Li-gures reliquiæ cædis in montes refugerunt passim: populantique campestres agros consuli nulla vsquã apparuerunt arma. Claudius duarum gentium vno anno victor, duabus (quod raro alius) in consulatu pacatis prouinciis, Romam reuertit. Prodigia eo anno nunciata: in Crustumino auem sangualem (quam vocant) sacrum lapidem rostro cecidisse. bouem in Campania locutum. vaccam æneam Syracusis ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, i-nitam, ac semine aspersam. In Crustumino diem vnum in ipso loco supplicatio fuit. & in Campa- F nia bos alenda publicè data: Syracusanumque pro-digium expiatum, editis ab aruspicibus diis, qui-bus supplicaretur. Pontifex eo anno mortuus est M. Claudius Marcellus, qui consul censórque fuerat. In eius locum suffectus est pontifex filius eius M. Marcellus. Et Lucam colonia eodem anno MM. ci-uium Romanorum sunt deducta. Triumuiri dedu-xerunt, P. Ælius, L. Egilius, Cn. Sicinius. Quinqua-gena & singula iugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat: Hetrusco- G rum ante, quàm Ligurum fuerat. C. Claudius COS. ad vrbem venit: cui, cum in senatu de rebus in Hi-stria Liguribusque prosperè gestis disseruisset, po-stulanti triumphus est decretus. triumphauit in magistratu dè duabus simul gentibus. Tulit in eo triumpho denarium CCCVII. millia: & victoria-tum LXXXV. millia DCCII. militibus in singulos quinideni denarij dati, duplex centurioni, triplex equiti: sociis dimidio minus, quàm ciuibus datum.

Itaque taciti, vt iratos esse sentires, secuti sunt cur-rum. Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Li-gures postquam senserunt non consularem tan-tum exercitum Romam adductum, sed legionem ab T. Claudio Pisis dimissam, soluti metu clam e-xercitu indicto, per transuersos limites superatis montibus in campos digressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam cepe-runt. id vbi Romam allatum est, senatus C. Claudiũ cõsulem comitia primo quoq. tempore habere ius-sit: creatisque in annum magistratibus in prouinciã redire, & coloniam ex hostibus eripere. Ita vti cen-suit senatus comitia habita. COSS. creati Cn. Cor-nelius Scipio Hispalus Q. Petilius Spurinus. Præto-res inde facti, M. Popilius Lænas, P. Licinius Cras-sus, M. Cornelius Scipio, L. Papyrius Maso, M. Abu-rius, L. Aquilius Gallus. C. Claudio COS. prorogatũ in annum imperium, & Gallia prouincia. Et ne Hi-stri quoque idem, quod & Ligures facerent, socios nominis Latini in Histriam mitteret, quos triumphi caussa prouincia deduxisset. Cn. Cornelio, & Q. Pe-tilio COSS. quo die magistratum inierunt, immo-lantibus Ioui singulis bubus, vti solet, in ea hostia, qua Q. Petilius sacrificauit, in iecinore caput non inuentum: Id cum ad senatum retulisset, boue per-litare iussus. De prouinciis deinde consultus sena-tus Pisas & Ligures prouincias cõsulibus decreuit. Cui Pisæ prouincia obuenisset, cum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reuerti iussit. Additum decreto, vt binas legiones nouas scribe-rent, & CCC. equites: & dena millia peditum sociis nominiq. Latino, & DC. imperarẽt equites. T. Clau-dio prorogatum est imperium in id tempus, quo in prouinciam COS. venisset. Dum de his rebus in se-natu agitur, Cn. Cornelius euocatus à viatore, cùm templo egressus esset, paulo post rediit confuso vul-tu: & exposuit patribus conscriptis, bonis sescenaris quem immolauisset, iecur defluxisse: id se victima-rio nuncianti parum credentem, ipsum aquam ef-fundi ex olla vbi exta coquerentur, iussisse, & vidis-se ceteram integram partem extorum, iecur omne inenarrabiliter absumtum. Territis eo prodigio pa-tribus, & alter Cos. curam adiecit, qui se quod ca-put iecinori defuisset, tribus bubus perlitasse nega-uit. Senatus maioribus hostiis vsque ad litationem sacrificari iussit. Ceteris diis perlitatum ferunt. Sa-luti Petilium perlitasse negant. Inde consules præ-torésq. prouincias sortiti. Pisæ Cn. Cornelio, Ligu-res Petilio obuenerunt. Prætores L. Papyrius Maso vrbanam, M. Aburius inter peregrinos sortiti sunt. M. Cornel. Scipio Malugineñsis Hispaniam vlterio-rem, L. Aquilius Gallus Siciliam habuit. Duo depre-cati sunt, ne in prouincias irent: M. Popilius in Sar-diniam. Gracchum eam prouinciam pacare, & T. Ebutium Pr. adiutorem ab senatu datum esse. Inter-rumpi tenorem rerum, in quibus peragendis conti-nuatio ipsa efficacissima esset; minimè conuenire. inter traditionem imperij, nouitatémq. successoris, quæ noscendis prius quam agendis rebus imbuen-da sit, sæpe bene gerendæ rei occasiones intercide-re. Probata Popilij excusatio est. P. Licinius Cras-sus sacrificiis se impediri solemnibus excusabat, ne in prouinciam iret. Citerior Hispania obuenerat. Ceterũ aut ire iussus, aut iurare pro concione solen-ni sacrificio se prohiberi. Id vbi in P. Licinio ita sta-tutũ est, & ab se vti iusiurandum acciperent, M. Cor-nelius postulauit, ne in Hispaniam vlteriorem iret Prætores ambo in eadem verba iureiurarũt. M. Ti-tinius & T. Fonteius procõsules manere cum eodẽ imperij iure in Hispania iussi: & vt in supplementũ

hir

his tria millia ciuium Rom. cum equitibus C C. V. A mulia sociûm Latini nominis, & C C C. equites mitterentur. Latinæ feriæ fuere ad diem III. Non. Maij: in quibus quia vna hostia magistratus Lanuuinus precatus non erat, P.R. Quiritium, religioni fuit. Id cum ad senatum relatum esset, senatusque ad pontificum collegium reiecisset, pontificibus, quia non ritè sactæ Latinæ essent, instauratis Latinis placuit Lanuuinos quorum opera instauratæ essent, hostias præbere. Accesserat ad religionem quod Cn. Cornelius COS. ex monte Albano rediens B concidit, & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ingrauescente morbo, Cumis decessit: sed inde mortuus, Romam allatus, & funere magnifico elatus sepultúsque est. Pôtifex idem fuerat COS. Q. Petilius, cùm primum per auspicia posset, collegæ subrogando comitia habere iussus, & Latinas edicere: comitia in diem III. nonas Sextiles Latinas in diem III. idus Sextiles, edixit. Plenis religione animis prodigia insuper nuntiata: Tusculi facem in cœlo visam: Gabiis ædem Apollinis C & priuata ædificia complura, Grauiscis murum portámque de cœlo tacta. Ea patres procurari, vti pontifices censuissent, iusserunt. Dum COSS. primum religiones, deinde alterum alterius mors, & comitia, & Latinarum instaurationes impediunt: interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admouit. Ante triduum quàm oppugnari cœperat, receptam ex hostibus colonis reddidit. VIII. millia ibi Ligurum intra muros cæsa, literæque Romam extemplo scriptæ, quib. non mo- D do rē exponeret, sed etiā gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem iam cis Alpeis hostem P.R. atque aliquantum captum qui multis millibus hominum diuidi viritim posset. Et Tib. Sempronius eodem tempore in Sardinia multus secundis præliis Sardos perdomuit. XV. millia hostium sunt cæsa. Omnes Sardorum populi qui defecerant, in ditionem redacti. Stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum exactúmque: ceteri frumentum contulerunt. Pacata prouincia, E obsidibúsque ex tota insula CCXXX. acceptis, legati Romam qui ea nuntiarent, missi: quíque ab senatu peterent, vt ob eas res ductu auspicióque Tib. Sempronij prospere gestas, diis immortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de prouincia exercitum secum deportaté liceret. Senatus in æde Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decreuit, & X L. maioribus hostiis consules sacrificare iussit: Tib. Sempronium proconsulem exercitumque eo anno in prouincia manere. F Comitia deinde consulis vnius subrogandi, quæ ad diem III. nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta. Q. Petilius C O S. collegam, qui extemplo magistratum acciperet, creauit M. Valerium Læuinum. Is iam diu cupidus prouinciæ, cùm opportunæ cupiditati eius literæ allatæ essent, Ligures rebellasse, nonis Sextilibus paludatus, literis auditis, tumultus eius caussa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci iussit: & duumuiros naualeis cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoq. terrorem admouentes, circúmuectarentur. Eodem & Q. Petilius COS. G ad conueniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul audita rebellione Ligurum, præter eos copias, quas secum Parmæ habebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admouit. Hostes sub aduentum C. Claudij à quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatósque, locorum magis præsidio ad-

uersus infeliciter expertam vim, quàm armis se defensuri, duos montes Letum & Balistam ceperunt: muróque insuper amplexi, tardius ex agris demigrantes, oppressi ad M. & D. perierunt. Ceteri montibus se tenebant, & ne in metu quid tamen feritatis ingenitæ obliti, sæuiunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat: captiuos cum fœda lacerratione interficiunt: pecora in fanis trucidant, verius passim, quàm ritè sacrificant. Satiati cæde animantium quæ inanima erant, parietibus affligunt, vasa omnis generis vsui magis quam ornamento in speciem facta. Q. Petilius COS. ne absēte se debellaretur, literas ad C. Claudiū misit, vt cum exercitu ad se in Galliam veniret, campis Macris se eum exspectaturum. Literis acceptis Claudius est Liguribus castra mouit, exercitumq. ad campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi diuisis copiis, priusquam digrederentur, communiter ambo exercitus lustrauerunt. tum sortiti, quia non ab eadem vtrunque parte aggredi host. in placebat, regiones quas peterent. Valerium auspicato sortitum constabat, quod in templo fuisset: in Petilio id vitio factum. postea augures responderunt, quod extra templum sortem in sitellam in templum latam, foris ipse posuerit. Profecti inde in diuersas regiones. Petilius aduersus Balistæ & Leti iugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se iungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi ominatum ferunt, se eo die Letum capturum esse. Duabus simul partibus subire in aduersos montes cœpit. Ea pars in qua ipse erat, impigrè succedebat. Alteram hostes cum propulissent, vt restitueret rem inclinatam, consul equo aduectus, suos quidem à fuga reuocauit: ipse dum incautius ante signa obuersatur, missili traiectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt, & suorum pauci qui viderant, haud negligenter, vt qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultauere. Alia multitudo peditum equitumque deturbatis hostibus montes sine duce cepere. Ad V. millia Ligurum occisa, ex Romano exercitu duo & quinquaginta ceciderunt. Super tam euidentem tristis ominis euentum etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse, nec id consulem ignorasse. C. Valerius audita.

* *

deduxit. Cis Apeninum Garuli & Lapicini, & Hercates, trans Apenninum Brinniates fuerant. Inter Andenam amnem Q. Mutius cum iis qui Lunam Pisásque depopulati erant, bellum gessit, omnibusque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicióque, senatus in triduum supplicationes decreuit, & XL. hostiis sacrificari iussit. Et tumultus quidem Gallicus & Ligustinus, qui in principio eius anni exortus fuerat, haud magno conatu breui oppressus erat. Belli Macedonici subibat iam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnásque certamina: & legati qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, iam reuerterant Romam, renuntiauerántque bellum in Dardania esse. Simul venerant & ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas, nec auctore eo quicquam facere. Senatus nec liberauit eius culpæ regem, neque arguit: moneri eum tantummodo iussit, vt etiam atque etiam curaret vt sanctum haberet fœdus, quod ei cum Romanis esse videri posset. Dardani cùm Bastarnas non modo non excedere finibus suis, quod sperauerant, sed grauiores fieri indies cernerent, subnixos Thracum acco-

larum & Scordiscorum auxiliis, audendum aliquid A vel temerè rati, omnes vndique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conueniunt. Hyems erat, & id anni tempus elegerant, vt Thraces Scordiscique in fines suos abirent. Quod vbi ita factum, & solos iam esse Bastarnas audierunt, bifariam diuidunt copias: pars vt recto itinere ad lacessendum ex aperto iret, pars deuio saltu circumducta, ab tergo aggrederetur. Ceterum priusquam circumire castra hostium possent, B pugnatum est: victique Dardani compelluntur in vrbem, quæ ferè XII. millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumcidunt vrbem haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine præsidio relicta

* * *

more sella eburnea posita ius dicebat, disceptabatque controuersias minimarum rerum: adeóque C nulli fortunæ adhærebat animus per omnia genera vitæ errans, vti nec sibi nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere, munificentia inæquali sese aliósque ludificari: quibusdam honoratis, magnóque æstimantibus se, puerilia vt escæ aut lusus, munera dare: alios nihil exspectantes ditare. Itaque nescire quid sibi vellet, quibusdam videri. quidam ludere eum simpliciter, quidam haud dubiè insanire D aiebant. In duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus, in vrbium donis & deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circundaturum vrbi est pollicitus: maiorémque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum è marmore facere instituit. Cyzici in prytaneum, id est, penetrale vrbis, vbi publicè quibus is honos datus est, vescuntur: vasa aurea mensæ vnius posuit, Rhodiis nihil vnum insigne, ita omnis generis, vt quæque vsus eorum postulauerunt, dona E dedit. Magnificentiæ verò in deos, vel Iouis Olympij templum Athenis, vnum in terris incoatum pro magnitudine dei, potest testis esse. Sed & Delon maris insignibus, statuarúmque copia exornauit: & Antiochiæ Iouis Capitolini magnificum templum non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreue tempus regni eius fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit, reliquorum F sui moris & copia Græcorum artificum, gladiatorum munus Romanæ consuetudinis, primo maiore cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate dedit: deinde sæpius dando & modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam, & familiare oculis gratúmque id spectaculum fecit, & armorum studium plerisque iuuenum accendit. Itaque qui primo ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores accersere solitus erat, iam suo

* * *

G L. Cornelius Scipio inter peregrinos. M. Attilio Pr. prouincia Sardinia obuenerat: sed cũ legione noua quã Coss. cõscripserãt, quinq. millib. peditũ, CCC. equitib. in Corsicam iussus est transire. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio prorogatum imperium, vti obtineret Sardiniam Cn. Seruilio Cæpioni in Hispaniã vlteriorem, & P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites CL. & socium Latini nominis quinq. millia peditum, CCC. equites. Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas præterea legiones COSS. scribere iussi, cum iusto numero peditum equitúmque, & decem millia peditum sociis imperare, & DC. equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quod pestiletia, quæ priore anno in boues ingruerat, eò verterat in hominum morbos. qui inciderant, haud facile septimum diem superabant: qui superauerant, longinquo maximæ quartanæ implicabantur morbo. Seruitia maximè moriebantur. eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus libitina sufficiebat. cadauera intacta à canibus ac vulturib. tabes absumebat, satísq. constabat. nec illo nec priore anno in tanta strage boum, hominúmque vulturium vsquã visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt. Cn. Seruilius Cæpio pontifex pater prætoris, & T. Sempronius T.F. Longus Xuir sacrorum, & P. Ælius Pætus augur, & T. Sempronius Gracchus, & C. Atilius æmylius curio maximus, & M. Sempronius Tuditanus pontifex. Pontifices suffecti sunt, C. Sulpitius Galba in locum Tuditani. Augures suffecti sunt: in Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronius, in P. Ælij Q. Ælius Pætus. Xuir sacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus, C. Scribonius curio sufficitur. Cum pestilentiæ finis non fieret, senatus decreuit, vti Xuiri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem vnum supplicatio fuit. & Q. Martio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit, si morbus pestilentiáque ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum. In Veienti agro biceps natus puer, & Sinuessæ vnimanus, & Oximi puella cum dentibus, & arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus, & tres simul soles effulserunt, & faces eadem nocte plures per cœlum lapsæ sunt in Lanuuino, Cæritésque anguem in oppido suo iubatum aureis maculis sparsum apparuisse affirmabant, & in agro Campano bouem locutum esse satis constabat. Legati Nonis Iulij ex Africa redierunt, qui conuento prius Masanissa rege Carthaginem ierant: ceterum certius aliquanto quæ Carthagine acta essent, ab rege resciecerant, quàm ab ipsis Carthaginiensibus compertum tamen affirmarunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in æde Æsculapij datum esse. ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, & rex affirmauerat, & ipsi parum constanter negauerant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. Tres missi sunt, C. Lælius, M. Valerius Messala, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, disceptationẽ ab rege ad Rom. reuocabãt, cum exercitu profectus sub ius iudiciúmque suum totam coegit gẽtem. Inde per Oetæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo obiectis oraculum aditurus Delphos ascendit. Cùm in media repentè Græcia apparuisset, magnum non finitimis modo vrbibus terrorem præbuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuntius tumultus eius venit. Triduum non plus Delphis moratus, per Phthiotidem Achaiam, Thessaliámque sine damno iniuriáque agrorũ per quos iter fecit, in regnũ rediit. Nec earũ tãtũ ciuitatum, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare, sed aut legatos aut literas dimisit, petẽs, ne diutius simultatũ, quę cũ patre suo fuissent, meminissent: nec enim tam atroces fuisse eas, vt nõ cum ipso potuerint ac debuerint finiri: secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam. Cùm Achæorum maximè gen-

tem re-

te reconciliandæ gratiæ viam quærebant. Hæc vna A ex omni Græcia gens, Athenienſium ciuitas, eo proceſſerat irarum, vt finibus interdiceret Macedonibus. Itaque ſeruitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat: quia cùm finibus ſuis interdixiſſent, intrare regni terminos ipſi non audebant. id cum Perſeus animaduertiſſet, conprehenſis omnibus literas ad Achæos miſit, quibus ſe, ſeruos eorum, qui ad ſe transfugerant, benigne remittere, illis ſcripſit. Ceterum ne ſimilis fuga ſeruorum poſtea fieret, cogitandum & illis eſſe. Recitatis his B literis per Xenarchum pr. qui priuatæ gratiæ aditum apud regem quærebat: & pleriſque moderatè & benigne ſcriptas eſſe cẽſentibus literas, atque his maximè qui præter ſpẽ recepturi eſſent amiſſa mancipia: Callicrates ex iis qui in eo verti ſalutem gentis crederent, ſi cũ Romanis inuiolatum fœdus ſeruaretur: Parua, inquit, aut mediocris res, Achæi quibuſdã videtur agi: ego maximè grauiſſima omniũ, non agique tantum arbitror, ſed quodam modo a- C ctam eſſe. Nam qui regibus Macedonum Macedonibúſque ipſis, finibus interdixiſſemus, manereque id decretum voluimus, ſcilicet ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi ſolicitarentur: ij concionantem quodam modo abſentem audimus regem, & ſi diis placet, orationem eius probamus: & cum feræ beſtiæ cibum ad fraudem ſuam poſitum plerunque aſpernentur & refugiant, nos cæci ſpecie parui beneficij ineſcamur: & ſeruulorum minimi pretij recipiendorum ſpe, noſtram ipſorum libertatem ſubrui & D tentari patimur. Quis enim non videt, viam regiæ ſocietatis quæri, qua Romanorum fœdus, quo noſtra omnia continentur, violetur? Niſi hoc dubium alicui eſt, bellandum Romanis cum Perſeo eſſe: & quod viuo Philippo exſpectatum morte eius interpellatum eſt, id poſt mortem Philippi futurum. Duos, vt ſcitis, habuit filios Philippus, Demetrium & Perſea. Genere materno, virtute, ingenio, fauore Macedonum, longè præſtitit Demetrius. Sed quia in Romanos odij regnum poſuerat præmium, De- E metrium nullo alio crimine quam Romanæ amicitiæ initæ, occidit: Perſea quem P.R. prius pœnæ quam regni heredem futurum ſciebat, regem fecit. itaque quid hic poſt mortem patris egit aliud, quã bellum parauit? Baſtarnas primum ad terrorem omnium Dardaniam immiſit: qui ſi ſedem eam tenuiſſent, grauiores eos accolas Græcia habuiſſet, quã Aſia Gallos habeat. Ea ſpe depulſus, non tamen belli cõſilia omiſit: imo ſi vera volumus dicere, iam incoauit bellum, Dolopiam armis ſubegit, nec pro- F uinciis de controuerſiis ad diſceptationem P.R. reuocatam audiuit. inde tranſgreſſus Oetam, vt repente in medio vmbilico Græciæ conſpiceretur, Delphos aſcendit. Hæc vſurpatio itineris inſoliti quo vobis ſpectare videtur? Theſſaliã deinde peragrauit, quod ſine vllius eorum quos oderat noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris ſpecie miſit, & cogitare iubet quomodo in reliquum hoc munere non egeamus, hoc eſt, vt decretum quo arceantur Peloponenſo Mace- G dones, tollamus: rurſus legatos regios, & hoſpitia cum principibus, & mox Macedonum exercitus, ipſum quoque à Delphis (quantum enim interluit fretum?) traiicientem in Pelopõneſum videamus. Immiſceamur Macedonibus armantibus ſe aduerſus Romanos. Ego nihil noui cenſeo decernendum, ſeruandaque omnia integra, donec ad certum dirigantur: vanuſne hic timor noſter, an verus fuerit, ſi pax inuiolata inter Macedonas Romanóſq. manebit, nobis quoque amicitia & commercium ſit. nunc de eo cogitare periculoſum & immaturum videtur. poſthunc Arco frater Xenarchi prætoris ita diſſeruit: Difficilem orationem Callicrates & mihi, & omnibus qui ab eo diſſentimus, fecit: agendo enim Romanæ ſocietatis cauſſam ipſe, tentarique & oppugnari dicendo, quam nemo neque tentat neque oppugnat: effecit, vt qui ab ſe diſſentiret, aduerſus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium tanquam non hic nobiſcum fuiſſet, ſed aut ex curia P.R. veniret, aut regum arcanis intereſſet, omnia ſcit & nuntiat quæ occultè facta ſunt: diuinat etiam quæ futura fuerant, ſi Philippus vixiſſet: quid ita Perſeus regni hæres ſit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem, qui nec ob quam cauſſam, nec quemadmodum perierit Demetrius, ſcimus, nec quid Philippus ſi vixiſſet, facturus fuerit: ad hæc quæ palam geruntur, conſilia noſtra accommodare oportet. Ac ſcimus Perſea regno accepto ad legatos Romanos veniſſe, ac regem Perſea à P.R. appellatum: audiuimus legatos Romanos veniſſe ad regem, & eos benignè exceptos. Hæc omnia pacis equidem ſigna eſſe indico. nõ belli: nec Romanos offendi poſſe, ſi vt bellum gerentes eos ſecuti ſumus, nunc quoquè pacis auctores ſequamur. Cur quidem nos inexpiabile omnium ſoli bellum aduerſus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipſa Macedoniæ ſumus: an infirmiſſimi omnium, tanquam quos nuper ſubiecit Dolopes? Imo contra ea vel viribus noſtris deum benignitate vel regionis interuallo tuti. Sed ſumus æquè ſubiecti ac Theſſali Ætolique. nihilo plus fidei auctoritatiſque habemus aduerſus Rom. qui ſemper ſocij atque amici fuimus, quam Ætoli, qui paulo ante hoſtes fuerunt. Quod Ætolis, quod Theſſalis, quod Epirotis, omni denique Græciæ cum Macedonibus iuris eſt; idem & nobis ſit. cur exſecrabilis iſta nobis ſolis velut deſertio iuris humani eſt? Fecerit aliquid Philippus, cur aduerſus eum armatum bellum gerentem hoc decerneremus? quid Perſeus nouus rex, omnis iniuriæ inſons, ſuo beneficio paternas ſimultates obliterans meruit? cur ſoli omnium hoſtes ei ſumus? Quanquam & illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuiſſe, vt Philippi vni' iniurias, ſi quæ forte fuerunt, obliuiſceremur vtique poſt mortẽ. cũ claſſis Rom. Cenchris ſtaret, Coſ. cũ exercitu Velatiæ eſſet, triduũ in concilio fuimus cõſultantes, vtrũ Ro. an Philippum ſequeremur. nonnihil metus præſens ab Romanis ſententias noſtras. inclinarit: fuit certè tamen aliquid, quod tam longam deliberationem fecerat, id quod erat vetuſta coniunctio cum Macedonibus, vetera & magna in nos regum merita. Valeant & nunc eadem illa, non vt præcipuè amici, ſed ne præcipue inimici ſimus. Ne id quod non agitur, Callicrates ſimulauerimus nemo nouæ ſocietatis aut noui fœderis, quo nos temere illigemus, conſcribendi eſt auctor: ſed commercium tantum iuris præbendi repetendique ſit, ne interdictione finium noſtrorum & nos quoque regno arceamus. Ne ſeruis noſtris aliquò fugere liceat, quid hoc aduerſus Rom. fœdera eſt? Quid rem paruam & apertam, magnam & ſuſpectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid vt ipſi locum aſſentandi Rom. habeamus ſuſpectos alios ac inuiſos efficimus? Si bellum erit, ne Perſeus quidem dubitat, quin Roma. ſecuturi ſimus: in pace etiam ſi non odia finiuntur, intermittantur. Cum iidem huic orationi, qui literis regis adſentirant, adſentiren-

tur, indignatione principum, quod quam rem ne legatione quidem dignam iudicasset Perseus, literis paucorum versuum imperaret, decretum differtur. Legati deinde postea missi ab rege, cum Megalopoli concilium esset: dataque opera est ab iis qui offensionem apud Rom. timebant, ne admitterentur. Per hæc tempora Ætolorum in semetipsos versus furor, mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde & Romam vtraque pars miserunt legatos, & inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: quæ nouo facinore discussa res, veteres etiam iras excitauit. Exsulibus Hypateis qui factionis Proxeni erat, cũ reditus in patriam promissus esset, fidésque data per principé ciuitatis Eupolemum, LXXX. illustres homines. quibus redeuntibus inter ceteram multitudinem Eupolemus etiam obuius exierat, cum salutatione benigne excepti essent, dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam, deosque testes nequicquã inuocantes, interfecti sunt. Inde grauius de integro bellum exarsit. C. Valerius Læuinus, & App. Claudius Pulcer, & C. Memmius, & M. Popilius, & L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos cum Delphis vtriusque partis legati magno certamine agerét, Proxenus maximè cum caussa, tum eloquentia præstare visus est: qui paucos post dies ab Orthobula vxore veneno est sublatus, damnatáque eo crimine in exsilium abiit. Idem furor & Cretenses lacerabat. aduentu deinde Q. Minutij legati, qui cum decem nauibus missus ad sedãda eorum certamina erat, in spem pacis venerãt: ceterum inducię & antea sex mensium fuerunt: inde multo grauius bellũ exarsit. Lycij quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo quęque modo gesta sunt, persequi nõ operę est, satis superque oneris sustinenti res à populo Romano gestas scribere. Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Tib. Graccho dediderant, pacati manserant, M. Titinio Pr. obtinente prouinciam, rebellarunt sub aduentum Ap. Claudij: orsique bellum sunt ab repentina oppugnatione castrorum Romanorum. Prima lux ferme erat, cum vigiles in vallo, quinque in portarum stationibus erãt, cum vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamauerunt. App. Claudius signo proposito pugnæ, ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentib. ad exitum Celtiberis, primo par vtrinque prælium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani. vrgentes deinde alij alios secuti euaserunt extra vallum, vt pandere aciem & exæquari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent: ita repente eruperunt, vt sustinere impetum eorum Celtebri nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt, ad XV. millia cęsa aut capta: signa adẽta duo & XXX. castra etiam eo die expugnata, debellatúmq. nam qui superfuere prælio, in oppida sua dilapsi sunt: qui eti de inde paruerunt imperio. Censores eo anno certi Q. Fuluius Flaccus, & A. Posthumius Albinus legerunt senatum. princeps lectus M. Æmylius Lepidus Pont. Max. De senatu nouem eiecerunt. Insignes notæ fuerunt M. Cornelij Maluginensis, qui biennio ante Pr. in Hispania fuerat, & L. Cornelij Scipionis Pr. cuius tum inter ciues peregrinos iurisdictio erat, & L. Fuluij, qui frater germanus, & vt Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. COSS. votis etiam in Capitolio nuncupatis, in prouincias profecti sunt. Ex iis M. Æmylio senatus negocium dedit, vt Patauinorum in Venetia seditionem comprimeret: quos certamine factionum ad

A intestinum bellum exarsisse, & ipsorum legati attulerant. Legati qui in Ætoliam ad similes motus cõprimendos ierãt, renuntiarunt coerceri rabiem gentis non posse. Patauinis saluti fuit aduentus consulis: neque aliud quod ageret in prouincia cum habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas silice in vrbe, glarea extra vrbem substernendas marginandásque primi omnium locauerunt pontésq. multis locis faciendos, & scenam ædilibus prætoribusque præbendam: & carceres in circo, & oua

B ad notas curriculis numerandas, &* dam, & metas trans* & caueas ferreas pe* intromitterentur* ferreis in monte Albano consulibus. & cliuum Capitolinum silice sternendum curauerunt: & porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum. ac super id curiam. & extra portam Trigeminam emporium lapide strauerunt, stipitibusque sepserunt, & porticum Æmyliam reficiendam curarunt, gradibúsque ascensum ab Tyberi in emporium fecerunt: & extra eandem portam in Auentinum por-

C ticum silice strauerunt & eo publico ab æde Veneris fecerunt. Iidem Calatię & Oximi muros faciendos locauerunt: venditisque ibi publcis locis, pecuniam quæ redacta erat, tabernis vtrique foro circũdandis consumserunt. & alter ex iis Fuluius Flaccus (nam Posthumius nihil nisi senatus Romani, populive iussu se locaturum ipsorum pecunia) Iouis ædem Pisauri & Fundis, & Pollentiæ etiam aquam adducendam, & Pisauri viam silice sternendam, & Sinuessam à ga* auiariæ. In his & cloacam circum-

D ducendã & forum porticibus tabernisque claudendum, & Ianos treis faciendos. Hæc ab vno censore opera locata cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens & seuera censura fuit. multis equi ademti. Exitu prope anni diem vnum supplicatio fuit, ob res prospere gestas in Hispania, ductu auspicioque Ap. Claudij proconsulis, & maioribus hostiis XX. sacrificatum, & alterum diem supplicatio ad Cereris Liberi Liberęque fuit, quod ex Sabinis terræmotus ingens cum multis æ-

E dificiorum ruinis nuntiatus erat. Cum Ap. Claudius ex Hispania Romam redisset, decreuit senatus, vt ouans vrbem iniret. Iam consularia comitia appetebant: quibus magna contentione habitis propter multitudinem petentium, creati L. Posthumius Albinus, & M. Popilius Lænas. Prætores inde facti, Cn. Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicereius, M. Furius Crassipes iterum, A. Attilius Serranus iterum, C. Cluuius Saxula iterum. Comitiis perfectis Ap. Claudius Cento ex Celtiberis ouans cum in vrbem

F iniret, decem millia pondo argenti, quinque millia auri in ærarium tulit. Flamen dialis inauguratus est Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in ædem Matris Matutæ cum indice hoc posita est: Tib. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitúsque P.R. Sardiniam subegit. In ea prouincia hostium cæsa aut capta supra LXXX. millia. Rep. felicissimè gesta, atque liberatis vectigalibus restitutis, exercitum saluum atque incolumem plenissimum præda domum reportauit, iterum triumphãs

G in vrbem Romam rediit: cuius rei ergo hanc tabulam donum Ioui dedit. Sardiniæ insulę forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parua alia data. vnum ante cetera insigne fuit T. Flaminij, quod mortis caussa patris sui cum visceratione epulóque & ludis scenicis quatriduum dedit magni tamen muneris ea summa fuit, vt per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.

DECADIS QVINTAE LIBER II.

LVcius Posthumius Albinus, M.Popilius Lænas, cum omnium primum de prouinciis exercitibúsque ad senatum retulissent, Liguures vtrique decreti sunt: vt nouas ambo quibus eam prouinciã obtinerent legiones (binæ singulis decretæ) & sociûm Latini nominis dena millia peditum, & D C. equites, & supplemẽtum Hispaniæ III. millia peditum Romanorum scriberent, & cc. equites. Ad hoc mille & D. pedites Romani cum centum equitibus scribi iussi, cum quibus Pr. cui Sardinia obtigisset, in Corsicã transgressus bellum gereret: interim M. Atilius vetus prætor prouinciam obtineret Sardiniã. Prætores deinde prouincias sortiti sunt, A. Atilius Serranus vrbanam, C. Cluuius Saxula inter ciues & peregrinos, Cn. Fabius Buteo Hispaniam citeriorẽ, M. Matienus vlteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Priusquam magistratus proficiscerentur, senatui placuit L. Posthumium cos. ad agrum publicum à priuato terminandum, in Campaniam ire: cuius ingentem modum possidere priuatos, paulatim proferendo fines, constabat. Is iratus Prænestinis, quod cùm eo priuatus sacrificij in templo Fortunæ faciundi caussa profectus esset, nihil in se honorificè, neque publicè, neque priuatim factum à Prænestinis esset: priusquam ab Roma proficisceretur literas Præneste misit, vt sibi magistratus obuiam exiret, locum publicè pararet, vbi diuerteretur. Iumentáque cum exiret inde, præsto essent. Ante hunc cos. nemo vnquam sociis in vlla re oneri aut sumti fuit: ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. priuata hospitia habebant: ea benignè comitérque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsi diuerti mos esset. Legati qui repentè aliquò mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socij in magistratus Romanos non faciebant. Iniuria cos. etiam si iusta, non tamen in magistratu exercẽda, & silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum, ius velut probato exemplo, magistratibus fecit grauiorum indies talis generis imperiorum. Principio huius anni, legati qui in Ætoliam & Macedoniam missi erant, renunciarunt. sibi conueniendi regis Persei. cùm alij abesse eum, alij ægrum esse, falso vtrunque fingerent, potestatem non factam, facilè tamen apparuisse sibi, bellum parari, nec vltra ad arma ire dilaturum. Item in Ætolia seditionem gliscere indies: neque discordiarum principes auctoritate sua coerceri potuisse. Cùm bellum Macedonicum in expectatione esset: priusquam id susciperetur, prodigia expiari, pacémque deum peti precationibus quæ datæ ex fatalibus libris essent, placuit. Lanuuij classis magnæ species in cœlo visæ dicebantur, & Priuerni lana pulla terra enata, & in Veienti apud Rementem lapidatum: Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse, in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emersisse. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editúmque ab decemuiris est, & quibus diis, quibus-

A que hostiis sacrificaretur, & vt supplicatio prodigiis expiandis fieret. altera quæ priore anno valetudinis populi caussa vota esset, ea vti feriæque essent. Itaque sacrificatum est, vt decemuiri scriptum ediderunt. Eodem anno ædes Iunonis Laciniæ detecta. Q. Fuluius Flaccus censor ædem Fortunæ equestris, quam in Hispania Pr. bello Celtiberico vouerat, faciebat enixo studio, ne vllum Romæ amplius aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegulæ marmoreæ essent. profectus in Brutios ædem Iunonis

B Laciniæ ad partem dimidiam detegit, id satis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Naues paratæ fuerunt, quæ tollerent atque asportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam censor rediit, tegulæ expositæ de nauibus ad tenplum portabantur. quanquam vnde essent silebatur: non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est: ex omnibus partibus postulabatur, vt consules eam rem ad senatum refer-

C rent. Vt verò accersitus in curiã censor venit, multo infestius singuli vniuersique præsentem lacerare, templum augustissimum regionis eius, quod non Pyrrhus, non Annibal violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset fœde, ac prope diruisset. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum. censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis, & loca tuenda more maiorum traditum esset, eum per sociorum vrbes diruentem templa, nudan-

D témque tecta ædium sacrarum vagari: & quod si in priuatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset, id deûm immortalium demolientem facere, & obstringere religione P. R. ruinis templorum templa ædificantem: tanquam non iidem vbiq; dij immortales sint, sed spoliis aliorum alij colendi exornandiq;. Cum priusquam referretur, appareret quid sentirent patres, relatione facta in vnam omnes sententiam ierunt: vt hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piaculariáque Iunoni fierent. Quæ

E ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemtores nuntiarunt. Ex prætoribus qui in prouincias ierant, Cn. Fabius Massiliæ moritur, cum in citeriorem Hispaniam iret. Itaque cum id nuntiatum à Massiliensibus legatis esset, senatus decreuit, vt P. Furius & Cn. Seruilius, quibus succedebatur, inter se compararẽt aut sortirentur, vter citeriorẽ Hispaniam prorogato imperio obtineret. Sors opportuna fuit. P. Furius

F idem, cuius ea prouincia fuerat, remaneret. Eodem anno cùm agri Ligustini & Gallici quod bello captum erat, aliquantum vacaret, S. C. factum, vt is ager viritim diuideretur. Decemuiros in eam rem ex S. C. creauit A. Atilius pr. vrbanus, M. Æmylium Lepidum, C. Cassium, T. Ebutium parrum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & C. Apuleios, M. Cæcilium, C. Salonium, C. Munatium. Diuiserũt dena iugera in singulos, sociis nominis Latini terna. Per idem tempus quo hæc agebantur, legati ex

G Ætolia Romam venerunt de discordiis seditionibusque suis, & Thessali legati, nuntiantes quæ in Macedonia gererentur. Perseus iam bellum viuo patre cogitatum, in animo voluens, omneis non genteis modo Græciæ, sed ciuitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura quam præstando, sibi conciliabat. Erant tamen magna ex parte hominum ad fauorem eius inclinati animi: & aliquanto quam in Eumenem propẽsiores, cùm Eumenis beneficiis muneribusque omnes Græciæ ciuitates & pleri-

que principum obligati essent. & ita se in regno suo A gereret, vt quæ sub ditione eius vrbes essent, nullius liberæ ciuitatis fortunam secum mutatam vellent. Contra Persea fama erat post patris mortem vxorem manu sua occidisse, Apellem ministrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requisitum à Philippo ac supplicium, exsulantem accersitum post patris mortem ingentibus promissis ad præmia tantæ perpetratę rei, clā interfecisse. Intestinis externisque præterea multis cædibus infamem, nec vllo B commendabilem merito, præferebant vulgo ciuitates tam pio erga propinquos, tam iusto in ciueis, tam munifico erga omnes homines, regi, seu fama & maiestate Macedonum regum præoccupati ad spernendum originem noui regni, seu mutationis rerum cupidi, seu quia eum obiectum esse Romanis volebant. Erant autem non Ætoli modo in seditionibus propter ingentem vim æris alieni, sed Thessali etiam: ea contagione velut tabes in Perrębiam quoque id peruaserat malum. Cùm Thessalos in armis esse nuntiatum est, Ap. Claudium legatum C ad eas res aspiciendas componendásque senatus misit. Qui id vtriusque partis principibus castigatis, cum iniusto fœnere grauatum æs alienum, ipsis magna ex parte concedentibus qui onerarant, leuasset, iusti crediti solutionem in annorum pensiones distribuit. Per eundem Appium eodémque modo compositæ in Perrhæbia res. Ætolorum caussas Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello, cognouit. Cùm D certatum vtrinque temeritatę atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut leuare, aut onerare voluit: communiter ab vtrisque petiit, abstinerent bello, & obliuione præteritorum, discordias finirent. Huius reconciliationis inter ipsos fides obsidibus vltro citróque datis firmata est. Corinthum, vt vbi deponerentur obsides, conuenitur. A Delphis & Ætolico concilio Marcellus in Peloponnesum traiecit. quo Achæis edixerat conuentum. Vbi collaudata gente, quod constanter E vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne aduersus Persea odium Romanorum fecit: quod vt maturius erumperet: Eumenes rex, commentarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia aspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renouandæ amicitiæ caussa proficisci iussi. Legati erant hi, C. Valeriꝰ Cn. Lutatius Cerco, Q. Bæbius Sulca, M. F Corneliꝰ Mámula, M. Cæcilius Dēter. Et ab Antiocho rege sub idē tēpus legati venerunt, quorum princeps Apollonius in senatū introductus, multis iustisque caussis regē excusauit, quod stipendiū seriꝰ, quo ad diē præstaret, id se omne aduexisse, ne cuius nisi temporis gratia regi fieret. donum præterea afferre, vasa aurea quingentum pondo. petere regem, vt quæ cum patre suos societas atque amicitia fuisset, ea secum renouaretur, imperarétque sibi P. R. quæ bono fideliquę socio regi essent imperanda se nullo vsquam cessaturum officio. Ea merita in se sena- G tus fuisse cùm Romæ esset, eam comitatē iuuētutis, vt pro rege non ꝑ obside omnib. ordinib. fuerit. Legatis benignè responsum, & societatē renouare cum Antiocho quæ cum patre eius fuerat, A. Atilius pr. vrb. iussus. Quæstores vrbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt: eisque negotium datum est, vt ponerent ea in quibus templis videretur: legatóque centum millium æris munus missum, & ædes liberæ hospitio datæ, sumtúsque decretus donec in Italia esset. Legati qui in Syria fuerant, renuntiauerunt, in maximo eum honore apud regem esse, amicissimúmque P. R. in prouinceis eo anno hæc. C. Cicereiꝰ Pr. in Corsica signis collatis pugnauit: septem millia Corsorum cæsa, capti amplius M. & DCC. Vouerat in ea pugna prætor ædē Iunonis Monetæ. Pax deinde data petentibus Corsis, & exacta ceræ ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicereius in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro Statellati pugnatum ad oppidum Caristum: ibi se magnus exercitus Ligurum contulerat Primo sub aduentū M. Popilij consulis mœnibus sese continebant, deinde postquam oppidum oppugnaturū Romanum cernebant, progressi aute portas aciem struxerunt. nec consul, vt qui id ipsum oppugnatione comminanda quæsisset, moram certamini fecit. Pugnatum est amplius tres horas, ita vt neutro inclinaret spes. Quod vbi cōsul vidit, nulla parte moueri Ligurū signa, imperat equitibus vt equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes quanto maximo possent tumultu incurrant. pars magna equitum mediā traiecit aciem, & ad terga pugnantium peruasit. Inde terror iniectus Liguribus: diuersi in omnes partes fugerunt: perpauci retro in oppidum, quia inde se maximè obiecerat eques. & pugna tam peruicax multos absumserat Ligurum, & in fuga passim cęsi sunt. X. millia hominum cęsa traduntur, amplius DCC. passim capti. Signa militaria relata LXXXII. nec incruenta victoria fuit. amplius tria M. militum amissa, cum cedentibus neutris ex parte vtraq; primores caderent. Post hanc pugnam ex diuersa fuga in vnū collecti Ligures, cum maiorem multo partem ciuium amissam, quam superesse cernerent, (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt sese, nihil quidem illi pacti, sperauerant tamen non atrocius, quàm superiores imperatores, cos. in se sæuiturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonáque eorum vendidit, literásq. senatui de rebus ab se gestis misit. Quas cum A. Atilius Pr. in curia recitasset (nam cos. alter Posthumius agris recognoscendis in Campania occupatus aberat) atrox res visa senatui, Statellates, qui vni ex Ligurū gente non tulissent arma aduersus Romanos, tum quoque oppugnatos, non vltro inferentes bellum, deditos in fidem populi Romani, omni vltimę crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantia populi Romani, ne quis vnquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse, & distractos passim, iustis quondam hostibus P. R. pacatis seruire. Quas ob res S. C. factum est, placere senatui, M. Popilium cos. Ligures pretio emtorib. reddito, ipsos restituere in libertatem, bonaque vt iis, quicquid eius recuperari possit, reddantur curare: arma primo quoque tempore fieri in ea gente; Cos. de prouincia decedere, cum deditos in sedem suam Ligures restituisset: claram victoriā vincendo oppugnanteis non sæuiendo in afflictos fieri. cos. qua ferociora animi vsus erat in Liguribus, eandem ad non parēdum senatui habuit. legionibus extemplo Pisas in hybernacula missis, iratus patribus, infestus prætori Romam rediit. senatúque extemplo ad ædem Bellonę vocato, multis verbis inuectus est in prætorem: qui cum ob rem bello bene gestam, vti diis immortalibus honos haberetur referre ad senatum debuisset, aduersus se pro hostibus S. C. fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret: dediq; iis prope consulem prætor iuberet. Itaq; mulctam ei se dicere: à patribus postulare, vt S. c. in se factum tolli iuberent, supplicationémque, quam

absentes ex literis, de benè gesta repub. missis decernere debuerint, præsentes honoris deorum primum caussa, deinde & sui aliquo tandem respectu decernerent. Nihilo lenioribus quàm absens senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re in prouinciam redit. Alter Cos. Posthumius cõsumta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem prouincia sua, comitiorum caussa Romam rediit Cos. C. Popilium Lænatem, P. ælium Ligurem creauit. Prætores exinde facti, C. Licinius Crassus, M. Iunius Pœnus, Sp. Lucretius, Sp. Cluuius, Cn. Sicinius, C. Meminius iterum. Eo anno Lustrum conditum est Censores erāt Q. Fuluius Flaccus, & L. Posthumius Albinus. Posthumius condidit. Censa sunt ciuium Romanorum capita CCLXIX. millia, & XV. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius Cos. pro concione edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudij Cos. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur. Concors & è repub. censura fuit. Omnes quos senatu mouerunt, quibúsque equos ademerunt, ærarios fecerunt & tribu mouerunt, neque ab altero notatum alter probauit. Fuluius ædem Fortunæ equestris, quam procosul in Hispania dimicans cum Celtiberorum legionibus vouerat, annos sex postquam vouerat dadicauit, & scenicos ludos per quatriduum, vnum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus Xuir sacrorum eo anno mortuus est: in locum eius suffectus A. Posthumius Albinus. Locustarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, vt examinibus suis agros latè operient. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius Pr. designatus cum imperio in Apuliam missus ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumsit. Principium insequentis anni, quo C. Popilius & P. ælius fuerunt. Cos. residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus: renouarique S.C. volebant, & Cos. Ælius referebat. Popilius & collegam & senatum pro fratre deprecabatur, & præ se ferens si quid decernerent, intercessurum collegam deterruit. patres eo magis vtrique pariter Coss. infensi, incœpto perstabant. Itaque cum de prouinciis ageretur, & Macedonia, iam imminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popilio referretur. Postulantibus deinde vt nouos exercitus scriberet aut supplementum veterib. liceret, vtrumque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M Iunio in citeriorem, Sp. Lucretio in vlteriorem, C. Licinius Crassus vrbanam iurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluuius Sardiniam Coss. ob ea irati senatui. Latinis feriis in primam quāque diem indictis, in prouinciam abituros se denuntiarum, nec quicquam reipublicæ acturos, prçterquam quod ad prouinciarum administrationem attineret. Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam Valerius Antias his Coss. scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicãdosque apparatus belli Plurium annales, & quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur vt Romam venit, exceptus, cum tanto honore, quantum non meritis tantum eius, sed beneficiis etiam suis, ingentia quæ in eum congesta erant, existimaret deberi P. R. in senatum est introductus. Caussam veniendi sibi Romam fuisse dixit, præter cupiditatem visendi deos hominesq. quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem auderet, etiam vt corā

A moneret senatum, vt Persei conatis obuiam iret. Orsus inde à Philippi consiliis, necem Demetrij filij retulit, aduersantis Romano bello Bastarnarum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus in Italiam transiret. Hæc eum volutantem in animo oppressum fato regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse censisset Romanis. Itaque Persea hæreditarium à patre relictum bellum, & simul cum imperio traditum, iam iam primum alere ac fouare omnibus consiliis. florere præterea iuuentute, quàm stirpem longa pax ediderit: florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ cùm corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inueteratum diutina arte atque vsu belli. Iam inde à puero, patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum assuetum, missum à patre in expeditiones multas variasque. Iā ex quo ipse accepisset regnū, multa quæ non vi, non dolo, Philippus omnia expertus potuisset moliri, admirando rerum successu tenuisse. accessisse ad vires eam, quæ longo tempore, multis magnisque meritis pareretur, auctoritatem. Nam apud Græciæ atque Asiæ ciuitates vereri maiestatem eius omnes. nec pro quibus meritis, pro qua munificētia tantum ei tribuatur, cernere: nec dicere pro certo posse, vtrū felicitate id quadā eius accidat: an, quod ipse vereatur dicere, inuidia aduersus Romanos, fauorem illi cõciliet. Inter ipsos quoq; reges ingentē auctoritate, Seleuci filiam duxisse eum non potentē, sed petitum vltro: sororem dedisse Prusiæ precanti ac oranti: celebratas esse vtrasque nuptias gratulatione donisq, innumerabilium legationum: & velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Bœotorum gentem captatam Philippo, nunquā ad scribendum amicitiæ fœdus adduci potuisse: trib. nunc locis cū Perseo fœdus incisum literis esse: vno Thebis, altero ad Sidenum angustissimo & celeberrimo in templo, tertio Delphis. in Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos Romanum imperium intentantes esset, eò rem prope adductam, vt aditus & in Achaiam daretur. At hercule suos honores, cuius merita in eam gentem priuatim an publicè sint maiora, vix dici posset, partim desertos per inclutum ac negligētiam, partim hostiliter sublatos esse. Iam Ætolos quē ignorare in seditionibus suis non ab Romanis, sed à Perseo præsidium petiisse. His eum fultum societatibus atq; amicitiis, eos domesticos apparatus belli habere, vt externis non egeat. xxx. millia peditum, v. millia equitum, in decem annos frumentum præparare: vt abstinere & suo & hostium agro frumentandi caussa possit. Iam pecuniam tantā habere, vt x. millia mercenariorum militum præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habebat, prçter annuū, quod ex metallis regiis capiat vectigal. Arma vel tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisset. Iuuētutem, vt iā Macedonia deficiat, velut ex perēni fonte vnde hauriat, Thraciam subiectam esse. Reliquum orationis adhortatio fuit: Non ergo hæc, inquit, incertis iactata rumoribus, & cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos P.C. sed comperta & explorata, haud secus quàm si speculator missus à vobis subiecta oculis referrem. Neq; relecto regno meo, quod amplum & egregium vos fecistis, mare tātum traiecissem, vt vana ad vos afferendo, fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ & Græciæ ciuitates indies magis denudantes iudicia sua: mox si permitteretur, eò processuras, vnde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Persea non continentem se Macedoniæ regno, alia armis occupantem, alia quæ vi subigi non pos-

sunt, fauore ac beneuolentia complectentem, vide-
bam quàm impar esset sors, cum ille vobis bellum,
vós ei securam pacem præstaretis. Quanquam mihi
quidem non parare, sed gerere pene bellum videba-
tur. Abrapolim socium atque amicum vestrum re-
gno expulit. Arterarum Illyrium, quia scripta ab eo
quædam vobis comperit, socium item atque ami-
cum vestrum, interfecit. Euersam & Callicritum
Thebanos, principes ciuitatis, quia liberius aduersus
eum in concilio Bœotorum locuti fuerant, delatu-
rosque ad vos quæ agerentur, professi erant, tollen-
dos curauit. Auxilium Byzantiis aduersus fœdus tu-
lit. Dolopiæ bella intulit. Thessaliam & Doridem
cũ exercitu peruasit. vt in bello intestino deterioris
partis auxilio meliorem affligeret. Confudit & mi-
scuit omnia in Thessalia Perrhæbiáque spe nouarum
tabularum, vt manu debitorum obnoxia sibi opti-
mates opprimeret. Hæc cùm vobis quiescentibus &
patientibus fecerit, & concessam sibi Greciam esse à
vobis videat, pro certo habet, neminem sibi ante-
quam in Italiam traiecerit armatum occursurum.
Hoc quam vobis tutum aut honestum sit, vos vide-
ritis: ego certe mihi turpe esse duxi, prius Persea ad
bellum inferendum, quàm me socium ad prædicen-
dum vt caueretis, venire in Italiam. Functus neces-
sario mihi officio, & quodammodo liberata atque
exonerata fide mea, quid vltra facere possum, quam
vt deos deasque precer, vt vos & vestræ reipublicæ,
& nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus
consulatis? Hæc oratio mouit patres conscriptos: ce-
terum in præsentia nihil, præterquam fuisse in curia
regem, scire quisquam potuit. Eo silentio clausa cu-
ria erat. Bello denique profecto, quęque dicta ab re-
ge, quæque responsa essent, emanauere. Persei dein-
de regis legatis post paucos dies senatus datus est.
Ceterum preoccupatis non auribus magis quã ani-
mis ab Eumene rege, omnis & defensio & depre-
catio legatorum respuebatur: & exasperauit animos
ferocia animi Harpali, qui princeps legationis erat.
Is velle quidem & laborare dixit regem, vt purganti
se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides habeatur: ce-
terum, si peruicacius caussã belli queri videat, forti
animo defensurum se. Martem communem esse, &
euentum incertum belli. Omnibus ciuitatibus Grę-
ciæ atque Asiæ curæ erat, qui Persei legati, quid Eu-
menes in senatu egisset: & propter aduentum eius,
quem motorum aliquid rebantur, miserant pleræ-
que ciuitates alia in speciem præferenteis legatio
Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius
quin Eumenes ciuitatem quoque suam Persei cri-
minibus iunxisset. Itaque omni modo per patronos
hospitésque disceptandi cum rege locum in senatu
quærebat. Quod cum contigisset, libertate intempe-
rantius inuectus in regem, quod Lyciorum gentem
aduersus Rhodios concitasset, grauiorq; Asiæ esset,
quam Antiochus fuisset: popularem quidem ac gra-
tam populus Asię (nam eo quoque iam fauor Persei
venerat) orationẽ habuit: ceterum inuisam senatui,
inutilémq; sibi & ciuitati suæ. Eumeni verò cõspi-
ratio aduersus eum, fauorẽ apud Romanos fecit: ita
omnes ei honores habiti, donáq; quam amplissima
data, cum sella curuli, atque eburneo scipione. Lega-
tionibus dimissis, cum Harpalus, quãta eximia cele-
ritate poterat, regressus in Macedoniam nuntiasset
regi, nõdum quidem paranteis bellum reliquisse se
Romanos, sed ita infestos, vt facilè appareret nõ di-
laturos: & ipse, preter quam quod & ita credebat, fu-
turum, iam etiam volebat, in flore virium se credens
esse. Eumeni ante omnes infestus erat: à cuius sãgui-
ne ordiens bellũ Euandrũ Cretensem ducẽ auxilio-

A rum, & Macedonas tres assuetos ministeriis talium
facinorum, ad cædem regis subornat, literásque eis
dat ad Praxo hospitam, principem auctoritate & o-
pibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem vt sa-
crificaret Apollini, Delphos ascensurum. Progressi
cum Euandro insidiatores, nihil aliud ad peragen-
dum inceptum quàm loci opportunitatem omnia
circumeuntes quærebant. Ascendentibus ad tem-
plum à Cirra, priusquam perueniretur ad frequen-
tia ædificiis loca, maceria erat ab læua semitæ pau-
B lum exstans à fundamento, qua singuli transirent.
dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis di-
ruta erat. post maceriam se abdiderunt, gradibus a-
structis, vt ex ea velut è muro tela in prætereuntem
conicerent. Primo à mari circumfusa turba amico-
rum ac satellitum procedebat: deinde extenuabant
paulatim angustæ agmen. Vbi ad eum locum ven-
tum est, qua singulis eundum erat, primus semitam
ingressus Pantaleon Ætoliæ princeps, cum quo in-
stitutus regi sermo erat. Tum insidiatores exorti
C saxa duo ingentia deuoluunt: quorum altero caput
ictum est regi, altero humerus sopitus, ex semita
procliui in decliue multis super prolapsum iam sa-
xis congestis. & ceteri quidem etiam amicorum &
satellitum postquam cadentem viuere, diffugiunt.
Pantaleon constanter impauidus mansit ad prote-
gendum regem. Latrones cùm breui circumitu
maceriæ decurrere ad conficiendum saucium pos-
sent, velut perfecta re in iugum Parnasi refugerunt
eo cursu, vt cum vnus, non facile sequendo per in-
D uia atque ardua, moraretur fugam eorum, ne com-
prehenso indicium emanaret, occiderint comitem.
Ad corpus regis primo amici, deinde satellites ac
serui concurrerunt tollentes sopitum vulnere, ac
nihil sentientem: viuere tamen ex calore & spiritu
remanẽte in præcordiis senserunt, victurum exigua
ac prope nulla spes erat. Quidam ex satellitibus se-
cuti latronum vestigia, cum vsque ad iugum Parnasi
nequicquam fatigati peruenissent, re infecta redie-
runt. Aggressi facinus Macedones vt inconsulte, ita
E audacter cœptum, nec consultè & timidè relique-
runt. Compotem iam sui regem amici postero die
deferunt ad nauem: inde Corinthum, à Corintho
per Isthmi iugum nauibus traductis, Æginam traii-
ciunt. Ibi adeo secreta eius curatio fuit, admitten-
tibus neminem, vt fama mortuum in Asiã perferret.
Attalus quoque celerius, quam dignum concordia
fraterna erat, credidit: nam & cum vxore fratris, &
præfecto arci, tanquam iam haud dubius regni he-
res est locutus. Quæ postea non fefellere Eume-
F nem: & quanquam dissimulare, & tacitè habere id
patique statuerat, tamen in primo congressu non
temperauit, quin vxoris petendæ præmaturam fe-
stinationem fratri obiiceret. Romam quoque fama
de morte Eumenis perlata est. Sub idem tempus C.
Valerius ex Græcia, qui legatus ad visendum statum
regionis eius, speculandásque consilia Persei regis
missus erat, rediit: congruentiáque omnia crimini-
bus ab Eumene allatis referebat, simul & adduxerat
secum Praxo à Delphis, cuius domus receptaculum
G latronum fuerat: & L. Rammium Brundusinum, qui
talis indicij delator erat. Princeps Brundusij Ram-
mius fuit: hospitio quoque & duces Rom. omnes,
& legatos exterarum quoque gentium insignes
præcipuè regios accipiebat ex eo notitia ei cum ab-
sente Perseo fuerat: literísque spem amicitiæ in-
terioris, magnæque inde fortunæ facientibus, ad
regem profectus, breui per familiaris haberi, trahi-
que magis quam vellet in arcanos sermones, est
cœptus. Promissis enim ingentibus præmissis petere
insti-

instituit ab eo rex, quoniam duces omnes legatique A
Rom. hospitio eius vti assuessent, quibus eorum ipse
scripsisset, vt venenum dandum curaret. Cuius scire
se comparationem plurimum difficultatis & peri-
culi habere, pluribus consciis comparari: euẽtu præ-
ter ea incerto esse, vt aut satis efficacia ad rem pera-
gendam, aut tuta ad rem celandam dentur. se datu-
rum, quod nec in dando, nec datum, vllo signo de-
prehendi posset. Rammius veritus ne si abnuisset,
primus ipse veneni experimentum esset, facturum
pollicitus proficiscitur: nec Brundusium ante redire,
quam conuento C. Valerio legato, qui circa Chal-
cidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primũ indi- B
cio delato, iussu eius Romam simul venit. introdu-
ctus in curiam, quæ acta erant, exposuit. Hæc ad ea
quæ ad Eumene delata erant accessere, quo matu-
rius hostis Perseus iudicaretur: quippe quem non
iustum modo apparare bellum regio animo, sed per
omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac
veneficiorum cernebant. Belli administratio ad no-
uos Consules reiecta est: in præsentia tamen Cn. Si-
ciniũ Pr. cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio
erat, scribere milites placuit, qui Brundusium du-
cti, primo quoque tempore Appolloniam in Epirũ
traiicerentur, ad occupandas maritimas vrbes: vbi C
Cos. cui prouincia Macedonia obuenisset, classem
appellere tuto, & copias percommode exponere
posset. Eumenes aliquandiu Æginæ retentus peri-
culosa & difficili curatione, cum primum tuto po-
tuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium
recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi
parabat bellum. Legati eò ab Roma gratulantes
quod è tanto periculo euasisset, venerunt. Cùm Ma-
cedonicum bellum in annum dilatum esset, ceteris
Prr. iam in prouincias profectis, M. Iunius & Sp.
Lucretius, quibus Hispaniæ prouinciæ obuenerant,
fatigato sæpe idem petendo senatu, tandem peruice- D
runt, vt supplementum sibi ad exercitum daretur,
tria millia peditum, centum & quinquaginta equi-
tes in Romanas legiones, in socialem exercitum
quinque millia peditum, & CCC. equites imperare
sociis iussi. Hoc copiarum in Hispanias cum Prr. no-
uis portatum est. Eodem anno, quia per recognitio-
nem Postumij Cos. magna pars agri Campani,
quem priuati sine discrimine passim possederant, re-
cuperata in publicum erat, M. Lucretius Tr. pl. pro-
mulgauit, vt agrum Campanum censores fruendum E
locarent. quod factum tot annis post captam Capuá
non fuerat, vt in vacuo vagaretur cupiditas priuato-
rum. Cum exspectatione senatus esset, bello & si nõ
indicto, tamen iam decreto, qui regnum suam, Persei
qui secuturi amicitiam essent, legati Ariaratis, pue-
rum filium regis secum adducentes, Romam vene-
runt. Quorum oratio fuit, regem educandum filium
Romam misisse, vt iam inde à puero assuesceret mo-
ribus Romanis hominibusque. petere, vt eum non F
sub hospitium modo priuatorum custodia, sed pu-
blicæ etiam curæ ac velut. tutelæ vellent esse. Ea re-
gis legatio grata senatui fuit. Decreuerunt vt Cn. Si-
cinius prætor ædeis instructas locaret, vbi filius re-
gis comitésq; eius habitare possent. Et Thracum le-
gatis apud se disceptantibus, & societatem amici-
tiámq; petẽtibus, & quod petebãt datum est: & mu- G
nera binum millium æris summæ in singulos missa.
Hos vtiq; populos, quod ab tergo Macedoniæ Thra-
cia esset, assumtos in societatem gaudebant. Sed vt
in Asia quoque & insulis explorata omnia essent, T.
Claudium Neronẽ. M. Decimium legatos miserunt
Adire eos Cretá & Rhodum iusserunt, simul reno-
uare amicitiá, simul speculari, num sollicitati animi

sociorum ab rege Perseo essent. In suspensa ciuitate
ad exspectationem noui belli, nocturna tempestate
columna rostrata in Capitolio bello Punica priore
posita à M. Æmylio Cos. cui collega Ser. Fuluius fuit,
tota ad imum fulmine discussa est. Ea res prodigij
loco habita, ad senatũ relata est. Patres ad aruspices
referre, & Xuiros adire libros iusserunt. Xuiri lustra-
dum oppidum, supplicationem obsecrationémque
habendam, victimis maioribus sacrificandum, & in
Capitolio Romę, & in Campania ad Mineruæ pro-
montorium renuntiarunt ludos per X. dies Io. O. M.
primo quoque die faciẽdos. Ea omnia cum cura fa-
cta. aruspices in bonum versurũ id prodigium, pro-
lationémq; finium, & interitum perduellium por-
tendi respõderunt: quod ex hostibus spolia fuissent
ea rostra, quæ tempestas disiecisset. Accesserunt quę
cumularent religiones animis. Saturniæ nuntiatum
erat sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatię
asinum tripedem natum, & taurum cum quinq; vac-
cis, vno ictu fulminis exanimatos: Oximi terra plu-
isse. Horum quoq; prodigiorum caussa, res diuinæ.
factæ & supplicatio vnum diem, feriæque habitæ
Consules ad id tempus in prouincias non exierant:
quia neque vri de M. Popilio referrent, senatui obse-
quebantur, & nihil aliud decernere prius, statutum
patribus erat. Aucta etiam inuidia est Popilij, literis
eius, quibus iterum cum Satellatibus Liguribus
proconsul pugnasse se scripsit, ac se decem millia
eorum occidisse: propter cuius iniuriam belli, ce-
teri quoque Ligurũm populi ad arma ierant. Tum
verò non absens modo Popilius, qui deditis contra
ius ac fas bellum intulisset, & pacatos ad rebellium
incitasset: sed Coss. quod non exirent in prouinciam
in senatu increpiti. Hoc consensu patrum accensi
M. Martius Sermo, & Q. Martius Scylla tribuni ple-
bis & Coss. mulctam se dicturos, nisi in prouinciam
exirent, denuntiarunt: & rogationem quam de Li-
guribus deditis promulgare in animo haberent, in
senatu recitarunt Sanciebatur, vt qui ex Statellis de-
ditis in libertatem restitutus ante calendas Sextiles
primas non esset, cuius dolo malo is in seruitutem
venisset, vt iuratus senatus decerneret, qui eam rem
quæreret animaduerteretque. Ex auctoritate deinde
senatus eam rogationem promulgarunt. Priusquam
proficiscerentur Coss. C. Cicereio prætori prioris
anni ad ædem Bellonæ senatus datus est. Is expositis,
quas in Corsica res gessisset, postulatoq́ue frustra
triumpho, in monte Albano, quod iam in more ve-
nerat, vt sine publica auctoritate fieret, triumphauit.
Rogationem Martiam de Liguribus magno con-
sensu plebesciuit iussitq;. ex eo plebiscito C. Lici-
nius Pr. consuluit senatum quem quærere ex roga-
tione vellet. Patres ipsum eum quærere iusserunt.
Tum demum Coss. in prouinciam profecti sunt, e-
xercitúmque à M. Popilio ceperunt: neque tamẽ M.
Popilius reuerti Romam audebat, ne caussam dice-
ret, aduerso senatu infestiore populo, apud Pr. qui
de quæstione in se posita senatum cõsuluisset. Huic
detrectationi eius, Trr. pl. alterius rogationis denun-
tiatione occurrerũt: vt si non ante Idus Nouembres
in vrbem Romam introisset, de absenti eo C. Lici-
nius statueret ac iudicaret. Hoc tractus vinculo cum
rediisset, ingẽti cum inuidia in senatum venit. Ibi cũ
laceratus iurgiis multorum esset, S. C. factum est vt
qui Ligurum post Q. Fuluium L. Manlium Coss. ho-
stes non fuissent, vt eos C. Licinius, Cn. Sicinius Prr.
in libertatem restituendos curarent. agrumq; iis trás
Padum Cos. Popilius daret. Multa millia hominum
hoc S. C. restituta in libertatẽ trásductísq; Padũ ager
est assignatus. M. Popilius rogatione Martia bis apud

C. Licinium caussam dixit: tertio Pr. gratia Cos. ab-
sentis, & Popiliæ familiæ precibus victus, Idibus
Martiis adesse reum iussit, quo die noui magistratus
inituri erant honorē, ne diceret ius, qui priuatus fu-
turus esset. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci elusa
est. Legati Carthaginienses eo tempore Romæ erāt,
& Gulussa filius Masanissæ: inter eos magnę conten-
tiones in senatu fu[illegible] Carthaginienses quereban-
tur, præter agrum, de quo antè legati ab Roma, qui
in re præsenti cognoscerent, missi essent amplius
B LXX. oppida castellaque agri Carthaginiensis bien-
nio proximo Masanissam vi atque armis possedisse.
Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse: Carthaginienses
fœdere illigatos silere: prohiberi enim extra fines
efferre arma. Quanquam sciant in suis finibus, si
inde Numidas pellerent, se gesturos bellum: illo
haud ambiguo capite fœderis deterreri, quo disertè
vetentur cum sociis populi Romani bellum gere-
re. Sed iam vltra superbiam crudelitatémque & a-
uaritiam eius non pati posse Carthaginienses: mis-
C sos esse qui orarent senatum, vt trium harum re-
rum vnam ab se impetrari sinerent: vt vel ex æquo
apud socium populum, quid cuiusque esset, disce-
ptarent: vel permitterent Carthaginiensibus vt ad-
uersus iniusta arma pio iustoque se tutarentur bel-
lo: vel ad extremum, si gratia plus quam veritas a-
pud eos valeret, semel statuerent, quid donatum
ex alieno Masanissæ vellent. Modestius certe datu-
ros eos, & scituros quid dedissent: ipsum nullum
præterquam suæ libidinis arbitrio finem facturum.
D Horum si nihil impetrarent, & aliquod suum post
datam à P. Scipione pacem delictum esset, ipsi potius
animaduerterent in se. Tutam seruitutē se sub do-
minis Romanis, quam libertatem expositam ad in-
iurias Massanissæ malle. Perire nanque semel ipsis
satius esse, quā sub acerbissimi carnificis arbitrio spi-
ritū ducere. Sub hęc dicta lacrymātes procubuerunt.
stratique humi nō sibi magis misericordiā quā regi
inuidiā cōcitarūt. interrogari Gulussā placuit, quid
ad ea responderet: aut si prius mallet expromeret
super qua re Romam venisset. Gulussa neque sibi fa-
E cile esse dixit de iis rebus agere, de quibus nihil mā-
dati à patre haberet: neque patri facile fuisse man-
dare, cum Carthaginienses nec de qua re acturi es-
sent, nec omnino ituros se Romam indicauerint.
In æde Æsculapij clandestinum eos per aliquot no-
ctes concilium principum habuisse, vnde præterea
legatos occultis cum mandatis Romam mitti. Eam
caussam fuisse patri mittendi se Romam, qui depre-
caretur senatum ne quid communibus inimicis cri-
F minantibus se crederent, quem ob nullam aliam
caussam nisi propter constantem fidem erga popu-
lum Romanum odissent. His vtrinque auditis, se-
natus de postulatis Carthaginiensium consultus re-
spondere ita iussit: Gulussam placere extemplo in
Numidiam proficisci, & nuntiare patri, vt de iis, de
quibus Carthaginienses querantur, legatos quam-
primum ad senatum mittat, denuntiétque Cartha-
giniensibus, vt ad disceptandum veniant. Si aliquid
possent Masanissæ honoris caussa, & fecisse, & fa-
G cturos esse. Ius gratiæ non dare: agrum qua cuiusque
sit, possideri velle: nec nouos statuere fines, sed vete-
res obseruari in animo habere. Carthaginiensibus
victis se & vrbes & agros concessisse, non vt in pace
eriperent per iniuriam, quæ iure belli non ademis-
sent. Ita regulus Carthaginiensésque demissi. mune-
re ex instituto data vtrisque, aliáq; hospitalia comi-
ter cōseruata. Sub idem tempus Cn. Seruilius Cæpio,
Ap. Claudius Cento. Annius Luscus legati, ad res re-
petendas in Macedoniam, renuntiandámq; amici-

A tiam regis missi, redierunt: qui iam sponte infestum
Persei senatum insuper accenderunt, relatis ordine
quæ vidissent, quæque audissent. vidisse se per om-
nes vrbes Macedonum summa vi parari bellū. Cum
ad regem peruenissent, per multos dies conueniendi
eius potestatem non factam. Postremo, cum despe-
rato iam colloquio profecti essent, tum demum se
ex itinere reuocatos, & ad eum introductos esse. Sue
orationis summam fuisse, fœdus cum Philippo ictū.
cum ipso eo post mortem patris renouatum: in quo
B disertè prohiberi eum extra fines arma efferre. pro-
hiberi socios P. R. lacessere bello. Exposita deinde
ab se ordine, quæ ipsi nuper in senatu Eumenem
vera omnia & comperta referentem audissent. Sa-
mothraciæ præterea permultos dies occultum con-
silium cum legationibus ciuitatum Asiæ regem ha-
buisse. Pro his iniuriis satisfieri senatum æquum
censere, reddique sibi res sociisque suis, quas contra
ius fœderis habeat. Regem ad ea prima accensum
ira, inclementer locutum, auaritiam superbiamque
C Romanis obiicientem frequenter, quod alij super
alios legati venirent, speculari dicta factaque sua,
quod se ad nutum imperiúmque eorum omnia di-
cere ac facere æquum censerent. Postremo multum
ac diu vociferatum, reuerti postero die iussisse, scri-
ptum se responsum dare velle: tum ita sibi scriptum
traditum esse: Fœdus cum patre ictum, ad se nihil
pertinere. Id se renouari, non quia probaret, sed quia
in noua possessione regni patienda omnia essent,
passum. Si nouum fœdus secum facere vellent, con-
D uenire prius de conditionibus debere: & si in ani-
mum inducerent, vt ex æquo fœdus fieret, & se vi-
surum quid sibi faciundū esset, & illos credere reip.
consulturos. Atque ita se proripuisse, & summoueri
è regia omnes cœptos: tum se amicitiam & societa-
tem renuntiasse. Qua voce eum accensum restitisse,
atque voce clara denuntiasse sibi, vt triduo regni sui
decederent finibus. Ita se profectos, nec sibi aut ve-
nientibus, aut manantibus quidquam hospitaliter
aut benigne factum. Thessali deinde Ætolique lega-
E ti auditi Senatui, vt scirent quam primū quibus du-
cibus vsura resp. esset, literas mitti Coss. placuit, vt
vter eorum esset, Rom. ad magistratus creandos ve-
niret. Nihil magnopere quod memorari attineat,
reipub. eo anno Coss. gesserant: magis è republ. erat
visum comprimi ac sedari exasperatos Ligures, cum
Macedonicum bellum exspectaretur. Gētium quo-
que Illyriorum regem suspectum Issenses legati fe-
cerunt: simul questi fines suos secundo populatum:
simul nuntiantes vno animo viuere Macedonum at-
F que Illyriorum regem, communi cōsilio parare Ro-
manis bellum: & specie legatorum Illyrios specula-
tores Romæ esse, Perseo auctore missos, vt quid a-
geretur scirent. Illyrij vocati in senatum: qui cum
legatos se esse missos ab rege dicerent ad purganda
crimina, si qua de rege Issenses deferrent. quæsitum
ecquid ita non adissent magistratum, vt ex instituto
loca lautia acciperent: sciretur denique venisse eos,
& super qua re venissent. Hæsitantibus in responso,
G vt curia excederent dictum: responsum tanquam le-
gatis, vt qui adire senatum non postulassent, dari nō
placuit: mittendósque ad regem legatos censuerunt,
qui nuntiarēt, qui socij quererentur apud senatum
exustum à rege agrum. non æquum eum facere: qui
ab sociis suis non abstineret iniuriam. In hanc lega-
tionem missi, A. Terētius Varro, C. Pletorius, C. Ci-
cereius. Ex Asia qui circa socios reges missi erant
legati redierunt, qui renuntiarent Eumenem in ea,
Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandria sese
cōuenisse. Omnes solicitos legationibus Persei, sed
egregiè

egregiè in fide permanere, pollicitósque omnia quę populus Romanus imperasset, præstaturos, & ciuitates socias adisse: ceteras satis fidas, solos Rhodios fluctuanteis & imbutos Persei consiliis inuenisse. venerant legati Rhodij ad purganda ea quæ vulgo iactari de ciuitate sciebant: ceterum senatum iis dati, cum noui consules magistratum inissent, placuit. Belli apparatum non differendum censuerunt. C. Licinio prætori negotium datur, vt ex veteribus quinqueremibus in naualibus Romę subductis, quę possent vsui esse reficeret, paratétque naues quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegæ in Siciliam scriberet, vt eas, quæ in Sicilia naues essent, reficeret atque expediret, vt Brundusium primo quoque tépore mitti possent. Socios nauales libertini ordinis in viginti & quinque naues ex ciuibus Romanis Cn. Licinius prætor scribere iussus: in quinque & viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem prætor peditum VIII. millia, CCCC. equites à sociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundusij acciperet, atque in Macedoniā mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno prætor fuerat deligitur: Cn. Sicinius prætor qui exercitum parator ad traiciendum haberet. C. Popilio Cos. ex auctoritate senatus C. Licinius prætor scribit, vt & legionem secundam, quæ maximè veterana in Liguribus erat: & socios Latini nominis quatuor M. peditum, CC. equites idibus Februarij, Brundusij adesse iuberet. Hac classe & hoc exercitu Cn. Sicinius prouinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, iussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia quæ senatus censuit, impigre facta sunt. Duo de quadraginta quinqueremes ex naualibus deductæ: qui deduceret eas Brundusium, L. Portius Licinius præpositus: duodecim ex Sicilia missæ. Ad frumentūm classi exercituique coemendum in Apuliam Calabriâmque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Iuuētius, M. Cæcilius. Ad omnia præparata Cn. Sicinius prætor paludatus ex vrbe profectus, Brundusium venit. Exitu prope anni C. Popilius Cos. Romam rediit, aliquanto serius quàm senatus censuerat: cui primo quoque tempore magistratus creare, cum tantum bellum immineret, iussum erat. Itaque non secūdis auribus patrum auditus est. Cos. cum in ęde Bellonę de rebus in Liguribus gestis dissereret: succlamationes frequentes erant interrogationésque, cur scelere fratris oppressos Ligures in libertatem non restituisset. Comitia consularia in quam edicta erant diem ad XII. calendas Martias sunt habita. Creati Coss. P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die prætores facti, C. Sulpitius Galba, L. Furius Philus, L. Canuleius Diues, D. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Iunius Annalis. His prętoribus prouinciæ decretæ, duæ iure Romæ dicendo, Hispania, & Sicilia, & Sardinia, vt vni sors integra esset, quo senatus censuisset. Coss. designatis imperauit senatus, vt qua die magistratum inissent, hostiis maioribus ritè mactatis precarentur, vt quod bellū P. R. in animo haberet gerere, vt id prosperum eueniret. Eodem die decreuit senatus, vt C. Popilius COS. ludos per dies X. Ioui OPT. MAX. voueret, donâque circa omnia puluinaria dari, si respubl. X. annos in eodem statu fuisset. Ita vt censuerant, in Capitolio vouit COS. ludos fieri, donariáque dari, quāta ex pecunia decresset senatus. cum centum & quinquaginta non minus adessent, præeunte verba Lepido pontifice maximo id votum susceptum est. Eo anno sacerdotes publici mortui, L. Æmylius Pappus Xuir sacrorum, & Q. Fuluius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor. Hic fœda morte periit. Ex duobus filiis eius, qui tum in Illyrico Militabant, nuntiatum alterum decessisse, alterum graui & periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus metúsque: mane ingressi cubiculum serui, laqueo dependentem inuenere. Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui. vulgo Iunonis Lacinię iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Suffectus in Æmilij locū Xuir M. Valerius Messala, in Fuluij pontifex Cn. Domitius Ænobardus, oppido adolescens sacerdos lectus. P. Licinio, C. Cassio COSS. non vrbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges ciuitatésque quæ in Europa, quæque in Asia erant, conuerterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem cum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere eius prope vt victima mactatus Delphis esset. Prusias Bithyniæ rex statuerat abstinere armis, euentúmque exspectare. Nam neque pro Romanis se æquum censere aduersus fratrem vxoris arma ferre: & apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarates Cappadocum rex præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est iunctus Eumeni affinitate: in omnia belli pacísque se consociauerat consilia. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & pueritiam regis, & inertiam tutorum spernens, & ambigendo de Cœlesyria, caussam belli se habiturum existimabat: gesturumque sine vllo impedimento occupatis Rom. in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos senatui, & ipse legatis eorum eximiè pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrij erat: tutores & bellum aduersus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœlesyriam, & Rom. omnia pollicebantur ad Macedonicum bellūm. Masanissa & frumento iuuabat Rom. & auxilia cum elephantis Misagenemque filium mittere ad bellum parabat. Consilia autem in omnem fortunā ita disposita habebat. Si penes Rom. victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque vltra quicquam mouendū: non enim passuros Rom. vim Carthaginiensibus afferri. Si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerēt Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius rex Illyriorum fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat vtram foueret partem. impetuque magis quam consilio his aut illis se adiuncturus videbatur. Cotys Thrax Odrysarum rex euidenter Macedonum partis erat. Hęc sententia regibus cum esse de bello, in liberis gentibus populísque, plebs vbique omnis ferme vt solet, deterioribus erat ob regem Macedonésque inclinata: principum diuersa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi erant, vt auctoritatem immodico fauore corrumperēt: pauci ex iis iustitia imperij Romani capti: plures ita, si præcipuam operā nauassēt, potentes sese in ciuitatibus suis futuros rati. Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & desperatio rerum suarum eodem manēte statu, præcipites ad nouanda omnia agebat: quosdam ventosū ingenium, quia Perseus magis auræ popularis erat. Tertia pars, optima eadem & prudentissima, si vtique optio domini potioris daretur, sub Romanis quā sub rege malebat esse. si liberū inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentiorem altera oppressa fieri: sed illibatis pótius viribus vtriusq; partis, pacem ex eo manere: ita inter vtrosq; optimam conditionē ciuitatum fore, protegēte altero semper inopem ab alterius iniuria. Hæc sentientes, certamina futurorū vtriusq; partis taciti ex tuto spe-

larum & Scordiscorum auxiliis, audendum aliquid vel temerè rati, omnes vndique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conueniunt. Hyems erat, & id anni tempus elegerant, vt Thraces Scordiscique in fines suos abirent. Quod vbi ita factum, & solos iam esse Bastarnas audierunt, bifariam diuidunt copias: pars vtrecto itinere ad lacessendum ex aperto iret, pars deuio saltu circumducta, ab tergo aggrederetur. Ceterum priusquam circumire castra hostium possent, pugnatum est: victique Dardani compelluntur in vrbem, quæ ferè XII. millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumsidunt vrbem haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine præsidio relicta

* *

more sella eburnea posita ius dicebat, disceptabatque controuersias minimarum rerum: adeóque nulli fortunæ adhærebat animus per omnia genera vitæ errans, vt nec sibi nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere, munificentia inæquali sese aliósque ludificari: quibusdam honoratis, magnóque æstimantibus se, puerilia vt escæ aut lusus, munera dare: alios nihil exspectantes ditare. Itaque nescire quid sibi vellet, quibusdam videri. quidam ludere eum simpliciter, quidam haud dubiè insanire aiebant. In duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus, in vrbium donis & deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circundaturum vrbi est pollicitus: maiorémque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum è marmore facere instituit. Cyzici in prytaneum, id est, penetrale vrbis, vbi publicè quibus is honos datus est, vescuntur: vasa aurea mensæ vnius posuit. Rhodiis nihil vnum insigne, ita omnis generis, vt quæque vsus eorum postulauerunt, dona dedit. Magnificentiæ verò in deos, vel Iouis Olympij templum Athenis, vnum in terris incoatum pro magnitudine dei, potest testis esse. Sed & Delon aris insignibus, statuarúmque copia exornauit: & Antiochiæ Iouis Capitolini magnificum templum non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreue tempus regni eius fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit, reliquorum sui moris & copia Græcorum artificum, gladiatorum munus Romanæ consuetudinis, primo maiore cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate dedit: deinde sæpius dando & modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam, & familiare oculis gratúmque id spectaculum fecit, & armorum studium plerisque iuuenum accendit. Itaque qui primo ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores accersere solitus erat, iam suo

* *

L. Corneli' Scipio inter peregrinos. M. Attilio Pr. prouincia Sardinia obuenerat: sed cũ legione noua quã Coss. cõscripserãt, quinq. millib. peditũ, CCC. equitib. in Corsicam iussus est transire. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio prorogatum imperium, vti obtineret Sardiniam. Cn. Seruilio Cæpioni in Hispaniã vlteriorem, & P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites CL. & socium Latini nominis quinq. millia peditum, CCC. equites.

A Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas præterea legiones COSS. scribere iussi, cum iusto numero peditum equitúmque, & decem millia peditum socius imperare, & DC. equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quod pestilẽtia, quæ priore anno in boues ingruerat, eò verterat in hominum morbos. qui inciderant, haud facile septimum diem superabant, qui superauerant, longinquo maximæ quartanæ implicabantur morbo. Seruitia maximè B moriebantur. eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus libitina sufficiebat. cadauera intacta à canibus ac vulturib. tabes absumebat, satisq. constabat. nec illo nec priore anno in tanta strage boum, hominúmque vulturium vsquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt. Cn. Seruilius Cæpio pontifex pater prætoris, & T. Sempronius T.F. Longus Xuir sacrorum, & P. Ælius Pætus augur, & T. Sempronius Gracchus, & C. Atilius æmylius curio maximus, & M. Sempronius Tuditanus pontifex. Ponti- C fices suffecti sunt, C. Sulpitius Galba in locum Tuditani. Augures suffecti sunt: in Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronius, in P. Ælij Q. Ælius Pætus. Xuir sacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus, C. Scribonius curio sufficitur. Cum pestilentiæ finis non fieret, senatus decreuit, vti Xuiri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem vnum supplicatio fuit. & Q. Martio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit, si mor- D bus pestilentiáque ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum. In Veienti agro biceps natus puer, & Sinuessæ vnimanus, & Oximi puella cum dentibus, & arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus, & tres simul soles effulserunt, & faces eadem nocte plures per cœlum lapsæ sunt in Lanuuino, Cæritésque anguem in oppido suo iubatum aureis maculis sparsum apparuisse affirmabant, & in agro Campano bouem locutum esse satis con- E stabat. Legati Nonis Iulij ex Africa redierunt, qui conuento prius Masanissa rege Carthaginem ierant: ceterum certius aliquanto quæ Carthagine acta essent, ab rege resciuerant, quàm ab ipsis Carthaginiensibus compertum tamen affirmarunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in æde Æsculapij datum esse. ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, & rex affirmauerat, & ipsi parum constanter negauerant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. Tres missi sunt, F C. Lælius, M. Valerius Messala, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, disceptationẽ ab rege ad Rom. reuocabãt, cum exercitu profectus sub ius iudiciúmque suum totam coëgit gẽtem. Inde per Oetæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo obiectis oraculum aditurus Delphos ascendit. Cùm in media repentè Græcia apparuisset, magnum non finitimis modo vrbibus terrorem præbuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuntius tumultus eius venit. Tri- G duum non plus Delphis moratus, per Phthiotidem Achaiam, Thessaliámque sine damno iniuriáque agrorũ per quos iter fecit, in regnũ rediit. Nec earũ tãtũ ciuitatum, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare, sed aut legatos aut literas dimisit, petẽs, ne diutius simultatũ, quę cũ patre suo fuissent, meminissent: nec enim tam atroces fuisse eas, vt nõ cum ipso potuerint ac debuerint finiri: secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam. Cùm Achæorum maximè gen-

tere-

te reconciliandæ gratiæ viam quærebant. Hæc vna A ex omni Græcia gens, Athenienſium ciuitas, eo proceſſerat irarum, vt finibus interdiceret Macedonibus. Itaque ſeruitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat: quia cùm finibus ſuis interdixiſſent, intrare regni terminos ipſi non audebant. id cum Perſeus animaduertiſſet, comprehenſis omnibus literas ad Achæos miſit, quibus ſe, ſeruos eorum, qui ad ſe transfugerant, benigne remittere, illis ſcripſit. Ceterum ne ſimilis fuga ſeruorum B poſtea fieret, cogitandum & illis eſſe. Recitatis his literis per Xenarchum pr. qui priuatæ gratiæ aditum apud regem quærebat: & pleriſque moderatè & benigne ſcriptas eſſe cẽſentibus literas, atque his maximè qui præter ſpẽ recepturi eſſent amiſſa mancipia: Callicrates ex iis qui in eo verti ſalutem gentis crederent, ſi cũ Romanis inuiolatum fœdus ſeruaretur: Parua, inquit, aut mediocris res, Achæi quibuſdã videtur agi: ego maximè grauiſſima omniũ, non agique tantum arbitror, ſed quodam modo a- C ctam eſſe. Nam qui regibus Macedonum Macedonibúſque ipſis, finibus interdixiſſemus, manereque id decretum voluimus, ſcilicet ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi ſolicitarentur: ij concionantem quodam modo abſentem audimus regem, & fidiis placet, orationem eius probamus: & cum feræ beſtiæ cibum ad fraudem ſuam poſitum plerunque aſpernentur & refugiant, nos cæci ſpecie parui beneficij ineſcamur: & ſeruulorum minimi pretij recipiendorum ſpe, noſtram ipſorum libertatem ſubrui & D tentari patimur. Quis enim non videt, viam regiæ ſocietatis quæri, qua Romanorum fœdus, quo noſtra omnia continentur, violetur? Niſi hoc dubium alicui eſt, bellandum Romanis cum Perſeo eſſe: & quod viuo Philippo exſpectatum morte eius interpellatum eſt, id poſt mortem Philippi futurum. Duos, vt ſcitis, habuit filios Philippus, Demetrium & Perſea. Genere materno, virtute, ingenio, fauore Macedonum, longè præſtitit Demetrius. Sed quia in Romanos odij regnum poſuerat præmium, De- E metrium nullo alio crimine quam Romanæ amicitiæ initæ, occidit: Perſea quem P.R. prius pœnæ quam regni heredem futurum ſciebat, regem fecit. itaque quid hic poſt mortem patris egit aliud, quã bellum parauit? Baſtarnas primum ad terrorem omnium Dardaniam immiſit: qui ſi ſedem eam tenuiſſent, grauiores eos accolas Græcia habuiſſet, quã Aſia Gallos habeat. Ea ſpe depulſus, non tamen belli cõſilia omiſit: imo ſi vera volumus dicere, iam incoauit bellum, Dolopiam armis ſubegit, nec pro- F uinciis de controuerſiis ad diſceptationem P.R. reuocatam audiuit. inde tranſgreſſus Oetam, vt repente in medio vmbilico Græciæ conſpiceretur, Delphos aſcendit. Hæc vſurpatio itineris inſoliti quo vobis ſpectare videtur? Theſſaliã deinde peragrauit, quod ſine vllius eorum quos oderat noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris ſpecie miſit, & cogitare iubet quomodo in reliquum hoc munere non egeamus, hoc eſt, vt decretum quo arcentur Peloponenſo Mace- G dones, tollamus: rurſus legatos regios, & hoſpitia cum principibus, & mox Macedonum exercitus, ipſum quoque à Delphis (quantum enim interluit fretum?) traiicientem in Pelopõneſum videamus. Immiſceamur Macedonibus armantibus ſe aduerſus Romanos. Ego nihil noui cenſeo decernendum, ſeruandaque omnia integra, donec ad certum dirigantur: vanuſne hic timor noſter, an verus fuerit, ſi pax inuiolata inter Macedonas Romanóſq. manebit, nobis quoque amicitia & commercium ſit. nunc de eo cogitare periculoſum & immaturum videtur. poſthunc Arco frater Xenarchi prætoris ita diſſeruit: Difficilem orationem Callicrates & mihi, & omnibus qui ab eo diſſentimus, fecit: agendo enim Romanæ ſocietatis cauſſam ipſe, tentarique & oppugnari dicendo, quam nemo neque tentat neque oppugnat: effecit, vt qui ab ſe diſſentiret, aduerſus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium tanquam non hic nobiſcum fuiſſet, ſed aut ex curia P.R. veniret, aut regum arcanis intereſſet, omnia ſcit & nuntiat quæ occultè facta ſunt: diuinat etiam quæ futura fuerant, ſi Philippus vixiſſet: quid ita Perſeus regni hæres ſit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem, qui nec ob quam cauſſam, nec quemadmodum perierit Demetrius, ſcimus, nec quid Philippus ſi vixiſſet, facturus fuerit: ad hæc quæ palam geruntur, conſilia noſtra accommodare oportet. Ac ſcimus Perſea regno accepto ad legatos Romanos veniſſe, ac regem Perſea à P.R. appellatum: audiuimus legatos Romanos veniſſe ad regem, & eos benignè exceptos. Hæc omnia pacis equidem ſigna eſſe indico. nõ belli: nec Romanos offendi poſſe, ſi vt bellum gerentes eos ſecuti ſumus, nunc quoque pacis auctores ſequamur. Cur quidem nos inexpiabile omnium ſoli bellum aduerſus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipſa Macedoniæ ſumus: an infirmiſſimi omnium, tanquam quos nuper ſubiecit Dolopes? Imo contra ea vel viribus noſtris deum benignitate vel regionis interuallo tuti. Sed ſumus æquè ſubiecti ac Theſſali Ætolique. nihilo plus fidei auctoritatiſque habemus aduerſus Rom. qui ſemper ſocij atque amici fuimus, quam Ætoli, qui paulo ante hoſtes fuerunt. Quod Ætolis, quod Theſſalis, quod Epirotis, omni denique Græciæ cum Macedonibus iuris eſt; idem & nobis ſit. cur exſecrabilis iſta nobis ſolis velut deſertio iuris humani eſt? Fecerit aliquid Philippus, cur aduerſus eum armatum bellum gerentem hoc decerneremus? quid Perſeus nouus rex, omnis iniuriæ inſons, ſuo beneficio paternas ſimultates obliterans meruit? cur ſoli omnium hoſtes ei ſumus? Quanquam & illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuiſſe, vt Philippi vni⁹ iniurias, ſi quæ forte fuerunt, obliuiſceremur vtique poſt mortẽ. cũ claſſis Rom. Cenchris ſtaret, Coſ. cũ exercitu Velatiæ eſſet, triduũ in concilio fuimus cõſultantes, vtrũ Ro. an Philippum ſequeremur. nonnihil metus præſens ab Romanis ſententias noſtras inclinarit: fuit certè tamen aliquid, quod tam longam deliberationem fecerat, id quod erat vetuſta coniunctio cum Macedonibus, vetera & magna in nos regum merita. Valeant & nunc eadem illa, non vt præcipuè amici, ſed ne præcipue inimici ſimus. Ne id quod non agitur, Callicrates ſimulauerimus nemo nouæ ſocietatis aut noui fœderis, quo nos temere illigemus, conſcribendi eſt auctor: ſed commercium tantum iuris præbendi repetendique ſit, ne interdictione finium noſtrorum & nos quoque regno arceamus. Ne ſeruis noſtris aliquò fugere liceat, quid hoc aduerſus Rom. fœdera eſt? Quid rem paruam & apertam, magnam & ſuſpectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid vt ipſi locum aſſentandi Rom. habeamus ſuſpectos alios ac inuiſos efficimus? Si bellum erit, ne Perſeus quidem dubitat, quin Roma. ſecuturi ſimus: in pace etiam ſi non odia finiuntur, intermittantur. Cum iidem huic orationi, qui literis regis adſentirant, adſentiren-

tur, indignatione principum, quod quam rem ne legatione quidem dignam iudicasset Perseus, literis paucorum versuum imperaret, decretum differtur. Legati deinde postea missi ab rege, cum Megalopoli concilium esset: dataque opera est ab iis qui offensionem apud Rom. timebant, ne admitterentur. Per hæc tempora Ætolorum in semetipsos versus furor, mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde & Romam vtraque pars miserunt legatos, & inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: quæ nouo facinore discussa res, veteres etiam iras excitauit. Exsulibus Hypateis qui factionis Proxeni erat, cũ reditus in patriam promissus esset, fidésque data per principẽ ciuitatis Eupolemum, LXXX. illustres homines. quibus redeuntibus inter ceteram multitudinem Eupolemus etiam obuius exierat, cum salutatione benigne excepti essent, dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam, deósque testes nequicquã inuocantes, interfecti sunt. Inde grauius de integro bellum exarsit. C. Valerius Læuinus, & App. Claudius Pulcer, & C. Memmius, & M. Popilius, & L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos cum Delphis vtriusque partis legati magno certamine ageret, Proxenus maximè cum caussa, tum eloquentia præstare visus est: qui paucos post dies ab Orthobula vxore veneno est sublatus, damnatáque eo crimine in exsilium abiit. Idem furor & Cretenses lacerabat. aduentu deinde Q. Minutij legati, qui cum decem nauibus missus ad sedáda eorum certamina era, in spem pacis venerãt: ceterum inducię & antea sex mensium fuerunt: inde multo grauius bellũ exarsit. Lycij quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo queque modo gesta sunt, persequi nõ operę est, satis superque oneris sustinenti res à populo Romano gestas scribere. Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Tib. Graccho dediderant, pacati manserant, M. Titinio Pr. obtinente prouinciam, rebellarunt sub aduentum Ap. Claudij: orsique bellum sunt ab repẽtina oppugnatione castrorum Romanorum. Prima lux ferme erat, cum vigiles in vallo, quinque in portarum stationibus erãt, cum vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamauerunt. App. Claudius signo proposito pugnæ, ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentib. ad exitum Celtiberis, primo par vtrinque prælium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani. vrgentes deinde alij alios secuti euaserunt extra vallum, vt pandere aciem & exæquari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent: ita repente eruperunt, vt sustinere impetum eorum Celtebri nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt, ad XV. millia cęsa aut capta: signa adẽta duo & XXX. castra etiam eo die expugnata, debellatúmq. nam qui superfuere prælio, in oppida sua dilapsi sunt: quieti deinde paruerunt imperio. Censores eo anno certi Q. Fuluius Flaccus, & A. Posthumius Albinus legerunt senatum. princeps lectus M. Æmylius Lepidus Pont. Max. De senatu nouem eiecerunt. Insignes notæ fuerunt M. Cornelij Maluginensis, qui biennio ante Pr. in Hispania fuerat, & L. Cornelij Scipionis Pr. cuius tum inter ciues peregrinos iurisdictio erat, & L. Fuluij, qui frater germanus, & vt Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. COSS. votis etiam in Capitolio nuncupatis, in prouincias profecti sunt. Ex iis M. Æmylio senatus negocium dedit, vt Patauinorum in Venetia seditionem comprimeret: quos certamine factionum ad

A intestinum bellum exarsisse, & ipsorum legati attulerant. Legati qui in Ætoliam ad similes motus cõprimendos ierãt, renuntiarunt coerceri rabiem gentis non posse. Patauinis saluti fuit aduentus consulis: neque aliud quod ageret in prouincia cum habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas silice in vrbe, glarea extra vrbem substernendas marginandásque primi omnium locauerunt pontésq. multis locis faciendos, & scenam ædilibus prætoribusque præbendam: & carceres in circo, & oua

B ad notas curriculis numerandas, &*dam, & metas trans* & caueas ferreas pe* intromitterentur* ferreis in monte Albano consulibus. & cliuum Capitolinum silice sternendum curauerunt: & porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum. ac super id curiam. & extra portam Trigeminam emporium lapide strauerunt, stipitibusque sepserunt, & porticum Æmyliam reficiendam curarunt, gradibúsque ascensum ab Tyberi in emporium fecerunt: & extra eandem portam in Auentinum por-

C ticum silice strauerunt & eo publico ab æde Veneris fecerunt. Iidem Calatię & Oximi muros faciendos locauerunt: venditísque ibi publicis locis, pecuniam quæ redacta erat, tabernis vtrique foro circũdandis consumserunt. & alter ex iis Fuluius Flaccus (nam Posthumius nihil nisi senatus Romani, populive iussu se locaturum ipsorum pecunia) Iouis ædem Pisauri & Fundis, & Pollentiæ etiam aquam adducendam, & Pisauri viam silice sternendam, & Sinuessam à ga*auiariæ. In his & cloacam circum-

D ducendã & forum porticibus tabernísque claudendum, & Ianos treis faciendos. Hæc ab vno censore opera locata cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens & seuera censura fuit. multis equi ademti. Exitu prope anni diem vnum supplicatio fuit, ob res prospere gestas in Hispania, ductu auspicioque Ap. Claudij proconsulis, & maioribus hostiis XX. sacrificatum, & alterum diem supplicatio ad Cereris Liberi Liberęque fuit, quod ex Sabinis terræmotus ingens cum multis æ-

E dificiorum ruinis nuntiatus erat. Cum Ap. Claudius ex Hispania Romam redisset, decreuit senatus, vt ouans vrbem iniret. Iam consularia comitia appetebant: quibus magna contentione habitis propter multitudinem petentium, creati L. Posthumius Albinus, & M. Popilius Lænas. Prætores inde facti, Cn. Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicereius, M. Furius Crassipes iterum, A. Attilius Serranus iterum, C. Cluuius Saxula iterum. Comitiis perfectis Ap. Claudius Cento ex Celtiberis ouans cum in vrbem

F iniret, decem millia pondo argenti, quinque millia auri in ærarium tulit. Flamen dialis inauguratus est Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in ædem Matris Matutæ cum indice hoc posita est: Tib. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitúsque P.R. Sardiniam subegit. In ea prouincia hostium cæsa aut capta supra LXXX. millia. Rep. felicissimè gesta, atque liberatis vectigalibus restitutis, exercitum saluum atque incolumem plenissimum præda domum reportauit, iterum triumphãs

G in vrbem Romam rediit: cuius rei ergo hanc tabulam donum Ioui dedit. Sardiniæ insulę forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parua alia data. vnum ante cetera insigne fuit T. Flaminij, quod mortis caussa patris sui cum visceratione epulóque & ludis scenicis quatriduum dedit magni tamen muneris ea summa fuit, vt per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.

DECADIS QVINTAE LIBER II.

LVCIVS Posthumius Albinus, M. Popilius Lænas, cum omnium primum de prouinciis exercitibúsque ad senatum retulissent, Linures vtrique decreti sunt: vt nouas ambo quibus eam prouinciã obtinerent legiones (binæ singulis decretæ) & sociûm Latini nominis dena millia peditum, & DC. equites, & supplemẽtum Hispaniæ III. millia peditum Romanorum scriberent, & cc. equites. Ad hoc mille & D. pedites Romani cum centum equitibus scribi iussi, cum quibus Pr. cui Sardinia obtigisset, in Corsicã transgressus bellum gereret: interim M. Atilius vetus prætor prouinciam obtineret Sardiniã. Prætores deinde prouincias sortiti sunt, A. Atilius Serranus vrbanam, C. Cluuius Saxula inter ciues & peregrinos, Cn. Fabius Buteo Hispaniam citeriorẽ, M. Matienus vlteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Priusquam magistratus proficiscerentur, senatui placuit L. Posthumium cos. ad agrum publicum à priuato terminandum, in Campaniam ire: cuius ingentem modum possidere priuatos, paulatim proferendo fines, constabat. Is iratus Prænestinis, quod cùm eo priuatus sacrificij in templo Fortunæ faciundi caussa profectus esset, nihil in se honorificè, neque publicè, neque priuatim factum à Prænestinis esset: priusquam ab Roma proficisceretur literas Præneste misit, vt sibi magistratus obuiam exiret, locum publicè pararet, vbi diuerteretur. iumentáque cum exiret inde, præsto essent. Ante hunc cos. nemo vnquam sociis in vlla re oneri aut sumti fuit: ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. priuata hospitia habebant: ea benignè comitérque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsi diuerti mos esset. Legati qui repentè aliquò mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socij in magistratus Romanos non faciebant. Iniuria cos. etiam, si iusta, non tamen in magistratu exercẽda, & silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum, ius velut probato exemplo, magistratibus fecit grauiorum indies talis generis imperiorum. Principio huius anni, legati qui in Ætoliam & Macedoniam missi erant, renunciarunt. sibi conueniendi regis Persei. cùm alij abesse eum, alij ægrum esse, falso vtrunque fingerent, potestatem non factam, facilè tamen apparuisse sibi, bellum parari, nec vltra ad arma ire dilaturum. Item in Ætolia seditionem gliscere indies: neque discordiarum principes auctoritate sua coerceri potuisse. Cùm bellum Macedonicum in expectatione esset: priusquam id susciperetur, prodigia expiari, pacémque deum peti precationibus quæ datæ ex fatalibus libris essent, placuit. Lanuuij classis magnæ species in cœlo visæ dicebantur, & Priuerni lana pulla terra enata, & in Veienti apud Rementem lapidatum: Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse, in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emersisse. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editúmque ab decemuiris est, & quibus diis, quibus-

A que hostiis sacrificaretur, & vt supplicatio prodigiis expiandis fieret. altera quæ priore anno valetudinis populi caussa vota esset, ea vti feriæque essent. Itaque sacrificatum est, vt decemuiri scriptum ediderunt. Eodem anno ædes Iunonis Laciniæ detecta. Q. Fuluius Flaccus censor ædem Fortunæ equestris, quam in Hispania Pr. bello Celtiberico vouerat, faciebat enixo studio, ne vllum Romæ amplius aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegulæ marmoreæ essent. profectus in Brutios ædem Iunonis

B Laciniæ ad partem dimidiam detegit, id satis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Naues paratæ fuerunt, quæ tollerent atque asportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam censor rediit, tegulæ expositæ de nauibus ad tenplum portabantur. quanquam vnde essent silebatur: non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est: ex omnibus partibus postulabatur, vt consules eam rem ad senatum refer-

C rent. Vt verò accersitus in curiã censor venit, multo infestius singuli vniuersique præsentem lacerare, templum augustissimum regionis eius, quod non Pyrrhus, non Annibal violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset fœde, ac prope diruisset. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum. censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis, & loca tuenda more maiorum traditum esset, eum per sociorum vrbes diruentem templa, nudan-

D témque tecta ædium sacrarum vagari: & quod si in priuatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset, id deûm immortalium demolientem facere, & obstringere religione P.R. ruinis templorum templa ædificantem: tanquam non iidem vbiq; dij immortales sint, sed spoliis aliorum alij colendi exornandiq;. Cum priusquam referretur, appareret quid sentirent patres, relatione facta in vnam omnes sententiam ierunt: vt hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piaculariáque Iunoni fierent. Quæ

E ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemtores nuntiarunt. Ex prætoribus qui in prouincias ierant, Cn. Fabius Massiliæ moritur, cum in citeriorem Hispaniam iret. Itaque cum id nuntiatum à Massiliensibus legatis esset, senatus decreuit, vt P. Furius & Cn. Seruilius, quibus succedebatur, inter se compararẽt aut sortirentur, vter citeriorẽ Hispaniam prorogato imperio obtineret. Sors opportuna fuit. P. Furius

F idem, cuius ea prouincia fuerat, remaneret. Eodem anno cum agri Ligustini & Gallici quod bello captum erat, aliquantum vacaret, S. C. factum, vt is ager viritim diuideretur. Decemuiros in eam rem ex S.C. creauit A. Attilius pr. vrbanus, M. Æmylium Lepidum, C. Cassium, T. Ebutium parrum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & C. Apuleios, M. Cæcilium, C. Salonium, C. Munatium. Diuiserũt dena iugera in singulos, sociis nominis Latini terna. Per idem tempus quo hæc agebantur, legati ex

G Ætolia Romam venerunt de discordiis seditionibusque suis, & Thessali legati, nuntiantes quæ in Macedonia gererẽtur. Perseus iam bellum viuo patre cogitatum, in animo voluens, omneis non genteis modo Græciæ, sed ciuitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura quam præstando, sibi conciliabat. Erant tamen magna ex parte hominum ad fauorem eius inclinati animi: & aliquanto quam in Eumenem propẽsiores, cum Eumenis beneficiis muneribusque omnes Græciæ ciuitates & pleri-

que principum obligati essent, & ita se in regno suo A
gereret, vt quæ sub ditione eius vrbes essent, nullius
liberæ ciuitatis fortunam secum mutatam vellent.
Contra Persea fama erat post patris mortem vxorem
manu sua occidisse, Apellem ministrum quondam
fraudis in fratre tollendo, atque ob id requisitum à
Philippo ac supplicium, exsulantem accersitum post
patris mortem ingentibus promissis ad præmia tantæ
perpetratę rei, clá interfecisse. Intestinis externisque
præterea multis cædibus infamem, nec vllo B
commendabilem merito, præferebant vulgo ciuitates
tam pio erga propinquos, tam iusto in ciueis,
tam munifico erga omnes homines, regi, seu fama
& maiestate Macedonum regum præoccupati ad
spernendum originem noui regni, seu mutationis
rerum cupidi, seu quia eum obiectum esse Romanis
volebant. Erant autem non Ætoli modo in seditionibus
propter ingentem vim æris alieni, sed
Thessali etiam: ea contagione velut tabes in Perrębiam
quoque id peruaserat malum. Cùm Thessalos
in armis esse nuntiatum est, Ap. Claudium legatum C
ad eas res aspiciendas componendásque senatus misit.
Quid vtriusque partis principibus castigatis, cum
iniusto fœnere grauatum æs alienum. ipsis magna
ex parte concedentibus qui onerarant, leuasset, iusti
crediti solutionem in annorum pensiones distribuit.
Per eundem Appium eodémque modo compositæ
in Perræbia res. Ætolorum caussas Marcellus
Delphis per idem tempus hostilibus actas animis,
quas intestino gesserant bello, cognouit. Cùm D
certatum vtrinque temeritatę atque audacia cerneret,
decreto quidem suo neutram partem aut leuare,
aut onerare voluit: communiter ab vtrisque petiit,
abstinerent bello, & obliuione præteritorum,
discordias finirent. Huius reconciliationis inter ipsos
fides obsidibus vltro citróque datis firmata est.
Corinthum, vt vbi deponerentur obsides, conuenitur.
A Delphis & Ætolico concilio Marcellus in
Peloponnesum traiecit. quo Achæis edixerat conuentum.
Vbi collaudata gente, quod constanter E
vetus decretum de arcendis aditu finium regibus
Macedonum tenuissent, insigne aduersus
Persea odium Romanorum fecit: quod vt maturius
erumperet: Eumenes rex, commentarium ferens secum,
quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat,
Romam venit. Per idem tempus quinque legati
ad regem missi, qui res in Macedonia aspicerent.
Alexandriam iidem ad Ptolemæum renouandæ
amicitiæ caussa proficisci iussi. Legati erant hi,
C. Valeriꝰ, Cn. Lutatius Cerco, Q. Bæbius Sulca, M. F
Corneliꝰ Mámula, M. Cæcilius Dēter. Et ab Antiocho
rege sub idē tēpus legati venerunt, quorum princeps
Apollonius in senatū introductus, multis iustisque
caussis regē excusauit, quod stipendiū seriꝰ, quo
ad diē præstaret, id se omne aduexisse, ne cuius nisi
temporis gratia regi fieret. donum præterea afferre,
vasa aurea quingentum pondo. petere regem, vt
quæ cum patre suos societas atque amicitia fuisset,
ea secum renouaretur, imperarétque sibi P. R. quæ
bono fideli que socio regi essent imperanda se nullo
vsquam cessaturum officio. Ea merita in se sena- G
tus fuisse cùm Romæ esset, eam comitaté iuuētutis,
vt pro rege non ꝑ obside omnib. ordinib. fuerit. Legatis
benignè responsum, & societaté renouare cum
Antiocho quæ cum patre eius fuerat, A. Attilius pr.
vrb. iussus. Quæstores vrbani stipendium, vasa aurea
censores acceperunt: eisque negotium datum
est, vt ponerent ea in quibus templis videretur:
legatóque centum millium æris munus missum,
& ædes liberæ hospitio datæ, sumtúsque decretus
donec in Italia esset. Legati qui in Syria fuerant, renuntiauerunt,
in maximo eum honore apud regem
esse, amicissimúmque P. R. in prouinciis eo anno
hæc. C. Cicereiꝰ Pr. in Corsica signis collatis pugnauit:
septem millia Corsorum cæsa. capti amplius M.
& DCC. Vouerat in ea pugna prætor ædē Iunonis
Monetæ. Pax deinde data petentibus Corsis, & exacta
ceræ ducena millia pondo. Ex Corsica subacta
Cicereius in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus
in agro Statellati pugnatum ad oppidum Caristum:
eo se magnus exercitus Ligurum contulerat Primo
sub aduentū M. Popilij consulis mœnibus sese continebant,
deinde postquam oppidum oppugnaturū
Romanum cernebant, progressi ante portas aciem
struxerunt. nec consul, vt qui id ipsum oppugnatione
comminanda quæsisset, moram certamini fecit.
Pugnatum est amplius tres horas, ita vt neutro inclinaret
spes. Quod vbi cōsul vidit, nulla parte moueri
Ligurū signa, imperat equitibus vt equos conscendant,
ac tribus simul partibus in hostes quanto
maximo possent tumultu incurrant. pars magna equitum
mediá traiecit aciem, & ad terga pugnantium
peruasit. Inde terror iniectus Liguribus: diuersi
in omnes partes fugerunt: perpauci retro in oppidum,
quia inde se maximè obiecerat eques. & pugna
tam peruicax multos absumserat Ligurum, & in fuga
passim cęsi sunt. X. millia hominum cęsa traduntur,
amplius DCC. passim capti. Signa militaria relata
LXXXII. nec incruenta victoria fuit. amplius
tria M. militum amissa, cum cedentibus neutris ex
parte vtraq; primores caderent. Post hanc pugnam
ex diuersa fuga in vnū collecti Ligures, cum maiorem
multo partem ciuium amissam, quam superesse
cernerent, (nec enim plus decem millia hominum
erant) dediderunt sese, nihil quidem illi pacti, sperauerant
tamen non atrocius, quàm superiores imperatores,
cos. in se sæuiturum. At ille arma omnibus
ademit, oppidum diruit, ipsos bonáque eorum
vendidit, literásq. senatui de rebus ab se gestis misit.
Quas cum A. Attilius Pr. in curia recitasset (nam
cos. alter Posthumius agris recognoscendis in cāpania
occupatus aberat) atrox res visa senatui, Statellates,
qui vni ex Ligurū gente non tulissent arma
aduersus Romanos, tum quoque oppugnatos, non
vltro inferentes bellum, deditos in fidem populi
Romani, omni vltimę crudelitatis exemplo laceratos
ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum,
fidem implorantia populi Romani, ne quis vnquam
se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse,
& distractos passim, iustis quondam hostibus P. R.
pacatis seruire. Quas ob res S. C. factum est, placere
senatui, M. Popilium cos. Ligures pretio emtorib.
reddito, ipsos restituere in libertatem, bonaque vt
iis, quicquid eius recuperari possit, reddantur curare:
arma primo quoque tempore fieri in ea gente;
Cos. de prouincia decedere, cum deditos in sedem
suam Ligures restituisset: claram victoriá vincendo
oppugnanteis non sæuiendo in afflictos fieri. cos.
qua ferociora animi vsus erat in Liguribus, eandem
ad non parēdum senatui habuit. legionibus extemplo
Pisas in hybernacula missis, iratus patribus, infestus
prætori Romam rediit. senatúque extemplo
ad ædem Bellonę vocato, multis verbis inuectus est
in prætorem: qui cum ob rem bello bene gestam,
vti diis immortalibus honos haberetur referre ad
senatum debuisset, aduersus se pro hostibus S. C. fecisset,
quo victoriam suam ad Ligures transferret:
dediq; iis prope consulem prætor iuberet. Itaq; mulctam
ei se dicere: à patribus postulare, vt S. c. in se
factum tolli iuberent, supplicationémque, quàm
abientes

absentes ex literis, de bene gesta repub. missis decernere debuerint, præsentes honoris deorum primum caussa, deinde & sui aliquo tandem respectu decernerent. Nihilo lenioribus quàm absens senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re in prouinciam redit. Alter Cos. Posthumius cōsumta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem prouincia sua, comitiorum caussa Romam rediit Cos. C. Popilium Lænatem, P. ælium Ligurem creauit. Prætores exinde facti, C. Licinius Crassus, M. Iunius Pœnus, Sp. Lucretius, Sp. Cluuius, Cn. Sicinius, C. Meminius iterum. Eo anno Lustrum conditum est Censores erát Q. Fuluius Flaccus, & L. Posthumius Albinus. Posthumius condidit. Censa sunt ciuium Romanorum capita CCLX!X. millia, & XV. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius Cos. pro concione edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudij Cos. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur. Concors & è repub. censura fuit. Omnes quos senatu mouerunt, quibúsque equos ademerunt, ærarios fecerunt & tribu mouerunt, neque ab altero notatum alter probauit. Fuluius ædem Fortunæ equestris, quam procos. in Hispania dimicans cum Celtiberorum legionibus vouerat, annos sex postquam vouerat dadicauit, & scenicos ludos per quatriduum, vnum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus Xuir sacrorum eo anno mortuus est: in locum eius suffectus A. Posthumius Albinus. Locustarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, vt examinibus suis agros latè operient. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius Pr. designatus cum imperio in Apuliam missus ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumsit. Principium insequentis anni, quo C. Popilius & P. ælius fuerunt Cos. residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus: renouarique S.C. volebant, & Cos. Ælius referebat. Popilius & collegam & senatum pro fratre deprecabatur, & præ se ferens si quid decernerent, intercessurum collegam deterruit. patres eo magis vtrique pariter Coss. infensi, incœpto perstabant. Itaque cum de prouinciis ageretur, & Macedonia, iam imminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popilio referretur. Postulantibus deinde vt nouos exercitus scriberet aut supplementum veterib. liceret, vtrumque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M Iunio in citeriorem, Sp. Lucretio in vlteriorem, C. Licinius Crassus vrbanam iurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluuius Sardiniam Coss. ob ea irati senatui, Latinis feriis in primam quámque diem indictis, in prouinciam abituros se denuntiarunt, nec quicquam reipublicæ acturos, præterquam quod ad prouinciarum administrationem attineret. Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam Valerius Antias his Coss. scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicādosque apparatus belli Plurium annales, & quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur vt Romam venit, exceptus, cum tanto honore, quantum non meritis tantum eius, sed beneficiis etiam suis, ingentia quæ in eum congesta erant, existimaret deberi P. R. in senatum est introductus. Caussam veniendi sibi Romam fuisse dixit, præter cupiditatem visendi deos hominesq. quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem auderet, etiam vt corá

A moneret senatum, vt Persei conatis obuiam iret. Orsus inde à Philippi consiliis, necem Demetrij filij retulit, aduersantis Romano bello Bastarnarum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus in Italiam transiret. Hæc eum volutantem in animo oppressum fato regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse censisset Romanis. Itaque Persea hæreditarium à patre relictum bellum, & simul cum imperio traditum, iam iam primum alere ac fouare omnibus consiliis. B florere præterea iuuentute, quàm stirpem longa pax ediderit: florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ cùm corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inueteratum diutina arte atque vsu belli. Iam inde à puero, patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum assuetum, missum à patre in expeditiones multas variasque. Iā ex quo ipse accepisset regnū, multa quæ non vi, non dolo, Philippus omnia expertus potuisset moliri, C admirando rerum successu tenuisse. accessisse ad vites eam, quæ longo tempore, multis magnisque meritis pareretur, auctoritatem. Nam apud Græciæ atque Asiæ ciuitates vereri maiestatem eius omnes. nec pro quibus meritis, pro qua munificētia tantum ei tribuatur, cernere: nec dicere pro certo posse, vtrū felicitate id quadā eius accidat: an, quod ipse vereatur dicere, inuidia aduersus Romanos, fauorem illi cōciliet. Inter ipsos quoq; reges ingentē auctoritate, Seleuci filiam duxisse eum non potentē, D sed petitum vltro: sororem dedisse Prusiæ precanti ac oranti: celebratas esse vtrasque nuptias gratulatione donisq, innumerabilium legationum: & velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Bœotorum gentem captatam Philippo, nunquā ad scribendum amicitiæ fœdus adduci potuisse: trib. nunc locis cū Perseo fœdus incisum literis esse: vno Thebis, altero ad Sidenum angustissimo & celeberrimo in templo, tertio Delphis. in Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos Romanum imperium in- E tentantes esset, eò rem prope adductam, vt aditus & in Achaiam daretur. At hercule suos honores, cuius merita in eam gentem priuatim an publicè sint maiora, vix dici posset, partim desertos per incultum ac negligētiam, partim hostiliter sublatos esse. Iam Ætolos quē ignorare in seditionibus suis non ab Romanis, sed à Perseo præsidium petiisse. His eum fultum societatibus atq; amicitiis, eos domesticos apparatus belli habere, vt externis non egeat. xxx. millia peditum, v. millia equitum, in decem annos frumentum præparare: vt abstinere & suo & hostium agro frumentandi caussa possit. Iam pecuniam tantā F habere, vt x. millia mercenariorum militum præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habebat, præter annuū, quod ex metallis regiis capiat vectigal. Arma vel tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisset. Iuuētutem, vt iā Macedonia deficiat, velut ex perēni fonte vnde hauriat, Thraciam subiectam esse. Reliquum orationis adhortatio fuit: Non ergo hæc, inquit, incertis iactata rumoribus, & cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos P.C. sed G comperta & explorata, haud secus quàm si speculator missus à vobis subiecta oculis referrem. Neq; relicto regno meo, quod amplum & egregium vos fecistis, mare tātum traiecissem, vt vana ad vos afferendo, fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ & Græciæ ciuitate indies magis denudantes iudicia sua: mox si permitteretur, eò processuras, vnde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Persea non continentem se Macedoniæ regno, alia armis occupantem, alia quæ vi subigi non pos-

ſunt, fauore ac beneuolentia complectentem, videbam quàm impar eſſet ſors, cum ille vobis bellum, vos ei ſecuram pacem præſtaretis. Quanquam mihi quidem non parare, ſed gerere pene bellum videbatur. Abrapolim ſocium atque amicum veſtrum regno expulit. Arretarum Illyrium, quia ſcripta ab eo quædam vobis comperit, ſocium item atque amicum veſtrum, interfecit. Euerſam & Callicritum Thebanos, principes ciuitatis, quia liberius aduerſus eum in concilio Bœotorum locuti fuerant, delaturoſque ad vos quæ agerentur, profeſſi erant, tollendos curauit. Auxilium Byzantiis aduerſus fœdus tulit. Dolopiæ bella intulit. Theſſaliam & Doridem cũ exercitu peruaſit. vt in bello inteſtino deterioris partis auxilio meliorem affligeret. Confudit & miſcuit omnia in Theſſalia Perrhæbiáque ſpe nouarum tabularum, vt manu debitorum obnoxia ſibi optimates opprimeret. Hæc cùm vobis quieſcentibus & patientibus fecerit, & conceſſam ſibi Greciam eſſe à vobis videat, pro certo habet, neminem ſibi antequam in Italiam traiecerit armatum occurſurum. Hoc quam vobis tutum, aut honeſtum ſit, vos videritis: ego certe mihi turpe eſſe duxi, prius Perſea ad bellum inferendum, quàm me ſocium ad prædicendum vt caueretis, venire in Italiam. Functus neceſſario mihi officio, & quodammodo liberata atque exonerata fide mea, quid vltra facere poſſum, quam vti deos deaſque precer, vt vos & veſtræ reipublicæ, & nobis ſociis atque amicis, qui ex vobis pendemus conſulatis? Hæc oratio mouit patres conſcriptos: ceterum in præſentia nihil, præterquam fuiſſe in curia regem, ſcire quiſquam potuit. Eo ſilentio clauſa curia erat. Bello denique profecto, quæque dicta ab rege, quæque reſponſa eſſent, emanauere. Perſei deinde regis legatis poſt paucos dies ſenatus datus eſt. Ceterum præoccupatis non auribus magis quã animis ab Eumene rege, omnis & defenſio & deprecatio legatorum reſpuebatur: & exaſperauit animos ferocia animi Harpali, qui princeps legationis erat. Is velle quidem & laborare dixit regem, vt purganti ſe nihil hoſtile dixiſſe aut feciſſe, fides habeatur: ceterum, ſi peruicacius cauſsã belli quæri videat, forti animo defenſurum ſe. Martem communem eſſe, & euentum incertum belli. Omnibus ciuitatibus Græciæ atque Aſiæ curæ erat, qui Perſei legati, quid Eumenes in ſenatu egiſſet: & propter aduentum eius, quem moturum aliquid rebantur, miſerant pleræque ciuitates alia in ſpeciem præferentes legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius quin Eumenes ciuitatem quoque ſuam Perſei criminibus iunxiſſet. Itaque omni modo per patronos hoſpitéſque diſceptandi cum rege locum in ſenatu quærebat. Quod cum contigiſſet, libertate intemperantius inuectus in regem, quod Lyciorum gentem aduerſus Rhodios concitaſſet, grauiorq; Aſiæ eſſet, quam Antiochus fuiſſet: popularem quidem ac gratam populus Aſiæ (nam eo quoque iam fauor Perſei venerat) orationẽ habuit: ceterum inuiſam ſenatui, inutilémq; ſibi & ciuitati ſuæ. Eumeni verò conſpiratio aduerſus eum, fauorẽ apud Romanos fecit: ita omnes ei honores habiti, donáq; quam ampliſſima data, cum ſella curuli, atque eburneo ſcipione. Legationibus dimiſſis, cum Harpalus, quãta eximia celeritate poterat, regreſſus in Macedoniam nuntiaſſet regi, nõdum quidem paranteis bellum reliquiſſe ſe Romanos, ſed ita infeſtos, vt facilè appareret nõ dilaturos: & ipſe, preter quam quod & ita credebat, futurum, iam etiam volebat, in flore virium ſe credens eſſe. Eumeni ante omnes infeſtus erat: à cuius ſãguine ordiens bellũ Euandrũ Cretenſem ducẽ auxiliorum, & Macedonas tres aſſuetos miniſteriis talium facinorum, ad cædem regis ſubornat, literáſque eis dat ad Praxo hoſpitam, principem auctoritate & opibus Delphorum. Satis conſtabat, Eumenem vt ſacrificaret Apollini, Delphos aſcenſurum. Progreſſi cum Euandro inſidiatores, nihil aliud ad peragendum incœptum quàm loci opportunitatem omnia circumeuntes quærebant. Aſcendentibus ad templum à Cirra, priuſquam perueniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læua ſemitæ paulum exſtans à fundamento, qua ſinguli tranſirent. dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. poſt maceriam ſe abdiderunt, gradibus aſtructis, vt ex ea velut è muro tela in prætereuntem coniicerent. Primo à mari circumfuſa turba amicorum ac ſatellitum procedebat: deinde extenuabant paulatim anguſtæ agmen. Vbi ad eum locum ventum eſt, qua ſingulis eundum erat, primus ſemitam ingreſſus Pantaleon Ætoliæ princeps, cum quo inſtitutus regi ſermo erat. Tum inſidiatores exorti ſaxa duo ingentia deuoluunt: quorum altero caput ictum eſt regi, altero humerus ſopitus, ex ſemita proclini in decliue multis ſuper prolapſum iam ſaxis congeſtis. & ceteri quidem etiam amicorum & ſatellitum poſtquam cadentem videre, diffugiunt. Pantaleon conſtanter impauidus manſit ad protegendum regem. Latrones cùm breui circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum ſaucium poſſent, velut perfecta re in iugum Parnaſi refugerunt eo curſu, vt cum vnus, non facile ſequendo per inuia atque ardua, moraretur fugam eorum, ne comprehenſo indicium emanaret, occiderint comitem. Ad corpus regis primo amici, deinde ſatellites ac ſerui concurrerunt tollentes ſopitum vulnere, ac nihil ſentientem: viuere tamen ex calore & ſpiritu remanẽte in præcordiis ſenſerunt, victurum exigua ac prope nulla ſpes erat. Quidam ex ſatellitibus ſecuti latronum veſtigia, cum vſque ad iugum Parnaſi nequicquam fatigati perueniſſent, re infecta redierunt. Aggreſſi facinus Macedones vt inconſulte, ita audacter cœptum, nec conſultè & timidè reliquerunt. Compotem iam ſui regem amici poſtero die deferunt ad nauem: inde Corinthum, à Corintho per Iſthmi iugum nauibus traductis, Æginam traiiciunt. Ibi adeo ſecreta eius curatio fuit, admittentibus neminem, vt fama mortuum in Aſiã perferret. Attalus quoque celerius, quam dignum concordia fraterna erat, credidit: nam & cum vxore fratris, & præfecto arci, tanquam iam haud dubius regni heres eſt locutus. Quæ poſtea non fefellere Eumenem: & quanquam diſſimulare, & tacitè habere id patique ſtatuerat, tamen in primo congreſſu non temperauit, quin vxoris petendæ præmaturam feſtinationem fratri obiiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata eſt. Sub idem tempus C. Valerius ex Græcia, qui legatus ad viſendum ſtatum regionis eius, ſpeculandáſque conſilia Perſei regis miſſus erat, rediit: congruentiáque omnia criminibus ab Eumene allatis referebat, ſimul & adduxerat ſecum Praxo à Delphis, cuius domus receptaculum latronum fuerat: & L. Rammium Brunduſinum, qui talis indicij delator erat. Princeps Brunduſij Rammius fuit: hoſpitio quoque & duces Rom. omnes, & legatos exterarum quoque gentium inſignes præcipuè regios accipiebat ex eo notitia ei cum abſente Perſeo fuerat: literiſque ſpem amicitiæ interioris, magnæque inde fortunæ facientibus, ad regem profectus, breui per familiaris haberi, trahique magis quam vellet in arcanos ſermones, eſt cœptus. Promiſſis enim ingentibus præmiſſis petere inſti-

instituit ab eo rex, quoniam duces omnes legatique A Rom. hospitio eius vti assuessent, quibus eorum ipse scripsisset, vt venenum dandum curaret. Cuius scire se comparationem plurimum difficultatis & periculi habere, pluribus consciis comparari: euentu præterea incerto esse, vt aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. se daturum, quod nec in dando, nec datum, vllo signo deprehendi posset. Rammius veritus ne si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur: nec Brundusium ante redire, quam conuento C. Valerio legato, qui circa Chalcidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primũ indi- B cio delato, iussu eius Romam simul venit. introductus in curiam, quæ acta erant, exposuit. Hæc ad ea quæ ad Eumene delata erant accessere, quo maturius hostis Perseus iudicaretur: quippe quem non iustum modo apparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad nouos Consules reiecta est: in præsentia tamen Cn. Siciniũ Pr. cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio erat, scribere milites placuit, qui Brundusium ducti, primo quoque tempore Apolloniam in Epirũ traiicerentur, ad occupandas maritimas vrbes: vbi C Cos. cui prouincia Macedonia obuenisset, classem appellere tuto, & copias percommode exponere posset. Eumenes aliquandiu Æginæ retentus periculosa & difficili curatione, cum primum tuto potuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum. Legati eò ab Roma gratulantes quod è tanto periculo euasisset, venerunt. Cùm Macedonicum bellum in annum dilatum esset, ceteris Prr. iam in prouincias profectis, M. Iunius & Sp. Lucretius, quibus Hispaniæ prouinciæ obuenerant, fatigato sæpe idem petendo senatu, tandem peruice- D runt, vt supplementum sibi ad exercitum daretur, tria millia peditum, centum & quinquaginta equites in Romanas legiones, in socialem exercitum quinque millia peditum, & CCC. equites imperare sociis iussi. Hoc copiarum in Hispanias cum Prr. nouis portatum est. Eodem anno, quia per recognitionem Postumij Cos. magna pars agri Campani, quem priuati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius Tr. pl. promulgauit, vt agrum Campanum censores fruendum E locarent. quod factum tot annis post captam Capuã non fuerat, vt in vacuo vagaretur cupiditas priuatorum. Cum exspectatione senatus esset, bello & si nõ indicto, tamen iam decreto, qui regum suam, Persei qui secuturi amicitiam essent, legati Ariaratis, puerum filium regis secum adducentes, Romam venerunt. Quorum oratio fuit, regem educandum filium Romam misisse, vt iam inde à puero assuesceret moribus Romanis hominibusque. petere, vt eum non F sub hospitium modo priuatorum custodia, sed publicæ etiam curæ ac velut. tutelæ vellent esse. Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreuerunt vt Cn. Sicinius prætor ædeis instructas locaret, vbi filius regis comitésq; eius habitare possent. Et Thracum legatis apud se disceptantibus, & societatem amicitiamq; petẽtibus, & quod petebãt datum est: & munera binum millium æris summæ in singulos missa. G Hos vtiq; populos, quod ab tergo Macedoniæ Thracia esset, assumtos in societatem gaudebant. Sed vt in Asia quoque & insulis explorata omnia essent, T. Claudium Neronẽ, M. Decimium legatos miserunt. Adire eos Cretã & Rhodum iusserunt, simul renouare amicitiã, simul speculari, num sollicitati animi sociorum ab rege Perseo essent. In suspensa ciuitate ad exspectationem noui belli, nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio bello Punico priore posita à M. Æmylio Cos. cui collega Ser. Fuluius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res prodigij loco habita, ad senatũ relata est. Patres ad aruspices referre, & Xuiros adire libros iusserunt. Xuiri lustrandum oppidum, supplicationem obsecrationémque habendam, victimis maioribus sacrificandum, & in Capitolio Romę, & in Campania ad Mineruæ promontorium renuntiarunt ludos per X. dies Io. O. M. primo quoque die faciẽdos. Ea omnia cum cura facta. aruspices in bonum versurũ id prodigium, prolationémq; finium, & interitum perduellium portendi respõderunt: quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disiecisset. Accesserunt quę cumularent religiones animis. Saturniæ nuntiatum erat sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatię asinum tripedem natum, & taurum cum quinq; vaccis, vno ictu fulminis exanimatos: Oximi terra pluuisse. Horum quoq; prodigiorum caussa, res diuinæ factæ & supplicatio vnum diem, feriæque habitæ. Consules ad id tempus in prouincias non exierant: quia neque vti de M. Popilio referrent, senatui obsequebantur, & nihil aliud decernere prius, statutum patribus erat. Aucta etiam inuidia est Popilij, literis eius, quibus iterum cum Statellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit, ac se decem millia eorum occidisse: propter cuius iniuriam belli, ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum verò non absens modo Popilius, qui deditis contra ius ac fas bellum intulisset, & pacatos ad rebellium incitasset: sed Coss. quod non exirent in prouinciam in senatu increpiti. Hoc consensu patrum accensi M. Martius Sermo, & Q. Martius Scylla tribuni plebis & Coss. mulctam se dicturos, nisi in prouinciam exirent, denuntiarunt: & rogationem quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt. Sanciebatur, vt qui ex Statellis deditis in libertatem restitutus ante calendas Sextiles primas non esset, cuius dolo malo is in seruitutem venisset, vt iuratus senatus decerneret, qui eam rem quæreret animaduerterétque. Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt. Priusquam proficiscerentur Coss. C. Cicereio prætori prioris anni ad ædem Bellonæ senatus datus est. Is expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod iam in more venerat, vt sine publica auctoritate fieret, triumphauit. Rogationem Martiam de Liguribus magno consensu plebes sciuit iussitq; ex eo plebiscito C. Licinius Pr. consuluit senatum quem quærere ex rogatione vellet. Patres ipsum eum quærere iusserunt. Tum demum Coss. in prouinciam profecti sunt, exercitúmque à M. Popilio ceperunt: neque tamẽ M. Popilius reuerti Romam audebat, ne caussam diceret, aduerso senatu infestiore populo, apud Pr. qui de quæstione in se posita senatum cõsuluisset. Huic detrectationi eius, Trr. pl. alterius rogationis denuntiatione occurrerũt: vt si non ante Idus Nouembres in vrbem Romam introisset, de absenti eo C. Licinius statueret ac iudicaret. Hoc tractus vinculo cum rediisset, ingẽti cum inuidia in senatum venit. Ibi cũ laceratus iurgiis multorum esset, S. C. factum est vt qui Ligurum post Q. Fuluium L. Manlium Coss. hostes non fuissent, vt eos C. Licinius, Cn. Sicinius Prr. in libertatem restituendos curarent. agrumq; iis trãs Padum Cos. Popilius daret. Multa millia hominum hoc S. C. restituta in libertatẽ trãsductisq; Padũ ager est assignatus. M. Popilius rogatione Martia bis apud

egregiè in fide permanere, pollicitósque omnia quę populus Romanus imperasset, præstaturos, & ciuitates socias adisse: ceteras satis fidas, solos Rhodios fluctuanteis & imbutos Persei consiliis inuenisse. venerant legati Rhodij ad purganda ea quæ vulgo iactari de ciuitate sciebant: ceterum senatum iis dari, cum noui consules magistratum iniissent, placuit. Belli apparatum non differendum censuerunt. C. Licinio prætori negotium datur, vt ex veteribus quinqueremibus in naualibus Romę subductis, quę possent vsui esse reficeret, paratéque naues quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegæ in Siciliam scriberet, vt eas, quæ in Sicilia naues essent, reficeret atque expediret, vt Brundusium primo quoque tépore mitti possent. Socios nauales libertini ordinis in viginti & quinque naues ex ciuibus Romanis Cn. Licinius prætor scribere iussus: in quinque & viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem prætor peditum VIII. millia, CCCC. equites à sociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundusij acciperet, atque in Macedoniã mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno prætor fuerat deligitur: Cn. Sicinius prætor qui exercitum parator ad traiiciendum haberet. C. Popilio Cos. ex auctoritate senatus C. Licinius prætor scribit, vt & legionem secundam, quæ maximè veterana in Liguribus erat: & socios Latini nominis quatuor M. peditum, CC. equites idibus Februarij, Brundusij adesse iuberet. Hac classe & hoc exercitu Cn. Sicinius prouinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, iussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia quæ senatus censuit, impigre facta sunt. Duo de quadraginta quinqueremes ex naualibus deductæ: qui deduceret eas Brundusium, L. Portius Licinius præpositus: duodecim ex Sicilia missæ. Ad frumentum classi exercituique coemendum in Apuliam, Calabriámque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Iuuétius, M. Cæcilius. Ad omnia præparata Cn. Sicinius prætor paludatus ex vrbe profectus, Brundusium venit. Exitu prope anni C. Popilius Cos. Romam rediit, aliquanto serius quàm senatus censuerat: cui primo quoque tempore magistratus creare, cum tantum bellum immineret, iussum erat. Itaque non secúdis auribus patrum auditus est. Cos. cum in ęde Bellonę de rebus in Liguribus gestis dissereret: succlamationes frequentes erant interrogationésque, cur scelere fratris oppressos Ligures in libertatem non restituisset. Comitia consularia in quam edicta erant diem ad XII. calendas Martias sunt habita. Creati Coss. P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die prætores facti, C. Sulpitius Galba, L. Furius Philus, L. Canuleius Diues, D. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Iunius Annalis. His prętoribus prouinciæ decretæ, duæ iure Romæ dicendo, Hispania, & Sicilia, & Sardinia, vt vni sors integra esset, quo senatus censuisset. Coss. designatis imperauit senatus, vt qua die magistratum iniissent, hostiis maioribus ritè mactatis precarentur, vt quod bellũ P. R in animo haberet gerere, vt id prosperum eueniret. Eodem die decreuit senatus, vt C. Popilius COS. ludos per dies X. Ioui OPT. MAX. voueret, donâque circa omnia puluinaria dari, si respubl. X. annos in eodem statu fuisset. Ita vt censuerant, in Capitolio vouit COS. ludos fieri, donáque dari, quáta ex pecunia decresset senatus. cum centum & quinquaginta non minus adessent, præeunte verba Lepido pontifice maximo id votum susceptum est. Eo anno sacerdotes publici mortui, L. Æmylius Pappus Xuir sacrorum, & Q. Fuluius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor. Hic fœda morte periit. Ex duobus filiis eius, qui tum in Illyrico Militabant, nuntiatum alterum decessisse, alterum graui & periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus metúsque: mane ingressi cubiculum serui, laqueo dependentem inuenere. Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui. vulgo Iunonis Lacinię iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant, Suffectus in Æmilij locũ Xuir M. Valerius Messala, in Fului pontifex Cn. Domitius Ænobardus, oppido adolescens sacerdos lectus. P. Licinio, C. Cassio COSS. non vrbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges ciuitatésque quæ in Europa, quæque in Asia erant, conuerterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem cum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere eius prope vt victima mactatus Delphis esset. Prusias Bithyniæ rex statuerat abstinere armis, euentúmque exspectare, Nam neque pro Romanis se æquum censere aduersus fratrem vxoris arma ferre: & apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarates Cappadocum rex prætérquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est iunctus Eumeni affinitate: in omnia belli pacisque se consociauerat consilia. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & pueritiam regis, & inertiam tutorum spernens, & ambigendo de Cœlesyria, caussam belli se habiturum existimabat: gesturumque sine vllo impedimento occupatis Rom. in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos senatui, & ipse legatis eorum eximiè pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrij erat: tutores & bellum aduersus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœlesyriam, & Rom. omnia pollicebantur ad Macedonicum bellũm. Masanissa & frumento iuuabat Rom. & auxilia cum elephantis Misagenemque filium mittere ad bellum parabat. Consilia autem in omnem fortunã ita disposita habebat. Si penes Rom. victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque vltra quicquam mouédũ: non enim passuros Rom. vim Carthaginiensibus afferri. Si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerét Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius rex Illyriorum fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat vtram foueret partem, impetuque magis quam consilio iis aut illis se adiuncturus videbatur. Cotys Thrax Odrysarum rex euidenter Macedonum partis erat. Hęc sententia regibus cum esse de bello, in liberis gentibus populisque, plebs vbique omnis ferme vt solet, deterioribus erat ob regem Macedonésque inclinata: principum diuersa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi erant, vt auctoritatem immodico fauore corrumperét: pauci ex iis iustitia imperij Romani capti: plures ita, si præcipuam operã nauassét, potentes sese in ciuitatibus suis futuros rati. Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & desperatio rerum suarum eodem manéte statu, præcipites ad nouanda omnia agebat: quosdam ventosũ ingenium, quia Perseus magis auræ popularis erat. Tertia pars, optima eadem & prudentissima, si vtique optio domini potioris daretur, sub Romanis quã sub rege malebat esse. si liberũ inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentiorem altera oppressa fieri: sed illibatis potius viribus vtriusq; partis, pacem ex eo manere: ita inter vtrosq; optimam conditioné ciuitatum fore, protegéte altero semper inopem ab alterius iniuria. Hæc sentientes, certamina futurorũ vtriusq; partis taciti ex tuto spe-

ctabant. Coss. quo die magistratum inierunt ex S.C. A cum circa omnia fana in quibus lectisternium maiorem partem anni esse solet, maioribus hostiis immolassent, inde preces suas acceptas ab diis immortalibus ominati, senatui ritè sacrificatum, precationémque de bello factam renunciarunt. Aruspices ita responderunt, si quid rei nouæ inciperetur, id maturandum esse: victoriam, triumphum, prorogationem imperij portendi. Patres quod faustum felixq; P. R. esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum Coss. iusserunt, vt quod Perseus Philippi filius Macedonum rex aduersus fœdus cum patre Philippo ictum, & secum post mortem eius B renouatum, sociis P.R. arma intulisset, agros vastasset, vrbesque occupasset: quodque belli parandi aduersus P.R. cōsilia inisset, arma, milites, classem eius rei caussa comparasset: vt nisi de iis rebus satis fecisset, bellum cum eo iniretur. Hæc rogatio ad populum lata est. S. C. inde factum est, vt consules inter se prouincias Italiam & Macedoniam compararent sortirenturve. Cui Macedonia obuenisset, vt is regem Persea, quique eius sectam secuti essent, nisi P. R. satis fecissent, bello persequeretur. Legiones quatuor nouas scribi placuit, binas singulis C O S S. Id C præcipue prouinciæ Macedoniæ datum, quod cum alterius Cos. legionib. quina millia & duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones: in Macedoniam sena millia peditum scribi iussa, equites treceni æqualiter in singulas legiones, & in sociali exercitu cōsuli alteri auctus numerus, XVI. millia peditum, D C C C. equites, præter eos quos Cn. Sicinius duxisset D C. equites, in Macedoniam traiiceret. Italiæ satis visa XII. millia sociorum peditum, D C. equites. Illud quoque præcipuum datū sorti Macedoniæ, vt centuriones, militésque veteres scriberet, quos vellet Cos. vsque ad quinquaginta annos. In tribunis militum nouatū eo anno pro- D pter Macedonicum bellum, quod Coss. ex S. C. ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed Coss. prætorúmque in iis faciendis iudicium arbitriúmque esset. Inter prætores ita partita imperia. Prætorem cuius sors fuisset, vt iret quò senatus censuisset, Brundusium ad classem ire placuit: vtque ibi recognosceret socios nauales: dimissísque, si qui parum idonei essent. supplementum legere ex libertinis: & caret operam, vt duæ partes ciuium Romanorum, tertia sociorum esset. E Commeatus classi legionibúsque vt ex Sicilia Sardiniáque subueheretur: prætoribus qui eas prouincias sortiti essent, mandari placuit, vt alteras decumas Siculis Sardisque imperarent, vtque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canuleius Hispaniam, C. Sulpitius Galba vrbanam iurisdictionem, L. Iunius Annalis inter peregrinos, C. Lucretio Gallo, quo senatus censuis- F set, sors euenit. Inter Coss. magis cauillatio quā magna contentio de prouincia fuit. Cassius sine sorte se Macedoniam oppugnaturū dicebat: nec posse collegam saluo iureiurando secum sortiri. Prætorem eum, ne in prouinciam iret in cōcione iurasse, se stato loco statísque diebus sacrificia habere, quę absente se recte fieri non possent: quæ non magis Cos. quàm prætore absente recte fieri possent. Si senatus G non quid vellet in consulatu potius, quam quid in prætura iurauerit P. Licinius, animaduertendum esse censeat: se tamen futurū in senatus potestate. Cōsulti patres, cui consulatum P.R. non negasset, ab se prouinciam negari superbū rati, sortiri Coss. iusserunt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obuenit.

Legiones inde sortiti sunt: prima & tertia in Macedoniam traiicerentur, secunda & quarta vt in Italia remanerent. Delectus Coss. multo intentiorem quàm aliàs curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionésque: & multi voluntate nomina dabant, quia locupletes eos videbant, qui priore Macedonico bello, aut aduersus Antiochum in Asia stipendia fecerant. Cum tribuni militum centuriones, sed primum quemque citarét, tres & X X. centuriones qui primo pilos duxerant citati Trr. pl. appellarunt. Duo ex collegio, M. Fuluius Nobilior, & M. Claudius Marcellus ad C O S. reiiciebant. Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus quibúsque bellum mandatum esset. Ceteri cognituros se de quo appellati essent, aiebant: & si iniuria fieret, auxilium ciuibus laturos. Ad subsellia Trr. res agebatur. Eò M. Popilius consularis aduocatus, centuriones, & Cos venerunt. Cos. inde postulanti vt in concione ea res ageretur, populus in cōcionem aduocatus. Pro centurionibus M. Popilius, qui biennio ante Cos. fuerat, ita verba fecit: Militares homines, & stipendia iusta, & corpora & ætate & assiduis laboribus confecta habere: nihil recusare tamen quominus operam reipub. dent: in tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam quos cum militassent habuissent, attribuerentur. P. Licinius Cos. S.C. recitari iussit. Primum quod bellum senatus Perseo iussisset: deinde quod, veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset: nec vlli, qui nō maior annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. Deprecatus est deinde, ne nouo bello, tam propinquo Italiæ, aduersus regem potentissimum, aut tribunos militum delectū habentes impedirent, aut prohiberent Cos. quem cuique ordinem assignari è repub. esset, eū assignare. si quid in ea re dubium esset, ad senatum reiicerent. Postquam Cos. quæ voluerat dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero, qui Trr. pl. appellauerant, à consule & ab tribunis petiit: vt sibi paucis ad populum agere liceret: Permissu omnium ita locutus fertur. Sp. Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi iugerum agri reliquit, & paruū tugurium, in quo natus educatúsque sum, hodiéque ibi habito. Cum primum in ætatem veni, pater mihi vxorem fratis sui filiam dedit. quæ secum nihil attulit, præter libertatem pudicitiámque, & cum his fœcunditatem, quanta vel in diti domo satis esset. Sex filij nobis, duę filiæ sunt, vtreque iam nuptę. Filij quatuor togas viriles habent, duo pretextati sunt. Miles sum factus P. Sulpitio, C. Aurelio Coss. In eo exercitu qui in Macedoniam est trāsportatus, biennium miles gregarius fui aduersus Philippum regē: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius Flaminius decumum ordinem hastatum assignauit. Deuicto Philippo Macedonibúsque, cum in Italiam portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio Cos. in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum qui viuant, acriorem virtutis spectatorem ac iudicē fuisse sciunt, qui & illū & alios duces longa militia experti sunt. Hic me imperator dignum iudicauit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitū, qui aduersus Ætolos & Antiochum regem est missus, à M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Ætolis reportati sumus in Italiam: & deinceps his quę annua merebāt legiones stipēdia feci. Bis deinde in Hispania militaui, semel Fuluio Flacco, iterū T. Sēpronio Graccho Pr. à Flacc. inter ceteros quos virtutis caussa secum

sa secum

ſa ſecum ex prouincia ad triumphum deducebat, deductus ſum: à Tib. Graccho rogatus in prouinciã ij. Quater intra paucos annos primum pilum duxi: quater & tricies virtutis cauſſa donatus ab imperatoribus ſum. ſex ciuitas coronas accepi. XXII. ſtipendia annua in exercitu emerita habeo, & maior annis ſum quinquaginta. Quod ſi mihi nec ſtipendia omnia emerita eſſent, nec dum ætas vacationem daret, tamen cum quatuor milites pro me vno vobis dare P. Licini poſſem, æquum erat me dimitti. Sed hæc pro cauſſa mea dicta accipiatis velim: ipſe nic quoad quiſquam qui exercitus ſcribit, idoneum militem iudicabit, nunquam ſum excuſaturus. Ordinem quo me dignum iudicent Tribb. militum ipſorum eſt poteſtatis: ne quis me virtute in exercitu præſter, dabo operam, vt ſemper ita feciſſe me & imperatores mei, & qui vna ſtipendia fecerunt, teſtes ſunt. Vos quoque æquum eſt commilitones, & ſi appellationis vobis vſurpatis ius, cum adoleſcẽtes nihil aduerſus magiſtratuum ſenatuſque auctoritatem vſque feceritis, nunc quoque in poteſtate ſenatus ac conſulum eſſe, & omnia honeſta loca ducere, quibus remp. defenſuri ſitis. Hæc vbi dixit, collaudatum multis verbis Coſ. ex concione in ſenatum duxit. Ibi quoque ei ex auctoritate ſenatus gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis cauſſa ei aſſignarunt. Ceteri centuriones omiſſa appellatione, ad delectum obedienter reſponderunt. Quo maturius in prouincias magiſtratus proficiſcerentur, Latinæ calendis Iuniis fuere: eóq; ic ſolemni profecto C. Lucretius prætor omnibus quæ ad claſſem opus erant premiſſis, Brũduſium eſt profectus. Præter eos exercitus quos Coſſ. comparabant, C. Sulpitio Galbæ prætori negotium datum, vt quatuor legiones ſcriberet vrbanas, iuſto numero peditum equitumque: iiſque quatuor Tr. mil. ex ſenatu legeret, qui præeſſent. ſociis Latini nominis imperaret quindecim millia peditum, mille & CC equites. Is exercitus vti paratus eſſet, quo ſenatus cenſuiſſet. P. Licinio Coſ. ad exercitum ciuilem ſocialemque petenti addita auxilia, Ligurũ duo millia, Cretenſes ſagittarij incertus numerus, quantum rogati auxilia Cretenſes miſiſſent. Numidæ item equites elephantique. In eam rem legati ad Maſaniſſam Carthaginienſéſque miſſi, L. Poſthumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Poſthumiũ Albinum, C. Decium, A. Licinium Neruam. Per idẽ tempus legati ab rege Perſeo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum iam bellum regi eorum & Macedonibus & ſenatus decreſſet, & populus iuſſiſſet. in ædem Bellonæ in ſenatum introducti, ita verba fecerunt: Mirari Perſea regem, quid in Macedoniam exercitus tranſportati eſſent: Si impetrari à ſenatu poſſet, vt ij reuocentur, regem de iniuriis, ſi quas ſociis factas quererentur arbitratu ſenatus ſatisfacturũ eſſe. Sp. Carulius ad eam ipſam rem ex Gręcia remiſſus ab Cn. Sicinio in ſenatu erat. Is Perræbiam expugnatam armis Theſſaliæ aliquot vrbes captas, cetera, quæ aut ageret aut pararet rex, cum argueret: reſpondere ad ea legati iuſſi, poſtquam hæſitabant, negantes ſibi vltra quidquam mãdatum eſſe: iuſſi renuntiare regi, Coſ. P. Licinium breui cum exercitu futurum in Macedonia eſſe. Ad eum, ſi ſatisfacere in animo eſſet mitteret legatos: Romam quod pręterea mitteret, non eſſe: neminem eorum per Italiam ire liciturum. Ita dimiſſis, P. Licinio conſuli mandatum, intra vndecimum diem iuberet eos Italia excedere: & Sp. Carulium mitteret, qui donec nauem conſcendiſſent, cuſtodiret.

A Hæc Romæ acta nondum profectis in prouinciam Coſſ. Iam Cn. Sicinius, qui priuſquam magiſtratus abiret, Brunduſium & ad claſſem & ad exercitum præmiſſus erat, traiectis in Epirum quinque M. peditum, CCC. equitibus, ad Nymphæum in agro Apolloniati caſtra habebat. Indę tribunos cum duobus millibus militum, ad occupanda Daſſaretiorum & Illyriorum caſtella, ipſis accerſentibus præſidia, vt tutiores à finitimorum impetu Macedonum eſſent, miſit. Paucis poſt diebus Q. Martius, A. Attilius, B & P. & Ser. Cornelij Lentuli, & L. Decimius, legati in Græciam miſſi, Corcyram peditum mille ſecum aduexerunt. ibi inter ſe & regiones quas obirent, & milites diuiſerunt. Decimius miſſus eſt ad Gentium regem Illyriorum: quem ſi aliquem reſpectum amicitiæ eum habere cerneret, tentare, aut etiam ad belli ſocietatem pellicere, iuſſus. Lentuli in Cephaleniam miſſi, vt in Peloponneſum traiicerent, orámque maris in occidentem verſi ante hyemem circumirent. Martio & Attilio Epirus, Ætolia & C Theſſalia circumeundæ aſſignantur. Inde Bœotiam atque Eubœam aſpicere iuſſit: tum in Peloponneſum traiicere: ibi congreſſuros ſe cum Lentulis conſtituunt. Priuſquam digrederentur à Corcyra, literæ à Perſeo allatæ ſunt: quibus quærebat, quæ cauſſa Romanis aut in Græciam traiiciendi copias, aut vrbes occupandi eſſet. Cui reſcribi nihil placuit, nuntio ipſius qui litteras attulerat, dici, præſidij cauſſa ipſarum vrbium Rom. facere. Lentuli circumeuntes Peloponneſi oppida, cum ſine diſcri- D mine omnes ciuitates adhortarentur, vt quo animo, qua fide adiuuiſſent Romanos Philippi primũ, deinde Antiochi bello, eodem aduerſus Perſea iuuarent, fremitum in concionibus audebant: Achæis indignantibus eodem ſe loco eſſe, qui omnia à principiis Macedonici belli præſtitiſſent Romanis, & Macedonum Philippi bello hoſtes fuiſſent, quo Meſſenij atque Elij, qui pro Antiocho hoſte arma aduerſus P. R. tuliſſent: ac nuper in Achaicum contributi concilium, velut præmium belli ſe victori- E bus Achæis tradi quererentur. Martius & Atilius ad Gitanas Epiri oppidum decem millia ab mari cum aſcenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium aſſenſu auditi ſunt: & quadringentos iuuentutis eorum in Oreſtas, vt præſidio eſſent, liberatis ab ſe Macedonibus, miſerunt. Inde in Ætoliam progreſſi: ac paucos ibi morati dies dum in prætoris mortui locum alius ſufficeretur, & Lyciſco prætore facto, quem Romanis fauere rebus ſatis compertum erat, tranſierunt in Theſſaliam. Eò F legati Acarnanum, & Bœotorum exſules venerunt. Acarnanes nuntiare iuſſi, quæ Philippi primum, Antiochi deinde bello, decepti pollicitationibus regis, aduerſus populum Rom. commiſiſſent, ea corrigendi occaſionem illis oblatam. Si male meriti clementiam P. R. experti eſſent, benemerendo liberalitatem experirentur. Bœotis exprobratum, ſocietatem eos cum Perſeo iunxiſſe. iis, culpam in Iſmeniam principem alterius partis conferrent, & quaſdam ciuitates diſſentientes in cauſſam deductas: ap- G paritutum id eſſe Martius reſpondit. Singulis enim ciuitatibus de ſeipſis cõſulendi poteſtatẽ facturos. Theſſalorum Lariſſę fuit concilium. Ibi & Theſſalis benigna materia gratias agẽdi Roman. pro libertatis munere fuit: & legatis, quod & Philippi prius, & poſt Antiochi bello enixè adiuti è gente Theſſalorũ eſſent. hac mutua commemoratione meritorum accenſi animi multitudinis ad omnia decernenda, quę Romani vellent. Secundùm hoc concilium legati à Perſeo rege venerunt priuati maximè hoſpitij fidu-

cia, quod ei paternum cum Martio erat. Ab huius necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in colloquium veniendi regi potestatem faceret. Martius & se ita à patre suo accepisse dixit, amicitiam hospitiúmque cum Philippo fuisse: minimè immemorem necessitudinis eius legationem eam suscepisse. Colloquium, si satis commodè valeret, non fuisse dilaturum. nunc, vbi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Omolio Dium esset, præmissis qui nuntiarent regi, venturos. Et tum quidem ab Dio Perseus in interiora regni recepit se, leui aura spei obiecta, quod Martius ipsius caussa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, cum amicorum, tum satellitũ turba stipante. non minore agmine legati venerunt: & ab Larissa multis prosequentibus, & legationibus ciuitatum, quę conuenerant Larissam, & renuntiare domum certa quæ audissent, volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, & populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt dirimente amne, paulisper internuntiando cunctatio fuit, vtri transgrederentur, aliquid illi regiæ maiestati aliquid hi P.R. nomini, cum præsertim Perseus petisset colloquium, existimabant deberi. ioco etiam Martius cunctantes mouit. Minor, inquit, ad maiorem, & (quod Philippo ipsi cognomen erat) filius ad patrem transeat. Facilè persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quã multis transiret. Rex cum omni comitatu transire æquum censebat: legati vel cum tribus venire iubebant, vel si tantum agmẽ traduceret, obsides daret, nihil fraudis fore in colloquio. Hippiam & Pandaucum, quos & legatos miserat principes amicorum obsides dedit: nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quàm vt appareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tanquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit, positisque sedibus consederunt. Cum paulisper silentium fuisset: Exspectare nos, inquit Martius, arbitror, vt respondeamus literis tuis, quas Corcyram misisti: in quibus quæris, quid ita legati cum militibus venerimus, & præsidia in singulas vrbes dimittamus. Ad hanc interrogationem tuam & non respondere vereor, ne superbum sit: & vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed cum aut verbis castigandus aut armis sit, qui fœdus rumpit: sicut bellum aduersus te alij quam mihi mandatum malim: ita orationis acerbitatem aduersus hospitem, vtcunque est, subibo: sicut medici cum salutis caussa tristiora remedia adhibeant. Ex quo regnum adeptus es, vnam rem te quæ facienda fuerit, senatus fecisse censet. quod legatos Romam ad renouandũ fœdus miseris, quod tamẽ ipsum tibi fuisse non renouandũ iudicat potius quam cum renouatum esset violãdũ. Abrypolim socium atque amicum populi Romani regno expulisti. Artetari interfectores, vt cæde (ne quid vltra dicam) lætatum appareret, recepisti: qui omnium Illyriorum fidissimum Romano nomini regulum occiderant. Per Thessaliam & Maliensem agrum cũ exercitu contra fœdus Delphos isti. Byzantij item contra fœdus misisti auxilia: cũ Bœotiis sociis nostris secretam tibi ipsi societatem quam non licebat, iureiurando pepigisti. Thebanos legatos Euersam & Callicritum venientes à nobis, quærere malo quis interfecerit, quàm arguere. In Ætolia bellum intestinum & cædes principum per quos, nisi per tuos factæ videri possunt? Dolopes à te ipso euastati sunt. Eumenes rex ab Roma cum in regnum rediret,

A prope vt victima Delphis in sacrato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget referre. Quæ hospes Brundusinus occulta facinora indicet, certũ habeo, & scripta tibi omnia. ab Roma esse, & legatos tuos renuntiasse. Hæc ne dicerentur à me, vno modo vitare potuisti, non quærendo quam ob caussam exercitus in Macedoniam traiicerentur, aut præsidia in sociorum vrbes mitteremus. Quærenti tibi superbius tacuissemus, quàm vera respondimus. Equidẽ pro paterno nostro hospitio faueo orationi tuæ: & opto vt aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud senatum caussæ. Ad ea rex: Bonam caus-

B sam si apud iudices æquos ageretur, apud eosdem & accusatores & iudices agam. Eorum autem quæ obiecta sunt mihi partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubescam, partim quæ verbo obiecta, verbo negare sit. Quid enim si legibus vestris, hodie reus sim, aut index Brundusinus, aut Eumenes mihi obiiciat, vt accusare potius vere, quam conuitiari videantur? Scilicet nec Eumenes, cum tã multis grauis publicè ac priuatim sit, alium quam me inimicum habuit: neque ego potiorem quemquam ad ministeria facinorum, quam Rammium, quem neque vnquam ante vide-

C ram nec eram postea visurus, inuenire potui: & Thebanorum, quos naufragio perisse constat, & Artetari cædis mihi reddenda ratio est: in qua tamen nihil vltra obiicitur, quam interfectores eius in regno exsulasse meo. Cuius conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si vos quoq; accipitis, vt quicunque exsules in Italiam aut Romam se contulerunt, his facinorum, propter quæ damnati sunt, auctores vos fuisse fateamini. Si hoc & vos recusabitis, & omnes aliæ gentes, ego quoque inter ceteros ero. Et hercule quid attinet cuiquam exsiliũ patere, si nusquam exsuli futuros locus est? Ego tamen

D istos, vt primum in Macedonia esse admonitus à vobis cõperi, requisitos abire ex regno iussi, & in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi tanquam caussam dicenti reo obiecta sunt: illa tanquam regi, & quæ de fœdere, quod mihi est vobiscum, disceptationem habeant. Nam si est in fœdere ita scriptum, vt ne si bellum quidem quis inferat, tueri me regnúmque meum liceat: mihi fatendum est, quod me armis aduersus Abrypolim sociũ populi Romani defenderim, fœdus violatum esse.

E Sin autem hoc & ex fœdere licuit, & iure gentium ita comparatum est, vt arma armis propulsentur, quid tandem me facere decuit cum Abrypolis fines mei regni vsque ad Amphipolim peruastasset: multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pecorum abegisset? Quiescerem & paterer, donec Pellam & in regiam meam armatus peruenisset? At enim bello quidem iusto sum persecutus: sed vinci non oportuit eum, neque ea quę victis

F accidũt, pati. quorum casum cum ego subierim, qui sum armis lacessitus, quid potest queri sibi accidisse, qui caussa belli fuit? Non sum eodem modo defensurus Romani, quod Dolopas armis coercuerim: quia etsi non merito eorum, iure feci meo: cum mei regni, meæ ditionis essent, vestro decreto patri attributi meo. Nec, si caussa reddenda sit, non vobis nec fœderati, sed iis qui ne in seruos quidem (qua atque

G iniusta imperia probãt, plus ęquo & bono sęuisse in eos videri possum: quippe Euphranorẽ præfectum à me impositũ ita occiderunt, vt mors pœnarum eius leuissima fuerit. Ac cum processissem inde ad visendas Larissam & Antrona & Pyleon, quo in propinquo multo ante debita vota persoluerem, Delphos sacrificandi caussa ascendi. Et huc criminis augendi

caussa cũ exercitum fuisse adiicitur. scilicet, vt quod A nunc vos facere queror, vrbes occuparem, arcibus imponerem præsidia. vocate in concilium Græciæ ciuitates, per quas iter feci: queratur vnusquislibet militis mei iniuriam: non recusabo quin simulato sacrificio aliud petisse videar. Ætolis & Byzantiis præsidia misimus, & cum Bœotis amicitiam fecimus. Hæc qualicunque sunt, per legatos meos non solum indicata, sed etiam excusata sunt sæpe in senatu vestro: vbi aliquos ego disceptatores, non tam B æquos, quàm te Quinti Marti, paternum amicum & hospitem, habebam. Sed nondum Romam accusator Eumenes venerat: qui calumniando omnia detorquendoque suspecta & inuisa efficeret: & persuadere vobis conaretur non posse Græciam in libertate esse: & vestro munere frui, quoad regnum Macedoniæ incolume esset. Circumagetur hic orbis erit mox qui arguat, nequicquam Antiochum vltra iuga Tauri remotum: grauiorem multo Asiæ, quàm Antiochus fuerit, Eumenem esse, nec conquiescere socios vestros posse, quoad regia Pergami sit: eam C arcem supra capita finitimarum ciuitatum impositam. Ego hæc Q. Marti & A. Attili, quæ vt à vobis obiecta, aut purgata à me sunt, talia esse scio, vt aures, vt animi audientium sint: nec tam refferre quid ego aut qua mente fecerim, quàm quomodo id vos factum accipiatis. Conscius mihi sum, nihil me scientem deliquisse & si quid fecerim imprudentia lapsus, corrigi me & emendari castigatione hac posse. Nihil certè insanabile, nec quod bello & ar- D mis persequendum esse censeatis, commisi. Aut frustra clementiæ grauitatisque vestræ fama vulgata per gentes est, si talibus de caussis, quæ vix querela & postulatione dignæ sunt, arma capitis, regibus sociis bella infertis. Hæc dicenti tum assensus Martius, auctor fuit mittẽdi Romam legati, cũ experiẽda omnia ad vltimum, nec prætermittendũ spẽ vllã censuisset, reliqua consultatio erat, quonam modo tutum iter legatis esset. ad id cùm necessaria petitio induciarum videretur, cuperetque Martius, neque E aliud colloquio petisset grauatè, & in magnam gratiam petentis concessit. Nihil enim satis paratum ad bellum in præsentia habebant Rom. non exercitum, non ducem. cùm Perseus, ni spes vana pacis occæcasset consilia, omnia præparata atque instructa haberet, & suo maximè tempore atque alieno hostibus, incipere bellum posset. Ab hoc colloquio, fide induciarum interposita, legati Romani in Bœotiam comparati sunt. Ibi iam motus cœperat esse, discedentibus à societate communis consilij Bœo- F torum quibusdam populis: ex quo renunciatum erat respondisse legatos, appariturum quibus populis propriè societatem cum rege iungi displicuisset. Primi à Cheronia legati, deinde à Thebis in ipso itinere occurrerunt, affirmantes non interfuisse quo societas ea decreta esset concilio: queis legati nullo in præsentia responso dato, Chalcedem se sequi iusserunt. Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine. Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars iniuriam persequens. coacta multitudine decretum fecit. Thebis ne Bœtarchæ vrbibus reci- G perentur. Exsules Thespias vniuersi concesserunt inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas iam mutatis animis reuocati, decretum faciunt, vt XII. qui priuati cœtum & concilium habuissent, exsilio mulctarentur. Nouus deinde pr. Ismenias, is erat vir nobilis ac potens, capitalis pœnæ absentes eos decreto damnat. Chalcidem fugerant: inde ad Roma. Larissam profecti caussam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant. Ex contentione ortum certamen: vtriusque tamen partis legati ad Rom. venerunt, & exsules accusatorésque Ismeniæ & Ismenias ipse Chalcidem vt ventum est, aliarum ciuitatum principes, id quod maximè gratum erat Romanis suo quique proprio decreto Persei societatem aspernati Romanis se adiungebant. Ismenias gẽtem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat. Inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multum abfuit, quin ab exsulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebæ quoque ipsæ quod Bœotiæ caput est, in magno tumultu erant: aliis ad regem trahentibus ciuitatem, aliis ad Romanos: & turba Coronæorum Haliartiorúmque conuenerat ad defendendum decretum regiæ societatis, Sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochíque quanta esset vis & fortuna imperij Romani, victa eadem multitudo, & vt tolleretur regia societas, decreuit: & eos qui auctores paciscendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideìque legatorum commendari ciuitatem iussit. Thebanos Martius & Attilius læti audierunt, auctorésque & his separatim singulis fuerunt ad renouandam amicitiam mittendi Romam legatos Ante omnia exsules restitui iusserunt, & auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod maximè volebãt, discusso Bœotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur. Ser. Cornelio Chalcidem accersito, Argis præbitum est iis concilium: vbi nihil aliud à gente Achæorum petierunt, quàm vt mille milites darent. Id præsidium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exercitus in Græciam traiiceretur, missum est. Martius & Attilius, peractis quæ agenda in Græcia erant, principio hiemis Romam redierunt. Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa. Tres erant legati, T. Claudius, P. Posthumius, M. Iunius: ij circumeuntes hortabantur socios ad suscipiendum aduersus Persea pro Romanis bellũ: & quo quæque opulentior ciuitas erat, eo accuratius agebãt: quia minores secuturæ maiorũ auctoritatem erant. Rhodij maximi ad omnia momenti habebantur, quia nõn fauere tantum, sed adiuuare etiam viribus suis bellum poterant, XL. nauibus auctore Hegesilo comparatis: qui cùm in summo magistratu esse (Prytanin ipsi vocant) multis rationibus peruicerat Rhodios, vt omissa, quàm sæpe vanam experti essent, regum fouendorum spe Romanam societatem vnam tum in terris vel viribus vel fide stabilem, retinerent. Bellum imminere cum Perseo. desideraturos Romanos eundem naualem apparatum, quem nuper Antiochi, quem Philippi antè bello vidissent: trepidaturos tũ repentè parãda classe cùm mittenda esset, nisi reficere naues, nisi instruere naualibus sociis cœpissent. Ideo magis enixè faciendum esse, vt crimina deleta ab Eumene, fide rerum refellerent. His incitati, XL. nauium classem instructam, ornatámque legatis Romanis aduenientibus, vt non exspectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos ciuitatum Asiæ momentum fuit. Decimus vnus sine vllo effectu captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum suspicione infamis, Romam rediit: Perseus cum à colloquio Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de incoatis cum Martio conditionibus pacis mittit, & Byzantium & Rhodum literas legatis ferẽdas dedit. In literis eadem sententia ad omnes erat, collocutum se cum Romanorum legatis. quæ audisset, quæque dixisset, ita disposita, vt superior fuisse in

disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, confidere pacem futuram, auctoribus enim Martio atque Attilio missos Romam legato, Si pergerent Romani contra fœdus mouere bellum, tum omni gratia omni ope enitendum fere Rhodiis, vt reconcilient pacem: si nihil deprecádo proficiant, id agendum, ne omnium rerum ius ac potestas, ad vnum populum perueniat. Cum ceterorum id interesse, tum præcipue Rhodiorum, qui plus inter alias ciuitates dignitate atque opibus excellant: quæ serua atque obnoxia forent, si nullus aliò sit, quam ad Romanos respectus. Magis & literę & verba legatorum benignè sunt audita: quam momentum ad mutandos animos habuerunt. potentior esse partis melioris auctoritas cœperat. Responsum ex decreto est, optare pacē Rhodios: si bellum esset, ne quid ab Rhodiis speraret aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnisq; meritis pace bellóq. partam, adiungeret sibi ab Romanis. Ab Rhodo redeuntes Bœotiæ quoque ciuitates & Thebas & Coroneam & Haleartum adierunt quibus expressum inuiis existimabatur, vt relicta regia societate, Romanis adiungerentur. Thebani nihil moti sunt. quanquam nonnihil & damnatis principibus, & restitutis exsulibus, succensebant Romanis. Coronæi & Hiliartij fauore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt prę sidium petentes, quo se aduersus impotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, præsidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere ita à Thebanorum iniuriis qua possent, vt se vindicarent, ne Romanis præberent, caussam in se sæuiēdi. Martius & Attilius Romam cum venissent, legationem in capitolio ita renuntiarunt, vt nulla re magis gloriarentur, quàm decepto per inducias & spem pacis rege. Adeò enim apparatibus belli fuisse instructum ipsis nulla parata re, vt omnia opportuna loca præoccupari antè ab eo potuerint, quàm exercitus in Græciam traiiceretur. Spatio autem induciarum sumto, venturum illum nihilo paratiorem, Romanos omnibus instructiores rebus recepturos bellum: Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne coniungi amplius vllo consensu Macedonibus possent. Hæc, vt summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres & moris antiqui memores, negabant, se in ea legione Romanas agnoscere artes. Non per insidias & nocturna prælia, nec simulatam fugam, improuisósque ad incautum hostem reditus, nec vt astu magis quā vera virtute gloriarentur, bella maiores gessisse. Indicere prius quàm gerere solitos bella: denuntiare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum vitæ eius insidiātem, eadem Faliscis. vinctum traditum proditorem liberorum regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ, apud quos fallere hostem, quàm vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus profici dolo quàm virtute: sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit: se neque arte, neque casu, sed collatis comminus viribus, iusto ac pio bello esse superatū, Hæc seniores, quibus noua hæc minus placebat sapientia: vicit tamen ea pars senatus, cui potior vtilis quàm honesti cura erat, vt comprobaretur prior legatio Martij: & eodem rursus in Græciam cum quinqueremibus remitteretur, iuberetúrque cętera vti è republica maximè visum esset, agere. A. quoq; Attilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia, timentes, ne si induciarum dies exisset, Perseus præsidio eò misso, caput Thessaliæ in potestate haberet. duo millia peditum Attilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam iussus: & P. Lentulo, qui ex Achaia redierat, CCC. milites Italici generis dati, vt Thebis daret operam, vt in potestate Bœotia esset. His pręparatis, quanquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen præberi legatis placuit. Eadem ferè quę in colloquio ab rege dicta erant, relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen, & maxima cura, & minimè tamen probabiliter (manifesta enim res erat) defensum. Cætera deprecatio erat: sed non eis animis audiebatur, qui aut doceri aut flecti possent. Denunciatum extemplo mœnibus vrbis Romæ, Italia intra XXX. diem excederent. P. Licinio deinde Cos. cui Macedonia prouincia obuenerat, denuntiatum, vt exercitui diem primam quanque diceret ad conueniendum. C. Lucretius Pr. cui classis prouincia erat, cum XL. quinqueremib. ab vrbe profectus, nam ex refectis nauibus alias in alium vsum retineri ad vrbem placuit. Præmissus à prætore est frater Lucretius cum quinquereme vna, iussúsque ab sociis ex fœdere acceptis nauibus ad Cephaleniam classi occurrere, ab Rheginis triremi vna, ab Locris duabus, ab Vritibus quatuor, præter oram Italiæ superuectus Calabrię extremū promontoriū in Ionio mari Dyrrachiū traiicit. Ibi decem ipsorum Dyrrachinorum XII. Issęorum, LIIII. Gentij regis lembos nactus, simulans se credere eos in vsū Romanorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephaleniā traiicit. C. Lucretius Pr. ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephaleniam transmisit. Ibi stetit classis, simul operiens, vt terrestres copiæ traiicerent, simul vt onerariæ ex agmine suo per altum dissipatæ consequerentur. Per hos forte dies P. Licinius Cos. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac maiestate geritur: præcipuè tamen cōuertit oculos animósque, cum ad magnum nobilemque aut virtute aut fortuna hostem, eūtem Cos. prosequūtur. Contrahit enim non officij modo cura, sed etiam studium spectaculi, vt videant ducem suum, cuius imperio cōsilioque summam rempublicam tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animum, qui belli casus, quàm incertus fortunę ventus, communisque Mars belli sit aduersa, secunda, quæque inscitia & temeritate ducum clades sæpe acciderint, quæ contra bona prudentia & virtus attulerit. Quem scire mortalium vtrius mentis, vtrius fortunæ Cos. ad bellum mittant: triumphantémne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium ad eosdem deos, à quibus proficiscatur, visuri, an hostibus eam præbituri lætitiam sint. Perseo autem regi aduersus quem ibatur, famam, & bello clara Macedonum gens, & Philippus pater, inter multa prosperè gesta Romano etiam nobilitatus bello, præbebat: tum ipsius Persei nunquam, ex quo regnum recepisset, desitum belli exspectatione celebrari nomen. cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. Duo consulares tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mutius, & tres illustres iuuenes, P. Lentulus, & duo Manlij Acidini: alter M. Manlij, alter L. Manlij filius erat. Cum iis consul Brundusium ad exercitum atque inde cū omnibus copiis transuectus ad Nymphæum in Apoloniati agro posuit castra. Paucos ante dies Perseus, postquam legati ab Roma regressi præciderant spem

rant spem pacis, consilium habuit. Ibi aliquandiu diuersis sententiis certatum est. Erant quibus vel stipendium pendendum, si iniungeretur, vel agri parte cedendum, si mulctarent: quicquid denique aliud pacis caussa patiendum esset, non recusandum videretur: nec committendum vt in aleam tanti casus se regnumque daret. Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque afferre posse quibus non amissa modo recuperare, sed timendus vltrò iis esse, quo nunc timeret, posset. Ceterum B multo maior pars ferocioris sententiæ erat. Quicquid cessisset cum eo simul regno protinus cedendū esse affirmabant. Neque enim Rom. pecunia aut agro egere: sed hoc scire, cum omnia humana, tum maxima quæque & regna & imperia sub casibus multis esse, Carthaginiensium opes fregisse sese, & ceruicibus eorum præpotentem finitimum regem imposuisse: Antiochum progeniémque eius vltra iuga Tauri remotum. Vnum esse Macedoniæ regnum, & regione propinquum, & quod sicubi P. R. sua fortuna labet, antiquos animos regibus suis vi- C deatur posse facere. dū integræ res sint, apud animū suum Persea debere statuere, vtrum singula concedēdo, nudatus ad extremum opibus extorrisque regno, Samothraciam aliámve quàm insulam petere à Romanis, vbi priuatus superstes regno suo in contemtu atq; inopia consenescat malit an armatus vindex fortunæ dignitatisque suæ, ita vt viro forti dignum sit, patiatur quodcunque casus belli tulerit: aut victor liberet orbem terrarum ab imperio Ro- D mano non esse admirabilius Romanos Græcia pelli quàm Annibalem Italia pulsum esse, neque hercule videre, qui conueniat fratri affectanti per iniuriam regnum, summa vi restitisse, alienigenis bene parto eò cedere. Postremo ita bello & pace quæri, vt inter omnes conueniat, nec turpius quicquam esse, quàm sine certamine cessisse regno: nec præclarius quicquam, quàm pro dignitate ac maiestate omnem fortunam expertum esse. Pellæ in vetere regia Macedonum hoc consilium erat, Geramus ergo, inquit, diis bene iuuantibus, quando ita videre- E tur, bellum: literisque circa præfectos dimissis Citium (Macedoniæ oppidum est) copias omnes contrahit. Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Mineruæ, quam vocant Alcidam, confecto, cum purpuratorum & satellitum manu profectus Citiū est. Eò iam omnes Macedonum externorúmque auxiliorum conuenerant copiæ. Castra ante vrbem ponit, omnésque armatos in campo struxit. Summa omnium quadraginta millia armata fuere, quorum F pars fermè dimidia phalangitæ erant: Hippias Bereus præerat. Delecta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata, hanc ipsi legionem vocabant: præfectos habebant Leonatum & Thrasipum Eulyestas. Ceterorum cetratorum trium femè milliū hominum dux erat Antiphilus Edessæus Pœones, & ex Parotia & Parstrymonia (sunt autem ea loca subiecta Thraciæ) & Agrianes admixtis etiam Thracibus incolis trium millium fermè & ipsi expleuerunt numerum. Armauerat contraxerátque eos Didas G Pœon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant præfecto Asclepiodoto, Ab Heraclea ex Sintiis tria millia Thracum liberorum suum ducem habebant. Cretensium par penè numerus suos duces sequebatur, Susum Phalasarneum, & Syllum Gnosium. & Leonides Lacedæmonius quingentis ex Græcia, misto generi hominum, præerat. Regij is generis ferebatur. exsul damnatus frequenti consilio Achæorum literis ad Persea deprehensis. Ætolorum & Bœotorum, qui non explebant plus quàm quingentorum omnes numerum, Lyco Achæus præfectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gētium auxiliis, duodecim millia armatorum fermè efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat III. millia. Venerat eodem Cotys, Seuthæ filius rex gentis Odrysarum. cum mille delectis equitibus, pari fermè peditum numero. Summa totius exercitus XXXIX. millia peditum erant, quatuor equitum. Satis constabat secundum eum exercitum, quem Magnus Alexander in Asiam traiecit, nunquam vllius Macedonum regis copias tātas fuisse. Sextus & vicesimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat: per id omne tempus quieta Macedonia & progeniem ediderat, cuius magna pars matura militiæ esset, & leuibus bellis Thracum accolarum. quæ exercerent magis quàm fatigarent, sub assidua tamē militia fuerat: & diu meditatum Philippo primo, deinde & Persi Romanum bellum, omnia vt instructa paratáque essent effecerat. Mota parumper acies, non iusto, decursu tamen: ne stetisse tantum in armis viderentur: armatosque, sicut erant, ad concionem vocauit. Ipse constitit in tribunali, circa se habens filios duos, quorum maior Philippus natura frater, adoptione filius: minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat. Cohortatus est milites ad bellum: iniuriam P.R. in patrem séque commemorauit, Illum omnibus indignitatibus compulsum ad rebellandum inter apparatum belli fato oppressum ad se simul legatos, simul milites ad occupandas Græciæ vrbes missos. Fallaci deinde colloquio per speciem reconciliandæ pacis extractam hyemem, vt tempus ad comparandum haberent. Consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quę trecenos equites habeant, & pari fermè numero sociorum peditum equitúmque. Eò vt accedant regū auxilia Eumenis & Masanissæ non plus VII. millia peditum, II. equitum futura. Auditis hostium copiis, respicerēt suum ipsi exercitum. quantum numero, quantum genere militum præstarent, tyronibus raptim ad id bellum conscriptis, ipsi à pueris erudiri artibus militiæ, tot subacti atque durati bellis. Auxilia Romanis Lydos, & Phrygas & Numidas esse: sibi Thracas Gallósque, ferocissimas gentium. Arma illos habere ea, quæ sibi quisque parauerit pauper miles. Macedonas promta ex regio apparatu, per tot annos patris sui cura & impensa facta. Cōmeatum illis cum procul, tum omnibus sub casibus maritimis fore: se & pecuniam & frumentum, præter reditus metallorum, in decem annos seposuisse. Omnia quæ deorum indulgentia, quæ regia cura præparanda fuerant, plena cumulatáque habere Macedonas: animum habendum esse, quem habuerint maiores eorum, qui Europa omni domita transgressi in Asiam, incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum: nec ante vincere desierint, quàm rubro mari inclusis, quod vincerēt, defuerit. At hercule nunc non de vltimis Indiæ oris, sed de ipsius Macedoniæ possessione certamen fortunam indixisse. Cum patre suo gerētes bellum Romanos, speciosum Græciæ liberandæ tulisse titulum: nunc propalam Macedoniam in seruitutem petere, ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens bello nobilis arma habeat. Hæc enim tradenda superbis dominis esse cum rege regnoque, si absistere bello, & facere imperata velint. Cùm per omnem orationem satis frequenti assensu succlamatum esset, tum verò ea vociferatio simul indignantium minitantiúmq; partim iubentium bonum animum habere regem,

exorta est, vt finem dicendi faceret, tantum iussis ad iter parari: iam enim dici, mouere castra ab Nymphæo Romanos. Concione dimissa ad audiendas legationes ciuitatum Macedoniæ se contulit. Venerant autem ad pecunias pro facultatibus quæque suis, & frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiæ actæ. remissum omnibus, satis regios apparatus ad ea dictum sufficere: vehicula tantum imperata, vt tormenta, telorúmq; missilium ingentem vim præparatam, bellicúmque aliud instrumentum veherent. Profectus inde toto exercitu Eordeam petens, ad Begorritem quem vocant lacum positis castris, postero die in Elimeá ad Haliacmona fluuium processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, quos Cábunios vocant, descendit ad Tripolim vocant, Azorū, Pythoum, & Dolichen incolẽtes. Hæc tria oppida paulisper cũctata, quia obsides Larissæis dederat, victa tamen præsenti metu in deditionem concesserunt. Benignè his appellatis, haud dubius Perræbos quoque idem facturos, vrbem nihil cunctatis qui incolebant, primo aduentu recipit. Cyretias oppugnare conatus, primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit. Myle proximum oppidum ita munitum, vt inexsuperabilis monumenti spes incolas ferociores faceret, non portas claudere regi satis habuerunt: sed probris quoque in ipsum Macedonásque procacibus iaculati sunt. Quæ res cùm infestiorem host.m ad oppugnandum fecisset, ipsos desperatione veniæ ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus vtrinque animis & oppugnatę sunt, & defensę. Multitudo Macedonum ad subeundum inuicem prælium haud difficulter succedebat: oppidanos diem noctem eosdem tuentes mœnia, non vulnera modo, sed etiam vigiliæ & continens labor conficiebat. Quarto die cùm & scalæ vndique ad muros erigerentur, & porta vi maiore oppugnaretur, oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionémque repentinam in hostes faciunt: quæ cùm iræ magis inconsultæ, quàm veræ fiduciæ virium esset, pauci & fessi ab integris pulsi terga dederunt, fugientésque per patentem portã hostes acceperunt. Ita capta vrbs, ac direpta est: libera quoque corpora, quæ cædibus superfuerunt, venundata. Diruto magna ex parte & incenso oppido, profectus ad Phalannam castra mouit: inde postero die Gyrtonem peruenit. Quò cum T. Minutium Rufum & Hippiam Thessalorum Pr. cum præsidio intrasse accepisset, ne tentata quidem oppugnatione prætergressus, Velatia & Connum perculsis inopinato aduẽtu oppidanis recepit. Vtraque oppida in faucibus sunt, quæ Tempe adeunt, magis Connus: itaque & firmiore id præsidio tutum equitum, peditumque, ad hoc fossa triplici ac vallo munitum reliquit. Ipse ad Sycuriũ progressus, operiri ibi hostium aduentum statuit: simul & frumentari passim exercitum iubet in subiecto hostium agro. Namque Sicurium est sub radicibus Ossæ montis, qua in meridiem vergit subiectos habet Thessaliæ campos, ab tergo Macedoniam atq; Magnesiam. Ad has opportunitates accedit summa salubritas & copia, pluribus circumiectis fontibus perennium aquarum. Cos. Romanus per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primo per Epirum habuit: deinde postquam in Athamaniam est trãsgressus, asperi ac prope inuij soli, cum ingenti difficultate paruis itineribus ægrè Gomphos peruenit: cui si vexatis hominibus equísque tyronem exercitum ducẽti acie instructa

A & loco suo & tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam Gomphos sine certamine ventum est, præter gaudium periculosi si saltus superati contemtus quoque hostium adeò ignorantium opportunitates suas accessit. Sacrificio ritè perfecto Cos. & frumento dato militibus, paucos ad requiem iumentorum hominúmque moratus dies, cùm audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastariq; sociorum agros, satis iam refectum militem ad Larissam ducit: Inde cùm III. millia fermè abes-
B set à Tripoli (Sceam vocant) super Peneum amnem posuit castra. Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem nauibus accessit cum Attalo atque Athenæo fratribus Philetero fratre relicto Pergami ad tutelam regni. inde cum Attalo & quatuor millibus peditũ mille equitum ad Cos. venit Chalcide relicta duo millia peditum, quibus Athenæus præpositus. Et alia eodem auxilia Romanis ex omnib. vndiq; Græciæ populis conuenerunt quorum pleraque (ad o
C parua erant) in obliuionem adducta. Apolloniatæ CCC. equites, centum pedites miserunt. Ætolorum alæ vnius instar, quantum in tota gente equitum erat, venerant. & Thessalorum omnis equitatus separatus erat: non plus quàm C C C. erant equites in castris Romanis: Achæi iuuentutis suæ, Cretico maximè armatu, ad mille dederunt. Sub idem tempus & C. Lucretius Pr. qui nauibus præerat ad Cephaleniam, M. Lucretio fratre cum classe super Maleam Chalcidem iusso petere, ipse triremem
D conscendit, sinum Chorinthium petens ad præoccupandas in Bœotia res. tardior ei nauigatio propter infirmitatem corporis fuit. M. Lucretius Chalcidem adueniens, cùm à P. Lentulo Haliartum oppugnari audisset, nuntium Pr. verbis, qui abscedere eum inde iuberet, misit. Bœotorum iuuentute, quæ pars cum Romanis stabat, eam rem aggressus legatus à mœnibus abscessit. Hæc soluta obsidio locum alteri nouæ obsidioni dedit: námque extemplo M. Lucretius cum exercitu nauali X. millibus armato-
E rum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui sub Athenæo erant, Haliartum circumsedit: parantibúsque iam oppugnare superuenit à Creusa Pr. Ad idẽ fere tempus & ab sociis naues Chalcidem conuenerunt: duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heraclea ex Põto triremes, quatuor Chalcedone, totidẽ Samo, tum quinque Rhodiæ quadriremes. Pr. quia nusquam erat maritimum bellum, remisit sociis. & Q. Martius Chalcidem nauibus venit. Halope capta Larissa, quæ Cremaste dicitur oppugnata. Cùm hic status in Bœotia esset, Perseus cùm ad Sycurium (si-
F cut ante dictum est) statiua haberet, frumẽta vndiq; circa ex agris conuecto, ad vastandum agrum Pheræorum misit: ratus ad iuuandas sociorum vrbes, lõgius ab castris abstractos deprehendi Rom. posse. Quos cum eo tumultu nihil motos animaduertisset prædam quidem præterquam hominum, pecora autem maximè omnis generis fuere, diuisit, ad epulandum militibus. Sub idem deinde tempus concilium & consul & rex habuerunt, vnde bellum ordirentur. Regis creuerunt animi vastatione concessi
G sibi ab hoste Pheræi agri. itaque eundum inde ad castra, nec dandum vltra spatium cunctandi censebat, & Rom. censebant cunctationem suam infamem apud socios esse, maximopere indignè ferentes non lætam Pheræis opem consultantibus quid agerent, aderant autem Eumenes & Attalus in concilio: trepidus nuntius affert, hostem magno agmine adesse Concilio dimisso, signum extemplo datur, vt arma capiant. Interim placet ex regiis auxiliis centum equites

tum equites & parem numerum iaculatorum peditum exire. Perseus hora fermè diei quarta cùm paulo plus mille passus abesset à castris Romanis consistere signa peditum iussit: prægressus ipse cùm equitibus ac leui armatura. & Cotys cum eo ducesque aliorum auxiliorum præcesserunt. Minus quingentos passus ab castris aberant, cùm in conspectu fuere hostium equites. duæ alæ erant magna ex parte Gallorum, Cassignatus præerat: & leuis armaturæ centum ferè & quinquaginta, Mysi aut Cretenses. Constitit rex, incertus quantum esset hostium. Duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus ac Thracum misit. Prælium, cùm pares numero essent, neque ab hac aut illa parte noua auxilia subuenirēt incerta victoria finitum est. Eumenis fermè XXX. interfecti: inter quos Cassignatus dux Gallorum cecidit. & tunc quidem Perseus ad Sycurium copias reduxit: postero die circa eandem horam in eundem locum rex copias admouit, plaustris cum aqua sequentibus: nam XII. millium passuum via omnis sine aqua & plurimi pulueris erat, affectósque siti, si primo in conspectu dimicassent, pugnaturos fuisse apparebat. Cùm Romani quiessēt, stationibus etiam intra vallum reductis, regij quoque in castra redeūt. Hoc per aliquot dies fecerunt, sperantes fore vt Rom. equites abeuntium nouissimum agmen aggrederentur: inde certamine orto, cùm longius à castris eos elicuissent, facile vbi ubi essent, se, qui equitatu & leui armatura plus possent, conuersuros aciem. Postquam inceptum non succedebat, castra propius hostem mouit rex, & à quinq; millibus passuum communiit. Inde luce prima in eodem, quo solebat, loco peditum acie instructa, equitatū omnē leuemque armaturam ad castra hostium ducit. Visus & plurium & propior solito puluis trepidationem in castris Rom. fecit: & primo vix creditum nuntiāti est, quia priorib. continuis diebus nunquā ante horam quartam hostis apparuerat, tum solis ortus erat. Deinde vt plurium clamore & cursu à portis dubitatio exemta est, tumultus ingens oboritur. tribuni præfectique & centuriones in prætorium, miles ad sua quique tentoria discurrit. Minus quingentos passus à vallo instruxerat Perseus suos, circa tumulum, quem Calicinum vocant. Læuo cornu Cotys rex præerat cum omnibus suæ gentis, equitum ordines leuis armatura interposita distinguebat. In dextro cornu Macedones erāt equites intermixti turmis eorum Cretenses. Huic armaturæ Midon Bereus, equitib. & summæ partis eius Meno Antigonensis præerat. Proximi cornibus constiterant regij equites, & mixtum genus delecta plurium gentium auxilia: Patrocles Antigonensis hic, & Pæoniæ præfectus Didas, erant præpositi. Medius omnium rex erat: circa eum agema quod vocant, equitúmque sacræ alæ. ante se statuit funditores iaculatorésq; quadringentorum manus vtraq; numerum expleuerat. Ionem Thessalonicensem & Timanora Delapem iis præfecit. Sic regij constiterant. Consul intra vallum peditum acie instructa, & ipse equitatum omnem cum leui armatura misit. pro vallo instructi sunt. Dextro cornu præpositus C. Licinius Crassus Cos. frater, cum omni Italico equitatu, velitibus intermixtis: sinistro M. Valerius Læuinus sociorum ex Græcis populis equites habebat, eiusdem gentis leuem armaturam. Mediam autem aciem cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mutius. C C. equites Galli ante signa horum instructi, & de auxiliis Eumenis Cyrtiorū gentis C C C. Thessali CCC. equites paruo

A interuallo super læuum cornu locati. Eumenes rex Attalúsque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt. In hunc modum maximè instructæ acies, par fermè vtrinque numerus equitum ac leuis armaturæ concurrunt, à funditoribus iaculatoribúsque qui præcesserunt prælio orto. Primi omnium Thraces haud secus quam diu claustris retentæ feræ, concitati cum ingenti clamore in dextrum cornu Italicos equites incurrerunt, vt vsu belli & ingenio impauida gens turbaretur. gladiis hastas petere pedites, * nunc suc-
B cidere crura equis, nunc ilia suffodere. Perseus in mediam inuectus aciem, Græcos primo impetu auertit: quibus cùm grauis ab tergo instaret hostis, Thessalorum equitatus, qui à læuo cornu breui spatio disiunctus in subsidiis fuerat, extra concursum primo spectator certaminis, deinde inclinata re maximo vsui fuit. Cedentes enim sensim integris ordinibus, postquam se Eumenis auxiliis adiunxerunt, & cum eo tutum inter ordines suos receptum
C sociis fuga dissipatis dabant: & cum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi, multos fugientium obuios exceperunt. Nec regij sparsi iam ipsi passim sequēdo, cum ordinatis & certo incedētibus gradus manu conserere audebant: cùm victor equestri prælio ex paruo momento si adiuuisset, debellatum esset. opportunè adhortanti superuenit phalanx, quam sua spōte, ne audaci cœpto deesset, Hippias & Leonatus raptim adduxerant, postquam prosperè pugnasse equitem acceperunt. Fluctuante
D rege inter spem metúmque tantæ rei conandæ, Cretensis Euander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis vsus erat, postquam agmen peditum venientium sub signis vidit, ad regem accurrit, & monere instituit, ne elatus felicitate summam rerum temerè in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestę cōditionem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam sequerentur, si bellare mallet. In hoc consilium pronior erat animus regis.
E Itaq; collaudato Euandro, signa referri, peditúmque agmen redire in castra iubet, equitibus receptui canere. cecidere eo die ab Romanis C C. equites. II. millia haud minus peditum, capti fermè C C. equites: ex regiis autem X X. equites, XL. pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem læti ante alios Thracum insolens lætitia eminebat. cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt. Apud Romanos non mœstitia tantum ex malè gesta re, sed pauor etiam erat, ne
F extemplo castra hostis aggrederetur. Eumenes suadere, vt trans Peneum transferret castra, vt pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerēt. Cos. moueri flagitio timoris fatendi, victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in vlteriore ripa communiit. Rex postero die ad lacessendos prælio hostes progressus, postquā trans amnem in tuto posita castra animaduertit, fatebatur quidem peccatum, quod pridie non instituisset victis: sed aliquando maiorem culpam esse,
G quod nocte foret cessatum. Nam vt neminem alium suorum moueret, leui armatura immissa, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte, copias potuisse. Romanis quidem præsens pauor demtus erat, in tuto castra habentibus: damnum inter cetera præcipuæ famæ mittebat. & in consilio apud Cos. pro se quisq; in Ætolos conferebant caussam: ab iis fugę terrorisq; principium ortum secutus pauorē Ætolorū & ceteros socios Græcorum populorū. Quinq; principes Ætolorū primi terga vertetes

cóspectū dicebatur. Thessali pro concione laudati, ducésq; eorū etiā virtutis caussa donati. Ad regē spolia cæsorum hostium referebantur: dona ex his aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captiuos dono dabat. Scuta erant supra M D. loricæ thoracésq; M. amplius summam explebant, galearum gladiorúmque & missilium omnis generis maior aliquanto numerus. Hæc per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quæ ad concionem vocato exercitu habuit: Præiudicatum euentum belli habetis: meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo inuictos esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes iuuentutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Horum spolia paulo antè diuisimus inter vos. Nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis, quæ nocturna fuga vobis subtractæ naufragorum trepidatione passim natantium flumē compleuerunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum superare erit, quam illis trepidantibus fuit: transgressique extemplo castra oppugnabimus, quæ hodie cepissemus, ni fugissent. Aut si acie decernere volent, eundem pugnæ pedestris euentum exspectate, qui equitum in certamine fuerit. Et qui vicerant, alacres spolia cæsorum hostium humeris gerentes ante ora sua, audiuere ex eo quod acciderat, spem futuri præcipientes: & pedites aliena gloria accensi, præcipuè qui in Macedonum phalangis erant, sibi quoque & nouandæ regi operæ, & similem gloriam ex hoste pariendi occasionem optabant. Concione dimissa, postero die profectus inde ad Mopselum posuit castra: tumulus hic inter Tempe & Larissam medius est. Romani non abscedentes ab ripa Penei transtulerunt in locum tutiorem castra. Eò Misagenes Numida venit cum mille equitibus, pari peditum numero, ab hoc elephantis duobus & XX. Per eos dies consilium habenti regi de summa, cum iam consedisset ferociora ab re bene gesta, ausi sunt quidam amicorum consilium dare, vt secunda fortuna in conditione honestæ pacis vteretur potius, quàm spe vana euectus in casum irreuocabilē se daret. Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ, prudentis hominis & meritò felicis esse. Mitteret ad Cos. qui fœdus in easdem leges renouarent, quibus Philippus pater eius pacē à T. Quintio victore accepisset. neq; finiri bellum magnificentius, quàm à tam memorabili pugna: neq; spem firmiorē pacis perpetuo dari, quam quæ perculsos aduerso prælio Romanos molliores factura sit ad paciscendum. Quod si Romani tū quoque insita pertinacia æqua aspernarentur, deos hominésque, & moderationis Persei, & illorum peruicatis superbiæ futuros testes. Nunquam ab talibus cōsiliis abhorrebat regis animus. Itaq; plurium assensu comprobata est sententia. Legati ad Cos. missi, adhibito frequenti consilio auditi sunt. Pacem petere, vectigal quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis pollicentes: vrbibus, agris locísque quibus Philippus cessisset, cessurum Perseum. Hæc legati. Summotis his, cum consultarent, Romana constantia vicit in concilio. Ita tum mos erat, in aduersis vultum secundę fortunę gerere, moderari animos in secundis. Responderi placuit, ita pacem dari, si de summa rerum liberum senatui permittat rex de se, déq; vniuersa Macedonia statuendi ius. Hæc cum renunciassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse: & plerique vetare amplius mentionem pacis facere. vltro mox quæsituros quod ablatum fastidiant.

A Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium esse, timere: & summam pecuniæ augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum Cos. tentare. Postquam nihil ex eo, quod primo responderat, mutabat: desperata pace ad Sycurium, vnde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus. Fama equestris pugnæ vulgata per Græciam, nudauit voluntates hominum. non enim solum qui partis Macedonum erant, sed plerique in- B gentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim superbiámq; experti, læti eam famam accepere: non ob aliam caussam quàm prauo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus vtitur, deteriori atque infirmiori fauendo. Eodem tempore in Bœotia summa vi Haliartum Lucretius Pr. oppugnabat, & quanquam nec habebant externa auxilia obsessi: præter Coronæorum iuniores, qui prima obsidione mœnia intrauerant, neq; sperabant: tamē ipsi animis magis quàm viribus resistebant. Nam & eruptiones in opera crebro faciebant, & arietem, C admotum, libramento plumbi grauatum ad terram vrgebant: & si qua declinarent qui agebant ictum, pro diruto muro nouum tumultuario opere raptim ex ipsa ruinæ strage congestis saxis, extruebant. Cùm operibus oppugnatio lentior esset, scalas per manipulos diuidi prætor iussit, vt corona vndique mœnia aggressurus: eò magis suffecturam ad id multitudinem ratus, quod qua parte palus vrbem cingit, nec attinebat oppugnari, nec poterat. Ipse ab D ea parte qua duæ turres, quódque inter eas muri prorutum fuerat. duo M. militum delectorum admouit, vt eodem tempore quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu aduersus se oppidanorū facto. scalis vacua defensoribus mœnia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim eius arcere parant. Nam super stratum ruinis locum fascibus aridis sarmentorum iniectis stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se sæpe minabantur, vt incendio intercepti ab hoste spatium ad obiiciendum E interiorem murum haberent quod inceptum eorum sors impediit. Nam tantus repentè effusus est imber, vt nec accendi facilè pateretur, & exstingueret accensa. Itaque & transitus per distracta fumantia virgulta patuit, & in vnius loci præsidium omnibus versis, mœnia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captæ vrbis seniores impubésque, quos casus obuios obtulit passim cæsi armati in arcem confugerunt: & postero die cùm spei nihil superesset, deditione facta sub F corona vænierunt. Fuerunt autem MM. fermè & D. ornamenta vrbis, statuæ & tabulæ dictæ, & quicquid pretiosæ prædæ fuit, ad naues delatum. vrbs diruta à fundamentis. Inde Thebas ductus exercitus quibus sine certamine receptis, vrbem tradidit exsulibus, & qui Romanorum partis erant: aduersæ factionis hominum, fautorúmque regis ac Macedonum familias sub corona vendidit. His gestis in Bœotia, ad mare ac naues rediit. Cùm hæc in Bœotia gererentur, Perseus, ad Sycurium statiua dierum aliquot habuit. Vbi cùm audisset raptim Romanos G circa ex agris demessum frumentum conuehere, deinde ante sua quenque tentoria spicas fascibus desecantem, quo purius frumentum tereret, ingenteis aceruos per tota castra stramentorum fecisse: ratus incendia opportuna esse, faces tædámque & malleolos stuppæ illitos pice parari iubet, atque ita media nocte profectus, vt prima luce aggressus falleret, nequicquam primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo ceteros exciuerūt: signúmq; datum est arma extemplo capiendi. simúlque in

vallo ad

vallo ad portas miles instructus erat, & intentus A propugnationi castrorum. Perseus & extemplo circumegit aciem, & prima impedimenta ire, deinde peditum signa ferri iussit. Ipse cum equitatu & leui armatura substitit ad agmen cogendum. ratus id quod accidit, insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hostes. Breue certamen leuis armaturæ maximè cum procursatoribus fuit, equites peditésque sine tumultu in castra redierunt. Demessis circa segetibus, Romani ad Crannonium intactum agrum B castra mouent. Ibi cum securi & propter castrorum longinquitatem, & viæ inopis aquarum difficultatem, quæ inter Sycurium & Crannona est, statiua haberent, repentè prima luce in imminentibus tumulis equitatus regius cum leui armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie per meridiem profecti ab Sycurio erant. peditum agmen sub lucem reliquerat in proxima planicie. Stetit paulisper in tumulis, elici posse ratus ad equestre certamen Romanos. qui postquam nihil mouebant, equitem mittit, qui pedites referre ad Sycurium signa iuberet, ipse mox insecutus. C Romani equites modico interuallo insequentes, sicubi sparsos ac dissipatos inuadere possent, postquam confertos abire signa atque ordines seruantes viderunt, & ipsi in castra redeunt. Inde offensus longinquitate itineris rex ad Mopselum castra mouit & Romani demessis Crannonis segetibus in Phalannæum agrum transeunt. Ibi cùm ex transfuga cognouisset rex, sine vllo armato præsidio passim vaganteis per agros D Romanos metere, cum M. equitibus, duobus millibus Thracum & Cretensium profectus, cùm quantum accelerare poterat effuso agmine issent, improuiso aggressus est Romanos. Iuncta vehicula, pleraque onusta mille admodum capiuntur DC. fermè homines. Prædam custodiendam ducendámque in castra CCC. Cretensium dedit. ipse reuocato ab effusa cæde equite, & reliquis peditum, ducit, ad proximum præsidium, ratus haud magno certamine opprimi posse. L. Pompeius Tr. mil. præerat, qui per E culsos milites repentino hostium aduentu, in propinquum tumulum recepit, loci se præsidio quia numero & viribus impar erat, defensurus. Ibi cùm in orbem milites coegisset, vt densatis scutis ab ictu sagittarum & iaculatorum sese tuerentur, Perseus circumdato armatis tumulo, alios ascensum vndique tentare iubet, & cóminus prælium conserere, alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circumstabat: nam neque conferti pugnare, propter eos qui ascendere in tumulum conabantur, poterant: & vbi ordines procursando soluissent, pa F tebant iaculis sagitísve. Maximè cestrosphendonis vulnerabantur. hoc illo bello nouum genus teli inuentum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat, crassitudine digiti. huic ad libramen pinnæ tres, velut sagittis solent, circundabantur funda media, duo funalia imparia habebat cum malori sinu libratum funditor habena rotaret, excussum velut glans emicabat. Cùm & hoc & alio omni genere telorum pars vulnerata militum esset, nec facilè iam arma fessi sustinerent: instare rex vt G dederent se, fidem dare præmia interdum polliceri nec cuiusquam ad deditionem flectebatur animus, cùm ex insperato iam obstinatis mori spes affulsit. Nam cùm ex frumentatoribus refugientes quidam in castra nuntiassent C O S. circunsideri præsidium motus periculo tot ciuium (nam DCCC. fermè & omnes Romani erant) cum equitatu ac leui armatura (accesserant noua auxilia Numidæ pedites equitésque & elephanti) castris egreditur: & tribunis militum imperat, vt legionum signa sequantur. Ipse velitibus ad firmanda leuium armatorum auxilia adiectis, ad tumulum præcedit. Consulis latera tegunt, Eumenes, Attalus & Misagenes regulus Numidarum. Cum in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt, Romanis quidem ab vltima desperatione recreatus est animus. Perseus, cui primum omnium fuerat, vt contentus fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisísque, non tereret tempus in obsidione præsidij: secundum, ea quoque tentata vtcunque, cum sciret nihil roboris secum esse, dum liceret intacto abire, & ipse hostium aduentum elatus successu mansit, & qui phalangem accerserent, propere misit: qua & serius quàm res postulabat, & raptim acta, turbato cursu aduersus instructos & preparatos erant aduenturi. Cos. anteueniens, extemplo prælium conseruit. Primo resistere Macedones, deinde vt nulla re pares erant, amisis C C C. peditibus, XXIIII. primoribus equitũ ex ala, quam Sacram vocant, inter quos Antimachus etiam præfectus alæ cecidit, abire conantur. Cæterum iter propè ipso prælio tumultuosius fuit. Phalanx abs trepido nuntio accita cum raptim duceretur, primo in angustiis captiuorum agmini oblata vehiculisque frumento onustis: iis cæsis, ingens ibi vexatio patris vtriusque fuit, nullo exspectante vtcunque explicaretur agmen: sed armatis detrudentibus per præceps impedimenta (neque enim aliter via aperiri poterat) iumentis cum stimularentur in turba sæuientibus. Vix ab incondito agmine captiuorum expedierant sese, cum regio agmini perculsísque equitibus occurrunt. Ibi verò clamor iubentium referre signa, ruinæ quoque prope similem trepidationem fecit: vt si hostes introire angustias ausi longius insecuti essent, magna clades accipi potuerit. Cos. recepto ex tumulo præsidio, contentus modico successu, in castra copias reduxit. Sunt qui eo die magno prælio pugnatum auctores sint, VIII. millia hostium cæsa in his Sopatrum & Antipatrum regios duces: viuos captos circiter M M C C C. Signa militaria capta X X V I I. Nec incruentam victoriam fuisse: supra quatuor millia & C C C. de exercitu consulis cecidisse, signa sinistræ alæ quinque amissa. Hic dies & Romanis refecit animos, & Persea perculit, vt dies paucos ad Mopselum moratus sepulturæ maxime militum amissorum cura, præsidio satis valido ad Connum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quendam ex regiis præfectis cum modica manu relinquit ad Philam, iussum Magnetas & propinquos tentare. Cum Pellam venisset, exercitu in hyberna dimisso, ipse cum Cotye Thessalonicam est profectus. Eò fama affertur, Athesbium regulum Thracum & Corragum Eumenis præfectum, in Cotyis fines impetum fecisse: & regionem Marenen (quam vocant) cepisse. Itaque dimittendum Cotyn ad sua tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur. C C. talenta, semestre stipendium equitatui numerat, cum primo annuum dare constituisset. Cos. postquam profectum Persea audiuit, ad Connum castra mouet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm, Macedoniæ claustra tutissima præbet, & in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Cùm & loco & præsidio valido inexpugnabilis res esset, abstitit incepto. In Perræbiam flexis itineribus Mallœa primo impetu capta ac direpta, Tripoli aliáque Perræbia recepta, Larissam rediit: inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidásq; in hyberna in proximis Thessa-

lis vrbibus distribuit, & partem exercitus ita per totam Thessaliam diuisit. vt & hyberna commoda omnes haberent, & præsidio vrbibus essent. Q. Mutium legatum cum duobus millibus ad obtinẽdam Ambraciam misit. Græcarum ciuitatum socios omnes præter Achæos dimisit. cum exercitus parte profectus in Achaiã Phthiotim, Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit à fundamentis. Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admouit: vrbs deserta erat. in arcem omnis multitudo concesserat: eam oppugnare aggreditur. Primi omnium Macedones regium præsidium metu excesserant: à quibus relicti oppidani, in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde, vtrum Demetrias prius aggredienda foret, an in Bœotia aspiciendæ res. Thebani vexantibus eos Coronæis in Bœotiam accersebant: ad horum preces, quia hybernis aptior regio, quàm Magnesia erat, in Bœotiam duxit.

DECADIS QVINTAE LIBER III.

EADEM æstate, qua in Thessalia equestri pugna vicere Romani, legatus in Illyricum à COS. missus, opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem, omniáque iis sua concessit, vt opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam vrbem incolebant, alliceret. Postquã nec vt dederẽt se compellere, neque capere obsidendo poterat: ne duabus oppugnationibus nequicquã fatigatus miles esset, quàm prius intactã vrbem reliquerat, diripuit. Alter Cos. C. Cassius nec in Gallia, quam sortitus erat, memorabile quicquam gessit: & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incœpto est conatus. Ingressum hoc inter consulem, senatus ex Aquileiensium legatis cognouit: qui querentes coloniam suam nouam & infirmam, necdum satis munitam inter infestas nationes Histrorum & Illyriorum esse, cùm peterent, vt senatus curæ haberet quomodo ea colonia muniretur, interrogati vellénne eam rem C. Cassio Cos. mandari, responderunt, Cassium Aquileiam indicto exercitu, profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primo incredibilis visa, & pro se quisque credere, Carnis fortitan aut Histris bellum illatum. Tum Aquileienses, nihil se vltra scire nec audere affirmare, quàm XXX. dierum frumentum militi datum: & duces qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos abductósque. Enimuero senatus indignari, tantum consulem ausum, vt suam prouinciam relinqueret, in alienam transiret, exercitum nouo periculoso itinere inter exteras gentes ducere, viã tot nationib. in Italiam aperire. Decernunt frequentes, vt C. Sulpitius prætor tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex vrbe & quantum accelerare possent, Cassium Cos. vbicunque sit, persequantur: nuntient ne bellum cum vlla gẽte moueat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. Legati III. profecti M. Cornelius Cethegus, M. Fuluius, P. Martius Rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendæ Aquileiæ curam. Hispaniæ deinde vtriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii de magistratuum Romanorũ auaritia superbiáq; cõquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari vexarique quàm hostes patiantur. Cùm & alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas, L. Canuleio prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, vt in singulos, à quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret: patronósque quos vellent sumendi potestatẽ faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est S. C. iussiq; nominare patronos, quatuor nominauerunt, M. Portium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, L. Æmylium, M. F. Paulum, C. Sulpitium Gallum. Cum M. Titinio primum, qui Pr. A. Manlio, M. Iunio Coss. in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. Dissensio inter duarum prouinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniæ populi M. Catonem Scipionem, vlterioris L. Paulum & Gallum Sulpitium patronos sumserunt. Ad recuperatores adducti, à citerioribus populis P. Furius Philus, ab vlterioribus, M. Matienus. Ille Sp. Posthumio, Q. Mutio Coss. triennio ante, hic biennio prius L. Posthumio, M. Popilio Coss. prætor fuerat. Grauissimis criminibus accusati ambo ampliatique, cùm dicenda de integro caussa esset, excusati exilij caussa solum vertisse. Furius Præneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt. Fama erat, prohiberi à patronis nobiles ac potentes compellare: auxitque eam suspitionem Canuleius prætor, quod omissa ea re, delectum habere instituit: dein repentè in prouinciã abiit, ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita præteritis silentio obliteratis, in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt ne frumenti æstimationem magistratus Romanus haberet, néve cogeret vicesimas vendere Hispanos quanti ipse vellet, & ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur. Et alia noui generis hominũ ex Hispania legatio venit. Ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum, orabant, vt sibi oppidum in quo habitarent, daretur. senatus decreuit, vti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur: eorúmque si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. Qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, vti numero colonorum essent, agro assignato. Latinam eam coloniam fuisse, libertinorúmque appellari. Eodem tempore ex Africa & Gulussa Masanissę regis filius legatus patris, & Carthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus, & quæ missa erant ad bellum Macedonicum à patre suo, exposuit: & si qua præterea vellent imperare, præstaturum merito P. R. est pollicitus: & monuit patres conscriptos vt à fraude Carthaginiensium cauerent. Classis, eos magnæ parandę consiliũ cepisse, specie pro Romanis, & aduersus Macedonas: vbi ea parata instructáque esset, ipsorum fore potestatis, quem hostem aut socium habeant.

* *

tantum pauorem ingressi castra ostentantes capita fecerunt, vt si admotus extẽplo exercitus foret, capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est: & erant qui legatos mittendos ad pacem precibus petendam, censerent: ciuitatésque complures eo nuntio audita in deditionem venerunt. Quibus purgantibus sese, culpámq; in duorum amentiam conferentibus, qui se vltro ad pœnam ipsi obtulissent, eum veniam dedisset prætor: profectus extemplo ad alias ciuitates, omnibus imperata facientibus, quieto exercitu pacatum agrum, qui paulo ante ingenti tumultu arserat, peragrauit. Hæc lenitas

pitas prætoris, qua sine sanguine ferocissimam gétem domuerat, eo gratior plebi patribusque fuit, quo crudelius auariusque in Græcia bellatum & ab Cos. Licinio & ab Lucretio prætore erat. Lucretiū tribuni plebis absentem concionibus assiduis lacerabant, cum reipublicæ caussa abesse excusaretur: sed tum adeo vicina etiam inexplorata erant, vt is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquámque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus centum triginta millibus æris locasse dicitur. tabulis quoque pictis ex præda fanum Æsculapij exornauit. Inuidiam infamiámque ab Lucretio auerterunt in Hortensium successorem eius Abderitæ legati, flentes ante curiam, querentesque oppidum suum ab Hortensio expugnatum ac direptum esse. Caussam excidij fuisse vrbi, quod cum centum millia denarium, & tritici quinquaginta millia modiûm imperaret, spatium petierunt, quo de ea re & ad Hostilium consulem & Romam mitterent legatos. vix dum ad consulem se peruenisse, & audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona ceteros vænisse. Indigna senatui visa: decreuerúntq. eadem de Abderitis, quæ de Coronæis decreuerant priore anno: eadémque pro concione edicere Q. Mænium prætorem iusserunt. Et legati duo, C. Sempronius Blesus, Sex. Iulius Cæsar, ad restituendos in libertatem Abderitas missi. Iisdem mandatum, vt & Hostilio consuli & Hortensio prætori nuntiarent, senatum Abderitis iniustum bellum illatum, cóqueriq. omnes qui in seruitute sint, & restitui in libertatem, æquum censere. Eodem tempore de C. Cassio, qui Cos. priore anno fuerat, tum tribunus militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelæ ad senatum delatæ sunt: & legati regis Gallorum Cincibili venerunt. Frater eius verba in senatu fecit, questus Alpinorum populorum agros sociorum suorum depopulatum C. Cassium esse, & inde multa millia hominum in seruitutem abripuisse. Sub idem tempus Carnorum Histrorumq. & Iapidum legati venerunt, duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent, pacatum ab se tanquam ad aliud bellum gerendū abisse: inde ex medio regressum itinere, hostiliter peragrasse fines suos: passim rapinasq. & incendia facta: nec ad id locorum scire ꝓpter quam caussam consuli pro hostibus fuerint. Et regulo Gallorū absenti, & his populis responsum est, senatum ea quæ facta querantur neque scisse futura, neque si sint facta, probare: sed indicta caussa damnari absentem consularem virum, iniurium esse, cū is reipublicæ caussa absit. Vbi ex Macedonia redisset C. Cassius, tum si cotam eum arguere vellent, cognita re senatū daturum operam vti satis fiat. Nec responderi tantum iis gentibus, sed legatos mitti, duos ad regulū trans Alpes, tres circa eos populos placuit, qui indicarēt, quæ patrum sententia esset. Munera mitti legatis ex binis millibus æris censuerunt. duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, & vasa argentea quinque & viginti pondo, & duo equi phalerati cum agasonibus, & equestria arma ac sagula, & comitibus eorum vestimenta liberis seruisque. Hæc missa, illa petentibus data, vt denorum equorum iis commercium esset, educendiq. ex Italia potestas fieret. legati cū Gallis missi trans Alpes C. Lælius, M. Æmilius Lepidus: ad ceteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius, multarum simul Græciæ Asiæque ciuitatum legati Romá conuenerunt. Primi Athenienses introducti: ij se quot nauiū habuerint militumque P. Licinio Cos. & C. Lucretio prætori misisse exposuerunt quibus eos non vsos, frumenti sibi centū millia imperasse. quod quanquam sterilē terram arent, ipsósq. etiam agrestes peregrino frumento alerent, tamen ne deessent officio confecisse: & alia quæ imperaretur, præstare paratos esse. Milesij nihil præstitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, præstare se paratos esse polliciti sunt. Alabandenses templū vrbis Romę se fecisse commemorauerūt ludosq. anniuersarios ei diuæ instituisse: & coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Ioui Opt. Max. attulisse: & scuta equestria CCC. ea cui iussisset tradituros. Donum vt in Capitolio ponere & sacrificare liceret, petebant. Hoc Lampsaceni LXXX. pondo coronam afferentes petebant, commemorantes discessisse se à Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam venisset, cum sub ditione Persei, & ante Philippi fuissent. Pro eo, & quod imperatoribus Romanis omnia præstitissent. id se tantum orare, vt in amicitiam populi Romani reciperentur, & si pax cum Perseo fieret exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur. Ceteris legatis comiter responsum. Lampsacenos in sociorum formulā referre Q. Mænius prætor iussus. munera omnibus in singulos binûm milliū æris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostium consulem in Macedoniam iussi. Et ex Africa legati simul Carthaginiensium tritici decies centum millia & hordei quingenta, indicantes se ad mare deuecta habere, vt quò senatus censuisset, deportarent. Id munus officiúmq. suum scire minus esse, quàm pro meritis populi Rom. & voluntate sua: sed sæpe aliàs bonis in rebus vtriusque populi se gratorum fideliúmq. socium muneribus functos esse. Item Masanissæ legati tritici eandem summam polliciti, & mille & CC. equites XII. elephantos, si quid aliud opus esset, vti imperaret senatus, æquè propenso animo, ac quæ ipse vltro pollicitus sit, præstarum esse. Gratiæ & Carthaginiensibus, & regi actæ: rogatiq. vt ea quæ pollicerentur, ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binum millium æris munera missa. Cretensium legatis commemorantibus se quantum sibi imperatum à P. Licinio consule esset, sagittariorum in Macedoniam misisse: cùm interrogati non inficiarentur, apud Persea maiorem numerum sagittariorum, quàm apud Rom. militare responsum est: si Cretenses bene, & grauiter destinarent potiorem populi Rom. quàm regis Persei amicitiā habere, senatū quoq. Romanū iis tanquā certis sociis responsum daturū esse: interea nuntiarent suis, placere senatui, dare operam Cretenses, vt quos milites intra præsidia regis Persei haberent, eos primo quoque tempore domum reuocarent. Cretensibus cum hoc responso dimissis Chalcidenses vocati: quorum legatio ipso introitu, ob id quod Miccion princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, vltimæ necessitatis exemplo visa res: in qua ita affecto excusatio valetudinis, aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petendi non esset. Cùm sibi nihil viui reliquum, præterquam linguam ad deplorandas patriæ suæ calamitates, præfatus esset, exposuit ciuitatis primum suæ benefacta & vetera, & ea quæ Persei bello præstitissent ducibus exercitibúsque Rom. tum quæ primo C. Lucretius in populares suos prætor Rom. superbè, auarè crudeliter fecisset: deinde quæ tum, cū maxime L. Hortensius faceret. Quemadmodum omnia sibi, etiá iis quæ patiantur, tristiora, patienda esse ducant, potius quàm se de-

dant Persisquod ad Lucretium Hortensiúmque attineret: scire tutius fuisse claudere portas, quam in vrbem eos accipere. Qui exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Ænum, incolumes esse: apud se templa omnibus ornamentis compilata spoliataq. sacrilegiis, C. Lucretium nauibus Antiũ deuexisse: libera corpora in seruitutem abrepta, fortunas sociorum populi Rom. direptas esse, & quotidie diripi. Nam ex instituto C. Lucretij Hortensiũ quoque in tectis hyeme pariter atque æstate, naualeis socios habere, & domos suas plenas turba nautica esse versari inter se cõiuges liberosq. suos, quibus nihil neq. dicere pensi, neq. facere Accersere in senatum Lucretium placuit, vt disceptaret coram, purgarétque sese. Ceterũ multo plura præsens audiuit, quam in absentem iacta erant, & grauiores potentioresque accessere accusatores duo tribuni plebis, M. Iuuentius Talua, & Cn. Aufidius. Ij non in senatu modo eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto, multis obiectis probris diem dixerunt. Senatus iussu Chalcidensibus Q. Mænius prætor respondit: quæ bene meritos sese, & ante, & in eo bello quod geratur, de populo Rom. dicant, ea & scire vera eos referre senatum, & perinde ac debeant grata esse. Quæ facta à C. Lucretio, fierique ab L. Hortensio Prr. Rom querantur: ea neq. facta, neq; fieri voluntate senatus, quem non posse existimare, qui sciat bellum Persei & ante Philippo patri eius intulisse P. R. pro libertate Græciæ non vt ea à magistratibus sociis atque amicis paterentur. Literas, se ad L. Hortensium prætorem daturos esse: quæ Chalcidenses querantur acta, ea senatui non placere. Si qui in seruitutem liberi venissent, vt eos conquirendos primo quoque tempore restituendósque in libertatem curaret. Sociorum naualium neminem præter magistros in hospitia deduci æquum censere. Hæc Hortensio iussu senatus scripta. Munera binum millium æris legatis missa, & vehicula Miccioni publicè locata, quæ eum Brundusium commodè perueherent. C. Lucretium vbi dies quæ dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt mulctámq; decies centum millium æris dixerunt. Comitiis habitis, omnes V. & XXX. tribus cũ condemnarunt. In Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. Nam nec hostes mouerunt arma, neque consul in agrum eorum legiones induxit: & satis explorata pace eius anni, milites duarum legionum Romanarum intra dies LX. quam in prouinciam venit, dimisit: sociorum nominis Latini exercitu maturè in hiberna Lunam & Pisas deducto, ipse cum equitibus Galliæ prouinciæ pleraq; oppida adiit. Nusquam alibi quam in Macedonia bellum erat, suspectum tamen & Gentium Illyriorum regẽ habebant. itaque & octo naues ornatas à Brundusio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatũ Issá, qui cum præsidio duarum Issensium nauium insulæ præerat. duo millia militum in eas naues sunt imposita. Quæ Q. Mænius pr. ex S. C. in ea parte Italiç, quæ obiecta Illyrico est, conscripsit. & COS. Hostilius Ap. Claudium in Illyricum cum quatuor millibus peditum misit, vt accolas Illyrici tutarentur. qui non contentus iis quas adduxerat copiis, auxilia ab sociis corrogando, ad VIII. millia hominum vario genere animauit: peragratáque omni ea regione ad Lycnidũ Dassaretiorum consedit. Haud procul inde Vscana Oppidum, finium plerunque Persei erat X. millia ciuium habebat & modicum custodiæ caussa Cretensium præsidium. Inde nuntij ad Claudium occulti veniebant, si propius copias admouisset, paratos fore qui proderent vrbem: & operæ pretium esse, non se amicosque tantum, sed etiam milites præda expleturum. Spes cupiditati admota ita occæcauit animum, vt nec ex iis qui venerunt, quenquam retineret, nec obsides pignus futuros furto & fraude agendæ rei posceret, nec mitteret exploratum, nec fidem acciperet. die tantum statuta profectus à Lycnido, duodecim millia ab vrbe quam tendebat, posuit castra. Quarta inde vigilia signa mouit, mille fermè ad præsidium castrorum relictis: incompositi longo agmine effusi, infrequẽtes, cùm nocturnus error dissiparet, ad vrbem peruenerunt. Creuit negligentia, postquam neminem armatum in muris viderent. Ceterum vbi primum sub actu teli fuerunt duabus simul portis erumpitur: & ad clamorem erumpentium ingens strepitus è muris ortus, vlulantium mulierum cum crepitu vndique æris, & incondita multitudo, turba immixta seruili, variis vocibus personabat. Hic tam multiplex vndique obiectus terror effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Rom. possent. Itaque fugientes plures, quàm pugnantes interemti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in castra perfugerunt. Quo longius iter in castra erat, eo plures fessos consectandi hostibus copia fuit, ne moratus quidem in castris Appius, vt suos dissipatos fuga colligeret: quę res palatis per agros saluti fuisset: ad Lycnidum protinus reliquias cladis reduxit. Hæc & alia haud prosperè in Macedonia gesta, ex Sexto Digitio tribuno militũ, qui sacrificij caussa Romam venerat, sunt audita. Propter quæ veriti patres, ne quæ maior ignominia acciperetur legatos in Macedoniá M. Fuluiũ Flaccũ & M. Caninium Rebilum miserunt qui comperta quæ agerentur referrent: & vt A. Hostilius Cos. comitia consulibus subrogandis ita diceret, vti mense Ianuario comitia haberi possent: & vt primo quoque tempore in vrbem rediret. Interim M. Recio Pr. mandatum, vt edicto senatores omnes ex tota Italia, nisi qui reipub. caussa abessent, Romam reuocaret: qui Romæ essent, ne quis vltra mille passum ab Roma abesset. Ea vti senatus censuit, sunt facta. Comitia consularia ad V. Calend. Sept. fuere. creati Coss. sunt Q. Martius Philippus iterum, & Q. Seruilius Cæpio. Post diem tertium Prr. sunt facti, C. Decimius, M. Claudius Marcellus, M. Sulpitius Galus, C. Martius Figulus, Ser. Cornelius Lentulus, P. Fonteius Capito. Designatis Prr. præter duas vrbanas, quatuor prouinciæ sunt decretæ Hispania, & Sardinia, & Sicilia, & classis. Legati ex Macedonia exacto admodũ mense Februario redierunt. Hi quas res ea æstate prosperè gessisset rex Perseus, referebant: quantusq. timor socios populi Rom. cepisset, tot vrbibus in potestatem regis redactis. Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse: culpam eius rei consulem in tribunos militum, contra illos in consulem conferre. Ignominiam Claudij temeritate acceptam eleuare eos patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis, & magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebant. consules designati vbi primum magistratum inissent, de Macedonia referre ad senatum iussi: destinatæque prouinciæ iis sunt, Italia & Macedonia. Hoc anno intercalatum est: tertio die post Terminalia calendæ intercalares fuere. Sacerdotes intra eum annum mortui L. Flaminius, augur. pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus, & C. Liuius Salinator. In locum Furij, T. Manlium Torquatum, in Liuij M. Seruilium pontifices legerunt Principio insequentis anni cum Coss. noui Q. Martius

Martius & Q. Seruilius de prouinciis retulissent; primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam & Macedoniam, aut sortiri placuit. Priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in vtraque prouinciam, quod res desideraret supplementi decerni. In Macedoniam peditum Roma. sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Rom. CCL. socios CCC. veteres milites dimitti, ita vt in singulas Rom. legiones ne plus sena millia peditum. CCC. equites essent. Alteri Cos. nullus certus finitus numerus ciuium Romanorum, quem in supplementum legeret: id modo finitum, vt duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducenos haberent, equites trecenos. Peditum Latinorum maior quam collegæ decretus numerus: Peditum X. millia & DC. equites. quatuor præterea legiones scribi iussæ, quæ si quo opus esset educerentur. Tribb. mill. non permissum vt COSS. facerent, populus creauit. Sociis nominis Latini XVI. millia peditum, & mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantum placuit, vt exiret si quo res posceret. Macedonia maximè curam præbebat: in classem mille socij nauales ciues Romani libertini ordinis ex Italia scribi iussi: totidem vt ex Sicilia scriberentur: & cui ea prouincia euenisset, mandatum vt eos in Macedoniam, vbicunque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, CCC. equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia trecenti & XXX. equites. Et sociis imperare prætor, cui Hispania obuenisset, iussus, quatuor millia peditum, & CCC. equites. Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque nunciari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Cæterum & mihi vetustas res scribenti, nescio quo pacto antiquus fit animus: & quædam religio tenet, quæ illi prudentissimi viri publicè suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quæ in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata: facem in cœlo conspectam: & bouem fœminam locutam publicè ali. Manturnis quoque per eos dies cœli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidauit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrymauit. in vrbe Romana duo æditui nuntiarunt, alter in æde Fortunæ anguem iubatum à compluribus visum esse, alter in æde Primigenæ Fortunæ, quæ in colle est, duo diuersa prodigia: palmam in area enatam, & sanguine interdiu pluuisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in priuato loco factum esset: palmam enatam in pluuio suo T. Martius Figulus nuntiabat. alterum, quod loco peregrino: Fregellis in domo L. Atrei hasta, quàm filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita vt nihil eius ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum caussa libri à decemuiri aditi, XL. maioribus hostiis, quib. diis Coss. sacrificarent. & addiderunt vti supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia puluinaria victimis maioribus sacrificarent, populúsque coronatus esset. Omnia vti Xuiri præierunt, facta. Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt. Petierunt censuram principes ciuitatis C. Valerius Læuinus, L. Posthumius Albinus P. Mutius Scæuola, C. Iunius Brutus, C. Claudius Pulcer, Tib. Sempronius Gracchus. Hos duos censores creauit populus Romanus. Cum delectus habendi maior quàm alias propter Macedonicum bellum cura esset, COSS. plebem apud sena-

A tum accusabant, quod & iuniores non responderent: aduersus quos C. Sulpitius & M. Claudius tribuni plebis caussam egerunt. Non consulibus, sed ambitiosis consulibus delectum difficilem esse: neminem inuitum militem ab iis fieri. Id ita vt esse scirent & patres conscripti, prætores, quibus & vis imperij minor & auctoritas esset, delectum, si ita senatui videretur, perfecturos esse. Id prætoribus magna patrum consensione non sine suggillatione consulum mandatum est. B Censores vt eam rem adiuuarent, ita in concione eduxerunt: legem censui censendo dicturos esse, vt præter commune omniũ ciuium iusiurandum hæc adiuuarent: Tu minor annis & quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudij, Tib. Sempronij censorum ad delectum prodito: & quotiescunq. delectus erit, quicũq; censores magistratum habebunt, si miles factus non eris, in delectu prodibis. Ita quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus, incertis cõmeatib. per ambitionẽ imperatorũ ab exercitu abesse, edixerunt de mi- C litibus P. Popilio Coss. postve eos Coss. in Macedoniam scriptis: vt qui eorum in Italia essent, intra dies XXX. censi prius apud sese in prouinciam redirent. qui in patris aut aui potestate essent, eorum nomina ad se ederentur. Missorum quoque caussas sese cognituros esse: & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri iussuros. Hoc edicto literisque censorum per fora & conciliabula dimissis, tanta multitudo iuniorum D Romam conuenit, vt grauis vrbi turba insolita esset. Præter delectum eorum, quos in supplementũ mitti oportebat, quatuor à C. Sulpitio Pr. scriptę legiones sunt, intraque vndecim dies delictus est perfectus. Consules deinde sortiti prouincias sunt, nam Prr. propter iurisdictionẽ maturius sortiti erant. Vrbana C. Sulpitio, peregrina C. Decimio obtigerat. Hispaniam Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fonteius Capito, classem C. Martius Figulus erat sortitus COSS. E Q. Seruilio Italia Q. Martio Macedonia obuenit: Latinisque actis Martius extemplo est profectus. Cepione deinde referente ad senatum, quas ex nouis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decreuere patres, vt C. Sulpitius M. Claudius prætores, ex his quas scripsissent legionibus, quas videretur consuli darent. Indignè patiente prætorum arbitrio consulem subiectum, dimisso senatu ad tribunal prætorum stans postulauit, ex S.C. destinarent sibi duas legiones. Prætores consuli in eligendo arbitrium fecerunt. Senatũ deinde F censores legerunt. M. Æmylius Lepidus princeps ab tertiis iam censoribus lectus. Septem è senatu eiecti sunt. In censu accipiendo populi, milites in Macedonico exercitu, qui quàm multi essent ab signis census docuit, in prouinciam cogebant: caussas stipendiis missorum cognoscebant, & cuius nondum iusta missio visa esset, ita iusiurandum adigebant. Ex tui animi sententia, tu ex edicto C. Claudij, Tib. Sempronij censorum in prouinciam Macedoniam redibis: quod sine dolo malo facere poteris. In equi- G tibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit. multis equos ademerunt. in ea re cùm equestrem ordinem offendissent, flammam inuidiæ adiecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fuluio, A. Posthumio censoribus publica vectigalia aut vltro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociúsve aut affinis eius conductionis esset. Sæpe id querendo veteres publicani, cum impetrare nequissent ab senatu, vt modum potestati censoriæ imponerent, tandem Tib.

pleb. Rutilium ex rei priuatæ contentione iratum A censoribus, patronum caussæ nacti sunt. Clientem libertinum parietem in Sacra via aduersus ędes publicas demoliri iusserunt, quod publico inædificatus esset, appellati à priuato tribuni, cum præter Rutilium nemo intercederet, censores ad pignora capienda miserunt, mulctamque pro concione priuato dixerunt. Hinc contentione orta, cum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub vnius tribuni nomine promulgatur: Quæ B publica vectigalia, vltro tributa, C. Claudius & Tib. Sempronius, locassent, ea rata locatione esset: de integro locarentur, & vt omnibus redimendi & conducendi promiscuè ius esset. Dem ad eius rogationem consilio Trib. pleb. dixit. Qui postquam venit, vt censores ad dissuadendum processerunt, Graccho dicente silentium fuit: cùm Claudio obstreperetur, audientiam facere præconem iussit. Eo facto auocatam à se concionem tribunus, questus, & in ordinem se coactum, ex Capitolio, vbi erat consilium, abiit. Postero die ingenteis tumul- C tus ciere. Tib. Gracchi primum bona consecrauit, quod in mulcta pignoribúsque eius, qui tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinē coegisset. C. Claudio diem dixit, quod concionem ab se auocasset: & vtrique censori perduellionem se iudicare pronuntiauit, diémque comitiis à C. Sulpitio Pr. vrbano petiit. Non recusantibus censoribus, qui minus primo quoque tempore iudicium de se populus faceret, in ante dies VIII. & VII. Ca- D lend. Octob. comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt. & ibi signatis tabellis publicis clausóque tabulario, & dimissis seruis publicis, negarunt se prius quidquam publici negotij gesturos quàm iudiciū populi de se factum esset. Prior Claudius caussam dixit: & cū ex XII. centuriis equitum VIII. censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes ciuitatis in conspectu populi annulis aureis positis vestem mutarunt, vt supplices plebem E circumirent. Maximè tamen sententiam vertisse dicitur Tib. Gracchus, quod cum clamor vndique plebis esset, periculum Graccho non esse conceptis verbis iurauit: si collega damnatus esset, non expectato de se indicio, comitē exilij eius futurū. Adeo tamen ad extremū spei venit reus, vt octo centuriæ ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio tribunus plebis negauit se Gracchū morari. Eo anno postulantibus à senatu Aquileiēsium legatis, vt numerum colonorū augeret, M. & D. familiæ ex S.C. F scriptæ: triumuirique qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Papilius & Cn. Octauius legati, qui in Græciam missi erant, S. C. Thebis primum recitatum, per omnes Peloponnesi vrbes circumtulerunt, ne quis vllam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, præterquam quod senatus censuisset. Hoc fiduciam in posterum quoque præbuerat, leuatos se oneribus impensisque, quibus alia aliis imperantibus exhauriebantur. Achaico concilio Argis a- G gitato benignè locuti auditique, egregia spe futuri status fidissima gente relicta in Ætoliam traiecerunt. ibi nondum quidem seditio erat, sed omnia suspecta, criminúmque inter ipsos plena: ob quæ obsidibus postulatis, neque exitu rei imposito, in Acarnaniam inde profecti legati sunt. Tyrrei concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen: quidam principum postulare, vt præsidia in vrbes suas inducerentur, aduersus amentiam eorum qui ad Macedonicā gentem trahebant: pars recusare ne quod bello captis & hostibus mos esset, id pacatæ, sociæ ciuitates ignominiæ acciperent Iusta deprecatio hæc visa. Larissam ad Hostilium procos. ab eo enim missi erāt, legati redierunt. Octauiū retinuit secū. Popiliū cū mille ferme militib. in hyberna Ambraciam misit. Perseus principio hyemis egredi Macedoniæ finib. non ausus, ne qua in regnū vacuū irrumperent Romani sub tēpus brumæ cùm inexsuperabiles ab Thessalia montes niuis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finitimorum spes animosque, ne quid auerso se in Romanum bellū periculi subesset. Cùm à Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione à Rom. præstarent, Dardanos recens domuisset bello: solum infestum esse Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neque ipsis quietis Illyriis, & aditum præbentibus Rom. si domuisset proximos Illyriorum, Gētium quoque regem iam diu dubium in societatem perlici posse: cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitæ erant, & duobus millibus leuium armatorum & quingentis equitibus profectus, Stuberā venit. Inde frumēto compluriū dierū sumto, iussóq. apparatu oppugnādarū vrbiū sequi, 3. die ad Vscanā (Penestianę terrę ea maximè vrbs est) posuit castra: prius tamen, quàm vim admoueret, missis qui tentarent nunc præfectorum præsidij, nūc oppidanorum animos: erat autem ibi cum iuuentute Illyriorum Romanum præsidium postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, & corona eam capere conat' est. Cū sine intermissione interdiu noctúq. alij aliis succedētes, pars scalas muris ignē portis inferrēt, sustinebāt tamē eam tēpestatem oppugnatores vrbis: quia spes erat, neq. hyemis vim diutius pati Macedonas in aperto posse, nec ab Ro. bello tantū regi laxamēti fore, vt posset morari, Ceterum postquam vineas agi, turrésque excitari viderunt, victa pertinacia est. Nam præterquam quod aduersus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut vllius alterius rei copia intus erat, vt in nec opinata obsidione. Itaque cum spei nihil ad resistēdū esset, C. Caruilius Spoletinus, & C. Afranius à præsidio Romano missi, qui à Perseo peterent: primo, vt armatos suáque secum ferentes abire sineret: dein, si id minus impetrarent, vitæ tantum libertatisque fidem acciperent. Promissum id benignius est ab rege, quàm præstitum: exire enim sua secum efferentibus iussis, primum arma ademit. His vrbe egressis, & Illyriorum cohors (quingenti erant) & Vscanenses se vrbémque dediderunt. Perseus præsidio Vscanæ imposito multitudinem omnem deditorum, quæ propè numero exercitum æquabat, Stuberam abducit. Ibi Romanis quatuor millia aūt hominū erant, prætor principes, in custodiam ciuitatum diuisis, Vscanensibus Illyriisque venditis, in Penestiam exercitum reducit ad Oæneum oppidum in potestatem redigendum, & alioqui opportunè situm: & transitus ea est id Labeates, vbi Gentius regnabat. Prætereunti frequens castellum Draudacum nomine peritorum quidam regionis eius, nihil Oæneo capito opus esset ait nisi in potestate & Draudacum sit: opportunius etiam ad omnia positum esse. Admoto exercitu omne extemplo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione erectus, postquam animaduertit quantus agminis sui terror esset, vndecim alia castella eodem metu in potestatē redigit. Ad perpauca vi op' fuit: cetera voluntate dedita, & in his recepti M. & D. dispositi per præsidia milites Romani. Magno vsui Caruilius Spole-

A Spoletinus erat in colloquiis, dicendo nihil in ipsos fruitum. Ad Oænenm peruentum est, quod sine iusta oppugnatione capi non poterat: & maiore aliquanto quàm cætera iuuentute, & validum oppidū mœnibus erat: & hinc amnis Artatus nomine, hinc mons prealtus & aditu difficilis cingebat. Hæc spem ad resistendum oppidanis dabant. Perseus circunuallato oppido aggerem à parte superiore ducere instituit, cuius altitudine muros superaret. Quod opus dum perficitur, crebris interim prælijs, B quibus per excursiones & mœnia sua oppidani tutabantur, & opera hostium impediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumta est: & qui super erant, labore diurno nocturnóque & vulneribus inutiles erant. Vbi primum agger iniunctus muro est, & cohos regia, quos Nicatoras appellant, transcendit: & scalis multis simul partibus impetus in vrbem est factus. Puberes omnes interfecti sunt: coniuges liberosque eorum in custodiam dedit: prædæ alia militum cessere. Stuberam inde C victor reuertens ad Gentium legatos, Pleuratum Illyrium exulantem apud se, & Aputeum Macedonem à Berœa mittit. Iis mandat vt exponerent æstatis eius hyemísque acta sua aduersus Romanos Dardanosq. adiicerent recentia in Illyrico hybernæ expeditionis opera: hortarentur Gentium in amicitiam secum & cum Macedonibus iungendam. Hi transgressi iugum Scordi montis, per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum D aut Macedoniam essent, Scordiam labore ingenti tandem peruenerunt. Lissi rex Gentius erat. eò accitì legati mandata exponétes benignè auditi sunt. Qui responsum sine effectu tulerunt, voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis: ceterum ad conandum id quod velit, pecuniam maximè deesse. Hæc Stuberam retulere regi, tum maximè captiuos ex Illyrico vendenti. Extemplo iidem legati addito Glautia ex numero custodium corporis, remittuntur, sine mentione pecuniæ, qua vna E barbarus inops impelli ad bellum poterat. Ancyram inde populatus Perseus, in Penestas rursum exercitum reducit: firmatísque Vscanæ, & circa eam per omnia castella quæ receperat, præsidiis, in Macedoniam sese recipit. L. Cælius legatus Romanus præerat Illyrico. qui moueri non ausus, cum in iis locis rex esset, post profectionem demum eius conatus in Penestis Vscanam recipere, à præsidio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus repulsus Lycnidum copias reduxit. Inde post dies F paucos M. Trebellium Fregellanum cum satis valida manu in Penestas misit, ad obsides ab his vrbibus, quæ in amicitia cum fide permanserant, accipiendos. Procedere etiam in Partinos (ij quoque obsides dare pepigerant) iussit: ab vtraque gente sine tumultu exigi. Penestarum obsides Apolloniam, Partinorum Dirrachium (tum Epidamni magis celebre nomen Græcis erat) missi. Ap. Claudius acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phanotem Epiri castellum adortus op- G pugnare, & auxilia Athamanum Thesprotorúmq; præter Romanum exercitum ad sex millia hominū secum adduxit: neque operæpretium fecit, Cleua qui relictus à Perseo erat cum valido præsidio, defendente. Et Perseus in Elimeam profectus, & circa eam exercitu lustrato, ad Stratum vocantibus Epirotis ducit. Stratus validissima tum vrbs Ætoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum prope amnem Acheloum. Cum decē millib. peditum eò profectus est, & æquitibus trecentis, quos pauciores propter

angustias viarum & asperitatem duxit. Tertio die cum peruenisset ad Citium montem, vix transgressus propter altitudinem niuis, locum quoque castris ægrè inuenit. Profectus inde magis, quia manere non poterat, quàm quòd tolerabilis aut via aut tempestas esset, cum ingenti vexatione, præcipuè iumentorum, altero die ad templum Iouis, quem Niceum vocant, posuit castra. Ad Arachthum inde flumen itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis mansit. Quo spacio temporis ponte perfecto, traductis copiis diei progressus iter obuium Archidamum principem Ætolorum, per quē ei Stratus tradebatur habuit. Eo die ad finem agri Ætoli castra posita. Inde altero die ad Stratum peruentum: vbi prope Acheloum amnem castris positis, cum exspectaret effusos omnibus portis Ætolos in fidem suam venturos, clausas portas, atq; ipsa ea nocte qua venerat, receptum Romanum præsidium cum C. Popilio legato inuenit. Principes qui præsentis Archidami auctoritate compulsi regem accersierant, obuiam egresso Archidamo certiores facti, locum aduersæ factioni dederant ad Popilium cum mille peditibus ab Ambracia accersendum. In tempore & Dinarchus præfectus equitum gentis Ætolorum cum DC. peditibus & equitibus C. venit. Satis constabat, eū tanquam ad Persea tendentem Stratū venisse: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, aduersus quos venerat, iunxisse. Nec Popilius securior quàm debebat esse, inter tam mobilia ingenia erat: claues portarum custodiámque murorum suæ exemplo potestatis fecit. Dinarchum Ætolosq. cum iuuentute Stratiorum in arcem per præsidij speciem amouit Perseus ab imminentibus superiori parti vrbis tumulis tentatis colloquiis, cùm obstinatos, atq; etiam telis procul arcentes videret, quinque millia passuum ab vrbe trans Petitarum amnem posuit castra. Ibi concilio aduocato, cum Archidamus Epirotarumque transfugę retinerent, Macedonū principes non pugnandū cum infesto tempore anni censerent. nullis præparatis commeatibus: cum inopiam prius obsidentes quàm obsessi sensuri essent, maximè quod hostium haud procul inde hyberna erant, tertius in Aperantiam castra mouit. Aperantij eum propter Archidami magnam in ea gente gratiā auctoritatémque consensu omnium acceperunt. is ipse cum octingentorum militum præsidio his est præpositus. Rex cum minore vexatione iumētorum hominúmque quàm venerat, in Macedoniam rediit. Appium tamen obsidione Phanotis fama ducentis ad Stratum Persei summouit. Cleuas cum præsidio impigrorum iuuenum insecutus, sub radicibus propè inuiis montium ad mille hominum ex agmine impedito occidit, ad ducentos cepit. Appius superatis angustiis in Campo, quem Eleona vacant, statiua dierum paucorum habuit. Interim Cleuas assumto Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonensem transcendit. Macedones ad depopulationem profecti Philostratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. In palatos populatores cum erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem infessam ab hostibus præcipitant. ibi ad M. occisis, centum fermè captis, vbique prosperè gesta re, prope statiua Appij castra mouent, ne qua vis sociis suis ab Romano exercitu inferri possit. Appius nequicquā in his locis terens tempus, dimissis Chaonúmque & siqui alij Epirotæ erant, præsidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per Partinorum socias vrbes in hyberna militibus

dimissis, ipse Romam sacrificij caussa rediit. Per- A seus ex Penestarum gente M. pedites, CC. equites reuocatos Cassandriam præsidio vt essent, misit. Ab Gentio eadem adferentes redierunt. Nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum destitit, cum appareret quantum in eo præsidij esset: nec tamen impetrare ab homine posset, vt impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret.



DECADIS QVINTAE
LIBER III.

PRincipio veris, quod hyemem eam qua hæc gesta sunt, insecutum est, ab Roma C profectus Q. Martius Philippus consul cum quinque millibus, quos in supplementum legionum secum traiecturus erat, Brundusium peruenit. M. Popilius consularis, & alij pari nobilitate adolescentes Tr. milit. in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies & C. Martius Figulus prætor, cui classis prouincia euenerat, Brundusium venit, & simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actiũ Acarnaniæ por- D tum tenuerunt. Inde consul ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Prætor superato Leucata Corinthium sinum inuectus, & Creusæ relictis nauibus, terra & ipse per mediam Bœotiam diei vnius expedito itinere, Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palæpharsalum habebat, sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, & sociis cum fide cultis, & ab omni genere, iniu- E riæ defensis. Audito successoris aduentu, cum arma, viros, equos, cum cura * inexisset, ornato exercitu obuiam venienti consuli processit. Et primus eorum congressus ex dignitate eorũ ipsorum ac Romani nominis, & in rebus deinde gerendis * Procõsul enim ad exercitum. Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit. orsus à parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem: adiecit post. scelere partum regnum, beneficia, cædes, latrocinio nefando petitum Eumenem iniurias F in P. R. direptiones sociarum vrbium contra fœdus: ea omnia quæ diis quoque inuisa essent, sensurũ in exitu rerum suarum. Fauere enim pietati fideiq. deos, per quæ P. R. ad tantum fastigij venerit. Vires deinde P. R. iam terrarum orbem complectentis cũ viribus Macedoniç exercitus cum exercitibus comparauit. Quanto maiores Philippi Antiochiq. opes non maioribus copiis fractas esse? Huius generis adhortatione accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli cœpit. Eò & Cn. Martius Pr. à Chalcide classe accepta venit. Placuit nõ vltra G morando in Thessalia tempus terere, sed mouere extemplo castra, atque pergere inde in Macedoniã & prætorem dare operam, vt eodem tempore classis quoque inueheretur hostium littoribus. Prætore dimisso, consul menstruum iusso milite secum ferre, profectus decimo pòst die, quàm exercitum acceperat, castra mouit: & vnius diei progressus iter, conuocatis itinerum ducibus, cum exponerent, in concilio iussisset, qua quisq. ducturus esset, summotis iis, qua potissimum peteret, retulit ad concilium.

Aliis per Pythoum placebat via: aliis per Cambunios mõtes, qua priore anno duxerat Hostilius Cos. aliis præter Ascuridem paludem restabat aliquantum viæ communis: itaque in id tempus, quo prope diuortium itinerum castra posituri erant, deliberatio eius rei differtur. In Perræbiam inde ducit, & inter Azorum & Dolichem statiua habuit, ad consulẽdum rursus quam potissimum capesseret viam. Per eosdem dies Perseus, cum appropinquare ho- B stem sciret, quod iter petiturus esset ignarus, omnes saltus insidere præsidiis statuit. In iugum Cambuniorum montium (Volustana ipsi vocant) X. millia leuis armaturæ iuuenum cum duce Asclepiodoto mittit: ad castellum quod super Ascuridem paludem erat (Lapathus vocatur locus Hippias tenere saltum cum XII. millium Macedonum præsidio iussus. Ipse cum reliquis copiis primo circa Dium statiua habuit: deinde, adeo vt obtorpuisse inops consilij videretur, cum equitibus expeditis littore nunc Heracleam, nunc Philam percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens. Interim COS. sententia stetit eo saltu ducere, vbi propter Octolophum diximus regis castra Philippi fuisse. Præmitti tamen IIII. M. armatorum ad loca opportuna præoccupanda placuit, queis præpositi sunt M. Claudius & Q. Martius Cos. filius: confestim & vniuersæ copiç sequebantur. Ceterum adeò ardua & aspera & confragosa via fuit, vt præmissi expediti biduo quindecim millũ passuum ægrè itinere confecto, castra posuerint: turrim Eudieru, quem cepere locũ appellant. Inde postero die VII. M. progressi, tumulo haud procul hostiũ castris capto, nuntium ad Cos. remittunt, peruentum ad hostem esse, loco se tuto & ad omnia opportuno consedisse: vt quantum extendere iter posset, consequeretur Solicito consuli & propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, & eorum vicem, quos paucos inter media præsidia hostium præmiserat, nuntius ad Ascuridem paludem occurrit. Addita igitur & ipsi fiducia est, coniunctisque copiis, castra tumulo qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt acclinata. Non hostium modo castra, quæ paulo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium & Philum, oráque maris, latè patente ex tam alto iugo prospectu, oculis subiicitur. Quæ res accendit militi animos, postquàm summam belli, ac regias omnes copias, terrámque hostilem tam è propinquo conspexerunt. Itaque cũm alacres protinus duceret ad castra hostium, consulem adhortarentur, dies vnus fessis labore viæ ad quietem datus est. Tertio die parte copiarum ad præsidium castrorum relicta, consul ad hostem ducit. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat: qui ex quo castra Romana in tumulo conspexit, præparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini COS. obuius fuit, & Romani expediti ad pugnam exierant, & hostes, leuis armatura erat, promtissimum genus ad lacessendũm certamen. Congressi igitur extemplo tela coniecerunt; multo vtrinque vulnera temerario incursu & accepta & illata, pauci vtriusque partis ceciderunt. Irritatis in posterum diem animis maioribus copiis atque infestius concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset: iugum montis in angustum dorsum cuneatum, vix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque paucis pugnãtibus, cetera multitudo præcipuè qui grauium armorum erant, spectatores pugnæ stabant: leuis armatura per anfractus iugi procurrere, & ab lateribus cum leui armatura conserere, per iniqua atque æqua loca pugnam petere: ac pluribus ea

dic vulneratis quàm interfectis, prælium nocte diremptum est. Tertio die egere consilio Roman. imperator: nam neque manere in iugo inopi, neque regredi sine flagitio atq; etiam periculo, sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat: nec aliud restabat, quam audacter commissum, pertinaci audacia, quę prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eo, vt si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset cōsul, magna clades accipi potuerit. Sed cum ad Dium per littora cum equitibus vagaretur rex, & ab XII. M. prope clamorem & strepitum pugnantium audiret, nec auxit copias, integros fessis submittendo, neque ipse, quod plurimum intererat, certamini affuit, cum Roman. imperator maior LX. annis & prægrauis corpore, omnia militaria munera ipse impigrè obiret: egregiè ad vltimum in audacter commisso perseuerauit: & Popilio relicto in custodia iugi, per inui transgressus præmissis qui repurgarent iter: Attalum & Misagenem, cum suæ gentis vtrumque auxiliaribus præsidio esse saltum aperientibus iubet. Ipse equites impedimentáque præ se habens, cum legionibus agmen cogit. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina iumentorum sarcinarúmq; progressis, vix dum IIII. millia passuum nihil optabilius esset, quam redire qua venerant, si possent. Hostilem prope tumultum agmini elephanti præbebant: qui vbi ad inuia venerant, deiectis rectoribus cum horrendo stridore pauorem ingentem equis maximè incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. Per procliue sumto fastigio, longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur, distantes inter se paulo plus quàm quanta bellue latitudo est: in eos transuersi incumbentes tigni ad tricenos longi pedes, vt pons esset, iniungebantur: humúsq; insuper iniiciebantur. modico deinde infra interuallo, similis alter pons: inde tertius, & plures ex ordine, qua rupes abscissæ erant, fiebant. Solido præcedebat elephas in pontem: cuius priusquam in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons vsque alterius initium pontis prolabi eum leniter cogebat. alij elephanti pedibus insistentes, alij clunibus subsidentes prolabebantur. vbi planicies altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad æquiorem vallem peruentum est. Paulo plus VII. millia die Romani processerunt. minimū pedibus itineris confectum: plerunq; peruolentes se simul cum armis aliísque operibus, cum omni genere vexationis processerunt. adeo vt ne dux quidem & auctor itineris inficiaretur, parua manu deleri omnē exercitum potuisse. Nocte ad modicam planiciem peruenerunt: neque an infestus is locus esset, septus vndique, circumspiciendi spatium fuit. vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum, postero quoque die in tam caua valle opperiri Popilium ac relictas cū eo copias necesse fuit: quos & ipsos cùm ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexauit. Tertio die coniunctis copiis eunt per saltum quē incolæ Callipeucen appellant. quarto inde die per æque inuia, sed assuetudine peritius, & meliore cum spe, quod nec hostis vsquam apparebat, & mari appropinquabat, digressi in campos, inter Haracetum & Libethrum posuerunt castra peditum, quorum pars maior tumulos tenebat: ij vallē campi quoque partem vbi eques tenderet, amplectebantur. Lauanti regi dicitur nuntiatum hostes adesse: quo nuntio cùm pauidus exsiluisset è solio victum se sine prælio clamitans proripuit, & subinde per alia atque

A alia pauida consilia & imperia trepidans, duobus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum vbi pecunia deposita erat, ex præsidiis reuocat, omnēque aditꝰ aperit bello. Ipse ab Dio auratis statuis omnibus raptim, ne præda hosti essent, in classem congestis, ocyus demigrare Pydnam cogit: & quæ temeritas consulis videri potuisset, quo eo processisset, vnde inuito hoste regredi nequiret, eam non inconsultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde euadere possent, habebant Roma. vnum per B Tempe in Tessaliam, alterum in Macedoniam præter Dium: quæ vtraque regiis tenebantur in præsidiis. Itaque si dux intrepidus X. dies primam speciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Rom. per Tempe in Thessaliam, neque commeatib. peruehendis eò patuisset iter. Sunt enim Tempe, saltus etiam si non bello fiat, infestus, transitu difficilis: nam præter angustias per quinq. millia qua exiguum iumento onusto iter est, rupes vtrinque ita abscissæ sunt, vt despici vix sine vertigi- C ne quadam simul oculorum animiq. possit. terret & sonitus & altitudo per medium vallem fluentis Penei amnis. Hic locus tam suapte natura infestus, per quatuor distantia loca præsidiis regis fuit insessus: vnum in primo aditu ad Gonnum erat: alterum Condylon castello inexpugnabili: tertium circa Lapathunta quem Characa appellant, quartum, viæ ipsi, qua & media & angustissima vallis est impositū quàm vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, D ipsi montes per quos descenderant, repetendi erant: quod vt furto fefellerant, ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non potuerant: & experta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temerè cōmisso, quàm in Macedoniam ad Dium per medios euadere hostes: quòd nisi dij mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat. Nam cùm Olympi radices montis paulo plus quàm mille passuum ad mare relinquant spatium, cuius dimidium loci occupat E ostium latè restagnans Baphyri amnis: partem planiciæ aut Iouis templum aut oppidum tenet: reliquum per exiguum fossa modica vallóque claudi poterat. & saxorum ad manum syluæ, vt isque materiæ tantum erat, vt vel murus obiici, turresque excitari potuerint. Quorum nihil cum dispexisset cæcata mens subito terrore, nudatis omnibus præsidiis, patefactísque bello, ad Pydnam refugit. Cos. plurimum & præsidij & spei cernens in stultitia & segnitie hostis, remisso nuntio ad Sp. Lucre- F tium Larissā, vt castella relicta ab hoste circa Tēpe occuparet: præmisso Popilio ad explorandos trāsitus circa Dium: postquam patere omnia in omnes partes animaduertit, secundis castris peruenit ad Dium, metarique sub ipso templo, ne quid sacro in loco violaretur, iussit. Ipse vrbem ingressus, sicut nō magnam, ita exornatā publicis locis & multitudine statuarum, munitámq. egregiè, vix satis credere in tantis rebus sine caussa relictis non aliquem subesse dolum. vnum diem ad exploranda circa omnia mo- G ratus castra mouet satísque credens paratam frumentis copiam fore, eò die ad amnem nomine Mityn processit. Postero die progressus Agassam vrbem tradentibus sese ipsis recepit: & vt reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contētus sine præsidio relinquere satis vrbē immunésque ac suis legib. victuros est pollicitus. Progressus inde diei iter, ad Ascordū flumen posuit castra: & quantum procederet longius à Thessalia, eò maiorem rerum omnium inopiam sentiens, regressus ad

Dium est: dubitatione omnibus exemta, quid interclușo ab Thessalia patiendum fuisset, cui procul A inde abscedere tutum non esset. Perseus contractis in vnum omnibus copiis ducibusq;, increpare praefectos praesidiorum, ante omnes Asclepiodotum atque Hippiam: ab his dicere claustra Macedoniae tradita Romanis esse: cuius culpae reus nemo iustius, quàm ipse fuisset. Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit cum commeatu naues venire (ingens enim caritas annonae, ac prope inopia erat) ab inuectis iam portum audit, onerarias B naues Magnesiae relictas esset. Incerto inde quidnam agendum foret (adeo sine vlla ope hostis quae aggrauaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum, erat) peropportunè literae à Sp. Lucretio allatę sunt: castella se, quae super Tempe essent, & circa Philan tenere omnia, frumentique in iis & aliarum in vsum rerum copiam inuenisse. His magnopere laetus COS. ab Dio ad Philan ducit: simul vt praesidium eius firmaret, simul vt militi frumentum, cuius tarda subuectio erat, diuideret: Ea profectio famam C haudquaquam secundam habuit. nam alij metu recessisse eum ab hoste ferebant, quia manenti imperatori praelio dimicandum foret: alij ignarum belli, quę indies fortuna nouaret: vt qui offerentibus sese rebus omisisset è manibus ea, quae mox repeti non possent. Simul enim cessit possessione Dij, excitauit hostem, vt tunc tandem sentiret recuperanda esse quae prius culpa amissa forent. Audita enim profectione Cos. regressus Dium, quae disiecta ac vastata ab Romanis erant, reficiu pinnas moenium decussas D reponit, ab omni parte muros firmat: deinde V. millia passuum ab vrbe citra ripam Enipei amnis castra ponit amnem ipsum transitu perdifficilè pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, aestate exiguus, hybernis idem incitatus pluuiis: & supra rupes ingentes gurgitib. facit: & intra prorupta in mare euoluendo terram praealtas voragines, cauatoque medio alueo ripas vtrinque praecipites. Hoc flumine Perseus septum iter hostis credens, extrahere reliquum tempus eius aestatis in a- E nimo habebat. Inter haec consul à Phila Popilium cum duobus millibus armatorum Heracleam mittit. Abest à Phila V. M. ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni imminente positum. Popilius priusquam armatos muris admoueret, misit qui magistratibus principibúsque suaderent, fidem clementiamque Romanorum, quàm vim expediri mallent. Nihil ea consilia mouerunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris apparebant. Tum terra marique (& classis appulsa ab F littore stabat) simul armis, simul operibus machinisq; oppugnari coepti. Iuuenes etiam quidam Romani, ludicro Circensi ad vsum belli verso, partem humilimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix vnius horae tempus vtrumque circulum complebat. Inter caetera sexageni ferme iuuenes interdum plures, ab apparitorib. ludi armati inducebantur. Horũ inductio in parte simulachrũ decurrentis G exercitus erat, ex parte elegantioris exercitij quàm militaris artis, propiorque gladiatorium armorum vsum. Cùm alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertiis magis & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant. Hinc L. ferme pedum spacio distantes duo

armati procurrebant, comminatiq; inter se ab imas in summam testudinem per densata scuta cum euasissent, nunc velut propugnantes per oras extremae testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secus quam stabili solo persultabant. Huic testudini similima parti muri admota, cum armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis aequabantur, depulsisque iis, in vrbẽ duorum signorum milites trãscenderunt. Id tantum dissimile fuit, quod & in fronte extrema, & ex lateribus, soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora: sed praetecta pugnãtium more: ita nec ipsos tela ex muro missa subeunteis laeserunt, & testudini iniecta imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Et cos. capta iam Heraclea castra eò promouit, tanquam Dium, atque inde summoto rege, in Pieriam etiam progressurus. Sed hyberna iam praeparans, vias commeatibus subuehendis ex Thessalia muniri iubet, & eligi horreis opportuna, loca tectaque aedificari, vbi diuersari portantes commeatus possent. Perseus tãdem pauore eo quo attonitũs fuerat, recepto animo, mallet imperiis suis non obtemperatum esse, cùm trepidans, gazam in mare deiici Pellae, Thessalonicae naualia iusserat incẽdi. Andronicus Thessalonicam missus traxerat tempus ipsum quod accidit, poenitentiae relinquens locum. Incautior Nicias Pellae proiiciendo pecuniae partem, quod fuerat nactus: sed in rem emẽdabilem visus lapsus esse, quod per vrinatores omnes fermè extractum est: tantusq. pudor regi pauoris eius fuit, vt vrinatores clam interfici iusserit: deinde Andronicum quoque & Nician, ne qui tam dementis imperij conscius existeret. Inter haec C. Martius cum classe ab Heraclea Thessalonicam profectus, & agrum pluribus locis expositis per littora armatis latè vastauit: & procurrentes ab vrbe secundis aliquot praeliis trepidos intra moenia compulit. iamque ipsi vrbi terribilis erat, cum dispositis omnis generis tormentis, non vagi modo circa muros temere appropinquantes, sed etiam qui in nauibus erant, saxis tormento emicantibus percutiebantur. Reuocatis igitur in naues militibus, omissaque Thessalonicae oppugnatione, Aeniam inde petunt XV. millia passuum ea vrbs abest, aduersus Pydnam posita, fertili agro. Peruastatis finibus eius, legentes oram Antigoneam perueniunt. Ibi egressi in terram primo & vastarunt agros passim, & aliquantum praedę contulerunt ad naues. dein palatos eos adorti Macedones mixti pedites equitésque fugientes effuse ad mare persecuti, D. ferme occiderunt, & non minus ceperunt. nec aliud quam vltima necessitas, cum recipere se tuto ad naues prohiberentur, animos militum Romanorum simul desperatione alia salutis, simul indignitate irritauit. redintegrata in littore pugna est, adiuuere, & qui in nauibus erant. Ibi Macedonum ducenti ferme caesi, par numerus captus. Ab Antigonea classis profecta ad agrum Pallenensem, exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat longe fertilissimus omnis orę quam praeteruecti fuerant. Ibi Eumenes rex XX. tectis nauibus ab Elea profectus obuius fuit, & quinque missae à Prusia rege tectae naues. Hac virium accessione animus creuit pr. vt Cassandream oppugnaret. Condita est à Cassandro rege in ipsis faucibus, quae Pallenensem agrum ceterae Macedoniae iungunt, hinc Toronaico, hinc Macedonico septa mari. Eminet namque in altum lingua, in qua sita est: nec minus quã in altum magnitudine Athos mons excurrit, obuersa in regionem Magnesiae

duobus

duobus imparibus promontoriis, quorum maiori A Posideum est nomen, minori Canastreum. Diuisis partibus oppugnare adorti Romanus ad Clitas quas vocant, munimenta, ceruis etiam obiectis vt viam intercluderet, à Macedonico ad Toronaicum mare perducit. Ab altera parte Euripus est, inde Eumenes oppugnabat. Romanis in fossa complenda, quam nuper obiecerat Perseus, plurimum erat laboris. Ibi quęrenti Pr. quia nusquam tumuli apparebant, quo regesta è fossa terra foret, monstrati sunt fornices, non ad eandem crassitudinem qua veterem murum, sed simplici laterum ordine structos esse. Con- B silium igitur cepit, transfosso pariete iter in vrbem patefacere. Fallere autē ita se posse, si muros à parte alia scalis adortus, tumultu iniecto in custodiam eius loci propugnatores vrbi auertisset. Erant in præsidio Cassandreæ præter non contemnendam iuuentutem oppidanorum DCCC. Agrianes & duo millia Penestrarum Illyriorum à Pleurato inde missi, bellicosum vtrunque genus. His tuentibus muros, cum subire Rom. summa vi niterentur, momento temporis parietes fornicum perfossi vrbem C patefecerunt. quod si qui irrupere, armati fuissent, extemplo cepisset. Hoc vbi perfectum esse opus militibus nuntiatum est, clamorem alacres gaudio repentè tollunt, aliis parte alia in vrbem irrupturis. Hosteis primum admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. Postquam patere vrbem accepere præfecti præsidij, Pytho, & Philippus Proco, qui occupasset aggredi opus factum esse rati, cum valida manu Agrianum Illyriorúmque erumpunt: Romanósque, qui alij aliunde coibant conuocabanturque, vt signa in vrbem inferrent, in- D compositósque atque inordinatos fugant, persequuntúrque ad fossam: in qua conpulsos ruina cumulant. DC. fermè ibi interfecti, omnésque propè qui inter murum fossamque deprehensi erant, vulnerantur. Ira suo ipse conatu perculsus prætor, segnior ad alia factus consilia erat: & ne Eumeni quidem, simul à mari, simul à terra aggredienti, quicquam satis procedebat. Placuit igitur vtrique custodiis firmatis, ne quod præsidium ex Macedonia intromitti posset, quoniam vis aperta non pro- E cessisset, operibus mœnia oppugnare. Hæc parantibus his X. regij lembi ab Tessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, cum in salo stantes hostium naues conspexissent, ipsi obscura nocte simplici ordine quam poterant proximè littus tenentes, intrarunt vrbem. Huius noui præsidij fama absistere oppugnatione simul Romanos regemque coegit. circumuecti promontorium ab Toronem F classem appulerunt. Eam quoque oppugnare adorti, vbi valida defendi manu animaduertunt, irrito incœpto Demetriadem petunt. Ibi cum appropinquantes repleta mœnia armatis vidissent, prætervecti ad Iolcon classem appulerunt, inde agro vastato Demetriadem quoque aggressuri Inter hæc & COS. ne segnis sederet tantum in agro hostico, M. Popilium cum V. millibus militum ad Melibœam vrbem oppugnandam mittit. Sita est in radi- G cibus Ossæ montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportune imminens super Demetriadem. Primus aduentus hostium perculit incolas loci. collectis deinde ex nec opinato pauore animis, discurrunt armati ad portas ac mœnia qua suspecti aditus erāt: spémque extemplo inciderunt, capi primo impetu posse. Obsidio igitur parabatur, & opera oppugnationum fieri cœpta Perseus cum audisset simul Melibœam à consulis exercitu oppugnari, simul classem Iolci stare, vt inde Demetriadem aggrederetur: Euphranorem quendam ex ducibus cum delectis duobus millibus Melibœam mitti. eidem imperatum, vt si à Melibœa submouisset Romanos. Demetriadem prius occulto itinere intraret, quàm ab Iolco ad vrbem castra mouerent Romani, & ab oppugnatoribus Melibœæ cum in superioribus locis repente apparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt, ignisque iniectus. Ita à Melibœa abscessum est. Euphranor soluta vnius vrbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. Nec tū mœnia modo, sed agros etiam confiderunt se à populationibus tueri posse: & eruptiones in vagos populatores non sine vulneribus hostium factæ sunt. Circumuecti tamen mœnia sunt Pr. & rex, situm vrbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere aut vi possent. Fama fuit per Cydam Cretensem & Antimachum qui Demetriadi pręerat, tractatas inter Eumenem & Persea conditiones amicitiæ: ab Demetriade certè abscessum est. Eumenes ad Cos. nauigat: gratulatus quod prospere Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abiit. Martius Figulus Pr. parte classis in hyberna Sciathum missa, cum reliquis nauibus Oreum Bœotiæ petit: eam vrbem aptissimam ratus, vnde exercitibus, qui in Macedonia, quíq. in Thessalia erant, mitti commeatus possent. De Eumene rege longè diuersa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec classe adiutum ab eo prætorem esse, cum sæpe eum literis accersisset, tradit: nec cum gratia ab consule profectum in Asiam indignatum quod vt iisdem castris tendere permissum non fuerit: ne vt equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret impetrari ab eo potuisse. Attallum fratrem eius, & re mansisse apud cōsulem: & synceram eius fidem æquali tenore, egregiamque operam in eo bello fuisse. Dum bellum in Macedonia geritur, legati transalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen, gentis ex qua fuerit, non traditur) Romam venerunt pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiæ ab senatu actæ, muneraque missa, torquis aureus dúo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus armaque equestria. Secundum Gallos Pamphili legati coronam auream ex XX. millibus Philippeorum factam, in curiam intulerunt: petentibúsque iis, vt id donum in cella I.O.M. ponere, & sacrificare in Capitolio liceret, permissum benignéque amicitiam renouare volentibus legati responsum: & binum millium æris singulis missum munus. Tum ab rege Prusia, paulo post ab Rhodiis de eadem re longè aliter differentes legati auditi sunt. vtraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perseo egit. Prusiæ preces magis quàm postulatio fuère, profitentis & ad id tempus se cum Romanis stetisse, & quo ad ad bellum foret, staturum. Ceterum cum ad se à Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum petere, si possent inducere in animum, vt finiant iram, se quoque in gratia reconciliatæ pacis posse vti. Hæc regij legati. Rhodij superbè commemoratis erga populum Romanum beneficiis, & pene & victoriæ vtique de Antiocho rege maiore parte à se vindicata, adiecerunt cum pax inter Macedonas Romanósque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo cœptam. eam se inuitos, nullo eius in se merito, quoniam ita Romanis visum sit, in societatem belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa eius incommoda belli sentire, mari intercluso inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus. Cùm id vltra pati non possent, lega-

tos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei A denuntiarent, Rhodiis placere pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nuntiatum missos: per quos stetisset, quo minus belli finis fieret: aduersus eos quid sibi faciundum esset, Rhodios consideraturos esse. Ne nunc quidem hæc sine indignatione legi audirive posse certum habeo. inde existimari potest, qui habitus animorum audientibus ea patribus fuerit. Claudius nihil responsum auctor est: tantum S. C. recitatum, quo Caras & Ly- B cios liberos esse iuberet P. R. literasque extemplo ad vtranque gentem scirent indicatum mitti. Qua audita re principem legationis, cuius magniloquentiam vix curia paulo ante ceperat, corruisse. Alij responsum esse tradunt: P. R. & principio huius belli, haud vanis auctoribus compertum habuisse, Rhodios cum Perseo rege aduersus Remp. suam occulta consilia iniisse: & si id ante dubium fuisset, legatorum paulo ante verba ad certum redegisse: & plerunque ipsam se fraudé, etiam si initio cautior fuerit, detegere. Rhodios nuntio in orbe terrarum ar- C bitria belli pacisque agere: deorum nutu arma sumturos positurosque Romanos esse. Iam non deos fœderum testeis, sed Rhodios habituros. Itáne tandem iis parebitur, exercitúsque de Macedonia deportentur? Visuros esse quid sibi faciẽdum sit. quid Rhodij vsuri sint, ipsos scire: populum certe Romanum deuicto Perseo, quod propediem sperent fore, visurum, vt pro meritis cuiusque in eo bello ciuitatis gratiam dignam referat. Munus tamen le- D gatis in singulos binum millium æris missum est: quod ij non acceperunt. Literæ deinde recitatæ Q. Martij consulis sunt, quemadmodum saltu superato in Macedoniã transisset, & ibi & ex aliis locis cõmeatus à pr. prospectos in hyemé habere, & ab Epiroti XX. millia modiûm tritici, X. hordei sumsisse, vt pro eo frumento pecunia Romæ legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis CC. fermè opus esse, maximè Nu- E midis nec sibi in his locis vllam copiam esse. S. C. vt ea omnia ex literis cõsulis fierent, factum est. C. Sulpitius prætor VI. M. togarum, XXX. tunicarum & equos, deportanda in Macedoniam. præbendáq. arbitratu consulis locauit: & legatis Epirotarum pecuniam pro frumento soluit. & Onesimum Pythonis filium nobilem Macedonem in senatum introduxit Is pacis semper auctor regi fuerat, monuerátque sicut pater eius Philippus institutum vsque ad vltimũ vitæ dié seruabat, quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi, vt eũ moré, si nõ semper, crebro tamen vsurparet. Postquam deterrere F eũ à bello nequiuit, primo subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis quæ non probabat, cepit: postremo cùm suspectum se esse cerneret, & proditionis interdum crimine insimulari (ad Romanos transfugit: magnoque vsui Cos. fuit. Ea introductus in curiam cum memorasset, senatus in formulam sociorum eum referri iussit: locũ lautia præberi: agri Tarentini, qui publicus populi Romani esset, ducenta iugera dari, & ædes Tarenti emi: G vti ea curaret, C. Decimio prætori mandatum. Censores censum Idib. Decembrib. seuerius quàm ante habuerunt: multis equi ademti. inter quos P. Rutilio, qui trib. pleb. eos violenter accusarat, tribu quoque is motus, & operarius factus ad opera publica facienda. Cùm eis dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex S. C. à quæstoribus esset, T. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone veteres ad Vortumni signum, laniásque & tabernas coniunctas in publicum emit: basilicamque faciendam curauit, quæ postea Sempronius appellata est. Iam in exitu onus erat, & propter Macedonici maximè belli curam in sermonibus homines habebant, quos annum Cos. ad finiendum tandem id bellum crearent. Itaque S. C. factum est, vt Cn. Seruilius primo quoque tempore ad comitia habéda veniret. S. C. Sulpitius Pr. ad Cos. post paucos dies recitauit, quibus ante diem in vrbem venturum. & Cos. maturauit: & comitia eo die qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati L. Æmylius Paulus iterum, septimodecimo anno post quam primo Cos. fuerat. & C. Licinius Crassus. Prætores postero die facti, Cn. Bæbius Pamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octauius, P. Fonteius Balbus, M. Ebutius Helua, C. Papyrius Carbo. Omnia vt maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. Itaque designatos extemplo sortiri placuit prouincias, vt vtri Macedonia consuli cuique prætori classis euenisset, sciretur: vt iam inde cogitarent pararentque, quæ bello vsui forent, senatumque consulerent, si qua re consulto opus esset. Latinas, vbi magistratũ inissent, quod per religiones posset primo quoque tempore fieri placere: neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri. His decretis, consulibus Italia & Macedonia. prætoribus præter duas iurisdictiones in vrbe, classis, & Hispania. & Sicilia, & Sardinia prouinciæ nominatæ sunt. Consulum Æmylio Macedonia, Licinio Italia euenit. Prætores Cn. Bæbius vrbanam, L. Anicius peregrinam, & si quo senatus censuisset, Cn. Octauius classem, P. Fõteius Hispaniam, M. Ebutius Siciliam, C. Papyrius Sardiniam est sortitus. Extemplo apparuit omnibus non segniter id bellum L. Æmylium gesturum, præterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctésque intentus, ea sola quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Iam omnium primum à senatu petit, vt legatos in Macedoniá mitterent ad exercitus visendos classémque & comperta referenda, quid aut terrestribus aut naualibus copiis opus esset. Præterea vt explorarent copias regias, quantum possent, quáque prouincia nostra, qua hostium foret: vtrum intra saltus castra Romani haberent, an iam omnes angustiæ exsuperatæ, & in æqua loca peruenissent: qui fideles nobis socij, qui dubij, suspensæque ex fortuna fidei, qui certi hostes viderẽtur: quanti præparati commeatus, & vnde terrestri itinere, vnde nauibus supportarentur: quid ea æstate terra marique rerum gestarum esset: ex his bene cognitis certa in futurum concilia capi posse ratus. Senatus Cn. Seruilio Cos. negotium dedit, vt is in Macedoniam quos L. Æmylio videretur, legaret. Legati biduo pòst profecti, Cn. Domitius Ænobarbus, A Licinius Nerua, L. Bæbius. bis in exitu anni eius lapidatum esse nuntiatum est in Romano agro: simul in Veientibus nouendiale sacrum factum est. Sacerdotes eo anno mortui sunt, P. Quintilius Varus flamen Martialis, & M. Claudius Marcellus Xuir: in cuius locum Cn. Octauius suffectus. Et iam magnificentia crescente notatum est, ludis Circensibus P. Cornelij Scipionis Nasicæ, & P. Lentuli ædilium curulium LXIII. Africanas, & XL. vrsos & elephantos lusisse. L. Æmylio Paulo, C. Licinio Coss. Idib. Martius principio insequentis anni, cum in exspectatione patres fuissent, maximè quidam consul de Macedonia, cuius ea prouincia esset, referret, nihil se habere Paulus quod referret, cum nondum legati redissent, dixit. Ceterum Brundusij legatos iam esse, bis ex cursu Dyrrachium eiectos. Cognitis mox, quæ nosci prius in rem esset, relaturum: id fore intra perpaucos dies. Et ne quid profectionem

Alonem suam teneret, pridie Idus Apriles Latinis esse constitutam diem. Sacrificio ritè profecto se & Cn. Octauium simul senatus censuisset exituros esse: C. Licinio collegæ suo fore curæ se absente, vt si qua parari mittive ad id bellum opus sit, parentur mittanturque. Interea legationes exterarum nationum audiri posse. Sacrificio ritè perfecto, primi Alexandrini legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus vocati sunt. Sordidati, barba & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt; & oratio quã habitus fuit miserabilior. Antiochus Syriæ rex, qui obses Romæ fuerat, per honestam speciem, maioris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre eius, qui tum Alexandriam tenebat gerens: & ad Pelusium nauali prælio victor fuerat, & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam tenebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, vt opem regno regibúsque amicis imperio ferrent. Ea merita P. R. in Antiochum, eam apud omnes reges gentésque auctoritatem esse, vt si legatos misissent, qui denuntiarent non placere senatui sociis regibus bellum fieri: extemplo abscessurus à mœnibus Alexandriæ, abducturúsque exercitum in Syriam esset. Quod si cunctentur facere, breui extorres regno Ptolemæũ & Cleopatrã Romam venturus cum pudore quodã P.R. quod nullam opem in vltimo discrimine fortunarum tulissent. Moti patres precibus Alexandrinarum, extemplo C. Popilium Lænatem, & C. Decimium, & C. Hostilium, legatos ad finiendum inter reges bellum miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemæum adire iussi, & nuntiare, ni absistatur bello, per vtrum stetisset, eum non pro amico nec pro socio habituros esse. His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia quinquatribus vltimis adeo exspectati venerunt, vt nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Ij nuntiant, maiore periculo quã emolumento exercitum per inuios saltus in Macedoniam inductum. Pieriam, quò processisset, regem tenere: castra castris prope ita collata esset, vt flumine Enipeo interiecto arceantur: neque regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse, hyemem etiam asperam rebus gerendis interuenisse: in otio militem ali, nec plus quam VI. dierum frumentum habere Macedonum dici XXX. millia armatorum esse. Si Ap. Claudio circa Licnidum satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello destinere regem: nunc & Appium, & quod cum eo præsidij sit, in summo periculo esse: nisi propere aut iustus exercitus eò mittatur, aut illi inde deducantur. Ad classem se ex castris profectos, sociorum naualium partem morbo audisse absumtam, partem, maximè qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, & homines nauibus deesse: qui sint, neque stipendium accepisse, neque vestimenta habere. Eumenem classémque eius, tanquam vento allatas naues, sine caussa & venisse, & abisse: nec animum eius regis constare satis visum. Sicut omnia de Eumene dubia, Attali egregiè constantem fidem nuntiabant. Legatis auditis tunc de bello referre sese L. Æmylius dixit. Senatus decreuit vt in octo legiones parem numerum tribunorum consules & populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset. Tum ex omnibus Tri. mil. vti L. Æmylius in duas legiones in Macedoniam, quos eorum velit, eligat: & vt solemni

A Latinarum præfecto, L. Æmylius Cos. Cn. Octauius Pr. cui classi obtigisset, in prouinciam proficiscantur. Additus est his tertius L. Ancius Pr. cuius inter peregrinos iurisdictio erat. Eum in prouinciam Illyricum circa Lycnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio Cos. imposita. is VII. millia ciuium Romanorum & equites CC. scribere iussus, & sociis nominis Latini septem millia peditum imperare, CCCC. equites, & Cn. Seruilio Galliam obtinenti prouinciam literas mittere, vt DC. equites conscriberet. hunc exercitum B ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam iussus, neq. in eã prouincia plus quã duas legiones esse. eas repleri, vt sena millia peditũ, trecentos haberent equites. ceteros equites peditésque in præsidiis disponi. qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti. X. præterea millia peditum imperata sociis, & DCCC. equites. Id præsidij additum Anicio præter duas legiones, quas portare in Macedoniam est iussus, quina millia peditum, & ducenos habentes, trecenos equites: & in C classem V. millia naualium sociũm sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere prouinciam iussus, eo addere sociorum X. millia peditum, & DC. equites. S.C. perfectis, L. Æmylius Cos. è curia in concionem processit, orationemq. talem habuit: Animaduertisse videor, Quirites maiorem mihi sortito Macedoniam prouinciam gratulationem factam, quam cum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum inissem: neque id ob aliam caussam, quàm quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum maiestate D P.R. exitum per me imponi posse. deos quoque huic fauisse sorti spero, eosdémque in rebus gerendis affuturos esse. Hæc partim opinari, partim sperare possum. illud affirmare pro certo habeo audeóque, me omni ope adnisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bellum opus sunt, & senatus decreuit. & (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum) C. Licinius collega, vir egregius, æquè enixè parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quæ scripsero E senatui aut vobis, credite: rumores credulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo exstabit. Nam nunc quidem quod vulgò fieri hoc præcipuè bello animaduerti, nemo tam famæ contemtor est, cuius non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam (si diis placet) conuiuiis sunt, qui exercitum in Macedoniam ducant: vbi castra locanda sint sciant, quæ loca præsidiis occupanda, quando F aut quo saltu intranda Macedonia, vbi horrea ponenda. qua terra, mari subuehantur cõmeatus: quãdo cum hoste manus conserendæ, quando quiescẽdum sit. Nec quid melius faciendum sit, modo statuunt, sed quidquid aliter quam ipsi censuere, factũ est, consulem veluti dicta die accusant. Hæc magna impedimenta res gerentius sunt. Neque enim omnes tam firmi & constantis animi contra aduersum rumorem esse possunt, quàm Fabius fuit: qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quã G secunda fama male rem gerere. Nõ sum is, qui non existimem admonendos duces esse, imo eum qui de sua vnius sententia omnia gerat, superbum iudico magis quàm sapientem. Quid ergo est? Primum à prudentibus & propriè rei militaris peritis, & vsu doctis monẽdi imperatores sunt: deinde ab his qui intersunt gerendis rebus, qui loca, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut nauigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui quod è Repub. sit suadere se mihi in eo bello,

quod gesturus sum, confidat, ne deneget operam reip. & in Macedoniam mecum veniat: naue, equo, tabernaculo, viatico etiam à me iuuabitur: Si quem id facere piget, & otium vrbanum militiæ laboribus præoptat, è terra ne gubernauerit. Sermonum satis ipsa præbet vrbs: loquacitatem suam contineat, nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat. Ab hac concione, Latinis quæ pridie Cal. April. fuerunt, in monte sacrificio ritè perpetrato, protinus inde & Cos. & Pr Cn. Octauius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriæ, maiore quam solita frequentia prosequentium consulem celebratum, ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello, maturúmque reditum cum egregio triumpho consulis fore. Dum hæc in Italia geruntur, Perseus quod iam incoatum perficere, quia impensa pecuniæ facienda erat, non inducebat in animum, vt Gentium Illyriorum regem sibi adiungeret: hoc postquam intrasse saltum Rom. & adesse discrimen vltimũ belli animaduertit, non vltra differendum ratus, cum per Hippiam legatum CCC. argenti talenta pactus esset, ita vt obsides vltro citróque darentur, Pantaucũ misit ex fidissimis amicis ad ea perficienda. Medeone Labeatidis terræ Pantaucus regi Illyrio occurrit: ibi & iusiurandum ab rege & obsides accepit. Missus & à Gentio est legatus nomine Olympio, qui iusiurandum à Perseo obsidésque exigeret. Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt, & auctore Pantauco, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio & Morcus destinatur. Quibus ita mandatum, vti iureiurando obsidibúsque & pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur. Duorum simul regũ nomine incitari Rhodios ad bellum Rom. posse. Adiunctam ciuitatem, penes quam vnam tum rei naualis gloria esset, nec terra, nec mari spem relicturam Rom. Venientibus Illyriis, Perseus ab Enipeo amni ex castris cũ omni equitatu profectus, ad Dium occurrit. Ibi ea quæ conuenerunt circumfuso agmine equitum facta, quos adesse fœderi sancitæ cũ Gentio societatis volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adiecturam & obsides in conspectu omnium dati acceptique: & Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis Thessalonicæ conscendere iussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat, auctoribusque Dione & Poliarato principibus ciuitatis eius affirmabat Rhodios paratos ad bellum esse. Is princeps iunctæ cum Illyriis legationes datus est. Eodem tempore ad Eumenem & ad Antiochum communia mandata. quæ subiicere conditio rerum poterat. Natura inimica inter se esse liberam ciuitatem & regem. Singulos populum Rom. aggredi, & quod indignus sit, regem viribus reges oppugnare. Attalo adiutore patrem suum oppressum: Eumene adiuuante & quadam ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum: in se nunc & Eumenem & Prusium armatos esse. Si Macedoniæ regnum sublatum foret proximam Asiam esse, quam iam ex parte sub specie liberãdarum ciuitatũ suam fecerint: deinde Syriam. Iam Prusiam Eumeni honore præferri, iam Antiochum victorem præmio belli ab Ægypto arceri. Hæc cogitantem prouidere iubebat, vt aut ad pacem secum faciendam cõpelleret Rom. aut perseuerãtes in bello iniusto communes duceret omnium regum hostes. Ad Antiochum aperta mandata erant. ad Eumenem per speciem captiuorum redimendorum missus legatus erat: verum occultiora quædam agebatur, quæ in præsen-

A tia inuisum quidem & suspectum Rom. Eumenem * falsis grauioribus. Proditor enim ac prope hostis habitus, dum inter se duo reges captantes fraude & auaritia certãt. Cydas erat Cretensis ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam popnlari suo militante apud Persea, inde postea ad Demetriadem semel cũ Menecrate quodam, iterum cum Antiocho regiis ducibus sub ipsis mœnibus vrbis collocutus fuerat. Eropon quoque qui tum missus est, duabus ad eundem Eumenem B iam ante legationibus functus erat, quæ colloquia occulta, & legationes infames quidem erant, sed quid actum esse, quidve inter reges conuenisset, ignorabatur. Res autem ita se habuit. Eumenes neque fauit victoriæ Persei, neque bello eum inuadere in animo habuit, non tam qua paternæ inter eos inimicitiæ erant, quàm ipsorum odiis inter se accessæ. Non ea regum æmulatio vt æquo animo Persea tantas adipisci opes tantámque gloriam, quanta Romanis victis eum manebat, Eumenes visurus C fuerit. Cernebat & Persea iam inde ab initio belli omni modo spem pacis tentasse, & indies magis quo propior admoueretur terror, nihil neque agere aliud, neque cogitare Romanos quoque, quia traheretur diutius spe ipsorum bellum, & ipsos duces & senatum non abhorrere à finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hac vtriusque partis volũtate explorata, quod fieri etiam sua sponte tædio validioris, metu infirmioris credebat posse, in eo suam operam venditare concilianda gratia magis D cupiit. Nam modo ne iuuaret bello Romanos terra marique, modo pacis patrandæ cum Rom. paciscebatur mercedem, ne bello interesset. M.&D. talẽta. iu vtroque non fidem modo se, sed obsides quoque dare paratum esse ostendebat. Perseus ad rem incoandam promtissimus erat cogente metu, & de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, conuenerátque vt accepti Cretam mitterentur. vbi ad pecuniæ mentionem vẽtum erat, ibi hæsitabat, & vtique alteram in tanti nominis regibus turpem ac E sordidam, & danti & magis accipienti mercedem esse. Malebat in spem Romanæ pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta se daturum: interea Samothracæ in templo depositurum. Ea insula cum ipsius ditionis esset, videre Eumenes nihil interesse an Pellæ pecunia esset: id agere vt partem aliquam præsentem ferret. Ita nequicquam inter se captari nihil præter infamiam mouere. Nec hæc tantum Perseo per auaritiam est dimissa res, cũ pecuniam tutam & pacem habere per Eumenem, F quæ vel parte regni redimenda esset, ac receptus protrahere inimicum mercede onustum, & hostes merito ei Rom. posset facere. Sed etiam Gentij regis parata societas, & tum Gallorum effusorum per Illyricum ingens agmen oblatum auaritia dimissum est. Veniebant decem millia equitum, par numerus peditum, & ipsorum, iungentium cursum equis, & in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, equos denos præsentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Ve- G nientibus his Perseus ad Enipeo ex castris profectus obuiam cum dimidia copiarum parte, denuntiare per vicos vrbesque quæ viæ propinquæ sunt, cœpit, vt commeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum vt copia esset. Ipse equos phalerásque & sagula donum principibus ferre, & parũ auri quod inter paucos diuideret. multitudinem credens trahi spe posse. Ad Alamanam vrbem peruenit, & in ripa fluminis Axij posuit castra, circa Desudabam in Medica exercitus Gallorum consederat, merce-

dem

dem pactam operiens. Eò mittit Antigonum ex purpuratis vnum, qui iuberet multitudinem Gallorum ad Bylazora (Pæoniæ is locus est) castra mouere, principes ad se venire frequentes. LXXV. millia ab Axio flumine & castris regis aberant. Hæc mandata ad eos cum pertulisset Antigonus, adiecissétque per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibúsq. muneribus principes aduenientes vestis argenti, equorúmque excepturus rex esset: de his quidem se coram cognituros respondent. Illud quod præsens pepigissent, interrogant, ecquid aurum, quod in singulos pedites equitésque diuidendum esset, secum adduxisset. Cùm ad id nihil responderetur, Clondicus regulus eorum, Abi, renuntia ergo, inquit, regi, nisi aurum obsidesque accepissent, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos. Hæc relata regi cum essent, aduocato consilio, cum quid omnes suasuri essent appareret, ipse pecuniæ quàm regni melior custos, institit de perfidia & feritate Gallorum disserere. Multorum iam ante cladibus expertum, periculosum esse tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne grauiores eos socios habeant, quàm hostes Rom. Quinque millia equitum sat esse, quibus & vti ad bellum possent, & quorum multitudinem ipsi non timeant. Apparebat in omnibus mercedem multitudinis timere, nec quidquam aliud: sed cum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus, qui nuntiaret quinque millium equitum opera tantum vti regem, cótemnere multitudinem aliam. Quod vbi audiuere barbari, ceterorum quidem fremitus fuit indignantiũ se frustra excitos sedibus suis: Clondicus rursus interrogat, ecquid ipsis quinque millibus quod conuenisset numeraret. Cùm aduersus id quoque misceri ambages cerneret, inuiolato fallaci nuntio (quod vix sperauerat ipse posse contingere) retro ad Histrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viæ, redierunt. Quæ manus quieto sedente rege ad Enipeum, aduersus Romanos Perrhæbiæ saltum in Thessalia traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus exspectarent. sed ipsas exscindere vrbes, tenente ad Enipeum, Perseo Romanos, ne vrbibus sociis opitulari possent. Ipsis quoque Romanis de se cogitandum fuisset: quando neque manere amissa Thessalia, vnde exercitus alebatur, potuissent, neque progredi, cum ex aduerso castra Macedonum,* qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitauit. Eadem auaritia Gentium regem sibi alienauit. Nam cum CCC. talenta Pellæ missis à Gentio numerasset. signare eos pecuniam passus est. Inde V. talenta ad Pantaucum missa, eáque præsentia dari regi iussit: reliquam pecuniam signatam Illyriorum signo portantibus suis præcipit paruis itineribus veherent: dein cum ad finem Macedoniæ ventum esset, subsisterent ibi, ac nuncios ab se opperirentur. Gentius exigua parte pecuniæ accepta, cum assiduè à Pantauco ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, M. Perpennam & L. Petilium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in custodiam cóiecit. Hoc audito Perseus, contraxisse eum necessitates ratus ad bellum vtique cũm Romanis, ad reuocandi qui pecuniam portabat, misit, velut nihil aliud agens, quàn vt quanta maxima posset præda ex victo Romanis reseruaretur. Et ab Eumene Eropon, ignotisquæ occultè acta erant, redit. De captiuis actum esse & ipsi euulgauerant: & Eumenes Cos. vitandæ suspicionis caussa certiorem fecit. Perseus post reditum ab Eumene Eropontis

A spe deiectus, Antenorem & Callippum præfectos classis cum XL. lembis (adiectæ ad hunc numerum quinque pristes erant) Tenedum mittit, vt inde sparsæ per Cycladas insulas naues, Macedoniam cum frumento petentes, tutarentur. Cassandreæ deductæ naues in portus primum qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari cum traiecissent, stantes in portu Rhodias apertis naues, Eudamumque præfectum earum, inuiolatas, atque etiam benignè appellatos dimiserunt. Cognito deinde in latere altero quinquaginta onerarias suarum, B stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius præerat, inclusas esse: circumuectus propere, ac summotis terrore hostium nauibus, onerarias, datis qui prosequerentur X. lembis, in Macedoniam mittit, ita vt in tutum prosecuti redirent Tenedum. Nono post die ad classem iam ad Sigium stantem redierunt. Inde Subota (insula est interiecta Eleæ & Atho) traiiciunt. Forte postero die quam Subota classis tenuit, quinque & XXX. naues, quas Hippagogos vocant, ab Elea profectæ C cum equitibus Gallis equisque, Phanas promontorium Chiorum petebant, vnde transmittere in Macedoniam possent, Attalo ab Eumene mittebantur. Has naues per altum ferri cum ex specula signum datum Antenori esset, profectus à Subotis, inter Erythrarum promontorium Chiúmque, qua arctissimum fretum est, iis occurrit. Nihil minus credere præfecti Eumenis, quàm Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Rom. Pergamũ petere. Sed cũ iã appropinquãtiũ forma lẽbo- D tum haud dubia esset, & concitatio motũ, directæque in se proræ, hostes appropinquare apparuisset, tunc iniecta trepidatio est, cum resistendi spes nulla esset, inhabilique nauium genere, & Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum qui propiores continenti littori erant, in Erythream enarunt: pars velis datis ad Chium naues eiecere, relictisque equis effusa fuga vrbem petebant. Sed propius vrbem lembi accessisque commodiore cum exposuissent armatos, partim in via fugientes Gal- E los adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos (clauserant enim Chij portam) ignari qui fugerent aut sequerentur, DCCC. fermè Gallorum occisi, CC. viui capti, equi pars in mari fractis nauibus assumti, partim neruos succiderunt in littore Macedones. XX. eximiæ equos formæ cum captiuis, eosdem X. lembos, quos ante miserat, Antenor deuehere Thessalonicam iussit, & primo quo- F que tempore ad classem reuerti: Phanis se eos exspectaturum. Triduum fermè classis ad vrbem stetit. Phanas inde progressi sunt. & spe celerius reuersis X. lembis euecti, Ægeo mari Delum traiecerunt. Dum hæc geruntur, legati Rom. C. Popilius & C. Decimius, & C. Hostilius à Chalcide profecti tribus quinqueremibus Delum cum venissent, lembus ibi Macedonũ XL. & V. regis Eumenis quinqueremes inuenerunt. Sanctitas templi insulæque inuiolatas præstabat omnes. Itaque permixti Ro- G manique & Macedones, & Eumenis nauales socij, in templo inducias religione loci præbente, versabantur. Antenor Persei præfectus, cum aliquas alto præferri onerarias naues ex speculis significatum foret, parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas disposita, præterquam si quæ Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat, aut spoliabat naues: quibus poterat Popilius aut Eumenis naues, succurrebat: sed vecti nocte binis aut ternis plerunque lembis Macedones fallebant. Per id ferè

tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt, quibus auctoritatem addidit, non lemborum modo aduentus passi per Cycladas atque Ægeum vagantium mare, sed etiam coniunctio ipsa regum Persei Gentiique, & fama cum magno numero peditum equitumque venientium Gallorum. Et iam cum accessissent animi Dioni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benigne modo responsum regibus est, sed palam pronuntiatum bello finem se auctoritate sua impositutos esse. itaque ipsi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam. Iam veris principium erat, nouique duces inprouinciam venerant: Cos. Æmilius in Macedoniam. Octauius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui belladum aduersus Gentium. Pater Pleurato rege Illyriorum, & matre Eurydica genitus, fratres duos Platorem vtroque parente, Carauantium matre eadem natum habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit, & duos amicos eius, & Tritum & Epicadum, impigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto fratri eum inuidisse, tanquam his nuptiis adiungenti sibi Dardanorum gentem. & similius id vero fecit ducta ea virgo. Platore interfecto grauis deinde demto fratris metu popularibus esse cœpit. & violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat. Cæterùm, sicut ante dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias contraxit, X V. M. armatorum fuerunt. Inde fratre in Cauiorum gentem vi aut terrore subigendam cum mille peditibus & quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam vrbem quinque millia ab Lisso ducit. Socij erant Romanorum: itaque per missos nuntios prius tentati, obsidionem pati, quam dedere sese maluerunt. Carauantiū in Cauiis Durnium oppidum aduenientem benigne accepit: Carauantis altera vrbs exclusit: & cum agros eorum effusè vastaret, aliquot palati milites agrestium cōcursu interfecti sunt. Iam & Ap. Claudius: adsumtis ad eum exercitum quem habebat, Bullianorum & Apolloniatium & Dyrrhachinorum auxiliis, profectus ex hybernis circa Genusuum amnem castra habebat, audito fœdere inter Persea & Gentium, & legatorum violatorum iniuria accensus, bellum haud dubiè aduersus eum gesturus. Anicius Pr. eo tempore Apolloniæ auditis quæ in Illyrico gererentur, præmissisque ad Appium literis vt se ad Genusuum opperiretur, triduo & ipse in castra venit: & ad ea quæ habebat auxilia, assumtis Partinorum iuuentutis duobus millibus pedium, & equitib. C C. peditibus Epica, equitibus Agalsus præerat. parabat ducere in Illyricum, maximè vt Bassanitas solueret obsidione. tenuit impetum eius fama lemborum vastantium maritimam oram, LXXX. erant lembi auctore Pantauco missi à Gentio ad Dyrrhachinorum & Apolloniatium agros populandos. Tum classis ad

* *

to eo tradiderunt se: deinceps & vrbes regionis eius idem faciebant, adiuuante inclinationem animorum clementia in omnes & iustitia prætoris Romani. Ab Scodram inde ventum est, id quod belli caput fuerat, non eo solum quod Gentius eam sibi ceperat velut regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longè est, & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausala latere vrbis quod in orientem patet præfluens, Barbana ab regione occidentis ex Labeati de palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumi-

A ni: quod ortum ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis mari Adriatico infertur. Mons Scodrus longe altissimus regionis eius, ab oriente Dardaniam subiectam habet, à meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. Quanquam munitum situ naturali oppidum erat, gēnsque id tota Illyriorum & rex ipse tuebatur, tamen prætor Romanus, quia prima successerant prospere, fortunam totius rei principia secuturum esse ratus, & repentinum valiturum terrorem, instructo exercitu ad mœnia succedit. quod

B si clausis portis muros, portarúmque turres dispositis armatis defendissent, vano cum incœpto mœnibus pepulissent Romanos. Nunc porta egressi prœlium loco æquo maiore animo commiserunt quàm sustinuerunt. Pulsi enim & fuga conglobati, cum C C. amplius in ipsis faucibus portæ cecidissent, tantum intulerunt terrorem, vt oratores extemplo ad prætorem mitteret Gentius Teuticum & Bellum principes gentis, per quos inducias peteret, vt deliberaret de statu rerum suarum posset. Triduo

C in hoc dato, cum castra Romana quingentos fermè passus ab vrbe abessent, nauem conscendit, & flumine Acarbana nauigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum: sed, vt apparuit, falsa spe excitus Carauantium fratrem multis millibus armatorum actis ex ea regione, in quam missus erat, aduentare. qui postquam euanuit rumor, tertio pòst die nauem eandem secundo amni Scodram demisit: præmissisque nuntiis v. sibi appellandi prætoris potestas fieret, copia facta in ca-

D stra venit. Et principium orationis ab accusatione stultitiæ orsus suæ postremo ad preces lacrymásque effusus, genibus prætoris accidens, in potestatem sese dedit. Primo bonum animum habere iussus, ad cœnam etiam inuitatus, in vrbem ad suos rediit, & cum prætore eo die honorificè est epulatus: deinde in custodiam C. Cassio Tr. militum traditus, vix gladiatorio accepto X. talentis ab rege rex, vt in eam fortunam recideret. Anicius Scodra recepta, nihil prius quàm requisitos Petilium Perpennámque le-

E gatos ad se duci iussit, quibus splendore suo restituto, Perpennam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatósque regis: qui Macedonem Labeatium gentis vrbem profectus, & Leuam vxorem cum filiis duobus Scerdilio Pleuratoque, & Carauantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anicius bello Illyrico intra XXX. dies præfecto, nuntium victoriæ Perpennam Romam misit: & post dies paucos Gentium regem ipsum cum parente, coniuge ac liberis ac fratre aliísque princi-

F pibus Illyriorum. Hoc vnum bellum prius perpetratum quàm cœptum Romæ auditum est. Quibus diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter aduentum simul Æmylij noui consulis, quem cum ingentibus minis aduentare audiebat, simul Octauij Pr. Nec minus terrori à classe Romana & periculo maritimæ oræ habebat. Thessalonicæ Enmenes & Athenagoras præerant cum paruo præsidio M M. cetratorum. Eò & Androclen præfectum mittit, iussum sub ipsis naualli-

G bus castra habere. Æneam M. equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram, vt quocunque littore applicuisse naues hostium audissent, extemplo ferrent agrestibus opem. V. M. Macedonum missa ad præsidium Pythoi & Petræ, quibus præpositi erant Histiæus & Throgenes & Midon. His profectis ripam munire Enipei fluminis aggressus est: quia sicco alueo transiri poterat. Huic vt omnis multitudo vacaret, feminæ ex propinquis vrbibus coactæ cibaria in castra afferebant, miles

miles iussus ex propinquis syluis

* *

postremo sequi se vetarios ad mare, quod minus CCC. passus aberat, iussit, & in littore alios alibi modicis interuallis fodere montes ingentis altitudinis spem faciebant, eo magis, quia nullos apertos euergerent riuos, occultos continere latices, quorum venæ in mare permanantes vndæ miscerentur. Vix deducta summa arena erat, cum scaturigines turbidæ primo & tenues emicare dein liquidam multámque fundere aquam velut deum dono cœperunt. Aliquantum ea quoque res duci famæ & B auctoritatis apud milites adiicit. Iussis deinde militibus expedite arma, ipse cum tribunis premisque ordinibus vadit ad contemplandos transitus: qua descensus facilis armatis, qua in vlteriorem ripam minimè iniquus ascensus esset. His satis exploratis, illa quoque primùm vt ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiúmque ducis fierent, prouidit. Vbi omnibus simul pronuntiaretur, quod fieret, neque omnes exaudirent, incerto imperio accepto alios ab se adiicientes, plus eo quod imperatum sit, alios minus facere: clamores deinde C dissonos oriri omnibus locis, & prius hostes quàm ipsos quid-paretur scire. Placere igitur, Tr. militum primo pilo legionis secretum edere imperium: illum & dein singulos proximo cuique ordine centurioni dicere, quid opus facto sit, siue à primis signis ad nouissimum agmen, siue ab extremis ad primos perferendum imperium sit. Vigiles etiam nouo more scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire vt armis vtatur, sed ad vigilandum, vt cum senserit hostium aduentum, recipiat se, excirétque ad arma alios. Scuto præ se erecto D stare galeatos: deinde vbi fessi sint, innixos pilo, capite super marginem scuti posito sopitos stare: vt fulgentibus armis procul conspici ab hoste possit, ipse nihil prouideat. Stationum quoque morem mutauit. armati omnes, & frenatis equis equites diem totum perstabant. Id cùm æstiuis diebus vtéte assiduo sole fieret, tot horarum æstu & languore ipsos equosque fessos integri sæpe adorti hostes vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, & in post meridianam E succedere alios iussit: ita nunquam fatigatos recens hostis aggredi poterat. Hæc cum ita fieri placere concione aduocata pronuntiasset, adiecit vrbanæ concioni conuenientem orationem: Vnum imperatorem in exercitu prouidere & consulere. quid agendum sit debere, nunc per se, nunc cum iis quos aduocauerit in consilium: qui non sint aduocati, eos nec palam nec secreto iactare consilia sua. Militem hæc tria curare debere, corpus vt quam validissi- F mum & pernicissimum habeat, arma apta, animum paratum ad subita imperia: cetera scire de se diis immortalibus & imperatori suo curæ esse. In quo exercitu milites consul & imperatot tumoribus vulgi circumagatur ibi nihil salutare esse. Se, quod sit officium imperatoris, prouisurum, vt bene gerendæ rei occasionem eis præbeat. illos nihil quod G futurum sit quærere: vbi datum signum sit, tum militarem operam nauare. Ab his præceptis concionem dimisit, vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo primum die tanquam tyrones quid agendum esset in re militari, didicisse. Non sermonibus tantum his, cum quanto assensu audissent verba consulis, ostendetunt, sed rerum præsens effectus erat. Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alij gladios, alij galeas buculasque, scuta alij lori câsque tergere alij aptare corpori arma experirique

A sub his membrorum agilitatem: quatere alij pila, alij micare gladiis, mucronémque intueri: vt facile quis cerneret, vbi primum conserẽdi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili inituros bellum. Perseus quoq. cum aduentu consulis simul & veris principio strepere omnia, mouerique apud hostes velut nouo bello cerneret, mota à Phila castra in aduersa ripa posita, nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubiè transitus speculantem.

* *

B norum esse. Quæ res Romanis auxit animos: Macedonibus tegique eorum haud mediocrem attulit terrorem. Et primo supprimere in occulto famam eius rei est conatus, missi qui Pantaucum inde venientem appropinquate castris vetarent: sed iam & pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti: & quo quæque accuratius curâur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant. Sub idem tempus Rhodij legati in castra venerunt, cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram patrum excitauere. Multo iniquio- C ribus animis à castrensi consilio auditi sunt. Itaque cum alij præcipites sine responso * agendos castris, pronuntiauit post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, vt appareret quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, cõsultare de ratione belli gerẽdi cœpit. Placebat quibusdam & maximè maioribus natu, per Enipei ripam, munitionésque vim facere: confertis & vim facientibus resistere Macedonas non posse: ex tot castelli aliquanto altioribus ac munitioribus, quæ validis præsidij insedissent, priore anno deiectos. D Aliis placebat Octauium cum classe Thessalonicâ petere: & populatione maritimæ oræ distringere copias regiam, vt altero ab tergo se ostendente bello circumactus ad interiorem partem regni tuendam, nudare aliqua parte transitus Enipei cogeretur. Ipsi natura & operibus inexsuperabilis ripa videbatur, & præterquam quod tormenta vbique dispositα essent, missilibus etiam melius & certiore ictu hostes vti audierat. Aliò spectabat mens tota ducis, dimissoque concilio Perræbos mercatores Scœnum & Menophilum, notæ & fidei iam sibi & prudentiæ homines, accersito secreto percunctatur, quales ad Perræbiam transitus sint. Cùm loca non iniqua esse dicerent, præsidiis autem regis obsideri: spem cepit, si nocte improuiso valida manu aggressus nec opinantes esset, deiici præsidia posse. Iacula enim & sagittas & cetera missilia in tenebris, vbi quid petatur procul prouideri nequeat inutilia esse: gladio cõminus geri rem in permixta turba, quo miles Romanus vincat. His ducibus vsurus prætorem Octauium accersitum, exposito quid pararet: Heracleam cum classe petere iubet & mille hominibus decem dierum coacta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleam mitti, velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniæ, quod in concilio agitatum erat, vastandam. Secreto indicatum cibaria his præparata ad classem esse, ne quid eos morarentur. Inde iussi duces itineris ita diuidere viam, vt quarta vigilia tertio die Pythoũ adoriri possent. Ipse postero die, vt distineret regem ab circumspectu rerum aliarum, prima luce medio in alueo cum stationibus hostiũ præliũ cõmisit: pugnatúmq. vtrinq. est leui armatura: nec grauiorib. armis in tá inæqua li alueo pugnari poterat. Descensus ripæ vtriusque in alueum trecentorum ferme passuum erat: mediũ

ſpatium torrentis alibi aliter cauati paulo plus A quàm mille paſſus patebat: ibi in medio ſpectantibus vtrinque ex vallo caſtrorum, hinc rege, hinc Coſ. cum ſuis legionibus pugnatum eſt. Miſſilibus procul regia auxilia melius pugnabant, comminus ſtabilior & tutior aut parma, aut ſcuto Liguſtino Romanus erát. Meridie fere receptui cani ſui Coſ. iuſſit. ita eo die diremtum prælium eſt, haud paucis vtrinque interfectis. Sola orto poſtero die irritatis certamine animis, etiam acrius concurſum eſt: ſed B Romani non ab his tantum, cum quibus contractũ certamen erat, ſed multo magis ab ea multitudine quæ diſpoſita in turribus ſtabat, omni genere miſſilium telorum ac ſaxis maximè vulnerabantur. Vbi propius ripam hoſtium ſubiſſent, tormentis miſſa etiam ad vltimos perueniebant. Multo pluribus eo die amiſſis, conſul paulo ſerius recepit ſuos. Tertio die prælio abſtinuit, digreſſus ad imam partem caſtrorum, velut per deuexum in mare brachium tranſitum tentaturus. Perſeus quod in oculis erat C

* *

anni poſt circumactum ſolſtitium erat, hora diei iam ad meridiem vergebat, iter multo puluere & incaleſcente ſole facta erat. laſſitudo & ſitis iam ſentiebatur, & meridie inſtante magis acceſſurum vtrunque apparebat. Statuit ſic affectos recenti atque integro hoſti non obiicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum vtrinque erat, vt conſuli nō minore arte ad ſuos eludendos quàm ad hoſtes opus eſſet. D Nondum omnibus inſtructis, inſtabat tribunis militum vt maturarent inſtruere: circumibat ipſe ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primo alacres ſignum poſcebant: deinde quantum increſceret æſtus, & vultus minus vigentes, & voces ſegniores erant, & quidam incumbentes ſcutis nixique pilis ſtabant. Tum iam apertè primis ordinibus imperat, metarentur frontem caſtrorum, & impedimenta conſtituerét. Quod vbi fieri milites ſenſere, alij gaudere palam, quod E feſſos vix labore, flagrantiſſimo æſtu non coegiſſet pugnare. Legati circa imperatorem ducéſque externi erant, inter quos & Attalus, omnes approbantes, cum pugnaturum conſulem credebant. Neque enim ne his cunctationem aperuerat ſuam. Tunc mutatione conſilij ſubita cum alij ſilerent, Naſica vnus ex omnibus auſus eſt mouere conſulem, ne hoſtem quidem ludificatos priores imperatores, fugiendo certamen manibus emittere, vereri ne nocte abeat, ſequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniæ, exercitúſque, ſicut prioribus ducibus, per calles ſaltúſque Macedonicorum mō- F tium vagando circumagatur. Se magnopere ſuadere, dum in campo patenti hoſtem habeat, aggrediatur, nec oblatam occaſionem vincendi amittat. Cōſul nihil offenſus libera admonitione tam clari adoleſcentis. Et ego, inquit, animum iſtum habui Naſica, quem tu nunc habes: & quem ego nunc habeo, tu habebis. Multis belli caſibus didici, quando pugnandum, quando abſtinendum pugna ſit. Non operæ ſit ſtanti nunc in acie docere, quibus de cauſ- G ſis hodie quieſſe melius ſit: rationes alias repoſcito, nunc auctoritate veteris imperatoris cōtentus eris. Conticuit adoleſcens, haud dubiè videre aliqua impedimenta pugnæ conſulem quæ ſibi non apparerent. Paulus poſtquam metata caſtra, impedimētáque collata animaduertit, ex poſtrema acie triarios primos ſubducit: deinde principes, ſtantibus in prima acie haſtatos, ſi quid hoſtis moueret: poſtremo haſtatos, ab dextro primum cornu ſingulorum paulatim ſignorum milites ſubtrahens. ita pedites equitibus cum leui armatura ante aciem hoſti oppoſitis, ſine tumultu abducti nec ante quam prima frons valli ac foſſa perducta eſt, ex ſtatione equites reuocati ſunt. Rex quoque cum ſine detrectatione paratus pugnare eo die fuiſſet contentus quod per hoſtem moram fuiſſe pugnæ ſcirent, & ipſe in caſtra copias reduxit. Caſtris permunitis C. Sulpitius Gallus tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor ſuperiore anno fuerat, conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis pronuntiauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis lunam defecturam eſſe: id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri ante & prædici poſſe. Itaque quemadmodum, quia certi ſolis lunæque & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur: ita ne obſcurari quidem, cum condatur vmbra terræ, trahere in prodigium debere. Nocte, quam pridie nonas Septembris inſecuta eſt dies, edicta hora luna cum defeciſſet, Romanis militibus Galli ſapientia prope diuina videri: Macedonas vt triſte prodigium occaſum regni perniciémque gentis portendens mouit, nec aliter vates clamor vlulatúſque in caſtris Macedonum fuit, donec luna in ſuam lucem emerſit. poſtero die tantus vtrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, vt & regem & conſulem ſuorum quidam, quod ſine prælio diſceſſum eſſet, accuſarent. Regi prompta defenſio erat, non eo ſolum quod hoſtis prior apertè pugnam detrectans, in caſtra copias reduxiſſet. ſed etiam quod eo loco ſigna conſtituiſſet, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoueri non poſſet. Conſul ad id quod pridie præter miſiſſe pugnandi occaſionem videbatur, & locum dediſſe hoſti, ſi nocte abire vellet, tunc quoque per ſpeciem immolandi terere videbatur tempus, cum luce prima ſignum propoſitum pugnæ ad exũdum in aciem fuiſſet. Tertia demum hora ſacrificio ritè perpetrato concilium aduocauit: atque ibi, quod rei gerendæ tempus eſſet, loquendo & intempeſtiuè conſultando videbatur. quibuſdam extrahere: poſt ſermones tamen COS. orationem habuit. P. Naſica egregius adoleſcens, ex omnibus vnus quibus heſterna die pugnari placuit, denuntiauit mihi ſuum conſilium: idem poſtea, ita vt tranſiſſe in ſententiam meam videri poſſet, tacuit. Quibuſdam aliis abſentem carpere imperatorem, quàm præſentem monere, melius viſum eſt. & tibi P. Naſica & quicunque idem quod tu occultius ſenſerunt, non grauabor reddere dilatæ pugnæ rationem. Nam tantum abeſt, vt me heſternæ quietis pœniteat, vt ſeruatum à me exercitum eo conſilio credam. In qua me opinione eſſe, ne quis ſine cauſſa veſtrum credat, recognoſcat agedum mecum, ſi videtur, quàm multa pro hoſte, aduerſus nos fuerint. Iam omnium primum quantum numero nos præſtent, neminem veſtrum nec ante ignoraſſe, & heſterno die implicatam intuentes aciem, animaduertiſſe certum habeo. Ex hac noſtra paucitate, quarta pars militum præſidio impedimentis relicta erat: nec ignauiſſimum quemque relinqui ad cuſtodiam ſarcinarum ſcitis. Sed fuerimus omnes, paruum hoc tandem eſſe credimus, quod ex his caſtris, in quibus hac nocte manſimus, exituri in aciem hodierno aut ſummum craſtino die, ſi ita videbitur, diis benè iuuantibus, ſumus? nihilne intereſt, vtrum militem, quem neque vix labor hodie, neque operis fatigauerit, requietum, integrum in ten

in tentorio suo arma capere iubeas, atque in aciem plenum virium vigentem & corpore & animo educas, an longo itinere fatigatum, & onere fessum, madentem sudore: ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis puluere, torrentem meridiano sole, hosti obiicias recenti, quieto, qui nulla re ante consumtas vires ad prælium adferat? Quis, pro deûm fidem, ita comparatus vel iners, atque imbellis fortissimum virum non vicerit? Quid quod hostes per summum otium instruxerant aciem, reparauerant animos, stabant compositi suis quisque ordinibus: nobis tunc repente trepidandum in acie instruenda erat, & incompositis concurrendum? At hercule aciem quidem inconditam inordinatámque habuissemus, castra munita prouisam aquationem, tutum ad eum iter præsidiis impositis, explorata circa omnia: an nihil nostri habentes præter nudum campum in quo pugnaremus? Maiores vestri castra munita, portum ad omnes casus exercitus ducebant esse, vnde ad pugnam exirent, quo iactati tempestate pugnæ receptum haberent. Ideo cum munimentis ea sepissent, præsidio quoque valido firmabant: quod qui castris exutus erat, etiam si pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo interdum momento post eruptione facta victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, vallúmque pro mœnibus, & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine vlla sede vagi dimicassemus, vt quo victores nos reciperemus? His difficultatibus & impedimentis pugnæ illud opponitur. Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in vltimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem neque mansurum eum, neque in aciem copias educturum fuisse certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius abire fuit cum procul abessemus, quam nunc cum in ceruicibus sumus? Nec falleret nos, nec interdiu, nec nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius, quàm vt quorum castra prælta fluminis ripa tutata, vallo insuper septa ac crebris turribus, oppugnare adorti sumus, eos relictis munimētis agmine effuso abeūtes in parentibus campis ab tergo adoriamur? Hæ dilatæ pugnæ ex hesterno die in hodiernum caussæ fuerunt. Pugnare enim & ipsi mihi placet: & ideo quia per Enipeum omnem septa ad hostem via erat, alio saltu deiectis hostium præsidiis nouum iter aperui, neque priusquam debellauero, absistam. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam eius, partim verentibus nequicquam offendere in eo, quod vtcunque prætermissum reuocari non posset. Ac ne illo ipso quidem die aut consule aut rege optante pugnatum est: rege, quod nec fessos vt pridie ex via, neque trepidanteis in acie instruenda, & vix dum compositos aggressurus erat: consule, quod in nouis castris non ligna, non pabulum conuectum erat, ad quę petenda ex propinquis agris magna pars militum è castris exierat: neutro imperatorum volente, fortuna quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propius hostium castris, ex quo & Macedones & Romani aquabantur, præsidiis ex vtraque ripa positis, vt id facere tuto possent. Duę cohortes à parte Roma. erant, Marrucina & Peligna: duæ turmæ Samnitium equitum, quibus præerat M. Sergius Sylus legatus: & aliud pro castris statium erat præsidium sub C. Cluuio legato tres cohortes,

A Firmana, Vestina, Cremonensis: duæ turmæ equitum, Placentina & Esernina. Cum otium ad flumen esset neutris lacessentibus, hora circiter quarta iumentum à manibus curantium elapsum, in vlteriorem ripam effugit. Quod cum per aquam ferme genutenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo id iumentum ex medio alueo in suam ripam trahentes: altero eorum occiso, receptoque eo iumento ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa
B erat: ex hic pauci primo ægrè passi popularem in suo conspectu cæsum, ad persequendos interfectores fluuium transgressi sunt: dein plures, postremo omnes, & cum præsidio

* *

prælium ducit. Mouebat imperij maiestas, gloria viri, ante omnia ætas, quod maior LX. annis iuuenum munia in parte præcipua laboris periculique capessebat. Interuallum quod inter certatos & phalanges erat, impleuit legio, atque aciem hostium in-
C terrupit. A tergo cetratis erat, frontem aduersus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur. Secundum legionem L. Albinus consularis ducere aduersus leucaspidem phalangem iussus: ea media acies hostium fuit. In dextrum cornu, vnde circa fluuium commissum prælium erat, elephantes inducti, & ala sociorum: & hinc primum fuga Macedonum est orta. Nam sicut pleraque noua commenta mortalium in verbis vim habent extemplo, cum agi, non quemadmodum agantur, edisseri oportet, sine vllo
D effectu euanescunt: ita tum elephanti in acie nomen tantum sine vsu fuerunt. Elephantorum impetum subsecuti sunt socij nominis Latini, pepulerúntque læuum cornu. In medio secunda legio missa dissipauit phalangem: neque vlla euidentior caussa victoriæ fuit, quod quam multa passim prælia erant, quæ fluctuantem turbarunt primo, deinde disiecerunt phalangem: cuius confertæ & intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine & graui-
E tate hastam cogas, confusa strue implicantur: si verò & ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit ruinæ modo turbantur: sicut tum aduersus cateruatim incurrentes Romanos & interrupta multifariam acie obuiam ire cogebantur: & Romani quacunque data interualla essent, insinuabant ordines suos. Qui si vniuersa acie in frontem aduersus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis principio pugnæ incautè congressis aduersus cetratos euenit, induissent se hastis: nec confertam aciem
F sustinuissent. Ceterum sicut peditum passim cædes fiebant, nisi qui abiectis armis fugerunt, sic equitatus prope integer pugna excessit. Princeps fugæ rex ipse erat. iam à Pydna, cum sacris aliis equitum Pellam petebat. confestim Cottocus sequebatur, Odrysarúmque equitatus. cæteræ quoq. Macedonum alæ integris abibant ordinibus: quia interiecta peditum acies, cuius cædes victores tenebant immemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx à fronte, à lateribus, ab tergo cæsa est: postremo qui ex hostium
G manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos qui in classe erant tendentes, suppliciter vitam orabant. & cùm scaphas concurrere vndique ab nauibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, vt caperent potius quam occiderent: longius in aquam quidam etiam natantes progressi sunt. Sed cum hostiliter è scaphis cæderentur, retro qui poterant nando repetentes terram, in aliam fœdiorē pestem incidebant: elephāti enim ab rectoribus ad littus acti, exeunteis

obterebant elidebantque. Facilè conueniebant Roma, nunquam vna acie tantum Macedonum interfectum: cæsa enim ad xx. millia hominum sunt, ad sex M. qui Pydnam ex acie perfugerant, viui in potestatem peruenerunt: & vagi è fuga V.M. hominum capta. Ex victoribus ceciderant non plus centum, & eorum multo maior pars Peligni: vulnerati aliquanto plures sunt. Quod si maturius pugnari cœptum esset, vt satis diei victoribus ad persequendum superesset, deletæ omnes copiæ forent: nunc imminens nox & fugientes texit, & Rom. pigritiam ad sequendum locis ignotis fecit. Perseus ad Pieriam syluam via militari frequenti agmine equitum & regio comitatu fugit. Simul in syluam ventum est, vbi plures diuersæ semitæ erant, & nox appropinquabat, cum perpaucis maximè fidis via diuertit. Equites sine duce relicti alij aliò in ciuitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius quam ipse Perseus, quia recta expedita via ierant, peruenerunt. Rex ad mediam fermè noctem terrore & variis difficultatibus vix vexatus est. In regia Perseo qui Pellæ præerat Euctus regiique pueri præsto erant: contra ea amicorum qui alij alio casu seruati ex prælio Pellam venerant, cum sæpe accersiti essent, nemo ad eum venit. Tres erant tantum cum eo fugæ comites, Euander Cretensis, Neon Bœtius, & Archidamus Ætolus. Cum iis iam metuens ne qui venire ad se abnuerent, maius aliquid mox auderent, quarta vigilia profugit. Secuti eum sunt admodum D. Cretenses: petebat Amphipolim, sed nocte à Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem traiicere: eum finem sequendi propter difficultatem transitus fore ratus Romanis. Cos. cum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus & ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis consulis Pauli, adoptione Africani nepos. Is decimumseptimum tunc annũ agens, quod ipsũ curam augebat, dum effusè sequitur hostes, in partem aliam turba ablatus erat. & serius cum rediisset, tunc demum recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium consul sensit. Amphipolim cum iam fama pugnæ peruenisset, concursúsque matronarum in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret, Diodorus qui præerat vrbi, metuens ne Thraces, quorum duo millia in præsidio erant, vrbem in tumultu diriperent, ab subornato ab se per fallaciam in tabellarij speciẽ literas in foro medio accepit. Scriptum in iis erat, ad Emathiam classem Roman. appulsam esse, agrósque circa vexari: orare præfectos Emathiæ vt præsidium aduersus populatores mittat. His lectis hortatur Thracas, vt ad tuendam Emathiæ oram proficiscantur: magnam eos cædem prædámque palatis passim per agros Romanis facturos, simul eleuat famam aduersæ pugnæ: quæ si vera foret, alium super alium recentes ex fuga venturos fuisse. Per hanc caussam Thracibus ablegatis, simul transgressos eos Strymonem vidit, portas clausit. Tertio die Perseus quàm pugnatum erat, Amphipolim venit: inde oratores cum caduceo ad Paulum misit. Interim Hippias & Midon & Pantaucus principes amicorum regis Berœam, quò ex acie confugerant, ipsi ad consulem profecti Romanis dedunt: hoc idem & aliæ deinceps metu perculsæ parabant facere. Cos. nuntiis victoriæ Q. Fabio filio, & L. Lentulo, & Q. Metello cũ literis Romam missis, spolia iacentis hostium exercitus peditibus concessit: equitibus prædá circumiecti agri, dum ne amplius duabus noctibus à castris abessent. Ipse propius mare ad Pydnam castra mouit Berœa primum, deinde Tessalonica & Pella, & deinceps omnis fermè Macedonia intra biduum dedita. Pydnæi qui proximi erant, nondum miserant legatos: multitudo incondita plurium simul gentium, turbáque quæ ex acie fuga in vnum compulsa erat, consilium & consensum ciuitatis impediebat: nec clausæ modo portæ, sed etiam inædificatæ erant. Missi Midon & Pantaucus sub muros ad colloquium Solonis, qui præsidio erat: per eum emittitur militariis turba, oppidum deditum militibus datur diripiendum. Perseus vna tantum spe Bisaltarum auxilij tentari, ad quos nequicquam miserat legatos, in concionem processit, Philippum secum filium habens, vt & ipsos Amphipolitanos, & equitũ peditúmque qui aut semper secuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmaret. Sed aliquotiens dicere incipientem cum lacrymæ præpedissent, quia ipse dicere nequiit, Euandro Cretensi editis quæ agi cum multitudine vellet, de templo descendit. Multitudo sicut ad conspectum regis fletúmque tam miserabilem & ipsa ingemuerat lacrymaueratque, ita Euandri orationem aspernabatur: & quidam ausi sunt media ex concione succlamare, Abite hinc, ne qui pauci superstimus, propter vos pereamus. Horum ferocia vocem Euandri clausit. Rex in domum pecuniáque & se recepit, auro argentóque in lembos qui in Strymone stabãt, delatis, & ipse ad flumen descendit. Thraces nauibus se committere non ausi, domos dilapsi, & aliæ militaris generis turbæ: Cretenses spem pecuniæ secuti. & quoniam in diuidendo plus offensionum quàm gratiæ erat, L. talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione cum per tumultum naues conscenderent, lembum vnum in ostio amnis multitudine grauatum merserunt. Galipsum eo die, postero Samothracam quam petebant, perueniunt: ad duo millia talentum peruecta eò dicuntur. Paulus per omnes deditas ciuitates dimissis qui præessent, ne qua iniuria in noua pace fieret, retentisque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam ignarus fugæ regis Amphipolim misit cum modica peditum equitumque manu, simul vt Sinticen exastaret, & ad omnes conatus regis impedimento esset. Inter hæc Melibœa à Cn. Octauio capitur diripiturque: ad Æginium, ad quod oppugnandum Cn. Anicius legatus missus erat, CC. eruptione ex oppido facta amissi sunt, ignaris Æginiensibus debellatum esse. COS. à Pydna profectus cum toto exercitu die altero Pellam peruenit: & cùm castra M. passus inde posuisset, per aliquot dies ibi statiua habuit, situm vrbis vndique aspiciens, quam non sine caussa delectam esse regiam aduertit. Sita est in tumulo vergente in occidentem hybernum: cingunt paludes inexsuperabilis altitudinis æstate & hyeme, quas restagnantes faciunt lacus. In ipsa palude qua proxima vrbi est, velut insula eminet aggeri operis ingentis imposita: qui & murum sustineat, & humore circunfusæ paludis nihil lædatur. Muro vrbis coniuncta procul videtur: diuisa intermurali amni, & eadem ponte iuncta: vt nec oppugnanti externo aditum ab vlla parte habeat, nec si quem ibi rex includat, vllum nisi per facilimæ custodiæ pontem effugium. Et gaza regia in eo loco erat: sed tum nihil præter C C C. talenta, quæ missa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inuentum est. Per quos dies ad Pellam statiua fuerunt, legationes frequentes, quæ ad gratulandum conuenerant, maximè ex Thessalia, auditæ sunt. Nuntio deinde accepto, Perseo Samothracam traiecisse profectus à Pella consul quartis castris Amphipolim peruenit.

Effusa

Effusa omnis obuiam turba cuius indicio erat non bono ac iusto rege ob ra-

* *

DECADIS QVINTAE
LIBER V.

VICTORIAE nuntij Quintus Fabius, & Lucius Lentulus, & Quintus Metellus, quinta potuit adhiberi festinatio, celeriter Romam cum venissent, præceptam tamen eius rei lætitiam inuenerũt. Quarto post die quam cum rege est pugnatum, cum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula peruasit, pugnatum in Macedonia, & deuictum regem esse: dein fremitus increbuit: postremo clamor plaususque velut certo nuntio victoriæ allato est exortus. Mirati magistratus & quærere auctorem repentinę lętitiæ: qui postquam nullus erat, euanuit, quidem tanquam incertę rei gaudium, omen tamen lætum insidebat animis. Quod postquam veris nuntiis Fabij Lentulique & Metelli aduentu firmatum est, cum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum lætabantur. Et aliter traditur Circensis turbæ non minus similis veri lætitia, ad X. Calend. Octobr. ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio Cos. ad quadrigas mittendas exscendendi, tabellarius qui se ex Macedonia venire diceret, reddidisse laureatas literas dicitur. quadrigis missis consul currum conscendit: & cum per circum reueheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repente immemor spectaculi populus in medium decurrit: eò senatum consul vocauit, recitatisque tabellis ex auctoritate patrũ pro foris publicis, denunciauit populo, L. Æmylium collegam signis collatis cum rege Perseo pugnasse: Macedonum exercitum cæsum fusumque regem cum paucis fugisse: ciuitates omnes Macedonię in ditionem P.R. venisse. His auditis clamor cum ingenti plausu ortus: ludis relictis, domus magna pars hominum ad coniuges liberosque lętum nũtium portabant. Tertius decimus dies erat, ab eo quo in Macedonia pugnatum est. Postero die senatus in curia habitus, supplicationésque decretæ: & S.C. factum est, vt consul quos præter milites sociósque nauales coniuratos haberet, dimitteret: de militibus sociisque naualibus dimittendis referretur, cum legati ab L. Æmylio cõsule, è quibus pręmissus tabellarius esset, venisset ad VI. Cal Oct. hora fere secunda legati vrbem ingressi sunt: ingentem secum occurrentium quacunque ibant prosequentiumque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt, Senatus forte in curia erat: eò legatos COS. introduxit. Ibi tantum temporis retenti, dum exponerent quantæ regiæ copiæ peditum equitumque fuissent, quot millia ex his cæsa, quot capta forent, quam paucorum militum iactura tanta hostium strages facta, quam cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, paratam classem ad persequendum esse: neque terra neque mari elabi posse. eadem hęc paulo post in concionem traducti exposuerunt, renouatáque lætitia, cum Cos. edixisset, vt omnes ædes sacrę aperirentur, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire diis: ingentique turba non virorum modo, sed etiam fœminarum, conferta tota vrbe deorum immortalium templa adierunt. Senatus reuocatus in curiam, supplicationes ob rem egregiè gestam ab L. Æmylio Cos. in quinque dies circa omnia puluinaria decreuit, hostiisque maioribus sacrificari iussit. Naues quæ in Tyberi paratæ instructæque stabant, vt si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in naualibus collocari. socios nauales anno stipendio dimitti & cum his omnes qui in consulis verba iurauerant: & quod militum Corcyræ, Brundusij, ad mare Superum, aut in agro Larinati esset (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo si res posceret. C. Licinius collegæ ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante ad V. Idus Octob. cum eo die in quinque dies. Ex Illyrico duo legati C. Licinius Narua, & P. Decius nuntiarunt, exercitum Illyricorũ cæsum, Gentium regem captum in ditione P.R. & Illyricum esse. Ob eas res gestas ductu auspicioque L. Anicij Pr. senatus in triduum supplicationes decreuit, vt Latinæ edictę à Cos. sunt, in ante diem IV. & III. & prid. Id. Nouemb. Tradidere quidam legatos Rhodios nondum missos, post victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium stolidæ superbiæ, in senatum vocatos esse. Ibi Agepolim principem eorum ita locutum, missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos & Persea faciendam, quod id bellum graue atque in commodum Græciæ omni, sumtuosum ac damnosum ipsis Romanis esse. Fortunam perbene fecisse, quando finito aliter bello gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset. Hæc ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse, Rhodios nec vtilitatum Græciæ, neque cura impensarum P. R. sed pro Perseo legationem eam misisse, Nam si ea fuisset quæ simularetur, tum mittendos legatus fuisse, cum Perseus in Thessaliam exercitu inducto per biennium Grecas vrbes alias obsideret, alias denuntiatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam: posteaquam superatos saltus transgressósque in Macedoniã Romanos audirent, & inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad vllam aliam rem, quam ad Persea ex imminenti periculo eripiẽdum. Cum hoc responso legatos demissos. Per eosdem dies & M. Marcellus ex prouincia Hispania decedens, Marcolica nobili vrbe capta, X pondo auri & argenti ad summam sestertium decies in ærarium retulit. Paulus Æmylius Cos. castra, vt supra dictum est, ad Syras terræ Odomantidicæ haberet, cum litteras ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret, & ipse illacrymasse dicitur sorti humanæ, quod qui paulo ante non contentus regno Macedoniæ Dardano Illyriósque oppugnasset, Bastarnarum sciuisset auxilia: is tum amisso exercitu, extorris regno, in paruam insulam cõpulsus, supplex, fani religione, non viribus suis tutus esset. Sed postquam regem Persea consuli Paulo S. legit, miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaq; quamquam in reliqua parte literarum minimè regiæ preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimissa est. Sensit Perseus cuius nominis obliuiscendum victo esset: itaque alterę literæ cum priuati nominis titulo missæ & petiere & impetrauere, vt aliqui ad eũ mitterentur, cũ quibus loqui de statu & cõditione suæ fortunæ posset. Missi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Posthumius Albinus, A. Antonius. nihil ea legatione perfectũ est, Perseo regiũ nomen omni vi amplectente, Paulo, vt se suáque omnia in fidẽ & clementiam P.R. permitteret, cõtendẽte. Dũ hæc agũtur, classis Cn. Octauij Samo-

partem copiarũ Amphipolis, reliquas propinquæ vrbes acceperunt. Hic finis belli, cum quadriennium continuum bellatũ esset inter Romanos ac Persea, fuit: idémque finis inclyti per Europæ plerunque atque Asiam omnem regni. Vicesimum ab Carano qui primus regnauit, Persea numerabant. Perseus Q. Fuluio, L. Manlio Coss. regnũ accepit: à senatu rex est appellatus M. Iunio, A. Manlio Coss. regnauit XI. annos. Macedonum obscura admodũ fama vsque ad Philippum Amyntę filium fuit. inde ac per eum crescere cum cœpisset, Europę se tamẽ finibus cõtinuit, Græciam omnem & partẽ Thracię atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam: & XIII. annis, quibus Alexander regnauit, primum omnia, qua Persarum prope immẽso spatio imperiũ fuerat, suę ditionis fecit. Arabas hinc Indiámque, qua terrarum vltimus finis rubrũ mare amplectitur, peragrauit. Tum maximũ in terris Macedonum regnum nomẽnque, inde morte Alexãdri distractum in multa regna: dum ad se quisq; opes rapiunt lacerantes viribus, à summo culmine fortunæ ad vltimum finem centum quinquaginta annos stetit. Victorię Romanę fama cum peruasisset in Asiam, Antenor qui cum classe lemborũ ad Phanas stabat, Cassandriã inde traiecit. C. Popilius qui ad Delum præsidio nauibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatũ in Macedonia, & statione summotos hostium lembos audiuit, dimissis & ipse Atticis nauibus, ad susceptã legationẽ peragendã nauigare Ægyptum pergit: vt prius occurrere Antiocho posset, quã ad Alexãdrię mœnia accederet. Cum prętervehérẽtur Asiã legati, & Lorymam venissẽt, qui portus XX. paulo amplius millia ab Rhodo abest, ex aduerso vrbi ipsi positus: principes Rhodiorum occurrunt (iam enim eo quoq; victoriæ fama perlata erat) orantes vt Rhodũ deueherẽtur: pertinere id ad famam salutémque ciuitatis, noscere ipsos omnia quæ acta essẽt agerẽtúrque Rhodi, & comperta per se, nõ vulgata fama Romã referre. Diu negantes perpulerunt, vt morã nauigationis breuem pro salute sociæ vrbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Aduẽtus legatorum auxit potius timorẽ ciuitati quã minuit. omnia enim Popilius, quę singuli vniuersique eo bello hostiliter dixerant fecerantque, retulit: & vir asper ingenio augebat atrocitatẽ eorũ quę dicerẽtur, vultu truci, & accusatoria voce: vt cum proprię simultatis nulla caussa cũ ciuitate esset, ex vnius senatoris Romani acerbitate, qualis in se vniuersi senatus animus esset, cõiectarent. C. Decimij moderatior oratio fuit: qui in plerisq; eorum quę commemorata à Popilio essent, culpã non penes populũ, sed penes paucos concitatores vulgi esse dixit: eos venalem linguam habẽtes, decreta plena regiæ assentationis fecisse, & eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet quã pœniteret: quę omnia, si potestas populo foret, in capita noxiorum versura. Cum magno assẽsu auditus est, nõ magis eo quod multitudinis noxã eleuabat, quàm quod culpã in auctores verterat. Itaque cum principes eorũ Romanis responderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorũ fuit, qui quæ Popilius obiecerat, diluerẽ vtcũque conati sunt, quàm eorum qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxę obiiciendis assensi sũt. Decretum igitur extemplo, vt qui pro Perseo aduersus Romanos dixisse qui aut fecisse conuincerentur, capitis condemnarentur. Excesserũt vrbe sub aduentum Romanorum quidam, alij mortem

A sibi cõsciuerunt. Legati non vltra quam quinque dies Rhodi morati, Alexandriam proficiscuntur. Nec eo segnius iudicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur, quã perseuerantiam in exsequẽda re Decimij lenitas afferebat. Cùm hæc gererẽtur, Antiochus frustra tentatis mœnibus, Alexãdriæ abscesserat: ceteráque Ægypto potius, relicto Memphi maiore Ptolemæo, cui regnũ quæri suis viribus simulabat, vt victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec huius volũtatis B eius ignarus Ptolemæus, dum cõterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandrię & sorore adiuuante, & non repugnantibus fratris amicis ratus: primum ad sororẽ, deinde ad fratrem amicosq; eius nõ prius destitit mittere, quàm pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quod cetera Ægypto sibi tradita. Pelusij validum relictum erat presidium: apparebat claustra Ægypti teneri, vt cum velit rursus exercitum induceret. Bello intestino cũ fratre eũ C exitum fore, vt victor fessus certamine nequaquã par Antiocho futurus esset. Hęc prudẽter animaduersa à maiore, cum assensu minor frater, quique cum eo erant accepẽrũt: soror plurimum adiuuit, non consilio modo, sed etiã precibus. Itaque consentientibus cũctis pace facta Alexãdriam recipitur, ne multitudine quidẽ aduersante: quę in bello non per obsidionem modo, sed etiam postquam à mœnibus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subuehebatur, omnium rerum attenuata inopia e- D rat. His cum lętari Antiochum conueniens esset, si reducẽdi eius caussa exercitũ Ægyptum induxisset, quo specioso titulo ad omnes Asiæ & Græciæ ciuitates legationibus recipiẽdis, literisque dimittendis vsus erat: adeo est offensus, vt multo acrius infestiúsque aduersus duos, quàm antè aduersus vnum pararet bellum. Cyprum extẽplo classem misit: ipse primo vere cum exercitu Ægyptum petens in Cœlen Syriam processit. Circa Rhinocoluram Ptolemęi legatis agẽtibus gratias, quod per eũ E regnum patrium recepisset, petentibusque vt suũ munus tueretur, & diceret potius quid fieri vellet, quàm hostis ex socio factus, vi atque armis ageret, respondit, non aliter neque classem reuocaturum neque exercitũ reducturum, nisi sibi & tota Cypro & Pelusio agróque, qui circa Pelusiacum óstiũ Nili esset, cederet: diémque præstituit, intra quam de cõditionibus peractis responsum acciperet. Postquam dies data induciis pręteriit, nauigantibus ostio Nili ad Pelusium per deserta Arabiæ ad Mem- F phim incolebant, & ab ceteris Ægyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexãdriam modicis itineribus descendit. Ad Leusinum transgresso flumen, qui locus quatuor millia ab Alexãdria abest, legati Romani occurrerũt. Quos cum aduenientes salutasset, dextrámque Popilio porrigeret, tabellas ei Popilius scriptum habentes tradit, atque omniũ primũ id legere iubet. Quibus perlectis cũ se consideraturum adhibitis amicis quid faciendũ sibi esset, dixisset. Popilius pro cetera asperitate animi, G virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regẽ, ac, prius quã hoc circulo excedas, inquit, redde responsum senatui quod referam. Obstupefactus tã violento imperio parumper cum hæsitasset, Faciã, inquit, quod censet senatus. Tum demum Popilius dextra regi tanquam socio atque amico porrexit. Die deinde finita cum excessisset Ægypto Antiochus, legati cõcordia etiã auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vix dum cõuenerat, pars Cyprum nauigant: & inde quæ iam vicerat præ-

lio Ægyptias naues classem Antiochi dimittũt. A Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubiè ademta Antiocho Ægyptus habenti iam, redditúmque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat. Cos. eius anni sicut alterius clarus consulatus insigni victoria, ita alterius obscura fama: quia materiam res gerendi non habuit. Iam primum cum legionibus ad conueniendum dixit, non auspicato templum intrauit: vitio diem dictam esse augures, cum ad eos relatum est, decreuerunt. B Profectus in Galliam circa Macros campos ad montes Siciminam & Papinum statiua habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hybernabat. Legiones Romanæ, quod vitio dies exercitui ad conueniendum dicta erat, Romæ manserant. Et Prr. præter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia euenerat, in prouincias iere: eum ius dicere Romæ (nam eam quoque sortem habebat) inter ciues & peregrinos, patres censuerant. C Et Popilius, & ea legatio quæ missa ad Antiochum erat, Romam rediit: retulit controuersias inter reges sublatas esse, exercitúmque ex Ægypto in Syriam reductum. Post ipsorum regum legati venerunt: Antiochi legati referentes omni victoria potiorem pacem regi, quæ senatui placuisset, visam: cúmque haud secus quàm deorum imperio legatorum Rom. iussis paruisse. Gratulati deinde victoriam sunt, ad quam summa ope si quid imperatum foret, ad futurum regem fuisse. D Ptolemæi legati communi nomine regis & Cleopatræ gratias egerunt. plus eos SPQR. quam parentibus suis, plus quá diis immortalibus debere: per quos obsidione miserrima liberati essent, regnum patrium propè amissum recepissent. Responsum ab senatu est, Antiochũ recte atque ordine fecisse quod legatis paruisset, gratúmque id esse SPQR. Regibus Ægypti Ptolemęo Cleopatræque, si quid per se boni cõmodique euenisset, id magno opere senatum lætari, daturumque operam, vt regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide populi Romani ducant. E Munera legatis vt ex instituto mittenda curaret C. Papirio prætori mãdatum. Literæ deinde Macedonia allatæ, quæ victoriæ lætitiam geminarent, Persea regem in potestatem COS. venisse. Dimissis legatis, disceptatum inter Pisanos Lunensésque legatos: Pisanis querẽtibus agros se à colonis Ro. pelli: Lunensibus affirmantibus, eum de quo agatur, à triumuiris agrum sibi assignatum esse. Senatus qui de finibus cognoscerẽt statuerẽtque quinqueuiros misit, Quintum Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem, T. Sempronium Muscam, L. Næuium Balbum, C. Apuleium Saturninum. F Et ad Eumene & ab Attalo & ab Athenæo fratribus communis legatio de victoria gratulatum venit. Et Masgabæ regis Masanissæ filio Puteolis nauem egresso præsto fuit obuiá missus cum pecunia L. Manlius quæstor, qui Romam cum publico sumtu perduceret. Aduenienti extemplo senatus datus est. Is adolescens ita locutus est, vt quæ rebus grata erant, gratiora verbis faceret. Cõmemorauit quot pedites, equitesque, quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater suus in Macedoniam misit. G Sed duas res ei rubori fuisse: vnam, quod rogasset eum per legatos senatus quæ ad bellum opus esset, & non imperasset: alteram quòd pecuniam ei pro frumento misisset. Masanissam meminisse regnum à populo Rom. partum auctumque & multiplicatum habere: vsu regni cõtentum, scire dominium & ius eorum qui dederint esse. Sumere itaque eosdem, non se rogare æ quũ esse: neque emere ex ea fructibus agri ab se dati, quæ ibi proueniant. Id Masanissæ satis esse, & fore, quod populo Romano supẽtesset. Cum iis mandatis à patre profectum, postea consecutos equites, qui deuictam Macedoniam nuntiarent: gratulatumque senatui iuberent indicare, tantæ eam rem lætitię patri suo esse, vt Romam venire velit, Iouique Opt. Max. in Capitolio sacrificare, & grates agere: id, nisi molestum sit, vt ei permittatur, ab senatu petere. Responsum regulo est: facere patrem eius Masanissam, quod virum gratum bonumq; facere deceat, vt pretium honoremque debito beneficio addat. Et populum Romanum ab eo bello Punico forti fideliq; opera adiutũ, & illum fauente populo Romano regnum adeptum: ęquitate sua postea trium regũ bellis, deinceps omnibus functũ officiis. Victoria verò populi Romani lætari eum regem mirum non esse, qui sortem omnem fortunę regnique sui cum rebus Romanis immiscuisset. Grates diis pro populi Rom. victoria apud suos penates egeret, Romæ filium pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnũ, & Africa excedere, præterquam quod illi inutile esse esset, nõ è republica P. R. senatum censere, petẽti Masgabę vt Hanno Amilcaris filius * obses in locum exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quæstor iussus ex C. pondo argenti, & prosequi eum Puteolos, omnémque sumtum quoad in Italia esset, pręberé, & duas naues conducere, quibus ipse comitésque regis in Africam deueherentur: & comitibus omnibus liberis seruisque vestimenta data. Haud ita multo post de altero Masanissæ filio Misagene literæ allatę sunt, missum eum ab L. Paulo post deuictũ Persea in Africam cum equitibus suis: nauigantem dispersa classe in Adriatico mari Brundusium tribus nauibus ęgrum delatũ. Ad eum cũ iisdem muneribus, quę data Romæ fratri eius erant, L. Stertinius quæstor Brundusium missus, iussusque curare, vt ædes hospi- * *

In quatuor vrbanas tribus descripti erant libertini, præter eos quibus filius quinquenni maior ex S.C. esset. Eos, vbi proximo lustro censi essent, censeri iusserunt: & eos qui prædium prædiáve rustica pluris sestertiûm xxx. millium haberent, censendi ius factum est. Hoc cum ita seruatum esset, negabat Claudius suffragij lationem iniussu populi censorem cuiquam homini, ne dum ordini vniuerso adimere posse. Neq; enim si tribu mouere posset, quod sit nihil aliud quam mutare iubere tribum, ideo omnibus v. & xxx. tribubus emouere posse: id est, ciuitatem, libertatémque eripere, non vbi censeatur finire, sed censu excludere. Hæc inter ipsos disceptata: postremo eò descensum est, vt ex quatuor vrbanis tribus vnam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes qui seruitutem seruissent, conijcerent. Exquilinæ sors exiit: in ea Tiberius Gracchus pronuntiauit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. gratiæ actæ & Sempronio, qui non bene cœpto perseuerasset: & Claudio, qui non impedisset. Plures quàm à superioribus & senatu emoti sunt, & equos vendere iussi: omnes iidem ab vtroque & tribu remoti & ęrarij facti: neque vllius quem alter notaret, ab altero leuata ignominia. Petẽtibus vt ex instituto ad sarta tecta exigenda, & ad opera quæ locassent probanda, anni & bimensis tempus prorogaretur: Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, intercessit. Eodem anno C. Ciceretus ædem in monte Albano dedicauit, quinquẽnio postquam vouit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Posthumius Albinus. Q. Ælio, M. Iunio Coss. de prouinciis referentibus, censuere patres duas prouincias

uincias Hispaniam rursus fieri, quæ vna per bellum Macedonicum fuerat: & Macedoniã Illyricúmque eosdem L. Paulum & L. Anicium obtinere, donec de sententia legatorum & res bellus turbatas, & statum alium eius regni formãdo composuissent, Coss. Pisæ & Gallia decretæ cum binis legionibus peditum, & equitum quadringẽtenis. Prætorũ sortes fuere, Q. Cassij vrbana, M. Iuuentij Taluæ inter peregrinos, Tib. Claudij Neronis Sicilia, Cn. Fuluij Hispania citerior, C. Liciniæ Neruæ vlterior. A. Manlio torquato Sardinia obuenerat. nequiit ire in prouinciam, ad res capitaleis quærendas ex S. C. retentus. De prodigiis deinde nuntiatis senatus est consultus. Ædes deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat, & in oppido Mineruio duæ portæ, & muri aliquantum. Anagniæ terra pluerat, & Lanuuij fax in cœlo visa erat. Et Calatiæ in publico agro M. Valerius ciuis Romanus nuntiabat è foco suo sanguine per triduum & duas noctes manasse. Ob id maximè decemuiri libros adire iussi, supplicationem in diem vnum populo edixerunt, & L. capris in foro sacrificauerunt: & aliorum prodigiorum caussa diem alterum supplicatio circa omnia puluinaria fuit, & hostiis maioribus sacrificatum est, & vrbs lustrata. Inde quod ad honorem deum immortalium pertineret, decreuit senatus, vt quoniam perduelles superati, Perseus & Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in potestate populi Romani essent: vt quanta dona Ap. Claudio, M. Sempronio Coss. ob deuictum Antiochum regem data ad omnia puluinaria essent, tanta Q. Cassius & M. Iuuentius Prr. curarent danda. Legatos deinde, quorum de sententia Impp. L. Paulus, L. Anitius, componerent res, decreuerunt: decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Posthumius Luscus, C. Claudius, ambo censorij. C. Licinius Crassus collega in consulatu Pauli, tum prorogato imperio prouinciam Galliam habebat. His consularibus addidere Cn. Domitium Ænobardum, Ser. Cornelium Syllam, L. Iunium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Ælius Ligus cõsularis, C. Cicerius, & Cn. Bæbius Pamphilus (hic priore anno, Cicereius multis antè annis P. fuerat) P. Terentius Tusciuicanus P. Manlius. Moniti deinde Coss. à patribus, vt quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatos nominatus erat, in Galliam oporteret: primo quoque tempore prouincias aut compararent inter se, aut sortirentur, sorti sunt, M. Iunio Pisæ obuenerunt, quem priusquam in prouinciam iret, legationes quæ vndique Romam gratulatum conuenerunt, introducere in senatum placuit) Q. Ælio Gallia. Ceterum quanquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperare posset, impp. nihil indignum nec clementia nec grauitate P. R. decreturos esse: tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum: vt incoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent. Omnium primum liberos esse placebat Macedonas atque Illyrios, vt omnibus gentibus appareret arma P. R. non liberis seruitutem, sed contrà seruientibus libertatem afferre: vt & in libertate gentes, quæ essent, tutam eam sibi, perpetuámque sub tutela P. R. esse: & quæ sub regibus viuerent, & in præsens tempus mitiores eos iustioresque respectu P. R. habere se: & si quando bellum cum P. R. regibus fuisset suis, exitum eius victoriam Romanis sibi libertatem allaturum crederent. Metali quoq; Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationésque præsidiorum rusticorum tolli placebat. Nam neque sine publicano

A exerceri posse: & vbi publicanus est, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posset. vbi in medio præda administrantibus esset, ibi nunquam caussas seditionum & certaminis defore. Commune consilium gentis nullum esse, ne improbum vulgus à senatu aliquando libertatem salubri moderationi datam, ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, vt suum quæque conciliũ haberet, placuit: & dimidium tri-
B buti, quàm quod regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere. Similia his & in Illyricum mandata: cetera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus præsens tractatio rerum certiora subiectura erat consilia. Inter multas regum gentiumque, & populorum legationes Attalus frater regis Eumenis maximè cõuertit in se omnium oculos animosque. exceptus enim est ab his qui simul eo bello militauerunt, haud paulo benignius quàm si ipse rex Eumenes venisset. Adduxerant eum duæ in speciem ho-
C nestæ res, vna gratulatio conueniens in ea victoria quam ipse adiuuisset: altera querimonia Gallici tumultus, Aduersæque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat & secreta spes honorum præmiorúmque ab senatu, quæ vix salua pietate eius contingere poterant. Erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem eius elicerent eam opinionem de Attalo & Eumene Romæ esse, tanquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, nec Persi fido so-
D cio. Itaque vix statui posse, vtrum quæ pro se, an quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent, adeò vniuersos omnia & huic tribuere, & illi verò negare. Eorum hominum (vt res docuit) Attalus erat, qui quantum spes spopondisset, cuperent, ni vnius amici prudens monitio velut frenos animo eius gestiẽti secundis rebus imposuisset. Stratius cum eo fuit medicus, ad idipsum à non securo Eumene Romam missus speculator rerum quæ à fratre agerentur, monitorque fidus si decedi
E fide vidisset. Is ad occupatas iam aures, solicitatumque iam animum cum venisset, aggressus tempestiuis temporibus rem propè prolapsam restituit: aliis alia regna creuisse rebus dicendo: regnum eorum nouum, nullis vetustis fundatum opibus fraterna stare concordia: quod vnus nomen regium & præcipium capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum verò, quia ætate proximus, quis nõ pro rege habeat: neque eo solum quia tantas præsentes eius opes cernat, sed quod haud ambiguum prope-
F diè regnaturum eum infirmitate ætatéque Eumenis esset nullam stirpem liberum habentis: (necdum enim agnouerat eum, qui postea regnauit.) Quid attineret vim afferre rei sua sponte mox ad eum aduenturæ? Accessisse etiam nouam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu & concordia regnũ resisti queat. Si verò ad externum bellum domestica seditio adiiciatur, sisti non posse: nec aliud ad eum quã ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spẽ propinquã regni erupturum. Si vtraque gloriosa res
G esset, & seruasse fratri regnum & eripuisse: seruati tamen regni, quæ iuncta pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enimuero cum detestabilis altera res, & proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubij superesse? Vtrum enim partem regni petiturum esse, an totum erepturum? si partem, ambo infirmos distractis viribus, & omnibus iniuriis obnoxios fore. Si totum, priuatúmne ergo maiorẽ fratrem, an exsulem illa ætate, illa corporis infirmitate, an vltimũ mori iussurum? Egregium enim, vt fabulis traditus

impiorum fratrum euentus taceatur, Persei exitum videri, qui ex fraterna cęde raptum diadema in templo Samothracum, velut præsentibus diis exigentibus pœnas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, qui non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem, constantiamque laudaturos, si fidem ad vltimum fratri præstitisset. Hæc plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum gratulatus victoriam, & sua merita eo bello fratrisque (si qua erant) & Gallorum defectioné, quæ nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit vt legatos mitteret ad eos quorũ auctoritate ab armis auocarentur. His pro regni vtilitate editis mandatis. Ænum sibi & Maroneam petiit. Ita destituta eorum spe, qui fratre accusato partitioné regni petiturum crediderant, curia excessit. Vt raro alius quisquam rex aut priuatus tanto fauore, tantoque omnium assensu est auditus omnibus honoribus muneribúsque & præsens est cultus & proficiscentem prosecuti sunt. Inter multas Asię Græcięque legationes, Rhodiorum maximè legati ciuitatem cõuerterunt. Nam cum primo in veste candida visi essent, quod & gratuláteis decebat, & si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant: postquam consulti ab Marco Iunio C O S. patres, stantibus comitio legatis, an locum, lautia senatumq; darét, nullum hospitale ius in iis seruandum censuerunt: egressus è curia C O S. cum Rhodij gratulatum se de victoria, purgatumque ciuitatis crimina dicentes venisse, petissent vt senatus sibi daretur, pronuntiat: sociis & amicis, & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos & senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritus eo bello, vt amicorum sociorum numero habendi sint. His auditis prostrauerunt se omnes humi, consulémque & cunctos qui aderant orantes, ne noua falsáque crimina plus obesse Rhodiis ęquum censerent quam antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Extemplo veste sordida sumta, domus principum cum precibus ab lacrymis circumibant, orantes vt prius cognoscerent caussam, quàm condemnarentur. Marcus Iuuentius Talua prætor, cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio erat, populum aduersus Rhodios incitabat: rogationémque promulgauerat, vt Rhodiis bellum indiceretur, & ex magistratibus eius anni deligerent qui ad id bellum cum classe mitteretur, se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius, & Marcus Pomponius tribuni plebis aduersabantur. Sed & prætor nouo malóque exemplo rem ingressus erat, quod ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis de sua vnius sententia rogationem ferret: vellent iuberentne Rhodiis bellum indici: cum antea semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum. & tribuni plebis: cum ita traditum esset. ne quis prius intercederet legi, quam priuatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset: eóque per sæpe euenisset, vt qui non professi essent se intercessuros, animaduersis vitiis legis ex ratione dissuadentium intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent victi auctoritatibus suadentium legé. Tum inter prætorem tribunósque omnia intempestiuè agendi certamen erat. Tribuni festinationé prętoris ante tempus intercedédo in aduentum imperatoris

peccauerimúsne adhuc dubium est: pœnas, ignominias omnes iam patimur. Antea Carthaginiensibus victis, Philippo. Antiocho superatis, cùm Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis patres conscripti, ex curia in Capitolium

A ad deos vestros dona ferentes veniebamus: nunc ex sordido diuersorio vix mercede recepti. ac propè hostium more extra vrbé manere iussi, in hoc squalore venimus in curiam Romaná Rhodij, quos prouinciis nuper Licia atque Caria, quos præmiis atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas Illyriósque liberos esse, vt audiuimus, iuberis, cum seruierint antequam vobiscũ bellarent (nec cuiusquam fortunæ inuidemus, imo agnoscimus clementiam populi Rom.) Rhodios, qui nihil aliud quam quieuerunt hoc bello, hostes ex sociis facturi estis? Certè

B quidem vos estis Romanis, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, præ vobis fertis: nec tam exitu eorũ quod vindicatis, quàm principiis, quod non sine caussa suscipitis, gloriamini. Messana in Sicilia oppugnata: Carthaginiensis, Athenæ oppugnatæ: & Græcia in seruitutem petita, & adiutus Annibal pecunia, auxilis Philippum hostem fecerunt. Antiochus ipse vltro ab Ætolis hostibus vestris accersitus ex Asia classe in Græciam traiecit, Demetriade & Chalcide & saltu Thermopilarum occupato, de pos-

C sessione imperij vos deiicere conatus. Cum Perseo, socij vestri oppugnati, alij interfecti reguli principésque gentium aut populorum, caussa belli vobis fuere. Quem tandem titulum nostra calamitas habitura est, si perituri sumus? Nondum segrego ciuitas caussam à Polyarato & Dione ciuibus nostris, & iis quos vt traderemus vobis adduximus. Si omnes Rhodij æquè noxij essemus, quod nostrum in hoc bello crimé esset? Persei partibus fauimus: & quemadmodum Antiochi Philippique bello, pro vobis aduersus reges, sic nunc pro rege aduersus vos ste-

D timus. Quemadmodum soleamus socios iuuare, & quàm impigrè capescere bella, Caium Liuium, L. Æmylium Regillũ interrogare, qui classibus vestris in Asia præfuerunt. Nunquam vestræ naues pugnauere sine nobis: nostra classe pugnauimus semel ad Samum iterum in Pamphylia aduersus Annibalem imperatorem: quæ victoria nobis eo gloriosior est, quod cum ad Samum magnam partem nauium aduersa pugna & egregiam iuuentutem a-

E misissemus, ne tanta quidem clade territi, iterum ausi sumus regiæ classi ex Syria venienti obuiam ire. Hæc non gloriandi caussa retuli, neque enim ea nunc nostra est fortuna: sed vt admonerem quemadmodum adiuuare socios solerent Rodij. Præmia Philippo & Antiocho deuictis, amplissima accepimus à vobis. Si quæ vestra nunc est fortuna deum benignitate, & virtute vestrá, ea Persei fuisset, & præmia petitum ad victorem regem venis-

F semus in Macedoniam, quid tandem diceremus? Pecuniáne à nobis adiutum, an frumento auxiliis terrestribus, an naualibus? quod præsidium tenuisse nos? vbi pugnasse, aut sub illius ducibus, aut per se ipsos? Si quereret vbi miles noster, vbi nauis intra præsidia sua fuisset, quid responderemus? Caussam fortasse diceremus apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim legatos vtroque de pace mittendo consecuti sumus, vt ne ab vtraque par-

G te gratiam iniremur, ab altera etiam crimen & periculum esset. Quanquam Perseus verè obiiceret, id quod vos non potestis, patres conscripti nos principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur vobis quæ ad bellum opus essent: naualibus armis iuuentute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. ne præstaremus per vos stetit, qui de quacunq; caussa tum aspernati nostra auxilia estis. Neq; fecimus igitur quicquã tanquã hostes, neque bonorum sociorũ defuimus officio, sed à vobis prohibiti præstare fuimus. Quid igitur? nihil ne factum neque dictum

dictum est in ciuitate vestra Rhodij quod nolletis, quo merito offenderetur populus Romanus: Hinc iam non quod factum est defensurus sum, non adeo insanio, sed publicam caussam à priuatorum culpa segregaturus. Nulla enim est ciuitas quæ non & improbos ciues aliquando, & imperitam multitudinē semper habeat. Etiam apud vos fuisse audiui, qui assentando multitudini grassarentur: & secessisse aliquando à vobis plebem, nec in potestate vestra populum Rom. fuisse. Si hoc in hac tam bene morata ciuitate accidere potuit mirari quisquam potest aliquos fuisse apud nos, qui regis amicitiam petentes, plebem nostram consiliis deprauarent? qui tamen nihil vltra valuerunt, quam vt in officio cessaremus. Non præteribo id quod grauissimum est in hoc bello, crimen ciuitatis nostræ. Legatos eodem tempore & ad vos & ad Persea de pace misimus. quod infelix consilium furiosus (vt postea audiuimus) orator stultissimum fecit, quem sic locutum constat tanquam C. Popilius legatus Romanus, quem ad summouendos à bello Antiochum & Ptolemæum reges misistis, loqueretur. Sed tamen ea siue superbia siue stultitia appellanda est, eadem quæ apud vos, & apud Persea fuit. Tam ciuitatum quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in venerē proniores aliæ sunt. Atheniensium populum fama est celerem, & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negauerim & totam Asiæ regionē inaniora parere ingenia, & nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas ciuitates videamur, & id ipsum non tam viribus nostris quam vestris honoribus ac iudiciis. Satis quidem & tunc in præsentia castigata illa legatio erat, cùm tā tristi responso vestro dimissa. si parū ignominiæ pensū est, hæc certè tā miserabilis ac supplex legatio etiā insolentioris quàm illa fuit, legationis satis magnū piaculum esset. Superbiā verborum præsertim, iracundi oderunt, prudentes irrident: Vtiq. si inferioris aduersus superiorē est; capitali pœna nemo vnquā dignam iudicauit. Id enimuero periculū erat, ne Romanos Rhodij contemnerent: etiam deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quenquam fulmine ictum audiuimus. Quid igitur superat quod purgemus? si nec factum hostile vllum nostrum est, & verba tumidiora legati offensionem aurium, non perniciem ciuitatis meruerunt. Voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio P. C. fauisse nos regi, & illum vincere maluisse: ideo bello persequendos esse credunt. Alij vestrum, voluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus, neque legibus vllius ciuitatis ita comparatum esse, vt si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit quo id fiat, capitis dānetur. His qui nos pœna, non crimine liberant, gratiam quidē habemus: ipsi nobis hanc dicimus legem, si omnes voluimus quod arguimur, non distinguimus voluntatem à facto, omnes plectamur. Si alij principum nostrum vobis, alij regi fauerunt: non postulo vt propter nos, qui partium vestrarū fuimus, regis fautores salui sint. Illud deprecor, ne nos propter illos pereamus. Nō estis vos illis infestiores, quam ciuitas ipsa: & hoc qui sciebāt, pleriq; eorum aut profugerunt, aut mortem sibi cōsciuerunt: alij damnati à nobis in potestate vestra erunt, Patres conscripti. Ceteri Rhodij, sicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne pœnam quidem sumus. Priorum nostrorum benefactorum cumulus hoc quod nunc cessatum in officio est, expleat. Cū tribus regibus gessistis bella per hos annos: ne plus obsit nobis quod vno bello cessauimus, quàm quod duobus bellis pro vobis pugnauimus. Philippum Antiochum, Persea tanquam tres sententias ponite: duæ nos absoluunt, vna deuia est, vt grauior sit. Illi de nobis si iudicarent, damnati essemus. vos iudicate Patres conscripti, sit Rhodus in terris, an fūditus deleatur, Non enim de bello deliberatis Patres conscripti, quod inferre potestis, gerere non potestis: cùm nemo Rhodiorum arma aduersus vos laturus sit. Si perseuerabitis in ira, tempus à vobis petemus, quo hanc funestam legationem domum referamus: omnia libera capita, quicquid Rhodiorū virorū, fœminarum est, cum omni pecunia nostra naues cōscendemus: ac relictis penatibus publicis priuatisq; Romam veniemus & omni auro & argento, quicquid publici, quicquid priuati est, in comitio in vestibulo curiæ vestræ cumulato, corpora nostra coniugumq; ac liberorū vestræ potestati permittemus, hic passuri quodcūq; patiendū erit. procul ab oculis nostris vrbs nostra diripiatur, incendatur. Hostes Rhodios esse Rom. iudicare possūt: est tamē & nostrū aliquod de nobis iudiciū, quod nūquam iudicauimus nos vestros hostes, nec quicquā hostile etiam si omnia patiemur, faciemus. Secundum talē orationem vniuersi rursus prociderunt, ramosq; oleæ supplices iactātes tandem excitati curia excesserūt. Tūc sententiæ interrogari cœptæ. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules prætorésue aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum caussam eorū adiuuit M. Porcius Cato, qui asper ingenio, tum lenē mitémq; senatorem egit. Non inseram simulachrū viri copiosi quæ dixerit referendo, ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa Rhodiis responsū ita redditū est; vt nec hostes fierēt, nec socij permanerent. Philocrates & Astymedes principes legationis erant. partem cum Philocrate renuntiare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romæ subsistere: quæque agerentur scire, et certioresque suos facere. In præsentia deducere antea certam diem ex Lycia Cariáque iusserunt præfectos. Hæc Rhodum nuntiata, quæ per se tristia fuissent: quia maioris mali leuatus erat timor, cum bellum timuissent, in gaudium renuntiata verterunt. Itaque extemplo coronam XX. millibus aureor. decreuerunt. Theodotum profectum classis in eam legationem miserunt. Societatem ab Romanis ita volebant peti, vt nullum de ea re scitum populi fieret, aut literis mandaretur, quòd nisi impetrarent, maior repulsis ignominia esset. Præfecti classis id vnius erat ius, vt agere de ea re sine rogatione vlla perlata posset. Nam ita per tot annos in amicitia fuerant, vt sociali fœdere se cum Romanis non illigarent: ob nullam aliam caussam, quàm ne spem regibus abscinderent auxilij sui, si cui opus esset, neu sibi ipsis fructus ex benignitate & fortuna eorum percipiendi. Tunc vtique petenda societas videbatur, non qui tutiores eos ab aliis faceret, (nec enim timebant quenquam præter Romanos) sed quæ ipsis Romanis minus suspectos. Sub idem fere tempus & Caunij desciuere ab his, & Mylassenses Euromensium oppida occuparunt. Non ita fracti animi ciuitatis erant, vt non sentirent, si Lycia & Caria ademta ab Romanis forent, cetera aut se ipsa per defectionem liberarent, aut à finitimis occuparentur: includi se insulæ paruæ & sterilis agri littoribus, quæ nequaquam alere tantæ vrbis populum posset. Missa igitur iuuentute propere ad Caunios, quanquam Cybiratarum asciuerant auxi-

lia coegerunt imperio parere: & Mylassēses Alabādenosque, qui Eromensium prouincia ademta, ad ipso coniuncto exercitu venerūt, circa Orthosiam aciem vicerunt. Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur interim in Illyrico L. Anicius rege Gentio, sicut ante dictum est, in potestatem redacto, Scodręque regia fuerat, præsidio imposito Gabiniū præfecit, Rhizoni & Olcinio vrbibus opportunis C. Licinium. Præpositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. Vbi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obuiam effusa. Hic præsidio imposito, in Molossidē transgressus: cuius oppidis præter Passaronem & Tegmonem, & Phylacen, & Horreum receptis primum ad Passaronem ducit. Antinous & Theodotus principes eius ciuitatis erant insignes & fauore Persei, & odio aduersus Romanos, iidem vniuersæ gēti auctores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia priuatæ noxæ, quia ipsis nulla spes veniæ erat, vt communi ruina patriæ opprimerentur, clauserunt portas, multitudinem vt mortem seruituti pręponerent hortantes. Nemo aduersus præpotentes viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam nobilis & ipse adolescens, cum maiorā Romanis metus timorem à principibus suis vidisset. Quæ vos rabies, inquit, agitat, qui duorum hominū noxæ ciuitatis accessionem facitis? Equidem pro patria qui letum oppetissent, sæpe fando audiui: qui patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inuenti sunt. Quin aperimus portas, & imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit? Hæc dicentem cum multitudo sequeretur, Antinous & Theodotus in primam stationem hostium irruperunt, atque ibi offerentes se ipsi vulneribus interfecti, vrbs dedita est Romanis. Simile pertinacia Cephalonis principis clausum Tegmonem, ipso interfecto per deditionem recepit. Nec Phylace nec Horreum oppugnationem tulerunt. Pacata Epiro, diuisisque in hyberna copiis per opportunas vrbes regressus ipse in Illyricum, Scodrę, quo quinque legati ab Roma venerant, euocatis ex toto prouincia principibus cōuentum habuit. Ibi pro tribunali pronūtiauit de sentētia cōsilij. S.P.Q.R. Illyrios esse liberos iubere, præsidia ex omnib. oppidis, arcib. & castellis se deductur ū. non solum liberos, sed etiā immunes fore Issenses & Taulantios, Dassaretiorum Tiruftas, Rhizonitas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem dare, quod relicto Carauantio cum armis ad Romanos transissent. Scodrensibus & Dassarensibus & Selepitanis ceterisque Illyriis vectigal dimidium eius quod regi pendissent. Inde in tres partes Illyricum diuisit, vnam eam fecit, quæ supradicta est, alteram Labeatas omnes tertiam Agrauonitas, & Rhizonitas, Olciniatas accolásque eorum. Hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaronem in hyberna rediit. Dum hæc in Illyrico geruntur Paulus ante aduentum decem legatorum Quintum Maximum filium iam ab Roma regressum, ad Æginium & Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod cum Martio Cos. tradidissent vrbem, petita vltrò societate Romana, defecerant rursus ad Persea: Æginiensium nouum crimen erat: famæ de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum vrbem ingressos hostiliter sæuierant. Ad Æniorum quoque hostiliter vrbem diripiendam L. Posthumium misit, quod pertinacius quàm finitimæ ciuitates in armis fuerant. Autumni fere tempus erat, cuius temporis initio circumeundam Græciam, visendáque quæ nobilitata fama

A magis auribus accepta sunt, quàm oculis noscuntur, vt statuit: præposito castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio & Athenæo Eumenis regio fratre, per Thessaliam Delphos petit inclytum oraculum. Vbi sacrificio Apollini facto, incoatas in vestibulo columnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinauit. Lebadię quoque templum Iouis Trophonis adit: ibi cùm vidisset os specus, per quod oraculo vtentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Ioui Hercinnæque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Eupiri, æuóque ante insulæ ponte continenti iunctæ descendit. A Chalcide Aulidem traiicit trium millium spatio distantem, portū inclytū statione quondam mille nauium Agamemnoniæ classis Dianæque templum, vbi nauibus cursum ad Troiā, filia victima aris admota rex ille regū petiit. Inde Oropum Atticæ ventum est: vbi pro deo vates Amphilochus colitur templumq; vetustum est fontibus riuisque circa amœnum. Athenas inde, plenas quidem & ipsas vetustatę famæ, multa tamen visēda habentes: arcem, portus muros Pyræum vrbi iungentes, naualia magnorum imperatorum, simulachra deorum hominumque omni genere & materiæ & artium insignia. Sacrificio Mineruæ præsidi arcis in vrbe facto profectus, Corinthum altero die peruenit. Vrbs erat tunc præclara ante excidiū. arx quoque & Isthmus præbuere spectaculum: arx inter omnia in immanem altitudinem edita scatens fontibus: Isthmus duo maria ab occasu & ortu solis finitima arctis faucibus dirimēs. Sicyonē inde & Argos nobiles vrbes adit: Inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam Æsculapij nobili templo quod V. millibus passuum ab vrbe distans, nunc vestigiis reuulsorum donorum, tum donis diues erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacrauerant deo. Inde Lacedæmonem adit, non operū magnificentia, sed disciplina Institutisque memorabilem: vnde per Megalopolim Olympiam ascēdit vbi & alia quidem spectanda visa, & Iouem velut præsentem intuens, motus animo est. Itaque haud secus quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificiū āplius solito apparari iussit. Ita peragrata Græcia, vt nihil eorum quæ quisq; Persei bello priuatim ac publicè sensisset, inquireret, ne cuius metu sollicitaret animos sociorum: Demetriadē cùm reuertit, in itinere sordidata turba Ætolorū occurrit, mirantiq; & percunctanti quid esset, defertur DL. principes ab Lycisco & Tisippo circunsesso senatu per milites Romanos missos à Bæbio præside interfectos alios in exsiliū actos esse, bonaq; eorū, qui interfecti essent, & exsulum possidere qui arguebant. Iussis Amphipolim adesse, ipse conuenito Cn. Octauio Demetriade, postquā fama accidit traiecisse iā mare X legatos, omnibus aliis omissis Apolloniā ad eos pergit. Quò cùm Perseus obuiam Amphipoli nimis soluta custodia processisset (id diei iter est) ipsum quidem benigne allocutus est: ceterum postquam in castra ad Amphipolim venit, grauiter increpuisse traditur C. Sulpicium: primum quod Persea tam procul à se vagari per prouinciā passus est: deinde quod adeo indulsissent militibus, vt nudare tegulis muros vrbis ad tegenda hybernacula sua pateretur: referrique tegulas, & resarciri tecta sicut fuerant, iussi. Et Persea quidem cū maiore filio Philippo traditos à Posthumio in custodiā misit, filiam cū minore filio à Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit. Ipse vbi dies venit, quò adesse Amphipoli denos principes ciuitatū iusserat, literásque

literasq; omnes, quæ vbiq; depositæ essēt, & pecuniam A regiam conferri, cum X. legatis circumfusa omni multitudine Macedonum, in tribunali consedit. Assuetis regio imperio tamen nouum formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco accensus, insueta omnia oculis auribusque: quæ vel socios, ne dum hostes victos terrere possent. Silētio per præconem facto, Paulus Latinè quę senatui, quę sibi ex consilij sententia visa essent, pronunciauit: ea Cn. Octauius Pr. (nam & ipse aderat) interpretata B sermone Græco referebat. Omnium primum liberos esse iubere Macedonas, habentes vrbes easdem agrosque, vtentes legibus suis, annuos creantes magistratus, tributum dimidium eius, quod pependissent regibus, pendere P.R. Deinde in IIII. regiones diuidi Macedoniam. vnam fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Nessum amnem sit: accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida præter Ænum & Maroneam & Abdera: trans Strymonem autem vergentia ad occasum, Bisalticam C omnem cum Heraclea, quam Synticen appellant. Secundam fore regionem quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, pręter Synticen Heracleam & Bisaltas: ab occasu qua Axius terminaret fluuius, additis Pæonis, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu cingunt. ad septētrionem Bora mons obiicitur. adiecta huic parti regio Pæoniæ, qua ab occasu præter Axium amnem D porrigitur. Edessa quoque & Berœa eodem concesserunt. Quarta regio trans Boram montem, vna parte confinis Illyrico, altera Epiro. Capita regionem vbi concilia fierent: primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam. quartę Pelagoniā fecit. Eo concilio suæ cuiusq; regionis indici, pecuniam cōferri, ibi magistratus creari iussit. Pronuntiauit deinde, neque connubium, neq; cōmerciū agrorū ædificiorumq; inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Metalla quoq; auri atq; ar- E genti non exerceri: ferri & æris permitti: vectigal exercentibus dimidium eius impositū quod pependissent regi. Et sale inuecto vti vetuit. Dardanis repetentibus Pæoniam, quod & sua fuisset, & cōtinens esset finibus suis, omnibus dare libertatem pronuntiauit, qui sub regno Persei fuissent. Post non impetratam Pæoniam, salis commercium dedit: tertiæ regioni imperauit, vt Stobos Pęoniæ deueherent, pretiumque statuit. Naualem materiam & ipsos F cædere, & alios pati vetuit. Regionibus, quæ affines barbaris essent (excepta autem tertia omnes erant) permisit, vt pręsidia armata in finibus extremis haberent. Hęc pronuntiata primo die conuentus variè affecerunt animos. Libertas pręter spē data arrexit, & leuatum annuum vectigal regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata, tanquā animalia in artus alterum alterius indigentes distracta: adeò quanta Macedonia esset, quàm diuisui facilis: & à se ipsa quæque contemta pars esset, Macedones, quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet fortissi- G mos viros (trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multa frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis, quæ obiecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas vrbes Thessalonicen & Cassandriam habet, ad hoc Pallenem fertilem ac frugiferā terrā: maritimas quoq; opportunitates ei prębent portus ad Toronē ac montēAtho (Æneæ vocant hunc) alij ad insulam Eubœam, alij ad Hellespontum opportunè versi. III. regio nobiles vrbes Edessam & Berœam & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos Gallos & Illyrios impigos cultores. IIII. regionem Eordæi & Lyncestæ & Pelagones incolunt: iuncta his Atintania & Stymphalis & Elimiotis. Frigida hæc omnis, duráque cultu & aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet. ferociores eos & accolæ barbari faciunt, nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Diuisæ itaque Macedoniæ partium vsibus separatis, quanta vniuersos teneat Macedonas formula dicta, cum leges quoque se daturum ostendisset. Ætoli deinde citati: in qua cognitione magis vtra pars Romanis, vtra regi fauisset, quæsitum est, quam vtri fecissent iniuriam, aut accepissent. Noxa liberati interfectores, exsilium pulsis æquè ratum fuit, ac mors interfectis. A. Bæbius vnus est damnatus, quod milites Romanos præbuisset ad ministerium cædis. Hic euentus Ætolorum caussæ omnibus Græciæ gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflauit, ad tollerabilem superbiam animos, & obnoxios pedibus eorum subiecit, quos aliqua parte suspitio fauoris in regem contigerat. Tria genera principum in ciuitatibus erant: duo quæ adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum sibi priuatim opes oppressis faciebant ciuitatibus: medium. vnum vtrique generis aduersum, libertatem & leges tuebatur. His vt maior apud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat. Secundis rebus elati Rom. partis eius fautores, soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Hi cum frequentes & ex Peloponneso & ex Bœotia, & ex aliis Græciæ conciliis adessent, impleuere aures decem legatorum: nō eos tantum, qui se propalam per vanitatem iactassent tanquam hospites & amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto fauisse: reliquos per speciem tuendæ libertatis in conciliis aduersus Romanos omnia instruxisse: nec aliter eas mansuras in fide gentes, nisi fractis animis partium aleretur, cōfirmareturque auctoritas eorum, qui nihil præter imperium Romanorum expectarent. Ab his editis nominibus, euocatis literis imperatoris ex Ætolia Acarnaniaque & Epiro & Bœotia, qui Romam ad caussam dicendam sequerentur: in Achaiam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius, & Cn. Domitius, vt ipsi edicto euocarent. id duabus de caussis factum, vna quod fiduciæ plus animorúmque esse Achæis ad non parendum credebant, & forsitan etiam in periculo fore Callicratem, & ceteros criminum auctores delatorésque: altera cur præsentes euocarent caussa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant: in Achæis cæcum erat crimen, nullis eorum literis inuentis. Ætolis dimissis Acarnanum citata gens: in his nihil nouatum, nisi quod Leucas exemta est Acarnanum concilio. Quærendo deinde latius, qui publicè aut priuatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendere: & ad Antissam in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt: quod Antenorem regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, portu receptum commeatibus iuuissēt. Duo securi percussi viri insignes, Andronicus, Andronici filius Ætolus, quod patrem secutus arma contra populum Rom. tulisset, & Neo Thebanus, quo auctore societatem cum Perseo iunxerant. His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursus aduocatum concilium pronuntia-

indulgeretur, quod in ærarium deferret. totus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter adfaturus comitiis ferendæ legis: sed eos Seruius Sulpitius Galba, qui tribunus militum secundæ legionis in Macedonia fuerat, priuatim imperatori inimicus, prensando ipse, & per suæ legionis milites solicitando, stimulauerat vt frequentes ad suffragium adessent, imperiosum ducem & malignum, antiquando rogationem, quæ de triumpho eius ferretur, vlciscerentur. plebem vrbanam secuturam esse militum iudicia: pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare non posse: ne speraret ibi fructum gratiæ, vbi non meruisset. His incitatis, cùm in Capitolio rogationem eam T. Sempronius tribunus plebis ferret, & priuatis lege dicendi locus esset ad suadendum, vt in re minimè dubia, si quisquam procederet: Seruius Galba repentè processit, & à Tr. postulauit, vt quoniam hora iam octaua diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Æmylium non iuberent triumphare, in posterum diem differrent, & mane eam rem agerent. Integro sibi die ad caussam eam orandam opus esse. Cùm tribunus dicere eo die, si quid vellet, iuberet: in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendóque exacta acerbè munia militiæ: plus laboris, plus periculi quàm desiderasset res, iniunctum: contra in præmiis, in honoribus, omnia arctata: militiámque, si talibus succedat ducibus, horridiorem asperiorémque bellantibus, eandem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliori fortuna, quàm milites Romanos esse. Si frequentes postero die ad legem antiquandam adessent, intellecturos potentes viros non omnia ducis, aliquid & in militum manu esse. His vocibus incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium compleuerunt, vt aditus nulli præterea ad suffragium ferendum esset. Intro vocatæ primæ tribus cùm antiquarent, concursus in Capitolium principum ciuitatis factus est, indignum facinus, esse clamitantium, Paulum tanti belli victorem dispoliari triumpho obnoxios imperatores tradi licentiæ atque auaritiæ militari: in vno nimis se per ambitionem peccare. Quid si domini milites imperatoribus imponantur? Galbam pro se quisque probra ingerere. Tandem hoc tumulto sedato, M. Seruilius qui C O S. & magister equitum fuerat, vt de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique ad populum potestatem facerent. Tribuni cùm ad liberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere cœperunt: reuocaturósque se easdem tribus renuntiarunt, si M. Seruilius aliique priuati qui dicere vellet, dixissent. Tum Seruilius: Quantus imp. L. Æmylius fuerit Quirites, si ex alia re nulla æstimari possit, vel hoc satis erat, quod cùm tam seditiosos & leues milites tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem seueritas imperij, quam nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque antiqua disciplina habiti neque fecerunt. Seruius quidem Galba, si in L. Paulo accusando tyrocinium ponere, & documentum eloquentiæ dare voluit, non triumphum impedire debuit: quem si nihil aliud, senatus iustum esse iudicauerat: sed postero die quàm triumphatum est, priuatum cùm visurus esset, nomen deferret, & legib. interrogaret: aut seriùs paulo, cum primum magistratus ipse cepisset, diem diceret, inimicum ad populum accusaret, ita & pretium rectè facti triumphum haberet L. Paulus pro egregiè bello gesto, & pœnam, si quid & vetere gloria sua & noua indignum fecisset. Sed videlicet cui crimen nullum probrum dicere poterat, eius obtrectare laudes voluit. Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paulum petiit: quatuor horas quantū supererat diei, dicendo absumpsit. Quis vnquam tam nocés reus fuit, cuius vitia vitæ tot horis expromi non possent? Quid interim obiecit quod L. Paulus, si caussam dicat: negatum velit? Duas mihi aliquis cóciones parumper faciat, vnam militum Macedonicorum, puram alteram integrioris iudicij & fauore & odio: vniuerso iudicante P. R. apud concionem togatam & vrbanam prius reus agatur. Quid apud Quirites Romanos Serui Galba diceres? illa enim tibi tota abscissa oratio esset. In statione seuerius & intentius institisti: vigiliæ acerbius & diligentius circumitæ sunt: operis plus quàm antea fecisti, cùm ipse imperator & exactor circumires. Eodem die & iter fecisti, & in aciem ex itinere duxisti. Ne victorem quidem te acquiescere passus est, statim ad persequendos hostes duxit. Cùm te præda patienda locupletem facere posset, pecuniam regiam translaturus in triumpho est, & in ærarium laturus. Hæc sicut ad militum animos stimulandos aliquem aculeum habent, quia parum auaritiæ, parum auaritiæ suæ inseruitum censent: apud P. R. nihil valuissent, qui vt vetera atque audita à parentibus suis non repetat, quæ ambitione imperatorum clades acceptæ sint, quæ seueritate imperij victoriæ partæ: proximo certè Punico bello, quid inter M. Minutium Magistrum equitum, & Q. Fabium Maximum dictatorum interfuerit, meminit. Itaq; accusatoré id scire potuisse, & superuacaneam defensioné Pauli fuisse. Transeatur ad alteram concionem, nec Quirites vos, sed milites videor appellaturus, si nomen hoc saltem ruborem incutere, & verecundiam aliquam imperatoris violandi afferre possit. Equidem ipse aliter affectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quàm paulo ante eram cum ad plebé vrbanam spectabat oratio. Quid etiá dicitis milites? Aliquis est Romæ, præter Persea, qui triūphari de Macedonibus nolit: & eum non iisdem manibus discerpitis, quibus Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphantes vrbé inire prohibet. Erratis milites, si triumphum imperatoris tantum, & non militum quoque & vniuersi P.R. esse decus censetis. Non vnius hoc Pauli. Multi etiam qui ab senatu non impetrarūt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paulo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quàm C. Luctatio primi Punici belli, quam P. Cornelio secūdi, quam illis qui post eos triumphauerūt. Nec L. Paulum minorem aut maiorem imperatorem triumphus faciet: Militū magis in hoc vniuersique P.R. fama agitur: primū ne inuidiæ & ingrati animi aduersus clarissimum quemque ciuem opinionem habeat, & imitari in hoc populum Atheniensem lacerantem inuidiæ principes suo videatur. Satis peccatum in Camillo à maioribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum à Gallis vrbem violarūt. satis insuper vobis in P. Africano, Literni domiciliū & sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulcrum ostendi. Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paulus iniuria vestra exæquetur. Hæc igitur primū infamia deleatur, fœda apud alias gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Africani aut Pauli similis esse in ingrata & inimica bonis ciuitate velit? Si infamia nulla esset, & de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus nó

cōmunē in nominis Romani gloriam habet. Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœnis, ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani dicuntur. Quemadmodum non de Pyrrho modò, nec de Annibale, sed de Epirotis Carthaginiensibusque triumphi acti sunt: sic non M. Curius tantum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt. Militum quidem propria est caussa, qui & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt nisi insignes, triumphum nomine cient: suásque & imp. laudes canentes per vrbem incedūt. Si quādo nō deportati ex prouincia milites ad triumphum sint, fremunt: & tamen suū quoque se absentes, quod suis manib. parta victoria sit, triumphare credunt. Si quis vos interroget milites ad quam rem in Italiā deportati, & non statim confecta prouincia dimissi sitis, quid Romam frequentes sub signis veneris, quid moremini hic, & non diuersi domos quisque abeatis vestras: quid aliud respondeatis, quàm vos triumphantes videri velle? Vos certè victores cōspici velle debeatis. Triumphatum nuper de Philippo patre huius & de Antiocho est. ambo regnabant, cùm de his triumphatum est. De Perseo capto in vrbem cū liberis abducto non triumphabitur? Quod si in curru scandentes Capitolium auratos purpuratósque ex inferiore loco Lucius Paulus in turba togatorum vnus priuatus interroget: Luci Anici, Cn. octaui, virum vos digniores triumpho esse, an me censetis? currum ei cessuri, & præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri, & vos Gentium quàm Persea duci in triumphum mauultis Quirites, & de accessione potius belli quàm de bello triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatæ vrbem inibunt, & nauales socij Macedonicæ legiones suo abrogato triumphos alienos spectabunt? Quid deinde tam opimæ prædæ tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? Quoniam abdētur illa tot millia armorum detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quò signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia an noctu tanquam furtiua in ærarium deportabuntur? Quid illud spectaculū maximum? nobilissimus opulentissimúsque rex captus vbi victori populo ostenditur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus & Alexander filij regis, tanta nomina subtrahentur ciuitatis oculis? ipsum L. Paulum bis C O S. domitorem Græciæ, omnium oculi conspicere vrbem curru ingredientem auent. Ad hoc fecimus consulem, vt bellum per quadriennium ingenti etiam pudore nostro tractum perficeret: cui sortito prouinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis victoriam triumphumque destinauimus, ei victori triumphum negaturi? & quidem non homines tantum, sed deos etiam suo honore fraudaturi? diis quoque enim, non solum hominibus, debetur. Vtrum maiores vestri omnium magnarum rerum & principia exorsi ab diis sunt, * & finem eum statuerunt? Consul proficiscens prætorve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem in Capitolio triumphans, ad eosdem deos, quibus vota nuncupauit merita dona populi Romani traducit. Pars non minima triumphi est, victimæ precedentes, vt appareat diis grates agentem imperatorem ob rempub. bene gestam redire. Omnes illas victimas quas traducendas in triumpho iudicauit, alias alio cædente, mactate. illas quidem epulas senatus, quæ nec priuato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur: vtrum hominū voluptatis caussa, an deorum hominumq́; auctore Seruilio Galba turbaturi estis? L. Pauli triumpho portæ claudentur? rex Macedonum Perseus cum liberis & turba alia captiuorum, spolia Macedonum circa flumen relinquentur? L. Paulus priuatus tanquam rure rediens à porta domum ibit? Et tu centurio, miles, quid de imp. Paulo senatus decreuit? potius quàm quid Seruius Galba fabuletur, audi: & hoc dicere me potius quàm illum audi. Ille nihil præterquam loqui, & ipsum maledicè ac malignè didicit. Ego ter & vicies cum hoste per prouocationem pugnaui: ex omnibus cum quibus manum cōserui, spolia retuli, insigne corpus honestis cicatricibus omnibus aduerso corpore exceptis habeo. Nudasse deinde se dicitur, & quo quæque bello vulnera accepta essent, retulisse. Quæ dum ostendat, adapertis fortè quæ velanda erant, tumor inguinem proximis risum mouit, tum hoc quoque quod ridetis, inquit, in equo dies noctésque persequendo habeo: nec magis me eius quàm cicatricum harum pudet pœniterque: quando nunquam mihi impedimento ad rempub. bene gerendam domi militiæque fuit, Ego hoc ferro sæpe vexatum corpus vetus miles adolescentibus militibus ostendi. Galba nitens & integrum denudet. Reuocate, si videtur, tribuni ad suffragium tribus: ego ad vos milites

* *

summam omnis captiui auri argentique translati HS. millies ducenties fuisse: Valerius Antias tradit: quæ haud dubiè maior aliquanto sūma ex numero plaustrorum ponderibusq́; auri argenti generatim ab ipso scriptis efficitur. Alterum tantum aut in bellum proximum absumtum, aut in fuga cùm Samothracem peteret, dissipatum tradunt: eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniæ intra X X X. anno post bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis coaceruatum fuerat. itaque admodum inops pecuniæ Philippus Perseus contra prediues, bellare cum Romanis cœpit. Ipse postremo Paulus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa maiestatem præ se ferens, post currum inter alios illustres viros filij duo, Q. Maximus, & P. Scipio: deinde equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus. Pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti: tantum pediti daturum fuisse credunt, & pro rata aliis, si aut non refragati honori eius fuissent, aut benignè hac ipsa summa nuntiata acclamassent: Sed non Perseus tātum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per vrbem hostium ductus, sed etiam victor Paulus auro purpuráque fulgens. Nam duobus è filiis, quos duobus datis in adoptione, solos nominis sacrorum familiæque heredes retinuerat domi, minor fermè XII. annos natus, quinque diebus ante triumphum, maior XIII. annorum triduo post triumphum decessit, quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos prædestinantes triumphos oportuerat. Paucis post diebus data à M. Antonio tribuno plebis concione, cùm de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset, memorabilis eius oratio & digna Romano principe fuit: Quamquā & quàm feliciter Rempub. administrauerim, & quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint. non ignorare vos Quirites arbitror, cum spectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorū meorum fuerint: tamen paucis quæso sinatis me cum publica felicitate comparare, eo quo debeo animo priuatam meam fortunam. Profectus ex Italia eas-

lia classem à Brundusio sole orto solui: noua diei hora cum omnibus meis nauibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibusq;& classib. vestris lustra sacrificaui. A Delphis quinto die in castra perueni: vbi exercitu accepto, mutatis quibusdam, quæ magna impedimenta victoriæ erant, progressus, quia inexpugnabilia castra hostium erant, neque cogi pugnare poterat rex, inter præsidia eius saltum ad Petram euasi: & ad pugnam rege coacto acie vici: Macedoniam in potestatem populi Romani redegi. & quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt, vt semper successori traderent grauius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde secundarum rerum velut prouentus secutus, ciuitates omnes Macedoniæ se dediderunt, gaza regia in potestatem venit. rex ipse, tradentibus prope ipsis diis in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoque ipsi nimia iam fortuna mea videri, eóq; suspecta esse: Maris pericula timere cœpi in tanta pecunia regia in Italiam traiicienda, & victore exercitu transportando. Postquam omnia secundo nauium cursu in Italiam peruenerunt, neque erat quod vltra precarer, illud optaui, vt cùm ex summo retro volui fortuna consuesset mutationem eius domus mea potius quàm respublica sentiret. Itaque defunctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero, quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et cùm ego & Perseus nunc nobilia maximè sortis mortalium exempla spectemur, ille qui ante se captiuos captiuus ipse duci liberos vidit, incolumes tamé eos habet: ego qui de illo triumphaui, ab alterius funere filij curru ex Capitolio ad alterum prope iam exspirãtem veni: neque ex tanta stirpe liberum superest, qui Lucij Æmylij Pauli nomé ferat. Duos enim tãq̃ ex magna progenie liberorum in adoptionem datos Cornelia & Fabia gens habet, Pauli in domo præter se nemo superest. Sed hác cladé domus meę, vestra felicitas & secúda fortuna publica cósolatur. Hęc tanto dicta animo magis confudére audiendú animos, quàm si miserabiliter orbitatem suam deflendo locutus esset. Cn. Octauius Calend. Decembribus de rege Perseo naualem triumphum egit. Is triumphus sine captiuis fuit, sine spoliis. Dedit sociis naualibus in singulos denarios septuagenos quinque: gubernatoribus, qui in nauibus fuerant duplex, magistris nauium quadruplex. Senatus deinde habitus est, patres censuerunt vt Q. Cassius Persea regem cú Alexandro filio Albam in custodiam duceret, comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bitis regis Thracum filium cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Ceteros captiuos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies quàm hæc acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt, pecuniam ad redimendum filium aliósque obsides apportantes. Eis in senatum introductis, & idipsum argumenti prætendentibus orationis, non sua voluntate Cotyn bello iuuisse Persea, quod obsides dare coactus esset, orantibusque vt eos pretio quantum ipsi statuissent patres, redimi paterentur: responsum ex auctoritate senatus est P. R. meminisse amicitiæ, quæ cum Cotye maioribúsque eius & gente Thracum fuisset. obsides datos crimen non criminis defensionem esse, cum Thracum genti ne quietus quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Ceterum etsi Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ populi Romani magis quid se di-

A gnum esset, quàm quid merito eius fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum: Beneficia gratuita esse populi Romani, pretium eorú malle relinquere in accipientium animis, quàm pręsens exigere, Legati nominati. T. Quintius Flamininus, Cn. Licinius Nerua. M. Caninus Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent: & Thracibus munera data in singulos binum millium æris. Bitis cú ceteris obsidibus à Carseolis accersitus, ad patrem B cum legatis missus. Naues regiæ captæ de Macedonibus inusitatę ante magnitudinis in campo Martio subductæ sunt. Hærente adhuc non in animos modo, sed penè in oculis memoria Macedonici triumphi, L. Anicius Quirinalis triumphauit de rege Gentio Illyriisque. Similia omnia magis visa hominib. quàm paria: minor ipse imperator & nobilitate Anicius cum Æmylio, & iure imperij. prętor cum cos. collatus: non Gentius Perseo, non Illyrij Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniæ, non dona donis comparari poterant. itaque sicut pręfulC gebat huic triumphus recens, ita apparebat ipsum per se intuétibus nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies terra marique ferocem, locisque munitis fretam gentem Illyriorum: regem regiæque omnes stirpis ceperat transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliáque alia, & supellectilem regiam: auri pondo XX. & VII. argenti X. & IX. pondo: denarium tria millia & CXX. millia Illyrici argenti. Ante currum ducti Gentius D rex cum coniuge & liberis, & Carauantius frater regis, & aliquot nobiles Illyrij. De præda militibus in singulos quadragenos quinos denarios duplex centurioni, triplex equiti sociis nominis Latini quantum ciuibus & sociis naualibus dedit quantú militibus. Lętior húc triumphum est secutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus. HS. ducenties ex ea præda redactum esse auctor Antias, præter aurum argentúmque quod in ærarium sit laE tum: quod quia vnde redigi potuerit nó apparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis & coniuge & fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto ductus: ceteri captiui Romæ in carcerem coniecti. recusantibúsq; custodiam Spoletinis Igiturnium reges traducti. Reliquum ex Illyrico prædæ CCXX. lembi erant: de Gentio rege captos eos Corcyreis & Apolloniatibus & Dyrrachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit. COSS. eo anno agro tantum Ligurum populato cùm hostes exercitus nunquam eduxissent, nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt: F & primo comitiali die, Coss. crearunt, M. Claudium Marcellum, C. Sulpitium Gallum. deinde prætores postero die, L. Liuium, L. Apuleium, Saturnium, A. Licinium Neruam, P. Rutilium Caluum, P. Quintilium Varum, M. Fonteum. His prætoribus duæ vrbanæ prouinciæ sunt decretæ, duæ Hispaniæ Sicilia ac Sardinia. Inter Calatum eo anno postridie Terminalia Inter calares fuerunt. augur eo anno mortuus est C. Claudius: in eius locum augures legerút G T. Quintium Flaminium, & flamen Quirinalis mortuus M. Fabius Pictor. Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is magno comitatu vrbem ingressus, ad forum à porta tribunálque Q. Cassij prætoris perrexit: concursúque vndique facto, deos qui vrbem Romam incolerent, senatúmque & populum Romanum salutatum se dixit venisse: & gratulatum quod Persea Gentiúmque reges vicissent, Macedonibúsque & Illyriis in ditionem redactis auxissent imperium. Cùm prætor senatum ei si velit, eo die daturum dixisset, biduum

petiit, quò templa deum vrbemque & hoſpites a- A micoſque viſeret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio quęſtor, qui & Capuam ei obuiam miſſus fuerat: & ædes, quæ ipſum comiteſque eius benignè reciperent conductę. Tertio pòſt die ſenatũ adit, gratulatus victoriá eſt: merita ſua in eo bello commemorauit: petiit vt votum ſibi ſoluere Romæ in Capitolio X. maiores hoſtias, & Præneſte vnam Fortunæ liceret: ea vota pro victoria populi B Romani eſſe. Et vt ſocietas ſecum renouaretur: agérque ſibi de rege Antiocho captus quem nulli datum à populo Romano Galli poſſiderent, daretur. Filium poſtremo Nicomedem ſenatui commendauit. Omnium qui in Macedonia imperatores fuerant, fauore eſt adiutus. Itaque cetera quæ petebat conceſſa: de agro reſponſum eſt, legatos ad rẽ inſpiciendam miſſuros. Si ager P.R. fuiſſet, nec quiquam datus eſſet, digniſſimum eo dono Pruſiam habituros eſſe. Si autem Antiochi non fuiſſet, eo ne C populi quidem Romani factum apparere. aut ſi datus Gallis eſſet, ignoſcere Pruſiam debere, ſi ex nullius iniuria quicquam ei datum vellet P. R. Ne quod detur quidem gratum eſſe donum poſſe, quod eum quid det, vbi vellet ablaturum eſſe ſciat. Facilè Nicomedis commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tuen-

A tui P. R. documento Ptolemæum Ægypti regem eſſe. Cum hoc reſponſo Pruſias eſt dimiſſus. Munera ei ex ſeſtertiis iuſſa dari, & vaſorũ argẽteorũ pondo L. & filio regis Nicomedi ex ea ſumma munera dari cẽſuerũt, ex qua Maſgabæ filio regis Maſaniſſæ data eſſent, & vt victimæ aliáq; quæ ad ſacrificiũ pertinerent, ſeu Romæ ſeu Præneſte, immolare vellet, regi ex publico ſicut magiſtratibus Ro. præberẽtur: B &vt ex claſſe quæ Brũduſij eſſet, naues longę viginti aſſignarentur, quibus vteretur, donec ad claſſem dono datam ei rex perueniſſet, L. Cornelius Scipione ab eo abſcederet, ſumtúmq; ipſi & comitibus præberet, donec nauem conſcendiſſẽt. Mirè lętum, & ea benignitate in ſe populi Romani regem fuiſſe ferunt: munera ſibi ipſum emiſſe, filium iuſſiſſe donũ P.R. accipere. Hęc de Pruſia noſtri ſcriptores. Polybius eum regem indignum maieſtate nominis tanti tradit: Pileatum capite raſo obuiam iri legatis C ſolitum, libertúmque ſe populi Romani ferre, & ideo inſignia ordinis eius gerere. Romæ quoque cùm veniret in curiam, ſummiſſe ſe, & oſculo limen curiæ contigiſſe, & deos ſeruatores ſuos ſenatum appellaſſe: aliâmque orationem non tam honorificam audientibus, quàm ſibi deformem habuiſſe. Moratus circa vrbem XXX. haud amplius dies in regnum eſt profectus.

L·FLO-

L. FLORI IN RELIQVOS TITI LIVII LIBROS, QVI DESIDERANTVR, EPITOME

LIB. VI.

EVMENES Rex Romam venit: qui quia Macedonico bello se medium egerat: ne aut inimicus iudicatus videretur, si exclusus esset: aut liberatus crimine, si admitteretur: in comitio lex lata est, ne cuiquam regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus cos. alpinos Gallos. C. Sulpitius Gallus Ligures subegit. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene: quod fines suos depopularetur: dixeruntque eum conspi- B rasse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum deprecantibus Rhodiis iuncta est. Lustrum à censoribus conditum est. Censa eo sunt ciuiū capita CCCXXVII. millia. XXII. Princeps Senatus lectus M. AEmylius Lepidus. Ptolemæus AEgyptiorum rex à minore fratre è regno pulsus, missis ad eum legatis in regnum restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius eius Ariarathes accepit regnum, & amicitiam per legatos cum populo Rom. renouauit. C Res præterea aduersus Ligures, Corsos & Lusitanos vario euentu gestas, & motus Syriæ mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodū reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore eius Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat: clam quia minime dimittebatur à Romanis, interemit: & ipse in regnum receptus. L. AEmylius Paulus, qui Perseum vicerat, mortuus: cuius tanta abstinentia fuit: vt cum ex Hispania, & Macedonia maximas opes retulisset: D vix ex auctione bonorum eius redactum sit, vnde dos vxori eius redderetur. Pomptinæ paludes à Cornelio Cethego consule, cui ea prouincia euenerat, siccatæ, agérque ex iis factus.

LIB. VII. EPITOME.

CN. Tremellio trib. pleb. mulcta dicta est: quod cum M. AEmylio Lepido pontifice maximo iniuriose contenderat, sacrorum quoque magistratuū E ius potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum à censoribus conditum est, censa sunt ciuium capita CCCXXVIII. millia, CCCXIIII. Et princeps senatus lectus AEmylius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui dissidebant, fœdus ictum, vt alter in AEgypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociæ rex consilio Demetrij regis Syriæ, & viribus pulsus regno à senatu restitutus est. Missi à senatu le- A gati, qui inter Masanissam: & Carthaginienses de agro iudicarent. C. Martius cos. aduersum Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnauit, cum quibus bello confligendi caussa fuit, quod Illyricos populi Romani socios vastauerant, eandémque gentem Cornelius Nasica cos. domuit. Q. Opimius cos. transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolim & Nicæam vastabant, subegit. Præterea in Hispania à compluribus parum prosperè res gestas continet. Consules B anno quingentesimo XCVIII. ab vrbe condita magistratum, peractis comitiis insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia caussa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati ad disceptādum inter Masanissam, & Carthaginienses missi, nuntiauerunt, vim naualis materiæ se Carthagine deprehendisse. Quidam prætores à prouinciis auaritiæ nomine accusati & damnati sunt.

LIB. VIII. EPITOME.

LVstrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXIIII. millia. Semina tertij belli Punici referūtur. Cùm in finibus Carthaginiensium maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce Syphacis nepote, diceretur esse, M. Portius Cato suasit, vt Carthaginiē- D sibus, qui exercitum specie contra Masanissam rebus haberent, bellum indiceretur, contradicente P. Cornelio Nasica, placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur, quid ageretur. Castigato senatu Carthaginiensium, quod contra fœdus exercitum & nauales materias haberent, pacem inter Masanissam, & eos facere voluerunt: Masanissa agro, de quo lis erat, cedente: sed Gisgo Amilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, cum senatus pariturum se iudicio le- E gatorum dixisset, ita bellum aduersus Romanos suadendo concitauit, vt legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nunciantes infestū iam senatum Carthaginiensibus infestiorem fecerunt. M. Portius Cato funus morti filij in prætura tenuissimo, vt valuit (nam pauper erat) sumptu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti asseueratione mentiretur, Romam missus. M. AEmylius Lepidus qui princeps

senatus ab sextis iam censoribus erat lectus, ante- [A] quam exspiraret, praecepit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent in reliquum funus, ne plusquam aeris denis consumerent: imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere. De veneficiis quaesitum. Publilia, & Licinia nobiles foeminae, quae viros suos necasse insimulabantur, cognita caussa, cum praetori praedes, vadésque dedissent, cognatorum decreto necatae sunt. Gulussa Masanissae filius denuntiauit Carthagine delectus agi, classem cōparari, & haud dubium bellum strui. Cum Cato suaderet, vt iis [B] indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente nihil temerè faciendum placuit decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Posthumius Albinus coss. cum delectum seuere agerent, nec quenquam gratia dimitterent à tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non potuerant, in carcerem coniecti sunt. Hispaniense bellum cum parū prospere aliquoties gestum ita confudisset ciuitatem Romanam, vt ne ii quidem inuenirentur, [C] qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Aemylianus processit, & excepturum se militiae genus, quodcunque imperatum esset, professus est. quo exemplo ad militandi studium omnes incitauit. L. Lucullus cos. cui Claudius Marcellus successerat pacasse omnes Celtiberiae populos cum videretur: Vacceos, Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Aemylianus, L. Pauli filius, Africani ne- [D] pos, sed adoptiuus prouocatorem barbarum tribunus militum occidit, & in expugnatione captae vrbis maius multo etiam periculum adiit: nam murum primus omnium transcendit. Seruius Sulpitius Galba praetor male aduersus Lusitanos pugnauit. Cum legati ex Africa cum Carthaginensium oratoribus, & Gulussa Masanissae filio rediissent, dicerentque se & exercitum & classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententiam placuit, Catone & aliis principibus senatus suadentibus, vt in Africam confestim [E] transportaretur exercitus. Quia verò Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi iustam caussam belli videri placuit, vt bello desisteretur: si Carthaginenses classem exussissent, & exercitum dimisissent: si minus, proximi consules de bello Punico referrent. Cum locatum à censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus, ex S.C. destructum est: populúsque aliquandiu stans ludos spectauit. Carthaginenses, cum aduersum foedus bellum Masanissae [F] intulissent: victi ab eo nonagesimum secundum annum habente, & sine pulpamine mandere, & gustare cibum tantummodo solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

LIB. IX. EPITOME.

Tertii Punici belli initium altero & sexcentesimo anno ad vrbe condita: intra quintum annum quam erat coeptum, consummatum omni- [G] no est. Inter M. Portium Catonem, & Scipionem Nasicam, quorum alterum sapientissimum virum in ciuitate habebant: alter vir optimus à senatu iudicatus erat diuersis certatum est sententiis. Catone suadente bellum & vt omnino deleretur Carthago, Nasica dissuadente: Placuit nihilominus, eo quod contra foedus naues haberent, & extra fines exercitum duxissent: quódque socio populi Romani, & amico Masanissae arma intulissent, & quod filium eius Gulussam, qui cum legatis erat, in oppidum minime recepissent, bellum his indici. Priusquam vllae copiae in naues imponerentur, Vticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio veluti maximum boni omen grata patribus, acerba Carthaginensibus fuit. Diti patri ludi ad Tarentum ex praecepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno primo primi Punici belli quingentesimo & altero anno ab vrbe condita facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos Carthaginenses se dedebant. Catonis sententia peruicit, vt decreto perstaretur, & vt consules quamprimum proficiscerentur ad bellum. Qui vbi in Africam transierunt, acceptis, quos imperauerant, trecentis obsidibus, & armis omnibusque instrumentis belli, si qua Carthagine erant, tum cum ex auctoritate patrum iuberent vt in alio loco procul mari decem millia passuum, nec minus remoto, oppidum facerent indignitate rei ad bellandum Carthaginenses compulerunt. Obsideri, oppugnarique coepta est Carthago à L. Marcio, M. Manlio consulibus. In qua oppugnatione, cum neglectos ab vna parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis grauiter caederentur: à Scipione Africano expliciti sunt. Per quem & castellum Romanum, quod nocte oppugnabant, paucis equitibus iuuantibus liberatum est, castrisque quae Carthaginenses omnibus copiis pariter ab vrbe egressi oppugnabant, liberatis praecipuam gloriam tulit. Praeterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis cos. (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum ducere aduersus Asdrubalem vellet: qui cum altera manu iniquum saltum insederat: suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. victus deinde complurium, qui & prudentiae eius, & virtuti inuidebant, sententiis & ipse saltum ingressus est. Cúmque sicut praedixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus: & duae cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reuersus liberauit eas & incolumes reduxit. Quam virtutem eius & Cato vir promptioris ad vituperandum linguae in senatu sic persecutus est, vt diceret: reliquos, qui in Africa militarent vmbras militare, Scipionem vigere: & populus Romanus eo fauore illum complexus est, vt comitiis compluribus tribus consulem scriberent, cum hoc per aetatem minime liceret. Cum L. Scribonius tribunus pleb. rogationem promulgasset, vt Lusitani, qui ex foedere populo Romano dediti à Sergio Galba in Galliam venissent, in libertatē restituerentur, M. Cato acerrime suasit, exstat oratio in annalibus eius inclusa. Q. Fuluius Nobilior etiam ab eo in senatu laceratus respōdit pro Galba, ipse quoque Galba cum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos, & filiū Caii Sulpitii, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, vt rogatio antiquaretur. Exstant tres orationes eius, duae aduersum Libonē trib. pleb. rogationémque eius habitae de Lusitanis, vna contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos prope se castra habentes caesos fatetur, quod compertū habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis per speciē pacis adoriri exercitū suū in animo habuisse. Andriscus quidā vltimae sortis homo Persei regis se filiū ferens, & mutato nomine Philippus vocatus cum ab vrbe Roma quo illum Demetrius Syriae rex ob hoc ipsum mendaciū miserat, clam profugisset multis ad falsam eius fabulam velut ad veram coeuntibus contracto

tracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupauit. Fabulam autem huiusmodi finxerat. Ex pellice se Perseo rege ortum, traditum educandum Cyrthesæ cuidam esse, vt in belli casus, quod ille cum Romanis gereret, aliquid velut semen stirpis regiæ exstaret. Perseo demortuo, Adramitti se educatum vsque ad duodecimum annum ætatis: patrem eum esse credentem, à quo educaretur, ignarum generis fuisse sui: affecto deinde eo, cum prope vitæ finem vltimũ esset, detectam tandem sibi originem suam, falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum quem sibi traderet, cum ad puberem ætatem venisset, obtestationésque vltimas adiectas vt res in occulto ad id tempus seruaretur, pubescenti libellum tradidit, in quo relicti sibi duo thesauri à patre dicerentur. tum scientem mulierem subditiuum se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus, atque obtestatam, vt prius quam ad Eumenem manaret res, Persei inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur: eo se exterritum, simul, sperantem aliquot auxilium à Demetrio, in Syriam se contulisse, atque ibi primum quis ipse omnino esset, palam exprimere ausum.

LIB. X. EPITOME.

Thessalia, cum & illam inuadere armis, atque occupare Pseudophilippus vellet: per Romanorum legatos auxiliis Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ omnium humiliorum fautor, atque vitiorum, à Nicomede filio, adiuuante Attalo rege Pergami occisus est. Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse vnum os continens dicitur. Cum legatos ad pacem inter Nicomedem & Prusiam faciendam Romani misissent; & vnus ex iis caput multis cicatricibus sparsum haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur, dixit Cato: eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria quæ eo tempore ex stirpe generis Persei regis Macedonum inertia socordiáque similem Prusiæ regem habebat: iacente eo in ganeo & lustris Ammonius regnabat, & per quem & amici omnes regis, & Laodice regina, & Antigonus Demetrij filius, occisi. Masanissa Numidiæ rex maior nonaginta annis vir insignis decessit. Inter cetera opera iuuenilia, quæ ad vltimum edidit: adeo etiam versus in senectam viguit, vt post sextum & octogesimum annum genuerit vnum filium. Inter tres liberos, maximum natu Micipsam, Gulussam, & Manastabalem. qui etiam Græcis literis erat eruditus, P. Scipio AEmylianus cum commune eis pater regnum reliquisset, & diuidere eos arbitrio Scipionis iussisset. administrationem regni diuisit. Item Phameæ Himilcanis præfecto equitum Carthaginiẽsium viro forti, & cuius opera præcipua Pœni vtebantur, suasit, cum equitatu suo ad Romanos transire. Trium legatorum, qui ad Masanissam missi fuerant, Claudius Marcellus coorta tempestate fluctibus obrutus est. Carthaginienses Asdrubalem Masanissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia interemerunt, quæ suspicio inde emanauit, quòd propinquus esset Gulussæ, auxilia Romanorum iuuantis. P. Scipio AEmylianus cum ædilitatem peteret, consul à populo dictus, quoniam per decem annos consulem fieri minime licebat, cum maximo certamine suffragantibus plebeiis, & repugnantibus aliquantum patribus, legibus solutus, & cos. creatus est. M. AEmylius nonnullas vrbes circumpositas Carthagini expugnauit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu M. Iuuentio prætore à Q. Cæcilio victus, captúsque est, relicta Macedonia.

DECADIS VI. LIB. I. EPITOME.

Carthago viginti tria millia quidem passuum in circuitu labore maximo obsessa. & per partes capta est, primum à Mancino legato, deinde à Scipione consule cui extra sortem prouincia Africa data est. Carthaginienses portu nouo quia vetus à Scipione erat obstructus, facto, & cõtracta exiguo tempore ampla classe, nauali prælio infeliciter pugnauerunt. Asdrubalis quoque eorum ducis castra ad Nepherim oppidum loco difficillimo sita, cum exercitu deleta sunt à Scipione, qui tandem vrbẽ expugnauit septingẽtesimo anno, quam erat condita. spoliorum maior pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Vltimos vrbis excidio cum se Asdrubal Scipioni dedisset: vxor eius, quæ paucis antè diebus de marito minime impetrare potuerat, vt ad victorem trãsfugeret, se flagrantis in medium vrbis incendium duobus cum liberis ex arce præcipitauit. Scipio extemplo patris sui AEmylij Pauli qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugas, atque fugitiuos bestiis obiecit. Belli Achaici semina referuntur hæc: Qui legati populi Romani ab Achaicis pulsati sunt, Corinthum missi erant, vt eas ciuitates quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

LIB. II. EPITOME.

Cvm Achæis, qui in auxilium Bœotos, & Chalcidenses habebant, Qu. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit, quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem consciuit, cuius locum Diæus Achaici motus primus auctor ab Achæis dux creatus, ad Isthmon à L. Mummio consule victus est: qui, omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex S.C. diruit, quia ibi legati Romanorum violati erant. Thebæ quoque, & Chalcis quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L. Mummius se abstinentissimum virum egit, nec quicquam ex iis opibus ornamentísque, quæ prædiues Corinthus habuit, in domum eius peruenit. Qu. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphauit. P. Cornelius Scipio Africanus AEmylianus de Carthagine & Asdrubale. Viriatus primum in Hispania ex pastore venator, & ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, vniuersam Lusitaniam occupauit, M. Vetilium prætorem fuso eius exercitu, cepit. Post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit, tãtúmque terrorẽ is hostis intulit, vt aduersus eum consulari opus esset & duce & exercitu. Præterea motus Syriæ, & bella inter reges gesta referuntur. Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. Hunc Demetrius, Demetrij filius, qui à patre quodã ob incertos belli casus ablegatus in Gnidon fuerat, cõtẽta

socordia inertiáque eius, adiuuante Ptolemæo Ægypti rege. cuius filiam Cleopatrã acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput grauiter vulneratus, inter curationem dum ossa medici terebrare contendunt, exspirauit: : atque in locum eius frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, à Diodoro quodam vno ex subiectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum afferebat, bello superatus, Seleuciam fugit. L. Mummius de Achæis triumphauit. signa ærea, marmoreáq., & tabulas pictas in triumpho tulit.

LIB. III. EPITOME.

AP. Claudius Cos. Salassos, gentem alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia à L. Tremelio quæstore cum exercitu cæsus est. Qu. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit, à Qu. Fabio proconsule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis multis vrbibus recepta est. C. Iulius senator Græcè res Romanas scripsit.

LIB. IV. EPITOME.

QVintus Pompeius Cos. in Hispania Termestinos subegit, cum eisdem quidem & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit: Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCCXXVIII. millia, CCCXLII. Cum Macedonum legati conquestũ venissent de D. Iunio Syllano prætore, quod acceptis pecuniis prouinciam spoliasset, & senatus de querelis eorum vellet cognoscere: T. Manlius Torquatus, Syllani pater, petiit, impetrauitque, vt sibi huiusmodi cognitio mãdaretur, & domi caussa cognita, filiũ condamnauit, abdicauitque, ac ne funeri quidem eius, cum suspendio vitã finisset interfuit: sedénsque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul, rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus à proditoribus cõsilio Seruilij Cepionis interemtus est, & ab exercitu eius multum imploratus, ac nobilissime tumulatus, vir duxque maximus per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

LIB. V. EPITOME

PVblio Cornelio Nasica cui cognomen Scipioni fuit, ab irridẽte Curiatio tribuno plebis impositum, & D. Iunio Bruto Coss. delectum habentibus in conspectu tyronum res saluberrimi exempli facta est. nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo venijt. Tribuni plebis, quia non impetrarent, vt sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem mitti iusserunt. Iunius Brutus cos. in Hispania iis, qui sub Viriato militauerant, agros, oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popilius à Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam fieri censuerat, cum exercitu fusus fugatusque. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cauea euolauerunt, conscendenti deinde in nauim, vt in Hispaniam proficisceretur. accidit audiri: mane mane Mãcine, Mancino auspicia tristia fuisse probatum est. Victus enim à Numantinis, & castris exutus, cùm spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum eis fecit, ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum à Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Iunius Lusitaniam vrbium expugnationibus vsque ad Oceanum perdomuit: & cum fluuium Obliuionem transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit, & sic vt transgrederentur milites persuasit, Alexandri filius rex Syriæ, decem annos admodum bene habens, à Diodoro, qui Triphon cognominabatur, tutore suo per fraudẽ occisus est: corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.

LIB. VI. EPITOME.

D. Iunius Brutus in vlteriore Hispania feliciter aduersus Gallæcios pugnauit, dissimili euentu M. Æmylius Lepidus proconsul aduersus Vacceos rem gessit, cladémque similem Numantinæ passus est. Ad exsoluendum Numantini fœderis religione populum Mancinus, cum huius rei auctor fuisset, deditus Numantinis minimè est receptus. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXIII. millia. Fuluius Flaccus cos. Vardæos in Illyrico subegit. M. Cosconius prætor in Thracia cum Scordiscis prospere prospere pugnauit. Cum vitio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret: delatus est vltro Scipioni Africano à senatu, populoque Romano cõsulatus, quem cum ille capere ob legẽ, quæ vetabat quenquam intra decem annos iterum consulem fieri licere, minime vellet, sicubi priori consulatu legibus solutus est. Bellum seruile in Sicilia ortum, cũ opprimi à prætoribus minime valuisset, C. Fuluio consuli mãdatum est. cuius belli initium fuit Eunus seruus, natione Syrus qui contracta agrestium seruorum manu, & solutis ergastulis, iusti exercitus numerum impleuit. Cleõ quoque alter seruus ad LXX. millia seruorum contraxit, & copiis iunctis contra populum Romanum, exercitumque eius bellum sæpenumero gesserunt.

LIB. VII. EPITOME

SCipio Africanus Numantiam obsedit, & corruptum licentia luxuriáque exercitum ad generosissimam militiæ disciplinam reuocauit: omnia enim deliciarum instrumenta recidit, duo millia scortorum à castris resecit, militem omni die in opere habuit, & triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat, ægrè propter onus incedenti, dicebat cum gladio te vallare scieris, vallum ferre desinito. Alij nimirum parum habiliter scutum ferenti eum scutum amplius iusto ferre iussit, neque id se reprehendere quoniam melius scuto, quàm gladio vteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, virgis cecidit. Iumenta quidẽ omnia, ne exonerarent milites, vendidit. Multoties cõtra hostium eruptiones feliciter pugnauit. Vaccei obsessi, liberis & coniugibus trucidatis: ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syriæ missa, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit: : eáque omnia referre quæstorem in publicas tabulas iussit, ex iis viris fortibus munera redaturum. Cum vndique numã-

etiam obsidione clausisset, & oppressos fame videret A vrgeri, hostes qui pabulatum exierāt, vetuit interimi, quod diceret, velocius eos absumturos frumentum, quod haberent, si plures quidem fuissent.

LIB. VII. EPITOME.

Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum agrariam legem ferret aduersus voluntatem senatus, & equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus quam decem iugera possideret, in eum fu- B rorem exarsit, vt M. Octauio collegæ caussam diuersæ partis defendenti potestatem lege lata abrogaret, seque & fratrem Gracchum, & Ap. Claudium socerum triumuiros ad diuidundum agrum crearet. Promulgauit & aliam legem agrariam: qua si quis latius agrum patefaceret, vt iidem omnino triumuiri iudicarent, qua publicus ager, qua priuatus esset: deinde cum minus agri esset, quàm quod diuidi posset, sine offensa etiam plebis, quo- C niam eos ad cupiditatem amplam modo sperandi incitauerat, legem se promulgaturum ostendit, ob id, vt iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali, fuisset, diuideretur. Heredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignationibus cōmotus grauiter senatus, ante omnes C. Antonius Cos. qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatúsque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. D Cùm iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio à primatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorū, & inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus est in flumen proiectus. Res præterea in Sicilia vario euētu aduersum fugitiuos gestas continet.

LIB. IX. EPITOME.

E Numantini fame maximè coacti, ipsi se per vices trucidauerunt. Captam vrbem vrbem Scipio Africanus deleuit, & de ea triumphauit: quarto decimo anno post Carthaginem deletam. P. Attilius cos. in Sicilia cum fugitiuis debellauit. Aristonicus, regis Eumenis filius Asiam occupauit, cum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet. Aduersus eum P. Licinius Crassus cos. cum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiā profectus, prælio victus, & interemtus est, M. Perpenna cos. victum Aristonicū F in deditionem accepit. Q. Pompeius, & Q. Metellus tunc primum vterque ex plebe censores facti. Lustrum à censoribus est conditum. Censa sunt capita, CCCXIII. millia, DCCCXXIII. præter pupillos & viduas. Q. Metellus censor censuit, vt ducere vxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum caussa. exstat oratio eius, quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tēpore scriptam in senatu recitauit. C. At- G tinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorē a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo deiici iussit, quod ne fieret, ceteri tribuni plebis auxilio quàm maxime fuerūt. Cū Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, vt eundem tribunū plebis quoties quidē vellet, creari liceret, rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit: in qua dixit. T. Gracchum iure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit. Bello inter Antiochum regem Syriæ, & Phraatem Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res AEgypti referuntur. Ptolemæus Euergetes cognominatus, ob nimiam eius crudelitatē suis inuisus, incensa à populo regia clam in Cyprum profugit, & cum sorori eius Cleopatræ, quam eius virgine filia per vim compressa, & in matrimonium ducta, repudiauerat, regnum à populo datum esset, infensus filium, quem ex illa habebat, in Cypro occidit, caputque eius, & manus, & pedes matri misit. Seditiones à triūuiris Fuluio Flacco, C. Graccho, & C. Carbone de agro diuidūdo creatis excitatæ, quibus cum P. Scipio Africanus aduersaretur, fortisque ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inuētus est. Suspecta fuit, tanquam venenum ei dedisset Sempronia vxor: hinc maximè, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat: de morte tamen eius nulla quæstio acta, quo defūcto, seditiones triumuirales acrius exarserunt. C. Sempronius cos. contra Iapidas primo rem malè gessit, mox victoria cladem acceptam emēdauit, virtute C. Iunij Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat.

LIB. X. EPITOME.

AVrelius cos. Sardos subegit. Fuluius Flaccus primus omnium transalpinos Ligores bello domuit: missus in auxilium Massiliēsibus aduersus Falanos Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. L. Opimius prætor Fregellanos. qui defecerant in deditionem accepit, Fregellas diruit. Pestilentia in Africa à maxima multitudine locustarum, & deinde necatarum strage fuisse traditur. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXC. millia, DCCCXXXVI. C. Gracchus, Tiberij frater, tribunus plebis eloquentior quàm frater perniciosas aliquas leges tulit, inter quas frumētariam vt semisse & triente frumētum plebi daretur: alteram legem agrariam, quā frater eius tulerat, tertiam qua equestrem ordinem cum senatu consentiētem corruperat, vt sexcenti equitibus in curiam sublegerentur, & quia illis temporibus trecēti senatores erant, sexcenti equites vt trecentis senatoribus admiscerentur, id est, vt equester ordo bis tantū virium in senatu haberent, & continuato in alterū annū tribunatu, legibus agrarijs latis effecit, vt cōplures coloniæ in Italia deducerentur, & vna in solo dirutæ Carthaginis, quo ipse triumuir creatus coloniam deduxit. Præterea res à Qu. Metello consule aduersus Baleares gestas continet, quas Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant. Baleares à teli missu appellati, vel à Baleo Herculis comite ibi relicto tunc, cum Hercules ad Geryonem nauigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suum, & Seleucum filium, multū indignata, quod occiso patres eius à se, iniussu suo diadema sumsisset, interemit.

DECADIS VII. LIB. I. EPITOME.

CAIVS Sextius proconsul victa Saluiorū gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ab aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus, atque à nomine suo ita appellatas. Cn. Comitius proconsul contra Allobroges ad Oppidum

Vindalium multum feliciter pugnauit. Quibus A *bellum inferendi caussa fuit, quod Teutomalium Salumorũ regem fugientem recepissent, & omni ope iuuissent, quodque Heduorum agros sociorum populi Romani vastauissent. C.Gracchus seditioso tribunatu acto, cum Auentinum armata quoque multitudine occupauisset, à L.Opimio consule, ex S.C. vocato ad arma populo, pulsus, interemtus est, & cum eo Fuluius Flaccus socius eiusdem. Qu. Fabius Maximus cos. Pauli nepos aduersus Allobroges, & Bituitum Aruernorum regem feliciter pugnauit. Ex Bituiti exercitu caesa millia ho-* B *minum centum viginti, & cum ipse ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albae custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, vt in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, vt Congentiatus filius eius, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. Lucius Opimius accusatus apud populum à Quinto Decio tribuno plebis, quod indemnatos ciues in carcerem coniecisset, liberatus est.*

LIB. II. EPITOME.

CN. Marcius cos. Sarnios gentem Alpinam expugnauit. Micipsa Numidarum rex mortuus, regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hyempsali, & Iugurthae fratris filio, quem in filium adoptauerat. L. Caecilius Metellus Dalmatas obsedit. Iugurtha Hyempsalem fratrem bello petijt, quem victum interemit: Adherbalem regno expu- D *lit, qui à senatu restitutus est. L. Caecilius Metellus, Cn. Domitius AEnobarbus censores, duos & triginta senatu amouerunt. Praeterea motus Syriae regum continet.*

LIB. III. EPITOME.

CAto Porcius cos. in Thracia male aduersus Scordiscos pugnauit. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita E CCCXCIIII. *millia* CCCXXXVI. *AEmylia, Licinia, & Marcia virgines Vestales incesti damnatae sunt. idque incestum quemadmodum commissum, deprehensum, & vindicatum sit, refertur. Cimbri gens vaga populabundi in Illyricum venerunt, ab iis Papyrius Carbo Cos. cum exercitu fusus est. Liuius Drusus consul aduersus Scordiscos gentem à Gallis oriundam in Thracia feliciter pugnauit, magnúmque honorem tulit.*

F

LIB. IV. EPITOME.

ADherbal bello petitus à Iugurtha, & in oppido Cirtha obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Iugurthae bellum indictum, idque etiam Calpurnius Bestia cos. gerere iussus. pacem cum Iugurtha iniussu populi & senatus fecit. Iugurtha fide publica euocatus ad indicandos consiliorum auctores, quod multos pe- G *cunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit & propter caedē admissam in regulum quendam nomine Massiuam, qui regnum eius populo Romano inuisi appetebat, interfectum, Roma cum periclitaretur, caussam capitis dicere iussus clam profugit, & discedens vrbe fertur dixisse: O vrbem venalē, & cito perituram, si emtorē inuenerit. A. Posthumius legatus infeliciter praelio aduersus Iugurthā gesto cōflixit, pacémque etiā multū ignominiosam adiecit, quam quidem minimè esse seruandam senatus censuit.*

LIB. V. EPITOME.

Q. Caecilius Metellus cos. duobus praeliis Iugurthā fudit, & vniuersam Numidiā vastauit. M. Iunius Syllanus cos. aduersū Cimbros infeliciter pugnauit, legatis Cimbrorum sedē & agros, in quibus considerent, postulantibus senatus negauit. M. Minutius proconsul contra Thracas feliciter quidem pugnauit. L. Cassius cos. à Tigurinis Gallis pago Heluetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est, milites qui ex ea clade superauerant, obsidibus datis & dimidia rerum omniū parte, vt incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

LIB. VI. EPITOME.

C *IVgurtha pulsus à C.Mario ex Numidia, auxilio Bocchi Maurorum regis adiutus est, & caesis praelio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptū diutius sustinere, vinctus ab eo & traditus Mario est, in qua re praecipua opera L. Cornelij Syllae, quaestoris Marij fuit.*

LIB. VII. EPITOME.

AVrelius Scaurus legatus consulis à Cimbris fuso exercitu, captus est: & cum in consilium ab iis euocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci minime posse, à Bolo rege feroce iuuene occisus est. Ab iisdem hostibus C. Manlius, & Q. Seruilius Cepio proconsules victi praelio castrisque binis exuti sunt: octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani iussionem Cepionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primoque post regem Tarquinium imperium ei abrogatum. In triumpho C. Marij ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filijs, & in carcere necatus. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat, eique propter Cimbrici belli metum continuatus per cōplures annos magistratus est: consulatu secundo & tertio absens cos. creatus, quartum consulatū dissimulāter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus, populi suffragio creatus. Cimbri, vastatis omnibus, quae circa Rhodanum & Pyrenaeum sunt, per saltum in Hispaniā transgressi: ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati sunt, reuersique in Galliam bellicosis quidem se Teutonis coniunxerūt.

LIB. VIII. EPITOME.

ANtonius praetor in Sicilia maritimos praedones persecutus est. C. Marius cos. summa vi oppugnata à Teutonis & Ambronibus castra defendit: duobus deinde praeliis circa Aquas Sextias eos hostes deleuit, in quibus caesa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintùm cos. creatus est triumphum oblatū, donec Cimbros vinceret, distulit. Cimbri repulsi ab alpibus fugatóque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editum insederat reliquerát quae, vbi virtute sua explicata fugientem proconsulem, exercitúmque prosecuti in Italiam traiecissent, iunctis

[illegible] eiusdem Carnis & C. Marij exercitibus, A prælio victi sunt ab eis, in quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius ciuitatis consensu receptus, pro duobus triumphis qui offerebantur, vno contentus fuit. Primores ciuitatis, qui aliquantulum [illegible] vt nouo homini ad tantos honores euecto, inuiderant, conseruatam ab eo Rempublicam fatebantur. P. Malleolus matre interempta, primus omnium insutus culleo in mare præcipitatus est. Ancylia cum strepitu mota esse antequam Cimbricũ bellum consummaretur, refe- B runtur. Bella præterea [illegible] Syriæ regũ gesta cõtinet.

LIB. IX. EPITOME.

CN. Apuleius Saturninus adiuuante C. Mario, & per milites occiso A. Nunnio competitore, tribunus plebis per vim creatus non minus violenter tribunatum, quàm petierat, gessit. Et cùm legem Agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quòd in eam nonnne iurasset, diem dixit: qui C cùm a bonis ciuibus defenderetur, ne caussa malorum certaminum esset, in voluntarium exsilium Rhodum profectus est, ibique legendo & audiendo magnis viris vacabat. Profecto, C. Marius seditionis auctor, qui sextum quidem consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aquâ & igni interdixit. Idem Apuleius Saturninus tribunus plebis C. Memmium candidatum consulatus petitorem, quem maximè aduersarium actionibus suis timebat, interemit. Quibus rebus concitato quamplu- D rimum senatu in eius caussam, & C. Marius homo mutabilis & varij consilij ingenijque, qui semper secundam fortunam transierat, cùm eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia prætore, & aliis eiusdem furoris sociis à Rabirio quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exsilio ingenti totius fauore ciuitatis reductus est. M. Aquilius consul in Sicilia bellum seruile concitatum confecit.

LIB. X. EPITOME.

CUm M. Aquilius de pecuniis repetundis caussã diceret, ipse rogare iudices noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam à pectore eius discidit, vt honestas cicatrices ostenderet, quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero eius rei solus auctor. Didius proconsul aduersum Celtiberos feliciter pugnauit. Ptolemæus Cyrenarum F Rex cui cognomentum Apionis fuit, mortuus hæredem populum Romanum reliquit, & eius regni ciuitates senatus liberas esse iussit. Ariobarzanes in regnum Capadociæ à L. Cornelio Sylla reductus est. Parthorum legati à rege Arsace missi ad Syllam venerunt, vt amicitiam à populo Romano peterent. P. Rutilius vir summæ innocentiæ, qui legatus C. Marij proconsulis à publicanorum iniuriis Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exsilium G missus est. C. Geminius prætor contra Thracas infeliciter pugnauit. Senatus cum impotentiam equestris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni viniti cœpit, vt ad se iudicia transferrentur, sustinente caussam eius M. Liuio Druso tribuno plebis, qui vt vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionis plebem concitauit. Præterea motus Syriæ regum continet.

DECADIS VIII. LIB. I. EPITOME.

MArcus Liuius Drusus tribunus plebis vt maioribus viribus senatus caussam susceptã tueretur, socios & Italicos populos, spe ciuitatis Romanæ solicitauit: iisque adiuuantibus per vim legibus agrariis frumẽtariisque latis, legem quoque iudiciale tulit, vt æqua parte iudicia penes senatũ, & equestrem ordinẽ essent. Cum deinde promissa sociis ciuitas præstari non posset: irati Italici defectionem cœperunt agitare: eorum coitus, coniurationes, orationésque in consiliis principum referuntur, propter quæ Liuius Drusus etiam senatui inuisus factus, velut socialis belli autor, incertum à quo, domi occisus est.

LIB. II. EPITOME.

ITalici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites: initio belli à Picentibus moto. Qu. Seruilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est: saga populus sumpsit. Seruius Galba à Lucanis comprehensus, vnius fœminæ opera, ad quam diuertebatur, captiuitate exemptus est. Esernia, & Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia deinum Latini nominis, externarumque gentium missa populo Ro. & expeditiones inuicem, vrbiúmque expugnationes referuntur.

LIB. III. EPITOME.

L. Cæsar cos. male aduersus Samnites pugnauit. E Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Posthumio prætore venit, qui ab iis interemptus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Cum P. Rutilius cos. parum prospere contra Marsos pugnasset, & in prælio cecidisset, L. Marius legatus eius meliore quidem euentu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpicius Pelignos fudit. Qu. Cepio legatus Rutilij cum obsessus prospere in hostes erupisset, & ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus, & circumuentus insidiis, fuso exercitu, cecidit. L. Cæsar cos. feliciter contra Samnites pugnauit, ob eam victoriam Romæ saga posita sunt, & vt varia belli fortunæ esset, Esernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed & C. Marius prælio Marsos fudit: Hirnio Asinio prætore Marrucinorum occiso, C. Cæcilius in Gallia Transalpina Saluios rebellantes vicit.

LIB. IV. EPITOME.

CN. Pompeius Picentes prælio fudit, & obsedit, propter quam victoriam Romæ prætexta, aliáque magistratuum ornamenta & insignia sumta sunt. C. Marius cum Marsis dubio euentu pugnauit. Libertini tum primum militare cœperunt. A. Plotius legatus Vmbros, L. Portius prætor Marsos, cùm vterque populus defecisset, prælio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt. Cn. Pompeius cos. Marsos acie

vicit. Cùm are alieno oppressa esset ciuitas; A. Sempronius Asellus prætor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationésque continet.

LIB. V. EPITOME.

A. Posthumius Albinus legatus in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpitius legatus, cum classi præesset, infamis crimine proditionis ab exercitu suo interfectus. B *L. Cornelius Sylla legatus Samnites prælio vicit, & bina castra eorum expugnauit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Portius cos. rebus prosperè gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Ea res hostibus victoriam eius prælij dedit. C. Cosconius, & Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem occiderunt, complurâque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sylla Hirpinos domuit* C *Samnites multis præliis fudit, aliquot populos recepit, quantisque raro quisquam ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatum Romam est profectus.*

LIB. VI. EPITOME.

A. Gabinius legatus, rebus aduersum Lucanos prospere gestis, multis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit, Sulpitius legatus Marrucinos cecidit, vniuersamque eam regionem recepit. D *Cn. Pompeius proconsul Vestinos & Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque à L. Murena, & Cæcilio Pinna legatis aliquot præliis fracti pacem petierunt. Asculum à C. Pompeio captum est, cæsis à Mamerco AEmylio legati Italicis. Silo Popedius, dux Marsorum, auctor huius rei in prælio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno à Mithridate Ponti rege* E *pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationésque continet.*

LIB. VII. EPITOME.

CVm P. Sulpitius tribunus plebis auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, vt exules reuocarentur, & noui ciues libertinique distribuerentur in tribus, & vt Marius aduersus Mithridatem Ponti regem dux crearetur: F *& aduersantibus coss. Qu. Pompeio, & L. Syllæ vim intulisset occisóque Pompeij consulis filio, genero Syllæ: L. Sylla consul cum exercitu in vrbem venit, & aduersus factionem Sulpitij & Marij in ipsa vrbe pugnauit; eáque expulit, ex qua duodecim à senatu hostes, inter quos C. Marius pater & filius iudicati sunt. P. Sulpitius cum in quadam villa lateret: indicio serui sui retractus & occisus est seruus, vt* G *præmium promissi indicij haberet, manumissus est: & ob scelus domini proditi de saxo deiectus est. C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater, cum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis; & cum ad occidendum eum missus seruus natione Gallus maiestate tanti viri perterritus recessisset: impositus publicè in nauim delatus est in Africam. L. Sylla ciuitatis statum ordinauit: exinde colonias deduxit. Qu. Pompeius cos. ad capiendum à Cn. Pompeio pro-*

consule exercitum profectus, consilio eius occisus est. Mithridates Ponti rex Bithynia & Cappadocia occupatis, & pulso Aquilio legato, Phrygiam prouinciam populi Romani cum ingenti exercitu intrat.

LIB. VIII. EPITOME.

MIthridates Asiam occupauit: Qu. Oppium proconsulem, item Aquilium legatum in vincula coniecit: iussúque eius quicquid ciuium Romanorum in Asia fuit, vno die trucidatum est, vrbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat oppugnauit: & aliquot præliis naualibus victus recessit. Archelaus præfectus regis in Græciam cum exercitu venit, Athenas occupauit. Præterea trepidationem vrbium, insularúmque aliis ad Mithridatem, aliis ad populũ Rom. ciuitates suas trahentibus continet.

LIB. IX. EPITOME.

COrnelius Cinna cum perniciosas leges per vim ferret: pulsus vrbe à Cn. Octauio collega cum Sextio tribuno plebis imperióque ei abrogatos, corruptum Ap. Claudij exercitum in potestatem suam redegit, & bellum vrbi intulit, accersito Cn. Mario cùm aliis exulibus ex Africa. in quo bello duo fratres, alter ex Pompeij exercitu, alter ex Cinnæ ignorantes concurrerunt, & cum victor mortuum spoliaret, agnito fratre ingenti lamentatione edita rogo ei extructo ipse supra rogum se transfodit, & eodem igni consumtus est. Et cum opprimi inter initia potuisset, Cn. Pompeij fraude, qui vtranque partem fouendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, & cosulis segnitie, confirmati Cinna & Marius quatuor exercitibus, quorum duo Qu. Sertorio, & Carboni dati sunt, vrbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnauit, & crudeliter diripuit.

LIB. X. EPITOME.

ITalicis populis à senatu ciuitas data est. Samnites, qui soli arma recipiebant, Cinnæ & Mario se coniunxerunt. ab iis Plautius cum exercitu cæsus est. Cinna & Marius cum Carbone & Sertorio Ianiculum occupauerunt, & fugati ab Octauio consule recesserunt. Marius Antium quidem & Ariciam & Lauinium colonias deuastauit. Cum nulla omnino spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem & perfidiam & ducum & militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diuersas partes transibant: Cinna & Marius in vrbem recepti sunt, qui velut captam eam cædibus & rapinis vastarunt. Cn. Octauio consule occiso, & omnibus aduersæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquantissimo viro, & C. Cæsare, quorum capita in rostris posita sunt, Crassi filius ab equitibus Fimbriæ interemptus: pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit: Et citra vlla comitia consules in sequentem annum seipsos renuntiauerunt, eodem die, quo magistratum inierant. Marius Sex. Licinium senatorum de saxo deiici iussit, editisque multis sceleribus Idibus Ianuariis decessit, vir, cuius si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, vtrum bello melior, an pace perniciosior fuerit, adeo quam rempublicam armatus seruauit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter euertit.

DECA-

DECADIS IX. LIBI. EPITOME

LVCIVS Sylla Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occuparat, circumsedit, & cum maximo labore expugnauit, vbi libertatem, & ciuibus quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia ciuitas in fide manserat, summa virtute aduersus Mithridatem defensa est. Præterea à Thracibus in Macedonia gesta continet.

LIB. II. EPITOME

SYlla copias regis, quæ Macedonia occupata in Thessaliam venerat, prælio vicit, cæsis hostium centum millibus, castris quoque expugnatis renouato deinde bello, iterum exercitum eius fudit ac delevit. Archelaus cum classe regia Syllæ se tradidit. L. Valerius Flaccus cos. collega Cinnæ missus vt Syllæ succederet, propter auaritiam inuisus exercitui suo à C. Fimbria legato ipsius, vltimæ audaciæ homine occisus est: & imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ expugnatæ in Asia vrbes à Mithridate, & crudeliter direptæ prouinciæ: incursionésque Thracum in Macedoniam referuntur.

LIB. III. EPITOME.

CAius Fimbria in Asia fusis aliquot copiis Mithridatis, vrbem Pergamum cœpit: obsessúmque regem non abfuit multum quin caperet: vrbem Ilion: quæ se potestati Syllæ reseruabat, expugnauit ac deleuit, & magnam partem Asiæ recepit. Sylla multis præliis Thracas cecidit. Cum L. Cinna, & Cn. Papyrius Carbo à seipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam pararent: effectum quidem est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit: & per eos, qui concordiæ studebant: vt legati ad Syllam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem inuitum cogebat naues conscendere, & aduersus Syllam proficisci, interemptus est. Consulatum Carbo solus ipse gessit. Sylla cùm in Asiam traiecisset, pacē cum Mithridate fecit: ita, vt is cederet prouinciis, Asia, Bithynia, Cappadocia, Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Syllam transierat: ipse se percussit, impetrauitque à seruo præbens ceruicem, vt se omnino interficeret.

LIB. IV. EPITOME.

SYlla legatis, qui à senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si ciues qui à Cinna pulsi ad se confugerant, restituerentur, quæ conditio cum iusta senatui videretur, per Carbonem factionémque eius cui bellum videbatur vtilius, ne conueniret, effectū est. Idem Carbo, cum ab omnibus oppidis Italiæ coloniisq. obsides exigere vellet. vt fidē illorum contra Syllam obligaret, consensu senatus prohibitus est. Nouis ciuibus S.C. suffragium datum est. Qu. Metellus Pius, qui partes optimatium sequutus erat, cum in Africa bellum moliretur, à C. Fabio prætore pulsus est, senatusque consultum per factionem Carbonis, & Marianarum partium factum est, vt omnes vbique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque & triginta tribus distributi sunt, Præterea belli apparatum contra Syllam, quod plurimum excitabatur, continet.

LIB. V. EPITOME.

SYlla in Italiam cum exercitu traiecit: missisque legatis, qui de pace agerent, & à consule Cn. Carbone, & Cn. Norbano violatis, eundem Norbanum prælio vicit: Et cum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, vt pacem iungeret, nec potuerat: castra oppugnaturus esset, vniuersus exercitus consulis solicitatus per emissos à Sylla milites signa ad Syllam transtulit: Scipio, cum interimi posset, dimissus est. Cn. Pōpeius, Cn. F. eius, qui Asculum ceperat, conscripto quidem voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam venerat, ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita vt deserta vrbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per vniuersam Italiam vtrinsque partis dudum referuntur.

LIB. VI. EPITOME.

CVm C. Marius C. Marij filius cos. ante annos viginti per vim creatus esset. C. Fabius in Africa propter crudelitatem & auaritiam in prætorio suo viuus exutus est. L. Philippus legatus Syllæ Sardiniam: Qu. Antonio prætore pulso & occiso, occupauit. Sylla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erupturus ciuitatem, & suffragij ius nuper datum, fœdus percussit. Itémque ex fiducia iam certæ victoriæ litigatores, à quibus adhibebantur vadimonia, Romam deferre iussit. Cùm à parte diuersa vrbs adhuc teneretur. L. Damasippus prætor ex voluntate C. Marij consulis, cum senatum contraxisset, omnem, quæ in vrbe erat, nobilitatem trucidauit, ex cuius quidem numero Qu. Mutius Scæuola pontifex maximus fugiens in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum à L. Murena aduersus Mithridatem in Asia renouatum continet.

LIB. VII. EPITOME.

SYlla C. Marium exercitu eius fuso deletóque ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit: vrbem Romam ex inimicorum manibus recepit, Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res à legatis eius eadem vbique fortuna partim gestas continet.

LIB. VIII. EPITOME.

SYlla Carbonem, exercitu eius ad Clusium, ad Fauentiam Fidentiámque cæso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli Italicorum populorum nondum arma deposuerant, iuxta vrbem Romam ante portam Collinam debellauit: recuperatáque rep. pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine vnquam fuit, inquinauit. Octo millia deditiorū in via publica trucidauit: tabulam proscriptionis posuit, vrbem & vniuersam Italiam cædibus repleuit: inter quos omnes Prænestinos inermes interim iussit. Marium senatorij ordinis virum cruribus brachiisque fractis auribus præsectis, & effossis oculis necauit. C. Marius Præneste obsessus à Lucretio Afella, Syllanarum partium viro, cum per cuniculum captaret euadere, septus ab exercitu, mortem sibi consciuit in ipso cuniculo, cùm sentiret se euadere minimè posse: cum Pontio Thelesino fuga comite stricto vtrinque gladio concurrit, quem cum occidisset, ipse saucius à seruo impetrauit, vt se occideret.

LIB. IX. EPITOME.

L. Brutus à Cn. Papyrio Carbone, qui Corcyram appulerat, missus naue piscatoria Lilybæum, vt exploraret, an ibi Pompeius esset, & circumuentus à nauibus, quas Pompeius miserat, in se mucrone verso ad transtrum nauis obnixus corporis pondere occubuit. Cn. Pompeius in Siciliam cum imperio à senatu missus, Cn. Carbonem qui fles muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sylla dictator factus, quod nemo quidem vnquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit, rebúsque nouis Reip. statum con-

firmauit, tribunorúmque plebis potestatem minuit: & omne ius legum ferendarum ademit: pontificum augurúmque collegium ampliauit, vt essent quindecim: senatum ex equestri ordine suppleuit: proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit, & bona eorum vendidit, ex quibus primo multa rapuit, redactum est sestertiûm ter millies quingentiésque. Lucretium Asellam consulatum contra voluntatem suam petere ausum iussit interimi in foro: & cùm indigne ferret populus Romanus, concione vocata se iussisse dixit. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum, & Hieram regem Numidarum bellum molientes, victos interemit: & IV. & XX. annos natus adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat ex Africa triumphauit. Cn. Norbanus consularis proscriptus in vrbe Rhodo, cum comprehenderetur, se ipse interemit. Metellus ex proscriptis vnus clam capite adoperto ad posticum ædis Basiliæ vxoris cùm accessisset, admissus minimè est, quia illum proscriptum diceret, itaque se transfodit, & sanguine suo fores vxoris respersit. Sylla Nolam in Samnio recepit. XLVII. legiones in agros captos deduxit, & eos iis diuisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditionem accepit. Mitylena quoque in Asia quæ sola vrbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnata dirutaque sunt.

LIB. X. EPITOME.

Sylla decessit, honósque ei à senatu habitus est, vt in campo Martio sepeliretur. M. Lepidus, cum acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitauit, & à Qu. Catulo collega Italia pulsus est, & in Sardinia frustra bellum molitus periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam tenebat, à Cn. Pompeio occisus est. Q. Sertorius proscriptus in vlteriore Hispania ingens bellum excitauit. L. Manlius proconsul, & M. Antonius legatus ab Hirtuleio quæstore prælio victi sunt. Præterea à P. Seruilio proconsule aduersus Cilicas res gestas continet.

DECADIS X. LIB. I. EPITOME.

Cn. Pompeius, cùm adhuc quæstor esset: cùm imperio consulari aduersus Sertorium missus est. Sertorius aliquot vrbes expugnauit, plurimásque ciuitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus præliis vicit. Qu. Metellus proconsul L. Hirtuleium quæstorem Sertorij omni cum exercitu cecidit.

LIB. II. EPITOME.

Cn. Pompeius adhuc dubio euentu cum Sertorio pugnauit, ita vt singula ex vtraque parte cornua vicerint. Qu. Sertorius Metellum & Perpennam cum duobus exercitibus prælio fudit, cuius victoriæ partem cupiens auferre Pompeius parum prosperè pugnauit. obsessus deinde Calagurij Sertorius assiduis eruptionibus non leuiora damna obsidentibus intulit. Præterea à Curione proconsule in Thracia res gestas aduersus Dardanos, & Qu. Sertorij multa crudelia in suos facta continet, qui plurimos amicorum, & secum proscriptorum crimine proditionis insimulatos interemit.

LIB. III. EPITOME.

P. Seruilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot vrbes piratarũ expugnauit. Nicomedes Bithyniæ rex moriens populum Romanum fecit hæredem, regnúmque eius in prouinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum populo Romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium naualiumque, & occupata Bithynia M. Aurelius Cotta cos. ad Calcedonem prælio à rege victus est, re... à Pompeio & Metello victus, & vt contra Sertorium egerunt, qui omnibus belli militiæque artibus par fuit, quos etiam ab obsidione Calagurij oppidi depulsos coëgit diuersas regiones petere, Metellum vlteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

LIB. IV. EPITOME.

L. Lucullus cos. aduersus Mithridatem equestribus præliis feliciter pugnauit: & expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentésque pugnam milites à seditione inhibuit: Deiotarus Gallogræciæ tetrarches præfectos Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cecidit. Præterea res à Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

LIB. V. EPITOME.

Caius Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, & congregata seruorum & ergastulorum multitudine, Chryso, & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Varinium prætorem prælio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum vrbem exercitum Mithridatis fame ferróque deleuit, pulsúmque à Bithynia regem variis belli ac naufragiorum casibus fractum coegit in Pontum profugere.

LIB. VI. EPITOME.

Quintius Arius prætor Chrysum fugitiuorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. C. Lentulus cos. male aduersus Spartacum pugnauit. Ab eodem L. Gellius, consul, & Q. Arrius prætor acie victi sunt. Sertorius M. Antonio, & M. Perpenna, & aliis coniuratis in conuiuio interfectus est, octauo ducatus sui anno magnus dux, & aduersus duos imperatores, Pompeium & Metellum sæpe par, vt frequentius victor, ad vltimum desertus & proditus. Imperium partium ad Marium translatum est, quem Cn. Pompeius victum captúmque interemit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum est bellum, C. Cassius proconsul, Cn. Manlius prætor male aduersus Spartacum pugnauerunt, ídque bellum M. Crasso prætori mandatum est.

LIB. VII. EPITOME.

Marcus Crassus prætor primum cum parte fugitiuorum quæ ex Gallis Germanísque constabat, feliciter pugnauit, cæsis inimicorum 35. millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellauit, cæsis cum ipso millibus quadraginta. M. Antonius prætor bellum aduersus Cretenses parum prosperè gestum morte sua finiuit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto aduersus Mithridatem feliciter pugnauit, cæsis hostium amplius quàm sexaginta millibus. M. Crassus, & Cn. Pompeius coss. facti sunt. vt Crassus ex prætura, sic Pompeius antequam quæsturam gereret, ex equite Romano tribunitiam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per M. Aurelium Cottam prætorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniæ regem confugit.

LIB. VIII. EPITOME.

LAchares filius Mithridatis, Bosphori rex à L. Luculli in amicitiam receptus est. C. Lentulus, & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor & sexaginta senatu motis, à quibus lustrũ conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCCL. millia. L. Metellus Prætor in Cilicia aduersum piratas prospere rem gessit. Templum Iouis in Capitolio, quod incendio consumptum erat, refectum à Qu. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem & Tigranem, & immensas vtriusque regis copias multis certaminibus fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi aduersum Cretenses mandato, Cydoniam vrbem obsedit. C. Triarius legatus Luculli aduersus Mithridatem parum prosperè pugnauit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem, summámque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi nolebãt, quia legiones Valerianæ, impleta à se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

LIB. IX. EPITOME.

QVintius Metellus proconsul Gnoso, & Lictum, & Cydoniam, & alias plurimas ciuitates expugnauit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. C. Pompeius lege ad populum lata persequi piratas iussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit, bellóque cum iis in Cilicia cõfecto, acceptis in deditionem piratis, agros & vrbes dedit. præterea res gestas à Qu. Metello aduersus Cretenses continet & epistolas Metelli & Cn. Põpeij inuicem missas queritur Metellus gloriam rerum à se gestarum à Põpeio sublatam præteriri, qui in Cretam miserit legatum suũ ad accipiendas vrbium deditiones. Pompeius Romæ rationem reddit, hæc se facere debuisse.

LIB. X. EPITOME.

CAius Manilius tribunus plebis indignatione maxima nobilitatis legem tulit, vt Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur. Concio eius bona. Qu. Metellus perdomitis Cretẽsibus, liberæ in id tempus insulæ leges dedit. Cn. Pompeius ad gerendũ bellum aduersus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renouauit: equestri prælio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem regem Parthorum, & Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filium Tigranem, patrémque gestum continet.

DECADIS XI. LIB. I.

EPITOME.

CNEVS Pompeius Mithridatem nocturno prælio victum coëgit Bosphorum profugere: Tigranem in deditionem accepit, eique ademptis Syria, Phœnicia, & Cilicia regnum Armeniæ restituit. Coniuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis coss. oppressa est. C. Pompeius cum Mithridatem persequeretur, in vltimas ignotásque gentes penetrauit: Iberos, Albanósq. qui trãsitum minime dabant, prælio vicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniochósque, & res ab eo in Bosphoro gestas continet.

A

LIB. II. EPITOME.

CN. Pompeius in prouinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit, ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumto parum profecisset, ad mortem à milite Gallo, nomine Bithoco, à quo vt iuuaretur petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Iudæos subegit, fanum eorum Hierosolymæ inuiolatum ante id tempus cepit. L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo prætore & Cethego &
B pluribus aliis coniurauit, de cæde consulum & senatus, incendiis vrbis, opprimenda republica, exercitu quoque in Hetruria comparato. Ea coniuratio industria M. Tullij Ciceronis eruta est, Catilina vrbe pulso: de reliquis coniuratis omnino sumtum supplicium est.

LIB. III. EPITOME.

CAtilina à C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus. P. Clodius accusatus, quod in mulieris habitu sacrarium, in quod virum intrare nefas est,
C intrasset, cúmq. vxorem Metelli Põtificis stuprauisset, absolutus. Cn. Pontinius prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonẽ domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Cæsar Lusitanos subegit, eóque consulatus candidato, & captante republicã inuadere, cõspiratio inter tres principes ciuitatis facta est. Cn. Pompeium, M. Crassum, & C. Cæsarem. Leges agrariæ à Cæsare consule cum maxima contẽtione, inuito senatu ab altero consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prosperè
D rem gessit. M. Cicero lege à P. Clodio tribuno plebis lata, quia indemnatos ciues necauisset, in exsilium missus est. Cæsar in prouinciam Galliam profectus Heluetios, gentem vagam, domuit quæ sedem quærens per prouinciam Cæsaris Narbonem iter facere volebat. Præterea situm Galliarum continet. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane & Tigranis filio triumphauit: Magnúsque à tota concione consalutatus est.

LIB. IV. EPITOME.

E PRima pars libri situm Germaniæ moréesque continet. C. Cæsar contra Germanos, qui Ariouisto duce in Galliã descenderant: cùm exercitum duceret, rogatus ab Heduis & Sequanis, quorum ager possidebatur: trepidationem militum propter metũ nouorum hostiũ ortam allocutione exercitus inhibuit, & victos prælio Germanos Gallia omni expulit M. Cicero, Põpeio inter alios orante & T. Annio Milone tribuno plebis agẽte, ingẽti gaudio senatus, ac
F vniuersæ Italiæ ab exsilio reductus est. Cn. Põpeio per quinquẽniũ annonæ cura mãdata est. Cæsar Ambianos, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum quidem maxima multitudo erat, prælio victos in deditionem accepit: ac deinde contra Neruios vnam harum ciuitatum cum maximo discrimine pugnauit, eámque gẽtem deleuit, quæ bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent, ex nonaginta quinque senatoribus tres tãtummodo euaderent. Lege lata de
G redigenda in prouinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio eiusdem rei mandata est. Ptolemæus AEgypti rex ob iniurias, quas patiebatur, à suis regno pulsus Romam venit. C. Cæsar gentem Oceano iunctã, Venetos nauali prælio vicit. Præterea à legatis eius eadẽ fortuna res gestas continet.

LIB. V. EPITOME.

CVm M. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia tolleretur, senatus vestem mutauit.

M. Cato in petitione præturæ, prælato Vatinio repulsam tulit. Idem cùm legem impediret, qua prouinciæ consulibus in quinquennium, Pompeio Hispania, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, à C. Trebonio tribuno plebis legis auctore in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemæum in regnum reduxit Ægypti, reiecto Archelao quem sibi regem asciuerat Cæsar, victis Germanis, & in Gallia cæsis, Rhenum transcendit, & proximam parte Germaniæ domuit, ac deinde Oceano in Britanniam parum prosperè tempestatibus aduersis traiecit: iterúmque parum felicius, maximáque hominum multitudine cæsa, reliquam partem insulæ in potestatem redegit.

LIB. VI. EPITOME.

IVlia Cæsaris filia, Pompeij vxor, decessit, honósque maximus ei à populo habitus est, vt in Campo Martio sepeliretur. Gallorum multi populi Ambiorige duce Eburonum defecerunt, à quibus Cotta, & T. Aurunculeius legati Cæsaris insidiis circumuenti, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt, & cum aliarum quoque legionũ castra oppugnata maximo labore defensa essent, interque eos, qui in Treuiris præerant, Q. Cicero, ab ipso Cæsare hostes prælio fusi sunt. M. Crassus bellum Parthis illaturus, Euphratem fluuium transiuit, victúsque prælio, in quo & filius cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, euocatus in colloquium ab hostibus, vt de pace acturus, quorum dux erat Surenas, comprehensus, & ne quid viuus pateretur repugnans interemtus est, & ita periit.

LIB. VII. EPITOME.

C. Cæsar Treuiris in Gallia victis, iterũ in Germaniam transit, nullóque ibi inuento hoste, reuersus in Galliam, Eburones, & alias ciuitates, quæ conspirauerat, vicit, vt regem Ambiorigam in fuga persecutus. P. Clodij à T. Annio Milone, candidato consulatus, in Appia via ad Bouillas occisi corpus plebs in curia cremauit. Cum seditiones inter cãdidatos consulatus Hypsæum, Scipionem, & Milonem essent, qui armis ac vi contendebant, ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus à senatu consul tertiũ factus est absens, & solus, quòd nemini vnquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodij, Milo iudicio damnatus in exilium actus est. Lex lata est, vt ratio absentis Cæsaris in petitione cõsulatus haberetur, inuito & contradicente M. Catone. Præterea res gestas à C. Cæsare aduersum Gallos, qui propè vniuersi Vercingẽtorige Aruerno duce, defecerunt, & laboriosas obsidiones vrbem continet, inter quas Auarici Biturigum, Gergouiæ Áruernorum.

LIB. VIII. EPITOME.

CAius Cæsar Gallos ad Alexiam vicit, omnésque Galliæ ciuitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius quæstor M. Crassi Parthos, qui in Syriam transcenderant, cæcidit. In petitione Consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis coss. Ser. Sulpitio, & M. Marcello. C. Cæsar Bellouacos cum aliis Gallorum populi domuit. Præterea cõtentiones inter coss. de successore, C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, vt Cæsar ad petitionem consulatus, veniret cum his, lege lata in id tẽpus consulatus, prouincias obtinere deberet, résque à M. Bibulo gestas in Syria continet.

LIB. IX. EPITOME.

CAussa ciuilium armorum & initia referuntur, contentionésque de successore C. Cæsari mittendo, cùm se dimissurum exercitum negaret, nisi à Pompeio dimitteretur, & C. Curionis tribuni plebis primum aduersus Cæsarem, deinde pro Cæsare actiones continet. Cùm S. C. factũ esset, vt successor Cæsari omnino mitteretur M. Antonio & Qu. Cassio tribunis plebis quoniã intercessionib. id S. C. impediebãt, vrbe pulsis, mandatum à senatu consulibus, & Cn. Pompeio, vt viderent ne quid resp. detrimenti caperet. C. Cæsar bello inimicos persecutus cum exercitu in Italiam venit: Corsinium cum L. Domitio, & L. Lentulo cepit, eósque dimisit, Cn. Pompeium vniuersósque eius partium Italia omnino expulit.

LIB. X. EPITOME.

CAius Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit, & relictis in obsidione C. Trebonio, & D. Bruto, profectus in Hispaniam L. Afranium, & C. Petreium legatos, Cn. Pompeij cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnésque incolumes dimisit. Varrone quoque legato Pompeij tum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis ciuitatem dedit. Massilienses duobus naualibus prœliis victi, post lõgam obsidionem in potestatem Cæsaris se permiserunt. C. Antonius legatus Cæsaris malè contra Pompeianos pugnauit, & in Illyrico captus est, in quo bello Opitergini trãspadani Cæsaris auxiliares rate sua ab hostilibus nauibus clausa, potius quàm in potestatem inimicorum venirẽt, inter se concurrẽtes occubuerunt. C. Curio legatus Cæsaris in Africa, cum prosperè aduersus Pompeianarum partium ducem Varum pugnasset: à Iuba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam traiecit.

DECADIS XII. LIB. I. EPITOME.

CAIVS Cæcilius Rufus prætor cùm seditiones in vrbe quam maximè concitaret, nouarum tabularum spe plebe sollicitata abrogato magistratu, pulsus vrbe, Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxit vterque cùm bellũ molirentur interemti sunt. Cleopatra Ægypti regina à Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter Q. Catuli prætoris auaritiam crudelitatémque Cordubenses in Hispania cum duabus Varianis legionibus à partibus Cæsaris desciuerunt. Cn. Pompeius ad Brundisiũ obsessus à Cæsare & præsidiis eius cũ magna clade diuersæ partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliã bello, apud Pharsaliã acie victus est, Cicero in castris remãsit, vir nihil minus, quàm ad bella natus, omnibúsque aduersarũ partium, qui se potestati victoris permiserunt Cæsar ignouit.

LIB. II. EPITOME.

TRepidato victarum partium per diuersas orbis terrarum partes, & fuga referuntur. Cn. Pompeius, cum Ægyptum petiisset, iussu Ptolemæi regis Pupilli, authore Theodoro præceptore, cuius apud regẽ maxima erat auctoritas & Photino occisus est ab Achille, cui delegatũ id facinus erat in nauicula, antequã in terrã exiret. Cornelia uxor, & Sex. Pompeius filius in Cyprum refugerunt. Cæsar post tertium diem insecutus, cũ ei Theodorus caput regis Pompeij, &, & annulum obtulisset, infensus est & illacrimauit. sine periculo Alexãdriam tumultu autem intrauit. Cæsar dictator creatus Cleopatrã in regnum

regnum AEgypti reduxit, & inferentem bellum iisdem authoribus Ptolemaeum, quibus Pompeium interfecerat, cum maximo suo discrimine vicit. Ptolemaeus, dum fugit, in Nilo nauicula subsedit. Praeterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter & bellum à Cn. Domitio contra Phraatem Partum prospere gestum continet.

LIB. III EPITOME.

COnfirmatis in Africa Pompeianis partibus, earum imperium P. Scipioni delatum est, Catone cui ex aequo deferebatur imperium, cedente. Et cùm de diruenda vrbe Vtica propter fauorem ciuitatis eius in Caesare deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset: Iuba suadēte, vt dirueretur, tutela eius & custodia mādata est Catoni. Pompeij magni filius in Hispania contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere volebant, bellum aduersus Caesarem renouauit. Pharnaces Mithridatis filius, rex Ponti, sine vlla belli mora victus est. Cùm seditiones Romae à P. Dolabella tribuno plebis legem ferēte de nouis tabulis excitatae essent, & ex ea caussa plebs tumultuaretur, inductis à M. Antonio magistratu equitum in vrbem militibus, octingenti à plebe caesi sunt. Caesar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit: & cum in Africam traiecisset, contra copias Iubae regis cum discrimine maximo pugnauit.

LIB. IV. EPITOME.

BEllum in Syria Caecilius Bassus eques Romanus Pompeianarum partium excitauit, & relicto à legione Sexto Caesare, quae ad Bassum transierat, occisóque eo Caesar, Scipionem praetorem, Afranium, Iubámque vicit ad Tapsum, castris eorum expugnatis. Cato audita re cum se percussisset Vticae, & interueniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere exspirauit, anno aetatis quadragesimo nono. Petreius Iubam, séque interemit. P. Scipio in naue circumuentus honestae morti vocem quoque adiecit: quaerentibus enim hostibus imperatorem, dixit: Imperator bene se habet. Faustus & Afranius occisi, Catonis filio venia data. Brutus legatus Caesaris in Gallia Bellouacos rebellantes vicit.

LIB. V. EPITOME.

CAEsar quatuor triumphos duxit, ex Gallia, & AEgypto, ex Ponto, & Africa, epulam, & omnis generis spectacula edidit. M. Marcello consulari, senatu rogante, concessit reditum, qui Marcellus beneficio eius frui minimè potuit, à P. Magio Chilone cliente suo Athenis occisus. Et censum egit, quo censa sunt ciuium capita centum quinquaginta millia. Profectus in Hispaniam contra Sext. Pompeium, vtrinque multis expeditionib. factis, & aliquot vrbibus expugnatis, summam victoriam cum maximo discrimine ad Mundam vrbem consecutus est. Pompeius Sex. effugit.

LIB. VI. EPITOME.

CAius Caesar ex Hispania quintum triumphum egit, & cum multi, quam maximíque honores ei à senatu decreti essēt, inter quos, vt pater patriae appellaretur, & sacrosanctus, ac dictator in perpetuum essent, inuidiae caussam aduersus eū praestitere, quod senatui deferenti hos honores, cum ante aedem Veneris genitricis sederet, minimè assurrexit, & quod M. Antonio consule collega suo inter Lupercos currente, diadema capiti suo impositum in sella reposuit, & quod Epidio Marullo, & Caesetio Flauo tribunis plebis inuidiā ei tāquam regnum affectanti mouentibus potestas abrogata est. Ex iis caussis conspiratione in eum facta, cuius capita fuerunt, M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Cassius & ex Caesaris partibus D. Brutus, in curia Pompeij, occisus est 23. vulneribus, occupatúmque ab interfectoribus eius Capitolium. Obliuione deinde caedis eius à senatu decretae, obsidib. Antonij, & Lepidi liberis acceptis, coniuratis à Capitolio descenderunt. Testamento Caesaris heres ex parte dimidia institutus C. Octauius ex sorore nepos, & in nomen adoptatus est. Caesaris corpus cum in campum Martium ferret .r, à plebe ante rostra crematum est. Dictaturae honos in perpetuū sublatus est. C. Amatius humillimae sortis homo, qui se C. Marij filiū ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moueret, interfectum est.

LIB. VII. EPITOME.

C Octauius Romam ex Epiro venit: eò enim illum Caesar praemiserat bellum in Macedonia gesturus, omnibúsq. prosperis exceptus etiam nomen Caesaris sumsit: in confusione rerum, ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit. Sed M. Antonius cos. cum impotenter, dominaretur, legémque de prouinciarum permutatione tulisset per vim, & Caesarem quoque petentem, vt sibi aduersum auunculi percussores adesset, magnis iniuriis affecit. Caesar, & sibi, & reipublicae vires cōtra eū paraturus, deductos in colonias veteranos excitauit. Legiones quoque quarta & Martia signa ab Antonio ad Caesarem tulerunt: deinde plures saeuitia M. Antonij passim in castris suis trucidati, quia & suspecti erāt, & ad Caesarē desciuerunt. D. Brutus vt petenti Cisalpinā Galliā Antonio obsisteret, Mutinā cū exercitu occupauit. Praeterea discursus vtriusq. partis virorum ad accipiendas prouincias apparatúsque belli continet.

LIB. VIII. EPITOME.

M Brutus in Graecia sub praetextu, Reipublicae, & suscepti cōtra M. Antoniū belli, exercitu, cui Vatinius praeerat, cū prouincia in potestatē suā redegit. C. Caesari, qui primus Reipub. arma sūserat pro populo Romano, imperiū à senatu datū est, cum consularibus ornamentis, adiectúmque vt senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinae obsedit: missique ad eum legati à senatu de pace, parum ad eā componendam valuerunt. Populus Romanus saga sumsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium praetorem cum exercitu potestati suae subegit.

LIB. IX. EPITOME.

C Trebonius in Asia, fraude P. Dolabellae occisus est, ob id facinus Dolabella à senatu hostis iudicatus est. Cùm Pansa cos. malè aduersus Antoniū pugnasset: A. Hircius cos. cum exercitu superueniēs, fusis M. Antonij copiis fortunam vtriusque partis aequauit. Victus deinde ab Hircio & Caesare Antonius in Galliam confugit, & M. Lepidum cum legionibus, quae sub ipso erant, sibi iunxit, hostísque à senatu cum omnibus, qui intra praesidia eius erant, iudicatus est. A. Hircius qui post victoriā in ipsis inimicorum castris ceciderat, & L. Pansa è vulnere, quod in aduerso praelio exceperat, defunctus, in Cāpo Martio sepulti sunt. Aduersus C. Caesarē, qui solus è tribus ducib. superat, parū gratus senatus fuit, qui D. Bruto obsidione Mutinensi à Caesare liberato, honore triumphi decreto Caesaris, militúque eius mentionē non satis gratam habuit, ob quae C. Caesar reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, & perculsis aduentu eius iis, qui in eū iniqui erant, cùm annos XVIII. haberet, cos. creatus est.

LIB. X. EPITOME. A

C. Cæsar cos. legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset, postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus absentes damnati sunt. Cùm M. Antonio vires Asinius quoque Pollio, & Munacius Plancus cum exercitibus suis adiuncti ampliassent, & D. Brutus, cui senatus, vt persequeretur Antonium, mandauit relictus à legionibus suis profugisset, iussu Antonij, in cuius potestatem venerat à Capeno Sequano interemptus est. C. Cæsar pacem cum Antonio & Lepido fecit, ita, vt tres viri Reipub. constituendæ quidem per B quinquennium præessent. Ipse Lepidus, & Antonius statuerunt, vt suos quisque inimicos proscriberet, in qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerunt, & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæsaris Antonij auunculi, M. Ciceronis, cuius occisi à Popilio legionario milite, cũ haberet annos LXIII. caput quoque cum manu dextra in rostris positum est. Præterea res à M. Bruto in Græcia gestas continet. C

DECADIS XII. LIB. I. EPITOME.

CASSIVS cui mandatum à senatu erat, vt Dolabellam inimicum iudicatum bello persequeretur: autoritate Reipub. adiutus Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem prouincia erant, in potestatem suam redegit: Dolabellam in vrbe Laodicea obsessum mori coegit. M. quoque Bruti iussu C. Antonius, occisus est.

LIB. II. EPITOME.

Marcus Brutus aduersus Thracas parum prosperè rem gessit, omnibúsque trasmarinis prouinciis, E exercitibúsque in potestatem eius & C. Cassii redactis, coierunt Smyrnæ vterque ad ordinanda futuri belli consilia. M. Messalæ Publicolam fratrem iunctum communi consilio condemnauerunt.

LIB. III. EPITOME.

Sext. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitiuis, cũ exercitu diu sine vlla loci cuiusque possessione prædatus in mari, Messanã oppidum in Sicilia primum, deinde totam prouinciã occupauit: occisóque à Pompeio A. Bithynico prætore, Saluidienum legatũ Cæsaris nauali prælio vicit. F Cæsar & Antonius cum exercitibus in Græciam traiecerunt, bellum contra Brutum, & Cassium gesturi. Qu. Cornificius in Africa, T. Sestium Cassianarum partium ducem prælio vicit.

LIB. IV. EPITOME.

Caius Cæsar & Antonius apud Philippos vario euentu contra Brutum & Cassium pugnauerant, ita vt vtrinsque dextra cornua vicerint, & castra quoque vtrinque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. G Sed inæqualem fortunam partium mors quidem Cassij fecit, qui cum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat: totum exercitum fusum ratus, mortẽ sibi consciuit. Altero deinde prælio victus M. Brutus & ipse vitam finiuit, exorato Stratone fugæ comite, vt sibi gladiũ adijceret, annorũ erat circiter ætatis XL. inter quos Qu. Hortensius occisus est.

LIB. V. EPITOME.

Caius Cæsar, relicto Antonio (transmarinæ prouinciæ ex parte imperium ei cessit) reuersus in Italiã veteranis agros diuisit, seditiones exercitus sui, quas corrupti à Fuluia M. Antonij vxore milites contra imperatorem suum concitauerant, tum grandi periculo inhibuit. L. Antonius cos. M. Antonij frater, eadem Fuluia consulente bellum Cæsari intulit: receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis assignati erant, & M. Lepido, qui custodiæ vrbis cũ exercitu præerat, fuso, hostiliter in vrbem irrupit.

LIB. VI. EPITOME.

Caius Cæsar, cum esset annorum XXIII. obsessum in oppido Perrusia L. Antonium, conatumque aliquoties erũpere & repulsum fame coëgit in deditionem venire, ipsique & omnibus quidem militibus eius ignouit: Perusiam diruit, redactis in potestatem suã omnibus diuersæ partis exercitibus, bellum citra vllum sanguinem confecit.

LIB. VII. EPITOME.

Parthi, Labieno, qui Pompeianarum partiũ fuerat, duce, in Syriam irruperunt: victoque Didio Saxa M. Antonij legato, vniuersam ea prouinciam occupauerunt. M. Antonius cum ad bellum contra Cæsarem gerendum initaretur, vxore Fuluia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret: pace facta cum Cæsare, sororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Qu. Saluidienum consilia nefaria contra Cæsarem molitum indicio suo detexit: isque dãnatus mortem sibi consciuit. P. Ventidius Antonij legatus Parthos prælio victos Syria expulit: Labieno eorum duce occiso. Cùm vicinus Italiæ hostis Sext. Pompeius Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret, cũ eo postulatum pacem Cæsar, & Antonius quidem fecerunt, ita vt Siciliam prouinciam haberet. Præterea motus Africæ, & bella gesta continet.

LIB. VIII. EPITOME.

Cum Sext. Pompeius rursum latrociniis mare infestum redderet. nec pacem, quam acceperat, præstaret: Cæsar necessario bello contra eum suscepto, duobus naualibus præliis dubio euẽtu pugnauit. L. Ventidius legatus M. Antonij Parthos in Syria vicit, regúmque eorum interemit. Iudæorũ quoque legati ab Antonio interẽti sunt. Præterea belli Siculi apparatum continet.

LIB. IX. EPITOME.

Aduersus Sext. Pompeium vario euentu naualibus certaminibus pugnatum est, ita, vt duarum classium, Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret: altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terrã, in quàm maximo periculo essent: victus deinde Pompeius in Siciliam profugit. M. Lepidus, ex Africa velut ad societatem belli contra Sext. Pompeium à Cæsare gerendi traiecerat. ei bellum cum Cæsar quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumuiratus honore, vitam impetrauit. M. Agrippa nauali corona à Cæsare donatus est, qui honos nemini ante eum habitus est.

LIB. X. EPITOME.

Marcus Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur: mediam prouinciã ingressus bellum, cum legionibus XVIII. & XVI. millibus equitum Parthis intulit, & cum duabus legionibus amissis, nulla re prosperè cedẽte retro rediret, insecutis subinde Parthis, & ingenti trepidatione, & magno totius exercitus periculo, in Armeniam reuersus est, XXI die trecenta millia fuga emensus, circa octo millia hominum tempestatibus amisit: tempestates

quoque

quoque infestas super insel iter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est: quia hyemare in ... nolebat, dum ad Cleopatram festinat. A

DECADIS XIV. LIB. I. EPITOME.

B

SEXT. Pompeius, cum in fidem M. Antonij veniret, bell. in aduersus eum in Asia moliens a legatis eius oppressus est. Cæsar seditionem veteranorum ... pernicie motam inhibuit: Iapidas, Dalmatas & Pannonios subegit. Antonius Artauasdem Armeniæ regem fide data perductum in vincula conijci iussit, regnumque Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit, quam vxoris loco iampridem captus amore eius habere cœperat. C

LIB. II. EPITOME.

CAius Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit. Cum M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum, & Alexandrum neque in vrbem venire vellet, neque finito eius tempore triumuiratus imperium deponeret, bellumque moliretur, quod vrbi Italiæque inferret, ingentibus tam naualibus, quàm terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octauiæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnæ deinde nauales & prælia equestria secunda Cæsaris referuntur. D

LIB. III. EPITOME.

MArcus Antonius ad Actium classe victus Alexandriam profugit, obsessusque à Cæsare, in vltima rerum desperatione, præcipuè occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se ipse interemit, Cæsaris Alexandria in potestatem redacta. Cleopatra ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In vrbem reuersus tres triumphos egit, vnum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium ex Cleopatra, imposito fine ciuilibus bellis altero & tricesimo anno. M. Lepidus, qui Lepidi triumuiri fuerat filius, coniuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens oppressus, & occisus est. E

LIB. IV. EPITOME.

CAius Cæsar rebus compositis, & omnibus prouinciis in certam formam redactis, Augustus quoque cognominatus est, & mensis Sextilis in honorem eius appellatus est. Cùm ille conuentum Narbonæ egit, census à tribus Galliis quas Cæsar pater vicerat actus. Bellum contra Bastarnas, & Mœsos, & alias gentes à M. Crasso refertur.

LIB. V. EPITOME.

BEllum à M. Crasso aduersus Thraces, & à Cæsare aduersus Hispanos gestum refertur, & Salassi gentes Alpinæ, perdomiti.

LIB. VI. EPITOME.

RHetia à Tiberio Nerone, & Druso Cæsaris priuigno domita. Agrippa Cæsaris gener mortuus, & à Druso census actus est.

LIB. VII. EPITOME.

CIuitates Germaniæ cis Rhenum, & trans Rhenum positæ oppugnantur à Druso, & tumultus, qui ob censum exortus, in Gallia erat, compositus. Ara Cæsaris ad confluentem Araris & Rhodani dedicata, sacerdotésque creato C. Iulio Vercundari dubio Heduo.

LIB. VIII. EPITOME.

THraces domiti à Scipione: item Cherusci, Thēchateri, Cauci, aliæque Germanorū trans Rhenum gentes subactæ à Druso referuntur. Octauia soror Augusti defuncta, ante amisso filio Marcello, cuius monumenta sunt theatrum & porticus eius nomini dicata.

LIB. IX. EPITOME.

BEllum contra transrhenanas gentes à Druso gestum refertur: in quo inter primores pugnauerunt Senectius & Anectius, tribuni ciuitatis Neruiorum. Dalmatas & Pannonios Nero frater Drusi subegit. Pax cum Parthis facta est, signis à rege eorum, quæ sub Crasso & postea sub Antonio capta erant, redditis.

LIB. X. EPITOME.

BEllum aduersus Germanorum trans Rhenum ciuitates gestum à Druso refertur, ipse ex fractura equo super crus eius collapso, XXX. die quam id acciderat, mortuus est: corpus à Nerone fratre, qui nūtio valetudinis euocatus raptim accurrerat, Romam reuectum, & in C. Iulij tumulo conditum. Laudatus à Cæsare Augusto vitrico, & supremis illius funeribus, plures honores additi.

FINIS

MESSALAE CORVINI AD OCTAVIANVM AVGVSTVM DE PROGENIE SVA LIBELLVS, IN QVO SIMVL

& prima vrbis regimina ab exordio breuiſſimè exponuntur.

QVVM frequenter me digna moueat poſtulatio tua, gentium glorioſiſſime Imperator, vt progeniem tuæ ſcilicet inclytæ poſteritatis, ſimul & vrbis Romæ prima regimina ab exordio literis diſtinguere mihi perſuadeam: parebo clementiæ tuæ, & operam dabo, aliquid ingenij, ſed parum laboris occupare. Nam quæ poſcis, cum ab hiſtoricis, ſtudioſiſſimiſque veterũ auctoribus longe latéque ſint declarata, & te copioſiſſimè rerum maximarũ ſtudiis deditum haud ignorem: tamẽ quia iubes, opus expediam, & tuæ vetuſtiſſimæ gentis proſapiam, quæ nunc in ampliſsimo maieſtatis culmine locata ſolum ad ſidera ſpectat, arctato itineris limine inſiſtam declarare. nam quamquam à profundo originis fonte, curſus pedetẽtim ſubſequẽdus foret, accelerare maturabo, sereniſsime Cæſar Auguſte. Totus terrarum ambitus, quem vndique Oceanus verberat vndis, ab Hiſtoricis & Coſmographis trifariè diuiditur. cuius partium prima, inter Septentrionem & Meridiem ad Orientem extenditur, Aſia: Secũda, ab oſtio fluminis Tanais, Hyrcanorumque finibus, vbi iungitur Aſiæ, inter Septentrionalem Oceanum, & Mediterraneũ æquor, ad vltimas Hiſpanias in occaſu terminat, Europa: Tertia, ab Ægypto Niloque flumine exordium trahens, relictis terminis Aſiæ, inter meridiem & mediterraneum fretum producta, ad occaſũ in Atlantici Oceani littore definit, Africa. *Aſia* ergo, ſi ad numerum ſpectamus, orbis terrarum pars tertia erit: ſi ad magnitudinem, mediũ terrarum orbem in ſe continere videri poterit: ſic dicta à nomine cuiuſdam mulieris, Oriẽtis reginæ. In ea igitur inter ceteras prouincias *minor Aſia* eſt, in qua *Phrygia* regio, ſic dicta à Phrygia * Æſepi & Europæ filia: * &, vt alij tradunt, ex Ioue & Europa nata. Dardanũ, Ioue & Electra Atlantis filia progenitum, deorum monitu ab * Italia, * &, vt aliis placet, è Creta inſula, patrios deſerentem lares, multitudine gẽtium, ad hanc Phrygiam deueniſſe ferunt, vrbem condidiſſe, eámque ex ſe *Dardaniam* nuncupaſſe: vnde *gens Dardana*; & incolentes terras, *Dardanidæ* dicti. Hoc regnante, de

A Creta cum manu electiſsimorum iuuenum forte noui regni fama concitum Teucrum, ad Phrygiam, patriis ſedibus expulſum, dicitur côueniſſe: qui à Dardano, & dextera & fide data, in * parte regni conſors ſuſceptus eſt, vt numeroſiore populo noua implerentur mœnia. Ita ſub duobus regibus haud diſcrepantibus, Dardania, potentia & magnitudine aucta, pacificè aliquãdiu ſtetit. Huius Teucri in regendo & rẽpubl. augẽdo bonitas comitaſque tanta fuit, vt eo defuncto, ſuperſtite
B Dardano, ob ipſius inclytæ memoriæ glorioſiſſimũ decus, qui Dardanidæ nũcupabãtur, deinceps *Teucri* cognominarentur, vt Virgilius Maro; *Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles.* Dardanus filium habuit Erichthonium, quem poſt ſui obitum regnãtem reliquit. Erichthonius * Troũ genuit, qui iuſtitia & pietate inſignis, mutato Dardaniæ nomine, ex ſe vrbem *Troiam* nominari permiſit. Hinc Troianum nomen ortum. Duos fi-
C lios Trous habuit, Ilum ſcilicet, & Aſſaracum. Ilus verò, quia maior natu, defuncto patre, regnũ obtinuit, & intra vrbis mœnia illam eminẽtiſſimam atque glorioſiſſimam arcem edidit, quę ex ſui nomine *Ilium* nuncupata: vnde *Ilienſes* Troiani dicti. Is Laomedontem filium reliquit: quo regnãte Iaſon & Hercules validiſsimorum iuuenũ Græcorum comitatu, quũ ad Colchos ob velleris aurei cupidinem transfretarent, à maritimo faſtidio ſe recreandi gratia in Phrygiam terrã legerũt. Quos
D Laomedon, vel ſuperbia, vel famoſiſsimæ gentis terrore concitus, minaci nuntio extemplo abire præcepit. Hi quum aliò contenderent, nec vires nec arma ad reſiſtendum haberent, ob illatum dedecus indignati, excidium * auſterrimo regi cõtinuo minitãtes, obtemperauere mandatis: ac perfecto velleris negotio, vbi in Græciam rediiſſent, Hercules Phrygij regis opprobrij non immemor,
E maximorum iuuenum ac principum Græcorum manu armata claſſe, ad Troiã vela remóſque direxit, & in littore expoſitis armis, ad mœnia impetuoſè contendit. Quod vbi ſenſiſſet Laomedõ, audacter magis quam cautè, inordinato agmine extra mœnia hoſtili impetu auſus congredi, inſidiis interceptus, fortiter dimicando extinctus eſt, ſuorum parte maxima vel capta, vel perempta. Hinc

ad exterrita mœnia Hercules, contendens nullo custode nec in muris nec in portis obstante, introit vrbē, & igne ac ferro omnib. consumtis Hesionam Laomedontis sororem, Telamoni Salaminæ regi, quia muros Troię primus inuaserat, ac in portas irruperat, dedit. Ex qua natus est alter ille Teucer, qui patria profugus, in Sidonia alteram Salaminam condidit: de quo Virgilius noster, inducens Didonem effari ad Æneam: *Atque equidem memini Teucrum Sidona venire, Finibus expulsum patriis, noua regna petentem.* Ex Laomedonte superstite, filius fuit Priamus: qui tum forte* alio in armis aberat. Is & patris & patrię excidiō cognito rediit; dirutamque vrbem impensa & opere adeo reparare instituit, vt breui marmoreis saxosisque turribus & ędificiis publicis ac priuatis, augustiorem tutioremque redderet. Assaracus verò Troi filius, Ili frater, vt supra memini, genuit Capim, Capys Anchisen, Anchises Æneam, Æneas Ilum cognominatum Ascanium, ex Creūsa matre natum, qui & *Iulus* fuit, à quo *gens Iulia*, vnde tuæ gentis vocabulum trahis serenissime Auguste, vt Virgilius; *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, Ilus erat dum res stetit Ilia regno.* Priamus verò, vbi in Græciam postulatum misisset, vt Hesiona soror, quæ à Telamone turpi seruitio concubina loco tenebatur, in matrimonium duceretur, vel saltem restitueretur, derisus, neutrum obtinuit. Quare Alexander, qui & *Paris* dictus, Priami filius, manu electissimorum iuuenum in Græciam æquora sulcauit, Helenamque Menelai regis vxorem, Grecarum pulcherrimam, rapuit. Quamobrem Græciæ reges armantur, & Agamemnone duce post decennem obsidionem Troię mœnia capta, in ruina ac cinere iacuere solo. Hinc Græcorum assensu, duo incolumes principum Troianorum recessere, qui auctores pacis & reddendæ Helenæ semper fuerant, & Græcorū legatorum, Vlyssis ac Diomedis, honoratissimi hospites, Antenor scilicet, & Æneas. quorum alter ex Laomedōtis, vel, vt quibusdam placet, Priami sorore natus,* Afferi viri nobilissimi fuerat filius, Antenor: alter ex regio sanguine ortus, Æneas, vt supra demonstratum est. Hi nauium classe parata, & patriis rebus, hominibusque quos arbitrio* sui delegerāt onusta, pāsis velis tenuere altum, & per Ægæum Ioniumque prætereuntes Argolicas vrbes, suadētibus fatis ad Italiam remigauerūt. Antenor ex Ionio equore ad dexteram flectens inter Dyrrachium & Brūdusium, per latissimas superi equoris fauces ad septentrionem conuersus, hinc Dalmatas linquēs, Illyricos ac Liburnos, illinc Appulos atque Picenū, ad caput Adriatici maris cursum tenuit. & relicto æquore, aduerso flumine quod* Brentensia dicitur, sursum contendens, terra potitus, sedem sibi suisque elegit: & expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patauium condidit. Is inter ceteros comites, Enetorum multitudinē numerosam secum duxerat, qui Paphlagonia orti, patria pulsi, exsules ad Troiā, quę bello* tum elaborabat, cōcesserant. Hi in proxima finitimorum prędia lōgè lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleuerant, ex se gentibus nomen dedere, & *Venetiā* regio dicta. De hoc Antenoris aduentu sic meminit Virgilius *Antenor potuit mediis elapsus Achiuis Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus Regna Liburnorum & fontem superare Timaui: Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis It mare præruptum & pelago premit ar-*

A *ua sonanti. Hic tamen ille vrbem Pataui, sedesque locauit Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit Troia: nunc placida compostus pace quiescit.* Hoc loco, Imperator maximè, quum te persæpe altiloquio tuo differentem dubitare animaduertissem, quod insigne vexillis Antenori & Æneæ fuisset, sine quadam rei memoria haud prætereundum arbitror, sed cum Virgilio nostro instandum, vbi de Antenore sic profatur: *& genti nomen dedit*, id est, vtramque gētem, Italicos scilicet, & Phrygios,
B qui ea incoluerunt loca, Troianos, vel, vt alij tradunt, Antenoridas cognominare statuit. *armaque fixit*, hoc est, in templis arma & insigne armorum suspēdit. Nam post exactam militiam laboresque militiæ, mos antiquitus fuit, in deorum templis suspendere arma. ideo *arma fixit Troia.* Troia fuit inter arma templis affixa, armorum insigne: quod nonnulli asserunt. *Troia* namque vulgo Italicè Latinèque scropha vel sus dicitur. cui vocabulo licētia sui allusit poeta: quod animal, quia eius nomē
C vrbi Troiæ congruebat, aureo vexillo insigne armorum statuit Antenor, absumptæ vrbis Troiæ memoria. Verum in gestis Æneæ, alia euidentior ratio, cur ita, videri poterit. quare progredior. Æneas eodem itinere per Græcorum Achaicumque fretum delatus, in Epiro reuisit Helenū, inter Argolicas vrbes dominij ditionem tenentem. Narrat historia, Pyrrhum, Achillis filium, deleta Troia, Andromachen Hectoris quondam vxorem, & Helenum Priami filium seruitio secum duxisse. Inde
D quum sibi matrimonio iungeret Hermionē Menelai filiam, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfect*, quia sine prole interiit, in regno præsidem reliquit Helenum: vt ibidem Maro, vbi de se Æneas ad Didonem profatur. *—iuuat euasisse tot vrbes Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes:* & paulo post; *Hic incredibilis rerum fama occupat aures, Priamiden Helenum Graias regnare per vrbes, Et primo Andromachen iterum cessisse marito.* Is Helenus Æneæ futura prædicens, monitus interpres deorum profatus fuerat, ibi locum* sedis
E eius fore quietis, vbi in Italia iuxta* Tybridis ripas scropham seu suem triginta natorū fœtu* iacentē videret, vt Maro in tertio, ad Æneā loquutus Helenus; *Signa tibi dicam: tu condita mente teneto: Quum tibi sollicito secretis ad fluminis vndam Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus, Triginta capitum fœtus enixa iacebit: Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.* Æneas hinc discedens, & extrema Italiæ radens, circūuectum per Siciliam
F senem Anchisen patrem amisit. Inde per inferum mare diu fluctibus ex iniquo sidere vexat*, Aphrū tenuit littus. mox pacato æquore ad Italiam reuectus, appulit Tiberis ostio. Ibi tunc temporis *Latinus* rex, Fauni filius, gentibus imperitabat: qui ad rei nouę tumultum excitus, vt* Tito Liuio placet, in armis obuiam pergit. Inde colloquio vtrinque pacatis animis, duci Troiano filiam, quam Turno Rutulorum regi primo desponsarat, matrimonio iungit Lauiniam. Æneas conditum oppidum ex
G vxoris nomine *Lauinium* appellat. At Virgilius noster hac in parte aliter sentit, id est, Latinum nō in armis obuiam processisse, sed Æneam legatos regi misisse: quibus auditis rex pacatus, & monitis deorum adductus, Lauiniam filiam aduenæ Troiano tradit. Quamobrem Turnus, impatiens opprobrij ereptæ coniugis, bello petit Æneam, nec vetante nec permittente Latino. Æneas, vt vires & arma in hostem externo robore firmaret, ad Euandrum,

drum, qui tum his oris, vbi nunc Roma autoritate ditionem tenebat, sursum aduerso flumine pergens, auxilij exposcendi gratia, suem id est, scropham triginta natorum fœtu, vt Helenus prædixerat, iacentem aduertit, quietæ sedis certissimum omen, quam Iunoni deorum reginæ immolãdo sacrauit, vt Vergilius in octauo:

Ecce autem subito, atque oculis mirabile monstrum,
Procubuit, viridique in littore conspicit ursus.
Quam pius Aeneas, tibi enim tibi maxima Iuno
Mactat sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.

Eodem Æneam Lauiniũ oppidum struxisse aiũt, simul & hinc scrophæ signũ Troianis ortum quidã tradidere, seu ob iniecti fundaméti regiæ sedis memoriam, seu quia quietis genti scropha signum dederat, seu ob æternum insigne nominis Troiæ, quæ hanc vocabulo animalis vulgo Italice includitur, vt supra memini. Præterea & nonnulli referunt historici, Æneam more nauigantium inter cetera animalia ad vsum vescẽdi, vt fit, suem viuam secum detulisse, ac ex oraculo responsum habuisse, quum teneret Italiam, dimitteret eam. Inde quò reperta foret, sedi eius conderet vrbem: quam in Campaniæ oris apud Auernum lacum, Baianimque fines demissam volunt, mox supra Tybridis ripam. Quare clarum scrophæ vexillum, quocirca Helenus ad Æneam in tertio Vergilius: *Vade age & ingentem factis fer ad æthera Troiã.* Id est, insigne Troianũ. At quũ hac in parte te dubitare scirer istime principum crebro percepissem, & in ambiguitate rei huius multos vagari, tulit calamus prolixius, & à proposito longius quàm exposceret intentio. Quis enim rem tot seculis remotissimam scrutaturus per vetustissima literarum volumina sine ambiguitate euadere potuit: Sed ad propositum redeundum. Ad Euandrum concessit Aeneas, & optato potitus pallantem Euãdri filium & ingẽtis roboris armatorum auxilia secum duxerat. Turnus post aliquot prælia clarissima victus tandem ac peremptus Troiano cessit. Victor Aeneas post Latini obitum in regno successit, quem mortuum, & super Numicij fluminis ripam conicitum, indigentem Iouem dixere, expleto anno tertio regni. Superfuit Ascanius eius filius Troię ex Creusa natus. Is Lauinium oppidum nouercæ Lauiniæ & Syluio ex Lauinia fratri relinquens, haud inde longe in Albano colle condidit Albam: intra Lauinium & Albam conditam triginta annorum spatium datur. Absumpto Ascanio frater eius Syluius, qui & Iulus, à quo gens Iulia, & antiquum tuæ generosæ prolis deriuatum cognomen Auguste, regnat: quanquàm inter autores veterum in ambiguo constet, vtrum hunc Syluium an Ascanium cognominatum fuisse Iulum. Is Syluius post obitum patris ex Lauinia Italię natus, Posthumus dictus, quem Lauinia prægnans priuignum timens Ascanium, secedens in quadam sylua apud Tityrum pastorem peperit, vnde Syluius nũcupatus, vt Maro inducens Anchisen ostentantem suorum progeniem Aeneæ:

Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aethereas Itali commistus sanguine surget.
Syluius Albanum nomen tua posthuma proles.
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniunx,
Educet syluis regem, regumque parentem,
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Hic Syluius Syluium Aeneam filium reliquit, ex quo Latinus filius, à quo Prisci Latini cepere nomen, & Syluium cognomen Albæ regnantibus datum: vt quidam tradidere, quanquam Vergilius hoc cognomen regibus Albanis à Syluio Posthumo deriuatũ sẽtire videatur. Genuit hic Syluius Albã, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetũ, Capetus Tyberinũ, qui in Albula flumine demersus, mutauit fluuio nomẽ, Tyberi deinceps nuncupato: Ex Tyberino superfuit Agrippa, ex quo Romulus Syluius, qui sine prole fulmine ictus stirpis eiusdẽ Auẽtinum in regno reliquit. Is decedẽs in quo sepultus defuncto duo eius filij Numitor & Amulius superstites fuere: quorum alter Amulius Numitorem maiorem è solio fratrem deiecit: cuius virili prole interempta, filiam Rheam Syluiam vt partum auerteret, vestalem virginem sacrat. Rhea geminos edidit, Remum scilicet & Romulum, à Marte cõpressa, vt traditur. Quod regi Amulio notum, in vincula tradita matre, & regio edicto in Tybridis alueo exponuntur gemini. Fama est in Lupam geminos lãbentem regium pastorem Faustulum casu quodam incidisse, qui vxori Laurentię nutriendos dedit. Iam adulti iuuenes, corporis & animi vires adepti, per syluas ac nemora non modo infestare feras, sed & finitimis pastoribus dominari occœperant. Tandem insidiis Remus interceptus, vt prædæ reus ad Amulium ducitur: inde quia cum cum fratre ROMVLO in agrum Numitoris impetum fecisse dicebatur, ad pœnas supplicij materno auo traditur: à quo mox & ipsi nepotes præsidio pastorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant, & restituunt Numitori regnum. Hunc scito Cęsar Auguste gentis Iulię Albanorum regum vltimum, cámque gentem ad Iulium vsque Cæsarem, téque principum decus, sine imperio priuatę, in tuæ felicitatis tempora terminasse, Nãq. Romulũ Romanę vrbis imperijq; tui cõditorẽ, materna linea incognito patre ortũ, tuę stirpis nõ censeo, si maiorũ genealogiã recte cõplector. At nunc ad reges Romanos consules dictatores, tribunos militares, ac plebeios subsequẽter calamum deducam, vt ab origine ad tua felicissima secula Romana regimina noscas. Igitur Palatino in monte, vbi adulti & à pastoribus culti gemini erant, auspicato parua mœnia ponunt, & vbi alter alterum non patitur, cui regnandum augurio permittunt. Qua contentione inter sectum Remum descripsere quidam: aliter alij, qui fertur incepta mœnia contra edictum transiluisse Remum à Romulo, cui regnare obtigerat, securi percussum, & à nomine conditoris vrbem Romam nuncupatam. Ferunt anno vigesimo secundo ætatis, vndecimo Kalendas Maias, quadringẽtesimo tricesimo tertio post captam Troiam, Romulum vrbis fundamenta iecisse. Qui primo cõstitutis sacris, legum iura sanxit, fecit & se regiis insignibus augustiorem, circa se lictores instituit, Asylum aperuit complendæ vrbis gratia: centum Senatores creauit, quos patres autoritate nuncupauit reipublicæ consilium: equestri Neptuno ludos finitimis gentibus indicauit. Circumstantes populi cum familiis ad vrbem, velut ad rem nouam simul & ludos conueniunt. Tum ad spectacula intentis aduenis, raptæ virgines Sabinorum, ceterarumque turba, & in matrimonium abductę. Raptarum parentes ad vltionem illati dedecoris arma parant, hinc pleraque bella orta, Cenienses, qui primum in agrum Romanum impetum fecerant, victi sunt, Acrone eorum rege à Romulo obtruncato, cuius opima spolia in Capitolium ad quercum pastoribus sacram rex ipse Romanis suspendit, ibique Ioui Feretrio templum statuit, quod primum Romæ sacratum fuit, & de Cenensibus primum triumphum egit, vt quibusdam placet scriptoribus. Antemnates

quod ceteros magistratus excedebat, ad terrorem cunctorum, cum quum res Romana in extremis periculis nutare cerneretur, creabatur: summæ potentiæ vnicum robur. Inde ob truculentissimas inter patricios ac plebeios seditiones, plebs armata, maximo cum terrore nobilium, in * Auentinum, & vt aliis placet, in sacrum collem secessit: nec inde abduci potuit, donec ad fauorem sui, *Tribuni plebeij* primum crearentur. Mox ad *Decemuiros* res venit. nam Decemuiros creari placuit, qui sine alio magistratu anno imperio reipublicæ præessent. Anno ab vrbe condita vno & trecentesimo, hoc imperium in Appio Claudio, atrocissimi ingenij viro, desinere voluit eiusdem obstinata perfidia: ob cuius scelestæ libidinis nefas violandæ Virginiæ virginis pudicissimæ, se abdicare magistratu Decemuiri coacti sunt. Tum ad consules res redierat. Verum paulo post, Tribunis plebis auctoribus, seditione vt alias orta, inter cetera obtinuere plebeij, vt & *Tribunos militares* haberent, sicut & plebeios. Sed hi promiscue vel patricij, vel plebeij esse poterant, qui aliquando consulare gessere imperium. Sed demum Consules regnum obtinuere, quorum fasces adusque Iulij Cæsaris, patris patruique tui, principatum defluxere, expletis ab vrbe condita annis septingentis decem. Sub quorum magistratuum, consulum, dictatorum, & tribunorum militarium ductu, per quadringentos quadraginta & septem annos, omnis Italia viribus armorum subacta est, simul & alpes Cottiæ, * Pœninæ, & Graiæ atque Romanæ, cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis, in ditionem conuenere. Africa ter victa, primo & secundo & tertio bello Punico, inæstimabili vulnere vtrinque accepto, Romano imperio tandem * parta: Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta, insulæ obtentæ. Numidia victo Iugurtha in potestatem redacta. Hispaniam, genus armorum ferox, nostrorum, nec sine Romano cruore, subiugauere arma. Celtiberi, Cantabri, Astures, Lusitani, Numantia, omnisque * Gallæcia, flexere ceruicem. Gallia atque Britannia nouem annorum Iulij Cæsaris labor fuere, tributariæ demum factæ. Post hæc Illyria, Istria, Liburni, & Dalmatæ ob [illegible] perdomiti. Proinde in Græciam transitus fuit: qua perdomita, Epirus, Thessalia, & Achaia, paruere mandatis. Ter Macedonia cum regibus suis debellata, & in prouinciæ formam demum redacta. Thraces, sæuissimos omnium, Propontidem, & Thracium * Bosphorum cum ipso Byzantio, virtus Romana superatos reddidit. Hinc ad Danubium Rhenumque [tuis auspiciis] victoriosissime Principum, penetratum: & vtriusque fluminis vtramque ripam tuæ industriæ subiugauere vires. Duæ Germaniæ, inferior ac superior, tibi vnico cessere. Norici, Pannonij, Sueui, Marcomanni, Daci, Mœsi ceteræque nationes ad Arcton, superati. Europa in extremis finium suorum partibus vndique exterrita, & armis contusa. In Asiam iam ante penetratum fuerat, * & victo Antiocho potentissimo Syriæ rege, victo Mithridate, Syria, * Phœnix, Ctesiphon, Babylonia, Iudæa, Palæstina, Arabia, Cilicia, & omne Ponti regnum, cum ipsa minore Asia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Isauria, & Cappadocia regiones continentur, mandatis obtemperauere. Cessit & vtraque Armenia armis attrita. Mesopotamia inter Tigridem & Euphratem, sanguine Parthorum ac Persarum crebro cruenta multiplici bello, demum Romano paruit. Diuersis temporibus cum Persis & Parthis assidue pugnatum, & vtrinque cladibus acceptis, Romanus superior fuit, & obstantibus imperauit. Ad Arcton Colchi, Hiberi, Albani, Scythæ, * Assyrij, Caspij, cum Amazonibus suis, ductu nostrorum ducum subiugati sunt. Ægyptiorum reges vltro in amicitia fœdere steterunt. Cyrene ac tota Libya & * Mauritania, exstincto Iuba, obsequentes fuere. Indi ex ipso extremo Oriente postremo ad te gloriosissime Principum, in extremo Occidente tum bella gerentem, legationem misere, ad obsequia se paratos profitentes, vt * nonnihil te imperante haud superesset indomitum. Æternum vale tui seculi perenne ac immortale decus, Cæsar Auguste.

fumans augustiore forma quàm fuisset: mandare præterea vt se pro numine acciperent: Quirinum in cœlo vocari placitum diis: ita gentium (imperio) Roma potiretur.

Cap. II.

SVCCESSIT Romulo Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis agentem vltrò petiuère, ob inclitam viri religionem. Ille sacra & cæremonias, omnemque cultum deorum immortalium docuit. Ille Pontifices, Augures, Salios, cæterósque per sacerdotia: annum quoque in XII. menses, fastos dies nefastósque descripsit. Ille Ancilia atque Palladium, secreta quædam imperij pignora, Ianumque geminum, fidem pacis ac belli: in primis focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad similitudinem celestium siderum, custos imperij flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eò denique ferocem populum redegit, vt quod vi & iniuria occupauerat imperium, religione atque iustitia gubernaret.

Cap. III.

EXCIPIT Pompilium Numam Tullus Hostilius, cui in honorem virtutis regnum vltro datum. Hic omnem militarem disciplinam, artémque bellandi condidit. Itaque mirum in modum exercitata iuuentute, prouocare ausus Albanos, grauem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis vtrique comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis Curiatiísque tergeminis hinc atque inde fratribus, vtriusq; populi fata commissa sunt. Anceps & pulchra contentio, exitúsque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui superérat Horatius, addito ad virtutem dolo, vt distraheret hostem, simulat fugam, singulosq. prout sequi poterant adortus exsuperat. Sic (rarum aliàs decus) vnius manu parta victoria est. quam ille mox parricidio fœdauit. Flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat: hunc tam immaturum virginis amorem vltus est ferro. Citabant leges nefas, sed abstulit virtus parricidiá, & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide mansit Albanus. Nam Fidenati bello missi in auxilium ex fœdere, medij inter duos expectauère fortunã. Sed rex callidus vbi inclinare se socios ad hostem videt, tollit animos, quasi ipse mandasset: spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruptorem fœderis Metium Fufetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: Albamq; ipsam quamuis parentem, æmulam tamẽ, diruit, cùm prius omnes opes vrbis, ipsumque populum Romam transtulisset, prorsus vt consanguinea ciuitas non periisse, sed in suum corpus rediisse rursus videretur.

Cap. IV.

ANCVS deinde Marcius, nepos ex filia Pompilij, pari ingenio. Hic igitur & mœnia muro amplexus est, & interfluentem vrbi Tiberim ponte commisit. Ostiámque in ipso maris fluminísque confinio coloniam posuit: iam tum videlicet præsagiẽs animo futurũ, vt totius mundi opes & cõmeatus illo veluti maritimo Vrbis hospitio reciperentur.

A Cap. V.

TARQVINIVS postea Priscus, quamuis transmarinæ originis, regnum vltro petens, accipit, ob industriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus maiestatem numero ampliauit, & centuriis tribus auxit: quamuis Attius Neuius numerum augeri prohiberet, summus augurio: quem rex in experimentum rogauit, fierine posset quod ipse mente conceperat. Ille rẽ B expertus augurio, posse respondit. Atque hoc, inquit, agitabam, an cotem illam secare nouacula possem. Augur, Potes ergo, inquit, & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neq; pace Tarquinius quàm bello promtior. XII. namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit: & inde Fasces, Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætexta: inde quòd aurato curru quatuor equis triumphatur: Togæ pictæ, tunicæque palmatæ: C omnia denique decora & insignia quibus imperij dignitas eminet.

Cap. VI.

SERVIVS Tullius deinceps gubernacula vrbis inuadit: nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam ob eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat: & clarum fore, visa circa caput flamma, promiserat. D Ergo inter Tarquinij mortem, adnitente regina, substitutus in locum regis quasi ad tempus, regnum dolo partum sic egit industria, vt iure adeptus videretur. Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus. Summáque regis solertia ita est ordinata Respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac si maxima ciuitas minimæ domus diligentia contine- E retur.

Cap. VII.

POSTREMVS omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod à Seruio tenebatur, rapere maluit quàm exspectare: immissísque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quàm acquisierat. Nec abhorrebat moribus F vxor Tullia, quæ vt virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento consternatos equos egit. Sed ipse in senatũ cædibus, in omnes superbia (quæ crudelitate grauior est bonis) grassatus, cùm sæuitiam iam domi fatigasset, tandem in hostes conuersus est. sic valida oppida in Latio capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabij, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim filium verberare dubitauit, vt simulanti trãsfugam apud hostes, hinc fides esset: cui Gabiis vt G voluerat recepto, atque per nuntios consulenti quid fieri vellet, eminentia fortè papauerum capita virgula decussit, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet. quæ superbia sic respondit. Tamen de manubiis captarum vrbium tẽplum erexit: quod quum inauguraretur; cedentibus ceteris deis (mira res dictu) restitère Iuuentas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: siquidẽ firma omnia & æterna pollicebantur.

Sed illud horrendum, quòd molientibus ædem in fundamentis humanum repertum est caput: nec dubitauere cuncti, monstrum pulcherrimum imperij sedem, capútque terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis populus Romanus perpessus est, donec aberat libido: hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit: quorum cùm alter ornatissimæ fœminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit: imperium tum Regibus abrogatum.

Cap. VIII.

Hæc est prima ætas Pop. Romani, & quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria tam variis ingenio, vt Reip. ratio & vtilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? talem res poposcit, vt ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quàm necessarius? vt acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam verò Tarquinij ornamenta & insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosceret respublica? Postremò Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immò vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderentur.

Cap. IX.

Igitur Bruto Collatinóque ducibus & auctoribus, quibus vltionem sui moriens matrona mandauerat, populus Romanus ad vindicãdum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum concitus, regem repentè destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen & iudice, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine vel mora corrumperetur. Consulésque appellauit pro regibus, vt consulere se ciuibus suis debere meminissent. Tantumque libertatis nouæ gaudium incesserat, vt vix mutati status fidem caperent, alterumque ex consulibus, tantùm ob nomen & genus regiũ fascibus abrogatis vrbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius Poplicola, summo studio annixus est ad augendam liberi populi maiestatem. Nam & fasces ei pro (libera) concione submisit, & ius prouocationis aduersus ipsos dedit. Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus verò fauori ciuium etiam domus suæ clade & patricidio velificatus est. Quippe cum studere reuocandis in vrbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & concione media virgis cæcidit, & securi percussit: vt planè publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum Ro. videretur. Liber iam hinc Po. Ro. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria, & imperio, lacessentibus assiduè vsquequaque finitimis, quippe cum patrij soli gleba nulla esset, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium & Tuscos quasi in quodam biuio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret, donec A quasi contagione quadam per singulos itum est. & proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redigeret.

Cap. X.

Pulsis ex vrbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamuis & armis & fame vr- B geret, occupatóque Ianiculo ipsis vrbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: nouissimè etiam tanta admiratione perculit, vt superior vltrò cum penè victis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana pericula atque miracula, Horatius, Mucius, Clœlia: quæ nisi in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles postquam hostes vndique instantes solus submouere non poterat, ponte reciso transnatat Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scæuula regem per insi- C dias in castris eius aggreditur: sed vbi frustratum circa purpuratum eius ictum tuetur, ardentibus focis iniicit manum, terrorémque geminat dolo. Vt scias, inquit, quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus: cum interim (immane dictu) hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sic quidam viri. Sed ne' qui sexus à laude cessaret, ecce & virginum virtus. Vna ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, Clœlia per patrium flumen equitabat. Et rex quidem tot tan- D tísque virtutum territus monitis, valere liberósque esse iussit. Tarquinij tamdiu dimicauerunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipso mutuo vulnere exspirauit, planè quasi adulterum ad inferos vsque sequeretur.

Cap. XI.

Latini quoque Tarquinios asserebant æmulatione & inuidia, vt populus qui foris domina- E batur, saltem domi seruiret. Igitur omne Latium Mamilio Tusculano duce, quasi in regis vltionem tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Postumius ipse dictator signum in hostes iaculatus est (nouum & insigne commentum, vti peteretur). Cossus equitum magister exuere frenos imperauit, & hoc nouum, quò acrius incurrerent. Ea demum atrocitas fuit prælij, vt interfuisse spectaculo deos fama tradiderit, duos in candidis equis Castorem atque Pollucem nemo dubitarit. Itaque & Impe- F rator veneratus est, pactúsque victoriam, templa promisit, & reddidit planè quasi commilitonibus deis stipendium. Hactenus pro libertate. Mox de finibus cum eisdem Latinis asiduè & sine intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt, Satricum atque Corniculum prouinciæ. De Veiis & Bouillis pudet, sed triumphauimus. Tibur nunc suburbanum, & æstiuæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Idem tunc Fæsulæ, G quod Taphræ nuper, idem nemus Aricinum, quod Hercinius saltus. Fregellæ, quod Gessoriacum, Tiberis, quod Euphrates. Coriolos quoque (proh pudor) victos adeò gloriæ fuisse, vt captum oppidum C. Marcius Coriolanus quasi Numantiam aut Africam nomini induceret. Extant & parta de Antio spolia, quæ C. Mænius in suggestu fori, capta hostium classe suffixit, si tamen illa classis,

classis, nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis naualis bellũ fuit. Peruicacissimi tamé Latinorum Æqui & Volsci fuere, & quotidiani, vt sic dixerim, hostes. Sed hos præcipuè L. Quintius domuit, ille dictator ab aratro qui obsessa ac penè iam capta L. Minutij consulis castra, egregia virtute seruauit. Medium erat fortè tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub iugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola. Fides numinum qua velocitate, intra VI. dies cœptum peractumque potius est bellum: vt festinasse dictator ad relictum opus videretur.

Cap. XII.

Assidvi verò & anniuersarij hostes ab Etruria fuere Veientes, adeò vt extraordinariam manum aduersus eos promiserit, priuatumque gesserit bellum gens vna Fabiorum, satis superque idonea clade. Cæsi apud Cremerá trecenti & sex, patricius exercitus: & scelerato signatur nomine quæ proficiscentes in prælium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atq. alios duces robustissima capta sũt oppida, vario quidem euentu. Falisci se sponte dediderunt. cremati suo igne Fidenates. Rapti funditus deletique Veientes. Faliscis, quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immeritò, quod ludimagistrum vrbis proditorem, cum his quos adduxerat pueris vinctum sibi vltrò remisisset. Eam námque Furius camillus, vir sanctus & sapiens, sciebat veram esse victoriam, quæ salua fide, & integra dignitate pararetur. Fidenæ quia pares non erant ferro, ad terrorem mouendum facibus armatæ, & discoloribus serpentum in modum vittis, ferali more processerant: sed habitus ille feralis euersionis omẽ fuit. Veientium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus, taxata stipendio hiberna, adactus miles sua sponte iureiurãdo, nisi capta vrbe nõ remeare. Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo & subterraneis dolis peractum vrbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, vt eius decimæ Apollini Pythio mitterentur, vniuersúsque populus Ro. ad direptionem vrbis vocaretur. Hoc tum Veientes fuêre, nunc fuisse quis meminit? quę reliquię? quodve vestigium? Laborat annaliũ fides, vt Veios fuisse credamus.

Cap. XIII.

Hinc siue inuidia deũ, siue fato, rapidissimus procurrentis imperij cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. quod tempus populo Romano nescio vtrum clade funestius fuerit, an virtutis experimẽtis speciosius. Ea certè fuit vis calamitatis, vt in experimentum illatam putem diuinitus, scire volentibus immortalibus diis, an Romana virtus imperiũ orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole perinde ac armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, vt planè nata ad hominum interitum, vrbium stra-

A gem videretur. Hi quondam ab vltimis terrarum oris, cùm cingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti, cum iam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. Tum Clusium oppidum obsidebant. Pro sociis ac fœderatis populus Romanus interuenit. Missi ex more legati. Sed quod ius apud barbaros? Ferocius agunt: Mouent exinde certamen. Conuersis igitur à Clusio, Romámque venientibus, ad Aliam flumen cum e-
B xercitu Fabius consul occurrit. Non Cremerę fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma mandauit. Fuso exercitu, iam mœnibus vrbis appropinquabant. Erant nulla præsidia. Tum igitur, aut nunquam aliás, apparuit vera illa Romana virtus. Quàm primum maiores natu amplissimis vsi honoribus, in forum coeunt: ibi deuouẽte pontifice diis se Manibus consecrant: statimq. in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt, vt
C cum venisset hostis, in sua dignitate morerentur. Pontifices & Flamines, quidquid religiosissimi in templis erat, partim in doliis defossa terra recondunt, partim imposita plaustris secum auferunt. Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. tum excepisse fugientes vnus è plebe fertur L. Albinius, qui depositis vxore & filiis, virgines in plaustrum recepit. Adeò tum quoque in vltimis, religio publica, priuatis affectibus antecellebat. Iuuentus verò, quam satis
D constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Iouem, vt quemadmodum ipsi ad defendendum templum eius concurrissent, ita ille virtutem eorum numine suo tueretur. Aderát interim Galli, apertámque vrbem primo trepidi, ne qui subesset dolus: mox vbi solitudinem vidẽt pari clamore & impetu inuadunt. Patentes passim domos adeunt: vbi sedentes in curulibus sellis prætextatos senes velut Deos Geniósque venerati
E mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant, facésque tectis iniiciunt, & totam vrbẽm igne, ferro, manibus, solo exæquant. Septẽ mensibus barbari (quis crederet?) circa montem vnũ pependerunt, nec diebus modò, sed noctibus quoq. omnia experti, quos tandẽ Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe deiecit: & vt spem hostibus demeret, quanquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciæ panes ab arce iaculatus est. Et stato quodam die per
F medias hostium custodias Fabium Pontificem ab arce demisit, qui solenne sacrum in Quirinali monte conficeret. Atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit, propitiosque deos renuntiauit. Nouissimè cum iam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbè, væ victis, increparent, subitò ag-
G gressus à tergo Camillus adeò cecîdit, vt omnia incendiorum vestigia, Gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus ipso tantæ cladis nomine libet. Pastorum casas ignis ille, & flamma, paupertatem Romuli, abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi vt destinata hominum ac deorum domicilio ciuitas non deleta, non obruta, sed expiata potius & illustrata videatur? Igitur post assertam à Manlio, re-

stinctam à Camillo vrbem, acrius etiam vehementiúsque in finitimos resurrexit. Ac primùm omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus mœnibus expulisse, cùm per Italiam naufragia sua lætius traheret, si persecutus est duce Camillo, vt hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, cum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit. Inde Torquati. Iterum in Pontino agro, cùm in simili pugna M. Valerius insequente Gallo, sacra alite adiutus retulit spolia, & inde Coruini. Nec non tamen post aliquot annos omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dollabella deleuit, ne quis extaret in ea gente, qui incensam à se Romam vrbem gloriaretur.

Cap. XIIII.

Conversvs à Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure consulibus, semper quidem æmulatione imperij & magistratuũ infestos tũ verò cõtẽptu vrbis incensæ, cùm ius ciuitatis partem imperij ac magistratuum poscerent pari imperio, atque iam amplius quàm congredi auderent. quo tempore quis cessisse hostem mirabitur: cùm alter consulum filium suum, quia contra imperium pugnauerat, quamuis victorem, occiderit, quasi plus in imperio esset, quàm in victoria; Alter quasi monitu deorum capite velato primam ante aciem diis Manibus se deuouerit, vt in confertissima se hostium tela, iaculatus, nouum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.

Cap. XV.

A Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adiunxerant. Sed Curio Dentato consule, omnem eum tractum, quà Nar ambit, fontésque Velini, Adriatico tenus mari, igne ferróque vastauit: qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, vt in vtro plus esset, nec ipse posset æstimare qui vicerat.

Cap. XVI.

Precibvs deinde Campaniæ motus, non pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis Samnitas inuadit. Erat fœdus cum vtrisque percussum, sed hoc Campani sanctius & prius, omnium suorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam sibi gessit. Omnium non modò Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cœlo: denique bis floribus vernat. Nihil vberius solo: ideo Liberi Cererísque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & Auernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montus, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuuius Ætnei ignis imitator. Vrbes ad mare, Formię, Cumæ, Puteoli, Neapolis Herculaneum, Pompeij, & ipsa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginémque numerata. Pro hac vrbe, iis regionibus populus Romanus Samnitas inuasit gentem, si opulentiam quæras, aureis & argenteis

A armis, discolori veste vsque ad ambitum armatam. Si insidiarum) falaciam, saltibus ferè & montium fraude grassantem. Si rabiem ac furorem, sacratis legibus humanísque hostiis in exitium vrbis agitatam. Si pertinaciam sexies rupto fœdere, cladibúsque ipsis animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, corumque liberos, ita subegit ac domuit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facilè appareat materia quatuor

B & viginti triumphorum. Maximè tamen nota & illustris ex hac gẽte clades apud Caudinas furcas Veturio Postumióque consulibus accepta est. Clausa enim per insidias intra eum saltum exercitu, vnde non posset euadere stupens occasione tanta dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit: & ille, mitteret omnes, vel occideret, sapienter vt senior suaserat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit, vt nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque

C & consules magnificè voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & vltionem flagitans miles à Papirio duce (horribile dictu) strictis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit, & in cõgressu arsisse omnium oculos hostis auctor fuit: nec prius finis cædibus datus quàm iugum & hostibus duci capto reposuerunt.

Cap. XVII.

D Hactenvs Populus Romanus bellum cum singulis gentium: mox aceruatim, tamen sic quoque pro omnibus, Etruscorum XII. populi in id tempus incitati, antiquissimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repentè coniurãt. Erat terror ingens tot simul tantorúmque populorum. A latere Etruria infesta, quatuor agminum signa volitabant. Ciminius interim saltus in medio, antè inuius planè quasi Caledonius, vel Hercinius, adeo tũc terrori erat, vt senatus consuli denuntiaret, ne tan-

E tum periculi ingredi auderet. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmisso explorat accessus. Ille per noctem pastorio habitu speculatus omnia refert. Tum sic Fabius Maximus periculosissimum bellum, periculo explicauit. Nam subitò inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus iugis, in subiectos suo more detonuit. Ea namque species fuit illius belli, quasi in Terrigenas è cœlo ac nubibus tela mit-

F terentur: nec incruenta tamen illa victoria: nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius, more patrio deuotum diis Manibus obtulit caput, solemnemque familiæ suæ consecrationem in victoriæ pretium redegit.

Cap. XVIII.

Seqvitvr bellum Tarentinum, vnum quidem titulo & nomine, sed victoria multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, &

G caput belli Tarentinos, id est totam Italiam, & cũ illis omnibus Pyrrhum clarissimum Græciæ regem, vna veluti ruina pariter inuoluit, vt eodem tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentus etiam Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ totiusque Lucaniæ caput, tùm magnitudine & muris portuque nobili, tum mirabili situ.

situ. quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in oras nostras, Istriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum vrbis theatrum, quod quidem causa miseræ ciuitati fuit omnium suarum calamitatum. Ludos forte celebrabant, quum remigantes littori Romanas classes inde vident: atque hostem rati, emicant sine discrimine insultantique: qui autem, aut vnde Romani, nec satis norant. Aderat sine mora querelam ferens legatio: hanc quoque fœdius per obscœnam turpémque dictu contumeliam violant. Ex hinc bellum: sed apparatus horribilis, cùm tot simul populi pro Tarentinis consurgerent: omnibusque vehementior Pyrrhus, qui semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus ciuitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore veniebat. Apud Heracleam, & campaniæ fluuium Sirim, Læuino consule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, vt Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius, inuectus in regem, turbauerit, coegeritque proiectis insignibus prælio excedere. Actum erat, nisi elephanti conuersi in spectaculum belli procurrissent: quorum tum magnitudine, tum deformitate & nouo colore simul ac stridore consternati equi, cum incognitas sibi belluas amplius quàm erant suspicarentur, fugam stragémque latè dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Fabricio Æmilióque Coss. Iam quippe belluarum terror exoleuerat, & C. Minucius quartæ legionis hastatus, vnius proboscide abscissa mori posse belluas ostenderat. Itaque & in ipsas pila congesta sunt: & in turres vibratæ faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quàm nox diriméret, postremusque fugientium ipse rex à satellitib. humero saucius in armis suis referretur in Lucania suprema pugna sub Aurusinis, quos vocant, campis ducibus iisdem qui superius. Et tunc toti victoriæ exitum quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, vnum ex his pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit: qui cum per stragem suorum percurrens stridore quereretur, mater agnouit, & quasi vindicatura exsiliuit: tum omnia circa quasi hostilia graui timore permiscuit. ac si eædem feræ, quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine controuersia tradidere. Nec verò tantum armis, & in campis, sed consiliis quoque & domi intra vrbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam victoriam rex callidus intellecta virtute Romana statim desperauit armis, séque ad dolos contulit. Nam interemtos cremauit, captiuósque indulgenter habuit, & sine pretio restituit. Missisque deinde legatis in vrbem, omni modo adnixus est, vt in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Romana virtus tum se probauit: nec alia magis quàm Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. Quinam illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo prælio obrutos accipimus? omnium vulnera in pectore, quidam hostibus suis immortui, omniũ in manibus enses, & relictæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira viuebat. Quod adeò Pyrrhus miratus est, vt diceret: O quàm facile erat, orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis! Quæ autem eorum qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio? cum Pyrrhus, Video me, inquit, planè Herculis sidere procreatum, cui quasi ab angue Lernæo tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascũtur. Qui autem ille senatus fuit? cum perorantem Appio Cæco, pulsi cum muneribus suis ab vrbe legati, interroganti regi suo quid de hostium sede sentirent, Vrbem templum sibi visum, senatum regum esse concessum confiterentur. Quales porrò ipsi duces vel in castris? cum medicum venale regis Pyrrhi caput afferentem Curius remisit, Fabricius oblatam sibi à rege imperij partem repudiauit. Vel in pace? cum Curius fictilia sua Samnitico præferret auro: Fabricius decem pondo argenti facti circa Rufinum consularem virum, quasi luxuriam censoria grauitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, virtute, militia, victorem Po. Romanum fuisse? vnóque bello Tarentino intra quadriénium maximam partem Italiæ, fortissimas gentes, opulentissimas vrbes, vberrimásque regiones in deditionem redegisse? Aut quid adeò fidem superet, quàm si principia belli cum exitu conferantur? Victor primo prælio Pyrrhus, totam tremente Italiam, Campaniam, Lirim Fregellásque populatus, propè captã vrbem à Prænestina arce prospexit, & à vigesimo lapide oculos trepidæ ciuitatis fumo ac puluere impleuit. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciam suam trans mare ac terras fugato, pax & quies & tanta adeò de opulentissimis tot gentibus spolia, vt victoriam suam Roma non caperet. Nec enim vllus pulchrior in vrbem, aut speciosior triumphus intrauit, cum ante hunc diẽ nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpẽta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset. Tum si captiuos aspiceres: Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus. Si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæ que deliciæ. Sed nihil libentius Po. Romanus aspexit, quam illas quas timuerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captiuitatis summissis ceruicibus victores equos sequebantur.

CAP. XIX. XX. XXI.

OMNIS mox Italia pacẽ habuit. Qui enim post Tarentum auderent? nisi quòd vltro persequi socios hostium placuit. Domiti hinc Picentes, & caput gentis Asculum P. Sẽpronio duce: qui tremente inter prœlium campo, Tellurem deam promissa æde placauit.

SALENTINI Picentibus additi, caputque regionis Brundusium inclyto portu, M. Atilio duce. Et in hoc certamine, victoriæ pretium, templum sibi pastoria Pales vltrò poposcit.

POSTREMI Italicorum in fide mansere Vulsinij opulentissimi Etruscorum, implorantes opem aduersus seruos quondam suos: qui libertatem à dominis datam, in ipsos erexerant, translatáque in se Rep. dominabantur. Sed hi quoque duce Fabio Gurgite pœnas dederunt.

CAP. XXII.

HÆC est secunda ætas Po. Romani, & quasi adolescentia, qua maximè viruit, & quodam flore

virtutis exarsit, ac ferbuit. Ita, quæ inerat quædam adhuc ex pastoribus feritas, quiddã spirabat indomitum. Inde est, quod exercitus Postumium Imperatorem, inficiantem quas promiserat prædas, facta in castris seditione lapidauit: Quòd sub Appio Claudio noluit vincere hostem, cum posset: Quòd duce Voletone, detrectantibus plerisque militiam, fracti consulis fasces. Inde quòd clarissimos principes, quòd auersarentur voluntati suæ, exsultatione multauit: vt Coriolanum colere agros iubentem. Nec minus ille ferociter iniuriam armis vindicasset, nisi quòd iam inferentem signa filium mater Veturia lacrymis suis exarmauit. Vt ipsum Camillum, quod inique inter plebem & exercitum diuisisse Veientem prædam videretur. Sed hic melior obsessis in capta vrbe consuluit: & mox supplices de hoste Gallo vindicauit. Cum senatu quoque de æquo bonoq; certatum est; adeò vt relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minarentur.

Cap. XXIII.

Prima discordia ob impotentiam fœneratorum, quibus in terga quoque seruiliter sæuientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit, ægréque nec nisi Tribunos plebis impetrasset: Menenij Agrippæ facundi & sapientis viri auctoritate reuocata est. Exstat orationis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula, qua dissensisse inter se quondam humanos artus dicitur, quòd omnibus D opere fungentibus, solus venter immunis ageret: deinde moribundos à seiunctione redisse in gratiam, quando sensissent quòd eius opera redactis in sanguinem cibis irrigarentur.

Cap. XXIIII.

Secvndam in vrbe media decemuiratus libido conflauit. Allatas à Græcia leges, decem principes lecti, iubente populo conscripserant: ordinatáque E erat in duodecim tabulis tota iustitia: cum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. Ante ceteros Appius Claudius eò insolentiæ elatus est, vt ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & iuris quod ipse composuerat. Itaque cum oppressam iudicio filiam, trahi in seruitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro, manu sua interfecit, admotísque signis commilitonum, totam eam dominationem obsessam armis in carcerem F & catenas ab Auentino monte detraxit.

Cap. XXV.

Tertiam seditionem excitauit matrimoniorum dignitas, vt plebei cum patriciis iungerentur, qui tumultus in monte Ianiculo, duce Canuleio Tribuno plebis exarsit.

Cap. XXVI.

Qvartam honorum cupido, vt plebeij quoque magistratus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater, alteram Sulpitio patricij sanguinis dederat, alteram plebeio Stoloni. qui, quòd vxor eius ad lictoriæ virgæ sonum ignotum penatibus suis expauerat, & à sorore satis insolenter irrisa esset, iniuriã nõ tulit. Itaq; nactus tribunatũ honorũ

A & magistratuum consortium quamuis inuito senatui extorsit. Verum in his ipsis seditionibus principem populum non immeritò suspexeris: siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora & insignia vindicauit. Interque omnia hæc nullius acrior custos, quàm libertatis fuit: nullaque in pretium eius potuit largitione corrumpi, cum vt in magno, & in dies maiore populo, interim perniciosi ciues existerent, Sp. Cassium Agraria lege, Meliũ B largitione suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multauit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumsit: hunc Quinctij Dictatoris imperio in medio foro Magister equitum Seruilius Ahala confodit, Manlium verò Capitolij vindicem, quia plerosque debitorum liberauerat, altius se & inciuilius efferentem, ab illa quam defenderat arce deiecit. Talis domi ac foris, talis pace belloque populus Romanus, fretum illud adolescentiæ, id est, secundam imperij ætatem habuit, C in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis subegit.

LIBRI SECVNDI
CAPVT I.

Domita subactáque Italia, Romanus prope quingẽtesimum annũ agẽs, cũ bona fide adoleuisset, si quod est robur, si qua iuuẽtus, tũ ille verè robustus & iuuenis, & par orbi terrarũ esse cœpit. Itaq;, (mirum, & incredibile dictu) qui propè quingentis annis domi luctatus est (adeò difficile fuerat dare Italiæ caput) his cc. annis qui sequũtur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragrauit.

Cap. II.

Igitvr victor Italiæ populus, cum à terra fretum vsque venisset, more ignis, qui obuias populatus incendio siluas, interueniẽte flumine abrumpitur, paulisper substitit. Mox cum videret opulentissimam in proximo prædam quodammodo Italiæ suæ abscissam, & quasi reuulsam; adeo cupiditate eius exarsit, vt quatenus nec mari iungi nec pontibus posset, armis belloque iungenda, & ad continentem suam reuocanda bello videretur. Sed ecce, vltrò ipsis viã pãdentib. fatis, nec occasio defuit, cum de Pœnorũ impotentia, fœderata Siciliæ ciuitas Messana quereretur. Affectabat.n. vt Romanus, ita Pœnus Siciliam: & eodem tempore paribus vterq; votis ac viribus imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios iuuandi, re autem sollicitante præda, quãquam territaret nouitas rei, tanta tamen in virtute fiducia est, ille rudis, ille pastorius populus, veréque terrestris, ostendit nihil interesse virtutis, equis an nauibus, G terra an mari dimicaretur. Appio Claudio consule primum fretũ ingressus est, fabulosis infame monstris, æstuque violentum, sed adeò non est exterritus, quin ipsam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur: statimque ac sine mora Hieronẽ Syracusanum regem tãta celeritate vicit, vt ipse ille se prius victum quàm hostem videret, fateretur. Duilio Corneliõq; consulibus, etiam mari congredi ausus est. Tũ quidẽ ipsa velocitas classis compara-

pacis, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem, quàm cæsa sylua fuerat, CLX. nauium classis in ancoris stetit, vt non arte factæ, sed quadam munere deorum conuersæ in naues, atque mutatæ arbores viderentur. Prælij verò fama mirabilis, quum illas sceleres volucrésque hostium rates, hæ graues, tardæque comprehenderent. Longe illis nauticæ artes detorquere remos, & ludificari fuga rostra. Iniectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ, coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas, mersa & fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum, Cuius quod gaudium fuit? quum Duillus imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem vbi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet. Pro tanta victoria leuè huius prælij damnum fuit. Alter consulum interceptus Gn. Cornelius Asina, qui simulato colloquio euocatus atque oppressus fuit, perfidiæ Punicæ documentum. Calatino dictatore, ferè omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepidatum est semel circa Camerinensium saltum, sed eximia virtute Calfurnij flammæ tribuni militum euasimus, qui lecta CCC. manu infestum & insessum ab hostibus tumulum occupauit adeóque morauit hostes, dum exercitus omnis euaderet, ac sic pulcherrimo exitu, Termopylarum & Leonidæ famam adæquauit. Hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit, & superuixit, licet nihil scripserit sanguine. Lucio Cornelio Scipione, cum iam Sicilia suburbana esset populi Romani, prouincia, serpente latius bello in Sardiniam, annexámque ei Corsicam transit, vbi & hic Caralæ vrbis excidio incolas terruit, adeóque omneis terra maríque Pœnos expugnauit, vt iam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce iam in Africam nauigabat bellum. Nec deerant qui in ipso Punici maris nomine, ac terrore deficerent, augente insuper Tribuno Mannio metum, in quem nisi paruisset, securi districta Imperator, metu mortis nauigandi fecit audaciam: mox ventis remísque properatum est, tantúsque terror hostici aduentus Pœnis fuit, vt apertis penè portis Carthago caperetur. Belli prima præmium fuit ciuitas Clypea. Prima enim à Punico littore quasi arx & specula procurrit, & hæc & CCC. amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus modo, sed cum monstris quoque dimicatum est, quum quasi in vindictam Africæ, nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bragadam castra vexaret. Sed omnium victor Regulus quum terrorem nominis sui latè circumtulisset, cúmque magnam vim iuuentutis, ducésque ipsos aut cepisset aut haberet in vinculis, classemque ingenti præda onustam & triumpho grauem in vrbem præmisisset, etiam ipsam caput belli Carthaginem vrgebat obsidione, ipsísque portis inhærebat. Hic Paulum circumacta fortuna est, tantum vt plura deessent Romanæ vrbis insignia, cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conuersis ad extrema auxilia hostibus, quum Xantippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo vincimur, cum fœda clade Romanísque vsu incognita. Viuus in manus hostium venit fortissimus Imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere fractus est, nec legatione suscepta. Quippe diuersa quàm hostes mandauerant censuit, ne pax fieret,

A nec commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec vltimo siue carceris seu crucis supplicio deformata maiestas. Imò his omnibus admirabilior, quid aliud quàm victus de victoribus, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphauit. Populus autem Romanus multo acrior, infestiórque pro vltione Reguli, quàm pro victoria fuit. Metello igitur consule spirantibus altius Pœnis & reuerso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cæcidit, vt ne B amplius ea in insula concitaretur. Argumentum ingentis victoriæ, centum circiter elephantorum captiuitas. Sic quoque magna præda, si gregem illam non bello, sed venatione cepisset. P. Claudio consule non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, duorum auspicia contempserat, ibi statim classe demersa, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur. M. Fabio Buteone consule, classem hostium in Africo mari apud Egimurum iam in Italiam vltro nauigantem cæcidit. C Quamuis Octauio triumphus tépestate intercidit, quum opulenta præda classis aduersis acta ventis naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora impleuit. Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate intercepta tempestate victoria, & triumphum periisse naufragio. Et tamen quum Punicæ prædæ omnibus insulísque fluitarent, Pop. Rom. triumphauit Luctatio Catulo consule: tandem bello finis impositus apud insulas, quibus nomen Aegates: nec D maior alia in mari pugna, quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis, grauis hostium classis, & in eis quasi tota Carthago, quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, leuis, expedita, & quodam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis quasi habenis agebatur, & in hos vel in illos ictus mobilia rostra speciem viuentium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates totum inter Siciliam Sardiniámque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta E denique fuit illa victoria, vt de excidendis hostium mœnibus non quæreretur. Superuacuum visum est in arcem murósque sæuire, quum iam in mari esset deleta Carthago.

BELLVM LIGVSTICVM. CAPVT III.

PERACTO Punico bello, sequuta est breuis sane & quasi ad recipiendum spiritum requies, F argumentúmque pacis, & bona fide cessantium armorum. Tunc primum post Numam clausa fuit porta Iani, sed statim, ac sine mora patuit. Quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, nec non & Illyrici lacessebant. Sic de sub Alpibus, id est, de sub ipsis Italiæ faucibus gentes, deo quodam assiduè incitante, ne rubiginem ac situm arma sentirent: denique ita quotidiani & quasi domestici hostes tyrocynia militum imbuebant, nec aliter vtraque gente quasi cote quadam Pop. Roman. ferrum suæ G virtutis acuebat. Ligures imis Alpium iugis adhærentes, inter Varum & Macrum flumen, implicitos dumis syluestribus maior aliquanto labor erat inuenire quàm vincere. Tutum locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia quàm bella faciebat. Itaque quum diu multúmque eluderent Salij, Decates, Oxybij, Euburiates, incognitas tandem Fuluius latebras eorum ignibus sepsit, Bæbius in plana d-

duxit, Poſthumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

BELLVM GALLICVM.
CAPVT IV.

GALLIS Inſubribus & his accolis Alpium animi ferarum, corpora plus quàm humana erant. Sed experimento deprehenſum eſt: quippe ſicut primus impetus eis maior quàm virorum eſt, ita ſequens minor quàm fœminarum. Alpina corpora humenti cœlo educata, habent quiddam ſimile niuibus ſuis, quæ mox vt caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & leui motu, quaſi ſole laxantur. Hi ſæpe & aliâs, ſed Britomaro duce non prius ſoluturos ſe baltea, quàm Capitolium aſcendiſſent, iurauerant. Factum eſt. Victos enim Aemilius in Capitolio diſcinxit. Mox Aſtrionico duce vouere de noſtrorum militum præda Marti ſuo torquem. Intercepit Iupiter votum, nam de torquibus eorum aureum trophæum Ioui Flaminius erexit. Viridomaro rege Romana arma Vulcano promiſerant: aliorſum vota ceciderunt. Occiſo enim rege Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Ioui arma ſuſpendit.

BELLVM ILLYRICVM.
CAPVT V.

ILLYRII ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arſiam Tytiúmque flumen, D longiſſime per totum Adriatici maris littus effuſi. Hi regnante Teuca muliere populationibus non contenti, licentiæ ſcœlus addiderunt. Legatos quippe noſtros, ob ea quę deliquerát iure agentes, nec gladio quidem, ſed vt victimas ſecuri percutiunt, præfectos nauium igne comburunt, idque quo indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cn. Fuluio Centimalo duce, late domantur. Strictæ in principium colla ſecures, legatorum manibus litauere.

BELLVM PVNICVM SECVNDVM.
Caput VI.

POST primum Punicum bellum vix quadriennis requies. Ecce alterum bellum minus quidem ſpatio: nec enim amplius quàm XVIII. annos habet: ſed adeò cladium atrocitate terribilius, vt ſi quis conferat damna vtriuſque populi, ſimilior victo ſit populus qui vicit. At pudebat nobilem populum, ablatum mare, raptæ inſulæ, dare tributa quæ iubere conſueuerat. Hinc in vltionem puer Hannibal ad aram patri iurauerat: nec remorabatur.

Igitur in cauſa belli Saguntus deleta eſt, Hiſpaniæ ciuitas opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, ſed triſtè monumentum, quàm in libertate communi fœdere exceptam Hannibal cauſas nouorum motuum quærens, & ſuis, & ipſorum mœnibus euertit, vt Italiam ſibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio eſt. Itaque ad auditum ſociæ ciuitatis obſidium, memores icti cum Pœnis quoque fœderis, nõ ſtatim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo quæri malunt. Interim iam nouem menſibus feſſi fame, machinis, ferro & igne, verſa denique in rabiem fide, immané in foro excitant rogum, tum deſuper ſe ſuóſque cũ omnibus opibus ſuis ferro & igne corrumpũt. Hu- A ius tantæ cladis autor Hannibal poſcitur. Tergerſantibus Pœnis, dux legationis Romanorum: Quę, inquit, mora eſt? Fabius. In hoc ego ſinu bellum affero & pacem, vtrum eligitis? vtrum placet ſumite. Quumque ſucclamatum eſſet, vtrum vellet daret. Bellum igitur inquit, accipite: & excuſſo in media curia togę gremio, nõ ſine horrore, quaſi planè ſinu bellum ferret, effudit. Similis exitus belli initio fuit. Nam quaſi has inferias ſibi Saguntinorum vltimę dirę in illo publico parricidio incendióq; mandi- B ſent, ita manibus eorũ vaſtatione Italiæ captiuitate Africę, ducum & regum, qui id geſſere bellũ, exiti parentatum eſt. Igitur vbi ſemel ſe in Hiſpania mouit illa grauis & luctuoſa Punici belli vis atq; tempeſtas deſtinatumq; Romanis iam diu fulmen, Saguntino igne conflauit, ſtatim quodã impetu rapta, medias perfregit Alpes, & in Italiã ab illis fabuloſę altitudinis niuibus, velut cœlo miſſa deſcendit: ac primi quidẽ impetus turbo, inter Padum & Ticinũ valido ſtatim fragore detonuit. Tum Scipione duce fuſus exercitus: ſaucius & ipſe veniſſet in hoſtium C manus Imperator, niſi protectum patrem prætextatus admodũ filius, ab ipſa morte rapuiſſet. Et hic erit Scipio, qui in exitium Africæ creſcit, nomen ex malis eius habiturus. Ticino Trebcia ſuccedit. Hic ſecunda belli Punici procella deſæuit Sãpronio cõſule: tũc callidiſſimi hoſtes frigidũ & niualem nacti diem, quum ſe ignibus prius oleoq; fouiſſent, horribile dictu, homines à meridie & ſole venientes, noſtra nos hyeme vicerunt. Trãſimenus lacus tertium D fulmẽ Hannibalis, Imperatore Flaminio. Ibi quoq; ars noua Punicæ fraudis. Quippe nebula lacus, paluſtribuſq; virgultis tectus, equitũ terga ſubito pugnantiũ inuaſit. Nec de diis poſſumus queri. Imminentem temerario duci cladem prædixerant inſidẽtia ſignis agmina, & aquilæ prodire nolentes, & cõmiſſam aciem ſequutus ingens terræ tremor: niſi illum horrorẽ ſoli equitum virorumq; diſcurſus, & mota vehemẽtius arma fecerint. Quartum id eſt penè vltimum vulnus imperij, Cannæ ignobilis Apu- E lię vicus, ſed magnitudine cladis emerſit, & XL. millium cęde parta nobilitas. Ibi in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota deniq; rerum natura cõſenſit. Si quidem non contentus ſimulatis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnantiũ ceciderant: inſuper callidiſſimus Imperator, patentibus in campis obſeruato loci ingenio, quod & ſoli ibi acerrimus, & plurimus puluis, & Eurus ab Oriẽte ſemper quaſi ad conſtitutum, ita inſtruxit aciem, vt Romanis aduerſus hæc omnia aduerſis, quaſi ſe- F cum cœlum tenens, vento, puluere, ſole, pugnaret. Itaq; duo maximi exercitus cæſi ad hoſtiũ ſatietatẽ, donec Hannibal diceret militi ſuo, Parce ferro. Ducum effugit alter, alter occiſus eſt: dubium vter maiore animo. Paulum puduit, Varro non deſperauit. Documenta cladis: cruentus aliquandiu Aufidius. Pons de cadaueribus iuſſu ducis factus in terrorem Vergilij. Modi duo annulorum Carthaginem miſſi, dignitáſq; equeſtris taxata menſura. Dubiũ deinde non erat, quin vltimum illum diẽ habitura fue- G rit Roma, quintumq; intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit, ſi (quod Pœnum illũ dixiſſe Maharbalem Bomilcaris ferunt) Hannibal quemadmodum ſciret vincere, ſic vti victoria ſciſſet. Tum quidem illum, (vt dici vulgo ſolet) aut fatum vrbis imperaturæ, aut ipſius mẽs mala, & auerſi à Carthagine alij, in diuerſũ abſtulerunt, quũ victoria poſſet vti, frui maluit, relictáq; Romã, Cãpaniã, Tarentũque peragrare, vbi mox & ipſe & exercitus ardor elanguit,

languit, adeò vt verum dictum sit, Capuam Annibali Cannas fuisse. Siquidem inuictum Alpibus, indomitum armis Campanię (quis crederet) soles, & tepentes fontibus Baiæ, subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma non erát, detracta sunt tẽplis. Deerat iuuẽtus, in sacramentum militiæ liberata seruitia. Egebant ærario, opes suas libens senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis, cingulis, atque annulis erat, quicquam sibi auri reliquére. Eques secutus exemplum, imitatæque equitem tribus: denique vix suffecere tabulæ, vix scribarum manus, Læuino Marcellóque consulibus, cum priuatæ opes in publicum deferrentur. Quid autem in eligendis magistratibus? quæ centuriarum sapientia? cum iuniores à senioribus consilium de creandis consulibus petiuére? Quippe aduersus hostem toties victorem, tam callidum, non virtute tantùm, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis, & vt sic dixerim, reuiuiscẽtis imperij spes Fabius fuit, qui nouam de Annibale victoriam commentus est, non (velle) pugnare. Hinc illi cognomen nouum, & Reip. salutare, Cunctator. Hinc illud ex populo, vt imperij scutum vocaretur. Itaq. per Samniũ totum, per Falernos Gauranósq. saltus sic macerauit Annibalẽ, vt qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce etiam congredi ausus est comminus venit, & pepulitè Campania sua, & ab obsidione Nolæ vrbis excussit. Ausus & Sempronio Graccho duce per Lucaniã sequi, & premere terga cedentis, quamuis tunc (ô pudor) manu seruili pugnaret. Nam huc vsq; tot mala compulerant. sed libertate donati, fecerant de seruitute Romanos. O horribilem in tot aduersis fiduciam, ò singularem animum ac spiritũ populi Romani tam arctis afflictisque rebus, cum de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diuersa respicere: cúmque hostes in iugulo per Campaniam Apuliámque volitarent, mediámque iam de Italia Africam facerent, eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, diuersa per terrarum orbem arma mittebat. Sicilia mandata Marcello nec diu restitit. Tota enim insula in vna vrbe superata est. Grande illud, & ante id tẽpus inuictum caput Syracusæ, quamuis Archimedis ingenio defenderetur, aliquando cessere. Longè illi triplex murus, totidémque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ, quid hactenus profuere, nisi vt pulchritudini victæ vrbis parceretur? Sardiniam Gracchus arripuit: nihil illi gentium feritas, Insanorumque (nam sic vocantur) immanitas mentium profuére. Sæuitum in vrbes, vrbémque vrbium Caralim, vt gens contumax, vilisque mortis, saltem desiderio patrij soli domaretur. In Hispaniam missi Cneus & Publius Scipiones, pene totam Pœnis eripuerant, sed insidiis Punicæ fraudis oppressi, rursus amiserunt, magnis quidem illi præliis, cùm Punicas opes cecidissent: sed Punicæ insidiæ alterum ferro castrametantem, alterum cùm euasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in vltionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa cognomen fata decreuerant, bellatricem illam viris armisque nobilem Hispaniam illam seminariam hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à Pirenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperauit: nescias ci-

A tius, an facilius: quàm velociter, quatuor anni fatentur: quàm facilè, vel vna ciuitas probat, eodem quippe quo obsessa est die, capta est, oménque Africanæ victoriæ fuit, quòd tam facile capta est Hispana Carthago. Certum est tamen ad profligandam prouinciam maximè profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captiuos pueros puellásque præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem vel oculis videretur. Hæc in-

B ter diuersa terrarum, populus Romanus: nec ideo tamen Italiæ visceribus inhærentem summouere poterat Annibalem. plerique ad hostem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos, Italicis quoque viribus vtebatur. Iam tamen cum plerisque oppidis & regionibus excesseramus. Iam Tarentus ad nos redierat. Iam & Capua, sedes & domus & patria altera Annibalis tenebatur, cuius amissio tantum Pœno duci dolorem dedit, vt

C inde totis viribus in Romam conuerteretur. O populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore, & admiratione hominum ac deorum. Compulsus ad vltimos metus, ab incepto non destitit, & de sua vrbe sollicitus, Capuam tamen non omisit, sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in vrbem secuta, absens simul præsénsque pugnabat. Quid ergo miramur? Mouenti castra à tertio lapide Annibali, iterum ipsos deos, deos inquam (nec fateri pudebit) restitisse. tanta enim ad singulos illius motus

D vis imbrium effusa est, tanta ventorum violentia coorta, vt diuinitus hostem summoueri non à cœlo, sed ab vrbis ipsius mœnibus & capitolio videretur. Itaque fugit & cessit, & in vltimum se Italiæ recepit sinum, cum vrbem tantum non adortam reliquisset. Parua res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax, quòd illis ipsis quibus obsidebatur diebus ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romæ

E fuit, hastæque subiectus inuenit emptorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari, subiecitque argentarias vrbis tabernas, nec sector inuentus est: vt scias etiam præsagia fatis fuisse. Nihil actum erat tanta virtute, tanto fauore etiam deorum. Si quidem ab Hispania Asdrubal frater Annibalis cum exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se cum fratre iunxisset: sed hunc quoque castrametantem Claudius Nero cum Liuio Salinatore de-

F bellat. Nero in vltimos Italiæ angulos summouerat Annibalem, Liuius in diuersissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces signa conuerterat, tanto, id est, omni, quà longissima Italia, solo interiacente. Quo consilio, qua celeritate consules castra coniunxerint, inopinantémque hostem collatis signis compresserint, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est: certè Annibal re cognita, cùm proiectum fratris caput ad sua castra vidisset, Agnosco, inquit, infelicitatem

G Carthaginis. Hæc fuit illius viri, non sine præsagio quodam fati imminentis, prima cõfessio. Iam certum erat Annibalem etiam ipsius confessione posse vinci. Sed tot rerum prosperarũ fiducia plenus pop. Rom. magni æstimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipsam Africam tota mole conuersus, imitari cœpit Annibalem, & Italiæ suæ clades in Africa vindicare. Quas ille (dij boni) Asdrubalis copias,

quos Syphacis exercitus fudit? Quæ, quantáque vtriusque castra facibus illatis vna nocte deleuit? Denique iam non à tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat: sic factum est, vt inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit maior sub imperio Romano dies, quàm ille, cùm duo omnium & antea & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis comminus signis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi: vbi de pace non conuenit, signa cecinere. Cóstat vtriusque confessione, nec melius instrui acié, nec acrius potuisse pugnari. hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicauerût. Sed tamen Annibal cessit, præmiúmque victoriæ Africa fuit, & secutus Africam terrarum orbis.

Cap. VII.

Post Carthaginem vinci neminem puduit. C Secutæ sunt statim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, ceteráque omnia quodam quasi æstu & torrente fortunæ. Sed primi omnium Macedones, affectator quondam imperij populus. Itaque quamuis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro videbantur. Macedonicum bellum nomine amplius quàm exspectatione gentis fuit. Caussa cœpit à fœdere Philippi, quo rex iam pridem dominantem in Italia Annibalem sibi sociauerat: D postea creuit: implorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, cùm ille vltra ius victoriæ, in templa, aras & sepulchra ipsa sæuiret. Placuit senatui opem tantis ferre supplicibus. Quippe iam gentium reges, duces populi, nationes præsidia sibi ab hac vrbe petebant. Primo igitur Lęuino consule populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ littora, veluti triumphanti classe peragrauit. Spolia quoque Siciliæ, Hispaniæ, Sardiniæ, Africæ præferebat. Et manifestam victoriam, nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. E Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamorum. Aderant Rhodij nauticus populus, quibus à mari, consul à terris omnia equis virísque quatiebat. Bis victus rex, bis fugatus, bis exsutus castris, cum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu, quæ non spiculis, neque sagittis, nec vllo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, vltra morem patebant. Enimuero Flaminio duce inuios F antea Chaonum montes: Pindúmque amnem per abrupta vadentem, & ipsa Macedoniæ claustra penetrauimus. Introisse, victoriæ fuit. Nam postea nunquam ausus congredi rex, ad tumulos quos Cynoscephalas vocant, vno, ac ne hoc quidem iusto prælio opprimitur. Et illi quidem consul pacem dedit, regnúmque concessit. Mox ne quid esset hostile, Thebas, & Eubœam, & grassantem sub Nabide suo Lacedæmona compescuit. Græciæ verò veterem statum reddidit, vt legibus viueret G suis, & auita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerũt? Cùm hoc fortè Nemeæ in theatro Quinquennalibus ludis à præcone caneretur, quo certauere plausu? quid florum in consulem profuderunt? Et iterum iterúmque præconem repetere illam vocem iubebant, qua libertas Achaiæ pronuntiabatur: nec aliter illa consulari sententia, quàm modulatissimo aliquo tibiarum A aut fidium cantu, frusbantur.

Cap. VIII.

Macedoniam statim & regem Philippum Antiochus excepit quodam casu, quasi industria sic adgubernante fortuna, vt quemadmodum ab Africa in Europam, sic ab Europa in Asiam, vltrò se suggerentib. caussis, imperium procederet; & cùm terrarũ orbis situ, ipse ordo victoriarum nauigaret. Non aliud formidolosius fama B bellum fuit. Quippe cum Persas & Orientem, Xerxem atque Darium cogitarent, quando perfossi inuij montes, quando velis opertũ mare nũtiarentur. Ad hoc celestes minæ territabant, cum humore continuò Cumanus Apollo sudaret. Sed hic fauentis Asiæ suæ numinis timor erat. Nec sanè viris, opibus, armísque quidquã copiosius Syria: sed in manus tam ignaui regis inciderat, vt nihil fuerit in Antiocho speciosius, quàm quod à Romanis victus est. Impulere regem in id bellum, C illinc Thoas Ætoliæ princeps, inhonoratam apud Romanos quærens aduersus Macedones militiæ suæ societatem: hinc Annibal, qui in Africa victus, profugus, & pacis impatiẽs, hostẽ Pop. Rom. toto orbe quærebat. Et quod illud fuisset periculũ, si se consiliis eius rex tradidisset? si Asiæ viribus vsus fuisset miser Annibal? Sed rex suis opibus & nomine regio fretus, satis habuit bellum mouere. Europa iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat. Hic Lysimachiam vrbem in littore Thra- D cio positam à maioribus suis, Antiochus vt hæreditario iure repetebat. Hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas, & maximus regum conuectus, fortiter indicto bello, cum ingenti strepitu ac tumultu mouisset ex Asia, occupatis statim insulis, Græciæque littoribus, otia & luxus tãquam victor agitabat. Eubœam insulam continenti adhærentem tenui freto, reciprocantibus aquis Euripus abscidit. Hic ille positis aureis sericisque tentoriis sub ipso freti murmure, cum inter flu- E enta tibiis fidibusque concineret, collatis vndique, quamuis per hiemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, virginum puerorumque delectus habebat. Talem ergo regem iam sua luxuria debellatum, populus Rom. M. Acilio Glabrione consule in insula aggressus, ipso statim aduentus sui nuntio, coegit ab insula fugere. Tam præcipitem apud Thermopylas assecutus locum, CCC. Laconum speciosa cæde memorandum, ne ibi quidem fiducia loci resistentem, mari ac terra cedere coegit. Statim & è vestigio itur in Asiam. F Classis regia Polyxeni Annibalique commissa, nam rex prælium nec spectare poterat. Igitur duce Æmylio Regillo à remigantibus Rhodis tota laceratur. Ne sibi placeant Athenæ, in Antiocho vicimus Xerxem, in Æmilio Themistoclem æquauimus, Ephesiis Salamina pensauimus. Tum consule Scipione, cui frater ille modò victor Carthaginis Africanus voluntaria legatione aderat, debellari regem placet: & iam toto cesserat mari: sed nos imus vlterius. Meandrum ad amnem, mõ- G témque Sipylum castra ponuntur. Hic rex incredibile dictu quibus auxiliis, quibus copiis consederat. Trecenta millia peditum, equitum falcatorumq; curruum non minor numerus Elephãtis ad hoc immensæ magnitudinis, auro, purpura, argẽto & suo ebore fulgentibus, aciem vtrinque vallauerat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua ad hoc imbre qui subito superfusus mira felicitate

Persicos

Persicos arcus corrupperat. Primùm trepidatio, mox fuga, de hinc triumphus fuerunt. Victo & supplici pacem atque partem regni dari placuit, eò libentius, quòd tam facilè cessisset.

CAP. IX.

SYRIACO bello successit, vt debebat, Ætolicum Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur. Ergo Fuluio Nobiliori mandata vltio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. Secuta deditio. Aderant Ætolorum precibus Attici Rhodij: & memineramus auxilij: sic placuit ignoscere. Serpsit tamen latius in proximos bellum, omnémque latè Cephaleniam, Zacynton, & quicquid insularum in eo mari inter Ceraunios montes, iugúmque Maleum, Ætolici belli accessio fuerunt.

CAP. X.

ISTRI sequuntur Ætolos. Quippe bellantes eos nuper adiuuerant: & initia pugnæ prospera hosti fuerunt, eadémque exitij caussa. Nam cùm à Manlij castra cepissent, opimæque prædæ incubarent, epulantes ac ludibundos plerosque, ac vbi essent, præ poculis nescientes C. Claudius Pulcher inuadit. sic cum sanguine & spiritu malè partam reuomuere victoria. Ipse rex Æpulo equo impositus, cùm subinde crapula & capitis errore lapsaret, captum sese vix & ægrè postquam expergefactus est, didicit.

CAP. XI.

GALLOGRÆCIAM quoque Syriaci belli ruina conuoluit. Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulauerit, dubium certè: negatus est victori triumphus, qui caussam belli non approbabit senatus. Ceterum gens Gallogræcorum, sicut ipsum nomen indicio est, mixta & adulterata est: reliquiæ Gallorum, quibus Brenno duce vastauerant Græciam, mox Orientem sequuti in media Asiæ parte etiam sedere. Itaque vt frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum Asiatica amœnitate mollita est. Duobus itaque prœliis fusi fugatique sunt: quamuis sub aduentu hostis relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent, quos Tolistobogij Tectosagæque iam insederant. Vtrinque fundis sagittisque acti, in perpetuam se pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuêre, cùm catenas morsibus & ore tentassent, cùm offocandas inuicem fauces præbuissent. Nam Orgiagontis regis vxor à Centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam euasit, reuulsumque militis caput ad maritum suum retulit.

CAP. XII.

DVM aliæque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se cursus erexit. Fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat, & successerat Philippo filius Perses, qui semel in perpetuam victam esse Macedoniam non putabat ex gentis dignitate. multò vehementius sub hoc Macedones, quàm sub patre

A consurgunt. Quippe Thracas in vires suas traxerant. Atque ita industria Macedonum, viribus Thracum, disciplinam Macedonicam temperauere. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum de summo speculatus Æmo positis per abrupta castris ita Macedoniam suam armis ferroque vallauerat, vt non reliquisse aditum nisi à cœlo venturis hostibus videretur. Nam. Q. Marcio Philippo consule eam prouinciam in-
B gressus populus Romanus exploratis diligenter accessibus, per Astrudem paludem, per acerbos dubiosque tumulos, & illa quæ volucribus quoque videbantur inuia, accessit: regémque securum & nihil tale metuentem, subita belli irruptione terruit: cuius tanta trepidatio fuit, vt pecuniam omnem in mare iusserit mergi, ne periret: classem cremari, ne incenderetur. Paullo consule cùm maiora & crebra essent imposita præsidia, per alias vias Macedonia depressa est, summa quidem arte & industria ducis, cùm alia minatus, alia ir-
C repsisset: cuius aduentus ipse eò terribilis regi fuit, vt interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandauerit. Absens ergo victus, fugit, in maria insulamque Samothracam fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. Supplex cùm scriberet ad Imperatorem, ab illo quò confugerat templo, noménque epistolæ notaret suum, regem addidit. Sed nec reuerentior
D captæ maiestatis alius Paullo fuit, cùm in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & in conuiuis adhibuit, liberosque admonuit suos, vt fortunam, cui tantum liceret reuererentur. Inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus de Macedonia duxit, atque vidit triumphum: quippe cuius spectaculo triduum impleuerit. Primus dies signa tabulasque, sequens arma pecuniasque transuexit, tertius captiuos, ipsumque regem attonitum adhuc, tanquam subito malo stu-
E pentem. Sed multò prius gaudium victoriæ populus Romanus, quam epistolis victoris percéperat. Quippe eodem die quo victus est Perses in Macedonia, Romæ cognitum est: duo iuuenes candidis equis apud Iuturnæ lacum puluerem & cruorem abluebant. Hi nuntiare, Castorem & Pollucem fuisse creditum, quòd gemini fuissent: interfuisse bello quod sanguine maderent à Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

F CAP. XIII.

MACEDONICI belli contagio traxit Illyrios. Ipsi quidem vt Romanum à tergo distringerent, à Perse rege conducti pecunia militauêre. Sine mora ab Anicio proprætore subiguntur. Scodram caput gentis delesse suffecit. Statim secuta deditio est. Denique hoc bellum ante finitum est, quàm geri Romæ nuntiaretur.

G CAP. XIIII.

QVODAM fato, quasi ita conuenisset inter Pœnos & Macedonas, vt tertiò quoque vincerentur, eodem tempore vtrique arma mouere. Sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto quàm antè grauior dum contemnitur. Caussa belli prope erubescenda: quippe regnum pariter & bellum vir vltimæ sortis Andriscus inuaserat, dubium liber

Mm

an seruus, mercenarius certè: sed quia vulgò Philippus, ex similitudine oris, Pseudophilippus vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio impleuit. Igitur dum hæc ipsa contemnit populus Romanus, Iuuentio prætore contentus, virum non Macedonicis modò, sed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum, temerè tentauit: inuictúsque non à veris regibus, sed ab illo imaginario & scenico rege superatur: sed prætore Metello, amissum cum legione prætorem, plenissimè vltus est. Nam & Macedoniam seruitute multauit, & ducem belli debitū, ab eo ad quem confugerat, Thraciæ Regulo, in vrbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis suis indulgente fortuna, vt de eo populus Romanus quasi de vero rege triumpharet.

Cap. xv.

Tertivm cum Africa bellum, & tempore exiguum fuit. (nam quadriennio patratum est) & in comparatione priorum, minimum labore. Non enim tam cum viris, quàm cum ipsa vrbe pugnatum est: sed planè maximo euentu: quippe eo tandē Carthago finita est. Atque si quis trium temporum momenta consideret, primò commissum est bellum, profligatum secundò, tertiò verò confectum est. Sed huius caussa belli, quòd contra fœderis legem aduersus Numidas quidem semel parasset classem & exercitum, frequens autem Massinissæ fines territaret. Sed huic bono socióque regi fauebatur. Cum bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato, inexpiabili odio, delendam esse Carthaginem: & cùm de alio consuleretur, pronuntiabat Scipio Nasica seruandam, ne metu ablato æmulæ vrbis, luxuriari felicitas vrbis inciperet. Medium senatus elegit, vt vrbs tantum loco moueretur. Nihil enim speciosius videbatur, quàm esse Carthaginem, quæ non timeretur. Igitur Manilio Censorinoque consulibus, populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis iniecta, traditam à volentibus classem sub ipso ore vrbis incendit. Tum euocatis principibus, si salui esse vellent, vt migrarent finibus, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeò mouit iras, vt extrema mallent. Comploratum igitur publicè statim, & pari voce clamatum est, Ad arma: sedirque sententia, quoquo modo rebellandum: non quia spes vlla iam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium quàm suis manibus euerti. Qui rebellantum fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quòd in vsum nouæ classis tecta domusque resciderunt, & in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferróque conflatum est, in tormentorum vincula matronæ crines suos contulerunt. Mancino deinde cōsule, terra marique feruebat obsidio. Operis portus nudatus, & primus, & sequens iam murus, cum tantum Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera ciuitas resistebat. Quamuis profligato vrbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionū videbatur. Igitur in alium Scipionem conuersa Resp. finem belli reposcebat. Hunc Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius in decus gentis assumserat, hoc scilicet fato, vt quam vrbem concusserat auus, nepos euerteret. sed quàm maximè mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum, sic plus negotij fuit cum semiruta Carthagine, quàm integra. Compulsis in vnam arcem hostibus, portum quoq; maris Romanus obsederat. Illi alterum ibi portum ab alia vrbis parte foderunt, sed vt fugerunt, sed quà nemo illos nec euadere posse credebat, inde quasi enata subitò classis erupit. Tum interim iam diebus, iam noctibus, noua aliqua moles, noua machina, noua perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma prodibat. Deploratis nouissimè rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Asdrubale. Quanto fortius femina & vxor ducis? quæ comprehensis duobus liberis, à culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta vrbs deleta sit, vt de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest: quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant, vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.

Cap. xvi.

Qvasi sæculum illud euersionibus vrbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Aegæum quasi spectaculo exposita. Hæc (facinus indignum) antè oppressa est, quàm in numerum certorum hostium referretur. Critolaus caussa belli, qui libertate à Romanis data aduersus ipsos vsus est: Legatosque Romanos dubium an & manu, certè oratione violauit. Igitur Metello ordinanti tum maximè Macedoniam, mandata est vltio, & hinc Achaicum bellum. ac primam Critolai manum Metellus consul per patentes Elidis campos toto cæcidit Alpheo. Et vno prælio peractum erat bellum: iam & vrbem ipsam terrebat obsidio: sed fato rerum, cum Metellus dimicasset, vt victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis dignitate exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta ciuitas, direpta primum, deinde tuba præcinente deleta est. Quid signorum, quid vestium, quídve tabularum raptum, incensum atque proiectum est? Quantas opes & abstulerit & cremauerit, hinc scias, quod quidquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ vrbis fecit iniuria, quia incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.

Cap. xvii.

Vt Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia secuta est. Nec deinde toto orbe quidquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissima vrbium incendia, latè atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi vnum vndique bellum fuit, prorsus vt illæ quasi agitantibus ventis diffudisse quædam belli incendia toto orbe viderentur. Hispaniæ nunquam animus fuit aduersus nos vniuersæ consurgere, nunquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publicè. Alioquin ita vndique mari Pyrenæoque vallata est, vt ingenio situs ne adiri quidē potuerit. Sed antè à Romanis obsessa est, quàm se ipsa cognosceret: & sola omnium prouinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac propè ducentos per annos dimicatum est, à primis

Scipio

Scipionibus in Cæsarem Augustum, non continuè nec cohærenter, sed prout caussæ lacessiebant: Nec cum Hispanis initio, sed cum Pœnis in Hispania. Inde contagio & series caussaque bellorum. Prima per Pyrenæum iugum signa Romana P. & Cn. Scipiones intulerunt, præliisque ingentibus Annonem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt, raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa sua victoria oppressi Punica fraude cecidissent, terra marique victores. Igitur quasi nouam integrámque prouinciam vltor patris & patrui Scipio ille mox Africanus inuasit. Isque statim capta Carthagine, & aliis vrbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis prouinciam fecit, omnem citra vltráque Iberum subiecit imperio: primúsque Romanorum ducum victor ad Gades & Oceani oram peruenit. Plus est, prouinciam retinere, quàm facere. Itaque per partes iam huc, iam illuc missi duces qui ferocissimas, & ad id temporis liberas gentes ideo impatientes iugi, multo labore, nec incruentis certaminibus seruire docuerunt. Cato ille Censorius Celtiberos, id est, robur Hispaniæ aliquot præliis fregit. Gracchus pater ille Gracchorum, eosdem C. & L. vrbium euersione multauit. Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat Celtibericus fieri, cum & Contrebiam memorabili cepisset, exemplo, & Vertobrigis, maiore gloria pepercit. Lucullus Turdulos, atque Vaccæos, de quibus Scipio ille posterior, singulari certamine cum à rege fuisset prouocatus, opima retulerat, Decimus Brutus aliquanto latius Gallæcos atque omnes Gallæciæ populos, formidatúmque militibus numen Obliuionis, peragratoque victor Oceani littore, non prius signa conuertit, quàm cadentem in maria solem, obrutúmque aquis ignem, non sine quodam sacrilegij metu & horrore deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit & Numantinis, nec immeritò, quippe solis gentium duces contigerunt. Fuisset & cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli oppressus esset, summus vir astútia & audacia, si successisset. Soludicus; qui hastam argenteam quatiens velut cælo missam, vaticinanti similis omnium in se mentes conuerterat. Sed cum pari tem-ritate sub nocte castra consulis adisset, iuxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est. Ceterum Lusitanos Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, ex latrone subitò dux atque Imperator, & si fortuna cessit, Hispaniç Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra vltráque Iberum & Tagum igni ferróque populatus, castra etiam prætorum & præsidium aggressus, Claudium Vnimanum pænè ad internecionem exercitus ceciδisset, insignia trabeis & fascibus nostris quæ ceperat, in montibus suis, tropæa fixisset. Tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat: sed à successore Seruilio Cæpione violata victoria est, quippe qui conficiendæ rei cupidus, factum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & insidias & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuisse.

CAP. XVIII.

NVMANTIA, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & A honore par omnibus, summumque, si viros æstimes, Hispaniæ decus: quippe quæ sine muro, sine turribus, modicè edito in tumulo apud flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum, XL. millium exercitum, per annos XIIII. sola sustinuit, nec sustinuit modò, sed sæuius aliquanto perculit, pudentisque fœderibus affecit. Nouissimè cùm inuictam esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem euerterat. Non temerè, si fateri licet, vllius caussa belli iniustior. Segidenses socios & B cósanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperant, habita pro eis deprecatio nihil valuit; cum se ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi fœderis pretium iussi arma deponere. Hoc sic à barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur. Itaque statim, Megara viro fortissimo duce ad arma conuersi, Pompeium prælio aggressi, fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuissent. Hostilium deinde Mancinum aggressi sunt, hunc quoque assiduis cædibus ita subegerunt, vt C ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret: tamen eum hoc quoque fœdus maluêre, contenti armorum manubiis, cum ad internecionem sæuire potuissent. Sed non minus Numantini quàm Caudini illius fœderis flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem præsentis flagitij, deditione Mancini expiauit: ceterum duce Scipione Carthaginis incendiis ad excidia vrbium imbuto, tandem etiam in vltionem excanduit. Sed tunc acrius in castris, quam D in campo, nostro cum milite, quàm cum Numantino præliandum fuit. Quippe assiduis & iniustis, & seruilibus maximè operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma nescirent: luto inquinari, qui sanguine nollent, iubebantur. Ad hoc scorta, calones sarcinæ nisi ad vsum necessariæ, amputantur. Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem, verè proditum est. Sic redacto in disciplinam milite, commissa acies: quodque nemo visurum se vnquam sperauerat, factum est, vt fugientes Numan-E tinos quisque videret. Dedere etiam sese volebant, si toleranda viris imperarentur. Sed cum Scipio veram vellet & sine exceptione victoriam, eò necessitatum compulsi, primum, vt destinata morte in prælium ruerent, cum sese prius epulis, quasi inferiis impleuissent, carnis semicrudæ, & Cæliæ, sic vocant indigenæ ex frumento potionem. Intellectum ab Imperatore consilium. itaque non est permissa pugna morituris. cum fossa, atque lorica, quatuorque castris circumdatos, fame premeret, ab duce oran-F tes prælium, vt tanquam viros occideret. Sed vbi non impetrabant, placuit eruptio. sic conserta manu plurimi occisi, & cum vrgeret fames, aliquantisper inde vixêre. Nouissimè consilium fugæ fedit, sed hoc quoque ruptis equorum cingulis vxores ademêre, summo scelere per amorem. Itaque etiam exitu deplorato, in vltimam rabiem furorémque conuersi, postremò mori hoc genere destinarunt. Duces suos, séque patriámque, ferro, & veneno. subiectóque vndique igne peremerunt. G Macte esse fortissimam, & meo iudicio beatissimam in ipsis malis ciuitatem asseruit, cum fide socios, populum orbis terrarum viribus fultum, sua manu ætate tam longa sustinuit. Nouissimè maximo duce oppressa ciuitas, nullum de se gaudium hosti reliquit. Vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda vt de pauperibus nulla: arma cremauerant. Triumphus fuit tantum de nomine.

Cap. xix.

Hactenus populus Roman. pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus. Reliqua sæcula vt grandia æquè, ita vel magis turbida & fœda, crescentibus cum ipsa magnitudine imperij vitiis: adeò vt si quis hanc tertiam eius ætatem transmarinam, quam ducentorum annorum fecimus, diuidat, centum has priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hispaniam domuit, aureos (sicut poetæ canunt) iure meritoque fateatur: centum sequentes, ferreos planè & cruentos, & si quid immanius: quippe qui Iugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus cælum ipsum gloria ascendit, Gracchanas, Drusianásque cædes, ad hæc, seruilia bella miscuerunt: & ne quid turpitudini desit, gladiatoria denique, in se conuersus. Marianis atque Syllanis, nouissimè Pompeij & Cæsaris manibus quasi per rabiem, & furorem, & nefas, semet ipse lacerauit. Quæ etsi inuoluta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quò melius appareant, simul & ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur. Priúsque vt cœpimus, iusta illa memorabimus, & pia cum exteris gentibus bella, vt magnitudo crescentis in dies imperij appareat. Tum ad illa ciuium scelera, turpésque & impias pugnas reuertemur.

Cap. xx.

Victa ad occasum Hispania, Populus Romanus ad orientem pacem agebat, nec pacem modò, sed inusitata & incognita quadam felicitate, relictæ regiis hereditatibus opes, & tota in simul regna v niebant. Attalus rex Pergamenorum regis Eumenis filius, socij quondam commilitonísque nostri, testamentum reliquit: Populus Romanus bonorum meorum heres esto. In bonis regis hæc fuerunt. Adita igitur hereditate, prouinciam populus Romanus non quidem bello, nec armis, sed (quod est æquius) testamenti iure retinebat. Sed hanc difficile dictu est, vtrum facilius amiserit populus Romanus, an recuperauerit. Aristonicus regij sanguinis ferox iuuenis, vrbes regibus parere consuetas, partim facilè solicitat, paucas resistentes, Mindon, Samon, Colophonem vi recepit. Crassi quoque proconsulis cecidit exercitum, ipsúmque cepit. Sed ille memor & familiæ & Romani nominis, custodem sui barbarum virgula excæcat in exitium sui, quod volebat, ita concitat. Mox à Perperna domitus & captus, & per deditionem in vinculis habitus. M. Aquillius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis nefas, veneno fontibus ad deditionem quarundam vrbium quæ res vt maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe cum contra fas deûm, morésque maiorum, medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violasset.

LIBRI TERTII

CAP I.

HÆc ad Orientem: Sed non ad meridionalem plagam eadem quies. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non

A leuiter se Numidia concussit, & fuit in Iugurtha, quod post Annibalem timeretur. Quippe rex callidissimus populum Romanum armis inclitum, & inuictum opibus, aggressus est, & citra spem omnium fortuna cessit, vt rex fraude præcipuus, fraude caperetur. Hic auo Massinisa, & Micipsa patre per adoptionem cùm interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis quàm senatum populúmque Romanum, quorum in fide & clientela regnum erat, metueret: primum scelus mandat B insidiis: potitusque Hiempsalis capite, cùm se in Adherbalem conuertisset: isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam senatum. Et hæc fuit de nobis eius prima victoria. Missos deinde qui regnum inter illum, Adherbalemque diuiderent, similiter aggressus, cùm in Scauro ipsos Romani imperij mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera. Corruptæ nefas legationis erupit, placuitque bello persequi patricidiam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul immittiC tur. Sed rex præmonitus fortius aduersus Romanos aurum esse, quàm ferrum, pacem emit. Cuius flagitij reus cùm interueniête publica fide à senatu accerseretur, pari audacia & venit, & competitorem imperij Massinisæ nepotem Massiuam, immisso percussore confecit. Hæc altera contra regem fuit caussa bellandi. Igitur sequens vltio mandatur Albino. Sed huius quoque (pro dedecus) ita corrupit exercitum, vt voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur: addito etD iam turpi fœdere in pretium salutis, quem, quod prius emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in vltionem non tam imperij Romani, quàm pudoris, Metellus assurgit, qui callidissimè hostem nunc precibus, nunc minis, iam simulata quasi vera fuga eludentem, artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem frustra diu voluit. Ceterùm Thalam, grauem armis thesauroque regis diripuit. Tunc vrbiE bus exsutum regem, etiam finium suorum regnique fugitiuum per Mauros atque Gætuliam sequebatur. Postremò Marius auctis admodum copiis, cùm pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, iam fusum & saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quàm si integrum & recentem. Hic & vrbem Herculi conditam Capsam in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superauit, & saF xeo inditam monti Mulucham vrbem per Ligurem aditu arduo inaccessóque penetrauit, mox non ipsum modò, sed Bocchum Mauritaniæ regem, iure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum Cirtam grauiter cecidit. Qui vbi diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio ne fieret, timet: pretiū fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentissimus regum, fraude soceri sui in insidias deductus est, & Syllæ in manu traditus. Tandémque opertum catenis Iugurtham in triumpho populus G Romanus aspexit: sed ille quoque quamuis victus & vinctus vidit vrbem, quam venalem, & quandoque perituram, si habuisset emtorem, frustra cecinerat. Tamen vt venalis fuisset, habuit emptorem, & cùm ille non euaserit, certum erit eam non esse perituram.

Cap. II.

Sic ad Meridiem populus Romanus. Multò atrocius

atrocius & multipliciter magis & à Septentrione A ſæuitum: nihil hac plaga infeſtius. atrox cælum, peruicaci ingenio. Omni igitur tractu violentus hoſtis à dextris atque læuis, & medio Septentrionis erupit. Prima trans Alpes arma noſtra ſenſere Salyi, cum de incurſionibus eorum fidiſſima atque amiciſſima ciuitas Maſſilia quereretur: Allobroges deinde, & Aruerni, cum aduerſus eos, ſimiles Æduorum querelæ, opem & auxilium noſtrum flagitarent, Varus victoriæ teſtis, Iſaráque & Vindelicus amnis, & impiger fluminum Rho B danus. Maximus barbaris terror elephanti fuére, immanitati gentium pares. Nil tam conſpicuum in triumpho, quàm rex ipſe Bituitus diſcoloribus in armis, argenteóque carpento, qualis pugnauerat. Vtriuſque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc exiſtimari poteſt, quòd & Domitius Aenobarbus, & Fabius Maximus ipſis quibus dimicauerant locis ſaxeas erexêre turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixêre: cum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. C Nunquam enim populus Romanus hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobrauit.

CAP. III.

CIMBRI, Theutones, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, nouas ſedes toto orbe quærebant: exclusique Gallia & Hiſpania, cum in Italiam remi- D grarent, miſerunt legatos in caſtra Silani, inde ad ſenatum, petentes vt Martius populus aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium: ceterum, vt vellet, manibus atque armis ſuis vteretur. Sed quas daret terras populus Romanus agrariis legibus inter ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Manilius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt. Omnes fugati, exſuti caſtris. Actum erat, E niſi Marius illi ſæculo contigiſſet. Ille quoque non auſus congredi ſtatim, militem tenuit in caſtris, donec inuicta illa rabies, & impetus, quem pro virtute barbari habent, conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ vrbis fiducia) conſulentes ſi quid ad vxores ſuas mādarent. Nec ſegnius quàm minati fuerant, tripartito agmine per Alpes, id eſt, clauſtra Italiæ, ferebantur. Marius mira ſtatim velocitate occupatis compendiis præuenit hoſtem, prioreſque Theutonas ſub ipſis Alpium radicibus aſſecutus, in lo- F co quem Aquas Sextias vocant, quo, fides numinum! prælio oppreſſit! Vallem fluuiumque hoſtes tenebant, noſtris aquarum nulla copia. conſultone id egerit Imperator, an errorem in conſilium verterit, dubiū. certè neceſſitate acta virtus, cauſſa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, Viri, inquit, eſtis: en illic habetis. Itaque tanto ardore pugnatum eſt, eáque cædes hoſtium fuit, vt victor Romanus de cruento flumine non plus aquę biberit, quàm ſanguinis barbarorum. certè rex G ipſe Theurobocchus quaternos ſenoſque equos tranſilire ſolitus, vix vnum cum fugeret aſcendit, proximoque in ſaltu comprenſus, inſigne ſpectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximiæ ſuper tropæa ipſa eminebat. Sublatis funditus Theutonis, in Cimbros conuertitur. Hi iá (quis crederet?) per hiemē, quæ altius Alpes leuat, Tridētinis iugis in Italiā prouoluti ruina deſcēderant. Atheſim flumē nō ponte, nec nauibus, ſed quadam ſtoliditate barbarica, primum corporibus aggreſſi; poſtquam retinere amnem manibus & clypeis fruſtra tentauerant, ingeſta obrutum ſilua tranſiluere: & ſi ſtatim infeſto agmine vrbem petiſſent, grande diſcrimen eſſet: ſed in Venetia, quo ferè tractu Italia molliſſima eſt, ipſa ſoli cæliq; clementia robur elāguit. Ad hoc panis vſu, carnis coctæ, & dulcedine vini mitigatos Marius in tēpore aggreſſus eſt. Iam diem pugnę à Mario Imperatore petierunt, & ſic proximū dedit. In patentiſſimo, quē Claudium vocant, campo concurrêre, millia inde CXL. ceciderunt, hinc tertio minus, per totum diem, conciditur barbarus. Iſti quoque Imperator addiderat virtuti dolum, ſecutus Annibalem, artémq; Cannarum. Primum nebuloſum nactus diem, vt hoſti inopinatus occurreret: tum ventoſum quoque, vt puluis in oculos & ora ferretur: tum acie conuerſa, in Orientem, vt, quod ex captiuis mox cognitum eſt, ex ſplendore galearum, ac repercuſſu, quaſi ardere cælum videretur. Nec minor cum vxoribus eorū pugna, quàm cū ipſis fuit, cùm obiectis vndiq; plauſtris atque carpentis, altæ deſuper quaſi è turribus lanceis contiſque pugnarē. Perinde ſpecioſa mors earum fuit, quàm pugna. Nam cùm miſſa ad Martium legatione, libertatem ac ſacerdotiū non impetraſſent (nec fas erat) ſuffocatis eliſiſque paſſim infantibus ſuis, aut mutuis concidêre vulneribus, aut vinculo è crinibus ſuis facto ab arboribus iugiſque plauſtrorum pependerunt. Beleus rex in acie dimicans, impigrè, nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quæ quaſi in ſubſidio Noricos inſederat Alpium tumulos, in diuerſa lapſi, fuga ignobili & latrociniis euanuit. Hunc tam lætum tamque felicem libertatis Italiæ, aſſertiq. imperij nuntium, non per homines, vt ſolebat, populus accepit, ſed per ipſos (ſi credere fas eſt) deos. Quippe eodem die quo geſta res eſt, viſi pro æde Caſtoris & Pollucis iuuenes laureati prætori literas dare, frequenſque in ſpectaculo rumor victoriæ Cimbricæ feliciter dixit. Quo quid admirabilius, quidque inſignius fieri poteſt? Quippe velut elata montibus ſuis Roma: ſpectaculo belli intereſſet, quod in gladiatorio munere fieri ſolet, vno eodemque momento cum in acie Cimbri occumberent, populus in vrbe plaudebat.

CAP. IV.

POST Macedonas (ſi diis placet) Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarij Macedonum: nec in proximas modò prouincias cōtenti incurrere, Theſſaliam atque Dalmatiam, in Adriaticum mare vſque venerunt, eoque fine contenti, quaſi interueniente natura, contorta in ipſas aquas tela miſerunt. Nihil interim per id omne tempus reſiduum crudelitatis fuit in captiuos ſæuientibus. Litare diis ſanguinem humanum, bibere in oſſibus capitum, & huiuſcemodi ludibrio fœdare mortem tam igni quàm fumo: partus quoque grauidarum extorquere tormentis. Sæuiſſimi omniū Thracum Scordiſci fuêre: ſed calliditas quoque ad robur acceſſerat. Syluarum & montium ſitus cum ingenio conſentiebat. Itaque non fuſu modò ab his aut fugatus, ſed (ſimile prodigio) omnino totus interceptus exercitus quem duxerat Cato. Didius vagos, & libera populatione diffuſos intra ſuam repulit Thraciam. Druſus vlterius

egit, & vetuit transire Danubium. Minucius toto vastauit Æbro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen equitatur. Piso Rhodopen Caucasumque penetrauit. Curio Dacia tenus venit, sed tenebras saltuum expauit. Appius in Sarmatas vsque peruenit, Lucullus ad terminum gentium Tanaim, Lacumq; Mæotim. Nec aliter cruentissimi hostium, quàm suis moribus domiti: quippe in captiuos igne ferroque sæuitum est. Sed nihil barbaris atrocius visum est, quàm quòd abscissis manibus relicti, viuere superstites pœnæ suæ videbantur.

Cap. v.

Ponticæ gentes ad Septentrionem in mare sinistrum iacent, à Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atque regionum rex antiquissimus Atheas, post Artabazes, à septem Persis oriundus. Inde Mithradates omnium longè maximus. quippe cùm quatuor Pyrrho, xvii. anni Annibali suffecerint, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeij consumeretur. Caussam quidem illius belli prætenderat apud Cassium legatum, attrectari terminos suos à Nicodeme Bithynico. Ceterùm elatus animis ingentibus, Asiæ totius, &, si posset, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant nostra vitia. Quippe cùm ciuilibus bellis disiungeremur, inuitabat occasio, nudúmque imperij latus ostendebant, procul Marius Sulla, Sertorius. Inter hæc Reipub. vulnera, & hos tumultus, repètè, quasi captato tempore, in lassos simul atque districtos subitus turbo Pontici belli ab vltima veluti specula Septétrionis erupit. Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. Asia deinde pari terrore correpta est. Nec cunctanter ad regem ab vrbibus nostris populisque descriptum est. Aderat, instabat, sæuitia quasi virtute vtebatur. Nam quid atrocius vno eius edicto, cùm omnes qui in Asia forent Romanæ ciuitatis homines interfici iussit? Tum quidem domus, templa, & aræ humana omnia atque diuina iura violate sunt. Sed hic terror Asiæ, Europam quoque regi aperiebat. Itaque missis Archelao Neoptolemoque præfectis, excepta Rhodo, quo pro nobis firmius stetit ceteris, Cyclades. Delos, Eubœa, & ipsum Græciæ decus Athenæ, tenebantur. Italiam iam, ipsamque vrbem Romam regius terror afflabat. Itaq; L. Sulla festinat, vir armis optimus, parique violentia ruentem vlterius hostem, manu quadam quasi ipsius, repulit. Primúmque Athenas vrbem (quis crederet?) frugum parente, obsidione ac fame ad humanos cibos compulit, mox subruto Pyræi portu, sex quoque & amplius muris, postquam domuerat ingratissimos hominum, vt ipse dixit, in honorem tamé mortuorum sacris suis famæque donauit. Mox cum Eubœa atque Bœotia præsidia regis dispulisset, omneis copias, vno apud Chæroneam, apud Orchomenon altero bello dissipauit: statimque in Asiam transgressus, ipsum opprimit: & debellatum etiam foret, nisi de Mithradate triumphare citò, quàm verè maluisset. Ac tum quidem hunc Asiæ statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus. recepit Bithyniá à rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam: ac sic erat Asie rursus nostra, vt cœperat: Mithradates tantum repulsus. Itaque non fre-
A git ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asia, & Europa quodammo inescatus, non iam quasi alienam, sed quia amiserat, quasi captam belli iure repetebat. Igitur vt extincta parum fideliter incêdia, maiore flamma reuiuiscunt: ita ille de integro auctis maiorem in modum copiis, tota denique regni sui mole in Asiam rursus mari, terra fluminibúsque veniebat. Cyzicû nobilis ciuitas, arce, mœnibus, portu, turribúsque marmoreis, Asiaticæ
B plagę littora illustrat. Hác ille quasi alteram Romam toto inuaserat bello. sed fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docés aduentare Lucullû, qui, horribile dictu, per medias hostiû naues vtre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pistrix euaserat, Mox clade conuersa, cùm ex mora obsidentem regem, & ex fame pestilentia vrgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoque cecîdit, vt Granicus & Æsapus amnes cruenti redderentur. Rex callidus, Ro-
C manæque auaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam iussit, qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari quàm in terra fuga. Quippe centum amplius nauium classem, apparatúmque belli grauem, in Pontico mari aggressa tempestas, tam fœda strage lacerauit, vt naualis belli instar efficeret, plane quasi Lucullus quodá cum fluctibus procellisque commercio, debellâdum tradidisse regem ventis videretur. Attritæ iá omnes validissimi regni vires erant, sed animus
D malis augebatur. Itaq; conuersus ad proximas gêtes, totum pænè Orientem ac Septentrionem ruina sua inuoluit. Iberi, Caspij, Albani, & vtræque solicitabantur Armeniæ, perque omnia & decus & nomen & titulos Pompeio, sua fortuna, quærebat. Qui vbi nouis motibus ardere Asiam videt, aliósque ex aliis prodire reges, nihil cûctandum ratus, priusquam inter se gêtium robora coirent, statim ponte nauibus facto, omnium ante se primus transit Euphratem, regemque fugientem media nactus Armenia (quanta felicitas viri!) vno
E prælio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & luna in partibus: quippe quasi commilitans, cùm à tergo hostibus, à facie Romanis se præfuisset, Pontici per errorem longiús cadentes vmbras suas quasi hostium corpora petebant. Et Mithradates quidem nocte illa debellatus est. Nihil enim postea valuit, quamquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite, postremum cauda minantur. Quippe cùm effugisset hostem, Colchos, Ciliciæ quoque littora & Campaniam no-
F stram subito aduentu terrere voluit. Mox subruto Pyræi portu, Colchis tenus iungere Bosporon, inde per Thraciam, Macedoniam & Græciá transilire, sic Italiá nec inopinato inuadere tâtùm cogitauit. Nam per defectionem ciuium, Pharnacisque filij scelere præuentus, malè tentatû veneno spiritum ferro expulit. Cn. interim Magnus rebelles Asiæ reliquis sequens, per diuersa gentiû terrarumque volitabat. Ná sub Orienté secutus Ar-
G menios, captis ipso capite gentis Artaxatis supplicem iussit regnare Tigranem. At in Septentrioné Scyticum iter tanquam in mari stellas secutus, Colchos cecîdit, ignouit Iberiæ; pepercit Albanis regem Colchorû Orodem, positis sub ipso Caucaso castris, iussit in plana descendere: Artocen, qui imperabat, & obsides liberos dare: Orodem etiam remuneratus est, vltro ab Albania sua lectulum aureum, & alia dona mittentem. necnon & in Meridiem, verso agmine. Libanum Syriæ, Dama-

A Damascumque transgressus, per nemora illa odorata, per thuris & balsami siluas Romana signa circumtulit. Arabes si quid imperaret, præsto fuere, Hierosolyma defendere tentauere Iudæi: verum hæc quoque & intrauit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo viti cœlo. Dissidentibus de regno fratribus, arbiter factus regnare iussit Hircanum. Aristobulo, quia tenuebat eam rem, catenas dedit. Sic Pompeio duce populus Romanus totam quà latissima est Asiam peruagatus, quàm extremam imperij habebat B prouinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc nos non nouerant, omnis Asia inter Rubrum & Caspium & Oceanum Pompeianus domita vel oppressa signis tenebatur.

Cap. VI.

Interim dum populus Rom. per diuersa terrarum distractus est, C Cilices inuaserãt maria, sublatisque commerciis, rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridaticis præliis Asia, dum sub alieni belli tumultu, exterique regis inuidia impunè grassantur: ac primum duce Isodoro contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, Pyræum & Achaiam, sinúmque Maleum, quem à spoliis aureum ipsi vocauêre, latrocinabantur. D Missusque in eos P. Seruilius, quamuis leues & fugaces Myoparonas, graui & Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec mari submouisse contentus, validissimas vrbes eorum & diutina præda abundantes, Phaselim & Olympon euertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciæ, vnde conscius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamauit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed vt quædam animalia quibus aquam terramque incolendi gemina E natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli in aquas suas resiluerunt, & aliquanto latius quàm prius. Sic ille quoque antè felix, dignus nunc victoria Pompeius visus est, & Mithridaticæ prouinciæ facta accessio. Ille dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum volens extinguere, diuino quodã apparatu aggressus est. Quippe cum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis vtraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus, Plotius Siculo: Gratillius F Ligustinum sinum, M. Pomponius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, quà primùm maris nostri limen aperitur. Lentulus Libycum, Marcellinus Ægyptium, Pompeij iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum & Ponticum, & Pamphilium Metellus, Asiaticum Cæpio, ipsas Propontidis fauces Portius Cato sic obditis nauibus, quasi portam obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus latebras, recessus, promontoria, freta, penin- G sulas, quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originem fontémque belli Ciliciam versus est. Nec hostes detractauere certamen, non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur: sed nihil tamen amplius, quàm vt ad primum ictum concurrerent. Mox vbi circumfusa vndique rostra viderunt, abiectis statim telis remisque, plausu vndique pari, quod supplicantibus signum fuit, vitam petiuerunt. Non alia tam incruenta victoria vsi vnquam sumus, sed nec fidelior in posterum reperta gens vlla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus à conspectu longè remouit maris, & mediterraneis agris quasi obligauit. Eodemque tempore & vsum maris nauibus recuperauit, & terræ homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod XL. die parta est? an felicitatem, quòd ne vna quidem nauis amissa est? an verò perpetuitatem, quòd amplius piratæ non fuerunt?

Cap. VII.

Creticum bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Fauisse Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare. Primus inuasit insulam M. Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeò vt plureis catenas in nauibus quàm arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. nam plerasque naues intercepêre hostes, captiuáque corpora religata velis ac funibus pependere, ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus, intra castella & vrbes redegit, & Gnoson, & Erythræam, & (vt Græci dicere solent) vrbium matrem Cydonam: adeóque sæuè in captiuos consulebatur, vt veneno se plerique conficerent, alij deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et cùm ille res in Asia gerens, eò quoque præfectum misisset Octauium, in aliena prouincia irrisus fuit; eoque infestius Metellus in hostes ius victoris exercuit, victisque Lasthene & Panare Cydone ducibus, victor redit, nec quidquam amplius tamen de tam famosa victoria, quàm cognomen Creticum reportauit.

Cap. xviii.

Quatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueuerat, altero ex liberis eius Cretico facto, mora non fuit quin alter quoque Balearicus vocaretur. Baleares per idem tempus insulæ piratica rabie corruperant maria. Homines feros atque siluestres mireris ausos à scopulis suis saltem maria prospicere. Ascendere etiam inconditas rates, & prænauigantes subinde inopinato impetu terruêre. Sed cum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere, & primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuêre. Tribus quisque fundis præliatur. Certos esse quis miretur ictus, cùm hæc sola genti arma sint, id vnum ab infantia studium? Cibum puer à matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percussit. Sed non diu lapidatione Romanos terruêre. Postquam comminus ventum est, expertique rostra, & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt fuga littora, dilapsique in proximos tumulos, quærendi fuerunt vt vincerentur.

Cap. IX.

Aderat fatum insularum. Igitur & Cypros recepta sine bello. Insulam veteribus diuitiis

abundantem, & ob hoc Veneri sacram, Ptolemæus regebat: & diuitiarum tanta erat fama nec falso, vt victor gentium populus, & donare regna consuetus, P. Clodio Tribuno plebis duce, socij viuique regis confiscationem mandauerit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit. Cæterùm Portius Cato Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium inuexit, quæ res latius ærariũ populi Romani quàm vllus triumphus impleuit.

Cap. x.

Asia Pompeij manibus subacta, reliqua quæ restabant in Europa fortuna in Cæsarem transtulit. Restabant autem immanissimi gentium Galli, atque Germani: & quamuis toto orbe diuisa, tamen qui vinceret, habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Heluetiis cœpit, qui Rhodanum inter & Rhenum siti, non sufficientibus terris, venère sedes petitum, incensis mœnibus suis. hoc sacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, cùm inter moras Cæsar Rhodani ponte rescisso abstulisset fugam statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas quasi greges in stabula pastor, deduxit. Sequens longè cruentior pugna Belgarum quippe pro libertate pugnantium. Hic cum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quod nutante in fugam exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem manu prælium restituit. Inde cum Venetis etiam nauale bellum, sed maior cum Oceano quam cum ipsis nauibus rixa. Quippe illę rudes & informes, & statim naufragæ rostra senserant, sed hærebat in vadis pugna cum æstibus solitis cũ ipso certamine subductus Oceanus interceder e bello videretur. Illæ quoque accessere diuersitates pro gentium locorumque natura. Aquitani callidum genus in speluncas se recipiebant: iussit includi. Morini dilabebantur in siluas, iussi incendi. Nemo tantum feroces dixerit Gallos, fraudibus agunt. Induciomarus Treuiros Ambiorix conuocauit Eburones: vtrique absente Cæsare coniuratione facta inuenère legatos. Sed ille, fortiter à T. Labieno summotus est, relatumque regis caput. Hic insidiis in valle dispositis, dolo perculit. Itaque & castra direpta sunt, & aurum oblatum. Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amisimus. Nec vlla de rege mox vltio: quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. Nec Rhenus ergo immunis: nec enim fas erat vt liber esset receptator hostium atque defensor: sed prima contra Germanos illius pugnà iustissimis quidem ex caussis. Sequani enim de incursionibus eorum querebantur. Quæ Ariouisti regis superbia? Cum legati dicerent, Veni ad Cæsarem: Quis autem est Cæsar? &, si vult, veniat, inquit, &, quid ad illum quid agat nostra Germania num ego me interpono Romanis: Itaq; tantus gétis nouę terror in castris, vt testaméta passim & in principiis scriberentur. Sed illa immania corpora quò erant maiora, eò magis gladiis ferroque patuerunt. Qui calor in præliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quàm quòd elatis super caput scutis cum se veluti testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, & inde in iugulos gladiis descendebant. Iterũ vbi de Germanis Menapij querebantur, hîc verò iam Cæsar vltra Mosam nauali ponte transgreditur, ipsúm-

A que Renum, & Hercyniis hostem quærit in siluis. Sed in saltus & paludes genus omne diffugerat, tãtum pauoris incussit intra ripam subito Romana vis. nec semel Rhenus, sed iterum quoque, & quidem ponte facto, penetratus est. Sed maior aliquanto trepidatio, quippe cum Rhenum suum sic ponte quasi iugo captum viderent, fuga rursus in syluas & paludes, & quod acerbissimum Cæsari fuit nõ fuère qui vincerentur. Omnibus terra marique captis, respexit Oceanum & quasi hic Ro-
B manis orbis non sufficeret, alterũ cogitauit. Classe igitur comparata, Britanniam petit. In Britanniam trãsit mira celeritate: quippe cum tertia vigilia Morino soluisset à portu, minus quàm medio die insulam ingressus est. Plena erant tumultu hostico littora, & trepidantium ad conspectũ rei nouæ carpenta volitabant. Itaq; trepidatio pro victoria fuit: arma & obsides accepit à trepidis: & vlterius isset, nisi improbã classem naufragio castigasset Oceanus. Reuersus igitur in Gallia, clas-
C se maiore, auctisque copiis, in eundem rursus Oceanum, eosdemque rursus Britannos Calidonias secutus in siluas, vnumquoque è regibus Cauelianum in vincula dedit. Contentus his (non enim prouinciis, sed nomini studebatur) cum maiore quàm prius præda reuectus est ipso quoque Oceano tranquillo magis & propitio, quasi imparem se fateretur. Sed maxima omnium eadémque nouissima coniuratio fuit Galliarum; cum omnes pariter Aruernos atque Biturigas, Carnutas simul
D Sequanosque contraxit. Ille corpore, armis, spirituque terribilis: & nomine etiam quasi terrori cõposito. Vercingentorix: ille festis diebus & conciliabus, cũ frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad ius pristinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar, Rauennę delectum agẽs, & hieme creuerant Alpes, sic inter clusum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuntium rei felicissimæ temeritatis: Per inuios ad id tempus mõtiũ tumulos, per intactas vias & niues, expedita manu e-
E mensus, occupat Galliam: ex distantibus hibernis castra cõtraxit, & antè in media Gallia fuit, quàm ab vltima timeretur. Tum ipsa capita belli aggressus, vrbes, Auaricum cum quadraginta millibus propugnantium sustulit, Aleziam ducentorũ quinquaginta millium iuuétute subnixam, flammis adæquauit. Circa Gergoniã Aruernorũ tota belli moles fuit: quippe quã cum lxxx. millia muro & arce & abruptis defénderent, maximã ciuitaté vallo, sudibus, & fossa, inductoq; fossæ flumine, ad
F hoc XVIII. castellis, ingentique quasi lorica circumdatam, primum fame domuit: mox audentem eruptiones, in vallo gladiis sudibusque concidit: nouissimè in deditionem redegit. Ipse ille rex, maximum victoriæ decus, supplex cum in castra venisset, tum & phaleras & sua arma ante Cęsaris genua proiecit, Habes, inquit, fortem virum vir fortissime vicisti.

Cap. xi.

G Dvm Gallos per Cæsarem in Septentrione debellat, interim ad Orientem graue vulnus à Parthis populus Romanus accipit. Nec de fortuna queri possumus, caret solatio clades. Aduersa & diis & hominibus cupiditas consulis Crassi, dùm Parthico inhiat auro strage XI. legionũ, & ipsius capite multata est, quòd tribunus plebis Metellus

exeuntem

exeuntem ducem hostilibus diris deuouerat: & cum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates: & cum apud Nicephorium castra posuisset, missi ab Orode rege legati denuntiauêre, percussorum cum Pompeio fœderum, cum Syllaque meminisset. Regiis inhians ille thesauris, nihil ne imaginario quidem iure, sed Seleuciæ se responsurum esse respondit. Itaque dij fœderum vltores, nec insidiis nec virtuti hostium defuerunt. Iam primùm qui solus & subuehere commeatus, & munire poterat, à tergo relictus Euphrates, tum simulato transfugæ cuidã Mazaræ Syro creditur, cum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, vndique hosti exponeretur. Itaque vixdum venerat Carras, cùm vndique præfecti regis Sillaces & Surena ostendêre signa auro sericeisque vexillis vibrantia. Tum sine mora circumfusi vndique equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa tela pariter fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus: ipse in colloquium solicitatus signo dato viuus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus, fugam ducis, barbari ferro occupassent. Sic quoque relatũ caput ludibrio hosti fuit. Filium ducis penè in conspectu patris eisdem telis operuêre. Reliquiæ infelicis exercitus, quò quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distractæ, vix nuntium cladis retulerunt. Caput eius recisum cum dextra manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidũ in rictum oris infusum est, vt cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exsangue corpus auro vreretur.

CAP. XII.

HÆC est illa tertia ætas populi Romani transmarina qua Italia progredi ausus, orbe toto arma circumtulit. Cuius ætatis superiores centum anni, sancti, pij, & (vt diximus) aurei, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc & innoxia pastoriæ illius sectæ integritas, dúmque Pœnorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat. Postremi centum, quos à Carthaginis, Corinthi, Numantiæque excidiis, & Attali regis Asiatica hereditate deduximus in Cæsarẽ & Pompeium, secutúmque hos, de quo dicemus, Augustum, vt claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri & erubescendi. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam vberrimas validissimásque prouincias, Armenios etiam, & Britannos, vt non in vsum, ita ad imperij speciem in magna nomina acquisisse, pulchrum atque decorum: ita eodem tẽpore dimicasse domi cum ciuibus, sociis, mancipiis, gladiatoribus, totóque inter se senatu, turpe atque miserandum. Ac nescio an satius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa cõtentum fuisse, aut his etiam ipsis carere dominanti in Italia sua, quàm eò magnitudinis crescere, vt viribus suis conficeretur. Quæ enim res aliæ furores ciuiles peperit, quàm nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni regis hereditas. Illæ opes atque diuitiæ afflixêre seculi mores, mersámque vitiis suis quasi sentina rempublicam pessundedere. Vnde enim populus Romanus agros & cibaria flagitaret, nisi per famẽ quã luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & secũda, & illa tertia Apuleiana seditio. Vnde vt regnaret de iudiciariis legibus diuisus à senatu eques, nisi ex auaritia, vt vectigalia reip. atque ipsa iudicia in quæstu haberentur? Hinc rursus & promissa ciuitas Latio, & per hoc arma sociorũ. Quid autem bella seruilia? vnde nobis, nisi ex abundãtia familiarum? Vnde gladiatorij aduersus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorẽ effusa largitio? Cũ spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit. Iam vt speciosiora vitia tãgamus, nónne ambitus honorum ab iisdẽ diuitiis incitatus? Atque inde Mariana, inde Syllana tempestas. aut magnificus apparatus conuiuiorum, & sumtuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, vnde, nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium reipublicæ facibus armauit. Hos igitur populi Rom. omnes domesticos motus separatos ab externis iustisque bellis, ex ordine prosequemur.

CAP. XIII.

SEDITIONVM omnium caussas Tribunicia potestas excitauit, quæ specie quidẽ plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac fauorem agrariis, frumentariis, iudiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam iustũ, quàm recipere plebem ius suum à patribus? ne populus gentium victor, orbísque possessor, extorris aris ac focis ageret? Quid tam æquum, quàm inopem populum viuere ex ærario suo? Quid ad ius libertatis æquandæ magis efficax, quàm vt senatu regente prouincias, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera respublica in exitium suum merces erat: nam & à senatu in equitem translata iudiciorum potestas, vectigalia, id est, imperij patrimonium supprimebat: & emtio frumenti ipsos reipub. neruos exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros vnde poterat sine possidentium euersione, qui ipsi pars populi erant? & tamen relictas sibi à maioribus sedes ætate quasi iure hæreditario possidebant.

CAP. XIIII

PRIMAM certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, forma, eloquentia facilè princeps. Sed hic siue Mancinianæ deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis, siue æquo & bono ductus, quia depulsam agris suis plebẽ miseratus est, ne populus Romanus gentium victor, orbisque possessor, laribus ac focis suis exsularet: aut quacunque mẽte rem ausus ingentem, postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine Rostra conscendit, nec deerat obuia manu, tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. Sed vbi intercedentem legibus suis M. Octauium videt Gracchus, contra fas collegij, ius potestatis, iniecta manu depulit Rostris, adeoque præsenti metu mortis exterruit, vt abdicare se magistratu cogeretur. Sic triumuir creatus diuidendis agris, cùm ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogati sibi vellet imperium, obuia nobilium manu, eorúmque quos agris mouerat, cædes à foro cœpit. Inde cùm in Ca-

pitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ manu caput tangens hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis: atque ita duce Scipione Nasica concitato in arma populo, quasi iure oppressus est.

Cap. XV.

Statim & mortis & legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit C. Gracchus, qui cum pari tumultu atque terrore plebem in auitos agros arcesseret, & recentem Attali hæreditatem in alimenta populo polliceretur: iámque nimius, & potens altero tribunatu, secunda plebe volitaret; abrogare auso legibus suis Minutio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ suæ Capitolium inuasit. Inde proximorum cæde pulsus, cum se in Auentinum recepisset, inde quoque obuia senatus manu, ab Opimio consule oppressus est. Insultatum quoque mortis reliquiis, & illud sacrosanctum caput Tribuni plebis, percussoribus auro pensatum est.

Cap. XVI.

Nihilominus Appuleius Saturnius Gracchanas asserere leges nõ destitit. Tantum animorum viro Marius dabat, qui nobilitati semper inimicus, consulatu suo præterea confisus, occiso palam in comitiis A. Nonio competitore Tribunatus, subrogare conatus est in eius locum C. Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine: sed subdito titulo, in familiam ipse se adoptat. Cum tot tantisque ludibriis exsultaret impunè, rogandis Gracchorum legibus ita vehemẽter incubuit, vt senatum quoque cogeret in verba sua iurare, cum abnuentibus aqua & igni interdicturum se minaretur. Vnus tamen exstitit, qui mallet exsiliũ. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, cum iam tertium dominaretur, eò vesaniæ progressus est, vt Consularia quoque comitia noua cæde turbaret. Quippe vt satellitem furoris sui Glauciam, consulem faceret, C. Memmium competitorem interfici iussit: & in eo tumultu regem ex satellitibus se appellatum lætus accepit. Tum verò iam conspiratione senatus, ipso quoque iam Mario consule, quia tueri non poterat, aduerso, directæ in foro acies: repulsus inde in Capitolium inuasit. Sed cum abruptis fistulis obsideretur, senatuísque per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce degressus cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum, facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte lacerauit.

Cap. XVII.

Postremo Liuius Drusus non tribunatus modò viribus, sed ipsius etiam senatus auctoritate, totiusque Italiæ consensu easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflauit incendium, vt nec prima illius flamma posset sustineri, & subita morte correptus, hæreditarium in posteros suos bellum prorogaret. Iudiciaria lege C. Gracchus diuiserat Po. Romanum, & bicipitem ex vna fecerat ciuitatem. equites Romani, tanta potestate subnixi, vt qui fata fortunásque patrum, vitasque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, peculabãtur suo iure

A Rempublicam. Senatus exsilio Metelli damnatione Rutilij debilitatus, omne decus maiestatis amiserat. In hoc statu rerum pares opibus animis, dignitate, (vnde & nata Liuio Druso æmulatio accesserat) equitem Seruilius Cæpio senatum Liuius Drusus asserere: signa & aquilæ & vexilla aderant. Ceterum sic vrbe in vna, quasi in binis castris dissidebatur. Prior Cæpio in senatum impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippum principes B nobilitatis elegit. His vt motibus resisteret Drusus, plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem. socios ad plebem spe ciuitatis erexit. Exstat vox ipsius, nihil se ad largitionem vlli reliquisse, nisi si quis aut cœnum diuidere vellet, aut cælum. Aderat promulgandi dies, cum subitò tanta vis hominum vndique apparuit, vt hostium aduentu obsessa ciuitas videretur. Ausus tamen, obrogare de legibus consul Philippus. Sed apprehẽsum faucibus viator non antè dimisit, quàm sanguinis & in C ora & in oculos redundaret. Sic per vim latæ iussæque leges. Sed pretium rogationis statim socij flagitauêre, cum interim imparem Drusum, ægrumque rerum temerè motarum, matura, vt in tali discrimine, mors abstulit: nec ideo minus socij promissa Drusi à populo Romano reposcere armis desierunt.

Cap. XVIII.

D Bellum quod aduersus socios gestum est Sociale bellum vocetur licet, vt extenuemus inuidiam: si verum tamen volumus, illud ciuile bellum fuit: quippe cum Populus Romanus Etruscos, Latinos, Sabinosque miscuerit, & vnum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, & ex omnib. vnus est. Nec minore flagitiosos cij intra vrbẽ Italiá quá intra ciues rebellabant. Itaq; cum ius ciuitatis quá virib⁹ auxerát socij, iustissimè postularẽt, ad quam spẽ eos cupidine dominationis Drusus erexerat: postquam ille domeE stico scelere oppressus est, eadem fax quæ illum cremauit, socios in arma & in expugnationem vrbis accendit. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? cum omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, postremò Italia contra matrem ac parentem suam Vrbem consurgerent? cum omne robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis quisque signis haberẽt municipalia illa prodigia: Popedius Marsos & Latinos, Afranius Vmbros, * totus senatus F & consules Samnium: Lucaniam Telesinus, cum regum & gentium arbiter populus ipsũ se regere non posset, vt victrix Asiæ Europæque, à Corfinio Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte consilium, vt festo die Latinarum Sex. Iulius Cæsar, & Marcius Philippus consules, inter sacra & aras immolarentur. Postquam id nefas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit. In ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab vrbe, legatis. Hoc fuit G impij belli sacramentum. inde iam passim ab omni parte Italiæ. duce & auctore belli discursante Popedio, diuersa per populos & vrbes signa cecinere. Nec Annibalis nec Pyrrhi fuit tanta vastatio. Ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Fæsulæ, Carseoli, reseratæ Nuceriæ, & Picentes, cædibus ferro & igne vastantur. Fusæ Rutilij copiæ, fusæ Cæpionis. Nam ipse Iulus Cæsar exercitu amisso, cum in vrbem cruentus referretur, miserabili

bili funere mediam etiam vrbem peruiam fecit. A Sed magna populi Romani fortuna, & semper in malis maior, totis denuò viribus insurrexit, aggressique singuli populos, Cato discutit Etruscos, Gabinius Marsos, Carbo Bucanos Sylla Samnites. Strabo verò Pompeius omnia flammis ferróque populatus, non prius finem cædium fecit, quàm Asculi euersione, Manibus tot exercituum consularium, direptarumque vrbium diis litaretur.

Cap. xix.

Vtcvnqve, etsi cum sociis (nefas) cum liberis tamen & ingenuis dimicatum est. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella seruorum? Primum seruile bellum inter initia vrbis Herdonio Sabino duce in ipsa vrbe tentatum est, cum occupata Tribuniciis seditionibus ciuitate Capitolium obsessum est, & à consule captum, Sed hic tumultus magis fuit quàm C bellum. Mox imperio per diuersa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multò cruentius seruili, quàm Punico bello, esse vastatam? Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana prouincia latifundiis ciuiū Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequētia ergastula, catenatique cultores materiam bello præbuêre. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit vt meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ cæremonias iactat, ad libertatem & arma seruos D quasi numinum imperio concitauit. idque vt diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat, leuiter inspirans, flāmam inter verba fundebat. Hoc miraculo primum duo millia ex obuiis, mox iure belli refractis ergastulis, quadraginta amplius millium fecit exercitū. Regiisque, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella oppida, vicos miserabili direptione vastauit. Illud quoque in vltimum belli dedecus, capta sūt castra prætorū, nec nominare ipsos pudet, castra Manlij, Lentuli, Pisonis, E Hypsei. Itaq; qui per fugitiuarios retrahi debuissēt prætorios duces, profugos prælio ipsi sequebātur. Tandem P. Rupilio Imperatore supplicū de eis sumtum est. Hic enim victos, & apud Ennam nouissimè obsessos, cùm fame quasi pestilentia consumsisset, reliquias latronum compedibus catenisque religauit, crucibusque puniuit. Fuitque de seruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione violaret. Vixdum respirauerat F insula, cùm statim à seruis & à Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem quàm ille fanaticus prior conflat exercitum, acriusque multò, quasi & illū vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in seruos infestius, quasi in transfugas, sæuiebat. Ad hoc quoque prætorij exercitus cæsi, capta Seruilij castra, capta Luculli. G Sed Aquilius P. Rupilij vsus exemplo, interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit, comminutasque copias armis, fame facile deleuit, dedidissentque se, nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamuis in manus venerit. Quippe dum circa ad deprehendendū eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est.

Cap. xx.

Enimvero seruilinam armorum dedecus feras. nam & ipsi per fortunam in omnia obnoxij, tamen quasi secundum hominum genus sunt, & in bona libertatis nostræ adoptantur. Bellū Spartaco duce concitatū, quo nomine appellē nescio. Quippe cū serui militauerint, gladiatores imperauerint: illi infimæ sortis homines, hi pessimam B auxêre ludibrio calamitatem. Spartacus, Crixus, & Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum septuaginta aut amplius eiusdē fortunę viris erupere Capua, seruisque ad vexillum & ad auxilium vocatis, cùm statim decem amplius millia coissēt hominum, non modò effugisse contenti, iam vindicari etiam volebant. Prima velut ara viris, mons Vesuuius placuit. Ibi cùm etiam obsiderentur à Clodio Glabro, per fauces caui mōtis vitigineis delapsi vinculis, ad imas eius descendere radices, & exitu in vno nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere. Inde alia castra, Deinceps Thoram, totámque peruagantur Cāpaniam. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam, atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. Affluētibus in diem copiis, cùm iam esset iustus exercitus, è viminibus pecudúmque tegumentis inconditos sibi clypeos, & ferro ergastulorum recocto, gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus iusto deesset exercitui, domitis obuiis gregibus paratur equitatus, captàque de prætoribus insignia & fasces ad ducē detulere. Nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honore virium gladiator: qui defunctorum quoque prælio ducum funera Imperatoris celebrauit exsequiis, captiuósque circa rogum iussit armis depugnare, quasi planè expiaturus omne præteritū dedecus, si de gladiatore munerator fuisset. Inde iam consulares quoque aggressus, in Apennios Lentuli exercitum cecîdit, apud Mutinā C. Cassij castra deleuit. Quibus elatus victoriis, de inuadenda vrbe Romana, quod satis est turpitudini nostræ, deliberauit. Tandem etiam totis viribus contra Mirmillonem consurgitur, pudorémque Romanum Licinius Crassus asseruit, à quo pulsi fugatique (pudet dicere) hostes, in extrema Italiæ confugerunt. Ibi circa Brutium angulum inclusi, cùm fugam in Siciliam parent, neque nauigia suppeterent, ratésque ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur, tandem eruptione facta, dignam viris obiêre mortem: &, quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatū est, Spartacus ipse in primo agmine fortissimè dimicans quasi Imperator occisus est.

Cap. xxi.

Hoc deerat vnum populi Romani malis, iam vt ipse intra se parricidiale bellum domi stringeret, & in vrbe media ac foro quasi arena ciues cū ciuibus suis gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo vtcunq; ferrem, si plebei duces, aut si nobiles, mali saltem, ducatum sceleri præbuissent. Cum verò (prò facinus! qui viri? qui Imperatores?) decora & ornamenta seculi sui Marius & Sylla, pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt, tribus, vt sic dixerim, sideribus agitatum est: primo & leni & modico, tumultu

maiore quàm bello, intra ipsos armorum duces A subsistente sæuitia: mox atrocius & cruentius, per totius viscera senatus grassante victoria. Vltimum non ciuicam modo, sed hostilem quoque rabiem supergressum est, cum armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eousque odiis sæuientibus, donec deessent qui occiderentur. Initium & caussa belli, inexplebilis honorum Marij fames, dum decretam Sullæ prouinciam Sulpicia lege solicitat. Sed impatiens iniuriæ, statim Sulla B legiones circumegit; dilatóque Mithradate, Esquilina Collinaque porta, geminum agmen vrbi infudit. Vnde cum subito Sulpicius & Albinouanus obiecissent cateruas, sudesque & saxa vndique à mœnibus ac tela iacerentur, ipse quoque iaculatus, incendio viam fecit, arcemque capitolij, quæ Pœnos quoque, Gallos etiam Senonas euaserat, quasi captiuam victor insedit. Tum ex senatusconsulto, aduersariis hostibus iudicatis, in præ- C sentem tribunum aliosque diuersæ factionis iure sæuitum est. Marium, seruilis fuga exemit, imò fortuna alteri bello reseruauit. Cornelio Cinna, Cn. Octauio consulibus malè obrutum resurrexit incendium, & quidem ab ipsorum discordia, cum de reuocandis quos senatus hostes iudicauerat, ad populum referretur. Cincta quidem gladiis concione, sed vincentibus quibus pax & quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes: redit ad Africa Marius clade maior. siquidem D carcer, catenæ, fuga, exsilium, horrificauerant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri latè concurritur: seruitia (pro nefas) & ergastula armantur; & facilè inuenit exercitum miser Imperator. Itaque vi patriam reposcens, vnde vi fuerat expulsus, poterat videri iure agere, nisi caussam suam sæuitia corrumperet. Sed cum diis hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens & alumna Vrbis Ostia, nefanda strage diripitur. Mox in vr- E bem quadruplici agmine intratur. diuisêre copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octauij depulsa Ianiculo est, statim in principum cædem signo dato, aliquanto sæuius, quàm aut in Punica, aut in Cimbrica vrbe sæuitur. Octauij consulis caput pro Rostris exponitur, Antonij consularis, in Marij ipsius mensis. Cæsar & Fimbria in penatibus domorum suarum trucidantur, Cassij pater & filius in mutuo alter alterius aspectu. Bœbium atque Numitorium per medium forum vnci traxêre carnificum. Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit. Merula flamen Dialis in Capitolio, Iouis ipsius oculos, venarum cruore respersit. Ancharius ipso vidente Mario confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti. Hæc tot senatus funera intra Calendas & Idus Ianuarij mensis, septima illa Marij purpura dedit. Quid futurum, si annum consularis implesset? Scipione Norbanóque consulibus tertius ille turbo ciuilis insaniæ toto furore detonuit: quippe cum hinc VII. legiones, inde quingentæ cohortes starent in armis, inde ab Asia cum victore exercitu Sulla properaret. Et sanè cum tam ferus in Sullanos Marius fuisset, quanta sæuitia opus erat, vt Sulla de Mario vindicaretur? Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt, & ibi statim Norbani fusus exercitus, statim omnes Scipionis copiæ, ostentata spe pacis, oppressæ. Tum Morius iuuenis & Carbo consules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, sanguine senatus sibi parentabant: obsessaque curia, sic de senatu quasi de carcere, qui iugularentur, educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Namque Mucius Scæuola pontifex, Vestales amplexus aras, tantum non eodem igne sepelitur. Lamponius atque Telesinus Samnitum duces atrocius Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriámque populantur, & sub specie partium se vindicant. Apud Sacriportum, Collinámque portam debellatæ omnes hostium copiæ. Ibi Marius, hîc Telesinus oppressi: nec idem tamen cædium, qui belli finis fuit. Stricti enim & in pace gladij animaduersumque in eos qui se sponte dediderant. Non minus est, quod apud Sacriportum & apud Collinam septuaginta amplius millia Sulla concidit. bellum erat. quatuor millia deditorum inermium ciuium, in villa publica interfici iussit: isti tot in pace non plures sunt: quis autem illos potest computare, quos in vrbe passim quisquis voluit occidit? donec admonente Fufidio, viuere aliquos debere, vt essent quibus imperarent; proposita est ingens illa tabula, & ex ipso equestris ordinis flore ac senatus duo millia electi, qui mori iuberentur. Noui generis edictum. Piget post hæc referre ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani prætoris, atque Venuleij; Bæbium sine ferro ritu ferarum inter manus laceratum; Marium ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulchrum, oculis, manibus, cruribusque defossis, seruatum aliquandiu, vt per singula membra moreretur. Positis singulorum hominum ferè pœnis, municipia Italiæ splendidissima sub hasta venerunt, Spoletium, Interamnium, Præneste, Fluentia. nam Sulmonem vetus oppidum socium atque amicum (facinus indignum) nondum expugnatum, vt obsides iure beli, & modò morte damnati duci iubentur. sic damnatam ciuitatem iussit Sulla deleri.

CAP. XXII.

BELLVM Sertorianum quid aliud quàm Sullanæ proscriptionis hereditas fuit? hostile potius, an ciuile dixerim, nescio, quippe quod Lusitani, Celtiberique Romano gesserint duce. Exsul & profugus feralis illius tabulæ, vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, malis suis maria terrasque permiscuit; & in Africa iam, & Balearibus F insulis fortunam expertus, missusque in Oceanũ, Fortunatas insulas penetrauit: tandem Hispaniam armauit, vbi viro cum viris facilè conuenit: nec aliter magis apparuit Hispanis militi vigor, quàm Romano duce. Quanquam ille non contentus Hispania, ad Mithradatem quoque, Ponticosque respexit, regemque classe iuuit. Et quid futurum fuit satis tanto hosti? Vno imperatore resistere res Romana non potuit, additus Metello Cn. Pompeius: hi copias viri diu & ancipiti semper acie G attriuêre, nec tamen prius bello quàm suorum scelere & insidiis extinctus. Copias eius propè tota Hispania persecuti, diu & ancipiti semper acie dimicauerunt. Prima per legatos certamina habita, cum hinc Domitius & Thorius, inde Herculeij præluderent: mox his apud Segouiam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces comminus inuicem experti, apud Lauronẽ atque Sucronem æquauêre clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad vrbium excidia conuersis, misera inter Romanos duces Hispania discordiæ pœnas dabat

dabat, donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsæ quoque in Romanam fidem venere vrbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima, & in fame nihil non experta Calaguris. Sic recepta in pacem Hispania, victores duces externum id magis quàm ciuile bellum videri voluerunt, vt triumpharent.

CAP. XXIII.

MARCO Lepido, Quincto Catulo consulibus, ciuile bellum pænè citius oppressum est, quàm inciperet. Sed quantum, latéque fax illius motus ab ipso Sullæ rogo exarsit! Cupidus namque rerum nouarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri rescindere parabat, nec immeritò, si tamen posset sine magna clade Reip. Nam cùm iure belli Sulla dictator proscripsisset inimicos: qui super erant, reuocante Lepido, quid aliud quàm ad bellum vocabantur? cumque damnatorum ciuium bona addicente Sulla, quamuis male capta, iure tamen, repetitio eorum procul dubio labefactabat compositam ciuitatem. Expediebat ergo quasi ægræ sauciæque Reipublicæ requiescere quomodocunque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. Ergo cùm turbidis concionibus velut classico ciuitatem terruissent, profectus in Etruriam, arma inde & exercitum vrbi admouerat. Sed iam Miluium pontem, collemque Ianiculum Lutatius Catulus, Cn. Pompeius, Sullanæ dominationis duces atque signiferi alio exercitu insederant. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque à senatu iudicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde Sardiniam recessit: ibique morbo & pœnitentia interiit. Victores, quod non temerè alias in ciuilibus bellis, pace contenti fuerunt.

LIBRI QVARTI

CAPVT I.

CATILINAM luxuria primùm, tum hinc cõflata egestas rei familiaris, simul occasio quòd in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere, senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis vrbem, diripere ærarium, totam denique rempublicam funditus tollere, quidquid nec Annibal videretur optasse. Quibus id nefas sociis aggressus est. Ipse patricius, sed hoc minus est. Curij, Porcij, Sullæ, Cethegi, Autronij, Varguntei, atque Longini, quæ familiæ? quæ senatus insignia? Lentulus quoque tunc maximè prætor. hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus coniurationis, sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem & Antonium consules incidisset, quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fuluiam emersit, vilissimum scortum, sed parricidij innocens. Tum consul habito senatu in præsentem patricidiam, in

A præsentem reum Cicero perorauit: sed non amplius profectum, quàm vt hostis euaderet, séque palam professo incendium suum restincturum ruina minaretur. Et ille quidem ad præparatum à Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus vrbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum à Catilina diem vrbe tota viros, faces, tela disponit; nec ciuili conspiratione con-
B tentus, legatos Allobrogum, qui tum fortè aderant, in arma solicitatis. Et isset vltra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturnij, prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus. Palam prætor in senatu conuincitur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati, Cato animaduertendum pro scelere censebat. Quam sententiam secutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamuis parte con-
C iurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit, sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obuio Antonij exercitu opprimitur. Quàm atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit, quem quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longè à suis inter hostium cadauera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.

D

CAP. II.

Iam pænè toto orbe pacato, maius erat imperium Romanum, quàm vt vllis externis viribus extingui posset. Itaque inuidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armauit. Ac Mariana quidem Cinnanáque rabies intra vrbem se præcluserat, quasi experiretur, Sullana tempestas latius, intra Italiam tamen deto-
E nuerat: Cæsaris furor atque Pompeij, Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, quà patebat imperium, quodam quasi diluuio, & inflammatione corripuit, adeò, vt non rectè tantum ciuile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum, sed potiùs commune quoddam ex omnibus, & plus quàm bellum. Quippe si duces eius inspicias, totus senatus in partibus: si exercitus, hinc XI. legiones, inde XVIII. flos omnis & robur Italici sanguinis: auxilia sociorum, hinc Gallici Germanicique delectus, inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarchon,
F Mimotus, Corinthus, omne Thraciæ, Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiúsque robur Orientis: si moram belli, quatuor annis, & pro clade rerum breue tempus: si locum & spacium vbi commissum est, intra Italiam: inde se in Galliam Hispaniámque deflexit, reuersúmque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliáque concedit: hinc in Ægyptum subito transiliit: inde respexit Asiam, Africæ incubuit: postremò in Hispaniam remigrauit, & ibi aliquando
G defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quieuere, quàm in vrbe ipsa, medio senatu eorum, qui victi erant. Caussa tantæ calamitatis eadem, quæ omnium, nimia felicitas. Siquidem Quincto Metello & Lucio Afranio consulibus, cùm Romana maiestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompeij potentia apud otiosos (vt solet) ciues mouit inuidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum, Cato aduersus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium,

actisque eius obstrepere. Hic dolor transuersum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, diuitiis, dignitate florebat, vellet tamen auctiores opes. Caius Cæsar eloquentia, & spiritu, & iam consulatu alleuabatur. Pompeius tamen super vtrumque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare. Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibúsque pariter potentiæ cupidis, de inuadenda Rep. facilè conuenit. Ergo cùm mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar inuadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam, tres maximos exercitus: & iam sic orbis imperium, societate trium principum occupatur. Decē annos traxit ista dominatio. Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi: socerique concordiam matrimonij fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Iam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas grauis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperij fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque consulibus rupta prima coniurationis fide, de successione Cæsaris senatus, idemque Pompeius agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitijs haberetur consulatus. absenti, quem decem tribuni, fauente Pompeio nuper decreuerant, tum dissimulante eodem negabatur. Veniret, & peteret maiorum more. Ille contra flagitare decreta, ac, nisi in fide permanerent, non se dimissurum exercitum. Ergo vt in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima ciuilis belli arena, Italia fuit: cuius arces leuibus præsidiis Pompeius insederat, sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerunt. Tum pulsus Etruria Libo, Vmbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundusij opprimere, vt cœperat, potuisset. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga euasit. Turpe dictu, modò princeps patrum, pacis bellique moderator, per triūphatum à se mare lacerata & pænè inermi naue fugiebat. Nec Pompeius ab Italia, quàm senatus ab vrbe fugatur prior: quam pænè vacuam metu, Cæsar ingressus, consulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, iussit effringi: censumque & patrimonium populi Romani antè rapuit quàm imperium. Pulso fugatóque Pompeio, maluit prius ordinare prouincias, quàm ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam annonæ pignora, per legatos habuit. Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeij exercitus transeunti per eam duci, portas claudere ausa Massilia est. Misera, dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi iussit absenti. Græcula ciuitas, non pro mollitia nominis, & vallum cædere, & incendere machinas ausa, & congredi nauibus: sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit: mox dedentibus sese ablata omnia præter (quam potiorem omnibus habebant) libertatem. Anceps variumque, & cruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeij Petreio & Afranio; quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibet. Sic fame castra tē-

A tata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebantur: sed vbi pax fluminis rediit: populationibus & pugna campos aperuit: iterum ferox instat: & cedentes ad Celtiberiam consecutus, aggere & vallo, & per hæc siti ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est, nec vlterior moram fecit. Quid enim vna post quinque legiones? Itaque vltro cedente Varrone Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen aduersus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam, quasi de industria prospera eius ad-

B uersis radiarentur. Quippe cùm fauces Adriatici maris iussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo littore castra posuissent, iam maria latè tenente Pompeio, repente castra legatus eius Octauius, & Libo ingentibus copiis classicorum vtrinque circumuenit. deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basilo in auxilium eius rates, quales inopia nauium fecerat, noua Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus,

C captæ quasi per indaginem. duas tamen æstus explicuit: vna, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille iuuenum manus, circumfusi vndique exercitus per totum diem tela sustinuit: & cùm exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus in se concurrit. In Africa quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam prouinciam missus, pulso fugatóque Varo iam

D superbus, subitum Iubæ regis aduentū, equitatumque Mauronam sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, vt amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur. Sed iam debitum par fortuna flagitante, sedem bello Pompeius Epirum elegerat, nec Cæsar moratus: quippe, ordinatis à tergo omnibus, quamuis hiems media prohiberet tempestate, ad bellum nauigauit: positisq; ad Oricū castris, cùm pars exercitus ob inopiam nauium cū Antonio dimissa, Brundusij morā faceret, adeò im-

E patiens erat, vt ad arcessendos eos, ardente ventis mari nocte concubia, speculatorio nauigio, solus ire tentauerit. Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius: Quid times? Cęsarē vehis. Contractis in vnum vndique omnibus copiis, positisque comminus castris, diuersa erant ducū cōsilia. Cæsar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, prouocare, lacessere, nunc obsidione castrorum, quæ erant sedecim millium vallo obducta. (Sed qui is obesset obsidio,

F qui patente mari omnibus copiis abundarent?) nunc expugnatione Dyrrachij irrita, (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret) ad hoc, assiduis in eruptionem hostium prælijs (quo tempore egregia virtus Scæuæ centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque viginti tela sedēre) iam verò direptione vrbium sociatū, cùm Oricū & Gomphos, & alia castella Thessaliæ vastaret: Pompeius aduersus hæc nectere moras, tergiuersari simul, vt hostem interclusū vndiq; inopia cōmeatuū

G tereret, vtque ardentissimi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium. Milites otium, socij moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prælio sumta est Thessalia: & Philippicis campis, vrbis, imperij, generis humani fata commissa sunt. Nunquam vllo loco tantū virium populus Romanus, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc & illinc præter auxilia regū & senatus. Nunquam

quã imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga A victimarũ, examina, insignes interdiu tenebræ. Dux ipse & nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circumsonare, & manè cum pullo amiculo (nefas) apud principia conspectus est. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæsaris fuit. Inde classica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Crastini pilum qui mox adacto in os gladio, sic inter cadauera repertus, libidinem ac rabiem qua pugnauerat, ipsa nouitate vulneris præferebat. Sed nec minus ad- B mirabilior illius exitus belli. Quippe cùm Pompeius adeò equitum copia abundaret, vt facilè circumuenturus sibi Cæsarem videretur, circumuentus ipse est. Nam cùm diu æquo marte contenderent, iussúque Pompeij fusus à cornu erupisset equitatus, repentè hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, vt illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, leuis armaturæ ruina comitata est. Tunc terrore latius C dato, turbantibus inuicem copiis, reliqua strages quasi vna manu facta est. Nec vlla res magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæsar fuit, mediusque inter imperatorem & militum. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax, Miles, faciem feri: altera ad iactationem composita, Parce ciuibus: cùm ipse sequeretur. Felicem vtcunque in malis Pompeium, si eadem i- D psum, quæ exercitum eius, fortuna traxisset. Superstes dignitati suæ vixit, vt cum maiore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret, pulsus Larissa: in deserto Ciliciæ scopulo, Parthos, Africam, vel Ægyptum agitaret: vt denique in Pelusiaco littore imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, &, ne quis malis desit, Septimij desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis vxoris suæ liberorumque moreretur. Quis non peractũ esse cum Pompeio crederet bellum? Atqui acrius multò atque vehe- E mentius Thessalici incendij cineres recaluêre. Et in Ægypto quidem aduersus Cæsarem sine partibus bellum. Quippe cùm Ptolemæus rex Alexandriæ, summum ciuilis belli scelus peregisset, fœdusque amicitiæ cum Cæsare medio Pompeij capite sanxisset, vltionem tanti viri manibus quærente fortuna, caussa non defuit. Cleopatra regis soror, affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis passa videbatur iniuriam: odium ipsius regis, qui Pompeij cædem partium fato, non F Cæsari dederat, haud dubiè idem in ipsum ausurus si expedisset. Quam vbi Cæsar restitui iussit in regnum, statim ab eisdem percussoribus Pompeij obsessus in regia, quamuis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. Ac primum ædificiorum proximorum atque naualium incendio, infestorum hostium tela submouit: mox in peninsulam Pharon subitus euasit: inde depulsus in maria, mira felicitate ad proximam classem enatauit, relicto quidem in fluctibus paludamento, G seu fato seu consilio, vt illud ingruentibus hostium telis saxisq; peteretur. Tandem receptus à classicis suis. vndique simul hostes adortus, de imbelli ac perfidia gente, iusta generi manibus dedit. Quippe & Theodotus magister, auctor totius belli, & ne virilia quidem portenta, Photinus atque Ganymedes diuersi per mare & transfugio & morte consumti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureæ loricæ honore. In Asia quoque nouus rerum motus à Ponto, planè quasi de industria captante fortuna hunc Mithradatico regno exitum, vt à Pompeio pater, à Cæsare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis discordiæ nostræ fiducia, quàm virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat. Sed hunc Cæsar aggressus, vno & (vt sic dixerim) non toto prælio obtriuit, more fulminis, quod vno eodémque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris, antè victum hostem esse, quàm visum: Sic cum exteris. At in Africa cum ciuibus multò atrocius quàm in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris æstus expulerat: nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis, quàm oppressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio. Quippe satis amplè sonabant in Pompeiani nominis locum, Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritanus rex Iuba, videlicet vt latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam & Thapson, nisi quod amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium creuisse bellum. Denique, quod aliàs nunquam, ante imperium ducis sua sponte signa cecinerunt. Strages à Iuba cœpit: eius elephanti bellorum rudes, & nuper à silua consternati subito clangore, statim & exercitus in fugam, & duces fortiusquàm vt effugerent, non inconspicua tamen morte omnium. Iam Scipio naue fugiebat, sed assecutis eum hostibus, gladium per viscera exegit, & vbi esset quodã requirente, respondit, Bene se habet Imperator. Iuba cum se recepisset in hoc ipsum regiam magnificè epulatus, cũ Petreio fugæ comite, super mensas & pocula interficiendũ se ei præbuit. Ille & regi sufficit, & sibi; cùm interim semesi in medio cibi & parentalia fercula, regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato non interfuit bello, positisque ad Bagradam castris, Vticam velut altera Africæ claustra seruabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus (vt sapiente dignum erat) mortem etiam lætus acciuit. Nam postquam filium comitesque amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro qui immortalitatem animæ docet, paululum quieuit: tum circa primã vigiliam stricto gladio reuelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomentis. Ille passus dum abscederent, rescidit plagas: secutâque vis sanguinis moribundas manus in ipso vulnere reliquit. Quasi non esset vsquam dimicatum, sic arma rursus, & partes: quantoque Africa supra Thessaliam fuit, tantò Africam superabat Hispania, plurimumque fauoris partibus addebat fraternitas ducum, & pro vno duos stare Pompeios. Itaque nusquam atrocius, nec tam ancipiti marte concursum est. Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixêre. Sed acrius fuit cum ipso mari, quàm inter se nauibus, bellum. Siquidem velut furorem ciuium castigaret Oceanus, vtramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror, cùm eodem tempore fluctus, procellæ, armamenta confligerent? adde situs ipsius formidinem, vergentia in vnum, hinc Hispaniæ, inde Mauritaniæ littora, mare & intestinum & externum, imminentesque Herculis speculas, cum omnia vndique simul prælio & tempestate sæuirent, mox circa obsidiones vrbium vtrinque discursum est, quæ miseræ inter hos atque illos duces societatis Romanæ

pœnas dabant. Omnium postrema certaminum A Munda. Hic non pro cætera felicitate, sed anceps & diu triste prælium, vt planè videretur nescio quid deliberare fortuna. Sanè & ipse ante aciem mœstior, non ex more Cæsar, siue respectu fragilitatis humanæ, siue nimiam prosperorum suspectam habens continuationem, vel eadem timens, postquam idem esse cœperat quod Pompeius. Sed in ipso prælio, quod nemo vnquam meminerat, cùm diu pari marte acies nihil aliud quàm occiderent, in medio ardore pugnantium subitò ingens inter vtrosque silentium, quasi conuenissent. B hic omnium sensus erat. Nouissimè illud inusitatum Cæsaris oculis, nefas, post XIIII. annos, probata veteranorum manus gradum retro dedit. Quòd & si nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis quàm virtute resistere. Itaque ablegato equo, similis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare, per totum deniq; agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis agitasse secum, C & ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare manu mortem vellet, nisi cohortes hostium quinque per transuersam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus castris præsidio miserat, fugæ speciem præbuissent: hoc aut & ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem, & quasi in fugientem inuectus, simul & suorum erexit animos, & hostes perculit. Nam hi dum se putant vincere, fortius sequi, inde Pompeiani dũ fugere credunt suos, fugere cœperunt. Quanta fuerit hostium cædes, ira, D rabiésque victoribus, sic æstimari potest, hoc à prælio profugi, cum se Mundæ recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperasset, congestis vndique cadaueribus agger effectus est, quæ pilis iaculisque confixa inter se tenebantur, fœdum etiam inter barbaros. Sed videlicet victoriam desperantibus Pompeij liberis, Cn. prælio profugum, crure saucio deserta & auia petentem, Cesennius apud Lauronem oppidum consecutus pugnantem (adeò nondum desperauerat) interfecit. Sextum E fortuna in Celtiberia interim abscondit, aliísque post Cæsarem bellis reseruauit. Cæsar in patriam victor inuehitur. Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, Rhodanus, & ex auro captiuus Oceanus. Alterum Laurus Ægyptia. Tunc in ferculis Nilus, Arsinoe, & ad simulacrum ignium ardens Pharus. Tertius de Pharnace currus, & Ponto. Quartus Iubam & Mauros, & bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia, & Thapsus, & Munda nusquam, & quanto maiora erant, F de quibus non triumphabat! [Hic aliquando finis armis fuit,] reliqua pax incruenta, pensatúmque clementia bellum. Nemo cæsus imperiò, præter Afranium, satis ignouerat semel: & Faustum Sullam, didicerat generum timere: filiámque Pompeij cum patruelibus ex Sulla, hîc posteris cauebatur. Itaque non ingratis ciuibus omnes honores vnum in principem congesti; circa templa imagines: in theatro distincta radiis corona: suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cæ- G lo; ad hæc pater ipse patriæ, perpetuúsque Dictato, nouissimè, dubium an ipso volente, oblata pro rostris ab Antonio consule regni insignia: quæ omnia velut infulæ in destinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit inuidia, grauisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia, nec diutius dilatio donata est: sed Brutus & Cassius, aliique patricij consensẽrũt in cædem Principis. Quanta vis fati! manauerat latè coniuratio, libellus etiam Cæsari datus eodem die, nec perlitare centum victimis potuerat, venit in curiam tamen expeditionem Parthicam meditans, ibi in curuli sedentem, eum senatus inuasit, tribusque & viginti vulneribus ad terram datus est. sic ille qui terrarum orbem ciuili sanguine impleuerat, tandem ipse in sanguine suo curiam impleuit.

Cap. III.

Popvlvs Romanus Cæsare & Pompeio trucidatis, rediisse in statum pristinæ libertatis videbatur, & redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar hæredem reliquisset: vel quod vtroque perniciosius fuit, si non collega quondam, mox æmulus, Cæsarianæ potentiæ fax, & turbo sequentis sæculi superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari, dum Octauius mortem patris vlciscitur, iterùm fuit mouenda Thessalia, dum Antonius varius ingenio aut successorem Cæsaris indignatur Octauium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem: nam aliter saluus esse non potuit, nisi confugisset ad seruitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quòd potissimum ad Octauium Cæsarem Augustum, summa rerum rediit, qui sapientia sua atque solertia, perculsum vndique & perturbatum ordinauit imperij corpus, quod ita haud dubiè nunquam coire & consentire potuisset, nisi vnius præsidis nutu, quasi anima & mente & regeretur. Marco Antonio, Publio Dolabella consulibus, imperium iam ad Cæsares transferente fortuna, varius & multiplex motus ciuitatis fuit, quodque in annua cœli conuersione fieri solet, vt mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent: sic in Romanæ dominationis, id est, humani generis cõuersione penitus intremuit, omníque genere discriminum, ciuilibus, terrestribus ac naualibus bellis omne imperij corpus agitatum est.

Cap. IIII.

Prima ciuilium motuum caussa testamentum Cæsaris fuit, cuius secundus heres Antonius; prælatum sibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis susceperat bellum. Quippe cùm intra decem & octo annos tenerum, obnoxium & opportunium iniuriæ iuuenem videret, ipse planè & conuiciis Cæsaris dignitatem, & furtis hereditatem lacerare, ipsum insectari probris, & cunctis artibus adoptationem Iuliæ gentis cùm inhibere non desineret: denique ad deprimendum iuuenem, palàm arma moliri, & parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsideret: Octauius Cæsar ætate & iniuria fauorabilis, & nominis maiestate, quod sibi induerat, reuocatis ad arma veteranis, priuatus, (quis crederet?) consulem aggreditur, obsidione Mutinæ liberat Brutum, Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit. nam cruentus & saucius aquilam à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat,

Cap. V.

Cvm solus etiam grauis paci, grauis reipuplicæ

bli... esse Antoniis, quasi ignis incendio Lepidus accessit, qui contra duos exercitus necesse fuit venire cruentissimi fœderis societatem. Diuersa omnium voto incendia. Lepidum, diuitiarum cupido, quatū spes ex turbatione Reipublicæ, Antonium vltiones de his, qui se hostem iudicassent, Cæsarem, inultus pater, & manibus eius graues Cassius & Brutus agitabant. In hoc velut fœdus pax inter tres duces componitur, apud Confluentes inter Perusiam & Bononiā iungunt manus, & exercitus consalutant, nullo bono more Triumuiratus inuaditur. Oppressa armis Republ. redit Sylla proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet, quàm numerū CXL. Senatorum, exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis pro indignitate rei non ingemiscat? Cùm Antonius concederet Cæsare auunculum suum, Lepidus L. Paulum fratrem suum proscripserit. Romæ capita cæsorum proponere in rostris iam visitatum erat. Verùm sic quoque ciuitas lacrymas tenere non potuit cum recisum Ciceronis caput in illis suis rostris videretur, nec aliter ad videndum, quàm solebat ad audiendum eum concurreretur. Hæc scelera in Antonij Lepidique tabulis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit. hæc quoque nisi multa fuisset, etiam iusta cæde haberetur.

CAP. VI.

BRVTVS & Cassius sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem depulisse regno videbantur. sed libertatem, quam maximè restitutam voluerunt, illo ipso patricidio perdiderunt. Igitur cæde perfecta, cum veteranos Cæsaris, nec immeritò timerent, statim è curia in Capitolium confugerant. nec illis ad vltionem deerat animus, sed ducem non habebant. Igitur cum appareret quæ strages reip. immineret, displicuit vltio, consensu consulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in prouincias ab illo ipso, quem occiderant Cæsare datas, Syriam & Macedoniam concesserant. sic vindicta Cæsaris dilata potius quàm oppressa est. Igitur ordinata magis, vt poterat, quàm vt decebat, in Triumuiros repub. relicto ad vrbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam insederant. sed nec tum imminentia cladis destinatæ signa latuêre. nam & assuetæ cadauerum pabulo volucres, castra quasi iam sua circumuolabant. In aciem prodeuntibus Æthiops obuius nimis apertè ferale signum fuit. Ipsique Bruto per noctem, cum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit, & quæ esset, interrogata, tuus, inquit, malus Genius: hoc dixit, & sub oculis mirantis euanuit. Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia, aues, victimæque promiserant: sed nihil illo præsentius, cum Cæsaris medicus somnio admonitus est, vt Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat, vt factum est. Acie namque commissa cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret, & quamuis duces non essent, tum præsentes, quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignauia subduxissent, stabat tamē pro partibus inuicta fortuna, & vltoris, & qui vindicabatur. Primū adeò anceps fuit, & par vtrinq; discrimen vt exitus prælij docuit, capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassij. Sed quantò efficacior est fortuna quàm virtus! & quàm verum est, quod moriens efflauit, non in re, sed in verbo tantum esse virtutem! Victoriam illi prælio error dedit. Cassius, inclinato cornu suorum, cum captis Cæsaris castris rapido impetu recipientes se equites videret, fugere arbitratus, euadit in tumulum, inde puluere & strepitu, etiam nocte vicina, eximentibus gestæ rei sensum, cum speculator quoque in id missus tardius renunciaret, transactum de partibus ratus, vni ex proximis auferendum præbuit caput. Brutus, cum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret, (ita enim par superesse bello conuenerat) ipse quoque vni comitum suorum confodiendum præbuit latus. Quis sapientissimos viros non miretur, ad vltimū non suis manibus vsos? nisi hoc quoque ex persuasione non defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum, pientissimarumque animarum iudicio suo, scelere alieno vterentur.

CAP. VII.

ALTERVM bellum concitauit agrorum diuisio, quos Cæsar veteranis, in castris pretium militiæ persoluebat. Semper aliàs L. Antonij pessimū ingenium, Fuluia, gladio cincta, virilis militiæ vxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitandos, iterùm in arma itur. Hic verùm non priuatis, sed potius Senatus suffragiis iudicatum hostē Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit, compulitque ad extrema deditionis, turpi, & nihil non experta fame.

CAP. VIII.

SVBLATIS percussoribus, Cæsaris, supererat Pompeij domus. Alter iuuenum in Hispania occiderat, alter fuga euaserat, contractisque infelicis belli reliquiis, cum insuper ergastula armasset, Siciliam Sardiniamque habebat. Iam & classe medium mare insederat. O quàm diuersus à patre! ille Cilicas extinxerat, hic secū piratas nauales agitabat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuuenis oppressus est, magnique famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset vlterius, nisi quòd magnæ indolis signum est, sperare semper. Perditis enim rebus profugit, Asiamque velis petit, venturus ibi in manus hostium, & catenas, & quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Nō alia post Xerxem miserabilior fuga. Quippe modò trecentarum quinquaginta nauium dominus, cum sex septemve fugiebat, extincto pretoriæ nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atque respectans, & tamen non metuens ne periret. Quamuis in Cassio & Bruto partes sustulisset, & in Pompeio totum partium nomē aboleuisset: nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar, cum scopulus, & nodus, & mora publicæ securitatis superesset Antonius, nec ille defuit vitiis quin periret: immò omnia expertus ambitu & luxuria: primùm hostes, deinde ciues, tandem etiam terrore sui sæculum liberauit.

CAP. IX.

PARTHI clade Crassiana altius animos erexerant, ciuilesque populi R. motus læti acceperant: itaque vt prima affulsit occasio, non dubitauerunt erumpere, vltro quidem inuitante Labieno, qui missus à Cassio Brutoque (qui furor scelerum!) sollicitauit hostes in auxiliū: & illi Pacoro duce regio iuuene, dissipât Antoniana præsidia. Saxa le-

gatus, ne veniret in potestatem à gladio suo impetrauerat. Denique ablata Suria emanabat latius malum, hostibus sub auxilij specie sibi vincentibus; nisi ne Ventidius, & hic legatus Antonij incredibili felicitate, & Labieni copias ipsumque Pacorum, & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem sinu latè cecidisset. Viginti amplius millium fuit; nec sine consilio ducis, quippe qui simulato metu adeo passus est hoste castris succedere, donec absumto iactus spatio, adimeret vsum sagittarum. Rex fortissimè dimicans cecidit, mox circulato eius per vrbes, quæ desecerant, capite, Suria sine bello recepta sit, sic Crassianam cladem Pacori cæde pensauimus.

Cap. x.

Experti inuicem Parthis atque Romanis, cum Crassus atque Pacorus vtrinque virium documenta fuissent, pari rursus reuerentia, integra amicitia, & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege percussum. Sed immensa vanitas hominis, dū titulorum cupidine Araxem & Euphratem sub imaginibus suis * legi concupisset, neque caussa, neque cōcilio, ac ne imaginaria quidem belli cōditione, quasi hoc quoque ex arte ducis esset obrepere, relicta repentè Suria in Parthos impetum facit. Gens præter armorum fiduciam simulat trepidatione, & in campos fugam. Hunc statim quasi victor sequebatur; cum subito nec magna hostium manus ex improuiso, & iam in fessos via, sub vespera velut nimbus erupit; & missis vndiq; sagittis, duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis, quę in posterum diem imminebat, nisi interuenisset deūm miseratio. Vnus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat. & salute latinè data, cum fidem ipso fecisset, quid immineret, edocuit; iam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retrò, peterentque montes: sic quoque hostem fortasse non defore. Atq; ita secuta est minor vis hostium, quàm imminebat. Adfuit tamen, deletæque reliquæ copiæ forent, nisi vrgentibus telis in modum grandinis, quadam forte quasi docti, procubuissent in genua milites, & elatis super capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde, Romani cum se rursus extulissēt, adeò res miraculo fuit, vt vnus ex barbaris miserit vocē, Ite & bene valete Romani, meritò vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fertis. Nō minor ex qua postea quàm ab hostibus clades. Infesta primum siti regio, tū quibusdam Salmacidis fluuius infestior: nouissimèq; cum iam ab inualidis & auidè hauriebatur, noxiæ etiā dulces fuēre. Mox & ardores per Armeniam, & niues per Cappadociam, & vtriusque cæli subita mutatio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de XVI. legionibus reliqua, cum argentum eius passim dolabris conciderertur: & subinde inter molestas mortem à gladiatore suo flagitasset, egregius imperator tandem profugit in Syriam: ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquāto factus est, quasi vicisset qui euaserat.

Cap. xi.

Furor Antonij quatenus ambitu nō interiret, & luxu & libidine extinctus est. Quippe post Parthos cū exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatræ, quasi bene gestis reb⁹, in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia ab ebrio imperatore pretiū libidinū Romanū imperiū petit. Et promisit Antoni⁹; quasi felicior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum illud vt mente, ita animo quoque cultúque desciuerat. Aureum in manu baculum, ad latus, acinacis, purpurea vestis, ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat, vt regina rex ipse frueretur. Ad primam nouorum motuum famam Cæsar à Brundusio traiecerat, vt venienti bello occurreret: positisque in Epiro castris, Leucadem insulam, montémque Leucatem, & Ambraci sinus cornua infesta classe succinxerat. Nobis cccc. amplius naues, cc. non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à senis in nouenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis alleuatæ castellorum & vrbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebātur: quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naues à triremibus in senos non amplius ordines creuerant: itaque habiles in omnia quæ vsus poscebat, ad impetus & recursus flexusque capiendos, illas graueis, & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilib. simul, tum rostris, ad hoc ignibus iactis, ad arbitrium dissipauere. Nec vlla re magis hostiliū copiarū apparuit magnitudo, quàm post victoriam. Quippe immensa classis naufragio belli facto, toto mari ferebatur, Arabumq; & Sabęorum, & mille aliarum gentium Asię spolia, purpurā aurumq; in ripā assidue mota ventis maria reuomebant. Prima dux fugæ regina cum aurea puppe, veloq; purpureo se in altū dedit: mox secutus Antoni⁹: sed instare vestigiis Cęsar. Itaque nec pręparata in oceanū fuga, nec munita pręsidiis vtraque Ægypti cornua, Parętoniū atque Pelusiū profuēre: properè manu tenebantur. Prior ferrum occupauit Antonius: Regina ad pedes Cæsaris prouoluta, tentauit oculos ducis, frustra: nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vita, quę offerebatur, sed de parte regni laborabat: quod vbi desperauit à principe, seruarique se triumpho videt, incautiorem nacta custodiam. in Mausoleum se (sepulchra regum sic vocāt) recepit: vbi maximo, vt solebat, indura cultu, in differto odoribus solio iuxta suū se collocauit Antonium, admotis ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno soluta est.

Cap. xii.

Hic finis armorum ciuilium: reliqua aduersus exteras gentes: quę districto circa mala sua imperio, diuersis orbis oris emicabant. Noua quippe pax, necdum assuetæ frenis seruitutis tumidæ gentium inflatęque ceruices, ab imposito nuper iugo resiliebant. Ad septentrionem conuersa ferme plaga, ferocius agebat. Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Mysij, Thraces & Daci, Sarmatę atque Germani. Noricis animos dabāt Alpes atque niues, quo bellum non posset ascendere. Sed omnes illius cardinis Populos, Brennos, Senones, atque Vindelicos, per priuignum suum Claudium Drusum perpacauit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facilè vel mulieres ostendere, quę deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum aduersa miserunt. Illyrij quoque sub Alpibus agunt, imásque valles earum, & quædam quasi claustra custodiūt, abruptis torrentibus implicati, in hos expeditionem ipse sumsit, fierique pontes imperauit. Hic se & aquis & hoste turbantibus

tibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit, & in via primus, tunc agmine secuto, cum Illyricus multitudine pontem succidisset, saucius manus ac cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostiũ præcidit. Pannonij duobus saltibus, ac tribus fluuiis, Drauo, Sauo, Histroque vallantur: populati proximos, intra ripas se recipiebant. In hos domandos Vibium misit. cæsi sunt in vtrisque fluminibus: arma victorum non ex more belli cremata, sed capta sunt, & in profluentes data, vt cæteris qui resistebant, victoria sic nuntiaretur. Dalmatæ plerumque sub siluis agunt. Inde ad latrocinia promtissimi. Hos iam quidem Marcius incensa vrbe Delminio, quasi detruncauerat. Postea Asinius Pollio gregibus, armis, agris mulctauerat. Sed Augustus perdomandos Vibio mandat: qui efferum genus fodere terras cogit, aurumque venis repurgare, quod alioquin gens omnium cupidissima, studiosa diligentia anquirit, vt illud in vsus suos seruare videatur. Mysij quàm feri, quàm truces fuerint, quã ipsorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu. Vnus ducum ante aciẽ postulato silentio: Qui vos, inquit, estis? Responsum inuicem; Romani gentium domini. Et illi: Ita, inquiunt, si nos viceritis. Accepit omen Marcus Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo cõcepere votum, vt cæsorum extis ducum & litarent, & vescerentur. Deos audisse crederem: nec tubam sustinere potuerunt. Non minimum terroris incussit barbaris Domitius centurio, satis barbaræ, efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam velut ardenti capite fundebat. Ante hos, Thracũ maximus populus desciuerat. Ille barbarus & signis militaribus, & disciplina armis etiam Romanis assueuerat: sed a Pisone perdomiti, in ipsa captiuitate rabiem ostendere: quippe cũ catenas morsibus tentarent, feritatem suã ipsi puniebant. Daci montibus inhærent. Cotisonis regis imperio, quoties cõcretus gelu Danubius iunxerat ripas, discurrere solebant, & vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimã submouere. Misso igitur Lẽtulo, vltrà vlteriorem repulit ripam: citra, præsidia cõstituit. Sic tunc Dacia non victa, summota atque dilata est. Sarmatæ, patentibus campis inequitant. & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit: nihil præter niues raràsque siluas habent. Tanta barbaria est, vt pacem non intelligant. Germaniam quoque vtinam vincere tanti non putasset: magis turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita: sed quatenus sciebat patrem suum Cæsarem bis traiecto ponte Rheni quæsisse bellum, in illius honorem concupiit facere prouinciam: & factum erat, si barbari tam vitia nostra quàm imperia ferre potuissent. Missus in eam prouinciã Drusus primos domuit Vsipetes, inde Tenchteros percurrit, & Cattos. Nã Marcomannorum spoliis insignibus quendã editum tumulum in trophæi modum excoluit. Inde validissimas nationes, Cheruscos, Sueuos, & Sicambros pariter aggressus est: qui viginti centurionibus concrematis hoc velut sacramento sumserant bellum, adeò certa victoriæ spe, vt prædam in antecessum pactione diuiderẽt. Cherusci equos, Sueui aurum & argentum, Sicambri captiuos elegerant. Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque, præda diuisit, & vendidit. Præterea in tutelã prouinciarum, præsidia, atque custodias vbique disposuit. Per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. Bonnam & Geldubam cum pontibus iunxit, classibusque firmauit, inuium atque inaccessum in id tempus Hercyniũ saltũ patefecit. Ea denique in Germania pax erat, vt mutati homines, alia terra, cælum ipsum mitius molliúsque solito videretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iuuene, ipsi, quod nunquã alteri, senatus cognomen ex prouincia dedit: Sed difficilius est prouincias obtinere, quàm facere. viribus parantur, iure retinentur. Igitur breue id gaudium fuit quippe Germani victi magis quàm domiti erant, moresque nostros magis quàm arma sub Imperatore Druso suscipiebant: postquã verò ille defunctus est Vari Quinctilij libidinẽ ac superbiã haud secus quàm sæuitiam odisse cœperunt. Ausus verò ille agere conuentum: & in castris ius dicebat, quasi violentiam barbarorum & lictoris virgis, & præconis voce posset inhibere. at illi qui iam pridem rubigine obsitos enses, inertesque cernerent equos, vt primum togas & sæuiora armis iura viderunt, duce P. Armenio arma corripiunt, cùm interim tãta erat Varo pacis fiducia, vt ne prædicta quidem & prodita per Segestem vnum principẽ, ducũ coniuratione, cõmoueretur. Itaq; improuidũ, & nihil talẽ metuentẽ improuiso adorti, cùm ille (ô securitas) ad tribunal citaret, vndiq; inuadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodẽ quo Caunensem diem Paullus, & fato est, & animo secutus. Nihil illa cæde per paludes, perq; siluas cruentius, nihil insulatione barbarorum intolerabilius, præcipuè tamẽ in caussarũ patronos: aliis oculos, aliis manus amputabant: vnius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenẽs barbarus. Tandem, inquit, vipera sibilare desiste. Ipsius quoq; consulis corpus, quod militũ pietas humi abdiderat, effossum. Signa, & aquilas duas adhuc barbari possidet: tertiam signifer prius quàm in manus hostium veniret, euulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit. Hac clade factũ, vt imperiũ, quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Hæc ad Septẽtrionẽ. Sub meridiano tumultuatũ magis quàm bellatum est. Musulanios atque Gætulos accolas Syrtũ Cosso duce compescuit, vnde illi Gætulici cognomen. Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas Furnio subigẽdos dedit. Potuit & ille redire Mannarius, sed modestior in æstimãda victoria fuit. Ad Orientem plus negotij cum Armeniis. huc alterum Cæsar ex nepotibus suis misit. Ambo fato breues, sed alter inglorius. Massiliæ quippe Lucius morbo soluitur: in Lycia Caius ex vulnere, cùm Armeniã ad Parthos se subtrahentem recepit. Armenios victo rege Tigrane in hoc vnum seruitutis genus Põpeius assuefecerat, vt rectores à nobis acciperẽt. Intermissum ergo ius, per hũc recuperatũ, non incruento, nec multo tamẽ certamine: quippe Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulata proditione adortus virum intentum libello, quem vt thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat, stricto ferro cruentat vulnere in tempus. ceterum barbarus vndiq; infesto exercitu oppressus, gladio, & pyra, in quam se percussus immisit, superstiti etiamnon Cæsari satisfecit. Sub occasu pacata erat omnis Hispania, nisi quã Pyrenæi desi-

nentis scopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ validissimæ gentes, Cantabri & Astures, immunes imperij agitabant. Cantabrorum & prior & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant. Vaccæosque & Curgonios, & Autrigonas crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementius agere nunciabantur, non mandata expeditio, sed sumta est. ipse venit Segisamá: castra posuit: inde partito exercitu totá inde iam complexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies, cùm infesta classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primum aduersus Cantabros sub mœnibus Vellicæ præliatus est. Hinc fuga in eminentissimum Vindium montem, quem maria prius Oceani, quàm arma Romana ascensura esse crediderant. Tertiò Aracillum oppidum magna vi repugnat: captum tamen postremò fuit. In Edulij montis obsidione, quem perpetua XV. millium fossa comprehensum cinxit, vndique simul adeunte Romano. Postquam extrema barbari vident, certatim igne, ferro inter epulas, venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxis exprimitur, præcepêre mortem, séque pars maior à captiuitate quæ videbatur, vindicauêre. Hæc per Antistium, Furnium, Agrippem legatos, hibernans in Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub corona iure belli venum dedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est: & iam Cæsar tantus erat, vt posset triumphos contemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant. nec tenuêre suos, vt barbari impares: sed positis castris apud Asturam flumen, trifariam diuiso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset & anceps & cruentum, & vltimum mutua clade certamen, tunc tam fortibus, tam subitò, tam cum consilio venientib. nisi Brigæcini prodidissent, à quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adueniens oppressit consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine, reliquias fusi exercitus validissimi, ciuitas Lancia

A excepit: vbi adeò certatum est, vt cùm in captam vrbem faces proscerentur, ægre dux impetrauerit veniam, vt victoriæ Romanæ stans potius esset, quàm incensa monumentum. Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax, cum ipsorum ingenio in pacis partes promtiore, tum consilio Cæsaris, qui fiduciam montium timens, in quos recipiebant, castra sua (sed quæ in plano

B erant) habitare & incolere iussit. Ingentis est consilij illud obseruari cœpit. Natura regionis circa se omnis aurifera, miniique & chrysocollæ & aliorū colorum ferax. Igitur exerceri solum iussit. Sic Astures, latentes in profundo opes suas atque diuitias dum alijs quærunt, nosse cœperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentib. ad Septentrionem quoque (duntaxat intra Rhenum atque Danubium) item ad Orientem intra Taurum & Euphratem, illi quoque reliqui, qui

C immunes imperij erant, sentiebant tamen magnitudinem, & victoriam gentium populi Romani reuerebantur. Nam & Scythæ misere legatos, & Sarmatæ, amicitiam petentes. Seres etiam habitantesque sub ipso sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantos quoq. inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleuerant, & tamen ipse hominum color eos ab alio venire [illegible]

D batur. Parthi quoque, quasi victoriæ [illegible], rapta clade Crassiana, vltro signa ret[illegible] [illegible] que cuncta atque continua totius [illegible] ni aut pax fuit, aut pactio. Aususque [illegible] Cæsar Augustus septingentesimo ab Vrbe condita anno Ianum geminum claudere, bis ante se clausum, sub Numa rege, & victa primum Carthagine. Hinc conuersus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens sæculum, grauibus seuerisque legibus multis coercuit. Ob hæc tot fa-

E cta ingentia dictator perpetuus, & pater patriæ dictus. Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius & reuerentius visum est nomen Augusti, vt scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.

C. VEL

FINIS.

C. VELLEII PATERCVLI HISTORIAE ROMANAE AD M. VINICIVM COS.

LIBER PRIMVS.

acephalos.

A *** tempestate distractus à duce suo Nestore, Metapontum condidit. Teucer, non receptus à patre Telamone, ob segnitiam non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum appulsus, cognomine patriæ suæ Salamina constituit. Pyrrhus Achillis filius, Epirum occupauit, Philippus Ephyram in Thesprotiâ. at rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit, à patriæ, nomine vnam, à victoriæ memoriâ, Mycenas, Tegeam, Pergamum. idem mox, scelere patruelis fratris Aegisthi, hæreditarium exercentis in eum odium, & facinore vxoris oppressus, occi- B ditur. regni potitur Aegistus per annos VII. hunc Orestes, matrémque, cum socia consiliorum omnium sorore Electrâ, virilis animi feminâ, obtrúcat. factum eius à diis comprobatum spatio vitæ, & felicitate imperij apparuit: quippe vixit annis xc. regnauit LXX. qui se etiam à Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicauit. nam quod, pactæ eius, Menelai, atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupauerat, Delphis eum interfecit. Per hæc té- C pora Lydus, & Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydiâ, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, vter cum parte multitudinis patria decederet. sors Tyrrhenum contigit. peruectus in Italiam, & loco, & incolis, & mari nobile, ac perpetuum à se nomen dedit. Post Orestis interitum, filij eius, Penthelus, & Tisamenus, regnauêre triennio. Tú, ferè anno octogesimo post Troiam captam, centesimo, & vigesimo, quàm Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, siuæ omni hoc tem- D pore pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperiú obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi imperij fuêre, Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum atauus fuerat. Eodem ferè tempore Athenæ, sub regibus esse desierunt: quarum vltimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus: quippe, cùm Lacedæmonij graui bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorú dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores, deposita veste regiâ, pastoralem cultum induit, immistusque castris hostiú, de in- E dustriâ, imprudenter, rixam ciens, interemptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæsierit, quibus ab ignauis vita quæri solet? Huius filius Medon primus Archon Athenis fuit: ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ. sed ij, insequentésque Archontes, vsque ad Charopem, dum viuerent, eum honorem vsurpabant. Peloponnesij, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho, Athenísque vrbem condidêre ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in vltimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano, perexiguo à continéti diuisam freto, Gades condidit. ab iisdem post paucos annos in Africâ, Vtica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, iactatíq; cum variis casibus, tum sæuitia maris, quintodecimo anno sedé cepêre circa Lesbum insulá. Tú Græcia maximis concussa est motibus: Achæi, ex Laconicâ pulsi, eas occupauêre sedes, quas núc obtinent; Pelasgi Athenas commigrauêre: acérq; belli iuuenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cú magna ciuium manu eá regionem armis occupauit, quæ nunc ab eius nomine Thessalia appellatur, anteà Myrmidonum vocitata ciuitas. Quo nomine, mirari conuenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de eâ regione vt Thessalia cómemorát. quod cùm alij faciant, Tragici frequentissimè faciunt. quibus minimè id concedédum est. nihil enim ex persona poetæ, sed omnia sub eorú, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. Quod si quis à Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis vsurpauerit. Paulo antè Haletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthú, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo códidit. Neq; est, quod miremur ab Homero nominari Corinthum. ná ex persona poetæ, & hanc vrbé, & quasdá Ionum colonias iis nominibus appellat, quib. vocabátur ætate eius, multo post Ilíi captú conditæ. Athenienses in Eubœa Chalcida & Eretriá colonis occupauêre; Lacedæmonij in Asia Magnesiá. Nec multo pòst Chalcidéses, orti, vt prædiximus, Atticis, Hippocle, & Megasthene ducibus, Cumas in Italia códiderút. huius classis cursum esse directú alij colúbæ antecedétis volatu ferunt, alij nocturno æris sono, qualis Cerealib. sacris cieri solet. Pars horú ciuiú magno pòst interuallo Neapolim códidit, vtriusq; vrbis eximia séper in Romanos fides facit ea nobilitate atq; amœnitate sua dignissimas. sed aliis diligentior ritus patrij mansit custodia: Cumanos Osca mutauit vicinia. Vires auté veteres earú vrbiú hodiéq, magnitudo ostétat mœniú. Subsequéti tépore magna vis Græciæ iuuétutis, abúdátia viriú sedes quæritás, in Asiá se effudit, ná & Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilissimá parté regionis maritimæ occupauêre, quæ hodiéque appellatur Ionia, vrbésque

constituêre, Ephesum, Miletum, Colophona, Priē- A nen, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomena, Phoceam, multasque in Aegeo, atque Icario occupauêre, insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, aliasque ignobiles. Et mox Aeolij, eadem profecti Græcia, longissimisq. acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque vrbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenemque, & alias, vrbes, quæ sunt in Lesbo insulâ. Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum: qui magnitudine operum, & fulgore B carminum solus appellari Poeta meruit. in quo hoc maximum est, quòd neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inuentus est. neque quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum, & Archilochum, reperiemus. Hic longius à temporib. belli, quod cōposuit, Troici, quàm quidam rentur, abfuit. nam fermè ante annos DCCCCL. floruit, intra ∞. natus est. C quo nomine, non est mirandum, quod sæpe illud vsurpat. * hoc enim vt ominum, ita sæculorum notatur differentia. quem si quis cæcum genitum putat omnibus sensibus orbus est. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant ∞ LXX. translatum est ad Medos, abhinc annos fermè DCCLXX. quippe Sardanapalum, eorum regem, mollitiis florētem, & nimium felicem, malo suo, tertio & tricesimo loco ab Nino, & Semira- D mide, qui Babylona condiderant, natum, ita vt semper successor regni paterni foret filius Pharnaces, Medus imperio, vitaque priuauit. Eâ ætate clarissimus Graij nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regij, fuit seuerissimarum iustissimarumque legum auctor, & disciplinæ conuenientissimæ vir; cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissimè floruit. Hoc tractu temporum ante annos V. & LX. quàm vrbs Romana conderetur, ab Elissa Tyriâ, quàm quidam Didô autumant, Carthago conditur. Circa quod tem- E pus Caranus, vir generis regij sextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupauit. à quo Magnus Alexander cum fuerit septimus decimus, iure materni generis Achille auctore, paterni, Hercule gloriatus est. Aemilius Sura de annis populi Romani: Assyrij, principes omnium gentium, rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persæ. deinde Macedones. exinde, duobus regibus, Philippo, Antiocho, qui F à Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, deuictis, summa imperij ad populum Romanum peruenit. Inter hoc tempus, initium Nini regis Assyriorum, qui princeps rerum potius, intersunt anni ∞ DCCCC XCV. Huius temporis æqualis Hesiodus fuit, circa CXX. annos distinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenij, & mollissima dulcedine carminum memorabilis, otij quietisque cupidissimus vt tempore tanto viro, ita operis auctoritate, G proximus, qui vitauit, ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque, & parentes, testatus est. sed patriam, quia multatus ab eâ erat, contumeliosissimè. Dum in externis moror, incidi in rem domesticam, maximique erroris, & multum discrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam, huius temporis tractu, aiunt, à Tuscis Capuam, Nolamq. conditam, ante annos ferè DCCC XXX. quibus equidem assenserim. sed M. Cato quantum differt qui dicat, Capuam ab eisdē Tuscis conditam, ac subinde Nolam: stetisse autem Capuam, antequam à Romanis caperetur, annis circiter CCLX. quod si ita est: cū sint à Capuâ capta anni CCXL. vt condita est, anni sunt ferè D. Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim, vix crediderim tam maturè tantam vrbem creuisse, floruisse, concidisse, resurrexisse. Clarissimum deinde omnium ludricum certamen, & ad exercitandā corporis animique virtutem efficacissimum, Olympiorum initium habuit, auctore Iphito Elio. is eos ludos, mercatumque instituit ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, DCCCCIV. hoc sacrum eodem loco instituisse fertur abhinc annos fermè ∞ CCL. Atreus, cum Pelopi patri funebres ludos faceret. quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor exstitit. Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset vltimus Alcmæon: cœperuntq; in denos annos creari. quæ consuetudo in annos LXX. mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus resp. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, vltimus Eryx; ex annuis, primus Creon. Sextâ Olympiade, post duo & viginti annos, quàm prima constituta fuerat, Romulus Martis filius, vltus iniurias aui, Romam vrbem Parilibus in palatio condidit. à quo tempore ad vos consules, anni sunt DCCLXXXII. id actum post Troiam captam annis CDXXXVII. id gessit Romulus, adiutus legionibus Latini, aui sui: (libenter enim iis, qui ita prodiderunt, accesserim) cum aliter firmare vrbem nouam, tam vicinis Veientibus, aliisque Etruscis ac Sabinis, cum imbelli, & pastorali manu vix potuerit quamquam, iam asylo facto inter duos lucos, auxit. Hic centum homines electos, appellatosque Patres, instar habuit consilij publici. hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum,

* * *

* * *

quam timueret hostis, expetit. nam biennio adeò varia fortuna cum consulibus conflixerat, vt plerumque superior fuerit, magnamque partem Græciæ in societatem suam perduceret. Quin Rhodij quoque, fidelissimi antea Romanis, tum dubiâ fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt: & rex Eumenes in eo bello medius fuit animo, neque fratris initiis, neque suæ respondit consuetudini. Tum senatus populusque Romanus L. Aemilium Paullum, qui & prætor & consul triumphauerat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, consulem creauit, filium eius Paulli, qui ad Cannas, quàm tergiuersanter perniciosam reip. pugnam inierat, tam fortiter in eâ mortem obierat. is Perseum ingenti prœlio apud vrbem nomine Pydnam in Macedoniâ, fusum, fugatumq. castris exuit, deletisq. eius copiis, destitutum omni spe coegit è Macedoniâ profugere: quam ille linqués in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. ad eum Cn. Octauius prætor, qui classi præerat, peruenit, & ratione magis, quàm vi persuasit, vt se Romanorum fidei committeret. ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. quo anno & Octauij prætoris naualis: & Anicij, regem Illyriorum Gentium ante currum agentis, triumphi fuere

plui fuêre celebres. Quàm sit assidua eminentis fortunæ comes Inuidia, altissimisque adhæreat, etiam hoc colligi potest, quòd, cum Anicij, Octauijque triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Paulli impedire obniterentur: cuius tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, vt bis millies centies HS. ærario contulerit, & omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit. Per idem tempus, cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicum inchoauit, tum regem Syriæ, Ptolemæum puerum Alexandriæ obsideret; missus est ad eum legatus M. Popillius Lænas, qui iuberet incepto desistere: mandataque exposuit; & regem, deliberaturum se dicentem, circumscripsit virgula, iussitque, prius responsum reddere, quàm egrederetur finito arenæ circulo. sic cogitationem regiam Romana disiecit constantia: obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, magnæ victoriæ compoti, quatuor filij fuêre. ex iis duos, natu maiores, vnum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate, præter speciem nominis: vigoremque eloquentiæ, retinenti, in adoptionem dederat: alterum Fabio Maximo: duos, minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is cum in concione extra vrbem, more maiorum ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortales precatus est, vt si quis eorum inuideret operibus, ac fortunæ suæ, in ipsum potius sæuirent, quàm in remp. quę vox veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliauit sanguinis sui. nam alterum ex iis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa hæc tempora censura Fuluij Flacci, & Postumij Albini fuit. quippe Fuluij censoris frater, & quidem consors, Cn. Fuluius senatu motus est ab iis censoribus. Post victum, captumque Perseũ, qui quadriennio post in libera custodia Albæ decessit, Pseudophilippus, à mendacio simulatæ originis appellatus, qui se Philippũ regiæque stirpis ferebat, cum esset vltimæ, armis occupata Macedonia, assumptis regni insignibus, breui temeritatis pœnas dedit, quippe Q. Metellus prætor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum, præclara victoria ipsum, gentemque superauit, & immani etiam Achæos, rebellare incipientes, fudit acie. Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quę fuêre circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octauiæ porticibus ambiuntur, fecerat; quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodiéque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit. cuius turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse à Lysippo, singulari talium auctore operum, vt eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuis, & ipsius quoque iis interponeret. Hic idem, primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit. Vix vllius gentis, ætatis, ordinis, hominem inueneris, cuius felicitatem fortunę Metelli compares. nam præter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, & principale in rep. fastigium, extentumque vitæ spatium, & acres, innocentesque pro republica cũ inimicis contentiones, quatuor

A filios sustulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites, & honoratissimos. mortui eius lectum pro Rostris sustulerunt quatuor filij, vnus consularis, & censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quam honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis, feliciter de vitâ migrare, quàm mori. Vniuersa deinde, vt prædiximus, instincta in bellum Achaia, cum pars magna, eiusdem Metelli Macedonici virtute, armisque, fracta erat, maximè Corinthiis in arma, cum grauibus B etiam in Romanos contumeliis, instigantibus, destinatus ei bello gerendo consul Mummius. Et sub idem tempus magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginiensibus diceretur, credere, quàm quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem excidere. ita eodem tempore P. Scipio Æmilianus, vir auitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli, ac togæ dotibus, ingeniique, ac studiorum C eminentissimus sæculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum, aut fecit, aut dixit, ac sensit: quẽ Paullo genitum, adoptatum à Scipione, Africani filio, diximus: ædilitatem petens consul creatus est. Bellum Carthagini, iam ante biennium à prioribus consulibus illatum, maiore vi intulit: cùm antè in Hispaniâ murali coronâ, in Africâ obsidionali donatus esset; in Hispania verò etiam ex prouocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostẽ interemisset. Eam- D que vrbem, magis inuidiâ imperij, quàm vllius temporis noxiæ, inuisam Romano nomini, funditus sustulit, fecitque suæ virtutis monumentum, quod fuerat aui eius clementiæ. Carthago diruta est, cum stetisset annis DCLXVII. abhinc annos CCLXXVII. Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio coss. Hunc finem habuit Romani imperij Carthago æmula: cum qua bellare maiores nostri cœpere Claudio, & Fuluio coss. ante annos CCXCVI. quàm tu, M. Vinici, consula- E tum inires. ita per annos CXV aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax fuit. neque se Roma, iam terrarum orbe superato, securam sperauit fore, si nomen vsquam stantis maneret Carthaginis. adeò odium, certaminibus ortum, vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neque ante inuisum esse desinit, quàm esse desiit. Ante triennium, quàm Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ eius auctor, L. Censorino, M. Manlio. coss. F mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum, post annos DCCCCLII. quàm ab Alete, Hippotis filio, erat condita, funditus eruit. vterque imperator, deuictæ à se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus. nec quisquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicauit. Diuersi imperatoribus mores, diuersa fuêre studia. quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctri- G næ & auctor & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros; domi militiæque secum habuerit. neque enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit: semperque aut belli, aut pacis seruiit artibus: semper inter arma, ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, vt captâ Corintho, cum maximorum artificũ per-

lectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, nouas eos reddituros. Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quàm in tantū mea intelligi: & quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit conuenientior. A

Cùm facilius cuiusque rei in vnum contracta species, quàm diuisa temporibus, oculis, animisque inhæreat; statui priorem huius voluminis, posterioremque partem, non inutili rerum notitia in artum contractâ, distinguere, atque huic loco inserere, quæ quoque tempore post Romam à Gallis captam, deducta sit colonia, iussu senatus. B nam militarium & caussæ, & auctores, & ipsarum præfulgent nomina. huic rei per idem tempus ciuitates propagatas, auctúmque Romanum nomen communione iuris, haud intempestiuè subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli vrbem ceperunt, *Sutrium* deducta colonia est, & post annum *Setina*, nouemque interiectis annis *Nepe*, deinde, interpositis duobus & triginta, *Aricini* in ciuitatem recepti. C Abhinc annos autem CCCL. Sp. Postumio, Veturio Caluino COS. *Campanis* data est ciuitas, partique *Samnitiū* sine suffragio: & eodem anno *Cales* deducta colonia. Interiecto deinde triennio *Fundani*, *& Formiani* in ciuitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita est. insequentibúsque consulibus, à Sp. Postumio, Philone Publilio censoribus *Acerranis* data ciuitas, & post triennium *Tarracinam* deducta colonia. D interpositóque quadriennio, *Luceria*: ac deinde, interiecto triennio, *Suessa Aurunca & Saticula*: *Interamnáque* post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacauerunt. tunc *Sora* atque *Alba* deductæ coloniæ & *Carseoli* post biennium. at quintum Fabio, Qu. Decio Mure quartùm cos. quo anno Pyrrhus regnare cœpit, *Sinuessam Minturnásque* missi coloni, post quadriennium, *Venusiam* interiectoque biénio M. Curio, & Rufino Cornelio Cos. *Sabinis* sine suffragio data ciuitas. E id actū ante annos fermè CCCXX. at *Cossam & Pæstum* abhinc annos fermè CCC. Fabio Dorsone, & Claudio Caninâ cos. interiecto quinquennio, Sempronio Sopho, & Appio Cæci filio cos. *Ariminū*, *Beneuentū*, coloni missi: & suffragij ferendi ius *Sabinis* datum. at initio primi belli Punici *Firmum & Castrum* colonis occupata. & post annum *Aesernia*, postque XXII. annos *Aesulum*, & *Alsium Fregellæque* post biennium: proximoque anno, Torquato, Semproniоque cos. *Brundisium*, & post triennium *Spoletium*: quo anno Floralium ludorum factum est initium. F Postque biennium deducta *Valentia*, & sub aduentum in Italiam Hannibalis, *Cremona* atque *Placentia*. Deinde, neque dum Hannibal in Italiá moratur, neque proximis post excessum eius annis, vacauit Romanis colonias condere, cùm esset in bello conquirendus potius miles, quàm dimittendus, & post bellum vires refouendæ magis, quàm spargendæ. G Cneo autem Manlio Volsone, & M. Fuluio Nobiliore coss. *Bononia* deducta colonia, abhinc annos fermè CCXVII. & post quadriennium *Pisaurum*, ac *Potentia*: interiectoque triennio, *Aquilea*, & *Grauisca*, & post quadriennium Luca. Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, *Puteolos*, *Salernúmque*, & *Buxentum* missi coloni: *Auximum* autem in Picenum, abhinc annos fermè CLXXXVII. ante triennium, quàm Cassius censor, à Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit? cui in demoliendo eximia ciuitatis seueritas, & consul Cæpio restitêre, quod ego inter clarissima publicæ voluntatis argumenta numerauerim. Cassio autem Longino, & Sextio Caluino, qui Sallyes apud aquas, quæ ab eo *Sextiæ* appellantur, deuicit, consulibus, *Fabrateria* deducta est, abhinc annos fermè CLVII. &, post annum, *Scylacium*, *Mineruium*, *Tarentum*, *Neptunia*, *Carthagóque* in Africa prima, vt prædiximus, extra Italiam, colonia condita est, de *Dertoná* ambigitur. *Narbo* autem *Martius*, in Galliâ, M. Porcio, Q. Marcio coss. abhinc annos circiter CLIII. deducta colonia est. post tres, & viginti annos in Vagiennis *Eporedia*, mario sexies, Valerióque Flacco coss. Neque facile memoriæ mandauerim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

Cùm hæc particula operis velut formam propositi excesserit: quamquam, intelligo, mihi, in hac tam præcipiti festinatione, quæ me, rotæ, pronúue gurgitis, ac verticis modo, nusquam patitur consistere, penè magis necessaria prætereunda, quàm superuacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem, sæpe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stylo. Quis enim abūdè mirari potest, quòd eminentissima cuiusque professionis ingenia, in eadē formam; & in idem artati tēporis congruēs spatium, & quemadmodum clausa capsâ, alióque septo diuersi generis animalia, nihilominus separata alienis, in vnum quoque corpus congregantur; ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum, & profectuum semetipsa ab aliis separauerunt? Vna, neque multorum annorum spatio diuisa ætas, per diuini spiritus viros, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illustrauit tragœdias: vna priscam illam, & veterem sub Cratino, Aristophane, & Eupolide comœdiam: ac nouam comicam Menandrus, æqualesque eius ætatis magis, quàm operis, Philemon, ac Diphilus, & inuenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquêre. Philosophorum quoque ingenia, Socratico ora profluentia, omnium, quos paulò antè enumerauimus, quanto post Platonis, Aristotelisque mortem floruêre spatio? Quid ante Isocratem? quid post eius auditores, eorúmque discipulos clarum in oratoribus fuit? adeò quidem artatum angustiis temporum, vt nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiuerint. neque hoc in Græcis, quàm in Romanis, euenit magis. nam, nisi aspera, ac rudia repetas, & inuenti laudanda nomine, in Attio, circáque eum Romana tragœdia est; dulcésque Latini lepôris facetiæ per Cæcilium Terentiúmque, & Afranium sub pari ætate nituerunt. Historicos, (vt & Liuium quoque priorum ætati adstruas) præter Catonem, & quosdam veteres, & obscuros, minus LXXX. annis circundatum æuum tulit. vt nec poetarum in antiquius, citeriúsve processit vbertas. at oratio, ac vis forensis, perfectúmque prosæ eloquentiæ decus, vt idem separetur Cato, pace P. Crassi, Scipionisque, & Lælij, & Gracchorum, & Fannij, & Ser. Galbæ dixerim) ita vniuersa sub principe operis sui erupit Tullio: vt delectari ante eum paucissimis, mirari verò neminem possis

possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem euenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus, vt quisque temporum instituerit notis, reperiet, eminentia cuiusque operis artissimis temporum claustris circundata. Huius ergo, præcedentisque sæculi, ingeniorum similitudines congregantis & in studium par, & in emolumentum, caussas cùm semper requiro, numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse verisimiles, inter quas has maximè. Alit æmulatio ingenia: & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod summo studio petitum est, adscendit in summum difficilisque in perfecto mora est: naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. &, vt primo ad consequendos, quos priores ducimus accendimur: ita, vbi aut præteriri, aut æquari eos posse desperauimus, studium cum spe senescit, & quod assequi A non potest, sequi desinit, &, velut occupatam relinquens materiam, quærit nouam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus: sequiturque, vt frequens, ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit. Transit admiratio ad conditionem temporum, & ad vrbium. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quàm vniuersa Græcia, operibusque floruit; adeo vt corpora B gentis illius sperata sint in alias ciuitates, ingenia verò solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quàm, neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem; aut, dum vixit, auctoritate, aut post mortem memoriâ dignum existimatum. quæ vrbes, & multæ aliæ, talium studiorum fuêre steriles, nisi Thebas vnum os Pindari illuminaret. nam Alcmana Lacones falsò sibi vindicant.

C. VELLEII PATERCVLI HISTORIAE ROMANAE AD M. VINICIVM COS.

LIBER SECVNDVS.

OTENTIAE Romanorum A prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. quippe, remoto Carthaginis metu, sublataque imperij æmulâ, non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, noua inducta: in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium conuersa ciuitas. tum Scipio Nasica in Capitolio porticus, tum, quas B prædiximus, Metellus, tum in circo Cn. Octauius multo amœnissimam moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta priuata luxuria est. Triste deinde, contumeliosum bellum in Hispaniâ, duce latronum Viriatho, secutum est: quod ita variâ fortunâ gestum est, vt sæpiùs Romanorum gereretur aduersa. sed, interempto Viriatho fraude magis, quàm virtute, Seruilij Cæpionis, Numantinum grauius exarsit. hæc vrbs numquã x. millibus plura, quàm propriæ iuuentutis, ar- C mauit. sed, vel ferociâ ingenij vel inscitiâ nostrorum ducum, vel fortunæ indulgentiâ, cùm alios duces, tum Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera, (hic primus è Pompeiis consul fuit) nec minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium consulem. sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia. quippe, non recusando perduxit huc, vt per Fetiales nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus: quem illi recipere se negauerunt, sicut quondam Caudini fecerunt: dicentes, publicam violationem fidei non debere vnius lui sanguine. Immanem deditio Mancini ciuitatis mouit dissensionem: quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi, clarissimi, atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo Quæstore & auctore id fœdus ictum erat, nunc grauiter ferens aliquid à se factum infirmari, nunc similis vel iudicij, vel pœnæ metuens discrimen, tribunus pl. creatus, vir alioqui vitâ innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & naturâ & industria, mortalis conditio recipit, P. Mucio Scæuolâ, L. Calpurnio consulibus, abhinc annos CLXII. desciuit à bonis: pollicitúsque toti Italiæ ciuitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit; & in præruptum, atque anceps periculũ adduxit remp. Octauioque collegæ, pro bono publico stanti, imperium abrogauit: III. viros agris diuidendis, coloniisque deducendis creauit se, socerúmque suum consularem Appium, & Gracchum fratrem, admodum iuuenem. tum P. Scipio Nasica, eius, qui optimus vir à senatu iudicatus erat, nepos, eius, qui censor porticus in Capitolio fuerat, filius, pronepos autem C. Scipionis, celeberrimi viri P. Africani patruus,

priuatusque, & togatus, cum esset consobrinus A
Tib. Gracchi, patriam cognationi præferens, &
quidquid publicè salutare non esset, priuatim a-
lienum existimans, ob eas virtutes primus omniũ
absens pontifex maximus factus est. cum datâ
læuo brachio togæ laciniâ, ex superiore parte Ca-
pitolij, summis gradibus insistẽs hortatus est, qui
saluam vellent remp. se sequerentur. Tum opti-
mates senatus, atque equestris ordinis pars me- B
lior, & maior, & intacta perniciosis cõsiliis plebs,
inruêre in Gracchum, stantem in areâ cum cater-
uis suis, & concientem pænè totius Italiæ frequẽ-
tiam. is fugiens, decurrensque cliuo Capitolino,
fragmine subsellij ictus, vitam, quam gloriosissi-
mè degere potuerat, immatura morte finiuit. Hoc
initium in vrbe Româ ciuilis sanguinis, gladio-
rumque impunitatis fuit. inde ius vi obrutum,
potẽtiorque habitus prior, discordiæque ciuium,
anteà conditionibus sanari solitæ, ferro diiudica-
tæ: bellàque non caussis inita, sed prout eorum
merces fuit, quod haud mirum est. non enim ibi C
consistunt exempla, vnd cœperunt, sed, quamli-
bet in tenuem recepta tramitem, latissimè euagã-
di sibi viam faciunt: & vbi semel recto deerra-
tum est, in præceps peruenitur: neč quisquam sibi
putat turpe, quod alij fuit fructuosum. Interim,
dum hæc in Italia geruntur, Aristonicus, mortuo
rege Attalo, à quo Asia populo Romano heredita-
te relicta erat, sicut relicta postcà est à Nicomede
Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis
eam occupat. Is victus à M. Perpennâ, ductusque D
in triumpho: sed M. Aquilio capite pœnas dedit,
cùm, initio belli, Crassum Mucianum, virum iu-
ris scientissimum, decedentem ex Asiâ proconsul
interemisset. Et P. Scipio Africanus Æmilianus,
qui Carthaginem deleuerat, post tot acceptas cir-
ca Numantiam clades, creatus iterum consul,
missusque in Hispaniam, fortunæ, virtutique ex-
pertæ in Africa, respondit in Hispaniâ: & intra
annum, ac tres menses, quàm eò venerat, circum-
datam operibus Numantiam, excisamque æquâ- E
uit solo. nec quisquam vllius gentis hominum
ante eum clarior vrbium excidio nomen suum
perpetuæ commendauit memoriæ, quippe, excisâ
Carthagine, ac Numantiâ. ab alterius nos metu,
alterius vindicauit contumeliis. Hic, cum inter-
rogante tribuno Carbone, quid de Tib. Gracchi
cæde sentiret, respondit: si is occupandæ reip. ani-
mum habuisset, iure cæsum. Et cùm omnis con-
cio acclamasset: Hostium, inquit, armatorum to-
ties clamore non territus, qui possum vestro mo- F
ueri, quorum nouerca est Italia? Reuersus in vr-
bem, intra breue tempus, M. Aquilio, C. Sempro-
nio cos. abhinc annos CL. post duos consulatus,
duosque triumphos, & bis excisos terrores reip.
manè in lectulo repertus est mortuus. ita vt quæ-
dam elisarum faucium in ceruice reperirentur no-
tæ. De tanti viri morte nulla habita quæstio:
eiusque corpus velato capite elatum est, cuius o-
pera super totum terrarum orbem Roma extule- G
rat caput: seu fatalem, vt plures, seu conflatam in-
sidiis, vt aliqui prodidêre memoriæ, mortem ob-
iit. vitam certè dignissimam egit, quæ nullius ad
id temporis, præterquam auito fulgure vincere-
tur. Decessit anno fermè LVI. de quo si quis am-
biget, recurrat ad prioré consulatũ eius, in quem
creatus est, anno XXXVI. ita dubitare desinet.
Ante tempus excisæ Numantiæ, præclara in His-
paniâ militia A. Bruti fuit, qui penetratis omni-

bus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum,
vrbiumque potitus numero, aditis quæ vix au-
ditis erãt, Gallęci cognomẽ meruit. Et ante cũ pau
cis annis tã seuerũ illius Q. Macedonici in his gẽ-
tib. imperiũ fuit, vt, cũ vrbẽ, Cõtrebiã nomine, in
Hispania oppugnaret, pulsas pręcipiti loco quinq;
cohortes legionarias eodem protinus subire iu-
beret, facientibusque omnibus in procinctu te-
stamenta, velut ad certam mortem eundum foret,
non deterritus proposito, perseuerantia ducis,
quem moriturum miserat, militem victorem re-
cepit. tantum effecit mistus timori pudor, spesque
desperatione quæsita. Hic virtute, ac seueritate fa-
cti: at Fabius Æmilanus, Paulli exemplo, discipli-
næ in Hispania fuit clarissimus. Decem deinde in-
terpositis annis, qui Tib. Gracchum, idem Caium,
fratrem eius, occupauit furor, tam virtutibus eius
omnibus, quàm huic errori similem, ingenio et-
iam, eloquentiaque longè præstãriorem. cui cùm,
summâ quiete animi, ciuitatis princeps esse pos-
set, vel vindicandæ fraternæ mortis gratiâ, vel
præmuniendæ regalis potentiæ, eiusdem exempli
tribunatum ingressus, longè maiora, & acriora
repetens, dabat ciuitatem omnibus Italicis, extẽ-
debat eam pænè vsque Alpes, diuidebat agros: ve-
tabat quemquam ciuem plus D. iugeribus habe-
re: quod aliquando lege Liciniâ cautum erat: no-
ua constituebat portoria; nouis coloniis replebat
prouincias: iudicia à senatu transferebat ad equi-
tes: frumentum plebi dare instituebat: nihil im-
motum, nihil tranquillum, nihil quietum deni-
que in eodem statu relinquebat: quin alterum
etiam continuauit tribunatum. hunc L. Opimius
consul, qui prætor Fregellas exciderat, persecutus
armis, vnaque Fuluium Flaccum, consularem,
ac triumphalem virum, æquè praua cupien-
tem, quem C. Gracchus in locum Tiberij fra-
tris III. virum nominauerat, eumque socium
regalis assumpserat potentiæ, morte affecit. id v-
num nefariè ab Opimio proditum, quod capitis
non dicam Gracchi, sed ciuis R. pretium se datu-
rum, idque auro repensurum, proposuit. Flaccus,
in Auentino armatos ad pugnam ciens, cum filio
maiore iugulatus est. Gracchus profugiens, cùm
iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius mi-
serat, ceruicem Euporo seruo præbuit, qui non se-
gnius se ipse interemit, quàm domino succurre-
rat. Quo die singularis Pomponij, equitis R. in
Gracchũ fides fuit, qui more Coclitis, sustentatis
in ponte hostibus, eius gladio se transfixit. Vt Ti-
berij Gracchi antea corpus, ita Caij, mirâ crude-
litate victorũ, in Tiberim deiectum est. Hunc Tib.
Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes,
viua adhuc matre Cornelia Africani filia viri o-
ptimis ingeniis malè vsi, vitæ, mortisque habuere
exitum: qui si ciuilem dignitatis cõcupissent mo-
dum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt
quiete is obtulisset resp. Huic atrocitati adiectum
scelus vnicum: quippe iuuenis, specie excellens,
nec dum duodeuicesimum transgressus annum,
immunisque delictorum paternorum, Fuluij Flac-
ci filius, quem pater legatum de conditionibus
miserat, ab Opimio interemptus est. quem cùm
haruspex Tuscus amicus, flentem in vincula duci
vidisset, Quin tu hoc potiùs, inquit, facis? proti-
nusque inliso capite in postem lapideum ia-
nuæ carceris, effusoque cerebro exspirauit. Cru-
delésque mox quæstiones in amicos, clientesque
Gracchorum, habitæ sunt. sed Opimium, virum

alioqui

alioqui sanctum, & grauem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius sæuitiæ, Pulla ciuilis persecuta est misericordia. Eadem Rutilium, Popiliumque, qui consules asperrimè in Tiberij Gracchi amicos sæuierant, posteà iudiciorum publicorum meritò oppressit inuidia. Rei tantæ parum ad notitiam pertinens interponetur. Hic est Opimius, à quo consule celeberrimum Opimiani vini nomen: quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest; cùm ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem, anni CLI. Factum Opimij, quòd inimicitiarū quæsita erat vltio, minor secuta auctoritas & visa vltio, priuato odio magis, quàm publicæ vindictæ, data. Subinde, Porcio, Marcióque c o s. deducta colonia, *Narbo Martius.* Mandetur deinde memoriæ seueritas iudiciorū. quippe cos. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, cùm lis eius IIII. æstimaretur. adeò illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quàm modum: factáque ad consilium dirigebant, & quid, non in quantum, admissum foret, æstimabant. Circa eadem tempora M. Metelli fratres vno die triumphauerunt. Non minus clarum exemplum, & adhuc vnicum Fuluij Flacci, eius, qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in collegio consulum fuit. adoptius in Accidiani Manlij familiam datus. nam censura Metellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit: quod solis contigerat Scipionibus. Tum Cimbri, & Teutoni transcendêre Rhenum, multis mox nostris, suisque cladibus nobiles. Per eadem tempora clarus eius Minucij, qui porticus, quę hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus, Læliusque Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo, Papirius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus, & ante omnes L. Crassus, & M. Antonius. Quorum ætati, ingeniisque successere C. Cæsar Strabo, P. Sulpitius. namque Mucius iuris scientiâ, quā propriæ eloquentię nomine, celebrior fuit. Clara etiam per idem æui spatium fuêre ingenia, in Togatis Afranij, in Tragediis Pacuuij, atque Attij, vsque in Græcorum ingeniorum comparationem, euecti, magnúmque inter hos ipsos facientis operi suo locum, adeò quidem, vt in illis limæ, in hoc pænè plus videatur fuisse sanguinis. Celebre & Lucilij nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello, eques militauerat. quo quidem tempore iuuenis adhuc Iugurtha, ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicêre, quæ posteà in contrariis facerent. Historiam auctor iam tum Sisenna erat iuuenis, sed opus belli ciuilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisennâ fuit Cœlius, æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiúsque Quadrigarius, & Valerius Antias. Sanè non ignoremus, eâdem ætate fuisse Pomponium, sensibus celebrem, verbis rudem, & nouitate inuenti à se operis commendabilem.

Persequamur notam seueritatem censorum, Cassij Longini, Cæpionísque, qui abhinc annos CLVII. Lepidum Aemilium, augurem, quòd sex millibus ædes conduxisset, adesse iusserunt. at nunc, si quis tanti habitet, vix vt senator agnoscitur: adeò maturè à rectis in vitia, à vitiis in praua, à prauis in præcipitia peruenitur. Eodem tractu temporum & Domitij ex Aruernis, & Fabij ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio, Paulli nepoti, ex victoriâ cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, &, vt clarissima, ita artata numero felicitas. vti ante hunc, nobilissimę simplicitatis iuuenum, Cn. Domitium, fuêre singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum, sacerdotiáque, ad triumphi autem pænè omnes peruenerunt insignia. Bellum deinde Iugurthinum gestū est per Q. Metellum, nulli secundum sæculi sui. huius legatus fuit C. Marius, quem prædiximus, natus equestri loco, hirtus, atque horridus, vitaq; sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus glorię, insatiabilis, impotens, semperque inquietus. hic per publicanos, aliósq; in Africâ negotientes, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, & naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cupiditatem, effecit, vt cùm, commeatu petito, Romam venisset, cōsul crearetur, bellique, pænè patrati à Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamē & triumphus fuit clarissimus, & meritum, virtutíque cognomē Numidici inditū. Vt paulo antè, Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est: quippe intra XII. fermè annos huius temporis cōsules fuêre Metelli, aut cēsores, aut triūpharunt amplius XII. vt appareat, quemadmodum vrbium, imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire. At C. Marius L. Sullam, iam tunc, vt præcauentibus fatis, copulatum sibi quæstorem habuit. & per eum missum ad regem Bocchum, Iugurthâ rege, abhinc annos fermè CXXXIIX. potitus est: designatúsque iterum consul, in vrbem reuersus, secundi consulatus initio, Kal. Ian. eum in triumpho duxit. Effusa, vt prędiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris, ac Teutonis erat, cum Cæpionem, Manliumque consules, & antè Carbonem, Silanumque fudissent, fugassentque in Galliis, & exuissent exercitu, Scaurumque Aurelium c o s. & alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus R. non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quàm Marium, est ratus. tum multiplicati consulatus eius. Tertius, in apparatu belli consumptus, quo anno Cn. Domitius tribunus pl. legem tulit, vt sacerdotes, quos anteà collegę sufficiebant, populus crearet. Quarto, trans alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit amplius c L. hostium, priore, ac postero die, ab eo trucidatis, gensque excisa Teutonum quinto citra alpes, in campis, quibus nomen erat Raudis. ipse consul, & proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertauere pœlio. cæsa, aut capta amplius CM. hominum. Hac victoriâ videtur meruisse Marius, ne eius nati remp. pæniteret, ac bona malis repensasse. Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus. Non tamen huius cōsulatus fraudetur gloriâ; quo Seruilij Glauciæ, Saturninique Appuleij furorem, continuatis honoribus remp. lacerantiū, & gladiis quoque, & cęde comitia discutientium, consul armis compescuit, hominesque exitiabiles in Hostilia curiâ morte multauit. Deinde, interiectis paucis annis, tribunatum iniit M. Liuius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus meliore in omnia ingenio, animoque, quàm fortunâ vsus: qui, cùm senatui pris-

cum restituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem: (quippe, eá potestatem nacti equites, Gracchanis legibus, cùm in multos clarissimos, atque innocentissimos viros sæuiissent, tum P. Rutilium, virum non sæculi sui, sed omnis æui optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu ciuitatis, damnauerant in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, velut inescádę illiciédæq; multitudinis caussa fieri, vt, minoribus perceptis, maiora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, vt malefacta collegarum, quàm eius optimè ad ipso cogitata, senatus probaret magis, & honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret; iniurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet; & huius, summæ gloriæ inuideret, illorum modicam ferret. Tum conuersus Drusi animus, quádo bene cœpta malè cedebant, ad dandam ciuitatem Italiæ. quod cùm moliens reuertisset è foro, immensâ illâ, & incognitâ, quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Sed, cùm vltimum redderet spiritum, intuens circumstantium, mœrétiúmque frequentiam effudit vocem, conuenientissimam cóscientiæ suæ: Ecquando, inquit, propinqui, amicique, similem mei ciuem habebit resp.? Hunc finé clarissimus iuuenis vitæ habuit: cuius morum minimè omittatur argumétum. Cùm ædificaret domum in Palatio in eo loco, vbi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilij Sisennæ est: promitteretque ei architectus, ita se eá ædificaturum, vt libera à conspectu, immunis ab omnibus hominibus esset, neque quisquam in eá despicere posset: Tu verò, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt, quidquid agá, ab omnibus perspici possit. In legibus Gracchi inter perniciosissima numerauerim, quòd extra Italiam colonias posuit. id maiores (cum viderét tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocæâ, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali solo) diligenter vitauerant, vt ciues Romanos ad censendum, ex prouinciis in Italiam reuocauerint. Prima autem extra Italiam colonia *Carthago* condita est. Mors Drusi, iam pridem tumescés, bellum excitauit Italicum. quippe L. Cæsare, P. Rutilio coss. abhinc annos CXX. cum id malum in vniuersa Italia ab Asculanis esset (quippe Seruium prætorem, Fonteiúmque legatum occiderant) ac deinde, à Marsis exceptum, in omnes penetrasset regiones: arma aduersus Romanos cepit. quorum vt fortuna atrox, ita caussa fuit iustissima. petebant enim eam ciuitatem, cuius imperiũ armis tuebantur: per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se militum, equitúmque fungi, neque in eius ciuitatis ius recipi, quæ per eos in id ipsum peruenisset fastigium, per quod homines eiusdem & gentis & sanguinis, vt externos, alienósque fastidire posset. id bellum amplius CCC. iuuentutis Italicę abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pópeius, Cn. Pópeij Magni pater, C. Martius, de quo prædiximus, L. Sulla, anno antè prætura functus, Q. Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen Pij consecutus erat. quippe expulsũ ciuitate L. Saturnino tribuno pl. quòd solus in eius leges iurare noluerat, pietate suâ, auctoritate senatus, consensu reip. restituit patrem. Nec triumphis, honoribusque, quàm aut caussa exsilij: aut exsilio, aut reditu clarior fuit Numidicus. Italicorum autẽ fuerunt celeberrimi duces, Silo Poppædius, Herius Asinius, Insteius Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilius. Neque ego, verecundiâ, domestici sanguinis gloriæ quidquá, dum verum refero, subtraham. quippe multum Minatij. Magij, atauì mei, Asculanensis tribuendum est, memoriæ: qui, nepos Decij Magij, Campanorum principis celeberrimi, & fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, vt cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cũ L. Sulla oppugnaret, Cosámque occuparet. cuius de virtutibus cùm alij, tum maximè, dilucidéque Q. Hortensius in Annalibus suis retulit. cuius pietati plenam populus Ro. gratiam retulit: ipsum viritim ciuitate donando, duos filios eius creando prætores, cùm seni adhuc crearentur. Tam varia, atque atrox fortuna Italici belli fuit, vt per biennium continuum duo Romani consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus P. R. multis in locis funderẽtur, vtq. ad saga iretur, diuq. in eo habitu maneretur. Caput imperij sui Corfinium legerant, quod appellarent Italicum. Paulatim deinde recipiendo in ciuitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectæ sunt, Pompeio Sulláque, & Mario fluentem, procumbentémque Remp. restituentibus. Finito ex maxima parte, nisi quæ Nolani belli manebant reliquiæ, Italico bello, (quo quidem Romani victis afflictísque, ipsi exarmati, quàm integris vniuersis ciuitatem dare maluerunt) consulatum inierunt Q. Pompeius, & L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abundè vituperari potest. hic, natus familia nobili, sextus à Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum familiæ eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, vt nullam petendi cósulatũ cogitationem habere videretur: deinde post præturam illustratus bello Italico, & antè in Gallia legatione sub Mario, quâ eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumpsit: peténsque consulatum penè omnium ciuium suffragiis factus est. sed cum honorem vndequinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est. Per ea tempora Mithridates. Ponticus rex, vir, neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortunâ: semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asiâ, necatísque in ea omnibus ciuibus Ro. quos quidem eadem die, atque hora, redditis ciuitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum, interimi iusserat, (quo tempore neque fortitudine aduersus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit. Horum fidem Mitylenæorum perfidia illuminauit, qui M. Aquillium, aliósque Mithridati vinctos tradiderũt: quibus libertas, in vnius Theophanis gratiam, postea à Pompeio restituta est) cum terribilis Italiæ quoque videretur imminere, sorte obuenit Sullæ Asia prouincia. Is egressus vrbe, cum circa Nollam moraretur: (quippe ea vrbs pertinacissimè arma retinebat, exercitúque Romano obsidebatur, velut pœniteret eius fidei, quam omnium sancti-

sanctissimam bello praeterierat Punico) P. Sulpicius, tribunus pl. dilectus, acri, opibus, gratiâ, amicitiis, vigore ingenij, atque animi celeberrimus, cum antea, rectissimâ voluntate, apud populum maximam quaesiuisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum, & bene consulta ei malè cederent, subito prauus, & praeceps, C. Mario, post annum omnia imperia, & omnes prouincias concupiscenti addixit, legemque ad populum tulit, quâ Sullae imperium abrogaretur, C. Mario B bellum decerneretur Mithridaticum, aliasque leges perniciosas, & exitiabiles, neque tolerandas liberae ciuitati, tulit. quinetiam Q. Pompeij consulis filium eundemque Sullae generum, per emissarios factionis suae interfecit. Tum Sulla, contracto exercitu, ad vrbem rediit, eamque armis occupauit, XII. auctores nouarum, pessimarumque rerum, inter quos Marium, cum filio, & P. Sulpicio, vrbe exturbauit, ac, lege latâ, exsules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, in Laurentinis palu- C dibus iugulauêre, caputque eius erectum, & ostentatum, pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum, annoque LXX. nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodo, ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricae, in quam se, fugiens consectantes Sullae equites, abdiderat. iniecto in collum loro, in carcerem Minturnensium, iussu II uiri, perductus est. ad quem interficiendū missus cum gladio seruus publicus, natione Germa- D nus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium, magno cū eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abiecto gladio, profugit è carcere. Tum ciues, ab hoste misereri paulo ante principis viri docti, instructum cum viatico, collatâque veste, in nauem imposuerunt. at ille, assecutus circa Aenariam filium, cursum in Africam direxit; inopémque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium, tolerauit; cùm Marius, adspiciens Carthaginem, illa E intuens Marium, alter alteri possent esse solatio. Hoc primum anno sanguine consulis Romani, militis imbutae manus sunt; quippe Pompeius, collega Sullae: ab exercitu Cn. Pompeij proconsulis, seditione, sed quam dux creauerat, interfectus est. Non erat Mario, Sulpitioque Cinna temperatior. itaque, cùm ita ciuitas Italiae data esset, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues; ne potentia eorum, & multitudo, veterum ciuium dignitatē frangeret; plusque possent recepti in benefi- F ciū, quam auctores beneficij; Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in vrbem acciuerat. è qua pulsus, collegae, optimatiúmque viribus, cùm in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus, consulatus ei abrogatus est, suffectusque in eius locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Haec iniuria homine, quàm exemplo dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primò centurionibus, ac tribunis, mox etiam, G spe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. is, cùm vniuersus in verba eius iurasset, retinens insignia consulatus, patriae bellum intulit, fretus ingenti numero nouorum ciuium. è quorum delecta CCC. amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleuerat. Opus erat partibus, auctoritate, gratiâ, cuius augendae, C. Marium, cum filio, de exsilio reuocauit, quíque cum iis pulsi

A fuerant. Dum bellum autem infert patriae Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater, (cuius praeclara opera bello Marsico praecipuè circa Picenum agrum, vt praescripsimus, via erat respub. quique Asculum ceperat: circa quam vrbem, cùm in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, V. & LXX. ciuium Romanorum, amplius LX. Italicorum vna die conflixerant) frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium, mediumque par- B tibus praestitit, vt omnia ex proprio vsu ageret, temporibusque insidiari videretur, & huc, atque illuc, vnde spes maior affuisset potentiae, se, exercitumque deflecteret, sed, ad vltimum, magno, atrocique praelio, cum Cinna conflixit. Cuius commissi, patratique sub ipsis moenibus, sociisque vrbis Romanae pugnantibus, spectantibúsque, quàm fuerit euentus exitialibus, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cum vtrumque exercitum, velut parum bello exhau- C stum, laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit: cuius interitus voluptas, amissorum aut gladio, aut morbo ciuium paenè damno repensata est: populusque Romanus, quam viuo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duae, seu tres Pompeiorum fuere familiae, primus eius nominis, ante annos fere CLXVIII. Q. Pompeius cum Cn. Seruilio consul fuit. Cinna, & Marius, haud incruentis vtrinque certaminibus editis, vrbem occupauerunt; sed prior ingres- D sus Cinna, de recipiendo Mario, legem tulit. mox C. Marius, pestiferoque ciuibus suis reditu: intrauit moenia. nihil illâ victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta: neque licentiâ immediocri saeuitum. sed excelsissimi quique eminentissimae ciuitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. In iis consul Octauius, vir lenissimi animi iussu Cinnae interfectus est. Merula autem, qui se sub aduentum Cinnae consulatu abdicauerat, incisis venis, superfusoque altaribus E sanguine, quos saepe pro salute reip. flamen Dialis precatus erat deos, eos in exsecrationem Cinnae, partiumque eius tum precatus, optimè de rep. meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps ciuitatis, atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos facundiâ suâ moratus erat, iussu Marij Cinnaeque confossus est. Q. Catulus, & aliarum virtutum, & belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco, nuper F calce, arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto, quàm arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant praecipitia in rep. nec tamen adhuc quisquam inueniebatur, qui bona ciuis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Post. à id quoque accessit, vt saeuitiae caussam auaritia praeberet, & modus culpae ex pecuniae modo constitueretur: G & qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces foret. nec quidquam videretur turpe, quod esset quaestuosum. Secundum deinde consulatum Cinna, & septimum Marius, in priorum decus: iniit cuius initio, morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio ciuibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In huius locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimae legis auctor, qua creditoribus quadrantem solui iusserat: cuius facti merita eum poena intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinnâ,

maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde pòst in Asiam perfugit. Sulla interim cum Mithridatis præfectis, circa Athenas, Bœotiamque & Macedoniam, ita dimicauit, vt & Athenas reciperet, & plurimo circa multiplices Piręi portus munitiones labore expleto, amplius CC M. hostiũ interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri, vetustatisque ignarus est, adeò enim certa Atheniésium in Romanos fides fuit, vt semper & in omni re, quicquid sinceriâ fide gereretur, id Romani Atticâ fieri prædicarent. Cęterum tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis, cũ ab inimicis tenerétur, oppugnabantur ab amicis animos extra mœnia, corpora, necessitati seruiétes, intra muros habebát. Trásgressus deinde in Asiam Sulla parentem ante omnia, supplicémque Mithridatem inuenit, quem multatum pecunia ac parte nauium, Asia, omnibusque aliis prouinciis quas armis occupauerat, decedere coegit, captiuos recepit, in perfugas, noxiosque animaduertit: paternis, id est Ponticis, finibus contentum esse iussit. C. Flauius Fimbria, qui præfectus equitum, ante aduentum Sullæ, Valerium Flaccum, consularem virum, interfecerat, exercituque occupato Imperator appellatus, fortè Mithridatem pepulerat prœlio, sub aduentu Sullæ se ipse interemit, adolescens, quæ pessimè ausus erat, fortiter exsecutus. Eodem anno P. Lænas tribunus pl. fuerat, saxo Tarpeio deiecit: & cùm collegæ eius, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugissét, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, cùm ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum venissent, & in iis quidam magi ex notis corporis respondissent, cælestem eius vitam, & memoriam futuram, reuersus in Italiam, haud plura, quàm XXX. armatorũ millia ad uersus CC. amplius hostiũ exposuit Brundusij. Vix quidquam in Sullæ operibus clarius duxerim, quàm quòd, cùm per triennium Cinnanæ, Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulauit, nec quod erat in manibus, omisit: existimauitque, antè frangendum hostem, quàm vlciscendum ciuem; repulsoque externo metu, vbi quod alienum esset, vicisset, superaret quod erat domesticum. Ante aduentum L. Sullæ, Cinna, seditione orta, ab exercitu interemptus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quàm iracundia militum. de quo verè dici potest, ausum eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ à nullo, nisi fortissimo, perfici possent; & fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virũ. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno cõsul fuit. Putares, Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quieta exercitum per Calabriam Apuliamque, cũ singulari cura frugum, agrorum, hominum, vrbium, perduxit in Campaniam: tentauitque iustis legibus, & æquis conditionibus bellum componere: sed iis, quibus & pessima, & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque, & sanissimo. Felici deinde circa Capuam euentu Scipionem Norbanumque consules superat: quorum Norbanus, acie victus, Scipio ab exercitu suo desertus, ac proditus, inuiolatus à Sulla dimissus est. Adeò enim Sulla dis-

A similis fuit bellator, ac victor, vt, dum vincit, iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. nam & consul, vt prædiximus, exarmatum Q. Sertorium, (proh quanti mox belli facem!) & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, vt in eodem homine duplicis, ac diuersissimi animi conspiceretur exemplum. Post victoriam, quâ descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, gratus Dianæ, cuius B numini regio illa sacrata est, soluit: aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit deæ, huius gratæ religionis memoria, & inscriptio, templi affixa postibus, hodiéq. testatur ærea tabula intra ædé. Deinde consules Carbo III. & C. Marius septies consulis filius, annos natus XXVI. vir animi magis, quã æui paterni, qui multa fortiterque molitus, neque vsquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum pulsus à Sulla acie, Præneste, quod ante naturá C munitum præsidiis firmauerat, se, exercitumque contulit. Ne quid vnquam malis publicis deesset, in quâ ciuitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus. quippe, dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor Domitiũ Scæuolam etiam pontificem maximum, & diuini, humanique iuris auctorem celeberrimum, & C. Carbonem prætorium, consulis fratrem, & Antistium ædilitium, velut fauentes Sullæ partibus, D in curia Hostiliâ trucidauit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestię filia, vxor Antistij, quæ iugulato, vt prædiximus, viro gladio seipsam transfixit. Quantum huius gloriæ famæque accessit: nunc virtute eminet, patria latet. At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir domi, bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, cõtractis circiter XL M. fortissimæ pertinacissimæque in retinendis armis iuuentutis, Carbone, ac Mario coss. abhinc annos CXL. Kal. Non. ita ad portam Collinam cum Sullâ dimicauit, vt ad E summum discrimen & eum, & remp. perduceret: quæ non maius periculum adiit, Hannibalis intra tertium miliarium castra conspicata, quàm eo die, quo circumuolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque adesse Romanis vltimum diem, vociferabatur, eruendam, delendamque vrbem, adiiciens, nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi silua, in quam refugere solerent, esset excisa. Post primam demum horam noctis & Romana acies respirauit, & F hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis, quàm morientis vultum præferens: cuius abscissum caput ostentari, gestarique circa Præneste Sulla iussit. Tum demum, desperatis rebus suis, C. Marius adolescens per cuniculos, qui, miro opere fabricati, in diuersa agrorum partes fuerunt, conatus erumpere, cùm foramine è terrâ emersisset, à dispositis in id ipsum interemptus est. Sunt qui suâ manu, sunt qui con- G currentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino, vnà obsesso, & erumpente, occubuisse prodiderint. vtcumque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur eius memoria. de quo iuuene quid existimauerit Sulla, in promptu est. Occiso enim demum eo, Felicis nomẽ assumpsit: quod quidem vsurpasset iustissimè, si eundem & vincendi, & viuendi finem habuisset. Oppugnationi autem Prænestis, ac Marij præfuerat Ofella Lucretius, qui, cùm ante Marianarum fuisset partium,

tium, prætor ad Sullam transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium, Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honorauit memoria, quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur. Paulò antè, quàm Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis prœliis partium eius viri hostium exercitum fuderant, duo Seruilij apud Clusium, Metellus Pius apud Fauentiam, M. Lucullus circa Fidentiam. Videbantur finita belli ciuilis mala, cum Sullæ crudelitate aucta sunt. quippe, dictator creatus, (cuius honoris vsurpatio per annos cxx. intermissa. nam proximus post annum, quàm Hannibal Italia excesserat: vt appareat populum Romanum vsum dictatoris non iam desiderasse, quàm timuisse potestatem imperij, quo priores ad vindicandam maximis periculis remp. vsi fuerant) immodicæ crudelitatis licentia vsus est. Primus ille, & vtinam vltimus, exemplum proscriptionis inuenit, vt, in qua ciuitate petulantis conuicij iudicium histrioni exoleto redditur, in ea iugulati ciuis reip. constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quàm ciuis, vberius foret præmium, fieretque quisque merces mortis suæ. Nec tamē in eos, qui contrà arma tulerant, sed in multos insontes sæuitum: adiectum etiam, vt bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum iure prohiberentur; simulque, quod indignissimum est, senatorum filij & onere ordinis sustinerent, & iura perderent. Sub aduentū in Italiā L. Sullæ, Pōpeius, eius Cn. Pompeij filius, quē magnificentissimas res in cōsulatu gessisse bello Marsico, prædiximus, xxiii. annos natus, abhinc annos cxiii. priuatis vt opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam, restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, contraxit exercitum. cuius viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari iubet. Fuit hic genitus matre Luciliâ, stirpis senatoriæ, formâ excellens, non eâ, quâ flos commendatur ætatis, sed ex dignitate, constantiaque in illam conueniens amplitudinem, fortunam quoque eius, ad vltimam vitæ comitata est diem: innocentiâ eximius, sanctitate præcipuus, eloquentiâ medius: potentiæ, quæ honoris caussa ad eum deferretur, nō vt ab eo occuparetur, cupidissimus: dux bello peritissimus, ciuis in toga (nisi vbi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus: amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconciliandâ gratiâ fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus, potentia sua numquam, aut rarò ad impotentiam vsus, penè omnium votorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in ciuitate libera dominaque gentium, indignari, cum omnes ciues iure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere. Hic, à tota virili assuetus commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum & capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia excoluit, vt à Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius. Tum M. Perperna, prætorius, è proscriptis, gentis clarioris, quàm animi, Sertorium inter cœnam Etoscæ interemit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium: sibi turpissimam mortem pessimo auctorauit facinore. Metellus, & Pompeius ex Hispanis triumpharunt: sed Pompeius, hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem, quàm consulatum iniret, curru vrbem inuectus est. quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summum fastigium vectum, iniquo tulisse animo, C. Cæsaris, in altero consulatu petendo, senatum populúmque R. rationem habere? adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; & inuidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatem, personásque dirigere. Hoc consulatu Pompeius tribunitiam potestatem restituit, cuius Sulla imaginem in iure reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, lxiv. fugitiui è ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea vrbe gladiis, primò Vesuuium montem petiêre, mox, crescente in dies multitudine, grauibus variisque casibus affecêre Italiam. quorum numerus in tātum adoleuit, vt, qua vltimo dimicauêre acie, xlm. hominum se Romano exercitui opposuerint. Huius patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox Romanorum omnium principum. Conuerterat Cn. Pompei persona totum in se terrarum orbem, & per omnia maiora vi habebatur: qui cum consul perquam laudabiliter iurasset, se in nullam prouinciam ex eo magistratu iturum, idque seruasset, post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit, vt, cum belli more, non latrociniorum, orbem classibus iam non furtiuis expeditionibus, piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ vrbes diripuissent: Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur: essetque ei imperium æquum in omnibus prouinciis cum proconsulibus, vsque ad quinquagesimum miliarium à mari. quo S. C. penè totius terrarum orbis imperium vni viro deferebatur: sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonij prætura decretum erat. sed interdum persona, vt exemplo nocet, ita inuidiam auget, aut leuat in Antonio homines æquo animo passi erant. rarò enim inuidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. Contrà, in iis hominibus extraordinaria se formidant, qui ea suo arbitrio aut deposituri, aut retenturi videntur, & modum in voluntate habent. Dissuadebant optimates: sed consilia impetu victa sunt. Digna est memoria Q. Catuli cùm auctoritas, tum verecundia: qui cùm, dissuadens legem, in concione dixisset, esse quidem præclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberæ reip. neque omnia in vno reponenda, adiecissetque, Si quid huic accideri, quem in eius locum substituetis? succlamauit vniuersa concio, Te, Q. Catule. Tum ille, victus consensu omnium, & tam honorifico ciuitatis testimonio, è concione discessit. Hic hominis verecundiam, populi iustitiam mirari libet: huius, quòd non vltrà contendit, plebis, quod dissuadentem, & aduersarium voluntatis suæ, vero testimonio fraudare noluit. Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus, ereptum senatui, ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter vtrumque ordinem partitus est, & Roscius lege suà equitibus in theatro loca restituit. At Cn. Pompeius, multis, & præclaris viris in id bellum assumptis, descriptoque in omnes recessus maris præsidio nauium, breui, inexsuperabili manu, terrarum orbem liberauit, prædonesque per multa prœlia multis locis victos, circa Ciliciam classe aggressus, fudit ac fugauit. &, quo maturius bellum, tam latè diffusum, conficeret, reliquias co-

A ac natio redacta in formulam prouinciæ, stipendiaria facta sit, notauimus facilius, vt quæ partibus simul vniuersa conspici possint. Primus in *Siciliam* traiecit exercitum consul Claudius, & prouinciam eam post annos fermè LII. captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. Primus in *Africam* Regulus, nono fermè anno primi Punici belli: sed post CCIV. annos P. Scipio Aemilianus, eruta Carthagine, abhinc annos
B CLXXXII. Africam in formulam redegit prouinciæ. *Sardinia* inter primum, & secundum bellum Punicum, ductu T. Manlij consulis, certum recepit imperij iugum. Immane bellicæ ciuitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertiò Augusto principe certæ pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit. In *Hispanias* primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos CCL. inde variè possessa, &
C sæpe amissa partibus, vniuersa, ductu Augusti, facta stipendiaria est. *Macedoniam* Paullus, Mummius *Achaiam*, Fuluius nobilior subegit *Aetoliam*: *Asiam* L. Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho: sed beneficio senatus, populique Romani. mox ab Attalis possessam regibus, M. Perperna, capto Aristonico, fecit tributariam *Cypro* deuicta, nullis assignanda gloria est. quippe Senatusconsulto ministerio Catonis, regis morte quam ille conscientia acciuerat, facta prouincia est.
D *Creta*, Metelli ductu, longissimæ libertatis fine multata. Et *Syria Pontusque* Cn. Pompeij virtutis monumenta sunt. *Gallias* primum Domitio Fabio nepote Paulli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra, sæpe & affectauimus, & amisimus. sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in iis conspicitur: quippe, eius ductu, auspiciisque infractæ, pænè idem, quod totus terrarum orbis, ignauū consenserunt stipendium. Ab eodem Pōpeio factā Numidicus *Ciliciam* perdomuit, nisi vicisset post bellum
E Antiochicum Vulso Manlius *Gallograeciam*. *Bythinia*, vt prædiximus, testamento Nicomedis relicta hæreditaria, D. Augustus, præter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum eius prænitet, pænè idem, facta *Aegypto* stipendiaria, quantum pater eius Gallia, in ærarium reditus contulit. At Tib. Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat, parem Illyriis, Dalmatisque extorsit. *Rhætiam* autem, & *Vindelicos*, ac *Naricos*. *Pannoniámque*, & Scordiscos no-
F uas imperio nostro subiunxit prouincias. Vt has armis, ita auctoritate *Cappadociam* populo Rom. fecit stipendiariam. Sed reuertamur ad ordinem.

Secuta deinde Cn. Pompeij militia, gloriæ, laborisne maioris, incertum est. Penetratæ cum victoria Media, Albania, Hiberia, ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quæ dextra, atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque, & Achæos. & oppressus auspiciis Pompeij, insidiis filij Pharnacis, Mithridates, vltimus omnium iuris
G sui regum, præter Parthicos.

Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suóque & ciuium voto maior, & per omnia fortunam hominis egressus, reuertit in Italiam, cuius reditum fauorabilem opinio fecerat. quippe plerique, non sine exercitu venturum in vrbem, affirmabant, & libertati publicæ statuturum arbitrio suo modum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior ciuilis tanti imperatoris reditus fuit. omni quippe Brundisij dimisso exercitu, nihil, præter nomen imperatoris retinens, cum priuato comitatu, quem semper illi vacare moris fuit, in vrbem rediit, magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum; longéque maiorem omni ante se inlata pecunia in ærarium, præterquam à Paullo, ex manubiis intulit. absente Cn. Pompeio, T. Ampius, & T. Labienus tribuni pl. legem tulerunt, vt S. ludis Circensibus corona aurea, & omni cultu triūphantium vteretur, scenicis autem prætexta, coronáque aurea. id ille non plus, quàm semel, (& hoc sanè nimium fuit) vsurpare sustinuit. Huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, vt primum ex Africa, iterum ex Europa, tertiò ex Asia triumpharet: &, quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. Numquam eminentia inuidia carent. Itaque & Lucullus, memor tamen acceptæ iniuriæ, & Metellus Creticus, non injustè querens, (quippe ornamentum triumphi eius, captiuos duces Pompeius subduxerat) & cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa ciuitatibus à Pompeio, aut benemeritis præmia, ad arbitriū eius, persoluerentur. Secutus deinde est consulatus C. Cæsaris, qui scribenti manum iniicit, &, quamlibet festinantem, in se morari cogit. hic, nobilissima Iuliorum genitus familia, &, quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise, ac Venere deducens genus, forma omniūm ciuium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiæ effusissimus, animo super humanam & naturam, & fidem euectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus; qui denique semper & somno, & cibo in vitam, non in voluptatem, vteretur, cùm fuisset C. Mario sanguine coniunctissimus, atque idem Cinnæ gener; cuius filiam vt repudiaret, nullo modo compelli potuit; cùm M. Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ vxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam; habuissetque ferè XIIX. annos, eo tempore, quo Sulla rerum potitus est; magis ministris Sullæ, adiutoribusque partium, quàm ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste, dissimilémque fortunę suæ indutus habitum, nocte vrbe elapsus est. Idem posteà admodum iuuenis, cùm à piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab iis retentus est, apud eos gessit, vt pariter iis terrori venerationique esset; neque vmquam aut nocte, aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur, aut discingeretur, in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodò eum custodiebant, foret. Longum est narrare, quid, & quoties ausus sit, quanto opere conata eius qui obtinebant Asiam magistratus P. R. metu suo destituerit. Illud referatur, documentum tanti mox euasuri viri. Quæ nox eam diem secuta est, qua publica ciuitatum pecunia redemptus est, ita tamen, vt cogeret, ante obsides à piratis ciuitatibus dari; contracta classe, & priuatus, & tumultuaria, inuectus in eum locum, in quo ipsi prædones erant, partem classis fugauit, partem mersit, aliquot naues, multósq. mortales cepit, lætúsque nocturnę expeditionis triumpho, ad suos reuersus est, mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniā perrexit ad proconsulem Iunium, (cùm idem enim A-

Oo

iam eam quam obtinebat (petens, vt auctor fieret sumendi de captiuis supplicij. quod eum ille, se facturum, negasset, venditurumque captiuos dixisset, (quippe sequebatur inuidia inertia) incredibili celeritate reuectus ad mare, priusquàm de ea re vlli proconsulis redderentur epistolæ, omnes, quos ceperat, suffixit cruci. Idem mox ad sacerdotium ineundum (quippe absens pontifex factus erat, cum in Cottæ consulatis locum pænè puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur à prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria, & meritò tam infestis sibi, quatuor scalmorum nauem vnà cum duobus amicis decemque seruis, ingressus, effusissimum Adriatici maris traiecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, vt putabat, piratarū nauibus, cùm exuisset vesté, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunæ parans, mox intellexit, frustratum esse visum suum, arborúmque ex longinquo ordinem antemnarum præbuisse imaginem. Reliqua eius acta in vrbe, nobilissimáque Dolabellæ accusatio, & maior ciuitatis in ea fauor, quàm res præstari solet; contentionesque ciuiles, cum Q. Catulo, atque aliis eminentissimis viris, celeberrimæ: & ante præturam victus, maximi pontificatus petitione, Q. Catulus, omnium confessione senatus princeps, & restituta in ædilitate, aduersante quidem nobilitate, monuméta C. Marij; simulque reuocati ad ius dignitatis proscriptorum liberi; & præturâ, quæsturáque mirabili virtute, atque industriâ in Hispaniâ, cum esset quæstor sub Vetere Antistio, auo huius Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium, & sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest, quo notiora sunt, minus egent stylo.

Hoc igitur cos. inter eum, & Cn. Pompeium, & M. Crassum inita potentiæ societas, quæ vrbi orbique terrarum, nec minus diuerso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi, Pompeius caussam habuerat, vt tandem acta in trāsmarinis prouinciis, quibus (vt prædiximus) multi obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem: Cæsar autem, quòd animaduertebat se, cedendo Pompeij gloriæ, actu rúm suam, & inuidia communis potentiæ in illum relegata, confirmaturum vires suas: Crassus, vt, quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeij, viribus teneret Cæsaris. Affinitas etiam inter Cæsarem, Pompeiumque contracta nuptiis. quippe filiam C. Cæsaris Cn. Magnus duxit vxorem.

In hoc cōsulatu Cæsar legem tulit vt ager Cāpanus plebei diuideretur, suasore legis Pompeio, circiter XXM, ciuium eò deducta, & ius ab his restitutum post annos circiter CLII. quàm bello Punico ab Romanis *Capua* in formam præfecturę redacta erat.

Bibulus collega Cæsaris, cùm actiones eius magis vellet impedire quàm posset, maiore parte anni domi se tenuit. quo facto dum augere vult inuidiam collegæ, auxit potentiam.

Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ.

Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi, neq. faciendi vllum, nisi quem vellet, nollet modum, malorū propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, & actus incesti reus, ob initium inter religiosissima P. R. sacra adulterium, cùm graues inimicitias cum M. Cicerone exerceret. (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) & à partibus ad plebem transiret, legem in tribunatu tulit: Qui ciuem Ro. damnatum interemisset, ei aquâ, & igni interdiceretur. Cuius verbis, etsi non nominabatus Cicero, tamen solus petebatur. ita vir optimè meritus de rep. conseruatę patriæ pretium calamitate exsilij tulit. Non caruerūnt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quòd inter XX. viros diuidendo agro Campano esse noluisset. Idem intra biennium, serâ Cn. Pompeij curâ, verùm & cupito interitu, votisque Italiæ ac decretis senatus, virtute atque actione Annij Milonis tribuni pl. dignitati patrięque restitutus est. Neque, post Numidici exsilium aut reditum, quisquam aut expulsus inuidiosius, aut receptus est lętiùs. Cuius domus, quàm infestè à Clodio disiecta erat, tam speciosè à senatu restituta est.

Idem P. Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerij titulo, M. Catonem à rep. relegauit. quippe legem tulit, vt is quęstor cum iure prętorio, adiecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. sed ille, sub aduentum Catonis, vitæ suæ vim intulit: vnde pecuniam longè sperata maiorem Cato Romam retulit: cuius integritatem laudari nefas est: insolentia pænè argui potest, quod, vnà cum consulibus ac senatu effusa ciuitate, obuiam cum per Tiberim subiret nauibus, non antè is egressus est, quàm ad eum locum peruenis, vbi erat exponenda pecunia.

Cum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Cæsar in Galliâ ageret, nec contentus plurimis, ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis & captis hostium millibus, etiam in Britanniam traiecisset exercitum, alterum pænè imperio nostro, ac suo quærens orbem: inuictum par consulum Cn. Pompeius, & M. Crassus, alterum iniere consulatum, qui neque petitus honestè ab his, neque probabiliter gestus est.

Cęsari, lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spatium temporis prouinciæ: Crasso, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. qui vir, cetera sanctissimus, immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscendâ aut modum norat, aut capiebat terminum. hunc proficiscentem in Syriam diris cum omnibus tribuni pl. frustra retinere conati, quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo valuissent, vtile imperatoris damnum saluo exercitu fuisset reip. Transgressum Euphratem Crassum, petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes vnà cum parte maiore Romani exercitus interemit. reliquias legionum C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor conseruauit, Syriamque adeo in P. R. potestate retinuit, vt transgressos in eam Parthos, felici rerum euentu fugerat, ac funderet.

Per hæc, insequentiaque, & quæ prædiximus, tempora, amplius CCCCM. hostiū à C. Cæsare cæsa sunt, plura capta pugnatum sæpe directa acie, sæpe in

ſæpe in agminibus, ſæpe eruptionibus. Bis penetrata Britannia. nouem denique æſtatibus, vix vlla non iuſtiſſimus triumphus emeritus. Circa Alexiam verò tantæ res geſtæ, quantas audere, vix hominis, perficere, pænè nullius, niſi Dei, fuerit.

Septimo fermè anno Cæſar morabatur in Galliis, cum medium iam ex inuidia Pompeij malè cohærentis inter Cn. Pompeium, & C. Cæſarem concordiæ pignus, Iulia vxor Magni deceſſit; atque omnia inter destinatos tanto diſcrimini duces dirimente fortuna, filiùs quoque paruus Pompeij, Iulia natus, intra breue ſpatium obiit. Tum, in gladios, cædéſque ciuium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur, nec modus, tertius conſulatus ſoli Cn. Pompeio, etiam aduerſantium anteà dignitati eius, iudicio delatus eſt. cuius ille honoris gloria, veluti reconciliatis ſibi optimatibus maximè à C. Cæſare alienatus eſt. ſed eius conſulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit.

Quo tempore P. Clodius, à Milone, candidato conſulatus, exemplo inutili, facto ſalutari reipub. circa Bouillas, contractâ ex occurſu rixâ, iugulatus eſt. Milonem reum non magis inuidia facti, quàm Pompeij damnauit voluntas, quem quidem M. Cato palàm lata abſoluit ſententia. quam ſi maturius tuliſſet, non defuiſſent, qui ſequerentur exemplum; probaréntque eum ciuem occiſum, quo nemo pernicioſior reip. neque bonis inimicior vixerat.

Intra breue deinde ſpatium belli ciuilis exarſerunt initia, cum iuſtiſſimus quiſque & à Cæſare, & à Pompeio vellet dimitti exercitus. quippe Pompeius in ſecundo conſulatu Hiſpanias ſibi decerni voluerat, eáſque per triennium abſens ipſe, ac præſidens vrbi, per Afranium, & Petreium, conſularem, ac prætorium, legatos ſuos adminiſtrabat, & iis, qui à Cæſare dimittendos exercitus contendebant, aſſentabatur, iis, qui ab ipſo, aduerſabatur. qui ſi ante biennium, quàm ad arma itum eſt, perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit, grauiſſima tentatus valetudine deceſſiſſet in Campania, (quo quidem tempore vniuerſa Italia vota pro ſalute eius, primo omnium ciuium, ſuſcepit) defuiſſet fortunæ deſtruendi eius locus, & quam apud ſuperos habuerat magnitudinem, illibatam detuliſſet ad inferos.

Bello autem ciuili, & tot, quæ deinde per continuos XX. annos conſecuta ſunt, malis, non alius maiorem, flagrantiorémque, quàm C. Curio tribunus pleb. ſubiecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, ſuæ, alienæque & fortunæ, & pudicitiæ prodigus, homo ingenioſiſſimè nequam, & facundus malo publico. cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllæ, neque cupiditates ſufficere poſſent. hic primò pro Pompeij partibus id eſt, tunc vt habebatur, pro rep. mox ſimulatione, contra Pompeium & Cæſarem, ſed animo pro Cæſare ſtetit. id gratis an accepto centies H S. fecerit, (vt accepimus) in medio relinquemus. ad vltimum, ſaluberrimas coaleſcentis conditiones pacis, quas & Cæſar iuſtiſſimo animo poſtulabat, & Pompeius æquo recipiebat, diſcuſſit, ac rupit, vnicè cauente Cicerone concordiæ publicæ. Harum, præteritarumque rerum ordo cum iuſtis aliorum voluminibus promitur, tùm, vti ſpero, noſtris explicabitur.

A Nunc propoſito operi ſua forma reddatur, ſi prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque, & Hortenſio; qui cum ſine inuidia in rep. floruiſſent, eminuiſſéntque ſine periculo, quieta, aut certè non præcipitata, fatali ante initium bellorum ciuilium morte functi ſunt.

Lentulo, & Marcello coss. poſt vrbem conditam annis DCCIII. & anno LXXIIX. quàm tu, M. Vinici, conſulatum inires, Bellum ciuile exarſit. Alterius ducis cauſſa, melior videbatur, B alterius, erat firmior. Hîc omnia ſpecioſa, illic valentia. Pompeium ſenatus auctoritas, Cæſarem militum armauit fiducia. Conſules, ſenatuſque cauſſæ, non Pompeio ſummam imperij detulerunt. Nihil relictum à Cæſare, quod ſeruandæ pacis cauſſa tentari poſſet. nihil receptum à Pompeianis, cum alter conſul iuſto eſſet ferocior, Lentulus verò ſalua rep. ſaluus eſſe non poſſet, M. autem Cato moriendum antè, quàm vllam conditionem ciuis accipiendam reip. contenderet. vir C antiquus, & grauis, Pompeij partes laudaret magis, prudens ſequeretur Cæſaris, & illa glorioſa, hæc terribiliora duceret. Vt deinde, ſpretis omnibus, quæ Cæſar poſtulauerat, tantummodò contentus cum vna legione titulum retinere prouinciæ, priuatus in vrbem veniret, & ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P. R. committere decreuerat: ratus bellandum Cæſar, cum exercitu Rubiconem tranſiit: Cn. Pompeius, conſuléſque, & maior pars ſenatus, relicta vrbe, ac deinde Ita- D lia, transmisère Dyrrhachium. At Cæſar Domitio, legionibuſque Corfinij, quæ vnà cum eo fuerant, potitus, duce aliiſque, qui voluerant abire ad Pompeium, ſine dilatione dimiſſis, perſecutus Brundiſium, ita vt appareret, malle integris rebus, & conditionibus finire bellum, quàm opprimere fugientes, cum tranſgreſſos reperiſſet conſules, in vrbem reuertit: redditáque ratione conſiliorum ſuorum in ſenatu & in concione, ac miſerrimæ neceſſitudinis, cum alienis armis ad ar- E ma compulſus eſſet, Hiſpanias petere decreuit. Feſtinationem itineris eius aliquandiu morata Maſſilia eſt, fide melior, quàm conſilio prudentior, intempeſtiuè principalium armorum arbitria captans: quibus iis ſe debent interponere, qui non parentem coercere poſſunt. Exercitus deinde, qui ſub Afranio conſulari, ac Petreio prætorio fuerat, ipſius aduentu vigore, ac fulgore occupatus, ſe Cæſari tradidit. vterque legatorum, & quiſquis cuiuſque ordinis ſequi eo voluerat, F remiſſi ad Pompeium. Proximo anno, cum Dyrrhachium, ac vicina ei vrbi regio, caſtris Pompeij teneretur, (qui accitis ex omnibus tranſmarinis prouinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis regumque & tetrarcharum, ſimulque dynaſtarum copiis, immanem exercitum confecerat, & mare præſidiis claſſium, vt rebatur, ſepſerat, quo minus Cæſar legiones poſſet tranſmittere) ſua & celeritate, & fortuna C. Cæſar vſus, nihil in mora habuit, quo minus &, cum vellet, ipſe, G exercituſque claſſibus perueniret, & primo pænè caſtris Pompeij ſua iungeret; mox etiam obſidione munimentiſque eum complecteretur. Sed inopia obſidentibus, quàm obſeſſis, erat grauior. Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingreſſus caſtra hoſtium, ſæpiuſque cum Lentulo collocutus conſule, dubitante quanti ſe venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpaniæ ſuæ natus, ſed Hiſpanus in

triumphum,& pontificatum assurgeret, fieretque A ex priuato consularis. Variatum deinde prœliis, sed vno longè magis Pompeianis prospero, quo grauiter impulsi sunt Cæsaris milites. Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit. Pompeius, longè diuersa aliis suadentibus, (quorum plerique hortabantur, vt in Italiam transmitteret: neque hercules quidquam partibus illis salubrius fuit: alij, vt bellum traheret, B quod dignatione partiū in dies ipsis magis prospe rum fieret) vsus impetu suo, hostem secutus est. Aciem Pharsalicam, & illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque vtriusque exercitus profusum sanguinis, & collisa inter se duo reip. capita, effusumque alterum Romani imperij lumen, tot talésque Pompeianarum partium cæsos viros non recipit enarranda hic scripturæ modus. Illud notandum est: vt primùm C. Cæsar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque C prius, neque antiquius quidquam habuit, quàm in omnes Patres (vt militari & verbo, & consuetudine vtar) dimitteret. Prò dij immortales, quod huius voluntatis erga Brutum suæ postea vir tam mitis pretium tulit? Nihil illâ victoria mirabili, magnificentius, clarius fuit: quando neminem, nisi acie consumtum, ciuem patria desiderauit: sed munus misericordiæ corrupit pertinacia, cum libentius vitam victor iam daret, quam victi acciperent. Pompeius, profugiens cum duobus Len- D tulis consularibus, Sextoque filio & Fauonio prętorio, quos victores darent comites ei fortuna aggregauerat, aliis vt Parthos, aliis vt Africam peteret, (in quâ fidelissimum partium suarum haberet regem Iubam) suadentibus, Aegyptum petere proposuit, memor beneficiorum, quæ in patrem eius Ptolomæi, qui tum puero, quàm iuueni, propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in aduersis beneficiorum seruat memoriam? aut quis vllam calamitosis deberi putat gratiam? aut quan- E do fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam à Mytilenis Corneliam vxorem receptam in nauem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti, & Achillæ exciperent, hortarenturque, vt ex oneraria in eam nauem, quæ obuiam processerat, transcederet, quod cum fecisset princeps Romani nominis, imperio, arbitrioque Aegyptij mancipij, C. Cæsare, P. Seruilio coss. iugulatus est. Hic post tres consulatus, & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi, ac præstantissimi viri, in id euecti, super quod F adscendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à se discordante fortuna, vt, cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud, quàm nimium occupatos dixerim, quos in ætate & tanti, & pænè nostri sæculi, viri fefellit quinquennium? cum à C. Atilio, & Q. Seruilio consulibus tam facilis esset annorum digestio. quod adieci, non vt arguerem, sed ne arguerer. Non fuit tamen maior in G Cæsarem, quàm in Pompeium fuerat, regis eorumque quorum is auctoritate regebatur, fides. quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, vtrique summo imperatorum, alteri superstiti meritas pœnas luere suppliciis. Nusquam erat Pompeius corpore adhuc vbique Iubæ nomine: quippe ingens partium eius fauor bellum excitauerat Africum. quod ciebat rex Iuba, & Scipio, vir consularis, ante biennium, quàm extingueretur Pompeius, lectus ab eo socer, eorumque copias auxerat. M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorúmque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir, cum summum ei à militibus deferretur imperium, honoratiori parêre maluit. Admonet promissæ breuitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint.

Sequens fortunam suam Cæsar, peruectus in Africam, quam occiso Curione Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primò variâ fortunam expugnauit viâ, inclinatæque hostium copię. Nec dissimilis ibi aduersus victos, quàm in priores, clementia Cæsaris fuit. Victorem Africani belli C. Cæsarem grauius excepit Hispaniense, (nam victus ab eo Pharnaces, vix quidquam gloriæ eius adstruxit) quod Cn. Pompeius, Magni filius, adolescens, impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflauerat, vndique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxilijs confluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est. sed nullum vmquam atrocius periculosiúsque ab eo initum prœlium. adeo vt plus quàm dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita priùs fortuna, quòd se in eum seruasset exitum, denunciaret militibus, vestigio se nō recessurum: proinde viderent, quem, & quo loco imperatorem deserturi forent. verecundiâ magis, quàm virtute, acies restitutæ sūt à duce, quàm à milite, fortius. Cn. Pompeius, grauis vulnere inuentus, inter solitudines auias interemptus est. Labienum, Varumque acies abstulit. Cæsar, omnium victor, regressus in vrbem, (quod humanam excedat fidem,) omnibus, qui contra se arma tulerant, ignouit, magnificentissimísque gladiatorij muneris, naumachiæ, & equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, repleuit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus, ex citro, Pontici, ex acantho, Alexandrini, testudine, Africi, ebore, Hispaniensis, argento rasili constitit. Pecunia, ex manubiis lata paulò amplius sexies millies HS. Neque illi tanto viro, & tam clementer omnibus victoriis suis vso, plus quinque mensium principalis quies contigit: quippe cum mense Octobris in vrbem reuertisset, idibus Martiis, coniurationis auctoribus Bruto & Cassio, quorum alterum, promittendo consulatum non obligauerat; contrà differendo, Cassium offenderat; adiectis etiam consiliariis cædis familiarissimis omnium, & fortuna partium eius in summum euectis fastigium, D. Bruto, & C. Trebonio, aliisque clari nominis viris, interemptus est. cui magnam inuidiam conciliarat. M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti eius Lupercalibus sedentis pro Rostris insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, vt non offensus videretur. Laudandum experientiâ consilium est Pansæ atque Hirtij, qui semper prædixerát Cæsari, vt principatum armis quæsitum, armis teneret. ille dictitans, mori se, quàm timeri malle, dum clementiâ, quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est, cum quidem plurima [illegible] atque indicia dij immortales futuri obtulerint periculi. nam & haruspices præmonuerant, vt diligentissimè Iduum

Iduum Martiarum caueret diem: & vxor Calpurnia, territa nocturno visu, vt ea die domi subsisteret, orabat, & libelli, coniurationem nunciantes, dati, ab eo neque protinus lecti erant. Sed profectò ineluctabilis fatorum vis, cuius cum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Quo anno id patrauere facinus Brutus, & C. Cassius, prætores erant: D. Brutus consul designatus. Hi vnà cum coniurationis globo, stipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitoliũ occupauere, cùm consul Antonius, (quem cùm simul interimendum censuisset Cassius, testamentúmque Cæsaris abolendum, Brutus repugnauerat, dictitans, nihil ampliùs ciuibus præter tyranni, ita enim appellari Cæsarem facto eius expediebat, petendum esse sanguinem) cõuocato senatu, cum iam Dolabella, quem substituturus sibi Cæsar designauerat consulem, fasces atque insignia corripuisset, cõsul velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit, fidemque descendendi tuto interfectoribus Cæsaris dedit: & illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum à Cicerone, obliuionis præteritarum rerum, decreto patrum comprobatum est. Cæsaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octauium, nepotem sororis suæ Iuliæ, adoptabat: de cuius origine, etiam si præuenitis & pauca dicenda sunt. Fuit C. Octauius, vt non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, grauis, sanctus, innocens, diues. Hic prætor inter nobilissimos viros creatus, primo loco, cum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliasset vxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea imperator, decedens ad petitionem consulatus obijt, prætextato relicto filio; quem C. Cæsar, maior eius auunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit vt suum, natumque annos XIIX. Hispaniensis militiæ assecutum se posteà comitem habuit, nunquam aut alio vsum hospitio, quàm suo, aut alio vectum vehiculo: pontificatusque sacerdotio puerum honorauit. Et pacatis bellis ciuilibus, ad erudiẽdum liberalibus disciplinis singularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli Getici, ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui vt est nunciatum de cæde auunculi, cum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam, suorumque militum operam ei pollicerentur, neque eam spernendam Saluidienus, & Agrippa dicerent, ille festinans peruenire in vrbem, omnem ordinationem & necis, & testamenti Brundusij comperit. Cui aduẽtanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: &, cum intraret vrbem, Solis orbis super caput eius, curuatus æqualiter, rotundatusque, in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est. Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen inuidiosæ fortunæ Cæsaris: sed asserebant salutaria reip. terrarumque orbis fata conditorem, conseruatoremque Romani nominis. Spreuit itaque cælestis animus humana consilia: & cum periculo potius summa, quàm tuto humilia, proposuit sequi, maluitque auunculo, & Cæsari de se, quàm vitrico, credere: dictitans nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri indignum. Hinc protinus Antonius consul superbè excipit, (neque is erat contemptus, sed metus) vixque admisso in Pompeianos hortos, loquendi secum tempus dedit: mox etiam, velut insi-

A dijs eius petitus, scelestè insimulare cœpit: in quo turpiter deprehensa eius vanitas est. Apertè deinde Antonij ac Dolabellæ consulum ad nefandam dominationem erupit furor. HS. septies millies, depositum à C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum eiusdem, insertis falsis, ciuitatibusque corruptis, commentarijs. Atque omnia pretio temperata, vendente remp. consule. Idem, prouinciam D. Bruto designato consuli decretam, Galliam occupare sta-
B tuit: Dolabella transmarinas decreuit sibi: interque naturaliter dissimillimos ac diuersa volentes crescebat odiũ. eoque C. Cæsar iuuenis quotidianis Antonij petebatur insidijs. Torpebat oppressa dominatione Antonij ciuitas. indignatio & dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, cum C. Cæsar, XIX. annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, priuato cõsilio, maiorem senatu pro rep. animum habuit: primumque à Calatia, mox à Casilino veteranos exciuit pater-
C nos: quorum exemplum secuti alij, breui in formam iusti coière exercitus. mox, cum Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis prouincijs Brundusium venire iusserat, legio Martia, & Quarta, cognita & senatus voluntate, & tanti iuuenis indole, sublatis signis, ad Cæsarem se cõtulerũt. Eum senatus, honoratum equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita ætatem eius scriptura indicat, (qui honor nõ alij, per CCC. annos, quàm L. Sullæ, & Cn. Pompeio, & C. Cæsari con-
D tigerat.) proprætorem vnà cum consulibus designatis Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere iussit. Id ab eo, annum agente vicesimum, fortissimè circa Mutinam administratum est: & D. Brutus obsidione liberatus: Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam. Consulũ autẽ alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obijt. Omnia antè, quàm fugaretur Antonius, honorificè à senatu in Cæsarem, exercitumque eius decreta sunt, maximè auctore Cice-
E rone: sed, vt recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus redijt animus. Bruto, Cassioque prouinciæ, quas iam ipsi sine vllo S. C. occupauerant, decretæ, laudati, quicumque his se exercitus tradidissent, omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. quippe M. Brutus, & C. Cassius, nunc metuentes arma Antonij, nunc, ad augendum eius inuidiam, simulantes se metuere, testati edictis, libenter se vel in perpetuo exsilio victuros, dũ resp. constaret concordiâ, nec
F vllam belli ciuilis præbituros materiam, plurimum sibi honoris esse in consciẽtia facti sui, profecti vrbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate publica, prouincias, exercitusque occupauerãt: &, vbicumque ipsi essent, prætexentes esse remp. pecunias etiam, quæ ex transmarinis prouincijs Romam ab quæstoribus deportabantur, à volentibus acceperant: quæ omnia senatus decretis comprehensa, & comprobata sunt. Et D. Bruto, quòd alieno beneficio viueret, decre-
G tus triumphus: Pansæ, atque Hirtij corpora publica sepultura honorata: Cæsaris adeo nulla habita mentio, vt legati, qui ad exercitum eius missi erant, iuberentur, summoto eo, milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quàm fuerat senatus. nam, cum eam iniuriam dissimulãdo Cæsar ferret, negauere milites, sine imperatore sub vlla se audituros mandata. Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarũ partium,

Cæſarem laudandum,& tollendum cenſebat:cùm aliud diceret,aliud intelligi vellet. A Interim Antonius,fuga tranſgreſſus Alpes, primò per colloquia repulſus à M.Lepido, qui Pontifex maximus in C.Cæſaris locum furto creatus,decreta ſibi Hiſpania,adhuc in Gallia morabatur: mox ſæpius in conſpectum veniens militum, cùm & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat ſobrius, per auerſa caſtrorum B proruto vallo militibus receptus eſt: qui titulo imperij cedebat Lepido, cùm ſumma virium penes eum foret. Sub Antonij ingreſſum in caſtra Iuuentius Laterenſis, vir vita ac morte conſentaneus, cùm acerrimè ſuaſiſſet Lepido, ne ſe cum Antonio,hoſte iudicato,iungeret, irritus conſilij, gladio ſeipſe transfixit. Plancus deinde:dubia,id eſt ſua fide,diu,quarum eſſet partium, ſecum luctatus,ac ſibi difficilè conſentiens, & nunc adiutor D.Bruti, deſignati conſulis collegæ ſui, ſenatuíque ſe literis venditans,mox eiuſdem proditor; Aſinius item Pollio, firmus propoſito, & Iulianis C partibus fidus,Pompeianis aduerſus: vterque exercitus tradidère Antonio. D. Brutus, deſertus primò à Planco, poſt etiam inſidiis eiuſdem petitus,paulatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hoſpitis cuiuſdam,nobilis viri,nomine Cameli, domo ab iis,quos miſerat Antonius iugulatus eſt: iuſtiſſimáſque optimè de ſe merito viro C.Cæſari pœnas dedit:cuius cùm primus omnium amicorum fuiſſet, interfector fuit, & fortunæ ex quâ fructum tulerat, inuidiam in auctorem relegabat D cenſebátque æquum,quæ acceperat à Cæſare, retinere: Cæſarem, qui illa dederat,periſſe. Hæc ſunt tempora,quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonij memoriæ inuſſit notas, ſed hic fulgentiſſimo & cæleſtiore, ac tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium. Vtrique vindicta libertatis morte ſtetit, ſed tribuni ſanguine commiſſa proſcriptio. Ciceronis vel ſatiato Antonio pœna finita. Lepidus deinde à ſenatu hoſtis iudicatus eſt, vt antè fuerat Antonius. E Tum inter eum, Cæſarémque & Antonium, commercia epiſtolarum: & conditionum facta mentio, cùm Antonius & ſubinde Cæſarem admoneret, quàm inimicæ ipſi Pompeianæ partes forent: & in quod iam emerſiſſent faſtigium: & quanto Ciceronis ſtudio Brutus Caſſiúſque attollerentur:denunciarétque,ſe cum Bruto Caſſioque, qui iam decem & ſeptem legionum potentes erant, iuncturum vires ſuas, ſi Cæſar eius aſpernaretur concordiam;dicerétque plus Cæſarem F patris, quàm ſe amici vltioni debere. tum inita potentiæ ſocietas, & hortantibus, orantibuſque exercitibus, inter Antonium etiam, & Cæſarem facta affinitas,cum eſſet priuigna Antonij deſponſa Cæſari. conſulatumque iniit Cæſar pridie, quàm viginti annos impleret,X.Kalen.Octobres, cum collega Q. Pedio, poſt V.C. annis DCCIX. ante LXXII.quàm tu, M.Vinici, conſulatum inires.Vidit hic annus Ventidium, per quam vrbem G inter captiuos Picentum in triumpho ductus erat,in ea conſularem prætextam iungentem prætoriæ. Idem hic poſtea triumphauit. Furente deinde Antonio, ſimulque Lepido, quorum vterque, vt prædiximus, hoſtes iudicati erant, cum ambo mallent ſibi nunciari quid paſſi eſſent, quàm quid emeruiſſent, repugnante Cæſare, ſed fruſtrà aduerſus duos, inſtauratum Sullani exempli malum, proſcriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quàm quòd aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt:aut ab illo Cicero proſcriptus eſt: abſciſſaque ſcelere Antonij vox publica eſt, cum eius ſalutem nemo defendiſſet, qui per tot annos & publicam ciuitatis, & priuatam ciuium defenderat.Nihil tam egiſti,M.Antoni: (cogit enim excedere propoſiti formâ operis erumpens animo ac pectore indignatio) nihil inquam, egiſti,mercedem cæleſtiſſimi oris, & clariſſimi capitis abſciſſi numerando,auctoramentoque funebri ad conſeruatoris quondam reip.tantique cos. irritando necem. Rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſolicitam,& ætatem ſenilem,& vitam inferiorem te principe,quam ſub te III uiro mortem: famam verò gloriámque factorum atque dictorum, adeò non abſtuliſti,vt auxeris. Viuit,viuétque per omnium ſæculorum memoriam. Dumque hoc vel forte,vel prouidentia,vel vtrumque conſtitutum, rerum naturæ corpus, quod ille pænè ſolus Romanorum animo vidit, ingenio complexus eſt eloquêtia illuminauit,manebit incolume: comité æui ſui laudem Ciceronis trahet:omniſque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum exſecrabitur: citiuſque in mundo genus hominum,quàm. /. .cedet. Huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quiſquam ſatis dignè potuit,adeò nemo exprimere verbis poteſt.Id tam n notandum eſt,fuiſſe in proſcriptos vxorum fidem ſummam,libertorum mediam, ſeruorum aliquam,filiorum nullam. adeò difficilis eſt hominibus vtcumque conceptæ ſpei mora,Ne quid vlli ſanctum relinqueretur, vel in dotem inuitamétumque ſceleris, Antonius L. Cæſarem auunculum,Lepidus Paullum fratrem proſcripſerāt. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum vt frater eius Plancus Plotius proſcriberetur. Eoque inter iocos militares,qui currum Lepidi, Plancique ſecuti erant, inter exſecrationem ciuium vſurpabant hunc verſum: *De Germanis non de Gallis, duo triumphant conſules.* Suo præteritum loco referatur. neque enim perſona vmbram actæ rei capit. Dum in acie Pharſalicâ. Africaque de ſumma rerum Cæſar dimicat, M. Cœlius vir eloquio,animoque Curioni ſimillimus, ſed in vtroque perfectior, nec minus ingenioſè nequam, cum in modica quidem ſeruari poſſet, quippe peior illi res familiaris,quàm mens, erat, in prætura nouarum tabularum auctor exſtitit: nequítque ſenatus,& auctoritate coſſ.deterreri, accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu, Iulianis partibus infeſtus erat, in vrbe ſeditionem magis, occultè autem bellicum tumultum mouens, primò ſummotus à repub. mox, conſularibus armis auctore ſenatu,circa Thurios oppreſſus eſt. Incepto pari,ſimilis fortuna Milonis fuit? qui, Compſam in Hirpinis oppugnans, ictuſque lapide, tum P. Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit, vir inquies,& vltra ſortem temerarius. Quatenus autem aliquid ex omiſſis peto, notetur immodica & intempeſtiua libertate vſos aduerſus C.Cæſarem,Marullum Epidium, Flauumque Cæſetium, trib. pl. dum arguunt in eo regni voluntatem,penè vim dominationis expertos. In hoc tamen ſæpe laceſſiti principis ira exceſſit, vt cenſoria potius contentus nota, quàm animaduerſione dictatoria,ſummoueret eos à repub. teſtaretúrque,eſſe ſibi miſerrimum, quòd aut natura ſua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas.Sed ad ordinem reuertendum eſt.Iam & Dolabella

bella in Asiâ C. Trebonium consularem, cui succedebat, fraude deceptum, Smyrnæ occiderat, virum aduersus merita Cæsaris ingratissimum, participémque cædis eius, à quo ipse in consulare prouectus fastigium fuerat: & C. Cassius, acceptis à Staio Murco, & Crispo Marcio, prætoriis viris, imperatorib', qui prævalidis in Syriâ legionibus, inclusum Dolabellâ, qui, præoccupata Asiâ, in Syriâ peruenerat, Laodicea expugnata interfecerat ita tamen, vt ad ictum serui sui Dolabella non segniter ceruicem daret; & decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat, & M. Brutus C. Antonio, fratri M. Antonij in Macedonia, Vatinióque circa Dyrrhachium volentes legiones extorserat: sed Antonium bello lacessierat: Vatiniũ dignatione obruerat: cùm & Brutus cuilibet ducum præferendus videretur; & Vatinius nulli nomini nõ esset postferendus. in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, adeò, vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur, eratque septem legionibus validus. Et lege Pedia, quam consul Pedius, collega Cæsaris, tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis senatorij, Agrippæ subscripsit in C. Cassium.

Dúmque ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat; Brutus Lycios deuicerat; & inde in Macedoniam exercitus transiecerant: cùm per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturiùs destituerit, quàm Brutum & Cassium. Tum Cæsar & Antonius transiecerunt exercitus in Macedoniam; & apud vrbem Philippos cum M. Bruto Cassióque acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus præerat, impulsis hostibus castra Cæsaris cepit. nam ipse Cæsar, etiam si infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifestè denuntiatione quietis territo. Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum, ac malè mulctatum, in altiora se receperat loca. Tum Cassius, ex sua fortunâ euentum collegæ æstimans, cùm dimisisset euocatum, iussissetque nunciare sibi, quæ esset multitudo ac vis hominum, quæ ad se tenderet, tardiùs eo nunciante, cùm in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque puluere facies, aut signa denotari possent; existimans hostes esse, qui irruerent, lacerna caput circundedit, extentámque ceruicem interritus liberto præbuit. Deciderat Cassii caput, cum euocatus aduenit, nuncians Brutum esse victorem. qui, cùm imperatorem prostratum videret; Sequar, inquit, eum, quem mea occidit tarditas, & ita in gladium occubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cùm hostibus, & victus acie, cum in tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetrauit à Stratone Aegeate, familiari suo, vt manum morituro commodaret sibi; reiectoque læuo super caput brachio, cum mucronem gladij eius dexterâ tenens, sinistræ admouisset mammillæ, ad eum ipsum locum, qua cor emicat, impellens se in vulnus, vno ictu transfixus, exspirauit. Protinus Messalla, fulgentissimus iuuenis, proximus in illis castris Bruti, Cassiique auctoritati, cum essent, qui eum ducem poscerent, seruari beneficio Cæsaris maluit,

A quàm dubiam spem armorum tentare amplius: Nec aut Cæsari quidquam ex victoriis suis fuit lætius, quàm seruasse Coruinum; aut maius exemplum hominis grati ac pij, quàm Coruinus in Cæsarem fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum, Hortensiumque eminentissimorum ciuium filios fortuna abstulit; nam Varro ad ludibrium morituri Antonij,
B digna illo, ac vera de exitu eius magna cum libertate ominatus est. Drusus Liuius, Iuliæ Augustæ pater, & Varus Quinctilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit: Varus autem liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, iugulatus est. Hunc exitum M. Bruti partium septimum & trigesimum annum agentis fortuna esse voluit, corrupto animo eius in diem, quem illi omnes virtutes vnius temeritate facti abstulit.
C Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus. è quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. in altero maior vis, in altero virtus. Qui si vicissent, quantum reip. interfuit, Cæsarem potius habere quàm Antonium principem, tantum retulisset habere Brutũ, quàm Cassium. Cn. Domitius, pater L. Domitij nuper à nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis viri, auus huius Cn. Domitij clarissimi iuuenis, occupatus nauibus, cum magno sequẽtium
D consilia sua comitatu fugæ fortunæque se commisit, semetipso contentus duce partium. Staius Murcus, qui classi & custodiæ maris præfuerat, cum omni commissa sibi parte exercituum nauiumque Sex. Pompeium, Cn. Magni filium, qui ex Hispania reuertens, Siciliam armis occupauerat, petiit. ad quem & è Brutianis castris, & ex Italia, aliisque terrarum partibus, quos præsenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebãt. quippe nullum habentibus statum, quilibet dux erat idoneus, cum fortuna non electionem daret,
E sed perfugium ostenderet, exitialémque tempestatem fugientibus statio pro portu foret. Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, seruorumque seruus, speciosis inuidens, vt pareret humillimis: quem senatus, penè totus adhuc è Pompeianis constans partibus, post Antonij à Mutina fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas prouincias decreuerat,
F reuocatum ex Hispania, vbi aduersus cũ clarissimũ bellum Pollio Asinius prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum, vt prædiximus, occupata Sicilia, seruitia, fugitiuosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat, pérque Menam & Menecratem, paternos libertos, præfectos classium, latrociniis ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumq. tuendum rapto vte-
G batur, cum eum non puderet vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius trãsmarinas obiturus prouincias substitit, Cæsar in Italiam se recepit, eamque longè, quàm sperauerat, tumultuosiorem reperit. quippe L. Antonius consul, vitiorum fratris sui cõsors, sed virtutum, quæ interdum in illo erant, expers, modò apud veteranos criminatus Cæsarem, modò eos, qui iussi diuisione prædiorum, nominatisque co-

lonis, agros amiserant, ad arma conciens, magnum A exercitum conflauerat. Ex altera parte vxor Antonij Fuluia, nihil muliebre, præter corpus, gerens, omnia armis, tumultúque miscebat. Hæc belli sedem Præneste ceperat: Antonius, pulsus vndique viribus Cæsaris, Perusiam se contulerat; Plancus, Antonianarum adiutor partium, spem magis ostenderat auxilij, quàm opem ferebat Antonio. Vsus Cæsar virtute & fortunâ suâ, Perusiam ex- B pugnauit, Antonium inuiolatum dimisit. in Perusinos magis ira militum, quàm voluntate sæuitum ducis. vrbs incensa, cuius initium incendij princeps eius loci fecit Macedonicus, qui, subiecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit. Per eadem tempora exarserat in Campaniâ bellum, quod, professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tib. Claudius Nero, prætorius, & pontifex, Tib. Cæsaris pater, magni vir animi, doctissimique ingenij. id quoque aduentu Cæsaris sepultum atque discussum est. Quis Fortunæ mutationes, quis C dubios rerum humanarũ casus satis mirari queat? quis non diuersa præsentibus, contrariáque expectatis aut speret, aut timeat? Liuia, nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere probitate, forma, Romanarum eminentissima, quam postea coniugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, cuius bimum hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani imperij, futurumque eiusdem Cæsaris filium, gestans sinu, D per auia itinerum vitatis militum gladiis vno comitante, quo facilius occultaretur fuga, peruenit ad mare, & cum viro Nerone peruecta in Siciliam est. Quòd alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo auum meum. quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos CCCLX. iud. loco à Cn. Pompeio lectus eiusdem, Marcíque Bruti, ac Tironis præfectus fabrum, vir nulli secundus in Campania, digressu Neronis à Neapoli (cuius ob singularem, cum eo amicitiam partium adiutor E fuerat) grauis iam ætate & corpore, comes esse non posset, gladio se ipse transfixit. Inuiolatam excedere Italia Cæsar passus Fuluiam, Plancumque muliebris fugæ comitem. nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonij Venetia, magnis, speciosisque rebus circa Altinum, aliásque eius regionis vrbes editis, Antonium petés, vagum adhuc Domitium quem digressum è Brutianis castris post cædem eius prædiximus: & propriæ classis factum ducem, consi- F liis suis illectum, ac fide data, iunxit Antonio. Quo facto quisquis æquùm se præstiterit, sciat non minus à Pollione in Antonium, quàm ab Antonio in Pollionem esse collatum. Aduentus deinde in Italiam Antonij, præparatusque contra eum Cæsaris, habuit belli metum: sed pax circa Brundisium composita. Per quæ tempora Rufi Saluidieni scelesta consilia patefacta sunt. qui, natus obscurissimis initiis, parum habebat summam G accepisse, & proximus à Cn. Pompeio, ipsóque à Cæsare ex equestri ordine consul creatus esse, nisi adscendisset, quo infra se & Cæsarem videret, & rempublicam. Tum, expostulante consensu populi, quem grauis vrebat infesto mari annona, cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita: qui haud absurdè cùm in naui Cæsarémque & Antonium cœna exciperet, dixit: In carinis suis se cœnam dare. referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit, Siciliam Achaiámque Pompeio concedere: in quo tamé animus inquies manere non potuit: id vnum tantummodo salutare aduentu suo patriæ attulit, quòd omnibus proscriptis, aliisque, qui ad eum ex diuersis causis fugerant, reditum salutémque pactus est. quæ res & alios clarissimos viros, & Neronem Claudium, & M. Silanum, Sentiumque Saturninum, & Aruntium Actium restituit reip. Staium autem Murcum, qui, aduentu suo classisque celeberrimæ, vires eius duplicauerat, insimulatum, falsis criminationibus, (quia talem virum collegam officij Mena & Menecrates fastidierant) Pompeius in Sicilia interfecerat. Hoc tractu temporum Octauiam, sororem Cæsaris, M. Antonius duxit vxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas prouincias: quas magnis momentis Labienus, ex Brutianis castris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonij, concusserat: qui, virtute & ductu Ventidij vnà cum Parthorum copiis, celeberrimoque iuuenum Pacoro regis filio, exstinctus est. Interim Cæsar per hæc tempora, ne, res disciplinæ inimicissima, otium corrumperet militem, crebris in Illyrico, Dalmatiáque expeditionibus, patientia periculorum, bellíque experientia durabat exercitum. Eadem tempestate Caluinus Domitius, cùm ex consulatu obtineret Hispaniam, grauissimi cóparandíque antiquis exempli auctor fuit: quippe primipili centurionem, nomine Vibillium, ob turpem ex acie fugam, fuste percussit. Crescente in dies & classe & fama Pompeij, Cæsar molem belli eius suscipere statuit. Ædificandis nauibus, contrahendoque militi ac remigi, naualibusque adsuescendo certaminibus atque exercitationibus, præfectus est M. Agrippa, virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo inuictus, parendíque, sed vni, scientissimus, aliis sanè imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, consultísque facta coniungens. Hic, in Auerno ac Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, quotidianis exercitationibus militem remigémque ad summam & militaris & maritimæ rei perduxit scientiam. Hac classe Cæsar, cùm priùs, despondente ei Nerone, cui antè nupta fuerat, Liuiam, auspicatis reipub. ominibus, duxisset eam vxorem, Pompeio Siciliæque bellum intulit. Sed virum, humanâ ope inuictum, grauiter eo tempore fortuna concussit. quippe longè maiorem partem classis, circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi, lacerauit ac distulit. Ea patrando bello mora fuit, quod posteà dubiâ, & interdum ancipiti fortuna gestum est. nam & classis eodem loco vexata est tempestate: &, vt nauali primo prælio apud Mylas, ductu Agrippæ, pugnatum prosperè; ita inopinato classis aduentu, grauis sub ipsius Cæsaris oculis circa Tauromenium accepta clades: neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quæ cum Cornificio erant, legato Cæsaris, expositæ in terra, pænè à Pompeio oppressæ sunt. Sed ancipitis fortuna temporis, matura virtute correcta. Explicatis quippe vtriusque partis classibus, penè omnibus exsutus nauibus, Pompeius Asiam fuga petiuit. iussúque M. Antonij, cuius opem petierat, dum inter ducem, & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, à Titio iugulatus est: cui in tantum durauit, hoc facinore contractum odium, vt

mox

mox, ludos in theatro Pompeij faciens, exsecratione populi, spectaculo, quod præbebat, pelleretur. Acciuerat gerens contra Pompeium bellum ex Africa Cæsar Lepidum cum XII. semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque vllâ virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exercitum Pompeij, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Cæsaris authoritatem ac fidem, sibi iunxerat: inflatúsque amplius XX. legionum numero, in id furoris processerat, vt inutilis in alienâ victoriâ comes, quam diu moratus erat, B dissidendo in consiliis Cæsaris, & semper diuersa iis, quæ aliis placebant, dicendo totam victoriam vt suam interpretaretur, audebátque denunciare Cæsari, excederet Siciliâ. Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum, quidquam ausum patratumque fortius, quàm tunc à Cæsare. Quippe cùm inermis & lacernatus esset, præter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, euitatis, quæ iussu hominis prauissimi tela in eum iacta erant, cùm lacerna eius perforata esset C lancea, Aquilam legionis rapere ausus est. Scires, quid interesset inter duces. Armati inermem secuti sunt, decimoque anno, quàm ad dissimillimam vitæ suæ potentiam peruenerat Lepidus, & à militibus, & à fortunâ desertus, pulloque velatus amiculo, inter vltimam confluentium ad Cæsarem turbam latés, genibus eius aduolutus est. Vita, rerumque suarum dominium concessa ei sunt, spoliata quã tueri non poterat dignitas. Subita deinde exercitus seditio, (qui plerúque cõ éplatus fre- D quétiâ suam, à disciplina desciscit: &, quod cogere se putat posse, rogare non sustinet,) partim seueritate, partim liberalitate discussa principis. Speciosumque per id tépus adiectũ supplementũ Campanæ coloniæ, eius reditus erant publici, pro his longè vberiores reditus duodecies HS. in Creta insula redditi, & aqua promissa, quæ hodiéque singulare & salubritatis instar, & amœnitatis ornamentum est. Insigne coronæ classicæ, quo nemo vnquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor de- E inde Cæsar reuersus in Vrbé, contractas emptionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se vsibus destinare professus est: Templumque Apollini, & circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est. Qua æstate Cæsar tam prosperè Lepidũ in Siciliã... bene fortuna in Cæsare, & rep. militauit ad Orientem, quippe Antonius cum XIII. legionibus egressus Armeniam, ac F deinde Mediam, & per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obuium. primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis, tormentisque, & Statiano legato amisit, mox sæpius ipse, cũ sũmo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula, quibus seruari se posse desperauerat: amissaque non minus quarta parte militum, captiui cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide est seruatus, qui clade Crassiani exercitus captus, cùm fortunam, non animum mutasset, accessit nocte G ad stationem Romanam, prædixitque ne destinatum iter peterent, sed diuerso siluestrique peruaderent. Hoc M. Antonio acto, illis legionibus salutí fuit: de quibus tamen, totoque exercitu haud minus pars quarta, vt prædiximus, militum, calonũ seruitiique desiderata est tertia est, impedimentorũ vix vlla superfuit. Hanc tamen Antonius

fugã suam, quia viuus exierat, Victoriam vocabat. Qui, tertia æstate reuersus in Armeniam, regem eius Artauasd m fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit. Crescente deinde & amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ semper facultatibus, licentiáque, & assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit: cùm anté, Nouum se Liberum Patrem appellari iussisset, cùm, redimitus hederis, coronáque velatus aureâ, & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriæ. Inter hunc apparatum belli, Plancus non iudicio recta legendi, neque amore reip. aut Cæsaris, (quippe hæc semper impugnabat, sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator reginæ, & infra seruos cliens, cum Antonij librarius, cum obscœnissimarum rerum & auctor, & minister, cum in omnia, & in omnibus venalis, cum cæruleatus & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens genibus innixus, Glaucum saltasset, in conuiuio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem, & idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur, dictitans id probatum à Cæsare, cui ille ignouerat. Mox autem hunc mox auunculum Titius imitatus est. Haud absurdè Coponius, vir prætorius, grauissimus pater, P. Silij socer, cum recens transfuga, multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu obiiceret: *Multa*, inquit, *mehercules fecit Antonius, pridie quàm tu illum relinqueres*. Cæsare deinde, & Messala Coruino coss. debellatũ apud Actiũ: vbi longè antè quàm dimicaretur, exploratissima Iulianarũ partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles, atque imperator, illam arcebant omnia. hinc reges firmissimi, illinc inopia affectissimi. nauium hinc magnitudo modica, sed ex celerior aduersa illa specie terribilior. hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui transfugiebant. Denique, in ore atque oculis Antonianæ classis, per M. Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata, bis ante vltimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas meliora & vtiliora secutus: nam de illis exemplis vitæ natura Dollabella ad Cæsarem, virque clarissimus, Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, numquam reginam, nisi nomine, salutauit, maximo & præcipiti periculo, transmisit ad Cæsarem. Aduênit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar Antoniusque, productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicauêre. Dextrum nauium Iulianaru m cornu M. Lario commissum, læuum Aruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar ei parti destinatus, in quam à fortuna vocaretur, vbique aderat. classis Antonij regimen Publicolæ, Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonij regebat Canidius. Vbi initum certamen est, omnia in altera parte fuêre, dux, remiges, milites, in altera nihil, præter milites. prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis Reginæ, quàm pugnantis militis sui, comes esse maluit: & imperator, qui in desertores sæuire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis, etiam detractó capite, in longum fortissimè pugnandi durauit constantia: & desperata victoria, in mortem dimicabatur. Cæsar,

quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque & ostendes, fugisse Antoniũ, quærebat pro & cũ quo pugnarent. Ad illi, cum diu pro absente dimicassent duce, ægrè summissis armis, cessere victoriam, citiusq; ve vitam veniám que Cæsar promisit, q: àm illis, vt ea precarentur, p rsuasum est: fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. vt dubites, suone, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat, qui ad eius arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terrã fecit exercitus, cum se Canidius, præcipiti fugâ, rapuisset ad Antonium. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo in quem statum peruenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis e primere audeat? Victoria verò fuit clementissima, nec quisquam interemtus, nisi paucissimi, & ij, qui deprecari quidẽ pro se non sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quẽ aut initio triumuiratus sui, aut in campis Philippicis, si sic licuisset, victoriæ suæ facturus fuerit triumphum. ad solium alarunt, in prisca grauitate celeberrimi fides, mox diu clemẽtiã luctatus suã Cæsar, seruauit incolumem. Non prætereatur Asinij Pollionis factum & dictum memorabile. namque, cum se post Brundusinam pacem continuisset, in Italiã, neque aut vidisset vmquam r ginam, aut post eneruatum armore eius Antonij animum, partibus eius se miscuisset, rogante Cæsare, vt secum ad bellum proficisceretur Actiacum, *Mea*, inquit, *in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimine vestro me subtraham, & ero præda victoris.* Proximo deinde anno, persecutus reginam Antoniúmque Alexandriam, vltimam bellis ciuilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit, adeò vt multa desidiæ crimina morte redimeret. At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide, morsu sanè eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit. Fuitque & fortunâ; & clementiâ Cæsaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eũ arma tulerãt, ab eo iussúve eius interemptus. D. Brutum Antonij interemit crudelitas. Sex. Pompeium, ab eodem victum, idem Antonius, cum dignitatis quoque seruandæ dedisset fidem, etiam spiritu priuauit. Brutus & Cassius antè, quàm victorum experirentur animum, voluntariâ morte obierunt. Antonij Cleopatręq; quis fuisset exitus, narrauimus. Canidius timidius decessit, quàm professioni eius, quâ sem per vsus erat, congruebat. Vltimus autem ex interfectoribus Cæsaris, Parmensis Cassius, morte pœnas dedit, vt dederat Trebonius. Dum vltimam bello Actiaco Alexandrinoque Cæsar imponit manum, M. Lepidus, iuuenis formâ, quàm mente melior, Lepidi eius, qui IIIuir fuerat reip. constituendæ filius, Iuniâ Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Vrbem reuertisset, Cæsaris consilia inierat. Tunc Vrbis custodiis præpositus C. Mæcenas, equestris, & splendido genere natus, vir, vbi res vigiliam exigeret, sanè exsomnis, prouidens atque agendi sciens, simul verò aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pænè vltra feminam fluens, non minus Agrippâ Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit, angusto clauo pænè contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupiuit. hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem, præcipitis consilia iuuenis, & mira celeritate, nulláque

A cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane noui ac resurrecturi belli ciuilis restinxit initium. & ille quidem malè consultorum pœnas exsoluit. Æquetur prædictæ Calpurniæ Antistij, Seruilia Lepidi vxor, quæ viuo igni deuorato, prætmaturam mortem immortali nominis sui pensauit memoria. Cæsar autem, reuersus in Italiam, atque vrbem occursus, quo fauore omnium hominum, ætatium, ordinum exceptus sit: quæ magnificentia triumphorum eius, quæ fuerit munerum, ne in operis quidem iusti

B materiã, nedum huius tam recisi, dignè exprimi potest. Nihil deinde optare à diis homines, nihil dij hominibus præstare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in Vrbem, reip. populoq. Rom. terrarumqu orbi repræsentauerit. Finita vicesimo anno bella ciuilia, sepulta externa, reuocata pax, sopitus vbique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, imperiũ

C magistratuum ad pristinum redactum modum, tantummodò octo prætoribus allecti duo, prisca illa & antiqua reip. forma reuocata, rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, leges emendatæ vtiliter, latæ salubriter, senatus sine asperitate, nec sine seueritate lectus. Principes viri, triumphísque & amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam Vrbem illecti sunt. Consulatus tantummodò vsque ad vndecimum, quem conti-

D nuaret Cęsar, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari potuit. nam dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter retulit. Bella sub imperatore gesta, pacatúsque victoriis terrarum orbis, & tot extra Italiam, domíque opera, omne æui sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigans. Nos memores professionis, vniuersam imaginem principatus eius oculis animísque subiecimus. sepultis, vt prędiximus, bellis ciuilibus, coalescentibúsque reipub.

E membris, & coram altero, quæ tam longa armorum series lacerauerat: Dalmatia xx. & cc. rebellis, ad certam confessionem pacata est imperij. Alpes feris, multísque nationibus celebres, perdomitæ; Hispaniæ nunc ipsius præsentiâ, nunc Agrippæ, quem vsque in tertium consulatum, & mox collegium tribunitiæ potestatis, amicitia Principis euexerat, multò varioque Marte pacatæ. In quas prouincias cum initio, Scipione & Sẽpronio Longo coss. primo anno secundi Pu-

F nici, abhinc annos ccl. Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione, Africani patruo, per annos cc. in his multo mutuoque ita certatũ est sanguine, vt amissis P. R. imperatoribus exercitibusque, sæpe contumelia, etiam nonnumquam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim prouinciæ Scipiones consumserũt: illæ contumelioso xx. annorum bello sub duce Viriatho maiores nostros exercuerunt: illæ terrore Numãtini belli, populum Ro. concusserunt: in illis turpe

G Q. Pompeij fœdus turpiusque Mancini senatus cum ignominia dediti imperatoris, rescidit: illæ tot consulares, tot prætorios absumpsit duces, patrumq. ętate, in tantũ Sertorium armis extulit, vt per quinquenniũ diiudicari non potuerit. Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris, & vter populus alteri pariturus foret. Has igitur prouincias, tã diffusas, tam frequentes, tã feras, ad eã pacẽ abhinc annos fermè L. perduxit Cæsar Augustus, vt, quæ

vt, quæ maximis bellis numquam vacauerant, eæ
sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, ceterís-
que posteà etiam latrociniis vacarent. Dum paca-
tur Occidens, ab Oriente ac Rege Parthorum si-
gna Romana, quæ Crasso oppresso Orodes, quæ
Antonio pulso filius eius Phraates ceperant, Au-
gusto remissa sunt: quod cognomen illi viro Plá-
ci sententiâ, consensus vniuersi senatus populique
Ro. indidit. Erant tamen, qui hunc felicissimum
statum odissent. quippe L. Murena, & Fannius Cę-
pio, diuersis moribus, (nam Munera sine hoc fa-
cinore potuit videri bonus, Cæpio & ante hoc e-
rat pessimus (cùm inissent occidendi Cæsaris con-
silia, oppressi auctoritate publicâ, quod vi facere
voluerant, iure passi sunt. neque multo post Rufus
Egnatius, per omnia gladiatori quàm senatori
propior, collecto in ędilitate fauore populi, quem
exstinguendis priuatâ familiá incendiis in dies
auxerat, in tantum quidem, vt ei præturam conti-
nuaret, mox etiam consulatum petere ausus, cum
esset omni flagitiorum scelerúmque conscientiâ
mersus; nec melior illi res familiaris, quàm mens,
foret; aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsa-
rem statuit, vt quo saluo saluus esse non poterat,
eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habét,
vt publicâ quisque ruinâ malit occidere, quàm
suâ proteri, &, idem passurus, minus conspici. Ne-
que hic prioribus in occultando felicior fuit: ab-
ditusque carceri, cum consciis facinoris, mortem
dignissimam vitâ suâ obiit. Pręclarum excellentis
viri factum, C. Sentij Saturnini, circa ea tempora
consulis, ne fraudetur memoriâ. Aberat in ordi-
nandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circumfe-
rens terrarum orbi præsentiâ suâ pacis suæ bona:
tum Sentius forte & solus, & absente Cęsare cos.
cùm alia priscâ seueritate summâque constantiâ,
vetere consulum more ac seueritate gessisset, pro-
traxisset publicanorum fraudes, punisset auari-
tiam, regessisset in ærarium pecunias publicas,
tum in comitiis habendis pręcipuum egit consu-
lem. nam & quæsturam petentes, quos indignos
iudicauit, profiteri vetuit, &, cùm id facturos se
perseuerarent, consularem, si in campum descen-
dissent, vindictam minatus est. & Egnatium, flo-
rentem fauore publico, sperantémque, vt prætu-
ram ædilitati, ita consulatum præturæ se iunctu-
rum, profiteri vetuit, & cùm id non obtinuisset,
iurauit, etiam si factus esset consul suffragiis po-
puli, tamen se eum non renũciaturum. Quod ego
factum cuilibet veterum consulum gloriæ com-
parandum reor, nisi quòd naturaliter, audita vi-
sis laudamus libentius: & pręsentia, inuidiâ, præ-
terita, veneratione prosequimur, & his nos obrui,
illis instrui credimus. Ante triennium ferè, quàm
Egnatium scelus erumperet, circa Murenæ Cæ-
pionísque coniurationis tempus abhinc annos
L. M. Marcellus sororis Augusti (Octauiæ filius,
quem homines ita, si quid accidisset Cæsari,) suc-
cessorem potentiæ eius arbitrábantur futurum, vt
tamen id per M. Agrippam securè ei posse cõtin-
gere non existimarent, magnificentissimo mune-
re ędilitatis edito, decessit, admodum iuuenis,
sanè, vt aiunt, ingenuarum virtutum, lętúsque
animi & ingenij, fortunæque in quam alebatur
capax. Post cuius obitum Agrippa, qui sub
specie ministeriorum Principalium profectus in
Asiam, vt fama loquitur, ob tacitas cum Marcello
offensiones, præsenti se subduxerat tempori, re-
uersus inde, filiam Cæsaris Iuliam, quam in matri-

A monio Marcellus habuerat, duxit vxorem, femi-
nam neque sibi, neque reip. felicis vteri. Hoc tra-
ctu temporum, Tib. Claudius Nero, quo primo,
vt prædiximus, Liuia Drusi Claudiani filia, de-
spondente Nerone, cui antè nupta fuerat, Cæsari
nupserat, innutritus cælestium præceptorum dis-
ciplinis, iuuenis, genere, forma, celsitudine corpo-
ris, optimis studiis, maximoque ingenio instru-
ctissimus, qui protinus quantus est, sperari potue-
B rat, visúsque prætulerit principem, Quęstor, vnde-
uicesimum annum agens, capessere cœpit remp.
maximámque difficultatem annonæ, ac rei fru-
mentariæ inopiam, ita Ostiæ, atque in vrbe, man-
dato vitrici, moderatus est, vt per id, quod agebat,
quantus euasurus esset, eluceret. Nec multo pòst
missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visen-
das ordinandásque, quæ sub Oriente sunt, prouin-
cias, præcipuis omnium virtutum experimen-
tis in eo tractu editis, cum legionibus ingres-
C sus Armeniam, redactâ ea in potestatem P. R. re-
gnum eius Attauasdi tradidit. cuius rex quoque
Parthorum tanti nominis fama territus, liberos
suos ad Cæsarem misit obsides. Reuersum inde
Neronem, Cæsar haud mediocris belli molem ex-
periri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius
Druso Claudio, quem intra Cęsaris penates enixa
erat Liuia. quippe vterque, diuisis partibus, Rhæ-
tos Vindelicósque aggressi, multis vrbium & ca-
stellorum oppugnationibus, necnon directa quo-
D que acie feliciter functi, gentes, locis tutissi-
mas, aditu difficillimas, numero frequentes, feri-
tate truces, maiore cum periculo, quàm damno
Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine
perdomuerunt. Ante quę tempora censura Planci
& Paulli acta inter discordiam, neque ipsi honori,
neque reip. vsui fuit: cùm alteri vis censoris, alteri
vita deesset: Paullus vix posset implere censorem,
Plancus timere deberet, ne quidquam obiicere
posset adolescentibus, aut obiiciẽtes audire, quod
non agnosceret senex. Mors deinde Agrippæ (qui
E nouitaté suam multis rebus nobilitauerat, atque
in hoc perduxerat, vt & Neronis esset socer, cu-
iusque liberos, nepotes suos, D. Augustus, prepo-
sitis Caij ac Lucij nominibus, adoptauerat) admo-
uit propius Neronem Cæsari quippe filia eius Iu-
lia, quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupsit.
Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum
Agrippa Marcóque Vinicio, auo tuo, cos. ma-
gnum, atróxque, & perquam vicinum imminebat
Italiæ, per Neronem gestum est. Gentes Panno-
F niorum, Dalmatarumque nationes, situmque re-
gionum ac fluminum, numerumque & modum
virium, excelsissimásque & multiplices eo bello
victorias tanti imperatoris, alio loco explicabi-
mus. Hoc opus seruet formam suam. Huius victo-
riæ compos Nero, ouans triumphauit. Sed, dum
in hac parte imperij omnia geruntur prosperri-
mè, accepta in Germania clades sub legato M. Lol-
lio, homine in omnia pecuniæ, quàm rectè faciẽ-
G di, cupidiore, & inter summam vitiorum dissimu-
lationem vitiosissimo, amissaque legionis quintæ
Aquila vocabit ab Vrbe in Gallias Cæsarem. Cu-
ra deinde, atque onus Germanici belli delegata
Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot
tantarumque virtutum, quod & quantas natura
mortalis recipit, vel industria percipit: cuius in-
genium vtrum bellicis magis operibus, an ciuili-
bus sufficerit artibus, in incerto est. Morum certè
dulcedo ac par sui æstimatio inimitabilis fuisse

dicitur. nam pulchritudo corporis, proxima fraternæ fuit. Sed illum, magnâ ex parte domitorem Germaniæ, plurimo eius gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit. Moles deinde eius belli translata in Neronem est, quod is suâ & virtute, & fortunâ administrauit, peragratusque victor omnes partes Germaniæ, sine vllo detrimento commissi exercitus, quod præcipuè huic duci semper curæ fuit; sic perdomuit eam, vt in formam pænè stipendiariæ redigeret prouinciæ. Tum alter triumphus cum altero consulatu, ei oblatus est. Dum ea, quæ prædiximus, in Pannonia, Germaniáque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gẽtis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodiéque diligentissimum, atque eundem lenissimum securitatis vrbanæ custodem habemus, virtus compressit. Quippe, legatus Cæsaris, triennio cum his bellauit, gentesque ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum, eiusque patratione, Asiæ securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate mixtissimos, & vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, & magis, quæ agenda sunt, curet sine vlla ostentatione agendi. Breui interiecto spatio, Tib. Nero, duobus consulatibus, totidemque triũphis actis, tribunitiæ potestatis consortione æquatus Augusto, ciuium, post vnum, (& hoc, quia volebat) eminentissimus, ducũ maximus, fama fortunaque celeberrimus, & verè alterum reip. lumen & caput, mira quadam & incredibili atque inenarrabili pietate, (cuius caussæ mox detectę sunt) cum C. Cæsar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viris, ne fulgor suus oriẽtium iuuenum obstaret initiis, dissimulata caussa consilij sui, commeatum à socero, atque eodem vitrico, acquiescendi à continuatione laborum, petiit. Quis fuerit eo tempore ciuitatis habitus, qui singulorum animi, quæ digredientium à tanto viro omnium lacrymæ, quam pænè ei patria manum iniecerit, iusto seruemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septẽ annos Rhodi moratum, vt omnes, qui pro coss. legatíque, in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gratia, ad quem conuenientes, semper priuatos illa maiestas priuata nunquam fuit, fasces suos summiserint: fassique sint otium eius honoratius imperio suo. Sensit terrarũ orbis digressũ à custodia Neronẽ Vrbis. nã & Parthus, desciscẽs à societate Romana, adiecit Armeniæ manũ, & Germania, auersis domitoris sui oculis, rebellauit. At in vrbe, eo ipso anno, quo magnificẽtissimi gladiatorij muneris naumachięq; spectaculis, D. Augustus abhinc annos xxx. se, & Gallo Caninio coss. dedicato Martis tẽplo, animos oculosq; P.R. repleuerat, fœda dictu, memoriáq; horrẽda in ipsius domo tẽpestas erupit. Quippe filia eius Iulia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil, quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit: magnitudinemque fortunę suæ, peccandi licentia metiebatur: quidquid liberet, pro licito iudicans. Tum Iulus Antonius, singulare exemplum clementiæ Cæsaris, violator eius domus, ipse sceleris à se commissi vltor fuit: quem, victo eius patre, non tantum incolumitate

A donauerat, sed sacerdotio, prætura, consulatu, prouinciis, honoratum etiam matrimonio sororis suæ filiæ, in artissimam affinitatem receperat. Quinctiúsque Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens, & Appius Claudius, & Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis, vtriusque ordinis viri, quasi cuiuslibet vxore violata, pœnas pependère: cum Cæsaris filiam, & Neronis violassent coniugem, B Iulia relegata in insulam, patriæque & parentum subducta oculis. quam tamen comitata mater Scribonia, voluntarij exsilij permansit comes. Breue ab hoc intercesserat spacium, cum C. Cæsar, antè aliis prouinciis adsidendum obitis, in Syriam missus, conuento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem, vt superiori, habuit, tam variè si ibi gessit, vt nec laudaturum magna, nec vituperaturum, mediocris materia deficiat, cum rege Parthorum iuuene, excelsissimæ insulæ, C quàm amnis Euphates ambiebat, æquato vtriusque partis numero, coiit. Quod spectaculum stantis ex diuerso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cùm duo inter se eminentissima imperiorum, & hominum coirent capita, perquam clarum & memorabile, sub initia stipendiorum meorum, tribuno militum mihi visere contigit. quem militiæ gradum antè sub patre tuo, M. Vinici, & P. Silio auspicatus, in Thracia, Macedoniaque, mox Achaia, Asiaque, & omnibus ad Orientem versus prouinciis; & ore atque D vtroque maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, vrbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Quo tempore M. Lollij, quem veluti moderatorem iuuentæ filij sui Augustus esse voluerat, perfida, & plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata, Cæsaris ita euulgauit: cuius mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro. Sed, quàm E hunc decessisse lætari homines, tam paulo post obisse Censorinum in iisdem prouinciis, grauiter tulit ciuitas, virum demerendis hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prosperè gessit: mox in colloquio, (cui se temerè crediderat) circa Artageram grauiter à quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo vt corpus minus habile, ita animum minus vtilem reip. habere cœpit. Nec defuit conuersatio hominum, vitia eius assentatione alentium. ete- F nim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio: per quæ eò ductus erat, vt in vltimo ac remotissimo terrarum orbis angulo cõsenescere, quàm Romam regredi mallet. Diu reluctatus, inuitusque reuertens in Italiam, in vrbe Liciæ (Limyram nominant) morbo obiit: cum ante annum fermè quinquagesimum Cæsar, frater eius, Hispanias petens, Massiliæ decessisset. Sed fortuna, quæ subduxerat spem magni nominis, iam tum reip. sua præsidia reddiderat. quippe ante vtriusque G horum obitum, patre tuo P. Vinicio cos. Tib. Nero, reuersus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleuerat. Non est diu cũctatus Cæsar Augustus. neque enim quærendus erat, quem legeret: sed legẽdus, qui eminebat. Itaq; quod post Lucij mortem, adhuc Caio viuo, facere voluerat, eoque vehementer repugnãte Nerone erat inhibitus, post vtriusque adolescentium obitum facere perseuerauit. vt & tribunitiæ potestatis consortionem

Neroni

Neroni constitueret, militum quidem eo cum A domi, tum in senatu recusante, & cum Ælio Cato Sentio c o s. v. Kalend. I l. post V. C. annis DCCLIV. abhinc annis XXVII. adoptaret. Lætitiam illius diei, concursúmque ciuitatis & vota pænè inserentium cælo manus, spémque conceptæ perpetuæ securitatis æternitatísque Romani imperij, vix in illo iusto opere abundè persequi poterimus, nedum hîc implere tentemus. id vnum dixisse iuuat, quàm ille omnibus fuerit carus. B tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonij, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis: adeò vt nec plus sperari potuerit, nec spei responderi feliciùs. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem post mortem Agrippæ Iulia enixa erat. sed in Neronis adoptione illud adiectum his ipsis Cæsaris verbis: *Hoc, inquit, reip. caussa facio.* Non diu vindicem, custodémque imperij sui morata in Vrbe patria, protinus in Germaniam misit: C vbi ante triennium sub M. Vinicio, auo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. erat & ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eóque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum antè tribunatu castrorum, Tib. Cæsaris militem fecit. quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officij patris mei, cælestissimorum eius operum per annos continuos IIX. præfectus, aut legatus, spectator, &, pro captu mediocritatis meæ, adiutor fui. D Neque illi spectaculo, quo fructus sum, simile conditio mortalis recipere videtur mihi; cùm per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ prouinciarum, veterem imperatorem, & ante meritis ac viribus quàm nomine, Cæsarem reuisentes, sibi quisque, quàm illi, gratularentur pleniùs. At verò militum conspectu eius elicitæ gaudio lacrymæ alacritásque, & salutationis noua E quædam exsultatio, & contingendi manum cupiditas, non continentium protinus, quin adiicerent, *Videmus te, Imperator, saluum recepimus*; ac deinde, *Ego tecum, Imperator, in Armenia, ego in Rhætia fui: ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum*; neque verbis exprimi, & fortasse vix mereri fidem potest. Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuari, Bructeri, recepti Cherusci gentes, & amnis, mox nostrâ clade nobilis transitus Visurgis penetrato vlteriora: F cum omnem partem asperrimi & periculosissimi belli Cæsar vindicaret, in iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania fuerat, præfecisset; virum multiplicem in virtutibus, nauum, agilem, prouidum, militariúmque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem, vbi negotia fecissent locum otio, liberaliter lautéque eo abutentem; ita tamen, vt eum splendidum ac hilarem potius, quàm luxuriosum, aut desidem, diceres. de cu- G ius viri claro celebríque consulatu prædiximus. Anni eius æstiua, vsque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ. Pietas sua Cæsarem, pænè obstructis hieme Alpibus, in vrbem traxit, ad tutelam imperij: eum Veris initio reduxit in Germaniam, in cuius mediis finibus, ad caput Iuliæ fluminis, hiberna digrediens princeps locauerat. Pro dij boni, quanti voluminis opera insequenti æstate, sub duce Tiberio Cæsare gessimus! Perlustrata armis tota Germania est. Victæ gentes, penè nominibus incognitæ. Receptæ Cauchorum nationes. omnis eorum iuuentus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, vnà cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Denique, quod numquam anteà spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum miliarium, à Rheno vsque ad flumen Albim, qui Senonum Hermundorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus, & eodem mira felicitate & cura ducis, temporum quoque obseruantia, classis quæ Oceani circumnauigauerat sinus, ab inaudito atque incognito antè mari flumine Albi subuecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui cæsarique se iunxit. Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecumque est, inseram. cum citeriorem ripam prædicti fluminis castris occupassemus, & vlterior armata hostium iuuentute fulgeret, sub omnem motum nostrarum nauium protinus refugientium, vnus è barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cauatum, vt illis mos est, ex materia conscendit alueum, solúsque id nauigij genus temperans, ad medium processit fluminis, & petiit, liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre cæsarem. Data petenti facultas. Tum appulso lintre, & diu tacitus contemplatus, cæsarem, Nostra quidem, inquit, furit iuuentus, quæ cum vestrum numen absentium colat, præsentium potiùs arma metuit, quàm sequitur, fidem. Sed ego, beneficio ac permissu tuo, cæsar, quos antè audiebam, hodiè vidi deos: nec feliciorem vllum vitæ meæ aut optaui, aut sensi diem. impetratoque, vt manum contingeret, reuersus in nauiculam, sine fine respectans cæsarem, ripæ suorum appulsus est. Victor omnium gentium, locorumque, quos adierat, cæsar, cum incolumi inuiolatoque, & semel tantummodò, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit: eadem, qua priore anno, festinatione vrbem petens. Nihil erat iam in Germania, quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum: quæ Maroboduo duce, excita sedibus suis, atque in interiora refugiens, incinctos Herciniæ syluæ campos incolebat. Nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet. Maroboduus, genere nobilis, corpore præualens, animo ferox, natione magis, quàm ratione barbarus non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupauit principatum, sed certum imperium. vímque regiam complexus animo, statuit, auocata procul à Romanis gente sua, eò progredi: vbi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui fecit. corpus suum custoditum, imperium, perpetuis exercitiis, pænè ad Romanæ disciplinæ formam redactum, breui in eminens, & nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium: gerebátque se ita aduersus Romanos, vt neque bello nos lacesseret, & si lacesseretur, superesse sibi vim, ac volun-

tatem resistendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum vt supplicem commendabant, interdum vt pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque à nobis desciscentibus erat apud eum perfugium: totúmque ex malè dissimulato agebat æmulum: exercitúmque, quem LXX. millium peditum quatuor equitum, fecerat, assiduis aduersus finitimos bellis exercendo, maiori, quàm quod habebat, operi præparabat. Erátque etiam eo timendus, quod, cùm Germaniam ad læuam, & in fronte, Pannoniam ad dextram: à tergo sedium suarum haberet Noricos, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippe cùm à summis Alpium iugis, quæ finem Italiæ terminant, initium eius finium haud multo plus CC. millibus passuum abesset. Hunc virum, & hanc regionem proximo anno diuersis è partibus Tib. Cæsar aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, vt per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ siluis, legiones Boiohæmum (id regioni, quá incolebat Maroboduus, nomen est) ipse à Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico manebat, ducere in Marcomannos orsus est. Rumpit, interdū moratur proposita hominum, Fortuna. Præparauerat iam hiberna Cæsar ad Danubium, admotóque exercitu non plus, quàm v. dierum iter à primis hostium, Saturninum admoueri placuerat, penè æquali diuisæ interuallo ab hoste, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæsare iuncturæ erát: cùm vniuersa Pannonia insolens longè pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus eius gentibus in societatem adductis, ex constituto arma corripuit præposita: neque tutum visum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quæ rebellauerát, omnis numerus amplius DCCC. millibus explebat CC. ferè peditum colligebantur, armis habilia, equitum VIIII. cuius immensæ multitudinis, parētis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam decreuerat, iunctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio: pars in Macedoniam eruperat: pars suis sedibus præsidium esse destinauerat. Proxima duobus Baronibus, ac Pinneti ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non disciplinæ tantummodò, sed linguæ quoque notitia Romanæ: plerisque etiam literarum vsus, & familiaris animorum erat exercitatio. Itaque hercules, nulla vmquam natio tam maturè consilio belli bellum iunxit, ac decreta patrauit. oppressi ciues Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus, ad internecionem, ea in regione, quæ plurimum ab Imperatore aberat, cæsus. occupata armis Macedonia: omnia, & in omnibus locis, igni ferroque vastata: quia tantus etiam huius belli metus fuit: vt stabilem illum, & firmatum tantórum bellorum experiētia, Cæsaris Augusti animum quateret atque terreret. Habiti itaque delectus, reuocati vndique omnes veterani, viri feminæque ex censu libertinum coactę dare militem. Audita in senatu vox principis. Decimo die, ni caueretur, posse hostem in vrbis Romæ venire conspectum. Senatorum, equitumque Romanorum exactæ ad id bellum operę pollicitæ. Omnia hæc frustra præparassemus, nisi, qui illa regeret, fuisset. Itaque vt præsidium militum resp. ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium. Habuit in hoc quo-

A que bello mediocritas nostra speciosi ministri locum. Finita equestri militia, designatus quæstor, necdum senator æquatus senatoribus, & iam designatus tribunus pl. partem exercitus ab Vrbe, traditi ab Augusto, perduxi ad filium eius: in quæstura deinde, remissa sorte prouinciæ, legatus eiusdem ad eundem missus, quas nos primo anno acies hostium vidimus? quantis prudentia ducis, opportunitatibus, furentes eorum vires vniuersas euasimus artibus? quanto cum temperamento simul vtilitatis res auctoritate Imperato- B ris agi vidimus? qua prudentia hiberna disposita sunt? quāto opere, inclusus custodiis exercitus nostri, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum, & intra se furens, viribus hostis elanguesceret? Felix euentu forte cōnatu, prima æstate belli Messallini opus mandandum est memoriæ: qui vir, animo etiam, quàm gente, nobilior, dignissimus, qui & patrem Coruinum habuisset, & cognomen suum Cottæ fratri relinqueret, præposi- C tus Illyrico, subita rebellione cum semiplena legione vicesima, circumdatus hostili exercitu, amplius XX M. hostium fudit, fugauítque: & ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium: vt vbicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent. pars exercitus eorum proposita ipsi duci, & ad arbitrium vtilitatémque nostram macerata, perductáque ad exitiabilem famem, neque instantem sustinere, neque facientibus copiam pugnan- D di dirigentibusque aciem, ausa congredi, occupato monte Claudio, munitione se defendit. At ea pars, quæ obuiam se effuderat exercitui, quem A. Cæcina & Siluanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant prouinciis, circumfusa V. legionibus nostris, auxiliaribusque, & equitatu regio, (quippe magna Thracum manu iunctus prædictis ducibus Metales, Thraciæ rex, in adiutorium eius belli secum trahebat) penè exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata regiorum eque- E stris acies, fugatæ alæ, conuersæ cohortes sunt. apud signa quoque legionum trepidatum, sed Romana virtus militis plus eo tempore vindicatum gloriæ, quàm ducibus, reliquit: qui, multum amore imperatoris sui crepantes, antè in hostem inciderunt, quàm per exploratores, vbi hostis esset, cognoscerent. Iam igitur, in dubiis rebus semetipsæ legiones adhortatæ, iugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum, interempto præfecto castrorum, præfectisque cohortium, non incruen- F tis centurionibus, quibus etiam primi ordines cecidêre, inuasere hostes: nec sustinuisse contentu, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicauerunt.

Hoc ferè tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab auo suo naturali erat, & iam ante biennium, qualis esset, apparere cœperat, mira prauitate animi, atque ingenij in præcipitia conuersus, patris, atque eiusdem aui sui animum alienauit sibi: moxque, G crescentibus in dies vitiis, dignum furore suo habuit exitum. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Iuncti exercitibus, quique sub Cæsare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in vna castra decem legionibus, LXX. amplius cohortibus, XIV. sed pluribus, quàm decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio: tanto denique

denique exercitu, quantus nullo vmquam loco A
post bella fuerat ciuilia, omnes eo ipso læti erant,
maximámque fiduciam victoriæ in numero repo-
nebant. At imperator optimus eorum quæ age-
bat iudex, & vtilia speciosis præferens, quódque
semper eum facientem vidi, in omnibus bellis,
quæ probanda essent, non quæ vtique probaren-
tur, sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat
ad refouendas ex itinere eius vires, moratus: cum
eum maiorem, quàm vt temperari posset, neque B
habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit:
prosecutúsque longo, & perquàm laborioso iti-
nere, cuius difficultas narrari vix potest, vt neque
vniuersos quisquam audere aggredi, & partem
digredientium suorum quisque metu finium v-
niuersi tentare non posset, remisit eò, vnde vene-
rant. & ipse, asperrimæ hiemis initio regressus Sis-
ciam, legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præ-
fecit hibernis. O rem dictu non eminentem, sed
solida veráque virtute atque vtilitate maximam,
experientia suauissimam, humanitate singularem! C
Per omne belli Germanici Pannonicique tem-
pus, nemo è nobis, gradúmve nostrum aut præ-
cedentibus, aut sequentibus, imbecillus fuit, cu-
ius salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæ-
saris curâ, tanquam distractissimus ille tantorum
onerum mole, huic vni negotio vacaret animus.
Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum;
lectica eius publicata, cuius beneficium cùm alij,
tum ego sensi. Iam medici, iam apparatus cibi, iam
in hoc solum importatum instrumentum balinei, D
nullius non succurrit valetudini. Domus tantùm,
ac domestici deerant; cæterùm nihil, quod ab illis
præstari aut desiderari posset. Adiice iam illud,
quod quisquis illis temporibus interfuit, vt a-
lia, quæ retuli) agnoscet protinus. Solus sem-
per equo vectus est; solus cum iis, quos inuitauc-
rat, maiore parte æstiuarum expeditionum, cœna-
uit sedens; non sequentibus disciplinam, quate-
nus exemplo non nocebatur, ignouit: admonitio
frequens inerat, & castigatio, vindicta rarissima: E
agebátque medium plurima dissimulantis, aliqua
inhibentis. Hiems emolumentum patrati belli
contulit. sed insequenti æstate omnis Pannonia,
reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pa-
cem petiit. Ferocem illam tot millium iuuentu-
tem, paulò ante seruitutem minatam Italiæ, con-
ferentem arma, quibus vsa erat, apud flumen no-
mine Bathinum, prosternentemque se vniuersam
genibus imperatoris, Batonémque & Pinetem, ex-
celsissimos duces, captum alterum, alterum dedi- F
tum, iustis voluminibus ordine narrabimus, vt
spero. Autumno victor in hiberna reducitur exer-
citus, cuius omnibus copiis à Cæsare M. Lepidus
præfectus est, vir nominis ac fortunæ eorum pro-
ximus, quem in quantum quisque aut cognosce-
re, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac di-
ligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, or-
namentum indicat. Cæsar ad alteram belli Del-
matici molem animum atque arma contulit. in G
quà regione quali adiutore legatoque fratre meo,
Magio Celere Velleiano, vsus sit, ipsius patrísque
eius prædicatione testatum est, & amplissimorum
honorum, quibus triumphans eum Cæsar dona-
uit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus, educto
hibernis exercitu, per gentes integras, immunés-
que adhuc clade belli, & eò feroces ac truces ten-
dens ad Tiberium imperatorem, & cum difficul-
tate locorum, & cum vi hostium luctatus, magna

cum clade obsistentium, excisis agris, exustis ædi-
ficiis, cæsis viris, lætus victoriâ, prædaque onustus,
peruenit ad Cæsarem: & ob ea, quæ si propriis ges-
sisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis
triumphalibus, consentiente cum iudicio princi-
pum voluntate senatus, donatus est. Illa æstas ma-
ximi belli consummauit effectus. quippe Daorisi
& Desitiates Delmatæ, situ locorum ac montium,
ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scien-
tia & præcipuè angustiis saltuum pænè inexpu-
gnabiles, non iam ductu, sed manibus atque armis
ipsius Cæsaris tum demum pacati sunt, cum pæ-
nè funditus euersi forent. Nihil in hoc tanto bel-
lo, nihil in Germania aut videre maius, aut mira-
ri magis potui, quàm quod imperatori numquam
adeò vlla opportuna visa est victoriæ occasio,
quam damno amissi pensaret militis. sempérque
visum est gloriosum, quod esset tutissimum: & an-
tè conscientiæ, quàm famæ, consultum: nec vm-
quam consilia ducis iudicio exercitus, sed exerci-
tus prouidentia ducis rectus est. Magna in bel-
lo Delmatico experimenta virtutis, in multos
ac difficiles locos præmissus Germanicus dedit,
celebris etiam opera diligenti Qu. Iulius Postu-
mus, vir consularis, præpositus Delmatiæ, or-
namenta meruit triumphalia: quem honorem an-
te paucos annos Passienus & Cossus, viri qui-
busdam diuersis virtutibus celebres, in Africa
meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium e-
tiam in cognomen filij contulit, adolescentis in
omnium virtutum exempla geniti. At Postumi o-
perum L. Apronius particeps, illa quoque militia
eos, quos mox consecutus est, honores excellenti
virtute meruit. Vtinam non maioribus experi-
mentis testatum esset, quantum in omni re Fortu-
na posset: sed in hoc quoque genere abùndè agnos-
ci vis eius potest. nam & Seianus, vir antiquissimi
moris, & priscam grauitatem semper humanitate
temperans, in Germania Illyricoque, & mox in
Africa, splendidissimis functus ministeriis, non me-
rito, sed materia adipiscendi triumphalia, defe-
ctus est. Et A. Licinius Nerua Silianus, P. Silij fi-
lius, quem virum, ne qui intellexit quidem, abun-
dè mira ius est, ne nihil optimo ciui, simplicissimo
duci periisset, præreptus immaturè & fructu am-
plissimæ principis amicitiæ, & consummatione
euectæ in altissimum paternúmque fastigium i-
maginis, defectus est. Horum virorum mentioni
si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet.
neque enim iustus sine mendacio candor, apud
bonos crimini est. Tantum quòd vltimam impo-
suerat Pannonico ac Delmatico bello Cæsar ma-
num, cum intra quinque consummati tanti ope-
ris dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari,
trucidatarumque legionum trium, totidémque a-
larum, & sex cohortium, velut in hoc saltem tan-
tummodò indulgente nobis fortuna, ne occupato
duce.. & caussa persona moram exigit. Varus
Quinctilius, illustris magis quàm nobili ortus fa-
milia, vir ingenio mitis, moribus quietus, vt cor-
pore & animo immobilior, otio magis castrorum
quàm bellicæ assuetus militiæ, pecuniæ verò quá
non contemptor, Syria, cui præfuerat, declarauit,
quàm pauper diuitem ingressus, diues pauperem
reliquit: is cum exercitui, qui erat in Germania,
præesset, concepit esse homines, qui nihil præter
vocem membráque, haberent hominum; qui-
que gladiis domari non poterant, posse iure mul-
ceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniā,

velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iuris- A dictionibus, agendoque pro tribunali ordine, trahebat æstiua. At illi, quòd, nisi expertus, vix crederet, in summa feritate versutissimi, natúmque mendacio genus, simulantes fictas litium series, & nunc prouocantes alter alterum iniuriâ, nunc agentes gratias, quòd eas Romana iustitia finiret, feritásque sua, nouitate incognitæ disciplinæ, mitesceret, & solita armis discerni iure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium vsque eò, vt se prætorem vrbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum iuuenis, genere nobilis, manu fortis, sensu celer: vltra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri, principis gentis eius, filius, ardorem animi, vultu oculísque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes, & iam ciuitatis Romanæ ius equestrémque consecutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris vsus est; haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timeret; & frequentissimum initium esse calamitatis, Securitatem. Primò igitur paucos, mox plures in societatem consilij recipit: opprimi posse Romanos, & dicit & persuadet; decretis facta iungit: tempus insidiarum constituit. id Varo per virum eius gentis fidelem, clarique nominis Segestem indicatum: sed præualebant iam fata consiliis, omnémque animi eius aciem præstrinxerant. Quippe ita se res habet, vt plerumque, qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiátque, quod miserrimum est, vt, quod accidit, id etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Negat itaque se credere, spémque in se beneuolentiæ ex merita æstimare profitetur. Nec diutius, post primum indicẽ, secundo relictus locus. Ordinem atrocissimæ calamitatis, quâ nulla, post Crassi in Parthis damnũ, in externis gentibus grauior Romanis fuit, iustis voluminibus, vt alij, ita nos conabimur exponere. Nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiáque bellorum inter Romanos milites princeps, Marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunę circumuentus; cùm ne pugnandi quidem egregiè occasio, in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam graui pœna, quia Romanis & armis & animis vsi fuissent, inclusus siluis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidauerat, vt vitam aut mortem eius nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum, quàm ad pugnandum, animi fuit. quippe paterni auitique exempli successor, se ipse transfixit. At è præfectis castrorum duobus quàm clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Ceionius prodidit; qui, cùm longè maximam partem absumpsisset acies, auctor deditionis, supplicio, quàm prœlio, mori maluit. At Vola Numnius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est; quod factum eius Fortuna vlta est. non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostilis lacerauerat feritas, caput eius, abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, gentilitij tandem tumuli sepultura honoratum est. His auditis, reuolat ad patrem Cæsar, perpetuus patronus Romani Imperij, assuetam sibi caussam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit, se magnitudine sua, non fiducia hostium, metiens, qui Cimbricam Teutonicámque militiam Italiæ minabantur; vltra Rhenum, cum exercitu, transgreditur. Arminio territo, quem arguisse pater & patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vastat agros, vrit domos, fundit obuios; maximáque cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna reuertitur.

B Reddatur verum L. Asprenati testimonium: qui, legatus sub auunculo suo Varo militans, nauia virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate seruauit: maturéque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmauit. Sunt tamen, qui, vt viuos ab eo vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatémque excisi exercitus, in quantum voluerit,

C ab eo aditam. Lucij etiam Cedicij præfecti castrorum, eorumque vna circundati Alisone, immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est: qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni prouidentia vsi, speculatíque opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum. Ex quo apparet, Varum, sane grauem, & bonæ voluntatis virum, magis imperatoris de-

D fectum concilio, quem virtute destitutum militum, se, magnificentissimumque perdidisse exercitum. Cùm in captiuos sæuiretur à Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cœlius, vetustate familiæ suæ dignissimus; qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas illisit capiti suo, vt protinus pariter sanguinis cerebríque profluuio exspiraret. Eadem & virtus, & fortuna, subsequenti tempore, ingressa animum Imperatoris Tiberij fuit, quæ initio fuerat: qui, concussis hostium viribus classicis, peditum-

E que expeditionibus, cùm res Galliarum maximæ molis, accensásque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quàm pœna mollisset: & senatus populúsque Rom. postulante patre eius, vt æquum ei ius in omnibus prouinciis exercitibúsque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus esset (etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindican-

F dum honorem non iudicari parem) in Vrbem reuersus, iampridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis, Delmatisque egit triumphum. cuius magnificentiam quis miretur in Cæsare? fortunæ verò quis non miretur indulgentiam? quippe omnes eminentissimos hostium duces non occisos fama narrauit, sed vinctos triumphus ostendit. quem mihi, fratríque meo, inter præcipuos, præcipuísque donis adornatos viros, comitari contigit. Quis non inter

G reliqua, quibus singularis moderatio Tib. Cæsaris elucet, atque eminet, hoc quoque miretur, quod, cùm sine vlla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, & ex rege ei proposito, cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ouans triumphare debuerit: & Vindelicorum Rætorumque victor, curru Vrbem ingredi, fractis

factus deinde post adoptionem, continua triennij A militia Germaniæ fuit. eidem illi honor & deferendus fuerit?&, post cladem sub Varo acceptam, ocius prosperrimo rerum euentu, eadem excisa Germania, triumphum summi ducis adornare debuerit? Sed in hoc viro, nescias, vtrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an quòd honorum temperauit. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. quippe Cæsar Augustus, cum Germanicum, nepotem suum, reliqua belli B patraturum, misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, que bello subegerat, prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certaminis ludicro, quod eius honori sacratum à Neapolitanis est, processit in Campaniam: quamquam iam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat: tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneuenti, ipse Nolam petiit. &, ingrauescen- C te in dies valetudine, cum sciret, quis, volenti omnia post se salua remanere, accersendus foret, festinanter reuocauit filium. ille ad patrem patriæ expectato reuolauit maturius. Tum, securum se Augustus prædicans, circumfususque amplexibus Tiberij sui, commendans illi sua, atque ipsius opera, nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu, alloquioque carissimi sibi spiritus, mox, cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus ini- D tia, Pompeio Appuleioque coss. septuagesimo sexto anno, animam cælestem cælo reddidit. Quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quàm arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat: neque, cui vacat, potest. Id solum voce publicâ dixisse habeo: cuius orbis ruinam timueramus, eam ne commotam quidem sensimus. tantaque vnius viri maiestas fuit, vt nec bonis, neque con- E tra malos opus armis foret. Vna tamen veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cùm Cæsare senatus populique Romani, vt stationi paternæ succederet: illius vt potius æqualem ciuem, quàm eminentem liceret agere principem, tandem magis ratione, quàm honore, victus est: cum, quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret, solique huic contigit: pænè diutius recusare principatum, quàm, vt occuparent eum, alij armis pugnauerant. Post redditum cælo patrem, & F corporis eius humanis honoribus, nomen diuinis honoratum, primum Principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam, D. Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Cæsaris, proximè à nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit, consecutis, vt neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius. Tulit protinus & voti & consilij sui pretium resp. neque diu latuit, aut quid, G non impetrando, passuri fuissemus: aut quid impetrando, profecissemus. quippe exercitus, qui in Germaniâ militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quæ in Illyrico erant, rabie quadam & profundâ confundendi omnia cupiditate, nouum ducem, nouum statum, nouam quærebant remp. quinetiam ausi sunt minari, daturos senatui, daturos principi leges, modum stipendij finem militiæ sibi ipsi constituere conati sunt. processum etiam in arma, ferrumque strictum est, & pænè in vltimum gladiatorum erupit impunitas. defuitque, qui contra remp. duceret, non qui sequerentur. Sed hæc omnia veteris Imperatoris maturitas: multa inhibentis, aliqua cum grauitate pollicentis, inter seueram præcipuè nostrorum vltionem, mitis aliorum castigatio, breui sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore, vt pleraque ignauè Germanicus, ita Drusus, qui à patre in id ipsum, plurimo quidem igne emicans, incendium militaris tumultus missus erat, priscâ antiquaque seueritate vsus, ancipitia sibi tam re, quàm exemplo, perniciosa, & his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit, singulari adiutore in eo negotio vsus, Iunio Blæso: viro nescias vtiliore in castris, an meliore in togâ. qui, post paucos annos proconsul in Africâ, ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria, meruit. ac Hispanias, exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militiâ, vt prædiximus, cum imperio obtineret, in summâ pace, quiete continuit: cum ei pietas rectissima sentiendi, & auctoritas, quæ sentiebat, obtinendi, superesset. cuius curam ac fidem, Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in maxima parte Illyrici per omnia imitatus est. Horum XVI. annorum opera quis, cum inserta sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur? Sacrauit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione non appellauit eum, sed fecit deûm. reuocata in forum fides, summota è foro seditio, ambitio câpo, discordia curia, sepultæque ac situ obsitæ: iustitia, æquitas, industria, ciuitati redditæ: accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudicijs grauitas: compressa theatralis seditio: rectè faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. honorantur recta, praua puniuntur. suscipit potentem humilis, non timet. antecedit, non contemnit humiliorem potens. quando annona moderatior? quando pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, & quidquid meridiano aut septemtrione finitur, pax Augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu seruat immunes. Fortuita non ciuium tantummodo, sed Vrbium damna Principis munificentia vendicat. Restitutæ vrbes Asiæ. vindicatæ ab iniurijs magistratuum prouinciæ. honor dignis paratissimus, pœna in malos sera, sed aliqua. superatur æquitate gratia, ambitio virtute. nam, facere rectè ciues suos, Princeps optimus, faciendo docet; cumque sit Imperio maximus, exemplo maior est. Rarò eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam vsi sunt: vt duo Scipiones duobus Lælijs, quos per omnia æquauerunt sibi: vt D. Augustus M. Agrippa: & maximè ab eo, Statilio Tauro. quibus nouitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus, triumphosque, & complura enitenterentur sacerdotia. etenim magna negotia magnis adiutoribus egent. Neque in paruo paucitas ministeria defecit. Interestque reip. quod vsu necessarium, dignitate eminere: vtilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Cæsar Seianum Aelium, principe equestris ordinis patre natum, materno verò genere clarissimas, veteresque, & insignes

honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, auunculum, ipsum verò laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adiutorem in omnia, habuit, atque habet, virum seueritatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequêtem omnia, semper infra aliorum æstimationes, se metientem, vultu, vitaque tranquillum, animo exsomnem. In huius virtutum æstimatione iampridem iudicia ciuitatis cum iudiciis principis certant. neque nouus hic mos senatus populique R. est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC. T. Coruncanium, hominem nouum, cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad principale extulêre fastigium: & equestri loco natum Sp. Caruilium, & mox M. Catonem: nouum etiam Tusculo, Vrbis inquilinum, Mummiúmq. Achaicum in consulatus, censuras, & triumphos prouexêre. &, qui C. Marium, ignotæ originis vsque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuêre principem: &, qui M. Fuluio tantum tribuêre, vt pęnè assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret: quique nihil Asinio Pollioni negauerunt, quod nobilissimis, summo cum sudore consequendum foret: profectò hoc senserunt, in cuiuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Hæc naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum, Cæsarem; ad iuuanda verò onera principis, Seianum protulit: senatúmque & populus Romanus, eò perduxit, vt quod vsu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter aduocet. Sed, proposita quasi vniuersa Principatus Tib. Cæsaris forma, singula recenseamus. Qua ille prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui filij Cotys, consortísque eiusdem Imperij, euocauit; singulari in eo negotio vsus opera Flacci Pomponij, consularis viri, nati ad omnia, quæ rectè facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, quàm captantis gloriam. Cum quanta grauitate, vt senator, & iudex, non vt princeps, & caussas pressius audit? quàm celeriter Libonem ingratum, & noua molientem, oppressit? Quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutúmque rudimêtis militię secum actæ, domitarem recepit Germaniæ? Quibus iuuentam eius exaggerauit honoribus, respondête cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini? Quoties populum congiariis honorauit, senatorúmque censum, cùm id senatu auctore facere potuit, quàm libenter expleuit, vt neque luxuriam inuitaret, neque honesta paupertatem

A pateretur dignitate destitui? Quanto cum honore Germanicum suum in trâsmarinas misit prouincias: Quâ vi, consiliorum suorum ministro & adiutore vsus Druso, filio suo, Maroboduum, inhærentem occupati Regni finibus, pace maiestatis eius dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, salubribus consiliorum suorum medicamentis coegit egredi? quàm illum & honoratè, nec secura continet? Quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacrouiro, Floróque Iulio, mira B celeritate ac virtute compressit? vt antè populus Rom. vicisse se, quàm bellare, cognosceret; nunciósque periculi victoriæ præcederet nuncius. Magni etiam terroris bellum Africum, & quotidiano auctu maius, auspiciis côsiliisque eius breui sepultum est. Quanta suo suorúmque nomine extruxit opera? Quam piâ munificentiâ superque humanam euecta fidem, templum patri molitur? Quàm magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeij munera absumta igni restituit? qui, C quidquid vnquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum, Qua liberalitate cùm alias, tum proximè, incenso monte Cælio, omnis ordinis hominum iacturæ, patrimonio succurrit suo? Quantâ cum quiete hominû, temp. perpetui præcipuíque timoris, supplementum, sine trepidatione delectus, prouidet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recepit hominû, apud auctores deorum de his quęri: quid hic meruit? primum, vt scelerata Drusus Libo iniret consilia: deinde, vt Si-D lius & Piso: quorum alterius digni tamen constituit, auxit alterius. Vt ad maiora transcendam, quamquam & hæc ille duxit maxima. quid, vt nepotem ex Druso suo? Dolenda adhuc retulimus: veniêdum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus lacerauit animû eius? quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagrauit incendio, quòd ex nuru, quid ex nepote, dolere, indignari coactus est? Cuius temporis ægritudinem auxit amissa mater e-E minentissima, & per omnia deis, quàm hominib. similiter femina: cuius potentiam nemo sensit, nisi aut leuatione periculi, aut accessione dignitatis. Voto finiendum volumen sit. IVPPITER Capitoline, & auctor ac stator Romani nominis, Gradiue Mars, perpetuorúmque custos Vestæ ignium, & quicquid numinum hanc Romani Imperij molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor, atque precor, custodite, seruate, protegite hunc statum, F hanc pacem: eique, functo longissimâ statione mortali, destinate successores quàm serissimè, sed eos quorum ceruices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quàm huius sufficisse sensimus: consiliâque omnium ciuium aut pia, ...

ORI-

ORIGO

GENTIS ROMANAE A IANO ET SATVRNO CONDITORIBVS PER SVCCEDENTES SIBIMET REGES, VSQVE AD CONSVLATVM DECIMVM CONSTANTII, DIGESTA EX AVCTORIBVS

Verrio Flacco Andiate (vt quidem idem Verrius maluit dicere quàm Antia). tum ex Annalibus Pontificum, dein Cnæo Egnatio Verario, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Cæsare, Tuberone, atque ex omni priscorum historia, proinde vt quisque neótericorum asseuerauit: hoc est, & Liuius, & victor Afer.



PRIMVS in Italiam creditur A venisse Saturnus, vt etiam Maronis Musa testatur illis versibus:

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo.
Arma Iouis fugiens, & regnis exsul ademptis. cet.

TANTA autem vsque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, vt venientes B ad se aduenas, qui modò cõsilio ac sapientia præditi, ad instruendã vitam, formandosq. mores aliquid conferrent, quod eorum parentes, atque originem ignorabãt: cœlo & terra editos, non solùm ipsi crederẽt: verumetiã posteris affirmarẽt, veluti hunc ipsum Saturnum, quem Cęli & Terrę filium esse dixerunt. Quod cùm ita existimetur, certũ tamen est prioré Ianum in Italiã deuenisse: ab eóq. post: à venientem exceptum esse Saturnum. Vnde intelligendum est Virgilium quoque nõ ignora- C tione veteris historiæ, sed suo more *primum* dixisse Saturnum, non ante quem nemo, sed *principem*: vt

Troiæ qui primus ab oris.

CVM procul dubio constet ante Æneam priorem Antenorem in Italiam esse peruectum, eumq. non in ora litori proxima: sed in interioribus locis, id est, Illyrico vrbẽ Patauium cõdidisse, vt quidem idem Virgil. illis versibus ex persona Veneris, apud Iouem de ærumnis Ænec sui cõquerẽtis.

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus, cet. D

QVARE autẽ addiderit *tutus*, suo loco plenissimè annotauimus in commentatione, quam hoc scribere cœpimus, cognita ex eo libro, qui inscriptus est, De origine Patauina. Itaque nũc, *Primus*, ex ea quoque significatione est, è qua illud in secundo Æneidos, de enumeratione eorũ qui equo Durio digrediebantur: nã cùm nominasset Thessandrum, Stenelum, Vlyxem, Athamanta, Thoanta, Neoptolemum: pòst intulit, *Primúsque Machaon.* E De quo quæri potest, Quomodo potest *primus* dici post tantos qui supradicti sunt? Verùm intelligemus *primum* pro principe, vel quia is [ad perfectum] illis temporibus circa peritiam medicæ artis pręcipuus fuisse traditur. Sed vt ad propositum reuertamur, ferunt Creusã Erechthei Regis Atheniensium filiam speciosissimam, stupratã ab Apolline, enixã puerũ, eumque Delphos olim educandum esse missum: ipsam verò à patre istarum rerũ A nescio, Xipheo cuidam comiti collocatam. Ex qua cùm ille pater non posset existere, Delphos cum petiisse ad consulendum oraculum, quomodo pater fieri posset: tum illi Deum respondisse, vt quem postero die obuiam habuisset, cum sibi adoptaret. Itaque suprà dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obuiam illi fuisse, eumq. adoptatum. Cùm adoleuisset non contentum patrio regno, cum magna classe in Italiam deuenisse, oc- B cupatóq. monte, vrbem ibidem constituisse, eámque ex suo nomine Ianiculum cognominasse.

Igitur Iano regnante apud indigenas rude incultosque: Saturnus regno profugus, cùm in Italiã venisset, benignè exceptus hospitio est: ibique haud procul à Ianiculo arcem suo nomine Saturniam constituit: isque primus agriculturam edocuit, ferósque homines & rapto viuere assuetos ad compositam vitam eduxit. Vnde Virgilius in octauo sic ait:

C *Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,*
Génsque virũm truncis, & duro robore nata:
Quis neq. mos, neque cultus erat: nec iũgere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.

OMISSOQVE Iano, qui nihil aliud quàm rituum colendorum Deorum religionesque induxerat: se Saturno maluit annectere: qui vitam morésque feris etiam tum mentibus insinuasse [dicitur, &] ad communem vtilitatem, vt suprà diximus, disciplinam colendi ruris edocuit: vt D quidem indicant illi versus:

Is genus indocile, ac dispersũm montibus altis
Composuit, legésque dedit: Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

ISTVM etiam vsum signandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ ostendisse traditur: in qua ab vna parte caput eius imprimeretur: altera nauis qua vectus illò erat. Vnde hodiéque aleatores positó numo opertoque, optionem conclusoribus ponunt enũciandi quid putent subesse, caput, aut E nauem: quód nunc vulgo corrumpentes, nauiandi dicunt. Ædes quoque sub cliuo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat: Ærarium Saturni hodiéque dicitur. Verum quia, vt suprà diximus, prior illuc Ianus aduenerat, cũ eos post obitum diuinis honoribus cumulandos censuissent: in sacris omnibus primũ locum Iano detulerunt: vsque eò, vt etiã cũ alijs Dijs sacrificiũ fit, dato ture in altariã. Ianus prior nominetur, cognomento

quoque addito Pater, secundum quod noster cognomento sic intulit:

Hunc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit arcem

Ac subindit:

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

EIQVE (eo quòd mirè præteritorum, tum etiam futuri) dixerit:

Rex arua Latinus & vrbes

Iam senior longa placidas in pace regebat.

Quo regante, Troianos refert in Italiam deuenisse. Quæritur quomodo Sallustius dicat, *Cumq. his Aborigenes, genus hominum agreste, sine legib., sine imperio liberum atque solutum.* Quidam autem tradunt, terris diluuio coopertis, passim multos diuersarũ regionũ in montibus, ad quos confugerãt constitisse: ex quibus quosdam sedem quærentes, peruectos in Italiá, Aborigines appellatos, Græca scilicet appellatione, à cacuminibus montiũ qui illi oræ faciunt. Alij volunt eos, quòd errantes illò venerint, primò Aberrigines, post mutata vna litera, altera ademta, Aborigines cognominatos. Eos aduenientes Picus excepit, permissos viuere vt vellent. Post Picum regnauit in Italia Faunus, quem à fando dictum volũt, quòd is solet futura præcinere versibus, quos Saturnios dicimus: quod genus metri in vaticinatione Saturniæ primum proditum est. Sed vrbem Saturnus, cùm in Italiam venisset, condidisse traditur. Eius rei Ennius testis est, cùm ait:

Versibu' quos olim Fauni vatésque canebant.

HVNC Faunum plerique eundem Siluanum, à siluis, Inuium deum: quidam etiam Pana, vel Pan esse dixerunt.

Igitur regnante Fauno, ante annos circiter sexaginta, quàm Æneas in Italiam deferretur, Euander Arcas Mercurij & Carmentis Nymphæ filius, simul cum matre eòdem venit: quam quidam memoriæ prodiderunt, primò Carmentim dictam: pòst, Nicostratẽ, de carminibus: eo videlicet quòd omnium literarum peritissima, fut(u)rorúmq; prudens, versibus canere sit solita: adeò vt plerique velint, non tam ipsam à carmine Carmentam: quàm carmina à qua dicta essent, appellata. Huius admonitu transuectus in Italiá Euander, ob singularem eruditionem atq. scientiam literarum, breui tempore in familiaritatem Fauni se insinuauit: atque ab eo hospitaliter benignéque exceptus, non paruum agri modum ad incolendum accepit: quem suis comitibus distribuit, exædificatis domiciliis in eo monte, quem primò tum illi à Pallante Palanteum, posteà nos Palatium diximus. ibiq. Pani Deo fanum dedicauit; quippe is familiaris Arcadiæ Deus est, teste etiam Marone, qui ait:

Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.

ET item:

Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet.

PRIMVS itaque omnium Euander Italicos homines legere & scribere edocuit, literis partim quas ipse anteà didicerat. Idémque fruges in Græcia primum inuenta ostendit, serendique vsum edocuit, terræque excolendæ gratia, primus boues in Italia iunxit. Eo regnante, fortè Recaranus quidam, Græcæ originis, ingentis corporis, & magnarum virium pastor, quia erat forma & virtute ceteris antecellens, Hercules appellatus, eòdẽ venit. Cumque armenta eius circa flumen Albulam pascerẽtur, Cacus Euãdri seruus, nequitiæ versutus, & præter cetera furacissim⁹, Recarani hospitis

A boues subripuit: ac ne quod esset indicium, auersas in speluncam attraxit: cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis, seruansque omnibus eiuscemodi latebris, desperasset inuenturum: vtcumque æquo animo dispendium ferens, excedere his finibus constituerat. At verò Euander excellentissimæ iustitiæ vir, postquam rem vti acta erat, comperit, seruum noxæ dedit, bouésque restitui fecit. Tum Recaranus sub Auentino, Inuentori patri aram dedicauit, appellauítq. Maximam & B apud eam decimam sui pecoris profanauit. Cùmque ante moris esset, vti homines decimá fructuum regibus suis præstarẽt: æquius sibi ait videri, Deos potius illo honore impartiẽdos esse, quàm Reges: inde videlicet tractum, vt Herculi decimam profanari mos esset, secundum quod Plautus in [illegible] inquit, *Herculeaneã*, id est, decimá. Cõsecrata igitur ara Maxima, profanatáque apud eam decima, Recaranus, eo quòd Carmẽtis inuitata, ad id sacrũ nõ affuisset: sanxit ne cui feminæ fas esset vesci ex eo quod eidem aræ sacratum esset: atque ab [illegible] C diuina, feminæ in totũ remotæ. Hæc Cassius [illegible]. At verò in libris Pontificalium traditur Hercules, Ioue atque Alcmena genitus, superato [illegible]ne, agens nobile armentum, cupidus eius generis boues in Græcia instituendi: fortè in ea loca venisse, & vbertate pabuli delectatus, vt ex longo itinere homines sui & pecora reficerentur, aliquandiu ibidem ibi constituisse: quæ cùm in valle, vbi nunc est Circus maximus, pascerentur: neglecta custodia, quòd nemo credebatur ausurus violare Herculis prædam, latronem quendam regionis [illegible] D dem magnitudine corporis & virtute ceteris [illegible]ualentem, octo boues in speluncam, quo minus furtum vestigiis colligi posset, caudis abstraxisse. Cùmque inde Hercules proficiscens, reliquum armentum, casu, præter eandem speluncam ageret: forte quadam inclusas boues transeuntibus adinugisse, atque ita furtum detectum: interfectoque Caco, Euandrum, re cõperta, hospiti obuiam iuisse, gratantem, quòd tanto malo fines suos li- E berasset: compertoque, quibus parentibus ortus esset Hercules, rem ita, vti erat gesta, ad Faunú pertulisse: tum eum quoque amicitiam Herculis cupidissimè appetisse. Quam opinionem sequutus est noster Maro. Cum ergo Recaranus siue Hercules, patri inuentori aram Maximam consecrasset: duos ex Italia, quos eadem sacra certo ritu administranda edoceret, adsciuit, Potitium & Pinarium. Sed eorum Potitio, qui prior venerat, ad comedenda exta admisso: Pinarius, eo quòd tardius F venisset, posteriq. eius submoti. vnde hodieq. [illegible]uatur. Nemini Potitio Pinariæ gentis in eis [illegible] vesci licet: eosque alio vocabulo prius appellatos nonnulli volunt. Pòst verò Pinarios dictos [illegible] quòd videlicet ieiuni, ac per hoc esurientes ab eiusmodi sacrificiis discedant. Isque mos permansit vsque Appium Claudium Censorem, vt Potitiis sacra facientibus, vescentibusque de eo boue quem immolauerant, postquàm inde nihil G reliquisset, Pinarij deinde admitterentur. Verum posteà Appius Claudius accepta pecunia Potitios illexit, vt administrationem sacrorum Herculis, seruos publicos edocerent: nec non etiam mulieres admitterent. Quo facto, aiunt, intra dies triginta omnem familiam Potitiorum, quæ prius in sacris habebatur, extinctam: atq. ita sacra penes Pinarios resedisse, eosque tam religione quàm etiá pietate edoctos, mysteria eiusmodi fideliter custo-

dil.c.

disse. Post Faunum, Latino eius filio in Italia regnante, Aeneas, Ilio Achiuis prodito ab Antenore, aliisq. Principibus, cum propter Deos penates, patremque Anchisen humeris gestans, nec non & paruulum filium manu trahens, noctu excederet: [illegible] cognitus ab hostibus, eo quòd tanta onustus [illegible] sarcina erat, non modò à nullo interceptus, sed etiam à rege Agamemnone quò vellet, ire permissus, Idam petit: ibique nauibus fabricatis, cum multis diuersi sexus, oraculi ammonitu Italiam petit: vt docet Alexander Ephesius lib. [illegible] At verò Lutatius nō modò Antenorem, sed etiam ipsum Aeneam proditorem patriæ fuisse tradit. Cui cùm à rege Agamemnone permissum esset, ire quò vellet, & humeris suis, quod potissimum putaret, hoc ferret: nihil illum præter Deos penates, & patrem, duosque paruulos filios, vt quidam tradunt, vt verò alij, vnū, cui Iulo cognomen, pòst etiam Ascanio fuerit, secum extulisse: Qua pietate motos Achiuorum principes permisisse vt reuerteretur domum: atque inde omnia secū quæ vellet, auferret. Itaq. cū magnis copijs pluribusq. sociis vtriusq. sexus à Troia digressum, lōgo mari emenso, per diuersas terrarū oras in Italiam deuenisse: ac primùm Thraciam [illegible]m, Aenum ex suo nomine cōdidisse: deinde [illegible] Polymnestoris perfidia ex Polidori nece, inde digressum, peruectumq. ad insulam Delum atq. illinc ab eo Lauiniam, Anij sacerdotis Apollinis filiam, in matrimonium adsciuisse, ex cuius nomine *Lauinia littora* appellata. Postquàm is multa maria permensus, appulsus sit ad Italiæ promontorium, quod est in Baiano, circa Auerni lacum: ibique gubernatorem Misenum morbo absumptum, sepultum ab eo: ex cuius nomine vrbem Misenon appellatam, vt etiam scribit Cæsar Pontificalium lib. I. Qui tamen hunc Misenum non gubernatorem, sed tubicinem fuisse tradit. Inde non immeritò veramque opinionem secutus Maro sic intulit:

At pius Aeneas ingenti molè sepulchrum
Imponit, suáque arma viro, remumque tubámque.

QVAMVIS auctore Homero, quidam asserant tubæ vsum Troianis temporibus etiam tūc ignoratum. Addunt prætera quidam Aeneam in eo litore Euxini cuiusdam comitis matrem, vltimo ætatis affectam, circa stagnum quod est inter Misenon Auernumque extulisse, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur: cumq. comperisset ibidem Sibyllam mortalibus futura præcinere, in opido quod vocatur [illegible]ionis, venisse eò sciscitatum de statu fortunarum suarum, aditisque fatis, vetitum ne is cognatam in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat. Et postquam ad classem rediit, reperitq. mortuam: in insula proxima sepelisse, quæ nunc quoque eodem est nomine, vt scribunt Vulcatius, & Acilius Piso. Inde profectum peruenisse in eum locū qui nunc portus Caietæ appellatur, ex nomine nutricis [illegible] quam ibidem amissam sepeliit. At verò [illegible] Sempronius aiunt, Caietæ cognomen [illegible] non nomen, ex eo scilicet inditum, quòd [illegible] consilio impulsuque matres Troianæ tædio [illegible] classem ibidem incenderint, Græca scilicet appellatione [illegible] quod est incendere. Inde ad eam Italiæ oram quæ ab arbusto eiusdem generis, Laurens appellata est, Latino regnante, peruectum cum patre Anchise, ibique &

A ceteris suorum: nauibus eorum in litore accubantibus, consitutoq. quod [illegible] eius etiam de [illegible] quas sacratas [illegible] habebant comedisse. Tum Anchisa consilio [illegible] animaduertit [illegible] erroris q. finē: quippe meminerat Venerē sibi aliquando prædixisse, cum in externo litore esurire compulsi, sacratásq. mensas inuasissent, illū condendæ sedis fatalem locum fore: Scrofam etiā incientem: quam cùm è naui produxissent, vt eam immolarent, & se ministrorū manibus eripuisset,

B recordatum Aeneā, quod aliquādo ei responsum esset vrbi condenæ quadrupedē futurā ducē: tū simulacris Deorū Penatiū, prosecutum: atque illū vbi illa procubuit. enixáq. est porculos triginta: ibidē auspicatū: • . • postquam Lauinium dixit: vt scribit Cæsar lib. I. & Lucatius lib. 2. At verò Domitius non orbes farreos, vt suprà dictū est, sed mensarum vice sumendi cibi gratia apium, cuius maxima erat ibidē copia, fuisse substratum, quod

C ipsum consumptis aliis eduliis, eos comedisse: ac pòst subinde intellexisse illas esse mensas, quas illos comesturos prædictum esset. Cum interim immolata sue in litore sacrificiū perageret: traditur, forte aduertisse Argiuam classem in qua Vlyxes erat: cumq. vereretur ne ab hoste cognitus periculū subiret: itemq. rē diuinā interrūperē summū nefas duceret: caput velamēto obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse inde: posteris traditum morē ita sacrificandi, vt scribit Marcus Octauius lib. I. At verò Domitius lib. I. docet sorte Apolli-

D nis Delphici monitū Aeneā, vt Italiā peteret, vbi duo maria inuenisset prandiumq. cū mēsis comessset, ibi vrbē vt cōderet. Itaq. egressum in agrum Laurentē, cum paululū è litore processisset, peruenisse ad duo stagna aquæ salsæ vicina inter se: ibique cum se lauisset, ac refectū cibo cū apiū quoq., quod tūc vice mēsę substratū fuerat, consumsisset, existimātē proculdubio illa esse duo maria, quod in illis stagnis aquæ marinæ species esset, mensasque quæ erant ex stramine apij comestas: vrbem

E in eo loco condidisse: eamque quòd in stagno lauerit, Lauinium cognominasse. Tū deinde à Latino Rege Aboriginū data ei, quæ incoleret, iugera quingenta. At Cato in origine generis Romani ita docet: Suē triginta porculos peperisse in eo loco vbi nūc est Lauiniū: cumq. Aeneas ibi vrbem cōdere cōstituisset, propterq. agri sterilitatem metueret: per quietē ei visa Deorū Penatū simulacra, adhortantiū vt perseueraret in cōdenda vrbe quā cœperat: nam post annos totidē, quod fetus illius

F suis essent, Troianos in loca fertilia atq. vberiorē agrum transmigraturos, & vrbē clarissimi nominis in Italia cōdituros. Igitur Latinum Aboriginū Regem, cum ei nunciatum esset, multitudinē aduenarum classe aduectā occupauisse agrum Laurentē: aduersum subitos inopinatosq. hostes incūctanter suas copias eduxisse: At prius quàm signū dimicandi daret: animaduertisse Troianos militariter instructos: cū sui lapidibus ac fustibus armati, tum etiam veste aut pellibus quę eis erat tegumēto erāt, sinistris manib. inuolutis, processisset:

G itaq. suspenso certamine per colloquiū inquisiisse, qui essent, quidue peterēt, vt pote qui in hoc cōsiliū auctoritate numinum cogebatur: namq. extis ac somniis sæpe admonitus erat, tutiorē se aduersum hostes foreasi copias suas cū aduenis coniunxisset. Cumq. cognouisset Aeneam & Anchisen bello patria pulsos cū simulacris Deorū errantes sedem quærere [illegible] misse, data inuicē iureiu-

tando, vt communes quoque hostes, amicos quoque haberent: itaque cœptum à Troianis muniri locum, quem Aeneas ex nomine vxoris suæ, Latini Regis filiæ, quæ iam antè desponsata Turno Herdonio fuerat, Lauinium cognominauit: at verò Amatam Latini Regis vxorem, cùm indignè ferret, Lauiniam, repudiato Turno consobrino suo, Troiano aduenæ collocatá: Turnum ad arma concitauisse: eumq. mox coacto Rutulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurenté, & aduersus eum Latinum pariter cum Aenea progressum, inter prœliátes circumuentum occisúmque: nec tamen amisso socero Aeneas Rutulis obsistere desiit, nãq. & Turnum interemit. Hostib. fusis fugatisq. victor, Lauinium secum suis recepit, cõsensúq. omnium Latinorum Rex declaratus est: vt scribit Lucatius lib. 3. Piso quidem Turnũ matruelé Amatæ fuisse tradit: interfectóque Latino mortem ipsam sibimet cõsciuisse. Igitur Aeneam occiso Turno, rerum potitum cùm adhuc irarum memor Rutulos bello persequi instituisset, illos sibi ex Etruria auxilium Mezentij Regis Agillæorum adsciuisse, ac implorauisse, pollicitos si victoria parta foret, õnia quæ Latinorum essent, Mezẽtio cessura. Tunc Æneam quòd copiis inferior erat, multis rebus, quę necessariò tuendę erant, in vrbem comportatis, castra sub Lauinio collocasse: præpositoque his filio Euryleone ipsum electo ad dimicãdum tempore, copias in aciem produxisse, circa Numici fluminis stagnum: vbi cum acerrimè dimicaretur, subitis turbinibus infuscato aere, repentè cœlo tantum imbrium effusam, tonitrubus etiã consecutis, flámarumque fulgoribus, vt omnium nõ oculi modo præstinguerentur, verum etiam mentes quoq; confusę essent, cúmque vniuersos vtriusque partis dirimendi prœlia cupiditas inesset, nihilominus in illa tempestatis subitę confusione interceptum Aeneam, nusquam deinde comparuisse. Traditur autem non prouiso quòd propinquus flumini esset, ripa depulsus, fortè in fluuium decidisse, atq; ita prœlium diremtum: dein pòst apertis fugitiuisque nubibus cũ serena facies effulsisset: creditum est viuum cum cœlo absumtum. Idémque tamen pòst ab Ascanio, & quibusdam aliis visus affirmatur super Numici ripam, eo habitu armisque quibus in prœlium processerat. Quæ res immortalitatis eius famam confirmauit. Itaque illi eo loco templum consecratum, appellarique placuit, Patrem indigetem. Dein filius eius Ascanius, idem qui Euryleo, omniũ Latinorũ iudicio Rex appellatus. Igitur summá imperij Latinorũ adeptus Ascanius, cum continuis prœliis Mezentiũ persequi instituisset, filius eius Lausus collem Lauinię arcis occupauit. Cúmq. id opidũ circumfusis omnibus copiis regis teneretur: Latini legatos ad Mezẽtiũ miserunt sciscitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet: cúmque ille inter alia onerosa illud quoque adiiceret, vt omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur: consilio atque auctoritate Ascanij placuit ob libertatem mori potius, quàm illo modo seruitutem subire. Itaque vino ex omni vindemia Ioui publicè voto, consecratoque, Latini vrbe eruperunt: fusoque pręsidio interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coegerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetrauit: vt docet Lucius Cæsar lib. 1. Itémque Aulus Postumius in eo volumine, quod de aduentu Aeneæ cõscripsit atq. dedit. Igitur Latini Ascanium ob insigné virtuté nõ solùm Ioue ortum crediderunt, sed etiam per diminutionem, declinato paululum nomine primo Iobum, dein postea Iulum appellarunt: à quo Iulia filia manauit: vt scribunt Cæsar lib. 11. & Cato in Originibus. Interim Lauinia ab Aenea grauida relicta, metu, veluti insecuturi se Ascanij, in siluã profugit ad magistrũ patrij pecoris, Tyrrhum, ibiq. enixa est puerũ, qui à loci qualitate Siluius est dictus. At verò vulgus Latinorũ existimãs eam ab Ascanio interfectã, magnã ei inuidiã cõflauit, adeò, vt armis quoq. ei vim denũciaret. Tũ Ascanius iureiurando se purgãs, cùm nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendũ, iram populi aliquãtulũ fregit: pollicitusq. est, se magnis præmiis cumulaturũ eũ qui sibi Lauiniã inuestigasset: mox recuperatam cum filio in vrbem Lauinium reduxit, dilexitq. honore materno. Quæ res rursũ ei magnũ fauoré populi conciliauit, vt scribunt Caius Cæsar, & Sex. Gellius in Origine gentis Romanæ. At verò alij tradũt, quod cum Ascanius ab vniuerso populo ad restituendam Lauiniá cogeretur, iuraretq. se neq. interemisse, neq. scire vbi esset, Tyrrhum petito silentio in illa concione frequẽtia professum indicium, si sibi, Lauiniæ puero q. ex ea nato fides incolumitatis daretur: itaque cum accepta fide Lauiniá in vrbẽ cum filio reduxisse. Post hæc Ascanius completis in Lauinio triginta annis, recordatus nouę vrbis condendę tempus aduenisse ex numero porcorũ, quos peperat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab ea vrbe, quę in eo cõdita est, Albanus nuncupatur, ciuitatem communit: eámque ex forma quod ita in longum porrecta est, Longam: ex colore suis Albã cognominauit. Cumque illuc simulacra Deorum Penatium transtulisset: postridie apud Lauinium apparuerunt; rursusque relata Albam, appositisq. custodibus nescio quantis, se Lauinium in pristinam sedem iudentidem receperunt: itaque tertiò nemo ausus est amouere ea, vt scriptum est in Annali Pontificum iv. lib. Cincij, & Cæsaris 2. Tuberonis 1. At Ascanius postquam excessisset è vita inter Iulum filium eius, & Siluium Postumum, qui ex Lauinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio est, cum dubitaretur an Aeneę filius, an nepos potior esset: permissa disceptatione eius rei ab vniuersis Rex Siluius declaratus est. Eiusdẽ posteri omnes cognomento Siluij, vsque ad conditam Romã, Albę regnauerunt: vt est scriptũ Annalium pontificaliũ lib. iiii. Igitur regnãte Latino Siluio Colonię deductæ sunt Præneste, Tibur, Gabij, Tusculum, Cora, Pometica, Locri, Crustumium, Camena, Ronillę, ceteraq. opida circũquaq. Post eum regnauit Tiberius Siluius, Siluij filius. Qui cum aduersus finitimos bellum, inferentes copias eduxisset, inter prælianres depulsus in Albulam flumen, deperiit: mutandiq. nominis extitit causa: vt scribunt Lutius Cincius lib. 1. Lucatius lib. iii. Post eum regnauit Aremulus Siluius qui tantę superbię non aduersum homines modo, sed etiam Deos fuisse traditur: vt prædicaret se superiorem esse ipso Ioue ac tonãte cœlo militibus imperaret, vt telis clypeos quaterent: dictaretque clariorem sonum se facere. Qui tamen præsenti affectus est pœna: nam fulmine ictus, raptusque turbine in Albanum lacũ præcipitatus est: vt scriptu est Annalium lib. vi. & Epitomarum Pisonis ii. Aufidius sanè in Epitomis, & Domitius lib. 1. non fulmine ictum, sed terremotu prolapsum simul cum eo Regiam

eo Regiam in Albanum lucum tradunt. Post il-
lum regnauit Auentinus Siluius: isq. finitimis bel-
lum inferentibus in dimicando circumuentus, ab
hostibus prostratus est: ac sepultus circa radices
montis, cui ex se nomẽ dedit: vt scribit Iulius Cę-
sar lib. ii. Post eum Siluius Procas rex Albanorũ,
duos filios Numitorẽ & Amuliũ æquis partibus
hæredes instituit. Tũ Amulius in vna parte regnũ
tantummodo, in altera totius patrimonij summã
atque omnem paternorum bonorum substãtiam
posuit, patrique Numitori, qui maior natu erat,
optionem dedit, vt ex his, vtrum mallet, eligeret.
Numitor cùm priuatũ omne cũ facultatib. regno
prætulisset: Amulius regnũ obtinuit: Quod vt fir-
mius possideret, Numitoris fratris sui filium in-
venando interimendũ curauit: tum etiam Rheã
Siluiam eius sororem sacerdotem Vestæ fieri ius-
sit, simulato somnio quo admonitus ab eadẽ Dea
esse, vt id fieret: cum re vera ita faciendũ sibi exi-
stimaret: periculosum ducens, ne quis ex ea nasce-
retur, qui auitas persequeretur iniurias: vt scribit
Valerius Antias lib. i. At verò Marcus Octauius,
& Licinius Macer tradũt Amulium patruũ Rheæ
sacerdotis, amore eius captum, nubilo cælo ob-
scuróq. aere, cùm primum illucescere cœpisset, in
vsum sacrorũ aquã petẽti insidiatũ, in luco Martis
cõpressisse eam: & exactis mensibus geminos edi-
tos. Quod cum comperisset celãdi facti gratia per
scelus cõcepti, necari iussit sacerdotẽ: partũ sibi ex-
hiberi: tumq. Numitorẽ spe futurorũ, quod hi, si
adoleuissent, iniuriarum suarum quandoq. vlto-
res futuri essẽt, alios pro eis subdidisse, illosq. suos
veros nepotes Faustulo pastorum magistro dedisse
nutriendos. At verò Fabius Pictor lib. i. & Vennó-
nius solito, institutóq. egressam virginẽ, in vsum
sacrorum aquam petitum ex eo fonte qui erat in
luco Martis, subitò imbrib⁹ tonitrubusq., quę cũ
illa erant, disiectis, à Marte cõpressam: conturba-
tamq.: mox recreatam consolatione Dei, nomen
suum indicantis, affirmantisq. ex ea natos dignos
patre euasuros. Primum igitur Amulius Rex, vt
cõperit Rheam Siluiam sacerdotem peperisse ge-
minos, protinus imperauit deportari ad aquã pro-
fluentẽ, atq. eò abiici. Tum illi, quibus id impera-
tũ erat, impositos alueo pueros, circa radices mõ-
tis Palatij in Tiberim, qui tum magnis imbribus
stagnauerat, abiecerunt: eiusq. regionis subulcus
Faustulus, speculatus exponẽtes, vt vidit relabente
flumine alueum, in quo pueri erant, obhæsisse ad
arborem fici, puerorumq. vagitu lupã excitã, quæ
repẽtè exierat: primò lambitu eos detersisse, dein
leuandorum vberum gratia mãmas præbuisse: de-
scendit ac sustulit, nutriendosq. Accæ Larentiæ,
vxori suæ dedit: vt scribunt Ennius lib. i. & Cæsar
ii. Addunt quidam Faustulo inspectãte, picũ quo-
que aduolasse, & ore pleno cibum pueris inges-
sisse inde videlicet lupum picumq. Martiæ tutelæ
esse: arborem quoq. illam, Ruminalem dictam,
circa quam pueri abiecti erãt: quod eius sub vm-
bra pecus acquiescens meridie ruminare sit soli-
tum. At verò Valerius tradit, pueros ex Rhea Sil-
uia natos Amulium regem Faustulo seruo necan-
dos dedisse: sed cum à Numitore exoratũ ne pueri
necarentur, Accæ Larentiæ amicæ suæ nutrien-
dos dedisse: quam mulierem, eo quòd pretio cor-
poris esset vulgare solita, Lupam dictã. Notũ quip-
pe ita appellari mulieres quæstũ corpore faciẽtes:
vnde & eiusmodi loci in quibus hæ consistunt,
Lupanaria dicta. Cùm verò pueri liberalis disci-

A plinæ capaces facti essent, Gabiis Græcarum Lati-
narumq. literarum ediscendarum gratia commo-
ratos: Numitore auo clam omnia subministrante.
Itaque vt primùm adoleuissent, Romulo indicio
educatoris Faustuli comperto, qui sibi auus, quæ
mater fuisset, quidve de ea factũ esset: cum arma-
tis pastoribus Albam protinus perrexisse, interfe-
ctóque Amulio, Numitorem auum in regnum re-
stitutum: Romulũ autem à virium magnitudine
appellatum: nam Græca lingua ῥώμη virtutem di-
B ci certum est: alterum verò Remum dictum, vide-
licet à tarditate: quippe talis naturæ homines ab
antiquis Remores dicti.

Igitur actis, quæ suprà diximus, re diuina facta,
eò in loco qui nunc Lupercal dicitur, ludibundi
discurrerunt, pellibus hostiarum occursantes
quosque sibimet verberantes: vtque sollemne sa-
crificium sibi, posterisque id esset, sanxerunt, sepa-
ratimque suos appellauerunt, Remus Fabios: Ro-
mulus Quintilios: quorum vtrumq. nomẽ etiam-
C num in sacris manet. At verò lib. ii. Pontificalium
proditur, missos ab Amulio, qui Remum pecorũ
pastorem attraherent: cùm non auderent ei vim
afferre, opportunum tempus sibi ad insidiandum
nactos, quòd tum Romulus aberat, genus lusus si-
mulasse, quinam eorum, manibus post terga liga-
tis, lapidem in quo lana pensitari solebat, mordicus
sublatum, quam longissimè perferret: tum Remũ,
fiducia virium, in Auentinum vsq. se perlaturum
spopondisse: deinde postquam vinciri se passus est,
D Albam abstractum. Quod postquã Romulus com-
perisset, coacta pastorum manu, eaque in centenos
homines distributa: perticas manipulis fœni variè
formatis in summo iunctas, dedisse: quo facilius
eo signo suum quisq. ducẽ sequeretur. Vnde insti-
tutum vt postea milites qui eiusdem signi essent,
Manipulares dicerentur. Itaque ab eo oppresso A-
mulio, fratrem vinculis liberatũ, auũ regno resti-
tutũ. Cum igitur inter se Romulus & Remus de
cõdenda vrbe tractarent, in qua ipsi pariter regna-
rent: Romulusq. locũ, qui sibi idoneus videretur,
E in mõte Palatino designaret, Romamq. appellare
velle: contraq. itẽ Remus in alio colle qui aberat
à Palatio millib⁹ quinque, eundemq. locũ ex suo
nomine Remuriã appellaret, neque ea inter eos
finiretur contentio: auo Numitore arbitro adsci-
to, placuit disceptatores eius cõtrouersiæ immor-
tales Deos sumere: ita vt vtri eorum priori secun-
da auspicia obuenissent, vrbẽ conderet: eáque ex
suo nomine nuncuparet, atq; in ea regni summã
F teneret. Cumq; auspicaretur Romulus in Palatio,
Remus in Auentino, sex vultures pariter volãtes,
à sinistra Remo prius visos: tũq; ab eo missos qui
Romulo nunciarent, sibi iam data auspicia, qui-
bus condere vrbem iuberetur: itaque maturaret
ad se venire. Cumque ad eum Romulus venisset,
quæsissetque quænam illa auspicia fuissent, dixis-
setque ille, sibi auspicanti sex vultures simul ap-
paruisse: At ego, inquit Romulus, iam tibi duode-
cim demonstrabo: ac repentè duodecim vultures
G apparuisse, subsecuto cæli fulgore pariter tonitrú-
que. Tùm Romulus, Quid, inquit, Reme affirmas
priora, cum præsentia intuearis? Remus postquã
intellexit sese regno fraudatum: Multa, inquit, in
hac vrbe temere sperata atque præsumpta, felicis-
simè prouentura sunt. At vero Licinius Macer li. i.
docet contentionis, illius perniciosum exitũ fuis-
se, namque ibidem obsistentes Remum & Faustu-
lum interfectos. Contrà Egnatius lib. i. in ea con-

tentione non modò Remum non esse occisum, A sed etiam vlterius à Romulo vixisse tradit. Sed horum omnium opinionibus diuersis repugnát nostræ memoriæ proclamans historia Liuiana, quæ testatur quòd auspicatò Romulus ex suo nomine Romam vocauit: cúmque muniret mœnibus, edixit, ne quis vallum transsiliret: quod Remus irridens transsiliuit, & à Celere Centurione rutro, vel rastro fertur occisus. Romulus asylum conuenis, *&c.*



SEX. AVRELIVS VICTOR DE VIRIS ILLVSTRIBVS VRBIS ROMAE LIBER FALSO HACTENVS CORN. NEPOTI VEL CAIO PLINIO CÆCILIO INSCRIPTVS.

Proca Rex Albanorum.

CAPVT I.

PROCA rex Albanorum Amulium. & Numitorem filios habuit, quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit: & vt alternis imperarent. sed Amulius fratri imperium non dedit: & vt eum sobole priua- B ret, Rheam Siluiam filiam eius, Vestæ sacerdotem præfecit, vt virginitate perpetua teneretur: quæ à Marte compressa, Romulum & Remum edidit. Amulius ipsam in vincula compegit. paruulos in Tiberim abiecit: quos aqua in sicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eosque vberibus suis aluit: Mox Faustulus pastor collectos Accæ Laurentiæ coniugi educandos dedit. Qui posteà, Amulio interfecto, Numitori auo regnum restituerunt: ipsi C pastoribus adunatis ciuitatem cōdiderunt: quam Romulus augurio victor, quòd ipse XII. Remus VI. vultures viderat, Romam vocauit: & vt eam prius legibus, quàm mœnibus muniret: edixit ne quis vallum transiliret: quod Remus irridens, trāsiliuit. & à Fabio Celere Centurione rutro fertur occisus.

2. Romulus Romanorum rex I.

ROMVLVS asylum conuenis patefecit, & magno exercitu facto, cùm videret coniugia deesse, D per legatos à finitimis ciuitatibus petiit. Quibus negatis, ludos Consualia simulauit: ad quos cum vtriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptæ sunt, ex quibus cum vna pulcerrima cum magno omnium admiratione duceretur, Thalasio eam duci responsum. Quæ nuptiæ quia feliciter cesserunt, institutum est, vt omnibus in nuptiis Thalasij nomen inuocaretur. cùm feminas ergo finitimorum Romani rapuissent, primi E Cæninenses contra eos bellum sumserunt. Aduersus quos Romulus processit, & exercitum eorum ac ducē Acronem singulari prœlio deuicit. Spolia opima Ioui Feretrio in Capitolio consecrauit. [Antemnates, Crustumini, Fidenates, Veientes,] Sabini etiam, ob raptas bellum aduersus Romanos sumserunt. Et cum Romæ appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti, quæ æquæ, caussa sa-

A crorum, hauriendæ descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitoliū perduxisset: Illa petiit quod illi in sinistris manib. gerebant, videlicet annulos, & armillas. quib. dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, vbi Titus scutis eam obrui præcepit, nam & ea in læuis habuerant. Romulus aduersus Tatium, qui mōtem Tarpeium tenebat, processit & in eo loco vbi nunc Romanum forum est, pugnam cóseruit. B ibi Hostus Hostilius fortissimè dimicans cecidit: cuius interitu consternati Romani fugere cœperunt. Tunc Romulus Ioui Statori ædem vouit, & exercitus seu forte, seu diuinitus restitit. Tunc raptæ in medium processerunt: & hinc patres inde coniuges deprecatæ, pacē conciliarunt. Romulus fœdus percussit, & Sabinos in vrbem recepit: populum à Curibus, opido Sabinorum, Quirites vocauit. Centum Senatores, à pietate Patres appel- C lauit. Tres equitum centurias instituit, quas à suo nomine Ramnenses, à Tito Tatio, Tatienses, à Lucumone Luceres appellauit. Plebem in triginta curias distribuit, easque raptarum nominibus appellauit. Cum ad Capræ paludem exercitum lustraret, nusquam comparuit: vnde inter Patres & populum seditione orta, Iulius Proculus vir nobilis, in concionem processit, & iureiurando firmauit, Romulum à se in colle Quirinali visum augustiore forma: cum ad deos abiret, eūdémque D præcipere, vt seditionibus abstinerent, virtutē colerent, futurum vt omnium gentium domini existerent. Huius auctoritati creditum est: ædes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro Deo cultus, & Quirinus est appellatus.

3. Numa Pompilius Romanorum rex II.

POST consecrationem Romuli, cum diu interregnum esset, & seditiones orirentur, Numa Pompilius Pomponis filius, Curibus opido S[illegible] E accit, cū addiceūt[illegible] auibus Romá ve[illegible] populū ferū religione molliret, sacra plurima instituit, ædē Vestæ fecit, virgines Vestales legit: Flamines tres, Dialē, Martialē, Quirinalē: Salios Martis sacerdotes, quorū primus Præsul vocatur, XII. instituit. Pōtificē Maximū creauit. Portas Iano gemino ędificauit. Annū in XII. mēses distribuit, additis Ian. & Febru. Leges quoq; plurimas & v[illegible]es [culit:] omnia [q̄ gerebat,] iussu Egeriæ nymphæ, vxoris suæ,

ris suesse facere simulans. Ob hanc tantā iustitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus in Ianiculo sepultus est: vbi post multos annos arcula cum libris à Terentio quodam exarata: qui libri quia leueis quasdam sacrorum caussas continebant, ex auctoritate Patrum cremari sunt.

4. Tullus Hostilius Romanorum rex III.

TVLLVS Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certatione finiuit, & Albam propter perfidiam ducis Metij Fufetij diruit. Albanos Romam trāsire iussit. Curiam Hostiliam constituit. Montem Cœlium vrbi addidit. Er dum Numam Pompilium sacrificijs imitatur, Ioui Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagrauit.

Horatij & Curiatij.

QVVM inter Romanos & Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio & Fufetio, placuit rem paucorum certatione finire. Erant apud Romanos trigemini Horatij, tres apud Albanos Curiatij, quibus fœdere icto concurrentibus, statim duo Romanorum ceciderunt, tres Albanorum vulnerati. Vnus Horatius quamuis integer, quia tribus impar erat, fugam simulauit, & singulos per interualla, vt vulnerum dolor patiebatur, insequentes, interfecit. Et cum spolijs onustus rediret, sororem obuiam habuit, quæ viso paludamento sponsi sui, qui vnus ex Curiatijs erat, flere cœpit: frater eam occidit. Qua re apud Duumuiros condemnatus, ad populum prouocauit: vbi patris lacrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub tigillum missus, quod nunc quoque viæ suppositum, Sororium appellatur.

Metius Fufetius.

METIVS Fufetius dux Albanorum, cum se inuidiosum apud ciueis videret, quòd bellū sola trigeminorum certatione finisset, vt rem corrigeret, Veientes & Fidenates aduersum Romanos incitauit. Ipse ab Tullo in auxilium arcessitus, aciē in collem subduxit, vt fortunā [belli experiretur ac] sequeretur. Qua re Tullus intellecta, magna voce ait, suo illud iussu Metiū facere. Quare hostes territi victique sunt. Postera die Metius cum ad gratulandum Tullo venisset, iussu ipsius quadrigis religatus in diuersa distractus est.

5. Ancus Marcius Romanorum Rex. IIII.

ANCVS Marcius, Numæ Pompilij ex filia nepos, æquitate & religione auo similis, Latinos bello domuit. Auentinum & Ianiculum monteis vrbi addidit: Noua mœnia oppido circumdedit. Siluas ad vsum nauium publicauit. Salinarum vectigal instituit. Carcerem primus ædificauit. Ostiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in ostia Tiberis deduxit. Ius fetiale, quo legati ad res repetundas vterentur, ab Æquiculis transtulit: quod primus fertur Rhesus excogitasse. His rebus intra paucos dies confectis, immaturā morte præreptus, non potuit præstare, qualem promiserat, regem.

6. L. Tarquinius Priscus Romanorum rex V.

LVCIVS Tarquinius Priscus, Damarati Corinthij filius, eius qui Cypseli tyrannidem fugiens, in Etruriam commigrauit. Ipse Lucumo dictus, vrbe Tarquinijs profectus, Romam petijt. Aduenienti aquila pileum sustulit: & cum altè subuolasset, reposuit. Tanaquil coniux, augurio-rum perita, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia & industria dignitatem atque

A etiam Anci regis familiaritatem consecutus est: à quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, & ita administrauit, quasi iure adeptus fuisset. Centum Patres in Curiam legit, qui minorum gentium sunt appellati. Equitum centurias numero duplicauit: nomina mutare non potuit, Accij Nauij auguris auctoritate deterritus, qui fidem artis suæ, nouacula & cote firmauit. Latinos bello domuit. Circum maximum ædificauit. Ludos magnos instituit. De Sabinis & Priscis Latinis triū-

B phauit. Murum lapideum vrbi circumdedit. Filium XIII. annorum, quòd in prœlio hostem percussisset, prætexta & bulla donauit: vnde hæc ingenuorum puerorum insignia esse cœperunt. Pòst ab Anci liberis, immissis percussoribus, per dolum regia excitus & interfectus est.

7. Seruius Tullius rex VI.

SERVIVS Tullius P. Corniculani, & Ocrisiæ captiuæ filius, cum in domo Tarquinij Prisci

C educaretur, flammæ species caput eius amplexa est. Hoc viso Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit. Coniugi suasit vt ita eum, vt liberos suos educaret. Cúmque adoleuisset, gener à Tarquinio assumtus est: Et cum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore loco, ad populū despiciēs, ait Priscum Tarquinium graui quidem, sed non letali vulnere accepto, petere vt interim dum cōualescit, Seruio Tullio dicto audientes essent. Seruius Tullius quasi precario regnare cœpit: sed

D rectè imperium administrauit. Etruscos sæpe domuit: collem Quirinalem & Viminalē & Esquilias vrbi addidit: aggerem, fossasque fecit. Populum in quatuor tribus distribuit, ac pòst plebi distribuit annonam: mensuras, pondera, classes, centuriasque constituit. [Primus omnium censum ordinauit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat:] Latinorum populis persuasit, vt exemplo eorum qui Dianę Ephesiæ ædem fecissent, & ipsi ædem Dianæ in Auentino ędificarent. Quo facto, bos cuidam Latino miræ magnitudinis na-

E ta, & responsum somnio datum, eum populum summam imperij habiturum, cuius ciuis bouem illam immolasset. Latinus bouem in Auentinum egit, & caussam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus, dixit prius eum viuo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tiberim descēdit, sacerdos bouem immolauit. Ita imperium ciuibus, sibi gloriam facto consilioque vindicauit.

Tullia.

SERVIVS Tullius filiam alteram ferocem, mi-

F tem alteram habens, cum Tarquinij Prisci filios pari animo videret, vt omnium mentes morum diuersitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites seu forte, seu fraude perierunt: feroces, morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius Superbus à Tullia incitatus, aduocato Senatu regnum paternum repetere cœpit. Qua re audita Seruius, dum ad Curiā properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus, & domum refugiens, interfectus est. Tullia in forum

G properauit, & prima coniugem regem salutauit, à quo iussa è turba decedere, cum domum rediret, viso patris corpore, mulionem euitantem, super ipsum corpus carpentum agere præcepit: vnde vicus ille, Sceleratus dictus est. Posteà Tullia cum coniuge in exilium acta.

8. Tarquinius Superbus Romanorum rex VII.

TARQVINIVS Superbus, cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio regnū sceleste

occupauit: tamen bello strenuus, Latinos Sabinosque domuit: Suessam Pometiam Volscis eripuit: Gabios per Sextum filium, simulato transfugio, in potestatem redegit & ferias Latinas primus instituit. Locos in Circo, & cloacam maximá fecit, vbi totius populi virib. vsus est. vnde illę fossę, Quiritium sunt dictę. Cum Capitolium inciperet, caput hominis inuenit: vnde cognitum est, eam vrbem caput gentium futuram: & cùm in obsidio Ardeæ filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Porsennam Etruriæ regem confugit: cuius ope regnũ retinere tentauit. Pulsus, Cumas concessit: vbi per summam ignominiam reliquum vitæ tempus exegit.

9 *L. Tarquinius Collatinus, & Lucretia vxor.*

Tarquinius Collatinus sorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuuenum regiorum Ardeæ erat: vbi cum forte in liberiore conuiuio coniugem suam vnusquisque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt. Regias nurus in conuiuio & luxu deprehendunt, exinde Collatiam petunt: Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt: itaque ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam redijt, & iure propinquitatis in domum Collatini venit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam expugnauit. Illa postero die aduocatis patre & coniuge, rem exposuit, & se cultro, quem veste texerat, occidit. Illi in exitium regum coniurarunt, eorumque exilio necem Lucretiæ vindicauerunt.

10. *Iunius Brutus, I. Romanorum Consul.*

L. Iunius Brutus sorore Tarquinij Superbi genitus, cùm eandem fortunam timeret in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiá fuerat ab auunculo occisus, stultitiá finxit, vnde Brutus dictus. Iuuenibus regijs Delphos euntibus deridiculi gratia comes adscitus, baculo sambucco aurum infusum Deo donum tulit. Vbi responsum est, eum Romæ summam potestatem habiturum, qui primus matrem oscularetur: ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiæ stuprũ, cum Tricipitino & Collatino in exitium Regum coniurauit. Quibus in exilium actis, primus Consul creatus, filios suos, fratrisque, quòd cum Aquilijs & Vitellijs ad recipiendum in vrbem Tarquinios coniurauerant, virgis cæsos securi percussit. Deinde in prœlio, quod aduersus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinij cógressus est, vbi ambo mutuis vulneribus ceciderunt. Cuius corpus in foro positum, à collega laudatum matronæ anno luxerunt.

11. *Horatius Cocles.*

Porsenna rex Etruscorum, cum Tarquinios in vrbem restituere tentaret, & primo impetu Ianiculum cepisset: Horatius Cocles (illo cognomine, quòd in alio prælio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit, & aciem hostium solus sustinuit, donec pons à tergo interrumperetur, cum quo statim in Tiberim decidit, & armatus ad suos transnauit. Ob hoc ei tantum agri publicè datum est, quantum vno die circumarari potuisset: statua quoque ei in Vulcanali posita.

12. *Mutius Scæuola.*

Cum Porsenna rex vrbem obsideret, Mutius Cordus, vir Romanæ constantiæ, Senatum adijt, & veniam transfugiendi petijt, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsennæ venit, ibique purpuratum pro rege, deceptus, occidit.

A Apprehensus, & ad regem pertractus, dexteram aris imposuit: hoc supplicij à rea exigens, quò in cæde peccasset. Vnde cũ misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens, ait, trecentos aduersus eum simileis coniurasse. Quare ille territus, bellum acceptis obsidibus deposuit. Mutio prata trans Tiberim dat, ab eo Mutia appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est.

13. *Clœlia virgo.*

B Porsenna Clœliam virginem nobilem inter obsides accepit, quę deceptis custodibus, noctu castris eius egressa, equum quem fors dederat arripuit, & Tiberim traiecit. A Porsenna per legatos repetita & reddita. Cuius ille virtutem admirans, cum quibus optasset in patriam redire, permisit: illa virgines puerosque elegit, quorum ætatem iniurię obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

14. *Fabij trecentisex.*

C Romani cum aduersum Veienteis bellarent, eos sibi hosteis familia Fabiorum priuato nomine depoposcit: & profecti trecentisex, duce Fabio Consule, fuerunt. Cum sæpe victores exstitissent, apud Cremeram fluuium castra posuerunt. Veientes ad dolos conuersi, pecora ex aduerso in conspectu illorum posuerunt: ad quę progressi Fabij, in insidias delapsi, ad vnum occisione perierunt. Dies quo id factum est, inter nefastos relatus. Porta qua profecti fuerant, Scelerata est appellata. D Vnus ex ea gente propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagauit ad Q. Fabium Maximum, qui Annibalem mora fregit, Cũctator ab obtrectatoribus dictus.

15. *P. Valerius Poplicola.*

Publius Valerius, Volusi filius, primùm de Veientibus, iterum de Sabinis, tertiò de vtrisque gentibus triumphauit: Hic, quia in locum Bruti collegæ Consulem non subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat, in suspicionem E regni affectati venit. Quo cognito, apud populum questus, quòd de se tale aliquid timuissent: immisit qui domum suam diruerent. Secures etiá fascibus demisit, eosque in populi concione submisit. Legem de prouocatione à magistratibus ad populum tulit: hinc Poplicola dictus. Qui cùm [quater Consul] diem obijsset, [adeò pauper extitit, vt collectis à populo nummis] publicè sepultus sit, & annuo matronarum luctu honoratus.

16. *A. Postumius.*

F Tarquinius eiectus, ad Mamilium Tusculanum generum suum confugit, qui cùm Latio concitato Romanos grauiter vrgeret, A. Postumius Dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit. Vbi cum victoria nutaret, Magister equitum equis frenos detrahi iussit, vt irreuocabili impetu ferrentur: vbi & aciem Latinorum fuderunt, & castra ceperũt. Sed inter [illegible] iuuenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos Dictator quæsitos vt dignis muneri- G bus honoraret, non reperit: Castorem & Pollucem ratus, ædem communi titulo dedicauit.

17. *L. Quintius Cincinnatus.*

Lucius Quintius Cincinnatus filium Kæsonem petulantissimum abdicauit: qui & à Censoribus notatus, ad Volscos & Sabinos confugit, qui tunc Clœlio Gracchob bellum aduersum Romanos gerebant, & Q. Minucium cõsulem in Algido monte cum exercitu obsidebant. Quintius Dictator dictus,

dictus, ad quem missi legati, nudum cum arantem trans Tiberim offenderent: qui insignibus sumtis Consulem obsidio liberauit. Quare à Minucio & eius exercitu obsidionali corona donatus est. Vicit hosteis: ducem eorum in deditionem accepit, & triumphi die ante eurtum egit. Sextodecim die dictaturam, quam acceperat, deposuit: & ad agriculturam reuersus est. Iterum post viginti annos Dictator dictus, Spurium Mœlium regnum affectantem, à Seruilio Ahala Magistro equitum occidi iussit. Domum eius solo æquauit: vnde locus ille Æquimelium dictus.

18. *Menenius Agrippa Lanatus.*

Menenius Agrippa cognomento Lanatus, dux electus aduersum Sabinos, de iis triumphauit. Iterum populus à patribus secessisset, quòd tributum & militiã nõ toleraret, nec reuocari posset. Agrippa apud eum, Olim, inquit, humani artus, cum ventrem otiosum cernerent, ab eo discordarunt & suum illi ministerium negarunt. Cum eo pacto & ipsi deficerent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per omnia membra disserere: & cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus, & populus quasi vnum corpus discordia pereunt: concordia valent. Hac fabula populus regressus est: Creauit tamen Tribunos plebis, qui libertatem suam aduersum nobilitatis superbiam defenderent. Menenius autem tanta paupertate decessit, vt eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulchro Senatus publicè daret.

19. *C. Marcius Coriolanus.*

Caius Marcius, à captis Coriolis vrbe Volscorum Coriolanus dictus: ob egregia militiæ facinora à Posthumo optionem munerum accipiens, equum tamen & hospitem sumsit, virtutis & pietatis exemplum. Hic consul graui annona, aduectum è Sicilia frumentum, magno pretio dandum populo curauit: vt hac iniuria plebs agros, non seditiones coleret. Ergo à Tribuno pleb. Decio die dicta, ad Volscos concessit: eosque duce Attio Tullo aduersus Romanos concitauit, & ad quartum ab vrbe lapidem castra posuit. Cumque nullis ciuium legationibus flecteretur, à Veturia matre, & Volumnia vxore matronarum numero commitatis motus, omisso bello, vt proditor occisus est. Ibi templum Fortunæ muliebri constitutũ est.

20. *C. Licinius Stolo.*

Fabius Ambustus ex duabus filiabus alteram Licinio Stoloni plebeio, alteram Aulo Sulpitio patricio coniugem dedit: quarũ plebeia cum sororem salutaret, cuius vir Tribunus militum consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecenter expauit à sorore irrisa, marito questa est: qui adiuuãte socero, vt primum tribunatum plebis aggressus est, legem tulit, vt alter consul ex plebe crearetur. Lex, resistente Appio Claudio, lata tamen: & primus Licinius Stolo consul factus. Idem lege sanciuit, ne cui plebeio plus quingenta iugera agri habere liceret. Et ipse cum iugera quingenta haberet, & altera emancipati filij nomine possideret, in iudicium vocatus, & primus omnium sua lege punitus est.

21. *L. Virginius Centurio.*

Populus Romanus cum seditiosos magistratus ferre non posset, Decemuiros legibus scribendis creauit, qui eas ex libris Solonis translatas duodecim Tabulis exposuerunt. Sed cum pacto dominationis magistratum sibi prorogarent, vnus ex ipsis Appius Claudius Virginiã, Virginij Centurionis filiam, in Algido militantis adamauit: quam cum corrumpere non posset, clientem subornauit, qui eam in seruitutem deposceret: facilè victurus, cum ipse esset & accusator, & iudex. Pater re cognita, cũ ipso die iudicij superuenisset, & filiã iam addictã videret, vltimo eius adloquio impetrato, eam in secretum abduxit, & occidit: corpus eius humeris gerens ad exercitum profugit, & milites ad vindicandum facinus accendit: qui creatis decem Tribunis, Auentinum occuparunt, Decemuiros abdicare se magistratu coegerunt, eosque omnes aut morte aut exsilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

22. *Aesculapius Romam aduectus.*

Romani ob pestilentiam responso mouente ad Æsculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio miserunt. Qui cum eò venissent, & simulacrum ingens mirarẽtur, anguis è sedibus suis elapsus, venerabilis, non horribilis, per mediã vrbem cum admiratióne omnium ad nauem Romanorum perrexit, & se in Ogulnij tabernaculo conspirauit. Legati Deum vehentes, Antium prouecti sunt. vbi per mollitiem maris, anguis proximum Æsculapij fanum petijt, & post paucos dies ad nauim redijt: & cum aduerso Tiberi subueheretur, in proximã insulam desiliuit, vbi templum ei constitutum: & pestilentia mira celeritate sedata est.

23. *M. Furius Camillus.*

Furius Camillus cum Faliscos obsederet, ac ludi literarij magister, Principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum hisdem pueris in vrbem redigendum & verberandum tradidit. Statim Falisci se ei ob tantã iustitiam dediderunt. Veios decenni obsidio domuit, déque his triumphauit. Postmodum est crimini datum, quod albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset, die dicta ab L. Appuleio Tribuno plebis: damnatus, Ardeam concessit. Mox cum Galli Senones relictis ob sterilitatem agris suis: Clusium Etruriæ oppidum obsiderent, missi sunt Roma tres legati, qui Gallos monerent, vt ab oppugnatione desisterent. Ex his vnus contra ius gentium in aciem processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionẽ legatis, nec impetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Aliam fluuium ceciderunt, die XVI. kalend. Augusti: qui dies inter nefastos relatus, Aliensis dictus. Victores Galli vrbem intrauerunt, vbi nobilissimos senum in curulibus & honorum insignibus, primò vt deos venerati, deinde vt homines despicati, interfecẽre. Reliqua iuuentus cum Manlio in Capitolium fugit obsessa, Camilli virtute liberata est: qui absens Dictator dictus, collectis reliquijs, Gallos improuisos internecione occidit. Populum Romanum migrare Veios volentem retinuit. Sic & opidum ciuibus, & ciueis opido reddidit.

24. *M. Manlius Capitolinus.*

Manlius ob defensum Capitolium Capitolinus dictus, sedecẽ annorum voluntarium militẽ se obtulit. Triginta septẽ militaribus donis à suis ducibus ornatus, triginta treis cicatrices in pectore habuit. Capta vrbe auctor in Capitolium confugiendi fuit. Quadam nocte clangore anseris excitus, Gallos ascendentes deiecit. Patronus à ciuibus appellatus, & farre donatus est. Domum etiam in Capitolio publicè accepit. Qua superbia elatus, cum à Senatu suppressisse Gallicos

thesauros argueretur, & addidit propria pecunia A liberarat, regni affectati suspicione in carcerem coniectus, populi consensu liberatus est. Rursus cum in eadem culpa, & grauius perseueraret, reus factus, & ab conspectu Capitolij ampliatus est. Alio deinde loco damnatus, & de saxo Tarpeio præcipitatus: Domus diruta: bona publicata. Gentilitas eius Manlij cognomen eiurauit, [ne quis postea Capitolinus vocaretur.]

25. *A. Cornelius Cossus.* B

FIDENATES, Fidei Romanorum hostes, vt firmiores pernicie fortius dimicarent legatos ad se missos interfecerunt. ad quos Quinctius Cincinnatus Dictator missus Magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Lartem Tolumniū ducē sua manu interfecit. De eo spolia opima Ioui Feretrio secundus ab Romulo consecrauit.

26. *P. Decius pater.*

P. Decius Mus, bello Samnitico sub Valerio Maximo & Cornelio Cosso consulibus Tribunus militum, exercitu in angustijs Gauri montis insidijs hostium clauso, accepto, quod postulauerat, præsidio, in superiorem locum euasit: hosteis terruit. Ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis euasit. Ob hoc ab exercitu ciuica corona [de quercu, quæ dabatur ei qui ciueis in bello seruasset, obsidionali, quæ dabatur ei qui obsidione ciueis liberasset] donatus est. Consul bello Latino, collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluuium castris, cum vtrique consuli somnio obuenisset, eos victores futuros, D quorum dux in prælio cecidisset. Tum collato cū collega somnio, cùm conuenisset, vt cuius cornu in acie laboraret, dis se Manibus voueret, inclinate sua parte, se & hosteis per Valerium pontificem dis Manibus deuouit: impetu in hosteis facto, victoriam suis reliquit.

27. *P. Decius filius.*

PVBLIVS Decius Decij filius, primò Consul de Samnitibus triumphans, spolia ex his Cereri consecrauit. Iterum & tertio consul, multa domi E militiæque gessit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Vmbri, Tusci contra Romanos conspirassent: ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinante, exemplum patris imitatus, aduocato M. Liuio pōtifice, hastæ insistens, & solennia verba respondens, se & hostes dis Manibus deuouit. Impetu in hosteis facto, victoriam suis reliquit. Corpus à collega laudatum, magnificè sepultum est.

28. *T. Manlius Torquatus.* F

TITVS Manlius Torquatus, ob ingenij & linguæ tarditatem à patre rus relegatus, cū audisset ei diem dictam à Pompeio Trib. plebis nocte vrbem petijt. Secretum colloquium à Tribuno impetrauit, & gladio stricto dimittere eum accusationem terrore multo compulit. Sulpitio Dictatore Tribunus militum Gallum prouocatorem occidit. Torquem ei detractum, ceruici suæ indidit. Consul bello Latino filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit: Latinos G apud Veserim fluuium, Decij collegæ deuotione superauit. [Consulatum recusauit quod diceret neque se populi vitia, neque illum seueritatem suam posse sufferre.]

29. *M. Valerius Coruinus.*

RELIQVIAS Senonū Camillus persequebatur: aduersum ingentem Gallum prouocatorem solus Valerius Trib. militum omnibus territis processit. coruus ab ortu solis galeæ eius insedit, & inter pugnandum ora oculosque Galli verberauit. Hoste deuicto, Valerius Coruinus dictus. Hinc, cum ingens multitudo ære alieno oppressa, Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quinctium necessitate compulsum fecisset, sublato ære alieno, seditionem compressit.

30. *Sp. Posthumius.*

TITVS Veturius, & Spurius Posthumius consules, bellum aduersum Samnites gerentes, à Pōtio Telesino duce hostiū in insidias inducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Romanos docerent, Luceriam Apulam à Samnitibus obsideri, quo duo itinera ducebant, aliud longius & tutius, aliud breuius & periculosius: Festinatio breuius elegit. Itaque cum in insidias venissent, (qui locus Furculæ Caudinæ vocabatur) C. Pontius accitum patrem Herennium rogauit, quid fieri placeret. Ille ait, aut omneis occidendos, vt vires frangerentur, aut omnes dimittendos, vt beneficio obligarentur. vtroque improbato consilio, omnes sub iugum misit, icto fœdere, quod à Romanis postea improbatum est. Posthumius Samnitibus deditus, nec receptus.

31. *L. Papirius Cursor.*

LVCIVS Papirius, à velocitate Cursor, cum Dictatorem se aduersis omnibus cōtra Samnites profectum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus, edidit Fabio Rulliano, quem exercitui imponebat, ne manum cum hoste consereret. Sed ille opportunitate ductus, pugnauit. Reuersus Papirius securi eū ferire voluit: ille in vrbem confugit, nec supplicem Tribuni tuebantur. Dein pater lacrymis: populus precibus veniam impetrarunt. Papirius de Samnitibus triumphauit. Idem comis & iocorum studiosus: cum Prænestinum Prætorem grauissimè increpuisset, Expedi, inquit, lictor secures. Et cum eū metu mortis attonitum vidisset: incommodam ambulantibus radicem exscindi iussit.

32. *Q. Fabius Rullianus.*

QVINCTVS Fabius Rullianus, primus ex ea familia ob virtutem Maximus: Magister equitum à Papirio Cursore ob Samnitem victoriam securi pænè percussus, primum de Apulis & Lucerinis, iterum de Samnitibus, tertiò de Gallis, Vmbris, Marsis, atque Tuscis triumphauit. Censor libertinos tribu amouit. Iterum censor fieri noluit, dicens non esse ex vsu Reipublicæ eosdem Censores sæpius fieri. Hic primus instituit, vti Equites Romani Idibus Quinctilibus ab æde Honoris equis insidētes, in Capitoliū transirent. Mortuo huic tantū æris populi liberalitate congestum, vt inde filius visceratione & epulum publicè daret.

33. *M. Curius Dentatus.*

MANIVS Curius Dentatus primò de Samnitibus triumphauit, quos vsque ad mare superum perpacauit. Regressus, in concione ait, Tantum agri cepi, vt solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem, tantum porrò hominum cepi vt fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem. Iterum de Sabinis triumphauit. Tertiò de Lucanis ouans vrbem introiuit. Pyrrhum Epirotam Italia expulit. Quaterna dena agri iugera viritim populo diuisit, sibi idem modum constituit, dicens neminem esse, cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse in foco rapa torreret: Malo, inquit, hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus

bentibus imperare. Cùm interuersæ pecuniæ argueretur, guttum ligneum, quo vti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit: iurauitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Aquam Anienem de manubijs hostium in vrbem induxit. Tribunus plebis patres auctores fieri coegit comitijs, quibus plebeius magistratus creabatur: ob hæc merita domus ei apud Tiphatam, & agri iugera quingenta publicè data.

A

34. *Appius Claudius Cecus.*

APPIVS Claudius Cęcus, in Censura libertinos quoque in Senatum legit. epulandi decantandique ius tibicinibus in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatæ, Potitiorum & Pinariorum. Potitios Herculis sacerdotes pretio corrupit, vt sacra Herculea seruos publicos edocerent: vnde cæcatus est: gens Potitiorũ funditus perijt. Ne consulatus cum plebeijs communicaretur, acerrimè restitit. Ne fabius solus ad bellum mitteretur, contradixit. Sabinos, Samnites, Etruscos bello domuit. Viam vsque Brundisium lapide strauit: vnde illa Appia dicta. Aquã Anienem in vrbẽ induxit. Censuram solus omni quinquennio obtinuit. Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cineam pretio quæreretur: senex & cęcus lectica in Senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.

B

C

35. *Pyrrhus Rex Epeirotarum.*

PYRRHVS Rex Epeirotarum, paterno genere ab Achille, materno ab Hercule oriundus, cum imperium orbis agitaret, & Romanos potenteis videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambiguè respondit.

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinorum bellum Romanis intulit. Leuinum Consulem apud Heracleam elephantorum nouitate turbauit. Cumque Romanos aduersis vulneribus occisos videret, Ego, inquit, talibus viris breui orbem terrarum subigere potuissem. Amicis gratulantibus: Quid mihi cum tali victoria, inquit, vbi exercitus robur amittam? Ad vicesimum ab vrbe lapidem castra posuit: Captiuos Fabricio gratis reddidit. Viso Iæuini exercitu, eandem sibi ait aduersus Romanos, quam Herculi aduersus hydram, fuisse fortunam. A Curio & Fabricio superatus Tarentum refugit in Siciliam traiecit. Mox in Italiam Locros regressus, pecuniam Proserpinę auehere tentauit: sed ea naufragio relata est. Tum in Gręciam regressus, dum Argos oppugnat, ictu tegulæ prostratus est. Corpus ad Antigonum regem Macedoniæ delatum, magnificè sepultum.

D

E

F

Fabricius.

PYRRHVS cum secundo prœlio à Romanis esset pulsus Tarentum, interiecto anno contra Pyrrhum Fabricius missus est; qui prius inter legatos sollicitari non poterat quarta regni parte promissa. Cum vicina castra ipse, & Rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens se Pyrrhum veneno occisurum, si sibi quidquam polliceretur: Quem Fabricius vinctũ reduci iussit ad dominum, Pyrrhóque dici, quę contra caput eius medicus spopondisset. Tum Rex admiratus eum, dixisse fertur: Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quàm Sol à suo cursu auerti posset.

G

36. *Decius Mus.*

VOLSINII, Etruriæ nobile opidũ, luxuria penè perierunt. Nam cum temere seruos manumitterent, dein in curiam legerent, consensu eorum oppressi. Cum multa indigna paterẽtur, clàm Romã auxilium petierunt. Missusque Decius Mus, mox libertinos omneis superauit, in carcere necauit, aut dominis in seruitutem restituit.

37. *Appius Claudius Caudex.*

APPIVS Claudius, victis Volsiniensibus, cognomento Caudex dictus, frater Cęci fuit. Cõsul ad Mamertinos liberandos missus est, quorum arcem Carthaginienses & Hiero rex Syracusanus obsidebant. Primò ad explorandos hosteis fretum piscatoria naui traiecit, & cum duce Carthaginiensium egit, vt pręsidium arçe deduceret. Rhegium regressus, quinqueremem hostium copijs pedestribus cepit: ea legionem in Siciliam traduxit. Carthaginienses Messana expulit. Hieronem prœlio apud Syracusas in deditionem accepit: qui eo periculo territus, Romanorum amicitiam petijt, iisque posteà fidelissimus fuit.

38. *C. Duilius.*

CAIVS Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cum videret eos multum mari posse, classem validam fabrefecit: &, [quas coruos vocauere,] manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandũ hostium naueis xxx. apprehendit, xiii. mersit, qui victi & capti sunt. Annibal dux classis, Carthaginem fugit, & à Senatu quæsiuit quid faciendum censerent. Omnibus, vt pugnaret, acclamantibus: Feci, inquit, & victus sum: sic pœnam crucis effugit. Nam apud Pœnos dux malè re gesta puniebatur. Duilio concessum est, vt prælucente funali, & præcinente tibicine, à cœna publicè rediret.

39. *A. Atilius Calatinus.*

ATILIVS Calatinus dux Romanorum aduersus Carthaginienseis missus, ex maximis & munitissimis ciuitatibus, Enna, Drepano, Lilybæo, hostilia præsidia deiecit. Panormũ cepit. [Totamque Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hostium classem, duce Amilcare, superauit.] Sed cum ad Camerinam ab hostibus obsessam festinaret, à Pœnis in angustijs clausus est, vbi Tribunus militum Calpurnius Flamma acceptis trecentis socijs in superiorem locum euasit, Consulem liberauit: ipse cum trecentis pugnans cecidit: posteà ab Atilio semianimis inuentus est. Senatus magno postea terrori hostibus fuit. Atilius gloriosè triumphauit.

40. *M. Atilius Regulus.*

MARCVS Atilius Regulus Consul, fusis Sallentinis triumphauit: primusque Romanorum ducum in Africam classem traiecit: ea quassata de Amilcare naueis lõgas treis & sexaginta accepit. Opida ducenta, & hominum ducenta millia cepit. Absente eo, coniugi eius & liberis ob paupertatẽ sumtus publicè dati. Mox arte Xanthippi Lacedæmonij Mercenarij militis captus in carcerem missus. Legatus de permutandis captiuis Romã missus, dato iureiurando, vt si non impetrasset, ita demum rediret: in Senatu conditionem dissuasit: reiectisque à se coniuge & liberis, Carthaginem regressus: vbi in arcam ligneam coniectus, clauis introrsum actis vigilijs ac dolore punitus est.

41. *C. Lutatius Catulus.*

CAIVS Lutatius Catulus, primo Punico bello trecẽtis nauibus aduersum Pœnos profectus sex-

centas eorum nauis commeatibus & alijs oneribus A impeditas, duce Annone apud Ægates, insulas inter Siciliam & Africã, depressit, aut cepit, finémque bello imposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit, Sicilia, Sardinia, & ceteris insulis intra Italiam Africamque, decederent: Hispania citra Ibērum fluuium vt abstinerent.

42. *Annibal Carthaginiensis Dux.*

ANNIBAL Amilcaris filius, nouem annos natus, B à patre aris admotus, odium in Romanos perenne iurauit. Exinde socius & miles in castris patris fuit. Mortuo eo caussam belli quærens, Saguntum Romanis fœderatam intra sex menses euertit. Tum Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipiōnem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam: Flaminium apud Trasimenum: Paullum & Varronem apud Cannas superauit. Cumque Vrbem capere posset, in Campaniam deuertit, cuius delicijs elanguit. Et cùm ad tertium ab Vrbe lapidem castra posuisset, tempestatibus repulsus, primum à Fabio Maximo fractus, C deinde à Valerio Flacco repulsus, à Graccho & Marcello fugatus, in Africam reuocatus, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriæ cõfugit, eumque hostem Romanis fecit: quo victo, ad Prusiam Bithyniæ regem concessit: vnde Romana legatione per Tit. Flamininum repetitus, ne Romanis traderetur, hausto, quod sub annuli gẽma habebat, veneno, absumtus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodieque inscriptum est, ANNIBAL HIC SITVS EST. D

43. *Q. Fabius Maximus.*

QVINCTVS Fabius Maximus Cũctator: Verrucossus à verruca in labris sita, Ouicula à clemẽtia morum dictus: Consul de Liguribus triumphauit. Annibalem mora fregit. Minucium Magistrum equitum imperio sibi æquari passus est: nihilominus periclitanti subuenit. Annibalem in agro Falerno inclusit. Manlium Statilium transfugere ad hosteis volentem, equo & armis donatis retinuit: & Lucano cuidam fortissimo, ob amorẽ E mulieris infrequenti, eandem emtam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit: Herculis signum inde tralatum in Capitolio dedicauit. De redemtione captiuorũ cum hostibus pepigit: quod pactum cum à Senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei suæ satisfecit.

44. *P. Scipio Nasica.*

PVBLIVS Scipio Nasica, à Senatu vir optimus iudicatus, Matrem Deum hospitio recepit. Is cum aduersum auspicia. Cõsulem se à Graccho nominatum F comperisset, magistratu se abdicauit. Censor statuas quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Cõsul Delminium vrbem Delmatarum expugnauit. Imperatoris nomen à militibus: & ab se senatu triumphum oblatum recusauit: Eloquentia primus, Iuris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus fuit: vnde vulgo Corculum dictus.

45. *M. Claudius Marcellus.*

MARCVS Marcellus Virdumarum Gallorum G ducem singulari prœlio fudit. [Spolia opima Ioui Feretrio tertius à Romulo consecrauit. Primus docuit quomodo milites cederent, nec terga præberent, Annibalem] apud Nolam, locorum angustia adiutus, vinci docuit. Syracusas per treis annos expugnauit. Et cum per calumniam triumphus ei à senatu negaretur, de sua sentẽtia in Albano monte triumphauit. Quinquies Consul. insidijs Annibalis deceptus occubuit, & magnificè sepultus. Ossa Romam remissa à prædonibus intercepta perierunt.

46. *Liuia Claudia virgo Vestalis.*

ANNIBALE Italiam deuastante, ex responso librorum Sibyllinorum, Mater Deum è Pessinunte arcessita: cum aduerso Tiberi veheretur, repentè alto stetit: & cum moueri nullis viribus posset, ex libris cognitum est, castissimæ demum feminæ manu moueri posse. Tum Claudia, virgo Vestalis, falso incestus suspecta, Deam orauit, vt si pudicã sciret, sequeretur. Et zona imposita nauem mouit. Simulacrum Matris Deum, dum templum ædificatur, Nasicæ, qui vir optimus iudicabatur, quasi hospiti datum.

47. *M. Portius Cato Censorius.*

MARCVS Portius Cato, genere Tusculanus, à Valerio Flacco Romam solicitatus, Tribunus militum in Sicilia: Quæstor sub Scipione fortissimus: Prætor iustissimus fuit: In prætura Sardiniam subegit, vbi ab Ennio Græcis literis institutus. Cõsul Celtiberos domuit: & ne rebellare possent, literas ad ciuitates singulas misit, vt muros diruerent: cum vna quæque sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello Tribunus militum sub M. Acilio Glabrione, occupatis Thermopylarum iugis, præsidium hostium depulit. Censor L. Flamininum Consularem senatu mouit, quòd ille in Gallia, ad cuiusdam scorti spectaculum, eductum quendam è carcere, in cõuiuio iugulari iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis, ornamenta erepta Oppia lege, repetentibus, restituit. Accusator assiduus malorum, Galbam octogenarius accusauit: ipse quadragies quater accusatus, gloriosè absolutus. Carthaginem delendam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago huius, funeris gratiam produci solet.

48. *C. Claudius Nero, & Asdrubal frater Annibalis.*

ASDRVBAL frater Annibalis, ingentibus copijs in Italiam traiecit: actumque erat de Romano imperio, si iungere se Annibali potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Annibale castra coniunxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Asdrubalem properauit. & se Liuio collegæ apud Senam opidum & Metaurum flumen coniunxit: amboque Asdrubalem vicerunt. Nero regressus pari celeritate qua ierat, caput Asdrubalis ante vallũ Annibalis proiecit: quo ille viso, vinci se Fortuna Carthaginis confessus est. ob hæc Liuius triũphans, Nero ouans, vrbem introierunt.

49. *P. Cornelius Scipio Africanus.*

PVBLIVS Scipio ex virtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditur: nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit. & ipsi paruulo draco circumfusus, nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatrauerunt. Nec hic quidquã prius cœpit, quã in cella Iouis diutissimè sedisset, quasi diuinam mentem acciperet. Decem & octo annorum patrem apud Ticinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes, Italiam deserere cupientes, sua auctoritate compescuit. Reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. Vigintiquatuor annorum Prætor in Hispaniam missus, Carthaginem nouam, qua die venit, cepit. Virginem pulcerrimam ad cuius aspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci, patrique eius ac spõso restitui iussit.

Asdruba-

Asdrubalem Magonémque, fratres Annibalis, Hispania expulit: Amicitiam cum Syphace Maurorum rege coniunxit. Massanissam in societatem recepit. Victor domum regressus, Consul ante annos factus, concedente collega in Africam classe traiecit. Asdrubalis & Syphacis castra vna nocte perrupit. Reuocatum ex Italia Annibalem superauit. Victis Carthaginiensibus leges imposuit. Bello Antiochi legatus fratri fuit. captum filium gratis recepit. A Petilijs ac Nęuio Tribunis plebis repetundarum accusatus, librum rationū in conspectu populi scidit: Hac die, inquit, Carthaginē vici. Bonū factum: in Capitolium eamus, & Dis supplicemus. Inde in voluntarium exsilium concessit: vbi reliquam egit ætatem. Moriens ab vxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

50. *M. Liuius Salinator.*

LIVIVS Salinator, primò Consul, de Illyrijs triumphauit: tandem ex inuidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus. Iterum cū Claudio Nerone inimico suo Consul, ne Resp. discordiâ malè administraretur, amicitiam cum eo iunxit, & de victo Asdrubale triumphauit. Censor cum eodem collega omnes tribus, excepta Metia, ærarias fecit. stipendio priuauit, eo crimine, quòd aut prius se iniustè condemnassent: aut posteà tantos honores non rectè tribuissent.

51. *T. Quinctius Flamininus.*

TITVS Quinctius Flamininus, [Flaminij, qui apud Trasimenum perijt, filius,] Consul Macedoniā sortitus, ducibus Charopis principis pastoribus, prouinciam ingressus, regem Philippum prælio fudit, castris exuit. Filium eius Demetriū obsidem accepit: quem pecuniâ multatum, in regnum restituit. A Nabide quoque Lacedæmonio filium obsidem accepit. Liberos etiam Græcos Nemeæ per præconem pronunciauit. Legatus etiam ad Prusiam, vt Annibalem repeteret, missus.

52. *M. Fuluius Nobilior.*

MARCVS Fuluius Nobilior, Prętor Hispanos superauit: vnde ouans vrbem introijt. Consul Ætolos, Ambraciotasque, qui bello Macedonico Romanis adfuerant: post ad Antiochum defecerant: prœlijs frequētibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit: tantum signis tabulisque pictis spoliauit: de quibus triumphauit. Quam victoriam per se magnificam, Quinctus Ennius amicus eius, insigni laude celebrauit.

53. *L. Scipio Asiaticus.*

SCIPIO Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis nomine à fratre laudatus, Consul, Antiochum regem Syrię, legato fratre, apud Sipylum montem, cùm arcus hostium pluuia hebetati fuissent, vicit, & regni relicti à patre, parte priuauit: hinc Asiaticus dictus. Pòst reus pecuniæ intercep tæ, ne in carcerem duceretur, Gracchus pater, Tribunus plebis, licet inimicus eius intercessit. M. Cato Censor equum ei ignominiæ caussa ademit.

54. *Antiochus rex Syriæ.*

ANTIOCHVS Syriæ rex, nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, specie Lysimachiæ repetundæ, quam à maioribus suis in Thracia conditam Romani possidebant: statimque Greciam insulasque eius occupauit. In Eubœa luxuria elanguit. Aduentu Acilij Glabrionis excitatus, Thermopylas occupauit: vnde industria Marci Catonis eiectus in Asiam refugit. Nauali prœlio, cui Annibalem præfecerat, à L. Æmylio Regillo, superatus: filium Scipionis Africani, quem inter nauigandum ceperat, patri remisit: qui ei, pro reddenda gratia, suasit, vt amicitiam Romanam peteret; Antiochus spreto consilio apud Sipylum mōtem cum L. Scipione conflixit: victus, & vltra Taurum montem relegatus à sodalibus, quos temulentus in conuiuio pulsauerat, occisus est.

56. *Cn. Manlius Vulso.*

CNAEVS Manlius Vulso consul, missus ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, cupiditate triumphi, bellum Pisidis & Gallogręcis, qui Antiocho adfuerāt, intulit. His facilè victis, inter captiuos vxor regis Orgiagontis Centurioni cuidam in custodiam data: à quo vi stuprata, de iniuria tacuit. & pòst impetrata redemtione, marito adulterum [Centurionem] interficiendum tradidit.

56. *Aemilius Paullus Macedonicus.*

LVCIVS Paullus Aemylius, filius eius qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triūphauit. Rerum gestarū ordinem in tabula pictum publicè posuit. Iterum Consul Perseu Philippi filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit, victum fleuit, & assidere sibi iussit: tamen in triumphum duxit. In hac lętitia duos filios amisit: & progressus ad populum, gratias Fortunæ egit, quòd si quid aduersi Reipub. imminebat; sua esset calamitate decisum. Ob hæc omnia, ei à populo & à Senatu concessum est, vt ludis Circensibus triumphali veste vteretur. Ob huius continentiam & paupertatem, post mortem eius dos vxori, nisi venditis possessionibus, non potuit exsolui.

57. *Ti. Sempronius Gracchus.*

TIBERIVS Sempronius Gracchus, nobilissima familia ortus, Scipionē Asiaticū quamuis inimicum duci in carcerem non est passus. Prætor Galliā domuit, Cōsul Hispaniā; altero Cōsulatu Sardiniam: tantúmque captiuorum adduxit, vt longa venditione res in Prouerbium veniret, *Sardi venales.* Censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quatuor vrbanas diuisit: ob quod à populo collega eius Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus est: & cùm eum duæ classes condemnassent, Tiberius iurauit se cū illo in exsilium iturum: ita reus absolutus est. Cùm in domo Tiberij duo angues è geniali toro repsissent, responso dato, cum de dominis periturum, cuius sexus anguis fuisset occisus: amore Corneliæ coniugis marem iussit interfici.

58. *P. Scipio Aemilianus.*

PVBLIVS Scipio Æmilianus, Paulli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedonia cum patre agens, victum Persen tam pertinaciter persecutus est, vt media nocte in castra redierit. Lucullo in Hispania legatus, apud Intercatiam opidū prouocatorem singulari prœlio vicit. Muros hostilis ciuitatis primus ascendit. Tribunus in Africa sub M. Manilio imperatore, cohortes octo obsidione vallatas consilio & virtute seruauit, à quibus corona obsidionali aurea donatus. Cùm ædilitatem peteret, Cōsul ante annos vltrò factus Carthaginem intra sex mēses deleuit. Numantiam in Hispania, correcta prius militū disciplina, fame vicit. hic Numātinus dictus. Caio Lælio plurimùm vsus: ad reges adeundos

missus, duos secum, præter eum, seruos duxit. Ob res gestas superbus, Gracchum iure cæsum videri respondit, obstrepere populo, Taceant, inquit, quibus Italia nouerca, non mater est: addidit, Quos sub corona vendidi. Censor, Mummio collega segniore, in Senatu ait, Vtinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis. Suscepta Agrariorum caussa, domi repentè exanimis inuentus: obuoluto capite elatus est, ne liuor in ore appareret. Huius patrimoniũ tam exiguum fuit, vt xxxii. libras argẽti, duas & selibrã auri reliquerit.

59. *C. Hostilius Mancinus.*

CAIVS Hostilius Mancinus consul, aduersum Numantinos vetãtibus auibus, & nescio qua voce reuocante profectus, cum ad Numantiã venisset, exercitum Popillij acceptum prius corrigere decreuit: inde solitudinem petit. Eo die Numãtini fortè solemni nuptu filias locabant: & vnã speciosam duobus competentibus, pater puellę conditionem tulit, vt ei illa nuberet, qui hostis dextram retulisset. Profecti iuuenes, abscessum Romanorum in modum fugæ properantium cognoscunt: rẽ ad suos referunt. Illi statim quatuor millibus viginti millia Romanorũ ceciderunt. Mancinus, auctore Tiberio Graccho Quæstore suo, in leges hostium fœdus percussit: quo per Senatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in castra deductus, Præturam postea consecutus est.

60. *L. Mummius Achaicus.*

LVCIVS Mummius, deuicta Achaia, Achaicus: Consul aduersus Corinthios missus, victoriam alieno labore quæsitã intercepit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleã fudisset, & duce Critolao priuasset: cũ lectoribus & paucis equitibus in Metelli castra properauit, & Corinthios apud Leucopetram vicit Diæo, qui domum refugit, eamque incendit: coniugem interfecit, & in ignẽ præcipitauit: ipse veneno interijt. Mummius Corinthum signis tabulisque spoliauit: quibus cum totam repleuisset Italiam, in domum suam nihil contulit.

61. *Q. Cæcilius Metellus Macedonicus.*

QVINCTVS Cæcilius Metellus à domita Macedonia, Macedonicus. Prætor Pseudophilippum, qui idem Andriscus dictus est, vicit. Achæos bis prœlio fudit: triumphandos Mummio tradidit. Inuisus plebi ob nimiam seueritatẽ: & ideo post duas repulsas Consul ægrè factus, Arbacos in Hispania domuit. Apud Contebriam opidum cohortes loco pulsas, redire & locum recipere iussit. Cùm omnia proprio & subito consilio ageret, amico cuidam quid acturus esset roganti: Tunicam, inquit, meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem. Hic quatuor filiorum pater: supremo tempore humeris eorum ad sepulcrum elatus est: ex quibus treis Consulares, vnum etiam triumphantem vidit.

62. *Q. Cæcilius Metellus Numidicus.*

QVINCTVS Cæcilius Metellus, Numidicus: quia consul de Iugurtha rege Numidiæ triumphauit. Censor Quinctium, qui se Tiberij Gracchi filium mentiebatur, in censum non recepit. Idem in legem Appuleiam per vim latam iurare noluit: quare in exsilium actus, Smyrnæ exsulauit. Calidia deinde rogatione reuocatus, cum ludis fortè literas in Theatro accepisset, non prius eas legere dignatus est, quàm spectaculum finiretur. Metellæ sororis suæ virũ laudare noluit,

A quòd is solus iudicium contra leges detrectarat.

63. *Q. Metellus Pius.*

QVINCTVS Metellus Pius, Numidici filius: Pius quia patrem lacrymis & precibus assiduè ab exsilio reuocauit. Prætor bello sociali Qu. Pompeium, Marsorũ ducẽ, interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres oppressit: Sertoriũ Hispania expulit. Adolescens in petitione Præturæ & Pontificatus, Consularibus viris prælatus est.

64. *Tiberius Gracchus.*

TIBERIVS Gracchus, Africani ex filia nepos,
B Quæstor Mancino in Hispania, fœdus eius flagitiosum probauit. Periculum deditionis eloquentia gratia effugit. Tribunus plebis [legẽ] tulit, ne quis plus quingẽta agri iugera haberet. Octauio collegæ intercedenti, nouo exemplo magistratũ abrogauit. Dein tulit, vt ea familia, quæ ex Attali hereditate erat, ageretur: vt populo diuideretur. Deinde cum prorogare sibi potestatem vellet, aduersis auspicijs in publicum processit, statimque
C Capitolium petijt, manum ad caput referens, quo salutem suam populo commendabat. Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceret: segniterque cessante Mucio consule, Scipio Nasica, si qui se iussis, qui saluam Rempub. vellent, Gracchum in Capitolium persecutus oppresit. Cuius corpus Lucretij Ædilis manu in Tiberim missu, vnde ille Vespillo dictus. Nasica, vt inuidię subtraheretur, per speciẽ legationis in Asiã ablegatus est.

65. *C. Gracchus.*

CAIVS Gracchus, pestilentem Sardiniã Quæ-
D stor sortitus, non veniente successore sua sponte discessit. Asculanæ & Fregellanæ defectionis inuidiam sustinuit. Tribunus plebis agrarias & frumentarias leges tulit. colonos etiam Capuam & Tarentum mittendos censuit. Triũuiros agris diuidundis se, & Fuluium Flaccum, & C. Crassum constituit. Minucio Rufo Tribuno plebis legibus suis abrogãre in Capitolium venit: vbi cum Antilius præco Opimij consulis, in turba fuisset occisus, in forũ descendit: & imprudens cõcionem à
E Tribuno plebis auocauit. qua re arcessitus, cum in Senatum non venisset, armata familia Auentinum occupauit, vbi ab Opimio victus, dum à templo Dianæ desilit, talum intorsit, & Pomponio amico apud portam Trigeminam, P. Lætorio in Ponte Sublicio persequentibus resistẽtibus, lucum Furinæ peruenit. Ibi vel sua, vel serui Euphori manu interfectus, caput à Septimuleio amico Gracchi, ad Opimium relatum, auro expensum fertur, propter auaritiam infuso plumbo
F grauius effectum.

66. *M. Liuius Drusus.*

MARCVS Liuius Drusus, genere & eloquentia magnus, sed ambitiosus & superbus, Ædilis, munus magnificentissimum dedit: vbi Remmio collegæ, quædam de vtilitate Reipublicæ suggerenti, Quid tibi, inquit, cũ republica nostra? Quæstor in Asia nullis insignibus vti voluit, ne quid ipso esset insignius. Tribunus pleb. Latinis ciuitatem,
G plebi agros, equitibus Curiã, Senatui iudicia permisit. Nimiæ liberalitatis fuit: ipse etiã professus, nemini se ad largiẽdum præter cælum & cœnum reliquisse: ideóq; cũ pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulsam Mauritanię principẽ ob regis simultatem profugum, accepta pecunia Boccho prodidit, quem ille elephãto obijcit. Adherbalẽ filiũ regis Numidarũ obsidem domi suæ suppresit: redẽptionẽ eius occultã à patre sperans.

Cæpio-

Cæpionem inimicum, actionibus suis resistentem, A ait se de saxo Tarpeio præcipitaturum. Philippo Consuli, legibus Agrariis resistenti, ita collum in comitio obtorsit, vt multus sanguis efflueret è naribus: quam ille luxuriam opprobrans, muriam de turdis esse dicebat. Idem ex gratia nimia in inuidiam venit. nam plebes, acceptis agris gaudebat; expulsi dolebant: Equites in Senatum lecti, lætabantur; sed præteriti, querebantur: Senatus permissis iudiciis exsultabat, sed societatem cum Equitibus B ægre ferebat. Vnde Liuius anxius, vt Latinorum postulata differret, qui promissam ciuitatem flagitabant, repentè in publico concidit, siue morbo comitiali, seu hausto caprino sanguine, semianimis domum relatus. Vota pro illo per Italiam publicè suscepta sunt: & cùm Latini Consulem in Albano monte interfecturi essent, Philippum admonuit vt caueret. Vnde in Senatu accusatus, cùm domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Inuidia cædis apud Philippum, & Cæ- C pionem fuit.

67. C. Marius Pater.

Caivs Marius septies Consul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, legatus Metello in Numidia, criminando eũ Consulatum adeptus, Iugurtham captũ ante currũ egit. In proximum annum Consul vltrò factus, Teutones in Gallia apud aquas Sextias, Cimbros in Italia in campo Caudio vicit dèque his triumphauit. Sexies Consul per ordinem factus, Appu- D leium Saturninum Trib. plebis, & Glauciam Prætorem seditiosos, ex senatusconsulto interemit. Et cum Sulpicia rogatione prouinciam Sullæ eriperet, armis ab eo victus, Minturnis in palude delituit. Inuentus, & in carcerem coniectus, immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit: acceptáque nauicula in Africam traiecit. ibi diu exsulauit. Mox Cinnana dominatione reuocatus, ruptis ergastulis exercitum fecit: cæsisque E inimicis iniuriam vltus, septimo consulatu, vt quidam ferunt, voluntaria morte decessit.

68. C. Marius Fabius.

Caivs Marius filius, vigintiquinque annorũ, Consulatum inuasit: quem honorem tam immaturum mater fleuit. Hic patri sæuitia similis, Curiam armatus obsedit, inimicos trucidauit, quorũ corpora in Tiberim præcipitauit. In apparatu belli quod contra Sullam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defessus, sub dio requieuit: & absens victus, fugæ, non pugnæ interfuit. Præne- F ste confugit, vbi per Lucretium Offellam obsessus tentata per cuniculum fuga, cum omnia septa intelligeret, iugulandũ se Pontio Telesino præbuit.

69. L. Cornelius Cinna.

Lvcivs Cornelius Cinna flagitiosissimus, Remp. summa crudelitate vastauit. Primo consulatu legem de exsulibus reuocandis ferens, ab Octauio collega prohibitus, & honore priuatus, vrbe profugit: vocatísque ad pileum seruis, aduersarios vicit: Octauium interfecit: Ianiculum occupauit. I- G terum & tertium consulem seipse fecit. Quarto consulatu cùm bellum contra Sullam pararet Anconæ ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

70. C. Flauius Fimbria.

C. Flauius Fimbria (sæuissimus quippe Cinnæ satelles) Valerio Flacco Consuli legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, ducẽ interficiendũ curauit. Ipse correptis imperij insignibus, prouinciam ingressus. Mithradatem Pergamo expulit. Ilium, vbi tardius portæ paterent, incendi iussit: vbi Mineruæ templum inuiolatum stetit, quod diuina maiestate seruatum nemo dubitauit. Ibidẽ Fimbria militiæ principes securi percussit: mox à Sulla Pergami obsessus, corrupto exercitu desertus, semet occidit.

71. Viriathus Lusitanus.

Viriathvs genere Lusitanus, ob paupertatẽ primò mercenarius, deinde alacritate venator, audacia latro, ad postremum dux, bellum aduersum Romanos sumpsit, eorúmq; Imperatorem Claudium Vnimanum, dein C. Nigidiũ oppressit. Pacẽ à pop. Rom. maluit integer petere, quàm victus: & cùm alia dedisset, & arma retinerentur, bellum renouauit. Cæpio cum vincere eum aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathũ humi depositum peremerunt. Quæ victoria, quia empta erat, à Senatu non probata.

72. M. Æmilius Scaurus.

Marcvs Æmilius Scaurus nobilis, pauper, nam pater eius, quamuis Patricius, ob paupertatẽ, carbonarium negotium exercuit. Ipse primò dubitauit honores peteret, an argentariã faceret: sed eloquentiæ consultus, ex ea gloriam peperit. Primò in Hispania corniculo meruit. sub Oreste in Sardinia stipendia fecit. Ædilis, iuri reddendo magis, quàm muneri edẽdo studuit. Legatus Calpurnij, Iugurthæ aduersus: tandem eius pecunia victus. Consul legem de sumtibus & libertinorũ suffragiis tulit. P. Decium Prætorem transeunte ipso sedentem, iussit assurgere eiq; vestem scidit, sellam concidit: ne quis ad eum in ius iret, edixit. Cõsul Ligures & Gantiscos domuit, atque de his triumphauit. Censor viam Æmiliam strauit: Põtem Muluium fecit. Tãtumque auctoritate potuit, vt Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciã, & Saturninum, priuato consilio armaret. Idẽ filiũ suũ, quia præsidium deseruerat, in cõspectum suũ vetuit accedere: ille ob hoc dedecus mortem sibi cõsciuit. Scaurus senex, cum à Vario tribuno plebis argueretur, quasi socios & Latiũ ad arma coegisset, apud populum, ait, Varius Sucronensis Æmilium Scaurum ait socios ad arma coegisse: Scaurus negat. vtri potius credendum putatis?

73. L. Appuleius Saturninus.

Lvcivs Appuleius Saturninus, Tribun' plebis seditiosus, vt gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, vt veteranis centena agri iugera in Africa diuiderentur: intercedentem Bæbiũ collegam, facta per populum lapidatione, submouit. Glauciæ Prætori, quòd is eo die, quo ipse concionem habebat, ius dicendo partem populi auocasset, sellam concidit, vt magis popularis videretur. Quendam libertini ordinis subornauit, qui se Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc testimonium Sempronia soror Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, vt dedecus familiæ agnosceret. Saturninus Aulo Nonio competitore interfecto Tribunus pleb. refectus, Siciliam: Achaiam, Macedoniam nouis colonis destinauit & aurum, dolo, an scelere? Cæpionis partum, ad emtionem agrorum conuertit. Aqua & igni interdixit ei, qui in leges suas non iurasset. Huic legi multis nobilibus obrogantibus cum tonuisset, clamauit: Iam, inquit, nisi quiescitis, grandinabit. Metellus Numidicus exsulare quàm iurare maluit. Saturninus tertiò Tribunus pleb. refectus, vt satellitẽ suũ Glauciam Prætorem Con-

sulem faceret, Memmium, competitorem eius cãpo Martio necandum curauit. A Marius Senatusconsulto armatus, quo censebatur, darent operam Consules ne quid Respub. detrimẽti caperet, Saturninum & Glauciam in Capitolium persecutus obsedit, maximoque astu incisis fistulis in deditionem accepit: nec deditis fides seruata. Glauciæ fracta ceruix: Appuleius cùm in Curiam fugisset, lapidibus & tegulis desuper interfectus est. Caput eius Rabirius quidam Senator per conuiuia in ludibrium circumtulit.

B

74. L. Licinius Lucullus.

LVCIVS Lucullus, nobilis, disertus & diues, munus quæstorium amplissimum dedit. Ptolemæũ regem Alexandriæ Consuli Sullæ conciliauit: & mox per Murenam in Asia classem Mithradatis. Prætor Africam iustissimè rexit. Aduersus Mithradatem Cõsul missus, collegam suum Cottã Chalcedone obsessum liberauit. Cyzicum obsidio soluit: Mithradatis copias ferro & fame afflixit, cumque regno suo Ponto expulit. Quem rursum cum Tigrane rege Armeniæ subueniente magna felicitate C superauit. Nimius in habitu: maximè signorum & tabularum amore flagrauit. Pòst, cùm alienata mente desipere cœpisset, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est.

75. L. Cornelius Sulla.

CORNELIVS Sulla à fortuna Felix dictus, cùm paruulus à nutrice ferretur, mulier obuia, Salue, inquit, puer tibi & Reip. tuæ felix: & statim quæsita quæ hoc dixisset, nõ potuit inueniri. Hic Quæstor Marij, D Iugurtham à Boccho in deditionem accepit. Bello Cimbrico & Teutonico legatus, bonam operam nauauit. Prætor inter ciues ius dixit. Prætor Ciliciam prouinciam habuit. Bello sociali Samnites, Irpinosque superauit. Ne monumenta Bocchi tollerẽtur, Mario restitit. Consul Asiã sortitus, Mithradatem apud Orchomenum, & Cheroneam prœlio fudit. Archelaum præfectum eius Athenis vicit. Portum Piræum recepit. Enetos, & Dardanos in itinere superauit. Cũ rogatione Sulpicia imperium eius transferretur ad Marium, E in Italiam regressus, corruptis aduersariorũ exercitibus, Carbonem Italia expulit: Mariũ filium apud Sacriportum, Telesinum apud portam Collinam vicit. Mario Præneste interfecto, Felicem se edicto appellauit. Proscriptionis tabulas primus proposuit. Nouem millia deditorum in villa publica occîdit. Numerum sacerdotum auxit, Tribuniciã potestatem minuit, Repub. ordinata Dictaturam deposuit: vnde sperni cœptus Puteolos concessit: F & morbo, qui Phthiriasis vocatur, interiit.

76. Mithradates rex Ponti.

MITHRADATES rex Ponti, oriundus à septem Persis, magna vi animi & corporis, vt sexiuges equos regeret, duarum & viginti gentium ore loqueretur. Bello sociali dissidentibus Romanis, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. Literas per totam Asiam misit, vt quicumque Romanus esset, certa die interficeretur: & factum est. Græciam insulásq; omnes, excepta Rhodo, occupauit. Sulla eum prœlio vicit, classem eius proditione Archelai intercepit: ipsum apud Orchomenum opidum fudit, & oppressisset, nisi aduersum Marium festinans qualemcumque pacem componere maluisset. Deinde eum Cabiris resistentem Lucullus fudit, Mithradates pòst à Pompeio nocturno prœlio victus in regnum confugit: vbi per seditionem popularium à Pharnace filio in turre obsessus, venenum sumpsit. Quod cum tardius subiret, quia aduersum venena multis antea medicaminibus corpus firmarat immissum percussorem Gallum Sitocum, auctoritate vultus territum reuocauit, & in cædem suam manum trepidantis adiuuit.

77. Cn. Pompeius Magnus.

CN. Pompeius Magnus, ciuili bello Sullæ partes secutus, ita egit, vt ab eo maximè diligeretur. Siciliam sine bello à proscriptis recepit. Numidiã Hiarbæ ereptam, Massanissæ restituit. Viginti sex annos natus triumphauit. Lepidum acta Sullæ rescindere volentem, priuatus Italia fugauit. Prætor in Hispaniam pro consulibus missus, Sertorium vicit. Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditionem Mithradatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate [& celeritate] nunc in Septentrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Iberos: nunc in Oriente Parthos, Arabas, atque Iudæos, cum magno sui terrore penetrauit. Primus in Hyrcanum, Caspium, Rubrum, & Arabicum mare vsque peruenit. Mox cum diuiso orbis imperio, Crassus Syriam, Cæsar Galliam, Pompeius vrbem obtineret, post cædem Crassi, Cæsarem dimittere exercitum iussit: cuius infesto aduentu vrbe pulsus, in Pharsalia victus, ad Ptolemæũ Alexandriæ regem confugit. Eius imperio ab Achilla & Pothino satellitib' occisus est. [Huius latus sub oculis vxoris & liberorum à Septimio Ptolemæi præfecto mucrone cõfossum est. Iámque defuncti caput gladio præcisum, quod vsque ad ea tempora fuerat adoratum. Truncus Nilo iactus, à Seruio Codro rogo inustus, humatúsq; est, inscribente sepulchro, HIC SITVS EST MAGNVS POMPEIVS. Caput ab Achilla Ptolemæi satellite, Ægyptio velamine inuolutum, cum annulo Cæsari præsentatum est: qui non continens lacrymas, illud plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curauit.]

ADDI-

ADDITAMENTVM VIRORVM ILLVSTRIVM EX LIBRIS ANTIQ. MANV DESCRIPTIS.

78.*Iulius Cæsar.* I.



CAIVS Iulius Cæsar, veneratione rerum gestarum Diuus dictus: contubernalis Thermo in Asiam profectus; cùm sæpe ad Nicomedem regem Bithyniæ commearet, impudicitiæ infamatus est. Mox Dolabellam iudicio oppressit. Dū studiorum caussa Rhodum petit, à piratis captus & redemptus, eosdem & postea captos puniuit. Prætor Lusitaniam,& pòst Galliam, ab alpibus vsque ad Oceanum bis classe transgressus, Britanniā subegit. Cùm ei triumphus à Pompeio negaretur, armis eum vrbe pulsum in Pharsalia vicit. Capite eius ablato fleuit & honorificè sepeliri fecit: mox à satellitibus Ptolemæi obsessus, eorum & regis nece Pompeio parentauit. Pharnacem Mithradatis filium fama nominis fugauit. Iubam & Scipionem in Africa: Pompeios iuuenes in Hispania apud Mundam opidum ingenti prœlio vicit: deinde ignoscendo amicis, odia cum armis deposuit: nam Lentulum tantum, & Afranium, & Faustum Sullæ filium iussit occidi. Dictator in perpetuum factus à Senatu: in curia, Cassio & Bruto cædis auctoribus tribus & viginti vulneribus occisus est: cuius corpore pro rostris posito, Sol orbem suum celasse dicitur.

79.*Octauianus Cæsar.* II.

CÆSAR Octauianus, ex Octauia familia in Iuliam translatus, in vltionem Iulij Cæsaris, à quo heres fuerat institutus, Brutum & Cassium cædis auctores in Macedonia vicit. Sextum Pompeium Cn. Pompeij F. bona paterna repentem, in freto Siculo superaui Marcum Antonium Consulem Syriam obtinētem, amore Cleopatræ deuinctum, in Actiaco Ambraciæ litore debellauit: reliquam orbis partem per legato domuit. Huic Parthi signa, quæ Crasso sustulerant, vltro reddiderunt. Indi, Scythæ, Sarmatæ, Daci, quos non domuerat, dona miserunt. Iani gemini portas bis ante se clausas, primò sub Numa: iterum post primum Punicum bellum, sua manu clausit. Dictator in perpetuum factus, à Senatu, ob res gestas diuus Augustus est Appellatus.

80.*Cato Prætorius.* III.

CATO Prætorius, Catonis Censorij pronepos, cum in domo auunculi Drusi educaretur, nec pretio, nec minis potuit adduci à Q. Popedio Silone Marsorum Principe, vt fauere se caussæ sociorum diceret. Quæstor in Cyprum missus ac vehendam ex Ptolemæi hereditate pecuniam, cum summa eam fide perduxit: preterea coniuratos puniendos censuit. Bello ciuili, Pompeij partes secutus est: quo victo exercitum per deserta Africæ duxit, vbi Scipioni Consulari delatum ad se imperium concessit. Victis partibus, Vticam concessit, vbi filium hortatus, vt clementiam Cæsaris experiretur, ipse lecto Platonis libro, qui de bonis mortis est, semet occidit.

81.*M. Tullius Cicero.* IV.

MARCVS Tullius Cicero, genere Arpinas, patre Equite Romano natus, genus à Tito Tatio Rege duxit. Adulescens Rosciano iudicio eloquentiam, & libertatem suam aduersum Sullanos ostēdit: ex quo veritus inuidiam Athenas studiorum gratia petiuit, vbi Antiochum Academicum philosophum studiosè audiuit; inde eloquentiæ gratia Asiam, pòst Rhodum petiit, vbi Molonem Græcum, Rhetorem tum disertissimum magistrum habuit: qui flesse dicitur, quòd per hunc Græcia eloquentiæ laude priuaretur. Quæstor Siciliam habuit, Ædilis C. Verrem repetundarum damnauit. Prætor Ciliciam latrociniis liberauit. Consul cōiuratos capite puniuit. Mox inuidia P. Clodij, instinctuque Cæsaris & Pompeij, quos dominationis suspectos, eadem, qua quondam Sullanos, libertate perstrinxerat, sollicitatis Pisone & Gabinio Consulibus, qui Macedoniam Syriámque prouincias in stipendium opera huius acceperāt, in exsilium actus: mox ipso referente Pompeio rediit, eumque ciuili bello secutus est. Quo victo, veniam à Cæsare vltrò accepit: quo interfecto Augustum fouit: Antonium hostē iudicauit. Et cum triuiros se fecissent, Cæsar, Lepidus, Antoniusque, concordia non aliter visa est inter eos iungi posse: nisi Tullius necaretur: qui, immissis ab Antonio percussoribus, cùm fortè Formiis quiesceret, imminens exitium coruí auspicio didicit: & fugiens occisus est. Caput ad Antonium relatum.

82.*Marcus Brutus.* V.

MARCVS Brutus auunculi Catonis imitator, Athenis Philosophiam, Rhodi eloquentiam didicit. Cytheridem mimam cum Antonio & Gallo amauit. Quæstor in Galliam proficisci noluit, quòd is bonis omnibus displicebat. Cum Appio Claudio in Cilicia fuit: & cùm ille repetundarum accusaretur; ipse ne verbo quidem infamatus est. Ciuili bello à Catone ex Cilicia retractus, Pompeiū

secutus est quo victo, veniam à Cæsare accepit, A & Proconsul Galliam rexit, tamen cum aliis coniuratis in Curia Cæsarem occidit. Et ob inuidiam veteranorum in Macedoniam missus, ab Augusto campis Philippicis victus, Stratoni ceruicem præbuit.

83. *C. Cassius Longinus.* VI.

CAIVS Cassius Longinus, Quæstor Crassi in Syria fuit, post cuius cædem, collectis reliquiis in Syriam rediit. Osacem præfectum regium apud Orontem fluuium superauit. Dein quòd coemtis B Syriacis mercibus fœdissimè negotiaretur: Caruota cognominatus est. Tribunus pleb. Cæsarem oppugnauit. Bello ciuili Pompeium secutus classi præfuit: à Cæsare veniam accepit, tamen aduersus eum coniurationis auctor cum Bruto fuit, & in cæde dubitanti cuidam, Vel per me inquit, feri: magnoq; exercitu comparato in Macedonia Bruto coniunctus in campis Philippicis ab Antonio victus, cùm eandem fortunam Bruti putaret, qui Cæsarem vicerat, Pandaro liberto iugulum præ- C buit. Cuius morte audita, Antonius exclamasse dicitur, Vici.

84. *Sextus Pompeius.* VII.

SEXTVS Pompeius in Hispania apud Mundam victus, amisso fratre, reliquiis exercitus collectis Siciliam petiit: vbi ruptis ergastulis mare obsedit. Interceptis commeatibus Italiam vexauit: & cùm mari feliciter vteretur, Neptuni se filium confessus est, cúmque bobus auratis & equo placauit. Pace facta epulatus in naui cum Antonio & Cæ- D sare non inuenustè ait: Hæ sunt meæ carinæ: quia Romæ in Carinis domum eius Antonius tenebat. Rupto per eundem Antonium fœdere. Sextus ab Augusto per Agrippam nauali prœlio victus in Asiá fugit, vbi ab Antonianis militibus occisus est.

85. *Marcus Antonius.* VIII.

MARCVS Antonius in omnibus expeditionib. Iulio Cæsari comes, Lupercalibus diadema ei imponere tentauit; mortuo diuinos honores decreuit. Augustú perfidiosè tractauit, à quo apud Mutinam victus, Perusij fame domitus in Galliam fugit: ibi Lepidum sibi collegam adiunxit: Brutú, exercitu eius corrupto, occidit. Reparatis viribus in Italiam regressus cum Cæsare in gratiam rediit. Triumuir factus, proscriptionem à Lucio Cæsare auunculo suo cœpit. In Syriam missus bellum Parthis intulit, à quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Ægyptum perduxit, ibi Cleopatræ amore deuinctus in Actiaco littore ab Augusto victus est. In Alexandriam regressus, cum habitu regio in solio regali sedisset, necem sibi consciuit.

86. *Cleopatra Regina.* IX.

CLEOPATRA Ptolemæi regis Ægyptiorum filia à fratre suo Ptolemæo eodémque marito, quem fraudare regno voluerat, pulsa, ad Cæsarem bello ciuili in Alexandriam venit: ab eo specie sua & concubitu, regnum Ptolemæi & necem impetrauit. Hæc tantæ libidinis fuit, vt sæpè prostiterit: tantæ pulchritudinis, vt multi noctem illius morte emerint. Postea Antonio iuncta, cum eo victa, cum se illi inferias ferre simularet in Mausoleo eius, admotis aspidibus periit.

AVRELII VICTORIS HISTORIAE ABBREVIATAE PARS ALTERA:

Ab Octauiano Augusto, id est, à fine Titi Liuij, vsque ad Consulatum decimum Constantij Augusti, & Iuliani Cæsaris tertium.

ANNO Vrbis septingentesimo A ferè, vicesimoque II. etiam mos Romæ incessit, vni prorsus parendi: námque OCTAVIANVS patre OCTAVIO, atque adoptione magni auunculi Cæsaris, ac mox Procerum consulto ob victoriam patriam placidè exercitam: AVGVSTI cognomento dictus, illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit: eoque modo annis quatuor circiter & B quadraginta actis, morbo Nolæ consumtus, adiectis imperio ciuium Rhætis, Illyricoque, ac pacata externarum gentium ferocia, nisi Germaniæ: quamquam tertius post NVMAM victo ANTONIO, Ianum clauserit, quod iure Romano quiescentibus belli accidebat. Mores viro ciuiles lepidíque flagrante haud modicè luxuria, ludorumque cupidine, atque ad somnum intemperantiæ. Doctorum, qui abundè erant, necessariorumque percultor, cum eloquentiæ studio, ac religionibus mirè retineretur. *Pater Patriæ*, ob clementiam ac Tribunicia potestate perpetuò habitus: hincque vti Deo, Romæ prouinciísque omnibus per vrbes celeberrimas, viuo, mortuoque templa sacerdotes & collegia sacrauere. Felix adeò (absque liberis tamen, simulque coniugio) vt Indi, Scythæ, Garamantes, ac Bactri legatos mitterent orando fœderi.

DEIN CLAVDIVS TIBERIVS NERO, in Augusti liberosè priuigno redactus arrogatione, vbi quæ metuebantur, satis tuta animaduertit, Imperium complexus est: cuius nomen astu obtinebat: subdolus & occultior, iisque sæpe simulando infensus, quæ maximè cuperet, & insidiosè deditus, quæ odio erant: ingenio ad repentina longè acriore: bonis initiis idem perniciosus, quæsitissimis in omne m

omnem ferè ætatem sexúmque libidinibus: atque A atrocius puniens insontes, suos pariter externósque. Adhuc dum vrbes & conuentus [adhuc] exsecratur. Capreas insulam quæsierat flagitiis obtentui. Quare solutis militiæ artibus direpta pleraq; iuris Romani: nihilque præter Cappadocas, idque inter exedra, in prouincia subactum, remoto rege Archelao, compressaque Gætulorum latrocinia, quæ de Farnace duce passim proruperant. Prætorias, quæ dispersæ proximis municipiis, seu Romæ queque per domos habebantur, in castra apud B Vrbem redegit; qua tenebantur, Præfecturam appellans, vel augens, Prætorio. Nam ceteros paritorum Præsidésque, Augustus instituerat.

IGITVR Claudio Tiberio iam insidiis oppresso, cùm imperium tres atque viginti, æui octogesimum, vno minus, annos egisset, CAIVS CÆSAR cognomento CALIGVLA auentibus cunctis deligitur, maiorum gratiæ parentúmque. Nam per filiam proauus Augustus: genere materno, Agrippa: Drusus Germanici pater, è quo is oriebatur aui erant. Quorum modestia atque immaturo, absque C Octauiani, interitu, vulgus simul matris fratrumque, quos Tiberius exitio interceperat, permouebatur. Qua caussa nitebantur omnes casum tantæ familiæ lenire adolescentuli spe: tum quia natus in exercitu (vnde cognomentum calciamento militari quæsiuerat) legionibus carus acceptusque habebatur. Præterea prudentissimus quisque similem fore sui credebat, quod longè secus, *quasi naturæ lege*, quæ crebro tamquam ex industria malos è bonis, agrestes è doctoribus, & ceteros huiuscemodi seu contra gignit. Quo demum exemplo, sa- D pientium plures caruisse liberis vtilius duxere. Ceterum in Caligula haudquaquam vero plurimum aberant; quippe qui diu immania animi ita pudore, ac parendi specie obtexerat, vti merito vulgaretur, neque meliores famulos neque atrociorem dominum illo fuisse. Denique nactus potestatem, vti talia ingenia veteris solent anni mensibus, egregia ad populum iter partes cum militibus gessit: delatáque coniuratione, quasi minus credens, prædicaret, vix conuenire in eum, cuius vita nullius oneri aut incommodo esset. Sed repen- E te cesis primum vario facinore innocentium paucioribus, tamquam belluæ hausto sanguine ingenium exercuit: itaque deinceps triennium consumtum, cùm Senatus atq; optimi cuiusque multiplici clade terrarum orbis fœdaretur, quin etiam sororum stupro ac matrimoniis illudens nobilibus, Deorum habitu incedebat, cùm Iouem se ob incestum: ex thoro autem Bacchanali Liberum se assereret. Neque secus contractis ad vnum legionibus spe in Germaniam transgrediendi; conchas vmbilicosque in ora maris Oceani legi iussit: cum F ipse nunc fluxo cultu Venerioque interesset nūc armatus spolia à se non ex hominibus, sed cælestium capi dictitaret: scilicet, quòd huiusmodi pisces Græcorum dicto, quis augendi omnia studium est, Nympharum lumina accepisset. His elatus dominum dici, atque insigne regni capiti nectere tentauerat. Qua caussa auctore Chærea moti, quibus Romana virtus inerat, tanta pernicie Rempub. confosso eo leuare: prælatumque excellens Bruti facinus eiecto Tarquinio foret, si per Quirites modò militia exerceretur. Verum vbi G ciues desidia externos, Barbarosque in exercitum cogere libido incessit: corruptis moribus libertas oppressa atque habendi auctum studium. Interim dum Senatus decreto gentem Cæsarū, etiam muliebri sexu, omnémque affinitatem armati persequuntur, forte vnius ortu Epiri è cohortibus quæ palatium per opportunos loco obsidebant, Tib. Claudium occultantem se reperit deformi latebra: protractóque eo exclamat apud socios, si sapiant, adesse principem. Et sanè, quia vecors erat, mitissimus videbatur imprudentibus: quæ res aduersum nefariam patrui Neronis mentem auxilio, neque apud fratris filium Caligulam inuidiæ fuit: quin etiam militares plebísque animos conciliauerat, dum flagrante suorum dominatione, ipse contemtui miserabilior haberetur. Talia plerisque memorantibus, repentè eum, nullo retractante, quæ aderant turbæ circumsistunt, simulque affluebāt reliqui militum & vulgi magna vis. Quod vbi Patres accepêre, mittunt ocyus ausum comprimere. Sed postquam variis, tetrisque seditionibus ciuitas cunctique ordines lacerabantur, tanquam ex imperio omnes dedere se. Ita Romæ Regia potestas firmata, proditumq; apertius *mortalium conatus* vacuos à Fortuna cassósque esse.

IGITVR CLAVDIVS, quamquam ventri fœdè obediens, vecors iuxtà atque immemor, pauidusque animi & ignauior esset: pleraque per formidinem tamen egregiè consultabat, Nobilitatis præcipuæ consiliis, quæ metu colebatur: quippe *stolidorum ingenia* proinde agunt, vti monitores sunt. Denique bonis auctoribus compressa per eum vitia, ac per Galliam Druidarum famosæ superstitiones: lata iura quàm commodissima: curatum militiæ officium: retenti fines, seu dati imperio Romano, Mesopotamia per Orientem: Rhenus, Danubiusque ad Septemtrionem: & à Meridie Mauri accessere prouinciis, dêtis regibus post Iubam: cæsáque Musalamiorum manus: simul, vltima occasus, Britanniæ partes contusæ, quam solam adiit, Ostia profectus mari: nam cetera duces curauere. Adhuc annonæ egestas composita quā Caligula induxerat, dum adactis toto orbe nauigiis, peruium mare theatris curribusque damno publico efficere contendit. Neque secus censu nouato, cum Senatu motis pluribus, lasciuum adolescentem, quem sibi probatum patrem asseruerat, retinuisset, Censorem & liberis patrem debere esse, rectè adiecerat. Ast vbi Messalinæ coniugis, simulque libertorum delinimentis, quibus semet dediderat, in prauum abstractus, non illa modo Tyrannorum admissa, verùm quæ postremum genus mulierum, atque seruile quibat facere viro amenti dominoque. Námque vxor primò passimque, quasi iure, adulteris vtebatur: eoque extincti cum suis plerique, ingenio, seu metu abstinentes: dum peruagatis mulierū artibus peti se à petitis criminatur. Dehinc atrociùs accensa, nobiliores quasque nuptas, & virgines, scortorum modo secum prostituerat: coactique mares vti adessent: quod si qui talia horruerat: afficto crimine, in ipsum omnémque familiam sæuiebatur. Namque Claudium, vti suprà docuimus, natura performidolosum, iniecto metu sui agitabant, maximè coniurationis: quo commento liberti etiam, quos vellent, perditum ibant. Qui primò sceleribus collubentes, vbi pares patronæ facti sunt, eam quoque ignaro, quasi iubente tamen, domino, per satellites interfecere. Et sanè in id progressa mulier erat, vti, animi ac pellicum gratia Ostiam profecto, Romæ nuptias cum altero frequentaret, & hinc notior, dum mirū videtur apud Imperatorem

virum, quàm Imperatori nuptam esse. Ita liberti A potestatem nacti summam stupris, exsilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœdabant, eoque herilem stultitiam perpulere, vti senex fratris filiam in nuptias concupisceret. Quæ quamuis superiore abstrudior haberetur idcircoque paria extimesceret, veneno coniugem interemit. Huius anno sexto, cùm quatuordecim regnarit, octingentesimus Vrbis mirè celebratus, visúsq; apud Ægyptum Phœnix, quam volucrem ferunt anno quinquagesimo B ex Arabis memoratos locos aduolare: atque in Ægeo mari repentè insula ingés emersit, nocte qua defectus Lunæ acciderat. Tetrum funus vti quondam in prisco Tarquinio, diu occultatú: dum arte mulieris corrupti custodes, ægrum simulant, atque ab eo mandatam interim priuigno, quem paulo antè in liberos adsciuerat, curam Reipub.

Eo modo L. DOMITIVS (nam id certè nomẽ Neroni, patre Domitio, erat) Imperator factus est. Qui cùm longè adolescens dominatum parem C annis vitrico gessisset, quinquennium tamen tantus fuit, augenda vrbe maximè, vti merito Traianus sæpius testaretur, *procul differre* cunctos principes Neronis quinquennio: quo etiam Pontum in ius prouinciæ, Polemonis permissu, redegit, cuius gratia Polemoniacus Pontus appellatur: itémque Cottias alpes, Cottio rege mortuo. Quare satis compertum *neque æuum* impedimento, virtuti esse: eam facile mutari, corrupto per licentiam ingenio: omissamque adolescentiæ quasi legem perniciosius repeti. Námque eo dedecore reliquum D vitæ egit, vti pigeat, pudeatque memorare huiuscemodi quemquam, nedum rectorem gentium, fuisse. Qui dum psallere per cœtus, Græcorum inuento, in certamen coronæ cœpisset, eò progressus est, vti neque suæ, neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam Senatu, dote data cunctis festa more celebrantibus, in manum conueniret lecto ex omnibus prodigiosis. Quod sanè in eo [narrantur scelera Neronis] lenius æstimandum. Quippe noxio- E rum vinctis modo, pelle tectus feræ, vtrique sexui genitalia vultu contrectabat; Exactor patium maiore flagitio. Atque inter hæc matrem etiam contaminauisse plures habent, dum ea quoq; dominádi ardore, scelere quolibet subiici filium cupit. Id ego, quamquá scriptoribus diuersa firmantibus, verum puto. Namque *vbi mentem* inuaserint vitia, nequaquam verecundiæ externis societate humanius datur peccandi consuetudo, noua, & eo dulciora, affectans, ad extremum in suos agens: quod F his proditum magis, dum quasi quodam progressu, illa per alteros ad patrui nuptias, atq; alienorum cruciatibus, mariti exitium: hic, paulatim ad sacerdotem Vestæ, deinde in se, postremò vterq; in suis scelus processerunt. Neque bládimẽtis talibus tamen coalescere potuêre, sed eo præceps dati, dum insidiátur inuicem, mater peruersa interiit. Igitur cùm omne ius, fásq; parricidio triuisset, ac magis, magísque in optimos sæuiretur, coniurauere plu- G res varia sanè tẽpestate, ad liberandá Remp. Quis proditis, cæsisque immanior, vrbem incendio, plebé feris vulgo emissis, Senatum pari morte tollere decreuerat, noua sede regno quæsita, maximeq; incitante legato Parthorú, qui fortè inter epulas, aulicis, vti mos est, canentibus, cum sibi citharistá poposcisset, responso dato, liberum esse adiecerat, sumeret ipse quem vellet è suis, ostentans qui cóuiuio aderat: quòd *liber sub* imperio nullus haberetur. Ac ni Galba, qui Hispaniæ præsidebat, cognito mandatum sui exitium, quamquam senecta ætate, imperio correpto subuenisset, tantú facinus haud dubiè patraretur. Verum eius aduentu desertus vndique, nisi ab spadone, qué quondá exsectú formare in mulierem tentauerat, semet ictu transegit: cum implorans percussorem, diu ne ad mortem quidem meruisset cuiusquam officium.

Hic finis Cæsarum genti fuit, quem fore, prodigiorum multa denunciauere, præcipuéque eorum B prædijs arescens lauri nemus dicatum triumphantibus, atque interitus gallinarum, quæ adeo multæ, albæque aptiores erant religionibus, vt ijs Romæ habeatur hodie locus.

AT GALBA, haud secus nobilis è gente clarissima Sulpiciorum, vbi Romam ingressus est, quasi luxuriæ aut etiam crudelitati auxilio veniret, tasset, rapere, trahere, vexare, ac fœdam in modum vastare cuncta, & polluere. Quîs rebus intolerabi- C lior (dum *grauius offendunt* quos mollius consulturos spes erat, simul quia opes militum nimis pecuniæ cupidus attenuauerat, Othone authore interficitur: qui prælatum adoptione eius Pisonem impatientius dolens, accensas cohortes, armatasque in forum deduxerat. Quò cùm lorica tectus Galba tumultum leniturus contenderet, ad lacum Curtium cæsus est mense Imperij ac die septimo.

IGITVR SALVIVS OTHO, Neroni quoque quondam criminosè familiaris, haud multo sane D adolescentiæ grandior potentiá inuadit. Quam ferè quinque & octoginta præcognitis moribus potius, postquam à Vitellio, qui è Gallia descenderat, Veronensi prœlio pulsus est, mortem sibi consciuit.

ITA ad AVLVM VITELLIVM potestas delata, quæ progressu funestior talibus initijs fuisset, ni Vespasianus aliquandiu Iudæorum bello, quod Neronis iussu susceperat, impensius attineretur. Is vbi gesta per Galbam, ipsumque oppressum acce- E pit, simul quoniam legati Mœsiæ, Pannoniæque exercitus hortantium venerant, Imperium cepit. Namque milites prædicti, postquam Othonem à prætorijs, Vitellium Germanicianis legionibus factum competere, æmuli, vt inter se solent, ne dissimiles viderentur, Vespasianum pro parte imperatorem fecere, quem iam Syriacæ cohortes ob egregia vitæ consenserant. Quippe Vespasianus noua Senatoria familia, Reatinis maioribus, industria rebusque pacis ac familiæ longe nobilis habebatur. Huius le- F gatorum in Italiam transgressu, fusisque apud Cremonam suis, Vitellius ab Sabino, Vrbi præfecto, Vespasiani fratre, sestertium millies pepigerat arbitris militibus Imperio decedere: sed postquam mox circumuentum se nuncio ratus est, quasi renouato furore ipsum ceterosque aduersæ partis in Capitolio, quod saluti remediú ceperát, cremauit. Ast vbi vera esse, ac propinquare hostes patefactum est, productus è tugurio, quò se abdiderat, ianitoris iniecto laqueo, parricidarum more ad scalas G Gemonias, perque eas pertractus, simul ictibus, quantum quisque valuerat, confosso corpore, in Tiberim deijcitur, tyrannidis octauo mense, annos natus septuaginta, & quinque amplius.

Hi omnes, quos paucis attigi, præcipueque Cæsarum gens adeò literis culti, atque eloquentia fuere, vt ni cũctis vitijs absque Augusto nimij forent, tátæ artes profectò texissent modica flagitia. Quîs rebus quáquam satis cõstet præstare mores, tamen cuique præsertim summo Rectori, vtroq; si queat,

queat, iuxta opus: sin autem vitæ proposito in immensum progrediente, elegantiæ satis atque autoritatis sumat eruditionem. A

Hoc item ex genere VESPASIANVS, sanctus omnia, facundiæ haud egens promendis quæ senserat exsanguem diu fessúmque terrarum orbem breui refecit. Namque primum satellites tyrannidis, nisi qui fortè atrocius longè processerant flectere potius maluit, quàm excruciatos delere: Prudentissimè ratus, *nefaria ministeria* à pluribus metu curari. Dein coniurationum multas scelere inulto abscedere patiebatur, comiter, vti erat, stultitiæ arguens, qui ignorarent, *quantæ moles* molestiáque imperio inesset. Simul diuinis deditus (quorum vera plerisque negotiis compererat) successores fidebat liberos Titum ac Domitianum fore. Præterea legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie vitiorum plura aboleuerat. Infirmius tamen, vti quidam prauè putant, aduersum pecuniam: cùm satis constet, ærarij inopia ac labe vrbium, nouas eum neque aliquandiu postea habitas, vectigalium pensiones exquisiuisse. Namque Romæ Capitolium, quod conflagratum suprà memorauimus, ædes Pacis, Claudij monumenta, Amphitheatri tanta vis, multæque aliæ, ac forum, cœpta ac patrata. Adhuc per omnes terras, qua ius Romanum est, renouatæ vrbes cultu egregio, viæque operibus maximis munitæ, & cauati montes per Flaminiam, prono transgressu. Quæ tot tantáque breui confecta, intactis cultoribus, prudentiam magis quàm auaritiam probauere. Simul censu more veterum exercito, Senatu motus probrosior quisque, ac, lectis vndique optimis viris, mille gentes compositæ, cùm ducentas ægerrimè repperisset, exstinctis sæuitia Tyrannorum plerisque. Ac bello Rex Parthorum Vologesus in pacem coactus, atque in prouinciam Syriæ, cui Palæstinæ nomen, Iudæíque annitente filio Tito: quem transgrediens in Italiam reliquerat externæ militiæ, moxque victorem Præfectura Prætorio extulerat. Vnde etiam honos is, ingens à principio tumidior, atque alter ab Augusto imperio fuit. Verum hac tempestate dum honorum honestas despicatur, mistique bonis indocti, ac prudentibus E insciens sunt, fecere nomen plerique potentia vacuum, insolens per iniurias, subiectum pessimo cuique, & annonæ specie rapax.

CETERVM TITVS, postquam imperium adeptus est, incredibile [est] quantum quem imitabatur anteierit: præsertim literis, clementiáque ac muneribus. Denique dum concessa per priores Principes firmari ab insequentibus mos esset, simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cauit, prospexitque: neque minus sanctè faciliis in tuendis, qui fortè in se conspirassent: adeo vt cùm amplissimi ordinis duo, abnuere cogitatum scelus nequirent, Patrésque censuissent de confessis supplicium sumendum, deductus in spectaculum, se vtrimque assidere iussit, petitoque ex industria gladiatoris, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, vni atque alteri committeret. Quîs perculsis, & constantiam mirantibus. Videtisne, inquit, *potestates fato* dari, frustráque tentari facinus potiundi spe vel amittendi metu? Ita biennio pòst ac mensibus ferè nouem, Amphitheatri perfecto opere, lautusque veneno interiit, anno æui quadragesimo, cùm eius pater septuagesimo obiisset, Imperator decennij. Huius sanè mors adeò prouinciis luctui fuit, vti,

F G

generis humani delicias appellantes, orbatum orbem deflerent.

IGITVR DOMITIANVS, fratris atque Imperatoris optimi nece, priuato scelere publicoque amentior, simul maculosæ adolescentiæ prædas, cædem, supplicia agere occœpit. Maior libidinum flagitio, ac plus quàm superbè vtens patribus: quippe qui se Dominum Deumque dici coegerit: quod confestim ab insequentibus remotum, validius multò posthac deinceps, retulere. Sed Domitianus primò clementiam simulans, neque adeò iners domi, belloque tolerantior videbatur. Idcircoque Dacis & Cattorum manu deuictis, Septébrem Octobrémque menses Germanici superiorem, è suo nomine alterum appellauerat: multáque opera inchoata per patrem, vel fratris studio, atque in primis Capitolium absoluit. Dehinc atrox cædibus bonorum, segnisque ridiculè remotis procul omnibus, muscarum agmina persequebatur, postquam ad libidinem minus virium erat, cuius fœdum exercitium Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat: hincque iocorum pleraque: nam percunctanti cuidã, Quisquámne in Palatio esset, responsum: Ne musca quidem, nisi fortè apud palæstram. Is ergo magis magísque sæuitia nimius, eoque suspectior, etiam suis libertorum consilio, vxore nó ignara, quæ amorem histrionis viro prætulerat, pœnas luit, quinto & quadragesimo anno vitæ, dominationis circiter quintodecimo. At Senatus gladiatoris more funus ferri, radendumque nomé decreuit. Quo moti milites, quibus priuatæ commoditates dispédio publico largius procedút, auctores necis ad supplicium petere, more suo seditiosius, cœperunt. Qui vix ægréque per prudentes cohibiti tandem in gratiam Optimatum côuenêre. Neque minus per se moliebátur bellum, quod his conuersum imperium mæstitiæ erat, ob omissionem prædarum per dona munifica.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti Imperium rexêre: hinc aduenæ, nescio quoque an, vt in Prisco Tarquinio, longè meliores. At mihi quidem audienti multa legentique planè compertum, *vrbem Romam* externorum virtute, atque insitiuis artibus præcipuè creuisse.

QVID enim NERVA Cretensi prudentius, magísque moderatum? Qui cum extrema ætate apud Sequanos, quo tyranni defecit metu, Imperium arbitrio legionum cepisset, vbi prospexit, nisi à superioribus robustioribúsque corpore, animoque geri non posse, mense sexto ac decimo semet eo abdicauit, dedicato prius foro, quod appellatur Peruium: quo ædes Mineruæ eminentior consurgit, & magnificentior. Id cum semper *egregium sit*, metiri, quantum queas, neque ambitione præceps agi, tum in imperio: cuius adeò cupidi mortales sunt, vt id vel vltima senectus auidè petat. Huc accedit quod suffecti virtute quantus consilio esset, magis magísque patefecit.

NAMQVE VLPIVM TRAIANVM, Italica vrbe Hispaniæ ortum amplissimi ordinis tamen atque consulari loco, adrogatum accepit & dedit. Hoc ægre clarior domi, seu militiæ reperietur. Quippe primus, aut solus etiam, vires Romanas trans Istrum propagauit, domitis in prouinciam Dacorum, pileatis Sacisque nationibus, Decibalo Rege ac Sardoniis: simul ad ortum solis cunctæ gentes, quæ inter Indum & Euphratem amnes inclytos sunt, concussæ bello, atque imperati obsides Persarum regi, nomine Cosdroe, & inter ea

iter conditum per feras gentes, quo facilè ab vsq; Pontico mari, in Galliam permeatur. Castra suspectioribus atque opportunis locis exstructa, pónsque Danubio impositus, ac deductæ coloniarum pleræque. Adhuc Romæ à Domitiano capta fora: atque alia multa, plusquam magnificè coluit, ornauitque & annonæ perpetuæ mirè consultum, reperto firmatoq. Pistorū collegio: simul noscendis ocyus, quæ vbique è Rep. gerebantur, admota media publici cursus. Quod equidem minus satis B vtile, in pestem orbis Romani vertit posteriorum auaritia, insolentiaq; nisi quòd his annis [illegible] vires Illyrico sunt, præfecto medente Anatolio, *Bonis [illegible] in Rep. nihil est,* quod in diuersum trahi nequeat [illegible] moribus præsidentium. Æquus, clemens, patientissimus, atque in amicos perfidelis: Quippe qui Suræ familiari opus sacrauerit, quæ Suranæ sunt; vsque eo innocentiæ fidens, vti Præfectum Pretorio Saburanum nomine, cùm insigne C potestatis, vti mos erat, pugionem daret, crebro monuerit: Tibi istum ad munimentum mei committo, si rectè agam: sin aliter, in me magis: Quod *moderatorem* omniū vel errare minus fas sit. Quin etiam vinolentiam, quo vitio, vti Nerua, angebatur, prudentia molliuerat, curari vetans iussa post longiores epulas. His virtutibus acto imperio annos prope viginti, cùm terræ motu graui apud Antiochiam cæteraque Syriæ extremis afficeretur, rogatu Patrum militiam repetens morbo periit, grandæua D ætate, adscito prius ad imperium Hadriano ciuem propinquoque. Abhinc diuisa nomina Cæsarum atque Augusti, inductúmque in Rempublicam, vti duo, seu plures summæ potentiæ dissimiles, cognomento ac potestate dispari sint. Quamquam alij Plotinæ, Traiani coniugis fauore imperium assecutum putent, quæ viri testamento hæredem regni institutum simularat.

IGITVR ÆLIVS HADRIANVS eloquio, togeque studiis accommodatior, pace ad Orientem E composita, Romam regreditur: ibi Græcorum more, seu Pompilij Numæ, cærimonias, leges, gymnasia, doctoresq; curare occœpit: adeoquidem, vt etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæū vocant, constitueret. Atque initia Cereris, Liberæque quæ Eleusina dicitur, Atheniensium modo Roma percoleret. Deinde, vti solet, tranquillis rebus, remissior, rus proprium Tibur secessit, permissa Vrbe Lucio Ælio Cæsari: ipse, vti beatis locupletibus mos, palatia exstruere, curare epulas, signa, tabulas pictas: postremo omnia satis anxiè F prospicere, quæ luxus lasciuiæque essent. Hinc orti rumores mali, iniecisse stupra puberibus, atque Antinoi flagrasse famoso ministerio. neque alia de caussa vrbem conditā eius nomine, aut locasse Ephebo statuas: quæ quidem alij pia volunt, religiosaque: quippe Adriano cupiente fatum producere, cùm voluntarium ad vicem Magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum obiecisse se referunt: hincque eum officia supradicta. Nos rem in medio relinquemus: quamquam in remisso ingenio suspectam æstimantes societatem ætatis longè imparilis. Interim Ælio Cæsare mortuo, cùm ipse animo parum valeret, idque [illegible] ctui haberetur, ad creandum Cæsarem Patres conuocat. Quibus properè accurrentibus forte Antonium conspexit senis soceri, aut genitoris annos gressus leuantem manu: quo [illegible] oblectatus adoptatum legibus Cæsarem iubet: statimque ab eo Senatus, cui ludibrio fuerat, magná partem necari. Neque multò pòst apud Baias tabe interiit anno imperij, absque mense, vicesimo secundo, senecta viridiore. At patres ne Principis oratu quidem ad Diui honorem eidem deferēdum flectebantur, tantum amissos sui ordinis tot viros mœrebant. Sed postquam, subitò prodiere, quorum exitium dolori erat, quique suos complexi, censent quod abnuerant.

AVRELIO ANTONINO cognomētum Pij. Hūc B fere nulla vitiorum labes maculauit. Vir veterrimæ familiæ è Lanuuino municipio, Senator vrbis: adeò æqualis, probisque moribus, vti planè docuerit, neque [illegible] pace, ac longo otio absolutis ingenia corrumpi: eoque demum *fortunatas vrbes* fore, si regna sapientia [illegible]. denique annis, quibus publica egit, viginti, idem mansit, celebrato magnificè vrbis nongentesimo. Nisi fortè triumphorum expertem socordiæ videtur: quod longè [illegible] est, C cum maius haud dubiè sit, neque quemquam [illegible] bare ausum composita, neque ipsum [illegible] di sui bellum fecisse quietis [illegible]ibus. Qu[illegible] maribus frustratus, filiæ viro Reipublicæ [illegible] tauit.

NAMQVE M. Boionium qui Aurelius ANTONINVS habetur, eodem oppido, pari nobilitate, philosophandi verò, eloquentiæ [illegible] præstantem in familiam atque imperium [illegible]. Cuius diuina omnia domi, militiæque [illegible] D sultáque: quæ imprudentia regendæ coniugis [illegible] taminauit. quæ in tantum petulantiæ [illegible], vt in Campania sedes, amœna litorum [illegible] ad legendos ex nauticis, quia p[illegible] gunt, flagitiis aptiores. Igitur Aurelius, [illegible] pud Lorios, anno vitæ post quintum & septuagesimum mortuo, confestim fratrem L[illegible] RVM in societatem potentiæ accepit. [illegible] Persæ, cum primum superauissent, ad [illegible] triumpho cessere, Rege Vologeso. [illegible] E diebus moritur: hincque ma[illegible]eries [illegible] consanguinei circumuentum. quem [illegible] inuidia gestarum rerum angeret [illegible] cœnam exercuisse. Námque lita [illegible] parte, valuæ frustum, quod de industria [illegible] rat, eo præcidit: consumtoque vno, vti m[illegible] ter familiares; alterum, qua viros con[illegible] mano porrexit. Hæc in tanto viro [illegible] mi ad scelus proni, non queunt. Quippe cum L[illegible] cium satis constet Altini Venetiæ [illegible] tum, tantumque Marco sapientiæ, lenitudi[illegible] nocentiæ ac literarum [illegible], vt is Marcom[illegible] F cum filio Commodo [illegible] Cæsarem [illegible] petiturus, philosophorum obtestantium [illegible] funderetur, ne[illegible] expeditioni aut pugnæ [illegible] committeret, quam sectarum ardua & occ[illegible] plana [illegible]. Ita incerta belli eius salute d[illegible] studiis [illegible] ut tantúmque illo in[illegible] t[illegible] bonæ, vt illam gloriam [illegible] po[illegible]. Legum ambigua m[illegible] [illegible]inque solemn[illegible] o[illegible] lit[illegible]endæque ad diē c[illegible] Da[illegible] promiscue ci[illegible] vrb[illegible] comitiæ, deductæ, repa[illegible] in primis [illegible] Karthago [illegible] consumserat; Asiæque Ephesus ac Bithyniæ Nicomedia constrata terræmotu, [illegible] tate Nicomedia [illegible] nationibus quæ regi M[illegible]comaro [illegible] Pannoniæ, cui Carnuntum nomen est, ad medio Gallorum protendebantur. Ita anno Imperij octauo decimoque.

moque, æui validior, Venetiis, hunc interiit, maximo A gemitu mortalium omnium. Denique qui seiuncti in aliis Patres, ac vulgus, soli omnia decreuere, templa, columnas, sacerdotes.

At filius Sceua à principio dominatione detestabilior habebatur, præcipuè per maiorum controuersam memoriam: quæ posteris vsque eò grauis est, vt absque communi in impios odio quasi corruptores generis exsecrabiliores sint. Bello planè impiger, quo in Quados prosperè gesto Septē- B brem mensem Commodum appellauerat. Mœnia, Romana potentia vix digna, lauádi vsui instituit. Immiti prorsus feroque ingenio, adeo quidem vt gladiatores, specie depugnandi, crebro trucidaret: cum ipse ferrum obiectum veronibus plumbeis vteretur. cumque eo modo plures confecisset: fortè cum Scæua nomine, audacia ac robore corporis pugnandique arte percallens, ab studio tali deterruit qui spreto gladio, quem inutilem cernebat, sufficere vtrique ait, quo armabatur ipse. Eo me- C tu, ne inter congressum, vti solet, extorto pugione conficeretur, Scæuam remouit, atque ad alios formidolosior, in feras belluásque ferociam conuertit. Quis rebus cùm insatiabilem sanguinis cuncti horrescerent: coniurauere (ne [illegible] in eum maxime [illegible], quippe *dominationi* adeò fidus nemo: [illegible] dum incestam mentem prauámque putant, & COMMODVM quidem primo occultatius veneno petiuere, anno regni tertio ferè atque decimo. Cuius frustrata per cibum, quo se D [illegible] cùm tamen alui dolorem caussaretur auctore medico, principe factionis, in palæstram petrexit. Vbi per ministrum vngendi (nam forè is quoque è consilio erat) faucibus, quasi artè exercitij, Pacchiorum nodo validius pressis, expirauit. Quo cognito Senatus, qui ob festa Ianuariarum frequens primo luci conuenerat, simul [illegible] Deorum atque hominum appellauere, radendumque nomen sanxêre. confestimque Præfecto Vrbi AVLO HELVIO PERTINACI im- E perium defertur.

HIC doctrinæ omnis, ac moribus antiquissimis: immodicè parcus, Curios æquauerat Fabriciosque. [illegible] milites, quis exhausto iam, perditoque [illegible] satis videtur nihil, impulsore Didio, fœdè iugulauere octogesimo imperij die.

AT DIDIVS, an Saluius? Iulianus fretus Prætorianis, quos in societatem promissis magnificentioribus perpulerat, ex Præfectura Vigilum, ad insignia dominatus processit. Genus ei pernobile, F Iurisque vrbani præstans scientia: quippe qui primus edictum, quod variè inconditéque à Prætoribus promebatur, in ordinē composuerit. Hinc [illegible] compertum, *cohibendæ cupidini*, ingenium [illegible] eruditionem imbecillem esse. Cùm præ[illegible] & asper quidem rectius viuendi, in facinus [illegible], quod nouo supplicio plectendum edi[illegible] neque tamen capito potitus diu. Namque [illegible] acceptis [illegible], Septimius Se[illegible], qui [illegible] In extremis terris G [illegible] pontem pro[illegible] deficit: missique qui fugientem insequerentur, apud palatium [illegible].

IGITVR SEPTIMIVS, [illegible] simul flagitiorum odio, dolore, atque [illegible] cohortes Prætorias statim [illegible] que paucum cæsis, Heluium Seuerus [illegible] inter Diuos refert, Saluij nomen, atque eius scripta factáve aboleri iubet: quod vnum effici nequiuit. *Tantum gratia* doctarum artium valet, vt scriptoribus, ne sæui mores quidem, ad memoriam officiant. Quinetiam mors huiuscemodi, ipsis gloriæ, exsecrationibus actoribus est. Cùm omnes, præcipuæque posteri, sic habeant, illa ingenia nisi publico latrocinio, ac per dementiam, opprimi non potuisse. Quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus, tenuique indocto patre in hæc tempora vitam præstiti, studiis tantis honestiorem. Quod equidem gentis nostræ reor, quo fato quodam, bonorum partu fœcunda, quos eduxit tamen, quemque ad celsa suos habet: velut Seuerum ipsum, quo præclarior in Repub. fuit nemo: qui, quamquam exacta ætate, mortuum, iustitio elogioque lugendum sanxere: astruentes illum iustum nasci, aut emori minimè conuenisse. Scilicet quòd corrigendis moribus nimium, postquam ad veterum innocentiam quasi mentium sanitatem, peruenerant, clementem habuere. Ita honestas, quæ principio anxia habetur, vbi contigerit, voluptati luxuriæque est. Pescennium Nigrum apud Cyzicenos, Clodium Albinum Lugduni victos coegit mori: quorum prior Ægyptum [illegible] obtinens, bellum mouerat spe dominationis: alter Pertinacis auctor occidendi: cum eo metu in Britannos, quam prouinciam à Commodo meruerat, transmittere nitebatur: in Gallia inuaserat Imperium. Horum infinita cæde crudelior habitus, [illegible] cognomento Pertinax. Quamquam ob vitæ [illegible] niam similem, ipsum magis adsciuisse [illegible] tent: nobis mens ad credendum [illegible] impositum. Nam cùm quidam hostium, quem tamen, vti bellis ciuilibus solet, con[illegible] loci ad Albinum detulerat, caussa exposita, [illegible]mè conclusisset: Quid, quæso, faceres [illegible] Ille respondit: Ea perferrem quæ tu. Quo [illegible] que durius nihil bonis: cum sanctique [illegible] dissensiones, quamuis studiosius [illegible] fortunæ increpent: magisque in protegendis [illegible] perdendum ciues vetum corrumpi [illegible] delendarum cupidus factionum, [illegible] mitius ageret, necessitudinem facti [illegible] ne paulatim spe veniæ in labem [illegible] coniurationes procederetur. ad quas vitio temporum animos intelligebat, neque ego abnuo *ea delictorum* quæ grassari immodicè cœperint, plus pœnè quàm seuerè excindenda esse. Felix ac prudens, armis præcipuè: adeò vt nullo congressu nisi victor discesserit: auxeritque Imperium, subacto Persarum Rege nomine Agario. Neque minus Arabas, simul adortus vt est, in ditionem redegit, prouinciæ modo. Adiabena quoque [illegible] terrarum macies despectaretur in tributarios concessit. Ob hæc tanta Arabicum, Adiabenicum, & Parthici cognomento Patres dixere. His maior [illegible] sus, Britanniam, quæ ad ea vtilis erat, [illegible] bus, muro muniuit, pertransuerso insulam [illegible] cto, vtrinque ad finem Oceani. Quin etiam Tripoli, cuius Lepti oppido oriebatur, [illegible] submotæ procul. [illegible] tralantur, quo [illegible] quoque primus [illegible]. Denique [illegible] latrocinia quidem impunita [illegible], in suos animaduertens magis: quod vitio Ducum, [illegible] etiam Præfectorum heri vix expertus intelligeret: Philosophiæ, declamandi, cunctis postremo liberalium deditus [illegible] Idemque ab se texta ornatu & fide paribus composuit. Legum conditor longè

æquabilium. Huic tanto domi, forisque, vxoris probra summam gloriæ demsere: quam adeò famosè amplexus est, vti cognita libidine, ac ream coniurationis, retentarit. Quod cùm infimo turpe: tum potentibus: & illi magis cui non priuati, neque singuli, aut flagitiosi, verum imperia, & exercitus, atque ipsa vitia concessere. Nam cùm pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxiè ferrent, eiúsque filium Bassianum, qui Cæsar vnà aderat, Augustum fecissent, in tribunal se ferri, adesse omnes, Imperatorémque ac Tribunos, Centuriones ac cohortes, quibus auctoribus acciderat, [illegible] reorum modo, iussit. Quo metu stratus humi victor, cùm tantorum exercitus veniam precaretur, Sentitis inquit, pulsans manu caput potius, quàm pedes imperare. Neque multo post Britanniæ municipio, cui Eboraci nomen, annis regni duodeuiginti morbo exstinctus est. Ortus Mediæ humili primo literis, deinde imbutus foro: quo parum commodante, vbi rebus artis solet, dum tentat, aut exquirit varia melioráque: conscendit Imperium, Ibi grauiora expertus, laborem, curas, metu & incerta prorsus omnia: quasi testis vitæ mortalium, cuncta, inquit, fui, conducit, nihil. Funus quod liberi Geta Bassianusque Romam detulerant, mirè celebratum, illatumque Marci sepulcro, adeò percoluerat, vtcius gratia Commodum inter Diuos referri suaserit fratrem appellans, Bassianoque Antonini vocabulum addiderat: quod ex illo post multos dubiosque euentus, auspicia honorum [illegible] patrocinio fisci. dein de laborantibus [illegible] datum initia eorúmque auctores memoria [illegible].

At [illegible] quasi bellum inter se mandatis accepissent [illegible] secessere. Ita Geta, cui nomen patruo ab auo erat, cum eius modestiore ingenio frater [illegible] metuit, obsessus interiit. Quæ victoria Papiniani exitio fœdior facta, vt sanè putant memoriæ curiosi: quippe quem ferunt illo tempore Bassiani scrinia curauisse, monitumque, vti mos est, destinando Romam quam celerrimè componeret, dolore Getæ dixisse: haudquaquam pari facilitate velari parricidium qua fieret: idcirco morte affectum. Sed hæc improbè absurda sunt, cùm constet satis, Præfecturam Prætorio gessisse, neque incondite illum virum tantam contumeliam imponere potuisse, cui amori ac magisterio erat.

CETERVM ANTONINVS incognita munerum specie vrbem Romanam adiiciens, quòd indumenta in talos demissa largiretur, *Caracalla* dictus: cum pari modo vesti Antonianas nomini suo daret. Alamannos gentem populosam, ex equo mirificè pugnantem, prope Mœnum amnem deuicit. patiens, communis, tranquillusque: pari fortuna, & eodem matrimonio, quo pater: namque Iuliam nouercam, cuius facinora suprà memoraui, forma captus, coniugem affectauit: cùm illa factiosior, aspectui adolescentis, præsentiæ quasi ignara, semet dedisset, intecto corpore, asserentique, vellem, si liceret, vti: petulantius multo (quippe quæ pudorem velamento exuerat) respondisset: libet? plane licet. Ægypti sacra per eum deportata Romam, atque aucta Vrbs magno accessu viæ nouæ, & ad lauandum absoluta opera pulchri cultus. Quibus confectis cum Syriam circumgrederetur, anno potentiæ sexto moritur. Corporis reliqua, luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata sunt.

DEHINC OPILIVS MACRINVS, qui Præfecturam Prætorio gerebat, Imperator, eiusdem filius, *Diadumenus* nomine, Cæsar a legionibus appellatur. Quibus, eo quòd ingens amissi Principis desiderium erat, adolescentem Antoninum vocauere. Horum nihil præter sæuos atque inciuiles animos [illegible] repperimus. Qua gratia mensibus fermè quatuor ac decem vix retento imperio: per quos creati fuerant: interfecti sunt.

ACCITVSQVE MARCVS ANTONINVS Bassiano genitus, qui patre mortuo, in Solis sacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tanquam asylum insidiarum metu confugerat, hincque *Heliogabalus* dictus, translatóque Romam Dei simulacro in palatij penetrabilis [palatia] constituit. Hoc impurius ne improbæ quidem aut petulantes mulieres fuére: quippe orbe toto obscœnissimos perquirebat, videndis tractandisve artibus libidinum ferendarum. Hæc cum augerentur in dies, ac magis magisque Alexandri, quem comperta Opilij nece Cæsarem nobilitas nuncupauerat, amor cumularetur, in castris Prætoriis tricesimo regni mense oppressus est.

STATIMQVE AVRELIO ALEXANDRO Syriæ orto, cui duplex, Cæsarea, & Archa nomen est, militibus quoque annitentibus Augusti potentia delata. Qui quanquam adolescens, ingenio supra æuum tamen, confestim apparatu magno bellum aduersum Xerxem Persarum regem mouet. quo fuso, fugatoque, in Galliam maturrimè contendit, quæ Germanorum direptionibus tentabatur. Ibi tumultuantes legionum plerasque constantissimè abiecit: quod in præsens gloriæ, mox exitio datum. Nam cum tantæ seueritatis vim milites [illegible] sciunt, (vnde etiam Seueri cognomentum accesserat) agentem casu cum paucis vico Britanniæ, cui vocabulum Sicila, trucidauere. Opere [illegible] tissimum celebrio fabricatus est, matri [illegible] quæ nomine Mammæa erat, plus [illegible]. Adhuc Domitium Vlpianum, quem [illegible] Prætorianis præfecerat, eodem honore [illegible], Paulloque inter exordia patriæ reddito, [illegible] auctoribus, quantus erga optimos [illegible] esset, edocuit. Neque vltra annos tredecim [illegible] tio functus Remp. reliquit firmatam [illegible] iam tum à Romulo ad Septimium [illegible] lam Bassiani consiliis, tamquam in [illegible] tit. Quo ne confestim laberetur Alexander fuit. Abhinc dum dominandi [illegible] quàm subigere [illegible] ternos cupientiores [illegible] atque inter se armantur, magis Romanum statum quasi abrupto præcipitauere, immissique in imperium promiscue boni malique, nobiles atque ignobiles, ac Barbariæ [illegible] ti. Quippe vbi passim confusaque omnia [illegible] [illegible] more, quique fas putant, [illegible] bam rapere aliena officia, quæ regere nequeunt, & [illegible] bonarum artium fœdè corrumpunt. Ita fortuna [illegible] licentiam nacta, [illegible] agit: quæ diu [illegible] prohibita, postquam [illegible] ignobilibus etiam infimis generis [illegible] permisit.

NAMQVE CAIVS IVLIVS MAXIMINVS, præsidens Trebellicæ, primus [illegible] rum fere rudis, potentiam cepit [illegible] legionum. Quod tamen etiam [illegible] periculosam existimant inermes armato [illegible], approbauerunt: filiusque eius [illegible] Caius Iulius Maximinus] Cæsar factus est.

Quis biennium summis potitus, haud incommodè prœlio gesto contra Germanos. repentè ANTONINVS GORDIANVS Africæ Proconsul, ab exercitu Princeps apud Thysdri oppidum absens fit. Quò vt accitus peruenit, tanquam ea re ereatus foret, seditione excipitur: qua lenita facilè, Carthaginem petit. Ibi cum auertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem diuinam solitis ageret: repentè hostia partum edidit. Id haruspices, atque ipse maximè, nam huius scientiæ vsu immodicè prudens erat, ita accepere, illum quoque destinatum neci, verum liberis pariturum imperium: progressique coniectu longius liberi quoque exitum denuntiauere, mitem atque innoxium præfantes fore, vt illud pecus, nec diuturnum tamen subiectumq; insidiis. Interim Romæ comperto Gordiani interitu, hortante Domitio, Vrbi Præfectus, reliquique iudices, vulgo cæduntur per Pretorias cohortes: quippe Gordianus, postquam delatum sibi imperium cognouit: præmia amplum in modum ostentans, Romam legatos ac literas destinauerat. quibus, necato eo, frustratos se milites angebantur: genus hominū pecuniæ cupidius, fidúmque ac bonū solo quæstu. At senatus, metués ne nullis rectoribus specie captæ vrbis, atrociora acciderent, primo potestatum vices, mox conscriptis iunioribus, CLODIVM PVPIENVM, CÆCILIVM BALBINVM CÆSARES cōstituit.

IISDEMQVE per Africam diebus milites GORDIANVM Gordiani filium, qui fortè contubernio patris prætextatus, ac deinceps Præfectus prętorio intererat, Augustum creauere: neque sanè factum nobilitas aspernata. Denique accito eo, inter plana vrbis atque ipso sinu, Prætoriæ manus acie deletæ per gladiatorum familias, tyronúmq; exercitum. Dum hæc Romæ geruntur, Iulij Maximini, quos fortè ea tempestate Thracia retinebat, acceptis quæ euenerant, Italiam properè petunt. Eos Pupienus Aquilæ obsidione confecit, postquàm prælio victos reliqui paulatim deseruerant. Horum imperio ad biennium per huiusmodi motas annus quæsitus. Neque multo pòst tumultu militarium Clodio Cæcilióque Romę intra Palatium cæsis, Gordianus solus regnum obtinuit. Eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam inuexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est: cùm prius Iani ædes, quas Marcus clauserat, patentes more veterum fecisset. Ibi gesto insigniter bello, Marci Philippi Præfecti Prætorio insidiis perit sexennio Imperij.

IGITVR MARCVS IVLIVS PHILIPPVS Arabs Thraconites, sumto in consortium *Philippo* filio, rebus ad Orientem compositis, conditoque apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere: exstructoque trans Tiberim lacu, quòd eam partem aquę penuria fatigabat, annum Vrbis millesimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit, nostra quoque ætate post mille, centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, vti solet, sollennibus frequentatus: adeò in dies cura minima Romanæ vrbis. Quod equidem denunciatum illo tempore prodigiis portentisque. Ex quîs vnum memorare breui libet. Nam cùm Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis vtero maris, feminarum genitalia apparuere. Id haruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati. Quod frustratum iri æstimans Imperator Philippus, tum quia fortè præteriens, filij similem pro merito Ephebū conspexerat, vsum virilis scorti remouendum honestissimè consultauit. Verumtamen manet: quippe conditione loci mutata, peioribus flagitiis agitatur: dum *auidius periculosa*, quibusque mortales prohibentur, petunt. Huc accedit, quod longè aliud Etruscorum artes cecinerant, quæ bonis parte plurima iacentibus, mollissimū quemque beatum fore asserebant. Eos ego ignorasse verum planè puto. Etenim quamuis rerū omnium prospero successu: pudore amisso tamen, fortunatus quis esse potest? cum, eodé retento, cetera tolerabilia sint. His actis, filio Vrbi relicto, ipse, quamquam debili per ætatem corpore, aduersum Decium profectus, Veronę cadit, pulso amissóque exercitu. Quis Romæ compertis, apud castra Prætoria filius interficitur. Annos potentiæ quinque egere.

ET DECIVS, Syrmiensium vico ortus, militiæ gradu ad Imperium conspirauerat, lætiórque hostium nece: filium, *Etruscum* nomine, Cæsarem facit: statimque eo in Illyrios præmisso, Romæ aliquantum moratur, mœnium gratia, quæ instituit, dedicandorum. Et interea ad eum Iotapiani, qui Alexandri tumens stirpe, per Syriam tentans noua, militum arbitrio occubuerat, ora, vti mos est, inopinato feruntur, simúlque per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas Præsidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concursu, postquam direptis Thracię plerisque illò peruenerant. Qua causa Decio, quam potuit maturrimè Roma digresso, Iulius Valens cupientissimo vulgo Imperium capit: verùm vterque mox cæsi: cùm Priscum nobilitas hostem patriæ censuisset. Decij Barbaros trans Danubium persectantes, Bruti fraude cecidere, exacto regni biennio. Sed Deciorum mortem plerique illustrem ferunt. Namque filium audacius congredientem cecidisse in acie: patrem autem, cū perculsi milites ad solandum Imperatorem multa præfarentur, strenuè dixisse: Detrimentum vnius militis parum videri sibi. Ita refecto bello cum impigrè decertaret, interiisse pari modo.

HÆC vbi Patres comperere, GALLO HOSTILIANOQVE Augusta Imperia, VOLVSIANVM, Gallo editum Cæsarem decernunt. Dein pestilentia oritur, qua atrocius sæuiente, Hostilianus interiit. Gallo Volusianoque fauor quæsitus, quòd anxiè studioséque tenuissimi cuiusque exsequias curarent.

IGITVR his Romæ morantibus, ÆMILIVS ÆMILIANVS summam potestaté corruptis militibus arripuit. Ad quem expugnandum profecti, Interamnæ ab suis cęduntur, spe præmij maioris ab Æmilio: cui nullo labore seu detriméto victoria obueniebat: simul quia immodici per luxum lasciuiámque, officia beneuolentiæ corruperant. His sanè omnibus biennio profecit. Nam Æmilianus quoque tres menses vsus modesto Imperio, morbo absumptus est: cum Proceres primo hosté, dein exstinctis superioribus pro fortuna, vti solet, Augustū appellauisset. At milites, qui cōtracti vndique apud Rhetias ob instās bellum morabātur, LICINIO VALERIANO Imperiū deferunt. Qui quamquam genere satis claro, tamen, vti mos tum etiam erat, militiam sequebatur. Eius filium GALLIENVM Senatus Cæsarem creat, statimque Tiberis adulta æstate diluuij facie inundauit: Prudétes perniciosum Reipub. cecinere, adolescentis fluxo ingenio, quia Etruria accitus venerat: vnde amnis prædictus. Quod equidem confestim euenit. Nam cùm eius pater [dolo erat circumuentus]

bellum per Mesopotamiam anceps diuturnúmque instituit, Persarum Regis, cui nomen Sapor erat, fœdè laniatus interiit, Imperij anno sexto, ætate robustiore.

Svb idem tempus Licinivs Gallienvs, cum à Gallia Germanos strenuè arceret, in Illyricum properans descendit: ibi Ingebum, quem curantem Pannonios, comperta Valeriani clade, imperandi cupido incesserat, Mursiæ deuicit: moxque Regallianum, qui receptis militibus, quos B Mursina labes reliquos fecerat, bellum duplicauerat. His prosperè, ac supra vota cedentibus, *more hominum*, secundis solutior, rem Romanam quasi naufragio dedit, cum *Salonino* filio, cui honorem Cæsaris contulerat, adeò vti Thraciam Gothi liberè progressi, Macedonas Achæosque & Asiæ finitima occuparent: Mesopotamiam Parthi: Orienti latrones seu mulier dominaretur: Alemannorum vi, tunc æquè Italiam, Francorum gentes direpta Gallia, Hispaniam possiderent, vastato ac C pænè direpto Tarraconensium opido, nactísque in tempore nauigiis pars in vsque Africam permearet: & amissa trans Istrum, quæ Traianus quæsierat. Ita quasi ventis vndique sæuientibus, paruis maxima: ima summis orbe toto miscebantur. Simulque Romam pestilentia grassabatur, quæ sæpe curis grauioribus, atque animi desperatione oritur. Inter hæc ipse popinas, ganeásque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat, expositus Saloninæ coniugi atque amori flagitioso D filiæ Attali Germanorum Regis, Pipæ nomine: qua caussa etiam ciuiles motus longè atrociores orti. Namque primus omnium *Postumus*, qui forte Barbaris per Galliam præsidebat, imperium ereptum ierat: explosaque Germanorũ multitudine, Lolliani bello excipitur: quo non minus feliciter fuso: suorum tumultu periit: quo flagitantibus Maguntiacorum direptiones, quia Lolianum iuuerant, abnuisset. Igitur eo occiso, Marius, ferri quondam opifex, neque etiam tum militiæ satis E clarus, regnum capit. Proinde cuncta ad extremum reciderant, vti talibus imperia ac virtutum omnium decus ludibrio essent. Hinc denique ioculariter dictum, nequaquam mirum videri, si ré Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius eiusdem artis auctor, stirpisque ac nominis solidasset. Hoc iugulato post biduum, Victorinus deligitur, belli scientia Postumo par: verùm libidine præcipiti: qua cohibita in exordio, post biennij imperium, constupratis vi plerisque, vbi F Attitiani coniugem concupiuit, facinusque ab eo viro patefactum est: accensis furtim militibus per seditionem Agripinæ occiditur. Tantum Actuariorum, quorum loco Attitianus habebatur, in exercitu factiones vigent, vt arduum pe entibus malitia patraretur: genus hominum præsertim hac tempestate, nequam, venale, callidum, seditiosum: habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum annonæ dominans, eoque vtilia curantibus, & fortunis a- G ratorum infestum: prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit. Interim Victoria amisso Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, Tetricum Imperatorem facit: qui familia nobili, præsidatu Aquitanos tuebatur: filioque eius Tetrico Cæsarea insignia impartiuntur. At Romæ Gallienus pacata omnia, ignaris publici mali, improbè suadebat: crebro etiam, vti rebus ex voluntate gestis solet, ludos ac festa triumphorum, quo promtius simulata confirmarentur, exercens. Sed postquam periculum propinquabat, tandem Vrbe egreditur. Namque Aureolus, cùm per Rhætias legionibus præesset, excitus, vti mos est, socordia tam ignaui ducis, sumto Imperio, Romam contendebat. Eum Gallienus apud pontem, cui ex eo Aureoli nomen est, fusum acie Mediolanum coegit: quam vrbem cum machinationibus omnis generis oppugnat, ab suis interiit. Quippe Aureolus vbi soluendi obsidij spem inanem videt, ducum Gallieni Tribunorumque nomina, quasi destinata ab eo ad necem astu composuit, literasque è muro, quàm occultissimè potuit abiecit: quæ fortè à memoratis repertæ, metum suspicionémque iniecêre mandati exitij: verum eas esse ex isse incuria ministrorum. Qua caussa, Aureliani consilio, cuius gratia in exercitu atque honore præstabant, simulata proruptione hostium, nullis, vti re trepida ac repentina solet, tectum stipatoribus, tabernaculo educunt nocte intempesta: teloque traiicitur, cuiusnam, per tenebras incertum. Ita auctoris necisne errore, an quia bono publico acciderat, inulta cædes fuit. Quamquam eò prolapsi mores sunt, vti *suo*, *quàm* Reipub. magisque potentiæ, quàm gloriæ studio plures agant. Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta: dum plerumque potior flagitio, vbi armis superauerit, tyrannidem amotam vocauerit, damno publico oppressos. Quin etiam aliquanti pari libidine in cælestium numerum referuntur, ægrè exsequiis digni. Quis ni *fides rerum gestarum* obstitisset, quæ neque honestos præmiis memoriæ frustrari sinit, neque improbis æternam illustrémque famam procedere: nequiquam peteretur virtus: cum verum illud atque vnicum decus pessimo cuique tribueretur, demtum impiè bonis. Namque Gallienum subacti à Claudio Patres, quòd eius arbitrio Imperium cepisset, Diuum dixere. Nam cum profluuio sanguinis, vulnere tam graui, mortem sibi adesse intelligeret, insignia Imperij ad Claudium destinauerat, honore Tribunatus Ticini retinentem præsidiariam manum. Quod haud extortum: cum neque Gallieni flagitia dum vrbes erunt, occultari queant: & quisque pessimus erit, par similisque semper ipsi habebitur. Adeò Principes atque Optimi mortalium, vitæ decore, quàm quæsitis nominibus, atque compositis, quantum coniiciatur, cælum adeunt: seu fama hominum Dei celebrantur modo. At senatus comperto tali exitio, satellites propinquosque per scalas Gemonias præceps agendos decreuit, patronoque fisci in Curiam perduci effossos oculos pependisse satis constat: cum irruens vulgus, pari clamore, Terram matrem, Deosque inferos precaretur, sedes impiam vti Gallieno darent. Ac nisi Claudius confestim recepta Mediolani vrbe, tamquam postulato exercitus parcêdum, quòd forte eorum supererant, præcepisset nobilitas plebsque atrocius grassarentur. Et patres quidem, præter commune Romani mali orbis, stimulabat proprij ordinis contumelia: quia primus ipse, metu socordiæ suæ, ne Imperium ad Optimos nobilium transferretur, senatum militia vetuit: etiam adire exercitum. Huic nouem annorum potentia fuit.

Sed Clavdii Imperium milites, *quos ferè* contra ingenium perditæ res subigunt recta consulere: vbi afflicta omnia perspexere, auidè approbant,

bant, extollúntque viri laborum patienti, æqui- A que ac prorsus dediti Reipub. Quippe vt longo interuallo Deciorum morem renouauerit. Nam cùm pellere Gothos cuperet, quos diuturnitas nimis validos, ac propè incolas effecerat, proditum ex libris Sybillinis est, primum ordinis amplissimi victoriæ vouendum. Cúmque is qui esse videbatur, semet obtulisset: sibi potius id muneris competere ostendit, qui reuera Senatus, atque omnium Princeps erat. B Ita nullo exercitus detrimento fusi Barbari summotíque, postquam Imperator vitam Reipub. dono dedit: Adeo *bonis salus* ciuium ac longa sui memoria cariora sunt: quæ non gloriæ modò, verum etiam ratione quadam posterorum felicitati proficiunt. Hoc siquidem Constantius & Constantinus, atque Imperatores nostri co[illegible]que acceptior militibus, præmiorum spe, seu [illegible]iæ. Quò ægra asperiórque victoria fuit, dum vti mos subditis erat, studio impunè pec- C candi: remissa Imperia promtius quàm vtilia defendunt.

CETERVM AVRELIANVS, successu tanto vehementior, confestim, quasi belli reliquiæ superessent, in Persas progressus est. Quîs deletis, Italiam repetiuit, cuius vrbes Alamannorum vexationibus affligebatur. Simul Germanis Gallia demotis: Tetrici, de quo supra commemorauimus, cæsæ legiones, proditore ipso duce. Nam Tetricus, cum Faustini præsidis dolo corruptis militibus plerum- D que peteretur, Aureliani per literas præsidium implorauerat; eique aduentanti, producta ad speciem acie, inter pugnam se dedit. Ita, vti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt. Ipse post Celsum biennij Imperij in triumphum ductus; Lucaniæ Correcturam, filioque veniam atque honorem senatorium cooptauit. Neque secus intra Vrbem monetæ opifices deleti: qui cum auctore Felicissimo rationali nummariam notam corrosissēt, pœnæ metu bellum fecerant: vsque eò graue vti E per Cœlium montem congressi, septem fere millia bellatorum confecerint. His tot tantísque prosperè gestis, fanum Romæ Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis: ac ne vmquam, quæ per Gallienum euenerant, acciderent; muris Vrbem quàm validissimis laxiore ambitu circumsepsit: simulque vsus porcinæ carnis, quo plebi Romanæ affatim cederet: prudenter magnificéque prospectauit: deleteque fiscales & quadruplatorum, quæ Vrbem miserabiliter affecerant, calumniæ: consumtis igni tabulis, monumentísque huiuscemodi negotiorum: atque ad Græciæ morem F decreta abolitione, inter quæ auaritiæ peculatum, prouinciarum prædatores, contra morem militarium, quorum è numero erat, immane quantum sectabatur. Qua caussa ministri scelere, cui secretorum officium crediderat, circumuentus, apud Cænofrurium interiit: cùm ille prædæ conscientia delictique, scripta callidè composita Tribunis, quasi per gratiam, prodidisset, quibus interfici iubebantur: illique eo metu accensi facinus patrauere. G Interea milites, omisso Principe, Legatos statim Romam destinant, vti suopte arbitratu Patres Imperatorem deligerent. Quibus hoc ipsorum potissimum conuenire munus respondentibus, rursum legiones ad eos reiiciunt. Ita vtrimq; pudore ac modestia decertabatur, rara in hominibus virtute, rebus præsertim huiusmodi, ac propè ignota militibus tantum ille vir seueritate atque incorruptis artibus potuit, vt eius necis auctoribus exitia: prauis metui: simulata dubiis: optimo cuique desiderio, nemini insolentiæ aut ostentationi esset: atque etiam soli, quasi Romulo, Interregni species obuenit, lōgè vero gloriosior. Quod factum præcipuè edocuit, *cuncta in orbis* modo verti: nihilque accidere, quod rursum Naturæ vis ferre nequeat æui spatio: Adhuc *virtutibus Principum* res attolli facilè, vel afflictas: eásque firmiores præceps vitiis dari.

IGITVR tandem Senatus: mense circiter post Aureliani interitum sexto, TACITVM è consularibus mitem sanè virum, Imperatorem creat: cunctis ferè lætioribus, quod militari ferocia legendi ius Principis Proceres recepissent. Quæ tamen lætitia breuis, neque exitu tolerabili fuit. Namque Tacito confestim à ducentesima regni luce: Tyanæ mortuo, cum tamen prius auctores Aureliani necis, maximéque Mucaperé ducem, quòd ipsius ictu occiderat, excruciauisset: FLORIANVS eiusdem frater, nullo Senatus seu militum consulto Imperium inuaserat.

QVI vno mense aut altero vix retentata dominatione apud Tarsum ab suis interficitur. Post quē PROBVM in Illyrico factū accepere, ingenti belli scientia exercitandísque varié militibus, ac duranda iuuentute prope Hannibalem alterum. Namque vt ille oleis Africæ pleraque per legiones, quarum otium Reip. atque doctoribus suspectum rebatur: eodem modo hic Galliam Pannoniásque & Mœsorum colles vinetis repleuit: postea sanè quā Barbarorum attritæ gentes sunt, quæ nostris principibus suorum scelere interfectis, irruperant, simul cæsis, Saturnino per orientem: Agrippinæ Bonoso exercitu: nam vtrique dominatum tentauerant, sumta, cui duces præerant, manu: Qua caussa receptis omnibus pacatísque dixisse proditur, Breui milites frustra fore. Hinc denique magis irritati paulo cis sextum annum apud Sirmium trucidauere, cum ad siccandam lacunis ac fossa vrbem ipsi patriam adigerentur: quæ palustri solo hiemalibus aquis corrumpitur. Abhinc militaris potentia conualuit, ac senatui imperium creandique ius Principis ereptum ad nostram memoriam: incertum an ipso cupiente per desidiam, an metu seu dissentionum odio. Quippe amisso Gallieni edicto, refici militia potuit, concedentibus modestè legionibus, Tacito regnante, neque Florianus temerè inuasisset: aut iudicio, manipularium cuiquam, bono licet, imperium daretur; amplissimo ac tanto ordine in castris degente. Verum dum oblectantur otio, simulque diuitiis pauent, quarum vsum affluētiámque æternitate maius putāt, muniuere militaribus ac pænè Barbaris viam in se ac posteros dominandi.

IGITVR CARVS Præfectura pollens Prætorij, Augusto habitu, liberis Cæsaribus, Carino, Numerianoque. Et quoniam cognita Probi morte, Barbarorum quique opportunè inuaserant, misso ad munimentum Galliæ maiore filio, Numeriani comitatu in Mesopotamiam pergit protinus: quod ea Persarum quasi solemni bello subest. Vbi fusis hostibus, dum gloriæ inconsultè auidior, Ctesiphonta vrbē Parthiæ inclytam transgreditur fulminis tactu conflagrauit. Id quidam iure ei accidisse referunt. nam cum oracula docuissent, adúsq; opidū memoratum perueniri victoria licere: longius delatus pœnas luit. Proinde *arduū fatalia* deuertere: eoq; futuri notio superflua. At Numerianus, amisso patre simul confectum æstimās bellū,

cùm exercitum reductaret; Apri præfecti Prætorio soceri insidiis exstinguitur: quis casum detulit adolescentis oculorum dolor. denique diu facinus occultatum, dum clausum lectica cadauer, specie agri, ne vento obtunderetur acies, gestabatur. Sed postquam odore tabescentium membrorum scelus proditum est, Ducum consilio, Tribunorúmque VALERIVS DIOCLETIANVS, domesticos regens ob Sapientiam deligitur; magnus vir; his moribus tamen: quippe qui primus ex auro B
veste quæsita, serici ac purpuræ gemmarumque vim plantis concupiuerit: quæ quamquam plus quàm ciuilia tumidique & affluentis animi: leuia tamen præ ceteris: namq; se primus omnium Caligulam post, Domitianumque Dominum palam dici passus, & adorari se, appellarique vti Deum. Quis rebus, quantum ingenium est, compertum habeo, *humillimos quosque* maximè vbi alta accesserunt; superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc Marius patrum memoria; hinc iste nostra, C
communem habitum supergressi, dú animus potentiæ expers, tanquam inedia refecti, insatiabilis est. Quo mihi mirum videtur, Nobilitati plerosq; superbiam dare: quæ gentis Patriciæ memor: molestiarum, quis agitatur, remedio, eminere paululum pluris habet. Verùm hæc in Valerio obducta ceteris bonis: eoque ipso quod Dominum dici passus: parentem egit: satisque constat, prudentem virum edocere voluisse, atrocitatem rerum magis quàm nominum officere. Interim Carinus, D
eorum quæ acciderant, certior: spe facilius erumpentis metus sedatum iri, Illyricum properè Italiæ circuitu petit. Ibi Iulianum pulsa eius acie obtruncant. Namque is cùm Venetos Correctura ageret, Cari morte cognita, Imperium auens eripere, aduenienti hosti obuiam processit. At Carinus, vbi Mœsiam contigit, illico Margum iuxta Diocletiano cógressus, dú victos auidè premeret: suorum ictu interiit, quod libidine impatiens militarium nuptas affectabat: quarum infestiores viri: iram E
tamen dolorémque in euentum belli distulerant. Quo prosperius cedente, metu ne huiusmodi ingenium magis magísque victoria insolesceret: sese vlti sunt. Is finis Caro, liberisque: Narbone patria, Imperium biennij fuere. Igitur Valerius prima ad exercitum concione, cum educto gladio, solem intuens, obtestaretur, ignarum cladis Numeriani, neque Imperij cupientem se fuisse, Aprum proximè astantem ictu transegit: cuius dolo, vti suprà docuimus, adolescens bonus facundusque F
& gener occiderat: ceteris venia data, retentique hostium ferè omnes: ac maximè vir insignis Aristobulus Præfectus Prætorio per officia sua. Quæ res post memoriam humanam nouam atque inopinabilis fuit: ciuili bello, fortunis, fama dignitate, spoliatum neminem: cum *pie admodum* mansuetéque geri lætemur, exsilio, proscriptioni, atque etiam suppliciis & cædibus modum fieri. Quid ea memorem, adsciuisse consortio multos, externosque tuendi, prolatandive gratia iuris Ro- G
mani? Namque vbi comperit Carini discessu, Helianum Amandumque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris plerasque vrbium tentare; *Maximianum* statim, fidum amicitia, quamquam semiagrestem, militiæ tamen, atque ingenio bonum Imperatorem iubet. Huic postea cultu numinis, Herculei cognomentum accessit: vti Valerio Iouium. vnde etiam militaribus auxiliis longè in exercitu præstantibus nomen impositum. Sed Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia breui patrauerat. Quo bello Carausius, Menapiæ ciui, factis promtioribus enituit: eoque eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus, præfecere. Hoc elatior, cum parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret: Herculij metu, à quo se cædi iussum compererat: Britanniam hausto Imperio capessiuit. Eodem tempore Orientem Persæ, Africam Iulianus, ac nationes Quinquegentanę grauiter quatiebát. Adhuc apud Ægypti Alexandriam Achilleus nomine, dominationis insignia induerat. His de caussis Iulium Constátium, Galerium Maximianum, cui cognomén Armentario erat, creatos Cæsares, in affinitatem vocant. Prior Herculij priuignam, alter Diocletiano editam sortiuntur, diremtis prioribus coniugiis: vt in Nerone, Tiberio, ac Iulia filia Augustus quondam fecerat. His sanè omnibus Illyricum patria fuit; qui quamquam humanitatis parum: Iuris tamen ac militiæ miseriis imbuti satis optimi Reip. fuere. Quare constat *sanctos prudentésque* sensu mali promtius fieri: contráque expertes ærumnarum, dum opibus suis cunctos æstimant, minus consulere. Sed horum concordia maximè edocuit *virtuti ingenium*, vsumque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probique institutio fuit, pænè sat esse. Denique Valerium, vt parenté, seu Dei magni suspiciebant modo: quod quale quantumque sit, ab vrbis conditore ad nostram ætatem propinquorum facinoribus patefactum est. Et quoniam bellorum moles, de qua suprà memorauimus, acrius vrgebat: quasi partito Imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa: Africa Italiaque, Herculio: [illegible]que oræ ad vsque Ponti fretum, Galerio: cetera Valerius retentauit. Hinc denique parti Italiæ inuectum tributorum ingés malum. Ná cum omnis eadem functione, moderatáque ageret, quò exercitus atque imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent: pensionibus, inducta lex noua. Quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis in perniciem processit. His tempestatibus interim Iouio Alexandriam profecto, prouincia credita Maximiano Cæsari, vti relictis finibus in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. A quis primò grauiter vexatus, contracto cóféstim exercitu è veteranis ac tyronibus, per Armeniam in hostes contendit: quæ ferme sola seu facilior vincendi via est. Denique ibidem Narseum Regem in ditionem subegit: simul liberos, coniugesque & aulam regiam: adeò victor, vt ni Valerius, cuius nutu omnia gerebantur, incertú qua caussa abnuisset: Romani fasces in prouinciam nouam ferrétur. Verùm pars terrarum tamen nobis vtilior quæsita: quæ cùm acrius reposcuntur, bellum recés susceptum est, graue admodúm perniciosumque. At in Ægypto Achilleus facili negotio pulsus, pœnas luit. Per Africam gestæ res pari modo; solique Carausio remissum Insulæ imperium, postquam iussis ac munimento Incolarum contra gentes [illegible] opportunior habitus. Quem sanè sexennio pòst, Allectus nomine, dolo circumuenit. Qui, cum eius permissu summæ rei præesset, flagitiorum & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat: quo vsum breui, Constan-

Constantius, Asclepiodoto, qui prætorianis Præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmisso deleuit. A Et interea cæsi Marcomanni, Carporúmque natio translata omnis in nostrum solum; cuius ferè pars iam tum ab Aureliano erat. Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis: ac remoto pestilenti frumentariorum genere: quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt. Qui cùm ad explorandum annunciandúmque, ecqui fortè in Prouinciis motus exsisterent, B instituti viderentur: compositis nefariè criminationibus, iniecto passim metu, præcipuè remotissimo cuique, cuncta fœdè diripiebant: simul annona, Vrbi, ac stipendiariorum salus anxiè, soliciteque habita: honestiorumque prouectu: & è contra, suppliciis flagitiosi cuiusque, virtutum studia augebantur: veterrimæ religione castissimè curatæ: Ac mirum in modum nouis adhuc cultisq; mœnibus, Romana culmina & ceteræ vrbes ornatæ: C maximè Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Neque tamen cum hæc agerent, extra vitia fuerunt: Quippe Herculius libidine tanta agebatur, vt ne ab obsidum corporibus quidem animi labem cõprimeret: Valerio parum honesta in amicos fides erat, discordiarum sanè metu: dum enunciationibus posse agitari quietem consortij putat. Hinc etiam quasi truncatæ vires Vrbis imminuto Prætoriarum cohortium atque in armis vulgi numero: Quo quidem plures volunt imperium posuisse. D Namque imminentium scrutator, vbi fato intestinas clades, & quasi fragorem quendam impendere comperit, status Romani: celebrato regni vicesimo anno valentior curam R.P. abiecit: cum in sententiam Herculium ægerrimè traduxisset: cui anno minus potentia fuerat: & quamquam aliis alia æstimantibus, veri gratia corrupta sit: nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse.

IGITVR CONSTANTIO ARMENTARIOQVE E his succedentibus, *Seuerus* Maximinusq; Illyricorum indigenę Cęsares: Prior Italiam: posterior, in quæ Iouius obtinuerat, destinantur. Quod tolerare nequiens Constantinus, cuius iam, tum à puero ingens poténsque animus ardore imperitandi agitabatur, fugæ commento, cum ad frustrandos insequentes publica iumenta, quaqua iter egerat, interficeret: in Britanniam peruenit. Nam à Galerio, religionis specie, ad vicem obsidis tenebatur. & forte iisdem diebus ibidem Constantium patrem vitæ vltima agebant. Quo mortuo, cũctis qui aderant, annitentibus, imperium capit. Interim Romæ F vulgus, turmæque Prætoriæ *Maxentium* retractante diu patre Herculeio, Imperatorem confirmant. Quod vbi Armentarius accepit: Seuerum Cæsarem, qui casu ad vrbem erat: arma in hostem ferre propere iubet. Is circum muros cum ageret, desertus à suis, quos præmiorum illecebris Maxentius traduxerat, fugiens obsessusque Rauennæ obiit. Hoc acrior Galerius, adscito in consilium Iouio, Licinium vetere cognitum amicitia Cæsare, creat Augustum: eoque ad munimentum Illyrici, ac G Thraciæ relicto, Romam contendit. Ibi cum obsidione distineretur: militibus eadem qua superiores via attentatis, metu ne desereretur, Italia decessit: pauloque pòst vulnere pestilenti consumptus est: cum agrum satis Reip. commodantem, cæsis immanibus siluis, atque emisso in Danubium lacu Pelsone, apud Pannonios fecisset. Cuius gratia prouinciam vxoris nomine Valeriam appellauit. Huic quinquennij imperium: Constantio annuum fuit: cum sanè vterque potentiam Cęsarum annos tredecim gessissent. Adeò miri naturæ officiis, vt ea, si à doctis pectoribus proficiscerentur, neque insulsitate offenderent: haud dubiè præcipua haberentur. Quare compertum est *eruditionem, elegantiam*, comitatem præsertim, Principibus necessarias esse: cum sine his naturæ bona quasi incomita, aut etiam horrida, despectui sint: contráque ea Persarum Regi Cyro ęternam gloriam parauerint. At memoria mea Constantinum, quamquam ceteris promptum virtutibus, ad vsq; astra votis omnium subuexere. Qui profectò si munificentiæ atque ambitioni modum, hisque artibus statuisset, quis præcipuè adulta ingenia glorię studio progressa longius, in contrariũ labuntur, haud multum abesset Deo. Is vbi vastari vrbem, atque Italiam comperit, pulsosque seu redemtos exercitus, & Imperatores duos, composita pace per Gallias: Maxentium petit. Ea tempestate apud Pœnos Alexander pro Præfecto gerens, dominatui stolidè incubuerat: cum ipse debili ætate, agrestibus ac Pannonicis parentibus vecordior: milites, tumultuariéque quæsiti: armorum vix medium haberetur. Denique cum à tyranno missi paucissimis cohortibus Rufus Volusianus Præfectus Prætorio, ac militares duces, leui certamine confecere. Quo victo, Maxentius Carthaginem terrarum decus, simul Africæ pulchriora vastari, diripi, incendique iusserat: ferus inhumanusque, ac libidine multo tetrior: adhuc panidus & imbellis, atque in desidiam fœdè pronus: vsque eò, vt flagrante per Italiam bello, fusisque apud Veronam suis: nihilo segnius solita curaret: neque patris exitio moueretur. Namque Herculius natura impotentior, simul filij segnitię metuens, inconsultè imperium repetiuerat: cumque specie officij dolis compositis Constantinum generum tentaret acerbè, iure tandem interierat. Sed Maxentius atrocio in dies tandem vrbe in Saxa rubra millia ferme nouem ęgerrimè progressus: dum cæsa acie fugiens semet Romam reciperet, insidiis, quas hosti apud pontem Miluium locauerat, in transgressu Tiberi interceptus est, tyrannidis anno sexto. Huius nece incredibile quantum lætitia, gaudioque Senatus ac plebes exsultauerint: quos in tantum afflictauerat: vti Prætorianis cædem vulgi quodam annuerit: primúsque instituto pessimo numinum specie patres aratorésque pecuniam conferre prodigenti sibi cogeret: Quorum odio Prætoriæ legiones, ac subsidia factionibus aptiora, quàm vrbi Romæ: sublata penitùs, simul arma atque vsus indumenti militaris: adhuc cuncta opera, quæ magnificè construxerat, Vrbis fanum, atque Basilicam, Flauij meritis Patres sacrauere. A quo etiam post Circus maximus excultus mirificè: atque ad lauandum institutum opus ceteris haud multo dispar. Statuę locis quàm celeberrimis, quarum plures ex auro, aut argenteæ sunt: tum per Africam sacerdotium decretum Flauiæ genti, Cirtæque opido, quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito exornatoque, nomen Constantina inditum: adeò *acceptius præstantiúsque* Tyrannorum depulsoribus nihil est: quorum gratia eo demum auctior erit: si modesti atque abstinentes sint. Quippe *humanæ mentes*, frustratæ boni spe, asperius offenduntur, cum mutato rectore flagitioso, ærumnarum vis manet. Dum hæc in Italia geruntur, Maximinus ad Orientem, post biennij augustum Imperium fusus,

fugatúsque à LICINIO, apud Tarsum perit. A Ita potestas orbis Romani duobus quæsita: qui quamuis per Flauij sororem nuptam Licinio, connexi inter se erant: ob diuersos mores tamen, anxiè triennium congruere quiuêre. Namq; illi præter admodum magna cetera: huic parsimonia, & ea quidem agrestis, tantummodo inerat. Denique Constantinus cunctos hostes, honore ac fortunis manentibus texit, recepitque: eò pius, vt etiá vetus veterrimumque supplicium patibulorum & cruribus suffringendis primus remouerit. Hinc pro B conditore, seu Deo habitus; Licinio ne insontium quidem ac nobilium Philosophorum seruili more cruciatus adhibiti modum fecere. Quo sanè variis prœliis pulso, cùm eum prorsus opprimere arduum videretur, simul affinitatis gratia, recepti consortio, adscriptique imperio Cæsarum communes liberi, *Crispus*, Constantinusque Flauio geniti: Licinianus Licinio. Quod equidem vix diuturnum: neque his qui assumebantur felix fore, defectu solis fœdato iisdem mensibus die, patefactum. Itaque sexennio post rupta pace, apud Thracas Licinius pulsus, Chalcedona concessit. C Ibi ad auxilium sui Martiniano ad Imperium cooptato, vnà oppressus est. Eo modo Respub. vnius arbitrio geri cœpit, liberis Cæsarum nomina diuersa retentantibus: namque ea tempestate Imperatori nostro Constantio insigne Cæsaris datum. Quorum cùm natu grandior, incertum qua caussa, patris iudicio occidisset: repente Calocerus magister pecoris camelorum, Cyprum insulam specie regni demens capessiuerat: quo excruciato, vt fas erat, seruili aut latronum more, condenda vrbe formidá- D disque religionibus ingentem animum auocauit: simul nouandæ militiæ ordine. Et interea Gothorum Sarmatarumq; stratæ gentes: filiusq; e cũctorum minor, Constans nomine, Cæsar fit: cuius gratia Reip. permistionem fore, ostẽtorum mira prodidêre: quippe nocte quæ commissi imperij diem sequebatur: igni continuo cœli facies conflagrauit. Abhinc consumto ferè biennio, fratris filium, cui ex patre Dalmatio nomen fuit, Cæsarem iussit, assistentibus validè militaribus. Ita anno imperij tricesimo secũdoque, cum totum orbem trede- E cim tenuisset, sexaginta natus, atque amplius duo, in Persas tendens, à quis bellum irrumpere acceperat: rure proximo Nicomediæ, Achyronam vocant, excessit: cum [ad] id tetrum sidus regnis, quod crinitum vocant, portendisset. Funus relatum in vrbem sui nominis. Quod sanè P.R. ægerrimè tulit: quippe cuius armis, legibus, clementi imperio, quasi nouatam vrbem Romanam arbitraretur. Pons per Danubium ductus: castra castelláque pluribus locis commodè posita. moræ olei frumétique aduentitiæ præbitiones, quibus Tripolis ac F Nicæa acerbius angebantur. Quæ res superiores Seueri imperio, gratantes ciui, obtulerant: vertebátque gratiam muneribus in perniciem posterorum dissimulatio: alteros Marcus Antoninus afflixerat mulcta, quòd Hipparchum præstanti ingenio indigenam fuisse ignorauissent, fiscales molestiæ seuerius pressæ, cunctáque diuino ritui paria viderentur, ni parum dignis ad publica aditũ concessisset. Quæ quamquam sæpius accidere; tamen, *in summo ingenio*, atque optimis Reipub. moribus, quamuis parua vitia, elucent magis, eoque G notantur facilè: quin etiam acriùs sæpe officiunt: cum ob auctoris decus in virtutes potissimum accipiuntur, atque ad imitandum inuitamento sunt.

Igitur confestim Dalmatius, incertum quo suasore, interficitur. Statimque triennio post minimum maximumque, fatali bello Constantinus cecidit. Quia constans victoria tumidior: simul per ætatem cautus parum, atque animi vehemens: adhuc ministrorum prauitate exsecrabilis, atque præceps in auaritiam, despectumque militarium, anno post triumphum decimo, Magnentij scelere circumuentus est: ex ternarum sanè gentium compressis motibus: quarum obsides precio quæsitos pueros venustiores quòd cultius habuerat; libidine huiusmodi arsisse pro certo habetur. Quæ tamen vitia vtinam mansissent: namque Magnentij, vt pote gentis Barbaræ, diro atroque ingenio; simul his quæ post accidêre, adeò exstincta omnia sunt; vt illud imperium haud iniuria desideraretur. Tum quia Vetranio literarum prorsus expers, & ingenio stolidior, idcircoq; agresti vecordia pessimus, cum per Illyrios peditum magisterio milites curaret: dominationem, ortus Mœsiæ superioris locis squalidioribus, improbè occupauerat.

EVM CONSTANTIVS cis mensem decimum, facundiæ vi deiectum imperio in priuatum otium remouit. Quæ gloria post natum imperium soli processit eloquio, clementiáque. Nam cùm magna parte vtrimque exercitus conuenissent, habita ad speciem iudicij concione: quod ferè vix aut multo sanguine obtinendum erat, eloquentia patrauit. Quæ res satis edocuit, *non modò domi*, verùm militiæ quoque dicendi copiam restare: qua demum vel ardua procliuius eo conficiuntur, si modestia atque integritate superet. Quod maximè cognitum è nostro Principe: quem tamé quo minus statim in hostes alios ad Italiam contenderet, hiems aspera, clausæque Alpes tardauere. Interim Romæ corrupto vulgo: simul Magnentij odio Nepotianus materna stirpe Flauio propinquus, cum Vrbis Præfectos armatáque gladiatorum manu Imperator fit: cuius stolidum ingenium adeò plebi Romanæ, Patribusque exitio fuit, vt passim domus, fora, viæ, templáque cruore, ac cadaueribus opplerentur, bustorum modo: neque per eum tantum, verùm etiam aduolantibus Magnentianis: qui tricesimo die, triduo minus, hostem perculerant. Sed iam antea cùm externi motus suspectarentur: Magnentius fratri Decentio Gallias, Constantius Gallo, cuius nomen suo mutauerat, Orientem, Cæsarem commiserant. Ipse inter se acerrimis prœliis per triennium congressi: ad extremum Constantius fugiẽtem in Galliam persecutus, variè ambos supplicio semet adegit interficere. Et interea Iudæorum seditio, qui Patricium nefariè in regni specie sustulerant, oppressa. Neque multo post ob sæuitiam atque animum trucem, Gallus Augusti iussu interiit. Ita longo interuallo annum ferè post septuagesimũ, relata ad vnum cura Reip. Quæ recens quieta à ciuili trepidatione, Siluano in Imperium coacto, tentari rursus occœperat. Is namque Siluanus in Gallia ortus Barbaris parentibus, ordine militiæ simul à Magnentio ad Constantium transgressus, pedestre ad magisterium adolescentior meruerat. E quo dum altius per metum seu dementiam, conscendisset, legionum, à quis præsidium sperauerat, tumultu octauum circa ac vicesimum diem trucidatus est. quæ caussa ne quid apud Gallos natura præcipites nouaretur, præsertim Germanis pleraque earum partium populantibus.

IVLIANVM Cæsarem, cognatione acceptum sibi

sib, Transalpinis præfecit: isque nationes feras breui subegit, captis famosis regibus. Quæ quamquam in eius fortuna, Principis tamen & consilio accidêre. Quo adeò præstat, vt Tiberius, Galeriúsque subiecti aliis, egregia pleraque; suo autem ductu atq; auspicio minus paria experti sint. At Iulius Constantius, annos tres atque viginti Augustum imperium reges, cùm externis motibus, modo ciuilibus exercetur, ægrè ab armis abest: quis tyrannide tantorum depulsa, sustentóque interim Persarum impetu, genti Sarmatarum, magno decore, considens apud eos, regé dedit. Quod Cnæum Pompeium in Tigrane restituisse, vixque A paucos maiorum fecisse comperimus. Placidus, clemensque pro negotio: literarum ad elegantiam prudens, atque orandi genere leni iucundóque: laboris patiens, ac destinandi sagittas mirè promtus: cibi omnis, libidinis, atque omnium cupidinum victor: cultu, genitoris satis pius, suiq; nimis custos: gnarus vita bonorum Principum, Reip. quietem regi. Hæc tanta támque inclyta, tenue studium probandis prouinciarum ac militiæ B rectoribus, simul ministrorũ parte maxima absurdi mores: adhuc neglectus boni cuiusq; fœdauêre. Atq; vti verum absoluã breui, vt Imperatore ipso clarius: ita Apparitorũ plerisq. magis atrox nihil



DE VITA ET MORIBVS IMPERATORVM ROMANORVM EXCERPTA EX LIBRIS SEXTI AVRELII VICTORIS, A CEASARE AVGVSTO VSQVE AD THEODOSIVM IMPERATOREM.

ANNO Vrbis conditæ septingentesimo vigesimo secundo: ab exactis verò regibus quadringentesimo octogesimoque, mos Romæ repetitus vni prorsus parendi, pro rege imperatori vel sanctiori nomine AVGVSTO appellato. OCTAVIANVS igitur, patre Octauio senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Iuliam familiam sortitus, adoptione verò CAII Cæsaris maioris auunculi, Caius Cæsar dictus, deinde ob victoriam AVGVSTVS cognominatus est. Iste in imperio positus, TRIBVNICIAM potestatem per se exercuit. Regionem Ægypti, inundatione Nili accessu difficilem, inuiámque paludibus, in prouinciæ formam redegit. Quam vt annonæ Vrbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas, labore militum patefecit. Huius tempore ex Ægypto Vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur. Iste Cãtabros & Aquitanos, Rhætos, Vindelicos, Delmatas numero prouinciarum populi Romani coniunxit. Sueuos, Cattosque deleuit, Sueambros in Galliam transtulit. Pannonios stipendiariis adiecit. Getarum populos, Basternásque lacessitos bellis, ad concordiam compulit. Huic Persæ obsides obtulerunt: creandique regis arbitrium permiserunt. Ad hunc Indi, Scythæ, Garamantes, Æthiopes, legatos cum donis miserunt. Adeò namque turbas, bella, simultates execratus est, vt, nisi iustis de caussis, numquam genti cuiquam bellum intulerit. IACTANTISQVE ESSE INGENII ET LEVISSIMI dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est folia infru- A ctuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum, securitatem ciuium præcipitare. Neque imperatori bono quicquam minus quàm TEMERITATEM congruere. SATIS CELERITER FIERI, QVICQVID COMMODE GERITVR. ARMAQVE, nisi maioris emoluméti caussa, nequaquam mouenda esse: ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria, similis sit hamo aureo piscantibus: cuius abrupti, B amissique detrimentum, nullo capturę lucro pensari potest. Huius tempore trás Rhenum vastatus est Romanus exercitus, atque tribuni & proprætor cæsus. Quod intantum perdoluit, vt cerebri valido incussu parietem pulsaret, veste capilloque, ac reliquis lugentium indiciis deformis. Auunculi quoque inuentum vehementer arguebat, qui milites commilitones, nouo blandóque more appellans, dum affectat carior fieri, auctoritatem C principis emolliuerat. Deniq. erga ciues clementissimè versatus est. In amicos fidus exstitit. Quorum præcipui erant, ob taciturnitaté Mæcenas, ob patientiam laboris, modestiamque Agrippa. Diligebat præterea Virgilium. Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ in tantum incũbens, vt nullus, ne in procinctu quidẽ, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. D Leges alias nouas, alias correctas protulit suo nomine. Auxit, ornauitq. Romã ædificiis multis, isto glorians dicto, Vrbẽ lateritiam reppeti, relinquo marmoreã. Fuit mitis, gratus, ciuilis animi & lepidi, corpore toto pulcer, sed oculis magis. quorũ aciem clarissimorũ siderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intẽdentibus tamquã solis

radijs aſpectui ſuo. à cuius facie cùm quidã miles oculos auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, reſpõdit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum. Nec tamen vir tantus vitijs caruit. Fuit enim paululum impatiens, leuiter iracundus, occultè inuidus, palam factioſus: porrò autem dominandi ſupra quàm æſtimari poteſt, auidiſsimus, ſtudioſiſsimus aleæ luſor. Cúmque eſſet cibi ac vini multum, aliquatenus verò ſomni abſtinens, ſeruiebat tamẽ libidini vſque ad probrum vulgaris famæ. Nam inter duodecim catamitos, totidẽque puellas accumbere ſolitus erat. Abiecta quoq; vxore Scribonia, amore alienæ cõiugis poſſeſſus, Liuiã quaſi marito concedente ſibi cõiunxit. Cuius Liuiæ iam erant filij Tiberius & Druſus. Cúmque eſſet luxuriæ ſeruiens, erat tamẽ eiuſdẽ vitij ſeueriſsimus vltor, MORE HOMINVM QVI IN VLCISCENDIS vitijs, quibus ipſi vehemẽter indulgent, acres ſunt. Nam & poetam Ouidiũ, qui & Naſo pro eo, quòd tres libellos amatoriæ artis conſcripſerat, exſilio damnauit. Quódque eſt læti animi, vel amœni, oblectabatur omni genere ſpectaculorum, præcipuè ferarũ incognita ſpecie, & infinito numero. Annos ſeptem & ſeptuaginta ingreſſus, Nolæ morbo interijt. Quanquã alij ſcribant dolo Liuiæ extinctum, metuẽtis ne, quia priuigni filiũ Agrippã, quem odio nouercali in inſulam relegauerat, reduci cõperterat, eo ſummã rerum adepto, pœnas daret. Igitur mortuũ, ſeu necatũ, multis nouiſque honoribus ſenatus cẽſuit decorandũ. Nã præter id, quod antea PATREM PATRIÆ dixerat, tẽpla tã Romç, quã per vrbes celeberrimas ei cõſecrauit cũctis vulgo iactãtib. VTINAM AVT NON NASCERETVR, AVT NON MORERETVR. Alterum [enim] peſſimi incepti, exitus præclari alterũ. Nã & in adipiſcẽdo principatu oppreſſor libertatis eſt habitus, & in gerẽdo, ciues ſic amauit, vt tridui frumẽto in horreis quondã viſo, ſtatuiſſet veneno mori: ni è prouincijs claſſes interea non veniſſẽt. Quibus aduectis, felicitati eius, ſalus patriç eſt attributa. Imperauit annos quinquaginta ſex: 12. cũ Antonio: quadraginta & quatuor ſolus. Qui certè nunquã aut Reipublicæ ad ſe potentiã traxiſſet, aut tamdiu ea potiretur, niſi magnis naturæ & ſtudiorum bonis abundaſſet.

CLAVDIVS TIBERIVS Liuiæ filius, Cæſaris Octauiani priuignus imperauit annos viginti tres. Iſte, quia Claudius Tiberius Nero dicebatur, elegãter à iocularibus, Caldius Biberius Mero, ob vinolentiam nominatus eſt. Satis prudens in armis, ſatiſque fortunatus ante ſumtũ imperiũ ſub Auguſto fuit: vt non immeritò Reipublicæ dominatus ei committeretur. Inerat ei ſcientia literarum multa. Eloquio clarior, ſed ingenio peſſimo, truci, auaro, inſidioſo, ſimulans ea ſe velle, quæ nollet: his quaſi infenſus, quibus conſultum cupiebat: his verò, quos oderat, quaſi beniuolus apparens. Repentinis reſponſionibus aut conſilijs melior, quàm meditatis. Denique delatũ à patribus principatum quod quidem aſtu fecerat, fictè abnuere, quid ſinguli dicerent, vel ſentirent atrociter explorãs: quæ res bonos quoſque peſſumdedit. Æſtimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis moleſtiæ magnitudinem declinare, cùm ſententias ad eius voluntatem promunt, inceſſère exitia poſtrema. Iſte Cappadocas in prouinciam, remoto Archelao rege eorum redegit. Gætulorum latrocinia repreſſit. Maraboduum Sueuorum regem callidè circumuenit. Cùm immani furore

A inſontes [noxios] ſuos pariter externóſque [illegible] ret, reſolutis militiç artibus, Armenia per Parthos, Mœſia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direptæ ſunt. Iſte poſt ſeptuageſimum octauum annum, & menſem quartum, [illegible] dijs Caligulæ extinctus eſt.

CALIGVLA imperauit annos quatuor. Iſte, filius Germanici, quia natus in exercitu fuerat cognomentum calciamenti militaris, id eſt, CALIGVLÆ ſortitus eſt. Ante principatum omnibus
B carus, acceptuſque fuit: in principatu verò talis, vt non immeritò vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuiſſe. Denique tres ſorores ſuas ſtupro maculauit. Incedebat habitu deorum ſuorum: louem, ob inceſtum, è choro autem bacchanali, Liberum ſe aſſerebat. De quo neſcio an decuerit memoriæ prodi, niſi fortè quia iuuat de principibus noſſe omnia: vt improbi ſaltem famæ metu [illegible] declinent. In palatio matronas nobiles publicæ libidini ſubiecit. Primus diademate capiti impo-
C ſito, Dominum ſe iuſſit appellari. In ſpatio [illegible] millium, quod in ſinu Puteolano inter [illegible] cet, duplici ordine naues contexens, arenæ aggeſtu ad terræ ſpeciem viam ſolidatam, phalerato equo inſignis quercea corona, quaſi triumphans indutus aureo paludamento, curru biiugi decucurrit. Dehinc à militibus confoſſus interijt.

CLAVDIVS TIBERIVS, Druſi Tiberij fratris, filius, Caligulæ patruus, imperauit annos quatuordecim. Iſte, cum ſenatus cenſuiſſet, gentem
D Cæſarum exterminari, deformi latebra latens, repertus à militibus, quia vẽcors erat, [&] mitiſſimus videbatur imprudentibus, imperator effectus eſt. Hic ventri, vino, libidini fœdæ obediens, vecors & propè hebes, ignauus ac pauidus, libertorum & coniugis imperiis ſubiectus fuit. Huius tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias imperator creatus, continuo occiditur. Mauri prouincijs acceſſère. Cæſa Muſulamiorum [illegible] anus eſt. Aqua Claudia Romç inducta. Huius vxor
E Meſſallina primo [clam, mox] paſſim, quaſi iure, adulteris vtebatur. Ex quo facto plures metu abſtinentes, extincti ſunt. Dehinc atrocius accenſa, nobiliores quaſque nuptas & virgines, ſcortorum modo ſecum propoſuerat: coactique mares, vt adeſſent. Quòd ſi quis talia horruerat, adſcito crimine in ipſum, omnémque familiam eius ſæuiebatur: vt magis videretur ſub imperatore [illegible] quàm imperatori, nupta eſſe. Ita liberti eius poteſtatem adepti, ſtupris, exſilio, cæde, proſcriptio-
F nibus, omnia fœdabant. Ex quibus Felicem legionibus Iudææ præfecit: POSIDIO eunucho poſt triumphum Britannicum, inter militarium fortiſſimos, arma inſignia tamquam participi victoriæ dono dedit. POLYBVM inter conſules mediũ incedere fecit. Hos omnes anteibat NARCISSVS ab epiſtolis, dominum ſe gerens ipſius domini, PALLASQVE prætorijs ornamentis ſublimatus, adeò diuites, vt cauſſante eo inopiam fiſci, lepidiſſimè famoſo elogio vulgatũ ſit, Abũde ei pecuniã fore,
G ſi à duob. libertis in ſocietatẽ reciperetur. Huius tẽporib. viſus eſt apud Ægyptũ PHOENIX, quã ferunt volucrẽ an. 500. ex Arabia memoratos locos aduolare: atq; in Ægço mari repẽtè inſula emerſit. Hic Agrippinã Germanici fratris ſui filiã vxorẽ duxit: quæ filio imperiũ procurãs, primo priuignos inſidijs multiformib. dehinc ipſũ cõiugẽ veneno interemit. Vixit ann. ſexaginta quatuor: cuius funus vt quondam in Tarquinio Priſco diu occultatum

Dum ar-

Dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulát, Nero priuignus eius imperij iura suscepit.

DOMITIVS NERO, patre Domitio Ænobarbo genitus, matre Agrippina, imperauit annos tredecim. Iste quinquennio tolerabilis visus. Vnde quidam prodidere, Traianum solitum dicere, procul distare cũctos principes [à] Neronis quinquennio. Hic in vrbe amphitheatrum & lauacra construxit. Pontum in ius prouinciæ, Polemonis reguli permissu redegit, à quo Polemoniacus Pontus appellatus est: itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo. Eo namque dedecore reliquum vitæ egit, vt pudeat memorare huiuscemodi quemquam. Eo progressus est, vt neque suæ, neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam conuocato senatu, dote dicta, cunctis festa de more frequentantibus, nuberet. Pelle tectus feræ, vtriusque sexui genitalia vultũ contrectabat. Matrem etiam stupro cõtaminauit: quam postmodum interemit. Octauiam & Sabinam cognomento Poppæam, in matrimonium duxit, viris earum trucidatis. Tunc Galba in Hispania procul & Caius Iulius imperium corripuere. vbi aduentare Nero Galbam didicit, senatusque sentẽtia constitutũ, vt more maiorum collo in furcam coniecto, virgis ad necem, cæderetur: desertus vndique, noctis medio, egressus Vrbe, sequentibus Phaône, Epaphrodito, Neophytoque, & spadone Sporo, quem quõdam [Nero] exsectum formare in muliere tentauerat, semet ictu gladij transegit, adiuuante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho [Sporo:] cum sanè prius nullo reperto, à quo feriretur, exclamaret, Itane nec amicum habeo, nec inimicum: dedecorosè vixi, turpius peream. Periit anno ætatis tricesimo secundo. Hunc Persæ in tantum dilexerunt, vt legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenta. Cæterùm adeò cunctæ prouinciæ omnisque Roma interitu eius exsultauit, vt plebs induta pileis manumissionum, tamquam sæuo exemta domino, triumpharet.

GALBA nobili SVLPICIORVM genere progenitus, imperauit menses septem, diésque totidem. Iste in adolescentes infamis, ad vescendum intemperans fuit, trium amicorum cõsilio, id est Vinij, Cornelij, & Icelij cuncta disponens, adeò vt intra Palatinas ædes pariter habitarent, & vulgo pædagogi dicerentur. Hic ante sumtam nominationem multas prouincias egregiè administrauit, militem seuerissimè tractans, ita vt ingresso eo castra, vulgaretur statim, *Disce miles militare, Galba est, non Gætulicus.* Cùm septuagesimum tertium ætatis annum ageret, dum factione Othonis accensas regiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæsus est.

SALVIVS OTHO splendidis ortus maioribus, ex oppido Ferentino, imperauit menses quatuor, vita omni turpis, maximè adolescentia. Hic à Vitellio primum apud Placentiam, dehinc apud Bebriacum victus, semet gladio transfixit anno ætatis 37. adeò amabilis militibus propriis, vt plerique corpore eius viso, suis manibus interierint.

VITELLIVS ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter consule, imperauit menses octo. Iste mente crudelis auarúsque cum profusione fuit. Huius tempore Vespasianus in Oriente principatũ arripuit: à cuius militibus certamine sub muris Vrbis habito, superatus, è palatio, quò se abdiderat, Vitellius, vinctis à tergo manibus, produ-

A ctus, circumducitur ad spectaculum vulgi. Ac, ne homo imprudens, in extremis saltem, malorum, quæ gesserat, rubore faciem demitteret, subiecto in mentum gladio, seminudus, multis cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu, purgamentis, vultum eius incessentibus, per scalas Gemonias trahitur; vbi Sabinum Vespasiani fratrem necari permiserat. Numerosis ictibus confossus interiit. Vixit annos 57. Hi omnes, quos paucis attigi, præcipuè Cæsarum gens, adeò literis culti, atque eloquentia fuere, vt ni cũctis vitiis, absque Augusto, B nimij forẽt, profectò texissent immodica flagitia.

VESPASIANVS imperauit annos decem. Huius inter cetera bona illud singulare fuit, INIMICITIAS OBLIVISCI, adeò, vt Vitellij hostis sui filiam locupletissimè dotatam, splendidissimo cõiungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus, contumeliis eorum, vt erat facetissimus, [dictis] iocularib. respondẽs. Namq. Liciniũ Mucianũ, quo adiutore ad imperiũ peruenerat, fiducia C meritorum, insolentem, lepidè flectebat, adhibito aliquo vtrique familiari, id vnum dicens, Nosti me mirum esse. Sed quid mirum in amicis, cum etiam caussidicorũ obliqua dicta, & philosophorum contumaciam contemneret? Iste exsanguem diu, fessúmque terrarum orbem breui refecit. Nãque primùm satellites tyrannidis, nisi qui fortè atrocius longè processerant, flectere potius maluit, quàm excruciatos delere, prudentissimè ratus, nefaris ministeria à pluribus metu curari. Prætereà D legibus æquissimis monendo, quodq. vehementiùs est, vitæ specie, vitiorum plura aboleuerat. Infirmus tamẽ, vti quidã prauè putant, aduersus pecuniã, cum satis constet ærarij inopia, & clade vrbium, nouas eum neque postea habitas vectigaliũ pensiones exquisiuisse. Hic Romam deformem incendiis veteribus ac ruinis, permissa, si domini deessent, volentibus ædificandi copia, Capitoliũ, ædem pacis, Claudij monumenta reparauit: multáque noua instituit. Per omnes terras, quà ius E Romanum est, renouatæ vrbes cultu egregio: viæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cauati mõtes per Flaminiam sunt prono transgressu, quæ vulgariter Pertusa petra vocitatur. Mille gentes compositæ, cùm ducentas ægerrimè reperisset, extinctis sæuitia tyrannorum plerisque. Rex Parthorum Vologeses metu solo in pace coactus est. Syria seu Palæstina, nec non Cilicia Trachea, & Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, prouinciis accessere. Iudæi quoque F additi sunt. Hic monentibus amicis, vt caueret à Metio Pomposiano, de quo sermo percrebuerat regnaturum, consulem fecit, alludens tali cauillo, quandoque memor erit tanti beneficij. Institutum verò vniforme omni imperio tenuit. Vigilare nocte, publicisque actibus absolutis caros admittere, dum salutatur calceamenta sumens & regium vestitum. Pòst autem negotiis, quæcunq. aduenissent, auditis, exerceri vectatione, deinde requiescere: postremò vbi lauisset, remissiore animo G conuiuium curabat. Plura dicere studium cogit imperatoris boni, quẽ ab Augusti morte post annos sex & quinquaginta, Romana respublica exsanguis sæuitia tyrannorum, quasi fato quodã, ne penitus rueret, assecuta est. Itaque annum agẽs vitæ absque vno septuagesimum, feriis ioca, quibus delectabatur, admiscens, interiit. Quippe primo cum crinitum sidus apparuisset, Istud, inquit, ad regem Persarum pertinet, cui capillus effusior.

Deinde, ventris eluuie fessus, & assurgens, Stantem ait, imperatorem excedere terris decet. A

TITVS vocabulo patris etiã VESPASIANVS dict⁹, matre liberta DOMITILLA nomine genit⁹, imperauit annos duos, & menses duos, diésq; viginti. Iste à puero preclaris studiis, probitatis, militię, literarum instantissimè deditus, quo contenderit, animi & corporis munerib. ostēdit. Hic vbi patriæ curã suscepit, incredibile est, quãtum, quos imitabatur, anteierit, præcipuè clementia, liberalitate, honorificẽtia, ac pecunię cõtẽptu: quę eo ãplius grata fuere, quòd ex nonnullis à priuato adhuc patratis, asperior, luxurię & auaritię amãs credebatur fore. Namq. præfecturã prætorianã patre imperãte adeptus, suspectũ quemq. & oppositũ sibi immissis, qui per theatra & castra insidiosa iactãtes ad pœnã poscerẽt, quasi conuictos oppressit. In quib. Cecinã consularem, adhibitũ ccnę, vix dũ triclinio egressũ ob suspicionẽ stupratę Berenices vxoris suę, iugulari iussit. Iurgia autem sub patre venũdata rapinarũ cupidũ: vnde Neronẽ cuncti vocãtes opinãtésq. summã rerũ nactũ grauiter acceperãt. Sed hæc in meli⁹ cõuersa adeò ei immortalẽ gloriam contulere, VT DELICIÆ ATQVE AMOR humani generis appellaretur. Deniq. vt subiit põdus regiũ, Berenicen nuptias suas sperãtem, regredi domum, & eneruatorũ greg's abire pcepit. Quo facto quasi signũ protulit mutatæ intẽperãtię. Dehinc cùm donata cõcessáve à priorib. principib. firmare insequẽtes solerẽt simul [vt] imperiũ cœpit, talia possessoribus edicto spõte cauit. Quadã etiã die, recordatus vespera nihil se cuiquã præstitisse, venerando cælestiq; dicto, AMICI, ait, PERDIDIMVS DIEM: quia erat magnificę liberalitatis. Clementiã verò vsq. eo pduxit, vt ãplissimi ordinis duo, cùm aduersus eũ coniurassẽt, neq. abnuere cogitatũ scelus quirẽt, monuerit primò: pòst deductos in spectaculũ secũ, vtrimq. assidere iusserit: petitoq. ex industria Myrmillonũ, quorũ pugnæ visebantur, gladio: quasi ad explorandam aciem, vni atque alteri commiserit: quibus perculsis & constantiam mirantibus diceret. Videtisne POTESTATES fato dari, frustráq. tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? Fratrem quoq. Domitianum paranteẽ insidias, militúmq. animos sollicitantẽ, flens sæpius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod & se volente esset obuenturũ ei, & iã haberet, cum sit particeps potestatis. Huius tẽpore mons Vesuuius in Cãpania ardere cœpit: incendiumq. Romæ sine nocturna requie per triduũ fuit. Lues quoq. quanta vix vnquã antea, [fuit.] Quibus malis nonnullis vexatis pecuniã propria subuenit, cunctis remediorum generibus nunc ægrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos. Vixit annos quadraginta vnum: & in eodem, quo pater, apud Sabinos agro, febri interiit. Huius mors, credi vix potest, quantum luctus Vrbi, prouinciisque intulerit, adeo vt cum delicias publicas, sicut diximus, appellãtes, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem deflerent. B C D E F G

DOMITIANVS VESPASIANI & DOMITILLÆ libertę filius, germanus Titi, imperauit ãnos quindecim. Iste primò clementiam simulans, neque adeò iners, domi belliq; tolerantior videbatur: idcircoque Cattos Germanósque deuicit. Ius æquissimè dixit. Romæ multa ædificia vel cœpta, vel à fundamẽtis construxit. BIBLIOTHECAS incendio consumtas, petitis vndique, præsertim Alexandria exemplis, reparauit. Sagittarum tam doctus fuit, vt inter patentes digitos extensæ manus viri procul positi, spicula eius transfugerent. Dehinc atrox cædibus, bonorum suppliciis agere cœpit: ac more Caligulę dominum sese deumque dici coegit, segnísque ridiculè, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur. Furens libidine: cuius fœdum exercitium, Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat. Hinc percontanti cuidã, quisquàmne in palatio esset, responsum [est.] Ne musca quidem. His eius sæuitiis, ac maximè iniuria verborum, qua [se] scortum vocari dolebat, accensus Antonius, curans Germaniam superiorẽ, imperium corripuit. Quo per Norbanum Appium acie strato, Domitianus longè tetrior, in omne hominum genus, etiã in suos, ferarum more grassabatur. Igitur metu crudelitatis, & cõscientiæ suę coniurauere pleriq. impulsoribus Parthenio procurante cubiculum, & Stephano & tunc ob fraudem intercepte pecuniæ supplicium suspectante, Clodiano, adscita etiam in consilium tyranni vxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis à principe cruciatus formidante. Domitianum multis vulneribus confodiunt, post annũ quintũ & quadragesimum vitæ. At senatus gladiatoris more funus efferri, radendúmque nomen decreuit. Huius tempore sæculares ludi celebrati sunt.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti, imperiũ rexere: hinc aduenæ. Vnde compertum est, vrbem Romam externorum virtute creuisse. Quid enim Nerua prudentius aut moderatius? quid Traiano diuinius? quid præstantius Adriano?

COCCEIVS NERVA, oppido Narniẽsi genitus, imperauit menses tredecim, dies decem. Iste cùm imperium suscepisset, mox rumore orto, viuere atque adfore Domitianum, perinde trepidauit, vt colore mutato, verbis amissis vix consisteret. Sed à Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad solemne delenimentum conuersus est. Qui cùm in curiam à senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antoninus, vir acer, eique amicissimus conditionẽ imperantiũ prudenter exprimens, amplexus eũ, gratulari se ait senatui & populo, prouinciisq. ipsi autem nequaquã: cui satius fuerat malos semper principes eludere, quàm tanti oneris vim sustinentem, non molestiis modo & periculis subiici, sed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui cum se mereri omnia præsumũt, si quicquam nõ extorserint, atrociores sũt ipsis quoq. hostibus. Iste quicquid antea pœnę nomine tributis accesserat, indulsit: afflictas ciuitates releuauit: puellas pucrosque natos parentibus egestosis, sumtu publico per Italiæ oppida ali iussit. Hic ne accessum malignorũ terreret, Iunij Maurici constantis viri dicto (ita) admonetur, Qui conuiuio familiari adhibitus, cum Vetentonem, consulari honore fũctum quidem apud Domitianũ, tamen multos occultis criminationibus persecutũ, adesse vidisset, inter colloquia mentione Catulli facta calumniatoris præcipui, dicẽte Nerua, Quid nũc faceret, si Domitiano superuixisset, Nobiscũ, inquit Mauricus, cenaret. Hic, iurgiorũ disceptator & scientissimus & frequẽns fuit. Calpurnium Crassũ, promissis ingentibus animos militũ pertentantẽ, detectum, confessũmq., Tarentũ cum vxore remouit, patribus lenitatem eius increpantibus. Cúmq. interfectores Domitiani ad exitium poscerentur tantũ est consternatus, vt neq. vomitum, neque impetum veneris valeret differre, & tamen ve-

men vehementer obſtitit, dictitans æquius eſſe mortem ſubire, quàm auctoritatem imperij fœdare, proditis potentiæ ſumendæ auctoribus. Sed milites neglecto principe, requiſitos, Petronium, Stephanumq; vno ictu: Parthenium verò demtis prius genitalibus, & in os coniectis, iugulauere, redemto magnis ſumptibus Caſperio: qui ſcelere tam truci inſolentior, Neruam compulit referre apud populum gratias militibus, quia nefandos peſſimóſq. omniũ mortaliũ peremiſſent. Hic Traianum in liberi locum, inq; partem imperij adoptauit: cũ quo tribus vixit mẽſibus. Qui dũ ſuggerente ira, voce quàm maxima, cõtra quẽdã Regulũ nomine inclamaret, ſudore correpť eſt. Quo refrigeſcente, horror corporis nimius initiũ febri fuit: nec multo pòſt, vitã finiuit, anno ætatis ſexageſimo tertio. Cuius corpus à ſenatu quondã Auguſto honore delatũ, in ſepulchro Auguſti ſepultũ eſt. Eóque die quo interiit, ſolis defectio facta eſt.

VLPIVS TRAIANVS ex vrbe Tudertina, Vlpius ab auo dictus, Traianus à Traio paterni generis auctore, vel de nomine Traiani patris ſic appellatus, imperauit annis viginti. Iſte talẽ ſe Reipublicæ præbuit, qualẽ vix ægréq. exprimere valuerunt ſummorum ſcriptorum mirãda ingenia. Hic imperium apud Agrippinam nobilem Galliæ coloniam ſuſcepit, habens diligentiam in re militari, in ciuilibus lenitatem, in ſubleuandis ciuitatibus largitionem. Cúmq. duo ſint, quæ ab egregiis principibꝰ expectẽtur, SANCTITAS DOMI, IN ARMIS FORTITVDO, VTROBIQVE PRVDENTIA: tantus erat in eo maximarum rerum modus, vt quaſi temperamento quodã virtutes miſcuiſſe videretur: niſi quia cibo, vinoq. paululum deditus erat. Liberalis in amicos: & tanquam vitæ cõditione par, ſocietatibus perfrui. Hic ob honorem Suræ, cuius ſtudio imperium arripuerat, lauacra cõdidit. De quo ſuperuacaneum videtur cuncta velle nominatim prodere, cùm ſatis ſit excultũ atq. emendatum dixiſſe. Fuit enim patiens laboris, ſtudioſus optimi cuiuſque, ac bellicoſi: magis (que) ſimpliciora ingenia aut eruditiſſimos, quãuis ipſe parcæ eſſet ſcietiæ, moderatéq. eloquens, diligebat. IVSTITIÆ verò, ac IVRIS HVMANI diuiniq́ue, tam repertor noui, quàm inueterati cuſtos. Quæ omnia eò maiora viſebantur, quo(niam) per multos atq. atroces tyrannos perdito atque proſtrato ſtatu Romano, in remedium tãtorum malorum diuinitus credebatur opportunè datus, vſq. eò, vt aduenïens imperium eius pleraque mirifica denunciauerint. In quibus præcipuum, cornix è faſtigio Capitolij Atticis ſermonibus effata, καλῶς ἔσται. Huius exuſti corporis cineres relati Romam, humatiq. Traiani foro ſub eius columna: & imago ſuperpoſita, ſicuti triumphantes ſolent, in Vrbem inuecta, ſenatu præeunte & exercitu. Eo tẽpore, multo pernicioſius, quàm ſub Nerua, Tiberis inundauit, magna clade ædium: & terræmotus grauis per prouincias multas, atróxque peſtilẽtia, faméſque, & incendia facta ſunt. Quibus omnibus Traianus per exquiſita remedia plurimum opitulatus eſt, ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumtus, ſi quando talia contingerẽt, exitioſos. Vnde merito PATER PATRIÆ dictus eſt. Vixit annos ſexaginta quatuor.

ÆLIVS ADRIANVS ſtirpis Italiæ, Ælio Adriano Traiani principis conſobrino Adriæ orto genitus, quod oppidũ agri Piceni, etiã mari Adriatico nomẽ dedit, imperauit annis vigintiduobus. Hic Græcis literis impenſius eruditus, à pleriſque Græculus appellatus eſt. Athenienſium ſtudia, moréſq. hauſit non ſermone tantùm, ſed & ceteris diſciplinis, canendi, pſallendi, medendiq. ſciẽtia, muſicus, geometra, pictor, fictor, ex ære vel marmore proximè Polycletos & Euphranoras. Perinde omnino ad iſta erat factus, vt elegantius numquam quicquam humanę res expertæ videãtur. Memor, ſupra quam cuiquam credibile eſt, locos, negotia, milites, abſentes quoq. nominibus recenſere. Immenſi laboris, quippe qui prouincias omnes pedibus circumierit, agmen comitantium præuertẽs, cùm oppida vniuerſa reſtitueret, augeret ordinibus. Namq. ad ſpecimen legionum militarium, fabros, perpẽdiculatos, architectos, genuſq. cunctũ extruendorũ mœniũ, ſeu decorãdorum, in cohortes centuriauerat. Varius, multiplex, multiformis: ad vitia atque virtutes quaſi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium inuidum, triſte, laſciuum, & ad oſtentationem ſui inſolens, callidè regebat, continentiam, facilitatem, clementiam ſimulans, contráque diſſimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat. Acerrimus ad laceſſendum pariter & reſpondendũ ſeriis, ioco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dicto: prorſus vt meditatum crederes aduerſus omnia. Huius vxor Sabina, dum propè ſeruilibus iniuriis afficitur, ad mortem voluntariã compulſa eſt. Quæ palàm iactabat, quàm immane ingenium pertuliſſet: & elaboraſſe, ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur. Hic morbo ſubtercutaneo, quem diu placidè pertulerat, victus, dolore ardẽs, impatiénſque, plures à ſenatu extinxit. A regibus multis pace occultis muneribus impetrata, iactabat palàm plus ſe otio adeptũ, quàm armis ceteros. Officia ſanè publica, & palatina, nec non militiæ in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtãtinum immutatis hodie perſeuerat. Vixit ãnos ſexaginta duos: dehinc miſerabili exitu cõſumtus eſt, cruciatu membrorum ferè omnium confectus, in tantum vt crebrò ſeſe interficiendum miniſtrorum fidiſſimis precans offerret: ac ne in ſemetipſum ſæuiret, cuſtodia cariſſimorum ſeruaretur.

ANTONINVS FVLVIVS, ſeu BOIONIVS dictus, poſtea etiam PIVS cognominatus, imperauit annos viginti tres. Iſte ab Adriano in filium adoptatus, cuius gener fuerat, tantæ bonitatis in principatu fuit, vt haud dubiè ſine exemplo vixerit. Quamuis eum Numæ contulerit ætas ſua, cùm orbem terræ nullo bello per annos viginti tres auctoritate ſola rexerit, adeò trementibus eum atque amantibus cunctis regibus, nationibuſque, & populis, vt parentem ſeu patronum magis quàm dominum imperatorémve reputarent: omneſque vno ore in morem cæleſtium propitium optantes, de controuerſiis inter ſe iudicem poſcerent. Ad quem etiam Indi, Bactri, Hyrcani, legatos miſere, iuſtitia tanti imperatoris comperta, quam ornabat vultu ſereno & pulchro, procerus membra, decẽter validus. Prius quàm ſalutandus prodiret, deguſtans panis aliquantulum, ne frigeſcẽte circũ præcordia per ieiunium ſanguine, viribus exeſis interciperetur, eóque actuum publicorum laboribus minimè ſufficeret. Quæ incredibili diligẽtia ad ſpeciem optimi patrisfamiliâs exſequebatur. Appetẽtia gloriæ carẽs & oſtentatione: adeò mã-

fuctus, vt instantibus Patribus ad eos qui contra eum coniurauerant persequendos, compresserit quæstionem, præfatus, NECESSE NON ESSE, SCELERIS IN SEMETIPSVM CVPIDOS, pertinacius indagari: ne si plures reperirentur, quantis odio esset, intelligeretur. Igitur cum esset annorum septuaginta duorum apud Lorios villa propria millibus passuum duodecim ab vrbe, febri paucorum dierum post tres atque viginti annos imperij consumptus est. Ob cuius honorem, templa, sacerdotes atque infinita alia decreta sunt. Vsque eò autem mitis fuit, vt cum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluerit ratione expositâ placare, quam vlcisci seditionem.

MARCVS autē ANTONINVS imperauit annos decem & octo. Iste virtutum omnium, cælestisq. ingenij exstitit, ærumnisque publicis quasi defensor obiectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profectò quasi vno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe ab armis nusquam quies erat: perque omnē Orientem, Illyricū, Italiā, Galliamque bella feruebant: terræmotus non sine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarū species agris infestæ, prorsus, vt prope nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod nō illo imperante sæuierit. Credo diuinitus attributum. VT DVM MVNDI LEX SEV NATVRA ALIVDVE QVID HOMINIBVS INCOGNITVM, ea mala gignit, rectorum cōsiliis tamquā medicinæ remediis leniatur. Is propinquum suū, LVCIVM ANNIVM VERVM, ad imperij partē nouo beneuolentiæ genere adsciuit. Qui Verus inter Altinum atque Concordiam iter faciens, ictu sanguinis, quem morbum Græci ἀποπληξίαν vocant, vndecimo imperij anno extinctus est. Carminum maximè [Tragicorum] studiosus, ingenij asperi atque lasciui. Post cuius obitū Marcus Antonius Rempublicam solus tenuit. A principio vitæ trāquillissimus, adeo, vt ab infantia [vultum] nec ex gaudio, nec ex mœrore mutauerit. Philosophiæ studens, literarūmque Græcarum peritissimus. Hic permisit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu, quo ipse, & ministris similibus, exhiberēt. Hi cùm ærario exhausto, largitiones, quas militibus impēderet, non haberet, neque indicere prouincialibus, aut senatui aliquid vellet: instrumentum regij cultus, facta in foro Traiani sectione, distraxit, vasa aurea, pocula crystallina & murrhina, vxoriam ac suam sericam & auream vestem multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menses venditio habita est, multúmque auri redactūm. Post victoriam tamen emtoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt. molestus nulli fuit, qui maluit semel emta retinere. Huius tempore Cassius tyrānidem arripiēs, extinctus est. Ipse vitæ anno quinquagesimo nono, apud Vendo bonam morbo consumtus est. De eius morte nuntio Romam peruecto, confusa luctu publico Vrbe, senatus in curia veste terra amictus, lacrymans conuenit. Et quod de Romulo ægrè creditū est, omnes pari cōsensu præsumserunt. Marcum cœlo receptum esse. Ob cuius honorem templa, columnæ, multáque alia decreta sunt.

AVRELIVS COMMODVS Marci Antonini filius, Antoninus, & ipse dictus, imperauit annos tredecim. Hic qualis futurus esset, in ipso primordio ostēdit. Nā cùm in supremis moneretur à parente, attritos iam Barbaros ne permitteret vires recipere, respondit, Ab incolumi quamuis paulatim, negotia perfici posse: à mortuo [vero] nihil. Sæuior omnibus libidine atque auaritia, crudelitate, nulli fidus: magisque in eos atrox, quos amplissimis honoribus donisque ingentibus extulerat. In tantum deprauatus, vt gladiatoriis armis sæpissimè in amphitheatro dimicauerit. Huic Marcia generis libertini, forma tamen meretriciisque artibus pollēs, cùm animum eius penitus deuinxisset, egresso è balneo, veneni poculum obtulit. Ad extremum ab immisso validissimo palæstrita, cōpressis faucibus expirauit, anno vitæ tricesimo secundo.

HELVIVS PERTINAX imperauit dies octoginta quinque. Iste coactus [imperauit:] repugnansque Imperium suscipiens, tale cognomentum sortitus est. Origine gentis sordida, præfecturam Vrbi agens imperator effectus, scelere Iuliani multis vulneribus obtruncatur, annos natus septem atq; sexaginta. Huius caput tota Vrbe circumuectum est. Hoc exitu obiit vir ad humanæ conuersationis exemplum per laboris genera vniuersa assumtus, prouectusque eò, vt FORTVNÆ vocaretur PILA. Nam libertino genitus patre apud Ligures in agro squalido Lollij Gentiani, cuius in præfectura quoque clientem se esse libentissimè fatebatur, fuit doctor litterarum, quę à grammaticis traduntur. Blandus magis quàm beneficus: Vnde cū Græco nomine χρηστολόγον appellauere. Nūquam iniuria accepta ad vlciscendum ductus. Amabat simplicitatem: cōmunem se affatu, conuiuiis, incessu præbebat. Huic mortuo Diui nōmen decretum est: ob cuius laudem ingeminatis ad vocis vsque defectum plausibus, acclamatum est, Pertinace imperāte securi viximus: neminem timuimus. Patri pio, patri senatus, patri omnium bonorum.

DIDIVS IVLIANVS, ortu Mediolanēsis, imperauit mensibus septem. Vir nobilis, iure peritissimus, factiosus, præceps, regni auidus. Hoc tempore Niger Pescennius apud Antiochiam, in Pannoniæ Sabaria Septimius Seuerus, creantur Augusti. Ab hoc seuero Iulianus in abditas palatij balneas ductus, extenta damnatorum modo ceruice, decollatur: capútque eius in rostris ponitur.

SEPTIMIVS SEVERVS imperauit annos decem & octo. Hic Pescennium interemit, hominem omnium turpitudinum. Sub eo etiam ALBINVS, qui in Gallia se Cæsarem fecerat, apud Lugdunum occiditur. Hic Seuerus filios suos successores reliquit, Bassianum & Getam. Hic in Britannia vallum per triginta duo passuum millia à mari ad mare deduxit. Fuit bellicosissimus omnium, qui ante eum fuerunt. Acer ingenio, ad omnia quæ intendisset, in finem perseuerans. Beneuolentiā, quò inclinasset, mirabili ac perpetua. Ad quærendum diligens, ad largiendum liberalis. In amicos, inimicosque pariter vehemens: quippe qui Lateranum, Cilonem, Anulinum, Bassum, ceterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis: quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, ac Laterani. Hic nulli in dominatu suo permisit honores venumdari. Latinis literis sufficienter instructus, Græcis sermonibus eruditus, Punica eloquentia promptior, quippe genitus apud Leptim prouinciæ Africæ. Is dum membrorum omnium maximè pedum, dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimæ

carnis

carnis auidius inuasit: quem cum conficere non posset, crudelitate pressus, expirauit. Vixit annos sexaginta quinque.

AVRELIVS ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA Seueri filius Lugduni genitus, imperauit solus annos sex. Hic Bassianus ex aui materni nomine dictus est. At cum è Gallia vestem plurimam deuexisset talaresq. caracallas fecisset, coegissetque plebem se ad salutandum indutam talibus intro- B ire, de nomine huiusce vestis CARACALLA cognominatus est. Hic fratrem suum GETAM peremit. ob quam causam, furore pœnas dedit DIRARVM INSECTATIONE, quæ non immeritò vltrices vocantur: à qua post furore conualuit. Hic corpore ALEXANDRI Macedonis conspecto, Magnum atque Alexandrum se iussit appellari, assentantium fallacijs eò perductus, vt truci fronte, & ad læuum humerum conuersa ceruice, quod in ore Alexandri notauerat incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Fuit impatiens libidinis, quippe qui nouercam suam duxit vxorem. C Cum Carras iter faceret, apud Edessam secedens ad officia naturalia, à milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est. Vixit annos ferè triginta. Corpus eius Romam relatum est.

MACRINVS cum DIADVMENO filio ab exercitu imperatores creati, imperauerunt menses quatuordecim: & ab eodem exercitu obtruncantur, pro eo, quia Macrinus militarem luxuriam, stipendiaque profusiora comprimeret.

D AVRELIVS ANTONINVS VARIVS, idem HELIOGABALVS dictus, Caracallæ ex Semea consobrina occultè stuprata filius, imperauit biennio & mensibus octo. Huius matris Semeæ auus Bassianus nomine, fuerat Solis sacerdos: quem Phœnices, vnde erat, Heliogabalum nominant: à quo iste Heliogabalus dictus est. Is cum Romam ingenti militum & senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminauit. Cupiditatem stupri, quam adsequi naturæ defectu non poterat, in se conuertens, muliebri nomine Bassianam se E pro Bassiano iusserat appellari. Vestalem virginem quasi matrimonio iungens suo, abscissisque genitalibus, matri se Magnæ sacrauit. Hic Marcellum, qui pòst Alexander est dictus, consobrinum suum, Cæsarem fecit. Ipse tumultu militari interfectus est. Huius corpus per Vrbis vias, more canini cadaueris, à milite tractum est, militari cauillo appellantium, indomitæ & rabidæ libidinis catulam. Nouissimè cum angustum foramen cloacæ corpus minimè reciperet, vsque ad Tiberim F ductum, adiecto pondere, ne vmquam emergeret, in fluuium proiectum est. Vixit annos sedecim: atque ex rebus, quæ acciderant, Tiberinus, Tractitiusque appellatus est.

SEVERVS ALEXANDER imperauit annos tredecim. Hic bonus reipublicæ, fuit ærumnosus. Sub hoc imperante, Taurinus Augustus effectus, ob timorem ipse se Euphrati fluuio obiecit. Tunc etiam Maximinus regnum arripuit, pluribus de G exercitu corruptis. Alexander verò cum deseri se (mei) à stipatoribus vidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans, accurrenti percussori, obuoluto capite, ceruices [suas] validè compressas præbuit anno vitæ vicesimo sexto. Huius mater Mammæa, eò filium coegerat, vt illa ipsa quamuis permodica, si mensæ prandioque superessent, alteri conuiuio reponerentur.

IVLIVS MAXIMINVS Thrax, è militaribus imperauit annos tres. Is dum persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosque, apud Aquileiam seditione militum discerptus est vnà cum filio, conclamantibus cunctis militari ioco, EX PESSIMO GENERE, NEC CATVLVM HABENDVM. Huius imperio duo GORDIANI, pater & filius principatum arripientes, vnus post vnum interiere. Pari etiam tenore PVPIENVS & BALBINVS regnum inuadentes, perempti sunt.

GORDIANVS nepos Gordiani ex filia, ortus Romæ clarissimo patre, imperauit annos sex. Apud Ctesiphontem, à Philippo Præfecto prætorio, accensis in seditionem militibus, occiditur anno vitæ vndeuicesimo. Corpus eius prope fines Romani Persicique imperij positum, nomen loco dedit SEPVLCHRVM GORDIANI.

MARCVS IVLIVS PHILIPPVS imperauit annos quinque. Veronæ ab exercitu interfectus est, medio capite supra ordines dentium præciso. Filius autem eius CAIVS IVLIVS SATVRNINVS, quem potentiæ sociauerat, Romæ occiditur agens vitæ annum duodecimum. Adeò seueri & tristis animi, vt iam tum à quinquennii ætate, nullo prorsus cuiusque commento ad ridendum solui potuerit: patremque ludis sæcularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notauerit auersato. Is Philippus humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronum ductore.

DECIVS è Pannonia inferiore, Bubaliæ natus, imperauit menses triginta. Hic Decium filium suum Cæsarem fecit: vir artibus cunctis, virtutibusque instructus, placidus & communis domi: in armis promptissimus. In solo Barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri. Filius verò eius bello extinctus est. Vixit annos quinquaginta. Huius temporibus Valens Licinianus imperator effectus est.

VIBIVS GALLVS cum VOLVSIANO filio imperauerunt annos duos. Horum temporibus HOSTILIANVS PERPENNA à senatu imperator creatus, nec multo pòst pestilentia consumtus est. Sub his etiam ÆMILIANVS in Mœsia imperator effectus est: contra quem ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu suo cæduntur, anno ætatis pater septimo circiter & quadragesimo: creati in insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur. ÆMILIANVS verò menses quatuor dominatus, apud Spoletium, siue Pontem quem ab eius cæde Sanguinarium accepisse nomen ferunt, inter Otriculum, Narniámque, [Spoletium] & vrbem Romam regione media positum. Fuit autem genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps. Vixit annis quatuor minus, quinquaginta.

LICINIVS VALERIANVS cognomento COLOBIVS, imperauit annos quindecim, parentibus ortus splendidissimis, stolidus tamen & multum iners, neque ad vsum aliquem publici officij, consilio seu gestis accommodatus. Hic filium suum GALLIENVM Augustum fecit, Gallienique filiú CORNELIVM VALERIANVM Cæsarem. His imperantibus REGILLIANVS in Mœsia, CASSIVS, LABIENVS, POSTVMVS in Gallia. Gallieni filio interfecto, imperatores effecti sunt. Pari modo ÆLIANVS apud Moguntiacum, in Ægypto ÆMILIANVS,

apud Macedonas VALENS, Medionali AVREOLVS dominatum inuasere. Valerianus verò in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarũ rege superatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili seruitute consenuit. Nam quandiu vixit, rex eiusdem prouinciæ, incuruato eo, pedem ceruicibus eius imponens, equum conscendere solitus erat. GALLIENVS quidem in locum Cornelij filij sui, SALONIANVM alterum filium subrogauit, amori diuerso pellicum deditus, Saloninæ coniugis, & concubinæ, quam per pactionem concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege, matrimonij specie susceperat, PIPAM nomine. Nouissimè aduersus AVREOLVM profectus est. Quem cùm apud Pontem qui ex eius nomine Aureolus appellatur, obtententum, de rursumque Mediolanum obsedit, eiusdem Aureoli commento à suis interijt. Regnauit annos quindecim, cum patre, septem, [&] solus, octo. Vixit annos quinquaginta.

CLAVDIVS imperauit annis duobus. Hunc plerique putant Gordiano satum, dum adolescens à muliere matura instrueretur ad vxorem. Hic Claudius Gallieni morientis sententia imperator designatus: ad quem Ticini positum, per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat. extinctóque à suis Aureolo receptis legionibus, aduersum aciem Alamannorum haud procul à lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, vt ægrè pars dimidia superfuerit. His diebus Victorinus regnum cepit: Claudius verò cùm ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset sententiæ in senatu dicendæ primi morte remedium desiderari, Pōponio Basso qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari, dono Reipublicæ dedit, præfatus neminem tanti ordinis primas habere, nisi ipsum Imperatorem. Ea res sic erat cunctis grata, vt non diui vocabulum modo, sed ex auro statuam prope ipsum Iouis simulacrum: atque in curia imaginem auream proceres sacrauerint.

HVIC successit frater eius QVINTILIVS. Is paucis diebus imperium tenens, interemtus est.

AVRELIANVS genitus patre mediocri, &, vt quidam ferunt, Aurelij clarissimi senatoris colono inter Daciam & Macedoniam, imperauit annis quinque mensibus sex. Iste haud dissimilis fuit Magno Alexandro, seu Cęsari dictatori. Nã Romanum orbem triennio ab inuasoribus receptauit: cùm Alexander annis tredecim per victorias ingentes ad Indiã peruenerit: & Caius Cæsar decennio subiecerit Gallos, aduersũ ciues quadriennio cõgressus. Iste in Italia trib. prœliis victor fuit, apud Placentiam, iuxta amnem Metaurũ ac fanũ Fortunæ, postremò Ticinensibus [in] cãpis. Huius tempore apud Delmatas Septimius imperator effectus, mox à suis obtrũcatur. Hoc tẽpore in vrbe Roma Monetarij rebellarũt, quos Aurelianus victor vltima crudelitate compescuit. Iste primus apud Romanos DIADEMA capiti innexuit: gemmisque, & aurata omni veste, quòd adhuc ferè incognitũ Romanis moribus videbatur, vsus est. Hic muris validioribus & laxioribus Vrbẽ sepsit. Porcinæ carnis vsum populo instituit. Hic Tetricum qui imperator ab exercitu in Galliis effectus fuerat, correctorem Lucaniæ prouexit, aspergens hominẽ eleganti ioco, Sublimius habendum, regere aliquã Italiæ partem, quam trans Alpes regnare. Nouissimè fraude serui sui, qui ad quosdã militares viros amicos ipsius, nomina pertulit annotata, falso manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere, ab iisdem interfectus est (in) itinere medio, quod inter Constantinopolim & Heracliam est. Fuit sæuus & sanguinarius, & trux omni tempore, etiam filij sororis interfector. Hoc tempore septem mensibus interregni species euenit.

TACITVS post hunc suscepit imperium, vir egregiè moratus: qui ducentesimo imperij die apud Tarsum febri moritur.

HVIC successit FLORIANVS. Sed cùm magna pars exercitus equitum, Probũ militiæ peritum legisset, Florianus diebus sexaginta quasi per ludum imperio vsus, incisis a se ipso venis, effuso sanguine consumtus est.

PROBVS, genitus patre agresti, hortorum studioso, Delmatio sanguine, imperauit annos sex. Iste SATVRNINVM in Oriente, PROCVLVM & BONOSVM Agrippinæ imperatores effectos, oppressit.

VINEAS gallos & Pannonios habere permisit. Opere militari Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœsiam superiorem vineis cõseuit. Hic Sirmij in turri ferrata occiditur.

CARVS Narbonę natus, imperauit annos duos. Iste confestim CARINVM & NVMERIANVM Cæsares fecit. Hic apud Ctesiphonta ictu fulminis interiit.

NVMERIANVS quoque filius eius, cùm oculorum dolore correptus in lecticula veheretur, impulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est. Cum dolo occultaretur ipsius mors, quousque APER inuadere posset imperium, fœtore cadaueris scelus est proditũ. Hinc SABINVS IVLIANVS inuadens imperium, à Carino in cãpis Veronensibus occiditur. Hic Carinus omnibus se sceleribus inquinauit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit, Matrimonia nobilium corrupit. Condiscipulis quoque, qui eum in auditorio verbi fatigatione taxauerant, perniciosus fuit. Ad extremum trucidatur eius præcipue tribuni dextera, cuius dicebatur coniugem polluisse.

DIOCLETIANVS Delmata, Anulini senatoris libertin⁹, matre pariter atq; oppido nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatus, vbi orbis Romani potentiam cępit, Graium nomen in Romanum morem conuertit. imperauit annis viginti quinque.

Is MAXIMIANVM Augũstum effecit. CONSTANTIVM & GALERIVM MAXIMIANVM cognomento ARMENTARIVM, Cęsares creauit. tradens Constantio THEODORAM Herculij Maximiani priuignam, abiecta vxore priori. Hoc tẽpore CARAVSIO in Galliis, ACHILLEVS apud Ægyptum, IVLIANVS in Italia imperatores effecti, diuerso exitu periere. E quibus Iulianus, acto per costas pugione, ignem se abiecit. Diocletianus verò apud Nicomedia in spõte imperiales fasces relinquens, in propriis agris consenuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit, Vtinam Salonæ possetis visere ôlera nostris manibus instituta, profectò nũmquam istud tentandum iudicaretis. Vixit annos sexaginta octo, ex quibus communi habitu propè nouem egit. Morte consumtus est, vt satis patuit, per formidinem voluntaria. Quippe cum à Cõstãtino atq; Licinio vocatus ad

tus ad festa nuptiarum per senectam, quo minus interesse valeret, excusauisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauisse, ac Maximino fauere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse. His duobus CONSTANTIVS Constantini pater, atque ARMENTARIVS Cæsares, Augusti appellantur, creatis Cæsaribus, SEVERO per Italiam, MAXIMINO Galerij sororis filio per Orientem: eodémque tempore CONSTANTINVS Cæsar efficitur.

MAXENTIVS, imperator in villa sex millibus ab vrbe discreta, itinere Lauicano: dehinc LICINIVS Augustus efficitur, pari quoque modo ALEXANDER apud Carthaginem imperator fit. Similique modo VALENS imperator creatur, quorum exitus iste fuit.

SEVERVS, ab Herculio Maximiano Romæ ad tres tabernas extinguitur: funusque eius Gallieni sepulchro infertur, quod ab Vrbe abest per Appiam millibus nouem. GALERIVS MAXIMIANVS, consumtis genitalibus defecit. MAXIMIANVS HERCVLIVS à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere postremo, fractis laqueo ceruicibus, luit. ALEXANDER à Constantini exercitu iugulatur. MAXENTIVS dum aduersus Constantinum congreditur, paulo superius à ponte Miluio, in pontem nauigijs compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est: voratumque limo, pondere thoracis, corpus vix repertum. MAXIMINVS apud Tarsum morte simplici perijt. VALENS à Licinio morte mulctatur. [illegible] morum huiusmodi: AVRELIVS MAXIMIANVS cognomento HERCVLIVS, ferus natura, ardens libidine, consilijs stolidus, ortu agresti, Pannonioque. Nam etiam nunc haud longe Sirmio, eminet locus palatio ibidem constructo, vbi parentes eius exercebant opera mercenaria. Ætate interijt sexagenarius, annorum viginti imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium, & Faustam coniugem Constantini: cuius patri Constantio tradiderat Theodoram priuignam. Sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi cœpti a puero. Is Maximianus carus nulli vnquam fuit, ne patri, aut socero quidem Galerio. GALERIVS autem fuit (licet inculta agrestique iustitia) satis laudabilis, pulcher corpore, eximius & felix bellator, ortus parentibus agrarijs, pastor armentorum: vnde ei cognomen ARMENTARIVS fuit. Ortus Dacia Ripensi, ibique sepultus est: quem locum Romulianum ex vocabulo Romulæ matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis Alexandri magni creatricis, compressam dracone semet concepisse. GALERIVS MAXIMINVS sorore Armentarij progenitus, veroque nomine ante Imperium DAZA dictus, Cæsar quadriennio, dehinc per Orientem Augustus triennio fuit: ortu quidem atque instituto pastorali, verum sapientissimi cuiusque, ac literatorum cultor, ingenio quieto, vini auidior. Quo ebrius, quædam corrupta mente aspera iubebat: quod cum pigeret factum, differri, quæ præcepisset, in tempus sobrium, ac matutinum statuit. Alexander fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior aduersus laborem vitio senectæ. His omnibus absumtis, imperij iura penes Constantinum & Licinium deuenere.

CONSTANTINVS, Cōstantij imperatoris A & Helenæ filius, imperauit annos triginta. Hic, dum iuuenculus à Galerio in vrbe Roma, religionis specie obses teneretur, fugam arripiens, atque ad frustrandos insequentes, publica iumenta, quaqua iter ageret, interficiens, ad patrem in Britanniam peruenit: & fortè eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata vltima perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui aderant annitentibus, sed præcipuè Eroco Alamannorum rege, auxilij gratia Constantium comitato, imperium capit. B Hic sororem suam Constantiam Licinio Mediolanum accito, coniungit: filiumque suum CRISPVM nomine, ex Mineruina concubina susceptum, item Constantinum, iisdem diebus natum oppido Arelatensi, Licinianúmque Licinij filium, mensium ferè viginti, Cæsares effecit. Verum enimuerò vt IMPERIA DIFFICILE CONCORDIAM CVSTODIVNT, dissidium inter Licinium Constantinumque exoritur: primumque apud Cibalas iuxta paludem Hiulcam nomine, Constantino C nocte castra Licinij irrumpente, Licinius fugam petijt: Byzantiumque fuga volucri peruenit. Ibi MARTINIANVM officiorum magistrum, Cæsarem creat. Dehinc Constantinus acie potior apud Bithyniam adegit Licinium pacta salute indumentum regium offerre per vxorem. Inde Thessalonicam missum, paulò pòst, eum Martinianúmque iugulari iubet. Hic Licinius annum dominationis ferè post quintumdecimum, vitæ proximè sexagesimum, occiditur: auaritiæ cupidine omnium D pessimus, neque alienus à luxu venereo, asper admodum, haud mediocriter impatiens: infestus literis: quas per inscitiam immodicam, virus, ac pestem publicam nominabat, præcipuè forensem industriam. Agrarijs plane, ac rusticantibus, quia ab eo genere ortus altusque erat, satis vtilis: ac militiæ custos ad veterum instituta seuerissimus. SPADONVM & AVLICORVM omnium vehemens domitor, tineas soricesque palatij eos appellans.

At Constantinus, obtento totius Romani imperij, mira bellorum felicitate, regimine, E Fausta coniuge vt putant, suggerente, Crispum filium necari iubet. Dehinc vxorem suam Faustam, in balneas ardentes coniectam interemit, cum eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet. Fuit verò vltra quàm æstimari potest, laudis auidus. Hic Traianum herbam parietariam ob titulos multos ædibus inscriptos, appellare solitus erat. Hic pontem in Danubio construxit. Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen rebus multis fuit. F CALVMNIAS sedare legibus seuerissimis, nutrire artes bonas, præcipuè STVDIA LITTERARVM: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes, & querimonias prouinciarum. Cumque liberis filioque fratris Delmatio, Cæsaribus confirmatis, tres & sexaginta annos vixisset, ex quibus dimidios ita, vt tredecim solus imperaret, morbo consumtus est. Irrisor potius quàm blandus. Vnde prouerbio vulgari, Thracala decem annis præstantissimus, G duodecim sequentibus latro, decem nouissimis pupillus, ob profusiones immodicas nominatus. Corpus sepultum in Byzantio, Cōstantinopoli dicta. Quo mortuo, Dalmatius militum vi necatur. Ita ad tres orbis Romani dominatio redacta est, Cōstantinum, & Constantium, ac Constantem filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt: CONSTANTINVS iunior cuncta trans Alpes. CONSTANTIVS à fre-

to Propontidis, Asiam atque Orientem: CONSTANS Illyricum, Italiamque: & Africam, Delmatiam, Thraciam Macedoniamque, & Achaiam: ANIBALIANVS Delmatij Cæsaris consanguineus, Armeniam, nationesque circumsocias.

INTERIM ob Italiæ, Africæque ius dissentire statim Constantinus, & Constans [cœperũt.] Cõstantinus latrocinij specie, dũ incautus, fœdeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus est, proiectusque in fluuium, cui nomẽ Alsa est, nõ longè ab Aquileia. Constans verò venandi cupidine B [ductus,] dum, per siluas saltusque erraret, conspirauere aliquanti militares in eius necem, auctoribus Chrestio & Marcellino, simulque Magnentio: qui vbi patrandi negotij dies placuit, Marcellinus natalem filij simulans, plerosque ad cœnam rogat. Itaque in multam noctem conuiuio celebrato: MAGNENTIVS, quasi ad ventris secreta secederet, habitum venerabilem capit. Ea re cognita, Constans fugere conatus, apud Helenã oppidum Pyreneo proximum, à Gaisone cum lectissimis misso interficitur, anno tertiodecimo C Augustæ dominationis, nam Cæsar triennio fuerat, æui septimo vicesimoque. Hic fuit debilis pedibus manibusque, articulorum dolore: fortunatus cæli temperie, frugum prouentu, nulla à Barbaris formidine: quæ profectò maiora fierẽt, si prouinciarum rectores non pretio, sed iudicio promouisset. Huius morte cognita, VETRANIO magister militum imperium in Pannonia apud Mursiam corripuit: quem Constantius non post D multos dies regno exuit, grandæuæ ætati non vitam modo, sed etiam voluptarium otium concedens. Fuit autem propè ad stultitiam simplicissimus.

CONSTANTIVS GALLVM, fratrem patruelẽ Cæsarem pronuntiat, sororem Constantinam illi coniungens, MAGNENTIVS quoque DECENTIVM consanguineum suum trans alpes Cæsarem creauit. His diebus Romæ NEPOTIANVS Eutropiæ Constantini sororis filius, hortantibus perditis, E Augusti nomẽ rapit: quem octauo die vicesimoque Magnentius oppressit. Hoc tempore Constãtius cum Magnentio apud Mursiam dimicans vicit. In quo bello penè numquam amplius Romanæ consumtæ sunt vires, totiusque imperij fortunæ pessumdatæ. Dehinc cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit, incautius, &, vt in victoria solet, audacius persequentes. Nec multò pòst apud Lugdunum coangustatus, gladio occultè prouiso, ictum pulsu F parietis iuuans, transfosso latere, vt erat vasti corporis, vulnere, naribusque & ore cruorem effundens, mense imperij quadragesimo secundo, ętatis anno propè quinquagesimo, expirauit. Ortus parentibus barbaris, qui Galliam inhabitant. legendi studio promtus, sermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem. Eius morte audita, Decentius laqueo fasciæ ad collum posito, vitam finiuit. Hoc tempore Gallus Cæsar à G Constantio occiditur. Impetrauit annos tres. SILVANVS imperator effectus, die imperij vicesimo octauo perimitur. Fuit ingenio blandissimus. Quamquam barbaro patre genitus, tamen institutione Romana satis cultus & patiens. CONSTANTIVS CLAVDIVM IVLIANVM, fratrem Galli, honore Cæsaris assumit, annos natum ferè tres atque viginti.

A Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hostium copias deleuit. Stabant aceruі montium similes: fluebat cruor fluminum modo. captus est nobilis Chonodomarius, fusi omnes optimates, redditi limes Romanæ possessionis: ac postmodũ cum Alamannis dimicans, potentissimum eorum regem Badomarium cepit. Hic à militibus Gallicanis Augustus pronuntiatur. Hunc Constantius vrgere legationibus, vt in statum nomenque pristinum B recitatur. Iulianus mandatis mollioribus refert sub nomine celsiore imperij multo officiosius parituruм. Hunc Cõstãtius magis magisq. ardẽs dolore atque, vt erat talium impatiens, in radicibus Tauri montis apud Mopsocrene febri acerrima quã indignatio nimia vigiliis augebat interiit anno æui quarto & quadragesimo, imperij nono atque tricesimo, verum Augustus quarto vicesimoque: octo solus cum fratrib' atque Magnẽtio sedecim, quindecim Cæsar. Felix bellis ciuilibus, externis lacrymabilis: mirus artifex in sagittis: à cibo, vinoque & somno multum [in]temperans, patiens C laboris, facundię cupidus: quam cum assequi tarditate ingenij non posset, alijs inuidebat. Spadonũ, aulicorumque amori deditus & vxorũ: quibus cõtentus, nulla libidine trãsuersa, aut iniusta polluebatur. Sed ex coniugibus, quas plurimas sortitus est, præcipuè Eusebiam dilexit, decoram quidẽ, verũ per Adamantias, & Gorgonias, & alia importuna ministeria vexantem famam viri, contra quam FEMINIS MODESTIORIBVS mos est. quarũ sępe pręcepta maritos iuuant. Namque vt cęteras omittam, Põpeia Plotina, incredibile dictu est, D quãto auxerit gloriã Traiani: cuius procuratores cum prouincias calumnijs agitarent, adeo vt vnus ex ijs diceretur locupletiũ quemque ita conuenire. Quæ habes [ad mẽsam?] alter, Vnde habes: tertius, Pone quæ habes: illa coniugem corripuit: atque increpans, quòd laudis esset incuriosus, talem reddidit, vt postea exactiones improbans & detestans, FISCVM LIENEM vocaret, quod eo crescente, artus reliqui tabescant. Igitur Iulianus, redacta ad vnum se orbis Romani curatione, gloriæ E nimis cupidus, in Persas proficiscitur. Illic à transfuga quodam in insidias deductus, cum eum hinc inde Parthi vrgerent, è castris iam positis, arrepto tantũ clypeo procurrit. Cumque incõsulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab vno ex hostibus & quidem fugiẽte, conto percutitur. Relatusque in tabernaculũ, rursusq; ad hortãdos suos egressus, paulatim sanguine vacuatus, circa noctis ferè medium defecit, præfatus, consultè se de imperio nihil mandare, ne, vti solet, in multitudine discrepantibus studijs amicorum, ex inuidia reipublicæ, DISCORDIA EXERCITVS periculum pararet. Fuerat in eo literarum ac negotiorum ingens scientia. Æquauerat philosophos, & Græcorum sapientissimos. Vsu promptior corporis, quam validior quidem, sed breuis fuit. Hęc minuebat quarundam rerum neglectus modestiæ, cupido laudis immodica: cultu numinũ superstitiosus: audax plus, quàm IMPERATOREM DECET: cui salus propria, cũm semper ad securitatem omnium, [tum] maximè in bello cõseruanda est. Ita illum cupido gloriæ flagrantior peruicerat, vt neque terræmotu, neque plerisque præsagijs quibus vetabatur petere Persidem, adductus sit finem ponere ardori: ac ne noctu quidem visus ingens globus cælo labi, diem belli cautum præstiterit.

IOVIANVS genitus patre Varroniano, incola agri Singidonensis prouinciæ Pannoniæ, imperauit menses octo. Eius patri, cùm liberos crebros amitteret, præceptum somnio est, eum, qui iam instante vxoris partu edendus foret, diceret Iouianum. Hic fuit insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus. Is [dum] à Perside hieme aspera mediaque Constantinopolim accelerans, cruditate stomachi, tectorio noui operis granatus [esset] repentè interijt, annos gerens proximè quadraginta.

VALENTINIANVS imperauit annos duodecim, minus diebus centũ. Huius pater Gratianus, mediocri stirpe ortus apud Cibalas, Funarius appellatus est, eo quòd venalitiũ funem portanti, quinque milites nequirent extorquere. Eo merito adscitus in militiam, vsque ad præfecturæ prætorianæ potentiã conscendit: ob cuius apud milites commendationem, Valentiniano imperium resistenti aggeritur. Hic Valentem consanguineũ suum sibi socium in imperio adsciuit: ac demũ Gratianum filium, necdum plenè puberem, hortatu socrus & vxoris Augustum creauit. Hic Valentinianus fuit vultu decens, solers ingenio, animo grauis, sermone cultissimus. Quãquam enim ad loquendum parcus, seuerus, vehemens, infestus tamen vitij, maximéque auaritiæ: cuius punitor ipse fuit acer. & in ijs quæ memoraturus sum, Hadriano proximus. Genera vetustissimorum meminisse, noua arma meditari: fingere terra seu limo simulacra: prudenter vti locis, temporibus, sermonibus: atque, vt breuiter concludam, si ei infidis hominibus, quibus sese quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere, aut probatis, eruditisque monitoribus vti licuisset, perfectus haud dubiè princeps enituisset. Huius tempore Firmus apud Mauritaniam regnũ inuadens, extinguitur. Valentinianus apud Bergentionẽ legationi Quadorum respondens, anno æui quinto & quinquagesimo, impetu sanguinis, voce amissa, sensu integer, exspirauit. Quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures retulere. Itaque eo mortuo, VALENTINIANVS adhuc quadriennis, auctore Equitio, ac Merobaude propinquo, vbi cum matre fuerat allatus, creatus est imperator.

VALENS vnà cum VALENTINIANO germano suo de quo diximus, regnauit annos tredecim, menses quinque. Hic Valens cum Gotthis lacrymabili bello commisso, sagittis saucius, in casam deportatur vilissimam: vbi superuenientibus Gotthis, ignique supposito, incendio cõcrematus est. In quo probanda hæc fuere. Fuit possessoribus consultor bonus. mutare iudices rarius. in amicos fidus. irasci sine noxa ac periculo cuiusque. sanè valde timidus. Huius temporibus PROCOPIVS tyrannidem inuadens, exstinguitur.

GRATIANVS genitus Sirmij, imperauit cum patre Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque: cum patruo & fratre, tres: cũ eodem fratre ac Theodosio, quatuor: &[cum] his omnibus, accedente Arcadio, menses sex. Hic apud Argẽtarium oppidũ Galliæ triginta Alamannorum millia in bello exstinxit. Hic, cum animaduertisset, Thraciam Daciamque tamquam genitales terras possidentibus Gotthis, Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis, & Alanis, extremum periculum instare nomini Romano: accito ab Hispania, THEODOSIO, cunctis fauentibus, agenti annum à tricesimo tertium, imperium committit. Fuit autem Gratianus literis haud mediocriter institutus: carmẽ facere, ornatè loqui, explicare controuersias, Rhetorum more. nihil aliud die noctuque agere quàm spiculis meditari: summæque voluptatis, diuinæque artis credere, ferire [peritè sibi] destinata. Parcus cibi somnique: & vini ac libidinis victor, cũctisque fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reip. gerendæ scientiam animum intendisset, à qua propè alienus non modò volũtate, sed etiam exercitio fuit. Nam dum exercitum negligeret, & paucos ex ALANIS, quos ingenti auro ad se transtulerat, anteferret veteri ac Romano militi, adeoque Barbarorũ comitatu & propè amicitia capitur, vt nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitauit. Hoc tempore cum MAXIMVS apud Britanniam tyrannidem arripuisset, & in Galliam transmisisset, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Gratianum fugauit: nec mora, exstinxit. Qui vixit annis XXXVIII.

THEODOSIVS genitus patre HONORIO, matre THERMANTIA, genere Hispanus, originem à Traiano principe trahens: à Gratiano Augusto apud Sirmium imperator effectus, regnauit annos decem & septem. Huic ferunt nomen somnio parentes monitos sacrauisse, vt Latinè intelligamus, A DEO datum. De hoc etiam oraculo in Asia diuulgatum est, eum Valenti successurum, cuius nomen [è] Θ & Ε & Ο atque Δ Græcis literis initiaretur. Qua cognatione principij deceptus THEODORVS, cum sibi imperium præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia persoluit. Fuit autem Theodosius propagator Reipublicæ, atque defensor eximius. Nam Hunnos & Gotthos, qui eam sub Valente defatigassent, diuersis prœlijs vicit. Cum Persis quoque petitus pacem pepigit. Maximum autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vindicabat, apud Aquileiam exstinxit: Victoremque eius filium, intra infantiæ annos à Maximo patre Augustum factum, necauit. Eugenium quoque tyrãnum, atque Arbogastem superauit, deletis eorum decem millibus pugnatorũ. Hic etenim Eugenius confusis viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum exstinxerat, regnum inuasit: sed mox simul cum vita imperium perdidit. Fuit autem Theodosius moribus & corpore Traiano similis, quantum scripta veterum, & picturæ docent. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os, absque eo, quod illi aliquantum vellendo steriles genę, neque tam ingentes oculi erant, nescio an & tanta gratia, tantusque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu. Mẽs verò prorsus similis, adeo vt nihil dici queat, quod non ex libris, in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se ceteris putans: in omnes homines honorificus, verum effusius in bonos: simplicia ingenia æquè diligere, erudita mirari, sed innoxia: largiri, magno animo magna: amare ciues vel priuato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficijs ceteris munerari, præsertim quorum erga se aspero casu officia probauerat. Illa tamẽ, quibus Traianus aspersus est, vinolentiam & cupidinem triumphandi, vsque eò detestatus [est,] vt bella non mouerit, sed inuenerit: prohibueritque lege, ministeria lasciua, psaltriasque comessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, vt consobrinarum

nuptias vetuerit, tanquam sororum. Literis, si multum perfectos contemplemur, mediocriter doctus, sagax planè, multumque diligēs ad [cog] noscenda maiorum gesta. E quibus non desinebat exsecrari, quorum facta superba, crudelia, libertati infesta legerat, vt Cinnam, Marium, Sullamque, atque vniuersos dominantium, præcipuè tamen perfidos & ingratos. Irasci sanè rebus indignis, sed flecti cito: vnde modica dilatione emolliebātur aliquādo seuera præcepta. Habuitq; à naturæ munere, quod Augustus à philosophiæ doctore [didicerat.] Qui cùm vidisset eum facile cōmoueri, ne asperum aliquid statueret, monuit, [vt] vbi irasci cœpisset, quatuor atque viginti Grecas literas memoria recenseret: vt illa concitatio, quæ momenti est, mente aliò traducta, parui temporis interiectus lāguesceret. Melior haud dubiè quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem, multóque maximè post ciuilē victoriam. Nam & annonæ curam sollicitiùs attendere, & auri argentique grande pondus sublati, atque ex-

A pensi à tyranno, multis è suo restituere, cum benigni principum, & quidem vix fideles solent nudos, ac deformata prædia, concederet. Iam illa minutiora, &, vt dicetur, INTRA AVLAM quæ quidem quia occulta sunt, magis naturæ hominum curiose oculos auresque ad se trahunt: patruum colere tanquam genitorem: fratris mortui sororisque liberos habere pro suis: cognatos affinésq; parentis animo cōplecti: elegans lætumque con-
B uiuium dare, nō tamen sumtuosum: miscere colloquia pro personis, studio, dignitatibus, sermone grauitate iucundo: blandus pater, concors maritus. Exercebatur neque ad illecebras, neque ad lassitudinem. ambulationibus magis, cum esset otium, reficiebat animū: ac vescendi continentia valetudinem regebat: sicque in pace, rebus humanis: annum agens quinguagesimum, apud Mediolanum excessit: vtramque Rempublicam vtri-
C que, id est, ARCADIO ET HONORIO, quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est.

SEX.

SEX. RVFI V.C. DICTATORIS MAGISTRI MILITVM. BREVIARIVM RERVM GESTARVM PO. RO. AD VALENTINIANVM AVGVSTVM.

D. N. VALENTINIANO IMPERATORI PIO, Perpetuo, semper Augusto, Sex. Rufus. V. C.

BREVEM fieri clementia tua [libellum] præcepit. Parebo libens, quippe cui desit facultas latius eloquendi, [ac] morem secutus calculatorum, qui ingentes summas ære breuiori exprimunt, res gestas signabo, nó eloquar.] Accipe ergo, quæ breuiter dicta breuius computentur: vt annos & ætatem Reipub. ac præteriti facta temporis, non tam legere [gloriose Princeps] quàm numerare videaris. Ab vrbe igitur condita in ortum perennitatis vestræ, quo prosperius [factum] imperium Ro. sortitus es, anni numerantur, M.C.X. & VII. sub Regibus, CCXLIII. sub Consulibus, CCCCLXVII. sub Imperatoribus, CCCCVII. Regnauerunt Romæ per annos CCXLIII, reges (numero) septem. Romulus, regnauit annos XXXVII: Senatores, per quinos dies (singuli,) annum vnum: Numa Pompilius, annos XLIII. Tullus Hostilius, annos XXXII: Ancus Marcius, annos XXIIII: Tarquinius Priscus, annos XXXVII: Seruius Tullius, annos XLIIII. Tarquinius Superbus, regno expulsus est anno XXV. Consules (deinde) fuerunt à Bruto & Publicola in Pansam & Hirtium numero CCCCLXVII. præter eos, qui in eundé annum sorti aliqua sunt subrogati, per annos CCCCLXVII. Quadraginta nouem annis Romæ Consules defuerunt: sub Decemuiris, annis duobus, sub Tribunis militum, annis XLIII. Sine magistratibus Roma fuit annis IIII. IMPERATORES ab Octauiano Cæsare Augusto, vsque ad Iouianum fuerunt [numero] XLIIII. per annos CCCCVIII. Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc est Regio, Consulari, & Imperatorio, quantum Roma profecerit, breuiter intimabo. SVB REGIBVS septem per annos CCXLIII. non amplius, quàm vsque ad portum atque Ostiam (intra) octauum decimum miliarium à portis vrbis Romæ, vt pote adhuc paruæ & à pastoribus conditæ, cum finitimę circum ciuitates pertinerent, Romanum processit imperium. SVB CONSVLIBVS, inter quos nonnunquam (&) Dictatores fuerunt, per annos simul CCCCLXVII. vsque trans Padum Italia occupata est. Africa subacta, Hispaniæ accesserunt. Galliç & Britanniç tributariç factæ sunt. Inde Illyrici, Istrij, Liburni, Dalmatæ, domiti sunt. Ad Achaiam transitum est. Macedones subacti. Cum Dardanis, Mœsis & Thracibus bellatum est: [etiam] ad Danubium vsque peruentum. In Asia, expulso Antiocho, primum pedem posuere Romani. Mithridate victo, Ponti regnum occupatum, & Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta est. In Mesopotamiam Rom. peruenit exercitus. Cum Parthis fœdus initum est. Cótra Coduenos ac Saracenos & Arabas bellatum est. Iudæa omnis victa est. Cilicia & Syria in potestatem populi Romani venerunt. [Ægypti reges fœderati erát.] SVB IMPERATORIBVS verò per annos quadringentos septem, quum diuersa Reipubl. fortuna multi Principes imperarent, accesserunt [tamé] * Romano orbi Alpes maritimæ, Alpes Cottię, Rhætiæ, Noricæ, Pannoniæ, Mœsiæ: & omnis ora Danubij in prouinciam est redacta: Pontus omnis, Armenia minor, Oriés totus cum Mesopotamia, ac Syriis, Arabia & Ægypto, sub imperij Romani iura tráśiuit. Quo autem ordine singulas prouincias Romana Respublica assecuta sit, * ita ostéditur infra. Prima *prouinciarum Sicilia* facta est. Eam victo Hierone Siculorum rege, Marcellus consul obtinuit. Deinde à prætoribus recta est: postea commissa est præsidibus: nunc à consularibus administratur. *Sardiniam & Corsicam* Metellus vicit: qui & triúphauit de Sardis, qui rebellauere sæpe. Iuncta administratio harum insularum fuerat: pòst [quælibet] suos Prętores habuit: nunc singulæ à [suis] pręsidibus reguntur. In *Aphricam* pro defensione Siculorum Romana transmissa sunt signa. Ter Aphrica rebellauit: ad extremum, deleta per P. Scipionem Carthagine, prouincia facta est: nunc sub Proconsulibus agit. *Numidia* ab amicis regibus tenebatur: sed Iugurthæ, ob necatos Adherbalem & Hiempsalem Micipsę regis filios, bellum indictum est: & eo per Metellum consulem attrito, per Marium capto, in populi Romani potestatem Numidia peruenit. *Mauritaniæ* à Boccho [rege] obtentæ sunt. Sed subacta omni Africa, Mauros Iuba rex tenebat, qui in caussa belli ciuilis, à Iulio Cæsare victus, mortem sibi propria manu consciuit. Ita Mauritaniæ nostrę esse cœperunt: ac per omnem Africá sex prouinciç factę sút. ipsa vbi Carthago est proconsula-

ris: Mumidia, consularis: [Byzacium, consularis:] Tripolis, & Mauritaniæ duę hoc est, Sitifensis & Cæsariensis, sunt Præsidales. *Hispanis* primum auxilium aduersus Afros per Scipiones tulimus. Rebellantes Lusitanos in Hispania per D. Brutum obtinuimus, & vsque Gades ad Oceanum mare peruenimus. Post [ea] ad Hispanos tumultuantes [D. Iunius] Silanus cum exercitu missus, eos vicit. Celtiberi in Hispania sæpe rebellauere: sed misso minore Africano, cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes pene Hispaniæ occasione belli Sertoriani, per Metellum & Pompeium in deditionem acceptæ sunt: postea prorogato in quinquennium imperio, à Pōpeio perdomitæ [sunt.] Ad extremum quoque ab Octauiano Cæsare Augusto, Cantabri & Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Ac per omnes Hispanias sex sunt nunc prouinciæ: Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallęcia, Bætica. Trans fretum etiam in solo terræ Africæ, prouincia Hispaniarum est, quę Tingitanica Mauritania cognominatur. Ex his Bætica & Lusitania, Consulares: ceteræ, Præsidales sunt. Cùm *Gallis* grauissima bella populus Romanus habuit. Galli enim etiam illam partem Italiæ in qua nunc Mediolanum est, vsque ab Rubiconem fluuium tenebant: in tantum viribus freti, vt Romam ipsam bello peterent: & cæsis exercitibus Romanis apud Alliam fluuium, mœnia vrbis intrarent, Capitoliumque obsiderent, ad cuius arcem sexcenti, nobilissimi Senatores confugerant: qui mille auri pondo se [ab] obsidione redemerunt. Postea Gallos victores remeantes, Camillus, qui in exsilio erat, collecta de agris multitudine, oppressit: aurum & signa quæ Galli ceperant, reportauit. Cum Gallis multi Consules, Prætores ac Dictatores, euentu vario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit: & transcensis Alpibus, feliciter aduersus eos pugnauit. Ceterum C. Cæsar cum decem legionibus, quæ quaterna millia militum Italorum habuerūt, per annos octo, ab Alpibus ad Rhenum vsque Gallias subegit: cum barbaris vltra Rhenum positis cōflixit: in Britanniam transiuit: decimo anno Gallias & Britannias tributarias fecit. Sunt in Gallia cum Aquitania & Britannijs prouincię octodecim: Alpes maritimæ, prouincia Narbonensis, Viennensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Lugdunenses duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ: in Britannia, Maxima Cæsariensis, [Flauia,] Britannia prima, Britannia secunda.

Illyricum ab ora maritima paulatim aggressi sumus, Lęuinus consul Hadriaticum atque Ionium mare ingressus, maritimas obtinuit ciuitates. *Creta* per Metellum proconsulem, qui *Creticus* dictum est, prouincia facta est. *Græcis* in fidem nostram confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses, aduersus Philippum Macedonū regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicitijs nostris Achaia fuit: ad extremum legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per L. Mummium proconsulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. *Epirotæ*, qui aliquando cum rege Pyrrho, etiam ad Italiam transire præsumpserant, victi, atque *Thessali* simul cum Achiuorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt. *Macedonia* ter rebellauit: sub Philippo, sub Perseo, seu Pseudophilippo, Philippum Flāminius, Perseum Paulus, Pseudophilippum Me-

A tellus oppressit: quorū triūphis Macedonia [quoque] populo Romano adiuncta est. *Illyricus*, quia Macedonibus auxilium tulerát, [illegible] eadem occasione per L. Anicium prętorem [illegible], & eos cum rege Gentio in deditionem accepimus. *Dardanos* & *Mœsios* Curio proconsul subegit: & primus Romanorum ducum ad Danubium vsque peruenit. Sub Iulio & Octauiano Cæsaribus per Alpes Iulias iter factum est: *Alpinis* omnibus victis, *Noricorum* prouinciæ accesserunt. Bathone B Pannoniorum rege subacto, in ditionem nostrā *Pannoniæ* venerunt. Amantinis inter Sauum & Drauum prostratis, regio Sauiensis ac secundorum Pannoniorum locū obtenta [illegible]. *Marcomanni* & *Quadi*, de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubiū & Drauum, pulsi sunt: & limes inter Romanos ac barbaros ab Augusta Vindelicū per Noricum, Pannonias ac Mœsias, est constitutus. Traianus *Dacos* sub rege Decibalo vicit: & Daciam trans Danubium in solo barbarico prouinciam fecit: quæ in circuitu decies centena millia passuū habuit. C sed sub Gallieno Imperatore amissa est: & per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ [ac Dardaniæ] factę sunt. Prouincias habet *Illyricus* septem & decem: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Sauiam, Dalmatiam, Mœsiam. Daciarum duas. Et in diœcesi *Macedonia* sunt septem: Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Prævalis & Creta. In *Thracias* Macedonici belli occasione transcur-D sum est. Sæuissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thraciæ regionibus Scordisci habitauerunt, pariter crudeles & callidi. de quorū sæuitia multa fabulosè memorantur, quod hostijs captiuorum dijs suis [aliquando] litauerunt, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sunt soliti. Sępe per eos Romanos est cæsus exercitus. M. Didius vagantes Thracas repressit: M. Drusus intra fines proprios continuit: M. Minucius in Hebri fluminis glacie vastauit. Per Appium Claudium proconsulem, hi qui Rhodopen inco-E lebant, victi sunt. Europæ maritimas vrbes [illegible] Romana classis obtinuit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus cōflixit: ipsamque caput gentis Thraciam vicit. Hæmimontanos subegit: Eumolpiadam, quæ nunc Philippopolis dicitur: Vscudamam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit: Calyben cepit. Supra Pōtum positas ciuitates occupauit, Apolloniam, Calatim, Phthinopolim, Tomos, Istrum: F ad Danubiū vsque perueniens, Romana Scythis arma monstrauit. In ditionem Reipubl. sex Thraciarum prouincię sunt acquisitę: Thracia, Hęmimons, Mœsia inferior, Scythia, Rhodope, Europa: in qua nunc secundæ arces Romani orbis sunt constitutæ, Constantinopolis. Nunc Eoas partes, totumque orientem, ac positas sub vicino sole prouincias, qui auctores sceptris tuis paruerint, explicabo: studium clementiæ tuæ, quod in ipsis ē propagandis habes, amplius excitetur. *Asia* socie-G tate Attali regis nota Romanis est: eamque Attali testamēto relictam hereditario iure possidemus. Ne quid tamen Pop. Rom. non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriarum rege maximo est vindicata. Eadē occasione etiam *Lydia*, sedes antiqua regnorum *Caria*, *Hellespontus*, ac *Phrygia* in potestatem Populi Rom. iuncta deditione peruenerunt. *Rhodij*, & *Insularum populis*, primū infestissimis, post fidelissimis

[auxilia-

[auxiliatoribus] vsi sumus. Ita Rhodus, & Insulæ
A primum liberæ agebant: postea in consuetudinẽ parendi, Romanis clementer prouocantibus, peruenerũt: & sub Vespasiano principe *Insularũ prouincia* facta est. *Pamphyliam, Lyciam, Phrygiam, Pisidiã, Cariam Isauriam* Seruilius proconsul ad bellũ piratarũ missus, obtinuit. *Bithyniã* defuncti regis Nicomedis testamẽto sumus assequuti. *Gallograciam*, id est, *Galatiam* (sunt enim, vt nomen sonat, è Gallis Galatę) quod Antiocho cõtra Romanos
B auxilium præbuissent, inuasimus. Manlius proconsul Galatas persequutus est: & confugientes partim in Olympum, partim in Magabam mõtem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detrusit: victosque in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiæ Deiotarus Tetrarches nobis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octauiano Cæsare Augusto Galatia in formã prouinciæ redacta est. Eã primus Lollius proprætor administrauit. *Cappadoces* primo societatem no-
C stram sub Ariarathe rege [per legatos] petiuerũt: posteaque Ariobarzanes rex Cappadocum à Mithridate expulsus, Romanorum armis restitutus est: semperque in auxilia nostra fuêre Cappadoces: & ita maiestatem coluêre Romanã, vt in honorẽ Augusti Cęsaris Mazaca ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsarea nuncuparetur. Postremo quũ sub Imperatore Claudio Cæsare Archelaus rex Cappadocũ Romam venisset, ibique diu detentus occubuisset, in prouincię speciem Cappa-
D docia migrauit. *Pontus*, per Pompeium victo Mithridate rege Pontico, formã prouinciæ accepit. *Paphlagoniam* Pylæmenes rex amicus Pop. Rom. tenuit. Sępe ex ea pulsus, regno à nobis est restitutus: quo mortuo, prouincia Paphlagonib⁹ imposita est. Vltra iuga *Tauri* montis, quemadmodum Romana perrexerit possessio, consequenti locorum magis quam temporum seruata digestione, monstrabitur. Antiochus Syriæ rex potentissimus, bellũ formidabile populo Romano in-
E tulit. Trecenta millia armatorum habuit: falcatis etiam curribus ac elephantis aciem instruxit. à Scipione cõsule, frater Scipionis Africani, [in Asia] apud Magnesiam victus, pace accepta, intra Taurum [mõtem] regnare permissus est. Eius filij sub clientela populi Romani regnum Syriæ retinuerunt: quibus defunctis, Syriarum prouincijs potiti sumus. *Cilices* & *Isauros*, qui se piratis & prædonibus maritimis iunxerant, Seruilius proconsul ad prædonum bellum missus, subegit, &
F viam per Taurũ montem primus instituit: isque de Cilicibus & Isauris triumphauit, atque *Isauricus* est cognominatus. *Cyprus*, famosa diuitijs, paupertatẽ populi Romani, vt occuparetur, sollicitauit. Eã rex fœderatus [Ptolemæus] regebat: sed tanta fuit pęnuria ærarij Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, vt lęge lata [per P. Clodium trib. pl.] Cyprus confiscari iuberetur. Quo accepto nuntio, rex Cyprius venenũ sumpsit: quo vitã prius quàm diuitias amitteret. Ca-
G to Cyprias opes [Romam] nauibus aduexit: ita vt ius eius insulæ auarius [magis] quã iustius simus assecuti. *Cyrenas* cum ceteris ciuitatibus *Libyæ Pentapolis*, Ptolemæi antiquioris liberalitate accepimus. *Libyam* supremi Apionis regis arbitrio sumus assequuti. *Ægyptus* omnis, sub amicis, regibus fuerat: sed victa cum Antonio Cleopatra, prouinciæ formam Octauiani Cæsaris Augusti temporibus accepit: & primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus [Romanus iudex] administrauit. Per confinia *Armeniarum* primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt. Phylarchi *Saracenorum* in Osroena superati cessere. In *Mesopotamia* ab eodem Lucullo Nisibis capta est. Postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt. *Syria Phœnices* bello à Tigrane Armeniorũ rege recepta est. *Arabes* & *Iudæi* in Palæstina victi sunt. Ad extremum sub Traiano principe, regi maioris Armenię diadema sublatum est & per Traianum *Armenia Mesopotamia, Assyria & Arabia*, prouinciæ factę sunt: ac limes orientalis supra ripam fluminis Tigridis constitutus est. Sed Hadrianus, qui successit Traiano, inuidẽs glorię Traiani, sponte sua Armeniã, Mesopotamiam & Assyriam reddidit: ac medium inter Persas & Romanos Euphratẽ esse voluit. Sed postea sub Antoninis duobus, Marco & Vero, & Seuero Pertinace, ceterisque principibus Romanis, qui aduersus Parthos euẽtu vario dimicauerunt, quater amissa, quater recepta Mesopotamia est. Ac Diocletiani temporibus, victis prima congressione Romanis, secundo autem conflictu superato regẽ Narseo, vxore eius ac filiabus captis, & cũ summa pudicitiæ custodia reseruatis, pace facta, Mesopotamia est restituta: & supra ripã Tigridis limes est refirmatus: ita vt quinque gentiũ trans Tigridem constitutarum ditionem assequeremur: quæ conditio fœderis in tempus Diui Constantij conseruata durauit. Scio nunc, inclyte princeps, quò tua pergat intẽtio. Requiris profecto quoties *Babylonia* & Romanorum arma collata sint, & quibus vicibus sagittis pila contenderint. breuiter euẽtus enumerabo bellorum. Furto hostes in paucis inuenies esse lætatos: vera autẽ virtute sẽper Romanos probabis exstitisse victores. Primum à L. Sylla procõsule Arsaces rex *Parthorum* missa legatione amicitiã Pop. Rom. rogauit, ac meruit. L. Lucullus Mithridatem regno Ponti exutum ad Armeniam persequutus est. Tigranem Armeniorum regem cum vii. millibus cccccc libanarijs, & centum viginti millibus sagittariorũ. ipse cũ xviii. millibus Romanorum vicit. Tigranocertam maximã Armeniæ ciuitatem expugnauit. Madenam opimam Armeniorum regionẽ obtinuit: per Melitenam ad Mesopotamiam descẽdit: Nisibim cum fratre regis cepit. Tendere in Persas paratus, successorem accepit. Gn. Pompeius expertæ felicitatis ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte aggressus, prœlio superauit: cęsis duobus & quadraginta millibus hostiũ, castra eius inuasit. Mithridates enim cum vxore & duobus comitibus in Bosphoros fugit: ibi desperatione rerum suarum, venenum hausit: & quum parum ageret vis veneni, à milite suo vt ferro percuteretur, impetrauit. Pompeius auxiliatorem Mithridatis Tigranem Armeniorũ regem persequutus est: ille se [ei] oblato diademate apud Artaxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamia, Syriæ, & aliquãta pars Phœnices: atque intra Armeniã maiorem regnare permissus est. Idem Pompeius Bosphoranis & Colchis Aristarchum regem imposuit: cum Albanis conflixit. Orœsi Albanorum regi ter victo pacẽ dedit. Iberiam cum Arthoce rege in deditionem accepit. Saracenos & Arabas vicit. Iudæa capta Hierosolymam obtinuit. Cum Persis fœdus fecit. Rediẽs, apud Antiochiam, Daphnensem lucum, delecta-

tus loci amœnitate & aquarum abundantia, addito nemore consecrauit. M. Crassus consul aduersus Parthos rebellantes missus est. Is cum per pacem missa à Parthis legatione rogaretur, apud Ctesiphontem responsurum se ait: apud Zeumam traiecit Euphratem: & à transfuga quodam Abgaro inductus, ad ignotam camporum solitudinem descendit. ibi vndique circumuallantibus sagittariorum agminibus cum Sillace & Surena præfectis regijs, est cinctus exercitus, & vi telorum obrutus. Ipse Crassus quum ad colloquium sollicitatus viuus pene capi potuisset, repugnantibus tribunis euaserat: & dum fugam petit, occisus est. caput eius cum dextera manu resectum, ad regem perlatum est: atque ita ludibrio habitum, vt faucibus eius aurum liquefactum infunderetur: scilicet vt qui ardens cupiditate prædandi, pacē regi dare rogatus abnuerat, etiā mortui eius reliquias auri flamma cōbureret. C. Cassius quæstor Crassi vir strenuus, reliquias fusi collegit exercitus. contra Persas in Syriam irrumpentes, ter cū summa admi[ni]stratione conflixit, eosque trans Euphratē redactos vastauit. Parthi Labieno duce (qui Pōpeianarum partium fuerat, & victus ad Persas refugerat) in Syriam irrumpunt, ac totam prouinciam occupauerunt. Sed P. Ventidius Bassus Parthos, qui duce te Labieno Syriam inuaserant, occurrens in Tauro monte, cum paucis fugauit, Labienum occidit, persecutus est Parthos, & ad internecionem strauit: qua congressione Parthorum regis filium eadem die qua Crassus victus fuerat occidit: ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Parthis [primus] triūphauit. M. Antonius *Mediam* ingressus, quæ nunc Medena appellatur, bellum Parthis intulit & primis eos prœlijs vicit. verū post duabus legionibus amissis, cum fame, pestilētia, tempestatibusque premeretur: vix per Armeniā Parthis insequentibus reuexit exercitum: tāto per momenta tempo[ris] terrore perculsus, vt à gladiatore suo percuti postularet, ne viuus veniret in hostium potestatē. Sub OCTAVIO CAESARE AVGVSTO Armenia cum Parthis conspirauit. Claudius Cæsar nepos Augusti, cum exercitu missus ad Orientem, cum pro maiestate Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se Armenij, qui tunc temporis validiores erant Parthis, dedidissent, Innicesque ex instituto Pompeij dictis gentibus Claudius Cæsar præficeret, Dones quidam, quem Parthis Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum in quo scripti thesauri continerentur, obtulit. quem cum Romanus Imperator legeret intentius, cultro Dones aggressus Claudium vulnerauit. Percussor quidē à militibus confossus est: Claudius vulneratus, regressus in Syriam, obijt. Parthi ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primum Octauiano Cæsari dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt. Pacatis gentib. Orientis, Augustus Cæsar etiam *Indorum* legationē primus accepit. NERO, quem turpissimum Imperatorem Romana est passa Respublica, amisit Armenias duas: tum [Romanæ] legiones duæ sub iugum à Parthis missæ, extremo dedecore Romani exercitus sacramenta fœdarunt. TRAIANVS, qui post Augustum Romanæ Reipubl. mouit lacertos, Armeniam recepit à Parthis: sublato diademate regi Armeniæ maioris regnū ademit. Albanis regē dedit: Iberos, Bosphoranos, Colchos, in fidem Romanæ ditioni[s]

A accepit: Saracenorum loca & Arabum occupauit. Corduenos & Marcomedos obtinuit. Anthemusiā optimam Persidis regionem, Seleuciamque & Ctesiphontem ac Babyloniam accepit ac tenuit; vsque ad Indiæ fines post Alexandrum accessit. In mari rubro classem instituit. Prouincias fecit Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam, quæ inter Tigridem atque Eufratem sita, irriguis amnibus Instar Ægypti fœcundatur. HADRIANVM gloriæ Traiani certum est inuidisse, qui ei successit in

B imperio. Hic sponte propria inde eductis exercitibus, Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam concessit: & inter Romanos & Parthos [medium] Eufratem esse voluit. ANTONINI duo, Marcus & Verus, ille socer, hic gener, pariter Augusti, imperator orbis æquata prius potestate tenuerunt. Sed ex his Antoninus iunior ad expeditionem Parthicam profectus est: multaque [&] ingentia aduersus Persas feliciter gessit. Seleuciam Assyriæ vrbem cum quadringentis milibus hostium ce-

C pit, ingenti gloria de Parthis cum socero triumphauit. SEPTIMVS SEVERVS, natione Afer, acerrimus imperator, Parthos strenuissime vicit. Adiabenos deleuit, Arabas [interiores] obtinuit, & Arabiam prouinciam fecit. Huic cognomina ex victorijs quæsita sunt. nam Parthicus, Adiabenicus, & Arabicus est cognominatus. ANTONINVS [*Bassianus*] cognomento *Caracalla*, filius Seueri Imperatoris, expeditionem in Parthos parans, in Osrhoena apud Edessam propera morte obijt, &

D ibidem sepultus est. AVRELIVS ALEXANDER, quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis natus, iuuenis admodum Romani gubernacula suscepit imperij. Ipse Persarum regem nobilissimum Xerxem gloriose vicit. Hic Alexander scrinij magistrum habuit Vlpianum iurisconsultum. De Parthis pompa spectabili triumphauit. Sub GORDIANO August. [acri] ex iuuentute studio rebellantes Parthi, ingentibus prœlijs contriti sunt, isque de Perside rediens victor, fraude Philippi

E qui præfectus prætorio eius erat, occisus est. Milites ei tumulum in vicesimo miliario à Circesio castro, quod & nunc exstat, ædificauerunt, atque exsequias eius Romam cum maxima venerationis reuerentia deduxerunt. VALERIANI infelicis principis fortunā reddet efferre. Is cum GALLIENO suscepit imperium: sed hunc exercitus, Gallienum Senatus Imperatorem fecit. E quibus in Mesopotamia aduersus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarum rege superatus est &

F captus, in dedecore seruitutis consenuit. Sub Gallieno Mesopotamia inuasa, etiam Syriā sibi Persæ cœperāt vindicare: nisi quod turpe dictu est, Odenatus decurio Palmyrenus, collecta Syrorum agrestium manu, acriter restitisset: & fusis aliquoties Persis, non modo nostrum militem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem Romani vltor imperij, quod mirum est dictu, penetrasset. AVRELIANI Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati vxor accessit. Ea enim post mortem mariti fœmi-

G nea ditione Orientis tenebat imperium: quam Aurelianus multis clibanariorum & sagittariorum milibus fretam, apud Himmas haud procul ab Antiochia vicit: & captiuam Romæ triumphans ante currum duxit. CARI Imperatoris victoria de Persis, nimium potens superno numini visa est. Nam ad inuidiā cœlestis indignationis pertinuisse credenda est. Is enim ingressus Persidem, quasi nullo obsistente vastauit: Cochen & Ctesiphontē vrbes

A vrbe [Persarū] nobilissimas cepit. Quum victor
totius gentis castra super Tigridem haberet, ful-
minis ictu interiit. Sub DIOCLETIANO principe
pōpa victoriæ de Persis nota est. MAXIMIANVS
Cæsar. prima congressione quum contra innu-
meram multitudinem cum paucis acriter dimi-
caslet, pulsus recessit: ac tāta indignatione à Dio-
cletiano susceptus est, vt ante carpentum eius per
aliquot millia passuum cucurrerit purpuratus, &
quum vix impetrasset, vt reparato de limitaneis
B Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret, in Ar-
menia maiore ipse imperator, cum duobus equi-
tibus explorauit hostes: & cum viginti [quinque]
millibus militum superueniens castris hostilibus,
subito innumera Persarum agmina aggressus, ad
internecionē cecidit. Rex Persarum Narseus ef-
fugit, vxor eius & filiæ captæ sunt, & [cum] maxi-
ma pudicitiæ custodia reseruatæ. Pro qua admira-
C tione Persę non modo armis, sed etiam moribus
superiores esse Romanos confessi sunt: ac Meso-
potamiam cum Transtigranis quinque regioni-
bus reddiderunt. Pax facta, vsque ad nostram me-
moriam Reipub. vtilis perdurauit. CONSTAN-
TINVS rerum dominus, extremo vitæ suæ tem-
pore, expeditionem parauit in Persas: toto enim
orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis glo-
riosior victoria, cunctis in Persas descendebat ag-
D minibus. Sub cuius aduentu Babyloniæ in tantū
regna trepidarunt, vt supplex eorum legatio oc-
curreret, Persasq; facturos imperata promitteret.
Nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub
Constantino Cæsare per Orientem tentauerant,
veniam meruerunt. CONSTANTIVS in Persas va-
rio ac magis difficili pugnauit euentu. Præter e-
nim leues excubantium in limite congressiones,
acriori Marte nouies decertatum est, per duces
E suos, septies: ipse præsens bis affuit veris & graui-
bus pugnis. Verum Singarena præsente Constan-
tio, & iterum Singarena Constantiniensium, &
Amida capta est. Graue sub eo principe Respu-
blica vulnus accepit. Ter autē est à Persis obsessa
Nisibis: sed maiore sui detrimēto, dum obsideret
hostis affectus est. Narsensi autem bello, vbi Nar-
seus occiditur, superiores discessimus. Nocturna
verò in agro Eleiensi prope Singaram pugna, vbi
F [præsens] Constantius affuit, omnium expeditio-
num compensatus fuisset euētus, si locis ac nocte
aduersantibus, percitos ferocia milites, ab intem-
pestiuo pugnandi tempore, Imperator ipse ad al-
loquendum reuocare potuisset, qui tamen inuicti
viribus, improuisi aduersus sitim aquarum subsi-
diis incumbente iam vespere castra Persarum ag-
gressi, ruptis munitionibus occupauerunt. fuga-
toque rege, quum à prœlio respirantes, prætentis

A luminibus [repertæ] inhiarent aquæ, nimbo sagit-
tarum obruti sunt, cum illi vidè ad dirigendos cer-
tius in se ictus, lumina ipsi per noctem accensa
præberent. IVLIANO in externos hostes exper-
tæ felicitatis principi, aduersus Persas modus de-
fuit. Is enim ingenti apparatu, vtpote totius orbis
regnator, infesta in Persas signa commouit, in-
structam commeatibus classem per Eufratem in-
uexit. Strenuus in regressu, multa Persarū oppida
ac castella, aut suscepit dedita, aut manu cepit.
B Cum contra Ctesiphontem, in Tigridis & Eu-
phratis ripa iam mixti castra haberet, ludósque
campestres, vt hosti sollicitudinem demeret, per
diem agitasset, noctis medio impositos nauibus
milites, in vlteriorem ripam repente transuexit.
qui per ardua nitentes, quà difficilis etiam per
diem & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas
terrore subito miscuerunt: versísque agminibus
C totius gentis, apertas Ctesiphontis portas victor
miles intrasset, ni maior prædarum occasio fuis-
set, quàm cura victoriæ. Tātam adeptus gloriam,
cum de reditu à comitibus admoneretur, inten-
tioni suæ magis credidit: & ex istis nauibus, quū
à transfuga, qui se ad fallendum obiecerat, indu-
ctus in Madenam, viæ compendia sectaretur, dex-
trum aduersa Tigridis ripa nudato militum la-
tere, iter relegens, dum incautius per agmen er-
D rat, excito puluere, ereptus è suorum conspectu,
ab hostium obuio equite, conto per ilia ictus, in-
guinum tenus vulneratus est. Inter effusionem ni-
mij sanguinis, cum suorum ordines licet saucius
instaurasset, cunctantem animam, multis suos al-
loquutus, efflauit. IOVIANVS prœliis superio-
rem, sed confusum [subita] morte amissi Impera-
toris, suscepit exercitum. Quum commeatus defi-
cerent, & via in reditu prolixior immineret, &
E Persæ crebris excursibus nunc à fronte nunc à
tergo, mediorum quoque latera incursantes, iter
agminis morarentur, consumptis aliquot diebus,
tanta reuerentia Romani nominis fuit, vt à Per-
sis primus de pace sermo haberetur, ac reduci
confectus inedia exercitus sineretur: conditioni-
bus (quod numquam antea accidit) dispendiosis
Romanæ Reipubl. impositis, vt Nisibis & pars
Mesopotamiæ traderetur: quibus, cupidior regni
F quàm gloriæ, Iouianus imperio rudis acquieuit.
Quam magno deinceps ore tua ô Princeps inui-
cte facta inclyta sunt personanda? Quibus me li-
cet imparem dicendi nisu, & æuo grauior præpa-
rabo: maneat modo concessa Dei nutu cui credis,
& ab amico cui creditus es numine indulta feli-
citas, vt post hanc ingentem de Gothis,
etiam Babyloniæ tibi palma
pacis accedat.

EVTROPII V. C. HISTORIAE ROMANAE

LIBER I.

ROMANVM IMPERIVM, quo neque ab exordio vllum ferè minus, neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, à Romulo exordium habet: qui Rheae Siluiae, Vestalis Virginis filius, & (quantum putatus est) Martis, cum Remo fratre vno partu editus est. Is, cùm inter pastores latrocinaretur, decimo octauo anno natiuitatis suae, vrbem exiguam in Palatino monte constituit, XI. Kal. MAI. Olympiadis sextae anno tertio, post Troiae excidium, vt qui plurimum minimumque tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto. Condita ciuitate, quam ex nomine suo Romam vocauit, haec ferè egit. Multitudinem finitimorum in ciuitatem recepit: centum ex Senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos Senatores nominauit, propter senectutem. Tunc, cùm vxores ipse & populus non haberent, inuitauit ad spectaculum Ludorum vicinas vrbis nationes, atque earum Virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum iniuriam, Caeninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes: haec omnia oppida vrbem cingunt. Et, cùm orta subitò tempestate non comparuisset, anno regni trigesimo septimo ad Deos transisse creditus est, & consecratus. Deinde Romae per quinos dies Senatores imperauerunt, & his regnantibus annus vnus completus est. Postea Numa Pompilius rex creatus est; qui bellum nullum quidem gessit, sed non minus ciuitati, quàm Romulus profuit. Nam & Leges Romanis Moresque constituit, qui consuetudine praeliorum iam latrones ac semibarbari putabantur. Annum descripsit in decem menses, prius sine aliqua computatione confusum: & infinita Romae sacra ac Templa constituit. Morbo decessit, quadragesimo & tertio imperij anno. Huic successit Tullus Hostilius. Hic bella reparauit, Albanos vicit, qui ab vrbe Roma duodecimo miliario sunt. Veientes & Fidenates, quorum alij sexto miliario absunt ab vrbe Roma, alij octauo decimo, bello superauit. vrbem ampliauit, adiecto Caelio monte. Cùm triginta duobus annis regnasset, fulmine ictus cum domo suo arsit. Post hunc Ancus Marcius, Numae ex filia nepos, suscepit imperium: contra Latinos dimicauit: Auentinum montem ciuitati adiecit & Ianiculum: atque Ostiam ciuitatem supra mare sexto decimo miliario ab vrbe Roma condidit: vigesimo &

A quarto anno imperij morbo periit. Deinde regnum Priscus Tarquinius accepit. Hic numerum Senatorum duplicauit: Circum Romae aedificauit: Ludos Romanos instituit, qui ad nostram memoriam permanet. Vicit idem etiam Sabinos, & non parum agrorum, sublatum iisdem, vrbis Romae territorio adiunxit: primusque triumphans vrbem intrauit. Muros fecit & Cloacas. Capitolium inchoauit. XXXVIII. anno Imperij per Anci
B filios occisus est, Regis eius, cui ipse successerat. Post hũc Ser. Tullius suscepit Imperiũ, genitus ex nobili foemina, captiua tamẽ & ancilla. Hic quoque Sabinos subegit, montes tres, Viminalem, Quirinalem, Esquilinum vrbi adiunxit, fossas circa murum duxit. Primus omnium Censum ordinauit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma, omnibus in censum delatis, habuit capitum octoginta quatuor millia ciuium
C Romanorum cum his qui in agris erant. Occisus est XLV. imperij anno, scelere generi sui Tarquinij Superbi, filij eius regis, cui ipse successerat, & filiae suae, quam Tarquinius habebat vxorem. L. Tarquinius Superbus, septimus atque vltimus regum, Volscos (quae gens ad Campaniam euntibus non longe ab vrbe est) vicit; Gabios ciuitatẽ & Suessam Pometiam subegit, cum Thuscis pacẽ fecit, & Templum
D Ioui in Capitolio aedificauit. Postea Ardeam oppugnans, in octauo decimo miliario ab vrbe positam ciuitatem, imperium perdidit. Nam cùm filius eius & ipse Tarquinius iunior nobilissimam foeminam Lucretiam eandemque pudicissimam Collatini vxorem stuprasset, eaque de iniuria marito & patri & amicis questa fuisset, in omnium conspectu se occidit: propter quã causam Brutus, pa-
E rens, & ipse Tarquinius, populum concitauit & Tarquinio ademit imperiũ. Mox exercitus quoque eum, qui ciuitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat, reliquit: veniensque ad vrbem rex portis clausis exclusus est. Cumque imperasset annos viginti quinque, cum vxore & liberis suis fugit. Ita Romae regnatũ est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus, cùm adhuc Roma, vt plurimum, vix vsq. ad quintum decimũ miliarium
F possideret. Hinc Consules coepere pro vno rege duo hac causa creari: vt si vnus malus esse voluisset, alter eũ, habens potestatẽ similẽ, coerceret. Et placuit, ne Imperiũ longius, quàm annũ haberẽt, ne per diuturnitatẽ potestatis insolentiores redderentur, sed ciuiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse priuatos. Fuerunt igitur

Igitur anno primo, expulsis regibus, Coss. L. Iunius Brutus, qui maximè egerat, vt Tarquinius pelleretur, & Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiæ. Sed Tarquinio Collatino statim sublata dignitas est. Placuerat enim, ne quisquam in vrbe maneret, qui Tarquinius vocaretur. Qui accepto omni patrimonio suo, ex vrbe migrauit; & loco ipsius factus est Valerius Publicola cos. Commouit tamen bellum vrbi Romæ rex Tarquinius, qui fuerat expulsus, & collectis multis gentibus, vt in regnum posset restitui, dimicauit. In prima pugna Brutus & Aruns Tarquinij filius inuicem se occiderunt. Romani tamen ex ea pugna victores recesserunt. Brutum Romanæ matronæ defensorem pudicitiæ suæ, quasi communem patrem, per annum luxerunt. Valerius Publicola S.P. Lucretium Tricipitinum collegam sibi fecit, Lucretiæ patrem: quo morbo mortuo, iterum Horatium Puluillum collegam sibi sumpsit. Ita primus annus quinque coss. habuit cùm Tarquinius vrbe cessisset propter nomen, Brutus prœlio periisset, SP. Lucretius morbo mortuus esset. Secundo quoque anno iterum Tarquinius, vt reciperetur in regnum, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porsena Tusciæ rege, & Romam penè cepit. Verùm tum quoque victus est. Tertio anno post reges exactos, Tarquinius cùm suscipi non posset in regnum, neq; ei Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præstaret, Tusculum se contulit, quæ ciuitas non longè ab vrbe est, atque ibi per quatuordecim annos priuatus cum vxore consenuit. Quarto anno post reges exactos, cùm Sabini Romanis bellum intulissent, victi sunt; & de his est triumphatum. Quinto anno L. Valerius ille Bruti collega, & IIII. cos. fataliter mortuus est, adeò pauper factus, vt collatis à populo nummis, sumptum habuerit sepulturæ, quem matronæ, sicut Brutū, annum luxerunt. Nono anno post reges exactos, cùm gener Tarquinij ad iniuriam soceri vindicandam, ingentem collegisset exercitum, noua Romanæ dignitas est creata, quæ Dictatura appellatur, maior quàm Consulatus. Eodem anno etiā Magister Equitū factus est, qui Dictatori obsequeretur. Neq; quidquam similius potest dici, quàm Dictatura antiqua huic Imperij potestati, quam nunc Tranquillitas vestra habet: maximè cùm Augustus quoque Octauianus, de quo postea dicemus, & ante eum C. Cæsar, sub Dictaturæ nomine atque honore regnauerint. Dictator autē Romæ primus fuit Largius: Magister Equitum primus SP. Cassius. Sexto decimo anno post reges exactos, seditionē Pop. Ro. fecit, tanquā à Senatu & coss. premeretur. Tū & ipse sibi Tribunos Pl. quasi proprios iudices & defensores creauit, per quos contra Senatum & coss. tutus esse posset. Sequenti anno Volsci bellum reparauerunt: victi & capti, etiam Coriolos ciuitatem, quam habebant optimam, perdiderunt. Octauo decimo anno post eiectos reges, expulsus ex vrbe Q. Marcius dux Romanorum, qui Coriolos ceperat, Volscorum ciuitatem, ad ipsos Volscos contendit iratus; & auxilia contra Romanos accepit, Romanósq; sæpe vicit, vsq; ad quintū miliarium vrbis accessit oppugnaturus etiam patriam suam: Legatis, qui pacem petebant, repudiatis, nisi ad eum mater Veturia & vxor Volumnia ex vrbe venissent, quarū fletu & deprecatione superatus, remouit exercitum. Atq; hic secundus post Tarquinium fuit qui dux contra patriā suā esset. Cæso Fabio & T. Virginio coss. trecēti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt, promittentes Senatui & Populo, per se omne certamen implendum. Itaq. profecti omnes nobiles, & qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in prælio conciderunt. Vnus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter ætatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Post hæc Census in vrbe habitus est, & inuenta sunt ciuium capitum CXIX. millia. Sequenti anno, cùm in Algido monte, ab vrbe duodecimo ferme miliario, Romanus obsideretur exercitus, L. Quintius Cincinnatus Dictator est factus, qui agrum quatuor iugerum possidēs manibus suis colebat. Is cùm in opere & arans esset inuentus, sudore deterso, togam prætextam accepit: cæsis hostibus, liberauit exercitū. Anno CCC. & altero ab V.C. imperium consulare cessauit: & pro duobus Consulibus decē facti sunt, qui summam potestatem haberent, Decemuiri nominati. Sed cùm primo anno bene egissent, secundo vnus ex iis Ap. Claudius Virginij cuiusdam, qui honestis iam stipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit: quam pater occidit, ne stuprum à decemuiro sustineret, & regressus ad milites mouit tumultum. Sublata est Decemuiralis potestas, ipsique damnati sunt. Anno trecētesimo decimo quinto ab V.C. Fidenates contra Romanos rebellarunt. Auxilium præstabant his Veientes & rex Veientium Tolumnius. Quæ ambæ ciuitates tam vicinæ vrbi sunt, vt Fidenæ VII. Veientes XVIII. miliario absint. Coniunxerunt se his & Volsci. Sed M. Æmilio Dictatore & L. Quintio Cincinnato Magistro Equitum victi, etiam regem perdiderunt: Fidenæ captæ, & excisæ. Post XX. inde annos Veientani rebellauerunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primùm eos vicit acie: mox etiam ciuitatem diu obsidens cepit, antiquissimam, Italiæque ditissimam. Post eam cepit & Faliscos, non minùs nobilem ciuitatem: sed commota est ei inuidia, quasi prædam malè diuisisset: damnatúsque ob eam caussam, expulsus ciuitate est. Statim Galli Senones ad vrbem venerunt, & victos Romanos XI. miliario à Roma apud flumen Alliam secuti, etiam vrbem occupauerunt: neque defendi quidquam nisi Capitolium potuit, quod cum diu obsedissent, & iā Romani fame laborarent, à Camillo, qui in vicina ciuitate exsulabat, Gallis superuentum est, grauissiméque victi sunt. Postea tamen, accepto etiam auro ne Capitolium obsiderent, recesserunt: sed secutus eos Camillus ita cecidit, vt & aurum, quod his datum fuerat, & omnia, quæ ceperant, militaria signa reuocaret. Ita tertiò triumphans vrbem ingressus est, & appellatus secundus Romulus, quasi & ipse patriæ conditor.

EVTROPII LIB. II.

Anno CCCLXV. ab V.C. post captam vrbem primo, dignitates mutatæ sunt: & pro duobus coss. facti Tribuni Militares Consulari potestate. Hinc iam cœpit Romana res crescere. Nam Camillus eo anno Volscorum ciuitatē, quæ per LXX. annos bellum gesserat, vicit, & Æquorū vrbem & Sutrinorum atque omnes, deletis eorum exercitibus, occupauit, & tres simul trium-

phos egit. T. etiam Quintius Cincinnatus Prænestinos, qui vsque ad vrbis Romæ portas: bello venerant, persecutus, ad flumen Alliam vicit, & ciuitates, quæ sub ipsis agebant, Romanis adiunxit. Ipsam Prænestem aggressus in deditionem accepit: quæ omnia ab eo gesta sunt viginti diebus, triumphúsque ipsi decretus. Verum dignitas tribunorum militarium non diu perseuerauit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri, & quadriennium ita in vrbe fluxit, vt potestates ibi maiores non essent, resumserunt tamen Tribuni militares Consulari potestate iterum dignitatem, & triennio perseuerauerunt, Rursus coss. facti, L. Genutio & Q. Seruilio coss. mortuus est Camillus: honor ei secundus post Romulum delatus est. T. Quintius Dictator aduersus Gallos, qui in Italiam venerant, missus est. Hi ab vrbe quarto miliario trans Anienem fluuium consederant. Nobilissimus è Senatoribus T. Manlius, prouocantem Gallum ad singulare certamen, congressus occidit, & sublato torque aureo colloque suo imposito, in perpetuum Torquatis sibi & posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt: mox per C. Sulpitium Dictatorem etiam, victi. Non multo post à C. Marcio Tusci victi sunt: VII. millia captiuorum ex his in triumphum adducta. Census iterum habitus est. Et cùm Latini, qui à Romanis subacti erant, milites præstare nollent, ex Romanis tantum tyrones lecti sunt, factæque legiones decem, qui modus sexaginta vel amplius armatorum millia efficiebat, paruis adhuc Romanis rebus: tanta tamen in re militari virtus erat. Quæ cum profectæ essent aduersus Gallos, duce L. Furio camillo, quidam ex Gallis vnum è Romanis, qui esset optimus, prouocauit: tum se M. Valerius Tribunus militum obtulit, & cum processisset armatus, coruus ei supra dextrum brachium sedit, mox commissa aduersus Gallum pugna, idem coruus alis & vnguibus Galli oculos verberauit ne rectum posset adspicere. ita vt à Tribuno Valerio interfectus non solum victoriam ei, sed etiam nomen dederit. Nam postea idem coruinus est dictus. Ac propter hoc meritum annorum trium & viginti cos. est factus. Latini qui noluerunt milites dare, hoc quoque à Romanis exigere cœperunt, vt vnus, consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum contra eos susceptum est, & ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statuæ coss. ob meritum victoriæ in rostris positæ sunt. Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est. Iam Romani potentes esse cœperunt. bellum enim in centesimo & tricesimo ferè miliario ab vrbe apud Samnites gerebatur, qui medij sunt inter Picenum, campaniam, & Apuliam. Papirius Cursor cum honore Dictatoris ad id bellum profectus erat: qui, cum Romam redisset, Q. Fabio Maximo magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne se absente pugnaret: ille, occasione reperta, felicissimè dimicauit, & Samnites deleuit: ob quam rem à Dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti fauore militum & populi liberatus est: tanta Papirio seditione commota, vt penè ipse interficeretur. Postea Samnites, Romanos, T. Veturio & SP. Postumio coss. ingenti dedecore vicerunt: pax tamen à Senatu & po-

A pulo soluta est, quæ cum ipsis propter necessitatem facta fuerat. Postea Samnites victi sunt à L. Papirio Consule: septem millia eorum sub iugum missa. Papirius de Samnitibus triumphauit. Eo tempore Ap. Claudius Censor aquam Claudiam induxit, & viam Appiam strauit. Samnites, reparato bello, Q. Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occisis. Postea cum pater eius Fabius Maximus legatus datus fuisset, & Samnites vicit, & plurima eorum op- B pida cepit. Deinde P. Cornelius Rufinus, M. Curius Dentatus ambo Coss. contra Samnites missi, ingentibus præliis eos confecere. Tum bellum cum Samnitibus per annos nouem & XL. actum sustulerunt: neque vllus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigauerit. Interiectis aliquot annis, iterum se Gallorum copiæ contra Romanos Tuscis Samnitibusque iunxerunt: sed cum Romam tenderent à P. Cornelio Dolabella Cos. deletæ sunt. Eodem tempore Tarentinis, qui iam in vltima Ita- C lia sunt, bellum indictum est: quia legatis Romanorum iniuriam fecissent. Hi Pyrrhum Epiri regem contra Romanos auxilio poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Hic mox ad Italiam venit. Tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicauerunt, missus est contra eum consul P. Valerius Læuinus. qui cum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, D vt renunciarent Pyrrho, quæcunq. à Romanis agerentur. commissa mox pugna. cum iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit: quos incognitos Romani expauerunt, sed nox prælio finem dedit. Læuinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosq. summo honore tractauit, occisos sepeliuit, quos cum aduerso vulnere & truci vultu, etiam mortuos iacere vidisset, tulisset ad cœlum manus dicitur cum hac voce: *Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.* Pyrrhus coniunctis sibi E Samnitibus, Lucanis, Brutiisque, Romam perrexit, omnia ferro ignéque vastauit, Campaniam depopulatus est, atque ad Præneste venit, miliario ab vrbe octauodecimo. Mox terrore exercitus qui eum cum Cõsule sequebatur, in campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhũ de redimendis captiuis missi ab eo honorificè suscepti sunt, captiuos sine pretio Romam misit. Vnum ex Legatis Romanorum, Fabricium sic admiratus est, vt cum cũ pauperem esse cognouisset, quarta parte regni F promissa, sollicitare voluerit, vt ad se trãsiret, contéptusq. à Fabricio est. Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem æquis cõditionibus peteret, præcipuum virum Cyneam nomine: ita, vt Pyrrhus partem Italiæ, quam iam armis occupauerat, obtineret. Pax displicuit, remandatumque Pyrrho à Senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani ius- G serunt captiuos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi: quòd armati capti fuissent, nec ante eos ad veterem statum reuerti, quam binorum hostium occisorum spolia retulissent. ita Legatus Pyrrhi reuersus est: à quo cum quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperisset, cyneas dixit, *Regum se patriam vidisse.* scilicet tales illic fore omnes, quales vnus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur. Missi sunt contra Pyrrhum

duces

duces P. Sulpitius & D. Mummius coss. Certamine commisso, Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, xx. millia cæsa hostium, & ex Romanis tantum quinque millia. Pyrrhus Tarentum fugatus. Interiecto anno, contra Pyrrhum Fabricius est missus, qui prius inter legatos sollicitari non poterat, quarta parte Regni promissa. Tum cum vicina castra ipse & Rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur: quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum Pyrrhoque dici, quæ contra caput eius medicus spopondisset. Tunc Rex admiratus dixisse fertur: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quàm Sol à cursu suo auerti potest.* Tunc Rex in Siciliam profectus est, Fabricius, victis Samnitibus & Lucanis, triumphauit. Coss. deinde M. Curius Dentatus & Cornelius Lentulus, aduersum Pyrrhum missi sunt: & Curius contra eum pugnauit, exercitum eius cecidit, ipsum Tarentũ fugauit. Ea die cæsa tũ hostium xxiii. millia, Curius in consulatu triumphauit. Primus Romam elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam à Tarento mox recessit, & apud Argos Græciæ ciuitatem occisus est. C. Fabricio Luscino & C. Claudio Cinna cos. anno vrbis conditæ cccclxi. Legati Alexandrini à Ptolomæo missi Romam venere, & à Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerunt. Quintio Gulone, C. Fabio Pictore Coss. Picentes bellum commouere, & ab insequentibus Coss. P. Sempronio, Ap. Claudio victi sunt: & de his triumphatum est. Conditæ à Romanis ciuitates, Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio. M. Attilio Regulo, L. Iunio Libone Coss. Salentinis in Apulia bellum indictum est: captiq; sunt cum ciuitate simul Brundusini, & de his triumphatum est. Anno cccclxxvii. cum iam clarum vrbis Romæ nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Vt igitur cognosceretur, quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus. ciuium inuenta sunt capitum ccxcii. millia, cccxxxiiii. quamquam à condita vrbe numquam bello cessassent. Et contra Afros bellum susceptum est primum, Ap. Claudio, Q. Fuluio Coss. In Sicilia contra eos pugnatum est, & Ap. Claudius de Afris & rege Siciliæ Hierone triumphauit. Insequenti anno, Valerio Marco & Octacilio Coss. in Sicilia à Romanis res magnæ gestæ sunt. Taurominitani, Catanẽses, & præterea quinquaginta ciuitates in fidẽ acceptæ sunt. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem bellum paratum est. Is cum omni nobilitate Syracusanorũ pacẽ à Romanis impetrauit, deditque argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia victi sunt, & de his secundò Romæ triũphatũ est. Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primũ Romani C. Duillio & Cn. Cornelio Asina Coss. in mari dimicauerunt, paratis nauibus rostratis, quas Liburnas vocant. Cos. Cornelius fraude deceptus est. Duillius cõmisso prælio, Carthaginẽsium ducem vicit, xxxi. naues cepit, xiiii. mersit, vii. millia hostium cepit, iii. millia occidit, neque vlla victoria Romanis gratior fuit, quòd inuicti terra, iam etiam mari plurimum possent. C. Aquilio Floro, L. Scipione Coss. Scipio Corsicam & Sardiniam vastauit, multa millia inde captiuorum abduxit, triumphum egit.

A L. Manlio Volsone, M. Attilio Regulo Coss. bellum in Africam translatum est contra Hamilcarem Carthaginiensium ducem, in mari pugnatum, victusque est. Nam perditis lxiiii. nauibus retrò se recepit: Romani xxii. amiserunt. sed cum in Africam transissent, primam Clypeam Africæ ciuitatem in deditionem acceperunt. Consules vsque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis oppidis, Manlius victor Romam rediit, & xxvii. millia captiuorum reduxit: Attilius Regulus in Africa remansit. Is
B contra Afros aciem instruxit, contra tres Carthaginiensium duces dimicans, victor fuit, xviii. millia hostium cecidit, quinque millia cum xviii. Elephantis cepit, lxxiii. ciuitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginienses, pacem à Romanis petierunt: quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium à Lacedæmoniis petierunt: & duce Xantippo qui à Lacedæmoniis missus fuerat, Roma-
C norũ dux Regulus victus est vltima pernicie. nã duo millia hominum tantum ex omni Romano exercitu refugerunt, quindecim millia cum imperatore Regulo capta sunt, xxx. millia occisa, Regulus ipse in catenas coniectus. M. Æmilio Paulo, Seru. Fuluio Nobiliore Coss. ambo Romani consules in Africam profecti sunt, cum trecentarum nauium classe Clypeam petunt, & contra Carthaginienses venerunt, primùm Afros nauali certamine superant. Æmilius consul cen-
D tum & quatuor naues hostium demersit: triginta cum pugnatoribus cepit, quindecim millia hostium aut occidit, aut cepit, militem suum ingenti præda ditauit. Et subacta Africa tum fuisset, nisi tanta fames fuisset vt diutius expectare exercitus non posset. Consules cum victrice classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt: & tanta tempestas fuit, vt ex quadringentis sexaginta quatuor nauibus, octoginta seruari vix potuerint. Neque vllo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naues
E reparauerunt, neque in aliquo animus his infractus fuit. Cn. Seruilius Cæpio, & C. Sempronius Blæsus Coss. cum ducentis sexaginta nauibus ad Africam profecti sunt, aliquot ciuitates ceperunt: prædam ingentem reducentes, naufragium passi sunt. Itaque cùm continuæ calamitates Romanis displicerent, decreuit Senatus, vt à maritimis præliis discederetur, & tantùm sexaginta naues ad præsidium Italiæ saluæ essent. L. Cæcilio
F Metello, C. Furio Pacilo Coss. Metellus in Sicilia Afrorum ducem cum cxxx. elephantis, & magnis copiis venientem superauit, xx. millia hostium cecidit, sex & viginti elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit, & Romam deduxit ingenti pompa, cùm cxxx. elephantorum numero omnia itinera compleret. Post hæc mala Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, vt Romam proficisceretur, & pacem à Roma-
G nis obtineret, ac permutationem captiuorum faceret. Ille Romam cùm venisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit, dixitque se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse: itaque & vxorem à complexu remouit, & Romanis suasit, ne pax cum Pœnis fieret. Illos enim fractos tot casibus, spem nullam habere, se tanti non esse, vt tot millia captiuorum

propter vnum se & senem, & paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur: itaque obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit. Ipse Carthaginem rediit, offerentibúsque Romanis, vt cum Romæ teneren, negauit se in ea vrbe mansurum, in qua, postquam Afris seruierat, dignitatem honesti ciuis habere non posset. Regressus igitur in Africam, omnibus suppliciis extinctus est. Pòst Ap. Pulchro, & C. Iunio Coss. Claudius contra auspicia pugnauit, & à Carthaginiensibus victus est. nam ex ducentis & viginti nauibus, B cum 30. fugit: xc. cum pugnatoribus captæ sunt, demersæ cæteræ, viginti millia capta. Alius quoque Cos. classem naufragio amisit, exercitum tamen saluum habuit, quia vicina littora erant. C. Luctatio Catulo, A. Posthumio Albino, Coss. anno belli Punici xxiii. Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum trecentis nauibus in Siciliam: Afri contra ipsum quadringentas parauerunt. Nunquam in mari tantis copiis pugnatum est. Luctatius Catulus nauem æger ascendit. vulneratus enim in pugna superiore C fuerat, Contra Lilybæum ciuitatem Siciliæ pugnatum est ingenti virtute Romanorum. nam lxxiii. Carthaginiensium naues captæ sunt, cxxv. demersæ, xxii. millia hostium capta, xiii. millia occisa. Infinitum auri argentique prædæ in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Romanorum duodecim naues submersæ. Pugnatum est vi. Idus Martias. Statim Carthaginienses pacem petierunt: tributa est iis pax. Captiui Romanorum, qui tenebantur à Carthaginiensibus, D redditi sunt. Etiam Carthaginienses petierunt, vt redimi eos captiuos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iussit sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent: Qui autem à priuatis tenerentur, vt pretio dominis reddito, Carthaginem redirent; atque id pretium ex fisco magis, quàm à Carthaginiensibus solueretur. Q. Luctatius, A. Manlius Coss. creati bellum Faliscis intulerũt (quæ ciuitas Italiæ opulẽta quondam fuit) quod ambo Coss. intra sex dies, quàm venerant, E transegerunt, xv. millia hominum cæsa; pax cæteris concessa, agro tamen ex medietate sublato.

EVTROPII LIB. III.

Finito igitur Punico bello, quod per xxii. annos gestum est, Romani iam clarissima gloria F noti, legatos ad Ptolemæum, Ægypti regem, miserunt, auxilia promittentes: quia rex Syriæ Antiochus bellum ei intulerat. Ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit. iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tẽpore potentissimus rex Siciliæ Hiero, Romam venit ad ludos spectandos, & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit. L. Cornelio Lentulo, Fuluio Flacco Coss. quibus Hiero Romam venerat, etiam contra Ligures G intra Italiam bellum gestum est; & de his triumphatum est. Carthaginienses tamen bellum reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginiensium Romam, & pacem impetrauit. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo Coss. de Sardis triumphatum est: & pace omnibus locis facta,

A Romani nullum bellum habuerunt: quod his post Romam conditam semel tantùm, Numa Pompilio regnante, contig rat. L. Postumius Albinus, Cn. Fuluius Centumalus Coss. bellum contra Illyrios gesserunt, & multis ciuitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt: ac tum primùm de Illyriis triumphatum est. L. Æmilio consule, ingentes Gallorum copiæ Alpes transierunt: sed pro Romanis tota Italia consensit; traditúmque est Fabio historico, qui ei bello interfuit, B dccc. millia hominum parata ad id bellum fuisse: sed res per consulem tum prosperè gesta est, xl. millia hostium interfecta sunt: & triumphus Æmilio decretus. Aliquot deinde annis pòst, contra Gallos intra Italiam pugnatum est. finito bello, M. Claudio Marcello, Cn. Cornelio Scipione Coss. tum Marcellus cum parua manu Equitum dimicauit, & regem Gallorum Viridomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega suo ingentes copias Gallorum peremit, Mediolanum expugnauit, grandem prædam Romam pertulit, ac triumphans Marcellus spolia Gallorum, stipiti im- C posita, humeris suis vexit, M. Minutio, P. Cornelio Coss. Istris bellum illatum est, quia latrocinati naues Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant: perdomitique sunt omnes. Eodem anno bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibalem Carthaginiensium ducem, qui Saguntum Hispaniæ ciuitatem; Romanis amicam, oppugnare aggressus est, agens vicesimum ætatis annum, copiis congregatis cl. millium peditum, & xx. millium equitum. Huic Romani per D legatos denuntiauerunt, vt bello abstineret. Is legatis parere noluit. Romani etiam à Carthaginiensibus petierunt, vt mandaretur Hannibali, ne bellum contra socios populi Romani gereret. dura responsa à Carthaginiensibus reddita. Saguntini interea fame victi sunt: captique ab Hannibale, vltimis pœnis afficiuntur. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hispaniam profectus est, T. Sempronius in Siciliam: bellum Carthaginiensi- E bus indictum est. Hannibal, relicto in Hispania fratre Hasdrubale, Pyrenæum transit, Alpes adhuc in ea parte inuias sibi patefecit. Traditur ad Italiam lxxx. millia peditum, & xx. millia equitum, septem & xxx. Elephantes adduxisse. Interea multi Ligures & Galli Hannibali se coniunxerunt, Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Hannibalis aduentu è Sicilia exercitum Ariminum traiecit. P. Cornelius Scipio Hannibali F primus occurrit, commisso prœlio fugatis suis, ipse vulneratus in castra rediit, Sempronius Gracchus & ipse conflixit apud Trebiam. Is quoque vincitur. Hannibali multi se in Italia dediderunt. Inde ad Tusciam veniens, Hannibal Flaminio Consuli occurrit: ipsum Flaminium interemit. Romanorum xxv. millia cæsa sunt: cæteri diffugerunt. Missus aduersus Hannibalem postea à Romanis, Q. Fabius Maximus. Is eum, differendo pugnam, ab impetu fregit, mox inuenta G occasione vicit. Quingentesimo & quadragesimo anno à condita vrbe L. Æmilius, P. Terentius Varro, contra Hannibalem mittuntur, Fabióque succedunt. Qui Fabius ambos Coss. monuit, vt Hannibalem callidum & impatientem ducem non aliter vincerent, quàm prælium differendo. Verùm cùm impatientia Varronis Cos. contradicente Cos. altero, id est, Æmilio Paulo, apud vicum qui Cannæ appellatur, in Apulia

Apulia pugnatum esset ambo Coss. ab Hannibale vincuntur, quatuor millia Afrorum pereunt: magna pars de exercitu Hannibalis sauciatur: nullo tamen Punico bello Romani grauius accepti sunt. Periit enim in eo Paulus Æmilius Cos. Consulares aut Prætorij xx. Senatores capti aut occisi, xxx. nobiliores viri ccc. militum xl. millia, equitum tria millia & quadringenti. In quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Serui, quod nunquam antè, manumissi, & milites facti sunt. Post B eam pugnam multæ Italiæ ciuitates, quæ Romanis paruerant, se ad Hannibalem transtulerunt, Hannibal Romanis obtulit, vt captiuos redimerent, responsúmque est à Senatu: *Eos ciues non esse necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent.* Illos omnes postea varijs supplicijs interfecit, & tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos è manibus equitum Romanorum, Senatorum, & militum detraxerat. Interea in Hispania, C vbi frater Hannibalis Hasdrubal remanserat, cum magno exercitu, vt eam totam Afris subigeret, à duobus Scipionibus Romanis ducibus vincitur, perdiditque in pugna xxxv. millia hominum. ex his capiuntur x. millia; occiduntur xxv. Mittuntur ei à Carthaginensibus ad reparandas vires xii. millia peditum, iiii. millia equitum, xx. elephanti. Anno quarto postquam in Italiam Hannibal venit, M. Claudius Marcellus Cos. apud Nolam ciuitatem Campaniæ, contra Hannibalem bene pugnauit. Hannibal mul- D tas ciuitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, & Brutios occupauit. Quo tempore etiam rex Macedoniæ Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos, hac conditione, vt deletis Romanis, ipse quoque contra Græcos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Læuinum ire iusserunt, in Sardiniam T. Manlium Torquatum proconsulem. nam etiam ea solicitata E ab Hannibale Romanos deseruerat. Ita vno tempore quatuor locis pugnabatur, In Italia contra Hannibalem: in Hispania contra fratrem eius Hasdrubalem: in Macedonia contra Philippum: in Sardinia contra Sardos, & alteram Hasdrubalem Carthaginiensem. Is à T. Manlio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, viuus est captus occisa cum eo xii. millia, capti mille quingenti: & à Romanis Sardinia subacta. Manlius victor, captiuos & Hasdrubalem F Romam reportauit. Interea etiam Philippus à Læuino in Macedonia vincitur, & in Hispania à Scipionibus Hasdrubalem, & Mago tertius frater Hannibalis. Decimo anno postquam Hannibal in Italiam venerat, P. Sulpitio, Cn. Fuluio coss. Hannibal vsque ad quartum milliarium vrbis accessit, equites eius vsque ad portas. Mox Consulum metu, cum exercitu venientium, Hannibal ad Campaniam se recepit. In Hispania à fratre Hasdrubale ambo Scipiones, qui per G multos annos victores fuerant, interficiuntur, exercitus tamen integer mansit. Casu enim magis, quàm virtute erant decepti. Quo tempore etiam à consule Marcello Siciliæ magna pars capta est, quam tenere Afri cœperant: & nobilissimæ vrbis Syracusana præda ingens Romam perlata est. Læuinus in Macedonia cum Philippo, & multis Græciæ populis, & rege Asiæ Attalo amicitiam fecit, & ad Siciliam profectus, Hannonem quendam Afrorum ducem apud Agrigentum ciuitatem cum ipso oppido cepit, cúmque Romam cum captiuis nobilibus misit, xl. ciuitates in deditionem accepit. xxvi. expugnauit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, ingenti gloria Romam regressus est. Hannibal in Italia Cn. Fuluium cos. subito aggressus, cum octo millibus hominum interfecit. Interea ad Hispanias, vbi occisis duobus Scipionibus nullus Romanus dux erat, P. Cornelius Scipio mittitur, filius P. Scipionis, qui ibidem bellum gesserat, annos natus quatuor & viginti, vir Romanorum omnium & sua ætate, & posteriori tempore ferè primus. Is Carthaginem Hispaniæ capit. in qua omne aurum & argentum & belli apparatum Afri habebant, nobilissimos quoque obsides, quos ab Hispanis acceperat, Magonem etiam fratrem Hannibalis ibidem capit, quem Romam cum alijs mittit. Romæ ingens lætitia post hunc nuntium fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit. Quare omnes ferè Hispaniæ ad eum vno animo transierunt. Post quæ Hasdrubalem Hannibalis fratrem victum fugat, & prædam maximam capit. Interea in Italia cos. Q. Fabius Maximus Tarentum cepit, in qua ingentes copiæ Hannibalis erant: ibi etiam ducem Hannibalis Carthalonem occidit, xxv. millia captiuorum vendidit, prædam militibus dispertiuit, pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit. Tum multæ ciuitates Romanorum, quæ ad Hannibalem transierant prius, rursus se Fabio Maximo dediderunt. Insequenti anno Scipio in Hispania egregias res egit, & per se, & per fratrem suum L. Scipionem; lxx. ciuitates receperunt. In Italia tamen malè pugnatum est. Nam Claudius Marcellus cos. ab Hannibale occisus est. Tertio anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus est, rursus res inclytas gerit. Regem Hispaniarum magno prælio victum, in amicitiam accepit, & primus omnium à victo obsides non poposcit. Desperans Hannibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retineri, fratrem suum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis euocauit. Is veniens eodem itinere, quo etiam Hannibal venerat, à coss. Ap. Claudio Nerone, & M. Liuio Salinatore, apud Senam, Piceni ciuitatem, in insidias compositas incidit: strenuè tamen pugnans occisus est. ingentes eius copiæ captæ aut interfectæ sunt: magnum pondus auri atque argenti Romam relatum. Post hæc Hannibal diffidere de belli cœpit euentu; Romani ingens animus accessit. Itaque & ipsi euocauerunt ex Hispania P. Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit. Q. Cæcilio, L. Valerio coss. omnes ciuitates, quæ in Brutiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se tradiderunt. Anno xiiii. postquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa bene in Hispania egerat, Consul est factus, & in Africam missus. Cui viro diuinum quiddam inesse existimabatur, adeo vt putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. Is in Africa contra Hannonem ducem Afrorum pugnauit, exercitum eius interfecit. Secundo prælio castra cepit cum quatuor millibus & quingentis militibus, vndecim millibus occisis. Syphacem Numidiæ regem, qui se Afris coniunxerat, capit, & castra

eius inuadit. Syphax cum nobilissimis Numidis & infinitis spoliis ab Scipione Romam mittitur. Qua re audita, omnis ferè Italia Hannibalem deseruit, ipse à Carthaginiensibus in Africam redire iubetur, quam Scipio vastabat. Ita anno XVII. ab Hannibale Italia liberata est, quam flens dicitur reliquisse. Legati carthaginiensium pacem a Scipione petierũt, ab eo ad Senatum Romam missi sunt. XLV. dies his induciæ datæ sunt, quousque Romam ire & regredi possent: XXX. millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius quam XXX. naues haberent, quinquaginta millia pondo argenti darent, captiuos & perfugas redderent. Interim, Hannibale veniente ad Africam, pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt. Legati tamen eorum ex vrbe venientes à Romanis capti sunt, & iubente Scipione dimissi. Hannibal quoq. frequentib. prælijs victus, à Scipione, petit etiam ipse pacem. Cùm ventum esset ad colloquium, iisdem conditionibus data est quibus prius, addita quingentis millibus pondo argenti, C. millia librarum propter nouam perfidiam. Carthaginiensibus conditiones displicuerunt, iusseruntq. Hannibalem pugnare. Sed infertur à Scipione & Masinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit: quos captos Scipio circumduci per castra iussit, ostendique eis totum exercitum: mox etiam prandium dari, dimittique, vt renuntiarent Hannibali, quæ apud Romanos vidissent. Interea prælium ab vtroque duce instructum est, quale vix vlla memoria fuit, cùm peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, penè ipso Hannibale capto qui primùm cum multis equitibus, deinde cum viginti, postremò cum quatuor euasit. Inuenta in castris Hannibalis argenti pondo XX. millia, auri octingenta, cætera supellectili copiosa. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphauit, atque Africanus ex eo appellari cœptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum, post annum XVII. quàm cœperat.

EVTROPII LIBER IIII.

TRANSACTO Punico bello, secutum est Macedonicum contra Philippum regem. DLI. anno ab V. C. T. Quintius Flamininus aduersus Philippum regem mittitur, prosperè gessit: pax ei data est his legibus, ne Græciæ ciuitatibus, quas Romani contra eum defenderent, bellum inferret: vt captiuos & transfugas redderet, quinquaginta solùm naues haberet, reliquas Romanis daret, per annos decem quaterna millia pondo argenti præstaret, & obsidem daret filium suum Demetrium. T. Quintius Flamininus etiam Lacedæmoniis intulit bellum, ducem eorum Nabidem vicit, & quibus voluit conditionibus in fidem accepit: in gloriam duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis. Transacto bello Macedonico, secutum est Syriacum contra Antiochum regem, P. Cornelio Scipione. M. Attilio Glabrione Coss. Huic Antiocho Hannibal se iunxerat, Carthaginem patriam suam, ne Romanis traderetur, relinquens. M. Attilius Glabrio in Achaia pugnauit bene. castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt, ipse fugatus. Philippo, quia contra Antiochum Romanis fauisset, filius Demetrius redditus est. L. Cornelio Scipione, C. Lælio coss. Scipio Africanus fratri suo Cornelio Scipioni Consuli, legatus contra Antiochum profectus est. Hannibal, qui cum Antiocho erat, nauali prælio victus est. Ipse postea Antiochus circa Sipylum & Magnesiam Asiæ ciuitatem à cos. Cornelio Scipione ingenti prælio fusus est. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. Triginta millia peditum, quatuor millia equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacem iniit. Iisdem conditionibus data est à senatu, quanquam victo, quibus antè offerebatur, vt ex Europa & Asia recederet, atque intra Taurum se contineret, decem millia talentorum, & XX. obsides præberet, Hannibalem concitatorem belli dederet. Eumeni regi donatæ sunt omnes Asiæ ciuitates, quas Antiochus bello perdiderat: & Rhodiis, qui auxilium Romanis contra Regem Antiochum tulerant, multæ vrbes concessæ sunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphauit. Nomen & ipse ad imitationem fratris Asiatici accepit, quia Asiam vicerat, sicuti frater ipsius propter Africam domitam Africanus appellabatur. Sp. Posthumio Albino, Q. Marcio Philippo coss. M. Fuluius de Ætolis triumphauit. Hannibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam Bithyniæ regem fugerat, repetitus etiam ab eo est per T. Quintium Flamininum: &, cùm tradendus esset Romanis, venenum bibit, & apud Libyssam in finibus Nicomediensium sepultus est. Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui & aduersum Romanos bellum gesserat, & postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius eius Perseus in Macedonia rebellauit, ingentibus copiis ad bellum paratis. Nam adiutores habebat Cotyn Thraciæ regem, Illyrici regem, Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes Asiæ rex, Ariarathes Cappadociæ, Antiochus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Masinissa Numidiæ. Prusias autem rex Bithyniæ, quanquam sororem Persei vxorem haberet, vtrisque se æquum præbuit. Dux Romanorum P. Licinius cos. est à rege graui prælio victus: neque tamen Romani, quanquam superati, regi petenti pacem præstare voluerunt, nisi his conditionibus, vt se & suos Senatui & populo Romano dederet. Mox missus contra eum L. Æmilius Paulus cos. & in Illyricum C. Anicius prætor contra Gentium: sed Gentius facilè vno prælio victus, mox se dedidit. Mater eius, & vxor, & filij, frater quoque eius, simul in potestatem Romanorum venerunt. Ita bello intra dies XXX. perfecto, antè cognitum est Gentium victum, quam cœptum bellum nuntiaretur. Cum Perseo autem Æmilius Paulus cos. tertio nonas Septembris dimicauit, vicitque eum, viginti millibus peditum eius occisis. Equitatus cum rege fugit integer. Romanorum centum milites desiderati sunt: vrbes Macedoniæ omnes, quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt. Ipse Rex, cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem: sed honorem ei Æmilius, non quasi victo habuit. Nam & vo-

& volentem sibi ad pedes cadere, non permisit, & iuxta se in sella collocauit. Macedonibus, & Illyriis hæ leges datæ sunt, vt liberi essent, & dimidiũ eorum tributorum præstarent, quæ regibus præstitissent, vt appareret populum Romanum pro æquitate magis quàm auaritia dimicare. Itaque in conuentu innumerorum populorum Paulus hæc pronuntiauit, & legationes multarum gentium, quæ ad eum venerant, magnificentissimo conuiuio pauit, dicens, *Eiusdem hominis esse & vincere, & bellum gerere, & conuiuij apparatu elegantem esse.* Mox septuaginta ciuitates Epiri, quæ rebellauant, cepit, prædam militibus distribuit. Romam cum ingenti pompa rediit, in naue Persei, quæ inusitatæ magnitudinis fuisse traditur, adeo vt xvi. ordines dicatur habuisse remorum. Triumphauit magnificentissimè in curru aureo, cum duobus filiis vtroque latere astantibus. Ducti sunt ante currum duo regis filij, & ipse Perseus quadragintaquinque annos natus. Post eum etiam C. Anicius de Illyriis triumphauit. Gentius cum fratre & filiis ante currum ductus est. Ad hoc spectaculum multarum gentium reges Romam venerunt. Inter alios etiam venit Attalus atque Eumenes Asiæ reges, que Prusias Bithyniæ: magno honore accepti sunt, permittente Senatu dona quæ attulerat, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem Senatui commendauit. In sequenti anno L. Memmius in Hispania bene pugnauit. Marcellus postea Cos. res ibidem prospere gessit. Tertium deinde bellum contra Carthaginem suscipitur, sexcentesimo & altero anno ab vrbe condita, L. Manlio Censorino & M. Manilio consulibus, anno L. postquam secundum Punicum bellum transactum erat. Hi profecti Carthaginem expugnauerunt: contra eos Hasdrubal dux Carthaginensium dimicabat: Famea dux alius equitatui præerat Carthaginensium. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribunus militũ, ibi militabat. huius apud omnes ingens metus & reuerentia erat. Nam & paratissimus ad dimicandum, & consultissimus habebatur. Itaque per eum multa prosperè à Coss. gesta sunt. Neque quicquam magis vel Hasdrubal vel Famea vitabant, quàm contra eam Romanorum partem committere, vbi Scipio dimicabat. Per idem tempus Masinissa rex Numidarum, per annos sexaginta ferè amicus populi Romani, anno vitæ suæ XCVII. mortuus est. XLIIII. filiis relictis. Scipionem diuisorem regni inter filios esse iussit. Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, iuuenis adhuc consul est factus, & contra Carthaginem missus, eam cepit ac diruit. Spolia ibi inuenta, quæ de variarum ciuitatum excidiis Carthago collegerat: & ornamenta vrbium ciuitatibus Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit, quę sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod auus eius acceperat: meruit, scilicet vt propter virtuté eius etiá ipse Africanus Iunior vocaretur. Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma mouit, & Romanum prætorem P. Iuuentium contra se missum ad internecionem vicit. Post eum Q. Cæcilius Metellus dux à Romanis contra Pseudophilippum missus est, & xxv. millibus ex militibus eius occisis, Macedoniam recepit. Ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit. Corinthiis quoque bellum indictum est, nobilissimæ Græciæ ciuitati, propter iniuriam legatorum Romanorum. Hanc

A Mummius cepit ac diruit. Tres igitur Romæ simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani ex Africa, ante cuius currum ductus est Hasdrubal: Metelli ex Macedonia, cuius currum præcessit Andriscus, qui & Pseudophilippus dicitur, Mũmij ex Corintho, ante quẽ signa ænea, & pictæ tabulę, & alia vrbis clarissimæ ornamenta prælata sunt. Iterum in Macedonia Pseudoperseus, qui se Persei filiũ esse dicebat, collectis seruis rebellauit: & cũ septemdecim armatorum millia haberet, à Tremelio quæstore superatus est. His diebus Androginus Romę

B visus, iussu aruspicum in mare mersus est. Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Q. Pompeius: nec multo pòst Q. quoque Cæpio ad idem bellũ missus est, quod quidem Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriatus à suis interfectus est, cum quatuordecim annos Hispanias aduersum Romanos mouisset. Pastor primò fuit, mox latronum dux. Postremò tantos ad bellum populos concitauit, vt assertor contra Romanos

C Hispaniæ putaretur. Cùm interfectores eius præmium à Scipione Cos. peterent, responsum est, *nunquam Romanis placuisse, Imperatores à suis militibus interfici.* Q. Pompeius deinde Cos. à Numantinis quæ Hispaniæ ciuitas fuit opulentissima superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum C. Hostilius Mancinus Cos. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem, quam Populus & senatus iussit infringi, atque ipsum Mancinum hosti-

D bus tradi, vt in illo, quem auctorem fœderis habebant, iniuriam soluti fœderis vindicarent. Post tantam igitur ignominiam, qua à Numantinis bis Romani exercitus fuerant subiugati, P. Scipio Africanus secundo Cos. factus, & ad Numantiam missus est. Is primùm militem vitiosum & ignauum exercendo magis quàm puniendo, sine aliqua acerbitate, correxit. Tum multas Hispaniæ ciuitates partim vi cepit, partim in deditionem accepit. Postremò ipsam Numantiam diu

E obsessam fama vicit, & solo euertit, reliquam prouinciam in fidem accepit. Eo tempore Attalus rex Asiæ, frater Eumenis mortuus est, herédemque populum Romanum reliquit. Ita Imperio Romano per testamentum Asia accessit. Mox etiam D. Iunius Brutus de Galliciis & Lusitanis triumphauit magna gloria. Et P. Scipio Africanus de Numantinis secundũ triumphum egit, XIIII. anno, postquàm priorem de Africa egerat. Motum interea in Asia bellum est ab Aristonico Eu-

F menis filio, qui ex concubina susceptus fuerat. Is Eumenes frater Attali fuerat. Aduersus eum missus est Licinius Crassus, infinita regum habens auxilia. Nã & Bithyniæ rex Nicomedes Romanos iuuit, & Mithridates Ponticus, cum quo postea bellum grauissimum fuit, & Ariathes Cappadox, & Pylæmenes Paphlagon. victus est tamen Crassus in prælio, & interfectus. caput Aristonico oblatum est: corpus Smyrnæ sepultum. Postea Perpenna Cos. Romanus, qui suc-

G cessor Crasso veniebat, audita belli fortuna, ad Asiam celerauit, & acie victum Aristonicum apud Stratoniceen ciuitatem, quò fugerat, fame ad deditionem compulit. Aristonicus iussu senatus in carcere strangulatus. Triumphari enim de eo non poterat, quia Perpenna apud Pergamum rediens diem obierat. L. Cæcilio Metello, & T. Q. uintio Flaminino Coss. Carthago in Africa iussu Senatus reparata est, quæ nunc manet, an-

nis duobus & viginti, postquam à Scipione fuerat euersa: deducti eò sunt ciues Romani. Anno sexcentesimo vigesimoseptimo ab v. c. C. Cassius Longinus, & Sex. Domitius Caluinus Coss. Gallis Transalpinis bellum intulerunt, & Aruernorum nobilissimæ tum ciuitati, atque eorum duci Bituito: infinitámque multitudinem iuxta Rhodanum fluuium interfecerunt. præda ex torquibus Gallorum Romam perlata est: Bituitus se Domitio dedidit, atque ab eo Romam deductus est, magnaq. gloria Coss. ambo triúphauêre. Marco Porcio Catone, & Q. Marcio rege Cos. sexcentesimo trigesimo anno & tertio ab vrbe códita, Narbonam in Gallia colonia deducta est: annóq. eodé à L. Metel. & Q. Mucio Scæuola Coss. de Dalmatia triumphatum est. Ab vrbe condita anno sexcentesimo trigesimoquinto, C. Cato consul Scordiscis intulit bellum, ignominiose pugnauit. C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone coss. duo Metelli fratres eodem die alterum ex Africa, ex Sardinia alterum triumphum egerunt: nuntiatumque Romę est Cimbros è Gallia in Italiam transisse. P. Scipione Nasica, & L. Calpurnio Bestia c o s s. Iugurthæ Numidarum regi bellum illatum est, quòd Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ filios, fratres suos, reges & populi Romani amicos interemisset. Missus aduersus eum c o s. Calphurnius Bestia: corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quæ à senatu improbata est. Postea contra eundem insequenti anno Sp. Albinus Posthumius profectus est. Is quoq. per fratrem ignominiosè contra Numidas pugnauit. Tertiò missus Q. Cæcilius Metellus cos. Exercitum ingenti seueritate & moderatione correctum, cum nihil in quenquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit, Iugurtham variis prœliis vicit, elephátos eius occidit, vel cepit. Et cùm iam bello finem positurus esset, successum est ei à C. Mario. Is Iugurtham & Bocchum Mauritaniæ regem, qui auxilium Iugurthę ferre cœperat, pariter superauit, aliquanta & ipse oppida Numidiæ cepit, belloque terminum posuit, capto Iugurtha per quæstorem suum Cornelium Syllam, ingenté virum, tradente Boccho Iugurtham, qui pro eo antè pugnauerat. A M. Iunio Syllano collega Q. Metelli, Cimbri in Italia victi sunt, & à Minutio Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi, & à Seruilio Cæpione in Hispania Lusitani subacti sút. Et duo triúphi de Iugurtha, primus per Metellú, secúdus per Marium acti sunt. Ante currú tamé Marij Iugurtha cú duob. filiis ductus est catenatus: [& mox iussu consulis in carcere strangulatus.]

EVTROPII LIBER V.

DVm bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, Romani consules M. Manilius & Q. Cæpio à Cimbris & Theutonibus, & Tigurinis, & Ambronibus, quæ erant Germanorum & Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanú, & ingenti internecione attriti, etiam castra sua, & magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romæ grandis fuit, quantus vix Hannibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Galli Romam venirent. Ergo Marius post victoriam Iugurthinam secundo cos. est factus, bellumque ei contra Cimbros & Teutones decretum est. Tertio quoque ei & quarto delatus est consulatus, quia bellum Cimbricum protrahebatur. Sed in quarto consulatu collegam habuit Q. Luctatium Catulú: Cum Cimbris itaque conflixit. Et duobus prœliis

A cc. millia hostium cecîdit, LXXX. millia cepit, & ducem eorum Teutobocum: propter quod meritum absens quintò cos. est factus. Interea Cimbri & Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam transierunt. Iterum à C. Mario, & Q. Catulo contra eos dimicatum est, sed à Catuli parte fœlicius. Nam eo prœlio, quod simul ambo gesserunt, cxl. millia aut in pugna aut fuga cæsa sunt, LX. millia capta. Romani milites ex vtroque exercitu trecenti mille perierunt. Tria & triginta signa B Cimbris sublata sunt, ex his exercitus Marij duo reportauit, Catuli exercitus [illegible] belli finis fuit. Triumphus vtrique decretus est. S. x. Iulio Cæsare & L. Marcio Philippo coss. sexcentesimo quinquagesimo anno ab v. c. cum prope alia omnia bella cessarent, in Italia grauissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique mouerunt. Qui cum annis numerosis iam populo Romano obedirent, tum libertatem sibi æquam asserere cœperunt. Perniciosum admodum hoc bellum fuit. P. Rutylius cos. in eo bello occisus est, Cæpio nobilis iuuenis, & Porcius Cato alius c o s. Duces autem C aduersus Romanos Picentibus & Marsis fuerunt T. Victius, Hierus Asinius, T. Legennius, A. [illegible] tius: à Romanis bene contra eos pugnatum est à C. Mario, qui sexies cos. fuerat, & à Cn. Pompeio; maximè tamen à L. Cornelio Sylla, qui inter alia facta egregiè ita eluentium hostium ducem, cum magnis copiis fudit, vt ex suis nec vnú amitteret. Quadriennio, cum graui tamen calamitate, hoc bellum tractum est. Quinto demum an D no finem accepit per L. Cornelium Syllam consulem, cùm antea in eodem bello ipse multa strenuè prætor gessisset. Anno vrbis conditæ sexcentesimo sexagesimo secundo, primum Romæ bellum ciuile commotum est. Eodem anno etiá Mithridaticú. causa bello ciuili C. Marius sexies cos. dedit. Nam cùm Sylla cos. contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam & Achaiam occupauerat, mitteretur, isque exercitum in Campania paulisper teneret, vt belli socialis, de quo diximus, quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiæ E tollerentur: Marius affectauit, vt ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Qua re Sylla commotus, cum exercitu ad vrbem venit. Illic contra Marium & Sulpitium dimicauit. Primus vrbem Romam ingressus est, Sulpitium interfecit, Marium fugauit: atque ita cos. ordinatis futuro anno, Cn. Octauio, & L. Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est. Mithridates enim qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, & totum Ponticum mare in circuitu cú Bosphoro tenebat, primò Ni- F comedem amicum populi Romani Bithynia voluit expellere, senatuique mandauit, bellum se ei propter iniurias, quas passus fuerat, illaturum. A senatu responsum est Mithridati, si id faceret, quod & ipse bellum à Romanis pateretur. Quare iratus Cappadociam statim occupauit, & ex ea Ariobarzanem regem & amicum populi Romani fugauit. Mox etiam Bithyniam inuasit, & Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus amicis populi G Romani, Pylęmene & Nicomede: inde ad Ephesú contendit, & per omnem Asiam literas misit, vt vbicunque inuenti essent ciues Romani, vna die occiderentur. Interea etiá Athenæ ciuitas Achaiæ ab Aristone Atheniensi Mithridati tradita est. Miserat enim iam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducem suum cum cxx. millibus equitum ac peditum, per quem etiam reliqua Græcia

occupata

occupata est. Sylla Archelaum apud Pyręeum non longè ab Athenis obsedit, ipsamque vrbem cepit. Postea commisso prælio contra Archelaum, ita eum vicit, vt ex c xx. millibus vix decem superessent Archelao, & ex Syllæ exercitu quatuordecim tantum homines interficerentur. Hac pugna cognita, Mithridates, LXX. millia lectissima ex Asia Archelao misit: contra quem Sylla iterum commisit. Primo prælio xx. millia hostium interfecta sunt, filiusque Archelai Diogenes. Secundò omnes Mithridatis copiæ extinctæ sunt. Archelaus ipse triduo nudus in paludibus latuit. Hac re audita, Mithridates cum Sylla de pace agere cœpit. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas, & Mœsos partim vicit, alios in fidem accepit. Sed cum legati à rege Mithridate, qui pacem petebant, venissent, non aliter se daturum Sylla esse respondit, nisi rex, relictis his quæ occupauerat, ad regnum suum rediisset. Postea ad colloquium ambo venerunt. Pax inter eos ordinata est, vt Sylla ad bellum ciuile festinans, à tergo periculum non haberet. Nam dum Sylla in Achaia atque Asia Mithridatem vicit, Marius qui fugatus erat, & Cornelius Cinna, vnus ex Coss. bellum in Italia reparauerunt. Et ingressi vrbem Romam, nobilissimos ex Senatu, & Cõsulares viros interfecerunt, multos proscripserũt: ipsius Syllæ domo euersa, filios & vxorem in fugam compulerunt. Vniuersus reliquus Senatus ex vrbe fugiens, ad Syllam in Græciam venit, orans vt patriæ subueniret. Ille in Italiam traiecit, bellum ciuile gesturus aduersus Norbanum & Scipionem Coss. Et primo prælio contra Norbanum dimicauit non longè à Capua: tum vii. millia eius cecidit, vi. millia cepit. centũ viginti quatuor suorum amisit. Inde etiam se ad Scipionem conuertit, & ante prælium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit. Sed cum Romæ mutati Coss. essẽt, & Marius Marij filius, ac Papirius Carbo consulatum accepissent, Sylla contra Marium iuniorem dimicauit, & xv. millibus eius occisis, quatuor millia de suis perdidit. Mox etiã vrbem ingressus est. Mariũ Marij filium Præneste persecutus obsedit, & ad mortem compulit. Rursus pugnam grauissimam habuit contra Lamponium & Carianatẽ duces partis Marianæ ad portam Collinam. LXXX. millia hostium in eo prælio contra Syllam fuisse dicuntur: duodecim millia se Syllæ dediderunt. Cæteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira victoris consumpti sunt. Cn. quoque Carbo Cos. alter ab Arimino ad Siciliam fugit, & ibi per Cn. Pompeium interfectus est: quem adolescentem Sylla annos vnum & viginti natum, cognita eius industria, traditis exercitibus præfecerat, vt secundus à Sylla haberetur. Occiso ergo Carbone, Pompeius Siciliam recepit: transgressus inde ad Africam Domitium, Marianæ partis ducem, & Hiarbam regem Mauritaniæ, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. Post hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit. Cn. etiam Pompeius, quòd nulli Romanorum tributum erat, quartum & vigesimum annum agens de Africa triumphauit. Hunc finem habuerunt duo bella funestissima, Italicum quod est Sociale dictum, & Ciuile, quæ ambo tractata sunt per annos decem. consumpserunt vltra centumquinquaginta millia hominum, viros consulares xxiiii. prætorios vii. ædilitios LX. Senatores ferè CCC.

EVTROPII LIBER VI.

Marco Æmilio Lepido, Q. Catulo Coss. cùm Sylla remp. composuisset, bella noua exarserunt, vnum in Hispania, aliud in Pamphylia & Cilicia. Tertium in Macedonia. Quartum in Dalmatia. Nam Sertorius, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam eorum qui interempti erant, ad bellum commouit Hispanias. Missi sunt contra eum duces, Q. Cæcilius Metellus, filius eius qui Iugurtham vicit, & L. Domitius prætor. A Sertorij duce Herculeio Domitius occisus est. Metellus vario successu contra Sertorium dimicauit. Postea, cùm impar pugnæ solus Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias missus est: ita duobus ducibus aduersus Sertorium fortuna varia sæpe pugnauit. Octauodecimo anno à suis occisus est, & finis ei bello datus est per Cn. Pompeium adolescentem, & Q. Metellum Pium: atque omnes propè Hispaniæ in ditionem populi Romani redactæ sunt. Ad Macedoniam missus est Ap. Claudius post consulatum. Leuia prælia habuit contra varias gentes, quę Varodopam prouinciam incolebant: atque id morbo mortuus est. Missus ei successor Cn. Scribonius Curio post Consulatum. Is Dardanos vicit, & vsq. ad Danubium penetrauit, triumphumque meruit, & intra triennium finem bello dedit. Ad Ciliciam & Pamphyliam missus est P. Seruilius ex cos. vir strenuus. Is Ciliciam subegit. Lyciæ vrbes clarissimas oppugnauit, & cepit, in his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciæ. Isauros quoque aggressus in deditionem coegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Isauriam interfecit. Reuertens, triumphum accepit, & nomen Isaurici meruit. Ad Illyrium missus est Cn. Cosconius proconsul. Multam partem Dalmatiæ subegit: Salonas cepit: & composito bello Romam post biennium rediit. Iisdem temporibus Cos. M. Æmilius Lepidus, Catuli collega, bellum ciuile voluit commouere. Intra tamen vnam æstatem nixus eius oppressus est. Ità vno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli ex Hispania, Pompeij secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Seruilij ex Isauria. Anno vrbis conditæ DCLXXVI. L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta coss. mortuus est Nicomedes rex Bithyniæ, et testamento populum Ro. fecit hæredem. Mithridates, pace rupta, Bithyniam & Asiam rursus voluit inuadere. Aduersus eum ambo coss. missi, variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est, & obsessus. Sed cùm se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, vt Cyzico capta, totam Asiam inuaderet, Lucullus ei alter cõsul occurrit. Ac dum Mithridates in obsidione Cyzici moraretur, ipse eum à tergo obsedit, famèque consumpsit, & multis prælijs vicit. Postremo Byzantium, quæ nunc Constantinopolis est, fugauit: nauali quoque prelio duces eius Lucullus oppressit. Ita vna hyeme & æstate à Lucullo centum ferè millia hominum ex parte regis extincta sunt. Anno vrbis Rome DCLXXVIII. Macedoniã prouinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus eius, qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia nouum bellum subitò commotum est. Septuaginta enim & quatuor gladiatores ducibus Sparthaco, Chryso, & Oenomao, effracto

Capuæ ludo, effugerunt, & per Italiam vagantes, pene non leuius bellum in ea, quàm Hannibal, mouerunt. Nam multis ducibus, & duobus simul Romanorum Coss. victis, lx. ferè millium armatorũ exercitũ cõgregauerũt. Victiq; sunt in Apulia à Marco Licinio Crasso proconsule: & post multas calamitates Italiæ, tertio anno bello huic finis imponitur. Sexcentesimo & primo vrbis conditæ anno, L. Cornelio Lentulo & Cn. Aufidio Oreste coss. duo tantum grauia bella imperio Romano erant, Mithridaticum, & Macedonicum. Hæc duo Luculli agebant, L. Lucullus, & M. Lucullus, L. ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridatem, & naualem, qua duces eius oppresserat, persecutus est eum, & recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum eius inuasit Sinopem & Amisum, ciuitates Ponti bellicosissimas cepit. Secundo prælio apud Cabira ciuitatẽ, quò ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum xxx. millia lectissima regis à quinque Romanorum fugatus millibus vastata essent, Mithridates, & castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam à Tigrane Armeniæ rege, qui tum ingenti gloria imperabat, Persas sæpe vicerat, Mesopotamiam occupauerat, & Syriam Phœnicis partem. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est: Tigranocertam ciuitatem Armeniæ nobilissimam, cepit: ipsum regem cum sexcentis millibus clibanatiorũ, & cẽtum millibus sagittariorum & armatorum venientem, xviii. millia militum habens ita vicit, vt magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cepit. Sed hi quos in Ponto Lucullus reliquerat cum exercitus parte, vt regiones victas iam Romanorum tuerentur, negligenter se & auarè agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt, atque ita bellum renouatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi, contra Persas expeditionẽ, successor est missus. Alter Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prælio in Hæmo monte superauit: oppidum Vscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, vicit: Cabilen cepit, & vsque ad Danubium penetrauit. Inde multas super Pontum positas ciuitates aggressus est. Illic Apolloniam euertit, Calatim, Parthenopolim, Tomos, Histrum, Buciam omnem cepit: belloque confecto Romam rediit. Ambo tamen triumpharunt: Lucullus, qui contra Mithridatem pugnauerat, maiori gloria, cum tantorum regnorum victor rediisset. Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod recedẽte Lucullo, rex collectis auxiliis reparauerat, bellum Creticum ortum est. Ad id missus Cæcilius Metellus ingentibus prælijs intra triennium omnem prouinciam cepit, appellatusque est Creticus, atque ex insula triumphauit. Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui eius rex fuerat, accessit: in qua inclitæ ciuitates erant, Berenice: Ptolemais, & Cyrene. Dum hæc geruntur, Piratæ omnia mari infestabant, ita vt nauigatio Romanis, toto orbe victoribus, sola tuta nõ esset. Quare id bellũ Cn. Põpeio decretum est: ꝙ intra paucos mẽses ingẽti felicitate & celeritate confecit: mox ei delatũ est bellũ etiã contra

A regẽ Mithridatẽ & Tigranẽ: quo suscepto, Mithridatem in Armenia minore nocturno prælio vicit, castra diripuit, quadraginta millibus eius occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit, & duos centuriones. Mithridates cum vxore fugit, duobus comitibus. Neque multò post cum in suos sæuiret, Pharnacis filij sui instinctu, militum seditione ad mortem coactus venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosphorum, vir ingẽtis industriæ consiliique: B regnauit annos quadraginta: vixit septuaginta duobus. cõtra Romanos bellũ habuit annos quadraginta. Tigrani deinde Pompeius bellum intulit: ille se ei dedidit, & in castra Pompeij xvi. miliario ab Artaxata venit, ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompeij, in manus eius collocauit, quod ei Pompeius reposuit, honorificẽque eum habitum, regni tamen parte mulctauit, & grandi pecunia: adempta est ei Syria, Phœnice, Sophene. Sex millia præterea talentorum argenti, quæ populo Ro. daret, quia bellum sine C caussa Romanis commouisset. Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit, & eorum regem, Orodem scilicet, prudenter vicit. Postremo per epistolas & munera rogatus, veniã ei ac pacem dedit. Hiberiæ quoq. regem Arthacẽ vicit acie, & in deditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro Galatiæ regi donauit, quia socius belli Mithridatici fuerat. Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam dedit. Aristarchum Colchis regem imposuit. Mox D Ituræos & Arabes vicit. Et cum venisset in Syriã, Seleuciam vicinam Antiochiæ ciuitatem libertate donauit, eò quod regẽ Tigranem nõ recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quò locus ibi spatiosior fieret: delectatus amœnitate loci, & aquarũ abũdantia. Inde ad Iudæam transgressus, Hierosolymam caput gentis tertio mense cepit. xii. millibus Iudæorum occisis, cæteris in fidem acceptis. His gestis, in Asiam se recepit, & finem antiquissimo bello dedit. M. Tullio Cicerone & C. E Antonio cos. anno ab v. c. ICCXXXIX. L. Sergius Catilina nobilissimi generis vir, sed ingenij prauissimi ad delẽdam patriam coniurauit cum quibusdam claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone vrbe expulsus est. Socij eius deprehensi in carcere strangulati sunt. Ab Antonio altero cos. Catilina ipse in prælio victus est, & interfectus, DCXC. anno ab v. c. D. Iunio Syllano, & L. Muræna coss. Metellus de Creta triumphauit. Pompeius de bello Piratico & Mithridatico. nulla F vnquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante eius currum filius Mithridatis, filius Tigranis, Aristobulus rex Iudæorum, prælata est ingẽs pecunia auri atque argenti infinitũ pondus. Hoc tempore nullum per orbem terrarũ graue bellũ erat. Anno vrbis conditæ DCXCVIII. C. Iulius Cæsar, qui postea imperauit, cum L. Bibulo cos. est factus: decreta est ei Gallia & Illyricum cum legionibus decem. Is primo vicit Hel- G uetios, qui nunc Sequani appellantur. Deinde vincendo per bella grauissima vsque ad Oceanum Britannicum accessit. Domuit autem annis ferè ix. omnẽ Galliam quę inter alpes & flumen Rhodanum, Rhenum & Oceanum est, & circuitu patet ad bis & tricies centena millia passuum. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat: & eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit,

rios fecit. Galliæ autem tributi nomine annuum imperauit HS quadringenties: Germanósque trans Rhenum aggressus, immanissimis prælijs vicit. Inter tot successus ter malè pugnauit, apud Aruernos semel præsens, & absens in Germania bis. Nam legati eius duo, Titurius & Aruncaleius per insidias cæsi sunt. Circa eadem tempora anno vrbis conditæ DCXXIX. M. Licinius Crassus, collega Cn. Pompeij Magni, in consulatu secundo contra Parthos missus, & cum circa Carras contra omina & auspicia dimicasset, à Surena Orodis regis duce victus, ad postremum interfectus est, cum filio clarissimo & præstantissimo iuuene. Reliquiæ exercitus per C. Cassium quæstorem seruatæ sunt; qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, vt Persas, rediens trans Euphratem crebris prælijs vinceret. Hinc iam bellum ciuile successit execrandum & lacrymabile, quo præter calamitates quæ prælijs acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata est. Cæsar enim rediens è Gallia victor, cœpit poscere alterum consulatum: atque cum sine dubietate aliqua deferretur, contradictum est à Marcello Cos. à Bibulo, à Pompeio, à Catone, iussúsque, dimissis exercitibus, ad vrbem redire, propter quam iniuriam ab Arimino, vbi milites congregatos habebat, aduersum patriam cum exercitu venit. Coss. cum Pompeio, senatusque omnis, atque vniuersa nobilitas ex vrbe fugit, & in Græciam transiuit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, contra Cæsarem bellum parauit. Cæsar vacuam vrbem ingressus dictatorem se fecit. inde Hispanias petiit. ibi Pompeij exercitus validissimos & fortissimos, cum tribus ducibus L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, superauit. Inde regressus in Græciam transijt: aduersum Pompeium dimicauit. Primo prælio victus, & fugatus: euasit tamen, quia nocte interueniente, Pompeius sequi noluit. Dixitque Cæsar, *Nec Pompeium scire vincere, & illo tantum die se potuisse superari.* Deinde in Thessalia apud Pharsaliam productis vtrinque ingentibus copijs, dimicauerunt. Pompeij acies habuit XL. millia peditum, equitum in sinistro cornu VII. millia, in dextero D. præterea totius Orientis auxilia, totámque nobilitatem, innumeros senatores, prætorios, consulares, & qui magnorum iam populorum victores fuissent. Cæsar in acie sua habuit peditum non integra XXX. millia, equites mille, Nunquam adhuc Romanæ copiæ neque maiores neque melioribus ducibus conuenerant, totum terrarum orbem facile subacturæ, si contra Barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione. victusque ad postremum Pompeius, & castra eius direpta sunt: ipse fugatus Alexandriam petiit, vt à rege Ægypti, cui tutor à Senatu datus fuerat propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quàm amicitiam secutus, occidit Pompeium. caput eius & annulum Cæsari misit: quo conspecto, Cæsar lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam sui. Mox Cæsar Alexandriam venit. ipsi quoque Ptolemæus parare voluit insidias. Qua caussa bellum illatum est: Victus in Nilo periit, inuentumque est corpus eius cum lorica aurea. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, Ptolemæi sorori: cum qua consuetudinem stupri habuerat, quæ postea regio comitatu vrbem ingressa est. Rediens inde Cæsar Pharnacem Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas populi Romani prouincias occupantem, peruicit: postea ad mortem coegit. Inde Romam regressus tertiò se Cos. fecit cum M. Aemilio Lepido, qui & magister equitum dictatori ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, vbi infinita nobilitas cum Iuba Mauritaniæ rege bellum reparauerat. Duces autem Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani. Hic etiã socer Magni Pompeij fuerat. M. Petreius Q. Varro, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, Syllæ quondam dictatoris filius, Pompeij gener, à Cæsare interfectus est. Post annum Cæsar Romam ingressus, quartò se Cos. fecit, & statim ad Hispanias est profectus, vbi Pompeij filij Cn. & Sextus, ingens bellum reparauerant. Multa prælia fuerunt: vltimum prœlium apud Mundam ciuitatem, in quo adeò Cæsar penè victus est, vt fugientibus suis se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adolescentium natus annos LVI. veniret. denique reparatis suis vicit, & Pompeij filius maior occisus est, minor fugit. Inde Cæsar toto orbe bellis ciuilibus compositis, Romam rediit, agere insolentius cœpit, & contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cùm ergo & honores ex sua voluntate præstaret, qui à populo antea deferebãtur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliáque regia & penè tyrannica faceret, coniuratum est in eum à LX. vel amplius senatoribus, equitibúsque Romanis. Præcipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ cos. fuerat, & reges expulerat, C. Cassius, & Seruilius Casca. Ergo Cæsar cum Senatus die quadam inter cæteros venisset ad curiam, XXIII. vulneribus confossus est.

EVTROPII LIBER VII.

ANno vrbis DCC. ferè ac nono, interfecto Cæsare, bella ciuilia reparata sunt. Percussoribus enim Cæsaris senatus fauebat. Antonius cos. partium Cæsaris, ciuilib. bellis opprimere eos conabatur. Ergo turbata Repub. multa Antonius scelera committens, à senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum persequendum duo Coss. Pansa & Hircius, & Octauianus adolescens annos XVIII. natus, Cæsaris nepos, quem ille testamento hæredem reliquerat, & nomen suum ferre iusserat. Hic est qui postea Augustus est dictus, & rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eũ. euenit tamen, vt victores coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus vni Cæsari paruerũt. Fugatus Antonius amisso exercitu, confugit ad Lepidũ, qui Cæsari magister equitũ fuerat, & tũ copias militum grãdes habebat: à quo susceptus est. Mox Lepido operam dante, Cæsar pacem cum Antonio fecit, & quasi vindicaturus patris sui mortem, à quo per testamẽtũ fuerat adoptatus, Romam cũ exercitu profectus, extorsitq; vt sibi XX. annos cõsulatus daretur. Senatum proscripsit, cum Antonio ac Lepido, & Rẽp. armis tenere cœpit, per hos etiã Cicero orator occisus est, multiq; alij nobiles. interea Brutus & Cassius, interfectores Cæsaris, ingẽs bellum mouerunt. Erant enim per Macedoniam & orientem multi exercitus, quos occupauerant. Profecti sunt igitur contra eos, Cæsar Octauianus Augustus, & M. Antonius. Remanserat enim ad defendendã Italiam Lepidus. Apud Philippos Macedoniæ vrbẽ cõtra eos pugnauerũt. Primo prælio victi sunt Antonius & Cæsar: periit ta-

men dux nobilitatis Cassius. Secundò Brutum, & infinitam nobilitatem, quæ cum illis bellum gesserat, interfecerunt. Ac sic inter eos diuisa est Resp. vt Augustus Hispanias, Gallias, Italiam teneret. Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed in Italia L. Antonius cos. bellum ciuile commouit. Frater eius, qui cum Cæsare contra Brutũ & Cassium dimicauerat, is apud Perusium Tusciæ ciuitatem victus & captus est, neque occisus. Interim à Sex. Põpeio Cn. Põpeij Magni filio ingẽs bellum in Sicilia commotum est, his qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique, ad eum confluentibus. bellatũ per Cæsarem Aug. Octauianũ, & M. Antonium, aduersus Sex. Pompeium, pax postremo cõuenit. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rẽ prosperè gessit. & L. Ventidius Bassus irrumpentes in Syriam Persas, tribus prælijs vicit. Parthorũ regis Orodis filium interfecit eo ipso die, quo olim Orodes Persarum rex per ducem Surenam Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum egit. Interim Pompeius pacem rupit, & nauali prælio victus, fugiens ad Asiam interfectus est. Antonius, qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Augusti Octauiani, Cleopatram reginam Aegypti duxit vxorẽ. Contra Persas ipse etiam pugnauit: primis eos prælijs vicit: regrediens tamen, fame & pestilentia laborauit. Et cum instarent Parthi fugiẽti, ipse pro victore cessit. Hic quoque ingens bellum ciuile commouit, cogente vxore Cleopatra, regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in vrbe regnare. Victus est ab Augusto nauali pugna clara & illustri, apud Actium, qui locus in Epiro est, ex qua fugit in Aegyptum: & desperatis rebus, omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit: Cleopatra aspidẽ admisit, & veneno eius extincta est. Aegyptus per Octauianũ Augustum imperio Ro. adiecta est, præpositusque Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit. Ita bellis toto orbe confectis, Octauianus Augustus Romam redijt XII. anno postquam Cos. fuerat. Ex eo rempub. per XLIIII. annos solus obtinuit. Antè enim XII. annis cum Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius vsque ad finẽ LVI. anni fuere. Extinctus morte cõmuni in opido Campaniæ Atella. Romæ in campo Martio sepelitur. Vir, qui non immeritò ex maiori parte Deo similis est putatus, neque enim facilè vllus eo aut bello felicior fuit, aut in pace moderatior. Ciuilissimè vixit: in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus, quos tãtis euexit honoribus, vt penè æquaret fastigio suo. Nullo tẽpore ante eũ res Romana magis floruit. Nam exceptis ciuilibus bellis, in quibus inuictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, & Salassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas ciuitates. In his nobilissimas, Bosphorũ, & Pãticapæon. Vicit autem prælijs Daco, Germanorum ingentes copias cecidit, ipsos quoque trans Albim fluuium submouit, qui in Barbarico longe vltra Rhenum est. Hoc tamen per Drusum priuignum suum administrauit, sicut per Tiberium priuignũ alterũ, Pannonicum. Quo bello CCCC. millia captiuorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocauit. Armeniam à Parthis recepit: obsides, quod nulli antea, Persæ ei dederũt: etiam signa Romana, quæ Crasso victo ademerant. Scythæ, & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera, & legatos ad eos miserunt. Galatia quoque sub hoc prouincia facta est, cùm antea regnum fuisset, primusque eam M. Lollius pro prætore administrauit. Tanto autem amore apud Barbaros fuit, vt reges populi Romani amici in honorem eius conderent ciuitates, quas Cæsareas nominarent: sicut in Mauritania à rege Iuba, & in Palæstina, quę nunc vrbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt vt ei obsequerentur, & habitu Romano, togato scilicet ad vehiculum vel currum ipsius cucurrerunt. Moriens Diuus appellatus est. Rempub. beatissimam Tiberio successori reliquit, qui priuignus ei, mox gener postremò adoptione filius fuerat. Tiberius ingenti socordia imperium gessit, graui crudelitate & scelesta auaritia, turpi libidine. Nam nusquam ipse pugnauit. bella per legatos suos gessit. quosdam reges per blanditias euocatos nunquam remisit: in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatem appellari nomine suo iussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum Mazaca antea vocaretur. Hic tertio & vigesimo imperij anno ętatis LXXIX. ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania. Successit ei Caius Cæsar cognomento Caligula, Drusi priuigni Augusti, & ipsius Tiberij nepos, sceleratissimus ac funestissimus, & qui etiam Tiberij dedecora purgauerit. Bellum contra Germanos suscepit, & ingressus Sueuiam, nihil strenuè fecit. Stupra sororibus intulit: ex vna etiam natam filiam agnouit. Cum aduersum cunctos ingenti auaritia, libidine, crudelitate sæuiret, interfectus in palatio est anno ætatis suę XXIX. imperij III. mense X. dieque VIII. Post hunc Claudius fuit, patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Mogontiacum [illegible] monimentum habet, filius cuius & Caligula nepos erat, frater. Hic medię imperauit, multa [illegible] tranquillè, atque moderatè, quædam crudeliter atque insulsè. Britanię intulit bellum, quam nullus Romanorum post Iulium Cæsarem attigerat, eáque deuicta per Cn. Sentium, & A. Plautium illustres & nobiles viros, triumphum celebrem egit: quasdam insulas etiam vltra Britanniam in Oceano positas Romano imperio addidit, quæ appellantur Orcades. Filio autem suo Britannici nomen imposuit. Tam ciuilis autem circa quosdam amicos extitit, vt etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregiè fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium læuus incederet. Is vixit annos LXIIII. imperauit XIIII. post mortem consecratus est, Diuusque appellatus. Successit huic Nero nepos Caij Caligulæ auunculo suo simillimus: qui imperium Romanum & deformauit & diminuit, inusitatę luxuriæ, sumptuumque, vt qui exemplo Caij Caligulæ calidis & frigidis se lauaret vnguentis: retibus aureis piscaretur, quæ blatteis funibus extrahebat. Infinitam partem senatus interfecit. Bonis omnibus hostis fuit. Ad postremum se tanto dedecore prostituit, vt saltaret & cantaret in Scena citharœdico habitu & tragico. Parricidia multa commisit, fratre, vxore, matre interfectis. Vrbem Romam incendit, vt spectaculi eius imaginem cerneret, qua olim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus, Britanniã penè amisit. Nã duo sub hoc nobilissima

bilissima oppida capta illic, atque euersa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub iugum miserunt. Duæ tamen prouinciæ sub eo factæ sunt, Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, & Alpes Cotiæ, Cotio rege defuncto. per hæc Romano orbi execrabilis, ab omnibus simul destitutus, & à Senatu hostis iudicatus, quum quæreretur ad pœnam, (quæ pœna erat talis, vt nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, virgis vsque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo) è palatio fugit, & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam & Numentanam viam ad quartum vrbis miliarium, interfectus est. ædificauit Romæ thermas, quæ antè Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur. Obijt xxxii. ætatis anno, imperij xiiii. atque in eo omnis familia Augusti consumpta est. Huic Seruius Galba successit, antiquissimæ nobilitatis Senator, cum lxxiii. annum ageret ætatis, ab Hispanis & Gallis imperator electus, mox ab vniuerso exercitu libenter acceptus est. Nam priuata eius vita insignis fuerat militaribus & ciuilibus rebus. sæpe Cos. sæpe proconsul, frequenter dux in grauissimis bellis. Huius breue imperium fuit, & quod bona haberet exordia, nisi ad seueritatem propensior videretur. Insidijs tamen Othonis occisus est, imperij mense septimo: iugulatus in foro Romæ, sepultusque in hortis suis, qui sunt in Aurelia via, non longe ab vrbe Roma. Otho, occiso Galba, inuasit imperium, materno genere nobilior quam paterno, neutro tamen obscuro: in priuata vita mollis, & Neroni familiaris. in imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam cum iisdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset à Germanicianis exercitibus imperator, bello contra eum suscepto, cum apud Bebriacum in Italia breui prælio victus esset, complures tamen copias haberet, sponte semetipsum occidit. petentibus militibus ne tam citò de belli desperaret euentu, cum tanti se non esse dixisset, vt propter eum ciuile bellum oriretur, voluntaria morte obijt trigesimo & octauo ætatis anno, nonagesimo & quinto imperij die. Dein Vitellius imperio potitus est, familia honorata magis quàm nobili. Nā pater eius non admodum clarè natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic cum multo dedecore imperauit, & graui sæuitia notabilis, præcipuè ingluuie & voracitate. Quippe cum de die sæpe quarto vel quinto feratur epulatus, notissima certe cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua super cæteros sumptus duo millia piscium, septem auium millia apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet, atque id adeo præ se ferret, vt etiam exequias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret, à Vespasiani ducibus occisus est, interfecto prius Sabino Vespasiani Imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. Interfectus autē, & cum magno dedecore tractus per vrbem Romam publicè nudus, erecta coma, & capite subiecto ad mentum gladio, stercore in vultum, & pectus ab omnibus obuijs appetitus. Postremò iugulatus, & in Tyberim deiectus etiam communi caruit sepultura. Perijt autem ætatis anno septimo & quinquagesimo, imperij mense octauo, & die vno. Vespasianus huic successit, factus apud Palæstinam Imperator. princeps quidem obscu-

A rè natos, sed optimis comparandus, priuata vita illustris, vt qui à Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, tricies & bis cum hoste conflixerit, duas validissimas gentes, xx. oppida, insulam Vectam, Britanniæ proximam, imperio Romano adiecerit. Romæ se in imperio moderatissimè gessit, pecuniæ tamen auidior fuit, ita vt eā nullis iniustè auferret; quam cum omni diligentiæ prouisione colligeret, tamen studiosissimè largiebatur, præcipuè indigentibus. Nec facilè ante eum
B cuiusquam principis vel maior est liberalitas comperta, vel iustior. Placidissimæ lenitatis, vt qui maiestatis quoque contra se reos non facilè puniret vltra exilij pœnam. Sub hoc Iudæa Ro. accessit imperio, & Hierosolyma, quæ fuit vrbs clarissima Palæstinæ, Achaiam, Lyciam, Rhodū, Byzantium, Samum, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant, item Thraciam, Ciliciam, Thrachiā, & Commagenen, quæ sub regibus amicis erant, in pro-
C uinciarum formam redegit. Offensarum & inimicitiarum immemor fuit. Conuicia à causidicis & philosophis in se dicta leniter tulit. diligens tamē coercitor disciplinæ militaris. Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphauit. Per hæc cum Senatui, populo, & postremo cūctis amabilis ac iucundus esset, profluuio ventris extinctus est in villa propria, circa Sabinos, annum ætatis agens lxix. imperij nonum & diem septimum: atque inter diuos relatus est. Genituram filiorum ita cognitam habuit, vt cum multæ contra eum coniura-
D tiones fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in Senatu dixerit, aut filios sibi successuros, aut neminē. Huic Titus filius successit, qui & ipse Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo vt amor & Deliciæ humani generis diceretur. Facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Causas latinè, poemata & tragœdias græcè composuit. in oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, xii. propugnatores xii. sagittarum ictibus
E confixit. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio fuit, vt nullum omnino puniret. Conuictos aduersum se coniuratione ita dimisit, vt in eadem familiaritate, qua antea, haberet. Facilitatis tantæ fuit & liberalitatis, vt nulli quicquam negaret. & cum ab amicis reprehenderetur, respondit, *Nullum tristem debere ab imperatore discedere.* Præterea cùm quadam die in cœna recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam præstitisse, dixerit: *O amici hodie diem perdidi.* Hic Romæ amphitheatrum ædi-
F ficauit, & quinque millia ferarum in dedicatione eius occidit. Per hæc inusitato fauore dilectus, morbo perijt in ea, qua pater, villa, post biennium, & menses octo, dies xx. quam imperator erat factus, ætatis anno altero & xl. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, vt omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam & tantas ei mortuo gratias laudesque congessit, quantas nec viuo vnquam egerat, nec præsenti. in-
G ter diuos relatus est. Domitianus mox accepit imperium frater ipsius iunior, Neroni aut Caligulæ aut Tiberio similior, quam patri vel fratri suo. primis tamen annis moderatus in imperio fuit, mox ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, auaritiæ, tantum in se odiū concitauit, vt merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos è Senatu. Dominū & deū primus sibi appellari iussit. Nullam sibi nisi

auream & argenteam ſtatuam in Capitolio poni paſſus eſt. Conſobrinos ſuos interfecit. Superbia quoque in eo execrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit, vnam aduerſus Sarmatas, alteram aduerſus Cattos, duas aduerſum Dacos. De Dacis Cattiſque publicè quidem triumphum egit. De Sarmatis ſolam lauream vſurpauit. Multas quidem calamitates iiſdem bellis paſſus eſt. Nam in Sarmatia legio eius cum duce interfecta eſt, & à Dacis Ap. Sabinus conſularis, & Cornelius Fuſcus præf. præt. cũ magnis exercitibus occiſi ſunt. Romæ quoque multa opera fecit, in his Capitolium & Forum tranſitorium, Odeum, porticus, Iſium, ac Serapium & Stadium. Verùm cum ob ſcelera vniuerſis exoſus eſſe cepiſſet, interfectus eſt ſuorum coniuratione in palatio, anno ætatis xlv. imperij xv. Funus eius cum ingenti dedecore per veſpillones exportatũ, & ignobiliter ſepultũ.

EVTROPII LIBER VIII.

ANNO octingenteſimo & quinquageſimo ab v. c. Vetere & Valente coss. reſpub. ad proſperrimum ſtatum rediit, bonis principibus ingẽti felicitate cõmiſſa. Domitiano enim exitiali tyranno Nerua ſucceſſit, vir in priuata vita moderatus, & ſtrenuus, nobilitatis mediæ: qui ſenex admodum operam dante Petronio Secundo, præfecto præt. item Parthenio interfectore Domitiani, imperator factus, æquiſſimum ſe præbuit. Reipubl. diuina prouiſione conſuluit, Traianum adoptando. Mortuus eſt Romæ poſt annum & quatuor menſes imperij ſui, ac dies octo, ætatis ſeptuageſimo & altero, atque inter diuos relatus eſt. Succeſſit ei Vlpius Traianus Crinitus, natus Italicæ in Hiſpania, familia antiqua magis quam clara. Nam pater eius primum coſ. fuit. Imperator autem apud Agrippinam in Gallijs factus eſt. Remp. ita adminiſtrauit, vt omnibus principibus meritò præferatur: inuſitatæ ciuilitatis & fortitudinis fuit. Romani imperij, quod poſt Auguſtum defenſum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum, fines longè lateque diffudit. Vrbes trans Rhenum in Germania reparauit, Daciam Decibalo victo ſubegit, prouincia trans Danubium facta, in his agris quos nunc Taiphali tenent, & Victophali & Theruingi habent. Ea prouincia decies centena millia paſſuum in circuitu tenuit. Armeniam, quam occupauerant Parthi, recepit, Sarmato rege occiſo, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorum regem, & Sauromatarum, & Boſpheranorum, & Arabum, & Oſdroenorum, & Colchorum in fidem accepit. Adiabenos, Marchomedos occupauit, & Anthemuſium magnam Perſidis regionem, Seleuciam, & Cteſiphontem, Babylonem & Edeſſios vicit, ac tenuit vſque ad Indiæ fines, mare rubrum acceſſit, atque ibi tres prouincias fecit, Armeniã, Aſſyriam, Meſopotamiam, cum his gentibus quæ Madenam attingunt. Arabiam poſtea in prouinciæ formam redegit. In mari rubro claſſem inſtituit, vt per eam Indiæ fines vaſtaret. Gloriam tamen militarem ciuilitate & moderatione ſuperauit, Romæ & per prouincias æqualem ſe omnibus exhibens, amicos ſalutandi cauſa frequentans, vel ægrotantes, vel cum feſtos dies habuiſſent, conuiuia cum eis indiſcreta viciſſim habens, ſæpe in vehiculis eorum ſedens, nullum Senatorum lædens, nihil iniuſtum ad augendum fiſcum agens, liberalis in

A cunctos fuit, publicè priuatimque ditans omnes, & honoribus augens, quos mediocri tate cognouiſſet: orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens, nihil non tranquillè & placidum agens, adeo vt omni eius ætate vnus tantum ſenator damnatus ſit. at is tamen per ſenatum ignorante Traiano: ob hoc per orbem terrarũ Deo proximus, nihil non venerationis meruit & viuus & mortuus. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium: amicis enim culpantibus quod

B nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit: *Talem ſe imperatorem eſſe priuatis, quales eſſe ſibi imperatores priuatus optaſſet.* Poſt ingentẽ igitur gloriam belli domique quæſitam, è Perſide rediens, apud Seleuciã Iſauriæ profluuio ventris extinctus eſt. Obijt autẽ ætatis anno lxiii. menſe ix. & die quarto, inter diuos relatus eſt. Solus omniũ intra vrbẽ ſepultus eſt. Oſſa eius collata in vrnam aureã, in foro, quod ædificauit, ſub columna ſita ſunt: cuius altitudo cxl. pedes habet. Huius tantũ memoriæ delatum eſt, vt vſque ad noſtram ætatem non

C aliud in Senatu principibus acclametur, *Niſi felicior Auguſto, melior Traiano.* Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, vt vel aſſentantibus occaſionẽ magnificentiſſimi præſtet exempli. Defuncto Traiano, Ælius Adrianus creatus eſt princeps, ſine aliqua quidem voluntate Traiani, ſed operam dante Plotina Traiani vxore. Nam eum Traianus, quanquam conſobrinæ filium, viuens noluerat adoptare. Natus & ipſe Italicæ in Hiſpania, qui Traiani

D gloriæ inuidens, ſtatim prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, id eſt, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniam. Reuocauit exercitus, ac finem imperij eſſe voluit Euphratem. Idẽ de Dacia facere conatum, amici deterruerunt, ne multi ciues Romani Barbaris traderentur, propterea quod Traianus victa Dacia, ex toto orbe Romanorum infinitas eò copias hominum tranſtulerat, ad agros & vrbes colẽdas. Dacia enim diuturno bello Decibali viris fuerat exhauſta: pacem tamen omni imperij ſui tempore habuit. Semel tã-

E tum per præſidem dimicauit: orbem Romanum circuiuit, & multa ędificauit. Facũdiſſimus Latino ſermone, Græco eruditiſsimus fuit. Non magnam clementiæ gloriam habuit, diligentiſſimus tamen circa ærarium, & militum diſciplinam. Obijt in Cãpania, maior ſexagenario, imperij anno xxi. mẽſe x. die xxix. Senat⁹ ei tribuere noluit diuinos honores: tamen cum ſucceſſor ipſius T. Aurelius Fuluius Antoninus hoc vehementer exige-

F ret, & vniuerſi ſenatores palam reſiſterent, tandem obtinuit. Ergo Adriano ſucceſſit T. Antoninus Fuluius Boionius, idem etiam Pius nominatus, genere claro, ſed non admodum vetere. Vir inſignis, & qui meritò Numæ Pompilio comparatur. ita vt Romulo & Traiano æquetur. Vir ingenti honeſtate priuatus: maiori, in imperio. Nulli acerbus, cunctis benignus. In re militari moderata gloria, defendere magis prouincias quàm amplificare ſtudens. Viros iuſtiſſimos ad admini-

G ſtrandam rempublicam quærens, [illegible] habens, improbos ſine ali[illegible] ſtans. Regibus amicis ven[illegible] quàm terribilis: adeo vt Barbarorum [illegible]tiones depoſitis armis ad [illegible] liteſque deferrent, [illegible]t. Hic ante imperiũ [illegible] ſtipendijs militum, & circa amicos liberalitatibus minuit⁹ verum ærarium [illegible] reliquit. Pius propter clemen-

pter clementiam dictus est. Obiit apud Lorium villam suam miliario ab vrbe XII. vitæ anno septuagesimo octauo, imperij vigesimo quarto, atq. inter Deos relatus est, & meritò consecratus. Post hunc imperauit M. Antoninus Verus, haud dubiè nobilissimus, quippe cùm eius origo paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege penderet: cum eo L. Annius Antoninus Verus. Túmque primũ Romana resp. duobus æquo iure imperium administrantibus paruit, cum vsque ad eam singulos semper habuisset Augustos. Hi & genere inter se coniuncti fuerunt, & affinitate. Nã Verus Annius Antoninus, M. Antonini filiam in matrimonium habuit. Mar. autem Antoninus gener Antonini Pij fuit per vxorem Valeriam Faustinam iuniorem consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt, qui post victoriam Traiani tum primum rebellauerant. Verus Antoninus ad id profectus est, qui Antiochiæ & circa Armeniam agens multa per duces & ingentia patrauit. Seleuciam Assyriæ vrbem nobilissimam cum quingentis millibus hominum cepit. Parthicum triumphum reuexit: cum fratre, eodémq, socero triumphauit. Obiit tamen in Venetia, cum à Concordia ciuitate Altinum proficisceretur, & cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus casu morbi, quem Græci ἀποπληξίαν vocant. Vir ingenij parum ciuilis, reuerentia tamen fratris nihil vnquam atrox ausus. Cum obiisset vndecimo imperij anno, inter deos relatus est. Post eum M. Antoninus solus rẽ pub. tenuit: quem mirari facilius quis, quam laudare possit. à principio vitæ tranquillissimus, adeo vt in infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret. Philosophiæ deditus Stoicæ. Ipse etiam non solum vitæ moribus, sed etiam eruditione philosophus. Tantæ admirationis adhuc iuuenis, vt eum successorem parauerit Adrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pium generum esse ei idcirco voluerit, vt hoc ordine ad imperiũ perueniret. Institutus est ad philosophiã per Apollonium Chalcedonium. Ad scientiam literarum Græcarum per Sex. Cheronensem Plutarchi nepotem. Latinas autẽ literas eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo iure egit. Ad nullam insolentiam elatus est imperij fastigio, liberalitatis prõptissimæ, prouincias ingenti benignitate, & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestæ sunt. Bellum ipse vnum gessit Marcomannicum, sed quãtum nulla memoria fuit, adeo vt Punicis conferatur: nam eo grauius est factum, quod vniuersi exercitus perierant. Sub hoc enim tantus casus pestilentiæ fuit, vt post victoriam Persicam Romæ ac per Italiam prouinciásq. maxima hominum pars, militum omnes ferè copiæ languore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatione cum apud Carnútum iugi triennio perseuerasset, bellum Marcomannicũ confecit, quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ Sueui, atque omnis barbaria commouerat. multa hominũ millia interfecit, ac Pannoniis seruitio liberatis Romæ rursus cum Cómodo Antonino filio suo, quẽ iam Cæsarem fecerat, triumphauit. Ad huius belli vsus ærario exhausto cum largitiones nullas haberet, neque indicere prouincialibus aut senatui aliquid vellet, instrumenta regij cultus, facta in foro diui Traiani sectione distraxit, vasa aurea, pocula cristallina, & murrhina, vxoriam ac suam

A sericam ac auream vestem, multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, quid reddere comparata voluerunt. Molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hic permisit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu, quo ipse & ministris similibus exhiberent. In editione munerum post victoriam adeo magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuisse tradatur. B Cum igitur fortunatam rempub. & virtute & mansuetudine reddidisset, obiit XVIII. imperij anno, vitæ LXI. & omnibus certatim adnitentibus inter deos relatus est. Huius successor L. Antoninus Commodus, nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter & ipse pugnauit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, vt Commodus diceretur: sed luxuria & obscœnitate deprauatus gladiatoriis armis sæpissimè in ludo, deinde etiam in amphitheatro C cũ huiusmodi hominibus sæpe dimicauit. Obiit morte subita, adeo vt strangulatus, vel veneno interfectus putaretur, cùm annis XII. post patrem & octo mensibus imperasset, tanta execratione omnium, vt hostis humani generis etiam mortuus iudicaretur. Huic successit Pertinax grandæuus, iam, vt qui septuagenariam attigisset ætatem, præfecturam vrbis tum agens, ex S. C. imperare iussus, octogesimo imperij die prætorianorũ militum seditione, & Iuliani scelere occisus. Post eum D Saluius Iulianus rempub. inuasit, vir nobilis, & iuris peritissimus, nepos Saluij Iuliani qui sub diuo Adriano perpetuum composuit edictum. Victus est à Seuero apud Miluiũ pontem, interfectus in palatio. Vixit mensibus septem, postquam cœperat imperare. Hic imperij Romani administrationem Septimius Seuerus accepit, oriundus ex Africa prouincia Tripolitana, oppido Lepti solus omni memoria & ante & postea ex Africa imperator fuit. Hic primum fisci aduocatus, mox E militaris tribunus, per multa deinde ac varia officia atque honores vsque ad administrationem totius reipub. peruenit. Pertinacem se appellari voluit, in honorem eius Pertinacis, qui à Iuliano fuit occisus. Parcus admodum fuit, natura sæuus, bella multa & feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria rebellauerat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit, & Arabas interiores, & Adiabenos. Arabas quoque superauit, vt etiam prouinciam ibi faceret. Idcirco Parthicus, F Arabicus, & Adiabenicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparauit. Sub eo etiam Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Iuliano: Cæsarem se in Gallia fecit, victusque apud Lugdunum, est interfectus. Seuerus autem præter bellicam gloriam etiam ciuilibus studiis clarus fuit, & literis doctus, philosophiæ scientiam ad plenum adeptus. nouissimum bellum in Britannia habuit: vtq. receptas prouincias omni securitate muniret, vallum per XXXV. passuum G millia à mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperij anno XVI. mense IIII. & Diuus appellatus est. Nam filios duos successores reliquit, Bassianum, & Getã. Sed Bassiano Antonini nomen Senatus voluit imponi. Itaq. dictus est M. Aurelius Antoninus Bassianus, patriq. successit. Nam Geta hostis publicus iudicatus, cõfestim periit. M. igitur Aurelius Antoninus Bassianus, idémque Caracalla, morum ferè paternorum

Te

fuit: paulo asperior, & minax. Opus Romæ egregium fecit lauacri, quæ Antoniæ appellantur. Nihil præterea memorabile. Impatiens libidinis, vt qui nouercam suam Iuliam vxorem duxerit. Defunctus est in Osdroene apud Edessam, moliens aduersum Parthos expeditionem, imperij anno VI. mense secundo: vix egressus ætatis XLIII. annum, funere publico elatus est. Opilius deinde Macrinus, qui Præfectus prętorio erat cum filio Diadumeno facti imperatores, nihil memorabile ex temporis breuitate gesserunt. Nã imperium eorum, duorum mensium & vnius anni fuit: seditione militari ambo pariter occisi sũt. Creatus est post hos M. Aurelius Antoninus. Hic Antonini Caracallæ filius putabatur. Sacerdos autem Heliogabali templi erat. Is cum Romam & militum & senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminauit. Impudicissimè & obscœnissimè vixit, biénioque post & octo mensibus tumultu interfectus est militari, & cum eo mater Semiasyra. Successit huic Aurelius Alexander ab exercitu Cæsar, à Senatu Augustus nominatus, iuuenis admodum. Susceptoque aduersus Persas bello, Xerxen Xerxenorum regem gloriosissimè vicit. Militarem disciplinam seuerissimè rexit. Quasdam tumultuarias legiones integras exauthorauit. Assessorem habuit vel scrinij magistrum Vlpianum iuris cõditorem. Romæ quoque fauorabilis fuit. Periit in Gallia militari tumultu XIII. imperij anno, & die octauo. In matrem suam Mammeam vnicè pius.

EVTROPII LIBER IX.

POst hunc Maximinus ex corpore militari primus ad imperium accessit, sola militum voluntate, cũ nulla Senatus intercessisset authoritas, neque ipse Senator esset. Is bello aduersus Germanos feliciter gesto, cùm à militibus esset imperator appellatus, à Pupieno Aquileiæ occisus est, deserentibus eum militibus suis, cum filio adhuc puero, cum quo imperauerat triennio & paucis diebus. Postea tres simul Augusti fuerunt, Pupienus, Balbinus, & Gordianus: duo superiores obscurissimo genere, Gordianus nobilis, quippe cuius frater senior Gordianus consensu militum cum Proconsulatum Africæ gereret, Maximino imperante princeps electus. Itaque cum Romam venissent Balbinus & Pupienus, in palatio interfecti sunt, soli Gordiano imperio reseruato. Gordianus admodum puer, cùm Tranquillam Romæ duxisset vxorem, Ianum geminum aperuit, & ad orientem profectus Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, præliisque ingentibus Persas afflixit. Rediens haud longè à Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperauit. Miles ei tumulum vigesimo miliario à Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, ædificauit, exequias Romam reuexit, ipsũm Diuum appellauit. Philippi duo, filius, ac pater, Gordiano occiso, imperium inuaserunt, atque exercitu incolumi reducto, ad Italiam è Sytia profecti sunt. His imperantibus millesimus annus Romæ vrbis ingenti ludorum apparatu spectaculorúmque celebratus est. Ambo inde ab exercitu interfecti sunt, senior Philippus Veronæ, Romæ iunior. Annis quinque imperauerũt, inter diuos tamen relati sunt. Post hos

A Decius è Pannonia inferiori Bubaliæ natus, imperium sumpsit, bellũ ciuile, quo in Gallia motũ fuerat, oppressit. filium suum Cæsarem fecit. Romæ lauacrum ædificauit. Cùm biennio ipse & filius eius imperassent, vterq; in barbarico interfecti sunt. Senior meruit inter Diuos referri. Mox imperatores creati sunt Gallus Hostilianus, & Galli filius Volusianus. Sub his Æmilianus in Mœsia res nouas molitus est: ad quem opprimendum
B cùm ambo profecti essent, Interamnæ interfecti sunt, nõ cõpleto biennio. Nihil omnino clarũ gesserũt. Sola pestilentia, & morbis, atq; ægritudinib. notus eorum principatus fuit. Æmilianus obscurissimè natus, obscuriùs imperauit: ac tertio mense extinctus est. Hinc Licinius Valerianus in Rhetia & Norico agens, ab exercitu imperator, & mox Augustus est factus. Galienus quoque Romæ à Senatu Cæsar est appellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum & penè exi-
C tiabile fuit, ita vt vel infelicitate principum vel ignauia, Germani Rauénam vsq; venirẽt. Valerianus in Mesopotamia bellũ gerens, à Sapore Persarum rege superatus est. Mox etiam captus apud Parthos ignobili seruitute consenuit. Nam quamdiu vixit, rex eiusdem prouinciæ, incuruato eo, pedem eius ceruicibus imponens, solitus erat equum conscendere. Galienus cum adolescens factus esset Augustus, imperium primum feliciter, mox commodè, ad vltimum perniciosè gessit.
D Nam iuuenis in Gallia & Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursiam Ingenuo, qui purpuram sumpserat, & Trebelliano. Diu placidus & quietus, mòx in omnes lasciuiam dissolutus, tenendæ reipublicæ habenas probrosa ignauia & desperatione laxauit: Alemanni vastatis Galliis in Italiam penetrauerunt. Dacia, quæ à Traiano vltra Danubium fuerat adiecta, amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia vastata per Gotthos. Pannonia à Sarmatis Quadisque populata est. Germa-
E ni vsque ad Hispanias penetrauerunt, & ciuitatem nobilem Tarraconẽ expugnauerũt. Parthi, Mesopotamia occupata, Syriã sibi cœperunt vindicare: tum iam desperatis rebus, & deleto penè imperio Romano, Posthumius in Gallia obscurissimè natus, purpuram sumpsit, & per annos decem ita imperauit, vt consumptas penè prouincias ingẽti virtute & moderatione reparauerit: qui seditione militum interfectus est, quòd Moguntiacũ, quæ aduersum eũ rebellauerat, Lolliano res no-
F uas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. Post eũ Marius, vtilissimus opifex, purpuram sumpsit, & secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus: sed cum nimiæ libidinis esset, & matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ occisus est, Acturio quodã machinante dolum, imperij sui anno secundo. Huic successit Tetricus Senator, qui Aquitaniam honore præsidis administrans, absens à militibus imperator electus est, &
G apud Burdegalam purpuram sumpsit, seditiones multas militum pertulit. Sed cum hæc in Gallia agerentur, in Oriente per Odenatum Persæ victi sunt: defensa Syria, recepta Mesopotamia, vsq; ad Ctesiphontem Odenatus penetrauit. Ita Galieno rempub. deserente, Romanũ imperium in Occidẽte per Posthumium, per Odenatum in Oriente seruatum est. Galienus interea fraude Aureoli ducis sui Mediolani cũ fratre Valeriano occisus est, imperij anno nono. Claudiusque successit, à

militi-

militibus electus, à Senatu appellatus Augustus. A Hic Gotthos, Illyricum, Macedoniámque vastantes, ingenti prælio vicit. Parcus vir, ac modestus, & iusti tenax, & reipub. gerendæ idoneus: qui tamen intra biennium morbo periit, & Diuus appellatus est. Senatus ingenti eũ honore decorauit, scilicet vt in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur. Quintilius post eum Claudij frater consensu militum imperator electus est. Vir vnicæ moderationis & ciuilitatis, B æquandus fratri, vel præponendus consensu Senatus appellatus Augustus, septimodecimo die imperij occisus est. Post eum Aurelianus suscepit imperium, Dacia Ripensi oriundus, vir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propensior. Is quoque Gotthos strenuissimè vicit. Romanam ditionem ad fines pristinos varia bellorum felicitate reuocauit. Superauit in Gallia Tetricum, qui à militibus imperator electus apud C Catalaunios, ipso Tetrico prodente exercitum suũ, cuius assiduas seditiones ferre non poterat. Quinetiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, vt inter alia versũ Virgiliano vteretur: *Eripe me his inuicte malis.* Zenobiam quoque occiso marito Odenato, qui Orientem tenebat, haud longè ab Antiochia non sine graui prælio cepit. Ingressúsque Romam nobilem triumphum quasi receptor Orientis Occidentisque egit, curru suo, præcedentibus Tetrico & Zenobia: qui quidem D Tetricus etiam corrector Lucaniæ postea fuit: ac priuatus diutissimè vixit. Zenobia autem posteros, qui adhuc manent Romæ, reliquit. Hoc imperante etiam monetarij in vrbe rebellarunt, vitiatis pecuniis, & Felicissimo rationali interfecto: quos Aurelianus victos vltima crudelitate compescuit: plurimos nobiles capite damnauit. Sæuus ac sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam quàm in vllo amabilis imperator. Trux omni tempore, etiam filij sororis interfector: disciplinæ tamen mi- E litaris & morum dissolutorum magna ex parte corrector, vrbem Romam muris firmioribus cinxit. Templum Soli ædificauit; in quo infinitum auri gemmarumque constituit. Prouinciam Daciam, quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermisit, vastato omni Illyrico, & in Mœsia collocauit: & est in dextera Danubio in mare fluẽti, cùm antea fuerit in læua. Occiditur serui sui fraude, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius, nomina pertulit annotata falsò manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere. Itaque vt præueniretur, ab iisdem interfectus est in F itineris medio, quod inter Constantinopolim & Heracleam est, stratæ veteris locus Cenophurium appellatur. Mors tamen eius multa non fuit. meruit quoque inter Diuos referri. Imperauit annos v. menses vi. Tacitus post hũc suscepit imperium, vir egregiè morigeratus, & Reipub. gerendæ idoneus. Nihil tamen clarum potuit ostendere, intra vi. mensem imperij morte præuentus. Florianus, qui Tacito successerat, duobus mensibus & diebus xx. in imperio fuit, neque quicquam dignum me- G moria egit. Post hunc Probus, vir illustris gloria militari ad administrationem reipu. accessit. Gallias à barbaris occupatas ingenti præliorum felicitate restituit. Quosdam imperium vsurpare conatos, scilicet Saturninum in Oriente, Proculum, & Bonosum Agrippinæ certaminibus oppressit. Vineas Gallos & Pannonios habere permisit. Opere militari Almum montem apud Syrmium, & Aureum apud Mœsiam superiorem vineis conseuit, & prouincialibus colendas dedit. Hic cùm bella innumera gessisset, pace parta, dixit, *Breui milites necessarios non futuros.* Vir acer, ac strenuus, iustus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum tamen ciuilitate superaret. Interfectus autem est Syrmio tumultu militari in turre ferrata. Imperauit annos vi. menses quatuor. Post hunc Carus est factus Augustus, Narbonæ natus in Gallia. Is confestim Carinum & Numerianum filios Cæsares fecit, cum quibus regnauit duobus annis. Sed dum bellum aduersum Sarmatas gerit, nuntiato Persarum tumultu, ad Orientem profectus res contra Persas nobiles gessit. ipsos prælio fudit. Cochen & Ctesiphontem vrbes nobilissimas cepit. Et cum castra supra Tigridem haberet, ictu diuini fulminis periit. Numerianus quoque filius eius, quem secum ad Persas duxerat, adolescens egregiæ indolis, cum oculorum dolore correptus lecticula veheretur, impulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est: & cùm dolo occultaretur ipsius mors, fœtore cadaueris prodita est. Milites enim qui eum sequebãtur, fœtore commoti, diductis lecticulæ palliis, post aliquot dies mortem eius notam habere potuerunt. Interea Carinus, quem Cæsarem in Parthos proficiscens Carus in Illyrico, Gallia, Italia reliquerat, omnibus se sceleribus coinquinauit: plurimos innoxios fictis criminibus occidit: matrimonia nobilia corrupit. Condiscipulis quoque, qui eum in auditorio vel leui fatigatione taxauerant, perniciosus fuit: ob quæ omnibus bonis inuisus, non multo post pœnas dedit. Nam de Perside victor exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Cæsarem insidiis perdidisset, Diocletianũ imperatorem creauit, Dalmatia oriundum, virum obscurissimè natum, adeo vt à plerisque scribæ filius, à nonnullis Amullini senatoris libertinis fuisse credatur. Is prima militum concione iurauit, Numerianũ nullo dolo interfectum. Et cum iuxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus manu Diocletiani percussus est. Postea Carinum omni odio detestatione viuentem, apud Murgum ingenti prælio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat, certè desertum inter Viminacium, atque Aureum montem. ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, & factioni suæ Bacaudarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandum & Aelianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium Cæsarem misit: qui leuibus præliis agrestes domuit, & partem Galliæ reformauit. Post hæc tempora etiam Carausius, qui vilissimè natus, in strenuæ militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis, nec præda integra, aut prouincialibus reddita, aut imperatoribus missa, cum suspicio esse cœpisset consultò ab eo admitti barbaros, vt transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret, à Maximiano iussus occidi purpuram sumpsit, & Britannias occupauit. Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatæ essent, & Carausius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Aegypto, Africam Quinquegentiani infestarent, Orienti Narseus bellum inferret, Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum, constan-

stantium & Maximianum Cæsares. Quorum Constantius per filiam nepos Claudij traditur. Maximianus Galerius in Dacia haud longè à Sardica natus: atque vt eos affinitate coniungeret, Constantius priuignam Herculij Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit. Galerius filiam Diocletiani Valeriam, ambo vxores, quas habuerant, repudiare compulsi. Cum Carausio tamen, cum bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax conuenit. Eum post septennium Allectus socius eius occidit, atque ipse post eum Britannias triennio tenuit. Qui ductu Asclepiodoti præfecti prætorio est oppressus. Ita Britannia decimo anno recepta est. Per idem tempus à Constantio Cæsare in Gallia pugnatum est circa Lingones: die vna aduersam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repentè barbaris ingruentibus intra ciuitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate, vt clausis portis per murum funibus tolleretur, vix quinq; horis mediis aduentante exercitu sexaginta ferè millia Alemannorum cecidit. Maximianus quoque Augustus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexandriæ Achilleum octauo ferè mense superauit, eumque interfecit. Victoria acerbè vsus est, totam Ægyptũ grauibus proscriptionibus cædibusque fœdauit. Ea tamen occasione ordinauit prouidè multa, & disposuit, quæ ad nostram ætatem manent. Galerius Maximianus primum aduersus Narseum prælium, & secundum habuit, inter Callinicum Carrasque congressus, cum inconsultè magis quàm ignauè dimicasset. admodum enim parna manu cum copiosissimo hoste commisit. Pulsus igitur, & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia fertur à Diocletiano exceptus, vt per aliquod passuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse. Mox tamen per Illyricum Mœsiamque contractis copiis rursus cum Narseo Ormidæ & Saporis auo, in Armenia maiori, pugnauit successu ingenti, nec minore consilio simul & fortitudine: quippe qui etiam speculatoris munus cum altero aut tertio equite susceperit. Pulso Narseo castra eius diripuit, vxores, sorores, liberos cepit: infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam, ipsum in vltimas regionis solitudines egit. Quare à Diocletiano in Mesopotamia tum morante ouans regressus, ingenti honore susceptus est. Varia deinceps simul & viritim bella gesserunt, Carpis & Basternis subactis; Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Diocletianus moratus calliedè fuit, sagax præterea, & admodum subtilis ingenio, & qui seueritatem suam aliena inuidia vellet explere. Diligentissimus tamen, & solertissimus princeps, & qui imperio Romano primus Regiæ consuetudinis formam magis quàm Romanæ libertatis inuexit: adorarique se iussit, cùm ante eum cuncti salutarentur. ornamenta gemmarum vestibus calceamentisque indidit. Nam prius imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliqua communia. Herculius autem propalàm ferus, & incinilis ingenij, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic naturæ suæ indulgens, Diocletiano in omnibus est sanioribus consiliis obsecutus. Cum autem ingrauescente æuo parum se idoneum

A Diocletianus moderando imperio esse sentiret, author Herculio fuit, vt in vitam priuatam concederent, & stationem tuendæ reipub. viridioribus iunioribusque mandarent. cui ægrè collega obtemperauit. Tamen vterque vno die priuato habitu imperij insigne mutauit. Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant pom. a ferculorum illustri, qua & rlei coniuges & liberi ante currum eorum ducti sunt. Concesserunt tum Salonas vnus, alter in Lucaniam. Diocletianus priuatus in villa, quæ haud procul à Salonis est præclaro otio senuit: inusitata virtute vsus, vt solus omnium post conditum Romanum imperium ex tanto fastigio sponte ad priuatæ vitæ statum ciuilitatemque remearet. Contigit igitur ei quod nulli post natos homines, vt cum priuatus obiisset, inter Diuos tamen referretur.

C EVTROPII LIBER X.

His igitur abeuntibus, in administrationem reip. Constantius & Galerius Augusti creati sunt, diuisusque inter eos Romanos orbis, vt Galliam, Italiam, Africam Constantius: Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, sumptis duobus Cæsaribus. Constantius tamen contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrandæ solicitudinem recusauit. Vir egregius & D præstantissimæ ciuilitatis, diuitiis prouincialium ac priuatorum studens, fisci commoda non admodum affectans, dicensque: *melius publicas opes à priuatis haberi, quam intra vnum claustrum reseruari.* Adeo autem cultus modici, vt festis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, priuatorum ei argento ostiatim petito triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit, præcipuè quod Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani sanguinariam temeritatem imperio eius euaserat. Obiit E in Britannia Eboraci principatus anno XIII. atque inter diuos relatus est. Galerius vir & probè moratus, & egregius in re militari, cum Italiam quoque sinente Constantio administrationi suæ accessisse sentiret, Cæsares duos creauit. Verùm Constantio mortuo, Constantinus ex obscuriori matrimonio eius filius in Britannia creatus est imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romæ interea prætorianis excitato tumultu Maxentium Herculij filium, qui haud F procul ab vrbe in via publica morabatur, Augustum nuncupauerunt: quo nuntio Maximianus Herculius ad spē erectus resumendi fastigij quod inuitus amiserat, Romam aduolauit à Lucania, quam sedem priuatus elegerat, in agris amœnissimis consenescens. Diocletianumque etiam per literas adhortatus est, vt depositam resumeret potestatem, quas ille irritas habuit. Sed aduersum motum prætorianorum atque Maxentij Seuerus Cæsar Romam missus à Gallerio cum exercitu venit: obsidénsque vrbem, militum suorum G scelere desertus est. Auctæ Maxentij opes, confirmatúmque imperium. Seuerus fugiens Rauennæ interfectus est. Herculius tamen Maximianus post hæc in concione exercitus, filium Maxentium denudare conatus, seditionem & conuitia militum tulit. Inde ad Gallias profectus est, dolo composito, tanquam à filio esset expulsus,

vt Con-

vt Constantino genero iungerentur. Moliens tamen Constantinum reperta occasione interficere, qui in Galliis & militum & prouincialium ingenti iam fauore regnabat, cæsis Francis, atque Alemannis, captisque eorum regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit. Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quæ dolum viro enunciauerat, profugit Herculius Massiliam, ibique oppressus (ex ea etenim nauigare ad filium præparabat) pœnas dedit iustissimo exitu. vir ad omnem asperitatem sæuitiámq. procliuus, infidus, incõmodus, ciuilitatis penitus expers. Per hoc tẽpus Licinius à Galerio imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua cõsuetudine, & in bello, quod aduersum Narseum gesserat, strenuis laboribus, & officiis acceptus. Mors Galerij confestim secuta est. Respub. tum ab his quatuor imperatoribus tenebatur, Constantino & Maxentio, filiis Augustorum, Licinio & Maximiano nouis hominibus. Quinto tamen Constantinus imperij sui anno bellum aduersum Maxentium ciuile commouit. Copias eius multis præliis fudit. Ipsum postremò Romæ aduersus nobiles omnibus exitiis sæuientem apud pontem Miluium vicit, Italiâque est potitus. Non multò post deinceps in oriente quoque aduersus Licinium Maximinus res nouas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte præuenit. Constantinus tamen vir magnus, & omnia efficere nitens, quæ animo præparasset, simul principatus totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quamuis necessitudo illi & affinitas cum eo esset. Nam soror eius Constantia nupta Licinio erat. Ac primo eum in Pannonia, secundo ingenti apparatu bellum apud Cybalas instruentem repentinus oppressit, omnique Dardania, Mœsia, Macedonia potitus, numerosas prouinciis occupauit. Varia deinceps inter eos bella, & pax reconciliata, ruptáque est. Postremo Licinius nauali & terrestri prælio victus, apud Nicomediam se dedidit, & contra religionem sacramenti Thessalonicæ priuatus occisus est. Eo tempore res Romana sub vno Augusto, & tribus Cæsaribus (quod nunquam aliàs, fuit cum liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæque præessent. Verum insolentia rerum secundarum aliquantulum Constantinum ex illa fauorabilis animi docilitate mutauit, primum necessitudines persecutus, egregium virum, & sororis filium commodæ indolis iuuenem interfecit, mox vxorem, post numerosos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, vltimo mediis comparandus. Innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt. Militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bello prospera fuit, verùm ita, vt non superaret industriam. Nam etiam Gotthos post ciuile bellum variè profligauit, pace his ad postremum data: ingentémque apud Barbaras gentes memoriam gratiæ collocauit. Ciuilibus artibus & liberalibus studiis deditus, affectator iustitiæ & amoris, quæ omnino sibi & liberalitate & docilitate quæsiuit. Sicut in nonnullos amicos dubius: ita in reliquos egregius, nihil occasionum prætermittens, quo opulentiores eos clarioresque præstaret. Multas leges rogauit, quasdam ex bono & æquo, plurésque superfluas, nonnullas seueras. Primusque vrbem nominis sui ad tãtum fastigium euehere molitus est, vt Romæ æmulam faceret. Bellum aduersus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, vno & trigesimo an-

A no imperij ætatis sexto & sexagesimo Nicomediæ in villa publica obiit. Denunciata mors eius etiam per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquandiu fulsit, eam Græci [illegible] vocant atque inter Diuos meruit referri. Successores filios tres reliquit, atque vnum fratris filium. Verùm Dalmatius Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multò pòst oppressus est factione militari, & Constantio patruele suo sinente potius quàm iubente. Constãtinum porrò bellum fratri inferentem, & apud Aquileiam inconsultius prælium aggressum Constantis duces interemerunt. ita resp. ad duos Augustos redacta est. Constantis imperium strenuum aliquamdiu, & iustum fuit. Mox cum & valetudine improspera, & amicis prauioribus vteretur: ad grauia vitia conuersus, cum intolerabilis prouincialibus, militibus iniucundus esset factione Magnentij occisus est. Obiit haud longè ab Hispaniis, in castro cui Helenæ nomen est, anno imperij decimo septimo, ætatis trigesimo, rebus tamen plurimis strenuè in militia gestis, exercituique per omnem vitam & tempus sine graui crudelitate terribilis. Diuersa Constantij fortuna fuit. à Persis enim multa & grauia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis vrbibus, cæsis exercitibus nullumque ei contra Saporem prosperum prælium fuit, nisi quòd apud Singaram haud dubiam victoriam ferocia militum amisit, qui pugnam seditiosè & stolidè contra rationem belli die iam præcipiti poposcerunt. Post Constantis necem Magnentio Italiam, Africam, Gallias obtinente, etiam Illyricum res nouas habuit, Veteranione ad imperium consensu militum electo, quem grandæuum iam, & cunctis amabilem diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum principem creauerunt, virum probum, & morum veterum, ac iucundę ciuilitatis, sed omnium liberalium artium expertem, adeo vt ne elementa quidem primarum literarum, nisi grandæuus & iam imperator acceperit. Sed à Constantio, qui ad vltionem fraternæ necis bellum ciuile commouerat, abrogatum est Veteranioni imperium, qui nouo inusitatoque more consensu militum deponere insigne compulsus est. Romæ quoque tumultus fuit, Nepotiano Constantini sororis filio per gladiatoriam manum imperium vendicante, qui sæuis exordiis dignum exitum nactus est. Vigesimo enim atque octauo die à Magnentianis ducibus oppressus, pœnas dedit; caputque eius pilo per vrbem circumlatum est: grauissimæ proscriptiones, & nobilium cædes fuerunt. Non multò pòst Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac penè captus. Ingentes Romani imperij vires ea dimicatione consumptæ sunt ad quælibet bella externa idoneæ, quæ multum triumphorum possent securitatisque conferre. Orienti mox à Constantio Cæsar est datus, patrui filius Gallus, Magnentiúsque diuersis præliis victus, vim vitæ suæ apud Lugdunum attulit, imperij anno III. mense septimo. Frater quoque eius Senonis, quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat. Per hæc tempora etiam à Constantio multis inciuilibus gestis Gallus Cæsar occisus est, vir natura ferox, & ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset. Syluanus quoque in Gallia res nouas molitus, ante diem trigesimum ipse extinctus est. Mox Iulianum Cæsarem ad Gallias misit patruelem suum, Galli fratrem tradita ei in matri-

monium furore: cùm multa oppida Barbari expugnassent, alia obsiderent, vbique fœda vastitas esset, Romanumq. imperium nõ dubia iam calamitate nutaret: à quo modicis copiis apud Argentoratum galliæ vrbem ingentes Alemannorum copiæ extinctæ sunt. Rex nobilissimus captus. galliæ restitutæ. Multa postea per eundem Iulianum egregia aduersum Barbaros gesta sunt. Submotique vltra Rhenum germani, & finibus suis Romanum imperium restitutum. Neque multo pòst cùm germanici iam exercitus à galliarum præsidio tollerentur, consensu militum Iulianus factus Augustus est. Interiectoque anno ad Illyricum obtinendum profectus est, Constantio Parthicis bellis occupato, quibus reb. cognitis ad bellum ciuile conuersus, in itinere obiit inter Ciliciam Cappadociámque, anno imperij octauo & trigesimo, ætatis quinto & quadragesimo: meruitque inter Diuos referri. Vir egregiæ tranquillitatis, placidus, nimis amicis & familiaribus credẽs, mox etiam vxoribus deditior: qui tamen primis imperij annis ingenti se modestia egerit, familiarium etiam locupletator, neque inhonoros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia. Ad seueritatem tamen propensior, si suspicio imperij moueretur: mitis aliàs: & cuius in ciuilibus magis quàm in externis bellis sit laudanda fortuna. Hinc Iulianus rerum potitus est, ingentique apparatu Parthis intulit bellum: cui expeditioni ego quoque interfui. Aliquot oppida & castella Persarum in deditionem accepit, vel vi expugnauit, Assyriámque populatus, castra apud Ctesiphontem statiua aliquandiu habuit, remeánsque victor, dum se inconsultiùs prœliis inserit, hostili manu interfectus est, sexto Kal. Iulias, imperij anno VII. ætatis altero & trigesimo: atque inter Diuos relatus est. Vir egregius, & rempu. insigniter moderaturus, si per fata licuisset. liberalibus disciplinis apprimè eruditus, græcis doctior, atque adeo, vt latina eruditione nequaquam cum græca scientia conueniret. Facundia ingenti, & prompta, memoriæ tenacissimæ, in quibusdam philosopho propior. In amicos liberalis, sed minus diligens quàm tantum principẽ decuit. Fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriç eius inferrent. In prouinciales iustissimus, & tributorum, quatenus ferri posset, oppressor. Ciuilis in cunctos, medio-

A crem habens ærarij curam. gloriæ auidus, ac per eam animi plerumque immodici. Religionis Christianæ insectator, perinde tamen, vt cruore abstineret, M. Antonino non absimilis, quem etiã æmulari studebat. Post hunc Iouianus, qui tunc modestius militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus electus est, commendatione patris, quàm sua militibus notior: qui iam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante: vno à Persis atque altero prælio victus, pacem cum
B Sapore necessariam quidem, sed ignobilem fecit, multatis finibus, ac nonnulla imperij Romani parte tradita, quod ante eum annis CCC. & viginti duobus ferè, ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam accidit: quin etiam legiones nostræ, ita & apud Caudium per Pontium Telesinum, ita & in Hispania apud Numantiam, & in Numidia sub iugum missæ sunt, vt nihil tamen finium traderetur. ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret si fœderis necessitatem, cum integrum fuit, mutare voluisset: sicut à Romanis omnibus his bellis, quæcumque memoraui, fa-
C ctum est. Nam & Samnitibus, & Numantinis, & Numidis confestim bella illata sunt. Neque pax rata fuit, sed dum æmulum imperij veretur intra orientem residens gloriæ parum consuluit. Itaque iter ingressus: atque Illyricum petens, in galatiæ finibus repentina morte obiit. Vir aliàs neque iners, neque imprudens. Multi exanimatum opinantur nimia cruditate. nimiis enim epulis inter cœnandum indulserat. Alij odore cubiculi,
D quod ex recenti tectorio calcis graue quiescentibus erat. Quidam nimia vi prunarum, quas graui frigore adoleri multas iusserat. Decessit imperij mense septimo, tertiodecimo Kal. Martias ætatis, vt qui plurimum, ac minimum tradunt, tertio & trigesimo anno: ac benignitate principum, qui ei successerunt, inter Diuos relatus est. Nam & ciuilitati propior, & natura admodum liberalis fuit. Is status erat Romanæ rei, Iouiano eodem & Varroniano Coss. anno vrbis conditæ millesimo
E centesimo nono & decimo. Quia autem ad inclytos principes, venerandosque peruentum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stylo maiore dicenda sunt, quæ nunc non tam prætermittimus, quàm ad maiorem scribendi diligentiam reseruamus.

PAVL-

PAVLLI DIACONI DE GESTIS ROMANORVM AD EVTROPII HISTORIAM ADDITVS.

LIBER XI.

A ANNO ab vrbe condita MCXIX Valentinianus CXXVIII. è Pannonia Cibalensi editus, cum esset Tribunus Scutariorum, apud Niceam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli in communionem regni assumpsit. Huius pater Gratianus mediocri stirpe ortus, apud Cibalas Funarius appellatus est, eo quòd Venalitium fune portanti, quinque milites nequiuerint extorquere. Eo merito adscitus in militiam, vsque ad Præfecti prætorio potentiam conscendit: ob cuius apud milites cõmendationem, Valẽtiniano imperium resisteri illatum est. Qui cùm sub Iuliano Augusto Christianitatis integram fidem gereret, cùm, vt dictum est, Scutariorum Tribunus esset, iussus ab imperatore sacrilego aut immolare idolis, aut militia excedere, sponte discessit. Nec mora, Iuliano interfecto, Iouinianóque mortuo, Valentinianus, qui pro nomine CHRISTI amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium. Qui cùm iam anno tertio imperij cum Valente fratre ageret, Gratianũ filium, nec dũ bene puberem, hortatu socrus & vxoris Augustum creauit. Eodem anno apud Atrebatas vera lana de nubib. pluuiæ mixta defluxit: Constantinopoli grando miræ magnitudinis decidens, nõnullos hominũ exclusit. Procopius apud Cõstantinopolim his dieb. tyrannidẽ inuadẽs, apud Phrygiã salutarẽ extinctus est: plurimiq; eius partis cæsi, atque proscripti sunt. Per hæc tempora terræmotus per totũ orbem factus est, Ita mare littus egressum est, vt Siciliæ, multarumque insularum vrbes concussæ & subrutæ, innumerabiles fermè populos ruinis oppresserint. Valens interea ab Eudoxio Arrianæ hæreseos Episcopo baptizatus, in sæuissimã hæresim delapsus est: conatusq. catholicos persequi, sed fratris autoritate cõpressus est. Ea tẽpestate Athanaricus rex Gothorũ CHRISTIANOS in gẽte sua crudelissimè persequitur, & ad coronam martyrij sublimauit. Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus, & paludib. inuiis sitam, virtute atq. agilitate terribilẽ, in Romanos fineis eruptionem meditantẽ, in Francorum finib. oppressit, Burgundionũ quoque plus quàm LXXX. millia armatorum ripæ Rheni fluminis insederant: qui tamen non multo pòst tẽpore Christiani effecti sunt. Valentinus inter hæc in Britannia antè quàm tyrannidẽ inuaderet, oppressus est. Valẽtinianus anno imperij sui XI. cùm Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, eosq. vastarent, bellũ in eos parãs, dum apud Brigionem oppidum, Quadorum legationi respõderet, anno eius quinto & quinquagesimo subita effusione sanguinis, quæ Græcè ἀποπληξία vocatur, voce amissã, sensu integer expirauit. quod quidem intemperãtia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures retulerunt. Fuit autem imperator egregius, vultu decens, solerti ingenio, animo grauis, morib. Aureliano similis sermone cultissimus: quãquã esset ad loquendum parcus, seuerus, vehemẽs, infestus vitiis, maximè auaritiæ. Seueritatẽ tamẽ eius & parcitatem quidã crudelitatẽ & auaritiã interpretabantur. Acer in iis, quæ memoraturus sum, Adrianoque proximus probatur: pingere venustissimè pronus: multa meminisse, arma noua meditari, fingere cerâ seu limo simulacra, prudẽter vti locis, tẽporibus, sermone. atq; vt breuiter cõcludã, si eis infidis hominib. quibus sese quasi fidissimis & prudẽtissimis dederat,

B carere, aut probatis vti licuisset, perfectus haud dubiè princeps enituisset. Anno ab vrbe condita MCXXVIII. imperiũ orientis IV. annis, Valẽtiniano mortuo tenuit: Gratiano Valentiniani filio in occidentali parte regnante, qui sibi Valentinianũ fratrẽ paruulũ admodũ, sociũ creauit imperij. Hic.n. Valẽtinianus, dudũ laudãte vxore sua pulchritudinẽ Iustinæ, sibi eã sociauit in matrimo-

C nio: legẽsque propter illam concessit: vt omnes qui voluissent, impunè bina matrimonia susciperent. Nam diu populosas fore gentes, quia hoc apud eas solenne est. Accepta ergo, vt diximus, Valentinianus Iustina, edidit ex ipsa IIII. filios: Valentinianum, quẽ sibi, vt præmisimus Gratianus sociauit in regno, & Gratam, Iustámque, & Gallã. Valens igitur impietatem, quam dudum meditatus fuerat, operib. explẽs, lege data, vt monachi militarẽt: nolẽtes, per Tribunos & milites fustibus iussit interfici. Quorum innumeram multitudinem per vastas tunc Ægypti solitudines diffusã cõstat: præci-

D puè quæ apud Nitriam martyrij consecrata est palmã: ac per singulas vbiq. prouincias, aduersus Catholicas ecclesias, & rectæ fidei populos, diuersa sũt illata incommoda. Interea in Africæ partibus, Thirmus sese, excitatis Maurorum gentib. regem constituens, Africã, Mauritaniãq. vastauit. Contra quem Theodosius Theodosij, qui pòst imperio præfuit, pater à Valentiniano missus, effusas Maurorum gẽtes, multis præliis fregit: ipsum quoque Thirmũ afflictũ & oppressũ, ad mortẽ coëgit. Qui

E postea quàm experimẽtissimã prouidẽtia Africam composuisset; stimulante inuidiã iussus à Valente interfici, apud Carthagınẽ baptizari, in remissionẽ peccatorũ præoptauit: ac demum gloriosa morte occumbens, percussori iugulum vltrò præbuit. Ea tẽpestate gens Hunnorum diu inaccessis seclusa mõtibus, repentina rabie percita, exarsit in Gotthos, eosque conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gotthi transito Danubio fugiẽntes, à Valente sine vllâ fœderis pactione suscepti sunt. Deinde pro-

F pter intolerabilem auaritiam Maximi ducis fame compulsi in arma surgentes, victo Valẽtis exercitu, sese per Thracias infudere, omnia cędibus incendiisque vastantes. Quibus cognitis, Valẽs Antiochiâ egressus, cum aduersum Gotthos exer-

citum aptaret: serâ peccati pœnitentia stimulatus, Episcopos, cęterósque sanctos reuocari de exiliis imperauit. Denique lacrymabili cum Gotthis bello commisso, ad primum Gotthorum impetum perturbatæ equitum Romanorum turmæ, nudatos pedites deseruere. Qui mox equitatu hostium septi ac sagittarum nubibus obruti: insuper cum amentes metu, huc, illúcque fugitarent, funditus interiere. Ipse imperator cùm sagitta saucius, versúsque in fugam, ob dolorem nimium sæpè equo laberetur, atque in vilissimam casulam deportatus esset: superuenientibus Gotthis, ignéque supposito concrematus est. Denique petentibus Gothis, vt eis Episcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta susciperent: Valens doctores ad eos Arriani dogmatis misit, sicque vniuersa illa gens effecta est Arriana. Iusto itaque Dei iudicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Gothi verò imperatore occiso, iam securi ad vrbem properant Constantinopolitanam, vbi adhuc Dominica Augusta Valentis vxor multas pecunias plebi largita, ab vrbis vastatione hostes submouit, regnumque cognatis fideliter viriliterque seruauit. Anno ab vrbe condita MCXXXII. Gratianus XL. ab Augusto, post mortem Valentis, VI. annis imperium tenuit, quamuis iámdudum antè cum patruo Valente, & cum Valentiniano fratre regnaret. Igitur Gratianus admodum iuuenis, cùm inæstimabilem multitudinem hostium, Romanis infusam finibus cerneret: fretus Christi potentia, longè impari militum numero sese in hostem dedit. Et continuò apud Argentariam oppidum Galliarum, formidolosissimum bellum, incredibili fœlicitate confecit. Nam plus quàm XXX. millia Alemannorum, minimo Romanorum detrimento, in prælio interfecta narrantur. hoc denique ei recta fidei cultura tribuit. Nam cum vsque ad id tempus Italia Arrianæ perfidiæ morbo languêret: post Auxentij seram mortem, cum Ambrosius ex pagano iudice, subitò apud Mediolanum diuino nutu Episcopus fuisset ex cunctis electus: móxq; catholico baptismate tinctus, præsul esset ordinatus: cumque pro fide catholica libros Gratiano imperatori porrexisset: ac reuerentia, qua debuerat, susceptus esset: vniuersa statim ad rectam fidem Italia repullulauit. Eo tempore in Galliis apud Tyronos, multis beatissimus Martinus florebat virtutibus: totoque orbe, doctrinis & scientia clarus, apud Bethlehem ciuitatem Palæstinæ situs radiabat Hieronymus. Porrò Gratianus, cum animaduertisset Thraciam, Daciámque tanquam genitales terras possidentibus Gotthis, Triballisque atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis, extremum Romano nomini periculum instare, eadem prouisione, qua quondam legerat, Nerua Hispanum virum Traianum, per quem Resp. reparata est, accitum & ipse nihilo minus æquè ab Hispaniâ Theodosium, fauentibus cunctis, apud Syrmium purpuram induit, ætatis annum III. & XXX. agentem, orientísque & Thraciæ simul imperio præfecit. Itaque Theodosius

A afflictam Rempub. ira Dei, reparandam credidit misericordia Dei, omnem fiduciam suam ad opem CHRISTI referens, maximas illas Scythicas gentes, formidatas cunctis maioribus, & Alexandro quoque illi magno euitatas, ac tunc extincto Romano exercitu, Romanis equis, armisq; instructissimas, hoc est, Alanos, Hunnos, & Gotthos incunctanter aggressus, magnis, multisque prælijs vicit: vrbem Constantinopolim victor intrauit. Et ne paruam ipsam Romani exercitus manum,
B assiduè bellando deterreret: extemplo fœdus, cum Athanarico rege Gotthorũ percussit. Athanaricus Constantinopolim ad Theodosiũ venit: quem ille mirâ animi iucunditate & affectione recipit. Denique cum vrbem Athanaricus intrasset, & tam ædificia ciuitatis, quàm exornati quasi ad diẽ festum populi frequentiam cerneret, ac per singula mente inhæreret: cumque deinceps imperatoris regiam ingressus, obsequia, officiáque diuersa conspiceret. *Sine dubio*, inquit, *Deus terrenus est*
C *imperator: contra quem quicunque manus leuare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus existit.* Nec mora tamen superueniente valetudine, rebus humanis excessit. Cuius exequias imperator ipse præcedens, dignæ eum sepulturæ tradidit. Ac vniuersæ Gotthorum gentes, rege defuncto aspicientes virtutem, benignitatémque imperatoris Theodosij, Romano sese imperatori dediderunt. In iisdem etiam diebus, Parthi, cæteræque barbaræ nationes, Romano prius nomini inimicæ, vltro Con-
D stantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacémque supplices poposcerunt: factumque cum eis fœdus est. Interea cum Theodosius in ciuitate subactis Barborum gentibus, Thracias tandem ab hostibus liberas reddidisset, & Arcadium filium suum consortem fecisset imperij: Maximus, vir quidem strenuus & probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidẽ emersisset, in Britannia inuitus ab exercitu imperator creatus, in Galliam transiit. At verò Gratia-
E nus, dum exercitus negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret, adeoque Barbarorum comitatu & propè amicitia caperetur: vt nonnunquam eodem habitu iter faceret: odia contra se militum excitauit. Maximus ergo ab infensis Gratiani legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum, in Italiam transire meditantem, dolis circumuentum interfecit, ætatis IX. & XX. annos habentem, fratrémque eius Valentinianum Augustum etiam expulit. Valenti-
F nianus in orientem refugiens à Theodosio paterna pietate susceptus est. Fuit autem Gratianus literis haud mediocriter institutus. Carmen facere probatus, ornatè loqui, explicare controuersias Rhetorum more: nihil aliud die, noctuque agere quàm spiculis meditari; summæque voluptatis, diuinæque artis credere destinata ferire: parcus cibi, somnique ac libidinis victor: cunctisque fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reip. gerendæ scientiam animum intendisset: à qua propè
G alienus nõ modò voluntate, sed etiá exercitio fuit.

PAVL-

PAVLLI DIACONI AD EVTROPII HISTORIAM ADDITVS LIBER XII.



ANno ab vrbe conditâ M. CXXX A VIII. Theodosius genitus patre Theodosio, matre Thermantia, XLI. imperator, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romani orbis obtinuit solus, mansitque in eo annis XI. cum iam in orientis partibus VI. annis, Gratiano viuente, regnasset. Itaque iustis causis ad bellum ciuile permotus: cum è duobus Augustis fratribus, B vnius interfecti vltionem, alterius restitutionem procuraret, sese aduersum Maximum tyrannum solâ fide maior (nam longè minor vniuersi apparatus bellici comparatione) proripuit. Aquileiæ Maximus insederat: Andragatius comes eius, summam belli administrabat. Qui cũ largissimis militum copiis, astuto consilio, omnes Alpium & fluminum aditus communisset: dum nauali expeditione incautum hostem præuenire parat & obruere: sponte insuper eadem, quæ obstruxerat, C claustro deseruit. Ita Theodosius nemine sentiente Alpes intrauit: atque Aquileiam improuisus adueniens, magnum hostem Maximum ac trucem, & ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa, ac dispendia solo terrore nominis exigentem, sine controuersia clausit, cepit, occîdit. hanc Maximi perditionem beatus Martinus ante prædixit. Valentinianus recepto Italiç potitus imperio est. Andragatius comes, cognita Maximini nece, præcipitem sese è naui in vndas dedit, ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam, Deo procurante, suscepit. Victorem quoque Maximi filium, quem imperatorem pater Gallis in- D fantuli ætate reliquerat, extinxit. Valentinianus iunior, cum in Gallias transiisset, ibiq; tranquillè Remp. ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui strangulatus: atque vt voluntariam sibi consciuisse mortem putaretur laqueo suspensus est. Quo extincto, Arbogastes tyrannum creauit Eugenium, eligens hominem, cui titulum imperatoris imponeret, ipse acturus imperium. Vir Barbarus, animo, consilio, manu, audaciâ, potentiaque nimius contraxit vndique innumeras, in- E uictásque copias, vel Romanorum præsidiis, vel auxiliis Barbarorum: aliis potestate, aliis cognatione subnixus. Denique extabat genere Francus, cultórque sordidissimus Idolorum. Igitur Eugenius atque Arbogastes cum instructa acie Alpium transitus tenerent, Theodosius expers cibi ac somni, orationi incumbens totâ noctem peruigil ex- F egit: cum tamen se esse destitutum à suis sciret, ab hosti libus circumseptum nesciret: fiducialiter

A arma corripiens, signoque crucis signum prœlio dedit: ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor futurus immisit. Nam consultus Ioannes Anachoreta eum victorem spoponderat. Quem cum Arbitio hostilium partium comes, ignarum circumpositis excepisset insidiis: conuersus mox ad reuerentiam Augusti, cum nõ solum periculo liberauit, verũ etiam auxilio instruxit. Cúmque ad congressionem ventum esset, vehemens turbo B ventorum à parte Theodosij in ora hostium ruit, qui ab eius parte spicula missa, valenter hosti infigeret, & hostili manu missa repelleret. Nec mora, parua suorum data strage, victori se Theodosio hostilis exercitus prostrauit. Eugenius captus, atque interfectus est. Arbogastes se sua manu percussit. præmiserat namque prius Theodosius X. millia armatorum Gotthorum, quę ab Arbogaste comite funditus deleta sunt, quos vtique Theodosio perdidisse, magis lucrum quàm detrimen- C tum fuit. Ad cuius laudem ob insignem victoriam Poeta quidam eximius, sed infidelis inter cætera hos versiculos cecinit,

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther:
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Huic ferunt somnio nomen parentes monitos sacrauisse: quod in latinum, *à Deo datum* potest intelligi. De hoc etiam oraculo in Asia diuulgatum est: cum Valenti successurum, cuius nomen θ. & ε. atque ο. literis initiaretur. Qua cognitione principij deceptus Theodorus: cùm sibi imperium deberi præsumeret, scæleste cupidinis supplicia persoluit. Fuit autem Theodosius propa- D gator Reip. atque defensor eximius moribus & corpore Traiano similis, quantum scripta veterum & picturæ docent: à quo & originem traxit. Sic eminens status, membra eadem, par cęsaries, os simile, absque eo, quòd illi aliquantulum vellendo, steriles genæ, neque tamen ingentes oculi erant: nescio an tanta gratia, tantúsque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu fuisset. Mẽs verò prorsus similis: adeo, vt nihil dici queat, quod nõ ex libris eius in istum videatur transferri. Clemẽs E animus, misericors, communis solo habitu differre se à cæteris putans. In omnes honorificus: verum effusus in bonos: simplicia ingenia æquè diligere: erudita mirari, sed innoxia, largiri magno animo magna: amare ciues vel priuato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficiis cæteris munerari, præsertim quorũ er- F ga se velut patrẽ aspero casu officia cõprobasset: illa tamen, quib. Traianus aspersus est vinolẽtiã scilicet, & cupidinem triumphandi, vsq; adeo de-

testabatur, vt bella non mouerit, sed inuenerit, prohibuitque lege ministeria lasciua, psaltriásque comessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, vt consobrinarum nuptias tanquam sororum vetuerit. literis mediocriter doctus. sagax planè, multumque diligens ad noscéda gesta maiorum. Execrabatur, cum legisset superbiam dominantium, præcipuè perfidos & ingratos. Irasci sanè rebus indignis, sed subitò flecti: vnde dilatione modica emolliebat interdum seuera præcepta: habuítque à Naturæ munere, quod Augustus à Philosophiæ doctore. Qui cùm vidisset eum facile commoueri ne asperum aliquid statueret, monuit, vt vbi irasci cœpisset, IIII. atque XX. Græcas literas memoria recenseret: vt illa concitatio, quæ momenti est aliò traducta, parui temporis interiectu languesceret. Melior haud dubiè, quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem. auri argentique pondera sublata è tyrannis, multis ex suo restituit. Inerat ei cura pietatis eximiæ. colere patruum tanquam genitorem: fratris mortui, sororísque liberos habere pro suis. Cognatos, affinésque parentis animo complecti. Elegans, lætumque conuiuium dare, nec tamen sumtuosum. miscere colloquia pro personis, studio, dignitatibus, sermone cum grauitate iucundo: blandus pater, concors maritus. Exercebatur neque ad illecebras, neque ad lassitudinem: ambulationibus, cùm esset otium, animum reficiens. Regebat valetudinem continentia vescendi. Huius & apud homines mansuetudo, & quanta extiterit apud Deum deuotio, hoc vno monstratur exemplo. nam cum apud Mediolanum missarum fruiturus solemnis, ecclesiam vellet intrare: cumque beatus Ambrosius pro quodam facinore, nisi publicè pœniteret, non admissurum se diceret: & prohibitionem humiliter pertulit, & satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo pœnitentiæ modum deuotus excepit. Huic sociata in coniugio Flacilla fuit, ex qua Arcadium & Honorium genuit: qua defuncta, Gallam Valentiniani Maioris & Iustinę filiam, Valentiniani quoque Iunioris sororem in matrimonium duxit, quæ ei Placidiam peperit: cui postea, de matris nomine Gallæ cognomentum accessit. Itaque quinquagesimum Theodosius annum agens ætatis, in pace apud Mediolanum rebus excessit humanis: vtramque Remp. vtrisque filiis, Arcadio & Honorio quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est.

PAVLLI DIACONI LIBER XIII.

ANno ab vrbe condita MCXLIX. Arcadius Augustus in Oriente factus, Honorius frater eius in Occidente XLII. loco commune imperium diuersis tantum sedibus tenere cœperunt. Quorum pater curam viris potentissimis mandauerat habere, id est, Rufino Orientalis aulæ, Stiliconi Occidentalis imperij. Vixitque Arcadius post patris excessum annis XII. imperiúmque summam Theodosio filio paruo admodum moriens tradidit. Interea Gildo comes Africæ, cognita Theodosij morte, arbitratus minimam in paruulis spem fore, Africam iure proprio cœpit vsurpare. Huius frater Mascelzer germani perfidiam perhorrescens, in Italiam rediit. Gildo duos eius filios, quos pater reliquerat, dolo circumuentos occidit. ad hunc iam hostem bello insequendum, Mascelzer frater missus est. Mascelzer iam à Theodosio sciens, quátum viribus desperatissimis oratio hominis per fidem CHRISTI clementiam Dei impetraret, Capratiam insulam adiit: Inde secum sanctos viros adducens, cum quibus orationibus ac ieiuniis aliquot continuauit & noctes. Ante triduum quoque, quàm hosti contiguus fieret, cernit noctu beatum Ambrosium paulo antè defunctum, quando victoriá caperet, dié sibi indicátem & locú: ac tertio demum die, post noctem orationibus, hymnísque peruigilem cum V. solummodo millibus aduersus LXXX. millia hostium pergens, eos Dei nutu sine bello in deditionem accepit. Quo viso auxiliarij Gildonis Barbari ilicò terga dederé. Gildo & ipse fugam arripiens, ascensa naui, cùm in Africa redisset, post aliquot dies strangulatus interiit. Sanè idem Mascelzer rerum secundarum insolentia tumens, ecclesiam Dei temerare ausus est: atque ex ea quosdam non dubitauit extrahere: secuta mox pœna sacrilegum est: nam post aliquantulum téporis ipse punitus est. Interea Rufinus, cui orientalis aulæ à Theodosio cura commissa est, malo perfidiæ deprauatus, cum Barbarorum solatiis regnum tentaret inuadere, morte iustissima pœnas luit. Stilico quoque Occidentis tutor imperij, immemor collatorum beneficiorum, immemor affinitatis: nam socer extabat Honorij, regnum & ipse Eucherio filio affectans, ingentia Reip. intulit mala. Nam sæpe cùm delere posset Barbaros, fouit eos: sæpe Alaricum cum Gothis suis vicit, sæpe conclusit, sæpéque dimisit. cui quis fuerit exitus, suo meliùs loco dicetur. Inter hæc omnium antiquorum præsentiumq. hostium longè immanissimus Radagasus rex Gotthorum, totam repentino impetu inuadit Italiam: nam fuisse in eius populo plus quam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic supra hanc incredibilem multitudinem, indomitámq. virtutem Barbarus erat, & Scytha: qui omnem humani generis sanguinem, diis suis propinare deuouerat. Inuadit ilico Romam pauor infinitus: fit omnium paganorum in vrbe concursus: declamatur à cunctis, se hæc ideo perpeti, quòd neglecta fuerunt magnorum sacra deorum. Magnis querelis vbique agere: & continuò de repetendis sacris, celebrandísque tractatur: ferè in tota vrbe blasphemiæ ad nomen CHRISTI tanquam lues aliqua probris ingrauantur. Conducuntur à Romanis aduersus Radagasum duo pagani duces, Gotthorum Sarus, & Virdinus Hunnorum. Sed non sinit Deus rem suæ potentiæ, infidelium virtute tueri. Contritus namq. diuinitus Radagasus in aspero Fesulani montis iugo, vrgente vndique timore, concluditur. Agmináq. quibus angusta dudum videbatur Italia, latendi spe in vnum ac paruum montis verticem truduntur: quo cùm fame & siti conficerentur, Rex Radagasus solus spé fugæ sumens, captus à Romanis, in vincula conii-citur, ac paulisper retentus, vita priuatur. Tanta verò multitudo captiuorú Gotthorum fuisse fertur, vt inuilissimarú pecerú modus singulis aureis passim greges hominú venderétur. Interea Alaricus Italiam ingressus, cum ab Honorio sedem, qua cú suo exercitu consistere posset, expeteret. Honorius deliberato consilio, ei Gallias cócessit: qui dum ad Gallias pergens, ob recuperationé iuméforú apud Polentiam aliquantulú resedisset. Stilico comes

in perni

in perniciem Reip. Gotthos pertentans: dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam Saulo pagano duci commisit: qui ipso sacratissimo die Paschæ, Gotthis nil tale suspicantibus, super eos irruit, magnámque eorum partem prostrauit. Nam primum perturbati Gotthi ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito cohortantur, victorémque virtute potiori prosternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris excitantur, captum iter deserentes, Romam contendunt petere: cuncta, per quæ ierant, igni ferróque vastantes. Nec mora, venientes vrbem capiunt, deuastant, incendunt: dato tamen prius præcepto, vt si qui in sancta loca, præcipuè sanctorum Apostolorum Petri & Paulli Basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos, securósque sinerent: deinde quantum possunt, prædæ inhiantes, sanguine temperarent. Capta itaque Roma est MCLXIIII. conditionis suæ anno, die sanè tertia, sponte Gotthi vrbe discedunt: facto aliquantarum ędium incendio, sed ne tanto quidem, quantum olim à Cæsare factum est. Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiámque simili strage, bacchantes, Rhegium peruenere: in Siciliam transfretare cupientes: quò cum transmeare ascensis nauibus vellent, perpessi naufragium plures suorum amiserũt. Alaricus inter hęc dum quid ageret, deliberaret: apud Cosentiam morte subita defunctus est. Gotthi Basentum amnem de alueo suo captiuorũ labore deriuantes, Alaricum in medio eius alueo cũ multis opibus sepeliunt: amnémque meatui proprio reddentes, nequis locum scire posset, captiuos qui interfuerant extinguũt. Regem deinceps Athaulfum Alarici affinem Gotthi constituentes, Romam redeunt, si quid residui fuit, more locustarum eradunt: auferentes deindè Gallam Placidiam, Theodosij principis filiam, sororem Honorij: quam sibi Athaulfus apud forum Cornelij connubio copulauit: quæ multò post Reip. commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum, acerrimo ingenio subtilibusque blandimentis eum inflexit: vt vltro à Romanis pacem expeteret: qui ad Gallias proficiscens apud Barcinonem fraude suorum occisus est. Post quem Gensericus regnum capiens, dum pacẽ Romanis seruare disponit: & ipse à suis peremtus est. Deinde VVallia regnandi iura suscepit: ad hoc electus à Gotthis, vt pacẽ infringeret, ad hoc à Deo ordinatus, vt confirmaret. Interea comes Stilico Vandalorum perfidæ & dolosæ gentis genere editus, Eucherium, vt dictum est, filium iam à puero Christianorum persequutionem meditantem, vt imperio substitueret, ante biennium Romanæ irruptionis gentes, copiis, viribusque intolerabiles, hoc est Alemannorum, Sueuorum, Vandalorum, Burgundionum, vltro in arma suscitauit: eásque pulsare Gallias voluit, vt sub hac necessitate à genero in filium extorquere posset imperium. Tandem vbi imperatori Honorio, exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta sunt; commoto iustissimè exercitu, occisus est Stilico: qui vt vnum puerum purpuram indueret, totius humani generis sanguinem dedit. Occisus est ipse, Eucheriusque filius eius, paucíque cum iisdem satellites tantarum molitionum puniti sunt. Eodem tempore clarissima loca vrbis fluminibus dirupta sunt, quæ inflammari ab hostibus nequiuerunt. Inter hæc apud Britannias Gratianus tyrannus mox creatus occiditur. Cuius loco Constantinus ex infima

A militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur: qui ad Gallias transiens, sæpe à barbaris incerto fœdere illusus, detrimento magis Reip. fuit quàm augmento. Tunc duo iuuenes locupletes, Didymus & Veridianus, acceptis propriis seruulis & Vernaculis, sese, Patriámque à Barbaris & Tyranno defendere moliti sunt. Aduersum hos Constantinus, Constantem filium ex monacho Cæsarem factum, cum quibusdam fœderatis Barbaris in Hispanias misit. Constans Bar-
B barorum fultus auxilio, eos primo prœlio peremit: quibus Barbaris dum claustrà Pyrenei montis commissa fuissent, ab eis tota, quæ per Gallias bacchabatur, ferocitas gentium Hispanarum prouinciis intromissa est. Itaque post multas strages, incendia, & rapinas, tandem diuisis sedibus, Barbari ad aratra conuersi, Romanorum residuos ceperunt: vt socios, amicósque fouerent.

C

PAVLLI DIACONI LIBER XIIII.

IGitur imperator Honorius, dum vires Reip. quotidianis cerneret labefactari incommodis, virum strenuum & bellicosum Constantium comitem ad Gallias cum exercitu misit. Is mox vt Galliam ingressus est, continuo Constantium tyrannum apud Aretalem exstinxit. Constans verò eius filius à Gerontio suo comite Viennæ peremptus est. in cuius locum Gerontius Maximum
D quendam substituens, à militibus suis iugulatur. Maximus deinde purpurâ exutus in Hispania exulans obiit: exinde Iouinus apud Gallias mox vt assurrexit, cecidit. Sebastianus tyrannus frater eius continuò creatus occisus est. Tertullus consul, qui se principem in senatu futurum gloriatus est, pari nihilo minus exitu periit. Attalus à Gotthis Imperator effectus est: post modum captus à Constantio, missusque Honorio, truncata manu: vitæ relictus est. Heraclius quoq. cum Sabino ge-
E nere cum tribus millibus ac septingentis nauibus ex Africa Romam tendens, sed per occursum comitis marini territus, & in fugam versus, arrepta naui solus Carthaginem rediit, ibique peremptus est. Hos omnes Honorius optima religione, magnáq. Constantij industria superauit. meritò sanè: nam his diebus præcipiente Honorio, fauẽte Constantio, sopitis apud Africam hæreticis, pax ecclesiis redditur: in qua fulgentissimus tunc apud Hipponem Regium, totiusque magister Ecclesiæ
F florebat Augustinus. Interea VVallia Gotthorum rex Dei iudicio territus: Placidiam apud se honestè habitam, exigente Constantio, fratri Honorio reddidit: pacémque cum eo datis obsidibus pepigit: seque pro Romanis aduersum Barbaros, qui Hispanias inuaserant, pugnaturum spopondit. Mittunt è contrario VVandalorum, Sueuorumq. reges principi Honorio legationem his verbis: *Tu cum omnibus pacem habe: omnium obsides accipe: Nos nobis confligimus: nobis perimus. Vicimus*
G *tibi, tuæ erit quæstus Reip. si vtrique pereamus.* His itaque tantis incommodis, deo fauente, sopitis, Honorius Gallam Placidiam germanam suam, Constantio suo Comiti, fide integerrimo, & ingenti viro iam dudum promissam, magno cũctorum gaudio sociauit ex qua Valentinianum filiũ Constantius genuit, qui postea Reip. imperium gessit. Hoc in tempore fœdus Constantius pepigit firmissimum cum rege Gotthorum VVallia, tri-

buens ei ad habitandum Aquitaniam Galliæ prouinciam, eiusdémque prouinciæ quasdam ciuitates vicinas. Cernens itaque Honorius vbique se Constantij virtute & ingenio, seu per bella, seu pacis moderatione tueri, eum cum frē adnitentibus apud Rauennam in regni consortium asciuit, qui nec dum septem mensibus euolutis, ex hac luce subtractus est. His diebus apud Bethlehē Palæstinæ, beatissimus Hieronymus, expletis nonaginta & octo vitæ annis ad Christum migrauit. Sequenti tempore, Maximus apud Hispanias factione Iouiniani, qui tunc in re militari primus habebatur, tyrannidem arripuit. Nec multò post superati vterque & capti ab Honorij exercitu, eidem cùm apud Rauennam tricennalia sua peragetet, præsentantur. Hac tempestate Britanni, Scotorum, Pictorumque infestationes non ferentes, Romam mittūt ac sui subiectione promissa, contra hostes auxilia flagitant. Quibus statim ab Honorio missa militum legio, magnam Barbarorum multitudinem strauit. Cæterósque Britanniæ finibus expulit. Sed mox, vt decessere Romani aduectis iterum nauibus, hostes obuia quæq; sibi conculcarit ac deuorant. Rursúmq; aduolant Romani rursúmq; hostem trans maria fugāt. Hoc tempore dum VVandali, Alaníque Hispaniam infestarent Honorius ad eas defendendas, Castinum ducem cum exercitu dirigit: qui Castinus præclarum virum Bonifacium, ac bellicis artibus exercitatum, inepto & iniurioso suo imperio, ab expeditionis suæ societate auertit. Bonifacius verò periculosū sibi indignúmque ratus eum sequi, quem discordem superbientémque expertus est, celeriter se ad portum vrbis, atq; inde ad Africam proripuit: magnumq. postmodum Reip. detrimentum totiusque Africæ causa excidij extitit. Castinus verò tanto collega ob suam intēperantiam priuatus, nihil dignum in Hispaniis gessit. Inter hæc Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Oriētem cum Honorio & Valentiniano filiis profecta à Theodosio Augusto Arcadij alterius Germani sui filio, honorificè libentérque suscepta est. Honorius verò postquam cum minore, de quo præmissum est, Theodosio Arcadij Germani sui filio annis XV. imperasset: cum iam antea cum fratre XIII. annis, ac sub patre XII. regnasset, Remp. vt cupierat, pacatam relinquens, apud vrbem Romam vita exemptus est: corpusque eius iuxta beati Petri Apostoli atrium in Mausolæo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stiliconis filiæ, id est, Maria & Hermantia, vna, post alteram ei coniugio sociatæ, vtræque dei iudicio inopinata morte præuentæ, ex hac luce virgines migrauere. Fuit sanè Honorius moribus & religione patri Theodosio non valdè absimilis: cuius temporibus quāuis multa externa bella surrexerunt, vel nullo vel minimo sanguine quieuerunt. Exempto rebus humanis Honorio, fultus præsidio Castini magistri militum Ioannes inuadit imperium anno ab vrbe condita CIↃ CLXXVII. Theodosius Arcadij filius, quadragesimus tertius regum Romanorum, Orientale regebat imperium. Qui comperto patrui sui Honorij fatum esse, mox Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem effectum, cum matre sua Augusta ad recipiendum Occidentis dirigit regnum. Quo tempore Ioannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bellare poscit, ad defensionem sui infirmior factus est. Denique veniens Placidia Augusta & Va-

A lentinianus Cæsar mira fœlicitate eum continuò opprimunt, regnique gubernacula victores arripiunt: quorum tunc milites crudeliter Rauennam depopulati sunt, eo quòd illius maximè ciues tyrannicæ parti fauissent. Castinum verò magistrum militum damnat exilio, cuius arripuisse factione Ioannes tyrannidem credebatur. Data Ætio venia, eo quod Hunni, quos per ipsum Ioannes acceperat, eius studio remeassent ad propria. Valentinianus igitur consensu totius Italiæ Im-
B perator efficitur. Itémque ex decreto Theodosij Augustus appellatur. Dum hæc geruntur, Archillas nobile oppidum Galliarum à Gotthis multa vi oppugnatum est: donec imminente Aetio, non impuniti abscesserunt. Bonifacius inter hæc apud Africam potentia, gloriáque augebatur. Mittuntur aduersus eum Mauortius & Galbio: qui dum Bonifacium obsidere parant, ab eo interempti sūt. Exinde gentibus, quæ vti nauibus nesciebant: dū à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium factum est. Rursus contra Bonifacium
C Sigisuldus comes dirigitur. Bonifacius verò sentiens se non posse tutò Africam tenere, cernénsque sibi periculum instare, in perniciem Reip. efferuescens, VVandalorum, Alanorumque gentem cū Genserico suo rege ab Hispanis euocatos, Africæ intromisit: qui cunctam penè Africam ferro, flamma, rapinis crudelissimè deuastantes, catholicam insuper fidem Arriana impietate subuertere. Sub hoc turbine beatissimus, de quo præmissum est, Augustinus Hipponensis Episcopus, ne ciuitatis
D suæ ruinam cerneret, tertio eius obsidionis mense, sex & septuaginta annis vitæ expletis, ex quibus quadraginta in clericatu, seu Episcopatu transegerat, ad Christum perrexit. Eodem tempore pace totius orbis ex mirabili consensione, Bonifacius ab Africa ad Italiam per vrbem redux, accepta magistri militum dignitate. Qui cùm resistentem sibi Aetium prælio superasset: paucis interiectis diebus, morbo extinctus est. Aetius verò cum deposita dignitate in agro suo degeret, ibique cum
E quidem eius æmulus, repentino incursu opprimere tentasset, profugit ad vrbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannonias ad Hunnos peruenit: quorum amicitiis, auxilióq. vsus, pacem principum & ius interpolatæ potestatis obtinuit: nec multo pòst patriciatus etiam dignitatem adeptus est. Post eam igitur, quæ præmissa est, Africæ clade, data, per Trigetium ad habitandum VVandalis Africæ portione, pax eisdē necessaria magis quam vtilis data est. His etiam temporibus Gūdicarium
F Burgundionum regem intra Gallias habitantem, Aetius patricius bello obtinuit, pacémque ei supplicanti cōcessit. Tunc etiam Gotthi pacis placita perturbant, & pleraque municipia vicina suis sedibus occupant. Cumque essent maximè oppido Narbonensi infesti, cique eius longa obsidione & fame affligerent, adueniens comes Litorius, hostes in fugam vertit, & ciuitatem allata frumenti copia à fame liberauit. Dehinc anno sequenti bellū aduersum Gothos, Hunnis auxiliantibus, gestum
G est. Hac tempestate Gensericus apud Africam, intra habitationis suæ limites, cupiens catholicam fidem, Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorum Episcopos eatenus persecutus est, vt eos priuatos iure basilicarum suarum etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet. His denique diebus Valentinianus Augustus ad Theodosium principrinci-

principem suum fratruelem Constantinopolim profectus est: filiamque eius vxorem accepit. Per idem tempus piratæ multas insulas præcipuè Siciliam populati sunt. Inter hæc Litorius, qui secunda ab Aetio patricia potestate Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aetij gloriā superare appetit: dumque Aruspicum responsis, & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gotthis imprudenter conseruit: ac primum quidem magnam hostium stragem dedit. Postmodum verò suis penè omnibus trucidatis, ipse à Gotthis turpiter captus est. Postremò pax cum iisdem facta est, cum eam Romani post huius lacrymabilis belli perniciem humiliùs, quàm vnquam antea poposcissent. Aetio itaque rebus, quæ in Galliis componebantur, intento, Gensericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesque opes eius, excruciatis diuerso genere tormentorum ciuibus, in ius suum vertit: nec ab ecclesiarum spoliatione abstinens, quas sacris vasis exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca, sed suorum esse iussit habitacula: in vniuersum captiui populi ordinem sæuus: sed præcipuè nobilitati & religioni infestus, vt omnino non posset agnosci, hominibus magis, an Deo bellum intulisset. Igitur Carthago ab VVandalis hoc modo capta est, annis quingentis octoginta & quinque euolutis, postquam Romano cœperat iuri parere. Sequēti deinde anno Gensericus ad Siciliam transiens, dum magnis eam calamitatibus affligeret, accepto nuntio de Sebastiano, qui ab Hispanis ad Africam tenderet, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi, ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quàm hostem videri volens, dum de regis Barbari amicitiis improuisè præsumpsit, infœlici morte peremptus est. Post hoc imperator Theodosius bellum contra VVandalos mouit, Ariouindo, & Ausila, atque Germano ducibus magna cum classe directis, qui longis cunctationibus differentes negotium, Siciliæ magis oneri quàm Africæ præsidio fuere. Per hæc tempora Hunnis Thracias, & Illyricum sæua populationi vastantibus, exercitus, qui Siciliæ morabatur, ad defensionem orientalium prouinciarum reuertitur. Sub his ferè diebus ita terribili terræ motu Roma cōcussa est: vt plurimæ eius ædes, ædificiáque corruerint. Britanni itaque, de quibus præmissum est, cùm rursus Scotorum, Pictonumque incursionibus premerentur, mittunt Aetio epistolam lacrymis, ærumnisque refertam, eiusque quantocius auxilium efflagitant: quibus cum Aetius minimè annuisset, eò quòd contra viciniores hostes occupatus existeret, quidam Britannorum strenuè resistentes hostes abigunt: quidam verò coacti hostibus subiiciuntur. Denique subactam Picti extremam eiusdem insulæ partem, eam sibi habitationem fecere: nec vltra exinde hactenus valuerunt expelli. At verò residui Britannorum, dum continuos Scotorum impetus formidarent, vltro iam de Romanorum præsidio diffidentes, Anglicorum gentes cum suo rege Vertegerno ad defensionem suæ patriæ inuitauere: quos amicabili societate exceptos, versa in cōtrario vice, hostes pro adiutoribus, impugnatorésque sensere. Sequenti deinceps tempore gens Anglorum, siue Saxonum Britanniam tribus longis nauibus aduehitur; quorum dum iter prosperum

A domi fama retulisset, mittitur nihilominus exercitus multiplex: qui sociatus prioribus primum hostes, propter quos petebatur, abigit. Deinde in Britones arma conuertens, cōficta occasione quasi pro se eis militantibus minus stipendia præparassent, totam prope insulam ab orientali eius plaga vsq. ad occidentalem incendio sibi, seu gladio subegit. At verò Theodosius, dum absque viginti vno superioribus annis, quos cum Honorio patruo regnauerat, septem & viginti annis imperium

B gessisset, ex quibus & cum Valentiniano genero xxv. transegit, apud Constantinopolim morbo cōsumptus obiit, ibique sepultus est.

PAVLLI DIACONI
LIBER XV.

ANno ab vrbe condita ∞ I Ↄ C C I I I I. defuncto Theodosio quadragesimo quarto in numero, Martianus Orientali aulæ præficitur Imperator. Cæterùm Valentiniani tempore huius vel

C superioris Imperatoris curriculis ascribuntur. Igitur Valentinianus Occidui rector imperij, pacis ea tempestate fœdera cum Genserico VVādalorum rege firmauit: certisque spatiis Africa inter vtrosq. diuisa est. Gensericus de rerum successu tumidus, dum etiam apud suos superbiret, valida aduersus eum conspiratio est facta. Quorū molitione detecta, diuersis ab eo excruciati periere suppliciis. Horum si quidē funeribus, nō minus viriū

D amisit, quàm si exsuperatus belli certamine fuisset. Interea rex Hunnorum Attila, dū cum fratre Bleda regnum intra Pannonias, Daciámque gereret: Macedoniam, Mysiā, & Achaiam, vtrasque etiam Thracias immanissima rabie deuastaret: Bledā suū germanum regnique consortem peremit, eiusque sibi parere populos compulit. Fultus itáque fortissimarum gentium, quas sibi subiugarat, præsidio, ad Occidentale moliendum animum intendit imperium. Erant siquidem subiecti eius domi-

E nio rex ille Gepidarum famosissimus Ardaricus. VValamir etiam Gotthorum regnator, Niso ipso, cui tūc seruiebat, rege nobilior: fortissimæ nihilominus gentes Marcomanni, Sueui, Quadi, præterea Heruli, Turlingi, siue Tungricum propriis regulis, aliæque præter has Barbaræ nationes Aquilonis in finibus commorantes. Horum omnium Attila superbus imperium quanquā virium robore facilè se posse adipisci putaret, quod cuperet, non minori tamen consilij astutia, quàm armorum for-

F titudine hostes aggredi satagebat. Præuidens itaq. sagacitate, qua callebat, nō sibi fore tutum, si Gotthi, qui intra Gallias morabantur, Romanis auxilio iungerentur: amicum se Gotthis simulans, aduersum Romanos se adserit præliaturum: Romanorumque è diuerso quasi amicitias appetens, in Gotthos eorum videlicet hostes se pollicetur arma moturum. Agebat itaq. hæc versuta barbaries: quatenus si hos posset à societate diuidere, facilius vtrosque singulari certamine proculcaret. Quas

G eius astutias Aetius non minori acumine præuidēs, legatos ad Theodoricū, qui eo tempore Gotthis apud Tolosam regnabat, dirigit: qui cum eo pacis fœdera sociarent. Annuit, iuxta Aetij votum Romanorum legatis Theodoricus: iungitq. cum eis non minus sibi prospiciens firmissimum fœdus, promittitque se pariter pugnaturum. Fuere interea Romanis auxilio Burgundiones, Alani cū Sangibano suo rege, Franci, Saxones, Ripario-

li, Labrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac pene totius populi Occidentis. Quos omnes Aetius ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciuerat societatem. Conueniunt ex vtraque parte in campos Catalaunicos, qui centum in longitudine leucis, & ex latitudine septuaginta, vt Gallis mos est metiri, extenduntur. Attila itaque primo impetu, mox vt Gallias ingressus est, Gundicacium Burgundionum regem, sibi occurrentem, protriuit. Deinde cum ad locum certaminis ventum esset, inquirit aruspicem, siquid sibi de belli sorte venturum prædicaret. Qui arte dæmoniaca exta pecudum perscrutans, Attilæ infausta denuntiat: hoc tamen quantulumcunque solatium fore, quod summus de parte hostili in certamine ductor occumberet. Attila, dum hæc de Aetij interitu, cuius mortem inhiebat denuntiari putaret: non dubitauit vel cum suorum perditione bellum committere, dummodo Aetium suis motibus fortiter obsistentem posset extinguere. Committit itaque pugnam iam in vesperum die vergente: vt si superaretur ab hostibus, imminentis se noctis tenebris occultaret. Conueniunt hinc inde fortissimæ nationes, conseruntur acies: fit bellum acre nimis, & pertinax, quale vix vlla narratur historia: nec antea præliandi a dore quieuere, quàm eis nox superueniens pugnandi voluntatem adimeret. Eo siquidem prælio, c l x x x. millia hominum cæsa fuerunt. Tantum namque est sanguinis effusum, vt paruulus, qui ibidem labebatur riuulus, immodicus subito torrens effectus, cadauera secum traheret peremptorum. Attilam autem de morte Aetij sua suspicio fefellit. Nam incolumi Aetio rex ibi Gotthorum Theodoricus occubuit. In quo prælio quamuis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attilam fuisse superatum. Qui cùm die altera intra plaustrorum munimenta se continens erumpere non auderet: nec tamen cessaret tubis, & clamore perstrepere, Turisimundus Theodorici regis filius dolens de paterno funere statuit Attilam obsidione coartare: & cum eiusque exercitum ad internecionem vsque delere. Tunc Attila de vita fiducia iam desperans, ex equitatoriis ingentem pyram sellis construxit: vt ibidem se Gotthis imminentibus, supposito igne cremaret, ne aut quisquam de eius lætaretur vulnere, aut rex tantarum gentium in potestatem hostium deueniret. Aetius verò cautè perpendens Romanos à Gotthis perempto Attila deprimi, nec deinceps aduersum Gotthos, si necessitas incumberet, habere solatium, filio Theodorici, quasi eius rebus consulens, persuadet, vt domum reuerteretur, regnum paternum arriperet: ne si ab eius inuaderetur germanis, acerbius ei esset cum suis, quàm cum hostibus dimicare. Hoc ille consilium tanquam pro sua salute prolatum libenter amplectens, domum reuersus est, regnumque paternum suscepit. Cæterum Aetius & ob hoc talia machinatus est, vt Attilam ab eius impressione subduceret. Inscia heu mens hominum, quantum hac prouisione detrimentum patriæ, dum auertere cupit, ingessit. At verò Attila cernens se relictum, hostes ad propria remeasse, erectis animis, ac spe iam securus, Pannonias repedauit: multoque potiorem exercitum coaceruans, Italiam furibundus introiit: & primum Aquileiam ciuitatem in ipso Italiæ sitam principio expugnare aggressus est. Quam continuo triennio obsidens, cum aduersus eam, strenuè

A omnibus repugnantibus, nihil præualeret, iamque murmur sui exercitus non valentis famis tolerare penuriam audiret: cum die quadam ciuitatem circuit, vt ex qua eam parte facilius posset expugnare inquireret: cernit repente aues in ædificiorum fastigiis nidificare solitas, quæ Ciconiæ vocantur, vno impetu ex vrbe migrare, fœtusque suos sublatos, rostris per rura forinsecus deportare. *Aspicite,* inquit ad suos, *iam aues futurorum præscias, perituram relinquere ciuitatem.* Statimque adhibitis machinis, tormentisque, hortatur suos B acriter expugnat vrbem, ac sine mora capit, diripiuntur opes, captiuantur, vel trucidantur ciues, residuum direptionis igni supposito flamma consumit. Fuerat siquidem in ea ciuitate femina nobilissima Digna nomine, forma quidem eximia, sed candore pudicitiæ amplius decorata. Hæc dum habitaculum supra ipsa vrbis mœnia haberet, turremque excelsam suæ domui imminentem, sub qua Natissa fluuius vitreis labebatur fluentis: ne sordidissimis hostibus ludibrium fieret, nimæque pulchritudinem velut illata libidine vitiaret, mox vt ingressum hostium, captamque C vrbem præsensit, summa se eadem turre obuoluto capite in gurgitem præcipitem dedit: metuensque amittendæ pudicitiæ memorabili exitu terminauit. Plura præterea eiusdem regionis castella Romanis hostis, vel captiuatis ciuibus, succendit, ac diruit. Concordiam, Altinum, siue Patauium vicinas Aquileiæ ciuitates fulminis instar demolitionis solo coæquauit. Exinde per vniuersas Venetiæ vrbes, hoc est, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, seu reliquas, nullo resistente Hunni bacchanantur. Mediolanum, Ticinumque D pari sorte diripiunt: ab igne tamen abstinentes & ferro. Deinde Aemiliæ ciuitatibus similiter expoliati, nouissimè eo loco, quo Mincius fluuius in Padum confluit, castra metati sunt. Vbi Attila consistens, dum vtrum adiret Romam an desisteret, animo fluctuaret: non vrbi, cui infestus erat, consulens, sed Alarici exemplum pauens, qui captæ à se vrbi non diutius superuixit. Dum ergo has animo tempestates reuolueret, repentè illi legatio placidissima à Roma aduenit. Nam per se vir sanctissi-E mus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad regẽ Barbarum ingressus esset, cuncta, vt optauerat, obtinens: non solum Romæ, sed totius Italiæ salutẽ reportauit: territus namque nutu Dei Attila fuerat: nec aliud Christi sacerdoti loqui valuit, nisi quod ipse præoptabat. Fertur itaque post discessum Pontificis interrogatũ esse Attilam à suis, cur vltra solitum morem tantam reuerentiam Romano Pontifici adhibuerit, quãdoquidẽ penè ad omnia, quæ sibi ille imperasset, obtemperare. Tum regẽ F respondisse: non se eius qui aduenerat, personam reueritũ esse, sed alium se virum iuxta eum in habitu sacerdotali astantem vidisse, forma augustã & canicie venerabilem, illumque euaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem, nisi cuncta quæ ille expetebat, expleßet. Igitur Attila tali modo a sua sæuitia repressus, relicta Italia Pannonias repetit: ad quem Honoria Valentiniani G Principis Germana, dum à fratre ob decus pudicitiæ districtè seruaretur, suum Eunucham dirigit: quatenus eam sibi à fratre in matrimonium extorqueret. Accepto itaque eo Attila nuntio, qui iã Italiæ fines excesserat, nec iterum fatigato exercitu regredi potuit: mandat Valentiniano Imperatori, minitans pessima se proximè illaturum Italiæ,

Italiæ, nisi mox ei suam germanam cum parte regni debita transmisisset. Qui reuersus ad proprias sedes, supra plures, quas habebat vxores, puellam valde decoram indicto nomine sibi in matrimonium iunxit. ob cuius nuptias profusa conuiuia exercens, dum tantum vini, quantum nunquàm antea insimul bibisset, cùm supinus quiesceret, eruptione sanguinis, qui ei de naribus solitus erat effluere, suffocatus & extinctus est. Eadem denique apud Constantinopolim nocte, Martiano Im- B peratori in somnis dominus apparens, arcum Attilæ fractum ostendit: quo scilicet armorum genere gens illa fidere in bello maximè solet. Dum hæc geruntur, apud Britanniam Pelagianæ hæreseos assertores Britannorum tentant subuertere fidem: qui à Gallorum Episcopis auxilium petentes, ad rectæ fidei defensionem sanctissimum virū Germanum, multisque iam virtutibus clarum, Altisiodorensis ecclesiæ episcopum accipiunt: & Lu- C pum Tracasenum præsulem, atque Apostolicæ gratiæ virum, qui non minus signorum miraculis, quàm doctrinæ verbis, omnes ad sanæ fidei confessionem reduxerat. Ecce autem adhuc ibidem sanctis Episcopis existentibus, valida Saxonum, Pictonúmque manus Britāniam aduehitur. Nihilominus Britones mox arma corripientes hostibus obuiam pergunt: cum quibus beatissimus Germanus Episcopus sponte se offerens, vna pergit ad prælium. Cúmque ipse dux belli ante confectam D aciem constitisset, iàmque hostes conglobati propiùs aduentarent, non tubæ clangoribus, non gladiis fidens, imperat solummodò sanctus antistes: vt, cùm ipse prior inclamasset, omnes voce consona eundem responderent sermonem. Móxque eleuata magna voce, *Alle luia* sonauit: cúmque omnis exercitus sublato ad sidera clamore, *Alle luia* respondisset: cunctáque per circuitum loca resultassent, continuò tantus hostes pauor inuadit, vt dissoluta acie fugam arripientes, ac si singulorum E ceruicibus gladius immineret, tremebundi ad propria refugerent. Igitur quia virtus semper inuidiam parit: Valentinianus Imperator, quantum res docuit, prosperos Aetij successus, vt præmissum est, pertimescens, eum, simúlque Boetium senatorem nobilissimum gladio peremit. Ita vir bellicosissimus Aetius, & quondam Attilæ regis potentissimi terror occubuit: cum quo pariter & Occidentis imperium, salusque Reipub. corruit: nec hactenus vltra valuit releuari. Sed nequaquam Valentiniano mors Aetij impunè cessit: nam & ipse anno sequenti à Trasila Aetij milite, cùm xxx. annis F imperium gessisset, confossus interiit. E quibus cum Theodosio socero xxv. cum Martiano v. imperauit. Mortuo Valentiniano regni iura Maximus apud vrbem inuadens, nec dum duobus expletis mensibus, à Romanis peremptus est. Continuò aduectis ex Africa nauibus, adest Gensericus cum validissimo suæ generis exercitu, fultus insuper præsidio Maurorum, cùm adhuc Romanæ ecclesiæ beatissimus Leo ageret pontificatum. perculsis itaque Romanis tam terribilis nuntio, nobi- G libusque simul, aut popularibus ex vrbe fugientibus, vrbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit; occurrentes sibi extra portam eodem sancto Leone episcopo: cuius supplicatio ita cū, Deo adiuuante, leniuit: vt quia omnia potestati eius essent tradita, ab igne tamen & cæde abstinerent, atque suppliciis quatuordecim interim dies secura, & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma

A vacuata est. Multáque millia captiuorum, prout cuique ætate an arte placuerunt: cum regina Eudoxia, quæ Gensericum ad hoc facinus inuitauerat: duabusque eius filiabus Carthaginem abductæ sunt. Capta itaque hoc modo à Genserico Roma est, postquam eam primò Alaricus inuaserat. Sed iam vice expletis ab eo tempore XLIII. annis, à conditione sua CIϽCC. atque VIII. euolutis. Relicta itaque vrbe, per Campaniam sese VVandali Maurique effundentes, cuncta ferro, flammisque consumunt: quidquid superesse potest, diripiunt. Captiuámque nobilissimam ciuitatem ad solum vsque adiiciunt, captiuant, prædantur. Nolam nihilominus vrbem ditissimam, aliæque quamplures pari ruina prosternūtur. Neapolim prætereà, quásque ob infirmitatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas relinquunt quicunque gladio superfuerant captiuitatis iugo subiiciuntur. Inter has procellas vir piissimus Paulinus Nolanæ vrbis episcopus, postquam quidquid habere potuit in captiuorum redemptionem expendit: nouissimè cum nihil ei aliud, nisi ipse sibi solummodo superesset, pro cuiusdam viduæ filio maternas non valens ferre piis visceribus lacrymas: cum eadem ad Africam proficiscens, quò iam hostes descenderát, sese barbaro viro vice vicaria in seruitium tradidit cuius sanctitas cum apud eandem barbaram gentem Dei nutu cognita fuisset: demum cum omnibus suis ciuibus ad vrbem propriam remeauit. At verò Gensericus postquàm ditatus Italiæ opibus ad Africam regressus est: Valentiniani principis natam, quam ab vrbe captiuitatis sorte abduxerat, Transimundo filio suo in matrimonium copulauit, ex qua Hildericus natus est, qui quartus postmodum à Genserico in VVandalis apud Africam regnauit. Recedente igitur ab vrbe Genserico, Romani insequenti mense exinanitæ Reip. Imperatorem Auitum præficiunt. VVisigotthæ quoque circa hæc tempora cum rege suo Theoderico Theoderici filio transcensis Pyrenæi iugis Hispanias inuadunt. At verò Martianus Imperator, cum apud Constantinopolim VII. annis regnum administrasset, facta suorum conspiratione peremptus est.

PAVLLI DIACONI

LIBER XVI.

ANno ab vrbe condita CIϽ CCXI. post Martiani imperatoris interitum, Leo quintus ac quadragesimus Romanorum regum, apud vrbem Constantinopolim Augustali potitus est dignitate: qui deinceps sequenti tēpore Leonem suum filiū, sui imperij consortem effecit. Exempto quoque in Italia humanis rebus Auito, Maiorianus apud Rauennam inuadit imperiū: quod cum propè annis IIII. obtinuisset, haud procul à Tertionensi ciuitate iuxta Hiriam flumē occisus est: statimq. Seuerus apud Rauennam Imperator efficitur, & Augustus appellatur. Tertio huius imperij anno, Biorgor rex Alanorū cum exercitu adueniens, occurrēte patritio Ricimere, superatus non longè à Bergomo ciuitate Venetiæ, atque exstinctus est. Seuerus cū quatuor annis imperasset, morte propria apud vrbem occubuit. Eodem tempore egresso inopinatè igne magna Constantinopolis ædium strage cremata est. Deinde totius consensu militiæ, post Seueri mortem, iura imperij Antemius suscepit.

Sequenti anno Seruandus Gallorum præfectus, imperium tentans inuadere, iuſſu Antemij principis in exſilium truſus eſt. Rurſus annali emenſo ſpatio, Romanus patritius imperij iam fraudulenter ſatagens arripere dignitatem, præcipiente Antemio capite cæſus eſt. His quoque diebus Genſericus iterum Italiam aduentare nauibus cupiẽs, à Baſilico patritio nauali ſuperatus certamine, Carthaginem inglorius repedauit. At verò in Orientis partibus Aſper patritius, Leoni Auguſto inſidias moliẽs ſuum filiũ Cæſarem effecit. Leo victorem exercitum ſtatim è Sicilia vocans, patritium cum nouello Cæſare, aliòque eius germano, digno vitæ mulctauit excidio. Hoc denique ipſo in tempore, inter Antemium principem, eiúſque generum Ricimerem patritium, qui tunc Mediolani poſitus præerat Liguriæ, magnus diſcordiarum fomes exortus eſt: qui ſe vir ſenectute conſpicuus Epiphanius Ticinenſis epiſcopus interponens, eos primùm ad concordiam reuocauit. Deinde Barbarica perfidia fœdus Ricimericum, (erat enim Gotthus proſapiâ) cum manu mox valida ad vrbem contendit: atque apud Anienis pontem caſtra poſuit. Diuiſa itaque Roma eſt: & quidam fauebat Antemio, quidam verò Ricimeris perfidiam ſequebantur. Inter hæc Olimbrius à Leone Auguſto miſſus ad vrbem venit: viuóque adhuc Antemio, regiam adeptus eſt poteſtatem. Billimer Galliarum rector, cognita aduerſus Antemium conſpiratione Ricimeris Antemio ferre præſidium cupiens, Romam properauit. Is cum Ricimere apud Adriani pontem prælium committens, continuò ab eo ſuperatus atque occiſus eſt. Extincto Billimere, mox victor Ricimer Vrbem inuadens, IIII. iam annos agentem iura imperij Antemium gladio trucidauit. Præter famis denique morbique penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, inſuper etiam grauiſſimè deprædata eſt: & exceptis duabus regionibus, in quibus Ricimer cum ſuis manebat: cætera omnia ſunt prædatorum auiditate vaſtata. Sed non diutius de perfidia lætatus eſt Ricimer. Nam poſt menſem tertium excruciatus languoribus & ipſe interiit. Mortuo Ricimere, Olimbrius Imperator, Gundibarum eius nepotem patritium effecit. Olimbrius quoque, dum ſeptem menſes imperium geſſiſſet, morte propria Romæ defunctus eſt. Poſt huius funus, Liarius domeſticus à Gundibaro patritio, totius etiam voluntate exercitus, apud Rauennam imperator efficitur. Anno deinde ſequenti inopinatè Nepos patritius cum exercitu veniens, Licerium regia exuit poteſtate: cúmque apud Salonas Dalmatiarum vrbem Epiſcopum ordinauit. Eo tempore cùm apud Toloſam VViſigothorum populis Euricus regnaret, ac per Italiæ & Galliæ fineis inter Nepotem, & Euricum litium fomenta creuiſſent, bellúmque è diuerſo vtrique præpararent: interueniente Epiphanio, de quo præmiſſum eſt, Ticinenſi Epiſcopo, fœdere inter eos iura firmata ſunt. Haud procul ab his temporibus, Theodoricus cognomento Strabo, Triaci filius, cum magna Oſtrogotthorum multitudine, vſque ad quartum vrbis miliarium armatus aduenit: nulli tamen Romanorum noxius: continuóque ad Illyricum reuerſus, exſtinctus eſt. Exigit nunc locus dicere, quam ob cauſam Gotthorum alij Oſtrogotthæ, alij verò VViſigotthæ ſint dicti: opportunúmque eſt aliquantulum ad ſuperiora tempora regredi, quatenus horum ratio vocabulorum poſſit exponi. Temporibus Valentiani ſuperioris Auguſti, cum intra Thraciæ fines Gothorum tunc populi communiter habitarent, hi ſanè per Alaricum ac Fridigernum diuiſi, decreuerunt, vt vtramque Rempub. id eſt, Fridigernus cum ſuis Orientalem: Alaricus verò cum ſuo exercitu Occidentalem opprimeret. Hi ergo qui cum Fridigerno in Orientali remanſerant parte, lingua patria ab Oriente Oſtrogotthæ, id eſt, Orientales Gotthi dicti ſunt. Iſti verò, qui Occiduas petiere regiones, ab Occidente VViſigotthæ, id eſt, Occidentales Gothi ſunt appellati. Leo igitur Auguſtus poſtquam Orientale, decem & ſeptem annis rexit imperium, diem clauſit extremum. Mortuo Leone, Zeno continuo Auguſtalem nactus eſt dignitatem. Leonem itaque, de quo præmiſſum eſt, quem pater Leo in regni adſciuerat poteſtatem: mater ſua, Zenonis imperium formidans, occultè clericum fecit. Exigente autem vehementer Zenone, vt filium proderet, pro eo alium forma ſimilem obtulit. Qui Leo deinceps in clericatu ad Iuſtiniani vſque tempora vixit. Ipſo quoque anno Auguſtulus apud Italiam aduerſus Nepotem cum exercitu veniens, effugato, eo imperij regimen inuaſit. Annali deinceps circulo euoluto, cum rege VVandalorum Genſerico fœdus initum eſt ab Oreſte patricio. Hæc dum apud Romanos geruntur, Odoacer cum fortiſſima Herulorum multitudine, fretus inſuper Tertullingorum ſiue Scyrorum auxiliis, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare contendit: qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognita Seuerini fama Chriſti domini ſerui, qui illis tunc degebat in locis, ad eum, vt ſibi benedictionem petiturus acceſſit. Qui dum benedictione percepta, ab eius egredi cellula vellet: & caput, ne ſuperliminari oſtij, eo quòd proceræ eſſet ſtaturæ, illideret, inclinaſſet: à Dei viro, futurorum præſcio, mox talia audiuit: *Vade nunc ad Italiam vade Odoacer viliſſimis interim ammantium pellibus indutus, multis citò plura largiturus.* Hæc ille verba rerum exitu comprobauit: nam aliquantis poſtmodùm annis, totius Italiæ inſuper & vrbis vſus eſt poteſtate. Ingreſſus itaque Italiam Odoacre, ſtatim ei apud Liguriæ terminos Oreſtes, patritius occurrit, qui aduerſus fortiſsimam multitudinem nihil ſe præualere conſpiciens, maximè cum eum iam quidam ſuorum deſeruiſſent, metu trepidus, intra Ticinum ſe munitionis fiducia concluſit. Mox adueniens cum exercitu Odoacer, expugnatam fortiter ingreditur ciuitatem: vaſtantur vniuerſa rapinis, ſæuit vbique gladius, diuina quoque, priuatáque ædificia ignis abſumit. Captus demum Oreſtes ab hoſtibus, Placentiam vſque perducitur: ibique gladio detruncatur. Exinde per vniuerſas iidem Barbari vrbes diffuſi, cunctam ſine aliqua tarditate Italiam iuri proprio ſubdidere: multáſque tunc ciuitates parantes reſiſtere, exſtinctis habitatoris ad ſolum vſque deiecere. Odoacer itaque proſperos ſibi cernens ſucceſſus accreſcere, ſtatim regiam arripuit poteſtatem. Auguſtulus quidem, qui imperij præſumpſerat dignitatem, cernens vniuerſam Italiam Odoacris viribus ſubdi, inopinabili metu perterritus, ſpon

te mi-

te miserabilis purpuram abiiciens, cùm vix xi. mensibus rempublicam obtinuisset, imperialem deposuit maiestatem. Ita Romanorum apud Romam imperium toto terrarum orbe venerabile. & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octauiano erecta est, cum hoc Augustulo periit, anno vrbis conditæ, CIↃCCXXIX. A Caio verò Cæsare, qui primò singularem arripuit principatũ, anno ID XVII: Ab incarnatione verò Domini anno CCCCLXXV. Igitur deiecto ab Augustali dignitate Augustulo, vrbem Odoacer ingressus, totius Italiæ adeptus est regnum, quod cùm annis XIIII. nullo inquietante tenuisset: ab Orientis tunc partibus veniens Gotthorum rex Theodericus, Italiam possessurus intrauit. Sed vt ad liquidum, ob quam caussam, vel vnde aduenerit, possit agnosci: necesse est aliquantisper ad superiora repedare. VValamir Ostrogotthorum rex, de quo superiori bello præmissum est, quod Attilæ Hunnorum regi subiectus exstiterit: mox vt Attila occubuit, ab Hunnorum se suóque dominio, auitæ libertatis memor excussit. Idem quoque & Gepidarum rex Ardaricus, cæteræque Hunnis subiectæ faciunt nationes. Hunni verò dolentes VValamirum, eiúsque exercitum, non solum se à suæ ditionis iugo excussisse, sed etiam cæteris nationibus, vt similia facerent, incentores fuisse: mox vt fugitiua mancipia eos insequentes, ad seruitutem pristinam armis aggressi sunt reuocare. Conglobatis itaque suis, super Hunnos VValamir irruit: tantáque in eos cæde grassatus est, vt de reliquo, qui superfuerant, Hunni, Ostrogotthorum arma formidarent. Leo denique imperator cum Gotthis post hæc Illyricum vastantibus, fœdus iniit: Ac Theodericum Thiodimeris filium, ex Arilena concubina genitum, ab VValamire eius patruo obsidẽ accepit. Occiso deinde VValamire à Scyris, Thiodimer eius germanus, regia iura suscepit. Diuiso deinceps regno, Thiodimer Orientis, Vindimer verò occiduum imperium sortitur deuastandum. Sed mox vt Vindimer Italiam ingressus est, rebus excessit humanis, successorem Vindimer filium relinquens. Vindimer verò acceptis à Licerio tunc imperatore muneribus Gallias contendit: seséque cum parentibus VVisigotthis iungens, vnum populum effecit. Interea dum suaui patrata victoria Vindimer domum reuertitur, Theodericum filium à Leone imperatore missum, gratanter excepit: qui Theodericus, dum iam octauum decimum annum ageret, & inscio patre aliquantis secum satellitibus adsciitis, vicinum sibi Sarmatarum gentem inuadens, optima ex eorum nauibus patri spolia, prædámque copiosam reportauit. Theodimere itaque vita decedente, vniuersis adnitentibus, ad regni gubernacula Theodericus ascendit. Quod factum cum ad Zenonem Augustum perlatum esset, gratanter accepit: eumque ad se rursus euocatum Constantinopolim, magno simul & honore & diuitiis extulit, in tantum vt etiam consularibus cum fascibus sublimaret: quæ dignitas post imperiale fastigium prima est: æneámque illi equestrem statuam ante suum palatium collocaret. At verò dum huiuscemodi Theodericus delitiis apud Constantinopolim affluerat, gens illius, id est, Ostrogotthæ, dum eis per fidei sanctionem prædas agere more solito non liceret: nec tamen ab imperatore oblata stipendia sufficere possent, cœpere non minimam egestatis penuriam pati. Execrantur fœdus compositum, vituperant inutilem pactionem, mittuntque continuò ad Theodericum, qui dicerent: quod, cùm ipse Græcorum epulis superflueret, illi inopiæ miserias sustinerẽt. Hortatur vt si suis, sibique consulere velit citiùs redeat: quatenus ne cuncta gens pessumdetur: & nouas ad habitandum sedes exquirant. His Theodericus cognitis, ad Augustum Zenonem confestim accedit: questus, insuper penuriamque suorum exponit: Italiam sibi dari postulat: absolutionem efflagitat, adiiciens: quod si superare Odoacrem posset, Italiamque obtinere, ad eius redundaret gloriam, à quo directus fuisset, si in bello superatus foret, nihilominus lucris accresceret: quandoquidem quotidianorum stipendiorum exactoribus careret. Talia Zeno audiens, cõtristatus quidem est, eo quòd eum nollet dimittere. Attamen deliberato consilio Reipublicę vtilitati prospiciẽs, eius petitionibus annuit: Italiam ei per pragmaticum tribuens, sacri etiam velaminis dono confirmauit: Senatúmque illi, populúmque Romanum commendans, abire permisit. Egressus igitur Constantinopolim Theodericus, ad Ostrogotthas reuertitur: hortatúrque continuò, vt quàm primum parati sint; quatenus possessuri Italiam proficiscantur. Attamen prius quàm ad Italiam aduentaret, Trasillam Gepidarum regem insidias sibi molientem, bello superans, extinxit: Busámque Bulgarorum regem magna cum suis agminibus cæde, prostrauit. Egressus itaque à Mysia cum omni Ostrogotthorum multitudine, vniuersáque supellectili, per Syrmium, Pannoniasque iter faciens, ad Italiam venit. Ac primùm iuxta Sontium flumen, quod non longè ab Aquileia labitur, castra componens, dum vberrimis, quæ eo loco habentur pascuis, fatigata aliquantulum ex itineris longitudine iumenta reficeret: ibi mox ei cum grandi suorum exercitu totius Odoacer Italię viribus occurrit. Quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatum prælio postremò in fugam conuertit. Exinde Theodericus mouens, cùm Veronam venisset: iterum aduersus eum Odoacer non minori, quàm priùs, belli sese apparatu opponit. Contra quem Theodericus haud procul Veronensi vrbe confligens, nimia eius exercitum cæde contriuit: ipsúmque pariter & omnem illius multitudinem dare terga coegit. Qui dum fugæ metu se præcipites in Athesim fluuium mergunt: ex magna parte rapidissimis eius gurgitibus impliciti, suffocantur. Theodericus verò, dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam ilico, pauore ciuibus consternatis, inuadit. Odoacer autem cum iis qui euaserant, fugiens, Romam contendit. Sed obseratis continuò portis, exclusus est. Qui cùm sibi denegari introitum cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio, flammísque consumsit. Inde quoque egrediens, Rauennam ingressus est. Ibique quibus se aduersum hostes tueretur, munitionum præparare obstacula cœpit. Theodericus itaque à Verona digrediens, Mediolanum peruenit: vbi dum consisteret, magna ad eum multitudo militum, pluresque Italiæ populi conuenere. Sed paucis interiectis diebus,

Va

rursus deditus totus exercitus, Tuffa quodam A nomine instigante, Odoacris se partibus reddidit. Ea res Theodericum in tantum perterruit: vt se suumque exercitum apud Ticinensem vrbem muniret. Talium rerum varietates Burgundionum rex Gundubadus adspiciens, Liguriam cum ingenti exercitu ingressus, cuncta quæ repetere poterat, pro voluntate diripiens, infinitam secum ad Gallias captiuorum multitudinē adduxit. Theodericus itaque aliquádiu intra munitiones exercitum retinens, demum relictis sibi matre, sororibus, vniuersáque vulgi multitudine, nihil planè B dubius de Epiphanij viri sanctissimi fide, cum expeditis armatorum cuneis ad Odoacris obsidionem Rauennam pertexit: dúmque eo loco, cui Pinetum nomen est, non procul ab vrbe castra posuisset, per continuum penè triennium Odoacrem obsedit. Qui cùm frequenter ex vrbe cum suis egrediens, eius exercitum inquietaret: nouissimè noctu in castra irruens, magna Theoderici exercitum strage prostrauit. Victus ad extremum fortissimè Gotthis resistentibus, in vrbem con- C fugit. Nec multo postea à Theoderico in fide susceptus, ab eo truculentè peremptus est. Egressis denique à Ticinensi vrbe post triennium Gotthis, eandem mox vrbem Rugi inuaserc, cuncta per circuitum loca, simulque & ciuitatem continuū biennium populatione vastantes, cum beatissimus Epiphanius superesset: cuius in tantis periculis sanctitate ciues releuabantur afflicti. Hic à Theoderico Gallias ad Gundibadum pro captiuis redimendis directus, excepta innumera mul- D titudine, pro quibus primùm tribuit sex millia captiuorum ob solam sanctitatis suę reuerētiam sibi concessa secum reduxit. Igitur Theodericus exstincto apud Rauennam Odoacre, totius Italiæ adeptus est ditionem. Nec multo post Romam profectus à Romanis magno gaudio susceptus est, quibus ille singulis tritici ad subsidium annis viginti millia modiorum concessit. Dum hæc apud Italiam geruntur, à Bulgaris vniuersa E Thracia deuastatur. Constantinopolis etiam ipsis diebus maximo conflagrauit incēdio. At verò apud Africam Honoricus, qui mortuo Genserico in regnum successerat, Arriana perfidia, trusis in exilium, effugatisque amplius, quàm CCCXXXIII. catholicis Episcopis, & ecclesiis eorum clausis, plebem variis suppliciis affecit. Et quidem innumeris manus abscindens, linguas eorum pręcidit: nec tamen loquelam catholicæ confessionis eripere potuit. Apud Britanniam quoque Ambro- F sius Aurelianus, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, purpuram induit: Victoresque Saxones, Britonum ducens exercitum superauit sæpe. Atque ex eo tempore, nunc hi, nunc illi palmam victoriæ habuerunt: donec Saxones potentiores effecti, tota per longum insula potirentur. Theodericus interea, vt sui regni vires constabiliret: Audefredam Ludouici Francorum regis filiam sibi in matrimonium iunxit: Almafredam germanam suam, VVandalorum regi Honorico: eius Almafredę filiam Malabergam, G Toringorum regi Ermenfredo: Theodicodo quoque & Ostrogottho ex concubina filias alteram Alarico VVisigotthorum regi, alteram Sigismundo Burgundionum consociauit. Amalasiuntham verò tertiam filiam, Eutharico ex Alemannorum stirpe venienti, euocato ab Hispania tradidit. Nec fuit aliqua vicina Italiæ gens, quæ Theoderico aut coniunctionis affinitate, aut pactionis fœdere sociata non fuerit. Zeno itaque Augustus cum per annos XVII. Reip. præfuisset, apud vrbem Constantinopolim vitæ terminum accepit.

PAVLLI DIACONI

LIBER XVII.

CEssante iam Romanæ vrbis imperio: vtilius, aptiusque mihi videtur ab annis dominicæ incarnationis, supputationis lineā deducere: quò facilius quid quo tempore actum sit, possit agnosci. Anno ab incarnatione Domini CCCCXCII. post Zenonis excessum Anastasius purpuram induit: qui XXVII. in regnum numero exstitit. Hic Romani decus imperij, Eutychianæ hæreseos illuuie maculauit. Huius temporibus rāta propter Symmachi, & Laurentij electionem Romæ dissensio facta est: vt Faustus senatorum nobilissimus, & exconsul. & alius exconsul Probinus Laurentij partibus fauentes, aduersus Faustum exconsulem, cæterosque, qui Symmacho adhærebant, pontifici bellum inferrent: multásque cædes, & homicidia in medio vrbis facientes, plerosque ex sacerdotali numero, multos etiam clericorum, perplures ciuium Romanorum exstinguerent. Eo tempore Transamundus, qui fratri Honorico apud Africam in VVandalorum regna successerat: fratris vel patris Genserici secutus perfidiam, clausis catholicorum ecclesiis, ducentos viginti Episcopos in Sardiniam exilio relegauit. Quibus beatus papa Symmachus quotidiana subsidia ministrare non destitit. Inter has tempestates beatus Fulgentius in confessione fidei, & scientia floruit. His ipsis apud Africam diebus dum Arrianus quidam Olympius nomine, corpus aquis balnealibus abluens, indigna quædam & blasphema de sanctæ trinitatis fide verba emoueret, veniēte subitò ignito cælitus iaculo visibiliter combustus est. Barbas quoque quidam Arrianus episcopus, dum contra regulam fidei, minorem scilicet patre filium, & spiritum sanctum asserere cupiens, baptizaturus dixisset: *Baptizo te ego Barbas in nomine patris maioris, & filij minoris in spiritu sancto*: statim aqua, quæ ad baptizandum allata fuerat, nusquam comparuit. Quod adspiciens, qui baptizandus erat, confestim ad ecclesiam catholicam confugiens iuxta morem fidei: baptismum Christi suscepit. Theodericus verò, dum per idem tempus pacificè apud Italiam regnaret, per singula quæque celebriora loca, regia sibi habitacula construxit. Anastasius itaque dum in hæresi, qua delapsus fuerat, perseueraret, duásque in Christo naturas, deitatis videlicet, & humanitatis, Eutychem hæresiarcham sequens denegaret: Hormisda papa, qui Symmacho successerat, dixerit Ennodium Ticinensem Episcopum, aliosque cum eo Constantinopolim legatos, cum catholicæ fidei inscripto, quatenus Anastasium ad Ecclesiæ reduceret gremium. Is non solum salubria eorum monita spreuit, sed insuper etiam à suis aspectibus eos non sine contumelia expulit: nauique fragili impositos mandat, ne vspiam per totam Græciam ad aliquam ciuitatem accederent: quam eius impiam temeritatem diuina continuò vltio subsecuta est. Nam cum iam septimum & vigesimum imperij annum ageret, ictu fulminis percussus interiit. Anno ab incarnatio-

tione Domini quingétesimo octauodecimo, punito Anastasio hæretico, Iustinus catholicus Augustali potitus est solio, ad hunc ob causam reintegrandæ fidei directus ab Hormisda pontifice vir sanctitate præcipuus, Germanus, Capuanę vrbis Episcopus, dignè susceptus est: multorúque dubia corda in fide solidauit. Eo tempore apud Africam defuncto Transamundo VVandalorum rege Arrianæ perfidiæ, Hildericus eius filius ex captiua Valétiniani principis filia ortus, adeptus est regnum. Qui non patrem hæreticum, sed matris catholicæ monita sequens, rectæ fidei cultor enituit. Hunc pater Transamundus ad mortem veniens, quia cernebat eum Catholicę parti fauere, sacramenti nodis adstringere curauit, ne vnquam in suo regno Catholicis consuleret. Qui mox, vt suus genitor vita caruit, priusquam etiam regni iura assumeret, vniuersos Episcopos, quos Trásamundus in exilium coegerat, regredi fecit: eisque ecclesias reformare cœpit: septuaginta iá & quatuor euolutis annis, ex quo à Géserico primitus apud Africam ecclesiæ fuerant destitutæ. At verò in Orientis partibus, dum adhuc eo tempore per loca singula Arriana hæresis vigeret, Iustinus ardore orthodoxę fidei omnimodis satagere cœpit, vt hæreticorum nomen exstingueret: statuitque, vt vbique eorum ecclesias catholica religione consecraret. Quod dum in Italia rex Theodericus Arriana lue pollutus audisset: Ioannem papam, simúlque cum eo Theodorum Importunum, atque Agapitum consulates viros, aliumque Agapitum patritium Constátinopolim ad Iustinum principem dirigit: mandátque per eos interminitás, vt nisi quantocius hæreticis ecclesias suas redderent, eosque in pace degere sinerent, vniuersos Italiæ populos ipse gladio extingueret. Qui perueniétes ad Augustum, cùm ab eo dignè, vt cópetebat, suscepti essent: magnis eum de sua suorúmque salute sollicitì fletibus postulant: vt suę legationis seriem, quanquam esset iniusta, libenter exciperet, Italiæque perituræ consuleret. Quorum fletibus Iustinus permotus, eis, quod petebatur, concessit: Arrianosq. suo iuri reliquit. Dum hi in itinere demorantur, Theodericus rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachum exconsulem, ac patritium, & Boetium seniorem & exconsulem Catholicos viros gladio trucidauit. Hic diebus exstincto à Francis Alarico VVisigotthorum rege, Theodericus per Ibbam suum comitem plus quàm xxx. millia Francorum cędens, Thiodem suum armigerum post mortem Alarici, tutorem Amalarici nepotis constituit: Ioannes verò pontifex reuertens à Constantinopoli, dum cum iis, cú quibus ierat, profectus ad Theodericum Rauennam fuisset: Theodericus ductus malitia, quod eum Iustinus catholicę pietatis defensor honorificè suscepisset, eum simul cum sociis carceris afflictione peremit. Sed hanc eius immanissimam crudelitatem mox animaduersio diuina secuta est. Ná nonagesimo octauo post hoc facinus die, subita morte defunctus est: cuius animam solitarius quidam apud Liparam insulam vir magnæ virtutis aspexit, inter Ioannem papam & Symmachum patritium deduci, & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi. Theoderico tali modo punito, Gotthi sibi Alaricum, de quo præmissum est, ex Theoderici filia procreatum, cú eadem Amalasiuntha matre sua in regnú pręficiunt. At verò Iustinus cum Augustalem dignitaté annis xi. administrasset, apud Cóstátinopolim in pace quieuit. Anno ab incarnatione Domini quingentesimo vigesimo nono, Iustinianus sororis Iustini filius Romanorú principum nonus ac quadragesimus, Augustalem adeptus est principatú. Qui mox vt imperialia iura suscepit, ad reparationem Reip. status animum intédit. Ac primùm per Bellisarium patritium ingentem virum Persas aggressus est: qui transgressis Romanorú terminis, eorum regiones grauiter populabátur: quos Bellisarius magnis prœliis fudit. Atque ex voluntate principis Constantinopolim triumphás ingressus est. Interea Atalaricus Gotthorú rex, cum nódum expletis quatuor annis regnasset, immatura morte pręuętus vitę subtractus est: cuius mater Amalasiúcha post eius funus Theodatum socium adsciuit in regnum. Sed Theodatus idem immemor collati beneficij, eá post aliquod tépus in balneo strágulari precepit, & quia ipsa dum adiuueret, se, suúque filiú principi commendauerat. Audita Iustinianus Augustus eius morte, graui mox aduersus Theodatum iracundia exarsit. Sentiens Theodatus sibi infensum habere principem, beatum papá Agapitum Cóstátinopolim dirigit, quatenus apud Iustinianum ei factorú impunitaté impetraret. Qui sanctus pontifex dum Iustinianum principé adisset: facta cum eodem de fide collatione, reperit eú in Eutychetis dogma corruisse, à quo primitus graues beatus antistes minas ppessus est. Sed cùm illius inconcussá in fide Catholica Iustinianus cóstantiam cerneret: siquidem adhuc vsque verbis progressum fuerat, vt talia à præsule audiret: *Ego ad Iustinianum Imperatorem Christianißimum venire desideraui, sed Diocletianum inueni.* Tádem ex voluntate Dei, eius monitis acquiescés, ad catholicæ fidei confessioné cú multis pariter, qui similiter desipiebát, regressus est. Anthemiú quoque eiusdé regię ciuitatis Episcopú prefatę hęreseos defensoré, cóuictum publicè communione priuauit: ac, persuaso principe, in exsiliú coegit. Nec multum post idem pótifex apud eandem vrbem diem obiit. Interea ad Africá, quá iam multis annis VVádali possidebát, à Iustiniano cú exercitu Bellisarius missus est: qui mox prœlio cum VVádalis commisso, eorú magnas copias fudit, regémque ipsorum Gilimerum viuum capiés, Constátinopolim misit. Carthago quoque post annum suæ excessionis XCVI. recepta est. Porro dum Agapitus pontifex, qui à Iustiniano principe pacem Theodato postularet, apud Constantinopolim obiisset: Iustinianus Bellisarium patritium multis iam præliis gloriosum aduersus Theodatum dirigit: vtque etiam Italiam à Gotthorum seruitio liberaret. Bellisari⁹ itaque, dum aliquátum temporis apud Siciliam moram faceret, rex Gotthorum Theodatus extinctus est. Huius in loco Vitigis successit: qui mox vt regnum inuasit, Rauennam profectus Amalasiunthæ reginæ filiam per vim secum auferés sibi matrimonio iúxit. Conceptas ergo cótra Theodatum Bellisarius belli vires in Vitigem conuertit. Egressúsque ex Sicilia ad Campaniam, Neapolim venit, quem Neapolitani ciues noluerunt excipere. Qui indignatus acriter ad eiusdé vrbis expugnationem totis se viribus erexit. Aliquantisque fortiter in pugná diebus deductis, tádem per vim capiés ingressus est. Tantáque nó solum in Gotthos, qui ibi morabantur, sed etiá in ciues ita deseuit, vt nó

ætati,non sexui,postremò, non sanctimonialibus, vel ipsis etiam sacerdotibus parceret. viros in cōspectu coniugum miserabili visu perimēs Superstites matres,ac liberos captiuitatis iugo abduxit; cuncta rapinis diripiens. Nec à sacrosanctis ecclesiis exspoliandis abstinuit: indéq; egrediens Romam properauit. Quo Romam ingresso, Gotthi qui in vrbe morabantur, noctu inde egressi, relictis patentibus portis, Rauennam fugiunt. Vitigis,vt talia comperit, mox aduersus Bellisarium Romam cum ingenti exercitu venit. Bellisarius B non aptum sibi tempus ad bella coniiciens intra vrbis se mœnia clausit,eámque circumsepsit. Gotthi vrbem obsidentes, vniuersa per circuitum direptionibus & incendiis absumunt: quoscunque Romanos reperiunt, gladio exstinguunt, cuncta sacra loca denudantes, ipsis etiam venerabilium martyrum sepulcris manus impias inferunt, continuè vrbem impugnant, sed cauta Bellisarij defensatur industria. Præter belli instantiam, angebatur insuper Roma famis penuria. Tanta siquidem per vniuersum mundum eo anno maximè apud Liguriam fames excreuerat: vt, sicut vir sanctissimus Datius Mediolanensis antistes retulit, pleræque matres infœliciū natorum membra comederent.Cumque per annum continuum Gotthi Romam obsedissent,demum territi Rauennam rediere. Bellisarius verò proficiscens Neapolim, eámque,vt competebat,ordinatam relinquēs,Romam regressus est.Statimq; ei à Theodora Augusta præceptio allata est, vt papam Siluerium conuictum accusatione falsorum testium in exilium truderet: eo quòd Authemium hæreticum Constantinopolitanum Episcopum reuocare noluisset:quod Bellisarius,licet nolens,nihil moratus effecit.pulsus denique papa Siluerius ad Pontiam insulam est, in qua & exulans obi: Vitigis verò coacto rursus in vnum magno Gotthorum exercitu,cum Bellisario conflixit: factaque maxima suorum strage,in fugam cōuersus est.Quem Ioannes magister militum,cognomento Sanguinarius, noctu fugientem persequens, viuum comprehendit;Romamque ad Bellisarium adduxit. Patrata Bellisarius victoria, Constantinopolim rediit, secum Vitigem deferens:quo viso Iustinianus valdè lætatus est:eique non multo pòst patritio effecto, administrationem illi iuxta Persarum terminos tribuit: ibique Vitigis degens vitam finiuit. Bellisarius verò dignis affectus honoribus; iterato ad Africam aduersus Guntarith mittitur: qui VVandalos rursus sollicitans, apud eos arripuerat regnum. Bellisarius vt Africam attigit, Guntarith sub dolo pacis illico peremit: residuósque VVandalorum Reip. iugo substrauit. Victor exinde Bellisarius Romam venit. Auream crucem centum librarum preciosissimis gemmis exornatam,in qua suas victorias descripserat, beato Petro per manus papæ Vigilij obtulit. His apud Casinum temporibus, post solitariam vitam sancto degens cænobio stupendis beatissimus pater Benedictus,nec minus futurorum præscius,radiabat virtutibus. Hæc etiam ætate gens Langbardorum amica tunc populi Ro. apud Pannonias degebat: quibus in regni gubernaculo Audoinus præerat. Is eo tempore cum Turiscendo Gepidarum rege confligens, per Alboinum suum filium iuuenem strenuum victoriam nactus est. Denique inter ipsas Alboinus sese acies Turismandum Turiscendi regis filium appetentem alacriter aggressus exstinxit: perturbatisque hac occasione Gepidis suis victoriam peperit. At verò apud vrbem Romam papa Vigilius ob eandem, qua & decessor suus causam indignatione Augustæ per Antimum Scribonem ductus Constantinopolim,indéque in exilium actus est. Capto igitur Vitige, Gotthi Transpadani Ildebrandum sibi regem constituūt. qui eodem anno perimitur.Cui successit Errarius, & ipse nondum anno expleto iugulatus. Dehinc sibi Badiulam, qui & Totila dicebatur,in regnum præficiunt. Moxque collecto vndique exercitu vniuersam rursus Italiam inuadunt. Exinde per Campaniam,viri que Dei Benedicti patris cænobium iter facientes perueniunt:pérque Lucaniæ,ac Brutiorum fines Regium proficiscuntur. Nec mora Siculum transgressi fretum Siciliam inuadunt. Inde quoque Romam petunt: eamque obsidionibus circumcludunt.Quæ tantam tūc famis penuriā perpessa est,vt præ magnitudine inopiæ natorum suorum carnes comedere vellēt.Fessis nimium Rom. C nec valentibus mœnia tueri, Totila à porta Ostiensi vrbem ingressus est. Qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccinam iubet:quo se à Gotthorum gladiis, aut Ecclesiis tuerentur, aut quibuscunque locis occulerent. Habitauitq; aliquanto temporis cum Romanis, quasi pater cum filiis.Hanc illi (vt videtur conii ci) animi benignitatem:qui nimiæ antea crudelitatis exstiterat,beati patris Benedicti, quem olim D adierat,monitio contulit. Elapsi ab vrbe aliqui è numero senatorum Constantinopolim afflicti properant: quibus calamitatibus Roma subiiceretur,principi narrant: qui statim Narsem eunuchum suum & cubicularium cum manu valida mittit:vt afflictæ Romæ quantotius subueniat. Is Italiam veniens, magno cum Gotthis certamine conflixit. Quibus ad interneccionem penè consumptis,regem Totilam,qui vltra iam x. annos regnauerat, interfecit: vniuersámque Italiam ad E Reip. iura reduxit. Quia verò restant adhuc, quæ de Iustiniani Augusti fœlicitate dicantur, in sequenti,Deo præsule,libello promenda sunt.

PAVLLI DIACONI LIBER XVIII.

CVm iam,vt præmissum est, Romanorum defecerit apud Italos imperium, plurimæq; gentes irruerent contra ipsos,ad iusque pertransierat F Pelasgum: hac tempestate Iustinianus Augustus Romanum eundem fœlici sorte regebat imperiū. qui & bella prosperè gessit, & in causis ciuilibus mirificus exstitit.Nam per Bellisarium patritium Persas fortiter deuicit, pérque ipsum Bellisarium VVandalorum gentem,capto eorum rege Gilimere vsque ad interneccionem deleuit: Africámque totam post annos x c v I. imperio Ro. restituit: rursusque Bellisarij viribus Gotthorum in Italia G gentem capto Vitige eorum rege,superauit.Maurósque post hæc Africam infestantes, eorumque regem Attilam per Ioannem exconsulem mirabili virtute prostrauit.pari etiam modo,vt alias gentes belli iure compressit, quam ob causam propter honorum omnium victorias, vt Alamanicus,Gotthicus, Alamanicus,VVandalicus,Africanusque diceretur, habere hæc nomina meruit. Leges etiam Romanorum, quarum prolixitas nimia

mia erat, & inutilis dissonantia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quę vtique in multis voluminibus habebantur, intra XII. libros coartauit. Idem quoque volumen Codicem Iustiniani appellari præcepit. Rursusque singulorum magistratuum siue iudicum leges, quæ vsque ad duo millia penè librorum erant extensæ, intra L. librorum numerum redegit: eumque Codicem Digestorum siue Pandectarum vocabulo nuncupauit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breuiter vniuersarum legum textus comprehenditur, nouiter composuit, nouas quoque leges, quas ipse statuerat, in vnum volumen redactas, id est codicem, Nouellarum nuncupari sanciuit. Extruxit quoque idem princeps intra Constantinopolim vrbem ipsi domino, qui est sapientia Dei patris, templum, quod Græco vocabulo ἁγίαν σοφίαν, id est, sanctā sapientiā nominauit. Cuius opus adeò cuncta ædificia excellit: vt in totis terrarum spatiis huic simile non possit inueniri. Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in iudiciis iustus: ideoque omnia ei concurrebant in bonum. Huius temporibus Cassiodorus apud vrbem Romam tam sæculari, quàm diuina scientia claruit, qui inter cætera, quæ nobiliter scripsit, psalmorum occulta præcipuè potentissimè reserauit. Hic primum consul, deinde senator, ad postremum verò monachus exstitit. Hoc etiam tempore Dionysius Abbas in vrbe Roma constitutus, paschalem calculum mira[n]da argumentatione composuit. Tunc quoque nihilominus Arator Rom. ecclesiæ subdiaconus poeta mirabilis, apostolorum actus versibus hexametris exarauit. His quoque diebus beatissimus Benedictus pater, & primus in loco, qui Sublacus dicitur, qui ab vrbe Roma XL. millibus passuum abest: & postea in castro Casini, quod Clauium appellatur, & magnæ vitæ meritis, & apostolicis virtutibus effulsit. Igitur cum circumquaque Lāgbardorum victoriæ personaret. Narses chartularius imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum aduersus Totilam Gotthorum regem præparans, cùm iam pridem Langbardos fœderatos haberet, legatos ad Alboinum dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gotthis auxilium ministraret. Tunc Alboinus electam è suis manum direxit: qui Romanis aduersus Gotthos suffragium ferrent, qui per maris Adriatici sinum in Italiam transuecti, sociati Romanis pugnam inierūt cum Gotthis. Quibus vsque ad internecionem deletis pariter cum suo Totila rege, onerati multis muneribus victores ad propria remearunt: omnique tempore, quo Langbardi Pannoniam possederūt, Romanę Reip. aduersus æmulos adiutores fuerūt. Tūc quoque apud Cōstantinopolim Priscianus Cæsariensis grammaticę artis (vt ita dixerim) profunda rimatus est. His temporibus Narses etiam Buccellino duci bellum intulit: quem Theudebertus rex Francorum, cum in Italiam introisset, reuersus ad Gallias cum Amingho duce ad subiiciēdam Italiam reliquerat. Qui Buccellinus, cum penè totam Italiam direptionibus vastaret, & Theudeberto suo regi de præda Italiæ munera copiosa conferret: & cùm in Campania hyemare disponeret: tandem in loco, cui Tannetum nomen est, graui bello à Narsete superatus, exstinctus est. Aminghus verò cum Auidin Gotthorum comiti cōtra Narsetem rebellāti auxilium ferre conatus fuisset, vterque à Narsete superati sunt. Aui-

A din captus Constantinopolim est missus, Aminghus verò, qui ei auxiliū præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius verò Francorum dux nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reuerti, inter Veronam & Tridentum iuxta lacum Benacum, propria morte defunctus est. Habuit nihilominus Narses certamen aduersus Sindualdum Brentorum regem: qui adhuc de Herulorum stirpe remāserat, quos secum in Italiam veniēs, solummodò Odoa-
B cer adduxerat. Huic Narses fideliter sibi primum adhærenti, multa beneficia contulit. Sed nouissimè superbè rebellantem, & regnare cupientem, bello superatum & captum, celsa de trabe suspendit. Eo quoq; tempore Narses patritius per Dagistheum magistrum militum, virum bellicosum & fortem, vniuersos Italiæ fines obtinuit. Hic Narses quidē primus carthularius fuit, deinde propter virtutem meritò patritiatus honorem meruit. Erat autem vir piissimus, in religione catholicus, in pauperes
C munificus, in recuperādis basilicis studiosus satis: vigiliis, & orationibus in tantum studens, vt plus supplicationib. ad Deū profusis, quàm armis bellicis victoriam obtineret. Inter hæc Iustiniano principe vita decedente, Iustinianus minor Remp. apud Constantinopolim regendam suscepit. His quoque temporibus Narses patritius, cuius ad omnia studium vigilabat, Vitalem Episcopum Altinæ ciuitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regem confugerat: hoc est, ad Aga-
D thensem ciuitatem, tandem apprehensum apud Siciliam exsilio damnauit. Igitur deleta, vel superata, Narses omni Gotthorum gente, & iis quoque, de quibus diximus, pari modo deuictis, dum multum auri & argenti, seu cæterarum rerum diuitias acquisisset: magnam ab his ducibus, qui multa contra hostes eorum laborauerat, inuidiam pertulit; qui contra eum Iustino Augusto, & eius coniugi Sophiæ in hæc verba suggesserunt dicentes: *Quia expedierat Romanis Gotthis*
E *potius seruire quàm Græcis, vbi Narses eunuchus imperat, & nos seruitio opprimit, & hoc noster piissimus princeps ignorat: Aut libera nos de manu eius aut certè & ciuitatem Romam, & nos ipsos gentibus tradimus.* Cumq. hæc Narses audisset, hæc breuiter retulit verba: *Si male feci cum Romanis, male inueniam.* Tunc Augustus in tantum aduersus Narsetem commotus est, vt statim in Italiam Lōginum præfectum mitteret, qui Narsetis locum obtineret. Narses verò his cognitis, valde pertimuit: & in tantum ma-
F xime à Sophia Augusta territus est, vt regredi vltra Cōstantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quod eunuchus esset, hoc fertur mandasse, *vt eū puellis in gynæceo lanarū faceret pensa diuidere.* Ad quæ verba Narses dicitur in hæc responsa dedisse: *Talem se telam ordiarū, qualē ipsa dū viueret, deponere nō posset.* Itaq. odio metuque exagitatus, in Neapolim Cāpaniæ ciuitatē secedens, legatos mox ad Langbardorum gentem dirigit, vt paupera Pānoniorum rura desererent: & ad Italiā cunctis reple-
G ti diuitiis possidendam venirēt: simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quibus Italia ferax est, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos possit allicere. Langbardi læta nuntia, & quæ ipsi præcipuè optabant, gratanter suscipiunt. Deinde futuris commodis animos attollūt: continuo apud Italiam terribilia noctu signa visa fuerunt est, igneæ acies in cælo apparuerunt, eum, qui postea effusus est, sangui-

nem coruscantes. Narses verò de Campania Romam regressus, ibidem non post multum tempus ex hac luce subtractus est. Cuius corpus positum in locello plumbeo, cum omnibus eiusdem diuitiis, Constantinopolim est perlatum. Per hæc tempora apud Constantinopolim, vt supra præmissum est, Iustinianus minor regnabat, vir in omni auaritia deditus, cótemptor pauperum, senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri: in quibus ea, quæ rapiebat, auri talenta congregaret: quem etiam ferunt in hæresim Pelagianam delapsum. Hic cum à diuinis aurem cordis auerteret, iusto Dei iudicio, amisso rationis intellectu, amens effectus est. Hic & Tiberium Cæsarem adsciuit, qui et palatium vel singulas prouincias gubernaret, hominem iustum, vtilem, strenuum, sapientem, eleemosynarium, in iudiciis æquum, in victoriis clarum, &, quod his omnibus supereminet, verissimum christianum. Hic cum multa de thesauris, quos Iustinianus aggregauerat, pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequétius increpabat eum, quod Remp. redegisset in paupertatem, dicens: *Quod ego multis annis congregaui, tu intra paucum tempus prodige dispergis*: Aiebat autem ille: *Confido in Domino, quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum vt pauperes eleemosynam accipiant; vt captiui redimantur, hoc est magnus thesaurus, dicente domino: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ Dominus tribuit, congregemus thesauros in cælo, & Dominus nobis augere dignabitur in sæculo.* Igitur cum Iustinianus XI. annis regnasset, amentiam, quam incurrerat, tandem cum vita finiuit. Bella sanè, quæ per Narsetem patritium Gothis, vel Francis illata superius per anticipationem diximus, huius temporibus gesta sunt. Denique & cum Roma temporibus Benedicti papæ, vastantibus omnia per circuitum Langobardis, famis penuria laborat, multa frumenti millia nauibus, ab Ægypto dirigens, eam sub studio misericordiæ releuauit. Mortuo igitur Iustiniano, Tiberius constantinus Romanorum regum quinquagesimus sumpsit imperium. Hic cum, vt superius diximus, Iustiniano adhuc Cæsare palatium regeret, & multas quotidie eleemosynas faceret, magnam ei Dominus copiam subministrauit. Nam deabulans per palatium, vadit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux dominica sculpta, & ait: *Crucem Domini, qua frontem nostram & pectora munire debemus, eam sub pedibus conculcamus?* & dicto citius iussit eandem tabulam auferri de fossa. Qua leuata atque erecta, inueniunt subter & aliam hoc signum habentem, qui & ipsam iussit auferri. Qua amota, repererunt & tertiam iussúque eius cùm hæc fuisset ablata, inueniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatúmque aurum pauperibus adhuc abundantius, quàm consueuerat, largitur. Narses quoque patritius Italiæ, cum in quadam ciuitate intra Italiam domum magnam haberet, ad supra memoratam vrbem aduenit: ibique in domum suam occultè cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri, atque argenti reposuit: interfectisque omnibus conscíis, vni tantummodo hæc per iuramentum ab eo exigens commendauit. Defuncto verò Narsete, supradictus senex ad Cæsarem Tiberium ve-

A niens dixit: *Si mihi aliquid prodest*, inquit, *magnam rem, Cæsar dicam.* Cui ille, *Dic* ait, *quid vis. proderit enim tibi, si quod nobis profuturum esse narraueris. Thesaurum*, inquit, *Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus, celare non possum.* Tunc Cæsar Tiberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequútur attenti peruenientésque ad cisternã, deopertámque ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum est, vt per multos dies vix depor-

B tátibus potuisset euacuari. Quæ ille penè omnia, secundum moré suum, erogatione largissima dispensauit egenis. Hic cùm Augustalem coronam accepturus esset: cúmque secundum consuetudinem ad spectaculũ cùm populus expectaret, insidias ei præparauit Sophia Augusta, vt Iustinianum Iustini nepotem ad dignitatem imperatoriam sublimaret. Ille per loca sancta prius procedens, deinde, vocato ad se pontifice vrbis, cum consulibus, ac præfectis palatium ingressus, indu-

C tus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, cũ imménsis laudibus in regni gloria est cõfirmatus: quod eius aduersarij audiéntes, nihilque ei, qui in Domino spem suam posuerat, afficere valentes, magno sunt confusionis pudore cooperti. Transactis autem paucis diebus, Iustinianus pedibus se proiecit imperatoris, ob meritum gratiæ XV. ei auri centenaria deferens: quem ille secundum patientiæ suæ meritum colligens, sibi in palatio assistere iussit. Sophia vero Augu-

D sta immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentauit ingerere. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem XXX. diebus ad vindemiam iucũdaretur: vocato clàm Iustiniano, voluit eũ sublimare in regno: quo comperto, Tiberius cursu veloci Constantinopolim regreditur: apprehensámque Augustam, omnibus Thesauris exspoliauit, solũ ei victum quotidianum in alimento relinquens. Segregatísque pueris eius ab ea, alios ex fidelib.

E suis posuit, qui ei parérent: mandans prorsus vt nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Iustinianum verò verbis solummodo obiurgatum, tãto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret, rursúsque filio filiã suá expeteret. Sed hæc res minimè, quam ob causam nescio, ad effectum peruenit. Huius exercitus ab eo directus, Persas potétissimè debellauit: victorque regrediens, tãtam molem prædæ cum XX. pariter elephãtis detulit, vt humanę crederetur pos-

F se sufficere cupiditati. Tiberius igitur Constantinus postquam imperium VII. rexerat annis, sétiés sibi diem mortis imminere, vnà cum consilio Sophiæ Augustæ Mauritium genere Cappadocem, virum strenuum ad imperium eligit: ornatamq. suam filiam regalibus ornamentis eam tradidit ei, dicens: *Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum: vtere eo felix: memor semper, vt æquitate & iustitia delecteris.* Hæc postquam dixit, de hac luce ad æterna patriam migrauit, magnum luctũ populis de sua morte relinquens. Fuit enim sum-

G mæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudicio iustus, in vindicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens: omnes diligens, ipse quoque est dilectus à cũctis. Quo defuncto, Mauritius indutus purpura, redimitus diademate ad circum processit, acclamatisque sibi laudibus, post largita populo munera, primus ex Græcorum genere in imperio confirmatus

firmatus est. Hoc tempore Mauritius imperator, Childeperto Francorum regi L. millia solidorum per legatos suos direxit, vt cum exercitu super Langbardos irrueret, eósque de Italia exterminaret: qui cùm innumera Francorum multitudine in Italiam subitò introiuit. Langbardi verò in ciuitatibus se communientes, intercurrentibus legatis, oblatísque muneribus, pacem cum Childeperto fecerunt. Qui cum ad Gallias remearet: cognito imperator Mauritius, quia cum Langbardis fœdus inierat, quod ei ob detrimentum Langbardorum dederat, repetere cœpit. Sed ille suarū virium fretus potentia, pro hac ne responsum reddere voluit. His ita gestis, Autharis rex Brixellum ciuitatem super Padi marginem positam, expugnare aggressus est: in qua Dociruph dux à Langbardis confugerat: séque partibus imperatoris tradens, sociatus militibus, Langbardorum exercitui fortiter resistebat. Iste ex Sueuorum, hoc est, Alemannorum gente oriundus inter Langbardos creuerat: & quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed vbi occasionem vlciscendæ suæ captiuitatis reperit, contra Langbardorum ilicò arma surrexit. Aduersus quem Langbardi grauia bella gesserunt: tandemque eum cum militibus quos ducebat, exsuperantes Rauennam cedere compulerunt. Brixellus capta est, murique eius vsque ad solum destructi sunt. Post hæc Autharis rex cum Smaragdo patritio, qui tunc Rauennæ præerat, vsque in annum tertium pacem fecit. Denique per Benedictum papam Pelagius Romanæ ecclesiæ Pontifex absque iussione principis ordinatus est, eo quòd Langbardi Romam per circuitum obsiderent, ne posset quisquā à Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Aquileiensi episcopo nolenti tria capitula Chalcedonensis Synodi suscipere, epistolam satis vtilem misit: quam beatus Gregorius, cùm esset adhuc diaconus, conscripsit. Rursum Mauritius Augustus legatos ad Childepertum, mittens, eum, vt contra Langbardos exercitum in Italiam dirigeret, persuasit. Childepertus existimans suam adhuc Germanam apud Constantinopolim viuere, legatis Mauritij acquiescens, vt suam posset sororem accipere, iterum aduersus Langbardos Francorum exercitum Italiam direxit: contra quos dum Langbardorum acies properarent. Franci & Alemanni inter se dissentionem habentes, sine vllius conquisitione ad patriam sunt reuersi. Eo tempore fuit diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ, seu cæteris regionibus Italiæ, quale post Noe tempora creditur non fuisse. Factæ sunt lacunæ possessiones seu villarum, hominumque pariter & animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ viæ. Tantum tunc Athesis fluuius excreuit, vt circa Basilicam sancti Zenonis martyris, quæ extra Veronensis vrbis muros sita est, vsque ad superiores fenestras aquę pertingerent. Licet, sicut beatus Gregorius postea papa scripsit, in eandem Basilicam aqua minimè introiuit. vrbis quoq; eiusdem Veronensis muri ex parte aliqua, eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem hæc inundatio Kalend. Nouemb. Sed & tantæ coruscationes & tonitrua fuerunt, quantæ fieri vix æstiuo tempore solent. Post duos quoque menses eadem vrbs Veronensium magna ex parte incendio concremata est. In hac diluuij effusione in tantum apud vrbem Romam fluuius Tyberis excreuit, vt aquæ eius super muros vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiusdem fluminis, cum multa serpentum multitudine, draco etiam magnæ miræque magnitudinis per vrbem transiens, vsque ad mare descēdit. Subsecuta est statim hanc inundationem grauissima pestilentia, quam inguinariam appellant: quæ tantæ populum stragi destinauit, vt de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium papam virum venerabilem perculit, & sine mora exstinxit. Deinde pastore interempto, sese per populum extendit. In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius, qui tunc Leuita erat, à cunctis generaliter Papa electus est: qui dum septiformem litaniam fieri ordinasset, vnius horæ spatio, dum hi Deum precarentur, LXXX. ex eis subitò ad terram corruentes, spiritum exhalarunt. Septiformis autem litania dicta est, quia omnis vrbis populus à beato Gregorio in septem partibus deprecaturus Dominum est diuisus. In primo námque choro fuit omnis clerus: in secundo omnes abbates cum monachis suis: in tertio omnes abbatissæ cum congregationibus suis: in quarto omnes infantes: in quinto omnes laici: in sexto vniuersæ viduæ: in septimo omnes mulieres coniugatæ. Ideo autem de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia iam ante aliquot annos eius vitam, Deo auxiliante, texuimus: in qua ea, quæ dicenda erant, iuxta tenuitatis nostræ vires vniuersa descripsimus. Hoc tempore idem beatus Gregorius, Augustinum, & Melitum, & Ioannem, cum aliis pluribus monachis timentibus Deum, in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos conuertunt. His diebus defuncto Helia Aquileiensi patriarcha, postquam XV. annis se sacerdotem gesserat: Seuerus huic succedens, regendam suscepit ecclesiam: quem Smaragdus patritius veniens de Rauenna, in gradus per semetipsum Basilica trahens, Rauēnam eum in curiam duxit: cum aliis tribus ex Histria episcopis, id est, Ioanne Parentino & Seuero atque Vindemio, necnon etiam Antonio iam sene ecclesiæ defensore: quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Ioanni Rauennati episcopo, trium capitulorum damnatori, qui à tempore papæ Vigilij vel Pelagij Romanæ ecclesiæ desciuerant societate. Exempto verò anno, è Rauenna ad gradus reuersi sunt: quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri episcopi eos receperunt. Smaragdus patritius à dæmonio non iniustè correptus, successorem Romanorum patritiatus accipiens, Cōstantinopolim remeauit. Post hæc facta Synodus X. episcoporum, in Marciano congregatur: vbi receperunt Seuerum patriarcham Aquileiensem, dantem libellum erroris sui, qui trium capitulorum damnatoribus communicarat Rauennę. Nomina verò Episcoporum qui se ab hoc schismate continuerunt, hæc sunt: Petrus de Altino clarissimus, Ingenuus de Sabione, Angelus Tridentinus, Iunior Veronensis, Horontius Vicentinus, Rusticus de Taruisio, Fonteius Feltrinus, Agellus de Acedo, Laurentius Belunensis, Maxentius Iuliensis, & Hadrianus Polensis. Cum Patriarcha autem isti Episcopi, Seuerus Parentinus, Ioannes Patritius, Vindemius, & Ioannes. Igitur Mauritius Augustus, postquam vnum & XX. annos rexit imperium cum filiis Theodosio Tiberio, Constantinoque, à Phoca, qui fuit stra-

tor Prisci patritij, occiditur. Fuit autem vtilis Reipub. nam sæpe contra hostes dimicans, victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui & Auares appellantur eius virtute deuicti sunt. His diebus defuncto Seuero patriarcha, ordinatur loco eius Ioãnes Abbas patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu regis etiam Gisulfi ducis. In gradus quoque ordinatus est à Romanis Candianus antistes. Rursus mẽse Nouembri & Decembri stella Cometes apparuit. Candiano verò defuncto, apud gradus ordinatur patriarcha Epiphanius, qui primicerius notariorum ab episcopis, qui erant sub Romanis: & ex illo tempore cœperunt esse duo patriarchæ. Phocas igitur, vt præmissum est, extincto Mauricio, eiusque filiis, Romanorum regnum inuadit. Per octo annorum curricula principatus est. Hic rogante papa Bonifacio, statuit sedem Romanæ ecclesiæ, vt caput esset omnium ecclesiarum: quia ecclesia Constantinopolitana primam se omniũ ecclesiarum scribebat. Idem alio papa Bonifacio petente iussit in veteri fano, quod Panthæon vocabatur: ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, & omnium sanctorum martyrum fieri: vt vbi quondam omnium nõ deorum, sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Huius tempore, Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Persæ quoque aduersus Rempub. grauissima bella gerentes, multas Romanorum prouincias, & ipsam Hierosolymam auferũt: & destruentes ecclesias, sancta quoque profanantes, inter ornamẽta locorum sanctorum vel communium, etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Phocam Heraclianus, qui Africam regebat, rebellauit: atque cum exercitu veniens, eum vita, regnóque priuauit, rémq. publicá Romanam Heraclius eiusdem filius regẽdam suscepit. His diebus defuncto Heraclio Augusto, apud Constantinopolim Heraclionas eius filius cũ matre Martini regni iura suscepit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente, successit in loco eius Constantius germanus eiusdem filius Heraclij: imperauitque mensibus VI. Hoc etiam mortuo, Constantinus eiusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuítque regnum annis XXVIII. Circa hæc tempora, regis Persarum coniunx, nomine Cæsarea, de Perside exiens cum paucis suis fidelibus priuato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit. Quæ ab imperatore honorificè suscepta, post aliquot dies, vt desiderabat, baptismum consecuta est, & ab Augusta de sacro fonte leuata est. Quod vir eius Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatenus eidem vxorem suam redderet. Qui ad imperatorem venientes, verba regis Persarum nunciant: qui requirebat suam reginam. Imperator hoc audiens, rémque omnino ignorans, eis responsum reddidit, dicens: *De regina quam quæritis, fatemur nos nihil scire, præterquam quòd ad nos hic aliqua mulier priuato habitu aduenit.* Legati verò responderunt dicentes: *Si placet nostro conspectui, volumus hanc, quam dicitis, mulierem videre.* Quæ cùm iussu imperatoris aduenisset, mox vt eam legati conspiciunt, ad eius vestigia prouoluuntur: eique venerabiliter, quia eam vir suus requireret, suggerunt. Quibus illa respondit, *Ite renunciare regi vestro & domino, quia nisi sicut ego iam credidi, ita & ipse Christum*

A *crediderit, me iam vltra consortem tori habere non poterit.* Quid multa? Legati reuersi ad patriam, vniuersa, quæ audierãt, Regi renunciant. Qui nihil moratus, cùm LX. millibus viris Constantinopolim pacificè ad imperatorem venit: à quo gratanter & satis dignè susceptus est: qui cum vniuersis Christum dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis vnda perfusus, & ab Augusto de fonte leuatus, catholica fide confirmatus est: multísque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua coniuge, lætus & gaudens ad suam patriam repedauit. His diebus Constantinus, qui & Constans est appellatus, Italiam à Langbardorum manu eruere cupiens, Constantinopolim egressus per litora iter habens, Athenas venit. Indéque mare transgressus Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad solitarium quendam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, abiit: studiosè ab eo sciscitans, vtrum gentem Langbardorum, quæ in Italia habitabat, superare & obtinere posset. A quo cum seruus Dei spatium vnius noctis expetisset, vt pro hoc ipso dominum supplicaret: facto mane ita eidem Augusto respondit: *Gens Langbardorum superari modò ab aliquo non potest: quia regina quædam ex alia prouincia veniens, basilicam beati Ioannis Baptistæ in Langbardorum finibus construxit: & propter hoc ipse beatus Ioannes pro Langbardorum gente continuò intercedit. Veniet autem tempus, quando ipsum oraculum habebitur despectui, & tunc gens ipsa peribit.* Quod nos ita factum esse probauimus, quia ante Langbardorum perditionem, eandem beati Ioannis basilicam, quæ vtique in loco, qui Modoetia dicitur, est constituta, per viles personas ordinari conspeximus: ita, vt indignis personis & adulterinis non vitæ merito, sed præmij datione largiretur. Igitur vt diximus, cum Constans Augustus Tarentum venisset, egressus exindè Beneuentanorum fines inuasit: omnésque, per quas penè venerat Langbardorum ciuitates cepit, Luceriámque opulentam Appuliæ ciuitatem expugnatam fortius inuadens diruit, & ad solum vsque prostrauit. Acheruntiam sanè propter munitissimam loci positionem capere minimè potuit. Deinde cum omni suo exercitu Beneuentum circumdedit, & eam vehementer expugnare cœpit. Vbi tunc Romualdi filius adhuc iuuenculus ducatum tenebat: qui statim vt Imperatoris aduentum cognouit, nutritium suum nomine Sesualdum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit: obsecrans eum, vt quantocius veniret, filioque suo, ac Beneuentanis, quos ipse nutrierat, potenter succurreret. Quod Grimoaldus rex audiens, statim cum exercitu filio laturus auxilium, Beneuentum pergere cœpit: quem plures ex Langbardis in itinere relinquentes, quia exspoliasset palatium, & iam non reuersurus repeteret Beneuentum. Exercitus interim Constantis Beneuentum diuersis machinis vehementer expugnabat: & contrà Romualdus cum Langbardis fortiter resistebat. Qui quamuis cum tanta multitudine congredi manu propter paucitatem exercitus non auderet, frequenter tamen cum expeditis iuuenibus hostium castra irrumpens, magnas eisdem inferebat vndique clades. Cúmque Grimoaldus eius pater iam properaret, eundem nutritium eius, de quo præmisimus, ad filium misit, qui ei suum aduentum nunciaret. Qui cum prope Beneuentum venisset, à Græcis captus impera-

Imperatori delatus est: qui ab eo, vnde veniret requirens, ille se à Grimoaldo rege venire dixit: eúdémque regem citius aduentare nunciauit. Statimque Imperator territus, consilium cum suis iniit, quatenus cum Romualdo pacisceretur, vt Neapolim posset reuerti: acceptaque obside Romualdi sorore, cui nomen Gisa fuit, cũ eodem pacem fecit. Eius verò nutritium Gesualdũ ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, si aliquid Romualdo, aut ciuibus de Grimoaldi aduẽtu nunciaret. Sed potius quidem assereraret, eundem venire minimè posse. Quod ille facturum, vt ei præcipiebatur, promisit: sed cùm prope muros aduenisset, velle se Romualdum videre dixit: quò cùm Romualdus citius aduenisset, sic eum allocutus est. *Constans esto domine Romualde, & habens fiduciam noli turbari, quia tuus genitor citius tibi præbiturus auxilium aderit. Nam scias in ista nocte iuxta Saticrum fluuium cum valido exercitu manere: tantum obsecro, vt misericordiam exhibeas cum mea vxore & filiis: quia gens ista perfida me viuere non sinet.* Cumq. hoc dixisset, iussu imperatoris caput eius abscissum, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in vrbem proiectũ est. Quod caput Romualdus sibi iussit deferri, idque lacrymis osculatus est, dignoque in loco tumulari præcepit. Metuens subitò Grimoaldi regis aduentum Imperator, dimissa Beneuenti obsidione, Neapolim proficiscitur: cuius tamen exercitum Micola Capuanus comes, iuxta fluenta Caloris fluminis, qui vsque hodie Pugna dicitur, vehementer attriuit. Postquàm verò Imperator Neapolim peruenit, vnus ex eius optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Augusto, vt fertur, xx. millia militum expetiit, séque cum Romualdo pugnaturũ, victoremque spopondit. Qui cùm accepto exercitu ad locum, cui nomen Floritius est, aduenisset, ibique castra posuisset, Grimoaldus, qui iam Beneuentum aduenerat, hæc audiens, contra eum proficisci voluit. Cui filius, Romualdus, *Non est opus*, inquit, *sed tantũ nobis partem de vestro exercitu tribuite. Ego, deo fauente, cum eo pugnabo: & cum vicero, maior vtique gloria potẽtiæ vestræ adscribetur.* Factúmque est, vt accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cũ suis hominibus contra Saburrum proficiscitur: qui prius quàm bellum cum eo iniret, à quatuor partibus tubas insonare præcepit. Cumque vtreque acies forti intentione pugnarent, tunc vnus de regis exercitu nomine Amangus qui contum regiũ ferre erat solitus, quendam Græculum eodem cõto vtrisque manibus fortiter percutiens de sella, super quã equitabat, sustulit, eumque in aera supra caput suum leuauit. Quod cernens Græcorum exercitus, immenso pauore perterritus, in fugam conuertitur: vltimáque pernicie læsus, sibi fugiẽs mortem, Romualdo & Lãgbardis victoriam peperit. Ita Saburrus, qui se imperatori suo victoriæ trophæum de Langbartis promiserat patrare, ad eum cum paucis remeans, ignominiam deportauit. Romualdus verò patrata de inimicis victoria, Beneuentum triumphans ingressus est, patrique gaudium, & cunctis securitatem, sublato hostium timore, connexit. At verò Constans Augustus, cùm nihil se contra Langbardos gessisse conspiceret, omnes sæuitiæ suæ minas contra suos, hoc est Romanos, contorsit. Nam ingressus Neapolim, Romam perrexit, cui sexto ab vrbe miliario Vitalianus papa cum sacerdotibus, & Romano

A populo occurrerit. Cui Augustus cum ad beati Petri limina peruenisset, obtulit ibi pallium auro textum: & manens apud Romam diebus xii. omnia, quæ fuerant antiquitus instructa ex ære, in ornamentum ciuitatis deposuit, in tantum vt etiam basilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, & condita fuerat in honorem omnium deorum, & iam ibi per concessionem superiorũ principum locus erat omnium martyrũ, discooperiret, regulásque æreas exinde auferret, B easque simul cum omnibus aliis ornamentis Constantinopolim transmitteret. Deinde reuersus imperator Neapolim in littore Tyrrheno perrexit ciuitatem Rheginam. Ingressusque Siciliam, per indictionem septimam habitauit Syracusas: & tales afflictiones in suo populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ exercuit, quales antea nunquam auditæ fuerunt, ita, vt etiam vxores à maritis, vel filij à parentibus separarentur. Sed & alia multa & inaudita harum regionum populi sunt perpessi, ita, C vt alicui spes vitæ non relinqueretur. Nam & vasa sacra, vel similia sanctarum dei ecclesiarum, imperiali iussu, & Græcorum auaritia sublata sunt. Mansit autem imperator in Sicilia ab indictione septima, vsque in duodecim annos: sed tandem tantarum iniquitatũ pœnas luit: atque dum se in Balneo lauaret, à suis extinctus est: & ibidem magna cum solennitate à suis, vt decuit, tumulo traditus est. Interfecto igitur apud Syracusas Constante D imperatore, Mezetius in Sicilia regnum arripuit: sed absque Orientalis exercitus voluntate, cõtra quem Italiæ milites, alij per Istriam, alij per partes Campaniæ, alij verò à partibus Africæ & Sardiniæ venientes in Syracusas, eum vita priuarunt. Multique ex iudicibus eius obtruncati Cõstantinopolim perducti sunt, cum quibus pariter & falsi imperatoris caput est deportatum. Hæc audiens gens Sarracenorum, quæ iam Alexandriam & Ægyptum peruaserat, subitò cum multis naui- E bus venientes, Siciliam inuadunt, Syracusas ingrediuntur multámque stragem faciunt populorum, vix paucis euadentibus per munitissima castra & iuga confugerunt montium, auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum, quem Constans Augustus à Roma abstulerat ornatum, in ære & diuersis speciebus: sicque Alexandriam simul reuersi fuer. Porrò regis filia, quam de Beneuento obsidis nomine sublatam diximus, in Siciliam veniens, diem suum clausit extremum. Igi- F tur extincto, vt diximus, apud Siciliam Constante Augusto, punitoque, qui successerat, Mezentio tyranno, Romanorum regnum Constantinus Constantij Augusti filius suscepit regendum, Romanísque principatus est annis decem & septem. Constantij sanè temporibus Theodorus archiepiscopus, & Hadrianus his temporibus abbas existens, vir æquè doctissimus, à Vitaliano tunc papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorũ doctrinæ ecclesiasticæ fruge fœcundarunt. E qui- G bus etiam Theodorus archiepiscopus peccatorum iudicia quantis supplicijs, sed pro vnoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & discreta consideratione venustissimè ac multùm notabiliter descripsit. Dum hæc geruntur, hæresis apud Constantinopolim orta est: quæ ita opinando errauit, quia vnam in Domino nostro IESV CHRISTO voluntatem & operationem asseuerabat. Hanc autem hæresim excitarunt Grego-

A rius patriarcha Constantinopolitanus, Macharius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus. Quam ob caussam Constantinus Augustus CL. episcopos congregari fecit, inter quos fuerunt etiam legati sanctæ Romanæ ecclesiæ, missi ab Agathone papa, Ioannes diaconus, Ioannes Portuensis episcopus, qui omnes eandem hæresim damnauerunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur: ac per hoc significatum est, quod sordes hereticæ prauitatis B depulsæ sūt: & Gregorius quidem patriarcha correctus est. Cæteri verò in sua defensione perseuerantes, anathematis sunt vltione compulsi. Eo tempore Damianus Ticinensis ecclesiæ episcopus, sub nomine Mansueti Mediolanensis archiepiscopi hac de caussa satis vtilem, rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata Synodo nō mediocre suffragium tulit. Recta autem & vera fides est, vt sicut domino nostro IESV CHRISTO duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis: sic etiam duæ credantur esse voluntates siue operatio- C nes. Vis audire de eo, quod deitatis est? *Ego*, inquit *& pater vnum sumus*. Vis audire quod humanitatis? *Pater maior me est*. Certè secundum humanitatem, cum Euangelista ait: *Iesus autem dormiebat in puppi super ceruical*. Vide diuinitatem: *tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna*. Hęc est sexta synodus vniuersalis Cōstantinopoli celebrata, & Græcorum sermone conscripta, tempore papæ Agathonis, & obsequente & assistente Constantino principe intra D septa palatij sui. Dehinc apud Constantinopolim imperator moritur Constantinus, & eius minor filius Iustinianus Romanorum regnum suscepit: cuius per X. annos gubernacula tenuit, ac Africam à Sarracenis abstulit, & cum eisdem pacem terra, marique fecit. Hic Sergium pontificem, qui in errorem illius synodi, quam Constantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluit: misso Zacharia protospatario suo iussit: Constantinopolim deportari. Sed militia Rauennæ, vicinarumque par- E tium, iussa principis nefanda contemnens, eundē Zachariam cum contumeliis ab vrbe Roma & iniuriis expulit. Contra hunc Iustinianum Leo augustalem dignitatem arripiens, eum imperio priuauit, regnúmque Romanorum tribus annis regens, Iustinianum exsulem in Ponto seruauit. Rursusque Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum eius inuasit. Eumque toto, quo ipse regnauit, tempore, in eadem ciuitate custodia permaxima tenuit. Hoc tempore Aquileia ob im- F peritiam fidei quintum vniuersale consilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Sergij monitis instructa, & ipsa huic cum ceteris Christi ecclesiis annuere consentit. Facta est autē hæc synodus Constantinopoli temporibus papæ Iulij sub Iustiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos, qui beatam Mariam solum hominem non deum & hominem, genuisse affirmant. In qua Synodo catholicè est institutum vt G beata Maria semper virgo θεοτόκος, diceretur, quia, sicut catholica fides habet, nō solū hominē, sed verè deū & hominē genuit. Hoc tēpore apud Gallias in Francorū regnū Anchis Arnulphi filius, qui de nomine Anchisę quōdā Troiani creditur appellatus, sub nomine maioris domus gerebat principatū. At verò Iustinianus, qui amisso principatu, in Ponto exulabat, auxilio Trebelli Bulgarorū regis regnū rursus recipiēs, eos, qui se expulerāt, patricios occidit. Leonē quoq. & Tiberiū, qui locum eius vsurparant, cepit, & in medio circo coram omni populo iugulari præcepit. Gallicinum verò patriarcham Constantinopolitanum erutis oculis Romam misit: Cyrumque abbatem, qui eum in Ponto exsulem aluerat, Episcopum in loco Gallicini constituit. Hic Constantinum papam ad se venire iubens, honorificè suscepit, ac remisit. Quē prostratus in terra, pro suis peccatis intercedere rogans, cūcta eius Ecclesiæ priuilegia renouauit. Qui cùm exercitum in Pōto mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegauerat, multum eum idē venerabilis papa prohibuit, ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit. Exercitus quoque, qui missus contra Philippicum fuerat, ad partem se Philippici contulit, eúmque imperatorem fecit: qui Constantinopolim contra Iustinianum veniens, cum eo ab vrbe miliario duodecimo pugnauit, vicit, & occidit, regnumque eius adeptus est. Imperauit autē Iustinianus cum filio Tiberio in hac secunda vice annis VI. quem Leo in expulsione illius naribus detruncauit. Qui post iterum assumpto imperio, quoties defluentem guttam rheumatis manu detersit, penè toties aliquos ex iis, qui contra eum fuerant, iugulari præcepit. At verò Philippicus, qui & Dardanes, postquàm imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum de quo diximus, de pontificatu eiectum, ad gubernandum monasterium suum Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino papæ litteras praui dogmatis direxit: quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit, & huius rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri: quæ & gesta sex sanctarum synodorum vniuersalium continet. Nam & huiusmodi pictura, cum haberetur in vrbe regia, Philippicus iussetat auferri. Statuit populus, ne hæretici imperatoris nomen aut chartam, aut figuram solitas susciperent. vnde nec eius effigies in ecclesia introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum. Hic cùm annum vnum & sex mensibus regnum gessisset, contra eum Anastasius, qui & Arthemius dictus est, insurgēs, eum regno expulit, oculisque priuauit: nec tamen occidit. Hic Anastasius literas Constantino papæ Romam per Scholasticum patricium, & exarchum Italiæ direxit: quibus se fautorem catholicæ fidei, & sanctæ sextæ synodi, vel concilij prædicatorem esse declarauit. Hoc tempore Anastasius imperator, classem in Alexandriam contra Saracenos direxit: cuius exercitus ad aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam vrbem regressus, Theodosium Orthodorum inquirens, imperatorem elegit, atque coactum in solio imperiali confirmauit. Qui Theodosius apud Niceam ciuitatem, Anastasium graui prælio vicit: datoque sibi sacramento, eum clericum fieri, ac presbyterum fecit ordinari. Ipse verò, vt regnum suscepit, mox in regia vrbe imaginem illam venerandam, in qua sanctæ synodus erant depictæ, & à Philippico fuerat deiecta, pristino in loco erexit. His diebus ità Tiberis fluuius inundauit, vt alueum suū egressus, multa Romanę fecerit exitia ciuitati, ita vt via lata ad vnam & semis staturam excresceret, atque sancti Petri vsque ad pontem Miluium aquæ descendentes coniungerent. Mansit autem diebus septem, donec agentibus litanias crebras ciuibus, octauo demum die reuersæ sunt. Inter hæc defuncto imperatore Theodosio, qui

qui vno solummodo imperium rexerat anno, eius in loco Leo Augustus subrogatur. Hoc etiam tempore eadem Sarracenorum gens, cum immenso exercitu Constantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obsedit, donec ciuib. multa instantia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, & frigore, bello, pestilentiaque perirent, ac sic partes obsidionis abscederent. Qui inde egressi, Bulgarorum gentem, quæ est supra Danubium, bello aggrediuntur: & ab hac quoque victi, ad suas naues refugiunt. Qui cùm altum peterent, irruente subita tempestate, plurimis etiam mersis siue contritis nauibus, perierunt. Intra Constantinopolim verò trecenta millia pestilentia perierunt. Hac tempestate Leo Imperator apud Constantinopolim sanctorum imagines depositas incendit, Romanóque pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandauit. Sed pontifex hoc facere contempsit: omnes quoque Rauennæ exercitus, vel Venetiarum talibus iussis vno animo restiterunt: & nisi eos pontifex prohibuisset, imperatorem super se constituere aggressi fuissent. Eo tempore Langbardorum rex Luitprandus Rauennam obsedit, classem inuasit, atque destruxit. Tunc Paulus patritius extra Rauennam misit, qui pontificem interimerent. Sed Langbardis pro defensione pontificis repugnantibus, Spoletanis in solatio positis, & ex aliis partibus Lãgbardis Thuscis resistentibus, consilium Rauennatium dissipatum est. Rursus cum Rauennam Luitprãdus regis nepos: & Peredeo Vicentius dux obtinerent: irruentibus subitò Venetis, Luitprandus ab eis captus est: Peredeo viriliter pugnans occubuit. Per idem tempus Leo Augustus ad peiora progressus est: ita, vt compelleret omnes Constantinopolim habitantes, tam vi quàm blandimentis, vt deponerent, vbicunque haberent, imagines, tam saluatoris quàm eius sanctæ genitricis, vel omnium sanctorum, easque in medio ciuitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique è populo tale scelus fieri præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alij parte corporis mulctati sunt. Huius errori Germanus patriarcha non consentiens, à propria sede depulsus est, & eius in loco Anastasius presbyter ordinatus est.

EX MAGNI AVRELII CASSIODORI CHRONICO AD THEODERIGVM. REGEM.

REGES LATINI.



LATINVS regnauit ann.xxxii. à quo Latini sunt appellati.

Huius imperij ann. xxv. Troia capta est. ad quem Æneas profugus venit; factúsque gener eius, ei succeſſit in regnum.

Æneas post viii. ann. Troiæ captæ, regnauit in Italia an.iii.

Aſcanius filius eius regnauit an. xxxviii: qui Albanum condidit.

Syluius, Æneæ filius de Lauinia, regnauit ann. xxix.

Huius temporibus Homerus poeta fuiſſe memoratur.

Æneas Syluius, regnauit an.xxxi.

Huius temporibus Hebræorum rex Dauid Hieroſolymis regnauit.

Latinus Syluius regnauit an.l.

Huius temporibus Amazones Aſiam vaſtauerunt: Carthago condita est à Carchedone Tyrio; vt quidam dicunt. Salomon [quoque] filius Dauid, regnans Hieroſolymis, templum famoſiſsimum condidit.

Alba Syluius regnauit an.xxxix.

Ægyptus Syluius regnauit an.xxiiii.

Capys Syluius regnauit an.xxviii.

Carpentus Syluius regnauit an.xiii.

Tiberius Syluius regnauit an. viii.

Agrippa Syluius regnauit an.xl.

Aremulus Syluius regnauit ann. xix.

Huius temporibus Licurgus apud Lacedæmonas iura compoſuit.

Auétinus Syluius regnauit an. xxxvii. à quo mós Romanorum, quia ibi ſepultus est, nomen accepit.

Procas Syluius regnauit an.xxiii.

[Amulius Syluius regnauit an.xliiii.] qui fratré ſuum Numitorem regno expulit; [cuius tempora iſti ſunt applicata.]

REGES ROMANI.

ROMVLVS regnauit an.xxxviii. à quo Roma condita eſt, & ex Latinis Romani ſunt nuncupati. Hic primum c. conſtituit Senatores. Huius temporibus Syracuſæ & Catina in Sicilia conditæ ſunt.

NVMA POMPILIVS regnauit an.xli. qui duos menſes anno addidit, Ianuarium & Fe-
A bruarium, cum ante hunc x. tantum menſes apud Romanos fuiſſent, Capitolium quoque à fundamentis conſtruxit. cuius etiam temporibus Sibylla in Samo inſignis habita eſt.

TVLLVS HOSTILIVS regnauit an.xxxii. qui primus apud Romanos purpura vſus eſt: cuius temporibus Chalcedon conditur, & Byzantium, quæ nunc Conſtantinópolis appellatur.

ANCVS MARCIVS regnauit ann. xx[illegible] qui ſextodecimo miliario ab vrbe [Roma] Oſtiam condidit.

TARQVINIVS PRISCVS regnauit annis xxxvii. Huius temporibus Maſſilia in galliis condita eſt.

SERVIVS TVLLIVS regnauit an.xxxiiii. qui primus céſum inſtituit ciuium Romanorum. Huius temporibus apud Perſas Cyrus primum regnare cœpit.

TARQVINIVS SVPERBVS regnauit
C an.xxxv. Huius temporibus Pythagoras phyſicus philoſophus, clarus habetur. Expulſo anté vrbe Tarquinio, bini CONSVLES cœperunt pro vno rege annis ſingulis adminiſtrare Rempublicam.

HINC CONSVLES.

L.Iunius Brutus, & L.Tarquinius Collatinus. *Hi* annum integrum minimè tenuerunt ad peragendum [tempus.] aliis ſubrogatis: id eſt P. Valerio, SP. Lucretio, & Horatio Puluillo.

D P.Valerius ii.& Titus Lucretius.

[P.Valerius iii.& M.Horatius ii.]

Spurius Largius, & Titus Hermenius.

P.Valerius iii. & P.Poſthumius.

P.Valerius iiii.& Titus Lucretius ii.

Agrippa Menenius & P.Poſthumius.

Opiter Virginius & Sp.Caſsius.

Poſthumus Cominius & T.Largius.

E His coss. DICTATOR primus T.Largius & MAGISTER EQVITVM SP.Caſsius ordinatur.

Seruius Sulpicius & M.Tullius.

T.Ebutius & L.Vetuſius.

Q.Clœlius.& T.Largius.

A.Sempronius & M.Minucius.

C.Poſthumius & T.Verginius.

App.Claudius & P.Seruilius.

C.Verginius & T.Vetuſius.

F Sp.Caſsius & Poſthumus Cominius.

T.Geganius & P.Minucius.

M.Minucius & A.Sempronius,

Sp.Nautius & Sex.Furius.

TSiccius

T. Siccius & C.Aquilius.
Sp.Cassius & Proculus Verginius.
Ser.Cornelius & Q.Fabius.
L.Æmilius & Cæso Fabius.
M.Fabius & L.Valerius.
Q.Fabius & C.Iulius.
Cæso Fabius & Sp.Furius.
M.Fabius & Gn.Mallius.
Cæso Fabius & T.Verginius.
L. Æmilius & C.Seruilius.
C.Horatius & T.Menenius.
A.Verginius & Spurius Seruilius.
C.Nautius & P.Valerius.
L.Furius & C.Manilius.
L.Æmilius & Opiter Verginius.
L.Pinarius & P.Furius.
Ap.Claudius & T.Quintius Capitolinus.
L.Valerius & T.Æmilius.
T.Numicius & A.Verginius.
T.Quintius II.& Q.Seruilius.
T.Æmilius II.& Q.Fabius.
Q.Seruilius & Sp.Posthumius.
Q.Fabius II. & T.Quintius III.
A.Posthumius Albus,& Sp.Furius.
L.Ebutius & P.Seruilius.
L.Lucretius Tricipitinus, & T. Veturius Geminus.
P.Volumnius & Ser.Sulpicius.
C.Claudius & P.Valerius.
Q.Fabius III.& C.Cornelius Maluginensis.
L. Minucius & L.Nautius.
Q.Minucius & M.Horatius Puluillus.
M.Valerius & Sp.Verginius.
C.Veturius & T.Romilius.
Sp.Tarpeius & A.Aternius.
His coss. legati Athenas missi ad leges describendas.
P.Curiatius & Sex.Quintilius.
T.Menenius & P.Sixtius.
Hoc tempore à COSS.ad DECEMVIROS trāslatum imperium est,per quos II. an.administrata respubl.est,atque iterum Consules creati sunt.
L.Valerius & M.Horatius.
L.Herminius & T.Verginius.
M.Geganius & C.Iulius.
T.Quintius IIII.& Agrippa Furius.
M.Genucius & T.Curiatius.
L.Papirius & L.Sempronius.
M.Geganius II.& T.Quintius V.
M.Fabius & Posth.Ebutius.
C.Furius Pacilus,& M.Papirius Crassus.
Proculus Geganius & L.Menenius.
T.Quintius VI.& Agrip.Menenius.
M.Geganius III.& L.Sergius.
M.Cornelius Maluginensis, & L. Papirius Crassus.
C.Iulius II.& L.Verginius.
C.Iulius III.& L.Verginius II.
T.Quintius Pœnus,& Gn.Iulius Mento.
L.Papirius Crassus,& L.Iulius.
L.Sergius II.& Hostus Lucretius.
A.Cornelius Cossus,& T.Quintius Pœnus II.
P.Seruilius Hala,& L.Papirius Mugilanus.
C.Sempronius & Q.Fabius Vibulanus.
Gn. Fabius Vibulanus, & T. Quintius Capitolinus.
M.Cornelius Cossus,& L.Furius Medullinus.
Q.Fabius Ambustus,& C.Furius Pacilus.
M. Papirius & C.Nautius.

A M. Æmilius & C.Valerius.
Gn.Cornelius & L.Furius II.
L.Lucretius,& Seruius Sulpicius Camerinus.
L.Valerius Potitus,& M.Manlius.
His coss. post vrbem captam redeuntes Gallos dux Romanus, nomine Camillus,exstinxit:de quibus triumphans in vrbe,quasi & ipse patriæ conditor, ROMVLVS meruit nuncupari. Tunc dignitates mutatæ sunt, & in loco Consulum per an. XVII. TRIBVNI MILI-
B TARES fuerunt. quibus ob insolentiam remotis. per an.IIII.potestas Consulum tribunorumque cessauit. Deinde rursus trib. annis per tribunos militares est administrata respublica. Post ann. verò XXIIII. reuersa est dignitas consularis.
L.Sextius de Plebe, & L. Æmilius Mamercus patricius.
L.Genucius,& Q.Seruilius.
C.Sulpitius Peticus,& C. Licinius Stolo.
C.Genucius,& L.Æmilius Mamercus II.
C Q.Seruilius Hala,& L.Genucius.
C.Sulpicius II.& C.Licinius.
C.Pœtilius Balbus,& M.Fabius Ambustus.
M.Popilius Lænas,& Gn.Manlius.
C.Plautius & C.Fabius.
C.Marcius & Gn. Manlius.
M. Fabius Ambustus II. & M. Popilius Lænas II.
C.Sulpicius Peticus III.& M.Valerius Publicola.
M.Fabius III.& T. Quintius.
C.Sulpicius IIII.M.Valerius II.
D P.Valerius & C.Marcius Rutilus II.
C.Sulpicius Peticus & T.Quintius Pœnus.
M.Popilius III. & L.Cornelius Scipio.
L.Furius Camillus,& App.Claudius Crassus.
M. Valerius Coruinus, & M. Popilius Lænas III.
T.Manlius Torquatus,& C.Plautius.
M.Valerius II.& C.Pœtilius II.
M. Fabius Dorsuo, & Ser. Sulpicius Camerinus.
E C. Marcius III.& T.Manlius II.
M.Valerius III.& A.Cornelius Cossus.
C.Marcius Rutilus,& Q.Seruilius.
C.Plautius II.& L.Æmilius Mamercus.
T.Manlius III.& P.Decius Mus.
T.Æmilius Mamercus,& Q.Publilius Philo.
L.Furius Camillus,& C.Mænius.
His coss. rostra nauium de Antiatibus in foro fixa sunt.
C.Sulpicius Longus,& P.Ælius Pætus.
F L.Papirius Crassus,& Cæso Duillius.
M.Valerius IIII.& M.Attilius Regulus.
T.Veturius & Sp. Posthumius.
A.Cornelius II. & Gn.Domitius.
His coss. pax cum Alexandro Epiri rege facta est.
M.Claudius Marcellus,& C.Valerius.
L.Papirius Crassus II.& C.Plautius Venox.
L.Æmilius Mamercus,& Gn.Plautius.
G C.Plautius Proculus,& P.Cornelius Scapula.
L.Cornelius Lentulus,& Q.Publilius Philo II.
C.Pœtilius III.& L.Papirius Mugillanus.
His COSS. Alexandria in Ægypto condita est.
L.Furius Camillus II. & Iunius Brutus Scæua.
C.Sulpicius Longus II.& Q.Ælius.
Q.Fabius (Rullianus,) & L.Fuluius.

T.Veturius Caluinus,& Sp.Posthumius.
L.Papirius & Q.Publilius Philo.
L.Papirius & Q.Ælius Ceritanus.
M.Follius & L.Plautius Venox.
C.Iunius Bubulcus,& Q.Æmilius Barbula.
Sp.Nautius & M.Popilius Lænas.
L.Papirius Cursor,& Q.Publilius.
M.Pœtilius[Libo]& C.Sulpicius.
L.Papirius Cursor,& C.Iunius Bubulcus II.
Marcus Valerius & P.Decius.
His coss. per Appium Claudium Censorem via facta & aqua inducta est, quæ ipsius nomine nuncupantur.
C. Iunius Bubulcus III. & Q. Æmilius Barbula II.
Q.Fabius II.& C.Marcius Rutilus.
Q.Fabius III.& P.Decius II.
App.Claudius & L.Volumnius.
His coss.viæ per agros publicæ factæ.
P.Cornelius Aruina,& Q.Marcius Tremulus.
L.Posthumius & T.Minucius.
P.Sulpitius Auerrio,& P.Sempronius Sophus.
L.Genucius & Ser.Cornelius.
M.Liuius & L.Æmilius.
M.Valerius & Q.Apuleius.
M.Fuluius Pætus & T.Manlius Torquatus.
L.Cornelius Scipio,& Gn.Fuluius.
Q.Fabius Maximus IIII.& P.Decius Mus IIII.
L.Volumnius & App.Claudius.
Q.Fabius V.& P.Decius IIII.
L.Posthumius Megillus, & M. Attilius Regulus.
L.Papirius Cursor,& Sp.Caruilius.
Q.Fabius Gurges,& D.Brutus.
L.Posthumius,& C.Iunius.
P.Cornelius Rufinus,& M. Curius Dentatus.
M.Valerius & Q.Cædicius.
Q.Marcius & P.Cornelius.
M.Marcellus & C.Nautius.
M.Valerius & C.Ælius.
C.Claudius & M.Æmilius.
C.Seruilius & L.Cælius.
P.Cornelius Dolabella,& Gn.Domitius.
C.Fabricius & Q.Æmilius.
L.Æmilius.& Q.Marcius.
P.Valerius & Ti.Coruncanius.
P.Sulpicius & P.Decius.
C.Fabricius & Q.Æmilius.
P.Cornelius & C.Iunius.
Q.Fabius & C.Genucius.
M. Curius & L.Lentulus.
Ser.cornelius & M, curius.
Q.Fabius & C.Claudius.
L.Papirius cursor,& Sp.carbilius.
C.Quintius & L.Genucius.
C.Genucius & Gn.cornelius.
P.Sempronius & App.claudius.
M.Attilius & L.Iulius Libo.
D.Iunius & M.Fabius.
App.claudius & Q.Fuluius.
M.Valerius & M.Otacilius.
Posthumius & Q.Manilius.
L.Valerius & L.Otacilius.
Gn.Cornelius & C.Duilius.
C.Aquilius & L.Cornelius.
A.Attilius Calatinus,& C.Sulpicius.
Gn.Cornelius,& C.Attilius Serranus.
Q.Cædicius & L.Manlius.
M. Æmilius Paulus, & Seruius Fuluius Nobilior.

A Gn.Cornelius & A. Attilius.
Gn.Seruilius & C.Sempronius.
C.Aurelius Cotta,& P.Seruilius.
L.Cæcilius Metellus,& C.Furius.
C.Attilius Regulus,& L.Manlius.
P.Claudius & L.Iunius.
P.Seruilius & C.Aurelius.
L.Cæcilius & Fabius.
M.Fabius & M.Otacilius.
B M.Fabius & C.Attilius.
A.Manlius & C.Sempronius.
C.Fundanius & C.Sulpicius.
C.Luctatius Cerco,& A.Posthumius.
Q.Luctatius Catulus.& A.Manlius.
C.Claudius Cento.& M.Sempronius.
His coss.ludis Romanis primum Tragœdia& Comœdia à Lucio Liuio ad scenam data.
C.Manlius & Q.Valerius.
T.Sempronius & P.Cornelius.
L.Cornelius & Q.Fuluius.
C C.Licinius & P.Cornelius.
T.Manlius Torquatus,& C.Attilius.
P.Posthumius & Sp.Carbilius.
Q.Fabius & M.Pomponius.
M.Lepidus & M. Poblicius.
C.Papirius & M.Pomponius.
M.Æmilius & M.Iunius.
His coss.Hamilcar Hannibalis pater, in Hispania bellum Romanis parans,occisus est. Hic solitus est dicere,quatuor se filios contra P.R. velut catulos leoninos educare.
D L.Posthumius & Gn.Fuluius.
Q.Fabius II.& Sp.carbilius.
P.Valerius & M.Attilius.
L.Apustius & M.Valerius.
C.Attilius & L.Æmilius.
T.Manlius & Q.Fuluius II.
C.Flaminius & P.Furius Pilo.
M.Marcellus & Gn.Cornelius.
P.Cornelius & M.Minucius.
L.Veturius & C.Lutatius.
E His coss.via Flaminia munita,& Circus factus qui Flaminius appellatur.
M. Liuius & L.Æmilius.
His coss.Hannibal Hamilcaris filius in Hispania bellum molitur.
P.Cornelius Scipio , & Titius Sempronius Longus.
Gn.Seruilius Geminus.& C.Flaminius.
L.Æmilius Paulus,& C.Terentius Varro.
F T.Sempronius Gracchus, & Q. Fabius Maximus III.
Q.Fabius Maximus IIII.& M.Marcellus II.
P.Maximus & T.Sempronius Gracchus.
Q.Fuluius Flaccus III. & Appius Claudius Pulcher II.
Gn.Fuluius Centimalus,& P.Sulpicius Galba.
M.Marcellus III.& M.Valerius Læuinus.
Q.Fabius V.& Q.Fuluius Flaccus IIII.
M.Marcellus IIII & T.Quintius.
G C.claudius Nero,& M.Liuius Salinator.
L.Veturius Philo & Q.Cæcilius Metellus.
P.Scipio & P.Licinius crassus.
M.Cornelius Cethegus,& P. Sempronius Tuditanus.
Gn.Seruilius Cæpio,& Gn.Seruilius Geminus.
T. Seruilius Geminus , & T. Claudius Nero.

L.Corne-

L.Cornelius Lentulus,& C.Aelius Pætus.
Ser.Sulpicius Galba & C.Cotta.
T.Cornelius Lentulus,& P.Villius.
L.Aelius Pætus,& T.Quintius Flamininus.
L.Cornelius Cethegus,Q.Minucius Rufus.
P.Furius & M.Marcellus.
L.Valerius Flaccus,& M.Porcius cato.
P.Scipio Afric.II.& Ti.Sempronius Longus.
L.cornelius Merula,& Q.Minucius Thermus.
L.Quintius & Gn.Domitius Aenobarbus.
P.Scipio Nasica,& M.Acilius Glabrio.
L.Scipio & c.Lælius Africanus.
M.Fuluius Nobilior,& Gn.Manlius Volso.
M.Valerius Messala:& c.Iunius Salinator.
M.Aemilius Lepidus,& c.Flaminius.
Sp. Posthumius Albinus, & Q. Marcius Philippus.
His coss. Athletarum certamina primum à Fuluio edita.
App.claudius Pulcher, & M. Sempronius Tuditanus.
P.claudius Pulcher,& L.Porcius Licinus.
M.Claudius Marcellus,& Q.Fabius Labeo.
His coss.Hannibal apud Prusiam veneno periit.
L.Aemilius Paulus,& Gn.Bæbius Tamphilus.
P.Cornelius Lentulus,& M.Bæbius Tamphilus.
A. Posthumius Albinus, & C. Calphurnius Piso.
[Q.Fuluius & L.Manlius.]
M.Iunius & Gn.Manlius.
Ti.Sempronius & C.Claudius.
Gn.Cornelius & Q.Pœtilius.
M.Lepidus & Q.Mucius.
Sp.Posthumius & Q.Mucius.
L.Popilius & P.Cœlius.
P.Licinius & C.Cassius.
C.Hostilius Mancinus,& C.Attilius.
L.Marcius Philippus,& Q.Seruilius.
L.Paulus II.& C.Licinius.
Q.Aelius Pætus,& M.Iunius.
L.Mamercus & C.Sulpicius.
Gn.Octauius & L.Manlius.
A T.Manlius & Quintus Cassius.
T.Sempronius & M.Iuuentius.
P.Scipio Nasica,& C.Marcius.
M.Messala & C.Fannius.
L.Anicius & M.Cornelius.
Gn.Cornelius Dolabella,& M.Fuluius.
M.Æmilius & C.Popilius.
His coss.metalla in Macedonia instituta.
Sex.Iulius & L.Aurelius.
L.Lentulus & C Marcius.
P.Scipio & M.Claudius.
L.Posthumius & Q.Opimius.
Q.Fuluius & T.Annius.
Hi primi Consules Calend. Ianuariis magistratum inierunt, propter subitum Celtiberiæ bellum.
M.Marcellus & L.Valerius.
L.Lucullus & [A.]Posthumius.
L.Quintius & M. Acilius.
L.Marcius & M.Manlius.
Sp.Posthumius & L.Piso.
P.Africanus & C.Liuius.
Gn.Cornelius & L.Mummius.
Q.Fabius Maximus,& L.Hostilius.
Ser.Galba & L.Aurelius.
App.Claudius & Q.Metellus.

A L.Metellus & Q.Maximus.
Gn.Cæpio & Q.Pompeius.
Q.Cæpio & C.Lælius.
Gn.Piso & M.Popilius.
P.Scipio & D.Brutus.
M.Æmilius & C.Hostilius Mancinus.
P.Furius & Q.Calphurnius.
His coss.Æmilianus Scipio,ob Numantinum bellum,cum candidatus non esset,Consul creatur.
B P.Africanus & C.Fuluius Flaccus.
C.Mucius & L.Calphurnius.
P.Popilius & P.Sulpicius.
P.Crassus & L.Valerius Flaccus.
App.Claudius & M.Perpenna.
C.Sempronius & M.Aquilius.
Gn.Octauius & T.Annius.
L.Cassius & L.Cinna.
M.Æmilius & L.Aurelius.
M.Plautius & M.Fuluius.
C C.Cassius Longinus,& C.Sextius.
Q.Cæcilius & T.Quintius.
Gn.Domitius & C.Fannius.
His coss.Sextius oppidum ædificauit,in quo Aquæ Sextiæ in Galliis.
L.Opimius & Q.Maximus.
P.Manlius & C.Papirius.
L.Cæcilius & L.Aurelius.
M.Cato & Q.Marcius.
L.Cæcilius & L.Aurelius.
D M.Cato & Q.Marcius.
L.Cæcilius & Q.Mucius.
C.Licinius Geta & Q.Maximus.
M.Metellus & M.Scaurus.
His cos. L. Metellus & Gn. Domitius Censores artem ludicram ex vrbe remouerunt,præter Latinum tibicinem cum cantore, & ludum talorum.
M. Acilius Balbus,& C.Cato.
C.Cæcilius & C.Papirius.
E M.Liuius Drusus,& L.Piso.
P.Scipio & L.Scipio & L.Calphurnius Bestia.
Sp.Posthumius & M.Minucius.
Q.Metellus & M.Minucius.
Q.Metellus & M.Silanus.
Ser.Galba & M.Scaurus.
L.Cassius & C.Marius.
Q.Seruilius & C.Attilius Serranus.
His coss.per Seruilium Cæpionem consulem iudicia Equitibus & Senatoribus communicata.
F P.Rutilius Rufus,& C.Manlius.
C.Marius II.& C.Flauius Fimbria.
C.Marius III.& L.Aurelius Orestes.
C.Marius IIII. & L.Luctatius.
C.Marius V.& M.Aquilius.
C.Marius VI.& L.Valerius Flaccus.
M.Antonius & A.Posthumius.
Q.Metellus & T.Didius.
Gn.Lentulus & P.Crassus.
G Gn.Domitius & C.Cassius.
His coss.Ptolemæus Ægypti rex populum Romanum hæredem reliquit.
P.Crassus & Q.Scæuola.
C.Cœlius & L.Domitius.
C.Valerius Flaccus,& M.Herennius.
C.Claudius Pulcher,& M.Perpenna.
P.Marcius & Sextus Iulius.
L.Cæsar & C.Rutilus Lupus.

Gn.Pompeius & L.Porcius Cato,

L.Sylla & Q.Pompeius.

L.Cinna & Gn.Octauius.

L.Cinna II.& Gn.Marius VII.

L.Cinna III.& Gn.Papirius.

L.Cinna IIII.& Gn.Papirius II.

His coss. Asiam in XLIIII. regiones Sylla distribuit.

L.Scipio & C.Norbanus.

His coss. Capitolium custodum negligentia concrematur.

Gn.Carbo III.& C.Marius.

M.Tullius & Gn.Dolabella.

L.Sylla II.& Q.Metellus.

P.Seruilius & App.Claudius.

M.Lepidus & Q.Catulus.

M.Æmilius & D.Brutus.

Gn.Octauius & C.Curio.

L.Octauius & C.Cotta.

C.Licinius Lucullus,& M.Cotta.

M.Lucullus & C.Cassius.

L.Gellius & Gn.Lentulus.

Gn.Aufidius & P.Lentulus.

M.Crassus & Gn.Pompeius.

Q.Metellus & Q.Hortensius.

His coss. à Q.Catulo reparatum dedicatumque Capitolium est.

L.Metellus & Q.Marcius.

C.Piso & Marcus Glabrio.

An.Lepidus & L.Torquatus.

L.Cæsar & Q.Marcius.

M.Cicero & C.Antonius.

D.Silanus & L.Muræna.

M.Pupius & M.Valerius.

His coss.Catilina in agro Pistoriensi à C. Antonio bello peremptus est.

Q.Metellus & L.Afranius.

C.Cæsar & M.Bibulus.

L.Piso & A.Gabinius.

His coss.Clodij rogatione Cicero in exsilium est profectus.

P.Lentulus & Q.Metellus.

His coss.propter ciuiles dissensiones per S.C. de exsilio Cicero reuocatur.

Gn.Lentulus & L.Philippus.

Gn.Pompeius & M.Crassus.

App.Claudius & L.Domitius.

Gn.Domitius & M.Messala.

Gn.Pompeius & Q.Metellus.

M.Marcellus & Ser.Sulpicius.

L.Paulus & M.Marcellus.

L.Lentulus & C.Marcellus.

His coss. perniciosæ in Curia conflantur de Pompeio Cæsaréque discordiæ: sed Caius Iulius Cæsar de Galliis veniens, Pompeium fugauit Italia, aurum atque argentum Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum singulare obtinuit imperium, à quo CÆSARES Romani principes appellati. Imperauit autem an. IIII. mensibus VI. sub quo hi Consules fuerunt.

IMPERATORES ROMANI.

C.Iulius CÆSAR I.

C.Iulius Cæsar II.& P.Seruilius.

Q.Funius & Publius Vaticanus.

His coss.Cæsar Pompeium Pharsalico prœlio superauit; Pompeius fugiens in Ægyptum, oc-

A cisus est.

C.Iulius Cæsar III.& M.Lepidus.

C.Iulius Cæsar IIII.& Fabius Maximus.

His coss.C.Iulius Cæsar per quatriduum triumphauit.

C.Iulius Cæsar V.& M.Antonius.

His coss. M. Antonius Lupercalibus sella aurea sedenti Cæsari diadema renuenti imposuit; atque Idibus Martiis Cæsar in Pompeia curia occisus est: cui successit O-

B ctauianus Cæsar, qui regnauit ann. LVI. mensibus VI. per quæ tempora hi Consules exstiterunt.

OCTAVIANVS AVGVSTVS, II.

C.Pansus & A.Hirtius.

His coss. Cæsar Octauianus, Antonius & Lepidus, amicitiæ fœdus inierunt, M. Cicero per Popilium militem Caietæ occisus est annorum LXIII. Cæsar. Octauianus forum Augustum ædificauit.

C M.Lepidus & L.Plancus.

P.Seruilius II.& L.Antonius.

Gn. Domitius & C.Asinius.

L.Censorinus & Caius Caluisius.

App.Claudius & Caius Norbanus.

M.Agrippa & L.Caninius.

His coss. lacus Lucrinus in portum conuersus est.

L.Gellius & M.Cocceius.

Sex.Pompeius & L.Cornificius.

D L.Scribonius & L.Atratinus.

C.Cæsar & L.Vulcatius.

Cn.Domitius & C.Sossius.

C.Cæsar II.& M.Messala.

His coss.apud Actium M. Antonius à Cæsare superatur.

C.Cæsar III.& M.Crassus.

His coss.Nicopolim Cæsar construit, ludos Actiacos instituit: Antonius à Cæsare prœlio peremptus, Alexandriæ in Mausóleo cum Cleo-

E patra reconditur.

C.Cæsar IIII.& Sex.Apuleius.

C.Cæsar V.& M.Agrippa II.

His coss. Parthorum dissensiones per Cæsarem sedatæ.

C.Cæsar VI.& M.Agrippa III.

His coss.Cæsar leges protulit, iudices ordinauit, prouincias disposuit, & ideo AVGVSTVS cognominatus est. cuius temporibus floruerunt Virgilius, Horatius & Li-

F uius.

C.Augustus Cæsar VII.& T.Statilius.

C.Aug.Cæsar VIII.& M.Silanus.

His coss.Cantabros, Germanos, Salassos Cæsar perdomuit.

C.Aug.Cæsar IX.& C.Norbanus.

His coss. Astures & Cantabri per L. Lanium perdomiti.

C.Aug.Cæsar X.& Cn.Piso.

M.Marcellus & L.Aruntius.

G M.Lollius & Q.Lepidus.

M.Apuleius & P.Silius.

His coss. aquilas & signa Crassiana de Parthis Cæsar recepit.

C.Sentius & Q.Lucretius.

His coss. Cæsari ex prouinciis redeunti currus cum aurea corona decretus est: quò ascendere noluit.

Cn.Len-

Cn.Lentulus & P.Lentulus.
L.Furnius & C.Silanus.
L.Domitius & P.Scipio.
M.Drusus & L.Piso.
Cn.Lentulus & M.Crassus.
Tib.Nero & P.Quintilius.
M.Messala & P.Sulpicius.
Paulus Fabius & Q.Ælius.
Iulus Antonius & Africanus Fabius.
Drusus Nero & L.Quintius.
His coss.apud Lingonum gentem templum Cæsari Drusus sacrauit.
C.Asinius & C.Marcius.
His coss.inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni deditis;per Sextum Apuleium Pannonij subacti.
Tib.Nero & Cn.Piso.
D.Lælius & C.Antistius.
C.Augustus Cæsar xi.& L.Sylla.
C.Caluisius & L.Passienus.
C.Lentulus & M.Messala.
His coss.Dominus noster IESVS CHRISTVS filius Dei in Bethleem nascitur, anno imperij Augusti XLI.
C.Aug.Cæsar xii.& M.Plautius.
Cossus Lentulus & L.Piso.
C.Aug.Cæsar xiii.& L.Paulus.
C.Vinitius & P.Alphenus.
M.Seruilius & L.Lamia.
Sextus Ælius & C.Sentius.
Cn.Cinna & L.Valerius.
His coss. per dies VIII. Tiberis impetu miseranda clades hominum domorúmque fuit.
M.Lepidus & L.Aruntius.
Q.Cæcilius & A.Licinius.
M.Furius & Sextus Nonius.
Q.Sulpicius & C.Poppæus.
P.Dolabella & C.Silanus.
M.Lepidus & T.Statilius.
Germanicus Cæsar & C.Fonteius.
L.Plancus & C.Silius.
Sextus Pompeius & Sex.Apuleius.
His coss. Imperator Augustus obiit, LXXVI. anno ætatis suæ, imperij autem LVI. semis. Huic successit in imperium TIBERIVS CÆSAR, qui imperauit annis XXIII. sub quo hi consules fuerunt:

TIBERIVS CÆSAR, III.

Drusus Cæsar & C.Norbanus.
Sisenna Statilius & L.Scribonius.
His coss.Mathematici vrbe pelluntur.
L.Pomponius & C.Cæcilius.
Tib.Cæsar,& Germanicus Cæsar.
M.Silanus & C.Norbanus.
His coss. Germanicus Cæsar in Syria mortuus.
M.Valerius & M.Aurelius.
Tib.Cæsar,& Drusus Cæsar.
D.Haterius & C.Sulpicius.
C.Asinius & C.Antistius.
His coss.Drusus Cæsar publicè funeratur.
Ser.Cornelius & L.Visellius.
M.Asinius,& Cossus Cornelius.
C.Caluisius,& Cn.Gætulicus.
L.Piso,& M.Crassus.
Appius Silanus,& P.Silius.

A C.Rubellius,& C.Fusius.
M.Vinitius & L.Cassius.
Tib.Cæsar v.coss.[& solus.]
[Cn.Domitius & Camillus Scribonianus.]
His coss. Dominus noster IESVS CHRISTVS passus est VIII.Calend.Apriles; & defectio solis facta est, qualis ante vel postmodum numquam fuit.
[Vinitius & Longinus.]
Sulpicius & Sylla.
B Priscus & Vitellius.
Gallus & Nonianus.
His coss. Persius Flaccus Satyricus poeta Volaterris nascitur.
Galienus & Platianus.
His coss. Tiberius Imperator in Campania moritur; cui successit C. Cæsar cognomento Caligula; qui regnauit annis tribus, & mensibus x.sub quo hi Consules exstiterunt.

C C. CALIGVLA, IIII.

Proculus & Nigrinus.
Iulianus & Asprenas.
Publicola & Nerua.
His coss. Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit.
Cæsar & Iulianus.
His coss. C. Cæsar cognomento Caligula, à protectoribus suis occiditur in Palatio, anno ætatis XXIIII. cui successit Claudius; qui imperauit ann.XIII. mensibus VIII. diebus XXVIII. sub quo hi Consules fuerunt: D

CLAVDIVS, V.

Cæsar II & Saturninus.
Secundus & Venustus.
His coss. Petrus apostolus Romam mittitur vbi euangelium prædicans, XXV.annis eiusdem vrbis episcopus perseuerat.
Tiberius & Gallius.
E Crispinus & Taurus.
His coss. Claudius de Britannis triumphauit, & Orcadas insulas Romano adiecit imperio.
Vinitius & Cornelius.
His coss. Inter Theram & Therasiam exorta est insula,habens stadia XXX.
Asiaticus & Cornelius.
His coss.descriptio Romę facta est, & inuenta sunt ciuium Romanorum centena millia, & XLIIII.&
F Thracia hucusque regnum, in prouinciam redigitur.
Tiberius II.& Vitellius.
Vitellius II.& Publicola.
Verannius & Gallus.
Vetus & Seruilianus.
Claudius & Orphitus.
Syluanus & Syluius.
Tiberius III.& Antoninus.
G Silo & Otho.
His coss. Claudius moritur in Palatio, anno ætatis LXIII. Huic successit Nero: qui regnauit annis XIII.mensibus VII. diebus XXVII. sub quo hi consules fuerunt:

NERO CLAVDIVS, VI.

Silanus II.& Antoninus II.
Marcellinus & Auiola.

His coss. sanctus Paulus apostolus Romam vinctus à Felice [Iudeæ] preside destinatur. Probus etiam eruditissimus grammaticus Romæ cognoscitur. Vrsulus Tolosensis celeberrimè in Gallia Rhetoricam docet.
Nero & Vetus.
Nero II. & Piso.
Nero III. & Messala.
[C. Capito & Apronius.]
Nero IIII. & Cornelius.
Pius & Turpilianus.
Marinus & Gallus.
Crassus & Bassus.
His coss. Thermæ à Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellauit; cuius odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.
Syluanus & Paulinus.
His coss. Nero, vt similitudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem [Romanæ] vrbis incendit.
Celsinus & Apuleius.
His coss. duæ prouinciæ factæ sunt, Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottie, Cottio rege defuncto.
[Telesinus & Paulinus]
Capito & Rufus.
Italicus & Turpilianus.
Syluanus & Otho.
His coss. Romæ sanctus Petrus & Paulus apostoli trucidati sunt à Nerone; qui turpiter viuens, cum à Senatu quæreretur ad pœnam, è Palatio fugiens, ad quartum vrbis miliarium in suburbano Nomentana via sese interfecit, anno ætatis XXXII. cui successit GALBA; qui regnauit mensibus VII. Post hunc OTHO, mensibus III. diebus V. Post VITELLIVS regnauit mensibus VIII. die vno. qui omnes infra scriptos duos Consules tenuerunt.
Vespasianus & Titus.
Vespasianus II. & Titus II.
His coss. Vespasianus suscepit imperium; qui regnauit annis IX. mensibus XI. diebus XXII. sub quo hi Consules fuerunt:

VESPASIANVS, VII.

Vespasianus III. & Nerua.
Vespasianus IIII. & Titus III.
His coss. Titus filius Vespasiani Iudæa capta, præter quos gladio interfecit, centum millia captiuorum publicè venumdauit.
Vespasianus V. & Titus IIII.
Vespasianus VI. & Titus V.
Vespasianus VII. & Titus VI.
His coss. Vespasianus incensum Capitolium ædificare orsus est.
Commodus & Rufus.
Vespasianus VIII. & Titus VII.
His coss. colossus erectus est, habens altitudinis pedes C. & VII.
Vespasianus IX. & Titus VIII.
Syluanus & Verus.
Domitianus & Messalinus.
His coss. Vespasianus est mortuus profluuio ventris, in villa propria circa Sabinos. cui Titus filius eius succedens, in vtraque lingua disertissimus, regnauit annis II. mensibus II. sub quo hi Consules exstiterunt:

TITVS VESPASIANVS VIII.

Domitianus II. & Rufus II.
His coss. Titus Amphitheatrum Romæ ædi- A ficauit, & in dedicatione eius quinque millia ferarum occidit.
Domitianus III. & Sabinus.
His coss. Titus morbo periit in eadem villa qua pater eius, anno ætatis XLII. qui ob insignem mansuetudinem, *Deliciæ humani generis* appellatus est. cui successit Domitianus frater Titi [iunior] crudelissimus; qui imperauit annis XV. mensib. V. sub quo hi Consules fuerunt.

FLAVIVS DOMITIANVS, IX.

B Domitianus IIII. & Rufus III.
His coss. Domitianus eunuchos fieri prohibuit.
Domitianus V. & Dolabella.
Domitianus VI. & Rufus IIII.
Flauius & Traianus.
Domitianus VII. & Nerua.
Traianus II. & Glabrio.
His coss. primo Domitianus Dominum & Deum se appellare iussit.
Domitianus VIII. & Saturninus.
C Syluanus & Priscus.
His coss. Quintilianus ex Hispania primus Romæ scholam publicam & salarium è fisco accepit, & claruit.
Asprenas & Clemens.
His coss. multa mœnia & celeberrima Romæ facta sunt; id est Capitolium, Forum transitorium, Diuorum porticus, Isium, Serapium, Stadium, Horrea piperataria; Vespasiani templum, Minerua Chalcidica, Odion.
D Domitianus IX. & Clemens II.
His coss. insignissima Romæ facta sunt [opera; id est,] forum Traiani, Thermæ Traianæ, & Titianæ, Senatus ludus matutinus, Meta aurea, Meta sudans, & Pantheon.
Nerua II. & Rufus.
Fuluius & Vetus.
Sabinus & Antoninus.
Nerua III. & Traianus III.
Senecio & Palma.
E Traianus IIII. & Fronto.
His coss. Apollonius Tyaneus philosophus insignis habetur. Domitianus occisus in Palatio, anno ætatis XXXV. cui Nerua succedens, regnauit annum vnum, menses IIII. sub quo hi Consules fuerunt:

NERVA COCCEIVS, X.

Traianus V. & Orphitus.
Senecio II. & Sura.
F His coss. Nerua morbo periit in hortis Sallustianis, anno ætatis LXXII. cum iã Traianum adoptasset in filium: cui succedens, imperauit annis XIX. mensibus VI. diebus XV. sub quo hi consules fuerunt:

D. TRAIANVS, XI.

Traianus VI. & Maximus.
Senecio III. & Sura II.
Vrbanus & Marcellus.
Candidus & Quadratus.
His Coss. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit.
G Commodus & Cerealis.
His coss. Traianus Hiberos, Sauromatas, Osroenos, Arabas, Bosphoranos, Colchos, in fœdus accepit: Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupauit & tenuit.
Senecio IIII. & Sura III.
His coss. Traianus in mari rubro classem instituit; vt per eam Indiæ fines vastaret.

Gallus

Gallus & Bradua.
Africanus & Crispinus.
Crispinus II.& Solenus.
Piso & Rusticus.
Traianus VI.& Africanus.
Celsus & Crispinus.
His coss. Plinius Secundus Nouocomensis orator & historicus insignis habetur; cuius ingenij plurima opera exstant.
Asta & Piso.
Messala & Pedôn.
Æmilius & Verus.
Niger & Apronianus.
His coss. Traianus Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiam prouincias fecit.
Clarus & Alexander.
Hadrianus & Salinator.
Hadrianus II.& Rusticus.
Seruilius & Fuluius.
His coss. Traianus apud Seleuciã Isauriæ profluuio ventris exstinctus est, anno ætatis LXIII. mense IX. die IIII. cuius ossa, in vrna aurea collocata, sub columna fori, quæ eius nomine vocantur, recondita sunt: cuius columnæ altitudo in CXL. pedes erigitur. Huic successit Hadrianus, vtraque lingua peritissimus, Italicæ natus ex consobrina Traiani: qui regnauit annis XX. mensibus X. diebus XIX. sub quo hi Consules fuerunt.

HADRIANVS, XII.

Verus & Augur.
His coss. Hadrianus Alexandriam à Romanis subuersam, publicis instaurauit expensis.
Auiola & Pansa.
His coss. Hadrianus reliqua tributorum vrbibus relaxauit, chartis publicis incensis; plurimos etiam ipsis tributis liberos fecit.
Paternus & Torquatus.
His coss. Plutarchus philosophus insignis habetur.
Glabrio & Apronianus.
His coss. Nicomediæ & Nicenæ vrbis plurimis [terræ motu] conlapsis, Hadrianus ad instaurationem earum publicas largitur expensas.
Asiaticus & Quintus.
Verus & Ambiguus.
His coss. Atheniensibus leges petentibus Hadrianus ex Draconis & Solonis reliquorúmque libris iura composuit.
Gallicanus & Titianus.
His coss. iuxta Eleusinam ciuitatem [in] Cephiso fluuio Hadrianus pontem construxit.
Torquatus & Libo.
Celsus & Marcellinus.
Pontianus & Rufus.
Augurinus & Sergianus.
Tiberius & Silanus.
His coss. Hadrianus à Christianorum persecutione cessauit, & Pater patriæ est appellatus.
Sergius II.& Verus.
Pompeianus & Attilianus.
His coss. templum Romæ [&] Veneris factum est, quod nunc Vrbis appellatur.
Pompeianus II.& Commodus.
His coss. Hadrianus cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit.
Lælius & Albinus.
Camerinus & Niger.

A Antoninus & Præsens.
Antoninus II.& Præsens II.
Seuerus & Syluanus.
His coss. Aelia ciuitas, id est Hierusalem, ab Aelio Hadriano condita est, & in fronte eius portæ qua Bethleem egredimur, sus sculptus in marmore; significans Romanæ potestati subiacere Iudæos.
Rufinus & Torquatus.
B His coss. Hadrianus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, maior sexagenario. cui successit Antoninus Pius; qui regnauit an. XXI. sub quo hi Consules fuerunt.

ANTONINVS PIVS, XIII.

Torquatus II.& Herodes.
Auiola & Maximus.
Antoninus III.& Aurelius.
Gratus & Seleucus.
His coss. Iustinus Philosophus librum pro Christiana religione scriptum tradidit Antonino [Cæsari.]
C Antoninus IIII.& Aurelius II.
Largus & Messalinus.
Torquatus III.& Iulianus.
Orphitus & Priscus.
Glabrio & Verus.
Gordianus & Maximus.
Glabrio II.& Romulus.
Præsens & Rufus.
Commodus & Lateranus.
D His coss. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus, & Basilides Scythopolitanus, philosophi illustres habentur, qui [Veri quoque] Cæsaris præceptores fuerunt.
Verus & Sabinus.
Syluanus & Augurinus.
Barbatus & Regulus.
Tertullus & Sacerdos.
Quintillus & Priscus.
Verus II.& Bradua.
E Antoninus V.& Aurelius III.
P.C. Antonini VI.& Aurelij IIII.
Hoc tempore Antoninus Pius apud Lorium villam suam duodecimo ab vrbe miliario moritur, anno vitæ LXXVII. Vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt. Cui successerunt filij sui, id est Marcus Antoninus Verus, & Lucius Annius Antoninus Seuerus: qui regnauerunt annis XIX. sub quibus hi Consules fuerunt:

F M. ANTONINVS VERVS: ET L. ANNIVS ANTONINVS SEVERVS, XIIII.

Duo Augusti coss.
Rusticus & Aquilinus.
His coss. Lucio Cæsari, Athenis sacrificanti, ignis in cælo ab occidente in orientem ferri visus est.
Lælianus & Pastor.
Macrinus & Celsus.
G His coss. Fronto orator insignis habetur: qui Marcum Antoninum Verum Latinis literis erudiuit.
Orphitus & Pudens.
His coss. Lucius Cæsar de Parthis cum fratre Antonino triumphauit.
Pudens II.& Pollio.
Verus III.& Quadratus.
Apronianus & Paulus.

Priſcus & Apollinaris.
Cethegus & Clarus.
Seuerus & Herennianus.
His coss. Lucius Annius Antoninus Seuerus, anno regni vndecimo, inter Concordiam & Altinum apoplexia extinctus eſt, ſedens cum fratre in vehiculo.
Orphitus & Maximus.
Seuerus II. & Pompeianus.
Gallus & Flaccus.
Piſo & Iulianus.
Pollio & Aper.
Commodus & Quintillus.
His coss. Marcus Antoninus Verus Imperator Commodum filium ſuũ conſortem regni facit.
Orphitus & Rufus.
His coss. Imperatores de hoſtibus triumphant; & pecuniam quæ fiſco debebatur, prouinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ vrbis foro, incendio concremarunt; ac, ne quid bonitatis deeſſet, ſeueriores quaſque leges nouis conſtitutionibus temperarunt.
Commodus II. & Verus II.
His coss. Antoninus Verus adeo in editione munerum magnificus fuit, vt centum ſimul leones exhibuerit: qui poſt in Pannonia morbo periit. Commodus filius eius à Senatu Auguſtus eſt appellatus; qui regnauit annis XIII. ſub quo hi Conſules fuerunt:

ANTONINVS COMMODVS, XV.

Præſens & Gordianus.
Commodus III. & Byrrus.
Mamertinus & Rufus.
Commodus IIII. & Victorinus.
Marullus & Ælianus.
His coss. Thermæ Commodianæ Romæ factæ ſunt.
Maternus & Bradua.
Commodus V. & Glabrio.
Criſpinus & Ælianus.
Fuſcianus & Silanus.
Duo Silani.
His coss. Commodus Imperator coloſſi capite ſublato, ſuæ imaginis caput iuſſit imponi.
Commodus VI. & Septimianus.
Apronianus & Bradua.
Commodus VII. & Pertinax.
His coss. Commodus ſtrangulatur in domo Veſtiliani cui ſucceſſit Ælius Pertinax; qui regnauit menſib. VI. [ſub quo fuerũt cõſules hi:]

ÆLIVS PERTINAX, XVI.

Falco & Clarus.
His coss. Pertinax occiditur in Palatio, maior ſeptuagenario: cui ſucceſſit Seuerus, prouincia Tripolitana natus oppido Lepti: ſolúſque Afer Imperator Romanus fuit: qui regnauit annis XVIII. ſub quo hi Conſules fuerunt:

SEVERVS, XVII.

Seuerus & Albinus.
Tertullus & Clemens.
Dexter & Priſcus.
Lateranus & Rufinus.
Saturninus & Gallus.
Anulinus & Fronto.
His Coss. Seuerus Parthos & Adiabenos ſuperauit, Arabáſque interiores ita cecidit, vt regionem eorum Romanam prouinciam faceret. [ob quæ Parthicus, Arabicus, & Adiabenicus cognominatus eſt.]
Seuerus II. & Victorinus.
Fabianus & Mucianus.
His coss. Thermæ Seuerianæ apud Antiochiã & Romæ factæ, & Septizodium inſtructum eſt.
Seuerus III. & Antoninus.
Geta Plautianus.
Chilo & Libo.
Antoninus II. & Geta II.
Albinus & Ælianus.
B Aper & Maximus.
His coss. Seuerus in Britannos bellum mouit: vbi vt receptas prouincias ab incurſione barbarica faceret ſecuriores, vallum per CXXXII. paſſuum millia à mari ad mare duxit.
Antoninus III. & Geta III.
Pompeianus & Auitus.
His coss. Tertullianus Afer Chriſtianorum ſcriptor celeberrimus habetur.
Fauſtinus & Rufus.
C His coss. Origenes ſcriptor Alexandriæ ſtudiis eluditur.
Gentianus & Baſſus.
His coss. Seuerus Imperator Eboraci in Britannia moritur. cui ſucceſſit Antoninus Caracalla Seueri filius; qui regnauit annis VII. ſub quo hi Conſules fuerunt:

ANTONINVS CARACALLA, XVIII.

Duo Aſpri.
Antoninus & Balbinus.
D Meſſala & Sabinus.
His coss. Antoninus CARACALLA cognominatur propter genus veſtis, quod Romę erogauerat: [& è contrario caracallę ex eius nomine *Antoniniane* dictæ.]
Lætus & Cerealis.
Sabinus II. & Venuſtus.
His coss. Antoninus Romæ Thermas ſui nominis ædificauit.
Præſens & Extricatus.
E Antoninus & Aduentus.
His coss. Antoninus interficitur inter Edeſſam & Carras, anno ætatis XLIII. cui ſucceſſit Macrinus, Præfecturam Prætorianam gerens. regnauit autem annum vnum. ſub quo hi Conſules fuerunt:

MACRINVS, XIX.

Antoninus II. & Sacerdos.
His coss. Macrinus occiditur in Archelaide: cui ſucceſſit Marcus Aurelius Antoninus, qui regnauit annis IIII. ſub quo hi conſules fuerunt.
F

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS, XX.

Antoninus III. & Comazon.
Gratus & Seleucus.
His coss. Heliogabalum templum Romę ædificatur.
Alexander & Auguſtus.
His coss. in Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita eſt.
G Maximus & Ælianus.
His coss. M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari, cui ſucceſſit Alexander Mammeæ filius; qui regnauit annis XIII. ſub quo hi Conſules fuerunt:

ALEXANDER MAMMEÆ, XXI.

Iulianus & Criſpinus.

His coss. Alexander Xerxem regem Persarum vicit.

Fuscus & Dexter.

Alexander II.& Marcellus.

Annianus & Maximus.

His coss. Vlpianus Iurisconsultus, & assessor Alexandri insignissimus habetur.

Albinus & Maximus.

His coss. Neronianæ [thermæ Alexandrinæ] vocatæ sunt.

Modestus & Probus.

Alexander III.& Dio.

Gratus & Seleucus.

His coss. Origenes Alexandriæ clarus habetur.

Pompeianus & Felicianus.

Lupus & Maximus.

His coss. Alexander in matrem Mammæam vnice pius fuit,[&]ob hoc cunctis amabilis.

Maximus & Paternus.

Maximus II.& Vrbanus.

Sulcius & Quintianus.

His coss. Alexander occiditur Mogontiaci tumultu militari. cui successit Maximinus, regnans annis III. primus omnium ex corpore militari [sine senatus auctoritate ab exercitu] Imperator electus. sub quo hi Consules fuerunt:

MAXIMINVS, XXII.

Maximinus & Africanus.

Perpetuus & Cornelianus.

Pius & Proculus.

His coss. Maximinus Aquileiæ occiditur. cui successit Gordianus; qui regnauit annis VI. sub quo hi Consules fuerunt:

GORDIANVS, XXIII.

Gordianus & Auiola.

Sabinus & Venustus.

His coss. Gordiano Romæ ingresso, Pupienus & Balbinus, qui imperium arripuerant, in Palatio occisi sunt.

Gordianus II.& Pompeianus.

Atticus & Prætextatus.

Arianus & Pappus.

Peregrinus & Æmilianus.

His coss. Gordianus admodum adolescens, Parthorum natione superata, cum victor reuerteretur ad patriam, fraude Philippi Præfecti prætorio, haud longe à Romano solo interfectus est. Gordiano milites tumulum ædificant supra Euphratem, ossibus eius Romam reuectis. cui successit Philippus; qui regnauit ann. VI. qui mox Philippum filium suum consortem regni fecit; primúsque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit. sub quo hi Consules fuerunt:

PHILIPPVS, XXIIII.

Philippus & Titianus.

Præsens & Albinus.

Philippus II.& Philippus.

Philippus III.& Philippus II.

Æmilianus & Aquilinus.

His coss. millesimus annus vrbis [Romæ] expletus est: ob quam solennitatem innumerabiles Philippus cum [Philippo] filio suo bestias in Circo magno interfecit, ludósque in campo Martio Theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrauit: quadraginta etiam missus natali Romanæ vrbis cucurrerũt, & Agon mille annorum actus. Philippus vrbem nominis sui in Thracia construxit.

Decius & Gratus.

Decius II.& Rusticus.

His coss. Philippus senior Veronæ, Romæ verò iunior occiditur. His successit Decius; qui regnauit an. I. mensibus III. [quantum ad Consulatum autem, annum vnum.] sub quo hi Consules fuerunt:

DECIVS, XXV.

Gallus & Volusianus.

His coss. Decius lauacra publica ædificauit, quæ suo nomine appellari iussit. Decius cum filio suo in Abricio Thraciæ loco à Gotthis occiditur. cui successit Gallus cum Volusiano filio; qui regnauerunt ann. II. & mensibus IIII. [quantum ad Consulatum autem, annis tantum duobus.] sub quibus hi Consules fuerunt:

GALLVS ET VOLVSIANVS, XXVI.

Volusianus II.& Maximus.

His Coss. Nouatianus apparuit.

Valerianus & Gallienus.

His coss. Gallus & Volusianus Interamnæ interfecti sunt. quibus successerunt Valerianus & Gallienus; qui regnauerunt an. XV. sub quibus hi Consules fuerunt:

VALERIANVS ET GALLIENVS, XXVII.

Valerianus II.& Gallienus II.

Maximus II.& Glabrio.

Valerianus III.& Gallienus II.

His coss. Cyprianus, primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus, martyrio coronatur.

Tuscus & Bassus.

His coss. Valerianus in Christianos persecutione commota, statim à Sapore Persarum rege capitur, ibíque seruitute miserabili cõsenescit.

Æmilianus & Bassus.

Sæcularis & Donatus.

Gallienus IIII.& Gentianus.

Gallienus V.& Victorinus.

Albinus & Maximus.

His coss. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, depopulatę per Gotthos, aliásque prouincias barbarorum quassauit irruptio.

Gallienus VI.& Saturninus.

Valerius & Lucillus.

Gallienus VII.& Sabinillus.

Paternus & Arcesilaus.

Paternus II.& Marinus.

Claudius & Paternus.

His coss. Mediolani occiditur Gallienus. cui successit Claudius; qui regnauit anno vno, mẽsibus IX. sub quo hi Consules fuerunt:

CLAVDIVS, XXVIII.

Antiochianus & Orphitus.

Valerianus & Bassus.

His coss. Claudius barbaros [Gotthos, Illyricum & Macedoniam] vastantes repellit, & Sirmij moritur. Huic successit Quintillus Claudij frater, à Senatu Augustus appellatus: qui XVII. imperij [sui] die Aquileię occiditur. Post quem Aurelianus factus est Imperator; qui regnauit annis V. mensibus VI. sub quo hi Consules fuerunt:

AVRELIANVS, XXIX.

Quietus & Voldumianus.

Tacitus & Placidianus.

Aurelianus & Capitolinus.

His Coss. Aurelianum Romæ triumphantem captiui Tetricus & Zenobia præcesserunt.

Aurelianus II. & Marcellus.

His cos. Aurelianus templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris vallat.

Probus & Paulinus.

Probus II. & Paternus II.

His coss. inter Constantinopolim & Heracleam Aurelianus occiditur. cui successit Tacitus: qui regnauit menses VI. sub quo hi Consules fuerunt:

TACITVS XXX.

Probus III. & Paternus III.

His coss. Tacitus in Ponto occisus est, & obtinuit FLORIANVS imperium diebus LXXXIIII. Hoc quoque apud Tarsum interfecto, Probus factus est Imperator; qui regnauit an. VI. mensibus III. sub quo hi Consules fuerunt:

PROBVS, XXXI.

Messala & Gratus.

His coss. Galliæ, quæ fuerant à Barbaris occupatæ, à Probo Romano restituuntur imperio.

Probus IIII. & Tiberianus.

Probus V. & Victorinus.

His coss. insana Manichæorum hæresis exorta est.

Carus & Carinus.

Carus II. & Numerianus.

Diocletianus & Aristobulus.

His coss. Probus apud Syrmium tumultu militari in turre, quæ vocatur Ferrata, occiditur. cui successit Carus cum filiis suis Carino & Numeriano; qui regnauerunt an. II. sub quibus hi Consules fuerunt:

CARVS, XXXII.

Maximus & Aquilinus.

His coss. cum Carus deuictis Parthis castra supra Tigridem posuisset, fulmine ictus interiit.

Diocletianus II. & Maximianus.

His coss. Numerianus occiditur; Carinus apud Margum prœlio victus interiit. Post quos Diocletianus Dalmata suscepit imperium; qui regnauit ann. XX. sub quo hi Consules fuerunt:

DIOCLETIANVS, XXXIII.

Maximianus II. & Ianuarius.

Bassus & Quintianus.

His coss. Diocletianus in consortium regni HERCVLIVM MAXIMIANVM adsumit.

Diocletianus III. & Maximianus III.

Tiberianus & Dio.

Annibalianus & Asclepiodorus.

Diocletianus IIII. & Maximianus IIII.

Constantius & Maximus.

Tuscus & Anulinus.

Diocletianus VI. & Constantius II.

[Maximianus V. & Maximus II.]

Faustus & Gallus.

His coss. primus Diocletianus adorari se iussit vt Deum, & gemmas vestibus calciamentisque conseruit; cum ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur, & tantum chlamydem purpuream à priuato habitu plus haberent.

Diocletianus VI. & Maximianus VI.

Constantius III. & Maximus III.

Titianus & Nepotianus.

Constantius IIII. & Maximus IIII.

His coss. LX. millia Alamannorum cæsa sunt.

A Diocletianus VII. & Maximianus VII.

Diocletianus VIII. & Maximianus VIII.

Constantius V. & Maximus V.

Constantius VI. & Maximus VI.

His coss. Diocletianus & Maximianus Aug. insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sororibus, liberis, & omni præda, qua Parthos exspoliauerant.

Diocletianus IX. & Constantinus.

B Diocletianus X. & Maximus VII.

His coss. Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt ob ætatis defectum. & creati sunt Constantius & Galerius [augusti.] sed Constius, tantum Augusti dignitate contentus, cum esset otiosus, anni ipsius adscribuntur filio eius Constantino; qui natus dicitur ex Helena concubina: qui regnauit ann. XXX. menses X. sub quo hi Consules fuerunt:

C CONSTANTINVS ET GALERIVS XXXIIII.

P.C. Diocletiani X. & Maximi VII.

II. P.C. Diocletiani X. & Maximi VII.

Maximus VIII. & Licinius.

Constantinus II. & Licinius II.

Constantinus III. & Licinius III.

Volusianus & Annianus.

Constantinus IIII. & Licinius IIII.

Sabinus & Rufinus.

D Gallicanus & Bassus.

Licinius V. & Crispus.

Constantinus V. & Licinius Cæs.

Constantinus VI. & Constantius Cæs.

Crispus II. & Constantius Cæs. II.

Probianus & Iulianus.

Seuerus & Rufinus.

Crispus III. & Constantius III.

Paulinus & Iulianus

Constantius VII. & Constantius IIII.

E Constantius V. & Maximus.

Ianuarius & Iustus.

His coss. vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

Constantinus VIII. & Constantius VI.

Constantius VII. & Symmachus.

Bassus & Ablabius.

Pacatianus & Hilarianus.

His coss. ciuitas quæ prius Byzantium dicta est, mutato nomine à Constantino CONSTANTINOPOLIS dicta.

F Dalmatius & Zenophilus.

Optatus & Paulinus.

Constantius & Albinus.

Nepotianus & Facundus.

Felicianus & Titianus.

Vrsus & Polemius.

Constantius II. & Constans.

His coss. Cōstantinus Imperator, dū bellū pararet in Persas, in Acyrone villa publica, iuxta Nicomediam moritur, ann. ætatis LXVI. Post G quem tres liberi eius [Augusti] id est Constantinus, Constantius, & Constans; qui regnauerūt ann. XXIII. mensibus V. diebus XXIII. sub quibus hi Consules fuerunt:

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, ET CONSTANS, XXXV.

Acyndinus & Proculus.

Marcellinus & Probinus.

Con-

Constantius III.& Constans II.
His coss.Constantinus bellum fratri Constantio inferens, iuxta Aquileiam Alsæ occiditur.
Placidus & Romulus.
Leontius & Sallustius.
His coss.Franci à Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.
Constantius IIII.& Constans III.
Amantius & Albinus.
P.C.Amantij & Albini.
Rufinus & Eusebius.
His coss. magnis reipubl. expensis in Seleucia Syriæ portus efficitur.
Philippus & Sallia.
His coss. Solis facta defectio.
Limenius & Catulinus.
Sergius & Nigredianus.
His coss. Constans haud longè ab Hispania, in castro, cui Helenæ nomen est, interficitur, anno ætatis XXX. & Constantius remansit in regno.
P.C.Sergij & Nigridiani.
Constantius V.& Constans Cæs.
Constantius VI.& Constans Cæs.II.
Constantius VII.& Constans Cæs.III.
Arbitio & Lollianus.
His coss.Victorinus rhetor & Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.
Constantius VIII.& Iulianus Cæs.
Constantius IX.& Iulianus Cæs.II.
His coss.magnæ Alamannorum copiæ ad Argentoratum oppidum Galliarum [à Cæs.Iuliano] deletæ sunt.
Titianus & Cerealis.
Eusebius & Hypatius.
Constantius X.& Iulianus Cæs.III.
His coss.Honoratus nomine, primus Constantinopoli Præfectus vrbi esse cœpit.
Taurus & Florentius.
Mamertinus & Neuitta.
His Coss.Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur, an ætatis XLVI. cui successit Iulianus, qui regnauit anno vno. sub quo hi Consules fuerunt:
IVLIANVS XXXVI.
Iulianus IIII.& Sallustius.
His coss. Iulianus post victoriam apud Persas occiditur, an. ætatis XXXII. Post quem sequenti die Iouianus ex Primicerio domesticorum factus est Imperator; qui regnauit mensibus VIII. sub quo hi Consules fuerunt:
IOVIANVS XXXVII.
Iouianus & Varronianus.
His coss.Iouianus Imperator moritur, an. ætatis XXXIIII. Post quem Valentinianus Tribunus Scutariorum, apud Nicæam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli in communionem adsumit imperij: qui regnauit an.XIIII. mensibus V. sub quo hi Consules fuerunt:
VALENTINIANVS, XXXVIII.
Valentinianus & Valens.
Gratianus & Dagalaiphus.
Lupicinus & Iouinus.
His coss. Gratianus, Valentiniani filius Ambianis Imperator factus est. Apud Atrebatas lana cælo pluuiæ mixta defluxit.
Valentinianus II.& Valens II.
Valentinianus N.P.& Victor.

A Valentinianus III.& Valens III.
Gratianus II.& Probus.
Modestus & Arintheus.
Valentinianus IIII.& Valens IIII.
His coss. Saxones cæsi Deusione in regione Francorum, Burgundionum LXXX. fere millia. quot numquam ante ad Rhenum descenderunt. Clearchus [præfectus] vrbi Constantinopoli necessariam aquam, & quamdiu ciuitas optabat, induxit.
B Gratianus III.& Equitius.
P.C.Gratiani III.& Equitij.
Valens V.& Valentinianus.
His coss.Valentinianus apoplexia Brigitione moritur. Post quem Gratianus, adsumpto in imperiũ Valentiniano fratre, cum patruo Valentiniano fratre, cum patruo Valente regnat.
Gratianus IIII.& Merobaudes.
His coss.Alamannorum circiter XXX. millia apud Argentariam oppidum Galliarum [ab exercitu Gratiani] cæsa. Gotthi diffunduntur in
C Thracia.
Valens VI.& Valentinianus.
His coss. à Gotthis in Thracia Valentis trucidatus exercitus. Ipse quoq; Imperator, incensa domo, vbi se occultauerat, igne combustus est: cui successit in oriente Theodosius, Theodosij filius; quem sibi in consortium Gratianus adsciuit. Gratianus itaque cum iam XIIII. regnasset annis, cum Theodosio regnat an. VI. sub
D quibus hi Consules fuerunt:
GRATIANVS ET THEODOSIVS, XXXIX.
Ausonius & Olybrius.
Gratianus V.& Theodosius.
His coss. Ambrosius episcopus de Christiana fide multa sublimiter scribit.
Syagrius & Eucherius.
His coss. Martinus episcopus Turonum (Galliæ ciuitatis) clarus habetur.
E Antonius & Syagrius.
His coss. Athanaricus rex Gotthorum Constantinopolim venit; ibique vitam exegit.
Merobaudes II.& Saturninus.
His coss. Arcadius, Theodosij Imperatoris filius, Augustus appellatur.
Ricomer & Clearchus.
His coss. Gratianus apud Lugdunũ captus occiditur. Residui Valentinianus & Theodosius, regnãt ann.VIII. sub quib. hi Consules fuerunt:
F VALENTINIANVS ET THEODOSIVS, XL.
Arcadius & Bauto.
His coss.Hieronymus presbyter in Bethlehem positus toto mundo mirabilis habetur.
Honorius N.P.& Euodius.
Valentinianus III.& Eutropius.
Theodosius II.& Cynegius.
Timasius & Promotus.
Valentinianus IIII.& Neoterius.
Titianus & Symmachus.
G Arcadius II.& Rufinus.
His coss.Valentinianus vitę tędio apud Viennam laqueo periit. Theodosius cũ iá [per] XIIII. an. regnasset, cũ Arcadio & Honorio [filiis] regnat an.II. sub quibus hi Consules fuerunt:
THEODOSIVS, ARCADIVS, ET HONORIVS, XLI.
Theodosius III. & Abundantius.

Arcadius III. & Honorius II.
His coss. Ioannes monachus, [prophetiæ] gratia prædicus, Theodosium consulentem de euentu belli, quod aduersum Eugenium mouebat, victorem fore pronuntiat.
Olybrius & Probinus.
His coss. Theodosius Eugenium tyrannum vincit & perimit. Augustinus, beati Ambrosij discipulus, multa facundia doctrináque excellens, Hippone regione Africæ episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus poeta insignis habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur. Post quem Arcadius, cum iam regnasset annis XII. cum fratre Honorio regnat annis XIII. sub quib. hi Consules fuerunt:

ARCADIVS ET HONORIVS, XLII.

Arcadius IIII. & Honorius III.
Cæsarius & Atticus.
Honorius IIII. & Eutychianus.
Manlius & Theodorus.
Stilico & Aurelianus.
His coss. Gotthi Alarico & Radagaiso regibus ingrediuntur Italiam.
Vincentius & Frauita.
Arcadius V. & Honorius V.
His coss. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gothi acie victum fugauerunt.
Theodosius Aug. I. & Rumoridus.
Honorius VI. & Aristænetus.
Stilico II. & Anthemius.
Arcadius VI. & Probus.
His coss. Vandali & Alani traiecto Rheno Gallias intrauerunt.
Honorius VII. & Theodosius II.
Bassus & Philippus.
His coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius cum Theodosio fratris filio regnauit ann. XV. sub quo hi Consules fuerunt:

HONORIVS ET THEODOSIVS, XLIII.

Honorius VIII. & Theodosius III.
His coss. Vandali Hispanias occupauerunt.
Varan & Tertullus.
His coss. Roma à Gotthis Alarico duce capta est; vbi clementer vsi victoria sunt.
Theodosius Aug. IIII. cos.
Honorius IX. & Theodosius V.
His coss. Gotthi rege Ataulpho Gallias intrauerunt.
Lucius v.c. cos.
His coss. Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam tenuere.
Constantius & Constans.
Honorius X. & Theodosius VI.
Theodosius VII. & Palladius.
His coss. Gotthi placati Constantio Placidiam reddiderunt: cuius ipse nuptias promeretur.
Honorius XI. & Constantius II.
Honorius XII. & Theodosius VIII.
Monaxius & Plinta.
Theodosius IX. & Constantius III.
His coss. Constantius ab Honorio in societatem regni recipitur.
Agricola & Eustachius.
His coss. Constantius Imperator x.
Honorius XIII. & Theodosius X.
His coss. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est.
Marinus & Asclepiodotus.
His coss. Placidia Augusta à fratre Honorio ob suspicionem inuitatorum hostium, cum Honorio & Valentiniano filiis ad orientem mittitur: Honorius moritur, & solus Theodosius Romanum imperium tenet ann. XXVII. sub quo hi Consules fuerunt:

THEODOSIVS, XLIV.

Castinus & Victor.
His coss. Theodosius Valentinianum consobrinum Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum occidentale mittit imperium.
Theodosius XI. & Valentinianus Cæsar.
His coss. Ioannem tyrannum Valentinianus Imperator exstinxit; Hunnósque, qui in Italia erant Ioannis præsidio, per Aetium mira felicitate dimouit.
Theodosius XII. & Valentinianus II.
Hierius & Artaburres.
His coss. Bonifacio Africam tenenti infauste bellum ingeritur. Gens Vandalorum à Gotthis exclusa, de Hispaniis ad Africam transit.
Felix & Taurus.
His coss. Aetius multis Francis cæsis, quam occupauerant propinquam Rheno partem recipit Galliarum.
Florentius & Dionysius.
Theodosius XIII. & Valentinianus III.
Bassus & Antiochus.
Aetius & Valerius.
Theodosius XIIII. & Maximus.
Aspar & Ariouindus.
Theodosius XV. & Valentinianus IIII.
His coss. pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum Africæ portione. Gundicarium Burgundionum regem Aetius bello subegit, pacémque ei reddidit supplicanti: quem non multò post Hunni peremerunt.
Isidorus & Senator.
Aetius II. & Sigisuultus.
His coss. Aug. Valentinianus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur; filiamque eius in matrimonium accipit.
Theodosius XVI. & Faustus.
Theodosius XVII. & Festus.
His coss. bellum aduersus Gotthos Hunnis auxiliantibus geritur, & Litorius dux Romanus ab eis capitur. Gensericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit.
Valentinianus Aug. V. & Anatolius.
His coss. Gensericus Siciliam grauiter affligit.
Cyrus v.c. cos.
Hoc cos. Theodosius Imperator bellum contra Vandalos inefficaciter mouit.
Dioscorus & Eudoxius.
His coss. Hunni Thracias & Illyricum sæua populatione vastarunt: cum Genserico ab Aug. Valentiniano pax confirmata, & certis spatiis Africa inter vtrosque diuisa est.
Maximus II. & Paternus.
Theodosius XVIII. & Albinus.
His coss. Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem in regno suo perimit, eiusque populos sibi parere compellit.
Valentinianus VI. & Nonius.
Aetius III. & Symmachus.
Callepius & Ardabures.

Posthu-

Posthumianus & Zeno.
Astu.ius, & Protogenes.
Valentinianus vii. & Aulenus.
His coss. Theodosius moritur. Post quem Marcianus adscitus in imperium, qui regnauit ann. vii. sub quo hi Consules fuerunt:

MARCIANVS, XLV.

Marcianus Aug. & Adelphius.
His coss. Romani Aetio duce, Gotthis auxiliaribus, contra Attilam in Campis Catalaunicis pugnauerunt: qui virtute Gothorum superatus, abscessit. B
Herculanus & Asporacius.
His coss. Attila redintegratis viribus Aquileiam magna vi dimicans introiuit: cum quo à Valentiniano Imperatore Papa Leo directus, pacem fecit.
Opilio & Vincomalus.
His coss. Attila in sedibus suis moritur.
Aetius iii. & Studius.
His coss. Aetius Patricius in Palatio manu Valentiniani Imperatoris extinctus est: Boetius verò Præfectus Prætorio, amicis eius circumstantibus interemptus. C
Valentinianus viii. & Anthemius.
His coss. In campo Martio, ab amicis Aetij Valentinianus Imperator occiditur. Post quem MAXIMVS inuasit imperium: qui intra duos menses à militibus extinctus, in Tiberim proiicitur. Eodem anno per Gisericum omnibus opibus suis Roma vacuata est. Post Maximum AVITVS in Galliis sumit imperium. D
Ioannes & Varan.
His coss. Placentiæ deposuit Auitus imperium.
Constantinus & Rufus.
His coss. Marciano imperatore defuncto LEO orientis, MAIORIANVS Italiæ suscepit imperium. sub quibus hi Consules fuerunt:

LEO (ET MAIORIANVS,) XLVI.

Leo Aug. & Maiorianus Aug. E
His cos. Maiorianus in Africam mouit procinctum.
Ricomer & Patricius.
Magnus & Apollonius.
Seuerinus & Dagalaiphus.
His coss. Maiorianus immissione Ricomeris extinguitur: cui SEVERVM natione Lucanum Rauennæ succedere fecit in regnum.
Leo Aug. ii. & Seuerus Aug.
Basilius & Viuianus. F
Rusticus & Olybrius.
His coss. rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à patricio Ricomere peremptus est.
Arminericus & Basiliscus.
His coss. (vt dicitur) Ricomeris fraude Seuerus Romæ in palatio veneno peremptus est.
Leo Aug. iii. cos.
Puseus & Ioannes.
His coss. ANTHEMIVS à Leone imperatore ad Italiam mittitur, qui tertiò ab vrbe miliario in loco Brontotus suscepit imperium. G
Anthemius Aug. ii. cos.
Hoc cos. in Sicilia Marcellinus occiditur.
Marcianus & Zeno.
His coss. Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij exsilio deportatur.
Seuerus & Iordanes.

His coss ROMANVS patricius, affectans imperium, capitaliter est punitus.
Leo Aug. iiii. & Probianus.
His coss. Constantinopoli affectata tyrannide à Leone principe Aspar occiditur.
Festus & Marcianus.
His coss. patricius Ricomer, Romæ facto Imperatore Olybrio, Anthemium, contra reuerentiam Principis & ius affinitatis, cum graui clade ciuitatis extinguit, qui non diutius peracto scelere gloriatus, post XL. dies defunctus est. Olybrius autem septimo imperij mense vitam peregit.
Leo Aug. v. cos.
Hoc cos. Gundibalo hortante Glycerius Rauennæ sumpsit imperium. Eodem anno Leo Nepotem suum Leone consorte facit imperij.
Leo iunior Aug. coss.
Hoc coss. Imperator Leo senior defunctus est: cui Zeno successit in imperio, qui regnauit ann. XVII. sub quo hi coss. fuerunt. Eo etiam ann. Romę Glycerio Nepos successit in regno.

ZENON XLVII.

Post cos. Leonis Aug. iunioris.
Eodem anno Orestes, Nepote in Dalmatias fugato, filio suo Augustulo dedit imperium.
Basiliscus ii. & Armatus.
His coss. ab Odouacre Orestes & frater eius Paulus extincti sunt, nomenque regis Odouacer adsumpsit, cum tamen nec purpura, nec regalibus vteretur insignibus.
P.C. Basilisci II. & Armatii.
Illus v. c. cos.
Zeno Aug. iii. cos.
Basilius v. c. cos.
Placidius v. c. coss.
Hoc cos. Odouacer in Dalmatiis Odiuam vincit & perimit.
Seuerinus v. c. cos.
Faustus v. c. coss.
DN. Theodericus & Venantius.
Symmachus v. c. cos.
Decius & Longinus.
Boetius v. c. cos.
Hoc cos. Odouacer Phœba rege Rugorum victo captoque potitus est.
Dynamius & Sifidius.
Probinus & Eusebius.
His coss. felicissimus atque fortissimus DN. Rex Theodericus intrauit Italiam: cui Odouacer Isontium pugnam parans, victus, cum tota gente fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odouacer.
Faustus Iun. cos.
Hoc cos. ad Adduam flumium Odouacrem DN. Theodericus rex tertio certamine superauit, qui Rauennam fugiens, obsidetur inclusus.
Olybrius Iun. cos.
Hoc cos. Odouacer cum Erulis egressus Rauennam, nocturnis horis ad pontem Candidium à Domino nostro Theoderico rege memorabili certamine superatus: tunc etiam Vandali, pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione cessarunt. Eodem anno Zeno occubuit [Constantinopoli:] cui Anastasius in orientali succesit imperio.

ANASTASIVS, XLVIII.

Anastasius Aug. & Rufus.
Albinus v. c. cos.

Hoc cos. DN. Rex Theodericus Rauennam ingressus, Odouacrem molientem sibi insidias interemit.

Asterius & Præsidius.

Viator v.c.cos.

Paulus v.c.cos.

Anastasius Aug. II. cos.

Paulinus & Ioannes.

Ioannes v.c. cos.

Patricius & Hypatius.

Hoc anno DN. rex Theodericus Romam, cunctorum votis expetitus aduenit, & Senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit annonas, atque admirandis mœnibus, deputata per annos singulos maximæ pecuniæ quantitate, subuenit: sub cuius felici imperio plurimæ renouantur vrbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia magnisque eius operibus antiqua miracula superantur.

Auienus & Pompeius.

Auienus Iun. & Probus.

His coss. DN. Rex Theodericus aquam Rauennam perduxit; cuius formam sumptu proprio instaurauit, quæ longis ante fuerat ad solum reducta temporibus.

Cethegus v.c. cos.

Hoc cos. virtute DN. Regis Theoderici victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.

Theodorus & Sabinianus.

Messala & Ariouinda.

Anastasius Aug. III. & Venantius.

Venantius iunior & Celer.

His coss. contra Francos à Domino nostro destinatur exercitus; qui Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, (suo) adquisiuit imperio.

Importunus V.c.cos.

Boethius v.c. cos.

Felix & Secundinus.

Paulus & Muschianus.

Probus & Clementinus.

Senator v.c.cos.

Me etiam cos. in vestrorum laude temporũ, adunato clero vel populo Romanæ ecclesiæ rediit optata concordia.

Florentius & Anthemius.

His cos. DN. Rex Theodericus filiam suam, Dominam Amalasuintam glorioso viro DN. Eutharici matrimonio, Deo auspice copulauit.

Petrus v.c. cos.

Anastasius & Agapetus.

Magnus v. c.cos.

Eo anno DN. Eutharicus Cillica mirabili gratia Senatus & plebis ad edendum exceptus est feliciter consulatum.

DN. Euthraricus Cillica, & Iustinus Augustus coss.

Eo anno multa vidit Roma miracula: editionibus singulis, stupente etiam Symmacho orientis legato diuitias Gothis Romanisque donatas dignitates, cessit in Curiam: muneribus amphitheatralibus. diuersi generis feras, quas præsens ætas pro nouitate miraretur, exhibuit. cuius spectaculis voluptates etiam exquisitas Africa sub deuotione transmisit. Cunctis itaque eximia laude completis, tanto amore ciuibus Romanis insederat, vt eius adhuc præsentiam desiderantibus, Rauennam ad gloriosi patris remearet aspectus. vbi iteratis editionibus tanta Gothis Romanisque dona largitus est, vt solus potuerit superare quem Romæ celebrauerat consulatum.

Igitur vt effusam annorum seriem auctorum testificatione digestam, sub breuitatis compendio redigamus.

Ab Adam vsque ad diluuium, sicut ex Chronicis Eusebij Hieronymi collegimus anni sunt ĪĪCCXLII.

A diluuio vsque ad Ninum Assyriorum regem, anni sunt DCCCXCIX.

A Nino vsque ad Latinum regem, anni sunt DCCCLII.

A Latino rege vsque ad Romulum, anni sunt CCCCLVII.

A Romulo vsque ad Brutum & Tarquinium primos Consules, anni sunt CCXL.

A Bruto & Tarquinio vsque ad Consulatum vestrum, sicut ex Tito Liuio, & Aufidio Basso, & Paschali, virorum clarorum auctoritate firmato, collegimus, anni sunt MXXXI.

Ac si totus ordo seculorum vsque ad consulatum vestrum colligitur, anni V̄DCCXXI.

FINIS.

EX

EX IORNANDIS LIBRO I. DE REGNORVM AC TEMPORVM SVCCESSIONE.

REGNI ROMANORVM SVCCESSIO.

A AB origine vrbis Romæ & vſque Tarquinium regem cognomento Superbum, qui expulſus eſt, numerátur anni CCXLIII. Nã primus ille & vrbis & imperij conditor ROMVLVS, fuit à Marte (vt ipſorum verbis loquamur) genitus, & Rhea Siluia, hoc ſeſe ſacerdos grauidatam confeſſa eſt. Nec mox fama du- B bitatur, quum Amulij regis imperio abiectus in aquam profluentem cum Remo fratre, non potuit exſtingui. ſiquidem & Tiberis amnem repreſſit. & relictis catulis lupa ſecuta vagitum, vbera admouit infantibus, matriſque geſſit officium. Sic repertos Fauſtulus regij gregis paſtor tulit in caſam, atque educauit. Alba tum erat Latio caput, Iuli opus. Nam Lauinium patris Æneæ contempſerat. Abhinc Amulius iam ſeptima ſobo- C les regnabat, fratre pulſo Numitore: cuius ex filia natus erat Romulus. Igitur ſtatim prima iuuentutis facie patruum ab arce deturbat, auum reponit. Ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia noua vrbis agitabat. Gemini erant: vter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit deos. Remus montem Auentinum, hic Palatinum occupat. Prius ille ſex vultures, hic poſtea duodecim vidit. Sic victor vrbem augu- D rio excitat, plenus ſpei bellatricem fore. id aſſuetæ ſanguini & prædę aues pollicebantur. Ad tutelam nouæ vrbis, ſufficere vallum videbatur: cuius dum anguſtias Remus increpat ſaltu tranſiliuit. Dubium an iuſſu fratris, occiſus eſt. Prima certe victima fuit, munitionemque vrbis nouæ ſanguine ſuo conſecrauit. Imaginem vrbis magis quàm vrbem fecerat. Incolæ deerant. Erat in proximo lucus. hunc aſylum facit: & ſtatim mira hominum vis: Latini Tuſcique paſtores, etiam E transmarini Phryges, qui ſub Euandro duce confluxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregauit corpus vnum, populumque Romanum ipſe fecit. Erat verò vnius ætatis populus. Virorum itaque matrimonia à finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta ſunt. ſimulatis quippe ludis equeſtribus, virgines quæ ad ſpectaculum venerant, prædæ fuerunt. Hæc ſtatim cauſa bellorum. pulſi fugatique Veientes. Cæninenſium captum ac direptum eſt oppidum. Spolia inſuper opima de rege Agrone Feretrio Ioui manibus [ſuis rex] reportauit. Sabinis prodita porta per virginem Tarpeiam, non dolo: ſed puella pretium rei, quod gerebant in ſiniſtris manibus petierat, dubium clypeos, an armillas. Illi, vt & fidem ſoluerent, & vleiſcerentur, clypeis obruere: Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo foro fit pugna, adeo vt Romulus Iouem oraret, fœdam vt ſuorum fugam ſiſteret. Hinc templum, & Stator Iuppiter. Tandem furentibus interuenere raptæ, laceris comis: ſic pax facta cum Tatio fœduſque percuſſum. Secutaque res mira dictu, vt relictis ſedibus ſuis, nouam in vrbem hoſtes demigrarent, & cum generis ſuis auitas opes pro dote ſociarent. Auctis breui viribus, hunc rex ſapientiſſimus ſtatum Reipublicæ impoſuit. Iuuentus diuiſa per tribus, in equis & armis, vt ad ſubita bella excubaret, conſilium Reipublicæ penes ſenes eſſet, qui ex auctoritate *Patres*, ab ætate *Senatus* vocabantur. His ita ordinatis, repentè cum concionem haberet ante vrbem, apud Capreæ paludes, è conſpectu ablatus eſt. Diſcerptum aliqui à ſenatu putant, ob aſperius ingenium. Sed oborta tempeſtas, Soliſque defectio, conſecrationis ſpeciem præbuere. Cui rei mox Iulius Proculus fidem fecit, viſum à ſe Romulum affirmans auguſtiore forma quàm fuiſſet: mandare præterea, vt ſe pro numine acciperent. Quirinum in cælo vocari, placitum diis, vt gentium Roma potiretur. Succeſſit Romulo NVMA POMPILIVS, quem Curibus Sabinis agentem vltro petiuerunt, ob inclytam viri religionem. Ille ſacra, ceremonias, omnemque cultum deorũ immortalium docuit: ille pontifices, augures, ſalios, ceteraque ſacerdotia: annumque in XII. menſes, feſtos dies nefaſtoſque deſcripſit. Ille ancilia atque palladium, ſecreta quędã imperij pignora, Ianumque bifrontem, fidem pacis ac belli: in primis focum Veſtæ virginibus colendum dedit; vt ad ſimulacrum cæleſtium ſiderum, cuſtos imperij flamma vigilaret: Hęc omnia quaſi monitu deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eo denique ferocem populum redegit, vt quod vi & iniuria occuparat imperium, religione atque iuſtitia gubernaret. Excepit Pompilium Numam TVLLVS HOSTILIVS, cuius honori & virtuti regnum vltro datum. Hic omnem militarem diſciplinam artemque bellandi inſtituit. Itaque mirum in modum exercitata iuuentute prouocare auſus eſt Albanos, grauem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis vtrique comminuerentur, miſſo in cõpendiũ bello, Horatiis Curiatiiſque, trigeminis hinc atque inde fratribus, vtriuſque populi fata permiſſa ſunt. Anceps & pulchra cõ-

tentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito in virtutem dolo, vt distraheret hostem simulat fugam, singulosque, prout sequi poterant, adortus, exsuperat. Sic, ratum decus aliis vnius manu parta victoria est: quàm ille mox parricidio fœdauit. Nam flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis sororem viderat. hunc tam immaturum amorem virginis vltus est ferro. vt audiret leges, nefas: sed abstulit virtus parricidam & facinus infra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus perstat. Nam Fidenati bello missi in auxilium ex fœdere, medij inter duos exspectauere fortunam. Sed rex callidus, vbi inclinare socios ad hostem videt, tollit animum quasi mandasset, spes inde Romanis, metus hostibus incussus. sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruptorem fœderis Metium Fufetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit, Albamque ipsam, quamuis parentem, æmulam tamen diruit, quum prius omnes opes vrbis ipsumq. populum Romã transtulisset: prorsus vt consanguinea ciuitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur. ANCVS deinde MARCIVS, nepos Pompilij ex filia, vario ingenio. Igitur & muro mœnia amplexus est, & influentẽ vrbi Tiberim põte cõmisit, Ostiãq. in ipso maris fluminisq. confinio posuit coloniã, iam tunc videlicet præsagiẽs animo, futurum vt totius mundi opes & commeatus, illo velut maritimo vrbis hospitio reciperentur. TARQVINIVS postea PRISCVS, quamuis transmarinæ originis, regnum vltro petens accepit, ob industriam atque elegantiam, quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus immiscuisset. Hic & senatum centũ patrum numero ampliauit: & centuriis tribus auxit, quamuis Actius Neuius numerum augeri prohiberet vir summus augurio, quem rex inexperimentum togauit, fierine posset quod ipse mente conceperat. ille, rem expertus augurio, posse respondit. *Atque hoc*, inquit, *agitabam an cotem illam secare nouacula possem.* Et augur, *potes*, inquit: & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quàm bello promptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, anuli, faleræ, paludamenta, prætextæ: inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia, quibus imperij dignitas eminet, sumpta sunt. SERVIVS TVLLIVS deinceps gubernacula vrbis inuadit: nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat, & clarum fore visa circa caput flãma promiserat. Ergo inter Tarquinij mortem, adnitente regina, substitutus in locum regis, quasi in tempus regnum dolo partum sic egit industriæ, vt iure adeptus videretur. Ab hoc populus Rom. relatus in censum, digestus in classes, decuriis ac collegiis distributus: summaque regis solertia ita est ordinata respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur. Postremus fuit omnium regum TARQVINIVS, cui cognomen SVPERBVS ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod à Seruio tenebatur, rapere maluit quàm exspectare, missisque in eum percussoribus,

A scelere partam potestatem non melius egit quàm adquisierat. Nec abhorrebat moribus Tullia, quæ vt virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento, consternatos equos egit. Sed ipse in senatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes superbia, quę crudelitate grauior est, bonos grassatus, quũ seuitiam domi fatigasset, tãdem in hostes cõuersus est. Sic valida Latij oppida capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabij, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim B filium verberare dubitauit, vt simulanti transfugã apud hostes hinc fides esset. Quo à Gabiis, vt voluerat, recepto, & per nuntios cõsulenti quid fieri vellet, eminẽtia forte papauerũ capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes vellet intelligi, ea superbia sic respondit vt senserat. Tamen de manubiis captarum vrbium templum erexit. Quod dũ inauguraretur, cedẽtibus ceteris diis, (mira res dictu) restitere Iuuentas & Terminus. Placuit patribus contumacia numinum. siquidem firma omnia & ęterna pollicebã- C tur. Sed illud horrendius, quod molientibus ædem, in fundamentis humanũ caput repertum est. Nec dubitauere cuncti, monstrum pulcherrimum imperij sedẽ, caputque terrarũ promittere. Tamdiu superbiam regis populus Rom. perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit. Quorum cum alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit. imperium tum regibus abrogatum. Hæc est *prima ætas populi Ro-* D *mani & quasi infantia* quam habuit sub regibus septem, per annos, vt diximus, CCXLIII, quadam fatorum industria tam variis ingenio, vt reipubl. ratio & vtilitas postulabat. Nã quid Romulo ardẽtius? tali opus fuit vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? ita rẽs poposcit, vt ferox populus, deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris quam necessarius? vt acueret ratione virtutem. Quid ędificator Ancus? vt vrbẽ colonia extenderet, ponte iungeret, muro E tuerẽtur. Iam verò ornamenta Tarquinij & insignia, quanta principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatẽ? Actus à Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosset Romana respublica? Postremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur, mutataq. regale dominatione, ad consulum infulas se conferret, qui bini annis singulis rempublicã gubernantes, se quotannis F anno ab aliis venientibus succedebãtur, scientesq. se annis tantum singulis præesse in populo, erga alios agebant qualiter eos erga se acturos postea cupiebant. Qui ordo vsque ad Augustũ Cæsarem obtinuit priuilegiũ, per viros nongentos quindecim, in annis CCCCLVIII. Nouem siquidem annis, sine consulibus, sed tantũ sub tribunis plebis fuit, quatuor sine iudicibus. Nã post exactos reges annum vnum quinis dieb. singuli senatorũ Rẽp obtinuerunt. & tunc duobus creatis cõsulibus, Bru- G to & Collatino, in posterum vsque ad Pansam & Hirtium seruauerunt per annos prænotatos. Et quia omnium consulũ nomina actusque conscribere, & mihi tædium, & tibi qui legis, tædio fore precaui, aliqua exinde prælibans, multa superfedi, quod pæne nonnulli iam vsurpatum esse breuiatumque opus cognoui.

R E-

REGNVM ROMANORVM

PVLSIS REGIBVS ANNVVS EXCIPIT CONSVLATVS.

IGITVR primi consulum Brutus & Collatinus, quibus vltionem sui matrona moriens mandauerat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum concitatus, regē repente destituit, bona diripit; agrum Marti suo cōsecrat: imperiū in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen (vt diximus) & iure, & nomine, quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine vel mora corrūperetur: Consulésque appellauit pro regibus, vt cōsulere ciuibus suis debere meminissent. Tantumq. libertatis nouæ gaudium incesserat, vt vix mutati status fidem caperent, alterūque ex cōsulibus Lucretiæ maritum tātum, ob nomē & genus regiū, fascibus abrogatis, vrbe dimitterēt. Itaque substitutus Valerius Publicola, sūmo studio nisus est ad augendā populi maiestatē. Nā & fasces ei pro concione summisit, & ius prouocationis aduersus ipsos dedit: & ne species arcis offenderet eminēti sede sua, in plana se submisit. Brutus verò fauori ciuium etiā domus suæ clade & parricidio velificatus est. quippe quum studere de reuocādis in vrbem regibus liberos suos cōperisset, protraxit in forum & in cōcione media virgis cecidit, securique percussit: vt planè publicus parēs, in locum liberorum adoptasse sibi populū videretur. Liber iam hinc populus Rom. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, pro finibus mox, deinde pro sociis, tum [pro] gloria & imperio, lacessentibus assiduè vsquequaque finitimis: quippe cū patrij soli gleba [nulla] esset, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latiū atque Etruscos, quasi in quodā biuio, collocatus, omnibus portis in hostē incurreret, donec quasi cōtagione quadā per singulos itum est: & proximis quibusque correptis totam Italiā sub se redigeret. Nam *Porsena rex Etruscorum* ingētibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamē, quamuis & armis & fame vrgeret, occupatoq. Ianiculo, in ipsis vrbis faucibus incubaret; sustinuit, repulit: nouissimè etiā tanta admiratione perculit, vt superior vltro cū pæne victis amicitiæ fœdera feriret. Nam Mucius Scæuola Romanorum fortissimus, regem per insidias in castris ipsius aggreditur. sed vbi frustratus circa purpuratū eius illatus ictus, tenetur, ardentibus mox focis intulit manū, terrorémque geminat dolo. *En, vt scias,* inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus*: cùm interim (immane dictū) hic interritus, ille trepidaret, tamquā manus regis arderet. Sed ne sexus quidem muliebris altera laude cessaret, ecce & virginum virtus. vna ex obsidibus regi data, elapsa custodia, Clœlia, per patrium flumen equitabat. Rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris, valere liberosque esse iussit. Tarquinij tamdiu dimicauerūt, A donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum vulnere mutuo exspirauit, planè quasi adulterum ad inferos vsque sequeretur. Nec secus *Latini* Mamilio Tusculano duce apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque subiiciuntur. Ocriculum atque Corniculū, Soraque & Allium, eorum vrbes captæ, prouinciaque effecta. de Verulis & de Bouillis pudet, sed triumphauere Romani. Tibur nunc suburbanū, & æstiuæ Prænestè deliciæ, nuncupatis in Capitolio vo- B tis petebantur: idem tunc Fesulæ quod Carræ nuper: idem nemus Aricinum quod Hercynius saltus, Fregellę, quod Cęsarea, Tiberis, quod Euphrates. Coriolos quoque proh pudor inuictos adeo gloriæ fuisse, vt post captū oppidum Gnæus Marcius Coriolanus quasi Numantia, aut Africa nomini [Rom.] induceretur. Exstāt & de Antio spolia, quæ Mænius in suggesto fori, capta hostiū classe, infixit: si tamen illa classis. nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis nauale bellum fuit. C Pertinacissimi tamē Latinorum Æqui & Volsci fuere, & quotidiani (vt sic dixerim) hostes. Et hos præcipuè Titus Quintius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa & pænè iam capta Mallij consulis castra egregia victoria recuperauit. Medium erat tempus forte sementis, quum patriciū virum innixum aratro suo, lictor in ipso opere deprehēdit. Inde in aciem prouectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos pecudum more D sub iugum misit. Expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola, fide numinū. Qua felicitate intra quindecim dies cœptum peractūque bellum: prorsus vt festinasse dictator ad relictum opus videretur. Pari tenore Veientes, Falisci, & Fidenates tunc magno labore deuicti sunt. Qui modo etsi fuerint, non videntur aliquod reliquisse vestigiū. Laborat enim annaliū fides, vt Veios, Faliscos, Fidenates fuisse credamus. *Galli* autē *Senones*, gens natura ferox moribus incondita, ad hoc E ipsa corporum mole, perinde [ac] armis ingentibus, adeo Romano generi terribilis fuit, vt planè nata ad hominum interitum, vrbium stragē videretur. Hi quondā ab vltimis terrarum oris, & cingente omnia oceano, ingenti agmine profecti, quum iam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiā bacchabantur. Tunc Clusium Tusciæ vrbē obsidebant, vbi pro sociis & fœderatis Romanus interuenit, missis ex more legatis. Sed quod ius apud F barbaros, ferocius agunt, & inde ad certamen cum exercitu conuersi Galli, Clusio Romam quibus ad Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. Non temere fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnauit. Fuso exercitu, Galli iam mœnibus vrbis appropinquabant, vbi pænè nulla erant præsidia. Tum igitur sic, vt numquam alias apparuit illa vera Romana virtus. Iam primum maiores natu, amplissimis vsi honoribus,

in foro coeunt. Ibi deuouente pontifice, diis se manibus consecrant. Statimque in suas quisque ædes regressi sunt, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese reposuerunt, vt quum venisset hostis, in sua quisque dignitate moreretur. Pontifices autem & flamines, quidquid religiosissimi in templis erat, partim in dolijs resossa terra recondunt, partim imposita plaustris, secum [Veios] auferunt: virgines ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen excepisse fugientes vnus è plebe fertur Albinus, qui depositis vxore ac liberis, virgines in plaustrum recepit. adeo tunc quoque in vltimis *religio publica priuatis affectibus antecellebat.* Iuuentus, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Iouem, vt quemadmodum ipsi ad defendendum templum eius occurrissent, ita ille virtutem illorum numine suo tueretur. Aderant interim Galli, apertamque vrbem adeunt. Ibi sedentes in curulibus suis prætextatos senes, velut deos geniosque venerati, mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioquin nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant, facesque tectis iniiciunt, & totam vrbem igni ferroque manibus exæquant. Sex mensibus barbari (quis crederet?) circa montem vnum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia experti, quum tamen Manlius noctu subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe deiecit: & vt spem hostibus demeret, quamquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciæ, panes ab arce iaculatus est: & statuto die, per medias hostium custodias, Fabium pontificem ab arce dimisit, qui solenne sacrum in Quirinali monte conficeret: atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit, propitiosque deos renuntiauit. Nouissime quum iam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, subito aggressus à tergo Camillus cecidit, vt omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. Igitur Gallorum quondam cata, vrbs enituit: & post seruatam à Manlio faciem, restituramque à Camillo, acrius etiam vehementiusque in finitimos surrexit. Nec tamen contenti Romani suis eos mœnibus expulisse, quum per Italiam naufragia sua latius traherent, sic persecuti sunt duce ante Camillo, vt hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati: quum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit, vnde & *Torquatus* est dictus. Item in Pomptino agro, quum simili pugna Valerius, insidente galeæ sacro alite adiutus, retulit spolia, dictusque est ipse *Coruinus.* Necnon tamen post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis, Dolabella deleuit, ne quis exstaret ex ea gente, qui incensam à se Romanam vrbem gloriaretur. Conuersoque à Gallis Torquato *Latium* experti sunt, & deuicti. Indeque *Sabini*, qui comites belli socij ductante Tatio exstitissent, à Curio Dentato subiecti, eorumque loca à Baranio fonte Adriatico tenus mari, igni ferroque vastata, tantæque Romano populo additæ opes, vt nec ipse posset æstimare qui vicerat. Precibus deinde Campaniæ motus, non pro se, sed pro socijs *Samnitas* inuadit. Omnium namque non modo Italiæ [tantum,] sed pænè toto orbe terrarum pulcherrima Cam-

A paniæ plaga est. Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. Nihil vberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. hic ille nobilis portus Caieta, Misenus, tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & Auernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus cunctorum Vesuuius, Ætnæi ignis imitator. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, & ipsa caput vrbium Capua

B quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque, numeranda. Pro hac vrbe, & his regionibus populus Romanus Samnitas inuadit: gentem, si opulentiam quæras, aureis & argenteis armis, & discolori veste, vsque ad ambitum armatam: si fallaciam, saltibus fere & montibus grassatam: si rabiem ac furorem, sacris legibus humanisque hostiis in exitium vrbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fa-

C bios ac Papirios patres, eorumque liberos, ita subegit & domuit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime tamen nota & illustris apud Caudinas Furculas ex hac gente clades, Veturio Postumioque consulibus, accepta est. Clauso per insidias intra eum saltum exercitu, vnde non posset euadere, stupens tanta occasione dux hostium Pon-

D tius, Herennium patrem consuluit, an illos sub iugum mitteret, an occideret. Sapienter vt senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit: vt nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque & consules statim magnificè voluntaria deditione turpitudinem fœderis diriment: & vltionem flagitans miles, Papirio duce, horribile dictu, strictis ensibus, per ipsam viam ante pugnam furit: & in congressu ardisse omnium oculos hostis auctor fuit. Nec prius finis cædibus datus, quam iugum sibi promissum Ro-

E mani & duci Samnitium & hostibus reposuerunt. Hactenus cum singulis gentibus certatum est: mox acta summa. sic tamen quoque par omnibus fuit. Etrusci omnium duodecim populi, Vmbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus, Samnitum & reliqui, in excidium Romani nominis repente coniurant. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum. late[per] Etruriam infesta quatuor agminum signa volitabant. Ciminius interim saltus in medio, antè inuius planè, quasi Calidonius vel Hercynius, adeo terrori erat, vt se-

F natus consuli denuntiaret, ne tantum periculi ingrederetur. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus. Ille, per noctem pastorali habitu speculatus omnia, refert tutum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicuit. Nam subito incompositos atque palantes aggressus est: captisque superioribus iugis, in subiectos suo iure detonuit. ea namque species illius fuit belli, quasi in terrigenas è cælo ac nubibus tela iacerentur. Nec tamen incruen-

G ta illa victoria. nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius, more patrio deuotum diis manibus obtulit caput, solennemque familiæ suæ consecrationem in victoriæ pretium redegit. Necdum Etrusco bello excepto, mox sequitur *Tarentinum*, vnum quidem in nomine, sed multiplex in victoriis. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id est totam pænè Italiam. & cum

cum his omnibus Pyrrhum regem Epirotarum, Græciæ regem, vna velut ruina pari et inuoluit, vt eodem tempore & Italiam consumeret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, cum magnitudine, & muris, portuque nobilis tum mirabili situ: quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in omnes terras, Histriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum theatrum: quod quidem causa miseræ ciuitati caput fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, cum adremigantem litori Romanam classem vident, atque hostem rati, emicant sine discrimine & insultant. Qui enim, aut vnde Romani? Nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque fœdè per obscœnam turpémque dictu contumeliam violant: & hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusque vehementior Pyrrhus, qui semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus, ciuitatem vindicaturus, cum totis viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam & Campaniæ fluuium Lirim, Læuino consule prima pugna facta est, quæ tam atrox fuit, vt Frentanæ turmæ præfectus Obsidius inuectus in regem turbauerit, coegeritque proiectis insignibus prœlio excedere. Actum erat nisi elephanti conuersi in spectacula procucurrissent belli. quorum cum magnitudine, tum deformitate, & nouo odore simul ac stridore consternati equi, cum incognitas sibi belluas amplius quam erant, suspicarentur, fugam stragémque latè dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatū est, Curio Fabricioque consulibus. Iam quippe terror belluarū exoleuerat, & Caius Minucius quartæ legionis hastatus, vnius proboscide abscisa, mori posse belluas ostenderat. Itaque & in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt. Nec alius finis cladi erat, quam nox dirimeret, postremusque fugientium rex ipse à satellitibus saucius in armis suis referretur. Lucaniæ suprema pugna, in his, Subarros quos vocant, campis, ducibus iisdem quibus superius sed cum tota victoria exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam prouectis in primam aciem rursus elephantis, vnum ex illis pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit, qui quum per stragem suorum recurrens, stridore quereretur, mater agnouit, seque quasi vindicare vellet, exhibuit quum omnia circa quasi hostilia graui mole permiscuit. ac sic eædem feræ, quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine controuersia tradiderunt. Nec vero tantum armis, & in campis, sed consiliis, & domi quoque intra vrbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam victoriam, intellecta Romana virtute, statim desperauit armis, seq. ad dolos contulit. nam interemptos cremauit, captiuosque indulgentius habuit, & sine pretio restituit: missisque legatis in vrbem, omni modo annisus est, vt facto fœdere in amicitiam reciperetur. Sed & bello & pace, & foris & domi, omnē in partem Romana virtus tum se approbauit. Nec alia magis quàm Tarentina victoria ostendit populi

A Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. Nec alius pulchrior in vrbem aut speciosior triumphus intrauit. Ante hunc diē nihil præter pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses. Tum autem, si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus: si pompam, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque lauticiæ. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quàm illas quas ti- B muerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captiuitatis submissis ceruicibus victores sequebantur. Post Tarentinam cladem, domiti *Picentes*, & caput gentis Asculum, à Sempronio duce, qui tremente inter prœlium campo, Tellurem deam promissa æde placauit. *Salentini* verò Picentibus additi, caputque his regionibus Brundusiū inclyto portu, M. Atilio duce. & in hoc certamine victoriæ pretium templum sibi pastoria Pales vltro poposcit. Postremi Italicorum in fidem manere Vulsini opulentissimi Etruscorum, implorātes C opem aduersus seruos quondam suos, qui libertatem à dominis datam in ipsos erexerant, translataque in se republ. dominabantur. Sed hi quoque duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Domita subactaque Italia, populus Rom. Appio Claudio consule, primum *fretum* ingressus est, fabulosis infame monstris, æstuque violentum. Sed adeo non est exterritus, vt ipsam illam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur: [quod velo- D citas nauium iuuaretur:] statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum tanta celeritate deuicit, vt ille ipse prius se victum, quam hostem videret, fateretur. Duellio Cornelioque consulibus, etiam *mari* congredi ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparatæ, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem, quam cæsa [silua] fuerat centum sexaginta nauium classis in ancoris stetit: vt non arte factæ, sed quodam munere deorum conuersæ in naues atque mutatæ arbo- E tes viderentur. Prœlij verò forma mirabilis, quum illas celebres volucresque hostium naues, hæ graues tardæque comprehenderent. longè plus illis nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga rostra. Iniectæ enim ferreæ manus, machinæque vandæ, ante certamen multum ab hoste [derisæ] coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparam mersa aut fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum: cuius quoddam gaudium fuit, quum F Duellius imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet. Præ tanta victoria, leue huius prœlij damnum fuit, alter consulum interceptus Asina Cornelius, qui simulato colloquio euocatus, atque ita oppressus fuit, perfidiæ Punicæ documentum. Calatino dictatore, fere omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæoque detraxit. Trepida- G tum est semel, circa Camerinensium saltum. Sed eximia virtute Calpurnij tribuni militum periculo euasimus: qui lecta trecentorum militum manu, insessum ab hostibus tumulū occupauit, adeoque moratur hostes, dum exercitus omnis euaderet: ac sic pulcherrimo exitu, Thermopylarū & Leonidæ famam adæquauit. hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit. & nihil inscripserit sanguine. Lucio Cornelio Scipione,

quum iam Sicilia suburbana esset populi Rom. A prouincia, serpente latius bello, *Sardinia* adnexa atque *Corsica*, transiit Olbiam. ibi Atericæ vrbis excidio incolas terruit; adeoque omni terra & mari Pœnos fugauit, vt iam victoriæ nil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce, iam in *Africam* nauigabat bellum. nec defuerant qui in ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, insuper augente Minatio tribuno metum: in quẽ nisi paruisset, securi districta iterum imperator metus mortis nauigandi fecit audaciam. B mox deinde ventis remisque properatum est, tantusque terror hostici aduentus fuit Pœnis, vt apertis penè portis Karthago caperetur. Prima præmium belli fuit ciuitas Clypea. prima enim à Punico litore, quasi arx & specula procurrit. & hæc trecenta amplius castella, vastata sunt. Nec cum hominibus modo, sed cum monstris quoque dimicatum est, quum quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bragadam castra vexauerit. Sed omnium in victor Regulus, C quum terrorem nominis sui latè circumtulisset, quumque magnam vim iuuentutis, ducesque ipsos aut cepisset, aut haberet in vinculis, classemque ingenti præda onustam, & triumpho grauem in vrbem præmisisset, iam ipsam belli caput Karthaginem vrgebat obsidione, ipsisque portis inhærebat. Hic paululum circumacta fortuna est tantum, vt plura essent Rom. virtutis insignia, cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conuersis ad extrema auxilia hostibus, quum Xã- D tippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo Regulus victus est, fœdaque clades, Romanisque viui incognita. nam viuus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione suscepta. quippe diuersa, quam hostis mandauerat, censuit, ne pax fieret, nec commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec vltimo siue carcere, seu crucis supplicio, E deformata maiestas. In omnibus admirabilior, quid aliud quàm victus de victoribus? At quæ etiam Karthago cesserat, de fortuna triumphauit. Populus autem Romanus multò acrior intentiorque pro vltione Reguli, quàm pro victoria fuit. Metello igitur cõsule, conspirantibus arctius Pœnis, & reuerso in *Siciliam* bello, apud Panormum sic hostes cecidit Rom. exercitus, ne amplius eam insulam aggredi cogitarent. Argumentum ingens victoriæ F centum circiter elephantorum captiuitas. sic quoque magnas egit prædas. vt gregem illum nõ bello, sed venatione cepisset. Appius Claudius consul non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, ibi statim classe demersa, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur. Marcus Fabius Buteo classem iam iam in Africo mari apud Æpimurum [ostium] in Italiam vltro nauigantem cecidit. Quantus cum triumphus tempestate intercidit cum opulenta præda? Classis G aduersis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insulas atque litora impleuit. Magna clades fuit: sed non sine aliqua principis populi dignitate interceptam tempestate victoriam, & triumphum perisse naufragio constat. & tamen, cum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque fluitarent, populus Rom. & sic triumphauit. Lutacio Catulo cõsule

tandem bello finis impositus apud insulas quibus nomen Ægates. Nec maior alias in mari pugna. quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis grauis [hostium] classis, & in ea quasi tota Karthago: quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, leuis, & expedita, & quodam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis agebatur quasi habenis, & in hos vel illos [ictus] mobilia rostra, speciem viuentium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerũt. Tanta denique fuit illa victoria, vt de excidendis hostium mœnibus non quæreretur. Superuacuũ visum est in arcem murosque sæuire, quum iam in mari esset deleta Karthago. Peracto quidem bello Punico, nec dum aliquantulum respirato sequitur *Liguricum*. Nam Ligures hi, imis Alpiũ iugis adhærentes, inter Varum Macramque amnem impliciti dumis: siluestribus victitabant, quos pæne maius fuit inuenire, quàm vincere. Tuti siquidé locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis, quà bella faciebat. Itaque quum diu multũmq. eluderet saltu, viis, latebris, Deceates, Oxybij, Euburiates, Ingauni, tandem Fuluius latebras eorum igni sepsit, Bæbius verò in plana deduxit, Posthumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrũ quo terra coleretur. Post quos mox *Gallis Insubribus*, & his Alpium incolis, animi ferarum, corpora plusquam humana erãt. Sed experimentum deprehensum est. quippe virtus eorum sicut primo impetu maior quam virorum est, ita sequens minor quam fœminarum. Alpina corpora humente cœlo educata, habent quoddam simile niuibus suis: cum mox caluere pugna, statim in sudorem eunt, & leui motu quasi sole laxantur. Hi sæpe & alias, & Viridomaro duce, non prius posituros se baltea, quàm Capitolium ascendissent, iurauerant. factum [autem] est, & victos eos Æmilius in Capitolio discinxit. Et quod dux eorum de Romano milite prædam Marti suo torquẽ aureũ deuouisset, intercepit Iuppiter votum, & de eius ipsius Ariobistinis aliorumq. Gallorum torquibus aureũ tropæum Ioui erexit Flaminius. Rex quoque eorũ Viridomarus Romana arma Vulcano promiserat. Aliorsum vota ceciderunt. Occiso enim eo, Marcellus tertia post patrem Romulum Feretrio Ioui opima suspendit. *Illyrij* autẽ, id est *Veneti* seu *Liburni*, sub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arsiam Titiumque flumẽ, lõgissime per totũ Adriatici maris litus effusi. Hi regnante Teutana muliere, populationibus nõ contenti, licentiæ scelus addiderunt. legatos Romanos, ob ea quæ deliquerant, iure agentes, ne gladio quidẽ, sed vt victimas, securi percusserunt: Præfectos nauium igni cõbusserunt. Idque quo indignius foret, mulier imperauit. Itaque Gn. o Fuluio Centumalo duce late domantur: strictæ secures in principum colla, legatorum manibus litauere. Post primum autem *Punicum bellum*, vix quadriennii requies: ecce alterum bellum minus quidem spatio, (nec enim amplius decem nouẽ annos tenens) sed adeo cladium atrocitate terribilius, vt si quis conferat damna vtriusque populi, similior victo sit populus ille qui vicit. Vrebat nobilem populum mare ablatum, raptæ insulæ, dari tributa, quæ iubere cõsueuerat. Hinc vltionem puer Hannibal ad aram patri iurauerat: nec morabatur. igitur Saguntus in causam belli electa est, vetus Hispaniæ ciuitas, & opulenta:

opulenta: fidei erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum. quam, in libertatem cōmuni fœdere exceptam, Hannibal caussas nouorum motuum quærens, & suis & suorum manibus euertit: vt Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est. Itaque ad auditam sociæ ciuitatis obsidionem, memores icti quoque fœderis cum Pœnis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim iam nouem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanē in foro excitant rogum: tum desuper se suósque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt. Huius tantę cladis auctor Hannibal poscitur. Tergiuersātibus Pœnis, dux legationis, *Quæ*, inquit, *mora est*, Fabius. *In hoc sinu bellum pacémque porto, vtrum eligitis?* Succlamantibus *Bellum: Bellum ergo*, inquit, *accipite*. & excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi pleno sinu bellum ferret, effudit. Similis exitus belli initiis fuit. Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum vltimæ diræ in illo publico parricidio incendioque mandassent: ita manibus eorum vastatione Italiæ, captiuitate Africæ, ducum & regum: qui id bellum gesserant, exitio parentatum est. Igitur semel se in Hispaniam mouit illa grauis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas, destinatumque Romanis iamdiu fulmen Saguntino igne cōflauit; statim quodam impetu rapta medias fregit Alpes, & in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis niuibus velut cælo missa descēdit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus: saucius etiam ipse venisset in hostium manus imperator: nisi protectum patrem prætextatus admodū filius ab ipsa morte rapuisset. Hic erit Scipio qui in exitium Africæ crescit, nomen ex malis eius habiturus. Licino Trebia succedit. hîc secunda Punici belli procella desæuit, Sempronio consule. Tum callidissimi hostes, frigidum & niualem diem nacti, quum se ignibus prius oleoque fouissent, (horribile dictu) homines à meridie & sole venientes, nostra nos hieme vicerunt. Thrasimenus lacus tertium fulmen Hannibalis, imperatore Flaminio. Ars noua Punicæ fraudis: quippe nebula lacus, palustribusq. virgultis tectus equitatus, terga subito inuasit pugnantium. Nec de iis possumus queri. imminentem temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina, & aquilę prodire nolentes: commissāmque aciem secutus terræ træmor: nisi illum horrorem soli, equitum virorumque discursus, & mota vehementius arma fecerunt. Quarum, id est, pæne vltimum vulnus imperij, Cannæ ignobilis Apuliæ vicus: sed magnitudine cladis emersit, & sexaginta millium cæde patrata nobilitate. Simul in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cælum, dies, tota rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnātium ceciderunt: insuper callidus hostis, aliàs imperator, in patentibus campis, obseruato loci ingenio, quod & sol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & Eurus ab oriente semper quasi ad constitutum: ita instruxit aciem, vt Romanis aduersus hæc omnia obuersis, secundum cælum tenens vēto, puluere, & sole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Hannibal diceret militi suo, *Parce ferro*. Ducum

A alter fugit, alter occisus est: dubium vter maiore animo. Paulum puduit, Varro nō desperauit. Documenta cladis, cruentus aliquandiu Aufidus: pōs de cadaueribus, iussu ducis factus in torrente Vergello: modij duo annulorum missi [sūt] Karthaginem, dignitatísq. equestris taxata mensura. Dubiū deinde nō erat, quin vltimū illū diē habitura fuerit Roma, quintúmq. intra diē epulari Hannibal in Capitolio potuerit. Sic Pœnum illum dixisse Maharbalem Hamilcari ferunt, si Hannibal, B quēadmodū sciret vincere, sic vti victoria scisset. Sed tum quidem illum, vt vulgo dici solet, aut fatum vrbis imperatricis, aut ipsius mens mala, & auersi à Karthagine dij, in diuersum abstulerunt. Et cum victoria posset vti, frui maluit, relictáque Roma, Campaniā Tarentúmq. petrexit, vbi mox & ipse, & ipsius exercitus ardore elāguit: adeo vt vere dictum sit, Capuā Hannibali Cannas fuisse. siquidē inuictum Alpibus, indomitumq. armis, Campani (quis crederet?) soles, & tepentes fontibus Baiæ C subegerunt. Permissum est interim Romanis respirare, & quasi ab inferis emergere. arma nō erāt: detracta sunt templis: deerat iuuentus: in sacramentum [militiæ] liberata seruitia: egebat ærarium: opes suas senatus in medium libens protulit: nécnon pariter quod in bullis cingulisque & annulis erat: nec quidquam sibi auri reliquerunt. Eques secutus exemplum: imitateq. equitē tribus. Deniq. vix suffecerunt tabulæ, vix scribarum manus, Læuino Marcellóq. consulibus, quum D priuatorum opes in publicum referretur. Quid autē in eligendis magistratibus, quæ centuriarum sapientia: cum iuniores à senioribus consilium de creandis cōsulibus petierunt? Quippe aduersus hostem totiens victorē, tam callidum, nō virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis & (vt ita dixerim) reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit: qui nouam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen nouum & reipublicæ salutare, *Cunctator*: E hinc illud ex populo, vt *imperij Scutum* vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranosque saltus sic macerauit Hannibalem, vt qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce, etiam congredi ausus est, cōminus venit, & pepulit ē Campania sua, & ab obsidione notæ vrbis exclusit. Ausus est & Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi, & terga premere cedentis: quamuis cum (ô pudor) seruili pugnaret exercitu: (nam hucusque tot mala compulerunt) sed libertate donatos, de F seruitute Romanos fecerunt. ô horribilem in tot aduersis fiduciam! ô singularem animum & spiritum populi Romani! tam arctis afflictísque rebus, vt de tota Italia dubitare debuisset, ausus tamen est in diuersa respicere. Quumque hostis in iugulo per Campaniam & Apuliam volitaret, mediámque de Italia Africam faceret, eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniamque diuisa per terrarum orbem arma mittebat. *Siciliam* mandat Marcello. nec diu, restitit. G tota enim insula in vna vrbe superata est. Grande illud, & ante id tempus inuictum caput Syracusæ, quamuis Archimedis ingenio defenderetur, aliquando cesserunt. longē illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ: nisi quod hactenus profuere, vt pulchritudini victæ vrbis parceretur. *Sardiniam* Gracchus arripuit. nihil illi gentium

feritas, *Insubriumque* (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sæuitum in vrbes, vrbémque vrbium Caralim: vt gens contumax viiisque mortis, saltem desiderio patrij soli domaretur. In *Hispaniam* verò missi Gnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerunt prouinciam. sed insidentes Punicæ fraudis insidiæ, alterum ferro, castrametantem: alterum, quum euasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in vltionem patris & patrui missus est cum exercitu Scipio, cui iam grande nomen de Africa fata decreuerant. Beliatricem, illam, viris armísque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam [iam] Hannibalis eruditricem, (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus, in Herculis columnas, in Oceanum recuperauit. Eodem quidem die quò obsessa est Karthago: capta est: nescio citius an felicius: quam facile, vel vna probat. omnínque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa est Hispaniæ Karthago. Certum est tamen, ad profligandam prouinciam maximè profecisse ducis sanctitatē: quippe qui captiuos pueros pu-ellásque præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit: ne in conspectum suum quidem passus adduci: ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. Hæc inter diuersa terrarum populus Romanus. nec ideo tamen visceribus Italię inhærentem submouere poterat Hannibalem. Pleraque ad hostem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque viribus vtebatur. Iam tamen cum plerisque opidis & regionibus excussere Romani. Iam Tarentum tulerāt iam & Capua, sedes, domus, & patria altera Hannibalis, tenebatur: cuius amissio tantum Pœno duci dolorem dedit, vt deinde totis viribus Romá conuerteretur. O populum dignum orbis imperio, dignumque omniū fauore & admiratione hominum ac deorum! compulsus ad vltimos metus, ab incepto non desistit; & sua de vrbe sollicitus, Capuam tamen non obmisit: sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in vrbé secuta, absens simul præsénsque pugnabat. Quid ergo miramur, mouenti castra à tertio lapide Hánnibali iterum ipsos deos restitisse? Tanta enim ad singulos illius motus, suis imbrium copia effusa est, tantorum ventorum violentia coorta est: vt diuinitus hostem submoueri, non à cælo, sed ab vrbis ipsius mœnibus & Capitolio videretur. Itaque fugit & cessit, & in vltimum se Italiæ recepit sinum, quum vrbem tantum non adortam reliquisset. siquidem ab Hispania Hasdrubal fratre Hannibalis cum exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole, veniebat. actum esset proculdubio, si vir ille cum fratre se iunxisset. Sed hūc quoq. tantū quod ab Alpe descenderat, apudque Metaurū castrametantem, Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in vltimos Italiæ angulos submouerat Hannibalē: Liuius in diuersissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces, signa conuerterat. Tanto, id est omni, qua longissima est Italia, solo interiacente, quo consilio, qua celeritate, consules castra coniunxerint, inopinatumque hostem collatis signis oppresserint, neque id fieri Hannibal senserit, difficile dictu est. Certè Hánnibal, è cognita, quum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset: *Agnosco*, inquit, *infelicitatem Karthaginis.* Hæc fuit illius viri, non sine præsagio quodam fati imminentis, prima confessio. Iam certum erat, Hannibalem etiam ipsius confessio-

A ne posse vinci. Sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Rom. magni æstimabat, asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipsam *Africam* tota mole conuersus, imitari cœpit Hannibalem, & Italiæ suæ clades in Africa vindicare. Quas ille (dij boni) Hasdrubalis copias fudit? quos Syphacis Numidici regis equitatus? quæ quantáque vtriusque [classis] castra, facibus illatis, vna nocte deleuit? denique iam non à tertio lapide, sed ipsas Karthaginis portas obsidione quatiebat. Sic factum vt inhærentem atque
B incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. Nō fuit maior sub imperio Romano dies, quàm ille, quum duo omnium & antea & postea ducum maximi [duces,] ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis comminus signis, direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. steterunt diu mutua admiratione defixi: vbi verò de pace non conuenit, signa cecinere. Cōstat vtriusque confessione, nec melius instrui aciem, nec a-
C crius potuisse pugnari. Hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu prædicauerunt. Sed tamen Hannibal cessit: præmiumque victoriæ Africa fuit: & secutus Africam statim terrarum orbis. Post Africam iam vinci neminem puduit: sed æquo iure vbique subacti. Primum igitur Læuino consule populus Romanus *Ionium mare* ingressus, tota *Græcia litora*, velut triumphante classe peragrauit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Africæ, præferebat: & manifestam victo-
D riam, quam nata in prætoria puppi laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum: aderant & Rhodij nauticus populus: quibus à mari, consul à terris omnia equis virísque quatiebat. Bis victus, bis fugatus rex Macedonum: bis exutus castris: quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu: quæ non spiculis, nec sagittis, nec vllo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, vltra morem patebant. Enimuero
E Flaminino duce, ad inuios antea populo Romano Chaonum montes, Sauumque amnem per abrupta vadentem, & ad ipsa *Macedonia claustra* penetratum victoria fuit. Nam postea numquam ausus congredi rex, ad tumulos, quos *Cynocephales* vocant, vno, ac ne eo quidem [in] iusto prœlio opprimitur. In *Numidia* tunc amici populi Romani regnabant. Sed Iugurtha contra se bellum mouit Romanorum, propter necem Adherbalis & Hiempsalis Micipsæ liberorum: expugnatáque est primum à Metello consule, dehinc à Mario
F Numidia domita. *Mauritaniam* verò Sochoris tuebatur. sed quum collectio omnium Maurorum facta est, Iubas rex videns quæ pugnæ fuisset arsio, mox superatum sese sensit. veneno hausto defecit: omnísque Mauritania Romanis subacta. Tripolis namque, & vtraque Mauritania, Sitifensis & Cæsariensis, similiter Romano iuri, ceterorum formidine tactæ, vltro se subegerunt. *Hispanias* quamuis (vt superius diximus) Saguntina clades ab amicitiis Romanorum segre-
G gasset: Scipio tamen eos tam gratia quàm virtute rursus coniunxit Romanis: rursúsque reluctentes Sylla consul sedauit. Celtiberos, similiter cum Numantinis aduersus Romanos insurgentes, Scipio iunior sedauit, compescuit, atque pæne subuertit. Cantabri & Astures, confisi montium suorum minimè, dum resistere moliuntur, plenissimè demoliti sunt, & in prouinciā redacti.

Tarra-

Tarraconenses, Lusitani, Gallæci, Karthaginisij & Seticaniæ contra promontorium Africæ sitæ, omnes vno pæne prœlio superatæ, & in prouincias Romanas descriptæ sunt. *Epirotæ*, qui in Illyrico quamuis cum Pyrrho rege suo contra Italiam conspirassent, tamen primùm pacem moliti, secundo ac tertio rebellantes, cum Achiuis & Thessalis edomiti, Romano iugo subacti sunt. *Macedonia* namque primum sub Philippo, deinde sub Perseo, tertio sub Pseudophilippo arma contra se prouocauit Romana, oppressaq. primo Flaminino consule: secundo à Paulo, tertio à Metello superata, colla submisit, Romanaque prouincia facta. *Illyriani* autem, cum Gentione suo rege, Macedonibus auxiliantibus vicit Romanorum Lucius prætor, & in prouinciam redegit. *Dardanos Mœsiósque* Curione primum proconsule domuit: primusque omnium Romanorum Danubium amnem vsque profectus, cuncta eius loca vastauit. *Pannoniarum* quoque regem in certamine superans idem Lucius, redegit in prouinciam vtrasque Pannonias. *Amantinos* autem, qui inter Sauum Draumq. flumina insident, rege eorum interempto, ipsa vice Romanam fecit prouinciam. *Marcomanni* & *Quadi*, in illa Valeria quæ inter Draum Danubiumque interiacet, ab eodem tunc ductore oppressi, finesque inter Romanos & barbaros Augustæ Vindelicæ per Noricum Mœsiamque dispositi. *Dacos* autem post hæc iam sub imperio suo Traianus, Cebulo eorum rege deducto, in terras vltra Danubium, quæ habent mille millia spatia, in prouinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amisit, Aurelianusque Imperator, euocatis exinde legionibus, in Mœsia collocauit: ibique aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam iunxit. *Illyricus* autem cuncta, par partes quidem & membra deuicta, ad vnum tamen corpus aptata est: quæ habet intra se prouincias decem & octo. hæ sunt: Norici [duæ,] duæ Pannoniæ, duæ Valeriæ, Sueuia, Dalmatia, Mœsia superior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Thessalia Achaia, Epiros, Præuales, Creta: simul decé octo. Thracia autem non aliter, nisi occasio Macedonici belli, fecit aggredi. Diri namque homines, omniumque gentium ferocissimi sunt Thraces: quorum sæuitiam pariter habent & Scordisci, & Aemimontij, Astíciqu: ob quorum immanitatem, Romani multa & grauia pertulerunt, crebrisque certaminibus exercitus cæsus. Ad postremum à Marco Claudio & ipsi subacti, & loca eorum in prouinciam redacta, iugum excepere Romanum. Nam Marcus Drusus intus eos in montibus eorum contriuit: Minucius in Hebro amne eorum multos exstinxit & vicit. Rodopeni per Appium Claudium deuicti sunt, & ciuitates maritimas Europæ, quæ dudum Romanæ fuissent, & postmodum rebellassent, Marcus Romanis subegit. Lucullus siquidé primus in Thracia contra Bessos pugnans, eos qui in fortitudine famaq. præibant, deuicit: Aemimontiosque debellans, Pulendenam, quæ nunc Philippopolis: & Vscudamam, quæ Adrianopolis vocatur, in Romanorum redegit dominium. Similiter & capiens ciuitates, quæ litori Pontico inhærebant: id est Apolloniam, Galathon, Parthenopolim, & Tomos Istri: omniaque loca vsque ad Danubium subdens, Scythis Romanorum ostendit virtutem. Hactenus ad partes occiduas: nunc quæ in Eoa plaga sunt, percurramus.

A Primum quidem in *Asia* locum Romani hereditario iure inuenerunt. Nam Attalus rex, amicissimus populi Romani, humanis rebus excedens, per testamentum suum Romanos suo in regno heredes constituit: quod pæne non antè Romanus populus adiit, nisi & suo labore vicina loca cepisset: id est, *Lydiam*, *Cariam*, *Hellespontum*, *vtramque Phrygiam*. Nam *Rhodus* opinatissima insula, & totius Adriæ insularum metropolis, pæne cum omnibus Cycladibus arma pertimescens B Romana, iamdudum se fœderatam populo illi coniunxerat, & nauali bello solatia condonabat. Cum quibus Seruilius proconsul directus, quasi piratico bello, obtinuit tamen Pamphyliam, Lyciam Pisidiamque deuicit, fecitque prouincias. *Bithyniam* verò Nicomedes rex moriens, testamentali voce reliquit. *Gallograeciam* autem, id est, Galatiam, Syriaci belli ruina conuoluit. fuit namque inter auxilia regis Antiochi. an fuisset cupidus triumphi Manlius, dubium est. Dubiis namque C prœliis fusi fugatique sunt: quamuis sub aduentu hostis sedibus relictis in altissimos se montes recepissent, colonos abegit. Olympum Tectosagi & Magaba insederant. Vtrimque fundis sagittisque detracti, in perpetuam se pacem dederunt: sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus & ore tentassent: quum effocandas inuicem fauces præbuissent. Nam Ortiagontis [regis] vxor, à centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam euasit, reuulsumq. D adulteri caput ad maritū reportauit. Deiotarum siquidem amicum, senatus præfecit Galatiæ: sed posthæc Cæsar eos redegit, prouinciamque fecit. *Cappadoces* quoq. sub Epaphta rege constituti, primum per legatos suos Romanorum amicitias petierunt: dehinc Ariobarzane rege succedente, & à Mithridate expulso, vltro se Romano seruitio tradiderunt: magnamque ciuitatem suam Mazacam, in honoré Cæsaris *Cæsaream* appellauerunt. Posthæc iterum sub Claudio Imperatore, rex eorum Archelaus Romam adueniens, quasi amicus E populi Rom. ibique defunctus, testamentali voce Cappadociã Romanis dedit: & sic iam ex integro in prouinciam facta est. *Pontus* à Pompeio deuicta, cū suo rege Mithridate, & facta prouincia est, *Paphlagonia* Pylæmenes rex, amicus populi Rom. à multis dum inquietaretur, Romanorū petiit auxilium. Se quoq. dum de inimicis vlcisceretur, defunctus, Romanos per testamentum heredes reliquit. Hactenus *intra Taurum*, nunc vlterius transgrediemur, & quæ patriæ, aut quib. subiugantib. F populo Rom. coniunctæ sint, memorabimus. Antiochus, Syriæ fortissimus rex, magnū apparatum belli contra populū Romanum cōmouit, triginta millia siquidé armatorum, currusq. falcatos, quamplures elephantos, innumeros turritos, & instar murale in acie ordine sitos. cui obuiauit Scipio Africani Scipionis frater in Asia ad Magnesiã ciuitatem: commissoque prœlio, Antiochus victus est, percussumq. fœdus eum Romanis: ab Asia discessit, & vltra Taurum ex senatus cōsilio regnare G permissus est: filiosque eius in obsidatu Romæ deductos, post patris obitum regnare genitali loco concessit. *Cilices* cum Isauris piratæ effecti, & in mari magno sæpe latrocinia cōcitantes, à Seruilio proconsule victi & prostrati sunt. hic quoq. Seruilius, primus Romanorum *Tauri iugum* peruium fecit: triumphansque de eorum spoliis, *Isauricus* & *Cilicus* vocatus est. *Cyprum* Cato classe nauige-

ra dire bus inuasit. Cypriis negantibus habere se aliquid, magnas illic opes reperit: proscriptionibúsque mulctauit. Quod non ferens Gnotius rex eorum, veneno hausto semet occidit: & sic Cyprus Romana facta prouincia. *Libyam*, id est, Pentapolim totam [à] primo illo Ptolemæo Romanis sub libertate concessá: tamen resistentes dehinc, Apionis consilium populo Romano subdidit. *Ægyptus* omnis ab amicis Romanorum, id est, Lagidis, per Ptolemæos possessa. posthæc Cleopatra & Antonius, iure proprio vindicantes, & se, & illam amittunt. *Montes* verò *Armeniæ* primum per Lucullum Romana arma viderunt. per quem & Osroene & Saracenorum phylarchi deuicti, Romanis se dediderunt: Mesopotamiámque idem ipse Nisiben quoque vrbem inuasit. Post quem Pompeius eadem loca ingrediens, Romano confirmauit imperio. *Syriam Comagenen*, iusto prælio Tigrane deuicto, inuaserat. *Arabes* & *Palæstini*, eodem Pompeio ductante, deuicti sunt. *Babylonij* autem, crebro concertantes, sæpenumero victi, nunquam tamen ad integrum domiti sunt. Quos tamen primum Lucius Sylla proconsul sub Arsace eorum rege deuicit: ab eóque rogatus per legatos, pacem concessit. Secundo dum Lucius Lucullus à Pontico regno Tigranem regem Armeniæ cum decem & octo millibus superatum expelleret, omni Armenia inuasa, ad Mesopotamiam venit: ibi Nisiben cum fratre regis Parthorum cepit, æqua sorte Persidem cupiens deuastare: nisi Pompeius à Senatu directus, ei aduenisset successor. Hic etenim Pompeius ilico veniens, nox nocturno prælio in minori Armenia super Mithridatem irruens, XLII. millia armentorum eius prosternens, castra succendit. Vnde Mithridates cum vxore & duobus satellitibus fugiens, Bosporum venit: nimiáque desperatione detentus, venenum accepit. sed dum nec sic mors ei accederet, alterum è duobus satellitibus rogauit vt se perimeret. Pompeius autem in maiori Armenia dum persequeretur Tigranem Mithridati contra Romanos auxilium commodantem, ille in Artaxata vrbe regno deposito, vltro diadema suum Pompeio obtulit. sed Pompeius pietate ductus, vltra maiorem Armeniam ei concessit regnare, auferens ab eo *Mesopotamiam* & *Syriam*, partémque *Phœnicis* cum *Armenia*. Nam *Bosporanis Colchisque* Aristarchum regem Pompeius præposuit: *Albanósque* insequens, Orodem regem eorum tertiò superauit: ad postremum rogatus, pacem concessit. *Hiberiam* similiter cum Artace rege in deditionem accepit. *Saracenos Arabésque* exsuperans, Hierosolymam inde captiuauit. Cum *Persis* fœdere percusso, reuertens, Dafnensem agrum Antiochenis concessit ob nimiam loci amœnitatem pro munere. His & aliis rebus in Syria bene gestis, vnius [omnia] fœdauit auaritia. Nam Crassus consul, dum Parthico inhiat auro, vndecim legiones pæne cum se ipso capite amisit. cuius in conspectu & filius hostilibus telis fossus, & ipse peremptus: capútque eius præcisum cum dextera manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit: neque indigno, aurum ei liquidum in rictum oris infusum est: vt cuius animus auri arserat cupiditate, eius etiam mortuum [&] exsangue corpus auro vreretur. Reliqui verò infelicis exercitus, quò quemque rapuit fuga, in Armeniam: Ciliciam, Syriámque distracti, vix cladis tantæ nuntium retulerunt. Hac ergo clade altius *Parthi* animos eleuantes, per Pacorum ducem

A Syriam inuadunt: ducémque Labinium, quem dudum ceperant, exercitui præponentes, contra socios, id est Romanos, in prælio dirigunt. Sed Ventidius Bassus Parthos, sub vtroque duce Syriam populantes, superatos effugat: Labiniúmque interfecit: Pacorum verò regem iuuenem telis vndique circumseptum exstinxit. móxque capite eius dempto & circumlato per vrbes quæ defecerant, Syriam sine bello recepit. Sic Crassianam cladem Ventidius Pacori capite, Labiniíque morte pensauit. Nec sic contentus populus Romanus Crassianum interitum obliuisci, inde adhuc sæuit in Parthos. Nam Marcus Antonius, in Madianam ingressus, contra eos arma commouit. ibi superans eos, deinde cum duabus legionibus inedia hieméque correptus, vix in Armeniam Parthis sequentibus fugit: ibique ereptus est. Sub Augusto dehinc Octauiano Armenij cum Parthis commixti, per Claudium Cæsarem nepotem Augusti ocyus superantur. Armenij siquidem, velleus ratu, C Romanorum amicitiæ reconciliati, & proprias sedes incolere, quam cum Parthis coniungi, & sedes perdere, & Romanos infestos habere. Sic quoque dum in partibus orientalium Romanus laborat exercitus, occiduæ plagæ infestę sunt. *Noricus* in Alpibus Noricis habitantes, credebat quasi in rupes & niues bellum non posset ascendere, sed mox omnes illius cardinis populos. *Brennos, Teutones Senones atque Vindelicos*, per eundem Cæsarem gladio Romanus vicit exercitus. Quæ D tamen fuerit Alpinarum gentium feritas, facile est vel per mulieres ostendere: quæ, deficientibus telis, infantes suos afflictos humi, in ora militum aduersa miserunt. Nec minore his feritate *Illyrici* pariter accenduntur. contra quas Augustus e vicino egressus, pontem, vnde aquam transiret, fieri imperauit. dumque aqui & hostibus ad ascensum milites turbarentur, scutum ipse rapuit, & viam primus ingressus est. tum agmine secuto, cum subruptus multitudine pons succidisset, sau-E ciis manibus & cruribus, speciosior sanguine & ipso periculo augustior, terga hostium cecidit. *Pannonij* verò, duobus saltibus, tribus fluuiis, Drao, Sauo, Histróque vallantur. contra quos Duennium misit: qui eos plus feliciter vicit, quàm eorum flumina cursu rapido currant. *Dalmatæ*, similiter siluis commanentes, plurimam partem latrocinando vastabant. ad quos edomandos vibium mandat, qui efferum genus fodere terras coegit, aurumque è venis repurgare. *Mœsi* verò quàm feri, quàm truces ... vnus F ducum ante aciem postulato silentio, *qui vos estis?* inquit. Responsum est, *Romani gentium Domini.* Et ille, *Ita fiet, inquit, si nos viceritis.* Sed mox ad bellum ventum est, nec classicum audire valuerunt. ... à Marcio superati sunt. *Thraces* antea sæpe, ... tamen Rometalca regnante ... Romanis defecerunt. Nam hic barbaros ... disciplinæ & signis militaribus assuefecerat. sed ab ipso ... in ipsa captiuitate rabiem ostendebant, ... catenas quibus ligati erant, morsibus G vellicantes, f... eatem suam ipsi ... ebat. *Dacias* quoque, vltra Danubium ... sæpius elatos, gelato Danubio ... in Pannoniam transeuntes, L... vicit, expulit, atque subegit. *Sarmatas* quoque per eundem Lentulum vltra Danubium pepulit: qui nihil aliud ... degunt, præter niues pruinásque & siluas habent: tantáque barbaries in illis est, vt nec intelligant pacem.

cem. *Marmaridas* verò & *Garamantes* in orientali hiemali plaga per Quirinum subegit *Germanos, Gallos, Britones, Hispanos, Hiberos, Astures, Cantabros,* occiduali axe iacentes, & post longum seruitium descifcentes, per se ipse Augustus accedens, rursus seruire coegit, Romanisque legibus viuere. Cleopatra verò *Alexandrinorum* regina, ex genere Lagidarum, Ptolemæorumq. successor prius contra viri sui Ptolemæi insidias Caium Iulium Cæsarem interpellauit: qui ob stupri (vt perhibent) gratiam, regnum eius confirmauit, ipsamque in vrbem cum magna pompa deductam, Alexandriæ permisit regnare. Cassius *Iudææ* capta templum spoliauit. Occiso verò in curia Romæ Cæsare Iulio, nepos eius AVGVSTVS suscepit principatum, quem Antonius dum inuideret, nihilque lædere posset, vrbem Romam egreditur, & ad partes Ægypti, quasi Romanæ prouisor reipublicæ, accedit. Ibi iam viduam à viro regnantem reperiens Cleopatram, se quoque cum illa consocians, cœpit sibi dominationem parare, nec tacitè, sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, [totus] in monstrum illud, vt mente, ita animo [quoque] cultuque desciuerat, aureus in manu baculus, in latere acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis diadema deerat, vt regina rex & ipse frueretur. Quod Augustus Cæsar audiens, à Brundisio Calabriæ, in Epirum, vt eum à cœpta remoueret tyrannide, transierat. Nam Antonius omne Actiacum litus iam classibus obsidebat. Sed mox vbi ad prœlium ventum est, & Cæsaris classis illius cœpit turbare nauigium: prima mox fuga regina cum aurea puppi, velóque purpureo in altum se dedit. Mox secutus Antonius, sed instat vestigiis eorum Cæsar. Itaque nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præsidiis vtraque Ægypti cornua. Paretonium atque Pelusium, profuere. Prope fuere, prope manu tenebantur. primus ferrum occupauit Antonius: regina ad pedes Augusti prouoluta, tentauit oculos ducis. frustra [quidem.] nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit, nec illa de vita, quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat. Quod vt desperauit à principe, seruaríque se triumpho cognouit: incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se regum recepit: ibique maximos (vt solebat) cultus induta, in referto odoribus solio, iuxta suum se collocauit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est. Hic finis bellorum Augusti Cæsaris, tam cum ciuibus, quàm cum extraneis. Sic quoque *Augustus*, vt *Cæsar Octauianus*: quo nullus imperatorum in bellis felicior, nec pace moderatior fuit, ciuilissimus in omnibus: qui ab oriente in occidentem, à septemtrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compositis, Iani portas ipse tunc clausit: & censum Romæ cum Tiberio cogitans, inuenit hominum nonagies trecenta septuaginta millia: omnémque orbem, venientis IESV CHRISTI natiuitate pacatum, censeri præcepit: regnauitque annos quinquaginta sex. sed imperio eius secundo ac quadragesimo anno, Dominus Iesus Christus ex Spiritu sancto ac Maria virgine Deus verus ac homo verus nasci dignatus est: quatuordecim residuos annos post Domini aduentum corporali præsentia in pace regnans: & ipse singularem obtinuit principatum: & posteris eandem imperij potestatem cum suo nomine *Augusti* de-

A relinquens, rebus excessit humanis, successorem relinquens Tiberium priuignum suum. TIBERIVS AVGVSTVS Cæsar regnauit annos viginti tres, qui multos reges ad se blanditiis euocatos, numquam ad propria regna remisit: in quibus & Archelaum Cappadocum regem. cuius & regno, postquam defunctus est, in prouinciam verso, Mazacam ciuitatem eius de nomine suo Cæsaream vocitauit. Huius verò anno XVIII. Dominus noster Iesus Christus sub Pontio Pilato in Iu-
B dæa carne passus est, non deitate. CAIVS CÆSAR cognomento CALIGVLA, regnauit annos tres, menses decem, [sceleratissimus ac funestissimus,] hic námque Memmium Regulum coegit, vt vxorem suam sibi lege filiæ coniugem daret, instrumentaque matrimonij vt pater conscriberet. hæc & his similia perpetrans, necnon & in templo Hierosolymitano Iouis statuam per Gaiũ Petronium statuens, & in Alexandria Iudæos per Flaccum Auilium præfectum opprimens, postre-
C mo à protectoribus suis in palatio Romæ occisus est, anno ætatis vigesimonono. CLAVDIVS dehinc succedens, regnauit annos tredecim, & menses nouem. Fecit etiam hic Claudius expeditionem: in Britanniam insulam, quam [iam] nemo ante Iulium Cæsarem, neque post eum quisquam adire ausus fuerat, exercitum duxit: ibique sine vllo prœlio ac sanguine, intra paucissimos dies, plurimam insulæ partem in deditionem recepit. Orchadas [autem] insulas intra Britanniam in Ocea-
D no positas, Romano adiecit imperio. ac sexto quo profectus erat mense Romam repedauit: ibique defunctus est annorum sexagintaquatuor. NERO nepos Caij Caliculæ, regnauit annos tredecim, menses octo: tantæque luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaretur vnguentis. Is etenim non solum quidem non profuit reipublicæ, immo obfuit nimis. Nam duas legiones in Armenia cum ipsa prouincia simul amisit: qui Parthico iugo seruientes, grauem infamiam Romanis dederunt.
E Iuxta omne scelus & parricidium, quod in proprios parentes commiserat, addidit facinus, vt ad instar Troiæ Romá incenderet. manusque iniiciés in Christianos, persecutionem concitat: ipsósque doctores fidei Petrum ac Paulum in vrbe interemit, alterum cruci affigiens, alterum capite plectens. Eoque cum dedecore regno euulso, *Galba* in Hiberia, *Vitellius*, in Germania, *Otho*, Romæ imperium arripuerunt: omnésque tamen celeri interitu interierunt. VESPASIANVS, apud
F Iudæam ab exercitu in regnum adscitus, regnauit annis decem. Nam relicto filio suo Tito ad expugnationem Hierosolymorum, ipse Romam profectus, regnauit in pace. TITVS filius Vespasiani, idémque VESPASIANVS, debellator Iudææ gentis, regnauit annis duobus, mensibus duobus. hic námque, secundum Iosephi fidem, vndecies centena millia Iudæorum fame & gladio interemit: & alia centum millia captiuorum publicè vendidit. Tantam autem multitudinem in Hierosoly-
G mis paschalis festiuitas adunauerat. DOMITIANVS, frater Titi, filius Vespasiani, regnauit annos XV. méses quinq: tantæque fuit superbiæ, vt se Deũ ab omnib. primum appellari præceperit. multosq. nobilium exsilio relegans, nonnullosq. occidens, de substantiis eorum aureas argenteasque sibi statuas fecit. manusque in Christianos iniiciens, Ioannem Apostolum & Euangelistam, postquam in feruenti oleo missum non potuisset ex-

stinguere, in Patmos eum insulam relegauit; vbi apocalypsim vidit. Cuius crudelitatem non tolerantes Romani, in palatio Romæ interficere statuerunt: omnéque, quod constituerat, irritum fore. NERVA, admodum senex, regnauit anno vno, mensibus quatuor. qui, vt priuata vita lenis, lenior fuit in regno: nec quidquam profuit Reipublicæ, nisi quod Traianum se viuente elegit. TRAIANVS, pæne omnium Imperatorum potior, regnauit annis XVIII. mensibus VI. hic enim de Dacis Scythisque triumphauit, Hiberosque & Sauromatas Osdroenos, Arabas, Bosforanos, Colchos edomuit, postquam ad feritatem proruperunt. Seleuciam, & Ctesiphontem, Babyloniamque pernasit & tenuit. Necnon & in mari rubro classem, vnde Indiæ fines vastaret, instituit: ibique suam statuam dedicauit. & post tot labores apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris anno ætatis sexagesimotertio exstinctus est, ossaque eius in vrna aurea collocata, & in foro sub columna posita: solusque omnium Imperatorum intra vrbem sepultus. ADRIANVS, Italicæ de Hispania natus, consobrinæ Traiani filius, regnauit annos viginti vnum. Hic pæne nil profuit reipubl. nisi quod dudum subuersas Alexandriam & Hierosolymam propriis reparauit expensis, nonnullisque in locis publica relaxauit tributa. Hierosolymam siquidem suo de nomine Æliam appellans, nulli Iudæorum ingredi permisit. Nam claret eum inuidum factis Traiani: quia mox vt ei successit, ilico nulla necessitate faciente, exercitum ad se reuocans. Mesopotamiam, Assyriamque, & Armeniam Persis reliquit: Eufratem fluuium finem terminumque inter Parthos Romanosque constituens. Quo regnante, Aquila Ponticus scripturas de Hebræo transtulit. Adrianus morbo apud Baias quatiente obiit. ANTONINVS cognomento *Pius*, cum suis liberis Aurelio & Lucio regnauit annis XXII. mensibus III. Etsi non profuit quidquam Antoninus, nullam tamen læsionem respublica sensit. D. functus est duodecimo vrbis miliario, in villa sua Lorio nuncupata, anno ætatis septuagesimosexto. Regnauit annis XIX. mense vno. MARCVS ANTONINVS, qui & VERVS: & LVCIVS AVRELIVS COMMODVS, affinitate coniuncti, æquo iure imperium administrauerũt. E quibus iunior contra Parthos arma mouens, magna egit & fortia: Seleuciamque vrbem eorum cum quadringentis millibus accepit pugnatorum: senior vero, multis sæpe bellis interfuit: sæpiusque per duces suos triumphum reuexit maxima de gente Quadorum, è quibus cum magna gloria triumphauit. Sed vnus, in Altino apoplexiam passus, defunctus est: alter, in Pannonia morbo periit. COMMODVS, filius Antonini, regnauit annis tredecim: magnumque triumphum de gente reuexit Germanica: & post hæc in domo Vestiliani strangulatus defecit. AELIVS PERTINAX, maior sexagenario, quum præfecturam ageret, ex senatusconsulto Imperator creatus, regnauit menses sex. Hic etenim obsecrante senatu, vt vxorem suam *Augustam*, filiumque *Cæsarem* appellaret: *Sufficere*, inquit, *debet quod ego ipse inuitus regnaui quum non mererer*. Nimis æquissimus, omniumque communis. quem Iulianus iurisperitus in palatio eius peremit: ipséque postea à Seuero occisus est. SEVERVS, genere Afer, Tripolitanus, regnauit annis decẽ & octo: vltusq. est occisionem Pertinacis in Iuliano, se quoque *Pertina-*

A *cem* appellauit. Hic etenim Parthos, & Adiabenos contra Romanos insurgentes, mirabiliter superauit. Arabas quoque interiores ita cecidit, vt regionem eorum Romanam faceret prouinciam. Sic quoque triumphans, Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus est. Hoc regnante Samarites quidam Symmachus, Iudæorum factus proselytus, item diuinas scripturas ex Hebræo sermone, Græca lingua transfudit, suámque condidit editionem: post quem pæne tertio anno secutus B Theodotion Ponticus, item suam in eodem suo opere editionem scripturarum composuit. Britannicum bellum exortum; vnde Seuerus mirabiliter triumphauit. ANTONINVS cognomento CARACALLA, filius Seueri, regnauit annos septem. Na ideo hoc nomen nactus est, quod eiusmodi vestiũ genera Romæ de manibus erogans, sibi nomen CARACALLA, & vesti Antoniniana dederit. Sub hoc iterum editio scripturarum diuinarum, quam Quintam vocamus, in Hieticho in dolio reperta C est. Hic etenim Imperator, dũ contra Persas mouit procinctum, Osdroene Edessa defunctus est. MACRINVS, præfecturam agens prætorianam, Imperator creatus est, regnauítque anno vno [illegible] túrq; ab Archelaide. MARCVS AVRELIVS Antonini Caracallæ filius, templíque Heliogabali sacerdos, Imperator factus. [Huius] anno quo Emaus in Iudæa constructa, & Nicopolis nominata. Tunc & Africanus egregius scriptor temporum, pro ipsa legationem suscepit ad principem. D Sed Imperator, dum nullum genus obscœnitatis in regno suo, quod non faceret, prætermitteret: occisus est [à] tumultu militari. regnauit annis tredecim. ALEXANDER Mammææ filius, ignobilis fortunæ exsistens, adhuc iuuenis, regni moderationem suscepit: moxque contra Xerxem regem Persarum arma arripiens, mirabiliter de Parthorum spoliis triumphauit. Sub huius item imperio, in Nicopoli Actiaca, id est Epiro, editio quæ Sexta dicitur diuinarum scripturarum, in E dolio reperta est: ipséque Mogontiaci tumultu occiditur militari. MAXIMINVS genere Gothicho, patre Micca, Abaqua Alana genitus matre solâ militum voluntate ad imperium conscendens, bellum aduersus Germanos feliciter gessit. Indeq; reuertens, cõtra Christianos intestina prælia [sextus] à Nerone mouit: ac [vix] annos tres regnans, Aquileiæ à Pupieno occisus est. GORDIANVS admodum puer Imperator factus, vix regnauit annos sex. Hic etenim mox vt Romam ingressus est, ilico Pupienum & Balbinum, qui Maximinum F occidentes tyrannidem arripuerant, occidit: ianúmque geminum aperiens, ad Orientem prouectus, Parthis intulit bellum: indéque cum victoria reuertens, fraude Philippi præfecti prætorii haud longe à Romano solo interfectus est, PHILIPPVS, imperium impudenter ingressus, regnauit annis septem. Hic etenim filium suum [illegible] Philippum, consortem regni fecit: ipséque omnium Imperatorum primus Christianus effectus est. tertioque anno imperij sui festiuitatem Romanæ G vrbis millesimo anno, quem expleuerat, celebrauit: vrbémque nominis sui in Thracia, quæ dicebatur Pulpudena Philippopolim recõstruens nominauit. DECIVS [è] Pannonia inferiore Bubalie natus, occisis Philippis vtrisque, regnauit anno vno, mensibus tribus. armisque in Christianos erectis, ob Philipporum nominis odium, ipse bellantibus Getis cum filio suo crudeli morte occubuit

buit abrupto. GALLVS & VOLVSIANVS regnauerunt annis duobus, mensibus quatuor. Hi quum aduersum Æmilianum, qui in Mœsia res nouas moliebatur, ex vrbe profecti essent, in foro Flaminij interfecti sunt: *Aemilianus* verò tertio mense inuasæ tyrannidis exstinctus est. VALERIANVS & GALLIENVS, dum vnus in Rhetia à militibus, alter Romæ à senatu in imperio leuarentur, regnauerunt annos xv. Valerianus siquidem in Christianos persequutione commota, statim à Sapore rege Persarum capitur: ibique seruitute miserabili consenescit. Gallienus, illius exitum cernens, Christianis pacem dedit: sed dum nimis in regno lasciuiret, nec virile aliquid ageret, Parthi Syriam Ciliciámque vastauerunt: Germani & Alani Gallias deprædantes, Rauennam vsque venerunt. Græciam Gothi vastantes, Quadi & Sarmatæ Pannonias inuaserunt. Germani rursus Hispanias occupauerunt. idcirco Gallienus Mediolani occisus est. CLAVDIVS regnauit anno vno, mensibus octo. qui Gothos iam per xv. annos Illyricum Macedoniamque vastantes, bello adortus, incredibili strage deleuit. [Senatus ingenti honore eum decorauit,] scilicet vt in curia ei clypeus aureus, & in Capitolio statua aurea poneretur. occisúsque apud Syrmiū est. Post cuius mortē *Quintilius* frater eius à senatu Augustus appellatus. XVIII. imperij sui die Aquileiæ occisus fuit. AVRELIANVS, Dacia Ripensi oriundus, regnauit annos quinque, menses sex. Qui mox, *Tetrico* apud Catalaunios prodente exercitum, Gallias recepit: expeditionéque facta vltra Danubium, Gothos magnis prœliis profligauit: cultorésque diuini nominis persequutus est. *Odenatus Palmyrenus* ante ipsum collecta rusticorum manu, Persas de Mesopotamia expellens, ipse ea loca inuaserat. Quo occiso, vxor sua Orientis tenebat imperium: contra quam expeditionem suscipiens Aurelianus, apud Hymmas vicum Antiochiæ superauit, Romæque in triumpho viuam perduxit. Ac dehinc secundo arripiens expeditionem, inter Byzantium & Heracleam in Cænophrurio viæ veteris occiditur. TACITVS regnauit annos sex. Quo occiso apud Pontem, *Florianus* suscepit imperium: tenuitque diebus trecentis quinquaginta octo. Similiter & ipse apud Tarsum interfectus est. PROBVS regnauit annos sex, menses quatuor. Hic enim Gallos & Hispanos vineas habere permisit. Quo tempore *Saturninus* magister militum, dum ad restaurationē Antiochenæ ciuitatis missus fuisset, arrepta ibidem tyrannide, mox oppressus est, & Apamiæ interfectus. Ipse quoque Imperator Probus tumultu militari Syrmio in turre, quæ vocatur Ferrata, occisus est. CARVS cum filiis CARINO & NVMERIANO, regnauit annos vndecim, oriundus Narbona Galliæ. Hic mirabiliter pæne omni Perside vastata, nobilissimas earum vrbes occupauit, Clochen & Ctesiphontem, Bellum Sarmaticum feliciter superauit: Ipse quoque Carus super Tigridem amnem dum castrametaretur, fulmine ictus occubuit. *Numarianus* autem, oculorum dolore tentus, dum in lecticula veheretur, soceri sui Apri insidiis occisus est. fœtor cadaueris vix tertio die agnitus est. *Carinus* verò, apud Margum in prœlio victus occiditur. DIOCLETIANVS Dalmata, scribæ filius, Imperator elatus, regnauit annis viginti. Hic etenim mox vt in regno eleuatus est, ilico Aprum in militum concione percussit, iurans, sine suo scelere

A illum Numerianum interemisse. & mox in consortium suum *Maximianum Herculium* asciuit. Qui Maximianus rusticorū multitudine oppressa, quos Bagaudas dicunt, pacē Galliis reddidit. quo tempore *Carausius* sumpta purpura Britannias occupauerat: *Narseus* rex Persarum, Orienti bellum intulerat: *Quinquegentiani* Africam infestauerant: *Achilleus* Aegyptū inuaserat. Ob quæ CONSTANTIVS & GALERIVS, ac MAXIMIANVS, Cæsares assumuntur in regnū. Quorū Constantius Claudij B ex filia nepos fuit: Galerius in Dacia, non longe à Sardica natus. Atque vt eos Diocletianus etiam affinitate coniungeret, Cōstātius priuignam Herculij Theodoram accepit. ex qua sex liberos procreauit: Galerius autem Valeriam Diocletiani filiam accepit: vterque priora matrimonia repudiantes. Carporum siquidē gens tunc deuicta, & in Romanum solum trāslata est. Tunc etenim primus omnium Imperatorum Diocletianus adorari se vt Deū præcepit, & gemmas vestibus calciamentisq; C inseruit: diadema itaque in capite ante eū omnes, cum chlamyde tantum purpurea, vt a priuatis discernerentur, habebant: & vt iudices ceteri salutabantur. Assumpta ergo vnusquisq. principum expeditione, Diocletianus, Aegypti tyranno octauo mense deuicto, prouinciam cunctam subegit: Maximianus Herculius, in Africa Quinquegētianos exsuperauit: Constantius, iuxta Lingonas vna die sexaginta millia Alemannorum cecidit. Galerius Maximianus; victus primo prœlio à Narseo, ante D carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit. Qua verecundia compunctus, secundo viriliter dimicauit, superauit Narseum, vxores eius cepit ac liberos: & cum debito honore à Diocletiano susceptus est. Post quam victoriā mirabiliter Diocletianus & Maximianus Romæ triumpharunt, antecedentibus sibi liberis vxoribúsq. regis Persarum, prædaque illa ingenti gentium diuersarum. Sic quoque concitata persecutione in Christianos, Diocletianus in Cappadocia defun- E ctus est. Constantius

* * * * * * * * *

IVLIANVS apostata, regnauit anno vno, mensibus octo: relicta Christianitate, ad idolorum cultum conuersus est. multósq. blandi persecutione illiciens, ad sacrificandam idolis compulit. Ipse quidem vir egregius, & Reip. necessarius. Parthis ingenti apparatu intulit bellum. Vbi proficiscens, Christianorū post victoriā sanguinē diis suis vo- F uit. Nonnulla Parthorū oppida in deditionem accepit: multaq. vi populatus est: castraq. aliquādiu apud Ctesiphontē habuit. Vnde egressus, dolo cuiusdā transfugæ in deserta perductus, cum vrgentis ardore solis confectus periret exercitus, ipse tantorū discriminū anxius, dum per vasta deserti euagatur incautius, ab obuio quodā hostiū equite conto ilia perculsus interiit, anno ætatis suæ tricesimo tertio. Post quem sequēti die ab exercitu IOVIANVS [ex primicerio] domesticorum in regnū G ascitus est. Iouianus regnauit menses octo. qui mox necessitate compulsus, Nisibin, & magnam Mesopotamiæ partem Sapori Parthorum regi cōtradidit. ipséque odore prunarum præfocatus, defunctus est Dadastanæ, anno ætatis tricesimotertio. VALENTINIANVS & VALENS regnauerunt annos tredecim, mensib. quinq. Nā Pannones erāt Cibalienses vterimque, germani. In Nicomedia tribunatum Valentinianus agebat. qui Imperator

creatus, fratrem suum Valentem regni socium assumpsit. Ipse verò egregius, & Aureliano similis moribus: nisi quod seueritatem nimium & parcimoniam, quidam crudelitatem & auaritiam c[illegible]satatem, [illegible] banur. Relicto germano Orientali in regno, ipse Hesperium tenuit. Quo tunc regnante, alter *Valentinianus* in Britannia tyrannidem assumens, in continenti oppressus est. Constantinopoli quoque *Procopius* quidam contra Valentem in[illegible]ens, nihilque praeualens, vrbe egreditur; & in Phrygiam salutarem tyrannizans, extinctus est, multique partis Procopianae caesi atque proscripti. Valens ab Eudoxio Arianorum episcopo suasus & baptizatus, contra Orthodoxos infestus insurgit. GRATIANVM filium suum Valentinianus Ambianis Imperatorem constituit; quem habuit de Seuera priore iugali: & contra Saxones & Burgundiones, qui plus octoginta millia armatorum primum Rheni in limbo castrametassent, mouit procinctum. sed apoplexia subito & sanguinis eruptione Brigitione defunctus est. Tunc Gratianus VALENTINIANVM fratrem, de Iustina Sicula vxore natum, in regno consortem assumit. Nã Valentinianus senior dudum, laudãte Seuera vxore sua pulchritudinem Iustinae, sibi eam sociauit in matrimonio: legemque propter illã concessit, vt omnes viri, qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent: quia ideo populosa Arsorum gens est, quia hoc apud eos solemne est, & multarum vxorum vnus additur maritus. Decepta ergo (vt diximus) Iustina, Valẽtinianus edidit ex ipsa quatuor filios, Valentinianum supradictum Imperatorem, Gratam, Iustamque, & Gallam: de qua Galla dehinc Theodosius imperator, Flacilla defuncta, quae Arcadium Honoriumque pepererat, Placidiam generauit; quae mater fuit moderni Valentiniani iunioris imperatoris. Sed nos ad propositum redeamus. *Valens* Imperator lege data vt monachi militarent, nolentes iussit interfici. quando & Theodosius, Theodosij Imperatoris postea pater, multique nobilium, occisi sunt, Valentis instantia. *Gratianus* Imperator, Alemannorum plus triginta millia apud Argentarium oppidum Galliae in bello prostrauit. Galliasque paca[illegible]it. Gens *Hunnorum* super *Gothos* irruens, certos ex ipsis sub[illegible]gat, alios fugat. Qui venientes in Romaniam, sine armorum suscepti depositione, per auaritiam ducis Maximi, fame compulsi, rebellare coa[illegible]nt: superatisque Romanis in congressione, [illegible]tur in Thracias. Contra quos Valens ab Antiochia exire compulsus, in Thraciam proficiscitur: ibique lacrymabili bello commisso, Imperator sagitta saucius, in casam deportatur vilissimam: vbi, superuenientibus Gothis, ignéque supposito, incendio concrematus est. Gothi verò occiso Imperatore, iam securi, ad vrbem properant Constantinopolitanam, vbi tunc Dominica Augusta, Valentis vxor, multam pecuniam plebi largi[illegible] vrbis vastatione hostes submouit, regnumque [illegible]gnati, vsque dum ille Theodosium ordinasset, fideliter viriliterque seruauit. Theodosius [illegible] Hispanus, Italicae diui Traiani ciuitatis, à Gratiano Augusto apud Sirmium [illegible] Valentis interitum, factus est Imperator: [illegible] auitque annos XVII. [illegible]ensque Thessalonicam, ab Anatolio sancto episcopo baptizatus est: admodumque ecclesiae religiosus enituit propagator, reipublicaeque defensor eximius. Nam Hunnos & Gothos, qui eam sub Valente defatigassent, diuersis praelijs vicit, atque à praua

A vastatione compescuit. Cum Persis quoque pe[illegible]tus pacem pepigit. *Max*[illegible] autem tyrannum, qui Gratianum interfece[illegible] & sibi Gallias vindicabat apud Mediolanum, vna cum Valentiniano Imperatore aggrediens ab Oriente, clausit, c[illegible] occidit. *Eugenium* quoque tyrannum atque *Arbogastem*, diuino auxilio [illegible] dictus vicer[illegible] cti [illegible]rum decem millibus [illegible]. Hic e[illegible] Eugenius, confisus viribus Arbogastis, [illegible] apud Viennam Valen[illegible] [illegible]um exti[illegible] [tyB rannidem] inuasit: sed [illegible] simul cum [illegible] perium perdidit. nam occiso A[illegible] [illegible]tans, sua se manu peremit. omnibus[illegible] Theodosius superatis, in pace rebus [illegible] apud Mediolanum excessit, vitamque [illegible] vtrisque filijs quietam relinquens. Corpus [illegible] eodem anno Constantinopolim a[illegible] sepultum. ARCADIVS & HONORIVS [illegible] filij Theodosij Imperatoris, vtrumque imperium diuisis tantum sedibus tenere coeperunt: id est, C Arcadius senior Cõstantinopolitanam vrbẽ, Honorius verò Romanam. Tunc *Ru*[illegible] Arcadio insidias tendens, *Alaricum* Gothorum regem, vt Graecias de[illegible]astaret, missis cla[illegible] [illegible]nis inuitauit. Porro detectus Rufinus, a[illegible] militibus Arcadio cum Gaina comite missis, ante portas vrbis detruncatus est, caput eius cum dextera manu Constantinopoli ad ludibrium circumductum: vxorque eius exsulata, opes cunctas Eutropius spado promeruit. *Gildo*, Africae D comes à Theodosio dudum ordinatus, ac si iuuenile regnum vtrumque despiciens, sibi [illegible]coepit Africam tenere: & à fratre proprio Ma[illegible]zer dum se vidisset deiectum, oppressionique vicinum, propria se manu peremit. *Gaina* verò supra nominatus comes, Constãtinopoli ciuile bellum commouens, totam vrbem igni ferroque tur[illegible]uit: fugiensque ad Hellespontum piratic[illegible] viuebat. contra quem nauali praelio dato, multi Gothorum eius exstincti. ipse quoque bello c[illegible]a-E dens, mox tamen complectitur. Post cuius oppressionem *Isauri* per montem Taurum currentes, ingens dispendium Reipubl. imp[illegible]rt. contra quos Narbazaratus directus, maius co[illegible] nunc repẽdit incommodum. Hesperiam verò plagam in regno Honorij Imperatoris primum *Radagaisus Scytha* cum ducentis millibus [illegible] inundauit. Quem Huldi & Sarus Hunno[illegible] [Go]thorumque reges superantes omnes captiuos, quos receperunt, singulis aureis vendide[illegible]. *Stilico* verò com[illegible], (cuius duae filiae, Maria [illegible] F Thermantia, singulae vxores Honorij principis [illegible] & vtraeque virgines sunt defunctae) spreto Honorio [illegible]minique eius inhians, Alanorum Sueuorum[illegible] gentes donis pecuniisque illecta[illegible] [con]tra regnum Honorij excitauit: Eucherium [illegible] suum paganum, & Christianis insidias [illegible]tem cupiens Caesarem ordinare. Qui cum [illegible] filio suo detecto dolo, occisus est. Quo anno [illegible] Arcadius orientalis Imperator regnans post obitum patris anno XIII. in imperio fuit. THEODOSIVS G iunior, Arcadij filius, loco patris successit in imperio: adolescens egre[illegible] quadraginta tres. *Alaricus* [illegible] V[illegible] Gothorum, vastata Italia, Romam ingressus est: opésque Honorij Augusti depraedatus, Placidiam sororem eius duxit captiuam, quam posthaec Ataulfo [suc]cessori suo in matrimonium vt acciperet, delegauit. *Constantinus* tunc quidam Gallijs occupatis in-

tis inuasit imperium. Hostes eius, contra eum sæuientes, filiumque eius regno priuare cupientes, monachum fecerunt eum. Ipse sanus à Gallia reuertens, statim filium suum *Constantem* ex monacho Cæsarem ordinauit. Sed mox ipse apud Arelatum, filius eius apud Viennam, regnum cum vita amiserunt. Itemque eorum exitus immemores *Iouinus* & *Sebastianus* in Gallijs tyrannidem arripuerunt, sed & ipsi illicò esse deficiunt. *Heraclianus* post hæc cum septingentis & tribus nauibus armatus ad vrbem Romam deprædandam venit, contra quem Marinus comes egressus, sic eum perterruit, vt tantum cum vna naui Karthaginem fugeret, vbi mox ingressus interfectus est. *Vallia* rex Vuiligothorum, facta pace cum Honorio, Placidiam sororem eius reddidit: quam Constantio patricio, qui eam reuocauerat, in matrimonio iungens Honorius, rebus excessit humanis. Maximus & Iouinus, de Hispanis ferro vincti adducti atque interfecti sunt. *Ioannes* verò, Honorio defuncto, regnum Occidentale inuasit, contra quem Placidia creata Augusta, & VALENTINIANVS filius eius cæsar, diriguntur: quem & dolo potiùs Asparis & Ardaburis, quàm virtute superauit. Occisoque Ioanne tyranno, Valentinianus Rauennæ Imperator à patruele Theodosio ordinatur: cuius germana Honoria, dum ad aulæ decus virginitatem suam cogeretur custodire, clam misso clientulo, *Attilam* Hunnorum regem inuitat in Italiam, quùmque veniente Attila votum suum nequiret explere, facinus quod cum Attila non fecerat, cum Eugenio procuratore suo committit. Quam ob rem tenta à germano, & in Constantinopolim Theodosio principi destinata est. Post hæc tertio anno Valentinianus Imperator à Roma constantinopolim ob suscipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodosij principis filiam venit: datáque pro munere socijs suis tota Illyria, celebratis nuptiis ad sua regna cum vxore recessit. Africana prouincia per *Bonifacium* comité *Vuandalis* tradita, à Romano iure subtracta est: quia Bonifacius, dum in offensam Valentiniani venisset, malo publico se defendere voluit: inuitatoque ab Hispaniis *Gizerico* Vandalorum rege, dolum quē conceperat, peperit. Hunnorū rex *Attila*, iunctis secum Gepidis cum Ardarico, Gothisque & Vualanis, diuersisque aliis nationibus, suis cum regibus, omnem Illyricum Thraciámque, & vtramque Daciam, Mœsiam, & Scythiam populatus est, contra quem egressus Arnegisclus magister militum Mœsiæ, apud Marcianopolim fortiter dimicauit: eo quoque sub se decidente præuentus est, & nec sic quiescens bellare, occisus est. MARCIANVS Imperator, regnauit annos sex, menses sex. Hic enim mox defuncto Theodosio in regno ascitus, Pulcheriam germanam Theodosij, quæ in palatio matura mulier virginitatem seruauerat, in matrimonio adsumens, regnum, quod delicati decessores prædecessoréſque eius, per annos ferè sexaginta vicissim imperantes minuerant, diuina prouisione sic reparauit, vt exsultatio ingens cunctis accresceret. Nam cum Parthis & Vuandalis omnia infestantibus pacem instituit; Attilæ minas compescuit; Nouades Blemmyésque Aethiopia propulsos, per Florum Alexandrinæ vrbis procuratorem sedauit, & pepulit à finibus Romanorum: obitúmque Attilæ, & Zenonis Isauri interitum, antequam moreretur, felix comperit infelicium omniúmque inimicorum suorum colla Domini virtute calcans, sexto anno, sextóque mense regnans, in pace quieuit. *Valentinianus* autem occidentalis Imperator, dolo *Maximi* patricij, cuius etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio per Obtilam & Transtilam Aetij satellites, iam percusso Ceraclio spadone, truncatus est. Imperium quoque eius idem Maximus inuasit; tertióque tyrannidis suæ mense membratim Romæ à Romanis discerptus est. *Gensericus* tunc rex Vandalorum ab Eudoxia Valentiniani vxore inuitatus ex Africa Romam ingressus est: eaque vrbe rebus omnibus exspoliata, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus secum in Africam rediens duxit. LEO, Bessica ortus progenie, Asparis patricij potentia ex tribuno militum factus est Imperator. Cuius nutu mox Valentiniani apud Rauennam *Maiorianus* Cæsar est ordinatus. qui tertio necdum anno expleto in regno, apud Dertonam occiditur: locúmque eius sine principis iussu Leonis, *Seuerianus* inuasit sed & ipse, tyrannidis suæ tertio anno expleto, Romæ occubuit. Tunc Leo *Anthemium*, diui Marciani generum, ex patricio Cæsarem ordinans, Romæ in imperio destinauit, Bigelémque Getarum regem per Ardaburem Asparis filium interemit, Basiliscum cognatum suū, id est fratrem Augustæ Verinæ, in Africam dirigens cum exercitu, qui nauali prælio Karthaginem sæpe aggrediens, antequam, vt eius cupiditate, pecunias vendidit regi Vuandalorū quam in Romanorum potestatem redegerat. Asparem autem patricium, cum filiis Ardabure & Patriciolo Zenonis generi sui instinctu, in palatio trucidauit, occisoque Romæ Anthemio, *Nepotem* filium Nepotiani, copulata nepte sua in matrimonio, apud Rauennam per Domitianum clientem suum, Cæsarem ordinauit. Qui Nepos regno potitus legitimo, *Glycerium*, qui sibi tyrannico more regnum imposuisset, ab imperio expellens, in Salona Dalmatiæ episcopum fecit. Sic quoque Leo LEONEM IVNIOREM, ex Ariadne filia nepotem suum in imperio ordinans orientali, anno sui sextodecimo obiit. Leo iunior, mox paucis mensibus quàm præfuit, ordinanter tamen, reliquit imperium, manu sua genitorem suum Zenonem coronans, Imperatorémque constituens, rebus excessit humanis. ZENON, natione Isaurus, gener Leonis Imperatoris, regnauit annis decem & septem. Hic etenim dum processibus Chalcedone degeret, subitò Verina Augusta socrus sua, fratrem *Basiliscum* in imperium inducens, Augustum in vrbe appellauit. Quod comperiens Zenon Chalcedone sine aliqua Reipubl. læsione in Isauriam recessit, malens se solum cum Adriane Augusta exsulare, quàm sua caussa Reipubl. aliquid ex bellis ciuilibus incómodum prouenire. Quod Basiliscus cognoscens, Zenonisque fuga lætatus, *Marcum* filium suum Cæsarem ordinauit. Qui perfidia Nestoriana inflatus, multa contra ecclesiam tentauit protinus agere: sed volente Deo ante inflatus crepuit medius, quàm pœnitens flere potuerat. Nam reuertens Zenon rursus in regnum proprium, & eum, & patrem, & matrem in exsilium oppidi Slemnij prouinciæ Cappadociæ destinauit: vbi, quia caritas Dei & proximi in illis refrixerat, frigore consumpti sunt, vitamque cum regno amiserunt. Parte verò Hesperiæ, Nepote Imperatore Orestes fugato, *Augustulum* suum filium in imperium collocauit. Sed mox

Odoacer, genere Rugus, Thorcilingorum, Scirorum, Herulorúmque turbis munitus, Italiam inuasit: Augustulumque Imperatorem de regno expulsum, in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit. Sic quoque Hesperium regnum Romaníque populi principatum, quod septingentesimo nono vrbis conditæ anno, primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni Imperatorum quingentesimo vicesimo secundo, Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus. *Theodericus* autem, Triarij filius, cognomento *Strabo*, rex Gothorum [illegible] Senis suis vsque ad Apuliam quarto vrbis [illegible] armatus aduenit, nulli tamen Romanorum noxius, continuò est reuersus. Porrò in Illyricum properans, dum inter suorum mouentia plaustra progreditur, iacentis super carpentum teli acumine, pauitantisque equi sui impulsione fixus, transuerberatus interiit, & Reipubl. diem festum morte sua donauit. *Vualamiro* rege Gothorum in bello Scitorum defuncto, *Theodemir* in regno fratris successit, cum *Vuidimero* fratre & filio Theoderico, sed missa sorte Vuidimero partes Hesperiæ, Theodemiro cum filio Theoderico Illyricum obuenit. Relicta ergo Pannonia, alter Italiam, alter Illyricum suscepit populandum. Sed vterque reges, mox vbi sortita loca ingressi sunt, illico rebus humanis excedunt, Vuidimer Italia, Illyrico Theodemir relictis filiis decesserunt. Quorum *Vuidimer* ab Italicis præmiis victus, ad partes Galliæ Hispaniæque omissa Italia tendit: *Theodericus* verò, Zenonis Augusti pellectus humanitate, Constantinopolim venit: vbi magister militum statim effectus, consulis ordinarij triumphum ex publico dono peregit. Sed quia tunc (vt diximus) *Odouacer* regnum Italiæ occupasset, Zenon Imperator cernens iam gentes illam patriam possidere, maluit Theoderico [illegible] proprio iam clienti, eam committere, quàm illi quem nec nouerat: secumque ita deliberans, ad partes eum illas mittens, Romanum illi populum senatumque commendat. Obansq; rex gentium & consul Romanus Theodericus, in Italiam petiit: magnisque prœliis Odouacrem vicit, & Rauennam in deditione suscepit, deinde verò, ac si suspectum, Rauennæ in palatio iugulans, regnum gentis suę, & Romani populi principatum prudenter & pacificè per XXX. continuit annos. *Ilus* autem Isaurus, magister officiorum, & Zenoni Imperatori in priuata vita amicissimus, caritatéque coniunctus, dum secreto in detractionem Ariadnes Augustæ, cum eius viro loquutus est, in zelo Augustum concitauit. qui deliberans eam perimere, vni suorum rem tacitè demādauit. Quod dum ille agere nititur, cuidam cubiculariæ prodit scelus eadem nocte facturum. Regina scelus cognouit: suoque in lectulo cādem quæ rem suggesserat, collocans, in episcopium ad Acacium nemine sciente subterfugit. Postera die Zenon, rem æstimans perpetratam, dum luctum quendam quasi mœrens, nemini [illegible] cepit, Acacius episcopus ingressus, & facti arguit Imperatorem. veniæque fidem exposcit: Augustamque suspicionis innoxiam compromittit: acceptaque fide, veniæ pactione Augusta reuertitur. secumque dum crebro deliberat, qua sorte de inimico exigat vltionem, nacta (vt opinata est) opportunitatem, vni suorum mandat in abditis stanti, vt illum à se recedentem perimeret. Qui

A parens præceptis reginæ, dum auidus ferit in capite, ense non ceruicem, vt cupiebat, sed aurem illius amputauit. Quod periculum euadens Ilus, mox ad vrbem recedens, Zenonique insultans orientem inuasit. Contra quem *Leontius* [illegible] ctus, pellicibus verbis illectus, diadema arripuit: simulque Leontius & Ilus Reipubl. inimici, effecti tyranni, in partes Syriæ & Isauri [illegible] bacchabantur. additoque super [illegible] Isauris donationes simul conspirant contra Zenonem [illegible] B thesauris in Papyrio castello [illegible] repertis, deseruiunt. Sed non post multum ab exercitu Zenonis in eodem castello capti [illegible] obtruncatique sunt: & capita eorum Constantinopolim allata, præfixáque hastilibus statuerunt. Sic quoque Zenon, superatis inimicis suis, in pace bona quieuit. ANASTASIVS, ex silentiario subito ab Ariadne Augusta in imperio assumptus, simulque Imperator & maritus innotuit. regnauitque annis viginti septem, mensibus C duobus. Contra quem Isauri, dum sibi quod Ilus tyrannus ille adiecerat donatiuum, & non reconciliationis gratia inuitus largitus est, ab isto fraudantur, arma arripiunt: consertoque prœlio, iuxta Cotzianum Phrygiæ ciuitatem castrametati, pæne per sex continuos annos Reipubl. aduersantur: vbi & *Lilingis*, eorum & in bello & in consilio præsulus, quamuis pedibus ob corporis debilitatem segnis, eques tamen in bello acerrimus, dum peremptus fuisset, omnes Isauri fugerunt, atque dispersi sunt & deuicti, & D perquaquam exsilio ablegati: vrbésque eorum nonnullæ solo vsque prostratæ. Variis namque sub Anastasio miles præliis fatigatus, & nunc in Illyrico cum Sabiniano & Mundone ad Margum, nunc cum Pompeio ad Adrianopolim, nunc cum Aristo ad Zoitam, nunc cum Pat[illegible] in Syria: vt omittam intestinas clades & pugnas in foro regiæ ciuitatis: ad postremum contra Italiam plus piratico quàm publico Marte concertans, frustratus est. Sed, quod sit plus dolen- E dum, contra vltimum suum famulum *Vitalianum* de Scythia per sex annos ciuile bellum exstruxit. Is siquidem Vitalianus, cum LX. millibus armatorum, tertio pæne milliario, non reipubl. sed regi infestus, accedens: multa suburbana regiæ vrbis prædis spoliisque attriuit. Contra quem dum Hypatius nepos Cæsaris cum exercitu numeroso pugnaturus egreditur, ante ab Hunnis auxiliaribus capitur, & Vitaliano turpiter venditur, antequam aperto prœlio par- F te aduersa sese inimicus ostenderet. Post quem iterum suus gubernator magisterque militum, sæpe superati, sæpe irrisi ab eo & spreti sunt. Sic quoque diuersis partibus inimicorum vallatus agminibus Anastasius, sæpe congemuit: nullamque tamen meruit inimicorum suorum vindictam audire: sicut nec ipse ecclesiæ iura seruauit: imo mœrens & furens, maior octogenario ætatis anno, regnique vicesimo & octauo, rebus excessit humanis: contritaque Respubl. vix Iustino G ei succedente aliquantulum respirauit. IVSTINVS, ex comite excubitorum à senatu Imperator electus, annos regnauit IX. Qui suum inhiantes regno suo *Amantium* præpositum palatij, *Andream* & *Misaelem* & *Ardaburem* cubicularios sentiens, afflixit. Nam Amantium & Andream ferro truncauit: Misaelem & Ardaburem Perdicā in exilium misit. *Theocritū* quoque satellitē Amantij, quē idē

quoque

quoque Amantius ad regnandum clam præparauerat, cõprehensum carceratumque, saxis consisque ingentibus cæsum, falsum in gurgitem iecit, sepulcro tamen; imperio, cui inhiauerat, eum priuans: fœdusque cum *Vitaliano* percussit; & ad se euocatum, magistrum militum præsentem & consulem ordinari tum fecit, quem rursus in suspicione habens prioris facti, sedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo satellitibus confossum perimit. Hic quoque Imperator ante quartum mensem obitus sui, senectuti suæ cõsulens, & Reipubl. vtilitatibus; *Iustinianum* ex sorore sua nepotem, consortem regni successoremque imperij ordinans rebus humanis excessit. Iustinianus regnat iam iubente Domino annos XXXIII. qui vt sceptris genioque ab auunculo suo mãcipatus est, mox Parthos bella mouentes destinato exercitu compescuit; & fines proprios tutãs, Parthorum sæpe multos occidit. Postea verò, facientibus peccatis, in die sabbathi sancti paschæ inito certamine, exercitus & nõ ducis instinctu, in fluuio Euphrate fugiens Parthos, Romanus numerosus ruit exercitus. Illyricũque sæpe ab Herulis, Gepedisque & Bulgaris deuastãtibus, per suos iudices frequẽter obstitit vi, subtérque cecidit. Post hæc *Hypatium Pompeiumque* regni sui insidiatores, coaduna a manu ciuili circum ingressos; & Hypatium torque aureo redimitum pro diademate, locaque Imperatoris iam occupantem, Pompeium verò sub chlamyde loricatum, & iam palatium inuadentem; vtrumque detentum, ante fores palatij captum catenatumque discussit: amputatisque eorum capitibus, ante eos fecit imperium perdere quàm haberent, sociisque eorum, qui euaserant hac cæde, proscriptis, veluti grandi hoste prostrato de manubiis triumphauit. Eodemque anno, post diuturnum immanémque belli laborem, quod contra Parthos Romanorum fuisset gestum sudoribus, per Rufinum patriciũ, pérque Hermogenem magistrũ officiorum, & vtrumque legatum directum ad principem, pax depacta est, fœdusque initum, & munera ab vtroque principe sibi inuicem destinata. Mox quoque soluto de orientali parte exercitu, eũdem ductorem quem dudum orienti transmiserat, elegit Belisarium: & numerosos fortissimosque milites deputans, ad australem plagam contra Vuandilos mittit: qui, fauente Deo, qua venerat facilitate, ea celeritate Vuãdilos superauit: Libyamque ad corpus totius Reipubl. iungens, *Gelimerem* regem, opésque Karthaginis, in vrbe regia principi spectante populo obtulit. Cuius nutu remuneratus, consulque ordinarius mox designatus, de manubijs Vuandilicis Belisarius triumphauit. In Italia verò, Theoderico rege defuncto, *Athalaricus* nepos eius ipso ordinante successit: & annos octo quamuis pueriliter viuens, matre tamen regnante Amalauentha degebat: quando & Gallias diu tentas, *Francis* repetentibus reddidit. Mortuoque Athalarico, mater sua *Theodahatum* consobrinum sum, regni sui participem faciens, non post multum ipso iubente occisa est. Et quia dudum se suumque filium commendauerat principi Iustiniano, is mortem eius audiens doluit, nec passus est inultam transire: sed mox eundem ducem belli, qui Pœnorum domitor fuit, & de opibus Vuandilicis triumphans adhuc in fascibus erat, agmini diuersarum præponens nationum, ad partes Hesperias destinauit. qui primo accessu mox Siciliam peruadit, duce eius Sinderich superato. vbi dum aliquantum temporis ob ordinandam patriam resideret, comperit in Africa ciuilia bella intestinaque prœlia debacchari. Nam *Stozas*, pænè vltimus militum, & Martini clientulus magistri militum, tyrannidem arripiens, à ictorque seditiosorum effectus, Cyrillo, Marcello, Fata, aliisque diuersis iudicibus dolo peremptis, in ducem Salomonem sequiebat, totamque Africam tyrannico ritu vastabat. Emenso ergo Belisarius à Sicilia in Africã pelago, solita felicitate rebelles fugat, prouinciam liberat, Salomonéque rursum Karthagine collocans, Siciliam redit. Vbi mox Eurimond, Theodahati Gothorum regis gener, qui contrarius cum exercitu venerat, cernens prosperitatem consulis, vltro se dedit ad partes victoris, orauitque vt iam anhelanti suo aduentu suspectæ subueniret Italiæ. Constructo ergo Belisarius exercitu, & tã naualia quàm equestria ductans agmina, vallauit Neapolim: paucisque diebus eã obsidens, per aquæ ductũ noctu inuasit, & tam Gothis qui aderant, quã Romanis bellantib. interfectis, vrbẽ plenissimè spoliauit. Quod Theodahatus animaduertens, *Vuitigẽ* vnum inter alios ductorem exercitus præponens, cõtra Belisarium dirigit. Qui Campaniam ingressus, mox vbi ad cãpos venisset barbaricos, ilico exercitus fauorem, quem contra Theodahatum suspectum habebat, rex cepit & *quid*, inquit, *vultis*? At illi, *Tollatur*, inquiunt, *de medio, qui cum sanguine Gothorum & interitu sua cupit scelera excusari*, factoque impetu in eum, consona voce Vuitigem regẽ denuntiant. At ille regno leuatus, quod ipse optauerat, mox populi voto cõsentit, directisq. sociis, Theodahatum Rauennam reuertentẽ extinguit: regnũque suum confirmans, expeditionem soluit: & priuata coniuge repudiata, regiã puellam Mathesuentam Theoderici regis neptem, sibi plus vi copulat quàm amore. Dumque ille nouis nuptijs delectatur Rauennæ, cõsul Belisarius Romanam vrbem ingressus est: exceptusque ab illo populo quondam Romano & senatu, iam pænè ipso nomine cũ virtute sepulto, confestim vicina occupat loca vrbium opidorũque munimina. Primaque Getica congressione, Hunila ductante Perusinum ad opidũ superat: & plusquã VII. millibus trucidatis, reliquos Rauennam vsque proturbat. Secũda verò, cũ ipso Vuitige Romanas arces vallante congreditur: machinasque illius & turres, quibus vrbem adire tentabat, igni cõsumptas, per anni spatium, quamuis inædia laborans, deludit. Post hæc ad Ariminum persequutus: exindéque effugatũ, Rauenna clausum in deditionem suscepit. atque vnus consul, qui contra Getas dimicat, pænè pari euentu de *Francis*, qui cum *Theodeberto* rege suo plus ducenta millia aduenerãt, triumphauit. sed, quia ad alia occupatus alibi noluit implicari, rogantibus Francis pacẽ concessit, & fine suorũ dispẽdio, de finibus Italicis expulit, sumptoque rege & regina, simulque & opibus palatij, ad principẽ qui eũ miserat, reportauit. Sicque intra pauci tẽporis spatium Iustinianus Imperator per fidelissimũ consulẽ duo regna duasque Respubl. suę ditioni subegit. Quod *Parthus* comperiens, facibusque inuidiæ exardẽs, in Syriam mouit procinctũ & Callinicum Cæsareãque deuastans, Antiochiã venit. vbi Germanus patricius cum Iustino filio suo, eodéque consule, postquam ab Africana prouincia remeasset, dum aduentui Parthorum ob-

uiare nequit, relicta vrbe ad partes secessit Ciliciæ. Persæ verò, vacuam ab exercitu Antiochiam nacti populum quidem per Orontis alueum ad Seleuciam maritimam cum millibus mixtis fugientem aspiciunt, nec sequuntur, sed prædas per vrbem certatim diripiunt, vicinásque vrbes, & oppida, partim inuasa, partim pecuniæ quantitate multata, prætereunt, & totius Cœlesyriæ bona sibi vnius in anni spatium pænè Parthus assumit. Nec sic quoq. recedit, sed iugiter aduersus Remp. Romanam dimicat. Côtta quem Vuandalicus & Geticus consul solitè destinatur, qui etsi non, vt reliquas gentes, eum edomuit, tamen vt intra suos se fines recolligeret, compulit. fuissetq. de hac gente felici duci parta victoria, ni clades in Italia, quę post eius discessum emerserat, celerem ei successorem dedisset Martinum. Qui etsi viribus impar, consilio tamen quamuis cum Constantiano coniuncto non minor, dum resisti contra Parthos non præualet, ne bella diu teneret, pacem effecit. Cladem verò quam diximus in Hesperia plaga, vt liquidius lector cognoscat, apertius memorabo. Egrediente Belisario consule ab Italia, & (vt diximus) rege & regina, opibúsque palatij ad principem reportante, *Gothi*, qui trans Padum in Liguria consistebant, recrudescentes animo, ad bella consurgunt: & ordinato sibi regulo *Hildebaldo* milite exsistunt aduersi. contra quos dum non vnius, sed diuersorum tentantur apparatus, illi fortiores effecti persistunt: anniquè spatio vix emenso, Hildebaldu interficitur, & loco eius succedit *Erraricus*: qui & ipse vix anno expleto peremptus est & in regno. malo Italiæ, *Badiula* iuuenis nepos ascisci tur Hildebaldi, qui mox & sine mora Fauentino in oppido Æmiliæ solo prœlio commisso, Romanum superauit exercitum: nec diu post hæc item per suos ad cancellos annonariæ Thuschiæ feliciter dimicans iudices, fugat: exercitum partim donis, partim blandiciis sibi consociat: totámque Italiam cum ipsa Roma peruadit: omniúmque vrbium munimenta destruens, cunctos senatores nudatos, demolita Roma, Campaniæ terra transmutat. Contra quem, vt superius diximus, Belisarius de oriẽte digreditur cum paucis, ratus omnem exercitum, quem dimiserat, integrum reperire, & ideo, postquam Rauennam ingressus est, nec cũ quib. ei obuiaret, inuenit, remenso Adriatico mari, Epirũ reuertitur. vbi Ioannes & Valerianus coniuncti, dum in conciones & iurgia concertant, *Totila* cum Badiula hostile opus in Italia peragit. Belisari⁹ quoq. impatiẽs tantæ crudelitatis, naualem classem à Sicilia soluens, per Tyrrheni maris æstum, Romani in portus se recipit stationem, egressúsque ad vrbem, quam vi destructam & desolatam attendit, hortánsq. socios ad reparationem tantæ vrbis accingitur, vbi nec dum vallo circumseptus, infestum experitur Totilam: sed solitis victoriis intrepidus, quamuis cum paucis contra eum egressus, sic effugauit, vt plures fugiẽtes Tiberi demergerentur, quàm gladio caderent. Indéq. hortatus exercitũ, regreditur Siciliã, quatenus & Romæ faceret copiã annonæ, & vicinus ad fretum, Totilam turbaret in Campania commorantem. Sed, vt assolet, rerum immutatione, & principum voluntate diuersa, quiescente in Domino Theodora Augusta, euocatur ad vrbem Belisarius de Sicilia. Post cuius discessum Totila securus, iterata rabie, & furentibus Mauris inuadit Romam: & sic sumptis vndique viribus, militarique vallatus auxilio, ingreditur: cepitque Siciliam. Contra quem Germanus patricius dum exire disponit cum exercitu, Mathesuentã Theoderici regis neptem, & VVitigi nuptam derelictam, tradente sibi principe in matrimonio sumptam, in Sardicensi ciuitate extremum halitum fudit, relinquẽs vxorem grauidam: quæ post eius obitum, postumum edidit filiũ, vocauitque Germanum. Qua felicitate sibi Totila comperta, totam pæne insultans Romanis deuastat Italiam. In Africa verò, à Mauris dudum perempto Salomone, Stozas & Ioannes inuicem singulari certamine corruunt: aliusque, *Ioannes*, qui *Stozas* [illegible] dicebatur, suscepta tyrannide, Guntharim magistrum militum secum esse suadet. Qui, interficiẽs Ariobindam, iugalem eius, neptem imperatoris, sibi cupiens sociare, præuenitur ab Artabane, qui eo in conuiuio trucidato, neptem Imperatoris ereptam, ad vrbem principi dirigit cum honore: simulque ferreis vinculis colligatum ei tyrannum destinauit Ioannem: qui Stoza perempto, in eadem successerat tyrannide. quem in vrbem discussum, manibusque truncatis, ad exemplum ceterorum in patibulo fixit. Ioanni dehinc patricio cognomine Troglitæ, Africæ procuratione commissa, Artabanus euocatus, magistri militum præsentis accepit dignitatem. Nec diu intercedente, in ipsum principem manus iniicere gestiens, detectus & comprobatus, pietate tamen principali impunitus permãsit. &, quasi beneuolus, cum gratulatione in Siciliam cum Liberio patricio properauit. Ioannes verò in Africana prouincia feliciter degens, Mauris partis aduersæ per pacificos Mauros superatis, vna die decem & septem præfectos exstinxit, pacémque totius Africæ iuuante Domino impetrauit. *Longobardorum* gens, socia Romani regni principibus, & Theodabati sororis filiam, dante sibi Imperatore, in matrimonio iungens regi suo, contra æmulos Romanorum *Gepidas*, vna die pugna commissa, eorum pæne castra peruasit: cecideruntque ex vtraque parte amplius quadraginta millia nec par (vt fertur) audita est in nostris temporibus à diebus Attilæ, in illis locis, præter illam quæ antehac contigerat sub Calluce Magmilide cum Gepidis, aut certe Mundionis cum Gothis: in quibus ambobus auctóres belli pariter corruerunt. Hæc sunt causæ Romanæ Reipubl. præter instantiam quotidianam Bulgarorum, Antarum & Sclauinorum. Quę si quis scire cupit, annales consulumque seriem reuoluat sine fastidio: reperiétque dignam nostri temporis Rempubl. tragœdia: sciétque vnde orta, quomodo aucta, qualitérve sibi cunctas terras subdiderit: & quomodo iterum eas ab ignaris rectoribus amiserit. quod & nos pro captu ingenij breuiter tetigimus: quatenus diligens lector latius ista legendo cognoscat.

C. IV-

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LIBER I.

Allia est omnis diuisa in partes tres: quarum vnam incolunt Belgæ: aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidit. Horũ omnium fortissimi sunt Belgæ: propterea quòd à cultu, atque humanitate prouinciæ longissimè absunt, miniméq; ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quę effeminandos animos pertinent, important, proximiq. sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt, qua de caussa Heluetij quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd ferè quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, cùm aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finib. bellum gerunt. Eorum vna pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit à flumine Rhodano, continetúrque Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum, attingit etiam à Sequanis, & Heluetiis flumen Rhenũ: vergit ad Septentriones. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinẽt ad inferiorem partem fluminis Rheni: spectant in Septẽtriones, & Orientem solem. Aquitania à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eã partẽ Oceani, quæ ad Hispaniã pertinet, spectat inter Occasum solis, & Septentriones, apud Heluetios longè nobilissimus, & ditissimus fuit Orgetorix. is M. Messala, & M. Pisone Coss. regni cupiditate inductus, coniurationẽ nobilitatis fecit, & ciuitati persuasit vt de finibus suis cum omnib. copiis exirent: perfacile esse, cum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quòd vndiq. loci natura Heluetij cõtinentur, vna ex parte flumine Rheno latissimo, atque altissimo qui agrum Heluetium à Germanis diuidit, altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos, & Heluetios, tertia, lacu Lemano, & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit. His rebus fiebat, vt & minus latè vagarentur, & minus facilè finitimis bellum inferre possent, qua de caussa homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem hominum, & pro gloria belli atq. fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem millia passuum CCXL. in latitudinem CLXXX. patebant. His rebus adducti & auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea, quę ad proficiscendum pertinerent, comparare, iumentorum, & carrorum quàm maximum numerũ coemere, sementes quam maximas facere, vt in itinere copia frumẽti suppeteret, cum proximis ciuitatibus pacem, & amicitiam confirmare, ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt. in tertium annum profectionẽ lege confirmant. ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. is sibi legationem ad ciuitates suscepit. in eo itinere persuadet Castico, Catamantaledis filio, Sequano, cuius pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, & à S. P. Q. R. amicus appellatus erat, vt regnũ in ciuitate sua occuparet, quod pater antè habuerat: itémque Dumnorigi Æduo, fratri Diuitiaci, qui eo tempore principatum in ciuitate sua obtinebat, ac maximè plebi, acceptus erat, vt idem conaretur, persuadet: eique filiam suam in matrimonium dat. perfacile factu esse, illis probat, conata perficere, propterea quòd ipse suæ ciuitatis imperiũ obtẽturus esset: non esse dubium, quin totius Galliæ plurimũ Heluetij possent, se suis copiis, suóque exercitu, illis regna conciliaturum, confirmat. Hac oratione adducti, inter se fidem, & iusiurandum dant, & regno occupato, per tres potentissimos, ac firmissimos populos totius Galliæ sese potiri posse sperant. Ea res, vt est Heluetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis caussam dicere coegerunt. damnatum pœnam sequi oportebat, vt igni cremaretur. die constituta caussæ dictionis Orgetorix ad iudicium omnem suam familiam, ad hominum millia decem, vndique coegit, & omnes clientes, obæratósque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos, ne caussam diceret, se eripuit. cùm ciuitas, ob eam rem incitata, armis ius suum exsequi conaretur, multitudinémque hominum ex agris magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est: neque abest suspicio, vt Heluetij arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciuerit. Post eius mortem nihilominus Heluetij id, quod constituerant, facere conantur, vt è finibus suis exeant. vbi iam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt. opida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua priuata ædificia incendunt, frumentum omne præter quod secum portaturi erant, comburunt, vt, domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeũnda essent: trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre iubent: persuadent Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis finitimis, vti, eodem vsi consilio, opidis suis, vicisq. exustis, vnã cum iis proficiscantur. Boiósque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noricamque oppugarant, receptos ad se socios sibi adsciscunt. Erant omnino itinera

duo, quibus itineribus domo exire possent, vnum per Sequanos, angustum, & difficile, inter mõtem Iuram & flumen Rhodanum, quo vix singuli carri ducerentur, mons autem altissimus impendebat, vt facilè perpauci prohibere possent: alterum per prouinciam nostram, multo facilius, atque expeditius, propterea quòd inter fines Heluetiorum & Allobrogum, qui nuper Populo R. pacati erát, Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. extremum opidum Allobrogũ est, proximumque Heluetiorũ finibus Geneua. ex eo opido pons ad Heluetios pertinet. Allobrogibus sese vel persuasuros, quod nondum bono animo in Populum R. viderentur, existimabat, vel vi coacturos, vt per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicũt, qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant. is dies erat, ad v. Kal. April. L. Pisone, A. Gabinio coss. Cæsari cùm id nunciatum esset, eos per prouinciã nostrã iter facere conati, maturat ab Vrbe proficisci: &, quàm maximis itineribus potest, in Galliam vlteriorem contendit, & ad Geneuã peruenit: prouinciæ toti quàm maximum potest militum numerum imperat. erat omnino in Gallia vlteriore legio vna. põtẽ, qui erat ad Geneuã, iubet rescindi. Vbi de eius aduentu Heluetij certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos ciuitatis, cuius Legationis Numeius: & Verodoctius principem locum obtinebant, qui dicerẽt, sibi esse in animo, sine vllo maleficio iter per prouinciam facere, propterea quod iter haberent nullũ aliud: rogare, vt eius volũtate id sibi facere liceat. Cęsar, quod memoria tenebat, L. Cassiũ Consulẽ occisũ, exercitumq. eius ab Heluetiis pulsum, & sub iugũ missum, cõcedẽdum non putabat, neq. homines inimico animo, data facultate per prouinciam itineris faciundi, temperaturos ab iniuria & maleficio existimabat tamen, vt spatium intercedere posset, dum milites, quos imperauerat, conuenirent, Legatis respõdit, diẽ se ad deliberandum sumpturũ, si quid vellent, ad idus Apr. reuerterentur. Interea ea legione, quã secum habebat, militibusq., qui ex prouincia conuenerant, à lacu Lemano, qui in flumen Rhodanũ influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorũ ab Heluetiis diuidit, millia passuum decẽ nouẽ, murum, in altitudinem pedũ sexdecim, fossamq. perducit: eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit, quo facilius, si se inuito transire conarentur, prohiberi possent. Vbi ea dies, quam constituerat cum Legatis, venit, & Legati ad eũ reuerterunt, negat se more, & exemplo populi R. posse iter vlli per prouinciam dare, &, si vim facere conentur, prohibiturũ ostendit. Heluetij, ea spe deiecti, nauib. iunctis, ratibusq. cõplurib. factis alij, alij, vadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, sæpius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione, & militum concursu, & telis repulsi, hoc conatu destiterunt. Relinquebatur vna per Sequanos via, qua, Sequanis inuitis, propter angustias ire non poterant. his cum sua sponte persuadere non possent, Legatos ad Dumnorigem Aeduum mittunt, vt eo deprecatore à Sequanis hoc impetrarent. Dumnorix gratia, & largitione apud Sequanos plurimum poterat, & Heluetiis erat amicus: quòd ex ea ciuitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, & cupiditate regni adductus, nouis reb. studebat, & quamplurimas ciuitates suo sibi beneficio habere obstrictas volebat: itaque rem suscipit: & à

A Sequanis impetrat, vt per fines suos Heluetios ire patiantur: obsidésq. vti inter sese dent, perficit. Sequani, ne itinere Heluetios prohibeant: Heluetij, vt sine maleficio, & iniuria transeant. Cæsari nunciatur, Heluetiis esse in animo per agrum Sequanorum, & Aeduorum iter in Santonum fines facere, qui non longè à Tholosatium finibus absunt: quæ ciuitas est in prouincia. id si fieret, intelligebat magno cum prouinciæ periculo futurum, vt homines bellicosos, Populi R. inimicos, locis patentibus, maximéq. frumẽtariis finitimos haberet.
B Ob eas caussas ei munitioni, quam fecerat, T. Labienum legatum præfecit. ipse in Italiam magnis itineribus contendit: duasq. ibi legiones conscribit: & tres, quæ circum Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit, &, quà proximum erat iter, per Alpes in vlteriorem Galliam cum his quinq. legionibus ire contendit. ibi Centrones, & Garoceli, & Caturiges, locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his
C prœliis pulsis, ab Ocelo, quod est citerioris prouinciæ extremum, in fines Vocontiorum vlterioris prouinciæ die septimo peruenit: inde in Allobrogũ fines, ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum ducit. hi sunt extra prouinciam trans Rhodanum primi. Heluetij iam per angustias, & fines Sequanorum suas copias transduxerant, & in Aeduorum fines peruenerant, eorumq. agros populabantur. Aedui cùm se, suaq. ab his defendere nõ possent, Legatos ad Cæsarem mittunt rogatum
D auxilium: ita se omni tempore de populo R. meritos esse, vt pæne in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi eorum in seruitutẽ abduci, opida expugnari non debuerint. Eodẽ tempore, quo Aedui, Ambarri quoq., necessarij & consanguinei Aeduorum, Cæsarem certiorem faciunt, sese, depopulatis agris, non facilè ab opidis vim hostium prohibere, item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos, possessionésq. habebant, fuga se ad Cæsarem recipiunt, & demonstrant, sibi, præter agri solum,
E nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Cæsar, non expectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorum consumptis, in Santones Heluetij peruenirent. Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum, & Sequanorum in Rhodanũ influit incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudicari nõ possit. id Heluetij ratibus, ac lintribus iunctis transibant. vbi per exploratores Cæsaris certior factus est, tres iam copiarum partes Heluetios id flumen traduxisse, quartam verò partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia
F vigilia cum legionibus trib. è castris profectus, ad eam partẽ peruenit, quæ nondum flumen transierat, eos impeditos, & inopinãtes aggressus, magnã partem eorum concidit, reliqui sese fugæ mandarunt, atq. in proximas siluas abdiderunt. [illegible] appellabatur Tigurinus. nam omnis ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est. hic pagus vnus, cùm domo exisset, patrum nostrorũ memoria, L. Cassium Consulẽ interfecerat, & eius exercitũ sub
G iugum miserat. ita, siue casu, siue consilio deorum immortalium, quæ pars ciuitatis Heluetiæ insignẽ calamitatem Populo R. intulerat, ea princeps pœnas persoluit. qua in re Cæsar nõ solùm publicas, sed etiam priuatas iniurias vltus est: quòd eius soceri L. Pisonis auum, L. Pisone legatum, Tigurini eodẽ prœlio, quo Cassium, interfecerãt. Hoc prœlio facto, reliquas copias Heluetiorum vt consequi posset, põtẽ in Arare faciendum curat: atq. ita exercitum

citum transducit. Heluetij, repentino eius aduẽtu commoti, cùm id, quod ipsi diebus xx. ægerrimè confecerant, vt flumen transirent, illum vno die fecisse intelligerent, legatos ad eum mittunt: cuius legationi Diuico princeps fuit, qui bello Cassiano dux Heluetiorum fuerat. is ita cum Cæsare egit: Si pacem populus R. cum Heluetiis faceret, in eam partem ituros, atq; ibi futuros Heluetios, vbi eos Cæsar constituisset, atque esse voluisset; si bello persequi perseueraret, reminisceretur & veteris incommodi populi R. & pristinæ virtutis Heluetiorũ: quòd improuiso vnum pagũ adortus esset, cùm ij qui flumẽ trãsissent suis auxilium ferre non possent, ne, ob eam rem, aut suæ magnopere virtuti tribueret, aut ipsos despiceret: se ita à patribus maioribúsq; suis didicisse, vt magis virtute, quàm dolo, cõtenderẽt, aut insidiis niterentur: quare, ne cõmitteret, vt is locus, vbi constitissent, ex calamitate populi R. & internecione exercitus nomen caperet, ac memoriã proderet. His Cæsar ita respondit: Eò sibi minus dubitationis dati, quòd eas res, quas legati Heluetij commemorassent, memoria teneret: atq; eo grauius ferre, quo minus merito populi Romani accidisset: qui si alicuius iniuriæ sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cauere: sed eo deceptum, quòd neq; cõmissum à se intelligeret, quare timeret, neq., sine caussa timẽdũ, putaret: quòd si veteris cõtumeliæ obliuisci vellet, num etiam recentium iniuriarũ, quòd, eo inuito, iter per prouinciã per vim tẽtassent, quòd Æduos, quòd Ambarros, quòd Allobroges vexassẽt, memoriã deponere posset? quòd sua victoria tã insolenter gloriarentur, quódq. se tam diu impunè tulisse iniurias admirarentur, eòdem pertinere: consuesse enim deos immortales, quo grauius homines ex commutatione rerũ doleãt, quos pro scelere eorũ vlcisci velint, his secũdiores interdum res, & diuturniorẽ impunitatẽ cõcedere. Cùm ea ita sint, tamen si obsides ab iis sibi dentur, vti ea quę polliceãtur, facturos intelligat, & si Æduis de iniuriis, quas ipsis, sociisq eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum iis pacem esse facturum. Diuico respõdit: Ita Heluetios à maiorib' suis institutos esse, vti obsides accipere, nõ dare, cõsueuerint: eius rei populum R. esse testẽ. Hoc responso dato, discessit. Postero die castra ex eo loco mouent: idem Cęsar facit, equitatumque omnẽ, ad numerum quatuor millium, quem ex omni prouincia, & Æduis, atq. eorum sociis coactum habebat, præmittit, qui videãt quas in partes hostes iter faciãt, qui cupidius nouissimum agmẽ insecuti, alieno loco cũ equitatu Heluetiorum prœlium committunt, & pauci de nostris cadunt. quo prœlio sublati Heluetij, quòd quingentis equitibus tãtam multitudinem equitũ propulerant, audacius subsistere, nonnunquã ex nouissimo agmine prœlio nostros lacessere cœperũt. Cęsar suos à prœlio cõtinebat, ac satis habebat in pręsentia, hostẽ rapinis, populationibusq. prohibere. ita dies circiter quindecim iter fecerũt, vti inter nouissimũ hostium agmẽ, & nostrũ primum non amplius quinis, aut senis millibus passuũ interesset. Interim quotidie Cæsar, Æduos frumentũ, quod essent publicè polliciti, flagitare. nam propter frigora, quòd Gallia sub Septẽtrionib', vt antè dictũ est, posita est, nõ modo frumenta in agris matura nõ erãt, sed ne pabuli quidẽ satis magna copia suppetebat: eo autẽ frumẽto quod flumine Arare nauib. subuexerat, propterea

A minus vti poterat, quod iter ab Arare Heluetiam auerterãt: à quibus discedere nolebat. Diẽ ex die ducere Ædui; conferri, comportari, adesse, dicere. Vbi se diutius duci intellexit Cęsar, & diẽ instare, quo die frumentũ militibus metiri oporteret, cõuocatis eorũ principibus, quorum magnã copiã in castris habebat, in his Diuitiaco, & Lisco, qui summo magistratui præerat, (quem Vergobretũ appellant Ædui, qui creatur annus, & vitæ, necisq. in suos habet potestatem) grauiter eos accusat, quòd, cùm neq. emi neq. ex agris sumi posset, tã

B necessario tẽpore, tã propinquis hostib., ab iis nõ subleuetur, præsertim cùm magna ex parte: eorũ precibus adductus, bellum susceperit: multo etiã grauius, quòd sit destitutus queritur. Tum demũ Liscus oratione Cęsaris adductus, quod antea tacuerat, proponit esse nonnullos, quorũ auctoritas apud Plebẽ plurimũ valeat, qui priuati plus possint, quam ipsi magistratus; hos seditiosa, atq. improba oratione multitudinem deterrere, ne fru-

C mentum conferant, quod præstare dicant, si iam principatum Galliæ obtinere non possent. Gallorum, quam R. imperia perferre, neq. dubitare debeant, quin, si Heluetios superauerint R. vnà cum reliqua Gallia Æduis libertatem sint erepturi: ab iisdem nostra consilia, quæq. in castris gerantur, hostib. enunciari: hos à se coerceri nõ posse: quin etiam, quod necessariam rem coactus Cęsari enũciarit, intelligere sese, quãto id cum periculo fecerit, & ob eã caussã, quàm diu potuerit, tacuisse.

D Cęsar hac oratione Lisci Dumnorigem Diuitiaci fratrem, designari sentiebat: sed, quòd plurib. præsentibus eas res iactari nolebat, celeriter conciliũ dimittit, Liscum retinet, quærit ex solo ea, quę in conuentu dixerat. dicit liberius, atq. audacius. eadem secretò ab aliis quærit: reperit esse vera: ipsũ esse Dumnorigẽ, sũma audacia, magna apud plebem, propter liberalitatẽ, gratia, cupidũ nouarum rerum, cõplures annos portoria, reliquaq. omnia Æduorum vectigalia paruo pretio redempta ha-

E bere: propterea quòd, illo licẽte, contra liceri audeat nemo: his rebus & suam rem familiarem auxisse, & facultates ad largiẽdum magnas comparasse: magnum numerũ equitatus suo sumptu sẽper alere, & circum se habere: neq. solùm domi, sed etiam apud finitimas ciuitates largiter posse: atq, huius potentiæ caussa matrẽ in Biturigibus homini illic nobilissimo, ac potentissimo, collocasse. ipsum ex Heluetiis vxorem habere: sororẽ ex matre, & propinquas suas nuptum in alias ciui-

F tates collocasse: fauere, & cupere Heluetiis. propter eam affinitatẽ: odisse etiã suo nomine Cęsarẽ & Romanos: quòd eorum aduentu potentia eius sit diminuta, & Diuitiacus frater in antiquũ locũ gratiæ, atque honoris, sit restitutus: si quid accidat Romanis, sũmam in spe regni obtinendi per Heluetios venire: imperio Populi Romani non modò de Regno, sed etiã de ea, quam habeat, gratia desperare. Reperiebat etiam Cæsar, inquirẽdo, quòd initium fugę prœlij equestris aduersi paucis antè

G diebus à Dumnorige, atq. eius equitib. factũ esset: (nã equitatui, quem auxilio Cæsari Ædui miserãt, Dumnorix pręerat) eorúmque fuga reliquum esse equitatum perterritum. Quibus rebus cognitis, cũ ad has suspiciones certissimæ res accederent, quòd per fines Sequanorum Heluetios traduxisset, quòd obsides inter eos dandos curasset: quòd ea omnia nõ modò iniussu suo, & ciuitatis, sed etiam inscientibus ipsis fecisset, quòd à ma-

gistratu Æduorum accusaretur, satis esse caussæ arbitrabatur: quare in eum aut ipse animaduerteret, aut ciuitatem animaduertere iuberet. His omnibus rebus vnum repugnabat, quòd Diuitiaci fratris summum in populum R. studium, summá in se voluntatem, egregiam fidem, iustitiam, temperantiam cognouerat. nám, ne eius supplicio Diuitiaci animum offenderet, verebatur. itaq;, prius quàm quidquam conaretur: Diuitiacũ ad se vocari iubet, & quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Procillum principem Galliæ prouinciæ, familiarem suum, cui summam rerum omniũ fidem habebat, cũ eo colloquitur: simul cómonefacit, quę ipso præsente cõcilio Gallorum de Dũnorige sint dicta: & ostendit, quæ separatim quisque de eo apud se dixerit: petit, atque hortatur, vt sine eius offensione animi, vel ipse de eo, caussa cognita, statuat, vel ciuitatem statuere iubeat. Diuitiacus, multis eum lacrymis cæsarem complexus, obsecrare cœpit, ne quid grauius in fratrem statueret: scire se, illa esse vera: nec quemquam ex eó plus quàm se, doloris capere: propterea quòd, cum ipse gratia plurimum domi, atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adolescentiã posset, per se creuisset. quibus opib. ac neruis non solum ad minuendam gratiam, sed pænè ad perniciem suam vteretur: sese tamen & amore fraterno, & existimatione vulgi commoueri: quòd si quid ei à cæsare grauius accidisset, cum ipse eum locum amicitię apud eum teneret, neminem existimaturũ non sua voluntate factum. qua ex re futurum, vti totius Galliæ animi à se auerterentur. Hæc eum pluribus verbis flens à Cæsare peteret, Cæsar eius dexteram prehendit: consolatus, rogat, finem orandi faciat: tanti eius apud se gratiá esse ostẽdit, vti & Reipublicæ iniuriam, & suum dolorem eius voluntati ac precibus condonet, Dumnorigé ad se vocat, fratré adhibet: quæ in eo reprehendat, ostendit. quæ ipse intelligat, quæ ciuitas queratur proponit: monet, vt in reliquũ tépus omnes suspiciones vitet: præterita se Diuitiaco fratri condonare dicit. Dũnorigi custodes ponit: vt, quæ agat, quibuscũ loquatur scire possit. Eodẽ die ab exploratoribus certior factus, hostes sub monté consedisse, millia passuũ ab ipsius castris octo, qualis esset natura montis, & qualis in circuitu adscensus, qui cognoscerent, misit. renunciatũ est, facilẽ esse. de tertia vigilia T. Labienũ legatũ proprętore cũ duabus legionibus, & iisdem ducibus, qui iter cognouerãt, summum iugum montis adscendere iubet, quid sui consilij sit, ostẽdit. ipse de quarta vigilia eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit, equitatumque omnem antè mittit. P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur, & in exercitu L. Syllæ, & postea in M. crassi fuerat, cũ exploratorib. pręmittitur. prima luce, cum summus mõs à T. Labieno teneretur. ipse ab hostium castris nõ longius mille & quingẽtis passibus abesset. neq. vt postea ex captiuis cõperit, aut ipsius aduentus, aut Labieni cognitus esset. Considius, equo admisso, ad eum accurrit: dicit, mõtem, quem à Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri, id se à gallicis armis, atque insignibus cognouisse. cæsar suas copias in proximum collem subducit: aciem instruit. Labienus, vt erat ei præceptum à cæsare, ne prœlium committeret, nisi ipsius copiæ prope hostium castra visæ essent, vt vndique vno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato, nostros expectabat, prœlioque abstinebat.

A multo denique die per exploratores cæsar cognouit, & montem à suis teneri, & Heluetios castra mouisse, & Considium, timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renunciasse, eo die quo consuerat, interuallo hostes sequitur, & millia passuum tria ab eorũ castris castra ponit. postridie eius diei, quòd omnino biduũ supererat, cùm exercitui frumentum metiri oporteret, & quod à Bibracte, opido æduorum longè maximo ac copiosissimo, non amplius millibus passuũ XVIII. aberat: rei frumentariæ prospiciendum existimauit,
B & iter ab Heluetiis auertit, ac Bibracte ire cõtẽdit. ea res per fugitiuos L. æmilij, Decurionis equitũ Gallorum, hostibus nunciatur. Heluetij seu quòd timore perterritos Romanos discedere à se existimarent, eò magis, quòd pridie, superioribus locis occupatis, prœlium non cõmisissent, siue eò quòd re frumentaria intercludi posse cõfiderent, commutato consilio, atq. itinere conuerso, nostros à nouissimo agmine insequi, ac lacessere cœperũt. Post
C quã id animaduertit, copias suas cæsar in proximũ collem subducit, equitatumq., qui sustineret hostium impetum, misit. ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarũ, ita, vti supra se in sũmo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proximè conscripserat, & omnia auxilia collocarit, ac totum montem hominibus compleret. interea, sarcinas in vnum locum conferri, & eum ab iis, qui in superiore acie constiterant, muniri iussit. Heluetij, cum
D omnibus suis carris secuti, impedimenta in vnum locum contulerunt: ipsi confertissima acie, reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt. cæsar, primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, vt, æquato omnium periculo, spé fugę tolleret, cohortatus suos, prœlium cõmisit, milites, è loco superiore pilis missis, facilè hostiũ phalangé perfregerunt. ea disiecta, gladiis districtis in eos impetum fecerũt. Gallis magno ad pugnã erat impedimento
E quòd, plurib' eorũ scutis vno ictu pilorum transfixis, & colligatis, cũ ferrũ se inflexisset, neq. euellere, neq. sinistra impedita, satis cómodè pugnare poterãt, multi vt, diu iactato brachio, præoptarent scutum manu emittere, & nudo corpore pugnare. Tandè, vulneribus defessi, & pedé referre, & quod mõs suberat circiter ctɔ. passuũ eò se recipere cœperunt. Capto mõte, & succedẽtib. nostris, Boij, & Tulingi, qui hominũ millibus circiter XV. agmen hostiũ claudebant, & nouissimis præsidio erant, ex
F itinere nostros latere aperto aggressi, circũuenire. & id cõspicati Heluetij, qui mõté sese receperant, rursus instare, & prœlium redintegrare cœperunt. Romani cõuersa signa tripartitò intulerũt. prima ac secunda acies, vt victis, ac submotis resisteret, tertia, vt venientes sustineret. ita ancipiti prœlio, diu, atque acriter pugnatum est. diutius cùm nostrorũ impetũ sustinere nõ possent: alteri se, vt cœperant, in mõté receperũt: alteri ad impedimenta, & carros suos, se contulerunt. nam hoc toto prœlio, cùm ab hora septima ad vesperam pugna-
G tum sit, auersum hostem videre nemo potuit. ad multã noctem etiam ad impedimenta pugnatum est: proptèrea quod pro vallo carros obiecerant. & è loco superiore in nostros venientes tela cõiiciebant, & nonnulli inter carros, rotásque, mataras ac tragulas subiiciebant, nostrósque vulnerabant. diu cum esset pugnatum, impedimentis castrisque nostri potiti sunt. ibi Orgetorigis filia, atque

vnus

vnus è filiis captus est. ex eo prœlio circiter millia hominum cxxx. superfuerunt: eáq; tota nocte continenter ierunt: in nullam partê noctis itinere intermisso, in fines Lingonum die iv. peruenerunt; cùm, & propter vulnera militum, & propter sepulturam occisorum, nostri, triduum morati, eos sequi non potuissent. Cæsar ad Lingones literas, nunciosque misit, ne eos frumêto neve alia re iuuarent: qui si iuuissent, se eodem loco illos, quo Heluetios, habiturum. ipse, triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit. Heluetij, omniû rerum inopia adducti, legatos de deditione ad eum miserunt: qui cùm eum in itinere conuenissent, séque ad pedes proiecissent: suppliciterque locuti flentes pacem petiissent, atq; eos in eo loco, quo tum essent, suum aduentum expectare iussisset, paruerunt. Eò postquam Cæsar peruenit, obsides, arma, seruos, qui ad eos perfugissent, poposcit. dum ea conquiruntur, & conferuntur, nocte intermissa, circiter hominum millia vi. eius pagi, qui Verbigenus appellatur, siue timore perterriti, ne armis traditis, supplicio afficerentur, siue spe salutis inducti, quod, in tanta multitudine dediticiorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarent, prima nocte, ex castris Heluetiorum egressi, ad Rhenum, finésque Germanorum, contenderunt. quod vbi Cæsar resciuit; quorum per fines ierant, his, vti conquirerêt, & reducerent, si sibi purgati esse vellent, imperauit: reductos in hostium numero habuit: reliquos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionê accepit: Heluetios, Tulingos, Latobrigos in fines suos, vnde erât profecti, reuerti iussit: & quod, omnibus frugibus amissis, domi nihil erat, quo famê tolerarent, Allobrogibus imperauit, vt his frumenti copiá facerent: ipsos opida, vicosque quos incenderant, restituere iussit. id ea maximè ratione fecit, quòd noluit eum locum, vnde Heluetij discesserât, vacare: ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, è suis finibus in Heluetiorum fines transirêt, & finitimi Galliæ Prouinciæ, Allobrogibúsq; essêt. Boios, petentibus Æduis, quòd egregia virtute erant cogniti, vt in finibus suis collocaret, côcessit, quibus illi agros dederût: eosque postea in parem iuris, libertatísque conditionem, atque ipsi erant, acceperunt. In castris Heluetiorum tabulæ repertæ sunt literis Græcis confectæ, & ad Cæsarem perlatæ, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, & item separatim pueri, senes, mulierésque. quarum omnium rerum summa erat, capitum Heluetiorum millia cclxiii. Tulingorum millia xxxvi. Latobrigorum xiv. Rauracorum xxiii. Boiorum xxxii. ex his, qui arma ferre possêt, ad millia xcii. sûma omniû fuerût ad millia ccclxviii. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, vt Cæsar imperauerat, repertus est numerus millium c. & x. Bello Heluetiorum côfecto, totius fere Galliæ legati, principes ciuitatum, ad Cæsarem gratulatû conuenerunt: intelligere sese, tametsi pro veteribus Heluetiorum iniuriis populus R. ab iis pœnas bello repetisset, tamen eam rem non minus ex vsu terræ Galliæ, quàm Populi Romani accidisse: propterea quod eo consilio, florentissimis rebus, domos suas Heluetij reliquissent, vt toti Galliæ bellum inferrent, imperioque potirentur, locúmque domicilio ex magna copia deligerent, quem ex omni Gallia opportunissimum,

A ac fructuosissimum iudicassent, reliquásque ciuitates stipendiarias haberent. petierunt, vti sibi côcilium totius Galliæ in diem certam indicere, idque Cæsaris voluntate facere liceret: sese habere quasdam res, quas è cômuni côsensu ab eo petere vellent. ea re permissa, diem concilio côstituerunt, & iureiurâdo, ne quis enunciaret, nisi, quibus cômuni consilio mandatum esset, inter se sanxerût. Eo côsilio dimisso, iidem principes ciuitatum, qui antè fuerât ad Cæsarem reuerterûr. petierûntque,

B vti sibi secretò, & in occulto de sua, omniumque salute cum eo agere liceret. ea re impetrata, sese omnes flentes Cæsari ad pedes proiecerunt: non minus se id contendere, & laborare, ne ea, quę dixissent, enunciarentur, quàm vti ea, quæ vellent, impetrarent, propterea quòd, si enunciatum esset, summum in cruciatû se venturos viderent. Locutus est pro his Diuitiacus Æduus: Galliæ totius factiones esse duas: harû alterius principatum tenere Æduos, alterius Aruernos: hi cùm tantopere de

C potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse, vti ab Aruernis, Sequanísque Germani mercede accerserentur, horû primo circiter millia xv. Rhenum transisse: posteaquàm agros & cultû, & copias Gallorum homines feri, ac barbari adamasset, transductos plures: nunc esse in Gallia ad c. & xx. millium numerum: cum his Æduos, eorumque clientes semel, atque iterum armis côtêdisse, magnam calamitatem pulsos accepisse, omnê nobilitatem, omnem senatû, omnê equitatum ami-

D sisse: quibus prœliis calamitatibúsque fractos, qui & sua virtute, & populi R. hospitio, atque amicitia plurimum antè in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos ciuitatis, & iureiurando ciuitatem obstringere, sese neque obsides repetituros, neque auxilium à populo R. imploraturos neque recusaturos, quo minus perpetuò sub illorum ditione, atque imperio essent: vnum se esse, ex omni ciuitate Æduorum, qui adduci non potuerit, vt iuraret, aut suos liberos ob-

E sides daret: ob eam rem se ex ciuitate profugisse, & Romam ad senatum venisse, auxilium postulatum, quòd solus neque iureiurando, neque obsidibus teneretur: sed peius victoribus Sequanis, quàm Æduis victis, accidisse: propterea quòd Ariouistus, rex Germanorum, in eorum finibus consedisset, tertiámque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliæ, occupasset, & nûc de altera parte tertia Sequanos decedere iuberet, propterea quòd, paucis mensibus ante, Harudum millia

F hominum xxiv. ad eum venissent: quibus locus ac sedes pararentur futurum esse paucis annis, vti omnes è Galliæ finibus pellerentur, atque omnes Germani Rhenum transirent: neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victus cum illa comparandam. Ariouistum autem, vt semel Gallorum copias prœlio vicerit, quod prœlium factum sit Amagetobriæ, superbè, & crudeliter imperare, obsides nobilissimi cuiusque liberos

G poscere, & in eos omnia exempla cruciatus edere, si qua res non ad nutum, aut ad voluntatem eius facta sit. hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse eius imperia diutius sustineri: nisi quid in Cæsare, populoque Romano sit auxilij, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Heluetij fecerunt, vt domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes, remotas à Germanis, petant, fortunámque, quæcunque

accidat, experiantur, hæc si enunciata Ariouisto sint, nõ dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, grauissimum suppliciũ sumat; Cæsarem vel auctoritate sua, atque exercitus, vel recenti victoria, vel nomine populi Rom. deterrere posse, ne maior multitudo Germanorum Rhenũ träsducatur, Galliámque omnem ab Ariouisti iniuria posse defendere. Hac oratione Diuitiaco habita, omnes, qui aderant, magno fletu auxilium à Cæsare petere cœperunt. animaduertit Cæsar, vnos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas ceteri facerent, sed tristes, capite demisso, terram intueri. eius rei quæ caussa esset, miratus ex ipsis quæsiuit. nihil Sequani respondere, sed in eadẽ tristitia taciti permanere. cùm ab iis sæpius quæreret, neque vllam omnino vocem exprimere posset, idem Diuitiacus Æduus respondit; hoc esse miseriorem & grauiorem fortunam Sequanorum, quàm reliquorũ, quod soli nec in occulto quidẽ queri, nec auxilium implorare auderent, absentisque Ariouisti crudelitatem, velut si coràm adesset, horrerent: propterea quòd reliquis tamen fugæ facultas daretur, Sequanis verò, qui intra fines suos Ariouistum recepissent, quorum opida omnia in potestate eius essent, omnes cruciatus essent perferendi. His rebus cognitis, Cæsar Gallorum animos verbis confirmauit, pollicitusque est, sibi eam rem curæ futuram: magnam se habere spem, & beneficio suo, & auctoritate adductum Ariouistum, finem iniuriis facturum. Hac oratione habita, concilium dimisit. & secundũ ea multæ res eũ hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam, & suscipiendam putaret, in primis, quòd Æduos, fratres, cõsanguineósque sæpenumero ab senatu appellatos, in seruitute atq. in ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obsides esse apud Ariouistum, ac Sequanos intelligebat, quod in tanto imperio populi R. turpissimum sibi, & reip. esse arbitrabatur. paulatim autem Germanos consuescere Rhenum transire, & in Galliam magnam eorum multitudinem venire populo Ro. periculosum videbat: neque, sibi homines feros, ac barbaros obtemperaturos existimabat, quin cùm omnẽ Galliam occupassent, vt ante Cimbri, Teutonique fecissent in prouinciam exirent, atque inde in Italiá contenderent, præsertim cùm Sequanos à prouincia nostra Rhodanus diuideret. quibus rebus quammaturrimè occurrendũ putabat, ipse autem Ariouistus tantos sibi spiritus, tantá arrogátiá sumpserat, vt ferendus non videretur. quamobrem placuit ei, vt ad Ariouistum legatos mitteret, qui ab eo postularent, vt aliquem locum medium vtriusque colloquio deligeret. velle sese de rep. & summis vtriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariouistus respondit, si quid ipsi à Cæsare opus esset, sese ad eùm venturum fuisse, si quid ille se velit, illum ad se venire oportere: præterea, se neque sine exercitu in eas partes Galliæ venire audere, quas Cæsar possideret, neque exercitum sine magno commeatu, atque emolumento in vnũ locum contrahere posse: sibi autem mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Cęsari, aut omnino populo Romano negotij esset. His responsis ad Cæsarem relatis, iterum ad eum Cæsar legatos cum his mandatis mittit: quoniam tãto suo populíque R. beneficio affectus, cùm in cõsulatu suo rex, atque amicus à senatu appellatus esset, hanc sibi populóque R. gratiam referret, vt in colloquium venire inuitatus grauaretur, neque,

A de communi re dicendum sibi, & cognoscendum putaret, hæc esse, quæ ab eo postularet: primum, ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam trãsduceret: deinde, obsides, quos haberet ab Æduis, redderet, Sequanísq. permitteret, vt quos illi haberent, voluntate eius reddere illis liceret, néve Æduos iniuria lacesseret, néve his, sociisque eorum bellum inferret. si id ita fecisset, sibi, populoque R. perpetuam gratiam, atque amicitiam cum eo futuram: si non impetraret, quoniam M. Messala, L. Pisone coss. senatus cẽ-
B suisset, vti, quicumque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo reipublicæ facere posset, Æduos, ceterosque amicos populi R. defenderet, se Æduorum iniurias non neglecturum. Ad hæc Ariouistus respondit: Ius esse belli, vt, qui vicissent, quemadmodum vellent, imperarent: item populum R. victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse: si ipse populo R. non præscriberet, quemadmodum suo iu-
C re vteretur, non oportere se à populo R. in suo iure impediri: Æduos sibi, quoniam belli fortunam tentassent & armis congressi, ac superati essent, stipendiarios esse factos: magnam Cæsarem iniuriã facere, qui suo aduentu vectigalia sibi deteriora faceret: Æduis se obsides redditurum non esse, neque iis, neque eorum sociis iniuria bellum illaturum, si in eo manerent, quod conuenissent stipendiumque quotannis penderent: si id non fecissent, longè ab iis fraternũ nomẽ populi R. abfuturum,
D quod sibi Cæsar denunciaret, se Æduorũ iniurias non neglecturũ, neminẽ secum sine sua pernicie contendisse, cùm vellet, congrederetur: intellecturum quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intra annos XIV. tectum non subissent, virtute possent. Hæc eodem tempore Cæsaris mandata referebantur: & legati ab Æduis, & Treuiris veniebant: Ædui questum, quòd Harudes, qui nuper in Galliam trãsportati essent, fines eorum popularentur: se ne obsidib. quidem datis pacẽ Ario-
E uisti redimere potuisse: Treuiri autem pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni consedisse: qui Rhenum transire conarentur: iis præesse Nasuam, & Cimberium fratres, quibus rebus Cæsar vehemẽter commotus, maturandum sibi existimauit, ne, si noua manus Sueuorum cum veteribus copiis Ariouisti sese coniunxisset, minus facile resisti posset. itaque, re frumentaria, quàm celerrimè potuit, comparata, magnis itineribus ad Ariouistum contendit. Cùm tridui viam processisset, nũ-
F ciatum est ei Ariouistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est opidum maximum Sequanorum, contendere, triduique viam à suis finib. processisse, id ne accideret, magnopere præcauendum sibi Cæsar existimabat. namque omnium rerum, quæ ad bellum vsui erant, summa erat in eo opido facultas: idque natura loci sic muniebatur, vt magnam ad ducendum bellum daret facultatẽ: propterea quòd flumẽ Alduabis, vt circino circumductũ, pæne totũ opidũ
G cingit: reliquũ spatiũ, quod nõ est amplius pedum DC. qua flumen intermittit, mons cõtinet magna altitudine, ita vt radices eius montis ex vtraque parte ripæ fluminis contingant. hunc murus circumdatus arcem efficit, & cum opido coniungit. huc Cæsar magnis diurnis, nocturnisque itineribus contendit: occupatóque opido, ibi præsidium collocat. dum paucos dies ad Vesontionem, rei frumentariæ commeatusque caussa.

caussa. moratur, ex percunctatione nostrorum, A
vocibusque Gallorum, ac mercatorum, qui in-
genti magnitudine corporum Germanos, incre-
dibili virtute, atque exercitatione in armis esse
prædicabant, sæpenumero sese cum iis congressos
ne vultum quidem, atque aciem oculorum dice-
bant ferre potuisse: tantus subito timor omnem
exercitum occupauit, vt nõ mediocriter omnium
mentes, animosque perturbaret. hic primum or-
tus est à tribunis militum, ab præfectis, reliquis-
que, qui ex Vrbe amicitiæ caussa, Cæsarem secu- B
ti, magnum periculum miserabantur, quòd
non magnum in re militari vsum habebant. quo-
rum alius, alia caussa illata, quam sibi ad profici-
scendum necessariam esse diceret, petebat, vt eius
voluntate discedere liceret. nonnulli pudore ad-
ducti, vt timoris suspicionem vitarent, remane-
bant. hi neque vultum fingere, neque interdum
lacrymas tenere poterant: abditi in tabernaculis
aut suum fatum querebantur, aut cum familiari-
bus suis cõmune periculum miserabantur: vulgò C
totis castris testamenta obsignabantur. horũ voci-
bus, ac timore paulatim etiam ij, qui magnum in
castris vsum habebant, milites centurionésque,
quique equitatui præerant, perturbabantur. qui
se ex his minus timidos existimari volebant, non
se hostem vereri, sed angustias itineris, & magni-
tudinem siluarum, quæ inter eos atque Ariouistũ
intercederent, aut rem frumentariam, vt satis cõ-
modè supportari posset, timere dicebant. nonnul-
li etiam Cæsari renunciabant, cùm castra moue- D
ri, ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes
milites, neque propter timorẽ signa laturos. Hæc
cùm animaduertisset Cæsar, conuocato concilio,
omniúmque ordinum ad id concilium adhibitis
cẽturionibus, vehemẽter eos incusauit: primùm,
quòd aut quam in partem, aut, quo consilio duce-
rentur, sibi quærendũ, aut cogitandum putarent:
Ariouistum, se consule, cupidissimè populi Ro. a-
micitiam appetisse, cur hunc tam temere quisquã
ab officio discessurum iudicaret? sibi quidem per- E
suaderi cognitis suis postulatis, atq. æquitate con-
ditionum perspecta, eum neque suã, neque popu-
li R. gratiã repudiaturum, quòd si, furore, atque a-
mentia impulsus, bellum intulisset, quid tandem
vererentur? aut cur de sua virtute, aut de ipsius di-
ligentia desperarent? factum eius hostis periculũ
patrum nostrorum memoria, cùm Cimbris, &
Teutonis à C. Mario pulsis, nõ minorem laudem
exercitus, quàm ipse imperator, meritus esse vide-
batur: factum etiã nuper in Italia seruili tumultu,
quos tamen aliquis vsus ac disciplina, quam à no- F
bis accepissent, subleuaret: ex quo iudicari posset,
quãtum haberet in se boni Constantia propterea
quod quos aliquandiu inermes sine caussa timuis-
sẽt, hos postea armatos, ac victores superassent; de-
nique hos esse eosdem Germanos, quibuscum sæ-
penumero Heluetij cõgressi non solum in suis se-
dibus, sed etiã in illorũ finibus, plerumq. superas-
sent, qui tamen pares esse nostro exercitui nõ po-
tuerint: si quos aduersũ prælium, & fuga Gallorum
cõmoueret, hos si quærerent, reperiri posse, diutur- G
nitate belli defatigatis Gallis, Ariouistũ, cùm mul-
tos menses castris ac paludibus se cõtinuisset, ne-
que sui potestatẽ fecisset, desperantes iã de pugna,
& dispersos subitò adortũ, magis ratione ac consi-
lio, quàm virtute, vicisse: cui rationi contra homi-
nes barbaros atq. imperitos locus fuisset, hac ne i-
psum quidẽ sperare nostros exercitus capi posse:
qui suũ timorẽ in rei frumẽtariæ simulationẽ, an-
gustiásque itineris conferrent, facere arrogãter, cũ
aut de officio imperatoris desperare, aut ei præ-
scribere auderent. hæc sibi esse curæ: frumentũ, Se-
quanos, Leucos, Lingones subministrare: iámque
esse in agris frumẽta matura: de itinere ipsos bre-
ui tẽpore iudicaturos. quòd nõ fore dicto audien-
tes, neque signa laturi dicãtur, nihil se ea re com-
moueri: scire enim, Quibuscunq. exercitus dicto
audiens non fuerit, aut, malè re gesta, fortunã de-
fuisse, aut, aliquo facinore comperto, auaritiã esse
coniunctã: suam innocentiam perpetua vita, feli-
citatem Heluetiorum bello esse perspectam. ita-
que se quòd in longiorem diem collaturus esset,
repræsentaturum, & proxima nocte de quarta vi-
gilia castra moturum, vt quãprimum intelligere
posset, vtrum apud eos pudor, atq. officium, an ti-
mor plus valeret. quòd si præterea nemo sequatur,
tamẽ se cum sola decima legione iturum, de qua
non dubitaret. sibique eam prætoriam cohortem
futuram. Huic legioni Cæsar & indulserat præci-
puè, & propter virtutem confidebat maximè.
Hac oratione habita, mirum in modum conuersæ
sunt omnium mentes, summáque alacritas & cu-
piditas belli gerendi innata est. princépsque deci-
ma legio per tribunos mil. ei gratias egit, quòd
de se optimum iudicium fecisset. séque esse ad bel
lum gerendum paratissimam confirmauit. deinde,
reliquæ legiones per Tribunos mil. & primorum
ordinum centuriones egerunt, vti Cæsari satisfa-
cerent. se neque vnquam dubitasse, neque timuis-
se, neque de summa belli suum iudicium, sed Im-
peratoris, esse existimauisse. Eorum satisfactione
accepta, & itinere exquisito per Diuitiacum, quòd
ex aliis Gallis ei maximam fidem habebat, vt mil-
lium amplius quinquaginta circuitu locis apertis
exercitum duceret, de quarta vigilia, vti dixerat,
profectus est, septimo die, cùm iter nõ intermitte-
ret, ab exploratoribus certior factus est, Ariouisti
copias à nostris millibus passuũ quatuor & xx. ab-
esse. Cognito Cæsaris aduentu, Ariouistus lega-
tos ad eum mittit, quod antea de colloquio postu-
lasset, id per se fieri licere, quoniam propius acces-
sisset, seq. id sine periculo facere posse existimaret.
non respuit conditionẽ Cæsar: iámq. eum ad sani-
tatẽ reuerti arbitrabatur, cùm id, quod antea petẽ-
ti denegasset, vltro polliceretur: magnámq. in spẽ
veniebat, pro suis tãtis, populiq. R. in eum benefi-
ciis, cognitis suis postulatis, fore, vti pertinacia de-
sisteret. Dies colloquio dictus est, ex eo die quin-
tus. Interim, cùm sæpe vltro citróque legati inter
eos mitterentur, Ariouistus postulauit, ne quẽ pe-
ditẽ ad colloquium Cæsar adduceret: vereri se, ne
per insidias ab eo circũueniretur: vterq. cũ equita-
tu veniret: alia ratione se nõ esse vẽturum. Cæsar,
quòd nec colloquiũ, interposita caussa, tolli vole-
bat, neq. salutẽ suã Gallorum equitatui cõmittere
audebat, commodissimum esse statuit, omnibus e-
quis Gallis equitibus detractis, legionarios eò mi-
lites legionis decimæ, cui quàm maximè confide-
bat, imponere, vt præsidium quàm amicissimum,
si quid opus facto esset, haberet. quod cùm fieret,
non irridiculè quidam ex militibus decimæ le-
gionis dixit, plus, quàm pollicitus esset, Cæsarem
facere: pollicitũ esse in cohortis prætoriæ loco de-
cimam legionem habiturum: ad equum rescribe-
re. Planicies erat magna, & in ea tumulus ter-
reus satis grandis. hic locus æquo ferè spatio ab
castris vtrisque aberat. eò, vt erat dictum, ad-

colloquium venerunt. legionem Cæsar, quam equis devexerat, passibus ducentis ab eo tumulo constituit. item equites Ariouisti pari interuallo constiterunt. Ariouistus, vt ex equis colloquerentur, & præter se, denos vt ad colloquium adducerent, postulauit. vbi eò ventum est, Cæsar, initio orationis, sua, senatusque in eum beneficia commemorauit, quòd Rex appellatus esset à senatu, quòd amicus, quòd munera amplissimè missa, quam rē & paucis contigisse, & à Romanis pro maximis hominum officiis cōsueuisse tribui docebat. illū, cùm neque aditum, neque caussam postulandi iustam haberet, beneficio ac liberalitate sua, ac senatus, ea præmia consecutum. docebat etiam quàm veteres, quàmque iustæ caussæ necessitudinis ipsis cum Æduis intercederent; quæ senatusconsulta, quoties, quàmq. honorifica in eos facta essent, vt omni tempore totius Galliç principatū Ædui tenuissent, prius etiam, quàm nostram amicitiam appetissent: populi Ro. hanc esse consuetudinem, vt socios, atque amicos, nō modo sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores velit esse: quod verò ad amicitiam populi R. attulissent, id iis eripi, quis pati posset? postulauit deinde eadē, quæ legatis in mandatis dederat, ne aut Æduis, aut eorum sociis bellū inferret; obsides redderet; si nullam partem Germanorū domū remittere posset; at ne quos amplius Rhenum trāsire pateretur. Ariouistus ad postulata Cæsaris pauca respondit; de suis virtutibus multa prædicauit: transisse Rhenum sese, non sua sponte, sed rogatum, & accersitū à Gallis: non sine magna spe, magnisq; præmiis domū, propinquosque reliquisse: sedes habere in Gallia ab ipsis concessas, obsides ipsorū voluntate datos; stipendium capere iure belli: quod victores victis imponere consueuerint; non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse: omnes Galliæ ciuitates ad se oppugnandum venisse, ac cōtra se castra habuisse: eas omnes copias vno ab se prœlio fusas ac superatas esse; si iterum experiri velint, paratū se decertare: sin pacem malint, iniquū esse, de stipēdio recusare, quod sua volūtate ad id tēpus pependerint. amicitiam populi R. sibi ornamento, & præsidio, non detrimento, esse oportere, idq; se ea spe petisse. si per populum R. stipendium remittatur, & deditícij subtrahantur, non minus libenter sese recusaturū populi R. amicitiā, quàm appetierit. ꝙ multitudinem Germanorū in Galliā trāsducat, id se sui muniendi, non Galliç oppugnādæ caussa facere: eius rei testimoniū esse, quòd nisi rogatus, nō venerit. & quod bellū non intulerit, sed defenderit. si prius in Galliā venisse, quàm populū R. nunquā ante hoc tēpus exercitū populi R. Galliæ prouinciæ finibus egressū. quid sibi vellet, cur in suas possessiones veniret? Prouinciā suā esse hanc Galliā, si prosecuti illā nostrā concedi non oporteret, si in nostros fines impetū faceret, sic iterū nos esse iniquos, quod in suo iure se interpellaremus. Quòd ex S. C. Æduos appellatos Amicos diceret, non se tā barbarū, neq. tam imperitū esse rerū, vt non sciret, neq. bello Allobrogū proximo Æduos Romanis auxilium tulisse. neque ipsos, in his contentionibus, quas Ædui secū; & cum Sequanis habuissent, auxilio populi R. vsos esse. debere se suspicari simulata Cæsarum amicitia, quòd exercitū in Gallia habeat, sui opprimendi caussa habere: quòd nisi decedat, aut exercitum deducat ex his regionibus: sese illū non pro amico, sed pro hoste habiturum, quòd si eū interfecerit, multis sese

A nobilibus principibúsque populi Ro. gratum esse, facturum: id se ab ipsis per eorum nuncios compertum habere; quorum omnium gratiam, atque amicitiā eius morte redimere posset. quòd si discessisset, ac liberam sibi possessionem Galliæ tradidisset, magno se illum præmio remuneraturum, & quęcunque bella geri, si vellet, sine vllo eius labore, & periculo confecturum. Multa à Cæsare in eā sententiā dicta sunt, quare negotio desistere nō posset, neque suam, neque populi R. consuetudinem

B pati, vti optimè meritos socios desereret, neque se iudicare Galliam potius esse Ariouisti, quā populi R. bello superatos esse Aruernos, & Rutenos à Q. Fabio Maximo, quibus popul' R. ignouisset; neque in prouinciam redegisset; neq; stipēdium imposuisset. quòd si antiquissimū quodque tēpus spectari oporteret, populi R. iustissimū esse in Gallia imperium, si iudicium senatus seruari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello victam suis legibus vti voluisset. Dum hæc in col-

C loquio geruntur, Cæsari nunciatum est equites Ariouisti propius tumulū accedere; & ad nostros adequitare, lapides, teláque in nostros conijcere. Cæsar loquendi finem fecit, séque ad suos recepit; suísque imperauit, ne quod omnino telū in hostes reiicerent. nam etsi sine vllo periculo legionis delectæ commissum cum equitatu prœlium fore videbat: tamen cōmittendum non putabat, vt, pulsis hostibus, dici posset à se per fidē in colloquio circumuētos. Posteaquam in vulgus militum relatū

D est, qua arrogantia in colloquio Ariouistus vsus, omni Gallia Romanis interdixisset; impetúmque in nostros eius equites fecisset: eaq; res colloquiū vt diremisset: multo maior alacritas, studiúmque pugnandi maius exercitui iniectū est. Biduo pòst Ariouistus legatos ad Cæsarem mittit, velle se de his rebus, quæ inter eos agi cœptæ, neq; perfectæ essēt, agere cū eo, vti aut iterū colloquio diē cōstitueret: aut, si id minus vellet, ex suis legatos aliquē ad se mitteret. Colloquēdi Cæsari caussa visa non

E est, & eo magis, quod pridie eius diei, Germani retineri non poterát, quin in nostros tela conijcerent. Legatū ex suis sese magno cū periculo ad eū missurum, & hominib. feris obiectarum existimabat. commodissimum visum est, C. Valerium Procillum C. Valerij Caburi filium, summa virtute, & humanitate adolescentem, (cuius pater à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat) & propter fidem, & propter linguæ Gallicæ scientiam, qua multa iā Ariouistus longinquā consuetudine vtebatur, &, quod in eo peccandi Germanis caussa non esset, ad

F eum mittere, & M. Titium, qui hóspitio Ariouisti vsus erat. his mandauit, vt, quæ diceret Ariouistus, cognoscerent, & ad se referrent. quos cùm apud se in castris Ariouistus conspexisset, exercitu suo præsente, conclamauit: quid ad se venirent? an speculandi caussa? conantes dicere prohibuit, & in catenas coniecit. eodem die castra promouit, & millibus passuum vi. à Cæsaris castris sub monte consedit, postridie eius diei, præter castra Cæsaris suas copias transduxit, & milli-

G bus passuum ii. vltra eum castra fecit eo consilio vti frumento commeatúque, qui ex Sequanis & Æduis supportaretur, Cæsarem intercluderet, ex eo die dies continuos v. Cæsar pro castris suas copias produxit, & aciem instructam habuit: vt, si vellet Ariouistus prœlio contendere, ei potestas non deesset. Ariouistus his omnibus diebus exercitum castris continuit. equestri

prœlio

prœlio quotidie contédit. Genus hoc erat pugnę,
quo se germani exercuerant, Equitum millia e-
rant VI. totidem, numero pedites velocissimi, ac
fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos,
suæ salutis caussa, delegerant. cum his in prœliis
versabantur: ad hos se equites recipiebant: hi, si
quid erat durius concurrebant: si quid grauiore
vulnere accepto, equo deciderát, circumsistebant,
si quò erat lógius prodeundum, aut celerius reci-
piendum, táta erat horum exercitatione celeritas,
vt iubis equorum subleuati, cursum adæquarent.
Vbi cum castris sese tenere Cæsar intellexit, ne
diutius commeatu prohiberetur, vltra eum locũ,
quo in loco germani consederant, circiter passus
DC. ab his castris idoneum locum delegit, aciéq.
triplici instructa, ad eum locum venit. primam, &
secundam aciem in armis esse, tertiam castra mu-
nire iussit. hic locus ab hoste circiter passus DC. v-
ti dictum est, aberat eo circiter hominum nume-
rum XVI. millia expedita cum omni equitatu A-
riouistus misit, quæ copię nostros perterrerent, &
munitione prohiberent. nihilo secius Cæsar, vt
ante constituerat, duas acies, hostem propulsare,
tertiam, opus perficere iussit, munitis castris, duas
ibi legiones reliquit, & partem auxiliorum, qua-
tuor reliquas in castra maiora reduxit. proximo
die, instituto suo Cæsar ex castris vtrisque copias
suas eduxit: paullulúmq. à maioribus castris pro-
gressus, aciem instruxit: hostibusque pugnandi
potestatem fecit. vbi, ne tum quidem eos prodire
intellexit, circiter meridiem exercitum in castra
reduxit. tum demum Ariouistus partem suarum
copiarum, quę castra minora oppugnaret, misit. a-
criter vtrimque vsque ad vesperam pugnatum est.
solis occasu suas copias Ariouistus multis & illa-
tis, & acceptis vulneribus, in castra reduxit. cùm ex
captiuis quæreret Cæsar, quamobrem Ariouistus
prœlio non decertaret, hanc reperiebat caussam,
quòd apud germanos ea consuetudo esset, vt ma-
tresfamilias eorum sortibus, & vaticinationibus
declararent, vtrum prœlium committi ex vsu esset,
necne: eas ita dicere, non esse fas germanos supe-
rare, si ante nouam lunam prœlio contendissent.
Postridie eius diei Cæsar præsidium vtrisque ca-
stris, quod satis visum est, reliquit: omnes alarios
in conspectu hostium pro castris minoribus con-
stituit, quod minus multitudine militum legio-
nariorum pro hostium numero valebat, vt ad spe-
ciem alariis vteretur, ipse, triplici instructa acie,
vsque ad castra hostium accessit. tum demum ne-
cessariò germani suas copias è castris eduxerunt,
generatímque constiterunt, paribusque interual-
lis Harudes, Marcomanos, Triboces, Vangiones,
Nemetes, Sedusios, Sueuos, omnémque aciem suã
rhedis, & carris, circumdederunt: ne qua spes in
fuga relinqueretur. eò mulieres imposuerũt, quæ,
in prœlium proficiscentes milites passis crinibus,
flentes, implorabant. ne se in seruitutem Romanis

A tradederent. Cæsar singulis legionibus, singulos le-
gatos, & quæstorem præfecit; vti eos testes suæ
quisque virtutis haberet. ipse à dextro cornu,
quòd eam partem minimè firmam hostium esse a-
nimaduerterat, prœlium commisit. ita nostri acri-
ter in hostes signo dato, impetum fecerunt, itaque
hostes repente, celeritérque procurrerunt, vt spa-
cium, pila in hostes coniiciendi non daretur. reie-
ctis pilis, comminus gladiis pugnatum est, at Ger-
mani celeriter, ex consuetudine sua phalange fa-
cta, impetus gladiorum exceperunt. reperti sunt
B complures nostri milites, qui in phalangas insili-
rent: & scuta manibus reuellerent, & desuper vul-
nerarent. cùm hostium acies à sinistro cornu pul-
sa, atque in fugam conuersa esset, à dextro cor-
nu vehementer multitudine suorum, nostram a-
ciem premebant. id cum animaduertisset P. Cras-
sus adolescens, qui equitatui præerat, quòd expe-
ditior erat, quàm hi, qui inter aciem versabantur,
tertiam aciem laborantibus nostris subsidio misit:
C ita prœlium restitutum est, atque omnes hostes
terga verterunt, neque prius fugere destiterunt,
quàm ad flumen Rhenum millia passuum ex eo
loco circiter L. peruenerunt. ibi perpauci, aut vi-
ribus confisi, transnare contenderunt: aut lintri-
bus inuentis salutem sibi petierunt. in his fuit A-
riouistus, qui nauiculam deligatam ad ripam na-
ctus, ea profugit: reliquos omnes consecuti no-
stri interfecerunt. duæ fuerunt Ariouisti vxores,
vna Sueua natione, quam domo secum adduxe-
D rat, altera Norica, regis Vocionis soror, quam in
Gallia duxerat à fratre missam. vtraque in ea fugá
periit. duæ filiæ harum, altera occisa, altera capta
est. M. Valerius Procilius, cum à custodibus in fu-
ga trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Cæ-
sarem, hostium equitatum persequentem, incidit:
quæ quidem res Cæsari non minorem, quàm ipsa
victoria, voluptatem attulit, quòd hominem ho-
nestissimum prouinciæ Galliæ, suum familiarem,
& hospitem ereptum è manibus hostium sibi re-
E stitutum videbat: neque eius calamitate de tanta
voluptate & gratulatione quidquam fortuna de-
minuerat. is se præsente, de se, ter sortibus consul-
tum dicebat, vtrum igni statim necaretur, an in a-
liud tempus reseruaretur, sortium beneficio se es-
se incolumem. item M. Titius repertus, & ad eum
reductus est. Hoc prœlio trans Rhenum nuncia-
to, Sueui, qui ad ripas Rheni venerant, domum re-
uerti cœperunt, quos vbi qui proximè Rhenum
incolunt, perterritos senserunt, insecuti, magnum
F ex his numerum occiderunt. Cæsar vna æstate
duobus maximis bellis confectis, maturius paul-
lo, quàm tempus anni postulabat, in hiberna in
Sequanos exercitum deduxit: hibernis La-
bienum præposuit: ipse in citeriorem
Galliam, ad conuentus a-
gendos profe-
ctus est.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LIBER II.

CVm esset Cæsar in citeriore Gallia in hibernis, ita vti suprà demonstrauimus, crebri ad eum rumores afferebantur, literisque item Labieni certior fiebat, omnes Belgas, quam tertiam esse Galliæ partē dixeramus, contra populum Ro. coniurare: obsidésque inter se dare: cōiurandi has esse causas: primùm, quòd vererentur, ne, omni pacata Gallia ad eos exercitus noster adduceretur: deinde, quòd ab nonnullis Gallis solicitarentur, partim, qui, vt Germanos diutius in Gallia versari noluerant, ita populi Romani exercitum hiemare atque inueterascere in Gallia molestè ferebant; partim, qui mobilitate, & leuitate animi nouis imperiis studebāt, ab nonnullis etiā, quòd in Gallia potentioribus, atq; iis, qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgò regna occupabātur, qui minus facile eā rem in imperio nostro consequi poterant. Iis nunciis literisque cōmotus Cæsar, II. legiones in citeriore Gallia nouas conscripsit, & ineunte æstate in vlteriorem Galliam qui deduceret, Q. Pedium legatum misit. ipse. cùm primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. dat negotium Senonibus, reliquísque Gallis, qui finitimi Belgis erāt, vti ea, quæ apud eos gerantur, cognoscant: séque de his rebus certiorem faciant. hi, cōstanter omnes nunciauerunt, manus cogi, exercitus in vnum locum conduci: tum verò dubitandum non existimauit, quin ad eos duodecimo die proficisceretur. re frumentaria cōparata, castra mouet, diebúsq; circiter xv. ad fines Belgarū peruenit. eò cùm de improuiso, celeriúsq. omniū opinione venisset, Rhemi qui proximi Galliæ ex Belgis sunt, ad eū legatos Icciū & Antebrogium primos ciuitatis suæ miserunt: qui dicerent se, suáque omnia in fidem, atque potestatē populi Romani permittere, neq. se cum reliquis Belgis consensisse, neque cōtra populū Romanum omnino cōiurasse, paratósque esse & obsides dare, & imperata facere, & opidis recipere & frumento ceterisque rebus iuuare. reliquos omnes Belgas in armis esse: Germanosque, qui ripas Rheni incolunt, sese cum his coniunxisse, tantumque esse eorum omnium furorem, vt ne Suessones quidem fratres, consanguineosque suos, qui eodem iure, iisdem legibus vtantur, vnum imperium, vnumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent. cùm ab his quæreret, quę ciuitates, quantæque in armis essent, & quid in bello possent, sic reperiebat, plerosque Belgas esse ortos à Germanis: Rhenumque antiquitus transductos propter loci fertilitatem ibi consedisse: Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse: solosque esse, qui patrum nostrorum memoria omni Gallia vexata, Teutones, Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuissent. qua ex re fieri, vti earum rerum memoria magnam sibi auctoritatem, magnosque spiritus in re militari sumerent. de numero eorum omnia se habere explorata Rhemi dicebant, propterea quòd propinquitatibus, affinitatibusque coniuncti, quantam quisque multitudinem in communi Belgarum concilio ad id bellum pollicitus esset, cognouerant. plurimum inter eos Bellouacos & virtute, & auctoritate, & hominum numero valere. hos posse conficere armata millia C. pollicitos ex eo numero lecta millia lx. totiusque belli imperium sibi postulare. Suessones suos esse finitimos, latissimos, feracissimosque agros possidere. Apud eos fuisse regem nostra etiam memoria Diuitiacum, totius Galliæ potentissimum, (qui cùm magnæ partis harum regionum, tum etiam Britanniæ imperium obtinuerit) nunc esse regem Galbam: ad hunc propter iustitiam, prudentiámque, summam totius belli omnium voluntate deferri: opida habere numero XII. polliceri millia armata quinquaginta, totidem Neruios, quæ maximè feri inter ipsos habeantur, longissiméque absint, XV. millia Atrebates, Ambianos X. millia, Morinos XXV. millia Menapios IX. millia: Caletes X. millia, Velocasses, & Veromanduos totidem, Aduaticos XXIX. millia, Cōdrusos, Eburones, Cæræsos, Pæmanos, qui vno nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL. millia. Cæsar Rhemos cohortatus, liberali éque oratione prosecutus, omnem senatum ad se conuenire, principumque liberos obsides ad se adduci iussit. quæ omnia ab his diligenter ad diem facta sunt. ipse Diuitiacum Æduum magnopere cohortatus, docet, quantopere reipublicæ communísque salutis intersit manus hostium distineri, ne cum tanta multitudine vno tempore confligendum sit, id fieri posse, si suas copias Ædui in fines Bellouacorum introduxerint, & eorum agros populari cœperint, his mandatis, eum ab se dimittit. Postquam omnes Belgarum copias in vnum locum coactas ad se venire vidit, neque iam longè abesse ab his, quos miserat, exploratoribus, & ab Rhemis cognouit: flumen Axonam, quod est in extremis Rhemorum finibus, exercitum transducere maturauit, atque ibi castra posuit. quæ res & latus vnum castrorum ripis fluminis muniebat, & post eum,

eum, quæ essent, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus ab Rhemis reliquisque ciuitatibus, vt sine periculo ad eum portari posset, efficiebat. in eo flumine pons erat. ibi præsidium ponit, & in altera parte fluminis Q. Titurium Sabinum legatum cum VI. cohortibus relinquit. castra in altitudinem pedum XII. vallo, fossaque duodeuiginti pedum munire iubet. ab iis castris oppidum Rhemorum, nomine Bibrax, aberat millia passuum VIII. id ex itinere magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. ægrè eo die sustentatum est. Gallorum eadem, atque Belgarum, oppugnatio est, hæc vbi circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, vndique in murum lapides iaci cœpti sunt, murúsque defensoribus nudatus est, testudine facta, portis succedunt, murúmque subruunt. quod tum facilè fiebat. nam tanta multitudo lapides, ac tela coniiciebant, vt in muro consistendi potestas esset nulli. cùm finem oppugnandi nox fecisset, Iccius Rhemus, cum sua nobilitate & gratia inter suos, qui tũ oppido præfuerat, vnus ex iis, qui legati de pace ad Cæsarem venerant, nuncios ad eũ mittit, nisi subsidium sibi mittatur, se diutius sustinere non posse. eò de media nocte Cæsar iisdem ducibus vsus, qui nuncij ab Iccio venerant, Numidas & Cretas sagittarios, & funditores Baleares subsidio oppidanis mittit, quorum aduentu, & Rhemis cum spe defensionis studium propugnandi accessit: & hostibus eadẽ de caussa spes potiundi oppidi discessit. Itaq. paulisper apud oppidũ morati, agrósque Rhemorũ depopulati, omnibus vicis, ædificiisq. quò adire poterant, incensis, ad castra Cæsaris cũ omnibus copiis contenderunt: & millibus passuũ minus duobus castra posuerũt, quæ castra, vt fumo, atq. ignibus significabatur, amplius millibus passuũ octo in latitudinem patebant. Cæsar primò & propter multitudinẽ hostiũ, & propter eximiam opinionem virtutis prœlio supersedere statuit. quotidie tamen equestribus prœliis, quid hostis virtute posset, &, quid nostri auderent, periclitabatur. vbi nostros non esse inferiores intellexit, loco pro castris ad aciẽ instruendã natura opportuno, atque idoneo: quòd is collis, vbi castra posita erant, paullulum ex planicie editus, tantum aduersus in latitudinẽ patebat, quãtum loci acies instructa occupare poterat, atq. ex vtraq. parte lateris deiectus habebat: & in frõte leuiter fastigiatus, paullatim ad planiciẽ redibat: ab vtroque latere eius collis transuersã fossam obduxit circiter passuũ CD. & ad extremas fossas castella cõstituit. ibique tormenta collocauit, ne cùm aciem instruxisset, hostes (quod tantũ multitudine poterant) à lateribus suos pugnantes circũuenire possent. hoc facto duabus legionibus, quas proximè conscripserat, in castris relictis, vt si quo opus esset, subsidio duci possẽt, reliquas VI. legiones pro castris in acie cõstituit. hostes item suas copias ex castris eductas instruxerãt. palus erat nõ magna inter nostrum atque hostiũ exercitũ. hanc si nostri transirent, hostes exspectabant. nostri aũt, si ab illis initium trãseundi fieret, vt impeditos aggrederentur, parati in armis erant. interim prœlio equestri inter duas acies contendebatur. vbi neutri transeũdi initiũ faciunt, secundiore equitũ nostrorũ prœlio Cæsar suos in castra reduxit. hostes protinus ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt, quod esse post nostra castra demonstratum est. ibi vadis repertis partem suarum copiarum transducere conati sunt, eo consilio, vt, si possent, castellum,

A cui præerat Q. Titurius legatus, expugnarent, pontémque interscinderent, sin minus possent, agros Rhemorũ popularentur, qui magno nobis vsui ad bellum gerendum erant, commeatúsq. nostros sustinebant. Cæsar certior factus à Titurio, omnem equitatum & leuis armaturæ Numidas, funditores sagittariósque põtem transducit, atque ad eos contendit, acriter in eo loco pugnatum est. hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnũ eorũ numerum occiderũt. per eorum corpora reliquos
B audacissimè transire conantes, multitudine telorum repulerunt. primos, qui transierant, equitatu circumuentos interfecerunt. Hostes, vbi & de expugnando oppido, & de flumine transeundo spem se fefellisse intellexerunt, neque nostros in locum iniquiorem progredi pugnandi caussa viderunt, atque eos res frumentaria deficere cœpit, concilio conuocato, constituerunt optimum esse, domum suam quemque reuerti, &, quorum in fines primũ Romani exercitum introduxissent, ad eos defen-
C dendos vndiq. conuenire, vt potius in suis, quàm in alienis finibus decertarent: & domesticis copiis rei frumentariæ vterentur. ad eam sententiam, cum reliquis caussis, hæc quoque ratio eos deduxit, quòd, Diuitiacum quoque, atq. Æduos, finib. Bellouacorum appropinquare cognouerant: his persuaderi, vt diutius morarentur, neque suis auxiliũ ferrent, non poterat. Ea re constituta, secunda vigilia magno cum strepitu ac tumultu, castris egressi, nullo certo ordine, neq. imperio, cum sibi quisq.
D primum itineris locum peteret, & domum peruenire properaret, fecerunt, vt consimilis fugæ profectio videretur. Hac re statim Cæsar per speculatores cognita, insidias veritus, quod, qua de caussa discederent, nõdum perspexerat, exercitum, equitatumq. castris continuit. prima luce, cõfirmata re ab exploratoribus, omnem equitatũ, qui nouissimum agmen moraretur, præmisit, eiq. Q. Pedium & L. Aurunculeium Cottam legatos præfecit. T. Labienum legatum cum legionibus III. subsequi
E iussit. hi nouissimos adorti, & multa millia passuũ prosecuti, magnam multitudinẽ eorum fugientiũ conciderunt. cum ab extremo agmine hi ad quos ventum erat, cõsisterent: fortitérq. impetum nostrorũ militum sustinerent, priores, quòd abesse à periculo viderentur, neque vlla necessitate, neque imperio continerentur, exaudito clamore, perturbatis ordinibus, omnes in fuga sibi subsidium posuerunt. ita sine vllo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium, sub occasúmq; solis sequi destiterunt, sé-
F que in castra, vti erat imperatum, receperunt. Postridie eius diei Cæsar, priusquam se hostes ex pauore, ac fuga reciperẽt, in fines Suessionũ, qui proximi Rhemis erant, exercitum duxit, &, magno itinere confecto, ad oppidum Nouiodunum contẽdit. Id ex itinere oppugnare conatus, quod vacuũ ab defensoribus esse audiebat, propter latitudinem fossæ, murique altitudinem, paucis defendẽtibus, expugnare non potuit. Castris munitis vineas agere, quæque ad oppugnandum vsui erant,
G comparare cœpit: interim omnis ex fuga Suessionũ multitudo in oppidum proxima nocte conuenit. celeriter vineis ad oppidum actis, aggere iacto, turribúsque constitutis, magnitudine operum, quæ neque viderant ante Galli, neque audierant & celeritate Romanorum permoti, legatos ad Cæsarem, de deditione mittunt: & petentibus Rhemis, vt conseruarentur, impetrant. Cæsar, ob-

obsidibus acceptis, primis ciuitatis, atque ipsius Galbæ Regis duobus Filiis, armisq; omnibus ex oppido transditis, in deditionem Suessones accepit, exercitumque in Bellouacos duxit: qui cùm se suáque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque ab eo oppido Cæsar cum exercitu circiter millia passuum v. abesset, omnes maiores natu ex oppido egressi, manus ad Cæsarem tendere, & voce significare cœperunt, sese in eius fidem, ac potestatem, venire: neque contra populum Ro. armis cõtẽdere. item cũ ad oppidũ accessisset, castráque ibi poneret, pueri, mulieresq; ex muro passis manibus, suo more, pacem à Romanis petierunt. pro his Diuitiacus (nam post discessum Belgarum, dimissis Æduorum copiis, ad eum reuerterat) facit verba. Bellouacos, omni tempore in fide, atque amicitia ciuitatis Æduæ fuisse, impulsos à suis principibus, qui dicerent, Æduos, à Cæsare in seruitutem redactos omnes, indignitates contumeliásque perferre, & ab Æduis defecisse, & populo Ro. bellum intulisse. qui huius consilij principes fuissent, quòd intelligerent, quantam calamitatem Ciuitati intulissent, in Britanniam profugisse. petere non solùm Bellouacos, sed etiam pro his Æduos, vt sua clementia, ac mansuetudine in eos vtatur. quòd si fecerit, Æduorum auctoritatem apud omnes Belgas amplificaturum: quorum auxiliis, atque opibus, si qua bella inciderint, sustentare consueuerint. Cæsar, honoris Diuitiaci, atque Æduorum caussa, sese eos in fidem recepturum, & conseruaturum, dixit: sed, quòd erat Ciuitas magna, & inter Belgas auctoritate, ac hominum multitudine, præstabat, DC. obsides poposcit. his traditis, omnibusq; armis ex oppido collatis, ab eo loco in fines Ambianorum peruenit, qui se, suáque omnia, sine mora, dediderunt. Eorum fines Neruij attingebant: quorum de natura, moribusq. Cæsar cum quæreret, sic reperiebat: Nullum aditum esse ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarumq; rerum, ad luxuriam pertinentium inferri: quòd, his rebus relanguescere animos, eorumq; remitti virtuté existimarent. esse homines feros, magnæq; virtutis. increpitare, atq; incusare reliquos Belgas, qui se populo R. dedidissẽt, patriámq; virtuté proiecissẽt: cõfirmare, sese neq; Legatos missuros, neq; vllam conditioné pacis accepturos. cùm per eorũ fines triduo iter fecisset, inueniebat ex captiuis, Sabin flumé ab castris suis, nõ amplius millia passuũ x. abesse. trãs id flumé omnes Neruios cõsedisse: aduẽtumq; ibi Romanorum exspectare, vna cũ Atrebatibus, & Veromãduis, finitimis suis. nã his vtrisque persuaserant, vt eádem belli fortunã experirentur. exspectari etiam ab his Aduaticorũ copias. atque esse in itinere. mulieres, quiq; per ætaté ad pugnam inutiles viderentur, in eum locũ coniecisse, quò propter paludes exercitui aditus non esset. Cæsar, his rebus cognitis, Exploratores, Centurionésq; præmittit, qui locũ castris idoneum deligant. cùm ex dediticiis Belgis, reliquisq; Gallis, cõplures, Cæsaré secuti, vnà iter facerent: quidam ex his, vt postea ex captiuis cognitũ est, eorũ dierũ cõsuetudine itineris nostri exercitus perspecta, nocte ad Neruios peruenerunt, atq. his demõstrarũt inter singulas Legiones, impedimentorũ magnũ numerũ intercedere, neq. esse quidquam negotij, cùm prima Legio in castra venisset, reliquæque Legiones magnũ spatiũ abessent, hanc sub sarcinis adoriri. qua pulsa, impedimentisq. direptis, futurum, vt reliquæ contrà cõsistere nõ auderent.

A adiuuabat etiã eorũ consilium, qui ré deferebant, quod Neruij antiquitus cũ equitatu nihil possẽt, (neque. n. ad hoc tẽpus ei rei student, sed, quidquid possunt pedestribus valent copiis) quò facilius finitimorũ equitatũ, si prædãdi caussa ad eos venisset, impedirẽt, teneris arboribus incisis, atq. inflexis, crebrisq. in latitudinem ramis enatis, & rubis, sentibusq. interiectis, effecerant, vt instar muri hæ sepes munimenta præberent, quò nõ modò non intrari, sed ne perspici quidé posset. iis rebus cùm

B iter agminis nostri impediretur, nõ omittendũ sibi consiliũ Neruij existimauerũt. loci natura erat hæc, quem locũ nostri castris delegerãt. Collis ab sũmo æquabiliter decliuis, ad flumẽ Sabin, quod suprà nominauimus, vergebat. ab eo flumine pari accliuitate collis nascebatur, aduersus huic & cõtrarius, passus circiter CC. infimus apertus, ab superiore parte siluestris, vt nõ facilè introrsus perspici posset intra eas siluas hostes in occulto sese cõtinebãt. in aperto loco secundum flumen paucæ

C stationes Equitũ videbantur. Fluminis erat altitudo circiter pedum III. Cæsar, Equitatu præmisso subsequebatur omnib. copiis: sed ratio, ordoq. agminis aliter se habebat, ac Belgæ ad Neruios detulerãt. nã, quòd hostis appropinquabat, cõsuetudine sua Cæsar VI Legiones expeditas ducebat. post eas, totius exercitus impediméta collocabat, inde duæ Legiones, quæ proximẽ cõscriptæ erant: totũ agmen claudebant, præsidióque impedimentis erant. Equites nostri cum Funditoribus Sagittariis-

D que flumé transgressi, cũ hostiũ Equitatu prœlium commiserũt, cùm se illi identidé in siluas ad suos reciperẽt, ac rursus é silua in nostros impetum facerent. neq. nostri longius, quàm quem ad finem porrecta, ac loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderẽt: interim Legiones VI. quæ primæ venerant, opere dimenso, castra munire cœperunt.

Vbi prima impedimenta nostri exercitus ab iis, qui in siluis abditi latebãt, visa sũt, quod tẽpus inter eos cõmittendi prœlij conuenerat, ita, vt, intra

E siluã aciẽ, ordinésque constituerãt, atque ipsi sese cõfirmauerãt: subitò omnibus copiis prouolauerũt, impetumq. in nostros Equites fecerunt. His facilè pulsis, ac proturbatis, incredibili celeritate ad Flumé decurrerũt, vt penè vno tẽpore, & ad siluas, & in Flumine & iã in manib. nostris hostes viderẽtur. eadé aũt celeritate aduerso colle ad nostra castra, atq; eos, qui in opere occupati erant, contenderunt. Cæsari omnia vno tẽpore erãt agenda. vexillũ proponẽdũ, quod erat insigne, cum ad arma

F cõcurri oporteret. signũ tuba dandũ. ab opere reuocandi milites. qui paullo lõgius, aggeris petẽdi caussa, processerãt, accersẽdi. acies instruẽda milites cohortãdi signum dandũ. quarũ rerũ magnam partẽ tẽporis breuitas, & successus & incursus hostium impediebat. iis difficultatib. duæ res erãt subsidio, Scietia, atq; Vsus militũ; quòd, superioribus prœliis exercitati, quid fieri oporteret, nõn minus commodè ipsi sibi præscribere, quàm aliis doceri, poterant, & quòd ab opere, singulisque Legionibus, singulos Legatos Cæsar discedere, nisi munitis ca-

G stris, vetuerat. Hi, propter celeritatem, & propinquitatem hostium, nihil iam Cæsaris imperium spectabant, sed per se, quæ videbantur administrabant. Cæsar, necessariis rebus imperatis, ad cohortandos milites, quam in partem fors obtulit, decurrit & ad Legionem decimam deuenit. Milites non longiore oratione est cohortatus, quàm vti suæ pristinæ virtutis memoriam retinerent, neu per-

neu perturbarentur animo hostiúmque impetum fortiter sustinerent. &, quia non lôgius hostes aberant, quàm quò telum adjici posset, prœlij committendi signum dedit, atque item in alteram partem cohortandi caussa profectus, pugnantibus occurrit. temporis tanta fuit exiguitas, hostiúmque tam paratus ad dimicandum animus, vt non modò ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas, scutísque tegmenta detrahenda, tempus defuerit. Quam quisque in partem ab opere casu deuenit, quæque prima signa côspexit, B ad hæc constitit, ne, in quærendis suis, pugnandi tempus dimitteret. instructo exercitu, magis, vt loci natura, deiectúsque collis, & necessitas temporis, quàm, vt rei militaris ratio, atque ordo postulabat: cum diuersis locis Legiones aliæ, alia in hostibus resisterent, sepibúsque densissimis, vt antè demonstrauimus, interiectis, prospectus impediretur, neque certa subsidia collocari, neq. quid in quaque parte opus esset prouideri, neque ab vno omnia imperia administrari poterant. Itaque, C in tanta rerum iniquitate, Fortunæ quoque euentus varij sequebantur. Legionis nonæ, & decimæ milites, vt in sinistra parte aciei constiterant, pilis emissis, cursu, ac lassitudine exanimatos, vulneribusque confectos Atrebates (nam his ea pars obuenerat) celeriter ex loco superiore in flumen côpulerunt: & transire conantes, insecuti gladiis, magnam partem eorum impeditam interfecerût. ipsi transire flumen non dubitauerunt, & in locum iniquum progressi, rursus regressos, ac resi- D stentes hostes, redintegrato prœlio in fugam coniecerunt. Item alia in parte diuersę duæ Legiones, vndecima, & octaua, profligatis Veromanduis, quibuscum erant congressi, ex loco superiore in ipsis fluminis ripis prœliabantur. ac totis fere Castris à fronte, & à sinistra parte nudatis, cùm in dextro cornu Legio duodecima, & non magno ab ea interuallo septima constitisset, omnes Neruij confertissimo agmine, duce Bodaognato, qui summam imperij tenebat, ad eum locum conten- E derunt, quorum pars, aperto latere legiones circumuenire, pars summum locum castrorum petere cœpit. Eodem tempore Equites nostri, leuísque armaturæ pedites, qui cum his vnà fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, cùm se in castra reciperent, aduersis hostibus occurrebant, ac rursus aliam in partem fugam petebant. & calones, qui ab Decumana porta, ac summo iugo collis nostros victores flumen transisse conspexerant, prædandi caussa, egressi, cùm respexissent, & F hostes in nostris castris versari vidissent, præcipites sese fugæ mandabant. simul eorum, qui cum impedimentis veniebant, clamor fremitusque exaudiebatur. aliique aliam in partem perterriti ferebantur. quibus omnibus rebus permoti Equites Treuiri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis, qui, auxilij caussa, à ciuitate missi ad Cæsarem venerant, cùm multitudine hostium castra nostra compleri, Legiones premi, & penè cir- G cumuentas teneri, calones, Equites, Funditores, Numidas diuersos, dissipatósque in omnes partes fugere vidissent, desperatis nostris rebus domum contenderunt. Romanos pulsos, superatósque, castris, impedimentísque eorum hostes potitos, Ciuitati renunciauerunt. Cæsar ab Decimæ Legionis cohortatione ad dextrum Cornu profectus, vbi suos vrgeri, signísque in vnum locum collatis Duodecimæ Legionis milites cônfertos, sibi ipsis

A ad pugnam esse impedimento, Quartæ cohortis omnibus Centurionibus occisis, Signiferóque interfecto, signo amisso, reliquarum Cohortium omnibus fere Cêturionibus aut vulneratis, aut occisis, in his, Primipilo P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis, grauibusque vulneribus confecto, vt iam se sustinere non posset, reliquos esse tardiores: & nonnullos à nouissimis desertos, prœlio excedere, ac tela vitare, hostes neque à fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere, & ab vtroque B latere instare: & rem esse in angusto vidit, neque vllum esse subsidium, quod submitti posset: scuto ab nouissimis vni militi detracto (quod ipse eò sine scuto venerat) in primam aciem processit, Centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, signa inferre, & manipulos laxare iussit, quò facilius gladiis vti possent. huius aduentu spe illata militibus, ac redintegrato animo, cùm pro se quisque in conspectu Imperatoris etiam in extremis suis rebus operam nauare cupe- C ret, paullum hostium impetus tardatus est. Cæsar, cùm septimam Legionem, quæ iuxta constiterat, item vrgeri ab hoste vidisset: Trib. mil. monuit, vt paullatim sese Legiones coniungerent, & conuersa signa in hostes inferrent. quo facto, cùm aliis alij subsidium ferrent, neque timerent, ne auersi ab hoste circumuenirentur, audacius resistere, ac fortius pugnare cœperunt. interim milites Legionum duarum, quæ in nouissimo agmine præsidio impedimentis fuerant, prœlio nunciato, cursu in- D citato, in summo colle ab hostibus conspiciebantur. & T. Labienus, castris hostium potitus, & ex loco superiore, quæ res in nostris castris gererentur, conspicatus, decimam Legionem subsidio nostris misit. qui, cùm ex Equitum & calonum fuga, quo in loco res esset, quantoque in periculo & castra, & Legiones, & Imperator versaretur, cognouissent: nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. horum aduentu tanta rerum commutatio est facta, vt nostri etiam, qui vulneribus confecti E procubuissent, scutis innixi, prœlium redintegrarent. tum Calones, perterritos hostes conspicati, etiam inermes armatis occurrerunt. Equites verò, vt turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnabant, quo se Legionariis militibus præferrent at hostes, etiam in extrema spe salutis, tantam virtutem præstiterunt, vt, cùm primi eorum cecidissent, proximi iacentibus insisterent, atque eorum corporibus pugnarét. his deiectis, & coaceruatis cadaueribus, qui superessent, vt ex tu- F mulo tela in nostros conijcerent, piláque intercepta remitterent, vt non nequidquam tantæ virtutis homines iudicari deberent, ausos esse transire latissimum flumen, adscendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum, quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. hoc prœlio facto, & prope ad internecionem gente, ac nomine Neruiorum redacto, maiores natu, quos vna cum pueris, mulieribusque, in æstuaria, ac paludes collectos dixeramus, hac pugna nunciata, cùm vi- G ctoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur: omnium, qui supererant, consensu, Legatos ad Cæsaré miserunt, séque ei dediderunt, & in commemorâda Ciuitatis calamitate, ex DC. ad III. Senatores, ex hominum millibus LX. vix ad D. qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt. quos Cæsar, vt in miseros, ac supplices vsus misericordia videretur, diligentissimè conseruauit, suísque finibus, atque opidis vti iussit, & finiti-

mis imperauit, vt ab iniuria, & maleficio se, suosque prohiberent. Aduatici, de quibus supra scripsimus, cùm omnibus copiis auxilio Neruiis venirent, hac pugna nunciata, ex itinere domum reuerterunt, cunctis opidis, castellisque desertis, sua omnia in vnum opidum egregiè natura munitum contulerunt. quod, cùm omnibus in circuitu partibus altissimas rupes, despectúsque haberet, vna ex parte leniter accliuis aditus, in latitudinem nõ amplius cc. pedum relinquebatur. quem locum duplici altissimo muro munierant. tum magni ponderis saxa, & præacutas trabes, in muro collocarant. ipsi erant ex Cimbris, Teutonisque procreati, qui cum iter in prouinciam nostram, atque Italiam facerent, his impedimentis, quæ secum agere, ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiæ ex suis, ac præsidio vi. millia hominum vnà reliquerunt. hi, post eorum obitum, multos annos à finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent, consensu eorum omnium pace facta, hũc sibi domicilio locum delegerunt, ac primo aduentu exercitus nostri, crebras ex opido excursiones faciebant, paruulisque prœliis cum nostris contendebant. postea, vallo pedum xii. in circuitu xv. millium crebrisque castellis circummuniti, opido sese continebant. vbi, vineis actis, aggere exstructo, turrim constitui procul viderunt, primum irridere ex muro, atque increpitare vocibus, quod tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur. quibusnam manibus, aut quibus viribus præsertim homines tantulæ staturæ (nam plerumque omnibus Gallis præ magnitudine corporum suorum, breuitas nostra contemptui est) tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent. vbi verò moueri, & appropinquare mœnibus viderunt, noua, atque inusitata specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt, qui ad hunc modum locuti: Non se existimare, Romanos sine ope Deorũ bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tanta celeritate promouere, & ex propinquitate pugnare possent. se suáque omnia eorum potestati permittere dixerunt. vnum petere, ac deprecari: si forte, pro sua clementia, ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis audissent, statuisset, Aduaticos esse conseruãdos, ne se armis spoliaret. sibi omnes ferè finitimos esse inimicos, ac suę virtuti inuidere. à quibus se defendere, traditis armis, non possent. sibi præstare, si in eum casum deducerentur, quamuis fortunam à populo R. pati, quàm ab his per cruciatum interfici, inter quos dominari consuessent. ad hæc Cæsar respondit, Se magis consuetudine sua, quàm merito eorum, Ciuitatem conseruaturum: si prius, quàm aries murum attigisset, se dedidissent. sed deditionis nullã esse conditionem, nisi armis traditis: se id, quod in Neruios fecisset, facturum: finitimisque imperaturum, ne quam dediticiis populi R. iniuriam inferrent. re nunciata ad suos, illi se, quæ imperarentur, facere dixerunt. Armorum magna multitudine de muro, in fossam, quæ erat ante opidum, iacta, sic vt propè summam muri, aggerísque altitudinem aceruі armorum adæquarent: & tamen circiter parte tertia (vt postea compertum est) celata atq; in opido retẽta, portis patefactis, eo die pace sunt vsi. sub vesperum Cæsar portas claudi, militésque ex opido exire iussit: ne quã noctu opidani à militibus iniuriam acciperent. illi, antè inito (vt intellectum est) consilio, quòd, deditione facta, nostros præsidia deducturos, aut denique indiligentius seruaturos crediderant, partim cum his, quæ retinuerant, & celauerant armis, partim, scutis ex cortice factis, aut viminibus intextis, quæ subitò (vt temporis exiguitas postulabat) pellibus induxerant: Tertia vigilia, quà minimè arduus ad nostras munitiones adscensus videbatur, omnibus copiis repente ex opido eruptionem fecerunt. celeriter, vt antè Cęsar imperauerat, ignib. significatione facta, ex proximis castellis eò concursum est, pugnatumque ab hostibus ita acriter, vt à viris fortibus in extrema spe salutis iniquo loco contra eos, qui ex vallo, turribusque tela iacerent, pugnari debuit: cum vna in virtute omnis spes salutis consisteret. Occisis ad hominum millibus iv. reliqui in opidum reiecti sunt. postridie eius diei, refractis portis, cum iam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, sectionem eius opidi vniuersam Cæsar vendidit. ab his, qui emerãt, capitum numerus ad eum relatus est millium LIII. Eodem tempore à P. Crasso, quem cum legione vna miserat ad Venetos, Vnellos, Osismios, Curiosolitas, Sesuuios, Aulercos, Rhedones, quæ sunt maritimæ ciuitates, Oceanumque attingunt, certior factus est, omnes eas ciuitates in deditionem potestatémq. populi Romani esse redactas. His rebus gestis, omni Gallia pacata, tanta huius belli ad Barbaros opinio perlata est, vt ab nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur Legati ad Cæsarem, quæ, se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur. quas legationes Cæsar, quòd in Italiam, Illyricumque properabat, inita proxima æstate ad se reuerti iussit. Ipse, in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant, vbi bellum gesserat, legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est, ob eásque res, ex literis Cæsaris, dies xv. supplicatio decreta est. quod ante id tempus acciderat nulli.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LIBER III.

CVM in Italiam proficiſceretur Cæſar, Ser. Galbā cum legione duodecima, & parte equitatus, in Nantuates, Veragros, Sedunoſque miſit, qui à finibus Allobrogū, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad ſummas Alpes, pertinent. cauſſa mittendi fuit quod iter per Alpes quò cum magno periculo magniſque portorijs mercatores ire conſueuerant, patefieri volebat. huic permiſit, ſi opus eſſe arbitraretur, vti in iis locis legionem hiemandi cauſſa, collocaret. Galba, ſecundis aliquot prælijs factis, caſtellisq. cōpluribus eorum expugnatis, miſſis ad eū vndiq. legatis, obſidibuſq. datis, & pace facta, conſtituit cohortes duas in Nantuatibus collocare, & ipſe cum reliquis eius legionis cohortibus in vico Veragrorū, qui appellatur Octodorus, hiemare, qui vicus poſitus in valle, non magna adiecta planicie, altiſſimis montibus vndique continetur. cùm hic in duas partes flumine diuideretur, alterā partem eius vici Gallis ad hiemandum conceſſit, alteram, vacuam ab his relictā, cohortibus attribuit. eum locum vallo, foſſaque muniuit. cum dies hibernorum cōplures tranſiſſent, frumentumq. eò comportari iuſſiſſet, ſubito per exploratores certior factus eſt, ex ea parte vici, quam Gallis conceſſerat, omnes noctu diſceſſiſſe, monteſque qui impenderent à maxima multitudine Sedunorū, & Veragrorum teneri: id aliquot de cauſſis acciderat, vt ſubitò Galli belli renouandi, legioniſq. opprimendæ conſilium caperent. primùm, quòd legionem, neque pleniſsimam detractis cohortibus duabus, & compluribus ſigillatim, qui, commeatus petendi cauſſa, miſsi erant, abſentibus, propter paucitatē deſpiciebant: Tùm etiā, quòd, propter iniquitatem loci, cùm ipſi ex mōtibus in vallem decurrerent, & tela conijcerēt, ne primum quidem poſſe impetum ſuum ſuſtineri exiſtimabāt. accedebat, quòd ſuos ab ſe liberos abſtractos obſidum nomine dolebant, & Romanos, non ſolum itinerum cauſſa, ſed etiam perpetuæ poſſeſſionis, culmina Alpium occupare conari, & ea loca finitimæ prouinciæ adiungere, ſibi perſuaſum habebant. His nunciis acceptis, Galba, cum neque opus hibernorum, munitionēſque plenè eſſent perfectæ, neque de frumento, reliquóque commeatu ſatis eſſet prouiſum, quod deditione facta, obſidibuſque acceptis, nihil de bello timendum exiſtimauerat, concilio celeriter conuocato, ſen- A tentias exquirere cœpit: quo in concilio cum tantum repentini periculi præter opinionem accidiſſet, ac iam omnia ferè ſuperiora loca multitudine armatorum completa conſpicerentur, neque ſubſidio veniri, neque commeatus ſupportari, interclusis itineribus, poſſet, propè iam deſperata ſalute, nonnullæ huiuſmodi ſententiæ dicebantur, vt, impedimentis relictis, eruptione facta, iiſdem itineribus, quibus eò perueniſſent, ad ſalutem cōtenderent. maiori tamen parti placuit, hoc B reſeruato ad extremum conſilio, iterum rei euentum experiri, & caſtra defendere. breui ſpatio interiecto, vix vt his rebus, quas conſtituiſſent, collocandis, atque adminiſtrandis tempus daretur, hoſtes ex omnibus partibus, ſigno dato, decurrere; lapides, gelaque in vallum cōijcere: noſtri, primò, integris viribus, fortiter repugnare, neque vllum fruſtra telum ex loco ſuperiore mittere, vt quęq. pars caſtrorum nudata defēſoribus premi videbatur, eò occurrere, & auxilium ferre. ſed hoc ſupe- C rari, quòd diuturnitate pugnæ hoſtes defeſsi, cum prœlio excedebant, alij integris viribus ſuccedebant. Quarum rerum à noſtris propter paucitatē fieri nihil poterat, ac non modò defeſſo ex pugna excedendi, ſed ne ſaucio quidem eius loci, vbi conſtiterat, relinquendi, ac recipiendi ſui facultas dabatur. cum iam amplius horis VI. continenter pugnaretur, ac non ſolum vires, ſed etiam tela noſtris deficerent, atque hoſtes acrius inſtarent, languidioribuſque noſtris vallum ſcindere, & foſſas complere cœpiſſent, réſque eſſet iam ad extremū D perducta caſum, P. Sextius Baeculus, primipili Centurio, quem Neruico prœlio compluribus confectum vulneribus diximus, & item C. Voluſenus Tribunus mili. vir & conſilij magni, & virtutis, ad Galbam accurrunt, atque vnam eſſe ſpem ſalutis docent; Si eruptione facta, extremum auxilium experirentur. itaque, conuocatis Centurionibus, celeriter milites certiores facit, pauliſper intermitterent prœlium, ac tantummodo tela miſſa exciperent, ſeque ex labore reficerent: pòſt, ſigno dato, è caſtris erumperent, atque om- E nem ſpem ſalutis in virtute ponerent. quòd iuſſi ſunt, faciunt, ac ſubitò omnibus portis eruptionē facta, neque cognoſcendi, quid fieret, neque ſui colligendi hoſtibus facultatem relinquunt. ita commutata fortuna, eos qui in ſpem potiundorū caſtrorum venerant, vndique circumuentos, interficiunt. & ex hominum millibus amplius XXX. quem numerum barbarorū ad caſtra veniſſe conſtabat, plus tertia parte interfecta, reliquos perter-

titos in fugam coniiciunt: ac, ne in locis quidem superioribus cõsistere patiuntur, sic omnibus hostium copiis fusis, armisq. exutis, se in castra, munitionesq. suas recipiunt. quo prœlio facto, quòd sæpius fortunã tentare Galba nolebat, atque alio sese in hiberna cõsilio venisse meminerat, aliis occurrisse rebus videbat: maximè fruméti, commeatusque inopia permotus, postero die omnibus eius vici ædificijs incensis, in prouinciam reuerti contendit: ac nullo hoste prohibente, aut iter demorante, incolumen legionem in Nantuates, inde in Allobrogas perduxit, ibique hiemauit. His rebus gestis, cũ omnibus de caussis Cæsar pacatã Galliã existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, victis in Alpibus Sedunis, atque ita inita hieme in Illyricum profectus esset, quòd eas quoque nationes adire, & regiones cognoscere, volebat, subitum bellũ in Gallia coortũ est. eius belli hæc fuit caussa. P. Crassus adolescẽs cum legione VII. proximis Oceano in Andibus hiemabat. is, quod in his locis inopia frumenti erat, Præfectos, Tribunosque militum complures in finitimas ciuitates, frumenti, cõmeatusque petendi caussa, dimisit. quo in numero erat T. Terrasidius, missus in Vnellos, M. Trebius Gallus in Curiosolitas, Q. Velanius cum T. Silio in Venetos. huius ciuitatis est longè amplissima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum earum. quòd & naues habent Veneti plurimas, quibus in Britãniam nauigare cõsueuerunt, & sciẽtia, atque vsu nauticarum rerum ceteros antecedunt: & in magno impetu maris, atque aperto, paucis portibus interiectis, quos tenẽt ipsi, omnes fere, qui eodem mari vti cõsueuerunt, habent vectigales. ab iis fuit initium retinendi Silij, atq. Velanij. quod per eos se obsides, quos Crasso dedissent, recuperaturos existimabant. horũ auctoritate finitimi adducti (vt sunt Gallorum subita, & repẽtina cõsilia) eadẽ de caussa Trebiũ, Terrasidiumq. retinent, & celeriter missis legatis, per suos principes inter se coniurant, nihil, nisi communi consilio, acturos, eundemq. omnis fortunæ exitum esse laturos, reliquasq. ciuitates sollicitãt, vt in ea libertate, quam à maioribus acceperant, permanere, quã Romanorum seruitutem perferre mallẽt. omni ora maritima celeriter ad suam sententiam perducta, communem legationem ad P. Crassum mittunt, si velit suos recuperare, obsides sibi remittat. quibus de rebus Cæsar à Crasso certior factus, quòd ipse aberat lõgius, naues interim lõgas ædificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum, remiges ex prouincia institui, nautas, gubernatoresque comparari iubet. his rebus celeriter administratis, ipse, cum primum per anni tẽpus potuit, ad exercitum cõtẽdit. Veneti, reliquæque ciuitates, cognito cęsaris aduẽtu, simul quod, quantum in se facinus admisissent, intelligebant, legatos, quod nomẽ apud omnes nationes sanctũ, inuiolatumq. semper fuisset, retentos ab se, & in vincula coniectos, pro magnitudine periculi bellum parare, & maximè ea, quæ ad vsum nauium pertinerent, prouidere instituunt. hoc maiore spe, quod multum natura loci cõfidebãt, pedestria esse itinera cõcisa ęstuariis, nauigationem impeditam propter inscitiam locorum, paucitatemque portuum sciebant, neque nostros exercitus, propter frumenti inopiã, diutius apud se morari posse, confidebant. ac iam, vt omnia contra opinionẽ acciderent, tamẽ se, plurimum nauibus posse, Romanos neq. vllã facultatem habere nauium, ne-

A que eorum locorum, vbi bellũ gesturi essẽt, vada, portus, insulasq. nouisse: ac longè aliam esse nauigationem in cõcluso mari, atque in vastissimo, ac apertissimo Oceano, perspiciebant. his initis cõsiliis, opida muniunt, frumenta ex agris in opida comportant. naues in Venetiam, vbi Cęsarem primum bellum gesturum esse constabat, quam plurimas possunt, cogunt. socios sibi ad id bellum Osismios, Lexobios, Nãnetes, Ambiliates, Morinos, Diablintes, Menapios adsciscunt, auxilia ex Bri- B tãnia, quæ cõtra eas regiones posita est, accersunt. erant hæ difficultates belli gerendi, quas supra ostendimus, sed multa tamẽ Cęsarem ad id bellum incitabant: iniuriæ retentorum equitum Romanorũ, rebellio facta post deditionem, defectio datis obsidibus, tot ciuitatum coniuratio, in primis, ne hac parte neglecta, reliquæ nationes, idem sibi licere arbitrarentur. itaque cum intelligeret, omnes fere Gallos nouis rebus studere, & ad bellum mobiliter, celeritérque excitari, omnes autem ho- C mines natura libertati studere, & conditionẽ seruitutis odisse, prius quàm plures ciuitates cõspirarent, partiendum sibi, ac latius distribuendum exercitum putauit. itaq. T. Labienum legatum in Treuiros, qui proximi Rheno flumini sunt, cum equitatu mittit. huic mandat, Rhemos, reliquosque Belgas adeat, atque in officio contineat: Germanosque, qui auxilio à Belgis accersiti dicebantur, si per vim nauibus flumen transire conentur, prohibeat. P. Crassum cohortibus legionariis XII. D & magno numero equitatus, in Aquitaniam proficisci iubet. ne ex his nationibus auxilia in Galliã mittantur, ac tantę nationes coniũgantur, Q. Titurium Sabinum legatum cum legionibus III. in Vnellos, Curiosolitas, Lexobiósque mittit, qui eã manum distinendam curet. D. Brutum adolescẽtem classi, Gallicisq; nauibus, quas ex Pictonibus, & Santonis, reliquisq. pacatis regionibus cõuenire iusserat, præfecit, & cum primum posset, in Veneros proficisci iubet. ipse eò pedestribus copiis E contendit. erant eiusmodi fere situs opidorum, vt posita in extremis linguis, promõtoriisque, neq. pedibus aditum haberẽt, cum ex alto se æstus incitauisset, quod bis semper accidit horarum XII. spatio, neque nauibus, quod rursus minuente æstu, naues in vadis afflictarentur. ita vtraque re opidorum oppugnatio impediebatur: ac, si quando magnitudine operis fortè superati, extruso mari aggere, ac molibus, atq. his ferme mœnibus adęquatis, suis fortunis desperare cęperãt: magno F numero nauiũ appulso, cuius rei summã facultatẽ habebãt, sua omnia deportabãt, seque in proxima opida recipiebant. ibi se rursus iisdem opportunitatibus loci defendebant. hæc eo facilius magnam partem Æstatis faciebant, quod nostræ naues tempestatibus detinebantur, summaque erat vasto, atque aperto mari, magnis æstibus, raris, ac prope nullis portibus, difficultas nauigandi. namque ipsorum naues ad hunc modum factæ, armatæque erant. carinæ aliquanto planiores, quã nostrarum nauium, quò facilius vada ac decessum æ- G stus, excipere possent. Proræ admodum erectæ, atque item puppes ad magnitudinem fluctuum, tempestatumque, accommodatæ. naues totæ factæ ex robore, ad quãuis vim & contumeliã perferendã. transtra ex pedalibus in altitudinẽ trabibus cõfixa clauis ferreis, digiti pollicis crassitudine. anchoræ, pro funibus, ferreis catenis reuinctæ. pelles pro velis, alutæq. tenuiter cõfectę, siue propter lini inopiam

piam, atque eius vsus inscientiam, siue, quod est A
magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani, tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera nauium regi velis, non satis commodè, arbitrabantur. Cum his nauibus nostræ classi eiusmodi cógressus erat, vt vna celeritate, & pulsu remorum præstarent, reliqua, pro loci natura, pro vi tempestatum, illis essent aptiora, & accommodatiora. neque enim his nostræ rostro nocere poterant: tanta in his erat firmitudo: neque propter
altitudinem, facilè telum adiiciebatur, & eadem B
de caussa minus incommodè scopulis continebátur. accedebat, vt cùm sæuire ventus cœpisset, & se vento dedissent, & tempestatem ferrét facilius, & in vadis consisterent tutius, &, ab æstu derelictæ, nihil saxa, & cautes timerent. quarum rerum omnium nostris nauibus casus erat extimescendus. compluribus expugnatis opidis, Cæsar, vbi intellexit, frustra tantum laboré sumi, neque hostium fugá, captis opidis, reprimi, neque his noceri posse, statuit expectandá classem. quæ vbi cóuenit, ac
primum ab hostibus visa est, circiter ccxx. naues C
eorum paratissimæ, atque omni genere armatorú ornatissimæ, è portu profectæ, nostris aduersæ cóstiterunt. neque satis Bruto, qui classi præerat, neque Tribunis militum, Céturionibusque, quibus singulæ naues erant attributæ, cóstabat, quid agerét, aut qua ratione pugnæ insisterét. rostro enim noceri nó posse cognouerant: turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex barbaris nauibus superabat, vt neque ex inferiore loco satis commodè tela adiici possent, & missa à Gallis
grauius acciderent. vna erat magno vsui res præ- D
parata à nostris, falces præacutæ, insertæ, affixæque longuriis, non absimili forma muralium falcium. his cùm funes, qui antennas ad malos distinebát, comprehensi, adductique erant, nauigio remis incitato prærumpebátur. quib. abscisis, antennæ necessario concidebát, vt cum omnis gallicis nauib. spes in velis, armamentisque cósisteret, his ereptis omnis vsus nauium vno tempore eriperetur. reliquum erat certamen positum in virtute, qua no-
stri milites facile superabát, atq; eo magis, quod E
in conspectu Cæsaris, atque omnis exercitus res gerebatur: vt nullum paullo fortius factum latere posset, omnes enim colles, & loca superiora, vnde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur. disiectis, vt diximus, anténis, cùm singulas binæ, aut ternæ naues circumsisterét, milites summa vi transcendere in hostium naues côtendebant. quod postquam Barbari fieri animaduer-
terunt, expugnatis cópluribus nauibus, cùm ei rei F
nullum reperiretur auxilium, fuga salúté petere contenderunt, ac, iam côuersis in eam parté nauibus, quò ventus ferebat, tanta subitò malacia, ac tranquillitas exstitit, vt se loco mouere nó possét. quæ quidem res ad negotium conficiendú maximè fuit opportuna. ná singulas nostri consectati expugnauerunt, vt perpaucæ ex omni numero, noctis interuentu, ad terrá peruenerint, cum ab hora fere IV, vsque ad solis occasum, pugnaretur. quo
prœlio bellum Venetorum, totiusque oræ mari- G
timæ, confectum est. nam, cùm omnis iuuentus, omnes etiam grauioris ætatis, in quibus aliquid consilij, aut dignitatis fuit, eò conuenerant: tum nauium, quod vbiq. fuerat, vnum in locum coegerant: quibus amissis, reliqui neque, quò se reciperent, neque, quemadmodum opida defenderét, habebant. itaque se suaq; omnia, Cæsari dedide-runt. in quos eo grauius Cæsar vindicádú statuit, quo diligentius in reliquum tépus à Barbaris ius legatorum cóseruaretur. itaque, omni Senatu necato, reliquos sub corona vendidit. Dum hæc in Venetis geruntur, Q. Titurius Sabinus cú his copiis, quas à Cæsare acceperat, in fines Vnellorum peruenit. His præerat Viridouix, ac summá imperij tenebat earum omnium ciuitatum, quæ defecerát, ex quibus exercitum, magnasq. copias coegerat. atq. his paucis diebus Aulerci, Eburouices, Lexouiique, Senatu suo interfecto, quòd auctores belli esse nolebant, portas clauserunt, seque cum Viridouice cóiunxerunt, magnaq. præterea multitudo vndiq ex Gallia perditorum hominum, latronumq. cóuenerat, quos spes prædádi, studiumque belládi, ab agricultura & quotidiano labore, reuocabat. Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat, cum Viridouix contra eum duûm millium spatio consedisset, quotidiéque productis copiis pugnandi potestatem faceret, vt iam non solum hostibus in contemptum Sabinus veniret, sed etiá nostrorum militum vocibus nonnihil carperetur: tátamq. opinioné timoris præbuit, vt iam ad vallum castrorum hostes accedere auderent. id ea caussa faciebat, quòd cum tanta multitudine hostiú, præsertim eo abséte, qui summá imperij teneret, nisi æquo loco, aut opportunitate aliqua data, legato dimicandum nó existimabat. Hac confirmata opinione timoris, idoneum quendá hominem & callidum, delegit (Gallum) ex ijs, quos auxilij caussa secú habebat, huic magnis præmiis, pollicitationibusq. persuadet, vti ad hostes transeat, &, quid fieri velit, edocet. qui vbi pro perfuga ad eos venit, timorem Romanorum proponit. quibus angustiis ipse Cæsar à Venetis prematur, docet, neque lógius abesse, quin proxima nocte Sabinus etiá ex castris exercitú educat, & ad Cæsaré, auxilij ferendi caussa, proficiscatur. quod vbi auditum est, conclamát omnes, occasioné negotij bene gerendi amittédá nó esse, ad castra iri oportere. Multæ res ad hoc consiliú Gallos hortabátur, superiorú dierú Sabini cunctatio, perfugæ cófirmatio, inopia cibariorum, cui rei parum diligéter ab his erat prouisú, spes Venetici belli, & quod ferè libenter homines, id quod volút, credunt. iis rebus adducti, nó prius Viridouicé, reliquosque duces ex consilio dimittunt, quá ab his sit cócessum arma vti capiát, & ad castra cótédát. qua re cócessa, læti, velut explorata victoria, sarmentis, virgultisque collectis, quibus fossas Romanorum compleant, ad castra pergunt. locus erat castrorú editus, & paullatim ab imo accliuis, circiter passus ∞. huc magno cursu côtenderút vt quàm minimum spatij ad se colligendos, armandósq. Romanis daretur, exanimatique peruenerunt. Sabinus, suos hortatus, cupientibus, signú dat. impeditis hostibus, propter ea, quæ ferebant, onera, subitò duabus portis eruptioné fieri iubet. factum est opportunitate loci, hostium inscitia, ac defatigatione, virtuté militum, ac superiorum pugnarum exercitatione, vt ne vnum quidem nostrorum impetum ferrent, ac statim terga verterét. quos impeditos, integris viribus milites nostri consecuti, magnum numerum eorum occiderunt, reliquos equites cósectati, paucos, qui ex fuga euaserant, reliquerunt. sic vno tempore, & de nauali pugna Sabinus, & de Sabini victoria Cæsar certior factus est: ciuitatésque omnes se statim Titurio dediderunt. nam, vt ab bello suscipienda

Gallorum alacer, ac promptus est animus, sic mollis, ac minimè resistens ad calamitates perferẽdas mens eorum est. Eodem ferè tempore, P. Crassus, cùm in Aquitaniam peruenisset, quæ pars, vt antè dictum est, & regionum latitudine, & multitudine hominum, ex tertia parte Galliæ est existimanda. cùm intelligeret in illis locis sibi bellum gerendum. vbi paucis antè annis L. Valerius Præconinus legatus, exercitu pulso, interfectus esset, atque vnde L. Manilius Procos. impedimẽtis amissis, profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat. itaque, re frumentaria prouisa, auxiliis, equitatuque comparato, multis præterea viris fortibus Tolosa, Carcasone, & Narbone, quæ sunt ciuitates Galliæ prouinciæ finitimæ, ex his regionibus nominatim euocatis, in Sontiatium fines exercitum introduxit, cuius aduentu cognito, Sontiates, magnis copijs coactis, equitatuque, quo plurimum valebant, in itinere agmen nostrum adorti, primum equestre prœlium commiserunt: deinde, equitatu suo pulso, atque insequentibus nostris, subito pedestres copias, quas in conualle in insidijs collocauerant, ostenderunt. hi, nostros disiectos adorti, prœlium renouauerunt: pugnatum est diu atque acriter, cùm Sontiates, superioribus victorijs freti, in sua virtute totius Aquitaniæ salutem positam putarent, nostri autem, quid sine Imperatore, sine reliquis legionibus, adolescentulo duce efficere possent, perspici cuperent. tandem confecti vulneribus, hostes terga vertere. quorum magno numero interfecto, Crassus ex itinere oppidum Sontiatiũ oppugnare cœpit. quibus fortiter resistentibus, vineas turresque egit. illi, aliàs eruptione tentata, aliàs cuniculis ad aggerẽ, vineasque actis, cuius rei sũt lõgè peritissimi Aquitani, propterea quod multis locis apud eos ærariæ secturæ sunt: vbi diligentia nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt, legatos ad Crassum mittunt, seque in deditionem vt recipiat, petunt. qua re impetrata, arma tradere iussi, faciũt. atque in ea re omnium nostrorum intentis animis, alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperij tenebat, cum DC. deuotis, quos illi Soldurios appellant, quorum hæc est conditio, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint. si quid iis per vim accidat, aut eundem casum vnà ferant: aut sibi mortem consciscant: neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui, eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret. cum iis Adcantuannus eruptionem facere conatus, clamore ab ea parte munitionis sublato, cùm ad arma milites concurrissent, vehementerque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum est. vti tamen eadem deditionis conditione vteretur à Crasso impetrauit. Armis, obsidibusque acceptis, Crassus in fines Vocatium, & Tarusatium profectus est. tum verò Barbari cõmoti, quod oppidũ, & natura loci, & manu munitum, paucis diebus, quibus eò ventũ erat, expugnatum cognouerant, legatos quoque versus dimittere, coniurare, obsides inter se dare, copias parare cœperunt: mittuntur etiam ad eas ciuitates legati, quæ sunt citerioris Hispaniæ, finitimæ Aquitaniæ: inde auxilia, ducesque accersuntur. quorum aduentu magna cum auctoritate, & magna cum hominum multitudine bellum gerere conantur. Duces verò ij deliguntur, qui vnà cum Q. Sertorio omnes annos fuerant, summamque

A scientiam rei militaris habere existimabantur. ij, consuetudine populi Romani loca capere, castra munire, commeatibus nostros intercludere, instituunt. quod vbi Crassus animaduertit, suas copias propter exiguitatem non facilè diduci, hostem & vagari, & vias obsidere, & castris satis præsidij relinquere. ob eam caussam minus commodè frumentum, commeatumque sibi supportari, in dies hostium numerum augeri, non cunctandum existimauit, quin pugna decertaret. hac

B re ad concilium delata, vbi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnæ constituit. prima luce productis omnibus copijs, duplici acie instructa, auxilijs in mediam aciem collocatis, quid hostes consilij caperent, exspectabat. illi, etsi propter multitudinem, & veterem belli gloriam, paucitatemque nostrorum, se tutò dimicaturos existimabant, tamen tutius esse arbitrabãtur, obsessis viis, commeatu intercluso, sine vllo vulnere victoria potiri: &, si propter inopiam rei frumentariæ Romani sese recipere cœpissent, impeditos

C agmine, & sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. hoc consilio probato ab ducibus, productis Romanorum copijs, sese castris tenebant. hac re perspecta, Crassus, cum sua cunctatione, atque opinione, timidiores hostes, nostros milites alacriores ad pugnandum effecisset, atque omniũ voces audirentur, exspectari diutius non oportere, quin ad castra iretur, cohortatus suos, omnibus cupientibus, ad hostium castra contendit. ibi,

D cum alij fossas complerent, alij multis telis coniectis, defensores vallo, munitionibusque depellerent, auxiliaresque, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat, lapidibus, telisque subministrandis, & ad aggerem cespitibus comportandis, speciem, atque opinionem pugnantium præberent. cum item ab hostibus cõstanter, ac non timidè, pugnaretur, teláque ex loco superiore missa non frustra acciderent, equites circuitis hostium castris, Crasso renunciauerunt, non eadem esse diligentia ab decumana porta castra

E munita, facilémque aditum habere. Crassus, equitũ præfectos cohortatus, vt magnis præmiis, pollicitationibusq; suos excitarẽt, quid fieri velit, ostẽdit. illi, vt erat imperatum, eductis IV. cohortibus, quæ præsidio castris relictæ, integræ ab labore erant. & longiore itinere circũductis, ne ex hostiũ castris conspici possent, omnium oculis mentibusque ad pugnam intentis, celeriter ad eas, quas diximus, munitiones peruenerunt, atque his perruptis, prius in hostium castris cõstiterunt, quàm

F planè ab his videri, aut quid rei gereretur, cognosci posset. tũ verò, clamore ab ea parte audito, nostri redintegratis virib. quod plerũq; in spe victoriæ accidere cõsueuit, acrius impugnare cœperunt. hostes, vndiq; circũuenti, desperatis omnibus rebus, se per munitiones deijcere & fuga salutẽ petere cõtenderunt. quos equitatus apertissimis campis consectatus, ex millium L. numero, quæ ex Aquitania, Cantabrisq; venisse cõstabat, vix IV. parte

G relicta, multa nocte se in castra recipit. hac audita pugna maxima pars Aquitaniæ sese Crasso dedidit, obsidésque vltro misit: quo in numero fuerũt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Tarusates, Elusates, Garites, Ausci, Garumni, Sibuzates, Cocosatésque. paucæ vltimæ nationes, anni tempore confisæ. quòd hiems suberat, id facere neglexerũt. Eodem ferè tempore Cæsar, etsi propè exacta iam æstas erat, tamen quòd, omni Gallia pacata, Morini,

ni, Menapijque supererãt, qui in armis essent, neque ad eum vnquam legatos de pace misissent, arbitratus id bellum celeriter confici posse, eò exercitum adduxit, qui longè alia ratione, ac reliqui Galli, bellum gerere instituerunt. nam, quòd intelligebant, maximas nationes, quæ prœlio contendissent, pulsas superatásque esse, continentésque siluas ac paludes habebant: eò se, suaque omnia contulerunt. ad quarum initium siluarum cùm peruenisset Cæsar, castraque munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere nostris, subitò ex omnibus partibus siluæ euolauerunt, & in nostros impetum fecerunt. nostri celeriter arma cœperunt, eósque in siluas repulerunt: &, compluribus interfectis, longius impeditioribus locis secuti, paucos ex suis deperdiderunt. reliquis deinceps diebus Cæsar siluas cædere instituit: & ne quis inermibus, A imprudentibúsque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conuersam ad hostem collocabat, & pro vallo ad vtrumque latus exstruebat. incredibili celeritate magno spatio paucis diebus confecto, cùm iam pecus, atque extrema impedimenta ab nostris tenerentur, ipsi densiores siluas peterent, eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vti opus necessariò intermitteretur, & continuatione imbrium, diutius sub pellibus B milites contineri non possent. itaque, vastatis omnibus eorum agris, vicis, ædificiísque incensis, Cæsar exercitum reduxit, & in Aulercis, Lexouiísque, reliquis item ciuitatibus, quæ proximè bellum fecerant, in hybernis collocauit.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LILER IV.

EA, QVÆ secuta est, hieme, qui fuit annus Cn. Pópeio, M. Crasso Coss. Vsipetes Germani, & item Tenchtheri, magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longè à mari, quò Rhenus influit, caussa transeundi fuit, quòd, ab Sueuis complures annos exagitati, bello premebantur, & agricultura prohibebantur. Sueuorum gens est longè maxima, & bellicosissima Germanorum omniũ. ij cẽtum pagos habere dicũtur, ex quibus quotánis singula millia armatorum, bellandi caussa suis ex finibus educunt. reliqui, qui domi remãserint, se, atque illos, alunt. hi rursus inuicem anno A pòst in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio, neque vsus belli intermittitur, sed priuati ac separati agri apud eos nihil est. neque longius anno remanere vno in loco, incolendi caussa, licet. neque multum frumento, sed maximam partem lacte, atque pecore viuunt, multúmque sunt in venationibus, quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio, aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra B voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. atque in eam se consuetudinẽ adduxerunt, vt locis frigidissimis, neque vestitus, præter pelles, habeant quidquam, quarum propter exiguitatem, magna est corporis pars aperta, & lauentur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus eò magis, vt quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant: quàm quo vllam rem ad se importari desiderent. quinetiam iumentis, quibus maximè Galli dele-

ctantur, quæque impenso parant pretio, Germani importatis non vtuntur, sed, quæ sunt apud eos nata praua, atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, summi vt sint laboris, efficiunt. equestribus prœliis sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus prœliantur, equosque eodem remeare vestigio, assuefaciunt: ad quos se celeriter, cùm vsus poscit, recipiunt. neque eorum moribus turpius quicquam, aut inertius, habetur, quàm ephippiis vti. itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum, quamuis pauci adire audeant. Vinum ad omnino se importari non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur. publicè maximam putant esse laudem, quàm latissimè à suis finibus vacare agros: hac re significari, magnum numerum ciuitatum suam vim sustinere non potuisse. itaque vna ex parte à Sueuis circiter millia passuum DC. agri vacare dicuntur. Ad alteram partem succedunt Vbij, quorum fuit ciuitas ampla atque florens, vt est captus Germanorum, & paullo, qui sunt eiusdem generis, etiam cæteris humaniores, propterea quòd Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus assuefacti. Hos cùm Sueui, multis sæpe bellis experti, propter amplitudinem, grauitatemque ciuitatis, finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt, ac multò humiliores, infirmioresque reddiderunt. in eadem caussa fuerunt Vsipetes, & Tenchtheri, quos suprà diximus, qui cùm plures annos Sueuorum vim sustinuerint, ad extremum tamen, agris expulsi, & multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum peruenerunt. quas regiones Menapij incolebant, & ad vtramque ripam fluminis agros, ædificia, vicosque habebant. sed tantæ multitudinis aduentu perterriti, ex his ædificijs, quæ trans flumen habuerant, demigrauerunt, & cis Rhenum dispositis præsidijs, Germanos transire prohibebant. illi, omnia experti, cùm, neque vi contendere, propter inopiam nauium: neque clam transire, propter custodias Menapiorum, possent, reuerti se in suas sedes, regionésque simulauerunt, & tridui viam progressi, rursus reuerterunt, atque omni hoc itinere vna nocte equitatu confecto, inscios, inopinantésque Menapios oppresserunt: qui de Germanorum discessu per exploratores certiores facti, sine metu trans Rhenum in suos vicos remigrauerant. his interfectis, nauibusque eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum, quæ citra Rhenum erat, certior fieret, flumen transierunt, atque omnibus eorum ædificijs occupatis, reliquam partem hiemis se eorum copijs aluerunt. His de rebus Cæsar certior factus, & infirmitatem Gallorum veritus, quòd sunt in consilijs capiendis mobiles, & nouis plerumque rebus student, nihil his committendum existimauit. est autem hoc Galliceæ consuetudinis, vt, & viatores etiam inuitos consistere cogant, &, quod quisque eorum de quaque re audierit, aut cognouerit, quærat, & mercatores in opidis vulgus circumsistat: quibus ex regionibus veniant, quásque res ibi cognouerint, pronunciare cogant. his rumoribus, atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt: quorum eos è vestigio pœnitere, necesse est: cùm incertis rumoribus seruiant, & plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. qua consuetudine cognita, Cæsar, ne grauiori bello occurreret, maturius, quàm consueuerat ad exercitum proficiscitur. eò cùm venisset, ea, quæ fore suspicatus erat, facta cognouit: missas legationes à nonnullis ciuitatibus ad Germanos, inuitatosque eos, vti ab Rheno discederent: omniaque, quæ postulassent, ab se fore parata. qua spe adducti Germani, latius iam vagabantur, & in fines Eburonum, & Condrusonum, qui sunt Treuirorum clientes, peruenerant. Principibus Galliæ euocatis, Cæsar, ea, quæ cognouerat, dissimulanda sibi existimauit: eorumque animis permulsis, & confirmatis, equitatuque imperato, bellum cum Germanis gerere constituit. re frumentaria comparata, equitibusque delectis, iter in ea loca facere cœpit, quibus in locis Germanos esse audiebat. A quibus cum paucorum dierum iter abesset, legati ab iis venerunt, quorum hæc fuit oratio: Germanos neque priores populo R. bellum inferre, neque tamen recusare, si lacessantur, quin armis contendant, quòd Germanorum consuetudo hæc sit à maioribus tradita, Quicumque bellum inferant, resistere, neque deprecari: hoc tamen dicere, venisse inuitos, eiectos domo: si suam gratiam Romani velint, posse eis viles esse amicos, vel sibi agros attribuant, vel patiantur eos tenere, quos armis possederint: sese vnis Sueuis concedere, quibus ne Dij quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint. Ad hæc Cæsar, quæ visum est, respondit. sed exitus fuit orationis: Sibi nullam cum his amicitiam esse posse, si in Gallia remanerent. neque verum esse, Qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare: neque vllos in Gallia vacare agros, qui dari, tantæ præsertim multitudini, sine iniuria possint: sed licere, si velint, in Vbiorum finibus considere, quorum sint legati apud se, & de Sueuorum iniurijs querantur, & à se auxilium petant: hoc se ab Vbiis impetraturum. Legati, hæc se ad suos relaturos, dixerunt, &, re deliberata, post diem tertium ad Cæsarem reuersuros: interea, ne propius se castra moueret, petierunt. ne id quidem Cæsar ab se impetrari posse dixit. cognouerat enim, magnam partem equitatus ab iis aliquot diebus antè, prædandi, frumentandique caussa, ad Ambiuaritos trans Mosam missam. hos exspectari equites, atque eius rei caussa moram interponi arbitrabatur. Mosa profluit ex Monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, &, parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vacalos, Insulam efficit Batauorum. neque longius ab eo millibus passuum LXXX. in Oceanum transit. Rhenus autem oritur ex Lepontiis,

pontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Treuirorũ citatus fertur: & vbi Oceano appropinquauit, in pluros diffluit partes, multis ingentibusq. insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur: ex quibus sunt, qui piscibus, atque ouis auium, viuere existimantur: multisque capitibus in Oceanum influit. Cæsar, cum ab hoste non amplius passuum XII. millibus abesset, vt erat constitutum, ad eum legati reuertuntur. qui in itinere congressi, magnopere, ne longius progrederetur, orabant. cùm id non impetrassent, petebant, vti ad eos equites, qui agmen antecessissent, præmitteret, eosque pugna prohiberet: sibique vti potestatem faceret, in Vbios legatos mittendi. quorum si principes ac Senatus sibi iureiurando fidem fecissent, ea conditione, quæ à Cæsare ferretur, se vsuros ostendebant. ad has res conficiendas sibi tridui spatium daret. hæc omnia Cæsar eodem illo pertinere arbitrabatur, vt, tridui mora interposita, equites eorum, qui abessent, reuerterentur: tamen, sese non longius millibus passuum IV. aquationis caussa, processurum eo die, dixit: huc postero die quàm frequentissimi conuenirent, vt de eorum postulatis cognosceret. Interim ad Præfectos, qui cum omni equitatu antecesserant, mittit, qui nunciarent, ne hostes prœlio lacesserent, &, si ipsi lacesserentur, sustinerent, quoad ipse cum exercitu propius accessisset. At hostes, vbi primum nostros equites conspexerunt, quorum erat V. millium numerus, cum ipsi non amplius DCCC. equites haberent, quod ii, qui, frumentandi caussa ierant, trans Mosam, nondum redierant, nihil nostris timentibus, quod legati eorũ paullo antè à Cæsare discesserant, atque is dies induciis erat ab iis petitus: impetu facto, celeriter nostros perturbauerunt: rursus, resistentibus nostris, consuetudine sua, ad pedes desilierunt, suffossisque equis, compluribus nostris deiectis, reliquos in fugam cõiecerunt: atque ita perterritos egerunt, vt non prius fuga desisterent, quàm in conspectum agminis nostri venissent. In eo prœlio ex equitibus nostris interficiuntur IV. & LXX. in his, vir fortissimus, Piso Aquitanus, amplissimo genere natus, cuius auus in ciuitate sua regnum obtinuerat, amicus ab Senatu nostro appellatus. hic, cum fratri intercluso ab hostibus auxilium ferret, illũ ex periculo eripuit: ipse, equo vulnerato, deiectus, quoad potuit: fortissimè restitit. cùm circumuentus, multis vulneribus acceptis, cecidisset, atque id frater, qui iam prœlio excesserat, procul animaduertisset: incitato equo, sese hostibus obtulit, atque interfectus est. Hoc facto prœlio, Cæsar neque iam sibi legatos audiendos, neque conditiones accipiendas arbitrabatur ab iis, qui, per dolum, atque insidias, petita pace vltro bellum intulissent: exspectare verò, dum hostium copiæ augerentur, equitatusque reuerteretur, summæ dementiæ esse iudicabat: & cognita Gallorum infirmitate, quãtum iam apud eos, hostes vno prœlio auctoritatis essent consecuti sentiebat: quibus ad consilia capienda nihil spatij dandum existimabat. his constitutis rebus, & consilio cum legatis, & quæstore communicato, ne quem diem pugnæ prætermitteret, opportunissima res accidit, quòd postridie eius diei mane eadem & perfidia & simulatione vsi, Germani

A frequentes omnibus principibus, maioribusq; natu adhibitis, ad eum in castra venerunt, simul, vt dicebatur, sui purgandi caussa, quòd contra atque esset dictum, & ipsi petiissent, prœlium pridie commisissent: simul, vt si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. quos sibi Cęsar oblatos gauisus, retineri iussit: ipse omnes copias castris eduxit, equitatum, quod recenti prœlio perterritum esse existimabat, agmen subsequi iussit. acie triplici instructa, & celeriter IIX. millium itinere cõ-

B fecto, prius ad hostium castra peruenit, quàm, quid ageretur, Germani sentire possent. qui, omnibus rebus subitò perterriti, & celeritate aduentus nostri, & discessu suorum, neque consilij habendi, neque arma capiendi spatio dato, perturbabantur; vtrum copiasne aduersus hostem educere, an castra defendere, an fuga salutem petere, nescirent, quid præstaret. quorum timor cùm fremitu, & concursu significaretur, milites nostri, pristini diei perfidia incitati, in castra irruperunt. quo in

C loco, qui celeriter arma capere potuerunt, paullisper nostris restiterunt, atq. inter carros, impedimentaque prœlium commiserunt. at reliqua multitudo puerorum, mulierumque (nam cum omnibus suis domo excesserant, Rhenumque transierant) passim fugere cœpit. ad quos consectandos Cęsar equitatum misit. Germani, post tergum clamore audito, cùm suos interfici viderent, armis abiectis, signisque militaribus relictis, se ex castris eiecerunt, & cum ad confluentem Mosæ, &

D Rheni peruenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen præcipitauerunt: atque ibi, timore, lassitudine, & vi fluminis oppressi, perierunt. nostri ad vnum omnes incolumes, perpaucis vulneratis, ex tanti belli timore, cum hostium numerus capitum CDXXX. millium fuisset, se in castra receperunt. Cæsar iis, quos in castris retinuerat, discedendi potestatem fecit. illi, supplicia, cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros vexauerãt, remanere se apud eum

E velle, dixerant. iis Cæsar libertatem cõcessit. Germanico bello confecto, multis de caussis Cęsar statuit sibi Rhenum esse transeundum: quarum illa fuit iustissima, quod cum videret Germanos tam facilè impelli, vt in Galliam venirent: suis quoque rebus eos timere voluit, cum intelligerent, & posse, & audere populi R. exercitum Rhenum transire. Accessit etiam quòd illa pars equitatus Vsipetum, & Tenchtherorum, quam supra commemoraui, prędandi, frumentandique caussa, Mosam transisse, neque prœlio interfuisse,

F post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sicambrorum receperat, seque cum iis coniunxerat. ad quos cum Cæsar nuncios misisset, qui postularent, eos, qui sibi, Galliæque bellum intulissent, vti sibi dederent, responderunt: populi R. imperium Rhenum finire: si, se inuito, Germanos in Galliam transire, non æquum existimaret: cur sui quidquam esse imperij, aut potestatis trans Rhenum postularet? Vbij autem, qui vni ex transrhenanis ad Cæsarem legatos miserant, amicitiam fe-

G cerant, obsides dederant, magnopere orabant, vt sibi auxilium ferret, quòd grauiter ab Sueuis premerentur: vel, si id facere occupationibus populi Romani prohiberetur, exercitum modò Rhenum transportaret: id sibi ad auxilium, spemque reliqui temporis satis futurum: tantum esse nomen, atque opinioné exercitus Romani, Arioui-

ſto pulſo. & hoc nouiſsimo prælio facto, vt etiam ad vltimas Germanorum nationes opinione, & amicitia populi R. tuti eſſe poſsint. nauium magnam copiam ad tráſportandum exercitum pollicebantur. Cæſar his de cauſsis, quas commemoraui, Rhenum tranſire decreuerat: ſed, nauibus tranſire, neque ſatis tutū eſſe arbitrabatur, neque ſuæ, neque populi Romani dignitatis eſſe ſtatuebat. itaque, etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis: tamen id ſibi contendendum, aut aliter non transducendū exercitū, exiſtimabat. rationem igitur pontis hanc inſtituit. Tigna bina ſeſquipedalia, paullum ab imo præacuta, dimenſa ad altitudinem fluminis, interuallo pedum duorum inter ſe iungebat. hæc cum machinationibus immiſſa in flumine defixerat, fiſtucisque adegerat, nō ſublicæ modo directa ad perpendiculum, ſed prona, ac faſtigiata vt ſecundum naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eundem modum iuncta, interuallo pedum quadragenûm ab inferiore parte, contra vim atque impetum fluminis conuerſa ſtatuebat: hæc vtraque bipedalibus trabibus immiſſis, quantum eorum tignorum iunctura diſtabat, binis vtrimque fibulis ab extrema parte diſtinebantur. quibus diſcluſis, atque in contrariam partem reuinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, vt quo maior vis aquæ ſe incitauiſſet, hoc arctius illigata tenerentur. hæc directa materia iniecta contexebantur, ac longuriis, cratibuſque conſternebantur, ac nihilo ſecius ſublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur: quæ pro pariete ſubiectæ, & cum omni opere coniunctæ, vim fluminis exciperent: & aliæ item ſupra pontem mediocri ſpatio: vt, ſi arborum trunci, ſi naues, deiiciendi operis cauſſa, eſſent à Barbaris miſſæ, his defenſoribus earum rerum vis minueretur, neu ponti nocerent. Diebus x. quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto, exercitus transducitur. Cæſar, ad vtramque partem pontis firmo præſidio relicto, in fines Sicambrorum contendit. interim à compluribus ciuitatibus ad eum legati veniunt, quibus pacem, atque amicitiam petentibus, liberaliter reſpondit, obſideſque ad ſe adduci iubet. Sicambri ex eo tempore, quo pons inſtitui cœptus eſt, fuga comparata, hortantibus iis, quos ex Tenchtheris atque Vſipetibus apud ſe habebant, finibus ſuis exceſſerant, ſuaque omnia exportauerāt, ſeque in ſolitudinem, ac ſiluas abdiderant. Cæſar paucos dies in eorum finibus moratus, omnibus vicis, ædificiiſque incenſis, frumentiſque ſuccisis, ſe in fines Vbiorum recepit, atque his auxilium ſuum pollicitus, ſi à Sueuis premerentur, hæc ab iis cognouit: Sueuos, poſtquam per exploratores pontem fieri comperiſſent, more ſuo conſilio habito, nuncios in omnes partes dimiſiſſe, vti de opidis demigrarent, liberos, vxores, ſuaque omnia in ſiluas deponerent: atque omnes, qui arma ferre poſſent, vnum in locum conuenirent: hunc eſſe delectum medium ferè regionum earum, quas Sueui obtinerent: ibi Romanorum aduentum exſpectare, atque ibi decertare conſtituiſſe. quod vbi Cæſar comperit, omnibus his rebus confectis, quarum rerum cauſſa exercitum transducere conſtituerat, vt Germanis metum iniiceret, vt Sicambros vlciſceretur, vt Vbios obſidione liberaret: diebus omnino xiix. trans Rhenum conſumptis,

A ſatis & ad laudem, & ad vtilitatem profectum arbitratus, ſe in Galliam recepit, pontemq. reſcidit. Exigua parte æſtatis reliqua Cæſar, etſi in iis locis, quòd omnis Gallia ad Septentrionem vergit, maturæ ſunt hiemes, tamen in Britanniam proficiſci contendit, quòd omnibus ferè Gallicis bellis, hoſtibus noſtris inde ſubminiſtrata auxilia intelligebat: &, ſi tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno ſibi vſui fore arbitrabatur, ſi modò inſulam adiſſet, & genus homi- B num perſpexiſſet: loca, portus, aditus cognouiſſet: quæ omnia ferè Gallis erāt incognita. neque enim temere præter mercatores adit ad illos quiſquam: neque iis ipſis quidquā, præter oram maritimam atque eas regiones, quæ ſunt contra Galliam, notū eſt. itaque, conuocatis ad ſe vndiq. mercatoribus, neque, quanta eſſet inſulæ magnitudo, neque quæ, aut quantæ nationes incolerent, neque quē vſum belli haberét, aut quibus inſtitutis vterentur, neque qui eſſent ad maiorū nauium multitudinē C idonei portus, reperire poterat. ad hæc cognoſcēda, prius quàm periculū faceret, idoneum eſſe arbitratus C. Voluſenum cum naui longa præmittit. huic mandat, vt, exploratis omnibus rebus, ad ſe quamprimum reuertatur. ipſe, cum omnibus copiis, in Morinos proficiſcitur: quòd inde erat breuiſſimus in Britanniam traiectus. huc naues vndique ex finitimis regionibus, &, quā ſuperiore æſtate ad Veneticum bellum fecerat claſſem, iubet conuenire. interim, conſilio eius cognito, & per mercatores perlato ad Britannos, à D compluribus eius inſulæ ciuitatibus ad eū legati veniunt, qui pollicerentur, obſides dare, atq. imperio populi R. obtemperare. Quibus auditis, liberaliter pollicitus, hortatuſque, vt in ea ſententia permanerent, eos domum remiſit: &, cum his vnà Comiū, quem ipſe, Atrebatibus ſuperatis, regem ibi cōſtituerat, cuius & virtutē, & cōſiliū probabat, & quē ſibi fidelē eſſe arbitrabatur, cuiuſq. auctoritas in his regionibus magna habebatur, mittit. huic imperat: quas poſſit, adeat ciuitates: horteturq., vt po- E puli R. fidē ſequantur, ſeq; celeriter eò venturum nunciet. Voluſenus, perſpectis regionibus, quantū ei facultatis dari potuit, qui naui egredi, ac ſe Barbaris cōmittere nō auderet, v. die ad Cæſarem reuertitur: quæq. ibi perſpexiſſet, renunciat. Dum in his locis Cæſar nauium parandarū cauſſa moratur, ex magna parte Morinorum legati ad eū venerunt, qui ſe de ſuperioris temporis conſilio excuſarent: quòd homines barbari, & noſtræ con- F ſuetudinis imperiti, bellum populo R. feciſſent, ſeque ea, quæ imperaſſet, facturos pollicerentur. hæc ſibi ſatis opportunè Cæſar accidiſſe arbitratus, quòd neque poſt tergum hoſtem relinquere volebat: neque belli gerēdi, propter anni tempus, facultatē habebat. neque has tantularū rerū occupationes ſibi Britanniæ anteponendas iudicabat, magnum his numerum obſidum imperat, quibus adductis, eos in fidem recepit, nauibus circiter lxxx. onerariis coactis, contractiſque, quot ſatis eſſe ad duas legiones transportandas exiſtimabat. G quidquid præterea nauium longarum habebat, quæſtori, legatis, præfectiſque diſtribuit. huc accedebant xiix. onerariæ naues, quæ ex eo loco millibus paſſuum iix. vento tenebantur, quo minus in eundem portum peruenire poſſent. has equitibus diſtribuit: reliquum exercitū Q. Titurio Sabino, & L. Aurunculeio Cottæ, legatis in Menapios, atque in eos pagos Marinorum, ab quibus ad

bus ad eum legati non venerãt, deducendũ dedit. P. Sulpicium Rufum legatum, cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere iussit. his constitutis rebus, nactus idoneam ad nauigandum tempestatem, tertia ferè vigilia soluit, equitésq; in vlteriorem portum progredi, & naues cõscendere, ac se sequi iussit: ab quibus cùm paullo tardius esset administratum, ipse hora circiter diei IV. cum primis nauibus Britanniam attigit: atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. cuius loci hæc erat natura, atque ita montibus angustis mare continebatur, vti ex locis superioribus in litus telum adigi posset. hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locũ, dum reliquæ naues eò conuenirent, ad horam IX. in anchoris exspectauit. interim legatis, tribunisque mil. conuocatis, & quæ ex Voluseno cognouisset: &, quæ fieri vellet, ostendit: monuitque, vt rei militaris ratio, maximéque vt res maritimæ postularent, vtque celerem atque instabilẽ motum haberent, ad nutum & ad tẽpus omnes res ab iis administrarentur. his dimissis & ventum & æstum vno tempore nactus secundum, dato signo, & sublatis anchoris, circiter millia passuum VIII. ab eo loco progressus, aperto, ac plano litore naues constituit. at Barbari, consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu, & essedariis, quo plerunq. genere in præliis vti cõsueuerũt, reliquis copiis subsecuti, nostros nauib. egredi prohibebãt. erat ob has caussas sũma difficultas, quòd naues propter magnitudinẽ, nisi in alto, constitui nõ poterãt. Militibus aũt, ignotis locis, impeditis manibus, magno & graui onere armorũ pressis, simul & de nauibus desiliẽdum, & in fluctibus consistendum: & cũ hostibus erat pugnandũ: cũ illi aut ex arido, aut paullulum in aquam progressi, omnibus mẽbris expediti, notissimis locis audacter tela coniicerent, & equos assuefactos incitarent. quibus rebus nostri perterriti, atque huius omnino generis pugnæ imperiti, non omnes eadẽ alacritate, ac studio, quo in pedestribus vti præliis consueuerant, vtebantur. quòd vbi Cæsar animaduertit, naues longas, quarum & species erat barbaris inusitatior, & motus ad vsum expeditior, paullulum remoueri ab onerariis nauibus, & remis incitari, & ad latus apertum hostium constitui, atq; inde fundis, tormẽtis, sagittis, hostes propelli, ac submoueri, iussit: quæ res magno vsui nostris fuit. nam & nauium figura, & remorũ motu, & inusitato genere tormentorũ permoti barbari, cõstiterunt: ac paullũ modo pedẽ retulerũt. at, nostris militib. cunctãtibus maximè propter altitudinem maris: qui X. legionis aquilã ferebat, cõtestatus deos, vt ea res legioni feliciter eueniret; Desilite, inquit, milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere. ego certe meũ Reip. atq. Imperatori officium præstitero. hoc cùm magna voce dixisset, se ex naui proiecit, atq. in hostes aquilã ferre cepit. tum nostri cohortati inter se, ne tantũ dedecus admitteretur, vniuersi ex naui desilierũt. hos itẽ alij ex primis, proximi nauibus, cũ cõspexissent, subsecuti hostibus appropinquarunt. pugnatũ est ab vtrisq. acriter. nostri tamen, quòd neq. ordines seruare, neq. firmiter insistere, neque signa subsequi, poterant, atq. alius alia ex naui, quibuscunq. signis occurrerat, se aggregabat: magnopere perturbabãtur. hostes verò, notis omnibus vadis, vbi ex litore aliquos singulares ex naui egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebãtur, plures

A paucos circunsistebant, alij ab latere aperto in vniuersos tela coniiciebãt. quòd cũ animaduertisset Cæsar, scaphas lõgarum nauium, itẽ speculatoria nauigia militib. cõpleri iussit: &, quos laborantes cõspexerat, iis subsidia summittebat. nostri simulatq. in arido constiterũt, suis omnibus consecutis, in hostes impetũ fecerũt, atq. eos in fugã dederũt: neq. lõgius persequi potuerunt, quod equites cursum tenere, atq. insulã capere nõ potuerant, hoc vnum ad pristinã fortunam Cæsari defuit. Hostes

B prælio superati, simulatque se ex fuga receperunt, statim ad Cęsarẽ legatos de pace miserunt: obsides daturos, quæq. imperasset, sese facturos, polliciti sunt. vnà cũ his legatis Comius Atrebas venit, quẽ suprà demõstraueram à Cæsare in Britanniam præmissum. hunc illi è naui egressum, cùm ad eos Imperatoris mandata perferret, cõprehenderant, atq; in vincula coniecerant. tunc, facto prœlio, remiserunt: & in petenda pace eius rei culpam in multitudinem contulerunt: & propter imprudentiam,

C vt ignosceretur, petiuerunt. Cæsar, questus, quòd cum vltrò, in continentem legatis missis, pacem à se petissent, bellum sine caussa intulissent, ignoscere imprudentiæ, dixit: obsidésque imperauit: quorum illi partem statim dederunt: partem ex longinquioribus locis accersitam, paucis pòst diebus sese daturos dixerunt. interea suos remigrare in agros iusserunt: principésque vndique conuenere: & se, ciuitatésque suas Cæsari commendarunt. his rebus pace firmata, post diem IV. quàm

D est in Britanniam ventum, naues XVIII. de quibus suprà demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex superiori portu leni vento soluerunt: quæ cum appropinquarent Britanniæ, & ex castris viderentur, tanta tempestas subitò coorta est, vt nulla earum cursum tenere posset. sed aliæ eódem, vnde erant profectæ, referrentur: aliæ ad inferiorem partem insulæ, quæ est propius Solis occasum, magno sui cum periculo deiicerentur, quæ tamen, anchoris iactis, cum fluctibus complerentur, necessariò, aduersa nocte in altum prouectæ,

E continentem petiuerunt. Eadem nocte accidit, vt esset Luna plena: quæ dies maritimos æstus maximos in Oceano efficere cõsueuit: nostrisq. id erat incognitum. ita vno tempore & longas naues, quibus Cæsar exercitum transportandum curauerat, quásque in aridum subduxerat, æstus complebat: & onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempestas afflictabat: neque vlla nostris facultas aut administrandi, aut auxiliandi dabatur.

F compluribus nauibus fractis, reliquæ cum essent, funibus, anchoris, reliquisque armamentis amissis, ad nauigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio facta est. neque enim naues erant aliæ, quibus reportari possent: & omnia deerant, quæ ad reficiendas eas vsui sunt: &, quod omnibus constabat, hiemare in Gallia oportere, frumentum his in locis in hiemem prouisum non erat: quibus rebus

G cognitis, principes Britanniæ, qui post prælium ad ea, quæ iusserat Cæsar, facienda conuenerant, inter se collocuti: cum equites, & naues, & frumentum Romanis deesse intelligerent: & paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent: quæ hoc erant etiam angustiora, quòd sine impedimentis Cęsar legiones transportauerat: optimum factu esse duxerunt, rebellione facta, frumento, commeatúque nostros prohibere, & rẽ in hiemem producere: quòd, his superatis, aut re-

ditu interclusis, neminem postea belli inferendi caussa in Britanniam transiturum confidebant. itaque, rursus coniuratione facta, paullatim ex castris discedere, ac suos clàm ex agris deducere cœperunt. At Cæsar, etsi nondum eorum consilia cognouerat, tamen & ex euentu nauium suarum, & ex eo, quòd obsides dare intermiserant, fore id, quod accidit, suspicabatur. itaque ad omnes casus subsidia comparabat. nam & frumentum ex agris in castra quotidie conferebat: &, quæ grauissimè afflictæ erant naues earum materia, atque ære ad reliquas reficiendas vtebatur: &, quæ ad eas res erant vsui, ex continenti comportari iubebat. itaque, cum id summo studio à militibus administraretur, XII. nauibus amissis, reliquis vt nauigari commodè posset, effecit. Dum ea geruntur, legione, ex consuetudine, vna frumentatum missa, quæ appellabatur VII. neque vlla ad id tempus belli suspicione interposita, cum pars hominũ in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret, ij, qui pro portis castrorum in statione erant, Cæsari renunciarunt, puluerem maiorem, quàm consuetudo ferret, in ea parte videri, quam in partem legio iter fecisset. Cæsar, id quod erat, suspicatus, aliquid noui à Barbaris initum consilij, cohortes, quæ in stationibus erant, secum in eam partem proficisci, duas ex reliquis in stationem succedere, reliquas armari, & confestim sese subsequi, iussit. cùm paullo longius à castris processisset, suos ab hostibus premi, atque ægrè sustinere, & conferta legione ex omnibus partibus tela coniici animaduertit. nam, quòd omni ex reliquis partibus demesso frumento, vna pars erat reliqua: suspicati hostes, huc nostros esse venturos, noctu in siluis delituerant. tum dispersos depositis armis, in metendo occupatos subitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbauerant: simul equitatu, atque essedis circundederant. genus hoc est ex essedis pugnæ. primò, per omnes partes perequitant, & tela coniiciunt, atq. ipso terrore equorum, & strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: & cum se inter equitum turmas insinuauere, & ex essedis desiliunt, & pedites præliantur. aurigæ interim paullum è prœlio excedunt, atque ita se collocant, vt, si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeãt. ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prœliis præstant: ac tantum vsu quotidiano, & exercitatione efficiunt, vt in decliui, ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari, ac flectere & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint. quibus rebus, perturbatis nostris nouitate pugnæ, tempore opportunissimo Cæsar auxilium tulit. namque eius aduentu hostes constiterunt, nostri ex timore se receperunt. quo facto, ad lacessendum hostes, & committendum prœlium, alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit: &, breui tempore intermisso, in castra legiones reduxit. dum hæc geruntur, nostris omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui, discesserunt. secutæ sunt continuos dies

A complures tempestates: quæ & nostros in castris continerent, & hostem à pugna prohiberent. Interim Barbari nuncios in omnes partes dimiserunt: paucitatémque nostrorum militum suis prædicauerunt: &, quanta prædæ faciendæ, atque in perpetuum sui liberãdi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demõstrauerunt. his rebus celeriter magna multitudine peditatus, equitatusque coacta, ad castra venerunt. Cæsar, etsi idem, quod superioribus diebus acciderat, fore videbat,

B vt, si essent hostes pulsi, celeritate periculum effugerent: tamen, nactus equites circiter XXX. quos Comius Atrebas, dè quo antè dictum est, secum transportauerat, legiones in acie pro castris constituit. commisso prœlio, diutius nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto spatio secuti, quantum cursu, & viribus efficere potuerunt, complures ex iis occiderunt: deinde, omnibus longè, latéque ædificiis incensis, se in castra receperunt. Eodem

C die legati ab hostibus missi, ad Cæsarem de pace venerunt. his Cæsar numerum obsidum, quem antea imperauerat, duplicauit: eósque in continentem adduci iussit: quòd propinqua die æquinoctij infirmis nauibus hiemis nauigationem subeundam non existimabat. ipse, idoneam tempestatem nactus, paullò post mediam noctem naues soluit: quæ omnes incolumes ad continentem peruenerunt. ex his onerariæ II. eosdem portus, quos reliquæ, capere non potuerunt, sed paullò infra dela-

D tæ sunt. quibus ex nauibus cum essent expositi milites circiter CCC. atque in castra contenderent, Morini, quos Cæsar, in Britanniam proficiscens, pacatos reliquerat, spe prædæ adducti, primò non ita magno suorum numero circumsteterunt: ac, si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt. cum illi, orbe facto, sese defenderent, celeriter ad clamorem, hominum circiter millia VI. conuenerunt. qua re nũc iata, Cæsar omnem ex castris equitatum suis auxilio misit. interim nostri milites impetum hostium sustinuerunt: atque

E amplius horis IV. fortissimè pugnauerũt: & paucis vulneribus acceptis, complures ex iis occiderunt. postea verò quàm equitatus noster in conspectum venit, hostes, abiectis armis, terga verterunt, magnusque eorum numerus est occisus. Cæsar postero die T. Labienum legatum cum iis legionibus, quas ex Britannia reduxerat, in Morinos, qui rebellionem fecerant, misit. qui cum propter siccitates paludum, quò se reciperent, non

F haberent, quo perfugio superiore anno fuerant vsi, omnes ferè in potestatem Labieni venerunt. At Q. Titurius & L. Cotta, legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis, ædificiisque incensis, quòd Menapij omnes se in densissimas siluas abdiderant, ad Cæsarem se receperunt. Cæsar in Belgis omnium legionum hiberna constituit. eò duæ omnino ciuitates ex Britannia obsides miserunt: reliquæ neglexerunt. His rebus gestis, ex literis Cæsaris, dierum XX. supplicatio à Senatu decreta est.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LIBER V.

A L VCIO Domitio, Ap. Claudio cos. discedens ab hibernis Cæsar in Italiam, vt quotannis facere consueuerat, legatis imperat, quos legionibus præfecerat, vti quamplurimas possent hieme naues ædificandas, veterésque reficiendas curarent. earum modum, formámque demonstrat. ad celeritatem onerandi, subductionésque, paullo facit humiliores, quàm quibus nostro mari vti consueuimus: atque id eo magis, B quòd, propter crebras commutationes æstuum, magis magnos ibi fluctus fieri cognouerat: ad onera, & ad multitudinem iumentorum transportandam paullo latiores, quàm quibus in alio mari vti assueuerant. has omnes actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multum adiuuat. ea, quæ sunt vsui ad armádas naues, ex Hispania apportari iubet. ipse, conuentibus Galliæ citerioris C peractis, in Illyricum proficiscitur, quòd à Pirustis finitimam partem Prouinciæ incursionibus vastari audiebat. eò cùm venisset, ciuitatibus milites imperat, certúmque in locũ conuenire iubet. qua re nunciata, Pirustæ legatos ad eum mittunt, qui doceant nihil earum rerum publico factum consilio: seséque paratos esse demonstrant, omnibus rationibus de iniuriis satisfacere. accepta oratione eorum, Cæsar obsides imperat, eósque ad certam diem adduci iubet. nisi ita fecerint, sese bello D ciuitatem persecuturum, demonstrat. iis ad diem adductis, vt imperauerat, arbitros inter ciuitates dat, qui litem æstiment, pœnámque constituant. His confectis rebus, conuentibúsque peractis, in citeriorem Galliam reuertitur, atque inde ad exercitum proficiscitur. eò cùm venisset, circuitis omnibus hibernis, singulari militum studio, in summa rerum omnium inopia, circiter DC. eius E generis, cuius suprà demonstrauimus, naues, & longas duodetriginta inuenit instructas, neque multum abesse ab eo, quin paucis diebus deduci possent. collaudatis militibus, atque iis, qui negotio præfuerant, quid fieri velit, ostendit: atque omnes ad portum Iccium conuenire iubet. quo ex portu commodissimum in Britanniam transiectum esse cognouerat, circiter millium passuum XXX. transmissum à continenti. huic rei quod satis F esse visum est militum, relinquit: ipse cum legionibus expeditis IV. & equitibus DCCC. in fines Treuirorum proficiscitur: quòd hi neque ad consilia veniebant, neque imperio parebant, Germanósque transrhenanos sollicitare dicebantur.

hæc ciuitas longè plurimum totius Galliæ equitatu valet, magnásque habet copias peditum, Rhenúmque, vt suprà demonstrauimus, tangit. In ea ciuitate duo de principatu inter se contendebant, Induciomarus, & Cingetorix: ex quibus alter, simulátque de Cæsaris, legionúmque aduentu cognitum est, ad eum venit: se, suósque omnes in officio futuros, neque ab amicitia populi R. defecturos, confirmauit: quæque in Treuiris gererentur, ostendit. at Induciomarus equitatum peditatúmque cogere, iísque, qui per ætatem in armis esse non poterant, in siluam Arduennam abditis, quæ ingenti magnitudine per medios fines Treuirorum à flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinet, bellum parare instituit. sed postea quam nonnulli principes ex ea ciuitate, & familiaritate Cingetorigis adducti, & aduentu nostri exercitus perterriti, ad Cæsarem venerunt, & de suis priuatim rebus ab eo petere cœperunt, quoniam ciuitati consulere non possent: veritus, ne ab omnibus desereretur, Induciomarus, legatos ad Cæsarem mittit, sese iccirco à suis discedere, atque ad eum venire noluisse, quò facilius ciuitatem in officio contineret, ne omnis nobilitatis discessu, plebs propter imprudentiam laberetur. itaque ciuitatem in sua potestate esse: seséque si Cæsar permitteret, ad eum in castra venturum, & suas, ciuitatísque fortunas eius fidei permissurum. Cæsar, etsi intelligebat, qua de caussa ea dicerentur, quæque eum res ab instituto consilio deterreret: tamen, ne æstatem in Treuiris consumere cogeretur, omnibus rebus ad Britannicum bellum comparatis, Induciomarum ad se cũ CC. obsidibus venire iussit. his adductis, & in iis filio, propinquísque eius omnibus, quos nominatim euocauerat, consolatus Induciomarum, hortatúsque est, vti in officio permaneret: nihilo tamen secius principibus Treuirorum ad se conuocatis, eos sigillatim Cingetorigi cōciliauit. quod cùm merito eius à se fieri intelligebat: tum magni interesse arbitrabatur, eius auctoritatem inter suos quamplurimum valere, cuius tam egregiam in se voluntatem perspexisset. id factum grauiter tulit Induciomarus, suam gratiam inter suos minui: & qui iam antè inimico in nos animo fuisset, multo grauius hoc dolore exarsit. His rebus constitutis, Cæsar ad portum Iccium cum legionibus peruenit. ibi cognoscit, XL. naues, quæ in Meldis factæ erant, tempestate reiectas, tenere cursum non potuisse, atque eodem, vnde erant profectæ, relatas: reliquas paratas ad nauigádum, atque omnibus rebus instructas, inuenit. Eòdem equitatus totius Galliæ conuenit: numero, mil-

lium, & principésque ex omnibus ciuitatibus, ex quibus perpaucos, quorum in se fidem perspexerat: relinquere in Gallia, reliquos obsidum loco secum ducere decreuerat: quòd, cùm ipse abesset, motum Galliæ verebatur. Erat vnà cum ceteris Dumnorix Æduus, de quo à nobis antea dictum est. hunc secum ducere in primis constituerat, quòd eum cupidum rerum nouarum, cupidū imperij, magni animi, magnæ inter Gallos auctoritatis cognouerat. Accedebat huc, quòd iam in concilio Æduorum Dūnorix dixerat, Sibi à Cæsare regnum ciuitatis deferri: quod dictum Ædui grauiter ferebant, neque recusandi, neque deprecandi caussa legatos ad Cæsarem mittere audebant, id factum ex suis hospitibus Cæsar cognouerat. ille primò omnibus precibus petere contendit, vt in Gallia relinqueretur: partim, quòd insuetus nauigandi, mare timeret: partim quòd religionibus sese diceret impediri. posteaquam id obstinatè sibi negari vidit, omni spe impetrandi adempta, principes Galliæ sollicitare, seuocare singulos, hortaríque cœpit, vt in continenti remanerent: metu territare, nòn sine caussa fieri, vt Gallia omni nobilitate spoliaretur: id esse consilium Cæsaris, vt quos in conspectu Galliæ interficere vereretur, hos omnes in Britanniam transductos necaret: fidē reliquis interponeret: iusiurandum poscere: vt, quod esse ex vsu Galliæ intellexissent, communi consilio administrarent. Hæc à compluribus ad Cæsarem deferebantur. qua re cognita, Cæsar, quòd tantum ciuitati Æduæ dignitatis tribuebat, coercendum, atque deterrendum quibuscumque rebus posset, Dumnorigem statuebat: quòd longius eius amentiam progredi videbat, prospiciendum, ne quid sibi, ac Reipub. nocere posset. itaque dies circiter xxv. in eo loco commoratus, quòd Corus ventus nauigationem impediebat: qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consueuit: dabat operam, vt Dumnorigem in officio contineret, nihilo tamen secius omnia eius consilia cognosceret. tandem, idoneam tempestatem nactus, milites, equitésque conscendere naues iubet. At, impeditis omnium animis, Dumnorix cum equitibus Æduorum à castris, insciēte Cæsare, domum discedere cœpit. qua re nunciata, Cæsar, intermissa profectione, atque omnibus rebus postpositis, magnam partem equitatus ad eum insequendum mittit, retrahíque imperat: si vim faciat, neque pareat, interfici iubet. nihil hunc, se absente, pro sano facturum arbitratus, qui præsentis imperium neglexisset. ille autem reuocatus resistere, ac se manu defendere, suorúmque fidem implorare cœpit, sæpe clamitans, Liberum se, liberæque ciuitatis esse. illi, vt erat imperatum: circunsistunt, hominémque interficiunt. at Ædui equites ad Cæsarem omnes reuertuntur. His rebus gestis, Labieno in continente cum III. legionibus, & equitum millibus II. relicto, vt portus tueretur, & rei frumentariæ prouideret, quæque in Gallia gererentur, cognosceret, & consilium pro tempore, & pro re caperet: ipse cum legionibus v. & pari numero equitum, quem in continente reliquerat, ad solis occasum naues soluit, &, leni Africo prouectus, media circiter nocte vento intermisso, cursum non tenuit: & longius delatus æstu, orta luce, sub sinistra Britanniam relictam conspexit. tum rursus, æstus commutationem secutus, remis contendit, vt eam partem insulæ caperet, quà

A optimum esse egressum superiore æstate cognouerat. qua in re admodum fuit militū virtus laudanda, qui vectoris, grauibúsque nauigiis, non intermisso remigandi labore, lōgarum nauium cursum adæquauerunt. accessum est ad Britanniam omnibus nauibus meridiano ferè tempore: neque in eo loco hostis est visus. sed, vt postea Cæsar ex captiuis comperit, cùm magnæ manus eò conuenissent, multitudine nauium perterritæ, quæ cùm annotinis, priuatísque, quas sui quisque commodi

B caussa fecerat, amplius DCCC. vno erant visæ tempore, à litore discesserant, ac se in superiora loca abdiderant. Cæsar, exposito exercitu, ac loco castris idoneo capto, vbi ex captiuis cognouit, quo in loco hostium copiæ consedissent, cohortibus x. ad mare relictis, & equitibus CCC. qui præsidio nauibus essent, de III. vigilia ad hostes contendit, eò minus veritus nauibus, quòd in litore molli, atque aperto, deligatas ad anchoras relinquebat, & præsidio nauibus Q. Atrium præfecit. ipse,

C noctu progressus millia passuum circiter XII. hostium copias conspicatus est. illi equitatu, atque essedis ad flumen progressi ex loco superiore nostros prohibere, & prœlium committere cœperunt: repulsi ab equitatu, se in siluas abdiderunt, locum nacti, egregiè & natura, & opere munitum: quem, domestici belli, vt videbatur, caussa, iā antè præparauerant. nam crebris arboribus succisis, omnes introitus erant præclusi. ipsi ex siluis raris propugnabant, nostrósque intra munitiones ingredi prohibebant. at milites legionis VII.

D testudine facta, & aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt, eósque ex siluis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. sed eos fugientes longius Cæsar persequi vetuit, & quòd loci naturam ignorabat, & quòd, magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinqui volebat. Postridie eius diei, mane, tripartito milites equitésque in expeditionem misit, vt eos, qui fugerant, persequerentur. iis aliquantum itineris progressis, cùm iam extremi essent in conspectu, equites à

E Q. Atrio ad Cæsarem venerunt, qui nunciarent, superiori nocte maxima coorta tempestate, propè omnes naues afflictas, atque in litus eiectas esse: quòd neque anchoræ, funésque subsisterent, neque nautæ, gubernatorésque vim tempestatis pati possent: itaque ex eo concursu nauium magnum esse incommodum acceptum. His rebus cognitis, Cæsar legiones, equitatumque reuocari, atque itinere desistere iubet: ipse ad naues reuertitur: eadem ferè, quę ex nunciis, literísque

F cognouerat, coram perspicit, sic, vt, amissis circiter XL. nauibus, reliquę tamen refici posse magno negotio viderentur. itaque ex legionibus fabros deligit, & ex continente alios accersiri iubet: Labieno scribit, vt, quamplurimas posset, iis legionibus, quæ sunt apud eum, naues instituat: ipse, etsi res erat multæ operæ, ac laboris, tamen commodissimum esse statuit, omnes naues subduci, & cū castris vna munitione coniungi. in his rebus circiter dies x. consumit, ne nocturnis quidem

G temporibus ad laborem militum intermissis. Subductis nauibus, castrísq; egregiè munitis, easdem copias, quę antea pręsidio nauibus fuerāt, relinquit. ipse eodē, vnde redierat, ꝓficiscitur. eò cū venisset, maiores iam vndiq; in eū locū copiæ Britannorū conuenerant. summa imperij, bellique administrandi, cōmuni cōsilio permissa est Cassiuellauno, cuius fines à maritimis ciuitatibus flumen diuidit,

quod

quod appellatur Thamesis, à mari circiter millia passuum LXXX. huic superiori tempore cum reliquis ciuitatibus continentia bella intercesserant. sed, nostro aduentu permoti Britanni, hunc toti bello, imperióque præfecerant. Britanniæ pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt, maritima pars ab iis, qui, prædæ ac belli inferendi caussa, ex Belgio transierant, qui omnes ferè iis nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eò peruenerunt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt. hominum est infinita multitudo, creberrimáque ædificia, ferè Gallicis consimilia: pecoris magnus numerus: vtuntur aut nummo æreo, aut annulis ferreis, ad certum pondus examinatis, pro nummo. nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum: sed eius exigua est copia: ære vtuntur importato. materia cuiusque generis, vt in Gallia, est, præter fagum, atque abietem. Leporem, & gallinam, & anserem gustare, fas non putant: hæc tamen alunt, animi voluptatísque caussa. loca sunt temperatiora, quàm in Gallia, remissioribus frigoribus. Insula natura triquetra, cuius vnum latus est contra Galliam, huius lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quò ferè omnes ex Gallia naues appelluntur, ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat. huius latus tenet circiter millia passuum D. alterum vergit ad Hispaniam, atque occidentem solem, qua ex parte est Hibernia, dimidio minor, vt existimatur, quàm Britannia: sed pari spatio transmissus, atque ex Gallia, est in Britanniam. in hoc medio cursu est insula, quæ appellatur Mona: complures præterea minores obiectæ insulæ existimantur: de quibus insulis nonnulli scripserunt, dies continuos XXX. sub bruma esse noctem. nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi quòd, certis ex aqua mensuris, breuiores esse noctes, quàm in continente, videbamus. huius est longitudo lateris, vt fert illorum opinio, DCC. millium passuum. tertium est contra Septentrionem. cui parti nulla est obiecta terra: sed eius angulus lateris maximè ad Germaniam spectat. huic millia passuum DCCC. in longitudinem esse arbitrantur. ita omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum. ex his omnibus longè sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quæ regio est maritima omnis, neque multum à Gallica differunt consuetudine. interiores plerique frumenta non serunt: sed lacte, & carne viuunt: pellibúsq; sunt vestiti: omnes verò se Britanni luteo inficiunt, quod cæruleum efficit colorem: atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu: capillóque sunt promisso, atque omni parte corporis rasa, præter caput, & labrum superius. vxores habent deni, duodeníque inter se communes, & maximè fratres cum fratribus; & parentes cum liberis. sed, si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primùm virgines quæque ductæ sunt. Equites hostium, essedariíque acriter prœlio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt; ita tamen, vt nostri omnibus partibus superiores fuerint, atque eos in siluas, collésque compulerint, sed, compluribus interfectis, cupidius insecuti, nonnullos ex suis amiserunt. at illi, intermisso spatio, imprudentibus nostris, atque occupatis in munitione castrorum, subitò se ex siluis eiecerunt: impetúque in eos facto, qui erant in statione pro castris collocati, acriter pugnauerunt:

A duabúsque missis subsidio cohortibus à Cæsare, atque his primis legionum II. cùm hæ, intermisso perexiguo loci spatio, inter se constitissent, nouo genere pugnæ perterritis nostris, per medios audacissimè perruperunt, séque inde incolumes receperunt. Eo die Q. Laberius Durus, Tribunus mil. interficitur. illi, pluribus submissis cohortibus, repelluntur. Toto hoc in genere pugnæ cùm sub oculis omnium, ac pro castris dimicaretur, intellectum est, nostros, propter grauitatem armorum,
B quod neque insequi cedentes possent, neque ab signis discedere auderent, minus aptos esse adhuius generis hostem; equites autem magno cũ periculo dimicare, propterea quòd illi etiam cõsultò plerumq; cederét; &, cum paullulum ab legionibus nostros remouissent, ex essedis desilirét, & pedibus dispari prœlio contenderent. Equestris autẽ prœlij ratio & cedentibus, & insequẽtibus par, atque idem periculum inferebat. Accedebat huc, vt nunquam conferti, sed rari, magnísque inter-
C uallis, prœliarentur, stationésq; dispositas haberét, atq; alios alij deinceps exciperent, integriq;, & recentes defatigatis succederent. postero die, procul à castris hostes in collibus constiterunt, rarique se ostendere, & lentius, quàm pridie, nostros equites prœlio lacessere cœperunt. sed meridie, cum Cæsar pabulandi caussa III. legiones atque omnem equitatum cum C. Trebonio legato misisset, repente ex omnibus partibus ad pabulatores aduolauerunt, sic, vti ab signis, legionibúsque non absiste-
D rent, nostri, acriter in eos impetu facto, repulerũt: neque finem insequendi fecerunt, quoad subsidio confisi equites, cum post se legiones viderét, præcipites hostes egerunt: magnoque eorum numero interfecto, neque sui colligendi, neque consistendi, aut ex essedis desiliendi facultatem dederũt: ex hac fuga protinus, quæ vndique conuenerant, auxilia discesserunt, neque post id tempus vnquam summis nobiscum copiis hostes contenderunt. Cæsar, cognito consilio eorum, ad flumen Tha-
E mesim, in fines Cassiuellauni, exercitum duxit: quod flumen vno omnino loco pedibus, atq; hoc ægrè transiri potest. eò cum venisset, animaduertit, ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas. Ripa autem erat acutis sudibus præfixis munita: eiusdémq; generis sub aqua defixæ sudes flumine tegebantur. iis rebus cognitis à captiuis, perfugísque, Cæsar, præmisso equitatu, confestim legiones subsequi iussit. sed ea celeritate, atque impetu milites ierunt, cum capite
F solo ex aqua extarent, vt hostes impetum legionum, atque equitum sustinere non possent, ripásque dimitterent, ac se fugæ mandarent. Cassiuellaunus, vt suprà demonstrauimus, omni spe depositæ contentionis, dimissis amplioribus copiis, millibus circiter IV. essedariorum retentis, itinera nostra seruabat: paullulumque ex via excedebat, locísque impeditis, atque siluestribus sese occultabat: atque iis regionibus, quibus nos iter facturos cognouerat, pecora, atque homines ex a-
G gris in siluas compellebat: & cum equitatus noster liberius, vastandi, prædandíque caussa, se in agros effunderet, omnibus viis notis, semitísque, essedarios ex siluis emittebat: &, magno cum periculo nostrorum equitum, cum iis confligebat, atque hoc metu latius vagati prohibebatur, relinquebatur, vt neque longius ab agmine legionum discedi Cæsar pateretur, & tantum in agris vastandis, incendiísque faciendis hostibus noceretur,

A quantum labore, atque itinere legionarij milites efficere poterant. Interim Trinobantes, propè firmissima earum regionum ciuitas, ex qua Mandubratius adolescens, Cæsaris fidem secutus, ad eum in continentem Galliam venerat, cuius pater Imanuentius in ea ciuitate regnum obtinuerat, interfectúsque erat à Cassiuellauno, ipse fuga mortem vitauerat, legatos ad Cæsarem mittunt: pollicentúrque sese ei dedituros, & imperata facturos: petunt, vt Mandubratium ab iniuria Cassiuellauni defendat; atque in ciuitatem mittat, qui præsit, imperiumque obtineat. his Cæsar imperat obsides XL. frumentumque exercitui: Mandubratiumque ad eos mittit. illi imperata celeriter fecerunt: obsides ad numerum frumentumq; miserunt. Trinobantibus defensis, atque ab omni militum iniuria prohibitis, quæ Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Cassi, legationibus missis sese Cæsari dediderunt. ab his cognoscit, non longè ex eo loco opidum Cassiuellauni abesse, siluis, paludibusque munitum, quò satis magnus hominum, pecorisque numerus conuenerit. Opidum autem Britanni vocant, cùm siluas impeditas vallo, atque fossa munierunt, quo incursionis hostium vitandæ caussa, conuenire consueuerunt. eò proficiscitur cum legionibus: locum reperit egregiè natura, atque opere munitú: tamen hunc duabus ex partibus oppugnare contendit. Hostes, paullisper morati, militum nostrorum impetum non tulerunt: seséque ex alia parte opidi eiecerunt. magnus ibi numerus pecorum repertus: multique in fuga sunt comprehensi, atque interfecti. Dum hæc in his locis geruntur, Cassiuellaunus ad Cantium, quod esse ad mare, suprà demonstrauimus, quibus regionibus IV. reges præerant, Cingetorix, Caruilius, Taximagulus, Segonax, nuncios mittit: atque his imperat, vt, coactis omnibus copiis, castra naualia de improuiso adoriantur, atque oppugnent. hi cum ad castra venissét, nostri eruptione facta, multis eorum interfectis, capto etiam nobili duce Cingetorige, suos incolumes reduxerunt. Cassiuellaunus, hoc prœlio nuncia[t]o, tot detrimentis acceptis, vastatis finibus, maximè etiam permotus defectione ciuitatum, legatos per Atrebatem Comium, de deditione, ad Cæsaré mittit. Cæsar, cùm statuisset hiemare in continente, propter repentinos Galliæ motus, neque multum æstatis superesset, atque id facilè extrahi posse intelligeret, obsides imperat: &, quid in annos singulos vectigalis populo Romano Britannia penderet, constituit. interdicit, atque imperat Cassiuellauno, ne Mandubratio, neu Trinobantibus noceat. Obsidibus acceptis, exercitum reducit ad mare, naues inuenit refectas. his deductis, quòd & captiuorum magnum numerum habebat, & nonnullę tempestate deperierant naues, duobus commeatibus exercitum reportare cóstituit. ac sic accidit, vt ex tanto nauium numero, tot nauigationibus, neque hoc, neque superiore anno vlla omnino nauis, quæ milites portaret, desideraretur. at ex iis, quæ inanes ex cótinente ad eum remitterentur, & prioris commeatus expositis militibus, & quas postea Labienus faciendas curauerat, numero LX. perpaucæ locum caperent, reliquæ ferè omnes reiicerentur. quas cùm aliquandiu Cæsar frustrà expectasset, ne anni tempore nauigatione excluderetur, quòd æquinoctium suberat, necessariò angustius milites collocauit: ac summam tranquillitatem consecutus, secunda inita cum soluisset vigilia, prima luce terram attigit, omnésque incolumes naues perduxit. Subductis nauibus, cócilioq; Gallorum Samarobrinæ peracto, quòd eo anno frumentum in Gallia, propter siccitates, angustius prouenerat, coactus est aliter, ac superioribus annis, exercitú in hibernis collocare, legionésque in plures ciuitates distribuere: ex quibus vnã in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit: alteram in Neruios, Q. Ciceroni tertiam in Essuos, L. Roscio: B quartam in Rhemis, cum T. Labieno, in confinio Treuirorum, hiemare iussit: tres in Belgio collocauit: his M. Crassum quæstorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium, legatos præfecit: vnam legionem, quam proximè trans Padum conscripserat, & cohortes V. in Eburones, quorum pars maxima est inter Mosam, & Rhenum, qui sub imperio Ambiorigis & Catiuulci erant, misit. his militibus Q. Titurium Sabinum, & L. Aurunculeium Cottam, legatos, præesse iussit. Ad hunc C modum distributis legionibus, facillimè inopiæ frumentariæ sese mederi posse existimauit. atque harum tamen omnium legionum hiberna (præter eam, quam L. Roscio in pacatissimam & quietissimam partem ducendam dederat) millibus passuum C. continebantur. ipse interea, quoad legiones collocasset, munitáque hiberna cognouisset, in Gallia morari constituit. Erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius; cuius maiores in sua ciuitate regnum obtinuerant. huic Cæsar, D pro eius virtute, atque in se beneuolentia, quod in omnibus bellis singulari eius opera fuerat vsus, maiorum locum restituerat. tertium iá hunc annum regnátem inimici palàm, multis etiam ex ciuitate auctoribus, interfecerunt. defertur ea res ad Cæsarem. ille, veritus, quod ad plures res pertinebat, ne ciuitas eorum impulsu deficeret, L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet, ibique hiemare; quorum opera cognouerat Tasgetium interfectum, hos comprehensos ad se mittere. interim ab om- E nibus legatis, quæstoribúsque, quibus legiones tradiderat, certior factus est, in hiberna peruentum, locumq; hibernis esse munitum. diebus circiter XV. quibus in hiberna vétum est, initium repentini tumultus, ac defectionis, ortum est ab Ambiorige, & Catiuulco: qui, cùm ad fines regni sui Sabino, Cottęque præsto fuissent, frumentumque in hiberna comportauissent, Inducio mari, Treuiri nunciis impulsi, suos concitauerunt: subitoq; oppressis lignatoribus, magna manu castra F oppugnatum venerunt. cum celeriter nostri arma cepissent, vallumq; adscédissent: atq; vna ex parte Hispanis equitibus emissis, equestri prœlio superiores fuissent: desperata re, hostes suos ab oppugnatione reduxerunt. tum suo more conclamauerunt, vti aliqui ex nostris ad colloquium prodirent: habere sese, quæ de re communi dicere vellent: quibus controuersias minui posse sperarent. mittitur ad eos colloquendi caussa C. Carpineius, eques Romanus, familiaris Q. Titurij, & Q. Iunius G ex Hispania quidam, qui iam antè, missu Cæsaris, ad Ambiorigem vendita re consueuerat: apud quos Ambiorix in hunc modum locutus est: Sese pro Cæsaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere, quòd eius opera stipendio liberatus esset, quod Aduaticis finitimis suis pédere cósueuerat, quodque ei & filius, & fratris filius ab Cæsare remissi essét, quos Aduatici, obsidum numero missos

apud

apud se in seruitute, & catenis tenuissent: neque id quod fecerat de oppugnatione castrorũ, aut iudicio, aut volũtate sua fecisse, sed coactu ciuitatis: suaque esse eiusmodi imperia, vt nõ minus haberet in se iuris multitudo, quàm ipse in multitudinẽ: ciuitati porro hanc fuisse belli caussã, quod repentinæ Gallorum coniurationi resistere non potuerit: id se facilè ex humilitate sua probare posse, quòd non adeò sit imperitus rerum, vt suis copiis populum Romanum se superare posse cõfidat: sed esse Galliæ commune consilium, omnibus hibernis Cæsaris oppugnandis hunc esse dictum diem, ne qua legio alteri legioni subsidio venire posset: non facilè Gallos Gallis negare potuisse, præsertim cum de recuperanda communi libertate cõsilium initum videretur: quibus quoniam pro pietate satisfecerit, habere se nũc rationem officij: pro beneficijs Cæsaris monere, orare Titurium pro hospitio, vt suæ, ac militum saluti consulat: magnam manum Germanorum conductam Rhenum transisse, hanc affore biduo: ipsorum esse consilium, velintne prius, quàm finitimi sentiant, eductos ex hibernis milites aut ad Ciceronem, aut ad Labienũ deducere: quorum alter millia passuum circiter L. alter paullo amplius ab iis absit. illud se polliceri, & iureiurando confirmare, tutum se iter per fines suos daturum, quod cùm faciat, & Ciuitati sese consulere, quòd hibernis leuetur, & Cæsari pro eius meritis gratiam referre. Hac oratione habita discedit Ambiorix. Carpineius, & Iunius, quæ audierant, ad legatos deferunt. illi, repentina re perturbati, etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabant: maximéque hac re permouebãtur, quòd ciuitatem ignobilem, atque humilẽ Eburonum, sua sponte, populo Romano bellum facere ausam vix erat credendum. Itaque ad concilium rem deferunt, magnaque inter eos ex his tot caussis controuersia orta est. L. Aurunculeius, complurésque Tribuni mil. & primorum ordinum Centuriones, nihil temerè agendum, neque ex hibernis iniussu Cæsaris discedendum existimabant: quantasvis magnas copias etiam Germanorum sustineri posse, munitis hibernis, docebant: rem esse testimonio, quòd primum hostium impetum multis vltro vulneribus illatis, fortissimè sustinuerint: re frumentaria non premi: interea & ex proximis hibernis, & à Cæsare conuentura subsidia. postremò, quid esset leuius, aut turpius, quàm, auctore hoste, de summis rebus capere consilium? Contra ea Titurius serò facturos, clamitabat, cùm maiores manus hostium, adiunctis Germanis, conuenissent, aut cum aliquid calamitatis in proximis hibernis esset acceptum, breuem consulendi esse occasionem, Cæsarem arbitrari profectum in Italiam, neque aliter Carnutes interficiendi Tasgetij consilium fuisse capturos neque Eburones, si ille adesset, tanta cum contemptione nostri ad castra venturos esse, non hostem auctorem, sed rem, spectare, subesse Rhenum magno esse Germanis dolori Ariouisti mortem, & superiores nostras victorias: ardere Galliam, tot contumeliis acceptis, sub populi Romani imperium redactam, superiore gloria rei militaris exstincta; postremò, quis hoc sibi persuaderet, sine certa re, Ambiorigem ad eiusmodi consilium, descendisse? suam sententiam in vtramque partem esse tutam: si nihil sit durius, nullo cum periculo ad proximam legionem peruenturos, si

A Gallia omnis cum Germanis consentiat, vnam esse in celeritate positam salutem. Cottæ quidem atque eorum, qui dissentirent, consilium quem haberet exitum? in quo si non præsens periculum, at certè longa obsidione fames esset pertimescenda. Hac in vtramque partem habita disputatione, cùm à Cotta, primisque ordinibus acriter resisteretur, Vincite, inquit, si ita vultis, Sabinus, & id clariore voce, vt magna pars militum exaudiret: neque is sũ, inquit, qui grauissimè ex vobis mor- B tis periculo terrear: hi sapient, si grauius quid acciderit, abs te rationem reposcent, qui, si per te liceat, perendino die cum proximis hibernis coniuncti, communem cum reliquis belli casum sustineant. nec reiecti, & relegati longè ab ceteris, aut ferro, aut fame intereant. Consurgitur ex concilio: comprehendunt vtrumque, & orant, ne sua dissensione, & pertinacia rem in summum periculum deducant: facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur, si modò vnum omnes sentiant, C ac probent: contrà in dissensione nullam se salutẽ perspicere. Res disputatione ad mediam noctem perducitur, tandem dat Cotta permotus manus: superat sententia Sabini: pronunciatur, prima luce ituros: consumitur vigiliis reliqua pars noctis, cùm sua quisque miles circunspiceret, quid secũ portare posset, quid ex instrumento hibernorum relinquere cogeretur. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, & languore militum, & vigiliis periculum augeatur. prima lu- D ce sic ex castris proficiscuntur, vt, quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo Ambiorige consilium datum, longissimo agmine, magnisque impedimentis. At hostes, postea quam ex nocturno fremitu, vigiliisque de profectione eorum senserunt, collocatis insidiis, bipartito in siluis, opportuno, atque occulto loco à millibus passuum circiter II. Romanorum aduentum exspectabant: &, cum se maior pars agminis, in magnam conuallem demisis- E ser, ex vtraq. parte eius vallis subitò sese ostenderunt, nouissimosq. premere, & primos prohibere adscensu, atque iniquissimo nostris loco prœlium committere cœperunt. tum demum Titurius, vti qui nihil antè prouidisset, trepidare, & cõcursare, cohortesque disponere. hæc tamen ipsa timidè atque vt cum omnia deficere viderẽtur: quod plerumque iis accidere consueuit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur. at Cotta, qui cogitasset, hæc posse in itinere accidere, atque ob eã F caussam profectionis auctor non fuisset, nulla in re communi saluti deerat & appellandis, cohortandisque militibus, imperatoris & in pugna, militis officia præstabat. cumque propter longitudinem agminis minus facilè per se omnia obire, &, quid quoquo loco faciendum esset, prouidere possent, iusserunt pronunciari, vt impedimenta relinquerent, atque in orbẽ consisterent: quod cõsiliũ etsi in eiusmodi casu reprehendendũ nõ est, tamẽ incõmodè accidit. nam & nostris militibus G spem minuit, & hostes ad pugnãdũ alacriores effecit, quod nõ sine sũmo timore, & desperatione id factũ videbatur. præterea accidit, quod fieri necesse erat, vt vulgò milites ab signis discederent: quæque quisq. eorũ carissima haberet, ab impedimẽtis petere, atq. arripere properaret, & clamore, ac fletu omnia complerẽtur. At Barbaris consiliũ non defuit. nam duces eorũ tota acie pronunciari iusserunt, ne quis ab loco discederet, illorum esse

prædā, atque illis reseruari, quæcunque Romani reliquissent: proinde omnia in victoria posita existimarent. erant & virtute, & numero pugnandi pares nostri: tametsi à duce, & à fortuna deserebantur: tamen omnē spē salutis in virtute ponebant, & quoties quæq. cohors procurrerat, ab ea parte magnus hostiū numerus cadebat. qua re animaduersa, Ambiorix pronūciari iubet, vt procul tela coniiciant, neu propius accedant: &, quam in partem Romani impetum fecerint, cedant: leuitate armorum, & quotidiana exercitatione, nihil iis noceri posse: rursus, se ad signa recipientes, insequantur. quo præcepto ab iis diligentissimè obseruato, cùm quæpiam cohors ex orbe excesserat, atque impetum fecerat, hostes velocissimè refugiebant. interim ea parte nudari necesse erat, & ab latere aperto tela recipi. rursus, cum in eum locum, vnde erant egressi, reuerti cœperant, & ab iis, qui cesserant, & ab iis, qui proximi steterant, circumueniebantur: sin autem locum tenere vellent, neque virtuti locus relinquebatur, neque à tanta multitudine coniecta tela à confertis vitari poterant. tamen, iam multis incommodis conflictati, multis vulneribus acceptis, resistebant, &, magna parte diei consumpta, cum à prima luce ad horam VIII. pugnaretur, nihil, quod ipsis esset indignum, committebant. tum T. Baluentio, qui superiore anno primum pilum duxerat, viro forti, & magnæ auctoritatis, vtrumque femur tragula traiicitur. Q. Lucanius, eiusdem ordinis, fortissimè pugnans, dum circumuento filio subuenit, interficitur. L. Cotta legatus, omnes cohortes ordinésque adhortans, in aduersum os funda vulneratur. his rebus permotus Q. Titurius, cum procul Ambiorigem suos cohortantem conspexisset, interpretem suum, Cn. Pompeium, ad eum mittit, rogatum, vt sibi, militibusque parcat. ille, appellatus respondit: si velit, secum colloqui, licere: sperare à multitudine impetrari posse, quòd ad militum salutem pertineat; ipsi verò nihil nocitum iri, inque eam rem se suam fidem interponere. ille cum Cotta saucio communicat, si videatur, pugna vt excedant, & cum Ambiorige vnà colloquantur, sperare se ab eo suamque, ac militum salutem impetrari posse. Cotta se ad armatum hostem iturum, negat, atque in eo perseuerat. Sabinus, quos in præsentia Tribunos mil. circum se habebat, & primorum ordinum Centuriones, se sequi iubet. &, cum propius Ambiorigem accessisset, iussus arma abiicere, imperata facit, suisque vt idem faciant, imperat. interim, dum de conditionibus inter se agunt, longiorque consultò ab Ambiorige instituitur sermo, paullatim circumuentus interficitur. tum verò, suo more, victoriam conclamant, atque vlulatum tollunt, impetuque in nostros facto, ordines perturbant. ibi L. Cotta pugnans interficitur cum maxima parte militum, reliqui se in castra recipiunt, vnde erant egressi. ex quibus L. Petrosidius aquilifer, cum magna multitudine hostium premeretur, aquilam intra vallum proiecit. ipse pro castris fortissimè pugnans occiditur. alij ægrè ad noctem oppugnationem sustinent: noctu ad vnum omnes, desperata salute, seipsi interficiunt, pauci ex prœlio elapsi incertis itineribus, per siluas ad T. Labienum legatum in hiberna perueniunt, atque eum de rebus gestis certiorem faciunt. Hac victoria sublatus Ambiorix, statim cum equitatu in Aduaticos, qui erant eius re-

A gno finitimi, proficiscitur: neque diem, neque noctem intermittit: peditatumq. se subsequi iubet. re demonstrata, Aduaticisque concitatis, postero die in Neruios peruenit: hortaturque, ne sui in perpetuum liberandi, atque vlciscendi Romanos, pro iis, quas acceperint, iniuriis, occasionem dimittant. interfectos esse legatos duos, magnámque partē exercitus interiisse demōstrat, nihil esse negotij, subitò oppressam legionem, quæ cum Cicerone hiemet, interfici: se ad eam rē profitetur adiu-
B torem, facilè hac oratione Neruiis persuadet. itaque, confestim dimissis nunciis ad Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunos, qui omnes sub eorum imperio sunt, quam maximas manus possunt, cogunt: & de improuiso ad Ciceronis hiberna aduolant, nondum ad eum fama de Titurij morte perlata. Huic quoq. accidit, quod fuit necesse, vt nonnulli milites, qui, lignationis, munitionisque caussa, in siluas discessissent, repentino equitum aduentu interciperentur. his circumuen-
C tis, magna manu Eburones, Aduatici, Neruij, atque horum omnium socij, & clientes legionē oppugnare incipiunt. nostri celeriter ad arma concurrunt: vallum conscendunt. ægrè is dies sustentatur. quòd omnem spem hostes in celeritate ponebant, atque hanc adepti victoriam in perpetuū se fore victores confidebant. Mittuntur ad Cæsarem confestim à Cicerone literæ, magnis propositis præmiis, si pertulissent. obsessis omnibus viis missi intercipiuntur. noctu ex ea materia, quam
D munitionis caussa comportauerant, turres CXX. excitantur incredibili celeritate: quæ deesse operi videbantur, perficiuntur. hostes postero die, multo maioribus copiis coactis, castra oppugnāt, fossam cōplent. à nostris eadē ratione, qua pridie, resistitur. hoc idem deinceps reliquis fit diebus. nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur: non ægris, non vulneratis, facultas quietis datur. quæcunque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur. multæ præ-
E ustæ sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur: turres contabulantur: pinnæ, loricæq; ex cratibus attexuntur. ipse Cicero, cùm tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat: vt vltro militum concursu, ac vocibus, sibi parcere cogeretur. Tūc duces, principésque Neruiorum, qui aliquem sermonis aditum, caussamq. amicitiæ cum Cicerone habebant, colloqui sese velle dicunt. facta potestate, eadem, quæ Ambiorix cum Titurio ege-
F rat, commemorant: omnem esse in armis Galliam: Germanos Rhenum transisse: Cæsaris, reliquorumque, hiberna oppugnari. addunt etiam, de Sabini morte: Ambiorigem ostentant, fidei faciundæ caussa: errare eos, dicunt, si quidquam ab iis præsidij sperent, qui suis rebus diffidant: sese tamen hoc esse in Ciceronem, populúmque R. animo, vt nihil, nisi hiberna, recusent, atque hanc inueterascere consuetudinem nolint: licere illis incolumibus per se ex hibernis discedere, & in quascumq. partes velint, sine metu proficisci. Ci-
G cero ad hæc, vnū modò respondit: Nō esse consuetudinē populi R. vllam accipere ab hoste armato conditionem: si ab armis discedere velint, se adiutore vtantur, legatosque ad Cæsarem mittant; sperare se pro eius iustitia, quæ petierint, impetraturos. ab hac spe repulsi Neruij, vallo pedū XI. & fossa pedum XV. hiberna cingunt. hæc superiorum annorum consuetudine à nostris cognouerant: & quosdā de exercitu nacti

nacti captiuos, ab his docebantur. sed nulla his ferramentorum copia, quæ esset ad hunc vsum idonea, gladiis cespite circumcidere, manibus, sagulisque terram exhaurire, cogebantur. qua quidem ex re hominum multitudo cognosci potuit. nam minus horis III. decem millium passuum circuitu munitionem perfecerunt: reliquisque diebus turres ad altitudinem valli, falces, testudinesque, quas iidem captiui docuerant, parare, ac facere cœperunt. septimo oppugnationis die, maximo coorto vēto, feruentes fusili ex argilla glādes fūdis, & feruefacta iacula in casas, quę more Gallico stramentis erant tectæ, iacere cœperunt. hæ celeriter ignem comprehenderunt. &, venti magnitudine, in omnem castrorum locum distulerunt. hostes, maximo clamore insecuti, quasi parta iam, atque explorata victoria, turres, testudinesque agere, & scalis vallum adscendere cœperunt. at tāta militū virtute, atque ea prēsentia animi fuit, vt, cùm vndique flamma torrerentur, maximaque telorum multitudine premerentur, suaque omnia impedimenta, atque omnes fortunas, conflagrare intelligerent, non modo demigrandi caussa de vallo decederet nemo, sed pęnè ne respiceret quidem quisquā, ac tum omnes acerrimè, fortissiméque pugnarent. hic dies nostris longè grauissimus fuit, sed tamen hunc habuit euētum, vt eo die maximus numerus hostium vulneraretur, atque interficeretur, vt se sub ipso vallo constipauerant, recessúmque primis vltimi non dabant. Paullum quidem intermissa flamma, & quodam loco turri adacta, & contingente vallum, III. cohortis centuriones, ex eo, quo stabant, loco recesserunt, suosque omnes remouerunt, nutu, vocibusque hostes, si introire vellent, vocare cœperunt: quorum progredi ausus est nemo. tum ex omni parte lapidibus coniectis deturbati, turrisque succensa est. erant in ea legione fortissimi viri centuriones, qui iam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio, & L. Varenus. ii perpetuas controuersias inter se habebant, vter alteri anteferretur, omnibusque annis de loco summis simultatibus contendebant. ex iis Pulfio cum acerrimè ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandæ virtutis tuæ exspectas? hic dies, hic dies de nostris controuersiis iudicabit. Hæc cum dixisset, procedit extra munitiones, &, quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. ne Varenus quidem tum vallo sese continet, sed, omnium veritus existimationem, subsequitur, mediocri spatio relicto. Pulfio pilum in hostes mittit, atque vnum ex multitudine procurrentem transiicit; quo percusso, & exanimato, hunc scutis protegunt hostes, & in illum vniuersi tela coniiciunt, neque dant regrediendi facultatem. transfigitur scutum Pulfioni, & verutum in balteo defigitur. auertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumque hostes circumsistunt. succurrit inimicus illi Varenus, & laboranti subuenit. ad hunc se confestim à Pulfione omnis multitudo conuertit. illum veruto transfixum arbitrantur, Varenus gladio, cominus rem gerit, atque vno interfecto reliquos paullum propellit. dum cupidius instat, in locum inferiorem deiectus concidit. huic rursus circumuento fert subsidium Pulfio, atque ambo incolumes, compluribus interfectis, summa cū laude sese intra munitiones recipiunt.

A sic fortuna in contentione & certamine vtrumque versauit, vt alter alteri inimicus auxilio, salutique esset, neq. diiudicari poss. vter vtri virtute anteferendus videretur. quāto erat in dies grauior, atque asperior oppugnatio, & maximè, quòd, magna parte militum cōfecta vulneribus, res ad paucitatem defensorum peruenerat, tanto crebriores literæ, nunciique ad Cæsarem mittebantur: quorum pars deprehensa in cōspectu nostrorum militum cū cruciatu necabatur. erat vnus intus Neruius, nomine Vertico, loco natus honesto, qui à B prima obsidione ad Ciceronē perfugerat, suamque ei fidem præstiterat. hic seruo spe libertatis, magnisque persuadet premiis, vt literas ad Cæsarem deferat. has ille in iaculo illigatas affert, & Gallus inter Gallos sine vlla suspicione versatus, ad Cæsarē peruenit. ab eo de periculo Ciceronis, legionisq; cognoscit. Cæsar, acceptis literis circiter hora XI. diei, statim nunciū in Bellouacos ad M. Crassum quęstorem mittit, cuius hiberna aberant ab eo millia passuum XXV. iubet media nocte legionem C proficisci, celeriterque ad se venire. exiit cum nuntio Crassus. alterum ad C. Fabium legatum mittit, vt in Atrebatiū fines legionem adducat, quà sibi iter faciendum sciebat. scribit Labieno, si Reip. commodo facere posset, cum legione ad fines Neruiorum veniat. reliquam partem exercitus, quòd paullo aberat longius, non putat exspectandam: equites circiter CD. ex proximis hibernis cogit. hora circiter III. ab antecursoribus de Crassi aduentu certior est factus eo die millia D passuum XX. progreditur. Crassum Samarobriuæ præficit, legionémque ei attribuit, quòd ibi impedimenta exercitus, obsides ciuitatum, literas publicas, frumentúmque omne, quod eò, tolerādæ hiemis caussa, deuexerat, relinquebat. Fabius, vt imperatum erat, non ita multum moratus in itinere, cum legione occurrit. Labienus, interitu Sabini, & cæde cohortium cognita, cùm omnes ad eum Treuirorum copiæ venissent, veritus, si ex hibernis fugæ similem profectionem E fecisset, vt hostium impetum sustinere non posset, præsertim quos recenti victoria efferri sciret, literas Cæsari remittit, quanto cum periculo legionem ex hibernis educturus esset: rem gestam in Eburonibus perscribit: docet, omnes peditatus, equitatusque copias Treuirorum III. millia passuum longè ab suis castris consedisse. Cæsar consilio eius probato, etsi, opinione III. legionum deiectus, ad II. redierat, tamen vnum communis salutis auxilium in celeritate ponebat: venit ma- F gnis itineribus in Neruiorum fines: ibi ex captiuis cognoscit, quæ apud Ciceronem gerantur, quantoque in periculo res sit. tum cuidam ex equitibus Gallis magnis præmiis persuadet, vti ad Ciceronem epistolam deferat: hanc Græcis conscriptam literis mittit, ne, intercepta epistola nostra ab hostibus consilia cognoscantur: si, adire non possit, monet, vt tragulam cum epistola ad amentum deligata, intra munitiones castrorū abiiciat. in literis scribit, se cum legionibus profectū G celeriter affore: hortatur, vt pristinā virtutem teneat. Gallus periculum veritus, vt erat præceptū, tragulam mittit. hęc casu ad turrim adhęsit, neque ab nostris biduo animaduersa, tertio die à quodā milite conspicitur, dempta ad Ciceronem defertur. ille perlectam in conuentu militū recitat, maximaque omnes lætitia afficit. tū fumi incendiorum procul videbantur: quæ res omnem dubita-

tionem ad eius legionẽ expulit. Galli, re cognita per exploratores, obsidionẽ relinquunt, ad Cæsarem omnibus copiis contendunt. eæ erant armatorum circiter millia LX. Cicero, data facultate, Gallum ab eodem Verticone, quem suprà demõstrauimus, repetit, qui literas ad Cæsarẽ deferat, hunc admonet, iter cautè, diligentérq. faciat, perscribit in literis hostes ab se discessisse, omnéque ad eum multitudinẽ cõuertisse. quibus literis circiter media nocte, Cæsar, allatis, suos facit certiores, eosque ad dimicandum animo confirmat. postero die luce prima mouet castra, & circiter millia passuum IV. progressus trans vallem magnã, & riuum, hostium multitudinem conspicatur. erat magni periculi res cum tantis copijs iniquo loco dimicare: tamen quoniam liberatum obsidione Ciceronem sciebat, æquo animo remittendum de celeritate existimabat, cõsedit, &, quàm æquissimo loco potest, castra cõmunit: atq; hæc etsi erãt exigua, per se vix hominum millium VII. præsertim nullis cum impedimentis, tamen angustiis viarum, quàm maximè potest, contrahit, eo consilio, vt in summam contemptionem hostibus veniat. interim speculatoribus in omnes partes dimissis, explorat, quo commodissimè itinere vallem trãsire posset. eo die paruulis equestribus prœliis ad aquam factis, vtriq. sese suo loco continent, Galli, quòd ampliores copias, quæ nondum conuenerant, expectabant, Cæsar, si fortè timoris simulatione hostes in suum locum elicere posset, citra vallem, vt pro castris prœlio contenderet, si id efficere non posset, vt, exploratis itineribus, minore cum periculo vallem, riuumque transiret. prima luce hostium equitatus ad castra accedit, prœliumq; cum nostris equitibus committit. Cæsar consultò, equites cedere, seque in castra recipere iubet, simul, ex omnibus partibus castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in iis administrandis rebus quàm maximè concursari, & cum simulatione agi timoris iubet. quibus omnibus rebus hostes inuitati, copias transducunt, aciemque iniquo loco constituunt: nostris verò etiam de vallo deductis propius accedunt, & tela intra munitionẽ ex omnibus partibus coniiciunt, præconibusque circummissis, pronunciari iubent, seu quis Gallus, seu Romanus velit ante horam III. ad se transire, sine periculo licere, post id tempus non fore potestatem. ac sic nostros contempserunt, vt, obstructis in speciem portis singulis ordinibus cespitum, quòd ea non posse introrumpere videbantur, alij vallum manu scandere, alij fossas complere, inciperent. tunc Cæsar omnibus portis eruptione facta, equitatuque emisso, celeriter hostes in fugam dat, sic, vt omnino pugnandi caussa resisteret nemo: magnúmque ex his numerum occidit, atque omnes armis exuit, longius prosequi veritus, quòd syluæ, paludesq. intercedebant: neque etiam paruulo detrimento illorum, locum relinqui videbat: omnibus suis incolumibus copiis, eodem die ad Ciceronem peruenit. institutas turres, testudines, munitionesque hostium, admiratur: legione producta, cognoscit, nõ decimũ quemque esse relictum militẽ sine vulnere. ex his omnibus iudicat rebus, quanto cum periculo, & quanta cũ virtute, sint res administratæ: Ciceronem pro eius merito legionémque collaudat: Centuriones sigillatim, Tribunosque mil. appellat: quorũ egregiam fuisse virtutem, testimonio Ciceronis cognouerat: de casu Sabini, & Cottæ certius ex captiuis cognoscit. postero die, concione habita, rem gestam proponit. milites consolatur, & confirmat: quòd detrimentum culpa, & temeritate legati sit acceptũ, hoc æquiore animo ferendum docet: quòd, beneficio Deorum immortaliũ, & virtute eorũ expiato incõmodo, neque hostibus diutina lætitia, neque ipsis lõgior dolor relinquatur. Interim ad Labienum per Rhemos incredibili celeritate de victoria Cæsaris fama perfertur, vt, cùm ab hibernis Ciceronis millia passuum L. abesset, eoque post horã IX. diei Cæsar peruenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oriretur: quo clamore significatio victoriæ, gratulatioque ab Rhemis Labieno fieret. Hac fama ad Treuiros perlata, Induciomarus, qui postero die castra Labieni oppugnare decreuerat, noctu perfugit, copiasque omnes in Treuiros reducit. Cæsar Fabium cum legione in sua remittit hiberna: ipse cum III. legionibus circum Samarobrinam trinis hibernis hiemare constituit: &, quod tanti motus Galliæ extiterant, totam hiemem ipse ad exercitum manere decreuit. nam, illo incommodo de Sabini morte perlato, omnes ferè Galliæ ciuitates de bello consultabant, nuncios, legationesque in omnes partes dimittebant, &, quid reliqui consilij caperent, atque vnde initium belli fieret, explorabant: nocturnaque in locis desertis concilia habebant: neque vllum totius hiemis tempus intercessit sine solicitudine Cæsaris, quin aliquem de conciliis, & motu Gallorum, nuncium acciperet. in his ab L. Roscio legato, quem legioni XIII. præfecerat, certior est factus, magnas Gallorum copias earum ciuitatum, quæ Armoricæ appellantur, oppugnandi sui caussa, conuenisse, neque longius millia passuum IIX. ab hibernis suis abfuisse: sed nuncio allato de victoria Cæsaris, discessisse, adeò vt fugæ similis discessus videretur. At Cæsar principibus cuiusque ciuitatis ad se vocatis, aliàs territando, cum se scire, quæ fierent, denunciaret: aliàs cohortando, magnam partem Galliæ in officio tenuit: tamen Senones, quæ est ciuitas in primis firma, & magnæ inter Gallos auctoritatis, Cauarinum, quem Cæsar apud eos regem constituerat, cuius frater Moritasgus, aduentu in Galliam Cæsaris, cuiusque maiores regnum obtinuerant, interficere publico consilio conati, cùm ille præsensisset, ac profugisset, vsque ad fines insecuti, regno, domoque expulerunt, &, missis ad Cæsarem satisfaciendi caussa legatis, cùm is omnem ad se senatum venire iussisset, dicto audientes non fuerunt. tantum apud homines Barbaros valuit, esse repertos aliquos principes belli inferendi, tantamque omnium voluntatis commutationem attulit, vt præter Æduos, & Rhemos, quos præcipuo semper honore Cæsar habuit, alteros pro vetere, ac perpetua erga populum R. fide: alteros pro recentibus belli Gallici officijs, nulla ferè fuerit ciuitas nõ suspecta nobis: idque adeò haud scio, mirandumne sit, cùm compluribus aliis de caussis, tum maximè, quòd, qui virtute belli omnibus gentibus præferebãtur, tantũ se eius opinionis deperdidisse, vt populi R. imperia perferrent, grauissimè dolebãt. Treuiri verò, atq. Induciomarus totius hiemis nullũ tẽpus intermiserunt, quin trans Rhenũ legatos mitterent: ciuitates sollicitarẽt: pecunias pollicerẽtur: magna parte exercitus nostri interfecta, multo minorẽ superesse dicerẽt partẽ. neque tamen vlli ciuitati Germanorũ persuaderi

suaderi potuit, vt Rhenum transiret, cùm se bis A expertos dicerent, Ariouisti bello, & Tenchtherorum transitu, non esse fortunam amplius tentaturos. Hac spe lapsus Induciomarus, nihilominus copias cogere, exigere à finitimis, equos parare, exules, damnatósque Gallia magnis præmiis ad se allicere cœpit; ac tantam sibi iam iis rebus in Gallia auctoritatem comparauerat, vt vndique ad eum legationes concurrerent; gratiam, atque amicitiam publicè, priuatímque peterent. vbi intellexit, vltro ad se veniri: altera ex parte Senones, B Carnutésque conscientia facinoris instigari, altera Neruios, Aduaticósque bellum Romanis parare: neque sibi voluntariorum copias defore, si ex finibus suis progredi cœpisset, armatum concilium indicit. hoc more Gallorum est initium belli, quo, lege communi, omnes puberes armati conuenire coguntur, &, qui ex his nouissimus venit; in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. in eo concilio Cingetorigem C alterius principé factionis, generum suum quem suprà demonstrauimus, Cæsaris secutum fidem, ab eo non discessisse, hostem iudicandum curat: bonáque eius publicat. his rebus confectis, in concilio pronunciat, accersitum se à Senonibus, & Carnutibus, aliísque compluribus Galliæ ciuitatibus: huc iter facturum per fines Rhemorum: eorúmque agros populaturum: ac prius, D quàm id faciat, castra Labieni oppugnaturum: quæque fieri velit, præcipit. Labienus, cùm & loci natura, & manu munitissimis castris sese contineret, de suo, ac legionis periculo nihil timebat, sed ne quam occasionem rei bene gerédę dimitteret, cogitabat. itaque à Cingetorige, atque eius propinquis oratione Induciomari cognita, quam in concilio habuerat, nuncios mittit ad finitimas ciuitates, equitésque vndique conuocat. iis certam diem conueniendi dicit. interim propè quotidie cum omni equitatu Induciomarus sub castris eius vagabatur, alias vt situm castrorum cognosceret, aliàs colloquendi, aut territandi caussa, Equites plerumque omnes tela intra vallum coniiciebant. Labienus suos intra munitiones continebat: timorísque opinionem, quibuscumque poterat rebus augebat. cùm maiore in dies contemptione Induciomarus ad castra accederet, nocte vna intromissis equitibus omnium finitimarum ciuitatum, quos accersendos curauerat, tanta diligentia omnes suos custodiis intra castra continuit, vt nulla ratione ea res enunciari, aut ad Treuiros perferri, posset. Interim ex consuetudine quotidiana Induciomarus ad castra accedit, atque ibi magnam parté diei consumit: equites tela coniiciunt, & magna contumelia verborum nostros ad pugnam euocant. nullo à nostris dato responso, vbi visum est, sub vésperum, dispersi, ac dissipati, discedunt. subitò Labienus duabus portis omnem equitatũ emittit, præcipit atque interdicit, perterritis hostibus, atque in fugam coniectis, quod fore, sicut accidit, videbat, omnes vnum peterent Induciomarum, neu quis quemquam prius vulneraret, quàm illum interfectum videret, quòd, mora reliquorum, illum, spatium nactum, effugere nolebat. magna proponit iis, qui occiderint, præmia: summittit cohortes equitibus subsidio. comprobat hominis consilium fortuna; &, cùm vnum omnes peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Induciomarus interficitur, capútque eius refertur in castra. redeuntes equites, quos possunt, consectantur, atque occidunt. Hac re cognita, omnes, Eburonum, & Neruiorum, quæ conuenerant, copiæ discedunt, paulloque habuit post id factum Cæsar quietiorem Galliam.

ros proficiſcitur. Dum hæc à Cæſare geruntur, Treuiri, magnis coactis peditatus, equitatúſque copiis, Labienum cum vna legione, quæ in eorum finibus hiemauerat, adoriri parabant. iámque ab eo non longiùs biduo via aberant, cum duas veniſſe legiones miſſu Cæſaris cognoſcunt. poſitis caſtris à millibus paſſuum xv. auxilia Germanorum expectare conſtituunt. Labienus, hoſtium cognito conſilio, ſperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem, v. cohortium præſidio impedimentis relicto cum xxv. cohortibus, B magnóque equitatu, contra hoſtem proficiſcitur; & , ∞ paſſuum intermiſſo ſpatio, caſtra communit. Erat inter Labienum, atque hoſtem, difficili tranſitu flumen, ripiſque præruptis, hoc neque ipſe tranſire habebat in animo, neque hoſtes tranſituros exiſtimabat. augebatur auxiliorum quotidie ſpes. loquitur in concilio palàm, quoniam Germani appropinquare dicuntur, ſeſe ſuas, exercitúſque fortunas in dubium non deuocaturum, & poſtero die prima luce caſtra moturum. celeriter hæc ad hoſtes deferuntur, vt ex magno Gallorum equitatus numero nónnullos Gallicis rebus fauere natura cogebat. Labienus, noctu Tribunis mil. primiſq; ordinibus conuocatis, quid ſui conſilij ſit, proponit; & quo facilius hoſtibus timoris det ſuſpicioné, maiore ſtrepitu, & tumultu, quam populi Romani fert conſuetudo, caſtra moueri iubet. his rebus fugæ ſimilem profectioné efficit. hæc quoque per exploratores ante lucem in tanta propinquitate caſtrorum ad hoſtes deferuntur. D vix agmen nouiſſimum extra munitiones proceſſerat, cum Galli, cohortati inter ſe, ne ſperatam prædam ex manibus dimitterét, longum eſſe, perterritis Romanis, Germanorum auxilium exſpectare; neque ſuam pati dignitatem, vt tantis copiis tam exiguam manum, præſertim fugiétem, atque impeditam, adoriri non audeant; flumen tranſire, & iniquo loco prœlium committere, non dubitant. quæ fore ſuſpicatus Labienus, vt omnes citra flumen eliceret, eadem vſus ſimulatione itineris, placidè progrediebatur. tum, præmiſſis paullum impedimentis, atque in tumulo quodam collocatis; Habetis, inquit, milites, quam petiſtis, facultatem: hoſtem impedito, atque iniquo loco tenetis: præſtate eandem nobis ducibus virtutem, quam ſæpenumero Imperatori præſtitiſtis: eum adeſſe, & hæc coram cernere, exiſtimate. ſimul, ſigna ad hoſtem conuerti, aciémque dirigi iubet: &, paucis turmis præſidio ad impedimenta dimiſſis, reliquos equites ad latera diſponit. celeriter noſtri, clamore ſublato, pila in hoſtes iaciũt. illi, vbi præter ſpem, quos fugere credebant, infeſtis ſignis, ad ſe ire viderunt, impetum modò ferre non potuerunt, ac primo concurſu in fugam coniecti, proximas ſiluas petiuerunt: quos Labienus equitatu conſectatus, magno numero interfecto, compluribus captis, paucis pòſt diebus ciuitatem recipit. nam Germani, qui auxilio veniebant, percepta Treuirorum fuga, ſeſe domum cõtulerunt. cum iis propinqui Induciomari, qui defectionis auctores fuerant, comitati eos ex ciuitate exceſſere. Cingetorigi, quem ab initio permanſiſſe in officio demonſtrauimus, principatus, atque imperium eſt traditum. Cæſar, poſtquam ex Menapiis in Treuiros venit, duabus de cauſſis Rhenum tranſire conſtituit. quarum erat altera, quòd auxilia contra ſe Treuiris miſerant: altera, ne Ambiorix receptum ad eos haberet. his con-

A ſtitutis rebus, paullum ſupra eum locum, quò antea exercitum tranſduxerat, facere pontem inſtituit, nota atque inſtituta ratione, magno militum ſtudio, paucis diebus opus efficitur: firmo in Treuiris præſidio ad pontem relicto, ne quis ab iis ſubitò motus oriretur, reliquas copias equitatúmque tranſducit. Vbij, qui antè obſides dederant, atque in deditionem venerant, purgandi ſui cauſſa ad eum legatos mittunt: qui doceant, neq; ex ſua ciuitate auxilia in Treuiros miſſa, neq; ab B ſe fidem læſam petunt, atque orant, vt ſibi parcat, ne communi odio Germanorum, innocentes pro nocentibus pœnas pendant: ſi amplius obſidum vellet, dare pollicentur. cognita Cæſar cauſſa reperit, ab Sueuis auxilia miſſa eſſe; Vbiorum ſatisfactionem accepit. aditus, viáſque in Sueuos perquirit. Interim, paucis pòſt diebus, fit ab Vbijs certior, Sueuos omnes in vnum locum copias cogere, atque iis nationibus, quæ ſub eorum ſunt imperio, denunciare vt auxilia, peditatus, equita- C túſque mittant. his cognitis rebus, rem frumentariam prouidet. caſtris idoneum locum deligit. Vbiis imperat, vt pecora deducant, ſuáque omnia ex agris in opida conferant; ſperans, Barbaros, atque imperitos homines, inopia cibariorum adductos, ad iniquam pugnandi conditionem poſſe deduci. mandat, vt crebros exploratores in Sueuos mittant, quæque apud eos gerantur, cognoſcant. illi imperata faciunt; &, paucis diebus intermiſſis, referunt, Sueuos omnes, poſteaquam certiores nuncij de exercitu Romanorum venerant cum omnibus ſuis, ſociorumq; copiis, quas coegiſſét, penitus ad extremos fines ſeſe recepiſſe: ſiluam eſſe ibi infinitæ magnitudinis, quæ appellatur Bacenis: hác longè introrſus pertinere, & pro natiuo muro obiectam, Cheruſcos à Sueuis, Sueuóſque ab Cheruſcis, iniuriis incurſionibuſque prohibere; ad eius initium ſiluæ Sueuos aduẽtum Romanorum exſpectare conſtituiſſe. Quoniam ad hunc locum peruentum eſt, non alienum eſſe E videtur de Galliæ, Germaniæque moribus, & quo differant eæ nationes inter ſeſe, proponere. In Gallia non ſolum in omnibus ciuitatibus, atque pagis, partibuſque, ſed pæne etiam in ſingulis domibus factiones ſunt: earumq; factionum ſunt principes, qui ſummam auctoritatem eorum iudicio habere exiſtimantur, quorum ad arbitrium, iudiciumque ſumma omnium rerum, conſiliorumque redeat, idque eius rei cauſſa antiquitus inſtitutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilij egeret. ſuos enim opprimi quiſque, & F circumueniri non patitur, neque, aliter ſi faciat, vllam inter ſuos habet auctoritatem. hæc eadem ratio eſt in ſumma totius Galliæ. namque omnes ciuitates in duas partes diuiſæ ſunt. cum Cæſar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Ædui, alterius Sequani. ij cum per ſe minus valerent, quòd ſumma auctoritas antiquitus erat in Æduis, magnæque eorum erant clientelæ, Germanos, atque Arioniſtum, ſibi adiunxerant, eóſque G ad ſe magnis iacturis, pollicitationibuſque perduxerant. prœliis verò compluribus factis ſecundis, atque omni nobilitate Æduorum interfecta, tantum potentia antecellerant, vt magnam partem clientium ab Æduis ad ſe tranſducerent, obſidéſque ab iis principum filios acciperent; & publicè iurare cogerent, nihil ſe contra Sequanos conſilij inituros; & partem finitimi agri per vim occupatam poſſiderent; Galliæque totius principatum

obtinerent. qua necessitate adductus Diuitiacus, auxilij petendi caussa, Romam ad Senatum profectus, infecta re redierat. aduentu Cæsaris facta commutatione rerum, obsidibus Æduis redditis, veteribus clientelis restitutis, nouis per Cæsarem comparatis; quòd ij, qui se ad eorum amicitiam aggregauerant, meliore conditione, atque imperio æquiore se vti videbant, reliquis rebus eorum gratia, dignitatéq; amplificata, Sequani principatum dimiserant. in eorum locum Rhemi successerant; quos quòd adæquare apud Cæsarem gratia intelligebatur, ij, qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Æduis coniungi poterant, se Rhemis in clientelam dicabant. hos illi diligenter tuebantur: ita & nouam, & repentè collectam auctoritatem tenebát, eo tum statu res erat, vt longè principes haberentur Ædui, secundum locum dignitatis Rhemi obtinerent. In omni Gallia eorum hominum, qui in aliquo sunt numero, atque honore, genera sunt duo. nam plebs pene seruorum habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio. plerique, cùm aut ære alieno aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, sese in seruitutem dicant nobilibus. in hos eadem omnia sunt iura, quæ dominis in seruos. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum equitũ. illi rebus diuinis intersunt. sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur, ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ caussa concurrit; magnoque ij sunt apud eos honore. nam ferè de omnibus controuersiis, publicis, priuatísque constituunt, &, si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, iidem decernunt, præmia, pœnásque constituunt: si quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos est grauissima. quibus ita est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonémque defugiunt; ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. his autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet auctoritatem. hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at, si sunt plures pares, suffragio Druidũ adlegitur: nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. ij certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt, in loco consecrato. huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt: eorúmque iudiciis decretísque parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. & nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illò, discendi caussa, proficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt: neque tributa vnà cum reliquis pendunt: Militię vacationem, omniumque rerum habent immunitatem: tantis excitati premiis, & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à propinquis, parentibúsque mittuntur. magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent: neque fas esse existimant ea literis mandare, cùm in reliquis ferè rebus, publicis, priuatísque rationibus Græcis literis vtantur. Id mihi duabus de caussis instituisse videntur: quòd neque in vulgus disciplinam efferri velint, neque eos, qui discunt,

A literis confisos, minus memoriæ studere, quod ferè plerisque accidit. vt præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, Non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. multa præterea de sideribus, atque eorum motu, de mũdi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortaliũ vi, ac potestate disputant, & iuuentuti tradunt.

B Alterum genus est Equitum. ij, cùm est vsus, atque aliquod bellum incidit, (quod ante Cæsaris aduentum ferè quotannis accidere solebat, vt aut ipsi iniurias inferrent, aut illatas propulsarent) omnes in bello versantur: atque eorum, vt quisque est genere, copiísque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos, clientésque habet. hanc vnam gratiam, potentiámque nouerunt. Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam caussam, qui sunt affecti grauioribus morbis, quique in prœliis, periculísque
C versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent, administrísque ad ea sacrificia Druidibus vtuntur: quòd pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur: publicéque eiusdem generis habent instituta sacrificia. alij immani magnitudine simulacra habent: quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complét: quibus succensis, circumuenti flamma exanimantur homines. supplicia eorum, qui
D in furto, aut latrocinio, aut reliqua noxa sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. sed cùm eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum maximè Mercurium colunt: huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentoré artium ferunt: hunc viarum, atq; itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturásque habere vim maximam arbitrantur. post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam. de his eandem ferè,
E quam reliquæ gentes, habent opinionem: Apollinem, morbos depellere: Mineruam, operum, atque artificiorum initia transdere: Iouem, imperium cælestium tenere; Martem, bella regere. huic, cùm prœlio dimicare constituerunt, ea, quæ bello ceperint, plerumque deuouent: quæ superauerint, animalia capta immolant: reliquasque res in vnũ locum conferunt. multis in ciuitatibus harum rerum exstructos cumulos locis consecratis conspicari licet: neque sæpe accidit, vt, neglecta quis-
F piam religione, aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet: grauissimúmque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est. Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant: idque ab Druidibus proditum dicunt. ob eam caussam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium, finiunt, & dies natales, & mensium, & annorum initia sic obseruant, vt noctem dies subsequatur. in reliquis vitæ institutis hoc ferè ab reliquis differunt, quòd suos liberos, nisi cùm ade-
G leuerint, vt munus militiæ sustinere possint, palàm ad se adire non patiantur: filiumq́ue in puerili ætate in publico, in conspectu patris assistere turpe ducunt. viri, quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus communicant. huius omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur, fructúsque seruantur. vter eorum vita superarit, ad eum

ad eum pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. viri in vxores, sicuti in liberos, vitæ, necisque habent potestatem: & cùm paterfamilias, illustriore loco natus, decessit, eius propinqui conueniunt: & de morte, si res in suspicionem venit, de vxoribus in seruilem modum quæstionem habent: &, si compertum est, igni, atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. funera sunt pro cultu Gallorum magnifica, & sumptuosa: omniaque quæ viuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: ac paullo supra hanc memoriam, serui & clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, vnà cremabantur. quæ ciuitates commodius suam Remp. administrare existimantur, habent legibus sancitum, si quis quid de Republ. à finitimis rumore, aut fama acceperit, vti ad magistratum deferat, néve cum quo alio communicet: quòd sæpe homines temerarios, atque imperitos falsis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quæ visa sunt, occultant: quæque esse ex vsu iudicauerint, multitudini produnt. de Repub. nisi per concilium loqui non conceditur. GERMANI multū ab hac cōsuetudine differunt. nam neq. Druides habent, qui rebus diuinis præsint: neq. sacrificiis student: deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opib. apertè iuuantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit: ab paruulis duritiei, ac labori student, qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires, neruosq. confirmari putant: intra annum vero xx. feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus: cuius rei nulla est occultatio: quòd & promiscuè in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut paruis rhenonum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturæ non student, maiorque pars victus eorum in lacte, & caseo, & carne consistit: neq. quisquam agri modum certum, aut fines proprios habet: sed magistratus, ac principes in annos singulos gentibus, cognationibusque hominum, qui vnà coierunt, quantum eis, & quo loco visum est, attribuunt agri: atq. anno pòst aliò transire cogunt, eius rei multas afferunt caussas: ne assidua consuetudine capti, studium belli gerendi agricultura commutent: ne latos fines parare studeant, potentioresq. humiliores possessionibus expellant: ne accuratius, ad frigora, atq. æstus vitandos, ædificent: ne qua oriatur pecuniæ cupiditas: qua ex re factiones, dissensionesque nascuntur, vt animi æquitate plebem contineant, cùm suas quisque opes cum potentissimis æquari videat. Ciuitatibus maxima laus est, quàm latissimis circum se vastatis finibus solitudines habere. hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope se audere consistere. simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. cùm bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert: magistratus, qui ei bello præsint, vt vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur. in pace nullus communis est magistratus: sed principes regionum, atque pagorum inter suos ius dicunt, controuersiasque minuunt. latrocinia nullam habent infamiam, atque extra fines cuiusque ciuitatis fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ, ac de-

A sidiæ minuendæ caussa fieri prædicant, atque, vbi quis ex principibus in consilio se dixit ducem fore, vt qui sequi velint, profiteantur: consurgunt ij, qui & caussam, & hominem probant, suumque auxilium pollicentur: atque ab multitudine collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum, ac proditorum, numero ducuntur: omniumque rerum iis postea fides abrogatur, hospites violare, fas non putant: qui quaq. de caussa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctosque habent:
B iis omnium domus patent, victusque communicatur. ac fuit antea tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent & vltro bella inferrent, ac, propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. itaque ea, quæ fertilissima sunt, Germaniæ loca circum Herciniam siluam, quam Eratostheni, & quibusdam Græcis fama notam esse video, quā illi Orciniam appellant, Volcæ Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt; quæ gens ad hoc tempus iis se-
C dibus se continet, summamque habet iustitiæ, & bellicæ laudis opinionem. nunc, quòd in eadem inopia, egestate, patientiaq. Germani permanent, eodem victu, & cultu corporis vtuntur: Gallis autem propinquitas, & transmarinarum rerum notitia: multa ad copiam, atque vsus largitur. paullatim assuefacti superari, multisque victi prœliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant. Huius Herciniæ siluæ, quę supra demonstrata est, latitudo IX. dierum iter expedito patet: non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum no-
D uerunt. oritur ab Heluetiorum & Nemetum, & Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubij regione pertinet ad fines Dacorum, & Anartium. hinc se flectit sinistrorsus, diuersis à flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit, neque quisquam est huius Germaniæ, qui se aut audisse, aut adisse ad initium eius siluæ dicat, cùm dierum iter LX. processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit: multa in ea genera ferarum nasci constat, quæ reliquis
E in locis visa non sint: ex quibus quæ maximè differant ab ceteris, & memoriæ prodenda videantur, hæc sunt. Est bos cerui figura: cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit excelsius magisque directum his, quæ nobis nota sunt, cornibus. ab eius summo sicut palmæ, ramique latè diffunduntur. eadem est feminæ, marisque natura, eadem forma, magnitudoque cornuum. Sunt item, quæ appellantur alces. harum est consimilis capris figura, & varietas pellium, sed magnitudi-
F ne paullò antecedunt: mutilæque sunt cornibus, & crura sine nodis, articulisque habent, neque quietis caussa procumbunt: neque, si quo afflictæ casu conciderunt, erigere sese, aut subleuare, possunt. his sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita, paullum modò reclinatæ, quietem capiunt: quarū ex vestigiis cùm est animaduersum à venatoribus, quò se recipere consueuerint, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut abscidunt arbores tantùm, vt summa species ea-
G rum stantium relinquatur. huc cum sex consuetudine reclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atq. vna ipsæ concidunt. Tertium est genus eorum, qui Vri appellantur. ij sunt magnitudine paullo infra elephantos, specie, & colore, & figura tauri. magna vis est eorum, & magna velocitas, neque homini, neq. feræ, quam conspexerint, parcunt. hos studiosè foueis captos interficiunt. hoc

se laborē durant adolescentes, atq. hoc genere venationis exercent: &, qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. sed assuescere ad homines, & mansuefieri, ne paruuli quidem excepti possunt. amplitudo cornuum, & figura, & species multum à nostrorum boum cornibus differt. hæc studiosè conquisita ab labris argēto circumcludunt: atq. in amplissimis epulis pro poculis vtuntur. Cæsar postquam per Vbios exploratores comperit, Sueuos sese in siluas recepisse: inopiam frumenti veritus, quòd, vt suprà demonstrauimus, minimè omnes Germani agriculturæ student, constituit, non progredi longiùs: sed ne omnino metum reditus sui Barbaris tolleret, atq. vt eorum auxilia tardaret, reducto exercitu partem vltimam pontis, quæ ripas Vbiorum contingebat, in longitudinem pedum CC. rescindit: atq. in extremo ponte turrim tabulatorum IIII. constituit, præsidiumq. cohortium XII. pontis tuendi caussa, ponit: magnisq. eum locum munitionib. firmat. ei loco, præsidioq., C. Volcatium Tullum adolescentem præfecit: ipse, cùm maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectus, per Arduennam siluā, quæ est totius Galliæ maxima, atq. ab ripis Rheni, finibusq. Treuirorum ad Neruios pertinet, millibusq. amplius D. in longitudinem patet, L. Minutium Basilum cum omni equitatu præmittit. si quid celeritate itineris, atq. opportunitate temporis proficere possit: monet, vt ignes fieri in castris prohibeat; ne qua eius aduētus procul significatio fiat: sese cōfestim subsequi dicit. Basilus, vt imperatum est, facit: celeriter, cōtraq. omnium opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes deprehendit: eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit, quo in loco cum paucis equitib. esse dicebatur. Multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest. nam magno accidit casu, vt in ipsum incautum, atq. etiam imparatum incideret: priusq. eius aduentus ab hominibus videretur, quàm fama, ac nunciis afferretur. sic magnæ fuit fortunæ, omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto, rhedis, equisque comprehensis, ipsum effugere mortem, sed hoc quoque factum est, quòd, ædificio circumdato silua, (vt sunt ferè domicilia Gallorum, qui, vitandi æstus caussa, plerumq. siluarum, ac fluminum petunt propinquitates) comites familiaresq. eius angusto in loco equitum nostrorum vim paullisper sustinuerunt. iis pugnantibus, illum in equum quidam ex suis intulit: fugientē siluæ texerunt. sic & ad subeundum periculum, & ad vitandum, multum fortuna valuit. Ambiorix, an copias suas iudicio non conduxerit, quòd prœlio dimicandum non existimauerit: an tempore exclusus, & repentino equitum aduentu prohibitus fuerit, cum reliquum exercitum subsequi crederet: dubium est. sed certè, clàm dimissis per agros nunciis, sibi quemque cōsulere iussit: quorum pars in Arduennam siluam, pars in continentes paludes profugit. qui proximi Oceano fuerunt, ij in insulis sese occultauerunt, quas æstus efficere consuerunt, multi, ex suis finibus egressi, se, suaque omnia alienissimis crediderunt. Catiuulcus, rex dimidiæ partis Eburonum, qui vnà cum Ambiorige consilium inierat, ætate iam confectus, cùm laborem aut belli, aut fugæ ferre non posset, omnibus precibus detestatus Ambiorigem, qui eius consilij auctor fuisset,

A taxo, cuius magna in Gallia Germaniaq. copia est, se exanimauit. Segni, Condrusique, ex gente, & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones, Treuirósque, legatos ad Cæsarem miserunt, oratum, ne se in hostium numero duceret, néve omnium Germanorum, qui essent citra Rhenū, caussam esse vnam iudicaret: nihil se de bello cogitasse, nulla Ambiorigi auxilia misisse. Cæsar, explorata re quæstione captiuorum, si qui ad eos Eburones ex fuga conuenissent, ad se vt reducerentur, imperauit: si ita fecissent, fines eorum se vio- B laturum, negauit. tum, copiis in tres partes distributis, impedimenta omnium legionum ad Vatucam contulit. id castelli nomen est. hoc ferè est in mediis Eburonum finibus, vbi Titurius, atque Auruncuieius, hiemandi caussa, consederant. hunc cùm reliquis rebus locum probabat Cæsar, tum quòd superioris anni munitiones integræ manebant, vt militum laborem subleuaret. præsidio impedimentis legionem XIV. reliquit, vnam ex iis C III. quas proximè conscriptas ex Italia transduxerat. ei legioni castrisq. Q. Tullium Ciceronem præfecit, ducentosque equites attribuit. partito exercitu, T. Labienum cum legionibus III. ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci iubet: C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quæ Aduaticis adiacet, depopulandam mittit: ipse, cum reliquis tribus ad flumē Scaldim, quod influit in Mosam, extremasque Arduennæ partes, ire constituit, D quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat. discedens, post diem VII. sese reuersurum confirmat: quam ad diem ei legioni, quæ in præsidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat: Labienum, Treboniumq. hortatur, si Reipublicæ commodo facere possint, ad eam diem reuertantur: vt, rursus communicato consilio, exploratisque hostium rationibus, aliud initium belli capere possint. erat, vt suprà demonstrauimus, manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet, sed in omnes E partes dispersa multitudo: vbi cuique aut vallis abdita, aut locus siluestris, aut palus impedita spem præsidij, aut salutis aliquam offerebat, consederat. hæc loca vicinitatibus erant nota, magnamque res diligentiam requirebat, nō in summa exercitus tuenda, (nullum enim poterat, vniuersis perterritis, ac dispersis, periculum accidere) sed in singulis militibus conseruandis: quę tamen ex parte res ad salutem exercitus pertinebat. F nam & prædæ cupiditas multos longius euocabat: ac siluæ incertis, occultisque itineribus confertos adire prohibebant. si negotium cōfici, stirpemque hominum sceleratorum interfici vellet, dimittendæ plures manus, diducendique erant milites. si continere ad signa manipulos vellet, vt instituta ratio, & consuetudo exercitus R. postulabat: locus ipse erat præsidio Barbaris: neque ex occulto insidiandi, & dispersos circumueniendi singulis deerat audacia. At in eiusmodi difficul- G tatib., quantum diligentia prouideri poterat, prouidebatur, vt potius in nocēdo aliquid omitteretur, etsi omnium animi ad vlciscendum ardebant, quàm cùm aliquo detrimento militum noceretur. Cęsar ad finitimas ciuitates nuncios dimittit, omnes euocat spe prædæ, ad diripiēdos Eburones: vt potius in siluis Gallorum vita, quàm legionariorum, periclitaretur: simul vt, magna multitudine circumfusa pro tali facinore, stirps, ac nomen ciui-

ciuitatis tollatur. magnus vndiq. numerus celeriter conuenit. hæc in omnibus Eburonum partib. gerebantur: diesq. appetebat VII. quem ad diem Cæsar ad impedimenta, legionemq. reuerti, constituerat. Hic, quantum in bello fortuna possit, & quantos afferat casus, cognosci potuit. dissipatis, ac perterritis hostibus, vt demóstrauimus, manus erat nulla, quæ paruam modò timoris caussam afferret. trans Rhenum ad Germanos peruenit fama, diripi Eburones, atq. vltro omnes ad prædam euocari. cogunt equitum II. millia Sicambri, qui sunt proximi Rheno, à quibus receptos ex fuga Tenchtheros, atq. Vsipetes suprà docuimus: transeuntes Rhenum nauibus, ratibusque, XXX. millibus passuum infra eum locum, vbi pons erat imperfectus, præsidiumque ab Cæsare relictum, primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiuntur. inuitati præda, longius procedunt. non hos palus, in bello, latrociniisque natos, non siluæ morantur: quibus in locis sit Cæsar, ex captiuis quærunt: profectum longius reperiunt, omnemque exercitum discessisse, cognoscunt: atq. vnus ex captiuis, Quid vos, inquit, hanc miseram, ac tenuem sectamini prædam, quib. iam licet esse fortunatissimis? III. horis ad Vatucam venire potestis: huc omnes suas fortunas exercitus Romanorum contulit: præsidij tantum est, vt ne murus quidem cingi possit, neq. quisquam egredi extra munitiones audeat. Oblata spe, Germani, quam nacti erant prædam, in occulto relinquunt: ipsi ad Vatucam cótendunt, vsi eodem duce, cuius hæc indicio cognouerant. Cicero, qui per omnes superiores dies præceptis Cæsaris summa diligentia milites in castris continuisset, ac ne calonem quidem quemquam extra munitionem egredi passus esset, VII. die, diffidens, Cæsarem de numero dierum fidem seruaturum, quòd longius eum progressum audiebat, neque vlla de eius reditu fama afferebatur, simul eorum permotus vocibus, qui illius patientiam, pæne obsessionem appellabant: siquidem ex castris egredi nó liceret: nullum eiusmodi casum exspectans, quo, IX. oppositis legionibus, maximoq. equitatu, dispersis, ac pæne deletis hostibus, in millibus passuum III. offendi posset. V. cohortes frumentatum in proximas segetes misit, quas inter, & castra vnus omnino collis intererat. complures erant in castris ex legionibus ægri relicti: ex quibus qui hoc spatio dierum conualuerant, circiter CCC. sub vexillo vna mittuntur: magna præterea multitudo calonum, magna vis iumentorum, quæ in castris subsederat, facta potestate, sequitur. hoc ipso tempore, & casu Germani equites interueniunt. protinusq. eodem illo, quo venerant, cursu ab decumana porta in castra irrumpere conantur: nec prius sunt visi obiectis ab ea parte siluis, quàm castris appropinquarent: vsque eo, vt qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui non haberent facultatem, inopinantes nostri re noua perturbantur: ac vix primum impetum cohors in statione sustinet. circumfunduntur hostes ex reliquis partibus, si quem aditum reperire possent: ægrè nostri portas tuétur, reliquos aditus locus ipse per se, munitoq. defendit: totis trepidatur castris, atque alius ex alio caussam tumultus quærit: neque, quò signa ferantur, neque quam in partem quisq. conueniat, prouident. alius iam castra pronunciat: alius, deleto exercitu, atque imperatore,

A victores barbaros venisse contendit: pleriq. nouas sibi ex loco religiones fingunt: Cottæq., & Titurij calamitatem, qui in eodem occiderint castello, ante oculos ponunt. tali timore omnibus perterritis, confirmatur opinio barbaris, vt ex captiuo audierant, nullum esse intus præsidium, perrumpere nituntur, seq. ipsi adhortátur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant. erat æger in præsidio relictus P. Sextius Baculus, qui primum pilum apud Cæsarem duxerat, cuius mentioné su- B perioribus prœliis fecimus: ac diem iam V. cibo caruerat. hic, diffisus suæ, ac omnium saluti, inermis ex tabernaculo prodit: videt imminere hostes, atq. in summo esse rem discrimine: capit arma à proximis, atque in porta consistit. sequuntur hunc centuriones eius cohortis, quæ in statione erat. paullisper prœlium vnà sustinent. relinquit animus Sextium, grauib. acceptis vulneribus, deficiens, ægrè, per manus tractus, seruatur. hoc spatio interposito, reliqui sese confirmant, tantum vt C in munitionibus consistere audeant, speciemque defensorum præbeant. interim, confecta frumentatione, milites nostri clamorem exaudiunt: præcurrunt equites: quáto res sit in periculo, cognoscunt. hic verò nulla munitio est, quæ perterritos recipiat. modò cóscripti, atq. vsus militaris imperiti ad Tribunum millium centurionesq. ora conuertunt: quid ab his præcipiatur: exspectant. nemo est tam fortis, quin rei nouitate perturbetur. barbari signa procul cóspicati, ab oppugnatione desistunt, redisse primò legiones credunt, quas D longius discessisse, ex captiuis cognouerát, postea despecta paucitate, ex omnib. partibus impetum faciunt. calones in proximum tumulum procurrunt. hinc celeriter deiecti, se in signa, manipulosq. coniiciunt. eo magis timidos perterrét milites. alij, cuneo facto, vt celeriter perrumpant, censent: quoniam tam propinqua sint castra: & si pars aliqua circumuéta ceciderit, at reliquos seruari posse confidunt: alij, vt in iugo cósistant, atq. eundem omnes ferant casum. hoc veteres nó pro- E bant milites, quos sub vexillo vna profectos docuimus: itaq., inter se cohortati, duce C. Trebonio equite R. qui eis erat præpositus, per medios hostes perrumpunt, incolumesq. ad vnum in castra perueniunt omnes. hos subsecuti calones, equitesq. eodem impetu, militum virtute seruantur. at ij, qui in iugo constiterant, nullo etiam nunc vsu rei militaris percepto, neq. in eo, quod probauerant, consilio permanere, vt se loco superiore defenderent, neq. eam, quam profuisse aliis vim, F celeritatemq. viderant, imitari potuerunt: sed, se ad castra recipere conati, iniquum in locum demiserunt, Centuriones, quorum, nónulli ex inferioribus ordinib. reliquarum legionum caussa virtutis, in superiores erant ordines huius legionis transducti, ne antè partam rei militaris laudem amitterent, fortissimè pugnantes conciderunt. Militum pars, horú virtute summotis hostibus, præter spem incolumis in castra peruenit: pars, à barbaris circumuenta periit. Germani, desperata expugnatio- G ne castrorum, quòd nostros iam constitisse in munitionibus videbant, cum ea præda, quam in siluis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt. ac tantus fuit etiam post discessum hostium terror, vt ea nocte, cum C. Volusenus missus cum equitatu ad castra venisset, fidem non faceret, adesse cum incolumi Cæsarem exercitu, sic omnium animos timor præoccupauerat, vt pæne alienata

mente, deletis omnibus copiis, equitatum se ex fuga recepisse dicerent: neque, incolumi exercitu, Germanos castra oppugnaturos fuisse contenderent: quem timorem Cæsaris aduentus sustulit. Reuersus ille, euentus belli non ignarus, vnum, quòd cohortes ex statione, & præsidio essent emissæ, questus, ne minimo quidem casu locum relinqui debuisse, multum fortunam in repentino hostium aduentu potuisse iudicauit, multo etiam amplius, quòd pæne ab ipso vallo, portisque castrorum Barbaros auertissent. quarum B omnium rerum maximè admirandum videbatur, quòd Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, vt Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerant. Cæsar, ad vexandos rursus hostes profectus, magno coacto numero ex finitimis ciuitatibus, in omnes partes dimittit. omnes vici, atque omnia ædificia, quæ quisque conspexerat, incendebantur: præda ex omnibus locis agebatur: frumenta non solùm à tanta multitudi- C ne iumentorum atque hominum consumebantur, sed etiam anni tempore, atque imbribus procubuerant: vt si qui etiam in præsentia se occultassent: tamen iis, deducto exercitu, rerũ omnium inopia pereundum videretur. ac sæpe in eùm lo- A cum ventum est, tanto in omnes partes diuiso equitatu, vt non modò visum ab se Ambiorigem in fuga circumspicerent captiui, sed nec planè etiam abisse ex conspectu contenderent: vt, spe consequendi illata, atque infinito labore suscepto, qui se summam à Cæsare gratiam inituros putarent, pæne naturam studio vincerent: semperque paullum ad summam felicitatem defuisse videretur: atque ille latebris, aut siluis, aut saltibus se eriperet: & noctu occultatus, alias regiones, partesque peteret, non maiore equitum præsidio, quàm IV. quibus solis vitam suam committere audebat. tali modo vastatis regionibus, exercitum Cæsar, duarum cohortium damno, Durocortorum Rhemorum reducit: concilioque in eum locum Galliæ indicto, de coniuratione Senonum & Carnutum quæstionem habere instituit: & de Accone, qui princeps eius consilij fuerat, grauiore sententia pronunciata, more maiorum supplicium sumpsit. nonnulli, iudicium veriti, profugerunt: quibus cùm aqua, atque igni interdixisset, II. legiones ad fines Treuirorum, II. in Lingonibus, VI. reliquas in Senonum finibus Agendici in hibernis collocauit: frumentoque exercitui prouiso, vt instituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus est.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO

LIBER VII.

Quieta Gallia, Cæsar, vt constituerat, in Italiam ad conuentus peragendos proficiscitur. vbi cognoscit de P. Clodij cæde: de Senatusque consulto certior factus, vt omnes Italiæ iuniores coniurarent, delectum tota prouincia habere instituit. eæ res in Galliam Transalpinam celeriter perferuntur. addunt ipsi, & affigunt rumoribus Galli, quod res poscere videbatur, retineri vrbano motu Cæsarem, neque E in tantis dissensionibus ad exercitum venire posse. hac impulsi occasione, qui iam antè se populi Rom. imperio subiectos dolerent, liberius, atque audacius de bello consilia inire incipiunt. indictis inter se principes Galliæ conciliis, siluestribus, ac remotis locis, queruntur de Acconis morte: hunc casum ad ipsos recidere posse, demonstrant: miserantur communem Galliæ fortunam: omnibus pollicitationibus, ac præmiis deposcunt, qui belli initium faciant, & sui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent, eius in D primis rationem habendã esse dicunt, prius quàm eorum clandestina consilia efferantur: vt Cæsar ab exercitu intercludatur: id esse facile: quòd neque legiones, absente Imperatore, audeant ex hibernis egredi: neq. Imperator sine præsidio ad legiones peruenire possit: postremò, in acie præstare interfici, quàm non veterem belli gloriam, libertatemque, quam à maioribus acceperant, recuperare. His rebus agitatis, profitentur Carnutes, se nullum periculum, communis salutis caussa, recusare: principesque se ex omnibus bellum facturos pollicentur: & quoniam in præsentia de obsidibus cauere inter se non possent, ne res efferatur, vt iureiurando, ac fide sanciatur, petunt, collatis militaribus signis, quod more eorum grauissima cerimonia cõtinetur, ne, facto initio belli, à reliquis deserantur, tunc collaudatis Carnutibus, dato iureiurando ab omnibus, qui aderant, tempore eius rei constituto, ab concilio discedi- tur. vbi ea dies venit, Carnutes, Cotuato, & Conctoduuo ducibus, desperatis hominibus Genabũ, dato signo concurrunt: ciuesque Romanos, qui nego-

negotiandi caussa ibi constiterant, in iis C. Fusium A Cottam honestum equitem Romanum, qui rei frumentariæ, iussu Cæsaris, præerat, interficiunt: bonaq. eorum diripiunt. celeriter ad omnes Galliæ ciuitates fama perfertur. nam, vbi maior atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant: hunc alij deinceps excipiunt, & proximis tradunt: vt tunc accidit. nam, quæ Genabi oriente sole gesta essent, ante primam confectam vigiliam in finibus Aruernorum audita sunt: quod spatium est millium passuum circiter CLX. B Simili ratione ibi Vercingetorix, Celtili filius, Aruernus, summæ potentiæ adolescens, cuius pater principatum Galliæ totius obtinuerat, & ob eam caussam, quòd regnum appetebat, ab ciuitate erat interfectus, conuocatis suis clientibus, facile eos incendit. cognito eius consilio, ad arma concurritur, ab Gobanitione patruo suo, reliquisque principibus, qui hanc tentandam fortunam non existimabant, expellitur ex oppido Gergonia, non C tamen desistit: atque in agris habet delectum egentium, ac perditorum. hac coacta manu, quoscunque adit ex ciuitate, in suam sententiam perducit. hortatur, vt communis libertatis caussa, arma capiant: magnisque coactis copiis, aduersarios suos, à quibus paullo antè erat eiectus, expellit ex ciuitate, Rex ab suis appellatur: dimittit quoque versus legationes, obtestatur, vt in fide maneant. celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemouices, Andes, reliquosque omnes, qui Oceanum attingunt, adiungit: D omnium consensu ad eum defertur imperium. qua oblata potestate, omnibus iis ciuitatibus obsides imperat, certum numerum militum celeriter ad se adduci iubet. armorum quantum quæq. ciuitas domi, quodque ante tempus efficiat, constituit. in primis equitatui studet: summæ diligentiæ summam imperij seueritatem addit: magnitudine supplicij dubitantes cogit. nam, maiore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis E necat: leuiore de caussa, auribus desectis, aut singulis effossis oculis, domum remittit: vt sint reliquis documento, & magnitudine pœnæ perterreant alios. His suppliciis celeriter coacto exercitu, Lucterium Cadurcum, summæ hominem audaciæ, cum parte copiarum, in Ruthenos mittit: ipse in Bituriges proficiscitur. eius aduentu Bituriges ad Æduos, quorum erant in fide, legatos mittunt, subsidium rogatum, quo facilius hostium copias sustinere possint. Ædui de consilio legatorum, quos Cæsar ad exercitum reliquerat, copias F equitatus, peditatusque, subsidio Biturigibus mittunt: qui cùm ad flumen Ligerim venissent, quod Bituriges ab Æduis diuidit, paucos dies ibi morati, neque flumen transire ausi, domum reuertuntur: legatisque nostris renunciant, se Biturigum perfidiam veritos, reuertisse: quibus id consilij fuisse cognouerint, vt si flumen transissent, vna ex parte ipsi, altera Aruerni se circumsisterent. id eane de caussa, quam legatis pronunciarunt, an perfidia adducti fecerint, quod nihil nobis cōstat, non G videtur pro certo esse ponendum. Bituriges eorum discessu statim se cum Aruernis coniungunt. His rebus in Italiam Cæsari nunciatis, cùm iam ille virtute Cn. Pompeij vrbanas res commodiorem in statum peruenisse intelligeret, in Trāsalpinam Galliam profectus est. eò cum venisset, magna difficultate afficiebatur, qua ratione ad exercitum peruenire posset. nam, si legiones in prouinciam accerseret, se absente in itinere prælio dimicaturas intelligebat. si ipse ad exercitum cōtenderet, ne iis quidem, qui eo tempore pacati viderentur, suam salutem rectè committi videbat. interim Lucterius Cadurcus, in Ruthenos missus, eam ciuitatem Aruernis conciliat: progressus in Nitiobriges, & Gabalos, ab vtrisque obsides accipit, &, magna coacta manu, in prouinciam, Narbonem versus, eruptionem facere contendit. qua re nunciata, Cæsar omnibus consiliis anteuertendum existimauit, vt Narbonem proficisceretur, eò cùm venisset, timentes confirmat: præsidia in Ruthenis, Prouincialibus, Volcis, Arecomicis, Tolosatibus, circumque Narbonem, quæ loca erant hostibus finitima, constituit: partem copiarum ex prouincia, supplementumque, quod ex Italia adduxerat, in Heluios, qui fines Aruernorum contingunt, conuenire iubet. his rebus comparatis, represso iam Lucterio, & remoto, quòd intrare intra præsidia periculosum putabat, in Heluios proficiscitur: etsi mons Gebenna, qui Aruernos ab Heluiis discludit, durissimo tempore anni, altissima niue iter impediebat: tamen discussa niue VI. in altitudinem pedum, atque ita viis patefactis, summo militum labore ad fines Aruernorum peruenit: quibus oppressis inopinantibus, quòd se Gebenna, vt muro munitos existimabant, ac ne singulari quidem homini vnquam eo tempore anni semitæ patuerant: equitibus imperat, vt, quàm latissimè possent, vagentur, & quàm maximum hostibus terrorem inferant. Celeriter hæc fama, ac nuncij ad Vercingetorigem perferuntur: quem perterriti omnes Aruerni circumsistunt: atque obsecrant, vt suis fortunis consulat, neu se ab hostibus diripi patiatur: præsertim cùm videat omne ad se bellum translatum. quorum ille precibus permotus, castra ex Biturigibus mouet in Aruernos versus. At Cæsar biduum in iis locis moratus, quòd, hæc de Vercingetorige vsu ventura opinione præceperat, per caussam supplementi, equitatusque cogendi, ab exercitu discedit: Brutum adolescentem iis copiis præficit: hunc monet, vt in omnes partes equites quàm latissimè peruagentur: daturum se operam, ne longius triduo ab castris absit. his constitutis rebus, omnibus suis inopinantibus, quàm maximis potest itineribus Viennam peruenit. ibi nactus recentem equitatum, quem multis antè diebus eò præmiserat, neq. diurno, neque nocturno itinere intermisso, per fines Æduorum in Lingones contendit vbi II. legiones hiemabant: vt, si quid etiam de sua salute ab Æduis iniretur consilij, celeritate præcurreret. eò cùm peruenisset, ad reliquas legiones mittit, priusque in vnum locum omnes cogit, quàm de eius aduentu Aruernis nunciari posset. hac re cognita, Vercingetorix rursus in Bituriges exercitum reducit, atque inde profectus Gergouiam Boiorum oppidum, quos ibi Heluetico prælio victos, Cæsar collocauerat, Æduisq. attribuerat, oppugnare instituit. magnam hæc res Cæsari difficultatem ad consilium capiendum afferebat, si reliquam partem hiemis vno in loco legiones cōtineret, ne, stipendiariis Æduorum expugnatis cuncta Gallia deficeret, quòd nullum in eo amicis præsidium videretur positum esse: sin maturius ex hibernis educeret, ne ab re frumentaria duris subuectionibus laboraret. præstare visum est tamen, omnes difficultates perpeti, quàm, tanta cōtumelia accepta, omnium suorum voluntates alienare.

itaque cohortatus Aeduos de supportando commeatu, præmittit ad Boios, qui de suo aduentu doceant, hortenturque, vt in fide maneant, atque hostium impetum magno animo sustineant: duabus Agendici legionibus, atque impedimentis totius exercitus relictis, ad Boios proficiscitur. altero die cùm ad opidum Senonum Vellaunodunum venisset, ne quem post se hostem relinqueret: quo expeditiore re frumentaria vteretur, oppugnare instituit. idque biduo circumuallauit. tertio die missis ex opido legatis de deditione, arma proferri, iumenta produci, DC. obsides dari iubet: ea qui conficeret, C. Trebonium legatum relinquit. ipse, vt quamprimum iter faceret, Genabum Carnutum proficiscitur: qui tunc primùm, allato nuncio de oppugnatione Vellaunoduni, cùm longius eam rem ductum iri existimarent, præsidium Genabi tuendi caussa, quòd eò mitterent, comparabant. huc biduo Cæsar peruenit, &, castris ante opidum positis, diei tempore exclusus, in posterum oppugnationem differt: quæque ad eam rem vsui sint, militibus imperat: &, quòd opidū Genabum pons fluminis Ligeris continebat, veritus, ne noctu ex opido profugerent, II. legiones in armis excubare iubet. Genabenses, paullo ante mediam noctem silentio ex opido egressi, flumen transire cœperunt. qua re per exploratores nunciata, Cæsar legiones, quas expeditas esse iusserat, portis incensis, intromittit: atque opido potitus perpaucis ex hostium numero desideratis, quin cuncti caperentur, quòd pontis, atque itinerum angustiæ multitudini fugam intercluserant. Opidum diripit, atq. incendit: prædam militibus donat, exercitum Ligerim transducit, atque in Biturigum fines peruenit. Vercingetorix, vbi de Cæsaris aduentu cognouit, oppugnatione desistit, atque obuiam Cæsari proficiscitur. ille, opidum Biturigum, positum in via, Nouiodunum oppugnare instituerat. quo ex opido, cum legati ad eum venissent oratum, vt sibi ignosceret, suæque vitæ consuleret: vt celeritate reliquas res conficeret, qua pleraque erat consecutus, arma proferri, equos produci, obsides dari, iubet. parte iam obsidum transdita, cum reliqua administrarentur, centurionibus, & paucis militibus intromissis, qui arma, iumentaq. conquirerent, equitatus hostium procul visus est, qui agmen Vercingetorigis antecesserat: quem simulatque opidani cōspexerunt, atque in spem auxilij venerunt: clamore sublato, arma capere, portas claudere, murum complere cœperunt. Centuriones in opido, cum ex significatione Gallorum noui aliquid ab iis iniri consilij intellexissent, gladiis districtis portas occupauerunt, suosque omnes incolumes receperunt. Cæsar ex castris equitatum educi iubet, prœliumque equestre committit: laborantibus iam suis, Germanos equites circiter CD. submittit: quos ab initio secum habere instituerat. eorum impetum Galli sustinere non potuerunt, atque in fugam coniecti, multis amissis, sese ad agmen receperunt: quibus profligatis, rursus opidani perterriti, comprehensos eos, quorum opera plebem concitatam existimabant, ad Cæsarem perduxerunt, seseque ei dediderunt. Quibus rebus confectis, Cæsar ad opidum Auaricum, quod erat maximum, munitissimumque in finibus Biturigum, atq. agri fertilissima regione, profectus est, quòd, eo opido recepto, ciuitatem Biturigum se in potestatem redacturum confidebat. Vercingetorix,

A tot continuis incommodis Vellaunoduni, Genabi, Nouioduni acceptis, suos ad concilium conuocat. docet, longè alia ratione esse bellum gerendum, atque antea sit gestum: omnibus modis huic rei studendum, vt pabulatione, & commeatu Romani prohibeantur. id esse facile, quòd equitatu ipsi abundent: & quòd anni tempore subleuentur, pabulum secari non posse, necessariò dispersos hostes ex ædificiis petere: hos omnes quotidie ab equitibus deleri posse: præterea, salutis caussa, rei familiaris commoda negligenda, vicos, B atque ædificia incendi oportere, hoc est spatio à Boia quoquo versus, quò pabulandi caussa adire posse videantur: harum ipsis rerum copiam suppetere, quòd, quorum in finibus bellum geratur, eorum opibus subleuentur: Romanos aut inopiam non laturos, aut magno cum periculo longius à castris progressuros: neque interesse, ipsósne interficiant, impedimentisne exuant, quibus amissis bellum geri non possit: præterea, opida in- C cendi oportere, quæ non munitione, & loci natura ab omni sint periculo tuta: neu suis sint ad detrectandam militiam receptacula, neu Romanis proposita, ad copiam commeatus, prædamque tollendam: hæc si grauia, aut acerba videantur, multo illa grauius æstimari debere, liberos, coniuges in seruitutem abstrahi, ipsos interfici, quæ sit necesse accidere victis. Omnium consensu hac sentētia probata, vno die amplius XX. vrbes Biturigùm incenduntur, hoc idem fit in reliquis ciui- D tatibus. in omnibus partibus incendia conspiciuntur: quæ etsi magno cum dolore omnes ferebant, tamen hoc sibi solatij proponebant, quòd se propè explorata victoria, celeriter amissa recuperaturos confidebant. deliberatur de Auarico in communi concilio, incendi placeret, an defendi, procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam propè totius Galliæ vrbem, quę & præsidio, & ornamento sit ciuitati, suis manib. succendere cogerentur: facilè se loci natura de- E fensuros dicunt, quòd propè ex omnibus partibus flumine, & palude circumdata, vnum habeat, & peranguftum aditum, datur petentibus venia dissuadente primò Vercingetorige, pòst concedente, & precibus ipsorum, & misericordia vulgi, defensores idonei opido deliguntur. Vercingetorix minoribus Cæsarem itineribus subsequitur, & locum castris deligit, paludibus, siluisque munitum, ab Auarico longè millia passuum XV. ibi per certos exploratores in singula diei tempora, quæ ad F Auaricum agerentur, cognoscebat: &, quid fieri vellet, imperabat: omnes nostras pabulationes, frumentationesque obseruabat, dispersosq. cum longius necessariò procederent, adoriebatur, magnoque incommodo afficiebat: etsi, quantum ratione prouideri poterat, ab nostris occurrebatur, vt incertis temporibus, diuersisque itineribus iretur. Castris ad eam partem opidi positis, Cæsar, quæ intermissa à flumine, & palude aditum, vt suprà diximus, angustū habebat, agge- G rem apparare, vineas agere, turres duas cōstituere cœpit. nam circūuallare loci natura prohibebat: de re frumentaria Boios, atque Aeduos adhortari non destitit: quorum alteri, quòd nullo studio agebant, non multū adiuuabant: alteri nō magnis facultatibus, quòd ciuitas erat exigua, & infirma, celeriter, quod habuerunt, cōsumpserunt. summa difficultate rei frumētariæ affecto exercitu, tenuitate Boiorum, indiligentia Aeduorum, incendiis ædifi-

ædificiorum vsq. confecti complures dies milites frumento caruerint, & pecore e longinquioribus vicis adacto, extremam famem sustentarent, nulla tamẽ vox est ab iis audita populi Romani maiestate, & superioribus victoriis indigna. quin etiam Cæsar, cùm in opere singulas legiones appellaret, &, si acerbius inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret: vniuersi ab eo, ne id faceret, petebant: sic se complures annos, illo imperante, meruisse, vt nullam ignominiam acciperent, nunquam infecta re discederent: hoc se ignominiæ laturos loco, si inceptam oppugnationẽ reliquissent: præstare omnes perferre acerbitates, quàm non ciuib. R. qui Genabi perfidia Gallorũ interissent, parentarent. hæc eadem Centurionib., Tribunisq. mil. mandabãt, vt per eos ad Cæsarem deferrentur. Cùm iã muro appropinquassent turres. ex captiuis Cæsar cognouit, Vercingetorigem consumpto pabulo castra mouisse propius Auaricum, atque ipsum, cũ equitatu, expeditisq. qui inter equites prœliari consueuissent, insidiarum caussa eò profectum, quò nostros postero die pabulatum venturos arbitrabatur. Quibus rebus cognitis media nocte silentio profectus, ad hostium castra mane peruenit. illi, celeriter per exploratores aduentu Cæsaris cognito, carros, impedimentaq. sua, in arctiores siluas abdiderunt, copias omnes, in loco edito, atque aperto instruxerunt. qua re nunciata, Cæsar celeriter sarcinas conferri, arma expediri, iussit. Collis erat leniter ab infimo accliuis: hunc ex omnibus ferè partibus palus difficilis, atque impedita cingebat, non latior pedib. L. hoc se colle, interruptis pontibus Galli fiducia loci continebant, generatimque distributi in ciuitates, omnia vada, ac saltus eius paludis certis custodiis obtinebant, sic animo parati, vt, si eam paludem Romani perrumpere conarentur, hæsitantes premerent ex loco superiore, vt qui propinquitatẽ loci viderent, paratos propè æquo Marte ad dimicandum existimarẽt: qui iniquitatem conditionis perspicerent, inani simulatione sese ostentare, cognoscerẽt. indignantes milites Cæsar, quòd conspectum suum hostes ferre possent, tantulo spatio interiecto, & signum prœlij exposcentes, edocet, quanto detrimento, & quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam: quos cùm sic animo paratos videret, vt nullum pro sua laude periculum recusarent, summæ se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua salute habeat cariorem. sic milites consolatus, eodem die reducit in castra; reliqua, quæ ad oppugnationem opidi pertinebãt, administrare instituit. Vercingetorix, cùm ad suos redisset, proditionis insimulatus, quòd castra propius Romanos mouisset, quòd cum omni equitatu discessisset, quòd sine imperio tantas copias reliquisset, quòd eius discessu Romani tanta opportunitate, & celeritate venissent. nõ hæc omnia fortuitu, aut sine consilio accidere potuisse: Regnum illũ Galliæ malle Cæsaris concessu, quàm ipsorum habere beneficio. Tali modo accusatus, ad hæc respondit. Quòd castra mouisset, factum inopia pabuli, etiam ipsis hortantibus: Quòd propius Romanos accessisset, persuasum loci opportunitate, qui se ipsum munitione defenderet: Equitum verò operam neque in loco palustri desiderari debuisse, & illic fuisse vtilem, quò sint profecti: Summam imperij se consultò nulli discedentem tradidisse, ne is multitudinis studio ad dimicandum impelleretur: cui rei, propter animi mollitiem studere om-

A nes videret, quòd diutius laborem ferre non possent. Romani si casu interuenerint, fortunæ: si alicuius indicio vocati, huic habendam gratiam, quòd & paucitatem eorum ex loco superiore cognoscere, & virtutem despicere potuerit: qui dimicare nõ ausi, turpiter se in castra receperint. imperium se à Cæsare per proditionem nullum desiderare, quod habere victoria posset, quæ iam esset sibi, ac omnibus Gallis explorata: quin etiam, ipsis remittere, si sibi magis honorem tribuere, quàm ab se

B salutem accipere, videantur: hæc vt intelligatis, inquit, sincere à me pronunciari, audite Rom. milites. producit seruos, quos in pabulatione paucis antè diebus exceperat, & fame, vinculisque excruciauerat. ij, iam antè edocti, quæ interrogati pronunciarent, milites se esse legionarios dicunt: fame, & inopia adductos, clàm ex castris exisse, si quid frumenti: aut pecoris in agris reperire possent: simili omnem exercitum inopia premi, nec iam vires sufficere cuiusquam, nec ferre operis la-

C borem posse: itaque statuisse imperatorem, si nihil in oppugnatione opidi profecissent, triduo exercitum deducere. hæc à me, inquit Vercingetorix, beneficia habetis, quem proditionis insimulatis: cujus opera sine vestro sanguine, tantum exercitũ victorem fame pæne consumptum videtis: quem turpiter se ex fuga recipientẽ, ne qua ciuitas suis finibus recipiat, à me prouisum est. Conclamat omnis multitudo, & suo more armis concrepat: quod facere in eo consueuerunt, cuius orationem approbant: summum esse Vercingetorigem ducẽ,

D nec de eius fide dubitandum: nec maiori ratione bellum administrari posse, statuũt, vt x. millia hominum delecta ex omnibus copiis in opidũ submittantur: nec solis Biturigibus communem salutem committendam censet: quòd pæne in eo, si opidum retinuissent, summam victoriæ constare intelligebant. Singulari militum nostrorum virtuti consilia cuiusquemodi Gallorũ occurrebant, vt est summæ genus sollertiæ, atq. ad omnia imi-

E tanda, atq. efficienda, quæ ab quoq. traduntur, aptissimum. nam & laqueis falces auertebãt, quas cum destinauerant, tormentis introrsus reducebant, & aggere cuniculis subtrahebant, eo scientius, quòd apud eos magnæ sunt ferrariæ, atque omne genus cuniculorum notum, atque vsitatum est. totum autem murum ex omni parte turribus contabulauerant, atq. has coriis intexerant. tum, crebris diurnis, nocturnisq. eruptionibus, aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur: & nostrarum turrium altitu-

F dinem, quantum has quotidianus agger expresserat, commissis suarum turrium malis, adæquabant: & apertos cuniculos præusta, & præacuta materia, & pice feruefacta, & maximi ponderis saxis morabantur, mœnibusque appropinquare prohibebant. Muris autem omnibus Gallicis hac ferè forma sunt. Trabes directæ, perpetuæ, in longitudinem, paribus interuallis, distantes inter se binos pedes, in solo collocãtur. eæ reuinciuntur introrsus, & multo aggere vestiuntur. ea autem, quæ di-

G ximus, interualla grandibus in fronte saxis effarciuntur. iis collocatis, & coagmentatis, alius insuper ordo adiicitur, vt idem illud interuallum seruetur, neq. inter se contingant trabes, sed paribus intermissæ spatiis, singulæ singulis saxis interiectis arctè contineantur. sic deinceps omne opus contexitur, dũ iusta muri altitudo expleatur. hoc cùm in speciem, varietatemque opus deforme non est,

alternis trabibus, ac saxis quæ rectis lineis suos ordines seruant: tum, ad vtilitatem & defensionem vrbium, summam habet opportunitatem, quòd & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit, quæ, perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus reuincta, neque perrumpi, neque distrahi potest. iis tot rebus impedita oppugnatione, milites cùm toto tempore luto, frigore, & assiduis imbribus tardarentur, tamen continenti labore omnia hæc superauerunt. & diebus xxv. aggerem latum pedes cccxxx. altum pedes lxxx. extruxerunt. cùm is murum hostium pæne contingeret, & Cæsar ad opus consuetudine excubaret, militesque cohortaretur, ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur, paullo ante III. vigiliam, est animaduersum, fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. eodemque tempore toto muro clamore sublato, duabus portis ab vtroque latere turrium eruptio fiebat. alij faces, atque aridam materiem de muro in aggerem eminus iaciebant: picem, reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant: vt, quò primum occurreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri posset. tamen, quòd instituto Cæsaris duæ semper legiones pro castris excubabant, duæque partitis temporibus in opere erant, celeriter factū est, vt alij eruptionibus resisterent, alij turres reducerent, aggeremque interscinderent. omnis verò ex castris multitudo ad restinguendum concurreret. cùm in omnibus locis: consumpta iam reliqua parte noctis, pugnaretur, semperque hostibus spes victoriæ redintegraretur, eo magis, quòd deustos pluteos turrium videbant, nec facilè adire apertos ad auxiliandum animaduertebant, semperque ipsi recentes defessis succederent, omnemque Galliæ salutem in illo vestigio temporis positam arbitrarentur: accidit inspectantibus nobis, quod dignū memoria visum, prætermittendum non existimauimus. Quidam ante portam opidi Gallus per manus seui ac picis transditas glebas in ignem è regione turris proiiciebat: scorpione ab latere dextro transiectus, exanimatusque concidit. hunc ex proximis vnus iacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur: eadem ratione ictu scorpionis exanimato altero, successit tertius, & tertio quartus: nec ille prius est à propugnatoribus vacuus relictus locus, quàm, restincto aggere, atque omni parte submotis hostibus, finis est pugnandi factus. Omnia experti Galli, quòd res nulla successerat, postero die, consilium ceperunt, ex opido profugere, hortante, & iubente Vercingetorige. id silentio noctis conati, non magna iactura suorum sese effecturos sperabant: propterea quòd neque longè ab opido castra Vercingetorigis aberant: & palus, quæ perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. iamque hoc facere noctu apparabant, cùm matresfamilias repente in publicum procurrerunt, flentesque proiectæ ad pedes suorum, omnibus precibus petierunt, ne se, & communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam natura, & virium infirmitas, impediret. vbi eos perstare in sententia viderunt, quòd plerunque in summo periculo timor misericordiam non recipit, conclamare, & significare, de fuga Romanis cœperunt. quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viæ præoccuparentur, consilio destiterunt. postero die Cæsar promota turri, direc-

A ctisque operibus, quæ facere instituerat, magno coorto imbri, non inutilem hanc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus est, quòd paullò incautius custodias in muro dispositas videbat, suosque languidius in opere versari iussit, & quid fieri vellet, ostendit. Legionibusque intra vineas in occulto expeditas cohortatus, vt aliquando pro tantis laboribus fructum victoriæ perciperent, iis qui primi murum adscendissent, præmia proposuit, militibusque signum dedit. illi subitò ex omnib.

B partibus euolauerunt, murumque celeriter compleuerunt. Hostes, re noua perterriti, muro, turribusque deiecti, in foro ac locis patentioribus, cuneatim constiterunt: hoc animo, vt si qua ex parte obuiam contrà veniretur, acie instructa, depugnarent. vbi neminem in æquum locum sese demittere, sed toto vndiq. muro circumfundi viderunt, veriti, ne omnino spes fugæ tolleretur, abiectis armis, vltimas opidi partes continenti impetu petierunt: parsque ibi, cùm angusto exitu portarum

C se ipsi premerent, à militibus: pars, iam egressa portis, ab equitibus est interfecta. nec fuit quisquam, qui prædæ studeret. sic, & Genabensi cæde, & labore operis incitati, non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. denique ex omni eo numero, qui fuit circiter xl. milliū, vix dccc. qui, primo clamore audito, se ex opido eiecerant, incolumes ad Vercingetorigem peruenerunt. quos ille, multa iam nocte, silentio sic ex fuga excepit, veritus, ne qua in castris ex eorum

D concursu, & misericordia vulgi seditio oriretur, vt procul in via dispositis familiaribus suis principibusque ciuitatum, disparandos, deducendosque ad suos curaret, quæ cuique ciuitati pars castrorum ab initio obuenerat. Postero die concilio conuocato, consolatus, cohortatusq. est ne se admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo: non virtute, neque acie vicisse Romanos, sed artificio quodam, & scientia oppugnationis: cuius rei fuerint ipsi imperiti: errare, si qui

E in bello omnes secundos rerum euentus exspectent: sibi nunquam placuisse, Auaricum defendi, cuius rei testes ipsos haberet: sed factum imprudentia Biturigum, & nimia obsequentia reliquorum, vti hoc incommodum acciperetur. id tamen se celeriter maiorib. commodis sanaturum. nam, quæ ab reliquis Gallis ciuitates dissentirent, has sua diligentia adiuncturum: atq. vnum consilium totius Galliæ effecturum: cuius consensu, ne orbis quidem terrarum possit obsistere: idque

F se propè iam effectum habere: interea æquum esse, ab iis communis salutis caussa impetrari vt castra munire instituerent, quo facilius hostium repentinos impetus sustinere possent. Fuit hæc oratio non ingrata Gallis, maximè, quòd ipse animo non defecerat, tanto accepto incommodo, neque se in occultum abdiderat, neque conspectum multitudinis fugerat; plusque animo prouidere, & præsentire existimabatur, quòd, re integra, primo incendendum Auaricum, pòst deserendum

G censuerat, itaque, vt reliquorum Imperatorum res aduersæ auctoritatem minuunt: sic huius ex contrario dignitas incommodo accepto, in dies augebatur. simul in spem veniebant, eius affirmatione, de reliquis adiungendis ciuitatibus: primumque eo tempore Galli castra munire instituerunt: & sic sunt animo consternati, homines insueti laboris, vt omnia quæ imperarentur, sibi patienda, & perferenda, existimarent. nec minus, quàm est polli-

citus,

citus, Vercingetorix animo laborabat, vt reliquas ciuitates adiungeret, atque earum Principes donis, pollicitationibusque alliciebat. huic rei idoneos homines deligebat, quorum quisque aut oratione subdola, aut amicitia facillimè capi posset. qui Auarico expugnato refugerant, armandos, vestiendosq. curat. simul, vt deminutæ copiæ redintegrarentur, imperat certũ numerũ militum ciuitatibus, quem, & quam ante diem in castra adduci velit, sagittariosque omnes, quorum erat permagnus numerus in Gallia, conquiri, & ad se mitti, iubet. his rebus celeriter id, quod Auarici deperierat, expletur. interim Teutomatus, Olloviconis filius, rex Nitiobrigum, cuius pater ab Senatu nostro amicus erat appellatus, cum magno equitum suorum numero, & quos ex Aquitania conduxerat, ad eum peruenit. Cæsar Auarici complures dies commoratus, summamque ibi copiam frumenti, & reliqui commeatus nactus, exercitum ex labore, atque inopia, refecit. iam propè hieme confecta, cum ipso anni tempore ad gerendum bellum vocaretur, & ad hostem proficisci constituisset, siue eum ex paludibus, siluisque elicere, siue obsidione premere posset, legati ad eum principes Aeduorum veniunt, oratum, vt maximè necessario tempore ciuitati subueniat: summo esse in periculo rem, quòd, cùm singuli magistratus antiquitus creari atque regiam potestatem annuũ obtinere consuessent, duo magistratum gerant, & se vterque eorum legibus creatum esse dicat. horum esse alterum Conuictolitanem, florentem, & illustrem adolescentem, alterum Cotum, antiquissima familia natum, atque ipsum hominem summæ potentiæ, & magnæ cognationis, cuius frater Vedeliacus proximo anno eundẽ magistratum gesserit: ciuitatẽ omnem esse in armis: diuisum senatum, diuisum populum, in suas cuiusque eorum clientelas. quòd si diutius alatur controuersia, fore, vti pars cum ciuitatis parte confligat: id ne accidat, positum in eius diligentia, atque auctoritate. Cæsar, etsi, à bello, atque hoste discedere, detrimentosum esse existimabat, tamen non ignorans, quanta ex dissensionibus incommoda oriri consuessent, ne tanta, & tam coniuncta populo Rom. ciuitas, quàm ipse semper aluisset, omnibusque rebus ornasset, ad vim, atque ad arma, descenderet, atque ea pars quæ minus sibi confideret, auxilia à Vercingetorige accerseret, huic rei præuertendum existimauit, & quod legibus Aeduorum, iis, qui summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret, ne quid de iure, aut legibus eorum deminuisse videretur, ipse in Aeduos proficisci statuit, Senatumq. omnem, & quos inter controuersia esset, Decetiam ad se euocauit. Cùm propè omnis ciuitas eò conuenisset, doceretur que paucis clàm vocatis, alio loco, alio tempore, atque oportuerit, fratrem à fratre renunciatum, cùm leges, duos ex vna familia, viuo vtroque, nõ solùm magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent, Cotum magistratum deponere coegit. Conuictolitanem, qui per sacerdotes, more ciuitatis, intermissis magistratibus, esset creatus, potestatem obtinere iussit. hoc decreto interposito, cohortatus Aeduos, vt controuersiarum, ac dissensionũ, obliuiscerentur, atq. omnibus omissis his rebus, huic bello seruirent, eaque, quæ meruissent, præmia ad se deuicta Gallia expectarent, equitatumq. omnem,

A & peditum millia x. sibi celeriter mitterent, quæ in præsidiis rei frumentariæ caussa disponeret, exercitum in duas partes diuisit, iv. legiones in Senones Parisiosq. Labieno ducẽdas dedit, vi. ipse in Aruernos, ad oppidum Gergouiam secundũ flumen Elauer duxit, equitatus partem illi attribuit, partẽ sibi reliquit. qua re cognita, Vercingetorix, omnibus interruptis eius fluminis pontibus, ab altera Elaueris parte iter facere cœpit, cùm vterq. vtriq. esset exercitui in conspectu, fereq. è regione castris castra poneret: dispositis exploratoribus, B necubi effecto ponte Romani copias transducerent, erat in magnis Cæsaris difficultatibus res, ne maiorem æstatis partem flumine impediretur, quòd non ferè ante autumnum Elauer vado transiri soleat, itaq. ne id accideret, siluestri loco castris positis, è regione vnius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos curauerat, postridie cum ii. legionibus in occulto restitit, reliquas copias, cum omnibus impedimentis, vt consueuerat, mi- C sit, demptis quartis quibusq. cohortibus, vti numerus legionum constare videretur, iis, quàm longissimè possent, progredi iussis, cùm iam ex diei tempore coniecturam caperet, in castra peruentum, iisdem sublicis quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit. celeriter effecto opere, legionibusq. transductis, & loco castris idoneo delecto, reliquas copias reuocauit. Vercingetorix, re cognita, ne contra suam voluntatem dimicare cogeretur, magnis itineribus an- D tecessit. Cæsar ex eo loco quintis castris Gergouiam peruenit, equestrique prœlio eo die leui facto, perspecto vrbis situ, quæ, posita in altissimo monte omnes aditus difficiles habebat, de expugnatione desperauit: de obsessione non prius agendum constituit, quàm rem frumentariam expedisset. At Vercingetorix, castris propè oppidũ in monte positis, mediocribus circum se interuallis, separatim singularum ciuitatum copias collocauerat, atque omnibus eius iugi collibus occupatis, quà despici poterat, horribilem speciem præ- E bebat, principesq. earum ciuitatum, quos sibi ad consilium capiendum delegerat, prima luce ad se quotidie conuenire iubebat, seu quid cõmunicandum, seu quid administrandum videretur: neque vllum ferè diem intermittebat, quin, equestri prœlio interiectis sagittariis, quid in quoque esset animi, ac virtutis suorum, periclitaretur. Erat è regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis egregiè munitus, atque ex omni parte circumcisus: F quem si tenerent nostri, & aquæ magna parte, & pabulatione libera prohibituri hostes videbãtur. sed is locus præsidio ab iis non nimis firmo tenebatur, tamen silentio noctis Cæsar ex castris egressus, priusquam subsidium ex oppido venire posset, deiecto præsidio, potitus loco, duas ibi legiones collocauit, fossamq. duplicem duodenum pedum à maioribus castris ad minora perduxit: vt tutò ab repentino hostium incursu etiam singuli commeare possent. Dum hæc ad Gergouiam geruntur, G Conuictolitanis Aeduus, cui magistratum adiudicatum à Cæsare demonstrauimus, sollicitatus ab Aruernis pecunia, cum quibusdam adolescentibus colloquitur: quorum erat princeps Litauicus, atq. eius fratres, amplissima familia nati adolescentes. cum iis præmium communicat, hortaturque eos, vt se liberos, & imperio natos meminerint: vnam esse Aeduorum ciuitatem, quæ certissimam Galliæ victoriam distineat, eius auctoritate reliquas cõ-

tineri: qua transacta, locum consistendi Romanis in Gallia non fore: esse nonnullo Cæsaris beneficio affectum, sic tamen ut iustissimam apud eum caussam obtinuerit, sed plus communi libertati tribuere. cur enim potius Ædui de suo iure, & de legibus ad Cæsarem disceptatum, quam Romani ad Æduos veniant? celeriter adolescentibus & oratione magistratus & præmio deductis, cum se vel principes eius consilij fore profiterentur, ratio perficiendi quærebatur, quod ciuitatem temere ad suscipiendum bellum adduci posse non confidebant. placuit, ut Litauicus decem illis millibus, quæ Cæsari ad bellum mitterentur, præficeretur, atque ea ducenda curaret, fratresq. eius ad Cæsarem præcurrerent. reliqua, qua ratione agi placeat, cōstituunt. Litauicus, accepto exercitu cum millia passuum circiter xxx. ab Gergouia abesset, conuocatis subito militibus, lacrymans, Quò proficiscimur, inquit, milites? omnis noster equitatus, nobilitas omnis interiit: principes ciuitatis, Eporedorix, & Vindumarus, insimulati proditionis, ab Romanis, indicta caussa, interfecti sunt. hæc ab iis cognoscite, qui ex ipsa cæde fugerunt. nam ego, fratribus, atque omnibus propinquis meis interfectis, dolore prohibeor, quæ gesta sunt, pronunciare. Producuntur ij, quos ille edocuerat quæ dici vellet: atque eadem, quæ Litauicus pronunciauerat, multitudini exponunt: omnes equites Æduorum interfectos, quòd collocuti cum Aruernis dicerentur, ipsos se inter multitudinem militum occultasse, atque ex media cæde profugisse. Conclamant Ædui, & Litauicum obsecrant, vt sibi consulat, quasi verò, inquit ille, consilij sit res, ac non necesse sit nobis Gergouiam contendere, & cum Aruernis nosmet coniungere. an dubitamus, quin, nefario facinore admisso, Romani iam ad nos interficiendos concurrant? proinde, siquid in nobis animi est, persequamur eorum mortem, qui indignissimè interierunt, atque hos latrones interficiamus. ostendit ciues Romanos, qui eius præsidij fiducia vnà erant. continuò magnum numerum frumenti, commeatusque diripit, ipsos crudeliter excruciatos interficit: nuncios tota ciuitate Æduorum dimittit: in eodem mendacio, de cæde equitum & principum permanet: hortatur, vt simili ratione, atque ipse fecit, suas iniurias persequantur. Eporedorix Æduus summo loco natus adolescens, & summæ domi potentiæ, & vnà Virdumarus pari ætate, & gratia, sed genere dispari, quem Cæsar sibi ab Diuitiaco transditum, ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat, in equitum numero conuenerant, nominatim ab eo euocati. his erat inter se de principatu contendio, & in illa magistratuum controuersia, alter pro Conuictolitane, alter pro Coto, summis opib. pugnauerat. ex iis Eporedorix, cognito Litauici consilio, media ferè nocte rem ad Cæsarem defert, orat, ne patiatur ciuitatem prauis adolescentium cōsiliis ab amicitia populi Romani deficere: quod futurum prouideat, si se tot hominum millia cum hostibus coniunxerint, quorum salutem neque propinqui negligere, neque ciuitas leui momento æstimare posset. Magna affectus sollicitudine hoc nuncio Cæsar, quòd semper Æduorum ciuitati præcipuè indulserat, nulla interposita dubitatione, legiones expeditas IV. equitatumque omnem ex castris educit, nec fuit spatium tali tempore ad contrahenda castra, quòd res in celeritate posita esse videbatur. C. Fabium legatum, cum le-

A gionibus II. castris præsidio relinquit. fratres Litauici cum comprehendi iussisset, paullo ante reperit ad hostes profugisse. adhortatus milites, ne necessario tempore itineris labore permoueantur, cupidissimis omnibus, progressus milia passuum xxv. agmen Æduorum conspicatus, immisso equitatu, iter eorum moratur atque impedit: interdicitque omnibus, ne quemquam interficiant. Eporedorigem, & Virdumarum, quos illi interfectos existimabant, inter equites versari, suosque B appellare iubet. iis cognitis, & Litauici fraude perspecta, Ædui manus tendere, & deditionem significare, & proiectis armis mortem deprecari incipiunt. Litauicus cum suis clientibus, quibus nefas more Gallorum est etiam in extrema fortuna deserere patronos, Gergouiam profugit. Cæsar, nunciis ad ciuitatem Æduorum missis, qui suo beneficio conseruatos docerent, quos iure belli interficere potuisset, tribusque horis noctis exercitui ad quietem datis, castra ad Gergouiam C mouit. medio ferè itinere, equites, à Fabio missi, quanto res in periculo fuerit, exponunt. summis copiis castra oppugnata demonstrant, cum crebro integri defessis succederent, nostrosque assiduo labore defatigarent, quibus, propter magnitudinem castrorum, perpetuò esset iisdem in vallo permanendum: multitudine sagittarum, atque omnis generis telorum multos vulneratos: ad hæc sustinenda magno vsui fuisse tormenta: Fabium discessu eorum, duabus relictis portis, obstruere D ceteras, pluteosque vallo addere, & se in posterum diem similem ad casum parare. his rebus cognitis, Cæsar, summo studio militum ante ortum solis in castra peruenit. Dum hæc ad Gergouiam geruntur, Ædui, primis nunciis à Litauico acceptis, nullum sibi ad cognoscendum spatium relinquunt. impellit alios auaritia, alios iracundia, & temeritas, quæ maximè illi hominum generi est innata, vt leuem auditionem habeant pro re comperta. bona ciuium Romanorum diripiunt, cædes faciunt, in seruitutem abstrahunt. adiuuat E rem proclinatam Conuictolitanis, plebemque ad furorem impellit, vt, facinore admisso, ad sanitatem reuerti pudeat. M. Aristium Tribunum militum, iter ad legionem facientem, fide data, ex oppido Cabillonio educunt: idem facere cogunt eos, qui negotiandi caussa ibi constiterant. hos continuò in itinere adorti, omnibus impedimentis exuunt. repugnantes diem noctemque obsident: multis vtrimq. interfectis, maiorem multitudinem ad arma concitant. interim, nuncio allato, omnes eo- F rum milites in potestate Cæsaris teneri, concurrunt ad Aristium: nihil publico factum consilio demonstrant: quæstionem de bonis direptis decernunt: Litauici, fratrumque bona publicant: legatos ad Cæsarem, sui purgandi gratia, mittunt. hæc faciunt, recuperandorum suorum caussa. sed contaminati facinore, & capti compendio ex direptis bonis, quòd ea res ad multos pertinebat, & timore pœnæ exterriti, consilia clam de bello inire incipiunt, ciuitatesq. reliquas legationibus sol- G licitant. quæ tametsi Cæsar intelligebat, tamen, quam mitissimè potest, legatos appellat: nihil se propter inscientiam, leuitatemq. vulgi grauius de ciuitate iudicare, neq. de sua in Æduos beneuolentia deminuere. ipse, maiorem Galliæ motum exspectans, ne ab omnib. ciuitatibus circumsisteretur, consilia inibat, quemadmodum à Gergouia discederet, ac rursus omnem exercitum contraheret:

ret: ne profectio nata à timore defectionis, similis fugæ videretur. hæc cogitanti accidere visa est facultas bene rei gerendæ. nam cum minora in castra, operis perspiciendi caussa, venisset, animaduertit collem, qui ab hostibus tenebatur, nudatum hominibus, qui superioribus diebus vix, præ multitudine cerni poterat. admiratus, quærit ex perfugis caussam, quorum magnus ad eum quotidie numerus confluebat. constabat inter omnes, quod iam ipse Cæsar per exploratores cognouerat, dorsum esse eius iugi propè æquum, sed siluestre & angustum, quà esset aditus ad alteram partem opidi: vehementer huic illos loco timere, nec iam aliter sentire, vno colle ab Romanis occupato, si alterum amisissent, quin penè circumuallati, atq. omni exitu & pabulatione interclusi viderentur: ad hunc muniendum locum omnes à Vercingetorige euocatos. Hac re cognita, Cæsar mittit cóplures equitum turmas eò de media nocte: iis imperat, vt paullo tumultuosius omnibus in locis peruagarentur: prima luce, magnum numerũ impedimentorũ ex castris mulorumq. produci, eque iis stramenta detrahi, mulionesq. cum cassidib. equitum specie, ac simulatione collib. circumuehi iubet. his paucos addit equites, qui latius ostétationis caussa vagarentur. longo circuitu easdem omnes iubet petere regiones. hæc procul ex opido videbantur, vt erat à Gergouia despectus in castra: neq. tanto spatio, certi quid esset, explorari poterat. Legionem vnam eodẽ iugo mittit, & paullũ progressam inferiore loco cóstituit, siluisq. occultat. augetur Gallis suspicio, atq. omnes illo munitionũ copiæ transducuntur. vacua castra hostiũ Cæsar cóspicatus, tectis insignibus suorum, occultatisq. signis militaribus, raros milites, ne ex opido animaduerterentur, ex maioribus castris in minora transducit: legatisq. quos singulis legionib. præfecerat, quid fieri vellet, ostẽdit: in primis monet, vt contineant milites, ne studio pugnandi, aut spe prædæ longius progrediantur: quid iniquitas loci habeat incommodi, proponit: hoc vna celeritate posse vitari: occasionis esse rem, nó prœlij. his rebus expositis signum dat, & ab dextera parte alio adscensu eodem tempore Aeduos remittit. Opidi murus ab planicie, atq. initio adscensus, recta regione, si nullus anfractus intercederet, ∞ CC passus aberat. quidquid huic circuitus ad molliendũ cliuum accesserat, id spatium itineris augebat. à medio ferè colle in longitudine, vt natura montis ferebat, ex grandib. saxis VI. ped. altum murũ, qui nostrorum impetum tardaret, produxerant Galli, atque, inferiore omni spatio vacuo relicto, superiorem partem collis vsq. ad murum opidi densissimis castris compleuerant. Milites, signo dato, celeriter ad munitionem perueniunt, eamq. transgressi, trinis castris potiuntur. ac tanta fuit in capiendis castris celeritas, vt Theutomatus, rex Nitiobrigum, subitò in tabernaculo oppressus, vt meridie conquieuerat, superiore corporis parte nudata, vulnerato equo vix se ex manib. prædantium militum eriperet. consecutus id, quod animo proposuerat, Cæsar receptui cani iussit: legionisq. decimæ, quæ cum erat concionatus, signa constitêre. at reliquarum milites legionum, non exaudito tubæ sono, quòd satis magna vallis intercedebat, tamẽ à Tribunis militum, legatisq. vt erat à Cæsare præceptum, retinebantur. sed, elati spe celeris victoriæ, & hostium fuga, superiorumq. temporũ secundis prœliis, nihil adeò arduum sibi existimabát, quod

A non virtute consequi possent: neq. prius finem sequendi fecerũt, quàm muro opidi, portisq. appropinquarunt. tum verò ex omnibus vrbis partibus orto clamore, qui longius aberant, repentino tumultu perterriti, cum hostes intra portas esse existimarent, sese ex opido eiecerunt. Matresfamilias de muro vestem argentumq. iactabant, & pectore nudo prominentes, passis manibus obtestabantur Romanos, vt sibi parcerent, neu, sicut Auarici fecissent, ne mulierib. quidem, atq. infantib. absti- **B** nerent. nõnullæ de muris per manus demissæ, sese militib. transdebant. L. Fabius, Centurio legionis IIX. quem inter suos eo die dixisse constabat, excitari se Auaricensibus præmiis, neq. commissurum, vt prius quisquam murum adscenderet, tres suos nactus manipulares, atque ab iis subleuatus, murum adscendit. eos ipse rursus singulos excepiens, in murũ extulit. interim ij, qui ad alteram partem opidi, vt suprà demonstrauimus, munitionis caussa, conuenerant, primo exaudito clamore **C** inde etiam crebris nunciis incitati, opidũ ab Romanis teneri, præmissis equitib. magno concursu eò contenderunt. eorum vt quisque primus venerat, sub muro consistebat, suorumq. pugnantium numerum augebat. quorũ cùm magna multitudo conuenisset, matresfamilias, quæ paullo ante Romanis de muro manus tendebant, suos obtestari, &, more Gallico, passum capillum ostentare, liberosque in conspectum proferre cœperunt. erat Romanis nec loco, nec numero æqua conten- **D** tio: simul, & cursu, & spatio pugnæ defatigati, nõ facilè recentes, atque integros sustinebant. Cæsar, cùm iniquo loco pugnari, hostiumque augeri copias videret, præmetuens suis, ad T. Sextium legatum, quem minoribus castris præsidio reliquerat, mittit, vt cohortes ex castris celeriter educeret, & sub infimo colle ab dextero latere hostium constitueret, vt, si nostros depulsos loco vidisset, quo minus liberè hostes insequerentur, terreret. ipse paullum ex eo loco cum legione progressus, vbi **E** constiterat, euentum pugnæ exspectabat. cum acerrimè cominus pugnaretur, hostes loco & numero, nostri virtute cõfiderent: subitò sunt Aedui visi ab latere nostris aperto, quos Cæsar ab dextera parte alio adscensu, manus distinendæ caussa, miserat. ij similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt, ac, tametsi dextris humeris exertis animaduertebantur, quod insigne pacatis esse cõsueuerat, tamen id ipsum sui fallendi caussa milites ab hostibus factum existimabant. Eo- **F** dem tempore L. Fabius centurio, quique vnà murum adscenderant, circumuenti, atq. interfecti, de muro præcipitantur. M. Petreius, eiusdem legionis centurio, cùm portas excindere conatus esset, à multitudine oppressus, ac sibi desperás, multis iã vulneribus acceptis, manipularib. suis, qui illum secuti erant, Quoniam, inquit, me vnà vobiscum seruare non possum, vestræ quidem certè saluti prospiciã, quos cupiditate gloriæ adductus, in periculũ deduxi. vos, data facultate, vobis consulite. **G** simul irrumpit in medios hostes, duobusq. interfectis, reliquos à porta paullum submouit. conantib. auxiliari suis, Frustra, inquit, meæ vitæ subuenire conamini, quẽ iam sanguis, viresq. deficiunt. proinde hinc abite, dum est facultas, vosque ad legionem recipite. ita pugnans pòst paullum concidit, ac suis saluti fuit. nostri, cùm vndique premerentur, XLVI. centurionibus amissis, deiecti sunt loco. sed intolerantius Gallos insequentes legio

x. tardauit, quæ pro subsidio paullo æquiore loco A constiterat. hanc rursus x i i i. legionis cohortes exceperūt, quæ ex castris minoribus eductæ, cum T. Sextio legato cœperant locum superiorem. Legiones, vbi primùm planiciem attigerunt, infestis contra hostes signis constiterunt. Vercingetorix ab radicib. collis suos intra munitiones reduxit. eo die milites sunt paullo minus D C C. desiderati. postero die Cæsar, concione aduocata, temeritatem, cupiditatemq. militum reprehendit, quod sibi ipsi iudicauissent, quò procedendum, aut quid B agendum videretur, neque, signo recipiendi dato, constitissent, neque à Tribunis mil. legatisque retineri potuissent: exposuit, quid iniquitas loci posset, quid ipse ad Auaricum sensisset, cùm, sine duce, & sine equitatu deprehēsis hostibus, exploratam victoriam dimisisset, ne paruum modò detrimentum in contentione propter iniquitatem loci acciperet: quantopere eorum animi magnitudinem admiraretur, quos nōn castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus opidi C tardare potuisset tantopere licentiam, arrogantiamque reprehendere, quòd plus se, quam Imperatorem, de victoria, atque exitu rerum sentire existimarent: nec minus se in milite modestiam, & continentiam, quàm virtutem, atque animi magnitudinem, desiderare. Hac habita concione, & ad extremum oratione confirmatis militibus, ne ob hanc caussam animo permouerentur, neu, quod iniquitas loci attulisset, id virtuti hostium tribuerent, eadem de profectione cogitans, quæ antè senserat, legiones ex castris D eduxit, aciemque idoneo loco constituit. Cùm Vercingetorix nihilominus in æquum locum descenderet, leui facto equestri prœlio, atque eo secundo, in castra exercitum reduxit. cum hoc idem postero die fecisset, satis ad Gallicam ostentationem minuendam, militumque animos confirmandos factum existimans, in Æduos castra mouit. ne tum quidem insecutis hostibus, i i i. die ad flumen Elauer pontem refecit, atque exercitum transduxit. ibi à Viridumaro, atque Eporedorige E Aeduis appellatus, discit, cum omni equitatu Litauicum ad sollicitandos Aeduos profectum: opus esse, & ipsos præcedere ad confirmandam ciuitatem. etsi multis iam rebus perfidiam Aeduorum Cæsar perspectam habebat, atque horum discessu admaturari defectionem ciuitatis existimabat: tamen retinendos eos non censuit, ne aut inferre iniuriam videretur, aut dare timoris aliquam suspicionem. discedentibus his, breuiter F sua in Aeduos merita exposuit, quos, & quàm humiles accepisset, compulsos in opido, multatos agris, omnibus ereptis copiis, imposito stipendio, obsidibus summa cum contumelia extortis, & quam in fortunam, quamque in amplitudinem reduxisset, vt non solùm in pristinum statum redissent, sed omnium temporum dignitatem, & gratiam antecessisse viderentur. his datis mandatis, eos ab se dimisit. Nouiodunum erat opidum Aeduorum, ad ripas Ligeris opportuno loco positum. huc Cæsar omnes obsides Galliæ, frumen- G tum, pecuniam publicam, suorum atque exercitus impedimentorum magnam partem contulerat: huc magnum numerum equorum, huius belli caussa in Italia, atque Hispania coemptorum, miserat. eò cùm Eporedorix, Viridumarusque venissent, & de statu ciuitatis cognouissent, Litauicum Bibracte ab Aeduis receptum, quod

est opidum apud eos maximæ auctoritatis, Conuictolitanem magistratum, magnamq. partem senatus ad eum conuenisse, legatos ad Vercingetorigem, de pace, & amicitia conciliandapublicè missos: non prætermittendum autem commodum existimauerunt. itaque interfectis Nouioduni custodibus, quoque eo negotiandi, aut itineris caussa, conuenerant, pecuniam atque equos inter se partiti sunt: obsides ciuitatum Bibracte ad magistratum deducendos curauerunt: opidum, quod ab se teneri non posse iudicabant, ne cui esset vsui Romanis, incenderūt: frumenti, quod subitò potuerunt, nauibus auexerunt, reliquum, flumine, atque incendio corruperunt: ipsi ex finitimis regionibus copias cogere, præsidia, custodiasque ad ripas Ligeris disponere, equitatumque omnibus locis, iniiciendi timoris caussa, ostentare cœperunt: si aut re frumentaria Romanos excludere, aut adductos inopia ex prouincia expellere possent. quam ad spem multum eos adiuuabat, quòd Liger ex niuibus creuerat, vt omnino vado transiri non posse videretur. Quibus rebus cognitis, Cæsar maturandum sibi censuit. si esset in perficiendis pontibus periclitandum, vt prius, quam essent maiores eò copiæ coactę, dimicaret. nam vt commutato consilio iter in Prouinciam conuerteret, id ne tum quidem necessariò faciēdum existimabat, cùm infamia, atque indignitas rei, & oppositus mons Gebenna, viarumque difficultas impediebat: tum maximè, quòd adiungi Labieno, atque iis legionibus, quas vnà miserat, vehementer cupiebat. itaque, admodum magnis diurnis, atque nocturnis itineribus confectis, contra omnium opinionem ad Ligerim peruenit. vadoque per equites inuento, pro rei necessitate, opportuno, vt brachia modò, atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aqua esse possent, disposito equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque hostibus primo adspectu perturbatis, incolumem exercitum transduxit, frumentumque in agris, & copiam pecoris nactus, repleto his rebus exercitu, iter in Senones facere instituit. Dum hæc apud Cæsarem geruntur, Labienus eo supplemento, quod nuper ex Italia venerat, relicto Agendici, vt esset impedimentis præsidio, cum i v. legionibus Lutetiam proficiscitur. id est opidum Parisiorum, positum in insula fluminis Sequanæ. cuius aduentu ab hostibus cognito, magnæ ex finitimis ciuitatibus copiæ conuenerunt. summa imperij transditur Camulogeno Aulerco: qui propè confectus ætate, tamen, propter singularem scientiam rei militaris, ad eum est honorem euocatus. is, cùm animaduertisset, perpetuam esse paludem, quæ influeret in Sequanam, atque illum omnem locum magnopere impediret, hic consedit: nostrosque transitu prohibere instituit. Labienus primò vineas agere, cratibus, atque aggere paludem explere, atque iter munire conabatur. postquam id difficilius confieri animaduertit, silentio è castris i i i. vigilia egressus, eodem, quo venerat itinere Melodunum peruenit. id est opidum Senonum in insula Sequanæ positum, vt paullo antè Lutetiam diximus. deprehensis nauibus circiter L. celeriterque coniunctis, atque eò militibus impositis, & rei nouitate perterritis opidanis, quorum magna pars erat ad bellum euocata, sine contentione opido potitur. refecto ponte, quem superioribus diebus hostes resciderant, exercitum transducit, & secundo flumine

flumine ad Lutetiam iter facere cœpit. hoste re
cognita ab iis, qui à Meloduno profugerant, Lute-
tiam incendi, pontesque eius opidi rescindi iu-
bent. ipsi profecti à palude in ripis Sequanæ, è
regione Lutetiæ, contra Labieni castra cõsidunt.
iam Cæsar à Gergouia discessisse audiebatur, iam
de Æduorum defectione, & secundo Galliæ mo-
tu rumores afferebantur, Gallique in colloquiis,
interclusum itinere, & Ligere Cæsarem, inopia
frumenti coactũ in prouinciam contendisse con-
firmabant. Bellouaci autem, defectione Aeduo-
rũ cognita, qui antè erant per se infideles, manus
cogere, atque apertè bellũ parare cœperunt. Tum
Labienus, tanta rerum commutatione, longè a-
liud sibi capiendum consilium, atque antea sen-
serat, intelligebat. neque iam, vt aliquid acquire-
ret, prœlioque hostes lacesseret, sed vt incolumem
exercitum Agendicum reduceret, cogitabat. nam-
que altera ex parte Bellouaci, quæ ciuitas in Gal-
lia maximam habet opinionem virtutis, insta-
bant: alteram Camulogenus parato, atque instru-
cto exercitu tenebat. tum legiones, à præsidio,
atque impedimentis interclusas maximum flu-
men distinebat. tantis subitò difficultatibus ob-
iectis, ab animi virtute auxilium petendum vi-
debat. itaque, sub vesperum concilio conuocato,
cohortatus, vt ea, quæ imperasset, diligenter, in-
dustrieque administrarent, naues, quas à Melodu-
no deduxerat, singulas equitibus Romanis attri-
buit, &, prima confecta vigilia, IV. millia pas-
suum secundo flumine progredi silentio, ibique
se exspectari, iubet. V. cohortes, quas minimè fir-
mas ad dimicandum esse existimabat, castris præ-
sidio relinquit: V. eiusdem legionis reliquas de
media nocte cum omnibus impedimentis aduer-
so flumine magno tumultu proficisci imperat.
conquirit etiam lintres: has magno sonitu remo-
rum incitatas, in eandem partem mittit. ipse pòst
paullò, silentio egressus cum III. legionibus, eum
locum petit, quo naues appelli iusserat. eò cùm
esset ventum, exploratores hostium, vt omni flu-
minis parte erant dispositi, inopinantes, quòd
magna subitò erat coorta tempestas, ab nostris
opprimuntur. Exercitus, equitatusque equitibus
Romanis administrantibus, quos ei negotio præ-
fecerat, celeriter transmittitur. vno ferè tempore
sub lucem hostibus nuntiatur, In castris Roma-
norum præter consuetudinem tumultuari, & ma-
gnum ire agmen aduerso flumine, sonitumque
remorum in eadem parte exaudiri, & paullò infrà
milites nauibus transportari. quibus reb. auditis
quòd existimabant tribus locis transire legiones,
atque omnes perturbatos defectione Aeduorum
fugam parare, suas quoque copias in tres partes
distribuerunt. nam, & præsidio è regione castro-
rum relicto, & parua manu Metiosedum versus
missa, quæ tantum progrederetur, quantum na-
ues processissent, reliquas copias contra Labie-
num duxerunt. prima luce & nostri omnes erant
transportati, & hostium acies cernebatur. Labie-
nus milites cohortatus, vt suæ pristinæ virtutis, &
tot secundissimorum prœliorum memoriam te-
nerent atque ipsum Cæsarem, cuius ductu sæpe-
numero hostes superassent, adesse existimarent,
dat signum prœlij primo cõcursu, ab dextero cor-
nu, vbi VII. legio constiterat, hostes pelluntur,
atque in fugam coniiciuntur: ab sinistro, quem
locum XII. legio tenebat, cum primi ordines ho-
stium transfixi pilis concidissent, tamen acerrimè
A reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugæ
quisquam: ipse dux hostium Camulogenus suis
aderat, atque eos cohortabatur. ac incerto etiam
nunc exitu victoriæ, cùm VII. legionis Tribunis
esset nunciatum, quæ in sinistro cornu gereren-
tur, post tergum hostium legionem ostenderunt,
signaque intulerũt. ne eo quidem tempore quis-
quam loco cessit, sed circumuenti omnes interfe-
ctique sunt. eandem fortunam tulit Camuloge-
nus. at ij, qui præsidio contra castra Labieni e-
rant relicti, cùm prœlium commissum audissent,
B subsidio suis ierunt, collemque ceperunt, neque
nostrorum militum, victorumque impetum su-
stinere potuerunt. sic, cum suis fugientibus per-
misti, quos non siluæ montesque texerunt, ab
equitatu sunt interfecti. hoc negotio confecto,
Labienus reuertitur Agendicum: vbi impedimen-
ta totius exercitus relicta erant. inde, cum omni-
bus copiis, ad Cæsarem peruenit. Defectione Ae-
duorum cognita, bellum augetur. Legationes in
C omnes partes circummittuntur: quantum gra-
tiam, auctoritate, pecunia valent, ad sollicitandas
ciuitates nituntur: nacti obsides, quos Cæsar apud
eos deposuerat, horum supplicio dubitantes ter-
ritant. petunt à Vercingetorige Aedui, vt ad se ve-
niat, rationesque belli gerendi communicet. re
impetrata, contendunt, vt ipsis summa imperij
transdatur: &, re in controuersiam deducta, totius
Galliæ concilium Bibracte indicitur. eòdem con-
ueniunt vndique frequentes multitudines. suffra-
D gis res permittitur. ad vnum omnes Vercingeto-
rigem probant Imperatorem. ab hoc concilio
Rhemi, Lingones, Treuiri abfuerunt, illi, quòd a-
micitiam Romanorum sequebantur, Treuiri,
quòd aberant longius, & ab Germanis preme-
bantur: quæ fuit caussa, quare toto abessent bel-
lo, & neutris auxilia mitterent. magno dolore Ae-
dui ferunt se deiectos principatu. queruntur for-
tunæ commutationem, & Cæsaris indulgentiam
in se requirunt, neq. tamen, suscepto bello, suum
E cõsilium ab reliquis separare audent. inuiti, sum-
mæ spei adolescentes, Eporedorix, & Viridoma-
rus Vercingetorigi parent. ille imperat reliquis
ciuitatibus obsides. denique ei rei constituit diem
huc omnes equites, XV. millia numero, celeriter
conuenire iubet. Peditatu, quem antè habuerit,
se fore contentum dicit, neque fortunam tenta-
turum, neque acie dimicaturum, sed, quoniam
abundet equitatu, perfacile esse factu, frumenta-
tionibus, pabulationibusque Romanos prohi-
F bere: æquo modò animo sua ipsi frumenta cor-
rumpant, ædificiaque incendant, qua rei familia-
ris iactura, perpetuum imperium, libertatemque
se consequi videant. His cõstitutis rebus, Aeduis,
Segusianisque, qui sunt finitimi ei prouinciæ,
X. millia peditum imperat. huc addit equites
DCCC. his præficit fratrem Eporedorigis, bel-
lumque inferre Allobrogibus iubet. altera ex par-
te Gabalos, proximosque pagos Aruernorum, in
Heluios, item Ruthenos, Cadurcosque ad fines
G Volgarum, Arecomicorumq. depopulandos mit-
tit. hic nihilo minus clandestinis nunciis, legatio-
nibusq. Allobroges sollicitat, quorũ mentes non-
dum à superiore bello resedisse sperabat. horum
principibus pecunias, ciuitati autem imperium
totius prouinciæ pollicetur. Ad hos omnes casus
prouisa erant præsidia cohortium duarum & vi-
ginti, quæ ex ipsa coacta prouincia ab L. Cæsare
legato ad omnes partes opponebàtur. Heluij sua

ponte cum finitimis prœlio congressi pelluntur, & C.Valerio Donotauro, Caburi filio, principe ciuitatis, compluribusque aliis interfectis, intra oppida murosque compelluntur. Allobroges, crebris ad Rhodanum dispositis præsidiis, magna cum cura, & diligentia suos fines tuentur. Cæsar, quòd hostes Equitatu superiores esse intelligebat, &, interclusis omnibus itineribus, nulla re ex Prouincia, atque Italia subleuari poterat, trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas ciuitates, quas superioribus annis pacauerat: equitesque ab his accersit, & leuis armaturæ pedites, qui inter eos prœliari consueuerant. Eorum aduentu, quòd minus idoneis equis vtebantur, à Tribunis militum reliquisque equitibus Romanis, atque euocatis equos sumit, Germanisque distribuit. Interea, dum hæc geruntur, hostium copiæ ex Aruernis, equitesque, qui toti Galliæ erant imperati, conueniunt. magno horum coacto numero, cum Cæsar in Sequanos per extremos Lingonum fines iter faceret, quò facilius subsidium prouinciæ ferri posset, circiter millia passuum x. ab Romanis trinis castris Vercingetorix consedit, conuocatisque ad concilium præfectis equitum, venisse tempus victoriæ demonstrat: fugere in Prouinciam Romanos, Galliaque excedere: id sibi ad præsentem obtinendam libertatem satis esse: ad reliqui temporis pacem, atque otium, parum profici. maioribus enim coactis copiis reuersuros, neque finem belli facturos: proinde agmine impeditos adoriantur. si pedites suis auxilium ferant, atque in eo morentur, iter confici non posse: sin, id quod magis futurum confidat, relictis impedimentis, suæ saluti consulant, & vsu rerum necessariarum, & dignitate spoliatum iri. nam de equitib. hostium, quin nemo eorum progredi modò extra agmen audeat, ne ipsos quidem debere dubitare: id quo maiore faciant animo, copias se omnes pro castris habiturum, & terrori hostibus futurum conclamant equites, sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorem aditum habeat, qui non bis per hostium agmen perequitasset. probata re, atque omnibus ad iusiurandum adactis, postero die in tres partes distributo equitatu, duæ se acies à duobus lateribus ostendunt: vna à primo agmine iter impedire cœpit. qua re nunciata, Cæsar suum quoque equitatum, tripartitò diuisum, ire contra hostem iubet, pugnatur vnà omnibus in partibus: consistit agmen: impedimenta inter legiones recipiuntur. si qua in parte nostri laborare, aut grauius premi videbantur, eò signa inferri Cæsar, aciemque conuerti iubebat. quæ res & hostes ad insequendum tardabat, & nostros spe auxilij confirmabat. tandem Germani ab dextro latere, summum iugum nact., hostes loco depellunt, fugientes vsque ad flumen, vbi Vercingetorix cum pedestribus copiis consederat, persequuntur, compluresq. interficiunt. qua re animaduersa, reliqui, ne circumuenirentur, veriti, se fugæ mandant. omnibus locis fit cædes. tres nobilissimi Ædui capti ad Cæsarem perducuntur, Cotus, præfectus equitum, qui controuersiam cum Conuictolitane proximis comitiis habuerat, & Cauarillus, qui post defectionem Litauici, pedestribus copiis præfuerat, & Eporedorix, quo duce ante aduentum Cæsaris Ædui cum Sequanis bello cõtenderunt. Fugato omni equitatu, Vercingetorix copias suas, vt pro castris collocauerat, reduxit, protinusque Ale-

A xiam, quod est opidum Mandubiorum, iter facere cœpit: celeriterq. impedimenta ex castris educi, & se subsequi, iussit. Cæsar, impedimentis in proximum collem deductis, duabusq. legionib. præsidio relictis, secutus, quantum diei tempus est passum, circiter III. mill. hostium ex nouissimo agmine interfectis, altero die ad Alexiam castra fecit. perspecto vrbis situ, perterritisq. hostib., quòd equitatu, qua maximè parte exercitus confidebant, erant pulsi: adhortatus ad laborem milites, Ale-

B xiam circumuallare instituit. ipsum erat opidum in colle summo, admodum edito loco, vt, nisi obsidione, expugnari non posse, videretur. cuius collis radices, duo duabus ex partibus flumina subluebant. ante id opidum planicies circiter millia passuum III. in longitudinem patebat. reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interiecto spatio, pari altitudinis fastigio, opidum cingebant. sub muro, quę pars collis ad orientem spectabat, hunc omnem locum copiæ Gallorum compleuerant: fossamque, & maceriam sex in altitudinem

C pedum produxerant. eius munitionis, quę ab Romanis instituebatur, circuitus XI ∞. passuum tenebat. Castra opportunis locis erant posita, ibiq, castella XXIII. facta, in quibus castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua subitò irruptio fieret. hęc eadem noctu excubitoribus, ac firmis pręsidiis tenebantur, opere instituto, fit equestre prœlium in ea planicie, quam intermissam collibus III. millium passuum in longitudinem pate-

D re, suprà demonstrauimus, summa vi ab vtrisque contenditur. laborantib. nostris, Cæsar Germanos submittit, legionesq. pro castris constituit, ne qua subitò irruptio ab hostium peditatu fiat. præsidio legionum addito, nostris animus augetur: hostes in fugam coniecti, seipsi multitudine impediunt: atq., angustioribus portis relictis, coartantur. Germani acrius vsque ad munitiones sequuntur. fit magna cædes: nonnulli, relictis equis, fossam transire, & maceriam transcendere, conantur. paulum

E legiones Cæsar, quas pro vallo constituerat, promoueri iubet. non minus, qui intra munitiones erant, Galli perturbantur, veniri ad se confestim existimantes, ad arma conclamant. nonnulli perterriti in opidum irrumpunt. Vercingetorix iubet portas claudi, ne castra nudentur. multis interfectis, compluribus equis captis, Germani sese recipiunt. Vercingetorix, prius quàm munitiones ab Romanis perficiantur, consilium capit, omnem à se equitatum noctu dimittere. discedentib. mandat vt suam quisque eorum ciuitatem adeat: om-

F nesq. qui per ętatem arma ferre possint, ad bellum cogant: sua in illos merita proponit: obtestaturq. vt suæ salutis rationem habeant: neu se de communi libertate optimè meritum in cruciatũ hostibus dedant: qui si indiligentiores fuerint, millia hominum LXXX. delecta secum interitura demonstrat: ratione inita, frumentum se exiguè dierum XXX. habere, sed paullò etiam longius tolerare posse, parcendo. his datis mandatis, qua erat nostrum opus intermissum, secunda vigilia silen-

G tio equitatum dimittit: frumentũm omne ad se referri iubet, capitis pœnam iis, qui non paruerunt, constituit: pecus, cuius magna erat ab Mandubiis compulsa copia, viritim distribuit, frumentum parcè, & paullatim metiri instituit: copias omnes, quas pro opido collocauerat, in opidum recipit. his rationibus auxilia Galliæ expectare, & bellum administrare, parat. quibus rebus cognitis ex per-

ex perfugis, & captiuis, Cæsar hæc genera munitionis instituit. fossam pedum xx. latam directis lateribus duxit, vt eius solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant. reliquas omnes munitiones ab ea fossa pedibus CD. reduxit: id hoc cõsilio, quoniam tantum esset necessariò spatium cõplexus, ne facilè totum opus militum corona cingeretur, néve de improuiso, aut noctu ad munitiones hostium multitudo aduolaret, aut interdiu tela in nostros operi destinatos coniicere possent. hoc intermisso spatio, duas fossas, xv. pedes latas, eadem altitudine, perduxit: quarum interiorem campestribus, ac demissis locis, aqua ex flumine deriuata, compleuit. post eas aggerem, & vallum xii. pedum extruxit. huic loricam, pinnasque adiecit grandibus ceruis eminentibusque ad commissuras pluteorum, atque aggeris, qui adscensum hostium tardarent: & turres toto opere circumdedit, quæ pedes LXXX. inter se distarent. erat vno tempore & materiari, & frumentari, & tantas munitiones fieri, necesse, deminutis nostris copiis, quæ longius ab castris progrediebantur: & nonnunquam opera nostra Galli tentare, atque eruptionem ex opido pluribus portis facere, summa vi conabantur. qua re ad hæc rursus opera addendum Cæsar putauit, quo minore numero militum munitiones defendi possent. itaque truncis arborum, haud admodum firmis ramis accisis, atq. horum dolobratis, atque præacutis cacuminibus, perpetuæ fossæ, quinos pedes altæ, ducebantur. huc illi stipites demissi, & ab infimo reuincti, ne reuelli possent, ab ramis eminebant. quini erant ordines coniuncti inter se, atque implicati, quò qui intrauerant, se ipsi acutissimis vallis induebant. hos Cippos appellabant. ante hos, obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad summum fastigio. huc teretes stipites, feminis crassitudine, ab summo præacuti, & præusti, demittebantur, ita, vt non amplius IV. digitis ex terra eminerent. simul, confirmandi, & stabiliendi caussa, singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur: reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus, ac virgultis integebatur. huius generis octoni ordines ducti ternos inter se pedes distabant, id ex similitudine floris Lilium appellabant. ante hæc taleæ pedem longæ ferreis hamis infixis totæ in terram infodiebantur, mediocribusque intermissis spatiis, omnib. locis disserebantur, quos Stimulos nominabant. His reb. perfectis, regiones secutus, quàm potuit æquissimas, pro loci natura XIV. millia passuum complexus, pares eiusdem generis munitiones, diuersas ab his, contra exteriorem hostem perfecit: vt ne magna quidem multitudine, si ita accidat, eius discessu munitionum præsidia circumfundi possent, neu cum periculo ex castris egredi cogerentur. dierum xxx. pabulum, frumentumque habere omnes conuectum iubet. Dum hæc ad Alexiam geruntur, Galli concilio principum indicto, non omnes, qui arma ferre possent, vt censuit Vercingetorix, conuocandos statuunt, sed certum numerum cuique ciuitati imperandum; ne, tanta multitudine confusa, nec moderari, nec discernere suos, nec frumenti rationem habere possent. imperát Æduis atque eorum clientibus, Segusianis, Ambiuaretis, Aulercis, Brannouicibus, Brannouiis millia XXXV. parem numerum Aruernis, adiunctis Heleuteris, Cadurcis, Gaballis, Velaunis, qui sub imperio Aruernorum esse consueuerunt, Senonibus, Sequanis, Biturigibus, Xanthonibus, Ruthenis, Carnutibus XXII. millia, Bellouacis X. totidem Lemouicibus, octona Pictonibus, & Turonis, & Parisiis, & Heluetiis, Senonibus, Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Neruiis, Morinis, Nitiobrogibus quina millia, Aulercis, Cenomanis totidem, Attrebatib. IV. millia, Bellocassis, Lexouiis, Aulercis Eburonibus, terna Rauracis, & Boiis XXX. vniuersis ciuitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum consuetudine Armoricæ appellantur, quo sunt in numero Curiosolites, Rhedones, Ambibari, Cadetes, Osismi, Lemouices, Veneti, Vnelli, sena ex his Bellouaci suum numerum non contulerunt, quod se suo nomine atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicerent, neque cuiusquam imperio obtemperaturos. Rogati tamen à Commio, pro eius auspicio II. millia miserunt. huius operaCommij, ita vt antea demonstrauimus, fideli, atque vtili superioribus annis erat vsus in Britannia Cæsar. pro quibus meritis ciuitatem eius immunem esse iusserat, iura, legesque reddiderat, atque ipsi Morinos attribuerat. tanta tamen vniuersæ Galliæ consensio fuit libertatis vindicandæ, & pristinæ belli laudis recuperandæ, vt neque beneficiis, neque amicitiæ memoria, mouerentur, omnesque & animo, & opibus, in id bellum incumberent, coactis equitum IIX. millibus, & peditum circiter CCXL. hæc in Æduorum finibus recensebantur: numerusque inibatur: præfecti constituebantur: Commio Atrebati, Virdumaro, & Eporedorigi æduis, Vergasillauno Aruerno, consobrino Vercingetorigis, summa imperij traditur. iis delecti ex ciuitatibus attribuuntur, quorum consilio bellum administraretur. omnes alacres, & fiduciæ pleni, ad Alexiam proficiscuntur nec erat omnium quisquam, qui adspectum modò tantæ multitudinis sustineri posse arbitraretur, præsertim ancipiti prœlio, cum ex opido eruptione pugnaretur, & foris tantæ copiæ equitatus peditatusque cernerentur. at ij, qui Alexiæ obsidebantur, præterita die, qua suorum auxilia exspectauerant, consumpto omni frumento, inscij, quid in Æduis gereretur, concilio coacto, de exitu fortunarum suarum consultabant. ac variis dictis sententiis, quarum pars deditionem, pars, dum vires suppeterent, eruptionem censebant. non prætereunda videtur oratio Critognati, propter eius singularem, ac nefariam crudelitatem. hic, summo in Aruernis natus loco, & magnæ habitus auctoritatis, Nihil, inquit, de eorum sententia dicturus sum, qui turpissimam seruitutem Deditionis nomine appellant, neque hos habẽdos ciuium loco, neque ad consilium adhibendos censeo. cum iis mihi res sit, qui eruptionem probant: quorum in consilio omnium vestrûm consensu pristinæ residere virtutis memoria videtur. Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre nõ posse. qui se vltro morti offerát, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant. atque ego hanc sententiam probarẽ, nam apud me multum dignitas potest, si nullam, præterquam vitæ nostræ iacturam fieri viderem. sed in consilio capiendo omnem Galliam respiciamus, quam ad nostrum auxilium concitauimus. quid hominum millib. LXXX. vno loco interfectis, propinquis, consanguineisq. nostris, animi fore existimatis, si pœne in ipsis cadaueribus prœlio decertare cogentur? no-

lite hos vestro auxilio spoliare, qui vestræ salutis causa suum periculum neglexerint: nec stultitia, ac temeritate vestra, aut imbecillitate animi omnem Galliam prosternere, ac perpetuæ seruituti addicere. an, quòd ad diem non venerint, de eorum fide constantiaque dubitatis? quid ergo Romanos in illis vlterioribus munitionibus, animine caussa quotidie exerceri putatis? Si illorum nunciis confirmari non potestis, omni aditu præsepto, iis vtimini testib. appropinquare eorum aduentum: cuius rei timore exterriti, diem noctemque in opere versantur. quid ergo mei consilij est? facere, quod nostri maiores nequaquam pari bello Cimbrorum, Teutonumque fecerunt, qui in oppida compulsi ac simili inopia subacti, eorum corporibus, qui ætate inutiles ad bellum videbãtur, vitam tolerauerunt, neque se hostibus transdiderunt. cuius rei exemplum si non haberemus, tamẽ libertatis caussa institui, & posteris prodi pulcherrimum iudicarẽ. nam, quid huic simile bello fuit? depopulata Gallia, magnaque illata calamitate, Cimbri finibus nostris aliquando excesserunt, atq. alias terras petierunt, iura, leges, agros, libertatem nobis reliquerunt. Rom. verò quid petunt aliud, aut quid volunt, nisi inuidia adducti, quos fama nobiles, potentesq. bello cognouerunt, horũm in agris, ciuitatibusq. considere, atque his æternam iniungere seruitutem? neque enim vnquam alia conditione bella gesserunt. quòd si ea, quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis, securibus subiecta, perpetua premitur seruitute. Sententiis dictis, constituunt, vt, qui valetudine, aut ætate, inutiles sunt, bello, opido excedant: atque omnia prius experiantur, quàm ad Critognati sententiam descendant, illo tamen potius vtendum consilio, si res cogat, atq. auxilia morentur, quàm deditionis, aut pacis subeundam conditionem. Mandubij qui eos opido receperant, cum liberis, atq. vxoribus exire coguntur. ij, cùm ad munitiones Romanorum accessissent, flentes, omnib. precibus orabant, vt se, in seruitutem receptos cibo iuuarent. hoc Cæsar, dispositis in vallo custodiis, recipi prohibebat. Interea Commius, & reliqui duces, quibus summa imperij permissa erat, cum omnibus copiis ad Alexiam perueniunt, &, colle exteriore occupato, non longius D. passibus à nostris munitionib. considunt. postero die equitatu ex castris educto omnem eam planitiem, quam in longitudinem III. millia passuum patere demonstrauimus, complent pedestresq. copias, paullum ab eo loco, abditas in locis superiorib. constituunt. erat ex opido Alexia despectus in campum. concurritur. his auxiliis visis: gratulatio inter eos, atque omnium animi ad lætitiam excitantur. itaque, productis copiis ante opidum considunt, & proximam fossam cratibus integunt, atque aggere explent, seque ad eruptionem, atque omnes casus, comparant. Cæsar, omni exercitu ad vtramque partem munitionum disposito, vt si vsus veniat, suum quisque locum teneat, & nouerit, equitatum ex castris educi, & prælium committi iubet. erat ex omnibus castris, quæ summum vndique iugum tenebant, despectus, atque omnium militum intenti animi pugnæ euentum exspectabãt. Galli inter equites, raros sagittarios, expeditosque leuis armaturæ interiecerant, qui suis cedentibus auxilio succurrerent, & nostrorum equitum impetum sustinerent. ab his complures

A de improuiso vulnerati, prœlio excedebant. cum suos pugna superiores esse Galli confiderent, & nostros premi multitudine viderent, ex omnibus partibus, & ij, qui munitionibus continebantur, & ij, qui ad auxilium conuenerant, clamore, & vlulatu suorum animos confirmabant. quòd in conspectu omnium res gerebatur, neque rectè, aut turpiter factum celare poterat, vtrosque & laudis cupiditas, & timor ignominiæ ad virtutem excitabat. cùm à meridie propè ad solis occasum du-

B bia victoria pugnaretur, Germani vna in parte confertis turmis in hostes impetum fecerunt, eosque propulerunt. quibus in fugam coniectis, sagittarij circumuenti, interfectique sunt. item ex reliquis partibus nostri cedentes vsque ad castra insecuti, sui colligendi facultatem non dederunt. at ij, qui ab Alexia processerant, mæsti, propè victoria desperata, se in opidum receperunt. vno die intermisso, Galli, atque hoc spatio, magno cratium, scalarum, harpagonum numero ef-

C fecto, media nocte silentio ex castris egressi, ad campestres munitiones accedunt. subito clamore sublato, qua significatione, qui in opido obsidebantur, de suo aduentu cognoscere possent, crates proiicere, fundis, sagittis, lapidibus nostros de vallo deturbare, reliquaque, quæ ad oppugnationem pertinent, administrare. eodem tempore clamore exaudito, dat tuba signum suis Vercingetorix, atque ex opido educit. nostri, vt superioribus diebus suus cuique erat locus attributus, ad

D munitiones accedunt: fundis libralibus, sudibusque, quas in opere disposuerant, ac glandib. Gallos perterrent. Prospectu tenebris adempto, multa vtrimque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela coniiciuntur. At M. Antonius, & C. Trebonius, legati, quibus eæ partes ad defendendum obuenerant, qua ex parte premi nostros intellexerant, iis auxilio ex vlterioribus castellis deductos submittebant. dum longius ab munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant postea, quàm propius successerunt: aut se

E ipsi stimulis inopinantes induebant: aut, in scrobes delapsi, transfodiebantur: aut ex vallo, & turribus transiecti, pilis muralibus interibant. multis vndique vulneribus acceptis, nulla munitione perrupta, cùm lux appareret: veriti, ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumuenirentur, se ad suos receperunt. at interiores, dum ea quæ à Vercingetorige ad eruptionẽ præparata erant, proferunt, priores fossas explent: diutiùs in iis rebus administrandis morati, prius

F suos discessisse cognouerunt, quàm munitionibus appropinquarent: ita re infecta, in opidum reuerterunt. Bis magno cum detrimento repulsi Galli, quid agant, consulunt: locorum peritos adhibent: ab his superiorum castrorum situs, munitionesq. cognoscunt. erat à septentrionibus collis, quem quia, propter magnitudinem circuitus, opere circumplecti non potuerant, nostri, necessariò pæne iniquo loco, & leniter decliui, castra fecerunt. hæc C. Antistius Reginus, & C. Caninius Rebi-

G lus, legati, cum II. legionibus obtinebant. cognitis per exploratores regionibus, duces hostium LV. millia ex omni numero deligunt earum ciuitatum, quæ in maximam virtutis opinionem habebant: quid, quoq. pacto agi placeat, occultè inter se constituunt. adeundi tempus definiunt, cùm meridies esse videatur. iis copiis Vergasillaunum Aruernum, vnum ex IV. ducibus, propinquum Vercin-

Vercingetorigis præficiunt. ille ex castris prima vigilia egressus, prope confecto sub lucem itinere, post montem se occultauit, militésque ex nocturno labore sese reficere iussit: cùm iam meridies appropinquare videretur, ad ea castra, quæ suprà demonstrauimus, contendit, eodémque tempore equitatus ad campestres munitiones accedere, & reliquæ copiæ sese pro castris ostendere cœperunt. Vercingetorix ex arce Alexiæ suos conspicatus, ex opido egreditur: è castris longurios, musculos, falces, reliquáque, quæ eruptionis caussa parauerat, profert. pugnatur vno tempore omnibus locis, atque omnia tentantur. quę minimè visa pars firma esset, huc concurritur. Romanorum manus tantis munitionibus distinetur, nec facilè pluribus locis occurrit. multum ad terrendos nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus exstitit. quod suum periculum in aliena vident virtute consistere. omnia enim plerumque, quæ absunt, vehementius hominum mentes perturbant. Cæsar idoneum locum nactus, quid quaque in parte geratur, cognoscit, laborantibus submittit, vtrisque ad animum occurrit: vnum id esse tempus prædicat, quo maximè contendi conueniat. Galli, nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant. Romani si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. maximè ad superiores munitiones laboratur, quò Vergasillaunum missum demonstrauimus. exiguũ loci ad decliuitatem fastigium magnum habet momentum. alij tela coniiciũt, alij, testitudine facta, subeunt. defatigatis inuicem integri succedunt. Agger ab vniuersis in munitionem coniectus, & adscensum dat Gallis, & quæ in terram occultauerant Romani, contegit. nec iam arma nostris, nec vires suppetunt. his rebus cognitis, Cæsar Labienum cum cohortibus VI. subsidio laborantibus mittit; & imperat, si sustinere non possit, deductis cohortibus eruptione pugnaret, id, nisi necessariò, non faciat. ipse adit reliquos. cohortatur, ne labori succumbant: omnium superiorum dimicationum fructum in eo die, atque hora docet consistere. interiores, desperatis campestribus locis propter magnitudinem munitionum, loca prærupta ex adscensu tentant. huc ea, quæ parauerant, conferunt: multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant: aggere, & cratibus, aditus expediunt: falcibus vallum, ac loricam, rescindunt. Cæsar mittit primò Brutum adolescentem cum cohortibus VI. pòst cum aliis VII. Fabium legatum: postremò ipse, cùm vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. restituto prœlio, ac repulsis hostibus, eò, quò Labienũ miserat, contendit; cohortes IV. ex proximo castello educit: equitum se partem sequi, partem circumire exteriores munitiones, & ab tergo hostes adoriri iubet. Labienus, postquam neque aggeres, neque fossæ vim hostium sustinere pote-

A rant, coactis vna de quadraginta cohortibus, quas ex proximis præsidiis deductas fors obtulit, Cæsarem per nuncios facit certiorem, quid faciendum existimet. accelerat Cęsar, vt prœlio intersit. eius aduentu ex colore vestitus cognito, quo insigni in prœliis vti consueuerat, turmisque equitum, & cohortibus visis, quas se sequi iusserat, vt de locis superioribus hęc decliuia, & deuexa, cernebantur, hostes committunt prœlium. vtrimque clamore sublato, excipitur rursus ex vallo, atque
B omnibus munitionibus clamor. nostri, emissis pilis, gladiis rem gerunt. repentè post tergum equitatus cernitur: cohortes aliæ appropinquant: hostes terga vertunt: fugientibus equites occurrunt: fit magna cædes. Sedulius dux, & princeps Lemouicum occiditur: Vergasillaunus Aruernus viuus in fuga comprehenditur: signa militaria LXXIV. ad Cæsarem referuntur. pauci, ex tanto numero, se incolumes in castra recipiunt, conspicati ex opido cædem, & fugam suorum, desperata
C salute, copias à munitionibus reducunt. fit protinus, hac re audita, ex castris Gallorum fuga, quod nisi crebris subsidiis, ac totius diei labore milites fuissent defessi, omnes hostium copiæ deleri potuissent. de media nocte missus equitatus nouissimum agmen consequitur. magnus numerus capitur, atque interficitur: reliqui ex fuga in ciuitates discedunt. postero die Vercingetorix, concilio conuocato, id se bellum suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis caussa demonstrat; & quoniam sit fortunæ cedendum, ad
D vtramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere, seu viuum trãdere velint. Mittuntur de his rebus ad Cęsarem legati. iubet arma tradi, principes produci. ipse in munitione pro castris consedit: eò duces producuntur. Vercingetorix deditur: arma proiiciuntur reseruatis Æduis, atque Aruernis, si per eos ciuitates recuperare posset, ex reliquis captiuis toto exercitu capita singula prædæ nomine, distribuit. his rebus confectis, in Æduos proficiscitur; ciuitatem recipit.
E eò legati ab Aruernis missi, quæ imperaret, se facturos pollicentur. imperat magnum numerum obsidum: Legiones in hiberna mittit: captiuorum circiter XX. millia Æduis, Aruernisque reddit: T. Labienum cum II. legionibus & equitatu in Sequanos proficisci iubet: huic M. Sempronium Rutilum attribuit: C. Fabium, & L. Minucium Basilum cum II. Legionibus in Rhemis collocat, ne quam à finitimis Bellouacis calamitatem accipiant: C. Antistium Reginum in Ambiuaretos, T.
F Sextium in Bituriges, C. Caninium Rebilum in Rhutenos, cum singulis legionibus mittit: Q. Tullium Ciceronem, & P. Sulpitium Cabiloni, & Matiscone in Æduis ad Ararim, rei frumentariæ caussa, collocat: ipse Bibracte hiemare constituit. Huius anni rebus cognitis, Romæ dierum XX. supplicatio indicitur.

A. HIRTII, vel, OPPIDI COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER VIII.



Oactvs assiduis tuis A vocibus, Balbe, cùm quotidiana mea recusatio, non difficultatis excusationem, sed inertiæ videretur deprecationem habere, difficillimam rem suscepi. Cæsaris nostri Commentarios rerum gestarum Galliæ, non comparandos superioribus atque insequentibus eius scriptis, contexui, nouissiméque imperfecta ab rebus gestis Alexandriæ confeci, vsque ad exitum non quidem ciuilis B dissentionis, cuius finem nullum videmus, sed vitæ Cæsaris. quos vtinam qui legent, scire possint, quam inuitus susceperim scribẽdos, quò facilius caream stultitiæ, atque arrogantiæ crimine, qui me mediis interposuerim Cęsaris scriptis. constat enim inter omnes, nihil tam operosè ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantia Commentariorum superetur: qui sunt editi, ne scientia tãtarum rerum gestarum Scriptoribus deesset: ad- C eóque probantur omnium iudicio, vt prærepta, non præbita, facultas Scriptoribus videatur. cuius tamen rei maior nostra, quàm reliquorum, est admiratio. ceteri enim, quàm bene, atque emendatè; nos etiam quàm facilè, atque celeriter, eos perfecerit, scimus. Erat autem in Cæsare cùm facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima suorum scientia consiliorum explicandorum. Mihi ne illud quidem accidit: vt Alexandrino, atque D Africano bello interessem. quæ bella quanquam ex parte nobis Cæsaris sermone sint nota: tamen aliter audiuimus ea, quæ rerum nouitate, aut admiratione nos capiunt; aliter, quæ pro testimonio sumus dicturi. sed ego nimirum, dum omnes excusationis caussas colligo, ne cum Cæsare conferar, hoc ipsum crimen arrogantię subeo, quòd me iudicio cuiusquam existimem posse cum Cæsare comparari. Vale. E

OMni Gallia deuicta, Cæsar cùm à superiore æstate nullum bellandi tempus intermisisset, militésque hibernorum quiete reficere à tãtis laboribus vellet; complures eodem tempore ciuitates renouare belli consilia nunciabantur, coniurationésque facere. cuius rei verisimilis caussa afferebatur, quòd Gallis omnibus cognitum esset, neque vlla multitudine in vnum locum coacta, F resisti posse Romanis; nec, si diuersa bella complures eodem tempore intulissent ciuitates, satis auxilij, aut spatij, aut copiarum, habiturum exercitum populi R. ad omnia persequenda: non esse autem alicui ciuitati sortem incommodi recusãdam, si tali mora reliquæ possent se vindicare in libertatem. quæ ne opinio Gallorum cõfirmaretur, Cæsar M. Antonium quæstorem suis præfecit hibernis: ipse equitatus presidio, pridie Kal. Ianuarij ab oppido Bibracte proficiscitur ad legionem XII. quam non longè à finibus Æduorum collocauerat in finibus Biturigum, eique adiungit legionem XI. quæ proxima fuerat. binis cohortibus ad impedimenta tuenda relictis, reliquum exercitum in copiosissimos agros Biturigũ inducit: qui cùm latos fines, & complura opida haberẽt, vnius legionis hibernis non potuerãt contineri, quin bellum pararent, coniurationésque facerent. repentino aduẽtu Cæsaris, accidit, quod imparatis disiectisque fuit necesse, vt, sine timore vllo rura colentes prius ab equitatu opprimerentur, quàm confugere in opida possent. namque etiam illud vulgare incursionis signum hostium, quod incendiis ædificiorũ intelligi consueuit, Cęsaris id erat interdicto sublatum: ne aut copia pabuli, frumentíque, si lõgius progredi vellet, deficeret, aut hostes incendiis terrerentur, multis hominum millibus captis, perterriti Bituriges, qui primum aduentum effugere potuerant Romanorum, in finitimas ciuitates, aut priuatis hospitiis confisi, aut societate consiliorum, confugerant, frustra. nam Cæsar magnis itineribus omnibus locis occurrit, nec dat vlli ciuitati spatium de aliena potius, quàm de domestica, salute cogitandi: qua celeritate, & fideles amicos retinebat, & dubitantes, terrore ad conditiones pacis adducebat. tali conditione proposita, Bituriges, cum sibi viderent clementia Cęsaris reditum patere in eius amicitiam, finitimásque ciuitates sine vlla pœna dedisse obsides, atque in fidem receptas esse, idem fecerunt. Cæsar militibus pro tanto labore, ac patientia, qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis studiosissimè permanserant in labore, ducenos sestertios, centurionibus II. millia nummũm prædæ nomine condonanda pollicetur: legionibúsque in hiberna remissis, ipse se recepit die XL. Bibracte. ibi cùm ius diceret, Bituriges ad eum legatos mittunt, auxilium petitum contra Carnutes; quos intulisse bellum sibi querebantur. qua re cognita, cum non amplius X. & VIII. dies in hibernis esset commoratus, legiones XIV. & VI. ex hibernis ab Arare educit: quas ibi collocatas, explicandæ rei

rei frumentariæ caussa superiore Commentario demonstratum est. ita cum II. legionibus, ad persequendos Carnutes, proficiscitur. cum fama exercitus ad hostes esset perlata, calamitate ceterorum ducti Carnutes, desertis vicis, opidisque, quæ tolerandæ hiemis caussa, constitutis repentè exiguis ad necessitatem ædificiis, incolebant, (nuper enim deuicti complura opida dimiserant) dispersi profugiunt. Cæsar erumpentes, eo maximè tempore, acerrimas tempestates cùm subire milites nollet, in opido Carnutum Genabo castra ponit, atque in tecta partim Gallorum, partim coniectis celeriter stramentis, quæ tentoriorum integendorum gratia erant inædificata, milites contegit. Equites tamen, & auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quascumque petisse dicebantur hostes: nec frustra. nam plerumque magna præda potiti nostri reuertuntur. oppressi Carnutes hiemis difficultate, terrore periculi, cùm tectis expulsi, nullo loco diutius consistere auderent, nec siluarum præsidio tempestatibus durissimis tegi possent; dispersi, magna parte amissa suorum dissipantur in finitumas ciuitates. Cæsar, tempore anni difficillimo, cùm satis haberet conuenientes manus dissipare, ne quod initium belli nasceretur; quantúmque in ratione esset, exploratum haberet, sub tempus æstiuorum nullum summum bellum posse conflari; C. Trebonium cum II. legionibus, quas secum habebat, in hibernis Genabi collocauit: ipse, cùm crebris legationibus Rhemorum certior fieret, Bellouacos, qui belli gloria Gallos omnes, Belgásque præstabant, finitimásque iis ciuitates, duce Corbeo Bellouaco, & Commio Atrebate, exercitum comparare, atque in vnum locum cogere, vt omni multitudine in fines Suessionum, qui Rhemis erant attributi, facerent impressionem; pertinere autem non tantum ad dignitatem, sed etiam ad salutem suam iudicaret, nullam calamitatem socios optimè de Repub. meritos accipere; legionem ex hibernis euocat rursus XI. literas autem ad C. Fabium mittit, vt in fines Suessionum legiones II. quas habebat, adduceret; alterámque ex duabus à T. Labieno accersit. ita quantum hibernorum oportunitas, bellique ratio postulabat, perpetuo suo labore, inuicem legionibus expeditionum onus iniungebat. his copiis coactis ad Bellouacos proficiscitur: castrísque in eorum finibus positis, equitum turmas dimittit in omnes partes ad reliquos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognosceret. Equites, officio functi, renunciant paucos in ædificiis esse inuentos: atque hos, non qui agrorum incolendorum caussa remansissent, (namque esse vndique diligenter demigratum) sed qui speculandi gratia essent remissi. à quibus cum quæreret Cæsar, quo loco multitudo esset Bellouacorum, quódque esset consilium eorum, inueniebat, Bellouacos omnes, qui arma ferre possent, in vnum locum conuenisse, itémque Ambianos, Aulercos, Caletes, Vellocasses, Atrebates; locum castris excelsum, impedita circumdatum palude, delegisse, omnia impedimenta in vlteriores siluas contulisse: complures esse principes belli auctores, sed multitudinem maximè Corbeo obtemperare, quòd ei summo odio esse nomen populi Romani intellexissent: paucis ante diebus, ex his castris Commium discessisse ad auxilia Germanorum adducenda, quorum & vicinitas propin-

A qua, & multitudo esset infinita: constituisse autem Bellouacos, omnium principum consensu, summa plebis cupiditate, vt, si diceretur Cæsar cum III. legionibus venire, offerrent se ad dimicandum, ne, miseriore, ac duriore postea conditione, cum toto exercitu decertare cogerentur: sin maiores copias adduceret, in eo loco permanerent, quem delegissent: pabulatione autem, quæ propter anni tempus cum exigua, tum disiecta esset, & frumentatione, & reliquo B commeatu ex insidiis prohibere Romanos. quæ Cæsar cum consentientibus pluribus cognouisset: atque ea, quæ proponerentur, consilia plena prudentiæ, longéque à temeritate Barbarorum remota esse iudicaret, omnibus rebus inseruiendum statuit, quo celerius hostes contempta suorum paucitate, prodirent in aciem. singularis enim virtutis veterrimas legiones VII. VIII. & IX. habebat. summæ spei, delectæque iuuentutis XI. quæ, octauo iam stipendio C functa tamen, collatione reliquarum, nondum eandem vetustatis, & virtutis ceperat opinionem. itaque, consilio aduocato, rebus iis, quæ ad se essent delatæ, omnibus expositis, animos multitudinis confirmat: si fortè hostes III. legionum numero posset elicere ad dimicandum, agminis ordinem ita constituit, vt legio VII. VIII. IX. ante omnia iret impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen, (quod tamen erat mediocre, vt in D expeditionibus esse consueuit) cogeret XI. ne maioris multitudinis species accidere hostibus posset, quàm ipsi depoposcissent. hac ratione pæne quadrato agmine instructo, in conspectum hostium celerius opinione eorum, exercitum adducit. quas legiones repentè instructas velut in acie certo gradu accedere Galli, cum viderent; quorum erant ad Cæsarem plena fiduciæ consilia perlata, siue certaminis periculo, siue subito aduentu, seu expectatione nostri consilij, E copias instruunt pro castris, nec loco superiore decedunt. Cæsar, etsi dimicare optauerat, tamen admiratus tantam multitudinem hostium, valle intermissa, magis in altitudinem depressa, quàm latè patente, castra castris hostium confert, hæc imperat vallo pedum XII. muniri, coronísque pro hac ratione eius altitudinis inædificari; fossam duplicem, pedum quinum denum, lateribus directis deprimi, turres crebras excitari, in altitudinem III. tabulatorum, pontibus transiectis, F constratísque coniungi, quorum frontes viminea loricula munirentur, vt hostis à duplici propugnatorum ordine depelleretur: quorum alter ex pontibus, quo tutior altitudine esset hoc audacius, longiúsque tela permitteret: alter, quo propior hostem ipso in vallo collocatus esset, ponte ab incidentibus telis tegeretur. Portis fores altiorésque turres imposuit. huius munitionis duplex erat consilium. namque & operum magnitudinem, & timorem suum sperabat fiduciam barba- G ris allaturum; & cum pabulatum, frumentatúmque longius esset proficiscendum, paruis copiis castra munitione ipsa videbat posse defendi. interim, crebrò paucis vtrimque procurrentibus, inter bina castra palude interiecta contendebatur. quam tamen paludem nonnunquam aut nostra auxilia, aut Gallorum, Germanorúmque transibant: acrius hos insequebantur: aut vicissim hostes, eandem transgressi, nostros longius sub-

túmque qua consuetudine pabulatoribus mittere A præsidio consueuerat, præmittit: huic interponit præsidia leuis armaturæ: ipse cũ legionibus quàm potest maximè appropinquat. Hostes in insidiis dispositi, cùm sibi delegissent campum ad rem gerendam non amplius patentem in omnes partes passibus ∞. siluis vndique impeditissimis, aut altissimo flumine, velut, velut indagine, munitum, hunc insidiis circumdederunt nostri. Explorato hostium consilio, ad prœliandum animo, atque armis parati, cùm, subsequentibus legionibus, B nullam dimicationem recusarent, turmatim in eum locum deuenerunt. quorum aduentu cùm Corbeus oblatam occasionem rei gerendæ existimaret, primùs cum paucis se ostendit, atque in proximas turmas impetum facit. nostri constanter impetum sustinent insidiatorum; neque plures in vnum locum conueniunt; quod plerumque equestribus prœliis cùm propter aliquem timorem accidit, tum multitudine ipsorum detrimentum accipitur. cùm dispositis turmis inuicem rari C prœliarentur; neque ab lateribus circumueniri suos paterentur: erumpunt ceteri, Corbeo prœliante, ex siluis. fit magna contentione diuersum prœlium: quod cùm diutius pari Marte iniretur, paulatim ex siluis instructa multitudo procedit peditum, quæ nostros cogit cedere equites: quibus celeriter subueniunt leuis armaturæ pedites, quos ante legiones missos docui: turmísque nostrorum interpositi, constanter prœliantur. pugnatur aliquandiu pari contentione: deinde, vt ratio D postulabat prœlij, qui sustinuerant primos impetus insidiarum, hoc ipso fiunt superiores, quòd nullum ab insidiantibus imprudentes acceperant detrimentum. accedũt propius interim legiones, crebríque eodem tempore & nostris & hostibus nuncij afferuntur, imperatorem instructis copiis adesse. qua re cognita, præsidio cohortium confisi nostri, acerrimè prœliantur: ne si tardius rem gessissent, victoriæ gloriam cõmunicasse cum legionibus viderentur. Hostes concidũt animis, atque itineribus diuersis fugam quærunt, ne quidquam: E nam quibus difficultatibus locorum Romanos claudere voluerant, iis ipsi tenebantur. victi tamen, propulsíque maiore parte amissa, consternati, quò sors tulerat confugiunt: partim siluis petitis, partim flumine: qui tamen in fuga à nostris acriter insequentibus conficiuntur: cum interim nulla calamitate victus Corbeus, excedere prœlio, siluásque petere, haud inuitantibus nostris ad deditionem, potuit adduci, quin fortissimè F prœliando, complurésque vulnerando, cogeret elatos iracundia victores in se tela conijcere. Tali modo re gesta recentibus prœlij vestigiis, ingressus Cæsar, cum victos tanta calamitate existimaret hostes, nuncio accepto, locum castrorum relicturos, quæ longius ab ea cæde abesse plus minus iix. millibus passuum dicebantur, tametsi flumine impeditum transitũ videbat: tamen, exercitu trãsducto progreditur. at Bellouaci, reliquæque ciuitates, repentè ex fuga paucis, atque his vulneratis, receptis, qui siluarũ beneficio casum euitauerant, G omnibus aduersis, cognita calamitate, interfecto Corbeo, amisso equitatu, & fortissimis peditibus, cum aduentare Romanos existimarent, concilio repentè cantu tubarum conuocato, conclamant, vt legati obsidésque ad Cæsarem mittantur. hoc omnibus probato consilio, Commius Atrebas ad eos profugit Germanos, à quibus ad id bellum

auxilia mutuatus erat. Ceteri è vestigio mittũt ad Cæsarem legatos, petuntque vt ea pœna sit contentus hostium, quam si sine dimicatione inferre integris posset, pro sua clementia, atque humanitate, nunquam profectò esset illaturus: afflictas opes equestri prœlio Bellouacorum esse: delectorum peditum multa millia interiisse, vix refugisse nuncios cædis; tamen magnum, vt in tanta calamitate, Bellouacos eo prœlio commodum esse consecutos, quòd Corbeus, auctor belli, concitator multitudinis esset interfectus: nunquam enim senatum tantum in ciuitate, illo viuo, quantum imperitam plebem, potuisse. Hæc orantibus legatis, commemorat Cæsar, eodem tempore superiore anno Bellouacos, ceterásque Galliæ ciuitates, suscepisse bellum: pertinacissimè hos ex omnibus in sententia permansisse, neque ad sanitatem reliquorum deditione esse perductos: scire atque intelligere se, caussam peccati facillimè mortuis delegari: neminem verò tantum pollere, vt inuitis principibus, resistente senatu, omnibus bonis repugnantibus, infirma manu plebis, bellum concitare, & gerere posset: sed tamen se contentum fore ea pœna, quam sibi ipsi contraxissent. Nocte insequenti legati responsa ad suos referunt, obsides conficiunt. Concurrũt reliquarum ciuitatum legati, quæ Bellouacorum speculabantur euentum: obsides dãt: imperata faciunt: excepto Commio, quem timor cohibebat, cuiusquam fidei suam cõmittere salutem. nam superiore anno T. Labienus, Cæsare in Galliã citeriore ius dicente, cum Cõmiũ cõperisset sollicitare ciuitates, & coniurationẽ contra Cæsarem facere, infidelitatẽ eius sine vlla perfidia iudicauit cõprimi posse: quẽ quia nõ arbitrabatur vocatum in castra venturũ, ne tẽtando cautiorem faceret, C. Volusenum Quadratũ misit, qui eum per simulationem colloquij, curaret interficiendum. ad eam rem delectos transdidit centuriones. cum in colloquium ventũ esset, &, vt conuenerat, manum Commij Volusenus arripuisset: centurio, velut insueta re permotus, celeriter à familiaribus prohibitus Commij, conficere hominem non potuit: grauiter tamen primo ictu gladio caput percussit. cum vtrimque gladij destricti essent: non tam pugnandi, quàm diffugiendi fuit vtrorumque consilium, nostrorum, quòd mortifero vulnere Commium credebant affectum. Gallorum, quòd, insidiis cognitis, plura quàm videbant, extimescebant. quo facto statuisse Commius dicebatur, nunquam in conspectum cuiusquam Romani venire. Bellicosissimis gentibus deuictis, Cæsar, cum videret nullam iam esse ciuitatem, quæ bellum pararet, quò sibi resisteret, sed nonnullos ex opidis demigrare, ex agris effugere, ad præsens imperium euitandum: plures in partes exercitum dimittere constituit: M. Antonium quæstorem, cum legione xi. sibi coniungit: C. Fabium legatum cum cohortibus xxv. mittit in diuersissimam partem Galliæ: quod ibi quasdam ciuitates in armis esse audiebat, neque C. Caninium Rebilum legatum, qui in illis regionibus præerat, satis firmas ii. legiones habere existimabat. T. Labienum ad se euocat: legionémque xii. quæ cum eo fuerat in hibernis, in Togatam Galliam mittit, ad colonias ciuium Romanorum tuendas: ne quod simile incommodum accideret de incursione barbarorum, ac superiore æstate Tergestinis accidisset: quia repentino latrocinio, atque impetu incolæ illorum

erant oppressi: ipse ad deuastandos, depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur: quem perterritum, atque fugientem cùm redigi posse in suam potestatem desperasset, proximum suæ dignitati esse ducebat, adeò fines eius vastare ciuibus, ædificiis, pecore, vt odio suorum Ambiorix, si quos fortuna fecisset reliquos, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in ciuitatem. cùm in omnes fines partium Ambiorigis aut legiones, aut auxilia dimisisset, atque omnia cædibus, incendiis, rapinis, vastasset, magno numero hominũ interfecto, aut capto, Labienum, cum II. legionibus, in Treuiros mittit; quorum ciuitas, propter Germaniæ vicinitatẽ, quotidianis exercitata bellis, cultu, & feritate, nõ multum à Germanis differebat: neque imperata vnquam, nisi exercitu coacta, faciebat. Interim C. Caninius legatus cùm magnam multitudinem conuenisse hostium in fines Pictonum, literis, nunciisque Duracij cognouisset, qui perpetuò in amicitia Romanorum permanserat, quod pars quædam ciuitatis eius defecisset ad oppidum Lemouicum contendit. quò cùm aduentaret, atque ex captiuis certius cognosceret, multis hominum millibus, Dumnaco duce Andium, Duracium clausum, Lemouicum oppugnari: neque infirmas legiones hostibus committere auderet, castra munito loco posuit. Dumnacus, cum appropinquare Caninium cognouisset, copiis omnibus ad legiones conuersis, castra Romanorum oppugnare instituit. cum complures dies in oppugnatione consumpsisset; & magno suorum detrimento, nullam partem munitionum conuellere potuisset, rursus ad obsidendum Lemouicum redit. Eodem tempore C. Fabius legatus complures ciuitates in fidem recipit, obsidibus firmat, literisque C. Caninij certior fit, quæ in Pictonibus gerantur. quibus rebus cognitis, proficiscitur ad auxilium Duracio ferendum. at Dumnacus, aduentu Fabij cognito, desperata salute, si tempore eodem coactus esset & Romanum, & externum sustinere hostem, & respicere, ac timere oppidanos; repentè eo ex loco cum copiis recedit; nec se satis tutum fore arbitratur, nisi flumen Ligerim, quod erat ponte propter magnitudinem, transeundum, copias transduxisset. Fabius, etsi nondum in conspectum venerat hostium, neque se cum Caninio coniunxerat, tamen doctus ab iis, qui locorum nouerãt naturã, potissimum credidit hostes perterritos eum locum, quem petebant, petituros. itaque cum copiis ad eundem pontem cõtendit; equitatúmque tantum procedere ante agmen imperat legionum, quantum cum processisset sine defatigatione equorum in eadem se reciperet castra. Consequuntur equites nostri, vt erat præceptum: inuadúntque Dumnaci agmen: & fugientes, perterritósque sub sarcinis in itinere aggressi, magna præda, multis interfectis, potiuntur. itaque re bene gesta, se recipiunt in castra. insequenti nocte Fabius equites præmittit, sic paratos, vt cõfligerent, atque omne agmen morarentur, dum consequeretur ipse. cuius præceptis vt res gereretur, Q. Titatius Varus, Præfectus equitum, singularis & animi, & prudentiæ vir, suos hortatur; agménque hostium consecutus, turmas partim idoneis locis disponit, partim equitum prœliũ committit. consistit audacius equitatus hostium succedentibus sibi peditibus, qui, toto agmine subsistentes, equitibus suis contra nostros ferunt auxiliũ. fit prœliũ

A acri certamine. namq; nostri contẽptis pridie, superatisq; hostibus, cũ subsequi legiones meminissent, & pudore cedẽdi, & cupiditate celerius per se conficiendi prœlij, fortissimè contra pedites prœliantur; Hostésque nihil amplius copiarũ accessurum credentes, vt pridie cognouerant, delendi equitatus nostri nacti occasionem videbãtur. cùm aliquandiu summa cõtentione dimicaretur, Dũnacus instruit aciem, quæ suis esset equitibus inuicem præsidio. tum repẽtè confertæ legiones in B conspectũ hostium veniunt. quibus visis perculsæ Barbarorum turmæ, ac perterritæ acies hostium, perturbato impedimẽtorum agmine, magno clamore discursúq; passim fugæ se mãdant. At nostri equites, qui paullo antè cum resistentibus fortissimè conflixerant, lætitia victoriæ elati magno vndiq; clamore sublato, cedentibus circumfusi quãtum equorum vires ad persequendum, dextræque ad cædendum valent, tantũ eo prœlio interficiũt. itaque amplius millibus XII. aut armatorum, aut C eorum, qui timore arma proiecerant, interfectis, omnis multitudo capitur impedimentorum. Qua ex fuga, cùm constaret, Drapetem Senonem (qui, vt primum defecerat Gallia, collectis vndique perditis hominibus, seruis ad libertatem vocatis, exsulibus omnium ciuitatum accitis, receptis latronibus, impedimenta, & commeatus Romanorum interceperat) non amplius hominum V. millibus ex fuga collectis, prouinciã petere, vnáque cõsiliũ cum eo Luterium Cadurcũ cœpisse, quẽ in supe- D riore Commentario, prima defectione Galliæ facere in prouinciam impetũ voluisse cognitum est: Caninius legatus cum legionibus II. ad eos persequẽdos cõtẽdit; ne de timore, aut detrimento prouinciæ, magna infamia, perditorũ hominũ latrociniis, caperetur. C. Fabius cũ reliquo exercitu in Carnutes, reliquásq; proficiscitur ciuitates, quarũ eo prœlio, quod cũ Dumnaco fecerat, copias esse accitas sciebat. non.n. dubitabat, quin recẽti calamitate submissiores essẽt futuræ: dato verò spatio, E ac tẽpore eodẽ instante Dũnaco, possent cõcitari. qua in re summa felicitas, celeritásq; in recipiẽdis ciuitatibus Fabium consequitur. nam Carnutes, qui, sæpe vexati, nunquã pacis fecerãt mentionẽ, datis obsidibus veniũt in deditionẽ: ceteræq; ciuitates positæ in vltimis Galliæ finibus, Oceano cõiunctæ, quæ Armoricæ appellantur, auctoritate adductæ Carnutum aduentu Fabij, legionúmque, imperata sine mora faciunt. Dumnacus, suis finibus expulsus errans latitansq; solus extremas Galliæ regiones petere coactus est. At Drapes, vnáq; Lu- F terius, cum legiones, Caniniúmque adesse cognoscerent, nec se sine certa pernicie, persequente exercitu, putarent prouinciæ fines intrare posse: nec iam liberã vagandi, latrocinandiq. facultatem haberent, consistunt in agris Cadurcorũ. ibi cum Luterius apud suos ciues quondã, integris rebus, multum potuisset, sempérq. auctor nouorum consiliorum, magnã apud Barbaros auctoritatem haberet: oppidum Vxellodunum, quod in clientela fuerat eius, natura loci egregiè munitum, occupat suis & G Drapetis copiis: oppidanósque sibi coniungit. quò cùm confestim C. Caninius venisset, animaduerteretque omnes oppidi partes præruptissimis saxis esse munitas, quò defendente nullo, tamen armatis adscendere esset difficile, magna autem impedimenta oppidanorum videret: quæ si clãdestina fuga subtrahere conarentur, effugere non modò equitatum, sed ne legiones quidem, possent tripar-

tripartito cohortibus diuisis, trina excelsissimo loco castra fecit, à quibus paullatim, quantum copiæ patiebantur, vallum in opidi circuitu ducere instituit. quod cum animaduerterent opidani, miserrimáque Alexiæ memoria solliciti, similem casum obsessionis vererentur, maximéque ex omnibus Luterius, qui fortunæ illius periculū fecerat, moneret, rationem frumenti esse habendam, constituunt omnium cōsensu, parte ibi relicta copiarū ipsi cum expeditis, ad importandū frumentum proficisci. eo consilio probato, proxima nocte, II. millibus armatorum relictis, reliquos ex opido Drapes, & Luterius educunt. ij, paucos dies morati, ex finibus Cadurcorum, qui partim re frumentaria subleuare eos cupiebant, partim prohibere, quo minus sumerent, non poterant, magnum numerum frumenti comparant, nonnumquam autē expeditionibus nocturnis castella nostrorum adoriuntur. quam ob caussam C. Caninius toto opido munitiones circumdare conatur, ne aut opus, effectum tueri non possit, aut plurimis in locis infirma disponat præsidia. magna copia frumenti comparata, consident Drapes, & Luterius non longius ab opido x. millibus passuum, vnde paulatim frumentum in opidum supportarent: ipsi inter se prouincias partiuntur. Drapes castris præsidio cum parte copiarum restitit. Luterius agmen iumentorum ad opidum adducit. dispositis ibi præsidiis, hora noctis circiter x. siluestribus angustisque itineribus frumentum importare in opidum instituit. quorum strepitum vigiles castrorum cum sensissent; exploratoresque missi, quæ agerentur, renunciassent, Caninius celeriter cum cohortibus armatis ex proximis castellis, in frumentarios sub ipsam lucem impetum fecit. ij, repentino malo perterriti, diffugiunt ad sua præsidia: quæ nostri vt viderunt, acrius contra armatos incitati, neminē ex eo numero viuum capi patiuntur. effugit inde cum paucis Luterius, nec se recipit in castra. re bene gesta, Caninius ex captiuis comperit, partem copiarum cum Drapete esse in castris intra millia passuum x. qua re ex compluribus cognita, cùm intelligeret, fugato duce altero perterritos reliquos facilè opprimi posse, magnæ felicitatis esse arbitrabatur, neminem ex cæde refugisse in castra, qui de accepta calamitate nuncium Drapeti perferret. sed, cum in experiundo periculum nullum videret, equitatum omnem, Germanósque pedites summæ velocitatis omnes ad castra hostium præmittit. ipse legionem vnam in trina castra distribuit, alterā secum expeditam ducit. cum propius hostem accessisset, ab exploratoribus, quos præmiserat, cognoscit, castra eorum, vt Barbarorum fert consuetudo, relictis locis superioribus, ad ripas fluminis esse demissa. at Germanos, equitésque imprudentibus omnibus de improuiso aduolasse, & prœlium commisisse. qua re cognita, legionem armatam instructámque adducit. ita, repentè omnibus ex partibus signo dato, loca superiora capiuntur. quod vbi accidit, Germani, equitésque, signis legionis visis, vehementissimè prœliātur. confestim omnes cohortes vndique impetum faciūt: omnibus aut interfectis, aut captis, magna præda potiūtur. capitur ipse eo prœlio Drapes. Caninius, felicissimè re gesta, sine vllo pæne militis vulnere, ad obsidendos opidanos reuertitur, externoque hoste deleto, cuius timore augere pręsidia, & munitione opidanos circumdare prohibitus erat, o-

A pera vndique imperat administrari. venit eòdem cum suis copiis postero die C. Fabius, partémque opidi sumit ad obsidēdum. Cæsar interim M. Antonium quæstorem cum cohortibus xv. in Bellouacis reliquit, ne qua rursus nouorum consiliorū ad capiendum bellum facultas daretur: ipse reliquas ciuitates adit, obsides plures imperat, timentes omnium animos consolatione sanat. Cum in Carnutes venisset, quorum consilio in ciuitate superiore Cōmentario Cæsar exposuit initium bel-
B li esse ortum, quòd præcipuè eos propter cōscientiam facti, timere animaduertebat, quo celerius ciuitatem metu liberaret, principē sceleris ipsius, & cōcitatorem belli Guturuatum ad supplicium deposcit. qui etsi ne ciuibus quidem suis se committebat, tamen celeriter, omnium cura quæsitus, in castra perducitur. cogitur in eius supplicium Cæsar contra naturam suam, maximo militū consensu, qui omnia pericula, & detrimenta belli à Guturuato accepta referebant, adeò vt verberibus
C exanimatum corpus securi feriretur. ibi crebris literis Caninij fit certior: quæ de Drapete, & Luterio gesta essent, quóque in consilio permanerent opidani: quorum etsi paucitatem contemnebat, tamen pertinaciam magna pœna esse afficiendam iudicabat, ne vniuersa Gallia non vires sibi defuisse ad resistendum Romanis, sed constantiam putaret, néve hoc exemplo ceteræ ciuitates, locorum opportunitate fretæ, se vindicarent in libertatem, cùm omnibus Gallis notum esse sciret, reliquam esse vnam ęstatem suæ prouinciæ, quam
D si sustinere potuissent, nullum vltra periculum vererentur. itaq. Q. Calenum legatū cum legionibus II. reliquit, qui iustis itineribus se subsequeretur: ipse cum omni equitatu, quàm potest celerrimè, ad Caninium cōtendit. cum, contra exspectationem omnium, Cæsar Vxellodunum venisset, opidúmq; operibus clausum animaduerteret, neq. ab oppugnatione recedi videret vlla conditione posse, magna autem copia frumenti abundare opidanos, ex perfugis cognosceret, aqua prohibe-
E re hostem tentare cœpit. Flumen infimam vallem diuidebat, quæ pæne totum montem cingebat, in quo positum erat præruptum vndiq. opidum Vxellodunum. hoc auertere loci natura prohibebat. sic enim imis radicibus montis ferebatur, vt nullam in partem, depressis fossis, deriuari posset. erat autem opidanis difficilis, & præruptus eò descensus, vt prohibentibus nostris, sine vulneribus, ac periculo vitæ, neque adire flumen, neque arduo se sic recipere possēt adscensu. qua difficultate
F eorum cognita, Cæsar, sagittariis, funditoribúsque dispositis, tormentis etiam quibusdam locis contra facillimos descensus collocatis, aqua fluminis prohibebat opidanos, quorum omnis postea multitudo aquarum vnum in locum conueniebat. sub ipsius enim opidi murum magnus fons prorumpebat, ab ea parte, quæ ferè pedum ccc. interuallo fluminis circuitu vacabat. hoc fonte prohiberi posse opidanos cum optarent reliqui, Cæsar vnus videret, non sine magno periculo è regione
G eius, vineas agere aduersus montem, & aggeres struere cœpit, magno cum labore, & continua dimicatione. Opidani enim loco superiore decurrunt, & eminus sine periculo prœliantur, multosque pertinaciter succedentes vulnerant. non deterrētur tamē milites nostri vineas proferre, & labore, atq. operib. locorū vincere difficultates. eodem tempore tectos cuniculos, crates & vineas

agant ad caput fontis. quod genus operis sine vllo periculo, & sine suspicione hostium facere licebat. exstruitur agger in altitudinem pedum LX. collocatur in eo turris X. tabulatorum, non quidem quæ mœnibus æquaretur, (id enim nullis operibus effici poterat) sed quæ superare fontis fastigium posset. ex ea cùm tela tormentis iacerentur ad fontis aditus, nec sine periculo possent adaquari opidani: non tantùm pecora, atque iumenta, sed etiam magna hominum multitudo siti cósumebatur. quo malo perterriti opidani, cupas seuo, pice, scandulis complent, eas ardentes in opera prouoluunt. eodem tempore acerrimè prœliantur, vt ab incédio restinguédo dimicatione & periculo deterreant Romanos. magna repentè in ipsis operibus flamma exstitit. quæcumque enim per locum præcipitem missa erãt, ea vineis & aggere suppressa comprehendebant id ipsum, quòd morabatur. Milites contrà nostri quamquam periculoso genere prœlij, locoque iniquo premebantur, tamen omnia paratissimo sustinebant animo. res enim gerebatur & excelso loco, & in conspectu exercitus nostri: magnúsque vtrimque clamor oriebatur: ita vt quisque poterat, maximè insignis, quo notior, testatiorque virtus eius esset, telis hostium flammæque se offerebat. Cæsar, cùm complures suos vulnerari videret, ex omnibus opidi partibus cohortes montem adscendere, &, simulatione mœnium occupandorum, clamorem vndique iubet tollere. quo facto perterriti opidani, cùm, quid ageretur in locis reliquis, essent ignari, reuocant ab impugnandis operibus armatos, murisque disponunt. ita nostri, fine prœlij facto, celeriter opera flamma comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. cùm pertinaciter resisterent opidani, & iam magna parte suorum siti amissa, in sententia permanebant, ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt, atque auersæ. quo facto repentè fons perennis exhaustus, tantam attulit opidanis salutis desperationem, vt id non hominum consilio, sed deorum voluntate, factum putarent. itaque, necessitate coacti, se tradiderunt. Cæsar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neque vereretur, ne quid crudelitate naturæ videretur asperius fecisse, neque exitum consiliorum suorum animaduerteret, si tali ratione diuersis in locis plures rebellare cœpissent, exemplo supplicij deterrendos reliquos existimauit. itaque omnibus, qui arma tulerant, manus præcidit, vitámque concessit; quo testatior esset pœna improborum. Drapes, quem captum esse à Caninio docui, siue indignatione, & dolore vinculorum, siue timore grauioris supplicij, paucis diebus sese cibo abstinuit, atque ita interiit. Eodem tempore Luterius, quem profugisse ex prœlio scripsi, cum in potestatem venisset Epasnacti Aruerni (crebrò enim mutandis locis, multorum fidei se committebat, quod nusquam diutius sine periculo commoraturus videbatur, cum sibi conscius esset, quàm inimicum deberet Cæsarem habere) hunc Epasnactus Aruernus, amicissimus populi R. sine dubitatione vlla vinctum ad Cæsarem ducit. Labienus interim in Treuiris equestre prœlium secundum facit, compluribusque Treuiris interfectis, & Germanis qui nullis aduersus R. auxilia denegabant, principes eorum viuos in suam redegit potestatem, atque in iis Surum Æduum, qui & virtutis, & generis summam nobilitatem habebat,

A solusque ex Æduis ad id tempus permanserat in armis. Ea re cognita, Cæsar cum in omnibus partibus Galliæ bene res gestas videret, iudicarétque superioribus æstiuis Galliam deuictã & subactam esse, Aquitaniam numquam ipse adisset, sed per P. Crassum quadam ex parte deuicisset: cum II. legionibus in eam partem est profectus, vbi extremum tẽpus consumeret æstiuorum. quam rem sicut cetera, celeriter, feliciterq; cófecit. námque omnes Aquitaniæ ciuitates legatos ad eum miserunt,
B obsidésque ei dederunt. quibus rebus gestis, ipse cum equitum præsidio Narbonem profectus est, exercitum per legatos in hiberna deduxit, IV. legiones in Belgio collocauit cum M. Antonio & C. Trebonio, & P. Vatinio, & Q. Tullio legatis, II. in Æduos misit, quorum in omni Gallia summam esse auctoritatem sciebat; II. in Treuiris ad fines Carnutum posuit, quæ omnem regionem có iunctam Oceano cõtinerent, II. reliquas in Lemouicũ fines, non longè ab Aruernis, ne qua pars Gal-
C liæ vacua ab exercitu esset. paucos dies ipse in prouincia moratus, cùm celeriter omnes conuentus percurrisset, publicas controuersias cognouisset, bene meritis præmia tribuisset, (cognoscendi enim maximam facultatem habebat, quali quisque animo in Rempub. fuisset totius Galliæ defectione, quam sustinuerat fidelitate, atque auxiliis Prouinciæ illius) his rebus confectis, ad legiones in Belgium se recipit, hibernauitque Nemetocennæ. ibi cognoscit Cómium Atrebatem prœlio
D cum equitatu suo contendisse. nam cum Antonius in hiberna venisset, ciuitásque Atrebatum in officio maneret, Commius, qui post illam vulnerationem, quam suprà commemoraui, semper ad omnes motus paratus suis ciuibus esse consueuisset, ne consilia belli quærentibus auctor armorum, dúxque deesset, parente Romanis ciuitate, cum suis equitibus se, suósque latrociniis alebat, infestísque itineribus commeatus complures, qui cóportabantur in hiberna Romanorum, intercipiebat. erat attributus Antonio præfectus equitum
E C. Volusenus Quadratus, qui cum eo hiemaret. hunc Antonius ad persequendum equitatum hostium mittit. Volusenus autem ad eam virtutem, quæ singularis in eo erat, magnum odium Commij adiũgebat, quo libentius id faceret, quód imperabatur. itaque dispositis insidiis, sæpius eius equites aggressus, secunda prœlia faciebat, nouissimè, cùm vehementius contenderetur, ac Volusenus ipsius intercipiendi Cómij cupiditate pertinacius cũ cũ paucis insecutus esset.
F ille autem fuga vehementi Volusenum longius produxisset; repentè omnium suorum inuocat fidem atque auxilium, ne sua vulnera, perfidia interposita, paterentur inulta; conuersoque equo, se à ceteris incautius permittit in Præfectum. faciũt idẽ omnes eius equites, paucosque nostros cóuertunt, atque insequuntur. Commius incensum calcaribus equum iungit equo Quadrati, lanceaque infesta medium femur eius magnis viribus transiicit. Præfecto vulnerato, non dubitant nostri resi-
G stere, & conuersi hostem pellere. quod vbi accidit, complures hostium, magno nostrorum impetu pulsi vulnerantur, & partim in fuga proteruntur, partim intercipiuntur. quod vbi malum dux equi velocitate euitauit; grauiter vulneratus præfectus, vt vitæ periculum aditurus videretur, refertur in castra. Commius autem, siue expiato suo dolore, siue magna parte amissa suorum, legatos

ad An-

ad Antonium mittit, ſeque ibi futurum, vbi præſcripſerit, & ea facturum quæ imperauerit, obſidibus datis firmat: vnum illum orat, vt timori ſuo concedatur, ne in conſpectum veniat cuiuſquam Romani. quam poſtulationem Antonius cùm iudicaret ab iuſto naſci timore, veniam petenti dedit, obſides accepit. Scio, Cæſarem ſingulorum annorum ſingulos Commentarios cõfeciſſe: quod ego non exiſtimaui mihi eſſe faciendum: propterea quòd inſequens annus L. Paullo, & C. Marcello coss. nullas habet Galliæ magnopere res geſtas. Ne quis tamen ignoraret, quibus in locis Cæſar, exercitusque eo tempore fuiſſent, pauca ſcribenda, coniungendaque huic Commentario ſtatui.

Cæsar, cùm in Belgio hiemaret, vnum illud propoſitum habebat, continere in amicitia ciuitates, nulli ſpẽ, aut cauſsã dare armorũ. nihil enim minus volebat, quam ſub diſceſſu ſuo neceſsitatem ſibi aliquam imponi belli gerendi, ne, cum exercitum deducturus eſſet, bellũ aliquod relinqueretur, quod omnis Gallia libenter ſine præſenti periculo ſuſciperet, itaque honorificè ciuitates appellando, principes maximis præmiis afficiendo, nulla opera noua imponendo, defeſſam tot aduerſis prœliis Galliam conditione parendi meliore, facilè in pace continuit. ipſe, hibernis peractis, contra conſuetudinem in Italiam quàm maximis itineribus eſt profectus, vt municipia, & colonias appellaret, quibus M. Antonij, quæſtoris ſui, commendaret ſacerdotij petitionem. contendebat enim gratia, cum libenter pro homine ſibi coniunctiſsimo, quem paullo ante præmiſerat ad petitionem, tum acriter contra factionem, & potentiam paucorum, qui, M. Antonij repulſa, Cæſaris intercedentis conuellere gratiam cupiebãt, hunc etſi augurem prius factum quàm Italiã attingeret, in itinere audierat, tamen non minus iuſtam ſibi cauſſam municipia, & colonias adeundi exiſtimauit, vt iis gratias ageret, quòd frequentiam, atque officium ſuum Antonio præſtitiſſent: ſimulque ſe & honorem ſuum inſequentis anni commendaret petitione, propterea quòd inſolentes aduerſarij ſui gloriarentur, L. Lentulum, & C. Marcellum Coss. creatos, qui omni honore & dignitate Cæſarem exſpoliarent, ereptum Ser. Galbæ conſulatum, cùm is multo plus gratia, ſuffragiiſque valuiſſet, quod ſibi coniunctus & familiaritate & neceſsitudine legationis eſſet. exceptus eſt Cæſaris aduentus ab omnibus municipiis, & coloniis incredibili honore atque amore. tum primum enim veniebat ab illo vniuerſæ Galliæ bello. nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, quà Cæſar iturus erat, excogitari poſſet. cum liberis omnis multitudo obuiam procedebat, hoſtiæ omnibus locis immolabantur: tricliniis ſtratis fora, templaque occupabantur, vt vel exſpectatiſsimi triũphi lætitia præcipi poſſet. tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores. Cùm omnes regiones Galliæ Togatæ Cæſar percurriſſet, ſumma celeritate ad exercitum Nemetocennam rediit. legionibuſque ex omnibus hibernis ad fines Treuirorum euocatis, eò

A profectus eſt, ibique exercitum luſtrauit. T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit, quo maiore cõmendatione conciliaretur ad conſulatus petitionem: ipſe tantum itinerum faciebat, quantum ſatis eſſe ad mutationem locorum, propter ſalubritatem, exiſtimabat. ibi quanquam crebro audiebat, Labienum ab inimicis ſuis ſollicitari, certiorque fiebat, id agi paucorum conſiliis, vt interpoſita Senatus auctoritate, aliquã parte exercitus ſpoliaretur, tamen neque de Labieno credidit B quicquam, neque contra Senatus auctoritatem vt aliquid faceret, potuit adduci. iudicabat enim liberis ſententiis Patrum conſcriptorum cauſſam ſuam facilè obtineri. nam C. Curio, Tribu. pl. cùm Cæſaris cauſſam, dignitatemque defendendam ſuſcepiſſet, ſæpe erat Senatui pollicitus, Si quem timor armorum Cæſaris læderet, & quoniam Põpeij dominatio, atque arma non minimum terrorem foro inferrent, diſcederet vterque ab armis, exercitúſq. dimitteret: fore eo pacto liberam, & ſui C iuris ciuitatẽ. neque hoc tantum pollicitus eſt, ſed etiam per ſe ſenatus diſceſſionẽ facere cœpit. quod ne fieret, Conſules, amiciq. Põpeij interceſſerunt, atque, ita rem moderando, diſceſſerunt. magnum hoc teſtimonium ſenatus erat vniuerſi, conueniensque ſuperiori facto. nam Marcellus, proximo anno, cum impugnaret Cæſaris dignitatem, contra legem Pompeij & Craſſi, retulerat ante tempus ad ſenatum, de Cæſaris prouinciis: ſententiiſque dictis, diſceſſionem faciente Marcello, qui ſibi omnem dignitatem ex Cæſaris inuidia quæ- D rebat, Senatus frequens in alia omnia tráſiit. quibus non frangebantur animi inimicorum Cæſaris, ſed admonebantur, quo maiores pararent neceſſitudines, quibus cogi poſſet Senatus id probare, quod ipſi conſtituiſſent. Fit deinde S. C. vt ad bellum Parthicum legio vnà à C. Pompeio, altera à C. Cæſare mitterentur, neque obſcurè hę duæ legiones vni Cæſari detrahuntur. nam Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Cæſarem miſerat, confectam ex delectu prouinciæ, Cæſari eam E tanquam ex ſuo numero dedit. Cæſar tamen, cùm de voluntate aduerſariorum ſe exſpoliari nemini dubium eſſet, Cn. Pompeio legionem remiſit & ex ſuo numero xv. quam in Gallia citeriore habuerat, ex S. C. iubet tranſdi. in eius locum xiii. legionem in Italiam mittit, quæ præſidia tueretur, ex quibus præſidiis xv. deducebatur: ipſe exercitum diſtribuit per hyberna, C. Trebonium, cum legionibus iv. in Belgio collocat, C. Fabium, cum totidem in Æduos deducit. ſic enim exiſtimabat F tutiſſimam fore Galliam, ſi Belgæ, quorum maxima virtus, & Ædui, quorum auctoritas ſumma eſſet, exercitibus continerentur. Ipſe in Italiam profectus eſt. quò cum veniſſet, cognoſcit, per C. Marcellum conſulem legiones ii. ab ſe remiſſas, quæ ex S. C. deberent ad Parthicum bellum duci, Cn. Pompeio tranſditas, atque in Italia retentas eſſe. hóc facto, quanquam nulli erat dubium, quin arma contra Cæſarem pararentur: tamen Cæſar omnia patienda eſſe ſtatuit, quoad ſibi ſpes aliqua relinqueretur, iure potius diſceptandi, quàm belli gerendi.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI

LIBER I.

LITERIS à Fabio C. Cæsaris Consulibus redditis, ægrè ab iis impetratum est, summa Tribunorum pl. contentione, vt in Senatu recitarétur. vt verò ex literis ad Senatum referretur, impetrari non potuit. Referunt Consules de Rep. in ciuitate. L. Lentulus Consul Senatui Reique pub. se non defuturum pollicetur, si audacter, ac fortiter sententias dicere velint: sin Cæsarem respiciant, atque eius gratiam sequantur, vt superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum, neque Senatus auctoritati obtemperaturum, habere se quoque ad Cæsaris gratiam, atque amicitiam receptum. In eandem sententiam loquitur Scipio: Pompeio esse in animo, Remp. non deesse, si Senatus sequatur, sin cunctetur, atque agat lenius, ne quidquam eius auxiliũ, si postea velit, imploraturum. Hæc Scipionis oratio, quòd Senatus in vrbe habebatur, Pompeiusque aderat. ex ipsius ore Pompeij mitti videbatur. dixerat aliquis leniorem sententiam, vt primò M. Marcellus, ingressus in eam orationem, non oportere antè de Rep. ad Senatum referri, quàm delectus tota Italia habiti, & exercitus conscripti essent, quo præsidio, tutò, & liberè Senatus, quæ vellet, decernere auderet: vt M. Calidius, qui censebat, vt Pompeius in suas prouincias proficisceretur, ne qua esset armorum caussa: timere Cæsarem, abreptis ab eo II. legionibus, ne ad eius periculum reseruare, & retinere eas ad vrbem Pompeius videretur: vt M. Rufus, qui sententiam Calidij, paucis ferè mutatis verbis, sequebatur. ij omnes, conuicio L. Lentuli Consulis, correpti exagitabantur. Lentulus sententiam Calidij pronunciaturum se omnino negauit. Marcellus, perterritus conuicijs, à sua sententia discessit. sic vocibus Consulis, terrore præsentis exercitus, minis amicorum Pompeij, plerique compulsi, inuiti, & coacti, Scipionis sententiam sequuntur, Vt antè certam diem Cæsar exercitum dimittat, si non faciat, eum aduersus Remp. facturum videri. Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, Tribuni plebis Refertur confestim de intercessione Tribunorum. dicuntur sententiæ graues. vt quisque acerbissimè, crudelissiméque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Cæsaris collaudatur. misso ad vesperum Senatu, omnes, qui sunt eius ordinis, à Pompeio euocantur. laudat Pompeius, atque in posterum confirmat: segniores castigat, atque incitat. multi vndique in veteribus Pompeij exercitibus, spe præmiorum, atque ordinum, euocantur, multi ex duabus legionibus, quæ sunt traditæ à Cæsare, accersuntur. Completur vrbs ad ius comitiorum. Tribunos pl. C. Curio euocat. omnes amici Consulum, necessarij Pompeij, atque eorũ, qui veteres inimicitias cum Cæsare gerebant, coguntur in Senatum: quorum vocibus, & concursu terrentur infirmiores, dubij confirmantur, plerisque verò liberè potestas decernendi eripitur. pollicetur L. Piso Censor, sese iturum ad Cæsarem; item L. Roscius Prætor, qui de his rebus eum doceant. vi. dies ad eam rem conficiendam spatij postulant. dicuntur etiam à nonnullis sententiæ, vt legati ad Cæsarem mittantur, qui voluntatem Senatus ei proponant. omnibus his resistitur, omnibúsque oratio Consulis, Scipionis, Catonis opponitur. Catonẽ veteres inimicitiæ Cæsaris incitant, & dolor repulsæ. Lentulus æris alieni magnitudine, & spe exercitus, ac prouinciarum & regum appellandorum largitionibus mouetur: seque alterum fore Syllam, inter suos gloriatur, ad quẽ summa imperij redeat. Scipionem eadem spes prouinciæ, atque exercituum impellit, quos se pro necessitudine, partiturum cum Pompeio arbitratur: simul iudiciorum metus, adulatio, atque ostentatio sui & potentiũ, qui in Rep. iudiciisque tum plurimum pollebant. ipse Põpeius, ab inimicis Cæsaris incitatus, & quod nemine dignitate secũ exæquari volebat, totum se ab eius amicitia auerterat, & cum communibus inimicis in gratiam redierat, quorum ipse maximã partem illo affinitatis tempore adiũxerat Cæsari. simul infamia II. legionum permotus, quas ab itinere Asiæ, Syriæque ad suam potentiam, dominatumq. conuerterat, rem ad arma deduci studebat. His de caussis agũtur omnia raptim, atque turbatè, neque docẽdi Cæsaris propinquis eius spatium datur, nec Tribunis pl. sui periculi deprecãdi, neque etiam extremi iuris intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur, sed de sua salute die VII. cogitare coguntur, quod illi turbulẽtissimi superioribus temporibus Tribuni pl. VIII. denique mense suarũ actionum respicere ac timere consuerãt. decurritur ad illud extremum atque vltimum S. C. quo, nisi pæne in ipso vrbis incendio, atq. desperatione omnium salutis, latorum audacia, numquam antè discessum est, dent operã Consules, Prætores, Tribuni pl. quique Procõsules sunt ad vrbẽ, ne quid Resp. detrimenti capiat. Hæc S. C. perscribũtur ad VII. Id. Ianuarij. itaq. V. primis diebus, quib. haberi Se-

ri Senatus potuit, qua ex die Consulatũ iniit Lẽ- A
tulus,biduo exceptoComitiali,& de imperio Cę-
saris,& de amplissimis viris Tribunis pl. grauissi-
mè acerbissiméq. decernitur.profugiũt statim ex
vrbe Tribuni pl.seséq. ad Cæsaré conferunt.is eo
tempore erat Rauennæ,expectabatque suis lenis-
simis postulatis responsa, si qua hominũ ęquitate
res ad otiũ deduci posset. Proximis diebus habe-
tur Senatus extra vrbem. Pompeius eadé illa,quæ
per Scipionem ostenderat,agit,Senatus virtutem,
constantiamq. collaudat, copias suas exponit,le- B
giones habere sese paratas x. prætereà cognitum
compertumq. sibi,alieno esse animo in Cæsarem
milites,neque eis posse persuaderi,vti eum defen-
dant,aut sequatur.Statim de reliquis rebus ad Se-
natum refertur, tota vt Italia delectus habeatur,
Faustus Sylla proprę.in Mauritaniã mittatur, pe-
cunia vti ex ęrario Põpeio detur.Refertur etiã de
Rege Iuba,& vt socius sit, atq. amicus. Marcellus
verò,passurũ se in præsentia,negat.De Fausto im-
pedit Philippus, Tribunus pl. De reliquis rebus
S.C.perscribũtur. Prouincię priuatis decernũtur; C
duæ Consulares,reliquę Prætorię.Scipioni obue-
nit Syria L.Domicio Gallia:Philippus,& Marcel-
lus priuato cõsilio prætereuntur, neque eorũ sor-
tęs deiiciuntur. in reliquas Prouincias Prætores
mittũtur.neque exspectãt,quod superioribus an-
nis acciderat, vt de eorum imperio ad Populũ re-
feratur,paludatique,votis nuncupatis,exeant Cõ-
sules, quod ante id tempus acciderat numquam;
ex vrbe proficiscuntur, lictoresque habent in vr- D
be,& Capitolio priuati, contra omnia vetustatis
exempla.tota Italia delectus habẽtur,arma impe-
rantur,pecuniæ à municipijs exiguntur,& è Fanis
tolluntur,omnia diuina, & humana iura permis-
cẽtur.Quibus rebus cognitis, Cæsar apud milites
concionatur:omnium temporum iniurias inimi-
corum in se commemorat, à quibus diductum,
& deprauatum Pompeiũ queritur, inuidia, atque
obtrectatione laudis suæ, cuius ipse honori,& di-
gnitati semper fauerit,adiutorque fuerit. nouũ in
Rep.introductum exemplum queritur, vt Tribu- E
nicia intercessio armis notaretur, atque opprime-
retur, quæ superioribus annis esset restituta:
Syllam, nudata omnibus rebus Tribunicia pote-
state, tamen intercessionem liberam reliquisse:
Pompeium,qui amissa restituisse videatur, dona
etiam,quę ante habuerat,ademisse:quotiescũque
sit decretum,Darẽt Magistratus operam, ne quid
Resp.detrimẽti caperet,qua voce & quo S. C.po-
pulus R.ad arma sit vocatus,factum in perniciosis F
legibus, in vi Tribunicia, in secessione populi,
tẽplis,locisque editioribus occupatis:(atque hæc
superioris ætatis exẽpla expiata Saturnini, atque
Gracchorum casibus docet) quarum rerum illo
tempore nihil factum,ne cogitatum quidem,nul-
la lex promulgata,non cum populo agi cœptum,
nulla secessio facta. hortatur, cuius imperatoris
ductu ix.annis Rep. felicissimè gesserint,plurima-
que prœlia secunda fecerint,omnẽ Galliam Ger-
maniamque pacauerint, vt eius existimationem, G
dignitatemq. ab inimicis defendant.Conclamant
legionis xiii. quæ aderat, milites, (hanc enim
initio tumultus euocauerat: reliquæ nondũ con-
uenerant)sese paratos esse,imperatoris sui,Tribu-
norũque pl.iniurias defendere. Cognita militum
voluntate, Ariminum cum ea legione proficisci-
tur,ibique Tribunos pl. qui ad eum confugerant,
conuenit:reliquas legiones ex hibernis euocat,&

A subsequi iubet.Eò L.Cæsar adolescẽs venit: cuius
pater Cæsaris erat legatus.is,reliquo sermone cõ-
fecto,cuius rei caussa venerat,habere se à Põpeio
ad eum priuati officij mandata demonstrat, velle
Pompeium,se Cæsari purgatum:ne ea, quæ Reip.
caussa egerit,in suam contumeliam vertat:semper
se Reip.commoda priuatis necessitatibus habuis-
se potiora:Cęsarem quoque pro sua dignitate de-
bere & studium,& iracundiam suam Reip. dimit-
tere,neque adeò grauiter irasci inimicis: ne, cùm
B illis nocere se speret,Reip.noceat.pauca eiusdem
generis addit,cum excusatione Pompeij coniun-
cta.Eadem ferè,atque eisdem de rebus Prętor Ro-
scius agit cum Cæsare, sibi què Pompeium com-
memorasse demõstrat.quę res etsi nihil ad leuan-
das iniurias pertinere videbantur:tamen, idoneos
nactus homines,per quos ea, quæ vellet, ad eum
perferrentur,petit ab vtroque, quoniam Pompeij
mandata ad se detulerint, ne grauentur sua quo-
que ad eum postulata deferre:si paruo labore ma-
C gnas controuersias tollere atque omnem Italiam
metu liberare possent: sibi semper Reip.primam
fuisse dignitatem, vitaque potiorem, doluisse se,
quòd populi R.beneficium sibi per contumeliam
ab inimicis extorqueretur ereptóque semestri im-
perio in vrbem retraheretur,cuius absentis ratio-
nem haberi proximis comitiis populus iussisset:
tamen hanc honoris iacturam sui Reip. caussa æ-
quo animo tulisse:cum litteras ad Senatum mise-
rit,vt omnes ab exercitibus discederent, ne id qui-
D dem impetrauisse:tota Italia delectus haberi, reti-
neri legiones ii.quæ ab se, simulatione Parthici
belli sint abductæ:ciuitatem esse in armis: quô-
nam hæc omnia, nisi ad suam perniciem perti-
nere?sed tamen ad omnia se descendere paratũ at-
que omnia pati Reip. caussa: proficiscatur Pom-
peius in suas Prouincias:ipsi exercitus dimittan-
tur:discedant in Italia omnes ab armis,metus è ci-
uitate tollatur,libera comitia atque omnis Resp.
Senatui,populoque R.permittatur:hæc quò faci-
E lius certisque conditionibus fiant, & iureiurando
sanciantur,aut ipse propius accedat, aut se patia-
tur accẽdere:fore vti per colloquia omnes contro-
uersiæ componantur. Acceptis mandatis, Ro-
scius,cum L.Cęsare Capuam peruenit,ibique Cõ-
sules,Pompeiumque inuenit, postulata Cæsaris
renunciat.Illi,re deliberata, respondent, scripta-
que ad eum mandata per eos remittunt: quorum
hæc erat summa: Cæsar in Galliam reuerteretur,
Arimino excederet, exercitus dimitteret: quæ si
F fecisset,Pompeium in Hispanias iturum. interea,
quoad fides esset data,Cæsarem facturum, quæ
polliceretur,non intermissuros Consules, Pom-
peiumque delectus.Erat iniqua cõditio, postula-
re,vt Cæsar Arimino excederet, atque in prouin-
ciam reuerteretur, ipsum & prouincias, & legio-
nes alienas tenere,exercitum Cæsaris velle dimit-
ti,delectus habere:polliceri se in prouinciam itu-
rum,neque,ante quem diem iturus sit,definire:vt,
si peracto Cæsaris Consulatu, Pompeius profe-
G ctus non esset,nulla tamen mendacij religione
obstrictus videretur. tempus verò colloquio non
dare,neque accessurum polliceri, magnam pacis
desperationem afferebat. Itaque ab Arimino M.
Antonium cum cohortibus v.Arretium mittit: i-
pse Arimini cũ ii. legionibus subsistit, ibique de-
lectum habere instituit:Pisaurum, Fanum, Anco-
nam singulis cohortibus occupat. Intereà certior
factus, Tignium Thermum Prætorem cohorti-

bus venere, opidum munire, omniumque esse Tigniorum optimam erga se voluntatem, Curionem cum III. cohortibus, quas Pisauri, & Arimini habebat, mittit. cuius aduentu cognito, diffisus municipij voluntati Thermus, cohortes ex vrbe educit, & profugit: milites in itinere ab eo discedunt ac domum reuertuntur: Curio, omnium summa voluntate, Tignium recipit. Quibus rebus cognitis, confisus municipiorum voluntatibus Cæsar, cohortes legionis XIII. ex præsidiis deducit, Auximumque proficiscitur: quod opidum Actius, cohortibus introductis, tenebat, delectumque toto Piceno, circummissis senatoribus, habebat. Aduētu Cæsaris cognito, decuriones Auximi ad Actiū Varum frequentes cōueniunt: docent, sui iudicij rem non esse, neque se, neque reliquos municipes pati posse, C. Cæsarem, imperatorē bene de Rep. meritum, tantis reb. gestis, opido, mœnibusq. prohiberi: proinde habeat rationē posteritatis & periculi sui. Quorū oratione permotus Actius Varus, præsidium, quod introduxerat, ex opido educit, & profugit. hunc ex primo ordine pauci Cæsaris consecuti milites, cōsistere cogunt, commissoque prœlio, deseritur à suis Varus: nōnulla pars militum domum discedit: reliqui ad Cęsarē perueniunt: atque vnà cum iis deprehensus L. Pupius primipili centurio adducitur, qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompeij antea duxerat. At Cæsar milites Actianos collaudat, Pupium dimittit, Auximatibus agit gratias, seque eorum facti memorem fore pollicetur. Quibus rebus Romam nunciatis, tantus repentè terror inuasit, vt cùm Lentulus consul ad aperiendum ærarium venisset ad pecuniam Popeio ex S.C. proferendam, protinus, aperto sanctiore ærario, ex vrbe profugeret. Cæsar enim aduentare, iam iamque adesse eius equites falso nuntiabantur. hunc Marcellus collega & pleriq. magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius, pridie eius diei ex vrbe profectus, iter ad legiones habebat, quas, à Cæsare acceptas in Apulia, hibernorum caussa, disposuerat. delectus intra vrbem intermittuntur, nihil citra Capuam tutum esse omnibus videtur. Capuæ primum sese confirmant & colligunt, delectumque colonorū qui lege Iulia Capuam deducti erant, habere instituunt, gladiatoresq. quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati cōfirmat, atque iis equos attribuit, & se sequi iussit: quos postea, monitus à suis, quòd ea res omnium iudicio reprehendebatur, circū familiares cōuentus Campaniæ, custodiæ caussa, distribuit. Auximo Cæsar progressus, omnem agrum Picenum percurrit. cunctæ earum legionum præfecturæ libentissimis animis eum recipiunt, exercitumque eius omnibus rebus iuuant. Etiam ex Gingulo, quod opidum Labienus constituerat, suaque pecunia exædificauerat, ad eū legati veniunt, quæque imperauerit, sese cupidissimè facturos pollicentur. Milites imperat, mittunt. Interea legio XII. Cæsarem consequitur. cum his II. Asculum Picenum proficiscitur, id opidum Lentulus Spinther X. cohortibus tenebat, qui Cæsaris aduentu cognito, profugit ex opido, cohortesque secum abducere conatus, à magna parte militum deseritur, relictus in itinere cum paucis, incidit in Vibullium Rufum, missum à Pompeio in agrum Picenum, confirmandorum hominum caussa: à quo factus Vibullius certior, quæ res in Piceno gererentur, milites ab eo accipit, ipsum dimittit. item ex fini-

A timis regionibus, quas potest, contrahit cohortes ex delectibus Pompeianis: in iis Camerino fugientem Vlcillem Hirum, cum VI. cohortibus, quas ibi in præsidio habuerat, excipit. quibus coactis, XIII. efficit: cum iis ad Domitium Ahenobarbum Corfinium magnis itineribus peruenit. Cæsaremque adesse cum legionibus II. nuntiat. Domitius per se circiter XX. cohortes ex Alba, & Marsis & Pelignis & finitimis ab regionibus coegerat. Recepto Asculo, expulsoque Lentulo, Cæ- B sar conquiri milites, qui ab eo discesserant, delectumque institui iubet, ipse vnum diem ibi, rei frumentariæ caussa moratus, Corfinium contendit. eò cùm venisset, cohortes V. præmissæ à Domitio ex opido, pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab opido millia passuum circiter III. ibi cum antecursoribus Cæsaris prœlio commisso, celeriter Domitiani à ponte repulsi se in opidum receperunt. Cæsar legionibus transductis, ad opidum constitit, iuxtaque murum castra po- C suit. Recognita, Domitius ad Pompeium in Apuliam peritos regionū magno proposito præmio, cum literis, mittit, qui petant atque orent, vt sibi subueniat: Cæsarem duobus exercitibus & locorum angustiis facilè intercludi posse, frumentoque prohiberi: quod nisi fecerit, se, cohortesque amplius XXX. magnumque numerum senatorum, atque equitum Romanorum in periculum esse venturum. interim suos cohortatus, tormenta in muris disponit: certasque cuique partes ad custodiam vrbis attribuit. mili- D tibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos iugera, & pro rata parte Centurionibus, euocatisque. Interim Cæsari nunciatur, Sulmonenses, quod opidum à Corfinio VII. millium interuallo abest, cupere, eá facere quæ vellet, sed à Q. Lucretio senatore, & Actio Peligno prohiberi, qui id opidum VII. cohortium præsidio tenebant. Mittit eò M. Antonium cum legionis IIX. cohortibus V. Sulmonenses, simul atque nostra signa vide- E runt, portas aperuerunt, vniuersique & opidani, & milites obuiam gratulantes Antonio exierunt: Lucretius, & Actius de muro se deiecerunt. Actius ad Antonium deductus, petit, vt ad Cæsarem mitteretur. Antonius cum cohortibus, & Actio eodem die, quo profectus erat, reuertitur. Cæsar eas cohortes cum exercitu suo coniunxit, Actiumque incolumem dimisit. Cæsar III. primis diebus castra magnis operibus munire, & ex finitimis municipiis F frumentum comportare, reliquasque copias exspectare, instituit. eo triduo legio IIX. ad eum venit, cohortesque ex nouis Galliæ delectibus XXII. equitesque à Rege Norico circiter CCC. quorum aduentu altera castra ad alteram opidi partem ponit. iis castris Curionem præfecit. reliquis diebus opidum vallo, castellisque circummunire instituit. cuius operis maxima parte effecta, eodem ferè tempore missi ad Pompeium reuertuntur. Litteris perlectis, Domitius dissimulans, in G consilio pronunciat, Pompeium celeriter subsidio venturum, hortaturque eos ne animo deficiant, quæque vsui ad defendendum opidum sint, parent. ipse arcanò cum paucis familiaribus suis, consiliumque fugæ capere constituit. Cùm vultus Domitij cum oratione non consentiret, atque omnia trepidantius, timidiúsque ageret, quam superioribus diebus consuesset, multumque

quæ cum filis, consilitandi caussa, secretò præter consuetudinem colloqueretur, consilia conuentusque hominum fugeret, res diutius tegi, dissimulari que non potuit. Pompeius enim rescripserat, sese rem in summum periculum deducturum non esse, neque suo consilio aut voluntate Domitium se in opidum Corfinium contulisse: proinde si qua facultas fuisset, ad se cum omnibus copiis veniret. id ne fieri posset, obsidione, atque opidi circummunitione fiebat. Diuulgato Domitij consilio, milites, qui erant Corfinij, prima vespera secessionem faciunt, atque ita inter se per Tribunos mil. Centurionesque, atque honestissimos sui generis, colloquuntur, obsideri se à Cæsare, opera munitionesque prope esse perfectas, ducem suum Domitium, cuius spe atque fiducia permanserint, proiectis omnibus, fugæ consilium capere: debere se suæ salutis rationem habere. Ab his primò Marsi dissentire incipiunt, eamque opidi partem, quæ munitissima videretur, occupant: tantaque inter eos dissensio exstitit, vt manum conserere, atque armis dimicare conarentur. post paullò tamen, internuntiis vltro citroque missis, quæ ignorabant, de L. Domitij fuga cognoscunt: itaque vno omnes consilio Domitium productum in publicum circumsistunt, & custodiunt, legatosque ex suo numero ad Cæsarem mittunt, sese paratos esse portas aperire, quæque imperauerit facere, & L. Domitium viuum in eius potestatem tradere. Quibus rebus cognitis, Cæsar, etsi magni interesse arbitrabatur, quamprimum opido potiri, cohortésque ad se in castra transducere, ne qua aut largitionibus, aut animi confirmatione, aut falsis nunciis commutatio fieret voluntatis, quòd sæpe in bello paruis momentis magni casus intercederent, tamen, veritus, ne militum introitu, & nocturni temporis licentia, opidum diriperetur, eos, qui venerant, collaudat, atque in opidum dimittit. Portas, murosque asseruari iubet: ipse iis operibus, quæ facere instituerat, milites disponit, non certis spatiis intermissis, vt erat superiorum dierum consuetudo, sed perpetuis vigiliis, stationibusque, vt contingant inter se, atque omnem munitionem expleant: Tribunos mil. & Præfectos circummittit, atque hortatur, non solum ab eruptionibus caueant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus asseruent. neque verò tam remisso, ac languido animo quisquam omnium fuit, qui ea nocte conquieuerit. tanta erat summa rerum exspectatio, vt nullus in aliam partem mente, atque animo traheretur, quid ipsis Corfiniensibus, quid Domitio, quid Lentulo, quid reliquis accideret, qui quosque euentus exciperet. quarta vigilia circiter Lentulus Spinther de muro cum vigiliis, custodibusque nostris colloquitur, velle, si sibi fiat potestas, Cæsarem conuenire. facta potestate, ex opido mittitur, neque ab eo prius Domitiani milites discedunt, quam in conspectũ Cæsaris deducatur. cum eo de salute sua agit, orat atque obsecrat, sibi vt parcat, veteremque amicitiam commemorat, Cæsarisque in se beneficia exponit. quæ erant maxima: quòd per eum in Collegium Pontificum venerat, quòd prouinciam Hispaniam ex prætura habuerat, quod in petitione consulatus ab eo erat sublevatus. Cuius orationem Cæsar interpellat: se nõ maleficij causa, ex prouincia egressum, sed vti se à contumeliis inimicorum defenderet, vt Tribunos pl. ea re ex ciuitate expulsos, in suã digni-

A tatem restitueret, vt se, & populum Romanum paucorum factione oppressum, in libertatem vindicaret. Cuius oratione confirmatus Lentulus, vt in opidum reuerti liceat, petit, quod de suà salute impetrauerit, fore etiam reliquis ad suam spem solatio: adeò esse perterritos nonnullos, vt suæ vitæ durius consulere cogantur. Facta potestate, discedit. Cæsar vbi illuxit, omnes senatores, senatorumque liberos, Tribunos mil. equitésque Romanos ad se produci iubet. erant

B senatorij ordinis L. Domitius, & P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sex. Quintilius Varus quæstor, L. Rubrius, præterea filius Domitij, aliique complures adolescentes, & magnus numerus Romanorum equitum, & decurionum, quos ex municipiis Domitius euocauerat. hos omnes productos à contumeliis militum, conuiciisque prohibet: pauca apud eos loquitur, Quod sibi apertè eorum gratia relata non sit, pro suis in eos maximis beneficiis. dimittit

C omnes incolumes. H.S. LX. quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum deposuerat allatũ ad se ab IIII. viris Corfiniensibus, Domitio reddit, ne continentior in vita hominum, quàm in pecunia, fuisse videatur, etsi eam pecuniam publicam esse constabat, datamque à Pompeio in stipendium. Milites Domitianos sacramẽtum apud se dicere iubet: atq. eo die castra mouet: iustumque iter conficit, VII. omnino dies ad Corfinium commoratus, & per fines Marrucinorum,

D Frentanorum, Larinatium in Apuliam peruenit. Pompeius, iis rebus cognitis, quæ erant ad Corfinium gestæ, Luceria proficiscitur Canusium, atque inde Brundusium: copias vndique omnes ex nouis delectibus ad se cogi iubet, seruos, pastores, atque his equos attribuit: ex iis circiter CCC. equites conficit. L. Manlius Prętor Alba cum cohortibus VI. profugit: Rutilus Lupus prætor Tarracina cum III. quæ, procul equitatum Cæsaris cõspicatę, cui præerat Binius Curius, relicto

E Prętore, signa ad Curium transferunt, atque ad eum transeunt. Item reliquis itineribus nonnullæ cohortes in agmen Cæsaris, aliæ in equites incidunt. reducitur ad eum deprehensus ex itinere Cn. Magius Cremona, præfectus fabrorum Cn. Pompeij: quem Cæsar ad eum remittit cum mandatis, quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit, atque ad se Brundusium sit venturus, interesse Reip. & communis salutis, se cum Pompeio colloqui, neque verò idem perfici

F longo itineris spatio, cum per alios conditiones ferantur, ac si coram de omnibus conditionibus disceptetur. His datis mandatis, Brundusium cum legionibus VI. peruenit, veteranis IV. reliquis, quas ex nouo delectu confecerat, atque in itinere compleuerat. Domitianas enim cohortes protinus à Corfinio in Siciliam miserat. reperit Consules Dyrrachium profectos cum magna parte exercitus, Pompeium remanere Brundusij cum cohortibus XX. neque certum inueniri poterat, obtinendine caussa, Brundusij ibi remansisset,

G quo facilius omne Hadriaticum mare, extremis Italiæ partibus, regionibusque Græciæ, in potestatem haberet, atque ex vtraque parte bellum administrare posset, an inopia nauium ibi restitisset: veritusque ne Italiam ille dimittendam non existimaret, exitus, administrationésque Brundusini portus impedire instituit: quorum operum hæc erat ratio. Quà fauces erant angustissi-

maris, ortus, molem, atque aggerem ab vtraque A parte litoris iaciebat, quòd his locis erat mare vadosum. longius progressus, cum agger altiore aqua contineri non posset, rates duplices, quoquo versus pedum xxx. è regione molis collocabat. has quaternis anchoris ex quatuor angulis distinebat, ne fluctibus mouerentur. his perfectis, collocatisque, alias deinceps pari magnitudine rates iungebat, has terra, atque aggere contegebat ne aditus, atque incursus ad defendendũ impediretur: à fronte, atque ab vtroque latere crati- B bus, ac pluteis protegebat. in quarta quaque earũ turres binorum tabulatorum excitabat, quo commodius ab impetu nauium: incendiisque defenderet. Contra hæc Pompeius naues magnas onerarias, quas in portu Brundusino deprehenderat, adornabat. ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, easque multis tormentis, & omni genere telorum completas, ad opera Cæsaris appellabat, vt rates perrumperet atque opera disturbaret. sic quotidie vtrimque eminus fundis, sagittis, reliquisque telis pugnabatur. Atque hæc ita Cæsar admi- C nistrabat, vt conditiones pacis dimittendas non existimaret. ac, tametsi magnopere admirabatur, Magium quem ad Pompeium cum mandatis miserat, ad se non remitti, atque ea res sæpe tentata, etsi impetus eius, consiliaque tardabat, tamen omnibus rebus in eo perseuerãdum putabat. itaque Caninium Rebilum, legatum, familiarem necessariumque Scribonij Libonis, mittit ad eum, colloquij caussa: mandat, vt Libonem de D conciliãda pace hortetur, in primis, vt ipse cum Pompeio colloqueretur, postulat: magnopere sese confidere demonstrat, si eius rei sit potestas facta, fore, vt æquis conditionibus ab armis discedatur: cuius rei magnam partem laudis, atque existimationis ad Libonem peruenturam, si, illo auctore, atque agẽte, ab armis sit discessum. Libo, à colloquio Caninij digressus, ad Pompeium proficiscitur: pa illo pòst renunciat, quod Consules absint, nihil sine illis de compositione agi posse. ita sæpius rem frustra tentatam Cæsar aliquando di- E mittendam sibi iudicabat, & de bello agendum. propè dimidia parte operis à Cæsare effecta, diebusque in ea re consumptis ix. naues à Cõsulibus Dyrrachio remissæ, quæ priorem partem exercitus eò deportauerant, Brundusium reuertuntur. Pompeius, siue operibus permotus, siue etiã quod ab initio Italia excedere constituerat, aduẽtu nauium profectionem parare incipit: &, quò facilius impetum Cæsaris tardaret. ne sub ipsa profe- F ctione milites opidum irrumperent, portas obstruit, vicos plateasque inædificat, fossas transuersas viis perducit, atque ibi sudes, stipitésque præacutos defigit. hæc leuibus cratibus, terraque inæquat. aditus autem, atque itinera duo, quæ extra murum ad portum ferebant, maximis defixis trabibus, atque eis præacutis, præsepit. his paratis rebus, milites silentio naues conscendere iubet, expeditos autem ex euocatis sagittariis, funditoribusque raros in muro, turribusque disponit. hos G certo signo reuocare constituit, cum omnes milites naues conscendissent: atque iis expedito loco actuaria nauigia relinquit. Brundusini, Pompeianorum militum iniurijs, atque ipsius Pompeij contumeliis permoti, Cæsaris rebus fauebant. itaque, cognita Pompeii profectione concursantibus illis, atque in ea re occupatis, vulgò ex tectis significabant. per quos re cognita, Cæsar, scalas parari, militesque armari iubet, ne quam rei gerẽdę facultatem dimittat. Pompeius sub noctem naues soluit. qui erant in muro custodiæ caussa collocati, eo signo, quod conuenerat, reuocantur, notisque itineribus ad naues decurrunt. Milites, positis scalis, muros ascẽdunt, sed, moniti à Brundusinis, vt vallum cæcum, fossasque caueant, subsistunt, & longo itinere ab iis circumducti, ad portum perueniunt, duasque naues cum militibus, quę ad moles Cæsaris adhæserant, scaphis, lintribusque deprehendunt, deprehẽsas excipiũt. Cæsar etsi ad spem conficiendi negotij maximè probabat, coactis nauibus, mare transire, & Pompeium sequi prius quàm ille sese transmarinis auxiliis cõfirmaret, tamen rei eius moram temporisque longinquitatem, timebat, quòd, omnibus coactis nauibus, Pompeius præsentem facultatem insequendi sui ademerat. Relinquebatur, vt ex longinquioribus regionibus Galliæ, Picenique, & à freto naues essent exspectandæ, sed id, propter anni tempus, longum, atque impeditum, videbatur. interea veterem exercitum, duas Hispanias confirmari, quarum altera erat maximis beneficiis Pompeii deuincta, auxilia, equitatum parari, Galliam, Italiamque tentari se absente, nolebat. itaque in prǽsentia Pompeii insequendi rationem omittit: in Hispaniam proficisci constituit: duumviris municipiorum omnium imperat, vt naues conquirant, Brundusiumque deducendas curent. mittit in Sardiniam cum legione vna Valerium legatum, in Siciliam Curionem proprętorem cum legionibus iii. eundem, cum Siciliam recepisset, protinus in Africam transducere exercitum iubet. Sardiniam obtinebat M. Cotta Siciliam M. Cato, Africam sorte Tubero obtinere debebat. Caralitani, simul ad se Valerium mitti audierunt, nondum profecto ex Italia, sua sponte ex Opido Cottam eiiciunt. ille, perterritus, quòd omnẽ prouinciã consentire intelligeret, ex Sardinia in Africã profugit. Cato in Sicilia naues longas veteres reficiebat, nouas ciuitatibus imperabat: hæc magno studio agebat: in Lucanis, Brutiisque, per legatos suos, ciuium R. delectus habebat: equitum peditumque certũ numerum à ciuitatibus Siciliæ exigebat. Quibus rebus pæne perfectis, aduentu Curionis cognito, queritur in cõcione, sese proiectum, ac proditum à Cn. Pompeio, qui, omnibus rebus imparatissimus, non necessarium bellum suscepisset, &, ab se, reliquisque in Senatu interrogatus, omnia sibi esse ad bellum apta, ac parata confirmauisset. Hæc in concione questus, ex prouincia fugit. Nacti vacuas ab imperiis, Sardiniam Valerius, Curio Siciliam cum exercitibus eò perueniunt. Tubero, cum in Africam venisset, inuenit in Prouincia cum imperio Actium Varum, qui ad Auximum, vt supra demonstrauimus, amissis cohortibus protinus ex fuga in Africam peruenerat, atque eam sua sponte vacuam occupauerat, delectuque habito, ii. legiones effecerat, hominum & locorum notitia, & vsu eius prouinciæ nactus aditus ad ea conanda, quòd paucis antè annis ex Prætura eam prouinciam obtinuerat. hic venientem Vticam cum nauibus Tuberonem portu atque opido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, sed, sublatis ancoris, excedere eo loco cogit. His rebus cõfectis, Cęsar, vt reliquum tempus à labore intermitteretur, milites in proxima municipia deducit: ipse ad vrbem proficiscitur,

tur. Coacto senatu, iniurias inimicorum commemorat: docet, se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed, exspectato legitimo tempore consulatus, eo fuisse contentum, quod omnibus ciuibus pateret: latum ab x. Tribunis pl. contradicentibus inimicis, Catone verò acerrimè repugnante, & pristina consuetudine dicendi mora diem extrahente, vt sui ratio absentis haberetur, ipso Consule Pompeio: qui si improbasset, cur ferri passus esset? sin probasset, cur se vti populi beneficio prohibuisset? patientiam proponit suam, cum de exercitibus dimittendis vltro postulauisset: in quo iacturam dignitatis, atque honoris ipse facturus esset. acerbitatem inimicorũ docet, qui, quod ab altero postularent, in se recusarent, atque omnia permisceri mallent, quàm imperiũ exercitusque dimittere. iniuriam in eripiendis legionibus prædicat, crudelitatem, & insolentiam in circumscribendis Tribunis pl. conditiones à se latas, & expetita colloquia & denegata, commemorat. pro quibus rebus orat, ac postulat, Rem. suscipiant, atque vnà secum administrent. sin timore defugiant, illis se oneri non futurũ, & per se rempub. administraturum. Legatos ad Pompeium, de cõpositione, mitti oportere: neque se reformidare, quòd in senatu paullò antè Põpeius dixisset, Ad quos Legati mitterentur, iis auctoritatem attribui, timoremque eorum, qui mitterent, significari: tenuis, atque infirmi hæc animi videri: se verò, vt opibus antè studuerit, sic iustitia, & æquitate, velle superare. Probat rem senatus de mittendis legatis: sed, qui mitterentur, non reperiebantur, maximéque timoris caussa pro se quisque id munus legationis recusabat. Pompeius enim discedens ab vrbe in Senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent, & qui in castris Cæsaris fuissent. sic triduum disputationibus excusationibusq. extrahitur. subiicitur etiam L. Metellus Tribunus pl. ab inimicis Cæsaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat. Cuius cognito consilio, Cæsar, frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquũ tempus omittat, infectis iis, quæ agere destinauerat, ab vrbe proficiscitur, atque in vlteriorẽ Galliam peruenit. quò cum venisset, cognoscit, missum in Hispaniá à Pompeio Vibullium Rufum, quem paucis diebus antè, Corfinij captũ, ipse dimiserat: profectum item Domitium ad occupandũ Massiliam nauibus actuarijs vii. quas, Sicilia, & in Cosano à priuatis coactas, seruis, libertis, colonis suis compleuerat: præmissos etiam legatos Massilienses domũ nobiles adolescentes, quos ab vrbe discedens Pompeius erat adhortatus, ne noua Cæsaris officia veterum suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent. Quibus mandatis acceptis, Massilienses portas Cesari clauserát: Albicos, barbaros homines, qui in eorum fide antiquitus erant, montésque supra Massiliam incolebant, ad se vocauerant: frumẽtum ex finitimis regionibus, atque ex omnibus castellis, in vrbem conuexerant: armorum officinas in vrbe instituerant: muros, classem, & portas reficiebant. Euocat ad se Cæsar Massiliensium xv. primos: cum his agit, ne initium inferendi belli à Massiliensibus oriatur: debere eos Italiæ totius auctoritatẽ sequi potius, quàm vnius hominis voluntati obtemperare. reliqua, quæ ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur, commemorat. Cuius orationem domum legati referunt, atque ex auctorita-

A te hæc Cæsari renunciant: intelligere se, diuisum esse populum R. in partes duas, neque sui iudicij, neque suarum esse virium, discernere, vtra pars iustiorem habeat caussam: principes verò esse earum partium, Cn. Pompeium, & C. Cæsarem patronos ciuitatis, quorum alter agros Volcarũ, Arecomicorum, & Heluiorum publicè iis concesserit, alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliáque auxerit: quare paribus eorũ beneficiis parem se quoque voluntatem tribuere debere, &
B neutrũ eorum cõtra alterum iuuare, aut vrbe, aut portibus recipere. Hæc dum inter eos aguntur, Domitius nauibus Massiliam peruenit, atque, ab iis receptus, vrbi præficitur. summa ei belli administrandi permittitur, eius imperio classem quoquouersus dimittunt: onerarias naues, quas vbique possunt, deprehendunt, atque in portum deducunt: earum clauis, aut materia, atq. armamentis instructis ad reliquas armandas, reficiendasque vtuntur: frumenti quod inuentum est, in pu-
C blicum conferunt: reliquas merces, commeatusque ad obsidionem vrbis, si accidat, reseruant. Quibus iniuriis permotus Cæsar, legiones iii. Massiliam adducit: turres, vineasque ad oppugnationem vrbis agere, naues longas Arelate numero xii. facere instituit. quibus effectis, armatisque diebus xxx. à qua die materia cæsa est, adductisque Massiliam, his D. Brutum præfecit: C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ relinquit. Dum hæc parat, atque admini-
D strat. C. Fabium legatum cum legionibus iii. quas Narbone, circumque ea loca, hiemandi caussa, disposuerat, in Hispaniam præmittit, celeritérque Pyrenæos saltus occupari iuber, qui eo tempore ab L. Afranio legato præsidiis tenebantur: legiones reliquas, quæ longius hiemabant, *subsequi iubet. Fabius, vt erat imperatum, adhibita celeritate, præsidium ex saltu deiecit, magnisque itineribus ad exercitum Afranij contendit. Aduentu Vibullij Rufi, quem à Pompeio missum in Hispaniam demonstratum est, Afranius,
E & Petreius, & Varro, legati Pompeij, quorum vnus iii. legionibus Hispaniam citeriorem, alter à saltu Castulonẽsi ad Anam ii. legionibus, tertius ab Ana Vectonum agrum, Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat, officia inter se partiuntur, vt Petreius ex Lusitania per Vectones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur, Varro cum iis, quas habebat, legionibus omnem vlteriorem Hispaniam tueatur. His rebus constitutis, equites, auxiliaque totius Lusitaniæ à
F Petreio, Celtiberis, Cantabris, barbarisque omnibus, qui ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur. quibus coactis, celeriter Petreius per Vectones ad Afranium peruenit, constituunt cõmuni consilio, bellum ad Ilerdam, propter ipsius loci opportunitatem gerere. Erant, vt suprà demonstratum est, legiones Afranij iii. Petreij ii. præterea scutatæ citerioris Prouinciæ, & cetratæ vlterioris Hispaniæ cohortes circiter lxxx. equitum vtriusque prouinciæ circiter v. millia.
G Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat, ad vi. millia auxilia peditum, equitum iii. millia, quæ omnibus superioribus bellis habuerat, & parẽ ex Gallia numerũ, quem ipse pacauerat, nominatim ex omnibus ciuitatib. nobilissimo, & fortissimo quoque euocato hinc optimi generis hominũ ex Aquitanis, mõtanisque, qui Galliam prouinciam attingunt. Audierat Pompeium per Mauritaniam

cũ l gionibus iter in Hispaniã facere, confestimq.
esse veterũ simul à Tribunis mil. Cēturionibusq.
mutuas pecunias sũpsit, has exercitui distribuit.
quo facto, duas res consecutus est, quòd pignore
animos Centurionum deuinxit, & largitione mi-
litum voluntates redemit. Fabius finitimarum
ciuitatum animos literis, nunciisque tentabat. in
Sicore flumine pontes effecerat duos, inter se di-
stantes millia passuum IV. his pontibus pabulatũ
mittebat, quòd ea, quæ citra flumen fuerãt, supe-
rioribus diebus consumpserat. Hoc idem ferè at-
que eadem de caussa, Pompeiani exercitus duces
faciebant, crebroque inter se equestribus prœliis
contendebant. huc cum quotidiana cõsuetudine
congressæ pabulatoribus præsidio proprio legio-
nes Fabianæ II. flumen transissent, impedimenta-
que, & omnis equitatus sequeretur: subitò, vi iu-
mentorum, & aquæ magnitudine, pons est inter-
ruptus, & reliqua multitudo equitum interclusa.
quo cognito à Petreio, & Afranio, ex aggere, atq.
cratibus, quæ flumine ferebantur: celeriter pon-
te Afranius, quem opido, castrisque coniunctum
habebat, legiones IV. equitatumq. omnem trans-
iecit, duabusque Fabianis occurrit legionibus.
cuius aduentu nunciato, L. Plancus, qui legioni-
bus præerat, necessaria re coactus, locum capit
superiorem, diuersamque aciem in duas partes
cõstituit, ne ab equitatu circumueniri posset. ita,
congressus impari numero, magnos impetus le-
gionum equitatusque sustinet. Commisso ab
equitibus prœlio, signa II. legionum procul ab
vtrisque conspiciũtur, quas C. Fabianus vlteriore
ponte subsidio nostris miserat. suspicatus fore id,
quod accidit, vt duces aduersariorum occasione,
& beneficio fortunæ ad nostros opprimendos
vterentur: quarum aduẽtu prœlium dirimitur, ac
suas vterque legiones reducit in castra. Eo biduo
Cæsar cum equitibus DCCCC, quos sibi præsidio
reliquerat, in castra peruenit. Pons qui fuerat tē-
pestate interruptus, pæne erat refectus. hunc no-
ctu perfici iussit. Ipse, cognita locorũ natura, pon-
ti, castrisque præsidio VI. cohortes reliquit. atque
omnia impedimenta: & postero die omnibus co-
piis, triplici instructa acie, ad Ilerdam proficisci-
tur, & sub castris Afranij constitit, &, ibi paulis-
per sub armis moratus, facit æquo loco pugnan-
di potestatem. potestate facta, Afranius copias
educit, & in medio colle sub castris constitit.
Cæsar, vbi cognouit per Afranium stare, quo
minus prœlio dimicaretur, ab infimis radicibus
montis, intermissis circiter passibus CD. castra
facere constituit: &, ne in opere faciendo mi-
lites repentino hostium incursu exterrerentur,
atque opere prohiberentur, vallo muniri ve-
tuit, quod eminere, & procul videri necesse
erat, sed à fronte contra hostem pedum XV. fossam
fieri iussit. prima, & secunda acies in armis, vt
ab initio constituta erat, permanebat. post hos
opus in occulto acies tertia faciebat: sic omne
prius est perfectum, quàm intelligeretur ab
Afranio castra muniri. sub vesperum Cæsar intra
hanc fossam legiones reducit, atque ibi sub armis
proxima nocte conquiescit. postero die omnem
exercitum intra fossam continet: &, quod longius
erat agger petendus, in præsentia similem ratio-
nem operis instituit: singulaque latera castrorum
singulis attribuit legionibus munienda: fossasque
ad eandem multitudinem perfici iubet: reliquas
legiones in armis expeditas contra hostem con-
A stituit. Afranius, Petreiusque terrẽdi caussa, atque
operis impediendi, copias suas ad infimas montis
radices producunt, & prœlio lacessunt. neque id
circo Cæsar opus intermittit, confisus præsidio
legionum III. & munitione fossæ. illi nõ diu com-
morati, nec longius ab infimo colle progressi, co-
pias in castra reducunt. III. die Cæsar vallo castra
communit: reliquas cohortes, quas in superiori-
bus castris reliquerat, impedimentaq. ad se trans-
duci iubet. Erat inter opidũ Ilerdam, & proximũ
B collẽ, vbi castra Petreius, atq. Afranius habebant,
planicies circiter passuum CCC. atque in hoc ferè
medio spatio tumulus erat paullo editior: quem
si occupasset Cæsar, & communisset, ab opido, &
ponte, & commeatu omni, quem in opidum con-
tulerant, se interclusurum aduersarios confide-
bat. hoc sperans, legiones III. ex castris educit:
acieque in locis idoneis instructa, vnius legionis
antesignanos præcurrere, atque occupare eum tu-
mulum iubet. qua re cognita, celeriter, quæ in
C statione pro castris erant Afranij cohortes, bre-
uiore itinere ad eundem occupãdum locum mit-
tuntur. contenditur prœlio, &, quò prius in tu-
mulum Afraniani venerant, nostri repelluntur,
atque aliis summissis præsidiis, terga vertere, seq.
ad signa legionum recipere coguntur. genus erat
pugnæ militum illorum, vt magno impetu pri-
mo procurrerent, audacter locum caperent, ordi-
nes suos non magnopere seruarent, rari dispersi-
que pugnarent: si premerentur, pedem referre, &
D loco excedere, non turpe existimarent, cum Lusi-
tanis, reliquisque barbaris genere quodam pugnę
assu facti, quod ferè fit, quibus quisque in locis
miles inueterauerit, vti multum earum regionum
consuetudine moueatur. hæc tamen ratio nostros
perturbat, insuetos huius generis pugnę. circum-
iri enim sese ab aperto latere procurrentibus sin-
gulis, arbitrabantur: ipsi autem suos ordines ser-
uare, neque ab signis discedere, neque sine graui
caussa eum locum, quem ceperant, dimitti cen-
suerant oportere. Itaque, perturbatis antesigna-
E nis, legio, quæ in eo cornu constiterat, locum
non tenuit, atque in proximũ collem sese recepit.
Cęsar, pæne omni acie perterrita, quòd præter
opinionem consuetudinemque acciderat, cohor-
tatus suos, legionẽ IX. subsidio ducit: hostem inso-
lentem, atque acriter nostros insequentem, sup-
primit, rursusq. terga vertere, seque ad opidũ Iler-
dam recipere, & sub muro consistere cogit: sed IX.
legionis milites elati studio, dum sarcire acceptũ
detrimentum volunt, temere insecuti fugientes,
F in locum iniquum progrediuntur, & sub mon-
tem, in quo erat opidum positum, succedunt. hinc
se recipere cum vellent, rursus illi ex loco supe-
riore nostros premebant. præruptus locus erat,
vtraque ex parte directus, ac tantũ in latitudinem
patebat, vt tres instructæ cohortes eum locũ ex-
plerent, & neq. subsidia à lateribus summitti, ne-
que equites laborãtibus vsui esse possent: ab opi-
do autem decliui fastigio vergebat, in longitudi-
nem passuũ circiter CD. hàc nostris erat receptus,
G quòd eò, incitati studio, inconsultius processe-
rant. hoc pugnabatur loco, & propter angustias
iniquo, & quòd sub ipsis radicibus mõtis cõstite-
rãt, vt nullũ frustra telum in eos mitteretur, tamẽ
virtute, & patientia nitebãtur, atq. omnia vulnera
sustinebant. Augebantur illis copiæ, atque ex ca-
stris cohortes per opidũ crebrò summittebantur,
vt integri defessis succederent. hoc idem Cęsar fa-
cere

cere cogebatur: vt, summissis in eundem locum cohortibus, defessos reciperet. hoc cùm esset modo pugnatum continenter horis v. nostrique grauius à multitudine premerentur: consumptis omnibus telis; gladiis districtis, impetum aduersus montem in cohortes faciunt: paucisque deiectis, reliquos sese conuertere cogunt. summotis sub murum cohortibus, ac nonnulla parte propter terrorem in oppidum compulsis, facilis est nostris receptus datus. Equitatus autem noster ab vtroque latere, etsi deiectis, atque inferioribus locis constiterat, tamen in summum iugum virtute connititur, atque inter duas acies perequitans commodiorem, ac tutiorem nostris receptum dat. ita vario certamine pugnatum est. nostri in primo congressu circiter LXX. ceciderunt, in his Q. Fulginius ex primo hastato legionis XIV. qui, propter eximiam virtutem, ex inferioribus ordinibus in eum locum peruenerat: vulnerantur amplius DC. Ex Afranianis interficiuntur T. Cæcilius, primipili centurio, &, præter eum, centuriones IV. milites amplius CC. sed hæc eius diei præfertur opinio, vt se vtrique superiores discessisse existimarent: Afraniani, quòd, cùm esse omnium iudicio inferiores viderentur, cominus tamen diu stetissent, & nostrorum impetum sustinuissent, & initio locum, tumulúmque tenuissent, quæ caussa pugnandi fuerat: & nostros primo congressu terga vertere coegissent: nostri autem, quòd iniquo loco, atque impari congressi numero, v. horis prœlium sustinuissent, quòd montem gladiis districtis adscendissent, quòd ex superiore loco terga vertere aduersarios coegissent, atque in oppidum compulissent. illi eum tumulum pro quo pugnatum est, magnis operibus munierunt, præsidiúmque ibi posuerunt. Accidit etiam repentinum incommodum biduo, quo hæc gesta sunt. tanta enim tempestas cooritur, vt nunquam illis locis maiores aquas fuisse constaret. tum autem ex omnibus montibus nix profluit, ac summas ripas fluminis superauit: pontésque ambos, quos C. Fabius fecerat, vno die interrupit. quæ res magnas difficultates exercitui Cæsaris attulit. Castra enim, vt suprà demonstratum est, cùm essent inter flumina duo, Sicorim, & Cingam, spatio millium XXX. neutrum horum transiri poterat: necessarióque omnes his angustiis continebantur: neque ciuitates, quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum supportare, neque ij qui pabulatum longius progressi erant, interclusi fluminibus, reuerti: neque maximi comitatus, qui ex Italia, Galliáq; veniebant, in castra peruenire poterant. tẽpus erat anni difficillimum, quo neque frumenta in hibernis erant, neque multum à maturitate aberant, ac ciuitates exinanitæ, quòd Afranius pæne omne frumentum ante Cæsaris aduentum Ilerdam conuexerat; reliqui, si quid fuerat, Cæsar superioribus diebus consumpserat: pecora, quod secundum poterat esse inopiæ subsidium, propter bellum finitimæ ciuitates longius remouerant: qui erant pabulandi, aut frumentandi caussa progressi, hos leuis armaturæ Lusitani, peritique earum regionum cetrati citerioris Hispaniæ consectabantur, quibus erat procliue, transnare flumen: quòd consuetudo eorum omnium est, vt sine vtribus ad exercitum non eant. At exercitus Afranij omnium rerum abundabat copia. multum erat frumentum prouisum, & conuectum superioribus temporibus:

A multum ex omni prouincia comportabatur: magna copia pabuli suppetebat. harum rerum omnium facultates sine vllo periculo pons Ilerdæ præbebat, & loca trans flumen integra, quò omnino Cæsar adire non poterat. eæ permanserunt aquæ dies complures. conatus est Cæsar reficere pontes: sed nec magnitudo fluminis permittebat: neque ad ripam dispositæ cohortes aduersariorum perfici patiebantur: quod illis prohibere erat facilè, cum ipsius fluminis natura, atque aquæ ma- B gnitudine; tum quòd ex totis ripis in vnum atque angustum locum tela iaciebantur: atque erat difficile, eodem tempore rapidissimo flumine opera perficere, & tela vitare. Nunciatur Afranio, magnos comitatus, qui iter habebant ad Cæsarem, ad flumen constitisse. venerãt eò sagittarij ex Ruthenis, equites ex Gallia cum multis carris, magnísque impedimentis, vt fert Gallica consuetudo. erant præterea cuiusque generis hominum millia circiter VI. cum seruis, liberísque, sed nul- C lus ordo, nullum imperium certum, cùm suo quisque consilio vteretur, atque omnes sine timore iter facerent, vsi superiorum temporum, atque itinerum licentia. Erant complures honesti adolescentes, senatorum filij, & equestris ordinis: erant legationes ciuitatum: erant legati Cæsaris. hos omnes flumina continebant. ad hos opprimendos cum omni equitatu, tribúsq; legionibus Afranius de nocte proficiscitur, imprudentésque antè missis equitibus aggreditur. celeriter tamen D sese Galli equites expediunt, prœliúmque committunt. hi, dum pari certamine res geri potuit, magnum hostium numerum pauci sustinuere: sed, vbi signa legionum appropinquare cœperunt, paucis amissis, sese in montes proximos conferunt. hoc pugnæ tempus magnum attulit nostris ad salutem momentum. nacti enim spatium, se in loca superiora receperunt. desiderati sunt eo die sagittarij circiter CC. equites pauci, calonum, atque impedimentorum non magnus numerus. his tamen omnibus annona creuit: quæ ferè res ino- E pia non solùm præsentis, sed etiam futuri temporis timore ingrauescere consueuit. iámque ad denarios L. in singulos modios annona peruenerat; & militum vires inopia frumenti deminuerat: atque incommoda in dies augebantur: & tam paucis diebus magna erat rerum facta commutatio, ac se fortuna inclinauerat: vt nostri magna inopia necessariarum rerum conflictarentur: illi omnibus abundarent rebus, superiorésque haberentur. Cæsar iis ciuitatibus, quæ ad eius amicitiam F accesserant, quo minor ea frumenti copia, pecus imperabat: calones ad longinquiores ciuitates dimittebat: ipse præsentem inopiam, quibus poterat subsidiis, tutabatur. Hæc Afranius, Petreiúsque, & eorum amici, pleniora etiam atque vberiora, Romam ad suos perscribebant. multa rumor fingebat: vt pæne bellum confectum videretur. Quibus literis, nunciisque Romam perlatis, magni domũ cõcursus ad Afranium, magnæ gratulationes fiebant. multi ex Italia ad Cn. Pompe- G ium proficiscebantur: alij, vt principes talem nuncium attulisse: alij, ne euentum belli expectasse, aut ex omnibus nouissimi venisse viderentur. Cũ in his angustiis res esset: atque omnes viæ ab Afranianis militibus, equitibúsq; obsiderẽtur: nec põtes perfici possent: imperat militibus Cæsar, vt naues faciant, cuius generis eum superioribus annis vsus Britanniæ docuerat. carinæ primum ac statu-

mina ex leui materia fiebant : reliquum corpus nauium, viminibus contextum, coriis integebatur. has perfectas carris iunctis deuehit noctu millia passuum à castris XXII. militésque his nauibus transportat: continentémque ripæ collem improuiso occupat: hunc celeriter, prius quàm ab aduersariis sentiatur, communit. huc legionem postea transducit : atque ex vtraque parte pontem institutum perficit biduo. ita commeatus, & eos qui frumenti caussa processerant, tuto ad se recipit:& rem frumentariam expedire incipit. Eodem die equitum magnam partem flumen transiecit:qui inopinantes pabulatores, & sine vllo dissipatos timore aggressi, quàm maximum numerum iumentorum, atque hominum, intercipiunt : Cohortibusque cetratis subsidio missis, scienter in duas partes sese distribuunt: alij, vt prædæ subsidio sint: alij, vt venientibus resistant, atque eos propellant: vnámque cohortem, quæ temere inter ceteras extra aciem procurrerat, seclusam à reliquis circumueniunt, atque interficiunt : incolumésque cum magna præda eodem ponte in castra reuertuntur. Dum hæc ad Ilerdam geruntur, Massilienses, vsi L. Domitij consilio, naues longas expediunt, numero XVII. quarum erant XI. tectæ, multa his minora nauigia addunt : vt ipsa multitudine nostra Classis terreatur : magnum numerum sagittariorum, magnum Albicorum, de quibus suprà demonstratum est, imponunt: atque hos præmiis, pollicitationibúsque incitant. certas sibi deposcit naues Domitius, atque has colonis, pastoribúsque, quos secum adduxerat, complet. sic, omnibus rebus instructa classe, magna fiducia ad nostras naues procedunt, quibus præerat D. Brutus. hæ ad insulam, quæ est contra Massiliam, stationes obtinebant. erat multo inferior numero nauium Brutus : sed delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, centuriones Cæsar ei classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant. ij manus ferreas, atque harpagones, parauerant : magnoque numero pilorum, tragularum, reliquorumque telorum, se instruxerant. ita, cognito hostium aduentu, suas naues ex portu educunt, cum Massiliensibus confligunt. pugnatum vtrimque est fortissimè, atque acerrimè neque multum Albici nostris virtute cedebant, homines asperi, & montani, exercitati in armis: atque ij, modò digressi à Massiliensibus, recentem eorum pollicitationem animis continebant, pastorésque indomiti, spe libertatis excitati, sub oculis domini suam probare operam studebant. ipsi Massilienses, & celeritate nauium, & scientia gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusque eorum excipiebant: &, quòd licebat latiore spatio, producta longius acie circumuenire nostros, aut pluribus nauibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere si possent, contendebant : cùm propius erat necessariò ventum, ab scientia gubernatorum, atque artificij, ad virtutem montanorum confugiebant. Nostri, quòd minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus vtebantur : qui repentè ex onerariis nauibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam grauitate, & tarditate nauium impediebantur. factæ enim subitò ex humida materia, non eundem vsum celeritatis habebant, itaque, dum locus cominus pugnandi daretur, æquo animo singulas binis nauibus obii-

A ciebant: atque iniecta manu ferrea, & retenta vtraque naue, diuersi pugnabant, atque in hostium naues transcendebant:& magno numero Albicorum, & pastorum interfecto, partem nauium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt. Eo die naues Massiliensium cum iis, quæ sunt captæ, intereũt IX. Hoc primùm Cæsari ad Ilerdam nunciatur. Simul, perfecto ponte, celeriter fortuna mutatur. illi, perterriti virtute equitum, minus liberè, minus audacter

B vagabantur. aliàs, non longo ab castris progressi spatio, vt celerem receptum haberent, angustius pabulabantur: aliàs, longiore circuitu, custodias, stationésque equitum vitabant: aut, aliquo accepto detriméto, aut procul equitatu viso, ex medio itinere, proiectis sarcinis, fugiebant: postremò etiam plures intermittere dies, & præter cõsuetudinem omnium, noctu constituerant pabulari. interim Oscenses, & Calagurritani, qui erát cum Oscensibus contributi, mittunt ad eum legatos, seséque

C imperata facturos pollicentur. hos Tarraconenses, & Lacetani, & Ausetani, & paucis pòst diebus Illurgauonenses, quos flumen Iberum attingunt, insequuntur. petit ab his omnibus, vt se frumento iuuent. pollicentur, atque omnibus vndique conquisitis iumentis, in castra deportant. trãsit etiam cohors Illurgauonensis ad eum, cognito ciuitatis consilio: & signa ex statione transfert. magna celeriter fit commutatio rerum, perfecto ponte, magnis V. ciuitatibus ad amicitiam adiunctis, expe-

D dita re frumentaria, exstinctis rumoribus de auxiliis legionum, quæ cum Pompeio per Mauritaniã venire dicebantur: multæ longinquiores ciuitates ab Afranio desciscunt, & Cæsaris amicitiam sequuntur. Quibus rebus perterritis animis aduersariorum, Cæsar, ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneũ locum, fossas pedum XXX. in altitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris auerteret, vadumque in eo flumine efficeret.

E his pæne effectis, magnum in timorem Afranius, Petreiusque perueniunt, ne omnino frumento, pabulóque intercluderẽtur: quòd multum Cæsar equitatu valebat: itaque constituunt ipsi, locis excedere, & in Celtiberiam bellum transferre. Huic consilio suffragabatur etiam illa res, quòd ex duobus contrariis generibus, quæ superiore bello cum L. Sertorio steterant, ciuitates victæ nomen, atque imperium absentis timebant : quæ in amicitia manserant Pompeij magnis affectæ

F beneficiis, eum diligebant : Cæsaris autem in barbaris erat nomen obscurius. hinc magnos equitatus, magnáque auxilia exspectabant : & suis locis bellum in hiemem ducere cogitabant. Hoc inito consilio, toto flumine Ibero naues conquirere, & Octogesam adduci iubent. id erat oppidum positum ad Iberum, milliáque passuum à castris aberat XX. ad eum locum fluminis, nauibus iunctis, pontem imperant fieri : legionésque II. flumen Sicorim transducunt : castráque muniunt vallo pedum XII.

G qua re per exploratores cognita, summo labore militum Cæsar continuato diem noctémque opere in flumine auertendo, huc iam rem deduxerat, vt equites, etsi difficulter, atque ægrè fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire, pedites verò tantum modo humeris, ac summo pectore, exstarent : vt tum altitudine aquæ, tum etiam rapiditate fluminis ad transeũdum nõ impedirẽtur. sed

tur. sed tamen eodem ferè tempore pons in Ibero propè effectus nunciabatur: & in Sicori vadum reperiebatur. Iam verò eo magis illi maturandum iter existimabant. Itaque, II. auxiliaribus cohortibus Ilerdæ præsidio relictis, omnibus copiis Sicorim transeunt, & cum II. legionibus, quas superioribus diebus transduxerant, castra coniungunt. Relinquebatur Cæsari nihil, nisi vti equitatu agmen aduersariorum malè haberet, & carperet. Pons enim ipsius magnum circuitum habebat: vt multo breuiore itinere illi ad Iberum peruenire possent. Equites. ab eo missi, flumen transeunt: & cùm de tertia vigilia Petreius, atque Afranius castra mouissent, repentè sese ad nouissimum agmen ostendunt, & magna multitudine circumfusa, morari, atque iter impedire incipiunt. Prima luce, ex superioribus locis, quæ Cæsaris castris erant coniuncta, cernebatur, equitatus nostris prœlio nouissimos illorum premi vehementer, ac nonnumquam sustinere extremum agmen, atque interrumpi, alias inferri signa, & vniuersarum cohortium impetu nostros propelli, deinde rursus conuersos insequi: totis verò castris milites circulari, & dolere, hostem ex manibus dimitti, bellum necessariò longius duci: Centuriones, Tribunósque militum adire, atque obsecrare, vt per eos Cæsar certior fieret, ne labori suo, neu periculo parceret: paratos esse sese: posse, & audere eà transire flumen, quà transductus esset equitatus. quorum studio, & vocibus excitatus Cæsar, etsi timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum obiicere, conandum tamen atque experiendum iudicat. itaque infirmiores milites ex omnibus centuriis deligi iubet, quorum aut animus, aut vires videbantur sustinere non posse. hos cum legione vna præsidio castris relinquit: reliquas legiones expeditas educit: magnoque numero iumentorum in flumine suprà, atque infrà constituto, transducit exercitum, pauci ex his militibus, vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur, ac sublevantur: interiit tamen nemo. transducto incolumi exercitu, copias instruit: triplicémque aciem ducere incipit: ac tantùm fuit in militibus studium, vt, millium VI. ad iter addito ad vadum circuitu, magnáque fluminis mora interposita, eos, qui de tertia vigilia exissent, ante horam diei IX. consequerentur. Quos vbi Afranius procul visos cum Petreio conspexit, noua re perterritus, locis superioribus constitit, aciémque instruit. Cæsar in campis exercitum reficit: ne defessum prœlio obiiciat. rursus conantes progredi insequitur, & moratur. illi necessariò maturius, quàm constituerant, castra ponunt: (suberant enim montes, atque à millibus passuum V. itinera difficilia, atque angusta, excipiebant. hos intra montes se recipiebant: vt equitatum effugerent Cæsaris: præsidiisque in angustiis collocatis, exercitum itinere prohiberent: ipsi sine periculo, ac timore, Iberum copias transducerent: (quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum) &, totius diei pugna, atque itineris labore defessi, rem in posterum diem distulerunt. Cæsar quoque in proximo colle castra ponit. media circiter nocte iis, qui, adaquandi caussa, longius à castris processerant, ab equitibus correptis, fit ab his certior Cæsar, duces aduersariorum silentio copias castris educere. Quo cognito signum dari iubet, & vasa militari more conclamari. illi, exaudito clamore, veriti, ne

A noctu, impediti, sub onere confligere cogerentur, aut ne ab equitatu Cæsaris in angustiis tenerentur, iter supprimunt, copiásque in castris continent. Postero die Petreius cum paucis equitibus occultè ad exploranda loca proficiscitur. hoc idem fit ex castris Cæsaris. Mittitur L. Decidius Saxo, cum paucis, qui loci naturam perspiciat. vterque idem suis renunciat: V. millia passuum proxima intercedere itineris campestris: inde excipere loca aspera & montuosa: qui prior B eas angustias occupauerit, ab hoc hostem prohiberi, nihil esse negotij. Disputatur in concilio à Petreio, & Afranio, & tempus profectionis quæritur. plerique censebant, vt noctu iter facerent: posse prius ad angustias veniri, quàm sentirentur. alij, quòd pridie noctu conclamatum esset in castris Cæsaris, argumenti sumebant loco, non posse clàm exiri: circumfundi noctu equitatum Cæsaris, atque omnia loca, atque itinera obsideri: nocturnaque prœlia esse vi- C tanda, quòd perterritus miles in ciuili dissensione timori magis, quàm religioni, consulere consueuerit: at lucem multùm per se pudorem omnium oculis, multum etiam Tribunorum milit. & centurionum præsentiam afferre: quibus rebus coerceri milites, & in officio contineri soleant: quare omni ratione esse interdiu perrumpendum: etsi, aliquo accepto detrimento: tamen summa exercitus salua, locum, quem petant, capi posse. Hæc vicit in concilio sen- D tentia: & prima luce postridie constituunt proficisci. Cæsar, exploratis regionibus, albente cælo, omnes copias castris educit: magnóque circuitu, nullo certo itinere exercitum ducit. nam quæ itinera ad Iberum, atque Octogesam pertinebant, castris hostium oppositis tenebantur: ipsi erant transcendendæ valles maximæ, ac difficillimæ: saxa multis locis prærupta iter impediebant: vt arma per manus necessariò transderentur: militésque inermes, sublevatique alij ab aliis magnam partem itineris conficerent: sed hunc la- E borem recusabat nemo, quòd eum omnium laborum finem fore existimabant, si hostem Ibero intercludere, & frumento prohibere potuissent. Ac primò Afraniani milites, visendi caussa, læti ex castris procurrebant, contumeliosísque vocibus prosequebantur, necessarij victus inopia coactos fugere, atque ad Ilerdam reuerti. erat enim iter à proposito diuersum: contrariámque in partem iri videbatur. Duces verò eorum suum consilium laudibus ferebant, quòd F se castris tenuissent. multúmque eorum opinionem adiuuabat: quòd sine iumentis, impedimentísque ad iter profectos videbant: vt non posse diutius inopiam sustinere, confiderent. sed, vbi paullatim retorqueri agmen ad dexteram conspexerunt: iámque primos superare regionem castrorum animaduerterunt: nemo erat adeò tardus aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum atque occurrendum putaret. Côclamatur ad arma: atque omnes copiæ, paucis præsidio relictis co- G hortibus, exeunt, rectoque ad Iberum itinere côtendunt. Erat in celeritate omne positum certamen, vtri prius angustias, montésque occuparent: sed exercitum Cæsaris viarum difficultates tardabant: Afranij copias equitatus Cæsaris insequens morabatur. res tamen ab Afranianis huc erat necessariò deducta, vt, si priores montes, quos petebant, attigissent, ipsi periculum vitarent: impedi-

menta totius exercitus, cohortésque; in castris relictas, seruare non possent: quibus interclusis exercitu Cæsaris, auxilium ferri nulla ratione poterat. confecit prior iter Cæsar: atque ex magnis rupibus nactus planiciem, in hac contra hostem aciem instruit. Afranius, cùm ab equitatu nouissimum agmen premeretur, & ante se hostem videret, collem quendam nactus, ibi constitit. ex eo loco IV. Cetratorum cohortes in montem, qui erat in cóspectu omnium excelsissimus, mittit. hunc magno cursu concitatos iubet occupare, eo consilio, vti ipse eódem omnibus copiis contenderet, & mutato itinere, iugis Octogesam perueniret. hunc cum obliquo itinere Cetrati peterent: conspicatus equitatus Cæsaris in cohortes impetum facit: nec minimam partem temporis equitum vim Cetrati sustinere potuerunt: omnésque ab his circumuenti, in conspectu vtriusque exercitus interficiuntur. Erat occasio bene gerendæ rei. neque verò id Cæsarem fugiebat, tanto sub oculis accepto detrimento, perterritum exercitum sustinere non posse, præsertim circumdatum vndique equitatu, cùm in loco æquo atque aperto, confligeretur. idque ex omnibus partibus ab eo flagitabatur. Concurrebant legati, centuriones, Tribunique mil. ne dubitaret prœlium committere: omnium esse militum paratissimos animos: Afranianos cótra multis rebus sui timoris signa misisse: quòd suis non subuenissent: quòd de colle non decederent: quòd vix equitum incursus sustinerent: collatísque in vnum locum signis conferti, neque ordines, neque signa seruarent. quòd si iniquitatem loci timeret, datum iri tamen aliquo loco pugnandi facultatem: quòd certè inde decedédum esset Afranio: nec sine aqua permanere posset. Cæsar in eam spem venerat, se, sine pugna & sine vulnere suorum, rem conficere posse: quòd re frumentaria aduersarios interclusisset. cur, etiam secundo prœlio, aliquos ex suis amitteret? cur vulnerari pateretur optimè meritos de se milites; cur denique fortunam periclitaretur? præsertim cùm non minus esset imperatoris consilio superare, quàm gladio. mouebatur etiam misericordia ciuium, quos interficiendos videbat: quibus saluis, atque incolumibus, rem obtinere malebat. hoc consilium Cæsaris à plerisque non probabatur. Milites verò palam inter se loquebantur: Quoniam talis occasio victoriæ dimitteretur, etiam cum vellet Cæsar, sese non esse pugnaturos. ille in sua sententia perseuerat: & paullum ex eo loco digreditur, vt timorem aduersariis minuat. Petreius, atque Afranius, oblata facultate, in castra sese referunt. Cæsar, præsidiis montibus dispositis, omni ad Iberum intercluso itinere, quàm proximè potest hostium castris castra communit. Postero die duces aduersariorum perturbati, quod omnem rei frumentariæ, fluminísque Iberi spem amiserant, de reliquis rebus consultabant. erat vnum iter, Ilerdam si reuerti vellent: alterum, si Tarraconem peterent. Hæc consiliantibus eis, nunciatur, aquatores ab equitatu premi nostro. qua re cognita, crebras stationes disponunt equitum, & cohortium alariarum: legionariásque interiiciút cohortes: vallumque ex castris ad aquam ducere incipiunt: vt intra munitionem & sine timore, & sine stationibus aquari possent. id opus inter se Petreius, atque Afranius, partiuntur: ipsique perficiendi operis caussa, longius progrediuntur.

A quorum discessu liberam nacti milites colloquiorum facultatem, vulgo procedunt: &, quem quisque in castris notum, aut municipem habebat, conquirit, atque vocat. primùm agunt gratias omnes omnibus, quòd sibi perterritis pridie pepercissent: eorum se beneficio viuere: deinde imperatoris fidem quærunt; recténe se illi sint commissuri: &, quod non ab initio fecerint, armáque cum hominibus necessariis, & consanguineis contulerint, conqueruntur. His prouocati sermonibus, B fidem ab imperatore de Petreij, & Afranij vita petunt: ne quod in se scelus cócepisse, ne suos prodidisse videantur. Quibus confirmatis rebus, se statim signa translaturos confirmant: legatósque de pace primorum ordinum centuriones ad Cæsarem mittunt. Interim alij suos in castra, inuitandi caussa, adducunt: alij ab suis adducuntur: adeò, vt vna castra iam facta ex binis viderentur. compluresque Tribuni militum, & centuriones ad Cæsarem veniunt, séque ei commendant. hoc C idem fit à Principibus Hispaniæ: quos illi euocauerant, & secum in castris habebant obsidum loco. ij, suos notos, hospitésque quærebát, per quem quisque eorum aditum commendationis haberet ad Cæsarem. Afranij etiam filius adolescens de sua, & parentis sui salute, cùm Cæsare, per Sulpitium legatum, agebat. erant plena lætitia, & gratulatione omnia, eorum, qui tanta pericula vitasse, & eorum, qui sine vulnere tantas res confecisse videbantur, magnúmque fructum suæ pristinæ lenitatis omnium iudicio Cæsar ferebat: con- D siliúmque eius à cúctis probabatur. Quibus rebus nunciatis Afranio, ab instituto opere discedit, séque in castra recipit: sic paratus, vt videbatur, vt, quicunque accidisset casus, hunc quieto, & æquo animo ferret. Petreius verò non deserit sese: armat familiam: cum hac, & Prætoria cohorte Cetratorum, barbarísque equitibus paucis, beneficiariis suis, quos suæ custodiæ caussa habere consueuerat, improuiso ad vallum aduolat: colloquia militum interrumpit: nostros repellit ab E castris: quos deprehendit, interficit. reliqui coeunt inter se: &, repentino periculo exterriti, sinistras sagis inuoluunt, gladiósque distringunt, atque ita se à Cetratis, equitibúsque defendunt, castrorum propinquitate confisi: séque in castra recipiunt: & ab iis cohortibus, quæ erant in statione ad portas, defenduntur. Quibus rebus confectis, flens Petreius manipulos circuit: milítésque appellat: neu se, neu Pompeium absentem, imperatorem suum aduersariis ad suppli- F cium transdant, obsecrat. fit celeriter concursus in Prætorium. Postulat, vt iurent omnes, se exercitum ducésque non deserturos, neque prodituros, neque sibi separatim à reliquis consilium capturos. Princeps in hæc verba iurat: ipse ad idem iusiurandum adigit Afranium. subsequuntur Tribuni militum, Centurionésque. Centuriatim producti milites idem iurant: edicunt, penes quem quisque sit miles Cæsaris, vt producatur, productos palàm in Prætorio interficiunt. sed plerique, G quos ceperant, celant, noctúque per vallum emittunt. sic terror oblatus à Ducibus, crudelitas in supplicio, noua religio iurisiurandi, spem præsentis deditionis sustulit, mentésque militum conuertit, & rem ad pristinam belli rationem redegit. Cæsar milites aduersariorum, qui in castra per tempus colloquij venerant, summa diligétia cóquiri, & remitti iubet. sed ex numero Tribunorum

bonorum militum, Centurionúmque, nonnulli sua voluntate apud eum remanserunt: quos ille postea magno in honore habuit: Centuriones, ampliorisque ordinis, equites Romanos in Tribunicium restituit honorem. Premebantur Afraniani pabulatione: aquabantur egrè: frumenti copiam legionarij nonnulli habebant, quòd dierum XXII. ab Ilerda frumentum iussi erant efferre. Cetrati, auxiliaréſque nullam, quorum erant & facultates ad parandum exiguæ, & corpora insueta ad onera portanda. itaque magnus eorum quotidie numerus ad Cæsarem perfugiebat. In his erat angustiis res: Sed ex propositis consiliis duobus explicitius videbatur, ad Ilerdam reuerti, quòd ibi paullulum frumenti reliquerant. ibi se reliquum consilium explicaturos confidebant. Tarraco aberat longius: quo spatio plures rem posse casus recipere intelligebant. hoc probato consilio, ex castris proficiscuntur. Cæsar equitatu præmisso, qui nouissimum agmen carperet, atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur. nullum intercedebat tempus, quin extremi cum equitibus prœliarentur. Genus erat hoc pugnæ. Expeditæ cohortes nouissimum agmen claudebant, pluribúsque in locis campestribus subsistebant: si mons erat ascendendus, facilè ipsa loci natura periculum repellebat: quòd ex locis superioribus, qui antecesserant, suos ascendentes protegebant: cùm vallis, aut locus decliuis suberat; neque ij, qui antecesserant, morantibus opem ferre poterant: equites verò ex loco superiore in auersos tela coniiciebant: tum magno erat in periculo res: tum inquirebant, vt, cùm eiusmodi esset locis appropinquatum, legionum signa consistere iuberent, magnóque impetu equitatum repellerent: eo summoto, repentè incitato cursu sese in valles vniuersi demitterent, atque ita transgressi, rursus in locis superioribus consisterent. non tantùm ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant magnum, vt eos superioribus perterritos prœliis in medium reciperent agmen, vltróque eos tuerentur: quorum nulli ex itinere excedere licebat, quin ab equitatu Cæsaris exciperetur. tali dum pugnatur modo: lentè, ac paullatim proceditur: crebróque, vt sint auxilio suis, subsistunt, vt tum accidit. millia enim progressi IV. vehementiúsque peragitati ab equitatu, montem excelsum capiunt: ibique vna à fronte contra hostem castra muniunt, neq; iumentis onera deponunt. vbi Cæsaris castra posita, tabernaculáque constituta, & dimissos equites pabulandi caussa animaduertere: sese subitò proripiunt hora circiter VI. eiusdem diei: &, spem nacti moræ, discessu nostrorum equitum, iter facere incipiunt. qua re animaduersa, Cæsar, relictis iis munitionibus, subsequitur: præsidio impedimentis paucas cohortes relinquit: hora X. subsequi pabulatores, equitésque reuocari iubet. celeriter equitatus ad quotidianam itineris officium reuertitur: pugnatur acriter ad nouissimum agmen, adeò, vt pæne terga conuertant: complurésque milites, etiam nonnulli centuriones, interficiuntur. Instabat agmen Cæsaris, atque vniuersum imminebat. Tum verò, neque ad explorandum idoneum locum castris, neque ad progrediendum data facultate, consistunt necessariò: & procul ab aqua, & natura iniquo loco, castra ponunt. sed iisdem de caussis Cæsar, quæ suprà sunt demonstratæ prœlio non lacessit, & eo

A die tabernacula statui passus non est quo paratiores essent ad insequendum omnes, siue noctu, siue interdiu erumperent. illi, animaduerso vitio castrorum, tota nocte munitiones proferunt, castráque castris connectunt. hoc idem postero die à prima luce faciunt, totúmque in ea re diem consumunt. sed, quantum opere processerant, & castra protulerant, tanto aberant ab aqua longius: & præsenti malo aliis malis remedia dabantur. prima nocte, aquandi caussa, nemo egreditur ex B castris. proximo die, præsidio in castris relicto, vniuersi, ad aquam copias educunt: pabulatum emittitur nemo. his eos supplices malis Cæsar necessariam subire deditionem, quàm prœlio decertare, malebat. conatur tamen eos vallo, fossâque circummunire: vt quàm maximè repentinas eorum eruptiones demoretur: quò necessariò descensuros existimabat. Illi, & inopia pabuli adducti, & quo essent ad id expeditiores, omnia sarcinaria iumenta interfici iubent. in his operibus, consiliisque biduum consumitur. Tertio die ma- C gna iam pars operis Cæsaris processerat. Illi impediendę rei caussa, quę munitionis caussa fiebat, hora circiter IX. signo dato, legiones educũt, aciémque sub castris instruunt. Cæsar ab opere legiones reuocat, equitatum omnem conuenire iubet, aciem instruit. contra opinionem enim militum, famámque omnium, videri prœlio diffugisse, magnum detrimentum afferebat. sed eisdem de caussis, quæ sunt cognitæ, quo minus dimicare vellet, mouebatur: atque hoc etiam magis, quod spatij D breuitas, etiam in fugam coniectis aduersariis, nõ multum ad summam victoriæ iuuare poterat. non enim amplius pedum millibus II. ab castris castra distabant. hinc duas partes acies occupabant, tertia vacabat, ad incursum atque impetum militum relicta. si prœlium committeretur, propinquitas castrorum celerem ex fuga receptum dabat. Hac de caussa constituerat signa inferentibus resistere prior prœlio non lacessere. Acies erat Afraniana duplex: legio V. & III. in subsidiis locum E Alariæ cohortes obtinebant: Cæsaris triplex: sed primam aciem quaternæ cohortes ex V. legione tenebant: has subsidiariæ ternæ, & rursus aliæ totidem suæ cuiusque legionis, subsequebantur: sagittarij, funditorésque media continebantur acie: equitatus latera cingebat. Tali instructa acie, tenere vterque propositum videbatur: Cæsar, vt, nisi coactus, prœlium non committeret: ille, vt opera Cæsaris impediret, producitur, tamen res; aciésque ad solis occasum conti- F nentur: inde vterque in castra discedunt. Postero die munitiones institutas Cæsar parat perficere: illi vadum fluminis Sicoris tentare, si transire possent. Qua re animaduersa, Cæsar Germanos leuis armaturæ, equitumque partem flumen transiicit, crebrásque in ripis custodias disponit. tandem, omnibus rebus obsessi, quartum iam diem sine pabulo retentis iumentis, aquæ, ligni, & frumenti inopia, colloquium petunt: & id si fieri possit, semoto à militibus loco. vbi id à Cæ- G sare negatum, & palàm si colloqui vellent, concessum est: datur obsidis loco Cæsari filius Afranij. venitur in eum locum, quem Cesar deligit. audiente vtroque exercitu, loquitur Afranius: Non esse aut ipsis, aut militibus succensendam, quòd fidem erga imperatorem suum Cn. Pompeium conseruare voluerint: sed satis iam fecisse officio, satísque supplicij tulisse, perpessos omnium rerũ

inopiam: nunc verò, pæne vt feminas circummunitos, prohiberi aqua, prohiberi ingressu, neque corpore dolorem, neque animo ignominiam ferre posse: itaque se victos confiteri: orare, atque obsecrare, si quis locus misericordiæ relinquatur, ne ad vltimum supplicium progredi necesse habeat. Hæc quàm potest demississimè, atque subiectissimè, exponit. Ad ea Cæsar respondit: Nulli omnium has partes, vel querimoniæ, vel miserationis, minus conuenisse: reliquos enim omnes suum officium præstitisse: se, qui, etiam bona conditione, & loco, & tempore æquo, confligere noluerit, vt quàm integerrima essent ad pacem omnia: exercitum suum, qui, iniuria etiam accepta, suisque interfectis, quos in sua potestate habuit, conseruarit, & texerit: illius denique exercitus milites, qui per se de concilianda pace egerint: qua in re omnium suorum vitę consulendum putarunt: sic omnium ordinum partes in misericordia constitisse: ipsos duces à pace abhorruisse: eos neque colloquij, neque induciarum iura seruasse: & homines imperitos, & per colloquium deceptos crudelissimè interfecisse. Accidisse igitur his, quod plerumque hominibus nimia pertinacia atque arrogantia accidere soleat, vt eò recurrant, & id cupidissimè petant, quod paullo antè contempserint: neque nunc se illorum humilitate, neque aliqua temporis opportunitate postulare, quibus rebus augeantur opes suæ, sed eos exercitus, quos contra se multos iam annos aluerint, velle dimitti: neque enim VI. legiones alia de caussa missas in Hispaniam, septimámque ibi conscriptam, neque tot, tantásque classes paratas, neque summissos duces, rei militaris peritos: nihil horum ad pacandas Hispanias, nihil ad vsum prouinciæ prouisum, quæ, propter diuturnitatem pacis, nullum auxilium desiderarit: omnia hæc iampridem contra se parari: in se noui generis imperia constitui: vt idem ad portas vrbanis præsideat rebus, & duas bellicosissimas prouincias absens tot annos obtineat: in se iura magistratuum commutari, ne ex prætura, & consulatu, vt semper, sed per paucos probati, & electi, in prouincias mittantur: in se ætatis excusationem nihil valere, quòd superioribus bellis probati ad obtinendos exercitus euocentur: in se vno non ser-

A uari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, vt, rebus feliciter gestis, aut cum honore aliquo, aut certè sine ignominia, domum reuertantur, exercitúmque dimittant. Quæ tamen omnia & se tulisse patienter, & esse laturum: neque nunc id agere, vt ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen sibi difficile non sit: sed, ne illi habeant, quo contra se vti possint: proinde, vt esset dictum, prouinciis excederent, exercitúmque dimitterent: si id sit factum, nociturum se nemini: hanc vnam, atque extremam pacis esse conditionem.
B Id verò militibus fuit pergratum, & iucundum, vt ex ipsa significatione potuit cognosci: vt, qui aliquid victi incommodi expectauissent, vltro inde præmium missionis ferrent. nam, cùm de loco, & tempore eius rei controuersia inferretur, & voce, & manibus vniuersi ex vallo, vbi constiterant, significare cœperunt, vt statim dimitterentur, neque omni interposita fide, firmum esse posse, si in aliud tempus differretur. paucis cùm
C esset in vtramque partem verbis disputatum: res huc deducitur, vt ij, qui habeant domicilium, aut possessiones in Hispania, statim: reliqui ad Varum flumen dimittantur: ne quid eis noceatur, néve quis inuitus sacramento dicere cogatur à Cæsare, cauetur. Cæsar ex eo tempore, dum ad flumen Varum veniatur, se frumentum daturum pollicetur: addit etiam, vt, si quid quisque eorum in bello amiserit, quæ sint penes milites suos, iis, qui amiserint, restituatur: militibus, æqua facta
D æstimatione, pecuniam pro iis rebus soluit, quascunque postea controuersias inter se milites habuerant, sua sponte ad Cæsarem intus adierunt. Petreius, atque Afranius cùm stipendium ab legionibus, pęne seditione facta, flagitarentur, cuius illi diem nondum venisse dicerent: Cæsar vt cognosceret, postulant: eóque vtrique, quod statuit, contenti fuerunt. Parte circiter tertia exercitus eò biduo dimissa, II. legiones suas antecedere, reliquas subsequi iussit: vt non longo inter se spatio castra facerent: eíque negotio Q. Fusium
E Calenum legatum præfecit. hos eius præscripto ex Hispania ad Varum flumen est iter factum: atque ibi reliqua pars exercitus dimissa est.

C. IV.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI

LIBER II.

CVM hæc in Hispania geruntur, C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationem Massiliæ relictus erat, duabus ex partibus aggerem, vineas, turrésque ad oppidum agere instituit. vna erat proxima portui, naualibúsque: altera ad partem, qua est aditus ex Gallia, atque Hispania ad id mare quod adigit ad ostium Rhodani. Massilia enim ferè ex III. opidi partibus mari alluitur, reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra. huius quoque spatij pars ea, quæ ad arcem pertinet, loci natura, & valle altissima munita, longam, & difficilem habet oppugnationem. ad ea perficienda opera C. Trebonius magnam iumentorum, atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina, materiámque comportari iubet. quibus comparatis rebus aggerem in altitudinem pedum LXXX. exstruit. sed tanti erant antiquitus in opido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaq; multitudo tormentorum, vt eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent. asseres enim pedum XII. cuspidibus præfixi, atque hi maximis balistis missi, per IV. ordines cratium in terra defigebantur. itaque pedalibus lignis coniunctis inter se, porticus integebatur: atque hac agger inter manus proferebatur. antecedebat testudo pedum LX. æquandi loci caussa facta: item ex fortissimis lignis, inuoluta omnibus rebus, quib. ignis iactus, & lapides defendi possunt. sed magnitudo operum, altitudo muri, atque turrium, multitudo tormentorum omnem administrationem tardabat. crebræ tamen per Albicos eruptiones fiebant ex opido, ignésque aggeri, & turribus inferebantur. quas facile nostri repellebant milites, magnisque vltro illatis detrimentis, eos, qui eruptionem fecerant, in opidum reiiciebant. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe nauium XII. in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio, Massiliensibúsque subsidio missus, freto Siciliæ, imprudente, atque inopinante Curione, peruehitur: appulsisq; Messanam nauibus, atque inde propter repentinum terrorem principum, ac senatus fuga facta, ex naualibus eorum vnam deducit. Hac adiuncta ad reliquas naues, cursum Massiliam versus perficit; præmissaque clàm nauicula, Domitium Massiliensésque de suo aduentu certiores facit, eósque magnopere hortatur, vt rursus cum Bruti classe, additis suis auxiliis confligant. Massilienses post superius incommodum, veteres ad eundem numerum ex naualibus productas naues refecerant, summaque industria armauerant, (remigum gubernatorumque magna copia suppetebat) piscatoriásque adiecerant, atque contexerant, vt essent ab ictu telorum remiges tuti. has sagittariis, tormentísque compleuerant. Tali modo instructa classe, omnium seniorum, matrumfamiliæ, virginum precibus, & fletu excitati, vt extremo tempore ciuitati subuenirent, non minore animo, ac fiducia, quàm antè dimicauerant, naues conscendunt. Communi enim fit vitio naturæ, vt inuisis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiúsque exterreamur, vt tum accidit. aduentus enim L. Nasidij summa spe, & voluntate ciuitatem compleuerat. nacti idoneum ventum, ex portu exeunt, & Tauroenta, quod est castellum Massiliensium, ad Nasidium perueniunt: ibique naues expediunt: rursúsque se ad confligendum animo confirmant, & consilia communicant. dextra pars Massiliensibus attribuitur, sinistra Nasidio. eodem Brutus contendit, aucto nauium numero. nam ad eas, quæ factæ fuerant Arelate per Cæsarem, captiuæ Massiliensium accesserant VI. has superioribus refecerat diebus, atque omnibus rebus instruxerat. itaque suos cohortatus, quos integros superassent, vt victos contemnerent, plenus spei bonæ, atque animi, aduersus eos proficiscitur. facile erat, ex castris C. Trebonij, atque omnibus superioribus locis prospicere in vrbem, vt omnis iuuentus, quæ in opido remanserat, omnésque superioris ætatis, cum liberis, atque vxoribus, publicisque custodiis, aut ex muro ad cælum manus tenderent, aut templa deorum immortalium adirent, & ante simulacra proiecti victoriam ab diis exposcerent, neque erat quisquam omnium, quæ non in eius diei casu suarum omnium fortunarum euentum consistere existimaret. nam & honesti ex iuuentute, & cuiusque ætatis amplissimi, nominatim euocati, atq; obsecrati, naues conscenderant: vt, si quid aduersi accidisset, ne ad conandum quidem sibi quicquam reliqui fore viderent: si superauissent, vel domesticis opibus, vel externis auxiliis de salute vrbis confiderent. Commisso prœlio, Massiliensibus res nulla ad virtutem defuit: sed, memores eorũ præceptorũ, quæ paullo antè ab suis acceperant, hoc animo decertabant, vt nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur: &, quibus in pugna vitæ periculum accideret, non ita multo se reliquorum ciuium fatum antecedere existimarent, quibus, vrbe capta, eadem esset belli fortuna patienda: de-

ductiſque noſtris paullatim nauibus, & artificio gubernatorum mobilitati nauium locus dabatur: & ſi quando noſtri, facultatem nacti, ferreis iniectis manibus, nauem religauerant, vndique ſuis laborantibus ſuccurrebant. Neque verò coniuncti Albicis cominus pugnando deficiebát: neq; multum cedebant virtute noſtris. ſimul ex minoribus nauibus magna vis eminus miſſa telorum, multa noſtris de improuiſo imprudentibus, atque impeditis vulnera inferebant. conſpicatæque naues triremes II. nauem D. Bruti, quæ ex inſigni facilè agnoſci poterat, II. ex partibus ſeſe in eam incitauerant: ſed tantum re prouiſa, Brutus celeritate nauis eniſus eſt, vt paruo momento antecederet. illæ adeò grauiter inter ſe incitatæ conflixerunt, vt vehementiſſimè vtræque ex concurſu laborarent: altera verò, perfracto roſtro, tota collabefieret. qua re animaduerſa, quæ proximæ ei loco ex Bruti claſſe naues erát, in eas impeditas impetum faciunt, celeritérque ambas deprimunt. Sed Naſidianæ naues nulli vſui fuerunt, celeritérque pugna exceſſerunt. non enim has aut conſpectus patriæ, aut propinquorum præcepta ad extremum vitæ periculum adire cogebant. itaque ex eo numero nauium nulla deſiderata eſt: ex Maſſilienſium claſſe V. ſunt depreſſæ, IV. captæ, I. cum Naſidianis profugit: quæ omnes citeriorem Hiſpaniam petiuerunt, at ex reliquis vna præmiſſa Maſſiliam, huius nuncij perferendi gratia, cùm iam appropinquaret vrbi, omnis ſeſe multitudo ad cognoſcendum effudit: ac, re cognita, tantus luctus excepit, vt vrbs ab hoſtibus capta eodem veſtigio videretur. Maſſilienſes tamen nihilo ſegnius ad defenſionem vrbis reliqua apparare cœperunt. Eſt animaduerſum ab legionariis, qui dexteram partem operis adminiſtrabant, ex crebris hoſtium eruptionibus magno ſibi eſſe præſidio poſſe, ſi pro caſtello, ac receptaculo, turrim ex latere ſub muro feciſſent, quam primo ad repentinos incurſus humilem, paruámque fecerant. huc ſe referebant: hinc ſi qua maior oppreſſerat vis, propugnabant: hinc ad repellendum, & proſequendum hoſtem procurrebant. patebat hæc quoquouerſus pedes XXX. ſed parietum craſſitudo pedum V. poſtea verò, vt eſt rerum omnium magiſter vſus, hominum adhibita ſollertia, inuentum eſt, magno eſſe vſui poſſe, ſi hæc eſſet in altitudinem turris elata. id hac ratione perfectum eſt. vbi turris altitudo perducta eſt ad contabulationem, eam in parietes inſtruxerunt, ita vt capita tignorum extrema parietum ſtructura tegerentur: ne quid emineret, vbi ignis hoſtium adhæreſceret. hanc inſuper contignationem, quantum tectum plutei, ac vinearum paſſum eſt, latérculo adſtruxerunt: ſupráq; eũ locum duo tigna tranſuerſa iniecerũt, non longè ab extremis parietibus, quibus ſuſpenderent eam contignationem, quæ turri tegumento eſſet futura; ſupráque ea tigna directo tranſuerſas trabes iniecerunt, eáſque aſſeribus religauerunt: has trabes paullo longiores, atque eminentiores, quàm extremi parietes erant, eſſe cœperunt, vt eſſet, vbi tegumenta præpendere poſſent, ad defendendos ictus, ac repellendos, dum inter eam contignationem parietes extruerentur: eámq; contabulationem ſummam lateribus, lutóque conſtrauerunt: ne quid ignis hoſtium nocere poſſet: centonéſque inſuper iniecerunt: ne aut tela, tormentis miſſa, tabulationem perfringerent, aut ſaxa ex catapultis latericium diſcuterent. ſtorias

A autem ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris, latas IV. pedes, fecerunt: eaſque ex III. partibus, quæ ad hoſtes vergebant, eminentibus trabibus circum turrim præpendentes religauerunt. quod vnum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo, neque tormento, tranſiici poſſe. vbi verò ea pars turris, quæ erat perfecta, tecta, atque munita eſt ab omni ictu hoſtium, pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectum per ſeipſum prehenſionibus ex contignatione prima ſuſpendere, ac tollere cœperunt: vbi,
B quantum ſtoriarum demiſſio patiebatur, tantum eleuabant. intra hæc tegumenta abditi, atque muniti, parietes lateribus extruebant: rurſúſque alia prehenſione ad ædificandum ſibi locum expediebant: vbi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item vt primò tecta, extremis lateribus inſtruebant: éxque ea contignatione rurſus ſummam contabulationem, ſtoriaſque eleuabant. ita tutò, ac ſine vllo vulnere, ac periculo VI. tabulata exſtruxerunt; feneſtraſque quibus locis
C viſum eſt, ad tormenta mittenda in ſtruendo reliquerunt. vbi ex ea turri, quæ circum eſſent, opera tueri ſe poſſe confiſi ſunt: muſculum pedum LX. longum, ex materia bipedali, quem à turri latericia ad hoſtium turrim, murúmque perducerent, facere inſtituerunt: cuius muſculi hæc erat forma. Duæ primùm trabes in ſolo æquè longè, diſtantes inter ſe pedes IV. collocantur: inque eis columnellæ pedum in altitudinem V. defiguntur. has inter ſe capreolis molli faſtigio coniun-
D gunt, vbi tigna, quæ muſculi tegendi cauſa ponant, collocentur. eò ſuper tigna bipedalia iniiciunt: eaque laminis, clauiſque religant: ad extremum muſculi tectum, trabéſque extremas: quadratas regulas IV. patentes digitos, defigunt: quæ lateres, qui ſuper muſculo ſtruantur, contineant. ita faſtigiato, atque ordinatim ſtructo, vt trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus, lutóque muſculus, vt ab igne, qui ex muro iaceretur, tutus eſſet, contegitur. ſupra lateres coria inducun-
E tur, ne canalibus aqua immiſſa lateres diluere poſſet. Coria autem, ne rurſus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. hoc opus omne, tectum, vineis, ad ipſam turrim perficiunt, ſubitóque, inopinantibus hoſtibus, machinatione nauali, phalangis ſubiectis, ad turrim hoſtium admouent, vt ædificio iungatur. Quo malo perterriti, ſubitò oppidani, ſaxa quàm maxima poſſunt vectibus promouent, præcipitataque à muro in muſculum deuoluunt. ictum firmitas materiæ
F ſuſtinet: &, quicquid incidit, faſtigio muſculi delabitur. Id vbi vident, mutant conſilium: cupas, tæda, ac pice refertas incendunt, eáſque de muro in muſculum deuoluunt. inuolutæ labuntur, & delapſæ, ab lateribus, longuriis, furcíſque ab opere remouentur. interim ſub muſculo milites vectibus infima ſaxa turris hoſtium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt. Muſculus ex turri latericia à noſtris telis, tormentíſque defenditur: hoſteſque ex muro, ac turribus ſubmouentur: non datur
G libera muri defendendi facultas. Compluribus iam lapidibus ex ea, quæ ſuberat, turri ſubductis, repentina ruina pars eius turris concidit, pars reliqua conſequens procumbebat. Tum hoſtes, vrbis repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, deorũ ira perculſi, vrbis direptione perterriti, inermes cum infulis ſeſe porta foras vniuerſi proripiunt: ad legatos, atque exercitum ſupplices manus tendunt.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI

LIBER II.

VM hæc in Hispania geruntur, C. Trebonianus legatus, qui ad oppugnationem Massiliæ relictus erat, duabus ex partibus aggerem, vineas, turrésque ad oppidum agere instituit. vna erat proxima portui, nauualibúsque: altera ad partem, qua est aditus ex Gallia, atque Hispania ad id mare quod adigit ad ostium Rhodani. Massilia enim ferè ex III. oppidi partibus mari alluitur, reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra. huius quoque spatij pars ea, quæ ad arcem pertinet, loci natura, & valle altissima munita, longam, & difficilem habet oppugnationem. ad ea perficienda opera C. Trebonius magnam iumentorum, atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina, materiámque comportari iubet. quibus comparatis rebus aggerem in altitudinem pedum LXXX. exstruit. sed tanti erant antiquitus in opido omnium rerum ad bellum apparatus, tantáq; multitudo tormentorum, vt eorum vim nullæ contextæ viminibus vineę sustinere possent. asseres enim pedum XII. cuspidibus præfixi, atque hi maximis balistis missi, per IV. ordines cratium in terra defigebantur, itaque pedalibus lignis coniunctis inter se, porticus integebatur: atque hac agger inter manus proferebatur. antecedebat testudo pedum LX. æquandi loci caussa facta: item ex fortissimis lignis, inuoluta omnibus rebus, quib. ignis iactus, & lapides defendi possunt. sed magnitudo operum, altitudo muri, atque turrium, multitudo tormentorum omnem administrationem tardabat. crebræ tamen per Albicos eruptiones fiebant ex opido: ignésque aggeri, & turribus inferebantur. quæ facilè nostri repellebant milites, magnísque vltrò illatis detrimentis, eos, qui eruptionem fecerant, in opidum reiiciebant. Interim L. Nasidius, ab Cn. Pompeio cum classe nauium XII. in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio, Massiliensibúsque subsidio missus, freto Siciliæ, imprudente; atque inopinante Curione, prouehitur: appulsísq; Messanam nauibus, atque inde, propter repentinum terrorem principum, ac senatus, fuga facta, ex naualibus eorum vnam deducit. Hac adiuncta ad reliquas naues, cursum Massiliam versus perficit: præmissaque clàm nauicula, Domitium Massiliésésque de suo aduentu certiores facit, eósque magnopere hortatur, vt rursus cum Bruti classe, additis suis auxiliis confligant. Massilienses post superius incommodum veteres ad eundem numerum

A ex naualibus productas naues refecerant, summa industria armauerant, (remigium gubernatorumque magna copia suppetebat) piscatoriásque adiecerant, atque contexerant, vt essent ab ictu telorum remiges tuti. has sagittariis, tormentísque compleuerant. Tali modo instructa classe, omniũ seniorum, matrumfamiliæ, virginum precibus, & fletu excitati, vt extremo tempore ciuitati subuenirent, non minore animo, ac fiducia, quàm antè dimicauerant, naues conscendunt. Communi enim fit vitio naturæ, vt inuisis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiúsque exterreamur, vt tum accidit. aduentus enim L. Nasidij summa spe, & voluntate ciuitatem compleuerat. nacti idoneum ventum, ex portu exeunt, & Tauroenta, quod est castellum Massiliensium, ad Nasidium perueniunt: ibíque naues expediunt: rursúsque se ad confligendum animo confirmant: & consilia communicant. dextra pars Massiliensibus attribuitur, sinistra Nasidio. eòdem Brutus contendit, aucto nauium numero. nam ad eas, quæ factæ fuerant Arelate per Cæsarem, captiuæ Massiliensium accesserant VI. has superioribus refecerat diebus, atque omnibus rebus instruxerat. itaque suos cohortatus, quos integros superauissent, vt victos contemnerent, plenus spei bonæ, atque animi, aduersus eos proficiscitur. facile erat, ex castris C. Trebonij, atque omnibus superioribus locis prospicere in vrbem, vt omnis iuuentus, quæ in opido remanserat, omnésque superioris ętatis, cum liberis, atque vxoribus, publicísque custodiis, aut ex muro ad cælum manus tenderent, aut templa deorum immortalium adirent, & ante simulacra proiecti victoriam ab diis exposcerent, neque erat quisquam omnium, quæ non in eius diei casu suarum omnium fortunarum euentum consistere existimaret. nam & honesti ex iuuentute, & cuiusque ætatis amplissimi, nominatim euocati, atq; obsecrati, naues conscenderant: vt, si quid aduersi accidisset, ne ad conandum quidem sibi quidquam reliqui fore viderent: si superauissent, vel domesticis opibus, vel externis auxiliis de salute vrbis cõfiderẽt. Commisso prœlio, Massiliẽsibus res nulla ad virtutem defuit: sed, memores eorũ præceptorũ, quæ paullo antè ab suis acceperant, hoc animo decertabant, vt nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur: &, quibus in pugna vitæ periculum accideret. non ita multo se reliquorum ciuium fatum antecedere existimarent, quibus, vrbe capta, eadem esset belli fortuna patienda: de-

ductísque nostris paullatim nauibus, & artificio gubernatorum mobilitati nauium locus dabatur: & si quando nostri, facultatem nacti, ferreis iniectis manibus, nauem religauerant, vndique suis laborantibus succurrebant. Neque verò coniuncti Albicis cominus pugnando deficiebát: neq; multum cedebant virtute nostris. simul ex minoribus nauibus magna vis eminus missa telorum, multa nostris de improuiso imprudentibus, atque impeditis vulnera inferebant. conspicatæque naues triremes II. nauem D. Bruti, quæ ex insigni facilè agnosci poterat, ii. ex partibus sese in eam incitauerant: sed tantum re prouisa, Brutus celeritaté nauis enisus est, vt paruo momento antecederet. illæ adeò grauiter inter se incitatæ conflixerunt, vt vehementissimè vtræque ex concursu laborarent: altera verò, perfracto rostro, tota collabefieret. qua re animaduersa, quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naues erát, in eas impeditas impetum faciunt, celeritérque ambas deprimunt. Sed Nasidianæ naues nulli vsui fuerunt, celeritérque pugna excesserunt. non enim has aut conspectus patriæ, aut propinquorum præcepta ad extremum vitæ periculum adire cogebant. itaque ex eo numero nauium nulla desiderata est: ex Massiliensium classe v. sunt depressæ, iv. captæ, i. cum Nasidianis profugit: quæ omnes citeriorem Hispaniam petiuerunt, at ex reliquis vna præmissa Massiliam, huius nuncij perferendi gratia, cùm iam appropinquaret vrbi, omnis sese multitudo ad cognoscendum effudit: ac, re cognita, tantus luctus excepit, vt vrbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. Massilienses tamen nihilo segnius ad defensionem vrbis reliqua apparare cœperunt. Est animaduersum ab legionariis, qui dexteram partem operis administrabant, ex crebris hostium eruptionibus magno sibi esse præsidio posse, si pro castello, ac receptaculo, turrim ex latere sub muro fecissent, quam primo ad repentinos incursus humilem, paruámque fecerant. huc se referebant: hinc si qua maior oppresserat vis, propugnabant: hinc ad repellendum, & prosequendum hostem procurrebant. patebat hæc quoquouersus pedes xxx. sed parietum crassitudo pedum v. postea verò, vt est rerum omnium magister vsus, hominum adhibita sollertia inuentum est, magno esse vsui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata. id hac ratione perfectum est. vbi turris altitudo perducta est ad contabulationem: eam in parietes instruxerunt, ita vt capita tignorum extrema parietum structura tegerentur: ne quid emineret, vbi ignis hostium adhæresceret. hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei, ac vinearum passum est, laterculo adstruxerunt: supráq; eũ locum duo tigna transuersa iniecerũt non longè ab extremis parietibus, quibus suspenderent eam contignationem, quæ turri tegumento esset futura: supráque ea tigna directo transuersas trabes iniecerunt, eásque asseribus religauerunt: has trabes paullo longiores, atq; eminentiores, quàm extremi parietes erant, effecerũt: vt esset, vbi tegumenta præpendere possent, ad defendendos ictus, ac repellendos, dum inter eam contignationem parietes extruerentur: eámq; contabulationem summam lateribus, lutóque constrauerunt: ne quid ignis hostium nocere posset: centonésque insuper iniecerunt: ne aut tela, tormentis missa, tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis latericium discuterent. storias

A autem ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris latas iv. pedes, fecerunt: eásque ex iii. partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrim præpendentes religauerunt. quod vnum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo, neque tormento, transiici posse. vbi verò ea pars turris, quæ erat perfecta, tecta, atque munita est ab omni ictu hostium, pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectum per seipsum prehensionibus ex contignatione prima suspendere, ac tollere cœperunt: vbi,

B quantum storiarum demissio patiebatur, tantum eleuabant. intra hæc tegumenta abditi, atque muniti, parietes lateribus extruebant: rursúsque alia prehensione ad ædificandum sibi locum expediebant: vbi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item vt primò tecta, extremis lateribus instruebant: éxque ea contignatione rursus summam contabulationem, storiásque eleuabant. ita tutò, ac sine vllo vulnere, ac periculo vi.

C tabulata exstruxerunt: fenestrásque quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt. vbi ex ea turri, quæ circum esset, opera tueri se posse confisi sunt: musculum pedum lx. longum, ex materia bipedali, quem a turri latericia ad hostium turrim, murúmque perducerent, facere instituerunt: cuius musculi hæc erat forma. Duæ primùm trabes in solo æquè lógè, distantes inter se pedes iv. collocantur: inque eis columnellæ pedum in altitudinem v. defiguntur. has inter se capreolis molli fastigio coniun-

D gunt, vbi tigna, quæ musculi tegendi caussa ponant, collocentur. eò super tigna bipedalia iniiciunt: eaque laminis, clauísque religant: ad extremum musculi tectum, trabésque extremas: quadratas regulas iv. patentes digitos, defigunt: quæ lateres, qui super musculo struantur, contineant. ita fastigiato, atque ordinatim structo, vt trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus, lutóque musculus, vt ab igne, qui ex muro iaceretur, tutus esset, contegitur. supra lateres coria inducun-

E tur: ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. Coria autem, ne rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. hoc opus omne, tectum, vineis, ad ipsam turrim perficiunt, subitóque, inopinantibus hostibus, machinatione nauali, phalangis subiectis, ad turrim hostium admouent, vt ædificio iungatur. Quo malo perterriti subitò oppidani, saxa quàm maxima possunt vectibus promouent, præcipitataque muro in musculum deuoluunt. Ictum firmitas materiæ

F sustinet: & quicquid incidit, fastigio musculi delabitur. Id vbi vident, mutant consilium: cupas, tæda, ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum deuoluunt. inuolutæ labuntur, delapsæ, ab lateribus, longuriis, furcísque ab opere remouentur. interim sub musculo milites vectibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt. Musculus ex turri latericia à nostris telis, tormentísque defenditur: hostésque ex muro, ac turribus submouentur: non datur

G libera muri defendendi facultas. Cõpluribus iam lapidibus ex ea, quæ suberat, turri subductis, repentina ruina pars eius turris concidit, pars reliqua cõsequẽs procũbebat. Tum hostes, turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, deorũ ira perculsi, vrbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras vniuersi proripiũt: ad legatos, atque exercitum supplices manus tẽdunt.

Qua noua re oblata, omnis administratio belli A
constitit: militesque auersi à prœlio, ad studium
audiendi, & cognoscendi feruntur. vbi hostes ad
legatos, exercitumque peruenerũt, vniuersi se ad
pedes proiiciunt: orant, vt aduentus Cæsaris ex-
pectetur, captam suam vrbem videre, opera perfe-
cta, turrim subrutam: itaque à defensione desistere:
nullam exoriri moram posse, quo minus cum ve-
nisset, si imperata non facerent, ad nutum è vesti-
gio diriperentur. docent, si omnino turris conci-
disset, non posse milites contineri, quin spe prædæ B
in vrbem irrumperent, vrbemque delerent. hæc,
atque eiusdem generis complura, vt ab hominibus
doctis, magna cum misericordia, fletuq. pro-
nuntiantur. Quibus rebus commoti legati, mili-
tes ex opere deducunt, oppugnatione desistunt,
operibus custodias relinquunt. Induciarum quo-
dam genere misericordia facto, aduentus Cæsaris
exspectatur: nullum ex muro, nullum à nostris
mittitur telum: vt re confecta, omnes curam, &
diligentiam remittunt. Cæsar enim per literas C
Trebonio magnopere mandauerat, ne per vim
opidum expugnari pateretur, ne grauius permoti
milites, & defectionis odio, & contemptione sui,
& diutino labore, omnes puberes interficerent
quod se facturos minabantur: ægréque tunc sunt
retenti, quin opidum irrumperent: grauitérq. re
eam rem tulerunt, quod stetisse per Treboniũ
quo minus opido potirentur, videbatur. At hostes
sine fide tempus, atque occasionem fraudis, ac do-
li, quærunt. Interiectis aliquot diebus, nostris lan- D
guentibus, atque animo remissis, subitò, meridia-
no tempore, cum alius discessisset, alius ex diuti-
no labore in ipsis operibus quieti se dedisset, ar-
ma verò omnia reposita, contectaq. essent, portis se
foras erumpunt. secundo magnoque vento ignem
operibus inferunt; hũc sic distulit ventus, vti vno
tempore agger, plutei, testudo, turris, tormentaq.
flammam conciperent, & prius hæc omnia con-
sumerentur, quàm quemadmodum accidisse, ani-
maduerti posset. Nostri, repentina fortuna per- E
moti, arma, quæ possunt, arripiunt, alij ex castris
sese incitant. fit in hostes impetus eorum: sed mu-
ro, sagittis, tormentisque fugientes persequi pro-
hibentur. Illi sub murum se recipiunt, ibiq. mus-
culum, turrimque latericiam liberè incendunt.
ita multorum mensium labor, hostiũ perfidia, &
vi tempestatis, puncto temporis interiit. Tentaue-
runt hoc idem Massilienses: postero die eandem
nacti tempestatem, maiori cum fiducia ad alterã
turrim aggerémque eruptione pugnauerunt, mul-
tumque ignem intulerunt: sed, vt superioris tem- F
poris contentionem nostri omnem remiserant,
ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defen-
sionẽ parauerant. itaque multis interfectis: reli-
quos, infecta re, in opidum repulerunt. Trebo-
nius ea, quæ sunt amissa, multo maiore studio
militum administrare, & reficere instituit. nam
vbi tantos suos labores, & apparatus, malè ceci-
disse viderunt, inductisq. per scelus violatis, suam
virtutem irrisui fore perdoluerunt: quòd vnde ag-
ger omnino comportari posset, nihil erat reliquũ G
omnibus arboribus lõgè, latéque in finibus Mas-
siliensium excisis, & conlectis, aggerem noui ge-
neris, atque inauditũ ex latericiis duobus muris
senum pedum crassitudine, atque eorum murorũ
contignationẽ facere instituerũt, æqua ferè la-
titudine, atque ille congestus ex materia fuerat
agger. vbi autem spatium inter muros, aut imbe-

cillitas materiæ postulare videretur, pilæ interpo-
nuntur, transuersaria tigna iniiciuntur, quæ fir-
mamento esse possint. &, quicquid est contigna-
tum, cratibus consternitur, cratésque luto inte-
guntur. Sub tecto miles dextera, ac sinistra muro
tectus, aduersus plutei obiectu, operi quæcunque
vsui sunt, sine periculo supportat. celeriter res ad-
ministratur: diuturni laboris detrimentum soller-
tia, & virtute militum breui reconcinnatur. Por-
tæ quibus locis videtur, eruptionis caussa in muro
relinquuntur. quod vbi hostes viderunt, ea quæ
diu, longóque spatio refici non posse sperassent,
paucorum dierum opera, & labore ita refecta, vt
nullus perfidiæ, neque eruptioni locus esset: ne-
que quidquam omnino relinqueretur, quo aut vi
militibus, aut igni operibus noceri posset: eodém-
que exemplo sentiunt totam vrbem quà sit aditus
ab terra, muro, turribúsque circumiri posse: sic, vt
ipsis consistendi in suis munitionibus locus non
esset: cùm pene ædificata in muris ab exercitu no-
stro mœnia viderentur: ac tela manu coniicerren-
tur: suorúmque tormentorum vsum, quibus ipsi
magna sperauissent, spatio propinquitatis interi-
re paruq; conditione è muro: ac turribus bellandi
data, virtute se nostris adæquare non posse intel-
ligunt: ad easdem deditionis conditiones recur-
runt. M. Varro in vlteriore Hispania, initio, co-
gnitis iis rebus, quæ sunt in Italia gestæ, diffidens
Pompeianis rebus, amicissimè de Cæsare loque-
batur: Præoccupatum sese legatione ab Cn. Pom-
peio teneri obstrictum fide: necessitudinem qui-
dem sibi nihilo minorem cum Cæsare intercede-
re: neque se ignorare, quod esset officium legati
qui fiduciariam operam obtineret, quę vires suæ,
quæ voluntas erga Cæsarem totius prouinciæ.
Hęc omnibus ferebat sermonibus, neque se in vl-
lam partem mouebat. postea verò, cùm Cæsa-
rem ad Massiliam detineri cognouit, copias Pe-
treij cum exercitu Afranij esse coniũctas, magna
auxilia conuenisse, magna esse in spe atque exspe-
ctatione, & consentire omnem citeriorem pro-
uinciam, quæque postea acciderant, de angustiis
ad Ilerdam rei frumentariæ accepit: atque hæc ad
eum latius, atque inflatius Afranius perscribebat:
se quoque ad motum fortunæ mouere cœpit; de-
lectum habuit tota prouincia: legionibus com-
pletis II. cohortes circiter XXX. alarias addidit;
frumenti magnum numerum coegit, quod Massi-
liensibus, item quòd Afranio, Petreioque mitteret
naues longas X. Gaditanis, vt facerent, imperauit;
complures præterea Hispali faciendas curauit: pe-
cuniam omnem omniáque ornamenta ex fano
Herculis in opidum Gades contulit. eò VI. cohor-
tes, præsidij caussa, ex prouincia misit: Caiúmque
Gallonium equitem Romanum, familiarem Do-
mitij; qui eò, procurandę hæreditatis caussa, vene-
rat, missus à Domitio, opido Gadibus præfecit: ar-
ma omnia priuata, & publica, in domum Gallo-
nij contulit: ipse habuit graues in Cæsarem con-
ciones: sæpe ex tribunali prædicauit, aduersa Cæ-
sarem prœlia fecisse, magnum numerum ab eo
militum ad Afranium perfugisse: hęc se certis nũ-
ciis, certis auctoribus comperisse. Quibus rebus
perterritis ciuibus Romanis eius prouinciæ, sibi
ad Remp. administrandam H.S. CXC. millia, & ar-
genti pondo XX. millia, tritici modios CXX. millia
polliceri cogit. quas Cæsari esse amicas ciuitates
arbitrabatur, iis grauiora onera iniungebat: qui
verba, atq; orationem aduersus Remp. habuissent,

eorum bona in publicum addicebat, præſidiaque eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat: prouinciam omnem in ſua, & Pompeij verba per iuſiurandum adigebat. Cognitis iis rebus, quæ ſunt geſtæ in citeriore Hiſpania, parabat bellum. Ratio autem hæc erat belli, vt ſe cum II. legiones Gadis conferret, naues, frumentumq. omne ibi contineret. prouinciam enim omnem Cæſaris rebus fauere cognouerat, in inſula, frumento, nauibuſq. comparatis bellum duci, non difficilè exiſtimabat. Cæſar, etſi multis, neceſſariiſque rebus in Italiam reuocabatur, tamen cōſtituerat nullam partem belli in Hiſpania relinquere, quod magna eſſe Pompeij beneficia, & magnas clientelas in citeriore prouincia, ſciebat. itaque, duabus legionibus miſsis in vlteriorem Hiſpaniam cum Q. Caſſio, Tribuno pl. ipſe cum equitibus D. C. magnis itineribus, progreditur, edictumque præmittit, ad quam diem magiſtratus, principéſque omnium ciuitatum ſibi eſſe præſto Cordubæ vellet. quo edicto tota prouincia peruulgato, nulla fuit ciuitas quin ad id tempus partē ſenatus Cordubam mitteret: nullusve ciuis Romanus paullo notior, quin ad diem conueniret. ſimul ipſe Cordubæ cōuentus per ſe portas Varroni clauſit: cuſtodias, vigiliaſque in muro, turribuſque diſpoſuit. Cohortes II. quæ Colonicæ appellabantur, cum eò caſu veniſſent, tuendi opidi cauſſa, apud ſe retinuit. Iiſdem diebus Carmonenſes, quæ eſt longè firmiſsima totius prouinciæ ciuitas, deductis III. in arcem opidi cohortibus à Varrone præſidio, per ſe cohortes eiecit, portaſque præcluſit. Hoc verò magis properare Varro, vt cum legionibus quamprimum Gades cōtenderet: ne itinere, aut tranſiectu intercluderetur. tanta, ac tam ſecunda in Cæſarē voluntas prouinciæ reperiebatur. Progreſſo ei paullo longius literæ à Gadibus redduntur: ſimul atque cognitum ſit de edicto Cæſaris, conſenſiſſe Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quæ eſſent ibi in præſidio, vt Gallonium ex opido expellerent, vrbem inſulamque Cæſari ſeruarent. Hoc inito conſilio, denunciauiſſe Gallonio, vt ſua ſponte, dum ſine periculo liceret, excederet Gadibus: ſi id non feciſſet, ſibi conſilium capturos. Hoc timore adductum Gallonium Gadibus exceſſiſſe. His cognitis rebus, altera ex II. legionibus, quæ Vernacula appellabatur: ex caſtris Varronis, adſtante, & inſpectante ipſo, ſigna ſuſtulit, ſeſeque Hiſpalim recepit, atque in foro, & porticibus ſine maleficio cōſedit. quod factum adeò eius cōuentus ciues Romani comprobauerunt, vt domum ad ſe quiſque hoſpitio cupidiſſimè reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, cum itinere conuerſo, ſeſe Ilapam Italicam venturum promiſiſſet, certior à ſuis factus eſt, præcluſas eſſe portas. Tum verò, omni interclusus itinere, ad Cæſarem mittit, paratum ſe eſſe, legionem, cui iuſſerit, tranſdere. Ille ad eum Sex. Cæſarē mittit, atque huic tranſdi iubet. Tranſdita legione, Varro Cordubam ad Cæſarem venit relatis ad eum publicis rationibus cum fide, quod penes eum eſt pecuniæ, tranſdit, & quod vbique habeat frumenti, ac nauium, oſtendit. Cæſar, habita cōcione Cordubæ, omnibus generatim gratias agit: ciuibus Romanis, quòd opidum in ſua poteſtate ſtuduiſſent habere: Hiſpanis, quòd præſidia expuliſſent: Gaditanis, quòd conatus aduerſariorum infregiſſent, ſeſeque in libertatem vindicaſſent, Tribunis mil. Centurionibuſque qui eò

A præſidij cauſſa venerant: quòd eorum cōſilio ſua virtutē confirmaſſent: pecunias, quas erant in publicum Varroni ciues Romani polliciti, remittit: bona reſtituit iis, quos liberius locutos hanc pœnam tuliſſe cognouerat, tributis quibuſdam publicis, priuatiſque præmiis: reliquos in poſterum bona ſpe complet: biduumque Cordubæ commoratus, Gades proficiſcitur, pecunias, monumētaque, quæ ex fano Herculis collata erant in priuatam domum, referri in tēplum iubet. prouinciæ

B Q. Caſſium præficit: huic IV. legiones attribuit: ipſe iis nauibus, quas M. Varro, quaſque Gaditani iuſſu Varronis fecerant, Tarraconē paucis diebus peruenit. Ibi totius ferè citerioris Prouinciæ legationes Cæſaris aduentum exſpectabant. Eadem ratione priuatim, ac publicè quibuſdam ciuitatibus habitis honoribus, Tarracone diſcedit: pedibuſq. Narbonē, atque deinde Maſſiliā peruenit: ibi, legem de Dictatore latā, ſeſeque Dictatorem dictum a M. Lepido Prætore, cognoſcit. Maſ-

C ſilienſes, omnibus defeſſi malis, rei frumentariæ ad ſummam inopiam adducti, bis prœlio nauali ſuperati, crebris eruptionibus fuſi, graui etiā peſtilentia conflictati, ex diutina concluſione, & mutatione victus (panico enim vetere, atque hordeo corrupto omnes alebantur: quod, ad huiuſmodi caſus antiquitus paratū, in publicum contulerant) deiecta turri. labefacta magna parte muri, auxiliis prouinciarum, & exercituum deſperatis, quos in Cæſaris poteſtatem veniſſe cognouerant, ſeſe dedere ſine fraude cōſtituunt. ſed paucis

D antè diebus L. Domitius, cognita Maſſilienſium voluntate, nauibus III. comparatis, ex quibus II. familiaribus ſuis attribuerat, vnam ipſe conſcenderat, nactus turbidam tempeſtatē, eſt profectus. Hunc conſpicatæ naues, quæ iuſſu Bruti, conſuetudine quotidiana, ad portum excubabant, ſublatis anchoris ſequi cœperunt. ex iis vnum ipſius nauigium contendit, & fugere perſeuerauit, auxilioque tempeſtatis ex conſpectu abiit: duo perterrita concurſu noſtrarum nauium, ſeſe in portum

E receperunt. Maſſilienſes arma, tormentaque ex opido, vt eſt imperatum, proferunt: naues ex portu, naualibuſque educunt: pecuniam ex publico tranſdunt. Quibus rebus confectis, Cæſar magis eos pro nomine, & vetuſtate, quam pro meritis in ſe ciuitatis, conſeruans, II. ibi legiones præſidio relinquit: ceteras in Italiam mittit: ipſe ad vrbem proficiſcitur. Iiſdem temporibus C. Curio, in Africā profectus ex Sicilia, & iam ab initio copias P. Atij Vari deſpiciens, II. legiones ex IV. quas à

F Cæſare acceperat, & D. equites tranſportabat: biduoque, & noctibus III. nauigatione conſumptis, appulit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus abeſt à Clupeis paſſuum XXII. millia, habetque non incommodam æſtate ſtationem. & duobus eminentibus promontoriis continetur. Huius aduentum L. Cæſar filius cum X. longis nauibus ad Clupeam præſtolans, (quas naues Vticæ ex prædonum bello ſubductas, P. Atius reficiendas, huius belli cauſſa, curauerat) veritusque na-

G uium multitudinem, ex alto refugerat: appulſaque ad proximum litus trireme conſtrata, & in litore relicta, pedibus Adrumetum profugerat. id opidum C. Cōſidius Longus, vnius legionis præſidio, tuebatur. reliquæ Cæſaris naues eius fuga Adrumetū ſe receperūt. Hunc ſequutus M. Rufus Quæſtor nauibus XII. quas præſidio onerariis nauibus Curio ex Sicilia eduxerat, poſtquā relictā

in lito

Qua noua re oblatá, omnis administratio belli constitit: militesque auersi à prœlio, ad studium audiendi, & cognoscendi feruntur. vbi hostes ad legatos, exercitumque peruenerũt, vniuersi se ad pedes proiiciunt: orant, vt aduentus Cæsaris expectetur, captam suam vrbem videre, opera perfecta, turrim subrutam: itaque à defensione desistere nullam exoriri moram posse, quo minus cum venisset, si imperata non facerent, ad nutum è vestigio diriperentur. docent, si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe prædę in vrbem irrumperent, vrbémque delerent. hæc, atque eiusdem generis complura, vt ab hominibus doctis, magna cum misericordia, fletuq. pronunciantur. Quibus rebus commoti legati, milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt, operibus custodias relinquunt. Induciarum quodam genere misericordia facto, aduentus Cęsaris exspectatur: nullum ex muro, nullum à nostris mittitur telum: vt re confecta, omnes curam, & diligentiam remittunt. Cæsar enim per literas Trebonio magnopere mandauerat, ne per vim oppidum expugnari pateretur, ne grauius permoti milites, & defectionis odio, & contemptione sui, & diuturno labore, omnes puberes interficerent quod se facturos minabantur: ægréque tunc sunt retenti, quin oppidum irrumperent: grauitérque eam rem tulerant, quod stetisse per Treboniũ quo minus oppido potirentur, videbatur. At hostes sine fide tempus, atque occasionem fraudis, ac doli, quęrunt. Interiectis aliquot diebus, nostris languentibus, atque animo remissis, subitò, meridiano tempore, cum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma verò omnia reposita, contectaq. essent, portis se foras erumpunt: secundo magnoque vento ignem operibus inferunt; hũc sic distulit ventus, vti vno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormentaq. flammam conciperent, & prius hæc omnia consumerentur, quàm quemadmodum accidisse, animaduerti posset. Nostri, repentina fortuna permoti, arma, quæ possunt, arripiunt, alij ex castris sese incitant: fit in hostes impetus eorum: sed muro, sagittis, tormentisque fugientes persequi prohibentur. Illi sub murum se recipiunt, ibiq. musculum, turrimque latericiam liberè incendunt. ita multorum mensium labor, hostiũ perfidia, & vi tempestatis, puncto temporis interiit. Tentauerunt hoc idem Massilienses: postero die eandem nacti tempestatem, maiori cum fiducia ad alterá turrim aggerémq. eruptione pugnauerunt, multumque ignem intulerunt: sed, vt superioris temporis contentionem nostri omnem remiserant, ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defensionem parauerant. itaque multis interfectis: reliquos, infecta re, in oppidum repulerunt. Trebonius ea, quæ sunt amissa, multo maiore studio militum administrare, & reficere instituit. nam vbi tantos suos labores, & apparatus, malè cecidisse viderunt, inducijsq. per scelus violatis, suam virtutem irrisui fore perdoluerunt: quod vnde agger omnino comportari posset, nihil erat reliquũ omnibus arboribus lõgè, latéque in finibus Massiliensium excisis, & conuectis, aggerem noui generis, atque inauditũ ex latericiis duobus muris senum pedum crassitudine, atque eorum murorũ contignationẽ facere instituerunt, æqua ferè latitudine, atque ille congestus ex materia fuerat agger. vbi autem spatium inter muros, aut imbe-

A cillitas materiæ postulare videretur, pilæ interponuntur, transuersaria tigna iniiciuntur, quæ firmamento esse possint: &, quicquid est contignatum, cratibus consternitur, cratésque luto integuntur. Sub tecto miles dextera, ac sinistra muro tectus, aduersus plutei obiectu, operi quæcunque vsui sunt, sine periculo supportat. celeriter res administratur: diuturni laboris detrimentum sollertia & virtute militum breui reconcinnatur. Portę quibus locis videtur, eruptionis caussa in muro

B relinquuntur. quod vbi hostes viderunt, ea quæ diu, longóque spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum opera, & labore ita refecta, vt nullus perfidiæ, neque eruptioni locus esset: neque quidquam omnino relinqueretur, quo aut vi militibus, aut igni operibus noceri posset: eodémque exemplo sentiunt totam vrbem quà sit aditus ab terra, muro, turribúsque circumiri posse: sic, vt ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset: cùm pene ædificata in muris ab exercitu no-

C stro mœnia viderentur: ac tela manu coniicerentur, suorúmque tormentorum vsum, quibus ipsi magna sperauissent, spatio propinquitatis interire pariq; conditione è muro: ac turribus bellandi data, virtute se nostris adæquare non posse intelligunt: ad easdem deditionis conditiones recurrunt. M. Varro in vlteriore Hispania, initio, cognitis iis rebus, quæ sunt in Italia gestæ, diffidens Pompeianis rebus, amicissimè de Cæsare loquebatur: Præoccupatum sese legatione, ab Cn. Pom-

D peio teneri obstrictum fide: necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Cæsare intercedere: neque se ignorare, quod esset officium legati qui fiduciariam operam obtineret, quę vires suæ, quæ voluntas erga Cæsarem totius prouinciæ. Hęc omnibus ferebat se monibus, neque se in vllam partem mouebat. posteà verò, cùm Cæsarem ad Massiliam detineri cognouit, copias Petreij cum exercitu Afranij esse coniũctas, magna auxilia conuenisse, magna esse in spe atque exspe-

E ctatione, & consentire omnem citeriorem prouinciam, quæque postea acciderant, de angustiis ad Ilerdam rei frumentariæ accepit: atque hæc ad eum latius, atque inflatius Afranius perscribebat: se quoque ad motum fortunæ mouere cœpit; delectum habuit tota prouincia: legionibus completis II. cohortes circiter XXX. alarias addidit; frumenti magnum numerum coegit, quod Massiliensibus, item quod Afranio, Petreioque mitteret naues longas X. Gaditanis, vt facerent, imperauit,

F complures præterea Hispali faciendas curauit: pecuniam omnem omniáque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit. eò VI. cohortes, præsidij caussa, ex prouincia misit: Caiúmque Gallonium equitem Romanum, familiarem Domitij, qui eò, procurandę hæreditatis caussa, venerat, missus à Domitio, oppido Gadibus præfecit: arma omnia priuata, & publica, in domum Gallonij contulit: ipse habuit graues in Cæsarem conciones: sæpe ex tribunali prædicauit, aduersa Cæ-

G sarem prœlia fecisse, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse: hęc se certis nũciis, certis auctoribus comperisse. Quibus rebus perterritis ciuibus Romanis eius prouinciæ, sibi ad Remp. administrandam H.S. CXC. millia, & argenti pondo XX. millia, tritici modios CXX. millia polliceri cogit. quas Cæsari esse amicas ciuitates arbitrabatur, iis grauiora onera iniungebat: qui verba, atq; orationem aduersus Remp. habuissent,

eorum bona in publicum addicebat, præsidiaque eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat: prouinciam omnem in sua, & Pompeij verba per iusiurandum adigebat. Cognitis iis rebus, quæ sunt gestæ in citeriore Hispania, parabat bellum. Ratio autem hæc erat belli, vt se cum II. legiones Gades conferret, naues, frumentumq. omne ibi contineret. prouinciam enim omnem Cæsaris rebus fauere cognouerat, in insula, frumento nauibusq; comparatis bellum duci, non difficile existimabat. Cæsar, etsi multis, necessariisque rebus in Italiam reuocabatur, tamen cōstituerat nullam partem belli in Hispania relinquere, quod magna esse Pompeij beneficia, & magnas clientelas in citeriore prouincia, sciebat. itaque, duabus legionibus missis in vlteriorem Hispaniam cum Q. Cassio, Tribuno pl. ipse cum equitibus D C. magnis itineribus progreditur, edictumque præmittit, ad quam diem magistratus, principésque omnium ciuitatum sibi esse præsto Cordubæ vellet. quo edicto tota prouincia peruulgato, nulla fuit ciuitas quin ad id tempus partē senatus Cordubam mitteret: nullusve ciuis Romanus paullo notior, quin ad diem conueniret. simul ipse Cordubæ cōuentus per se portas Varroni clausit: custodias, vigiliasque in muro, turribusque disposuit. Cohortes II. quæ Colonicæ appellabantur, cum eò casu venissent, tuendi oppidi caussa, apud se retinuit. Iisdem diebus Carmonenses, quę est longè firmissima totius prouinciæ ciuitas, deductis III. in arcem oppidi cohortibus à Varrone præsidio, per se cohortes eiecit portasque præclusit. Hoc verò magis properare Varro, vt cum legionibus quamprimum Gades cōtenderet: ne itinere, aut traiectu intercluderetur. tanta, ac tam secunda in Cæsarē voluntas prouinciæ reperiebatur. Progresso ei paullo longius literæ à Gadibus redduntur: simul atque cognitum sit de edicto Cæsaris, consensisse Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quæ essent ibi in præsidio, vt Gallonium ex oppido expellerent, vrbem insulamque Cęsari seruarent. Hoc inito consilio, denunciauisse Gallonio, vt sua sponte, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus: si id non fecisset, sibi consilium capturos. Hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis rebus, altera ex II. legionibus, quæ Vernacula appellabatur: ex castris Varronis, adstante, & inspectante ipso, signa sustulit, seseque Hispalim recepit, atque in foro, & porticibus sine maleficio cōsedit. quod factum adeò eius cōuentus ciues Romani comprobauerunt, vt domum ad se quisque hospitio cupidissimè reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, cum itinere conuerso, sese Ilapam Italicam venturum promisisset, certior à suis factus est, præclusas esse portas. Tum verò, omni interclusus itinere, ad Cæsarem mittit, paratum se esse, legionem, cui iusserit, transdere. Ille ad eum Sex. Cęsarē mittit, atque huic transdi iubet. Transdita legione, Varro Cordubam ad Cæsarem venit: relatis ad eum publicis rationibus cum fide quod penes eum est pecuniæ, transdit, & quod vbique habeat frumenti, ac nauium, ostendit. Cæsar, habita cōcione Cordubæ, omnibus generatim gratias agit: ciuibus Romanis, quòd oppidum in sua potestate studuissent habere: Hispanis, quòd præsidia expulissent: Gaditanis, quòd conatus aduersariorum infregissent, seseque in libertatem vindicassent, Tribunis mil. Centurionibusque qui eò

A præsidij caussa venerant: quòd eorum cōsilia sua virtute confirmassent: pecunias, quas erant in publicum Varroni ciues Romani polliciti, remittit: bona restituit iis, quos liberius locutos hanc pœnam tulisse cognouerat, tributis quibusdam publicis, priuatisque præmiis: reliquos in posterum bona spe complet: biduumque Cordubæ commoratus, Gades proficiscitur, pecunias, monumētaque quæ ex fano Herculis collata erant in priuatam domum, referri in tēplum iubet. prouinciæ

B Qu. Cassium præficit: huic IV. legiones attribuit: ipse iis nauibus, quas M. Varro, quasque Gaditani iussu Varronis fecerant, Tarracone paucis diebus peruenit. Ibi totius ferè citerioris Prouinciæ legationes Cæsaris aduentum exspectabant. Eadem ratione priuatim, ac publicè quibusdam ciuitatibus habitis honoribus, Tarracone discedit: pedibusq. Narbone, atque deinde Massiliam peruenit. ibi, legem de Dictatore latā, seseque Dictatorem dictum à M. Lepido Prætore, cognoscit. Massilienses, omnibus defessi malis, rei frumentariæ

C ad summam inopiam adducti, bis prœlio nauali superati, crebris eruptionibus fusi, graui etiā pestilentia conflictati, ex diutina conclusione, & mutatione victus (panico enim vetere, atque hordeo corrupto omnes alebantur: quod, ad huiusmodi casus antiquitus paratū, in publicum contulerant) deiecta turri, labefacta magna parte muri, auxiliis prouinciarum, & exercituum desperatis, quos in Cæsaris potestatem venisse cognouerant, sese dedere sine fraude cōstituunt. sed paucis

D antè diebus L. Domitius, cognita Massiliensium voluntate, nauibus III. comparatis, ex quibus II. familiaribus suis attribuerat, vnam ipse conscenderat, nactus turbidam tempestatē, est profectus. Hunc conspicatæ naues, quæ iussu Bruti, consuetudine quotidiana, ad portum excubabant, sublatis anchoris sequi cœperunt. ex iis vnum ipsius nauigium contendit, & fugere perseuerauit, auxilioque tempestatis ex conspectu abiit: duo perterrita concursu nostrarum nauium, sese in portum

E receperunt. Massilienses arma, tormentaque ex oppido, vt est imperatum, proferunt: naues ex portu, naualibusque educunt: pecuniam ex publico transdunt. Quibus rebus confectis, Cæsar magis eos pro nomine, & vetustate, quàm pro meritis in se ciuitatis, conseruans, II. ibi legiones præsidio relinquit: cęteras in Italiam mittit: ipse ad vrbem proficiscitur. Iisdem temporibus C. Curio, in Africā profectus ex Sicilia, & iam ab initio copias P. Attij Vari despiciens, II. legiones ex IV. quas à

F Cæsare acceperat, & D. equites transportabat: biduoque, & noctibus III. nauigatione consumptis, appulit ad eum locum, qui appellatur Aquillaria. Hic locus abest à Clupeis passuum XXII. millia, habetque non incommodam æstate stationem, & duobus eminentibus promontoriis continetur. Huius aduentum L. Cæsar filius cum X. longis nauibus ad Clupeam præstolans, (quas naues Vticæ ex prædonum bello subductas, P. Attius reficiendas huius belli caussa, curauerat) veritus nauium

G multitudinem, ex alto refugerat, appulsaque ad proximum litus triremi constrata, & in litore relicta, pedibus Adrumetum profugerat. id oppidum C. Considius Longus, vnius legionis præsidio, tuebatur. reliquæ Cæsaris naues eius fuga Adrumetū se receperūt. Hunc secutus M. Rufus Quæstor nauibus XII. quas præsidio onerariis nauibus Curio ex Sicilia eduxerat, postquā relictā

in lito

in litore nauem conspexit, hanc remulco abstraxit, ipse ad Curionē cum classe redit. Curio Marcum Vticam nauibus præmittit: ipse eodem cum exercitu proficiscitur: biduique iter progressus, ad flumen Bagradam peruenit: ibi C. Caniniū Rebilum legatum cum legionibus relinquit: ipse cum equitatu antecedit ad castra exploráda Corneliana, quòd is locus peridoneus castris habebatur. id autem est iugum directum eminēs in mare, vtraque ex parte præruptum atque asperum, sed paullo tamen leniore fastigio ab ea parte, quę ad Vticam vergit. abest directo itinere ab Vtica paullo amplius passuū ∞. sed hoc itinere est fōs, quo mare succedit longius, latéq; is locus restagnat: quē si quis vitare voluerit, vi. millium circuitu in oppidum perueniet. Hoc explorato loco, Curio castra Vari conspicit, muro opidoque coniuncta ad portam, quæ appellatur Bellica, admodum munita natura loci, vna ex parte ipso opido Vtica altera Theatro, quod est ante opidum, substructionibus eius operis maximis aditu ad castra difficili, & augusto simul animaduertit, multa vndique portari, atque agi plenissimis viis, quæ, repentini tumultus timore, ex agris in vrbem conferebantur. Huc equitatum mittit, vt diriperet, atque haberet loco prædæ, eodemque tempore his rebus subsidio DC. equites Numidæ ex opido, peditesque CD. mittūtur à Varo: quos auxilij caussa rex Iuba paucis diebus ante Vticam miserat. huic & paternum hospitium cum Pompeio & simultas cum Curione intercedebant: quòd Tribunus pl. legem promulgauerat, qua lege regnum Iubę publicauerat. Concurrunt equites inter se. neque verò primum impetum nostrorum Numidæ ferre potuerunt: sed interfectis circiter cxx. reliqui se in castra ad opidum receperunt. Interim, aduentu longarum nauium, Curio pronunciari onerarijs nauibus iubet: quæ stabant ad Vticam numero circiter cc. se in hostium habiturum loco, qui non è vestigio ad castra Corneliana vela direxisset. Qua pronunciatione facta temporis puncto, sublatis anchoris, omnes Vticam relinquunt, &, quò imperatum est, transeunt. quæ res omnium rerum copia compleuit exercitum. His rebus gestis, Curio se in castra ad Bagradam recepit, atq. vniuersi exercitus conclamatione Imperator appellatur. postero die Vticam exercitum ducit, & prope opidum castra ponit. nondum opere castrorum perfecto, equites ex statione nunciant, magna auxilia equitum, peditumque ab rege missa Vticam venire. eodemque tempore vis magna pulueris cernebatur: & vestigio temporis primum agmen erat in conspectu. Nouitate rei Curio permotus, præmittit equites, qui primū impetum sustineāt ac morentur: ipse celeriter, ab opere deductis legionibus, aciem instruit: equitesque committunt prœlium: & prius, quàm planè legiones explicari, & consistere possent: tota auxilia regis impedita, ac perturbata, quòd nullo ordine, & sine timore, iter fecerant, in fugam se coniiciunt: equitatumque omni ferè incolumi, quod se per litora celeriter in opidum recepit, magnum peditum numerum interficiunt. Proxima nocte centuriones Marsi II. ex castris Curionis, cum manipularibus suis XXII. ad Attium Varū perfugiunt. ij, seu verè, quam habuerant opinionem perferunt, siue etiā auribus Vari seruiunt, (nam, quæ volumus, & credimus libenter: &, quę sentimus, ipsi reliquos sentire speramus) confirmant quidem certè, totius

A exercitus animos alienos esse à Curióne, maximè opus esse in conspectum exercitū venire, & colloquendi dare facultatem. Qua opinione adductus Varus, postero die mane legiones ex castris educit. facit idem Curio: atque, vna valle non magna interiecta, suas vterq. copias instruit. Erat in exercitu Vari Sex. Quintilius Varus: quē fuisse Corfinij, supià demonstratum est. Hic, dimissus à Cæsare, in Africam venerat: legionésque eas transduxerat Curio, quas superioribus tem-
B poribus Corfinio receperat Cęsar, adeò, vt paucis mutatis centurionibus, iidem ordines, manipulique constarent. hanc nactus appellationis caussā Quintilius circumire aciem Curionis, atque obsecrare milites cœpit, ne primam sacramēti quod apud Domitium, atque apud se quæstorem dixissent, memoriam deponerent, neu contra eos arma ferrent: qui eadem essent vsi fortuna, eademq. in obsidione perpessi: neu pro iis pugnarēt, à quibus in contumeliam perfugæ appellarentur. His pau-
C ca ad spem largitionis addit, quæ ab sua liberalitate, si se, atque Attiū secuti essent, exspectare deberent. Hac habita oratione, nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio: atque ita suas vterq. copias reducit. At in Castris Curionis magnum omnium incessit timor. nam is variis hominum sermonibus celeriter augetur. vnusquisq. enim opinione fingebat, & ad id, quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. hoc vbi non auctore ad plures permanauerat, atque alius alij
D transdiderat: plures auctores eius rei videbantur. Ciuile bellum genus hominum, quod liceret liberè facere, & sequi, quod vellēt: legiones eę, quæ paullo antè apud aduersarios fuerant, (nam etiam Cæsaris beneficium mutauerat consuetudo) quæ offerrentur: municipia etiam diuersis partibus coniuncta. neque enim ex Marsis, Pelignisque veniebant. vt qui superiore nocte in contubernijs, commilitonésque nonnulli grauiores sermones militum vulgò durius accipiebant. nonnulla etiā
E ab iis, qui diligentiores videri volebant, fingebantur. Quibus de caussis cōcilio conuocato de summa rerum deliberare incipit. Erant sententię, quæ conandū omnibus modis, castraq. Vari oppugnāda censerēt, quod huiusmodi militū consiliis otiū maximè contrarium esse arbitrarentur. postremò præstare dicebant, per virtutē in pugna belli fortunam experiri: quàm, desertos, & circumuentos à suis, grauissimum supplicium pati. porrò erant qui censerent, de tertia vigilia in castra Cornelia-
F na recedendum: vt, maiore spatio temporis interiecto, militum mentes sanarentur: simul, si quid grauius accidisset, magna multitudine nauium & tutius, & facilius in Siciliā receptus daretur. Curio, vtrumque improbans consilium, quantum alteri sententiæ deesset animi, tantum alteri superesse dicebat: hos turpissimæ fugæ rationem habere, illos etiam iniquo loco dimicādum putare. Qua enim, inquit, fiducia & opere, & natura loci munitissima castra expugnari posse confidimus?
G aut verò quid proficimus, si accepto magno detrimēto ab oppugnatione castrorum discedimus? quasi non & felicitas rerum gestarum, exercitus beneuolentiam imperatoribus, & res aduersæ odia concilient. Castrorum autem mutatio quid habet, nisi turpem fugam, & desperationem omniū, & alienationem exercitus? nā neque prudentes suspicari oportet, sibi parum credi, neque improbos scire, sese timeri: quod illis licentiam

timor augeat, nostris studia deminuat. Quod si iam, inquit, haec explorata habemus, quae de exercitus alienatione dicuntur: quae quidem ego aut omnino falsa aut certè minora opinione esse confido: quanto haec dissimulare, & occultare, quàm per nos confirmare, praestat? an non, vti corporis vulnera, ita exercitus incommoda sunt tegenda, ne spem aduersariis augeamus? At etiam, vt media nocte proficiscamur, addunt, quo maiorem, credo, licentiam habeant, qui peccare conentur. nam neque huiusmodi res aut pudore, aut metu tenentur: quibus rebus nox maximè aduersaria est: Quare neque tanti sum animi, vt sine spe castra oppugnanda censeam: neque tanti timoris, vt spe deficiam: atque omnia prius experienda arbitror: magnaque ex parte iam me vna vobiscum de re iudicium facturum confido. Dimisso concilio, concionem aduocat militum: commemorat, quo sit eorum vsus studio ad Corfinium Caesar: vt magnam partem Italiae, beneficio, atque auctoritate eorum, suam fecerit. Vos enim, vestrumque factum inquit, omnia deinceps municipia sunt secuta: neque sine caussa & Caesar amicissimè de vobis, & illi grauissimè iudicauerunt. Pompeius enim, nullo praelio pulsus, vestri facti praeiudicio demotus, Italia excessit: Caesar me, quem sibi carissimum habuit, prouinciam Siciliam atque Africam, sine quibus vrbem, atque Italiam tueri non potest, vestrae fidei commisit. Adsunt, qui vos hortentur, vt à nobis desciscatis. quid enim est illis optatius quàm vno tempore & nos circumuenire, & vos nefario scelere obstringere? aut quid, irati, grauius de vobis sentire possunt, quàm, vt eos prodatis, qui se vobis omnia debere iudicant? & in eorum potestatem veniatis, qui se per vos perisse existimant? An verò in Hispania res gestas Caesaris nō audistis: duos pulsos exercitus, duos superatos duces, duas receptas prouincias: haec acta diebus XL. quibus in conspectu aduersariorum venerit Caesar. an, qui incolumes resistere non potuerunt, perditi resistant? vos autem, incerta victoria, Caesarem secuti, diiudicata iam belli fortuna, victum sequamini: cū vestri officij praemia percipere debeatis? Desertos enim se ac proditos à vobis dicunt: & prioris sacramenti mentionem faciunt. Vosne verò L. Domitium, an vos L. Domitius deseruit? nonne extremam pati fortunam paratos proiecit ille? nō sibi clam vobis, salutem fuga petiuit? non, proditi per illum, Caesaris beneficio estis conseruati? Sacramento quidem vos tenere qui potuit, cùm proiectis fascibus, & deposito imperio, priuatus, & captus, ipse in alienam venisset potestatē? Relinquitur noua religio, vt eo neglecto sacramento, quo nunc tenemini, respiciatis illud, quod deditione ducis, & capitis deminutione sublatum est. At, credo, si Caesarem probatis, in me offenditis: qui de meis in vos meritis praedicaturus non sum: quae sunt adhuc & mea voluntate, & vestra expectatione leuiora. sed tamē sui laboris milites semper, euentu belli, praemia petiuerunt: qui qualis sit futurus, ne vos quidem dubitatis. Diligentiam quidem nostram aut quem ad finem adhuc res processit, fortunamque cur praeteream? An poenitet vos, quod saluum, atque incolumem exercitum, nulla omnino naue desiderata, transduxerim? quòd classem hostium primo impetu adueniens profligauerim? quod bis per biduum equestri praelio superauerim? quod ex portu, sinuque aduersariorum CC. naues one-

A rarias adduxerim? eoque illos compulerim, vt neque pedestri itinere, neque nauibus commeatu iuuari possint? Hac vos fortuna, atque his ducibus repudiatis, Corfiniensem ignominiam, an Italiae fugam, an Hispaniarum deditionem, an Africi belli praeiudicia sequimini? Equidem me Caesaris militem dici volui: vos me Imperatoris nomine appellauistis. Cuius si vos poenitet, vestrum vobis beneficium remitto, mihi meum restituite nomen: ne ad contumeliam honorem de-

B disse videamini. Qua oratione permoti milites, crebro etiam dicentem interpellabant: vt magno cum dolore infidelitatis suspicionem sustinere viderentur. discedentem verò ex concione, vniuersi cohortantur, magno sit animo, neu dubitet praelium committere, & suam fidem, virtutemque experiri. Quo facto commutata omniū voluntate, & opinione, consensu suo constituit Curio, cum primùm sit data potestas, praelio rem committere. Postero die productos, loco eodem, quo superioribus diebus constiterat, in acie col-

C locat. ne Varus quidem Atius dubitat copias producere: siue sollicitandi milites, siue aequo loco dimicandi detur occasio, ne facultatem praetermittat. Erat vallis inter duas acies, vt supra demonstratum est, non ita magno, aut difficili, & arduo adscensu. hanc vterque, si aduersariorum copiae transire conarentur, expectabat: quo aequiore loco praelium committeretur. simul à sinistro cornu P. Atij equitatus omnis, & vnà leuis armaturae interiecti complures, cum se in vallem

D demitterent, cernebantur. ad eos Curio equitatum, & duas Marrucinorum cohortes mittit, quorum primum impetum equites hostium non tulerunt: sed, admissis equis, ad suos refugerunt: relicti ab iis, qui vnà procurrerant, leuis armaturae, circumueniebantur, atque interficiebantur ab nostris. Huc tota Vari conuersa acies, suos fugere, & concidi videbat. Tum Rebilus, legatus Caesaris, quem Curio secum ex Sicilia duxerat, quòd magnum habere vsum in re militari sciebat, Per-

E territum, inquit, hostem vides, Curio: quid dubitas vti temporis opportunitate? Ille vnum elocutus, vt memoria tenerent milites ea, quae pridie sibi confirmassent, sequi sese iubet, & praecurrit ante omnes: adeoque erat impedita vallis, vt in adscensu nisi subleuati à suis, primi non facilè eniterentur. sed, praeoccupatis animis Attianorum militum timore, & fuga, & caede suorum, nihil de resistendo cogitabant: omnésque iam se ab equitatu circūueniri arbitrabantur. itaque prius,

F quàm telum abiici posset, aut nostri propius accederent, omnis Vari acies terga vertit, seque in castra recepit. qua in fuga Fabius Pelignus quidam, ex infimis ordinibus, de exercitu Curionis, primum agmen fugiētium cōsecutus, magna voce Varum nomine appellans requirebat: vti vnus esse ex eius militibus, & monere aliquid velle, ac dicere videretur. vbi ille, sępè appellatus, adspexit, ac restitit: & quis esset, aut quid vellet, quaesiuit: humerum apertum gladio appetiit: paulúmque ab-

G fuit, quin Varum interficeret, quod ille periculū, sublato ad eius conatum scuto, vitauit. Fabius, à proximis militibus circumuentus, interficitur. ac fugientium multitudine, ac turba, portae castrorum occupantur: atque iter impeditur: pluresque in eo loco sine vulnere, quàm in praelio, aut fuga intereunt. neque multum abfuit, quin etiam castris expellerentur; ac nonnulli protinus eorum

rum

dem cursu in opidum contenderunt. sed, cùm loci natura, tum munitio castrorum aditum prohibebat: quod ad prœlium egressi Curionis milites iis rebus indigebant, quæ ad oppugnationem castrorum erant vsui. itaque Curio exercitum in castra reducit, suis omnibus præter Fabium incolumibus, ex numero aduersariorũ circiter DC. interfectis, atque ∞. vulneratis: qui omnes, discessu Curionis, multique prętereà, per simulationem vulnerum, ex castris in opidum propter timorem sese recipiunt. Qua re animaduersa, Varus & terrore exercitus cognito, Bucinatore in castris, & paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertia vigilia silentio exercitum in opidum reducit. Postero die Curio Vticam obsidere, & vallo circummunire instituit. Erat in opido multitudo insolens belli, diuturnitate otij, Vticenses, pro quibusdam Cæsaris in se beneficiis, illi amicissimi, conuentus, qui ex variis generibus constaret: terror ex superioribus prœliis magnus. itaque de deditione omnes palàm loquebantur, & cum P. Atio agebant, ne sua pertinacia omnium fortunas perturbari vellet. Hęc cùm agerentur, nuncij, prçmissi ab Rege Iuba, venerunt, qui illum cum magnis copiis adesse dicerent, & de custodia, ac defensione vrbis hortarentur. quæ res eorum perterritos animos confirmauit. Nunciabantur hæc eadem Curioni, sed aliquandiu fides fieri non poterat. tantam habebat suarum rerum fiduciam. Iamque Cæsaris in Hispania res secundæ in Africam nunciis, ac literis perferebantur. quibus omnibus rebus sublatus, nihil contra se Regem nisurum existimabat. sed, vbi certis auctoribus comperit, minus v. & xx. millibus longè ab Vtica eius copias abesse, relictis munitionibus, sese in castra Corneliana recepit. huc frumentum comportare, castra munire, materiam conferre cœpit: statimq; in Siciliam misit, vti II. legiones, reliquusque equitatus ad se mitteretur. castra erant ad bellum ducendum aptissima, natura, & loci munitione, & maris propinquitate, & aquæ & salis copia: cuius magna vis iam ex proximis erat salinis eò congesta. non materia multitudine arborum, non frumentum, cuius erant plenissimi agri, deficere poterat. itaque suorum omnium consensu, Curio reliquas copias exspectare, & bellum ducere parabat. His constitutis rebus, probatisque consiliis, ex perfugis quibusdam opidanis audit Iubam reuocatum finitimo bello, & controuersiis Leptitanorum, restitisse in regno, Saburam eius præfectum, cum mediocribus copiis missum, Vticæ appropinquare. His auctoribus temerè credens consilium commutat, & prœlio rem cõmittere constituit. multum ad hanc rem probandam adiuuat adolescentia, magnitudo animi, superioris temporis prouentus, fiducia rei benc gerendę. His rebus impulsus, equitatum omnem prima nocte ad castra hostium mittit ad flumen Bagradam, quibus præerat Sabura, de quo antè erat auditũ. Sed Rex cum omnibus copijs insequebatur, & VII. millium passuum interuallo à Sabura, consederat. Equites missi, nocte iter conficiunt: imprudentes atque inopinantes hostes aggrediuntur. Numidiæ enim, quadam barbara consuetudine, nullis ordinibus passim consederant. hos oppressos somno, & dispersos adorti, magnum eorum numerum interficiunt: multi perterriti profugiunt. quo facto, ad Curionem equites reuertuntur, captiuosque ad eum reducunt. Curio cum omnibus copiis

A quarta vigilia exierat, cohortibus v. castris præsidio relictis. Progressus millia passuum VI. equites conuenit: rem gestam cognouit: ex captiuis quærit, quis castris ad Bagradam præsit: respondent, Saburam: reliqua, studio itineris conficiendi, quęrere prætermittit: proximaque respiciens signa, Videtisne, inquit, milites, captiuorum orationem cũ perfugis conuenire: abesse Regem: exiguas esse copias missas, quæ paucis equitibus pares esse nõ potuerunt. proinde ad prædam, ad gloriam, pro-

B perate, vt iam de præmiis vestris, & de referenda gratia, cogitare incipiamus. Erant per se magna, quæ gesserant equites, præsertim cum eorum exiguus numerus cum tanta multitudine Numidarum conferretur. hęc tamé ab ipsis inflatius commemorabantur: vt de suis homines laudibus libenter prædicant. multa præterea spolia præferebantur. capti homines, equitesque prodaccebantur vt quidquid intercederet temporis, hoc omne victoriam morari videretur, ita spei Curionis mi-

C litum studia nõ deerant. equites sequi iubet, sese: iterque accelerat, vt quàm maximè ex fuga perterritos adoriri posset. At illi, itineri totius noctis confecto, subsequi non poterant: atque alij alio loco resistebant. ne hęc quidem res Curioné ad spem morabatur. Iuba, certior factus à Sabura, de nocturno prœlio, II. millia Hispanorum, & Gallorum equitum, quos, suę custodiæ caussa, circum se habere consueuerat, & peditum eam partem, cui maximè confidebat, Saburæ submittit,

D ipse cum reliquis copiis, elephantisque XL. lentius subsequitur: suspicatus, premissis equitibus, ipsũ affore Curionem. Sabura copias equitum, peditumque instruit: atque his imperat, vt simulatione timoris, paullatim cedant, ac pedem referã: sese, cum opus esset, signum prœlij daturum: &, quod rem postulare cognouisset, imperaturum. Curio, ad superiorem spem addita præsentis temporis opinione, hostes fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit. Quibus ex lo-

E cis cùm longius esset progressus, confecto iam labore exercitu, XVI. millium spatio, consistit. dat signum suis Sabura, aciem constituit, & circuire, ordines, atque hortari incipit: sed peditatu duntaxat procul ad speciem vtitur: equites in aciem mittit. Non deest negotio Curio: suosque hortatur, vt spem omnem in virtute reponant, nec militibus quidem, vt defessis: neque equitibus, vt paucis, & labore confectis, studiũ ad pugnandum, virtusque deerat. sed ij erant numero CC. (reliqui

F in itinere substiterant) hi quamcunque in partem impetum fecerant, hostes loco cedere cogebant: sed neque longius fugientes prosequi, nec vehementius equos incitare poterant. At equitatus hostium ab vtroque cornu circumire aciem nostrã & auersos proterere incipit. Cùm cohortes ex acie procurrissent, Numidæ integri celeritate impetum nostrorum effugiebant: rursusque ad ordines suos se recipientes circumibant, & ab acie excludebant. sic neque in loco manere, ordinesque

G seruare, neque procurrere, & casum subire, tutum videbatur. Hostium copiæ, submissis ab Rege auxilijs, crebrò augebantur. nostros vires lassitudine deficiebant, simul ij, qui vulnera acceperant, neque aciẽ excedere, neque in locum tutum referri poterant: quod tota acies equitatũ hostium circumdata tenebatur. hi, de sua salute desperantes, vt extremo vitæ tempore homines facere cõsueuerunt, aut suam mortem miserabantur, aut pa-

rentes suos commendabant, si quos ex eo periculo fortuna seruare potuisset. plena erant omnia timoris, & luctus. Curio vbi perterritis omnibus, neque cohortationes suas, neque preces audiri intelligit, vnam, vt in miseris rebus, spem reliquam salutis esse arbitratus, proximos colles capere vniuersos atque eò insferri signa iubet. hos quoque præoccupat missus à Saburra equitatus. tum verò ad summam desperationem nostri perueniunt: & partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. hortatur Curionem Cn. Domitius præfectus equitum, cum paucis equitibus circumsistens, vt fuga salutem petat, atque in castra contendat: & se ab eo non discessurum pollicetur. At Curio nunquam amisso exercitu, quem à Cæsare fidei suæ commissum acceperit, se in eius conspectum reuersurum confirmat: atque ita prœlians interficitur. Equites perpauci ex prœlio se recipiunt. sed ij, quos ad nouissimum agmen, equorum reficiendorum caussa, substitisse demonstratum est, fuga totius exercitus procul animaduersa, sese incolumes in castra conferunt. Milites ad vnum omnes interficiuntur. His rebus cognitis M. Rufus Quæstor, in castris relictus à Curione, cohortatur suos, ne animo deficiant. Illi orant, atque obsecrant, vt in Siciliam nauibus reportentur. pollicetur: magistrisque imperat nauium, vt primo vespere omnes scaphas ad litus appulsas habeant. sed tantus fuit omnium terror, vt alij A esse copias Iubæ dicerent, alij cum legionibus instare Varum, iamque se puluerem venientium cernere: quarum rerum nihil omnino acciderat: alij classem hostium celeriter aduolaturam suspicarentur. itaque, perterritis omnibus, sibi quisque consulebat. qui in classe erant, proficisci properabant. horum fuga nauium onerariarum magistros incitabat. pauci lenunculi ad officium imperiumque conueniebant. sed tanta erat completis litoribus contentio, qui potissimum ex magno numero conscenderent, vt multitudine, atque onere nonnulli deprimerentur, reliqui hoc timore propius B adire tardarentur. Quibus rebus accidit, vt pauci milites, patresque familiæ, qui aut gratia, aut misericordia valerent, aut naues adnare possent, recepti in Siciliam incolumes peruenirent. reliquæ copiæ missis ad Varum noctu, legatorum numero centurionibus, sese ei dediderunt. quorum cohortes militum Iuba postero die ante oppidum conspicatus, suam esse prædicans prædam, magnam C partem eorum interfici iussit: paucos electos in regnum remisit. cùm Varus, suam fidem ab eo lædi quereretur, neque resistere auderet: ipse, equo in oppidum vectus, prosequentibus compluribus senatoribus, quo in numero erat Ser. Sulpitius, & Licinius Damasippus, paucis diebus, quæ fieri vellet, Vticæ constituit, atque imperauit: diebusque post paucis, se in regnum cum omnibus copiis recepit.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI

LIBER III.

DICTATORE habente Comitia Cæsare, consules creantur Iulius Cæsar, & P. Seruilius. is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret. His rebus confectis, cùm fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituit, vt arbitri darentur, per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earũ ante bellũ fuissent, atque eæ creditoribus transderentur. hoc & ad timorẽ nouarum tabularum tollendum minuendũque, qui ferè bella, & ciuiles dissensiones sequi consueuit, E & ad debitorum tuendã existimationẽ, esse aptissimum existimauit. item, Prætoribus, Tribunisque plebis rogationes ad populum ferentibus, nonnullos, ambitus Pompeia lege dãnatos, illis temporibus, quibus in vrbe præsidia legionum Pompeius habuerat, quæ iudicia, aliis audientibus iu- D dicibus, aliis sententiam ferentibus, singulis diebus erant perfecta, in integrum restituit: qui se illi initio ciuilis belli obtulerant, si sua opera in bello vti vellet: perinde æstimans ac si vsus esset, quoniam sui fecissent potestatem. statuerat enim, hos prius iudicio populi debere restitui, quam suo beneficio videri receptos: ne aut ingratus in referenda gratia, aut arrogans in præripiendo populi beneficio videretur. His rebus, & feriis Latinis, comitiisque omnibus perficiendis XI. dies tribuit: Dictaturaque se abdicat, & ab vrbe proficiscitur, Brundusiumque peruenit: eò legiones XII. equitatum omnem venire iusserat. sed tantum nauium reperit, vt angustè XV. millia legionariorum militum, & DC. equites transportare possent. hoc vnum, inopia nauium, Cæsari ad conficiendi belli celeritatem defuit. atque eæ copiæ ipsæ hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant: longumque iter ex Hispania magnum numerum deminuerat: & grauis

Autum

autumnus in Apulia, circumque Brundusium, ex saluberrimis Galliæ, & Hispaniæ regionibus, omnem exercitum valetudine tentauerat. Pompeius, anni spatium ad comparandas copias nactus, quod vacuũ à bello, atque ab hoste otiosum fuerat, magnam ex Asia, Cycladibusque Insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phœnice, & Ægypto classem coegerat, magnam omnibus locis ædificandam curauerat: magnam imperatam Asiæ, Syriæ, regionibusque omnibus & dynastis, & tetrarchis, & liberis Achaiæ populis pecunia exegerat: magnam societates earum prouinciarum, quas ipse obtinebat, sibi numerare coegerat. Legiones effecerat, ciuium Romanorũ IX. V. ex Italia, quas traduxerat: vnam ex Sicilia veteranam, quam, factam ex duabus, Gemellam appellabat: vnam, ex Creta, & Macedonia, ex veteranis militibus: qui dimissi à superioribus Imperatoribus, in iis prouinciis consederant, II. ex Asia, quas Lentulus Consul scribendas curauerat. Præterea magnũ numerum ex Thessalia, Bœotia, Achaia, Epiroque, supplementi nomine, in legiones distribuerat. His Antonianos milites admiscuerat. Præter has exspectabat cum Scipione ex Syria legiones II. sagittarios, ex Creta, Lacedæmone, Ponto, atque Syria, reliquisque ciuitatibus III. millia numero habebat, funditorum cohortes VI. mercenarias II. equites VII. millia: ex quibus DC. Gallos Deiotarus adduxerat, D. Ariobarzanes ex Cappadocia: ad eundem numerum Cotys ex Thracia dederat, & Sadalem filium miserat. Ex Macedonia CC. erant, quibus Rascipolis præerat, excellenti virtute D. ex Gabinianis Alexandria, Gallos, Germanosque, quos ibi A. Gabinius præsidij caussa apud Regem Ptolomæum reliquerat. Pompeius filius cum classe adduxerat: DCCC. quos ex seruis suis, pastorũque suorum coegerat: CCC. Tarcundarius, Castor & Donilaus, ex Gallogræcia dederant: horum alter vnà venerat, alter filium miserat. CC. ex Syria à Comageno Antiocho, cui magna præmia Pompeius tribuit, missi erant, in his, plerique hippotoxotæ. Huc Dardanos, Bessos, partim mercenarios, partim imperio, aut gratia comparatos, item Macedonas, Thessalos, & reliquarum gentium, & ciuitatum adiecerat: atque eum, quem suprà demonstrauimus, numerum expleuerat. Frumenti vim maximam ex Thessalia, Asia, Ægypto, Creta, Cyrenis, reliquisque regionibus comparauerat: hiemare Dyrrhachij, Apolloniæ, omnibusque opidis maritimis constituerat, vt mare Cæsarem transire prohiberet: eiusque rei caussa omni in ora maritima classem disposuerat, præerat Ægyptiis nauibus Pompeius filius, Asiaticis, D. Lælius, & C. Triarius: Syriacis, C. Cassius, Rhodiis, C. Marcellus, cum C. Coponio, Liburnicæ, atque Achaicæ classi, Scribonius Libo, & M. Octauius: toti tamen officio maritimo M. Bibulus præpositus cuncta administrabat: ad hunc summa imperij respiciebat. Cæsar, vt Brundusium venit, concionatus apud milites, quoniam propè ad finem laborum, ac periculorum esset peruentum, æquo animo mancipia, atque impedimenta in Italia relinquerent: ipsi expediti naues conscenderent, quo maior numerus militum posset imponi: omniaque ex victoria, & ex sua liberalitate sperarent: conclamantibus omnibus, imperaret, quod vellet: quodcumque imperauisset, se æquo animo esse facturos: pridie non. Ian. naues soluit, impositis, vt suprà demonstratum est, legio-

A nibus VII. postridie terram attigit Cerauniorum. saxa inter, & alia loca periculosa quietam nactus stationem & portus omnes timens, quos teneri ab aduersariis arbitrabatur, vt eum locum, qui appellatur Pharsalus, omnibus nauibus ad vnam incolumibus, milites exposuit. Erat Orici Lucretius Hispilo, & Minutius Rufus cum Asiaticis nauibus XIIX. quibus iussu D. Lælij præerant, M. Bibulus cũ nauibus CX. Corcyræ. sed neque ij sibi confisi, ex portu prodire sunt ausi; cùm Cæsar B omnino XII. naues lõgas præsidio duxisset: in quibus erat & ipse: neque illi Bibulus, impeditis nauibus, dispersisque remigibus, satis maturè occurrit: quod prius ad continentem visus est Cæsar, quàm de eius aduentu fama omnino in eas regiones perferretur. Expositis militibus, naues eadem nocte Brundusium à Cæsare remittuntur: vt reliquæ legiones, equitatusque transportari possent. Huic officio præpositus erat Fusius Calenus, legatus, qui celeritatem in transportandis legioni- C bus adhiberet. sed serius à terra prouectæ naues, neque vsæ nocturna aura, in redeũdo offenderũt. Bibulus enim, Corcyræ certior factus de aduentu Cæsaris, sperans se alicui parti onustarum nauium occurrere posse, inanibus occurrit: &, nactus circiter XXX. in eas diligentiæ suæ, ac doloris iracundia erupit, omnésque incendit: eodémque igne nautas, dominosque nauium interfecit, magnitudine pœnæ reliquos deterrere sperans. Hoc confecto negotio, à Salonis ad Orici portum statio- D nes, litoraque omnia longè, latéque classibus occupauit: custodiisque diligentius dispositis, ipse grauissima hieme in nauibus excubabat, neque vllum laborem, aut munus despiciens, neque subsidium exspectans, si in Cæsaris conspectum veniret. Sed post discessum Liburnarum, ex Illyrico, M. Octauius cum iis, quas habebat, nauibus Salonas peruenit: ibique cõcitatis Dalmatis, reliquisque barbaris, Issam à Cæsaris amicitia auertit: conuẽtum Salonas cum neque pollicitationibus E neque denunciatione periculi permouere posset, opidum oppugnare instituit. est autẽ opidũ & loci natura, & colle munitũ. sed celeriter ciues Romani ligneis effectis turribus, iis sese muniuerunt: & cũ essent infirmi ad resistendũ, propter paucitatẽ hominum, crebris confecti vulneribus, ad extremum auxilium descenderunt: seruosque omnes puberes liberauerunt: &, præsectis omnium mulierum crinibus, tormenta effecerunt. Quorum cognita sententia, Octauius quinis castris opidũ circumdedit: atque vno tẽpore obsidione, & op- F pugnationibus eos premere cœpit. Illi, omnia perpeti parati, maximè re frumentaria laborabant. qua de re missis ad Cæsarem legatis, auxilium ab eo petebant: reliqua, vt poterant, per se incommoda sustinebant: & longo interposito spatio, cum diuturnas oppugnationes negligentiores Octauianos effecisset, nacti occasionẽ meridiani temporis, discessu eorum, pueris, mulieribusque in muro dispositis, ne quid quotidianæ consuetudinis desideraretur: ipsi manu facta, cum iis, quos G nuper manumissos liberauerant, in proxima Octauij castra irruperunt. His expugnatis, eodem impetu altera sunt adorti, inde tertia, & quarta, & deinceps reliqua omnibusque eos castris expulerũt: &, magno numero interfecto, reliquos, atque ipsum Octauium in naues confugere coegerunt. Hic fuit oppugnationis exitus. Iamque hiems appropinquabat: &, tantis detrimentis receptis, O-

cænius, desperata oppugnatione opidi, Dyrrhachium sese ad Pompeium recepit. Demonstratum est, L. Vibullium Rufum, Pompeii præfectum, bis in potestatē peruenisse Cęsaris, atq. ab eo esse dimissum, semel ad Corfinium, iterum in Hispania. Hunc pro suis beneficiis Cæsar iudicauerat idoneum, quē cū mādatis ad Cn. Pōpeium mitteret: eundemq. apud Cn. Pōpeium auctoritatem habere intelligebat. Erat autem hæc summa mandatorum: debere vtrumque pertinaciæ finem facere, & ab armis discedere: neque amplius fortunam periclitari: satis esse magna vtrimq. incommoda accepta, quæ pro disciplina, & præceptis habere possent, vt reliquos casus timerēt: illum ab Italia expulsum amissa Sicilia, & Sardinia, duabusque Hispaniis, & cohortibus in Italia, atque Hispania ciuium Romanorum c. atque xxx. se morte Curionis, & detrimento Africani exercitus tāto militumque deditione ad Corcyram: proinde sibi, ac Reip. parcerent, quantumq. in bello fortuna posset, iam ipsi incōmodis sui satis essent documēto: hoc vnum esse tempus de pace agendi, dum sibi vterque confideret, & pares ambo viderentur: si verò alteri paullum modò tribuisset fortuna, non esse vsurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore ęqua parte contentum, qui se omnia habiturum confideret: conditiones pacis, quoniam antea conuenire non potuissent, Romæ à Senatu, & à populo peti debere: interea & Reip. & ipsis placere oportere, si vterq. in concione statim iurauisset, se triduo proximo exercitum dimissurum, depositis armis, auxiliisque quibus nunc confideret, necessario populi, Senatusque iudicio fore vtrumque contentum: hæc quo facilius Pōpeio probari possent, omnes suas terrestres. vrbiumque cōpias dimissurum. Vibullius, his expositis à Cæsare, nō minus necessarium esse existimauit, de repentino aduentu Cæsaris Pompeium fieri certiorem, vti ad id consilium capere posset, antè quàm de mandatis agi inciperet: atque adeo cōtinuato, & nocte, & die itinere, atque mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contendit, vt adesse Cæsarē omnibus copijs, nunciaret. Pōpeius erat eo tempore in Candauia: iterque ex Macedonia in hiberna, Apolloniam. Dyrrhachiumque habebat. sed, re noua perturbatus, maioribus itineribus Apolloniam petere cœpit: ne Cæsar oræ maritimæ ciuitates occuparet. At ille, expositis militibus, eodem die Oricum proficiscitur. Quò cum venisset: L. Torquatus, qui iussu Pompeii opido præerat, præsidiumque ibi Parthinorum habebat, conatus portis clausis opidum defendere: Græcos murum adscendere, atque arma capere, iubet. illi autem cùm se contra imperium populi Ro. pugnaturos esse negarent: opidani autem sua sponte Cæsarem recipere conarentur, desperatis omnibus auxiliis, portas aperuit, & se, atque opidum Cęsari dedidit, incolumisque ab eo conseruatus est. Recepto Cæsar Orico, nulla interposita mora, Apolloniam proficiscitur. Eius aduentu audito, L. Staberius, qui ibi præerat, aquam comportare in arcem, atque eam munire, obsidesque ab Apolloniatibus exigere cœpit. Illi verò daturos se negare, neque portas Consuli præclusuros: neque sibi iudicium sumpturos contrà atque omnis Italia, populusque R. iudicasset. Quorum cognita voluntate clàm profugit. Apolloniates ad Cæsarem legatos mittūt, opidoque recipiunt. Hos sequuntur Bullidenses, Amantiani, & reliquæ finitimę ciuitates, totaque Epirus: & legatis ad Cæsarē missis, quæ imperaret, facturos pollicentur. At Pompeius, cognitis iis rebus, quæ erant Orici, atque Apolloniæ gestæ, Dyrrhachio timens, diurnis eò, nocturnisque itineribus, contendit. simul ac Cæsar appropinquare dicebatur, tantus terror incidit eius exercitui, quòd properans noctem diei coniunxerat, neque iter intermiserat, vt pæne omnes in Epiro, finitimisq. regionibus signa relinquerent: complures arma proiicerent: ac fugæ simile iter videretur: sed, cū propè Dyrrhachium Pompeius constitisset, castraque metari iussisset: perterrito etiam tum exercitu, princeps Labienus procedit: iuratque se eum non deserturum, eundemque casum subiturum, quemcumque ei fortuna tribuisset. Hoc idem reliqui iurant legati. hos Tribuni mil. Centurionesque sequuntur: atque idem omnis exercitus iurat. Cæsar profectò occupato itinere ad Dyrrhachium finem properandi facit: castraque ad flumen Apsum ponit, in finibus Apolloniatium: vt vigiliis, castellisque benemeritæ ciuitates tutæ essent, ibique reliquarum ex Italia legionum aduentum exspectare, & sub pellibus hiemare, constituit. hoc idem Pompeius facit: &, trans flumen Apsum positis castris, eò copias omnes, auxiliaq. conduxit. Calenus legionibus, equitibusque Brundusij in naues positis, vt erat præceptum à Cęsare quantum nauium facultatem habebat, naues soluit: paullumque à portu progressus, literas à Cæsare accipit: quibus est certior factus, portus, litoraque omnia classibus aduersariorum teneri. Quo cognito, se in portum recipit, nauesque omnes reuocat. Vna ex iis, quæ perseuerauit, neque imperio Caleni obtemperauit, quòd erat sine militibus, priuatoque consilio administrabatur, delata Oricum, atque à Bibulo expugnata est, qui de seruis, liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit, & ad vnum interficit. ita, exiguo tempore, magno casu totius exercitus salus constitit. Bibulus, vt suprà demonstratum est, erat cum classe ad Oricum: & sicut mari, portubusque Cæsarem prohibebat, ita ipse omni terra earum regionum prohibebatur. præsidiis enim dispositis, omnia litora à Cæsare tenebantur: neque lignandi, neque aquandi, neque naues ad terram religandi potestas fiebat. erat rès in magna difficultate: summisque angustiis rerum necessariarū premebantur: adeò, vt cogerentur, sicuti reliquum commeatum, ita ligna, atque aquā, Corcyra nauibus onerariis supportare: atque vno etiam tēpore accidit, vt, difficilioribus vsi tēpestatibus, ex pellibus, quibus erant tectæ naues, nocturnum excipere rorem cogerentur: quas tamen difficultates patienter, & æquo animo ferebant, neq; sibi nudanda litora, & relinquendos portus existimabant. Sed, cum essent in quibus demonstraui angustiis: ac se Libo cum Bibulo coniunxisset: loquuntur ambo ex nauibus cum M. Acilio, & Statio Murco legatis: quorum alter opidi muris, alter præsidiis terrestribus præerat: velle se de maximis rebus cum Cęsare loqui, si sibi eius facultas detur. huc addunt pauca, rei confirmandæ caussa, vt de compositione acturi viderentur. Interim postulant, vt sint induciæ: atque ab iis impetrant. magnum enim, quod afferebant, videbatur: & Cæsarem id summè sciebant cupere: &, perfecturum aliquid de Bibuli mandatis, existimabitur. Cæsar eo tempore cū legione

gione vna profectus erat ad recipiẽdas vlteriores
ciuitates,& rem frumentariam expediendam,qua
anguſtè vtebantur. Erat autem ad Buthrotum op-
poſitum Corcyræ. Ibi ab Acilio certior,& Murco
per literas factus de poſtulatis Libonis, & Bibuli,
legionem relinquit: ipſe Oricum reuertitur. eò
cùm veniſſet, euocantur illi ad colloquium. pro-
dit Libo, atque excuſat Bibulum, quòd is iracun-
dia ſumma erat, inimicitiaſque habebat, etiam
priuatas cum Cæſare,ex ædilitate,& pretura con-
ceptas:ob eam rem colloquium vitaſſe,ne res ma-
ximæ ſpei, maximæque vtilitatis eius iracundia
impedirentur: Pompeij ſummam eſſe, ac fuiſſe
ſemper voluntatem,vt componeretur, atq. ab ar-
mis diſcederetur: ſed poteſtatem ſe eius rei nul-
lam habere: propterea quòd de concilij ſententia
ſummam belli, rerumque omnium Pompeio per-
miſerint: ſed poſtulatis Cæſaris cognitis,miſſuros
ad Pompeium, atque illum reliqua perfecturum,
hortantibus ipſis: interea manerent induciæ, dum
ab illo rediri poſſet: néve alteri noceret. huc addit
pauca de cauſſa,& de copiis,auxiliiſq. ſuis. Qui-
bus rebus neque tum reſpondendum Cæſar exi-
ſtimabat: neque nunc, vt memoriæ prodatur,ſatis
cauſſæ putamus. Poſtulabat Cæſar,vt legatos ſibi
ad Pompeium ſine periculo mittere liceret: idq.
ipſi fore reciperent, aut acceptos per ſe ad eũ per-
ducerent: quod ad inducias pertineret,ſic belli ra-
tionem eſſe diuiſam: vt illi claſſe naues, auxiliaq.
ſua impedirent: ipſe,vt aqua, terraq. eos prohibe-
ret: & ſi hoc ſibi remitti vellent, remitterent ipſi
de maritimis cuſtodiis:ſin illud tenerent, ſe quoq.
id retenturum: nihilominus tamẽ agi poſſe de cõ-
poſitione,vt hæc non remitterentur: neq. hãc rem
eſſe impedimenti loco. Illi neque legatos Cæſaris
recipere,neque periculum præſtare eorum,ſed to-
tam rem ad Pompeium reiicere: vnum inſtare de
induciis,vehementiſſimeq. contendere. Quos vbi
Cæſar intellexit, præſentis periculi, atque inopiæ
vitandæ cauſſa omnem orationem inſtituiſſe, ne-
que vllam ſpem,aut conditionem pacis afferre: ad
reliquam cogitationẽ belli ſeſe recepit. Bibulus,
multos dies terra prohibitus, & grauiore morbo
ex frigore,ac labore implicitus,cùm neque curari
poſſet, neque ſuſceptum officium deſerere vellet,
vim morbi ſuſtinere non potuit. Eo mortuo,ad
neminem vnum ſumma imperij redit: ſed ſepara-
tim ſuam quiſque claſſem ad arbitrium ſuum ad-
miniſtrabat. Vibullius,ſedato tumultu,quem re-
pentinus aduentus Cæſaris concitauerat, vbi pri-
mum, rurſus adhibito Libone, & L.Lucceio, &
Theophane, quibus communicare de maximis
rebus Pompeius conſueuerat, de mandatis Cæſa-
ris agere inſtituit. eum ingreſſum in ſermonem
Pompeius interpellauit, & loqui plura prohibuit.
Quid mihi, inquit, aut vita, aut ciuitate opus eſt,
quam beneficio Cęſaris habere videbor? cuius rei
opinio tolli non poterit, niſi cùm in Italiam, ex
qua profectus ſum, reductus exiſtimabor, bello
perfecto. Ab iis Cæſar hæc dicta cognouit, qui
ſermoni interfuerunt. conatus tamen nihilomi-
nus eſt aliis rationibus per colloquia de pace age-
re. Inter bina caſtra Pompeij, atq. Cæſaris vnum
flumen tantùm intererat Apſus: crebraque inter
ſe colloqui milites habebant: neque vllum inte-
rim telum per pactiones colloquentium tranſii-
ciebatur. Mittit P. Vatinium legatum ad ripam
ipſam fluminis: qui ea, quæ maximè ad pacem
pertinere viderentur,ageret: & crebrò magna vo-
A ce pronunciaret,liceretne ciuibus ad ciues de pa-
ce legatos mittere: quod etiam fugitiuis, ab ſaltu
Pyrenæo, prædonibuſq. licuiſſet: præſertim,vt id
agerent, ne ciues cum ciuibus armis decertarent.
Multa ſuppliciter locutus,vt de ſua,atq. omnium
ſalute debebat, ſilentioq. ab vtriſq. militibus au-
ditus,reſponſum eſt ab altera parte. A.Varronem
profiteri, ſe altera die ad colloquium venturum,
atque vnà etiam vtrimque admodum tutò legati
venire,&,quæ vellent, exponere poſſent: certum-
B que ei rei tempus conſtituitur. Quò cùm eſſet
poſtero die ventum: magna vtrimque multitudo
conuenit: magnaque erat eius rei exſpectatio: at-
que omnium intenti animi ad pacem eſſe vide-
bantur. Qua ex frequentia T.Labienus prodiit,
ſummiſſa oratione loqui de pace, atque altercari
cum Vatinio incipit.quorum mediam orationem
interrumpunt vndique ſubitò tela immiſſa: quæ
ille obtectus armis militum vitauit. vulnerantur
tamen complures,in his Cornelius Balbus,M.Plo-
C tius, L.Tiburtius, centuriones, militeſque non-
nulli. Tum Labienus, Deſinite ergo de compo-
ſitione loqui. nam nobis,niſi Cæſaris capite rela-
to pax eſſe nulla poteſt. Iiſdem temporib. Romæ
M.Cœlius Rufus Prætor, cauſſa debitorum ſuſce-
pta,initio magiſtratus tribunal ſuum,iuxta C.Tre-
bonij,Pretoris vrbani,ſellam collocauit: &,ſi quis
appellaſſet de ęſtimatione,& de ſolutionibus, quę
per arbitrium fierent,vt Cæſar præſens conſtitue-
rat,fore auxilio pollicebatur. ſed fiebat æquitate
D decreti, & humanitate Trebonij,qui his tempori-
bus clementer, & moderatè ius dicendum exiſti-
mabãt,vt reperiri non poſſet, à quib. initium ap-
pellandi naſceretur. nàm fortaſſe inopiam excu-
ſare, & calamitatem aut propriam ſuam, aut tem-
porum queri, & difficultates auctionandi propo-
nere, etiam mediocris eſt animi: integras verò te-
nere poſſeſſiones,qui ſe debere fateantur, cuius a-
nimi, aut cuius impudentiæ eſt? itaque, qui hoc
poſtularet,reperiebatur nemo. atque ipſis ad quo-
rum commodum pertinebat, durior inuentus eſt
E Cœlius. &, ab hoc profectus initio, ne fruſtra in-
greſſus turpem cauſſam videretur,legem promul-
gauit, vt ſexies ſeni dies ſine vſuris creditæ pecu-
niæ ſoluantur. Cum reſiſteret Seruilius Conſul,
reliquique Magiſtratus: & minus opinione ſua
efficeret: ad hominum excitanda ſtudia, ſublata
priore lege,duas promulgauit: vnam, qua merce-
des habitationum annuas cõductoribus donauit:
alteram tabularum nouarum: impetuque multi-
tudinis in C.Trebonium facto: & nonnullis vul-
F neratis,eum de tribunali deturbauit: de quib.reb.
Seruilius Conſul ad Senatum retulit: Senatuſque
Cœlium ab Rep. remouendum cenſuit. Hoc de-
creto eum Conſul Senatu prohibuit,& conciona-
ri conantem de roſtris deduxit. Ille ignominia,&
dolore permotus, palàm ſe proficiſci ad Cæſarem
ſimulauit, clàm nunciis ad Milonem miſſis, qui,
Clodio interfecto, eius nomine erat damnatus:
atque eo in Italiam euocato,quòd,magnis mune-
ribus datus, Gladiatoriæ familiæ reliquias habe-
G bat,ſibi coniunxit: atq. eum in Turinum ad ſolli-
citandos paſtores præmiſit. Ipſe,cum Caſſilinũ ve-
niſſet, vnoq. tempore ſigna eius militaria,atq. ar-
ma Capuæ eſſent comprehẽſa,familia Neapoli vi-
ſa atq. proditio oppidi appareret: patefactis con-
ſiliis,excluſus Capua, & periculum veritus, quòd
conuentus arma ceperat, atque eum hoſtis loco
habendum exiſtimabat,conſilio deſtitit: atque eo

itinere sese auertit. Interim Milo, dimissis circum municipia literis, ea, quæ faceret, iussu, atque imperio facere Pompeij, quæ mandata ad se per Bibulum delata essent: quos ex ære alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. apud quos cùm profecisset nihil, quibusdam solutis ergastulis, Cosam in agro Turino oppugnare cœpit. eò cùm à Q. Pedio prætore cum legione lapide ictus esset ex muro, periit: & Cœlius profectus, vt dictitabat, ad Cæsarem peruenit Turios: vbi, cùm quosdam eius municipij sollicitaret, equitibusque Cæsaris Gallis, atque Hispanis, qui eò præsidij caussa missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus. itaque magnarum initia rerum, quæ occupatione magistratuum, & temporum sollicitam Italiam habebant, celerem, & facilem exitum habuerunt. Libo, profectus ab Orico cum classe cui præerat, nauium L. Brundusium venit: insulamque quæ contra Brundusinum portum est, occupauit: quòd præstare, vnum locum arbitrabatur, quà necessarius nostris erat egressus, quàm omnium litora, ac portus custodia clausos teneri. hic, repentino aduentu, naues onerarias quasdam nactus, incendit: & vnam frumento onustam abduxit: magnumque nostris terrorem iniecit: &, noctu militibus, & sagittariis in terram expositis, præsidium equitum deiecit: & adeò loci opportunitate profecit, vt ad Pompeium literas mitteret, naues reliquas, si vellet, subduci, & refici iuberet: sua classe auxilia, sese Cæsaris prohibiturum. Erat eo tempore Antonius Brundusij: qui, virtuti militum confisus, scaphas nauium magnarum circiter LX. cratibus, pluteisque contexit: eoque milites delectos imposuit: atque eas in litore pluribus locis separatim disposuit: nauesque triremes II. quas Brundusij faciendas curauerat, per caussam exercendorum remigum ad fauces portus prodire iussit. has cùm audacius progressas Libo vidisset, sperans intercipi posse, quadriremes V. ad eas misit. quæ cùm nauibus nostris appropinquassent: nostri veterani in portum refugerunt: illi, studio incitati, incautius sequebantur. Iam ex omnibus partibus subitò Antonianæ scaphæ, signo dato, se in hostes incitauerunt: primoque impetu vnam ex his quadriremem cum remigibus, defensoribusque suis ceperunt: reliquas turpiter fugere coegerunt. Ad hoc detrimentum accessit, vt equitibus per oram maritimam ab Antonio dispositis, aqua prohiberentur. qua necessitate, & ignominia permotus Libo, discessit à Brundusio, obsessionemque nostrorum omisit. Multi iam menses transierant: & hiems præcipitauerat: neque Brundusio naues, legionesque ad Cæsarem veniebant, ac nonnullæ eius rei prætermissæ occasiones Cæsari videbantur, quòd certè sæpe flauerant venti, quibus necessariò committendum existimabat. quantoque eius amplius processerat temporis, tanto erant alacriores ad custodias, qui classibus præerant: maioremque fiduciam prohibendi habebant: & crebris Pompeij literis castigabantur, quoniam primò venientem Cæsarem non prohibuissent, vt reliquos eius exercitus impedirent: duriusq. quotidie tempus ad transportandum lenioribus ventis exspectabant. Quibus rebus permotus Cæsar, Brundusium ad suos seuerius scripsit, vt, nacti idoneum ventum, ne occasionem nauigandi dimitterent: & ad Oricum, siue ad litora Apolloniatium, cursum dirigerent: quòd eò naues eiicere possent. Hæc à

A custodibus classium loca maximè vacabant: quòd se longius portibus committere non audebant. Illi, adhibita audacia, & virtute administrantibus M. Antonio, & Fusio Caleno, multum ipsis militibus hortantibus, neque vllum periculum pro salute Cæsaris recusantibus, nacti Austrum naues soluunt: atque altera die Apolloniam, Dyrrhachiumque prætereuehuntur. qui cùm essent ex côtinenti visi: Q. Coponius, qui Dyrrhachij classi Rhodiæ præerat, naues ex portu educit: &, cùm iam nostris, remissiore vento, appropinquasset, B idem Auster increbuit, nostrisque præsidio fuit. Neque verò ille ob eam caussam conatu desistebat, sed labore, & perseuerantia nautarum, se vim tempestatis superare posse sperabat: prætervectosque Dyrrhachium magna vi venti, nihilo secius sequebantur. nostri, vsi fortunæ beneficio, tamen impetum classis timebant, si fortè ventus remisisset. nacti portum, qui appellatur Nymphæum, vltrà Lyssum millia passuum III. eò naues intro- C duxerunt: qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus: leuiusque tempestatis, quàm classis, periculum existimauerunt. Quo simul atq. intus est itum, incredibili felicitate Auster, qui per biduum flauerat, in Africum se vertit. Hic subitam commutationem fortunæ videre licuit. qui modò sibi timuerant, hos tutissimos portus recipiebat: qui nostris nauibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. itaque tempore commutato, tempestas & nostros texit & naues Rho- D dias afflixit, ita vt ad vnam constratæ omnes, numero XVI. eliderentur, & naufragio interirent. & ex magno remigum propugnatorumq. numero, pars ad scopulos allisa interficeretur, pars à nostris distraheretur: quos omnes côseruatos Cæsar domum remisit. nostræ naues II. tardius cursu confecto, in noctem coniectæ, cùm ignorarent, quem locum reliquæ cepissent, contra Lyssum in ancoris constiterunt. has, scaphis, minoribusque nauigiis compluribusque sumptis, Otacilius Crassus, E qui Lyssi præerat, expugnare parabat: simul de deditione eorum agebat, & incolumitatem deditis pollicebatur. Harum altera nauis ducentos, & viginti ex legione tironum sustulerat: altera ex veterana paullo minus ducentis se compleuerat. Hic cognosci licuit, quantum esset hominibus præsidij in animi fortitudine. Tirones enim, multitudine nauium perterriti: & salo, nauseaque confecti, iureiurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderant: qui omnes, ad eum F perducti, côtra religionê iurisiurandi in eius conspectu crudelissimè interficiuntur. At veteranæ legionis milites, item conflictati & tempestatis & sentinæ vitiis, non ex pristina virtute remittendum aliquid putauerunt: sed, tractandis côditionibus, & simulatione deditionis extracto primo noctis tempore, gubernatorem in terram nauem eiicere cogunt: ipsi idoneum locum nacti, reliquam noctis partem ibi confecerunt, & luce prima, missis ad eos ab Otacilio equitibus, qui eam partem o- G ræ maritimæ asseruabant, circiter CD. quiq. eos armati ex præsidio secuti sunt, se defenderunt, & nonnullis eorum interfectis, incolumes ad nostros sese receperunt. Quo facto conuentus ciuium Romanorum, qui Lyssum obtinebat, quod oppidû iis antea Cæsar attribuerat, muniendumq. curauerat, Antoniû recepit, omnibusque rebus iuuit. Otacilius sibi timens, oppido fugit, & ad Pompeium peruenit. Ex omnibus copiis Antonius, quarum

erat

A erat summa veteranorum iii. legionum, vniusque tironum & equitum DCCC. plerasque naues in Italiam remittit, ad reliquos milites, equitésque transportandos: pontones, quod est genus nauium Gallicarum, Lyssi relinquit: hoc consilio, vt si fortè Pompeius, vacuam existimans Italiam, eò transiecisset: exercitum, quæ opinio erat edita in vulgus, aliquam Cæsar ad insequendum facultatem haberet: nunciosque ad eum celeriter mittit, quibus regionibus exercitum exposuisset, & quid militum transuexisset. Hæc eodem ferè tempore
B Cæsar, atque Pompeius cognoscunt. nam prætereuectas Apolloniam, Dyrrhachiumque naues viderant: ipsi iter secundum eas terras direxerant: sed quò essent eæ delatæ, primis diebus ignorabant: cognitaque re, diuersa sibi ambo consilia capiunt. Cæsar vt quàm primum se cum Antonio coniungeret: Pompeius vt venientibus in itinere se opponeret, & si imprudentes ex insidiis adoriri posset. Eodemque die vterque eorum ex castris statiuis à flumine Apso exercitum educunt, Pom-
C peius clàm, & noctu, Cæsar palàm, atque interdiu. sed Cæsari circuitu maiore, iter erat longius, aduerso flumine, vt vado transire posset. Pompeius, quia expedito itinere flumen ei transeundum non erat, magnis itineribus ad Antonium contendit, atque, vbi eum appropinquare cognouit, idoneum locum nactus, ibi copias collocauit: suosque omnes castris continuit, ignésque fieri prohibuit: quo occultior esset eius aduentus. Hæc ad Antonium statim per Græcos deferuntur. Il-
D le, missis ad Cæsarem nunciis, vnum diem sese castris tenuit. altero die ad eum peruenit Cæsar. Cuius aduentu cognito, Pompeius, ne duobus circumcluderetur exercitibus, ex eo loco discedit, omnibusque copiis ad Asparagium Dyrrhachinorum peruenit, atque ibi idoneo loco castra ponit. His temporibus Scipio, detrimentis quibusdam circa montem Amanū acceptis, sese Imperatorem appellauerat. Quo facto ciuitatibus, tyrannisque magnas imperauerat pecunias: item
E à publicanis suæ prouinciæ debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat: equitésque toti prouinciæ imperauerat. Quibus coactis, finitimis hostibus, Parthis post se relictis, qui paullo antè M. Crassum Imperatorem interfecerant, & M. Bibulum in obsidione habuerant, legiones, equitésque ex Syria deduxerat: summamq. in sollicitudinem, ac timorem Parthici belli in prouinciam cum venisset, ac nonnullæ militum voces audirentur, se, contra ho-
F stem si ducerentur, ituros: contra ciuem, & Consulem arma non laturos: deductis Pergamum, atque in locupletissimas vrbes in hiberna legionibus maximas largitiones fecit: & confirmandorum militum caussa diripiendas iis ciuitates dedit. Interim acerbissimè imperatæ pecuniæ tota prouincia exigebantur. Multa prætereà generatim ad auaritiam excogitabantur. in capita singula seruorum, ac liberorum tributum imponeba-
G tur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. cuius modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. non solùm vrbibus, sed pæne vicis, castellisque singulis cum imperio præficiebantur. qui horum quid acerbissimè, crudelissimeque fecerat, is & vir, & ciuis optimus habebatur. erat plena lictorum & imperiorum prouincia, conferta præfectis, atque exacto-

A ribus, qui, præter imperatas pecunias, suo etiam priuato compendio seruiebant. dictitabant enim, se, domo, patriaque expulsos, omnibus necessariis egere rebus: vt honesta præscriptione rem turpissimam tegerent. Accedebant ad hæc grauissimæ vsuræ, quod in bello plerunque accidere consueuit, vniuersis imperatis pecuniis: quibus in rebus prolationem diei donationem esse dicebant. Itaque æs alienum prouinciæ eo biennio multiplicatum est. nec minus ob eam caussam ciuibus Romanis eius prouinciæ, sed in singulos conuen-
B tus, singulasque ciuitates, certæ pecuniæ imperabantur: mutuasque illas ex S. C. exigi dictitabant: publicanis, vti in sorte fecerant, insequentis anni vectigal promutuo. Præterea Ephesi à fano Dianæ depositas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat, ceterasque eius deæ statuas. Cùm in fanum ventum esset, adhibitis compluribus senatorii ordinis, quos aduocauerat Scipio, literæ ei redduntur à Pompeio, mare transisse cum le-
C gionibus Cæsarem: properaret ad se cum exercitu venire, omniaque posthaberet. His literis acceptis, quos aduocauerat, dimittit: ipse iter in Macedoniam parare incipit: paucisq. pòst diebus est profectus. hæc res Ephesiæ pecuniæ salutem attulit. Cæsar, Antonii exercitu coniuncto, deducta Orico legione, quam tuendæ oræ maritimæ caussa posuerat, tentandas sibi Prouincias: longiusque procedendum existimabat: &, cùm ad eum legati venissent ex Thessalia, Ætoliaque, qui præsidio
D misso, pollicerentur earum gentium ciuitates imperata facturas. L. Cassium Longinum cum legione tironum, quæ appellabatur XXVII. atque equitibus CC. in Thessaliam, C. Caluisium Sabinum cum cohortibus V. paucisque equitibus in Aetoliam mittit: maximè eos, quòd erant propinquæ regiones, de re frumentaria, vt prouiderent, hortatus est. Cn. Domitium Caluinum cum legionibus II. XI. & XII. & equitibus D. in Macedoniam proficisci iubet. Cuius prouinciæ ab ea parte, quæ Libera appellabatur, Menedemus, princeps
E earum regionum missus legatus, omnium suorum excellens studium profitebatur. Ex his Caluisius, primo aduentu summa omnium Aetolorum receptus voluntate, præsidiis aduersariorum Calidone, & Naupacto reiectis, omni Aetolia potitus est. Cassius in Thessaliam cum legione peruenit. hic, cum essent factiones duæ, varia voluntate ciuitatum vtebatur. Egesaretus, veteris homo potentiæ, Pompeianis rebus studebat. Petreius, sum-
F mæ nobilitatis adolescens, suis, ac suorum opibus Cæsarem enixè iuuabat. Eodemque tempore Domitius in Macedoniam venit. & cum ad eum frequentes ciuitatum legationes conuenire cœpissent: nunciatum est, adesse Scipionem cum legionibus, magna de opinione, & fama omnium. nam plerúmque in nouitate fama antecedit. Hic nullo in loco Macedoniæ moratus, magno impetu contendit ad Domitium: & cùm ab eo millia passuum XX. abfuisset, subito se ad Cassium Longi-
G num in Thessaliam conuertit. hoc adeò celeriter fecit: vt simul adesse, & venire nunciaretur. &, quo iter expeditius faceret, M. Fauonium ad flumen Haliacmonem, quod Macedoniam à Thessalia diuidit, cum cohortibus IIX. præsidio impedimentis legionum reliquit, castellumque ibi muniri iussit. Eodem tempore equitatus regis Cotti ad castra Cassii aduolauit, qui circum Thessaliam esse consueuerat. Tum, timore perterritus Cas-

sitis, cognito Scipionis aduentu, vilisque equitibus, quos Scipionis esse arbitrabatur, ad montes se conuertit, qui Thessaliam cingunt: atque ex his locis Ambraciam versus iter facere cœpit. At Scipionem, properantem sequi, literæ sunt consecutæ à M. Fauonio, Domitium cum legionibus adesse, nec se præsidium, vbi constitutus esset, sine auxilio Scipionis, tenere posse. Quibus literis acceptis, consilium Scipio, iterque commutat: Cassium sequi desistit: Fauonio auxilium ferre contendit. Itaque, die ac nocte continuato itinere, ad eum peruenit, tam opportuno tempore, vt simul Domitiani exercitus pulueris cerneretur, & primi antecursores Scipionis viderentur. Ita Cassio industria Domitij, Fauonio Scipionis celeritas salutem attulit. Scipio, in castris statiuis biduo moratus, ad flumen, quod inter eum & Domitij castra fluebat, Haliacmonem, tertio die prima luce exercitum vado transducit: &, castris positis, postero die mane, copias ante frontem castrorum instruit. Domitius tum quoque sibi dubitandum non putauit, quin, productis legionibus, prœlio decertaret. sed, cùm esset inter bina castra campus circiter millium passuum vi. castris Scipionis aciem suam subiecit. ille à vallo non discedere perseuerauit: attamen, ægrè retentis Domitianis militibus, est factum, ne prœlio contenderetur: & maximè, quòd riuus difficilibus ripis, castris Scipionis subiectus, progressus nostrorum impediebat. Quorum studium, alacritatemque pugnandi cùm cognouisset Scipio, suspicatus fore, vt postero die aut inuitus dimicare cogeretur, aut magna cum infamia castris se contineret, qui cùm magna exspectatione venisset, temere progressus turpem habuit exitum: & noctu, ne conclamatis quidem vasis, flumen transit: atque in eandem partem, ex qua venerat, redit; ibique prope flumen edito natura loco castra posuit. Paucis diebus interpositis, noctu insidias equitum collocauit, quo in loco superioribus ferè diebus nostri pabulari consueuerant. & cùm, quotidiana consuetudine, Q. Varus, præfectus equitum Domitij, venisset, subitò illi ex insidiis consurrexerunt. sed nostri fortiter eorum impetum tulerunt: celeriterque ad suos quisque ordines redijt: atque vltro vniuersi in hostes impetum fecerunt. ex his circiter LXXX. interfectis, reliquis in fugam coniectis, duobus amissis, in castra se receperunt. His rebus gestis, Domitius, sperans Scipionem ad pugnam elici posse, simulauit sese, angustiis rei frumentariæ adductum, castra mouere: vasisque militari more conclamatis, progressus millia passuum III. loco idoneo, & occulto omnem exercitum, equitatumque collocauit. Scipio, ad sequendum paratus, equitatum, magnamque partem leuis armaturæ ad explorandum iter Domitij, & cognoscendum, præmisit. qui cùm essent progressi, primæque turmæ insidias intrauissent: ex fremitu equorum illata suspicione, ad suos se recipere cœperunt: quique hos sequebantur, celerem eorum receptum conspicati, restiterunt. nostri, cognitis insidiis, ne frustra reliquos exspectarent, duas nacti Scipionis turmas exceperunt. in his fuit M. Opimius, præfectus equitum. reliquos omnes earum turmarum aut interfecerunt, aut captos ad Domitium deduxerunt. Deductis oræ maritimæ præsidiis Cæsar, vt suprà demonstratum est, III. cohortes Orici oppidi tuendi caussa reliquit, iisque custodiam nauium longarum tradidit, quas ex Italia transdu-

A xerat. huic officio, oppidoq. præerat Acilius legatus. Is naues nostras in interiorem partem post oppidum reduxit & ad terram deligauit: faucibusque portus nauem onerariam submersam obiecit, & huic alteram coniunxit: super qua turrim effectam ad ipsum introitum portus opposuit, & militibus compleuit, tuendamq. ad omnes repentinos casus transdidit. Quibus cognitis rebus, Cn. Pompeij filius, qui classi Ægyptiæ præerat, ad Oricum venit: submersamq. nauim remulco, multisq. contendens funibus abduxit: atq. alteram nauem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, [illegible] ribus aggressus nauibus, in quibus ad libram fecerat turres, vt ex superiori pugnans loco, integrosque semper defatigatis summittens, & reliquis partibus simul ex terra [illegible] oppidum [illegible] di tentans, vt aduersariorum manus [illegible] bore, & multitudine telorum nostros [illegible] ctisque defensoribus qui omnes [illegible] excepti refugerunt, etiam nauem expugnauit [illegible]
C tempore ex altera parte molem [illegible] obiectam, quę pæne insulam [illegible] cerat; IV. biremes, subiectis scutulis [illegible] ctibus in interiorem partem [illegible] traq. parte naues longas aggressus [illegible] ligatæ ad terram, atque inanes [illegible] reliquas incendit. Hoc confecto [illegible] lium, ab Asiatica classe abductum [illegible] commeatus Hellide atque Amantia [illegible] oppidum prohibebat: ipse, Lyssum [illegible]
D onerarias XXX. à M. Antonio relictas [illegible] tum aggressus, omnes incendit: Lyssum expugnare conatus, defendentibus ciuibus [illegible] eius erant conuentus, militibusque [illegible] caussa miserat Cæsar, triduum moratus [illegible] oppugnatione amissis, re infecta, inde [illegible] Cæsar, postquam Pompeium ad Asparagium [illegible] cognouit, eodem cum exercitu profectus [illegible] pugnato in itinere oppido Parthinorum [illegible] Pompeius præsidium habebat, III. die in Mace-
E doniam ad Pompeium peruenit, iuxtaque eum castra posuit: & postridie, eductis omnibus copiis, acie instructa decernendi potestatem Pompeio fecit. vbi cum suis locis se tenere animaduertit, reducto in castra exercitu, aliud sibi consilium capiendum existimauit. itaque postero die [illegible] copiis, magno circuitu, difficili, angustoque itinere, Dyrrhachium profectus est, sperans Pompeium aut Dyrrhachium compelli, aut ab eo intercludi posse, quòd omnem commeatum, totiusque belli
F apparatum is eò contulisset, vt accidit. Pompeius enim, primò ignorans eius consilium, quod diuerso ab ea regione itinere profectum videbat, angustiis rei frumentariæ compulsum discessisse existimabat: postea, per exploratores certior factus, postero die castra mouit, breuiore itinere se occurrere ei posse sperans. quod fore suspicatus Cæsar, militesque adhortatus, vt æquo animo [illegible] rent, parua parte noctis itinere intermisso, mane Dyrrhachium venit, cum primum agmen Pom-
G peij procul cerneretur atq. ibi castra posuit. Pompeius interclusus Dyrrhachio [illegible] nere non potuit, secundo vsus consilio [illegible] qui appellatur Petra [illegible] diocrem atq. eas à quibusdam [illegible] communit: eo parte nauium longarum [illegible] re, frumentū commeatumq. ab Asia [illegible] regionibus, quas tenebat, [illegible] Cæsar longius bellum [illegible]

de I.a-

de Italicis commeatibus desperans, quòd tanta diligentia omnia litora à Pōpeianis tenebantur, classesq. ipsius, quas hieme in Sicilia, Gallia, Italia fecerat, morabantur, in Epirum rei frumentariæ caussa, L. Canuleium legatum misit: quodque hæ regiones aberant longius, locis certis horrea constituit, vecturasque frumenti finitimis ciuitatibus descripsit. Item Lyssi Parthinisque & omnibus castellis quod esset frumenti, conquiri iussit. id erat perexiguum, cùm ipsius agri natura, quòd sunt ex loco aspera, & montuosa: ac plerumque vtuntur frumento importato: tum quòd Pompeius hæc prouiderat, & superioribus diebus prædæ loco Parthinos habuerat, frumentumque omne conquisitum, spoliatis, effossisque eorum domibus per equites comportauerat. Quibus rebus cognitis, Cæsar consilium capit ex loci natura. erant enim circum castra Pompeii permulti editi, atque asperi colles. hos primum præsidiis tenuit, castellaque ibi communiit. inde, vt loci cuiusque natura ferebat, ex castello in castellum perducta munitione, circumuallare Pompeium instituit: hæc spectans, quòd angusta re frumentaria vtebatur, quodque Pompeius multitudine equitum valebat, quo minore periculo vndique frumentum, commeatumque exercitui supportare posset: simul, vti pabulatione Pompeium prohiberet, equitatumque eius ad rem gerendam inutilem efficeret: tertio, vt auctoritatem, qua ille maximè apud exteras nationes niti videbatur, minueret: cùm fama per orbem terrarum percrebruisset, illum à Cæsare obsideri, neque audere prœlio dimicare. Pompeius neque à mari, Dyrrhachioque discedere volebat, quòd omnem apparatum belli, tela, arma, tormenta ibi collocauerat, frumentumque exercitui nauibus supportabat: neque munitiones Cæsaris prohibere poterat, nisi prœlio decertare vellet, quod eo tempore statuerat non esse faciendum. Relinquebatur, vt extremam rationem belli sequens, quàm plurimos colles occuparet, & quàm latissimas regiones præsidiis teneret, Cæsarisque copias quàm maximè posset distineret. idque accidit. castellis enim XXIIII. effectis, XV. millia passuum circuitu amplexus, hoc spatio pabulabatur: multaque erant intra eum locum manu sata, quibus interim iumenta pasceret. atque vt nostri, qui perpetuas munitiones videbant perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani, ac nostros post tergum adorirentur, timebant: ita illi in spatio perpetuas munitiones efficiebant, ne quem locum nostri intrare, atque ipsos à tergo circumuenire possent. sed illi operibus vincebant: quod & numero militum præstabant, & interiore spatio minorem circuitum habebant. Quæcumque erant loca Cæsari capienda, etsi prohibere Pompeius totis copiis, & dimicare non constituerat, tamen suis locis sagittarios funditoresque mittebat, quorum magnum habebat numerum: multique ex nostris vulnerabantur: magnusque incesserat timor sagittarum, atque omnes ferè milites aut ex coactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegimenta fecerant, quibus tela vitarent. In occupandis præsidiis magna vi vterque nitebatur: Cæsar, vt quàm angustissimè Pompeium contineret: Pompeius, vt quàm plurimos colles, quàm maximo circuitu occuparet: crebraque ob eam caussam prœlia fiebant. In his cùm legio Cæsaris IX. præsidium quoddam occupauisset, & munire cœpisset, huic loco propinquum, & contrarium collem Pompeius occupauit, nostrosq. opere prohibere cœpit: &, cũ vna ex parte propè æquum aditum haberet, primũ sagittariis, funditoribusq. circumiectis, post à leuis armaturæ magna multitudine missa, tormentisq. prolatis munitiones impediebat. neque erat facilè nostris vno tēpore propugnare, & munire. Cæsar, cùm suos ex omnibus partibus vulnerari videret, recipere se statuit, & loco excedere. erat per decliue receptus: illi autem hoc acrius instabant, neque regredi nostros patiebantur: quòd, timore adducti, locum relinquere videbantur. Dicitur eo tempore glorians apud suos Pompeius dixisse, nõ recusare se, quin nullius vsus Imperator existimaretur, si sine maximo detrimento legiones Cæsaris sese recepissent inde, quo temere essent progressæ. Cæsar, receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem proferri, & aduersas locari, intra has mediocri latitudine fossam, tectis militibus, obduci iussit, locumque in omnes partes quàm maximè impediri. ipse idoneis locis funditores instruxit, vt præsidio nostris se recipientibus essent. His rebus completis, legiones reduci iussit. Pompeiani hoc insolentius, atque audacius nostros premere & instare cœperunt: cratesq. pro munitione obiectas propulerunt, vt fossas transcenderent. Quod cùm animaduertisset Cæsar, veritus ne non reducti, sed reiecti viderentur, maiusq. detrimentum caperetur, à medio ferè spatio suos per Antonium, qui ei legioni præerat, cohortatus, tuba signum dari, atque in hostes impetum fieri iussit. Milites legionis IX. subito cõspirati pila coniecerunt: & ex inferiore loco aduersus cliuum incitati, cursu præcipites Pompeianos egerunt, & terga vertere coegerũt. Quibus ad recipiendum crates directæ, longuriique obiecti, & institutæ fossæ, magno impedimēto fuerant. Nostri verò, qui satis habebant sine detrimento discedere, compluribus interfectis, V. omnino suorum amissis, quietissimè se receperunt: pauloque citra eum locum morati, aliis comprehensis collibus, munitiones perfecerunt. Erat noua & inusitata belli ratio cùm tot castellorum numero, tantoque spatio, & tantis munitionibus, & toto obsidionis genere, tum etiam reliquis rebus. nã, quicumque alterũ obsidere conati sunt, perculsos, atque infirmos hostes adorti, aut prœlio superatos, aut aliqua offensione permotos cõtinuerunt, cum ipsi numero equitum militumq. præstarent. Caussa autem obsidionis hæc ferè esse consueuit, vt frumento hostes prohiberent. at tũc integras, atque incolumes copias Cæsar inferiore militum numero cõtinebat: cùm illi omnium rerum copia abundarent. cotidie enim magnus vndique nauium numerus conueniebat, quæ commeatum supportarent: neque vllus flare ventus poterat, quin aliqua ex parte secundum cursum haberent. ipse autem, consumptis omnibus longè latèque frumentis, summis erat in angustiis. sed tamen hæc singulari patientia milites ferebant. recordabantur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos, labore, & patientia maximum bellum confecisse: meminerant ad Alesiam magnam se inopiam perpessos: multo etiam maiorem ad Auaricum: maximarum se gentium victores discessisse. non illis hordeum cùm daretur, non legumina recusabant: pecus verò, cuius rei summa erat ex Epiro copia, magno in honore habebant. Est etiam genus radicis inuentum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod ap-

pellatur Chara: quod admistum lacte multum inopiam leuabat. id ad similitudinem panis efficiebant. eius erat magna copia. ex hoc effectos panes, cùm in colloquiis Pompeiani famem nostris obiectarent, vulgò in eos iaciebant, vt spem eorum minuerent. Iamq. frumenta maturescere incipiebant: atque ipsa spes inopiam sustentabat: quòd celeriter se habituros copiam confidebant. crebroque voces militum in vigiliis, colloquiisque audiebantur, prius se cortice ex arboribus victuros, quàm Pompeium è manibus dimissuros. frequenter etiam ex perfugis cognoscebant, equos eorum vix tolerari, reliqua verò iumenta interisse: vti autem ipsos valetudine non bona, cùm angustiis loci, & odore tetro, & multitudine cadauerum, & quotidianis laboribus insuetos operum, tum aquæ summa inopia affectos. omnia enim flumina, atque omnes riuos, qui ad mare pertinebant, Cæsar aut auerterat, aut magnis operibus obstruxerat. atque vt erant loca montuosa, & ad specus angustiæ vallium, has sublicis in terram demissis, præsepserat: terramq. aggesserat, vt aquam continerent. itaque illi necessariò loca sequi demissa, ac palustria, & puteos fodere, cogebantur: atque hunc laborem ad quotidiana opera addebant: qui tamen fontes à quibusdam præsidiis aberant longius, & celeriter æstibus exarescebant. At Cæsaris exercitus optima valetudine, summaque aquæ copia vtebatur: tum commeatus omni genere præter frumentũ abundabat: quibus quotidie melius succedere tempus, maioremq. spem maturitate frumentorum proponi videbant. In nouo genere belli nouæ ab vtrisque bellandi rationes reperiebãtur. illi, cùm animaduertissent ex ignibus, noctu cohortes nostras ad munitiones excubare, silentio aggressi vniuersas intra multitudinem sagittas coniiciebant, & se confestim ad suos recipiebant. Quibus rebus nostri vsu docti, hæc reperiebant remedia, vt alio loco ignes facerent, alio excubarent. Interim certior factus P. Sylla, quem discedens castris præfecerat Cæsar, auxilio cohorti venit cum legionibus II. cuius aduentu facilè sunt repulsi Pompeiani. neq. verò conspectum, aut impetum nostrorum tulerunt: primisq. deiectis, reliqui se verterunt, & loco cesserunt. sed insequentes nostros, ne longius prosequerentur, Sylla reuocauit. At plerique existimant, si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. cuius consilium reprehendendum non videtur. aliæ enim sunt legati partes, atque Imperatoris. alter omnia agere ad præscriptum: alter liberè ad summam rerum consulere debet. Sylla, à Cæsare castris relictus, liberatis suis, hoc fuit contentus, neque prœlio decertare voluit: quæ res tamen fortasse aliquem reciperet casum: ne imperatorias sibi partes sumpsisse videretur. Pompeianis magnam res ad receptum difficultatem afferebat. nã, ex iniquo progressi loco, in summo constiterant: si per decliue sese reciperent, nostros ex superiore insequentes loco verebantur. neque multum ad solis occasum temporis superat. spe enim conficiendi negotij propè in noctem rem deduxerant. ita necessariò, atque ex tempore capto consilio, Pompeius tumulum quendã occupauit: qui tantum aberat à nostro castello, vt telũ tormentúmve missum adigi non posset. Hoc consedit loco, atque eum communiuit: omnesq. ibi copias continuit. Eodem tempore duobus præterea locis pugnatum est. nam plura castella Pompeius pariter,

A destinendæ manus caussa, tentauerat: ne ex proximis præsidiis succurri posset. vno loco Volcatius Tullius impetum legionis sustinuit cum cohortibus III. atque eam loco depulit. altero Germani, munitiones nostras egressi, compluribus interfectis, sese ad suos incolumes receperũt. ita vno die, VI. prœliis factis, III. ad Dyrrhachium, III. ad munitiones, cùm horum omnium ratio haberetur, ad duorum milium numero ex Pompeianis cecidisse reperiebamus: euocatosque centuriones com-

B plures. in eo fuit numero Valerius Flaccus, L. filius, eius, qui Prætor Asiam obtinuerat: signaque sunt VI. militaria relata. nostri non amplius XX. omnib. sunt prœliis desiderati. sed in castello nemo fuit omnino militũ, quin vulneraretur: quatuorque ex vna cohorte centuriones oculos amiserunt. & cùm laboris sui periculique testimonium afferre vellent, millia sagittarum circiter XXX. in castellum coniecta Cæsari renumerarunt, scutoque ad eum relato Scæuæ centurionis, inuenta

C sunt in eo foramina CCXXX. quem Cæsar, vt erat de se meritus, & de Rep. donatum millibus ducentis æris: atq. ab octauis ordinibus ad primipilum se transducere, pronunciauit. eius enim opera castellum conseruatum esse magna ex parte constabat. Cohortemq. postea duplici stipendio, frumento, vestiariis, militaribusque donis amplissimè donauit. Pompeius, noctu magnis additis munitionibus, reliquis diebus turres extruxit, & in altitudinem pedum XV. effectis operibus vineis

D eam partem castrorum obtexit. & V. intermissis diebus, alteram noctem subnubilam nactus, obstructis omnibus castrorum portis, & ad impediendũ obiectis, tertia inita vigilia silentio exercitũ eduxit, & se in antiquas munitiones recepit. Ætolia, Acarnania, Amphilochis per Cassium Longinum, & Caluisium Sabinum, vt demonstrauimus, receptis, tentandam sibi Achaiam, ac paulo longius progrediendum existimabat Cæsar. itaque eò Fufium Calenum misit: & Q. Sabinum, &

E Cassium cum cohortibus adiungit. Quorum cognito aduentu Rutilius Lupus, qui Achaiam missus à Pompeio obtinebat, Isthmum præmunire instituit, vt Achaia Fufium prohiberet. Calenus Delphos, Thebas, & Orchomenum de voluntate ipsarum ciuitatum recepit: nonnullas vrbes per vim expugnauit: reliquas ciuitates circummissis legationibus, amicitiæ Cæsaris conciliare studebat. In his rebus fere erat Fufius occupatus. Omnibus deinceps diebus Cæsar exercitum in aciem

F æquum in locum produxit, si Pompeius prœlio decertare vellet, vt pænè castris Pompeij legiones subiiceret: tantumq. a vallo eius prima acies aberat, vti ne in eam telum tormentumve adigi posset. Pompeius autem, vt famam, opinionemque hominum teneret, sic pro castris exercitum constituebat, vt III. acies vallum contingeret, vniuersusque eius instructus exercitus telis ex vallo adiectis protegi posset. Hæc cùm in Achaia, atque apud Dyrrhachium gererentur, Scipionemq. in Ma-

G cedoniam venisse, constaret: non oblitus pristini instituti Cæsar, mittit ad eum Clodium suum, atq. illius familiarem, quem ab illo transditum, initio, & cõmendatum, in suorum necessariorum numero habere instituerat. Huic dat literas, mandataq. ad eum: quorum hæc erat summa: Sese omnia de pace expertum nihil adhuc arbitrari factum vitio eorum, quos esse auctores eius rei voluisset: quòd sua mandata perferre nõ opportuno tempore ad

Pom-

Pompeium vererentur: Scipionem ea auctoritate esse, vt non solùm liberè, quę probasset, exponere, sed etiam ex magna parte compellere, atq. errantem regere posset: præesse autem suo nomine exercitui: vt præter auctoritatem, vires quoque ad coercendum haberet: quod si fecisset, quietem Italiæ, pacem prouinciarum, salutem imperij vni omnes acceptam relaturos. Hæc ad eum mandata Clodius refert. ac primis diebus, vt videbatur, libenter auditus, reliquis ad colloquium non admittitur. Castigato Scipione à Fauonio, vt postea, confecto bello, reperiebamus: infectaque re, sese ad Cæsarem recepit. Cæsar, quo facilius equitatum Pompeianum ad Dyrrachium contineret, & pabulatione prohiberet, aditus duos, quos esse angustos demonstrauimus, magnis operibus præmuniuit: castellaque his locis posuit. Pompeius, vbi nihil proficere equitatum cognouit, paucis intermissis diebus, rursum cum nauib. ad se intra munitiones recipit. Erat summa inopia pabuli, adeò, vt foliis ex arboribus strictis, & teneris arũdinum radicibus contusis equos alerent. frumenta enim, quæ fuerant intra munitiones sata, consumpserant: & cogebantur Corcyra, atque Acarnania, longo interiecto nauigationis spatio, pabulũ supportare, quoque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere. atque his rationibus equitatum tolerare. sed, postquam non modò hordeum, pabulumq. omnibus in locis, herbæq. desectæ, sed etiam fructus ex arboribus deficiebant, corruptis equis macie, conandum sibi aliquid Pompeius de eruptione existimauit. Erant apud Cæsarem ex equitum numero Allobroges duo fratres, Roscillus & Ægus, Adbucilli filij, qui principatum in ciuitate multis annis obtinuerat, singulari virtute homines, quorum opera Cæsar omnibus Gallicis bellis optima, fortissimaque erat vsus. his domi, ob has caussas amplissimos Magistratus mandauerat: atque eos extra ordinem in Senatum legendos curauerat: agrosq. in Gallia ex hostibus captos, præmiaq. rei pecuniariæ magna tribuerat: locupletesque ex egentibus effecerat. hi propter virtutem, non solum, apud Cæsarem in honore erant, sed etiam apud exercitum cari habebantur. sed, freti amicitia Cæsaris, & stulta, ac barbara arrogantia elati, despiciebant suos, stipendiumque equitum fraudabant, & prædam omnem domum auertebant. Quibus illi rebus permoti, vniuersi Cæsarem adierunt: palamque de eorum iniuriis sunt questi: & ad cetera addiderunt, falsum ab his equitum numerum deferri, quorum stipendium auerterent. Cæsar neque tempus illud animaduersionis esse existimans, & multa virtuti eorum concedens, rem distulit totam, illos secretò castigauit, quòd quęstui equites haberent: monuitque equites, vt ex sua amicitia omnia exspectarent, & ex præteritis suis officiis reliqua sperarent. magnam tamen hęc res illis offensionem, & contemptionem ad omnes attulit. idque ita esse, cùm ex aliorum obiectationibus, tum etiam ex domestico iudicio, atque animi cõscientia, intelligebant. Quo pudore adducti, & fortasse se non liberari, sed in aliud tempus reseruari arbitrati, discedere à nostris, & nouam tentare fortunam, nouasque experiri amicitias, constituerunt: &, cum paucis collocuti clientibus suis, quibus tantum facinus committere audebant, primùm conati sunt Præfectum equitum, C. Volusenum, interficere, vt postea, bello confecto, cognitum est: vt, cum mu-

A nere aliquo perfugisse ad Pompeium viderentur: postquam id difficilius visum est, neque facultas perficiendi dabatur, quàm maximas potuerunt, pecunias mutuati, perinde ac suis satisfacere, & fraudata restituere vellent, multis coemptis equis ad Pompeium transierunt cum iis quos sui consilij participes habebant. quos Pompeius, quòd erant honesto loco nati, & instructi liberaliter, magnoque comitatu, & multis iumentis venerant, virique fortes habebantur, & in honore apud
B Cæsarem fuerant, quodque nouum, & præter consuetudinem acciderat, per omnia sua præsidia circunduxit, atque ostentauit. nam ante id tempus nemo aut miles aut eques à Cęsare ad Pompeium transierat: cùm pæne quotidie à Pompeio ad Cæsarem perfugerent. vulgò verò vniuersi in Epiro, atque Aetolia conscripti milites, earumq. regionum omnium, quæ à Cæsare tenebantur: sed hi, cognitis omnibus rebus, seu quid in munitionibus perfectum non erat, seu quid à peritioribus
C rei militaris desiderari videbatur, temporibusque rerum, & spatiis locorum, & custodiarum varia diligentia animaduersa, prout cuiusque eorum, qui negotiis præerant, aut natura, aut studium ferebat, hæc ad Pompeium omnia detulerunt. Quibus ille cognitis, eruptionisq. iam antè capto consilio, vt demonstratum est, tegmenta galeis milites ex viminibus facere atque aggerem comportare iubet. His paratis rebus, magnum numerum leuis armaturæ, & sagittariorum, aggeremq. omnem noctu in scaphas, & naues actuarias imponit: &
D de media nocte cohortes LX. ex maximis castris, præsidiisq. deductas, ad eam partem munitionum ducit, quæ pertinebant ad mare, longissimeque à maximis castris Cæsaris aberant. Eòdem naues, quas demonstrauimus, aggere, & leuis armaturæ militibus completas, quasq. ad Dyrrhachium naues longas habebat, mittit: &, quid à quoquo fieri velit, præcepit. Ad eas munitiones Cæsar Lentulum Marcellinum Quæstorem cum legione IX. positum habebat. huic, quòd valetudine minus
E commoda vtebatur, Fuluium Postumum adiutorem summiserat. Erat eo loco fossa pedum XV. & vallus contra hostem, in altitudinem pedum X. tantundemq. eius valli agger in latitudinem patebat: ab eo intermisso spatio pedum DC. alter conuersus in contrariam partem, erat vallus, humiliore paullo munitione. hoc enim superiorib. diebus timens Cæsar, ne nauibus nostri circumuenirentur, duplicem eo loco fecerat vallum: vt, si ancipiti prœlio dimicaretur, posset resisti. sed o-
F perum magnitudo & continens omnium dierum labor, quòd millia passuum in circuitu XVII. munitiones erat complexus, perficiendi spatium non dabat. Itaque contra mare transuersum vallum, qui has duas munitiones contingeret, nondum perfecerat. quæ res nota erat Pompeio, delata per Allobroges perfugas: magnumque nostris attulit incommodum. nam, vt ad mare nostræ cohortes IX. legionis excubuerant, accessere subitò prima luce Pompeiani exercitus: nouusque eorum ad-
G uentus exstitit: simulque nauibus circumuecti milites in interiorem vallum tela iaciebant: fossæque aggere complebantur: & legionarij interioris munitionis defensores, scalis admotis, tormentisque cuiusque generis, telisque terrebant: magnaque multitudo sagittariorum ab vtraque parte circunfundebatur. multum autem ab ictu lapidum, quod vnum nostris erat telum, viminea

tegumenta galeis imposita defendebant. itaque, cùm omnibus rebus nostri premerentur, atque ægrè resisterent: animaduersum est vitium munitionis, quod suprà demonstratum est, atque inter duos vallos qua perfectum opus non erat per mare nauibus expositi, in auersos nostros impetum fecerunt: atque ex vtraque munitione deiectos terga vertere coegerunt. Hoc tumultu nunciato, Marcellinus cohortes subsidio nostris laborantibus summisit: quæ ex castris fugientes conspicatæ, neque illos suo aduentu confirmare potuerũt, neque ipsæ hostium impetum tulerunt. itaque, quodcunque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium, terrorem, & periculum augebat. hominum enim multitudine receptus impediebatur. In eo prœlio, cùm graui vulnere esset affectus aquilifer, & viribus deficeret, conspicatus equites nostros, Hanc ego inquit, & viuus multos per annos magna diligentia defendi, & nunc moriens eadem fide Cæsari restituo. nolite, obsecro, committere, quod antè in exercitu Cæsaris non accidit, vt rei militaris dedecus admittatur: incolumemq. ad eũ referte. hoc casu aquila conseruatur, omnibus primæ cohortis Centurionibus interfectis, præter principem priorem. iamque Pompeiani magna cęde nostrorũ, castris Marcellini appropinquabant, non mediocri terrore illato reliquis cohortib. & M. Antonius, qui proximum locum tenebat præsidiorum, ea renunciata, cum cohortibus XII. descendens ex loco superiore cernebatur. cuius aduentus Pompeianos compressit, nostrosque firmauit, vt se ex maximo timore colligerent. neq. multo pòst Cæsar, significatione per castella fumo facta, vt erat superioris temporis consuetudo, deductis quibusdam cohortibus ex præsidiis, eòdem venit. Qui cognito detrimento, cùm animaduertisset Pompeium extra munitiones egressum, castra secundùm mare, vt liberè pabulari posset, nec minus aditum nauibus habere, cõmutata ratione belli, quoniam propositum non tenuerat, iuxta Pompeium munire iussit. Qua perfecta munitione, animaduersum est à speculatoribus Cæsaris, cohortes quasdam, quòd instar legionis videretur, esse post siluam, & in vetera castra duci. Castrorum hic situs erat. Superioribus diebus, cùm se IX. legio Cæsaris obiecisset Pompeianis copiis, atque opere, vt demõstrauimus, circummuniret, castra eo loco posuit. Hæc siluam quandam contingebant, neque longius à mari passibus CD. aberant. pòst, mutato consilio, quibusdam de causis, Cæsar, paullo vltra eum locum castra transtulit: paucisque intermissis diebus, hæc eadem Pompeius occupauerat: &, quòd eo loco plures erat legiones habiturus, relicto interiore vallo, maiorem adiecerat munitionem. ita minora castra, inclusa maioribus, castelli, atque arcis locum obtinebant. Item ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat, circiter passus CD. quo liberius ac sine periculo milites aquarentur. sed is quoque, mutato consilio, quibusdam de causis, quas commemorari necesse non est, eo loco excesserat. ita complures dies manserant castra: munitiones quidem integræ omnes erant. eo signo legionis illato, speculatores Cæsari renunciauerunt. hoc idem visum ex superiorib. quibusdam castellis confirmauerant. Is locus aberat à nouis Pompeij castris circiter passus D. Hanc legionem sperans Cæsar se opprimere posse, & cupiens eius

A diei detrimentum sarcire, reliquit in opere cohortes II. quæ speciem munitionis præberent: ipse, diuerso itinere, quàm potuit occultissimè, reliquas cohortes numero XXXIII. in quibus erat legio IX. multis amissis centurionibus, deminutoque militum numero, ad legionem Pompeij, castraq. minora duplici acie duxit. neq. eum prima opinio fefellit. nam & peruenit prius, quàm Pompeius sentire posset: & tametsi erant munitiones castrorum magnæ, tamen sinistro cornu, vbi erat
B ipse, celeriter aggressus, Pompeianos ex vallo deturbauit. erat obiectus portis Ericius. hic paullisper est pugnatum: cùm irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent, fortissimè T. Pulcione, cuius opera proditum exercitum C. Antonij demonstrauimus, è loco propugnante. sed tamé nostri virtute vicerunt: excisoq. Ericio, primò in maiora castra, pòst etiam in castellum, quod erat inclusum maioribus castris, irruperunt. & quòd eò pulsa legio sese receperat, nõnullos sibi repugnã-
C tes interfecerunt. sed fortuna, quæ plurimum potest, cùm in reliquis rebus, tum precipuè in bello, paruis momentis magnas rerum commutationes efficit, vt tum accidit. Munitionem, quam pertinere à castris ad flumen suprà demonstrauimus, dextri Cæsaris cornu cohortes ignorantia loci, sunt secutæ, cùm portam quærerent castrorum. quòd eam munitionem esse arbitrarentur. Quod cùm esset animaduersum, coniunctam esse flumini: protinus his munitionibus, defendente nullo,
D transcenderunt: omnisq. noster equitatus eas cohortes est secutus. Interim Pompeius, hac longa satis interiecta mora, & re nunciata, V. legionem ab opere deductam subsidio suis duxit: eodemq. tempore equitatus eius nostris equitibus appropinquabat: & acies instructa à nostris, qui castra occupauerant, cernebatur: omniaque sunt subitò mutata. Pompeiana enim legio, celeri spe subsidij confirmata, ab decumana porta resistere conabatur, atq. vltro in nostros impetũ faciebat: equitatus
E Cæsaris, quòd angusto itinere per aggeres ascendebat, receptui suo timens, initium fugę faciebat. dextrum cornu, quod erat à sinistro seclusum, terrore equitum animaduerso, ne intra munitionem opprimeretur, ex parte, ex qua proruebat, sese recipiebat: ac pleriq. ex iis, ne in angustias inciderent, x. pedum munitionis sese in fossas præcipitabant: primisq. oppressis, reliqui per horum corpora salutem sibi, atq. exitum, pariebant. Sinistro cornu, milites, cùm ex vallo, Põpeium adesse, & suos fugere, cernerent, veriti, ne angustiis interclude-
F rentur, cùm extra, & intus hostem haberent, eodé, quò venerant, receptui consulebant: omniaque erant tumultus, timoris, fugæ plena, adeò, vt cùm Cæsar signa fugientiũ manu prehenderet, & consistere iuberet, alij, dimissis equis, eundem cursum conficerent: alij ex metu etiam signa dimitterét, neque quisquam omnino consisteret. His tantis malis hæc subsidia succurrebant: quo minus omnis deleretur exercitus, quòd Pompeius, insidias timens, credo, quòd hæc præter spem acciderant
G eius, qui paullo antè ex castris fugientes suos cõspexerat, munitionibus appropinquare aliquamdiu non audebat: equitesq. eius angustiis, portisq. Cæsaris militibus occupatis, ad insequendum tardebantur. ita paruæ res magnum in vtramq. partem momentum habuerunt. Munitiones enim à castris ad flumen perductę expugnatis iam castris Pompeij: propriam, & expeditam Cæsaris victoriam

riam interpellauerunt: eadem res, celeritate insequentium tardata, nostris salutem attulit. duobus his vnius diei prœliis Cæsar desiderauit milites DCCCCLX. & notos equites R. Felginatem, Tuticanum Gallum, Senatoris filium: C. Felginatem, Placentia: A. Granium, Puteolis, M. Sacratiuirum, Capua: Tribunos mil. V. & Centuriones XXX. Sed horum omnium, pars magna in fossis, munitionibusque, & fluminis ripis oppressa, suorum terrore, ac fuga sine vllo vulnere interiit, signaque sunt militaria XXXII. amissa. Pompeius eo prœlio Imperator est appellatus. hoc nomen obtinuit: atq. ita se postea salutari passus est. sed neque in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ prætulit. At Labienus, cùm ab eo impetrauisset, vt sibi captiuos tradi iuberet, omnesque deductos, ostentationis, vt videbatur, caussa, quo maior perfugis fides haberetur, Commilitones appellans, & magna verborum contumelia interrogans, soleréntne veterani milites fugere, in omnium conspectu interficit. His rebus tantum fiduciæ, ac spiritus Pompeianis accessit, vt non de ratione belli cogitarent, sed vicisse iam sibi viderentur. non illi paucitatem nostrorum militum, non iniquitatem loci, atque angustias præoccupatis castris, & ancipitem terrorem intra, extraque munitiones, non abscissum in duas partes exercitum, cùm alter alteri auxilium ferre non posset, caussæ fuisse cogitabant. non ad hæc addebant, non ex concursu acri facto, non prœlio dimicatum: sibique ipsos multitudine, atque angustiis maius attulisse detrimentum, quàm ab hoste accepissent. non deniq. communes belli casus recordabantur, quotiès quàm paruulæ sæpe caussæ vel falsæ suspicionis, vel terroris repentini, vel obiectæ religionis, magna detrimenta intulissent: quoties vel culpa Ducis, vel Tribuni vitio in exercitu esset offensum: sed perinde, ac si virtute vicissent, neque vlla commutatio rerum posset accidere, per orbem terrarum, fama, ac literis victoriam eius diei concelebrabant. Cæsar, à superioribus consiliis depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem existimauit. itaque vno tempore, præsidiis omnibus deductis, & oppugnatione dimissa, coactoq. in vnum locum exercitu, concionem apud milites habuit: hortatusque est, ne ea, quæ accidissent, grauiter ferrent, néve his rebus terrerentur, multisque secundis prœliis vnum aduersum, & id mediocre, opponerent: habendam fortunæ gratiam, quòd Italiam sine aliquo vulnere cepissent: quòd duas Hispanias, bellicosissimorum hominum peritissimis, atque exercitatissimis ducibus pacauissent: quod finitimas, frumentariasque prouincias in potestatem redegissent, denique recordari debere, qua facilitate inter medias hostium classes, oppletis non solùm portubus, sed etiam litoribus, omnes incolumes essent transportati: si non omnia caderent secūda, fortunam esse industria sublevandam: quod esset acceptum detrimenti, eius iuri potius, quàm suæ culpæ, debere tribui: locum securum ad dimicandum dedisse: potitum esse se hostium castris expulisse, ac superasse pugnantes: sed, siue ipsorum perturbatio, siue error aliquis, siue etiam fortuna paratam iam, præsentemq. victoriam interpellassent. dandam omnibus operam, vt acceptum incommodum virtute sarciretur: quod si esset factum, detrimentum in bonū verteret, vti ad Gergouiam accidisset, atque ij, qui

A antè dimicare timuissent vltro se prœlio offerrent. Hac habita concione, nonnullos signiferos ignominia notauit, ac loco mouit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, vt nemo aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret & sibi quisque etiam pœnæ loco grauiores imponeret labores: simulque omnes arderent cupiditate pugnandi: cum superioris etiam ordinis nonnulli, oratione permoti, manendum eo loco, & rem prœlio committendam existimarent. Contra ea B Cæsar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat: relictisque munitionibus, magnopere rei frumentariæ timebat. itaque, nulla interposita mora, sauciorum modò & ægrorum habita ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisit, ac conquiescere ante iter confectū vetuit. his vna legio missa præsidio est. His explicitis rebus, duas in castris le- C giones retinuit. reliquas de IV. vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit: paruoque spatio intermisso, vt & militare institutum seruaretur, & ne citissima eius profectio cognosceretur, conclamari iussit. statimq. egressus, & nouissimum agmen consecutus, celeriter è cōspectu castrorum discessit. Neque verò Pompeius, cognito consilio eius, moram vllam ad insequendum intulit: sed, eadem spectans, si itinere impeditos, & perterritos deprehendere posset, exercitum è ca- D stris eduxit, equitatumq. præmisit ad nouissimum agmen demorandum: neq. consequi potuit, quòd multum expedito itinere antecesserat Cæsar. sed cùm ventum esset ad flumē Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus nouissimos prœlio detinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit: expeditosq. antesignanos admiscuit CD. qui tantum profecere, vt equestri prœlio commisso, pellerent omnes, compluresq. interficerent, ipsiq. incolumes se ad agmen reciperent. Confecto iusto itinere eius diei, quod proposuerat Cæsar, tra- E ductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagium consedit: militesque omnes intra vallum castrorum continuit: equitatumque per caussam pabulandi emissum, confestim decumana porta in castra se recipere iussit. Simili ratione Pompeius, confecto eiusdem diei itinere, in suis veteribus castris ad Asparagiū consedit, eiusque milites, quòd ab opere, integris munitionibus, vacabant, alij lignandi, pabulandi- F que caussa longius progrediebantur, alij, quòd subitò consilium profectionis ceperant magna parte impedimentorum, & sarcinarum relicta, ad hęc repetenda inuitati propinquitate superiorum castrorum, depositis in contubernio armis, vallum relinquebant. Quibus ad sequendum impeditis, Cæsar quod fore prouiderat, meridiano ferè tempore, signo profectionis dato, exercitum educit: duplicatoque eius diei itinere, IIX. millibus passuum ex eo loco procedit. quod facere Pompe- G ius discessu militum non potuit. Postero die Cæsar, similiter præmissis prima nocte impedimentis, de IV. vigilia ipse egreditur, vt, si qua imposita esset dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subiret. Hoc idem reliquis fecit diebus. Quibus rebus perfectum est, vt altissimis fluminibus, atque impeditissimis itineribus nullum acciperet incommodum. Pompeius enim, primi diei mora illata, & reliquorum dierum

frustra labore suscepto: cum se magnis itineribus extenderet, & progressos consequi cuperet, v. die finem sequendi fecit. atq. aliud sibi consilium capiendum existimauit. Cæsari ad saucios deponendos, stipendium exercitui dandum, socios confirmandos, præsidium vrbibus relinquendum, necesse erat adire Apolloniam, sed his reb. tantum temporis tribuit, quantum erat properandi necesse: timensq. Domitio, ne aduentu Pompeij preoccuparetur, ad eum omni celeritate, & studio incitatus ferebatur. Totius autem rei consilium his rationibus explicabat, vt, si Pompeius eodem contenderet, abductum illum à mari, atq. ab iis copiis, quas Dyrrhachij comparauerat, frumento, ac commeatu abstractum, pari contentione belli secum decertare cogeret, si in Italiam transiret, coniuncto exercitu cum Domitio per Illyricum Italiæ subsidio proficisceretur, sin Apolloniam, Oricumq. oppugnare, & se omni maritima ora excludere conaretur, obsesso tamen Scipione necessario illum suis auxilium ferre cogeret. itaq. præmissis nũciis, ad Cn. Domitium Cæsar scripsit, ecquid fieri vellet, ostendit: præsidioq. Apolloniæ cohortibus IV. Lyssi I. III. Orici relictis, quiq. erant ex vulnerib. ægri, depositis, per Epirum atq. Acarnaniam iter facere cœpit. Pompeius quoq., de Cæsaris consilio coniectura iudicans, ad Scipionem properandum sibi existimabat, si Cæsar iter illo haberet, vt subsidium Scipioni ferret, si ab ora maritima, Corciraq. discedere vellet, quod legiones, equitatúmque ex Italia exspectaret, ipse vt omnibus copiis Domitium aggrederetur. His de caussis vterque eorum celeritate studebat, vt suis esset auxilio, & ad opprimendos aduersarios, ne occasio temporis deesset. Sed Cæsarem Apollonia directo itinere auerterat. Pompeius per Candaniam iter in Macedoniam expeditum habebat. Accessit etiam improuiso aliud incommodum, quòd Domitius, qui dies complures castris Scipionis castra collata habuisset, rei frumentariæ caussa ab eo discesserat, & Heracleam Senticam, quę est subiecta Candauię, iter fecerat: vt ipsa fortuna illum obiicere Pompeio videretur. Hæc ad id tempus Cæsar ignorabat. simul à Pompeio literis per omnes prouincias, ciuitatésq. dimissis, de prœlio ad Dyrrhachium facto, latius, inflatiúsq. multo, quam res erat gesta, fama percrebuerat, pulsum fugere Cæsarẽ, pene omnibus copiis amissis. hæc itinera infesta reddiderant: hæc ciuitates nonnullas ab eius amicitia auerterant. Quibus accedit rebus, vt pluribus dimissis itineribus, à Cæsare ad Domitium, & ab Domitio ad Cæsarẽ, nulla ratione iter conficere possent. Sed Allobroges, Roscilli, atque Aegi familiares, quos perfugisse ad Pompeium demonstrauimus, conspicati in itinere exploratores Domitij, seu pristina sua consuetudine, quòd vnà in Gallia bella gesserant, seu gloria elati, cuncta, vt erant acta, exposuerunt, & Cæsaris profectionem, & aduentum Pompeij docuerunt. à quibus Domitius certior factus, vix IV. horarum spatio antecedens, hostium beneficio periculum vitauit, & ad Aeginium, quod est obiectum, oppositumq. Thessaliæ, Cæsari venienti occurrit. Coniuncto exercitu, Cæsar Gomphos peruenit: quod est opidum primum Thessaliæ venientib. ab Epiro, quę gens paucis antè diebus vltrò ad Cęsarem legatos miserat, vt suis omnibus facultatibus vteretur, presidiumque ab eo militum petierat. sed eò fama iam præcurrerat, quàm suprà docuimus, de prelio Dyrrhachino, quòd multis auxerat partibus. itaq. Androsthenes, prætor Thessaliæ, cùm se victoriæ Pompeij comitem esse mallet, quàm socium Cæsaris in rebus aduersis, omnem ex agris multitudinem seruorum, ac liberorum in opidum cogit, portasq. præcludit, & ad Scipionem, Pompeiumq. nuncios mittit, vt sibi subsidio veniant: se confidere munitionib. opidi, si celeriter succurratur: longinquam oppugnationẽ sustinere non posse. Scipio discessu exercituum à Dyrrhachio cognito, Larissam legiones adduxerat. Pompeius nondum Thessaliæ appropinquabat. Cæsar, castris munitis, scalas, musculosque ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari iussit. Quibus rebus effectis, cohortatus milites docuit, quantum vsum haberet ad subleuandam omnium rerum inopiam, potiri opido pleno, atq. opulento: simul reliquis ciuitatibus huius exemplo inferre terrorem: & id fieri celeriter, prius, quam auxilia concurrerent. itaque vsus singulari militum studio, eodem, quo venerat, die, post horam IX. opidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnauit: & ad diripiendum militibus concessit: statimque ab opido castra mouit, & Metropolim venit, sic, vt nuncios expugnati opidi, famamque antecederet. Metropolitæ, eodem primum vsi consilio, iisdem permoti rumoribus, portas clauserunt, murosque armatis compleuerunt: sed postea, casu ciuitatis Gomphensis ex captiuis cognito, quos Cæsar ad murum producendos curauerat, portas aperuerunt. Quibus diligentissimè conseruatis, collata fortuna Metropolitum cum casu Gomphensium, nulla Thessaliæ fuit ciuitas, præter Larissæos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quin Cæsari pareret, atque imperata faceret. ille, idoneum locum in agris nactus, quæ propè iam matura erant, ibi aduentum exspectare Pompeij, eoque omnem rationem belli conferre constituit. Pompeius paucis pòst diebus in Thessaliam peruenit: concionatúsque apud cunctum exercitum, suis agit gratias: Scipionis milites cohortatur, vt parta iam victoria, prædæ, ac præmiorum velint esse participes, receptísque omnibus in vna castra legionibus, suum cum Scipione honorem partitur, classicumq. apud eum cani, & alterum illi iubet prætorium tendi. Auctis copiis Pompeij, duobusque magnis exercitibus coniunctis, pristina omnium confirmatur opinio, & spes victorię augetur, adeò, vt, quidquid intercederet temporis, id morari reditum in Italiam videretur: &, siquando quid Pompeius tardius, aut consideratius faceret, vnius esse negotium diei, sed illum delectari imperio, & consulares, prætoriosque seruorum habere numero dicerent. Iamque inter se palàm de præmiis, ac sacerdotiis contendebant: in annosq. consulatum definiebant. alij domos, bonaq. eorum, qui in castris erant Cæsaris, petebant: magnaque inter eos in consilio fuit controuersia, oporteretne L. Hirti, quòd is à Pompeio ad Parthos missus esset, proximis comitiis Prætoris absentis rationem haberi: cùm eius necessarij fidem implorarent Pompeij, vt præstaret, quod proficiscenti promisisset: ne per eius auctoritatem, deceptus videretur: reliqui, in labore pari, ac periculo, ne vnus omnes antecederet, recusarent. Iam de sacerdotio Cæsaris Domitius, Scipio, Spintherque Lentulus quotidianis contentionib. ad grauissimas verborum contumelias palàm descenderunt: cùm Lentu-

Lentulus ætatis honorem ostentaret: Domitius urbanam gratiam, dignitatemque iactaret: Scipio affinitate Pompeij confideret. Postulauit etiam L. Afranium proditionis exercitus Atius Rufus apud Pompeium, quod gestũ in Hispania diceret. & L. Domitius in consilio dixit, Placere sibi bello confecto, ternas tabellas dari ad iudicandum iis, qui ordinis essent Senatorij, belloque unà cum ipsis interfuissent, sententiasque de singulis ferrent. qui Romæ remansissent, quique intra præsidia Pompeij fuissent, neque operam in re militari præstitissent: unam foret tabellam, qui liberandos omni periculo censerent: alterã, qui capitis damnarent, tertiam, qui pecunia multarent. postremò omnes aut de honoribus suis, aut de præmiis pecuniæ, aut de persequendis inimicis, agebant. nec, quibus rationibus superare possent: sed, quemadmodum uti victoria deberent, cogitabant. Re frumentaria præparata, confirmatisque militibus. & satis lõgo spatio temporis à Dyrrhachinis prœliis intermisso, quum satis perspectum animum militũ habere videretur, tentandũ Cæsar existimauit, quidnam Pompeius propositi, aut voluntatis ad dimicandum haberet. itaq. ex castris exercitum eduxit, aciemq. instruxit, primum suis locis, paulloq. à castris Pompeij longius: continentib. verò diebus, ut progrederetur à castris suis, collibusque Pompeianis aciem subijceret. Quæ res in dies confirmatiorem eius efficiebat exercitũ. superius tamen institutum in equitib., quod demonstrauimus, seruabat, ut, quoniam numero multis partib. esset inferior, adolescentes, atq. expeditos, ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites prœliari iuberet, qui quotidiana cõsuetudine usum quoq. eius generis prœliorum perciperent. His erat rebus effectum, ut equites ∞. apertioribus etiam locis VII. millium Pompeianorum impetum, cùm adesset usus, sustinere auderent, neque magnopere eorum multitudine terrerentur. namque etiam per eos dies prœlium secundum equestre fecit, atq. unum Allobrogem, ex duobus, quos perfugisse ad Pompeium suprà docuimus, cum quibusdam, interfecit. Pompeius, quia castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat: semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Cæsar se subijceret. Cæsar, nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem iudicauit, uti castra ex eo loco moueret, semperque esset in itineribus, hoc sperans, ut, mouendis castris, pluribusque adeundis locis, commodiore frumentaria re uteretur: simulque in itinere ut aliquam occasionem dimicandi nancisceretur, & insolitum ad laborem Pompeij exercitum quotidianis itineribus defatigaret. His constitutis rebus signo iam profectionis dato, tabernaculisq. detensis, animaduersum est, paullo antè, extra quotidianam cõsuetudinem, longius à vallo esse aciem Pompeij progressam, ut non iniquo loco posse dimicari videretur. Tunc Cæsar apud suos, cum iam esset agmen in portis, Differendum est, inquit, iter in præsentia nobis, & de prœlio cogitandum, sicut semper depoposcimus: animo simus ad dimicandum parati: non facilè occasionem postea reperiemus, confestimque expeditas copias educit. Pompeius quoque, ut postea cognitum est, suorum omnium hortatu, statuerat prœlio decertare. namque etiam in consilio superioribus diebus dixerat, prius, quàm concurre-

A rent acies, fore ut exercitus Cæsaris pelleretur. id cum essent plerique admirati, Scio me, inquit, pæne incredibilem rem polliceri, sed rationem consilij mei accipite, quo firmiore animo in prælium prodeatis. persuasi equitibus nostris, idq. mihi se facturos confirmauerunt, ut, cum propius sit accessum, dextrum Cæsaris cornu ab latere aperto aggrederẽtur, ut, circumuenta ab tergo acie, prius perturbatum exercitum pellerent, quàm à nobis telum in hostem iaceretur. ita sine periculo legionum, & pene sine vulnere, bellum conficiemus. id
B autem difficile non est, cum tantum equitatu valeamus. simul denunciauit, ut essent animo parati in posterum, & quoniam fieret dimicãdi potestas, ut sæpe cogitauissent, re, usu, manuque reliquorum opinionem fallerent. Hanc Labienus excepit, ut, cum Cæsaris copias despiceret, Pompeij cõsilium summis laudibus efferret: Noli, inquit, existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam, Germaniamque deuicerit. omnibus interfui præliis,
C neque temere incognitam rem pronuncio. perexigua pars illius exercitus superest, magna pars periit. quod accidere tot præliis fuit necesse, multos autumni pestilentia in Italia consumpsit: multi domum discesserunt: multi sunt relicti in continenti. annon audistis ex iis, qui per caussam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundusij factas? hæ copiæ, quas videtis, ex delectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectæ: & pleræque sunt ex coloniis transpadanis, attamen,
D quod fuit roboris, duobus prœliis Dyrrhachinis interiit. Hæc cum dixisset, iurauit, se, nisi victorem, in castra non reuersurum: reliquósq. ut idem facerent, hortatus est. Hoc laudans Pompeius, idẽ iurauit. nec verò ex reliquis fuit quisquam, qui iurare dubitaret. Hæc cum facta essent in concilio, magna spe, & lætitia omnium discessum est. ac iam animo victoriam præcipiebant, quòd de rẽ tanta & à tam perito imperatore nihil frustra confirmari videbatur. Cæsar, cum Pompeij castris ap-
E propinquasset, ad hunc modum aciem eius instructam animaduertit. Erant in sinistro cornu legiones duæ, transditæ à Cæsare initio dissensionis ex S.C. quarum una Prima, altera Tertia appellabatur. in eo loco ipse erat Pompeius. mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Ciliciensis legio coniuncta cum cohortibus Hispanis, quas trãductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ. has firmissimas se habere Pompeius existimabat: reliquas inter aciem
F mediam, cornuaq. interiecerat: numeroq. cohortes CX. expleuerat. hæc erant millia XLV. euocatorum circiter duo millia: quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum conuenerant: quæ tota acie dispersẽrat. reliquas cohortes VII. castris, propinquisque castellis præsidio disposuerat. dextrum cornu eius riuus quidam, impeditis ripis, muniebat. quam ad caussam cunctum equitatum, sagittarios, funditoresque omnes in sinistro cornu obiecerat. Cæsar superius institutum
G seruans, X. legionem in dextro cornu, IX. in sinistro collocauerat: tametsi erant Dyrrhachinis prœliis vehementer attenuatæ. & huic sic adiunxit VIII. ut pæne unam ex duabus efficeret, atque alteram alteri præsidio esse iusserat. Cohortes in acie LXXX. constitutas habebat. quæ summa erat ∞. XXII. Cohortes II. castris præsidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Syllam, media acie Cn. Domitium præposuerat. ipse con-

itinere sese auertit. Interim Milo, dimissis circum municipia literis, ea, quæ faceret, iussu, atque imperio facere Pompeij, quæ mandata ad se per Bibulum delata essent: quos ex ære alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. apud quos cùm proficere nihil posset, quibusdam solutis ergastulis, Cosam in agro Turino oppugnare cœpit. eò cùm à Q. Pedio prætore cum legione lapide ictus esset ex muro, periit: & Cœlius profectus, vt dictitabat, ad Cæsarem peruenit Turios: vbi, cùm quosdam eius municipij sollicitaret, equitibusque Cæsaris Gallis, atque Hispanis, qui eò præsidij caussa missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus. itaque magnarum initia rerum, quæ occupatione magistratuum, & temporum sollicitam Italiam habebant, celerem, & facilem exitum habuerunt. Libo, profectus ab Orico cum classe cui præerat, nauium L. Brundusium venit: insulamque quæ contra Brundusinum portum est, occupauit: quòd præstare, vnum locum arbitrabatur, qua necessarius nostris erat egressus, quàm omnium litora, ac portus custodia clausos teneri. hic, repentino aduentu, naues onerarias quasdam nactus, incendit: & vnam frumento onustam abduxit: magnumque nostris terrorem iniecit: &, noctu militibus, & sagittariis in terram expositis, præsidium equitum deiecit: & adeò loci opportunitate profecit, vt ad Pompeium literas mitteret, naues reliquas, si vellet, subduci, & refici iuberet: sua classe auxilia, sese Cæsaris prohibiturum. Erat eo tempore Antonius Brundusij: qui, virtuti militum confisus, scaphas nauium magnarum circiter LX. cratibus, pluteisque contexit: eoque milites delectos imposuit: atque eas in litore pluribus locis separatim disposuit: nauesque triremes II. quas Brundusij faciendas curauerat, per caussam exercendorum remigum ad fauces portus prodire iussit. has cùm audacius progressas Libo vidisset, sperans intercipi posse, quadriremes V. ad eas misit. quæ cùm nauibus nostris appropinquassent: nostri veterani in portum refugerunt: illi, studio incitati, incautius sequebantur. Iam ex omnibus partibus subitò Antonianæ scaphæ, signo dato, se in hostes incitauerunt: primoque impetu vnam ex his quadriremem cum remigibus, defensoribusque suis ceperunt: reliquas turpiter fugere coegerunt. Ad hoc detrimentum accessit, vt equitibus per oram maritimam ab Antonio dispositis, aqua prohiberentur. qua necessitate, & ignominia permotus Libo, discessit à Brundusio, obsessionemque nostrorum omisit. Multi iam menses transierant: & hiems præcipitauerat: neque Brundusio naues, legionesque ad Cæsarem veniebant, ac nonnullæ eius rei prætermissæ occasiones Cæsari videbantur, quòd certè sæpe flauerant venti, quibus necessariò committendum existimabat. quantoque eius amplius processerat temporis, tanto erant alacriores ad custodias, qui classibus præerant: maioremque fiduciam prohibendi habebant: & crebris Pompeij literis castigabantur, quoniam primò venientem Cæsarem non prohibuissent, vt reliquos eius exercitus impedirent: duriusq. quotidie tempus ad transportandum lenioribus ventis exspectabant. Quibus rebus permotus Cæsar, Brundusium ad suos seuerius scripsit, vt, nacti idoneum ventum, ne occasionem nauigandi dimitterent: & ad Oricum, siue ad litora Apolloniatium, cursum dirigerent: quòd eò naues eiicere possent. Hæc à

A custodibus, classium loca maximè vacabant: quòd se longius portibus committere non audebant. Illi, adhibita audacia, & virtute administrantibus M. Antonio, & Fusio Caleno, multum ipsis militibus hortantibus, neque vllum periculum pro salute Cæsaris recusantibus, nacti Austrum naues soluunt: atque altera die Apolloniam, Dyrrhachiumque prætervehuntur. qui cùm essent ex cõtinenti visi: Q. Coponius, qui Dyrrhachij classi Rhodiæ præerat, naues ex portu educit: &, cùm iam nostris, remissiore vento, appropinquassent, B idem Auster increbuit, nostrisque præsidio fuit. Neque verò ille ob eam caussam conatu desistebat, sed labore, & perseuerantia nautarum, & vim tempestatis superare posse sperabat: prætereuntes Dyrrhachium magna vi venti, nihilo secius sequebantur. nostri, vsi fortunæ beneficio, tamen impetum classis timebant, si fortè ventus remisisset. nacti portum, qui appellatur Nymphæum, vltra Lyssum millia passuum III. eò naues introC duxerunt: qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus: leuiusque tempestatis, quàm classis, periculum existimauerunt. Quo simul atq. intus est itum, incredibili felicitate Auster qui per biduum flauerat, in Africum se vertit. Hic subitam commutationem fortunæ videre licuit. qui modò sibi timuerant, hos tutissimos portus recipiebat: qui nostris nauibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. itaque tempore commutato, tempestas & nostros texit, & naues RhoD dias afflixit, ita vt ad vnam constratæ omnes numero XVI. eliderentur, & naufragio interirent: & ex magno remigum propugnatorumq. numero, pars ad scopulos allisa interficeretur, pars à nostris distraheretur: quos omnes conseruatos Cæsar domum remisit. nostræ naues II. tardius cursu confecto, in noctem coniectæ, cùm ignorarent, quem locum reliquæ cepissent, contra Lyssum in anchoris constiterunt. has, scaphis, minoribusque nauigiis compluribusque sumptis, Otacilius Crassus, E qui Lyssi præerat, expugnare parabat: simul de deditione eorum agebat, & incolumitatem deditis pollicebatur. Harum altera nauis ducentos viginti ex legione tironum sustulerat: altera ex veterana paullo minus ducentis se compleuerat. Hic cognosci licuit, quantum esset hominib. præsidij in animi fortitudine. Tirones enim, multitudine nauium perterriti: & salo, nauseaque confecti, iureiurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderant: qui omnes, ad eum F perducti, cõtra religionẽ iurisiurandi in eius conspectu crudelissimè interficiuntur. At veteranæ legionis milites, item conflictati & tempestatis & sentinæ vitiis, non ex pristina virtute remittendũ aliquid putauerunt: sed, tractandis conditionibus, & simulatione deditionis extracto primo noctis tempore, gubernatorem in terram nauem eiicere cogunt: ipsi idoneum locum nacti, reliquam noctis partem ibi confecerunt. & luce prima, missis ad eos ab Otacilio equitibus, qui eam partem oG ræ maritimæ asseruabant, circiter CD. quiq. eos armati ex præsidio secuti sunt, se defenderunt, & nonnullis eorum interfectis, incolumes ad nostros sese receperunt. Quo facto conuentus ciuium Romanorum, qui Lyssum obtinebat, quod oppidũ iis antea Cæsar attribuerat, muniendumq. curauerat, Antoniũ recepit, omnibusq. reb. iuuit. Otacilius sibi timens oppido fugit, & ad Pompeiũ peruenit. Ex omnibus copiis Antonius, quarum

erat

erat summa veteranorum III. legionum, vniúsque tironum & equitum DCCC. plerasque naues in Italiam remittit, ad reliquos milites, equitésque transportandos: pontones, quod est genus nauium Gallicarum Lyssi reliquit: hoc consilio, vt si forte Pompeius, vacuam existimans Italiam, eò transiecisset: exercitum, quæ opinio erat edita in vulgus, aliquam Cæsar ad insequendum facultatem haberet: nunciosque ad eum celeriter mittit, quibus regionibus exercitum exposuisset, & quid militum transuexisset. Hæc eodem ferè tempore Cæsar, atque Pompeius cognoscunt: nam prætereuntes Apolloniam, Dyrrhachiumque naues viderant: ipsi iter secundum eas terras direxerant: sed quò essent eæ delatæ, primis diebus ignorabant: cognitaque re, diuersa sibi ambo consilia capiunt: Cæsar, vt quàm primum se cum Antonio coniungeret: Pompeius vt venientibus in itinere se opponeret, & si imprudentes ex insidiis adoriri posset. Eodemque die vterque eorum ex castris statiuis à flumine Apso exercitum educunt, Pompeius clàm, & noctu, Cæsar palàm, atque interdiu. sed Cæsari circuitu maiore, iter erat longius, aduerso flumine, vt vado transire posset. Pompeius, quia expedito itinere flumen ei transeundum non erat, magnis itineribus ad Antonium contendit, atque, vbi eum appropinquare cognouit, idoneum locum nactus, ibi copias collocauit: suósque omnes castris continuit, ignésque fieri prohibuit, quo occultior esset eius aduentus. Hæc ad Antonium statim per Græcos deferuntur. Ille missis ad Cæsarem nunciis, vnum diem sese castris tenuit. altero die ad eum peruenit Cæsar. Cuius aduentu cognito, Pompeius, ne duobus circumcluderetur exercitibus, ex eo loco discedit, omnibusque copiis ad Asparagium Dyrrhachinorum peruenit, atque ibi idoneo loco castra ponit. His temporibus Scipio, detrimentis quibusdam circa montem Amanũ acceptis, sese imperatorem appellauerat. Quo facto ciuitatibus, tyrannisque magnas imperauerat pecunias: item à publicanis suæ prouinciæ debitam biennij pecuniam exegerat: & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat: equitésque toti prouinciæ imperauerat. Quibus coactis, fugientib. hostibus, Parthis post se relictis, qui paullo antè M. Crassum imperatorem interfecerant, & M. Bibulum in obsidione habuerant, legiones, equitésque ex Syria deduxerat: summamq. in sollicitudine, ac timore Parthici belli in prouinciam cum venisset, ac nonnullæ militum voces audirentur, sese, contra hostem si ducerentur, ituros: contra ciuem, & Consulem arma non laturos: deductis Pergamum, atque in locupletissimas vrbes in hiberna legionibus maximas largitiones fecit: & confirmandorum militum caussa diripiendas iis ciuitates dedit. Interim acerbissimè imperatæ pecuniæ tota prouincia exigebantur. Multa præterea generatim ad auaritiam excogitabantur. in capita singula seruorum, ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentam, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. cuius modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. non solùm vrbibus, sed pæne vicis, castellisque singulis cum imperio præficiebantur. qui horum quid acerbissimè, crudelissimeque fecerat, is & vir & ciuis optimus habebatur. erat plena lictorum & imperiorum prouincia, conferta præfectis, atque exactoribus: qui, præter imperatas pecunias, suo etiam priuato compendio seruiebant. dictitabant enim, se, domo, patriaque expulsos, omnibus necessariis egere rebus: vt honesta præscriptione rem turpissimam tegerent. Accedebant ad hæc grauissimæ vsuræ, quod in bello plerunque accidere consueuit, vniuersis imperatis pecuniis: quibus in rebus prolationem diei donationem esse dicebant. Itaque æs alienum prouinciæ eo biennio multiplicatum est. nec minus ob eam caussam ciuibus Romanis eius prouinciæ, sed in singulos conuentus, singulasque ciuitates, certæ pecuniæ imperabantur: mutuasque illas ex S. C. exigi dictitabant: publicanis, vti in sorte fecerant, insequentis anni vectigal promutuo. Præterea Ephesi à fano Dianæ depositas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat, ceterasque eius deæ statuas. Cùm in fanum ventum esset, adhibitis compluribus senatorij ordinis, quos aduocauerat Scipio, literæ ei redduntur à Pompeio, mare transisse cum legionibus Cæsarem: properaret ad se cum exercitu venire, omniaque posthaberet. His literis acceptis, quos aduocauerat, dimittit: ipse iter in Macedoniam parare incipit: paucisq. post diebus est profectus, hæc res Ephesiæ pecuniæ salutem attulit. Cæsar, Antonij exercitu coniuncto, deducta Orico legione, quam tuendę oręq; maritimę caussa posuerat, tentandas sibi Prouincias: longiusque procedendum existimabat: &, cùm ad eum legati venissent ex Thessalia, Ætoliaque, qui præsidio misso, pollicerentur earum gentium ciuitates imperata facturas: L. Cassium Longinum cum legione tironum, quę appellabatur XXVII, atque equitibus CC. in Thessaliam, C. Caluisium Sabinum cum cohortibus V. paucisque equitibus in Aetoliam misit: maximè eos, quòd erant propinquę regiones, de re frumentaria vt prouiderent, hortatus est. Cn. Domitium Caluinum cum legionibus XI. XII. & equitibus D. in Macedoniam proficisci iubet. Cuius prouinciæ ab ea parte, quę Libera appellabatur, Menedemus, princeps earum regionum missus legatus, omnium suorum excellens studium profitebatur. Ex his Caluisius, primo aduentu summa omnium Aetolorum receptus voluntate, præsidiis aduersariorum Calidone, & Naupacto reiectis, omni Aetolia potitus est. Cassius in Thessaliam cum legione peruenit. hic, cum essent factiones duę, varia voluntate ciuitatum vtebatur. Egesaretus, veterus homo potentię, Pompeianis rebus studebat. Petreius, summę nobilitatis adolescens, suis ac suorum opibus Cęsarem enixè iuuabat. Eodemque tempore Domitius in Macedoniam venit: &, cum ad eum frequentes ciuitatum legationes conuenire cœpissent: nunciatum est, adesse Scipionem cum legionibus, magna & opinione, & fama omnium. nam plerumque in nouitate fama antecedit. Hic nullo in loco Macedonię moratus, magno impetu contendit ad Domitium: & cum ab eo millia passuum XX. abfuisset, subitò se ad Cassium Longinum in Thessaliam conuertit. hoc adeò celeriter fecit: vt simul adesse, & venire nunciaretur: &, quo iter expeditius faceret. M. Fauonium ad flumen Haliacmonem quod Macedoniam à Thessalia diuidit, cum cohortibus VIII. præsidio impedimentis legionum reliquit, castellúmque ibi muniri iussit. Eodem tempore equitatus regis Cotti ad castra Cassij aduolauit, qui circum Thessaliam esse consueuerat. Tum, timore perterritus Cas-

sitis, cognito Scipionis aduentu, visisque equitibus, quos Scipionis esse arbitrabatur, ad montes se conuertit, qui Thessaliam cingunt: atque ex his locis Ambraciam versus iter facere cœpit. At Scipionem properantem sequutæ sunt literæ à M. Fauonio, Domitium cum legionibus adesse, nec se præsidium, vbi constitutus esset, sine auxilio Scipionis, tenere posse. Quibus literis acceptis, consilium Scipio, iterque commutat: Cassium sequi desistit: Fauonio auxilium ferre contendit. Itaque, die ac nocte continuato itinere, ad eum peruenit, tam opportuno tempore, vt simul Domitiani exercitus puluis cerneretur, & primi antecursores Scipionis viderentur. Ita Cassio industria Domitij, Fauonio Scipionis celeritas salutem attulit. Scipio, in castris statiuis biduo moratus, ad flumen, quod inter eum & Domitij castra fluebat, Haliacmonem, tertio die, prima luce exercitum vado transducit: &, castris positis, postero die mane, copias ante frontem castrorum instruit. Domitius tum quoque sibi dubitandum non putauit, quin, productis legionibus, prœlio decertaret. sed, cùm esset inter bina castra campus circiter millium passuum VI. castris Scipionis aciem suam subiecit. ille à vallo non discedere perseuerauit: attamen ægrè retentis Domitianis militibus, est factum, ne prœlio contenderetur: & maximè, quòd riuus difficilibus ripis, castris Scipionis subiectus, progressus nostrorum impediebat. Quorum studium, alacritatemque pugnandi cùm cognouisset Scipio, suspicatus fore, vt postero die aut inuitus dimicare cogeretur, aut magna cum infamia castris se contineret, qui cùm magna exspectatione venisset, temere progressus turpem habuit exitum: & noctu, ne conclamatis quidem vasis, flumen transit: atque in eandem partem, ex qua venerat, redit; ibique prope flumen edito natura loco castra posuit. Paucis diebus interpositis, noctu insidias equitum collocauit: quo in loco superioribus ferè diebus nostri pabulari consueuerant. & cùm, quotidiana consuetudine, Q. Varus, præfectus equitum Domitij, venisset: subitò illi ex insidijs consurrexerunt. sed nostri fortiter eorum impetum tulerunt: celeriterque ad suos quisque ordines rediit: atque vltro vniuersi in hostes impetum fecerunt. ex his circiter LXXX. interfectis, reliquis in fugam coniectis, duobus amissis, in castra se receperunt. His rebus gestis, Domitius, sperans Scipionem ad pugnam elici posse, simulauit sese, angustiis rei frumentariæ adductum, castra mouere: vasisque militari more conclamatis, progressus millia passuum III. loco idoneo, & occulto omnem exercitum, equitatumque collocauit. Scipio ad sequendum paratus, equitatum, magnamque partem leuis armaturæ ad explorandum iter Domitij, & cognoscendum, præmisit. qui cùm essent progressi, primæque turmæ insidias intrauissent: ex fremitu equorum illata suspicione, ad suos se recipere cœperunt: quique hos sequebantur, celerem eorum receptum conspicati, restiterunt. nostri, cognitis insidijs, ne frustra reliquos exspectarent, duas nacti equitum turmas exceperunt. in his fuit M. Opimius, Præfectus equitum. reliquos omnes earum turmarum aut interfecerunt, aut captos ad Domitium deduxerunt. Deductis oræ maritimæ præsidiis, Cæsar, vt suprà demonstratum est, III. cohortes Orici oppidi tuendi caussa, reliquit: iisque custodiam nauium longarum transdidit, quas ex Italia transdu-

A xerat. huic officio, oppidoque præerat Acilius legatus. Is naues nostras in interiorem portum post oppidum reduxit, & ad terram deligauit: faucibusque portus nauem onerariam submersam obiecit, & huic alteram coniunxit: super qua turrim effectam ad ipsum introitum portus opposuit, & militibus compleuit, tuendamque ad omnes repentinos casus transdidit. Quibus cognitis rebus, Cn. Pompeij filius, qui classi Ægyptiæ præerat, ad Oricum venit: submersamque nauim remulco, multisque

B contendens funibus abduxit: atque alteram nauem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus nauibus, in quibus ad libram fecerat turres, vt ex superiore pugnans loco, integrosque semper defatigatis submittens, & reliquis partibus simul, ex terra scalis, & classe mœnia oppidi tentans, vt aduersariorum manus diduceret, labore, & multitudine telorum nostros vicit, deiectisque defensoribus, qui omnes scaphis excepti refugerunt, eam nauem expugnauit: eodemque

C tempore ex altera parte molem tenuit naturalem obiectam, quæ pæne insulam contra oppidum effecerat; IV. biremes, subiectis scutulis, impulsas vectibus in interiorem portum transduxit. ita ex vtraque parte naues longas aggressus, quæ erant deligatæ ad terram, atque inanes, IV. ex his abduxit: reliquas incendit. Hoc confecto negotio, D. Lælium, ab Asiatica classe abductum, reliquit, qui commeatus Hellide atque Amantia importari in oppidum prohibebat. ipse, Lyssum profectus, naues

D onerarias XXX. à M. Antonio relictas, intra portum aggressus, omnes incendit: Lyssum expugnare conatus, defendentibus ciuibus Romanis, qui eius erant conuentus, militibusque, quos præsidii caussa miserat Cæsar, triduum moratus, paucis in oppugnatione amissis, re infecta, inde discessit. Cæsar, postquam Pompeium ad Asparagium esse cognouit, eodem cum exercitu profectus, expugnato in itinere oppido Parthinorum, in quo Pompeius præsidium habebat, III. die in Mace-

E doniam ad Pompeium peruenit, iuxtaque eum castra posuit: & postero die, eductis omnibus copiis, acie instructa, decernendi potestatem Pompeio fecit. vbi cum suis locis se tenere animaduertit, reducto in castra exercitu, aliud sibi consilium capiendum existimauit. itaque postero die omnibus copiis, magno circuitu, difficili, angustoque itinere, Dyrrhachium profectus est, sperans Pompeium aut Dyrrhachium compelli, aut ab eo intercludi posse, quòd omnem commeatum, totiusque belli

F apparatum eò contulisset, vt accidit. Pompeius enim primò ignorans eius consilium, quòd diuerso ab ea regione itinere profectum videbat, angustiis rei frumentariæ compulsum discessisse existimabat. postea, per exploratores certior factus, postero die castra mouit, breuiore itinere se occurrere ei posse sperans. quod fore suspicatus Cæsar, militesque adhortatus, vt æquo animo laborem ferrent, parua parte noctis itinere intermisso, mane Dyrrhachium venit, cùm primum agmen Pom-

G peij procul cerneretur, atque ibi castra posuit. Pompeius interclusus Dyrrhachio, vbi propositum tenere non potuit, secundo vsus consilio, edito loco, qui appellatur Petra, aditumque habet nauibus mediocrem, atque eas à quibusdam protegit ventis, castra communit. eò partem nauium longarum conuenire, frumentum, commeatumque ab Asia, atque omnibus regionibus, quas tenebat, comportari imperat. Cæsar, longius bellum ductum iri existimans, & de Ita-

de Italicis commeatibus desperans, quòd tanta diligentia omnia litora à Pompeianis tenebantur, classesq. ipsius, quas hieme in Sicilia, Gallia, Italia fecerat, [illegible] in Epirum, rei frumentariæ caussa, L. Canuleium [illegible] mittit: quodque hæ regiones [illegible], locis [illegible] horrea constituit, vecturasque frumenti [illegible] ciuitatibus descripsit. Item L. [illegible] & omnibus castellis, quod esset frumenti, [illegible] iussit. id erat perexiguum, [illegible] quòd sunt ex loco [illegible] & [illegible] vtuntur [illegible] provide [illegible] & [illegible] loco [illegible] mi- [illegible] Quibus rebus cognitis [illegible] erant enim circum castra [illegible] [illegible] castra [illegible] munitionum [illegible] instituit: hæc [illegible]

[illegible]

propinquum, & contrarium collem Pompeius occupauit, nostrosq. opere prohibere cœpit: &, cùm vna ex parte propè æquum aditum haberet, primum sagittariis, funditoribusq. circumiectis, posteà leuis armaturæ magna multitudine missa, tormentisq. prolatis, munitiones impediebat. neque erat facilè nostris, vno tempore pugnare, & munire. Cæsar, cùm suos ex omnibus partibus vulnerari videret, recipere se statuit, & loco excedere. erat per decliue receptus: illi autem hoc acrius instabant, neque regredi nostros patiebantur, quòd, timore adducti, locum relinquere videbantur. Dicitur eo tempore glorians apud suos Pompeius dixisse, nõ recusare se, quin nullius vsus imperator existimaretur, si sine maximo detrimento legiones Cæsaris sese recepissent inde, quo temerè essent progressæ. Cæsar, receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem proferri, & aduersas locari [illegible] mediocri latitudine fossam, tectis militibus, abduci iussit, locumque in omnes partes quàm maxime impediri. Ipse idoneis locis funditores instruxit, vt præsidio nostris se recipientibus essent. His rebus completis, legiones reduci iussit. Pompeiani hoc insolentius atque audacius nostros premere & instare cœperunt: cratesq. pro munitione obiectas propulerunt, vt [illegible] fossas transcenderent. Quod cùm animaduertisset Cæsar, veritus, ne non reducti, sed reiecti viderentur, maiusque detrimentum caperetur, à medio ferè spatio suos per Antonium, qui ei legioni præerat, cohortatus, tuba signum dari, atque in hostes impetum fieri iussit. Milites legionis IX. subitò conspirati pila coniecerunt: & ex inferiore loco aduersus cliuum incitati cursu præcipites Pompeianos egerunt, & terga vertere coegerũt. Quibus ad recipiendum crates directæ, longuriique obiecti, & institutæ fossæ, magno impedimẽto fuerunt. Nostri verò qui satis habebant sine detrimento discedere, compluribus interfectis, v omnino suorum amissis, quietissimè se receperunt: paulloque citra eum locum morati, aliis comprehensis collibus, munitiones perfecerunt. Erat noua & inusitata belli ratio, cùm tot castellorũ numero, tantoque spatio, & tantis munitionibus, & toto obsidionis genere, tum etiam reliquis rebus. nã, quicunque alterũ obsidere conati sunt, perculsos, atque infirmos hostes adorti, aut prœlio superatos, aut aliqua offensione permotos cõ. inuenerunt, cũ ipsi numero militũ, [illegible] Cæsar autem [illegible] hæc [illegible] frumento hostes prohiberentur. at cõtrà integras, atque incolumes copias Cæsar [illegible] militum numero continebat [illegible] omnium [illegible] copia abundabant. [illegible] que nauiũ numerus [illegible] supportarentur [illegible] qui aliqua ex parte [illegible] con- [illegible] omnibus [illegible] s, [illegible] patienda [illegible] se superiore anno [illegible] & patientia [illegible] ad Alesiam [illegible] in [illegible] [illegible] cùm [illegible] pecus verò, [illegible] Epiro [illegible] magno [illegible] est etiam [illegible] radicis, in- [illegible] Valerio [illegible] quod ap-

pellatur Chara: quod admistum lacte multum inopiam leuabat. id ad similitudinem panis efficiebant. eius erat magna copia. ex hoc effectos panes, cùm in colloquiis Pompeiani famem nostris obiectarent, vulgò in eos iaciebant, vt spem eorum minuerent. Iamq. frumenta maturescere incipiebant, atque ipsa spes inopiam sustentabat: quòd celeriter se habituros copiam confidebant. crebroque voces militum in vigiliis, colloquiisque audiebantur, prius se cortice ex arboribus victuros, quàm Pompeium è manibus dimissuros. frequenter etiam ex perfugis cognoscebant, equos eorum vix tolerari, reliqua verò iumenta interisse: vti autem ipsos valetudine non bona, cùm angustiis loci, & odore tetro, & multitudine cadauerum, & quotidianis laboribus insuetos operum, tum aquæ summa inopia affectos. omnia enim flumina, atque omnes riuos, qui ad mare pertinebant, Cæsar aut auerterat, aut magnis operibus obstruxerat. atque, vt erant loca montuosa, & ad specus angustię vallium, has sublicis in terram demissis, præsepserat: terramq. aggesserat, vt aquam continerent. itaque illi necessariò loca sequi demissa, ac palustria & puteos fodere, cogebantur: atque hunc laborem ad quotidiana opera addebant: qui tamen fontes à quibusdam præsidiis aberant longius, & celeriter æstibus exarescebant. At Cæsaris exercitus optima valetudine summaque aquæ copia vtebatur: tum commeatus omni genere præter frumentū abundabat: quibus quotidie melius succedere tempus, maioremq. spem maturitate frumentorum proponi videbant. In nouo genere belli nouæ ab vtrisque bellandi rationes reperiebantur. illi, cùm animaduertissent ex ignibus, noctè cohortes nostras ad munitiones excubare, silentio adgressi vniuersas intra multitudinem sagittas coniiciebant, & se confestim ad suos recipiebant. Quibus rebus nostri, vsu docti, hæc reperiebant remedia, vt alio loco ignes facerent, alio excubarent. Interim certior factus P. Sylla, quē discedens castris præfecerat Cæsar, auxilio cohorti venit cum legionibus II. cuius aduentu facilè sunt repulsi Pompeiani. neq. verò conspectum, aut impetum nostrorum tulerunt: primisq. deiectis, reliqui se verterunt, & loco cesserunt. sed insequentes nostros, ne longius prosequerentur, Sylla reuocauit. At plerique existimant, si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. cuius consilium reprehendendum non videtur. aliæ enim sunt legati partes, atque Imperatoris. alter omnia agere ad præscriptum: alter liberè ad summam rerum consulere debet. Sylla, à Cæsare castris relictus, liberatis suis, hoc fuit contentus, neque prœlio decertare voluit: quæ res tamen fortasse aliquem reciperet casum: ne imperatorias sibi partes sumpsisse videretur. Pompeianis magnam res ad receptum difficultatem afferebat. nā, ex iniquo progressi loco, in summo constiterant: si per decliue sese reciperent, nostros ex superiore insequentes loco verebantur. neque multum ad solis occasum temporis supererat. spe enim conficiendi negotij propè in noctem rem deduxerant. ita necessario, atque ex tempore capto consilio, Pompeius tumulum quendā occupauit: qui tantum aberat à nostro castello, vt telū tormentūmve missum adigi non posset. Hoc consedit loco, atque eum communiit. omnesque ibi copias continuit. Eodem tempore duobus præterea locis pugnatum est. nam plura castella Pompeius pariter,

A distinendæ manus causa, tentauerat: ne ex proximis præsidiis succurri posset. vno loco Volcatius Tullius impetum legionis sustinuit cum cohortibus III. atque eam loco depulit. altero Germani, munitiones nostras egressi, compluribus interfectis, sese ad suos incolumes receperūt. ita vno die, VI. prœliis factis, III. ad Dyrrhachium, III. ad munitiones, cùm horum omnium ratio haberetur, ad duorum millium numero ex Pompeianis cecidisse reperiebamus, euocatosque centuriones
B complures. in eo fuit numero Valerius Flaccus, L. filius, eius, qui Prætor Asiam obtinuerat: signaque sunt VI. militaria relata. nostri non amplius XX. omnib. sunt prœliis desiderati. sed in castello nemo fuit omnino militū, quin vulneraretur: quatuorque ex vna cohorte centuriones oculos amiserunt. & cùm laboris sui periculiq. testimonium afferre vellent, millia sagittarum circiter XXX. in castellum coniecta Cæsari renumerauerunt, scutoque ad eum relato Scæuæ centurionis, inuenta
C sunt in eo foramina CCXXX. quem Cæsar, vt erat de se meritus, & de Rep. donatum millibus ducentis æris: atq. ab octauis ordinibus ad primipilum se transducere, pronunciauit. eius enim opera castellum conseruatum esse magna ex parte constabat. Cohortemq. postea duplici stipendio, frumēto, veste, vesperiariis militaribusque donis amplissimè donauit. Pompeius noctu magnis additis munitionibus, reliquis diebus turres extruxit, & in altitudinem pedum XV. effectis operibus, vineis
D eam partem castrorum obtexit. & V. intermissis diebus, alteram noctem subnubilam nactus, obstructis omnibus castrorum portis, & ad impediendū obiectis, tertia inita vigilia, silentio exercitū eduxit, & se in antiquas munitiones recepit. Aetolia, Acarnania, Amphilochis per Cassium Longinum, & Caluisium Sabinum, vt demonstrauimus, receptis, tentandam sibi Achaiam, ac paulo longius progrediendum existimabat Cæsar. itaque eò Fusium Calenum mittit, & Q. Sabinum, &
E Cassium cum cohortibus adiungit. Quorum cognito aduentu Rutilius Lupus, qui Achaiam missus à Pompeio obtinebat, Isthmum præmunire instituit, vt Achaia Fusium prohiberet. Calenus Delphos, Thebas, & Orchomenum de voluntate ipsarum ciuitatum recepit: nonnullas vrbes per vim expugnauit: reliquas ciuitates, circummissis legationibus, amicitiæ Cæsaris conciliare studebat. In his rebus ferè erat Fusius occupatus. Omnibus deinceps diebus Cæsar exercitum in aciem
F æquum in locum produxit, si Pompeius prœlio decertare vellet, vt pæne castris Pompeij legiones subiiceret: tantumq. a vallo eius prima acies aberat, vti ne in eam telum tormentumve adigi posset. Pompeius autem, vt famam, & opinionem hominum teneret, sic pro castris exercitum constituebat vt III. acies vallum contingeret, reliqua omnis instructus exercitus telis ex vallo adiectis protegi posset. Hæc cùm in Achaia, atque apud Dyrrhachium gererentur, Scipionemq. in Ma-
G cedoniam venisse, constaret, non oblitus pristini instituti Cæsar, mittit ad eum Clodium suum, atq. illius familiarem, quem ab illo transditum initio, & cōmendatum, in suorum necessariorum numero habere instituerat. Huic dat literas, mandataq. ad eum: quorum hæc erat summa. Sese omnia de pace expertum, nihil adhuc arbitrari vitio factum eorum, quos esse auctores eius rei voluisset. quòd sua mandata perferre nō opportuno tempore ad

Pom-

Pompeium vererentur: Scipionem ea auctoritate esse, vt non solùm liberè, quę probasset, exponere, sed etiam ex magna parte compellere, atq. errantem regere posset: præesse autem suo nomine exercitui: vt præter auctoritatem, vires quoque ad coercẽdum haberet: quod si fecisset, quietem Italiæ, pacem prouinciarum, salutem imperij vni omnes acceptam relaturos. Hæc ad eum mandata Clodius refert. ac primis diebus, vt videbatur, libenter auditus, reliquis ad colloquium non admittitur. Castigato Scipione à Fauonio, vt postea, confecto bello, reperiebamus: infectaque re, sese ad Cæsarem recepit. Cæsar, quo facilius equitatum Pompeianum ad Dyrrachium contineret, & pabulatione prohiberet, aditus duos, quos esse angustos demonstrauimus, magnis operibus præmuniuit: castellaque his locis posuit. Pompeius, vbi nihil proficere equitatum cognouit, paucis intermissis diebus, rursum cum nauib. ad se intra munitiones recipit. Erat summa inopia pabuli, adeò, vt foliis ex arboribus strictis, & teneris arũdinum radicibus contusis equos alerent. frumenta enim, quæ fuerant intra munitiones sata, consumpserant: & cogebantur Corcyra, atque Acarnania, longo interiecto nauigationis spatio, pabulũ supportare, quoque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare. sed, postquam non modò hordeum, pabulumq. omnibus in locis, herbæq. desectæ, sed etiam fructus ex arboribus deficiebant, corruptis equis macie, conandum sibi aliquid Pompeius de eruptióne existimauit. Erant apud Cæsarem ex equitum numero Allobróges duo fratres, Roscillus & Ægus, Adbucilli filij, qui principatum in ciuitate multis annis obtinuerat, singulari virtute homines, quorum opera Cæsar omnibus Gallicis bellis optima, fortissimaque erat vsus. his domi, ob has caussas, amplissimos Magistratus mandauerat: atque eos extra ordinem in Senatum legendos curauerat: agrosq. in Gallia ex hostibus captos, præmiaq. rei pecuniariæ magna tribuerat: locupletesque ex egentibus effecerat. hi propter virtutem, non solum, apud Cæsarem in honore erant, sed etiam apud exercitum cari habebantur. sed, freti amicitia Cæsaris, & stulta, ac barbara arrogantia elati, despiciebant suos, stipendiumque equitum fraudabant, & prædam omnem domum auertebant. Quibus illi rebus permoti, vniuersi Cæsarem adierunt: palamque de eorum iniuriis sunt questi: & ad cetera addiderunt, falsum ab his equitum numerum deferri, quorum stipendium auerterent. Cæsar neque tempus illud animaduersionis esse existimans, & multa virtuti eorum concedens, rem distulit totam, illos secretò castigauit, quòd quæstui equites haberent: monuitque equites, vt ex sua amicitia omnia exspectarent, & ex præteritis suis officiis reliqua sperarent. magnam tamen hæc res illis offensionem, & contemptionem ad omnes attulit. idque ita esse, cùm ex aliorum obiectationibus, tum etiam ex domestico iudicio, atque animi cõscientia, intelligebant. Quo pudore adducti, & fortasse se non liberari, sed in aliud tempus reseruari arbitrati, discedere à nostris, & nouam tentare fortunam, nouasque experiri amicitias, constituerunt: &, cum paucis collocuti clientibus suis, quibus tantum facinus committere audebant, primùm conati sunt Præfectum equitum, C. Volusenum, interficere, vt postea, bello confecto, cognitum est: vt, cum mu-

A nere aliquo perfugisse ad Pompeium viderentur: postquam id difficilius visum est, neque facultas perficiendi dabatur, quàm maximas potuerunt, pecunias mutuati, perinde ac suis satisfacere, & fraudata restituere vellent, multis coemptis equis ad Pompeium transierunt cum iis quos sui consilij participes habebant. quos Pompeius, quòd erant honesto loco nati, & instructi liberaliter, magnoque comitatu, & multis iumentis venerant, virique fortes habebantur, & in honore apud B Cæsarem fuerant, quodque nouum, & præter consuetudinem acciderat, per omnia sua præsidia circunduxit, atque ostentauit. nam ante id tempus nemo aut miles aut eques à Cęsare ad Pompeium transierat: cùm pæne quotidie à Pompeio ad Cæsarem perfugerent. vulgò verò vniuersi in Epiro, atque Aetolia conscripti milites, earumq. regionum omnium, quæ à Cæsare tenebantur: sed hi, cognitis omnibus rebus, seu quid in munitionibus perfectum non erat, seu quid à peritioribus C rei militaris desiderari videbatur, temporibusque rerum, & spatiis locorum, & custodiarum varia diligentia animaduersa, prout cuiusque eorum, qui negotiis præerant, aut natura, aut studium ferebat, hæc ad Pompeium omnia detulerunt. Quibus ille cognitis, eruptionisq. iam antè capto consilio, vt demonstratum est, tegmenta galeis milites ex viminibus facere atque aggerem comportare iubet. His paratis rebus, magnum numerum leuis armaturæ, & sagittariorum, aggeremq. omnem noctu in scaphas, & naues actuarias imponit: & D de media nocte cohortes LX. ex maximis castris, præsidiisq. deductas, ad eam partem munitionum ducit, quæ pertinebant ad mare, longissimeque à maximis castris Cæsaris aberant. Eòdem naues, quas demonstrauimus, aggere, & leuis armaturæ militibus completas, quasq. ad Dyrrhachium naues longas habebat, mittit: &, quid à quoquo fieri velit, præcepit. Ad eas munitiones Cæsar Lentulum Marcellinum Quæstorem cum legione IX. positum habebat. huic, quòd valetudine minus E commoda vtebatur, Fuluium Postumum adiutorem summiserat. Erat eo loco fossa pedum XV. & vallus contra hostem, in altitudinem pedum X. tantundemq. eius valli agger in latitudinem patebat: ab eo intermisso spatio pedum DC. alter conuersus in contrariam partem erat vallus, humiliore paullo munitione. hoc enim superiorib. diebus timens Cæsar, ne nauibus nostri circumuenirentur, duplicem eo loco fecerat vallum: vt, si ancipiti prœlio dimicaretur, posset resisti. sed o- F perum magnitudo & continens omnium dierum labor, quòd millia passuum in circuitu XIIX. munitiones erat complexus, perficiendi spatium non dabat. Itaque contra mare transuersum vallum, qui has duas munitiones contingeret, nondum perfecerat. quæ res nota erat Pompeio, delata per Allobroges perfugas: magnumque nostris attulit incommodum. nam, vt ad mare nostræ cohortes IX. legionis excubuerant, accessere subitò prima luce Pompeiani exercitus: nouusque eorum ad- G uentus exstitit: simulque nauibus circumuecti milites in interiorem vallum tela iaciebant: fossæque aggere complebantur: & legionarij interioris munitionis defensores, scalis admotis, tormentisque cuiusque generis, telisque terrebant: magnaque multitudo sagittariorum ab vtraque parte circunfundebatur. multum autem ab ictu lapidum, quod vnum nostris erat telum, viminea

tegumenta galeis imposita defendebant. itaque, cùm omnibus rebus nostri premerentur, atque ęgrè resisterent: animaduersum est vitium munitionis, quod suprà demonstratum est, atque inter duos vallos qua perfectum opus non erat per mare nauibus expositi, in auersos nostros impetum fecerunt: atque ex vtraque munitione deiectos terga vertere coegerunt. Hoc tumultu nunciato, Marcellinus cohortes subsidio nostris laborantibus summisit: quę ex castris fugientes conspicatę, neque illos suo aduentu confirmare potuerũt, neque ipsę hostium impetum tulerunt. itaque, quodcunque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium, terrorem, & periculum augebat. hominum enim multitudine receptus impediebatur. in eo prœlio cùm graui vulnere esset affectus aquilifer, & viribus deficeret, conspicatus equites nostros, Hanc ego inquit, & viuus multos per annos magna diligentia defendi, & nunc moriens eadem fide Cęsari restituo. nolite, obsecro, committere, quod antè in exercitu Cęsaris non accidit, vt rei militaris dedecus admittatur: incolumemq ad eũ referte. hoc casu aquila conseruatur, omnibus primę cohortis Centurionibus interfectis, pręter principem priorem. iamque Pompeiani magna cęde nostrorũ, castris Marcellini appropinquabant, non mediocri terrore illato reliquis cohortib. & M. Antonius, qui proximum locum tenebat pręsidiorum, ea renunciata, cum cohortibus x i i. descendens ex loco superiore cernebatur. cuius aduentus Pompeianos compressit, nostrosque firmauit, vt se ex maximo timore colligerent. neq. multo pòst Cęsar, significatione per castella fumo facta, vt erat superioris temporis consuetudo, deductis quibusdam cohortibus ex pręsidiis, eodem venit. Qui cognito detrimento, cùm animaduertisset Pompeium extra munitiones egressum, castra secundum mare, vt libere pabulari posset, nec minus aditum nauibus habere, cõmutata ratione belli, quoniam propositum non tenuerat, iuxta Pompeium muniri iussit. Qua perfecta munitione, animaduersum est à speculatoribus Cęsaris, cohortes quasdam, quòd instar legionis videretur, esse post siluam, & in vetera castra duci. Castrorum hic situs erat. Superioribus diebus, cùm se i x. legio Cęsaris obiecisset Pompeianis copiis, atque opere, vt demõstrauimus, circummuniret, castra eo loco posuit. Hęc siluam quandam contingebant, neque longius à mari passibus c d. aberant. pòst, mutato consilio, quibusdam de caussis, Cęsar, paullo vltra eum locum castra transtulit: paucisque intermissis diebus, hęc eadem Pompeius occupauerat: &, quòd eo loco plures erat legiones habiturus, relicto interiore vallo, maiorem adiecerat munitionem. ita minora castra, inclusa maioribus, castelli, atque arcis locum obtinebant. Item ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat, circiter passus c d. quo liberius ac sine periculo milites aquarentur. sed is quoque, mutato consilio, quibusdam de caussis, quas commemorari necesse non est, eo loco excesserat. ita complures dies manserant castra: munitiones quidem integrę omnes erant. eo signo legionis illato, speculatores Cęsari renunciauerunt. hoc idem visum ex superiorib. quibusdam castellis confirmauerant. Is locus aberat à nouis Pompeij castris circiter passus d. Hanc legionem sperans Cęsar se opprimere posse, & cupiens eius

A dici detrimentum sarcire, reliquit in opere cohortes i i. quę speciem munitionis pręberent: ipse, diuerso itinere, quàm potuit occultissimè, reliquas cohortes, numero x x x i i i. in quibus erat legio i x. multis amissis centurionibus, deminutoque militum numero, ad legionem Pompeij, castraq. minora duplici acie duxit. neq. eum prima opinio fefellit. nam & peruenit prius, quàm Pompeius sentire posset: & tametsi erant munitiones castrorum magnę, tamen sinistro cornu, vbi erat B ipse, celeriter aggressus, Pompeianos ex vallo deturbauit. erat obiectus portis Eritius. hîc paullisper est pugnatum: cùm irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent, fortissimè T. Pulcione, cuius opera proditum exercitum C. Antonij, demonstrauimus, è loco propugnante. sed tamé nostri virtute vicerunt: excisoq. Eritio, primò in maiora castra, pòst etiam in castellum, quod erat inclusum maioribus castris, irruperunt, & quòd eò pulsa legio sese receperat, nónullos sibi repugnátes C interfecerunt. sed fortuna, quę plurimum potest, cùm in reliquis rebus, tum pręcipuè in bello, paruis momentis magnas rerum commutationes efficit, vt tum accidit. Munitionem, quam pertingere à castris ad flumen suprà demonstrauimus, dextri Cęsaris cornu cohortes ignorantia loci sunt secutę, cùm portam quęrerent castrorum. quòd eam munitionem esse arbitrarentur. Quod cùm esset animaduersum, coniunctam esse flumini: protinus his munitionibus, defendente nullo, D transcenderunt: omnisq. noster equitatus eas cohortes est secutus. Interim Pompeius, hac longa satis interiecta mora, & re nunciata, v legionem ab opere deductam subsidio suis duxit: eodemq. tempore equitatus eius nostris equitibus appropinquabat: & acies instructa à nostris, qui castra occupauerant, cernebatur: omniaque sunt subitò mutata. Pompeiana enim legio, celeri spe subsidij confirmata, ab decumana porta resistere conabatur, atq. vltro in nostros impetũ faciebat: equitatus Cęsaris, quòd angusto itinere per aggeres ascen- E debat, receptui suo timens, initium fugę faciebat: dextrum cornu, quod erat à sinistro seclusum, terrore equitum animaduerso, ne intra munitionem opprimeretur, ex parte, ex qua proruebat, sese recipiebat: ac pleriq. ex iis, ne in angustias inciderent, x. pedum munitionis sese in fossas pręcipitabant: primisq. oppressis, reliqui per horum corpora salutem sibi, atq. exitum, pariebant. Sinistro cornu, milites, cùm ex vallo, Põpeium adesse, & suos fugere, cernerent, veriti, ne angustiis interclude- F rentur, cùm extra, & intus hostem haberent, eodé, quò venerant, receptui consulebant: omniaque erant tumultus, timoris, fugę plena, adeò. vt cùm Cęsar signa fugientiũ manu prehenderet, & consistere iuberet, alij, dimissis equis, eundem cursum conficerent: alij ex metu etiam signa dimitterét, neque quisquam omnino consisteret. His tantis malis hęc subsidia succurrebant: quo minus omnis deleretur exercitus, quòd Pompeius, insidias timens, credo, quòd hęc pręter spem acciderant G eius, qui paullo antè ex castris fugientes suos cõspexerat, munitionibus appropinquare aliquandiu non audebat: equitesq. eius angustiis, portisq. Cęsaris militibus occupatis, ad insequendum tardebantur. ita paruę res magnum in vtramq. partem momentum habuerunt. Munitiones enim, à castris ad flumen perductę, expugnatis iam castris Pompeij: propriam, & expeditam Cęsaris victoriam

tiam interpellauerunt: eadem res, celeritate insequentium tardata, nostris salutem attulit. duobus his vnius diei prœliis Cæsar desiderauit milites DCCCCLX. & notos equites R. Felginatem, Tuticanum Gallum, Senatoris filium: C. Felginatem, Placentia: Agrauium, Puteolis, M. Sacratiuirum Capua: Tribunos mil. v. & Centuriones XXX. Sed horum omnium, pars magna in fossis, munitionibusque, & fluminis ripis oppressa, suorum terrore, ac fuga sine vllo vulnere interiit, signaque sunt militaria XXXII. amissa. Pompeius eo prœlio Imperator est appellatus. hoc nomen obtinuit: atq. ita se postea salutari passus est. sed neque in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ prætulit. At Labienus, cùm ab eo impetrauisset, vt sibi captiuos transdi iuberet, omnesque deductos, ostentationis, vt videbatur, caussa, quo maior perfugæ fides haberetur, Commilitones appellans, & magna verborum contumelia interrogans, solerentne veterani milites fugere, in omnium conspectu interficit. His rebus tantum fiduciæ, ac spiritus Pompeianis accessit, vt non de ratione belli cogitarent, sed vicisse iam sibi viderentur. non illi paucitatem nostrorum militum, non iniquitatem loci, atque angustias præoccupatis castris, & ancipitem terrorem intra, extraque munitiones, non abscissum in duas partes exercitum, cùm alter alteri auxilium ferre non posset, caussæ fuisse cogitabant. non ad hæc addebant, non ex concursu acri facto, non prœlio dimicatum: sibique ipsos multitudine, atque angustiis maius attulisse detrimentum, quàm ab hoste accepissent. non deniq. communes belli casus recordabantur, quorùm quàm paruulæ sæpe caussæ vel falsæ suspicionis, vel terroris repentini, vel obiectæ religionis, magna detrimenta intulissent: quoties vel culpa Ducis, vel Tribuni vitio in exercitu esset offensum: sed perinde, ac si virtute vicissent, neque vlla commutatio rerum posset accidere, per orbem terrarum, fama, ac literis, victoriam eius diei concelebrabant. Cæsar, à superioribus consiliis depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem existimauit. itaque vno tempore, præsidiis omnibus deductis, & oppugnatione dimissa, coactoq. in vnum locum exercitu, concionem apud milites habuit: hortatusque est, ne ea, quæ accidissent, grauiter ferrent, néve his rebus terrerentur, multisque secundis prœliis vnum aduersum, & id mediocre, opponerent: habendam fortunæ gratiam, quòd Italiam sine aliquo vulnere cepissent: quòd duas Hispanias, bellicosissimorum hominum peritissimis, atque exercitatissimis ducibus pacauissent: quod finitimas, frumentariasque prouincias in potestatem redegissent, denique recordari debere, qua facilitate inter medias hostium classes, oppletis non solùm portubus, sed etiam litoribus, omnes incolumes essent transportati: si non omnia cederent secūda, fortunam esse industria subleuandam: quod esset acceptum detrimenti, eius iuri potius, quàm suæ culpæ, debere tribui: locum securum ad dimicandum dedisse: potitum esse se hostium castris expulisse, ac superasse pugnantes: sed, siue ipsorum perturbatio, siue error aliquis, siue etiam fortuna paratam iam, præsentemq. victoriam interpellassent. dandam omnibus operam, vt acceptum incommodum virtute sarciretur: quod si esset factum, detrimentum in bonū verteret, vti ad Gergouiam accidisset, atque ij, qui

A antè dimicare timuissent vltro se prœlio offerrent. Hac habita concione, nonnullos signiferos ignominia notauit, ac loco mouit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, vt nemo aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret & sibi quisque etiam pœnæ loco grauiores imponeret labores: simulque omnes arderent cupiditate pugnandi: cum superioris etiam ordinis nonnulli, oratione permoti, manendum eo loco, & rem prœlio committendam existimarent. Contra ea
B Cæsar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat: relictisque munitionibus, magnopere rei frumentariæ timebat. itaque, nulla interposita mora, sauciorum modò & ægrorum habita ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisit, ac cōquiescere ante iter confectū vetuit. his vna legio missa præsidio est. His explicitis rebus, duas in castris le-
C giones retinuit. reliquas de IV. vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit: paruoque spatio intermisso, vt & militare institutum seruaretur, & ne citissima eius profectio cognosceretur, conclamari iussit: statimq. egressus, & nouissimum agmen consecutus, celeriterè cōspectu castrorum discessit. Neque verò Pompeius, cognito consilio eius, moram vllam ad insequendum intulit: sed, eadem spectans, si itinere impedito, & perterritos deprehendere posset, exercitum è castris eduxit, equitatumq. præmisit ad nouissimum
D agmen demorandum: neq. consequi potuit, quòd multum expedito itinere antecesserat Cæsar. sed cùm ventum esset ad flumē Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus nouissimos prœlio detinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit: expeditosq. antesignanos admiscuit CD. qui tantum profecere, vt equestri prœlio commisso, pellerent omnes, compluresq. interficerent, ipsiq. incolumes se ad agmen reciperent. Confecto iusto itinere eius diei, quod proposuerat Cęsar, tra-
E ductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagium consedit: milites que omnes intra vallum castrorum continuit: equitatumque per caussam pabulandi emissum, confestim decumana porta in castra se recipere iussit. Simili ratione Pompeius, confecto eiusdem diei itinere, in suis veteribus castris ad Asparagiū consedit, eiusque milites, quòd ab opere, integris munitionibus, vacabant, alij lignandi, pabulandique caussa longius progrediebantur, alij, quòd su-
F bitò consilium profectionis ceperant magna parte impedimentorum, & sarcinarum relicta, ad hęc repetenda inuitati propinquitate superiorum castrorum, depositis in contubernio armis, vallum relinquebant. Quibus ad sequendum impeditis, Cæsar quod fore prouiderat, meridiano ferè tempore, signo profectionis dato, exercitum educit: duplicatoque eius diei itinere, IIX. millibus passuum ex eo loco procedit. quod facere Pompe-
G ius discessu militum non potuit. Postero die Cæsar, similiter præmissis prima nocte impedimentis, de IV. vigilia ipse egreditur, vt, si qua imposita esset dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subiret. Hoc idem reliquis fecit diebus. Quibus rebus perfectum est, vt altissimis fluminibus, atque impeditissimis itineribus nullum acciperet incommodum. Pompeius enim, primi diei mora illata, & reliquorum dierum

Lentulus ætatis honorem ostentaret: Domitius A urbanam gratiam, dignitatemque iactaret: Scipio affinitate Pompeij cōfideret. Postulauit etiam L. Afranium proditionis exercitus Attius Rufus apud Pompeium, quod gestū in Hispania diceret. & L. Domitius in consilio dixit, Placere sibi bello confecto, ternas tabellas dari ad iudicandum iis, qui ordinis essent Senatorij, belloque vnà cum ipsis interfuissent, sententiasque de singulis ferrent, qui Romæ remansissent, quique intra præsidia Pompeij fuissent, neque operam in re militari præstitissent: vnam fore tabellam, qui liberandos B omni periculo censerent: alterā, qui capitis damnarent, tertiam, qui pecunia multarent. postremò omnes aut de honoribus suis, aut de præmiis pecuniæ, aut de persequendis inimicis, agebant: nec, quibus rationibus superare possent, sed, quemadmodum vti victoria deberent, cogitabant. Re frumentaria præparata, confirmatisq; militibus. & satis lōgo spatio temporis à Dyrrachinis prœliis intermisso, quum satis perspectum animum militū habere videretur, tentandū Cæsar existimauit, C quidnam Pompeius propositi, aut voluntatis ad dimicandum haberet. itaq. ex castris exercitum eduxit, aciemq. instruxit, primùm suis locis, paulloq. à castris Pompeij longius: continentib. verò diebus, vt progrederetur à castris suis, collibusque Pompeianis aciem subiiceret. Quæ res in dies confirmatiorem eius efficiebat exercitū. superius tamen institutum in equitib., quod demonstrauimus, seruabat, vt, quoniam numero multis partib. D esset inferior, adolescentes, atq. expeditos, ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites prœliari iuberet, qui quotidiana cōsuetudine vsum quoq. eius generis prœliorum perciperent. His erat rebus effectum, vt equites ∞. apertioribus etiam locis VII. millium Pompeianorum impetum, cùm adesset vsus, sustinere auderent, neque magnopere eorum multitudine terrerentur. namque etiam per eos dies prœlium secundum equestre fecit, atq. vnum Allobrogem, E ex duobus, quos perfugisse ad Pompeium suprà docuimus, cum quibusdam interfecit. Pompeius, quia castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat: semper, vt videbatur, spectans, si iniquis locis Cæsar se subiiceret. Cæsar, nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem iudicauit, vti castra ex eo loco moueret, semperque esset in itineribus, hoc sperans, vt, mouendis castris, pluribusque adeundis locis, com- F modiore frumentaria re vteretur: simulque, in itinere vt aliquam occasionem dimicandi nancisceretur, & insolitum ad laborem Pompeij exercitum quotidianis itineribus defatigaret. His constitutis rebus signo iam profectionis dato, tabernaculisq. detensis, animaduersum est, paullo antè, extra quotidianam cōsuetudinem, longius à vallo esse aciem Pompeij progressam, vt non iniquo loco posse dimicari videretur. Tunc Cæsar apud suos, cum iam esset agmen in portis. Differendum G est, inquit, iter in præsentia nobis, & de prœlio cogitandum, sicut semper depoposcimus: animo simus ad dimicandum parati: non facilè occasionem postea reperiemus, confestimque expeditas copias educit. Pompeius quoque vt postea cognitum est, suorum omnium hortatu, statuerat prœlio decertare. namque etiam in concilio superioribus diebus dixerat, prius, quàm concurrerent acies, fore vt exercitus Cæsaris pelleretur. id cum essent plerique admirati, Scio me, inquit, pæne incredibilem rem polliceri, sed rationem consilij mei accipite, quo firmiore animo in prœlium prodeatis. persuasi equitibus nostris, idq. mihi se facturos confirmauerunt, vt, cum propius sit accessum, dextrum Cæsaris cornu ab latere aperto aggrederentur, vt circumuenta ab tergo acie, prius perturbatum exercitum pellerent, quàm à nobis telum in hostem iaceretur. ita sine periculo legionum, & pęne sine vulnere, bellum conficiemus. id autem difficile non est, cum tantum equitatu valeamus. simul denunciauit, vt essent animo parati in posterum, & quoniam fieret dimicādi potestas, vt sæpe cogitauissent, ne vsu, manuque reliquorum opinionem fallerent. Hunc Labienus excepit, vt, cum Cæsaris copias despiceret, Pompeij cōsilium summis laudibus efferret: Noli, inquit, existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam, Germaniamque deuicerit. omnibus interfui prœliis, neque temere incognitam rem pronuncio. perexigua pars illius exercitus superest. magna pars periit. quod accidere tot prœliis fuit necesse, multos autumni pestilentia in Italia consumpsit: multi domum discesserunt: multi sunt relicti in continenti. an non audistis ex iis, qui per caussam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundusij factas? hæ copiæ, quas videtis, ex delectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectæ: & plæræque sunt ex coloniis transpadanis, attamen, quod fuit roboris, duobus prœliis Dyrrhachinis interiit. Hæc cum dixisset, iurauit, se, nisi victorem in castra non reuersurum: reliquosq. vt idem facerent, hortatus est. Hoc laudans Pompeius, idē iurauit. nec verò ex reliquis fuit quisquam, qui iurare dubitaret. Hæc cum facta essent in concilio, magna spe, & lætitia omnium discessum est: ac iam animo victoriam præcipiebant; quòd de re tanta & à tam perito imperatore nihil frustra confirmari videbatur. Cæsar, cum Pompeij castris appropinquasset, ad hunc modum aciem eius instructam animaduertit. Erant in sinistro cornu legiones duæ, traditæ à Cæsare initio dissensionis ex S. C. quarum vna Prima, altera Tertia appellabatur. in eo loco ipse erat Pompeius. mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Ciliciensis legio coniuncta cum cohortibus Hispanis, quas trāductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ. has firmissimas se habere Pompeius existimabat: reliquas inter aciem mediam, cornuaque interiecerat: numeroq. cohortes CX. expleuerat. hæ erant millia XLV. euocatorum circiter duo millia: quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum conuenerant: quæ tota acie disperserat. reliquas cohortes VII. castris, propinquisque castellis præsidio disposuerat. dextrum cornu eius riuus quidam, impeditis ripis, muniebat. quam ad caussam cunctum equitatum, sagittarios, funditoresque omnes in sinistro cornu obiecerat. Cæsar superius institutum seruans, X. legionem in dextro cornu, IX. in sinistro collocauerat. tametsi erant Dyrrhachinis prœliis vehementer attenuatæ, & huic sic adiunxit VIII. vt pæne vnam ex duabus efficeret, atque alteram alteri præsidio esse iusserat. Cohortes in acie LXXX. constitutas habebat. quæ summa erat ∞. XXII. Cohortes II. castris præsidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Syllam, media acie Cn. Domitium præposuerat. ipse con-

[illegible] his rebus animad- [illegible] timens, ne a multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex tertia acie [illegible] cohortes detraxit, atque ex his [illegible] equitatuique opposuit: & quid fieri vellet ostendit: monuitque eius diei victoriam in earum cohortium virtute constare. Simul [illegible], totique exercitui imperauit, ne iniussu suo concurreret [illegible] [illegible] quia per Varinium [illegible] A. C[illegible] in Scipione [illegible] Otaciliis in [illegible] [illegible]

[illegible]

A [illegible] qui erat Pompeianum [illegible]

[illegible]

B [illegible] quibus [illegible]

[illegible]

C [illegible]

[illegible] Sed Pompeius, [illegible] atque [illegible]

D [illegible] bus, quos [illegible] ferat, clare [illegible] Tuemini, inquit, castra, & defendite diligenter, si quid durius acciderit: ego reliquas portas circumeo, & castrorum praesidia confirmo. Haec cum dixisset, se in praetorium contulit, summae rei diffidens, & tamen eventum exspectans. [illegible]

E [illegible]

[illegible]

F [illegible] Pompeium [illegible]

[illegible]

G [illegible] semper [illegible] Pompeianis [illegible] tur, [illegible]

ris Decumana porta se ex castris eiecit, protinusque equo citato, Larissam contendit. neque ibi constitit, sed eadem celeritate, paucos suorum ex fuga nactus, nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum xxx. ad mare peruenit, nauemque frumentariam conscendit: saepe, vt dicebatur, querēs, tantum se opinionē fefellisse, vt à quo genere hominū victoriā sperasset, ab eo initio fugae facto, paene proditus videretur. Caesar castris potitus, à militibus contendit, ne, in praeda occupati, reliqui belli gerendi facultatem dimitterent. Qua re impetrata, montem opere circummunire instituit. Pompeiani, quod is mons erat sine aqua, diffisi ei loco, relicto monte vniuersi iugis eius Larissam versus se recipere coeperunt. Qua re animaduersa: Caesar copias suas diuisit, partemque legionum in castris Pompeij remanere iussit, partem in sua castra remisit: iv. secum legiones duxit, commodioréque itinere Pompeianis occurrere coepit: & progressus millia passuum vi. aciem instruxit. Qua re animaduersa, Pompeiani in quodam monte constiterunt. Hunc montem flumen subluebat. Caesar, milites cohortatus, etsi totius diei continenti labore erant confecti, noxque iam subeerat, tamen munitione flumen à monte seclusit, ne noctu Pompeiani aquari possent. Quo iam perfecto opere, illi de deditione missis legatis, agere coeperunt. pauci ordinis senatorij, qui se cum iis coniunxerant, nocte fuga salutem petierunt. Caesar prima luce omnes eos, qui in monte consederant, ex superioribus locis in planiciem descendere, atque arma proijcere, iussit. quod vbi sine recusatione fecerunt, passisque palmis proiecti ad terram, flentes, ab eo petierunt salutem; consolatus, consurgere iussit: & pauca apud eos de lenitate sua locutus, quo minore essent timore, omnes conseruauit, militibusque suis iussit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui desideraret. Hac adhibita diligentia, ex castris sibi legiones alias occurrere, & eas, quas secum duxerat, inuicem requiescere, atque in castra reuerti iussit: eodemque die Larissam peruenit: in eo proelio non amplius cc. milites desiderauit: sed Centuriones, fortes viros, circiter xxx. amisit. Interfectus est etiam fortissimè pugnans Crastinus, cuius mentionem suprà fecimus, gladio in os aduersum coniecto. neque id fuit falsum, quod ille, in pugnam proficiscens, dixerat. sic enim Caesar existimabat, eo proelio excellentissimam virtutem Crastini fuisse: optimeque eum de se meritum iudicabat. Ex Pompeiano exercitu circiter millia xv. cecidisse videbantur. sed in deditionē venerunt amplius millia xxiv. namque etiam cohortes, quae praesidio in castellis fuerant, sese Syllae militibus dediderunt. multi praeterea in finitimas ciuitates refugerunt. Signaque militaria ex proelio ad Caesarem sunt relata clxxx. & aquilae ix. L. Domitius ex castris in montem refugiens, cum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus. Eodem tempore D. Laelius cum classe ad Brundusium venit: eademque ratione, qua factum à Libone antea demonstrauimus: insulam obiectam portui Brundusino tenuit. Similiter Vatinius, qui Brundusio praeerat, tectis, instratisque scaphis, elicuit naues Laelianas atque ex his longius productam vnam quinqueremem, & minores duas in angustiis portus cepit. itemque per equites dispositos aqua prohibere classiarios instituit. sed Laelius, tempore anni

A commodiore vsus, ad nauigandum onerariis nauibus, Corcyra, Dyrrhachioq. aquam suis supportabat, neq à proposito deterrebatur, neq. ante proelium in Thessalia factum cognitū aut ignominia amissarum nauium, aut necessariarum rerum inopia ex portu insulaq., expelli potuit. Iisdem ferè temporibus Cassius, cum classe Syrorum, & Phoenicum, & Cilicium, in Siciliam venit: &, cùm esset Caesaris classis diuisa in duas partes, & dimidiae parti praeesset P. Sulpicius praetor Liboq. ad fretū,
B dimidiae M. Pomponius ad Messanam: prius Cassius ad Messanam nauibus aduolauit, quàm Pomponius de eius aduentu cognosceret: perturbatumq. eum nactus nullis custodiis, neq. ordinibus certis, magno vento, & secundo completas onerarias naues taeda, & pice, & stupa, reliquisq. reb. que sunt aptae ad incendia, in Pomponianam classem immisit, atq. omnes naues incēdit xxxv in quib. erant xx. constratae tantum. eo facto timor incessit, vt cùm esset legio praesidio Messanae, vix oppidū
C defenderetur: &, nisi eo ipso tempore quidā nuncij de Caesaris victoria per dispositos equites essent allati existimabant plerisq. futurum fuisse, vt amitteretur. sed opportunissimè nunciis allatis, oppidū fuit defensum: Cassiusq. ad Sulpicianam inde classem profectus est: & Liboneiri applicatisq. nostris ad terram nauib., propter eundem timorem, pari atq. antea ratione egerunt. Cassius, secundū nactus ventū, onerarias naues circiter xl. praeparatas ad incendiū immisit: & flamma ab vtroque
D cornu comprehensa, naues sunt cōbustae v. Cumq. ignis, magnitudine venti, latius serperet, milites, qui ex veteribus legionibus erant relicti praesidio nauibus, ex numero aegrorū, ignominiam non tulerunt. sed sua sponte naues conscenderunt, & à terra soluerunt impetuque facto in Cassianā classem, quinq. triremes ii. in quarum altera erat Cassius ceperunt. sed Cassius, exceptus scapha, refugit. Praeterea duae sunt deprehensae triremes. neq. multo post de proelio facto in Thessalia cognitum est: vt ipsis Pompeianis fides fieret. nam ante id
E tempus fingi à legatis, amicisque Caesaris arbitrabantur. Quibus rebus cognitis, ex iis locis Cassius cum classe discessit. Caesar omnibus rebus relictis, persequendum sibi Pompeium existimauit, quascumq. in partes ex fuga se recepisset, ne rursus copias comparare alias, & bellum renouare posset: &, quantum itineris equitatu efficere poterat, quotidie progrediebatur: legionemque vnam minoribus itineribus subsequi iussit. Erat edictum Pompeij nomine Amphipoli propositum, vti o-
F nes eius prouinciae iuniores, & Graeci, ciuesq. Ro. iurandi caussa conuenirent. sed vtrum auertendae suspicionis caussa Pompeius proposuisset, vt quā diutissimè longioris fugae consilium occultaret, an nouis delectibus, si nemo premeret, Macedoniam tenere conaretur, existimari non potest. Ipse ad anchoram vnam noctem constitit, & vocatis ad se Amphipoli hospitibus, & pecunia ad necessarios sumptus corrogata, cognito Caesaris aduētu,
G ex eo loco discessit, & Mytilenas paucis dieb. venit. Biduum tempestate retentus, nauibusq. aliis, additis actuariis, in Ciliciam, atq. inde Cyprum peruenit. ibi cognoscit, consensu omnium Antiochensium, ciuiumque Romanorum, qui illic negotiarentur, arcem captam esse, excludendi sui caussa: nunciosque dimissos ad eos, qui se ex fuga in finitimas ciuitates recepisse dicerentur, ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum ca-

patris periculo futurum. Idem hoc L. Lentulo, qui superiore anno Consul fuerat, & P. Lentulo consulari, ac nonnullis aliis acciderat Rhodi. nam, quicunque ex fuga Pompeium sequebantur, atq. in insulam venissent, opido ac portu recepti non erant: missisq. ad eos nunciis, vt ex his locis discederent, cōtra voluntatem suam naues soluere iubebantur. Iamque de Cæsaris aduentu fama ad ciuitates perferebatur. Quibus cognitis rebus, Pompeius, deposito adeundæ Syriæ consilio, pecunia societatis sublata, & à quibusdam priuatis sumpta, & æris magno pondere ad militarem vsum in naues imposito, duobusque millibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim à negotiatoribus coegerat, quosq. ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelusium peruenit. ibi casu rex erat Ptolemæus, puer ætate, magnis copiis cum sorore Cleopatra gerens bellum, quam paucis antè mensibus per suos propinquos, atque amicos, regno expulerat: castraque Cleopatræ non longo spatio ab eius castris distabant. Ad eum Pompeius misit, vt pro hospitio, atque amicitia patris, Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed, qui ab eo missi erant, confecto legationis officio, liberius, cum militibus regis colloqui cœperunt, eosque hortari, vt suum officium Pompeio præstarent, néve eius fortunam despicerent. In hoc erant numero complures Pompeij milites, quos ex eius exercitu acceptos in Syria Gabinius in Alexandriam transduxerat, belloque confecto apud Ptolemæum, patrem pueri, reliquerat. His tunc cognitis rebus, amici regis, qui propter ætatem eius, in procuratione erant regni: siue timore adducti, vt postea prædicabant, ne, sollicitato exercitu regio, Pompeius Alexandriam Ægyptumque occuparet: siue despecta eius fortuna, vt plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt, iis, qui erant ab eo missi, palam liberaliter responderunt, eumque ad regem venire iusserunt: ipsi, clam consilio inito, Achillam, Præfectum regium, singulari hominem audacia, & L. Septimium Tribunum militum ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus, & quadam notitia Septimij productus, quòd bello prædonum apud eum ordinem duxerat, nauiculam paruulam conscendit, cum paucis suis. & ibi ab Achilla, & Septimio interficitur. Item L. Lentulus comprehenditur à Rege, & in custodia necatur. Cæsar, cùm in Asiam venisset, reperiebat T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianæ, eiusque rei caussa. Senatores omnes ex prouincia euocasse, vt iis testibus, in summa pecuniæ vteretur, sed interpellatum aduentu Cæsaris profugisse. Ita duobus temporibus Ephesiæ pecuniæ Cæsar auxilium tulit. Item constabat, Elide in templo Mineruæ, repetitis, atq. enumeratis diebus, quo die prœlium secundum fecisset Cæsar, simulacrum victoriæ, quod ante ipsam Mineruam collocatum erat, & antè ad simulacrum Mineruæ spectabat, ad valuas se templi, limenq. conuertisse. Eodemque die Antiochiæ in Syria bis tantus exercitus clamor & signorum sonus exauditus est, vt in muris armata ciuitas discurreret. Hoc idem Ptolemaide accidit. Pergami in occultis ac remotis templi, quò, præter Sacerdotes, adire fas non est, quæ Græci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt. Item Trallibus, in templo victoriæ, vbi Cæsari statuam consecrauerant, palma per eos dies inter coagmenta lapidum ex pauimento extitisse ostendebatur. Cæsar paucos dies in Asia moratus, cùm audisset, Pompeium Cypri visum, coniectans eum in Aegyptum iter habere propter necessitudines regni, reliquasque eius loci opportunitates, cum legionibus, vna quam ex Thessalia se sequi iusserat, & altera, quā ex Achaia à Fusio legato euocauerat, equitibusque DCCC. & nauibus longis Rhodiis X. & Asiaticis paucis, Alexandriam peruenit. In his erant legionibus hominum III. millia, CC. reliqui, vulneribus ex prœliis, & labore, ac magnitudine itineris confecti, consequi non potuerant. Sed Cæsar, confisus fama rerum gestarum, infirmis auxiliis proficisci non dubitauerat, atque omnem sibi locum tutum fore existimabat. Alexandriæ de Pompeij morte cognoscit: atque, ibi primùm è naui egrediens, clamorem militum audit, quos rex in opido, præsidij caussa reliquerat: & concursum ad se fieri videt, quòd fasces anteferrentur. In hoc omnis multitudo maiestatem regiam minui prædicabat. Hoc sedato tumultu, crebræ continuis diebus ex concursu multitudinis concitationes fiebant: compluresque milites huius vrbis omnibus partibus interficiebantur. Quibus rebus animaduersis, legiones sibi alias ex Asia adduci iussit, quas ex Pompeianis militibus confecerat. ipse enim necessariò Etesiis tenebatur: qui Alexandria nauigantibus sunt aduersissimi venti. Interim controuersias regum ad populum Romanum & ad se, quòd esset Consul, pertinere existimans, atque eò magis officio suo conuenire, quòd superiore consulatu cum patre Ptolemæo, & lege, & S.C. societas erat facta, ostendit sibi placere, regem Ptolemæum, atque sororem eius Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere: & de controuersiis iure apud se potius, quàm inter se armis, disceptare. Erat in procuratione regni, propter ætatem pueri, nutricius eius eunuchus, nomine Photinus. is primùm inter suos queri, atque indignari cœpit, regem ad dicendam caussam euocari: deinde, adiutores quosdam conscios sui nactus ex regiis amicis, exercitum à Pelusio clàm Alexandriam euocauit: atque eundem Achillam, cuius supra meminimus, omnibus copiis præfecit. hunc incitatum suis, & regis inflatum pollicitationibus, quæ fieri vellet, literis, nunciisque edocuit. In Testamento Ptolemæi patris heredes erant scripti ex duobus filiis maior, & ex duabus ea, quæ ætate antecedebat. Hæc vti fierent, per omnes deos, perque fœdera, quæ Romæ fecisset, eodem testamento Ptolemæus populum Rom. obtestabatur. Tabulæ testamenti, vnæ per legatos eius Romam erant allatæ, vt in ærario ponerentur (eæ, cùm propter publicas occupationes poni non potuissent, apud Pompeium sunt depositæ) alteræ, eodem exemplo relictæ, atque obsignatæ Alexandriæ proferebantur. De his rebus cum ageretur apud Cæsarem, isque maximè vellet pro communi amico, atque arbitro controuersias regum componere: subitò exercitus regius, equitatusque omnis venire Alexandriam nunciatur. Cæsaris copiæ nequaquam erant tantæ, vt eis, extra opidum si esset dimicandum, confideret, relinquebatur, vt se suis locis opido teneret, consiliumq. Achillæ cognosceret. Milites tamen omnes in armis esse iussit, regemque hortatus est, vt ex suis necessariis, quos haberet maximæ auctoritatis, legatos ad Achillam mitte-

re

ret: &, quid esset suæ voluntatis ostenderet. A quo missi Dioscorides, & Serapion, qui ambo legati Romæ fuerant, magnamque apud patrem Ptolemæum auctoritatem habuerant, ad Achillam peruenerunt. Quos ille, cùm in conspectum eius venissent, prius, quàm audiret, aut, cuius rei caussa missi essent, cognosceret, corripi, ac interfici iussit. Quorum alter, accepto vulnere occupatus, per suos pro occiso sublatus, alter interfectus est. Quo facto, Regem vt in sua potestate haberet, Cæsar effecit: magnumque regium nomen apud suos auctoritatem habere existimans, & vt potius priuato paucorum, & latronum consilio, quàm regio, susceptum bellum videretur. Erant cum Achilla copiæ, vt neque numero, neque genere hominum, neque vsu rei militaris contemnendæ viderentur. millia enim xx. in armis habebat. Hæ constabant ex Gabinianis militibus: qui iam in consuetudinem Alexandrinæ vitæ, atque licentię venerant, & nomen, disciplinamque populi Rom. dedidicerant, vxoresque duxerant, ex quibus ple- C rique liberos habebant. Huc accedebant collecti ex prædonibus, latronibusque Syriæ, Ciliciæque prouinciæ, finitimarumque regionum. Multi præterea, capitis damnati, exsulesque conuenerant: fugitiuisque omnibus nostris certus erat Alexandriæ receptus, certaque vitæ conditio, vt dato nominè, militum essent numero: quorum si quis à Domino comprehenderetur, concursu militum eripiebatur, qui vim suorum, quòd in simili culpa D versabantur, ipsi pro suo periculo defendebant. Hi regum amicos ad mortem deposcere: hi bona locupletum diripere: stipendij augendi caussa, regis domum obsidere: regno expellere alios, alios accersere, vetere quodam Alexandrini exercitus instituto consueuerant. Erant præterea equitum millia II. qui inueterauerant compluribus Alexandriæ bellis, hi Ptolemæum patrem in regnum reduxerant. Bibuli filios duos interfecerant, bella cum Ægyptiis gesserant. hunc vsum rei militaris habebant. Hic copiis fidens Achillas pauci- E tatemque militum Cæsaris despiciens, occupat Alexandriam: præterea opidi partem, quam Cæsar cum militibus tenebat, primo impetu domum eius irrumpere conatus est. Sed Cæsar, dispositis per vias cohortibus, impetum eius sustinuit. Eodemq. tempore pugnatum est ad portum: ac longè maximam ea res attulit dimicationem. simul enim, deductis copiis, pluribus viis pugnabatur: & magna multitudine. Naues longas occupare F hostes conabantur: quarum erant auxilio L. missæ ad Pompeium: quæ, prœlio in Thessalia facto, domum redierant. illæ triremes omnes, & quinqueremes erant, aptæ, instructæque omnibus re-

A bus ad nauigandum. Præter has, XXII. erant, quæ præsidij caussa Alexandriæ esse cōsueuerant, constratæ omnes: quas si occupassent, classe Cæsari erepta, portum, ac mare totum in sua potestate haberent, commeatu, auxiliisque Cæsarem prohiberent. itaque tanta est contentione actum, quanta agi debuit: cum ille celerem in ea re victoriam, hi salutem suam consistere viderent. sed rem obtinuit Cæsar omnesque eas naues, & reliquas, quę erant in naualibus, incendit: quòd tam latè tueri B tam parua manu non poterat, confestimque ad Pharum nauibus milites exposuit. Pharus est in insula turris, magna altitudine, mirificis operibus exstructa, quæ nomen ab insula accepit. Hæc insula, obiecta Alexandriæ, portum efficit: sed à superioribus regionibus, in longitudinem passuum DCCCC. in mare iactis molibus, angusto itinere, & ponte cum opido coniungitur. In hac sunt insula domicilia Aegyptiorum, & vicus, opidi magnitudine: quæq. vbique naues imprudentia, aut C tempestate paullulum suo cursu decesserint, has more prædonum diripere consueuerunt. Iis autem inuitis, à quibus Pharus tenetur, non potest esse propter angustias, nauibus introitus in portum. Hoc tum veritus Cæsar, hostibus in pugna occupatis, militibusque expositis, Pharum apprehendit, atque ibi præsidium posuit. Quibus est rebus effectum, vti tutò frumentum, auxiliaque ei nauibus ad eum supportari possent. dimisit enim circum omnes propinquas regiones: atque inde D auxilia euocauit. reliquis opidi partibus sic est pugnatum, vt æquo prœlio discederetur, & neutri pellerentur: id efficiebant angustiæ loci, paucisq. vtrimq. interfectis, Cæsar loca maximè necessaria complexus, noctu præmuniit. hoc tractu opidi pars erat regiæ exigua, in quam ipse, habitandi caussa, initio erat inductus, & theatrum coniunctum domui, quod arcis tenebat locum, aditusq. habebat ad portum, & ad reliqua naualia. Has munitiones insequētibus auxit diebus, vt pro muro obiectas E haberet, neu pugnare inuitus cogeretur. Interim filia minor Ptolemæi regis, vacuam possessionem regni sperans, ad Achillam se ex regia traiecit, vnaque bellum administrare cœpit. sed celeriter est inter eos de principatu controuersia orta: quæ res apud milites largitiones auxit. magnis enim iacturis sibi quisque eorum animos conciliabat. Hæc dum apud hostes geruntur, Photinus, nutricius pueri, & procurator regni in parte Cæsaris, cùm ad Achillam nuncios mitteret, hortareturq., F ne negotio desisteret, neu animo deficeret, indicatis, deprehensisque internunciis, à Cæsare est interfectus. Hęc initia belli Alexandrini fuerunt.

A. HIRTII, *vel,* OPPII, COMMENTARIORVM DE BELLO ALEXANDRINO LIBER I.

BELLO Alexandrino conflato, Cæsar, Rhodo, atque ex Syria, Ciliciaque omnem classem accersit: ex Creta sagittarios, equites ab rege Nabathæorum Malco euocat: tormenta vndique conquiri, & frumentum mitti, auxiliaque adduci iubet. Interim munitiones quotidie operibus augentur: atque omnes opidi partes, quæ minus firmæ esse viderentur, testudinibus, atq. musculis aptantur: ex ædificiis autem per foramina in proxima ædificia arietes immittuntur: quantumque aut ruinis deiicitur, aut per vim recipitur loci, in tantum munitiones proferuntur. nam incendio ferè tuta est Alexandria, quòd sine contignatione ac materia, sunt ædificia & structuris, atque fornicibus continentur, tectaque sunt rudere, aut pauimentis. Cæsar studebat maximè, vt, quàm angustissimam partem opidi palus à meridie interiecta efficiebat, hanc, operibus, vineisque agendis, à reliqua parte vrbis excluderet: illud spectans, primum, vt, cum esset in duas partes vrbs diuisa, acies vno cõsilio, atque imperio administraretur, deinde, vt laborantibus succurri, atque ex altera opidi parte auxilium ferri posset: in primis verò, vt aqua pabuloque abundaret: quarum alterius rei copiam exiguam, alterius nullam omnino facultatem habebat; quod vtrumq. palus largè præbere poterat. Neque verò Alexandrinis in gerendis negotiis cunctatio vlla, aut mora inferebatur. nam in omnes partes, per quas fines Ægypti, regnumq. pertinet, legatos, conquisitoresque, delectus habendi caussa, miserant: magnumque numerum in opidum telorum, atque tormentorum, conuexerant, & innumerabilem multitudinem adduxerãt, nec minus in vrbe maximæ armorum erant institutæ officinæ. seruos præterea puberes armauerãt: quibus domini locupletiores victum quotidianum, stipendiumq præbebant. hac multitudine disposita, munitiones semotarum partium tuebantur. veteranas cohortes vacuas in celeberrimis vrbis locis habebant, vt, quacunque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opportunæ essent. omnibus viis, atque angiportis triplicem vallũ obduxerant. (erat autem quadrato exstructus saxo: nec minus XL. pedes altitudinis habebat. quæque partes vrbis inferiores erant, has altissimis turribus denorum tabulatorum munierant. Præterea alias ambulatorias totidem tabulatorum confixerant: subiectisque eis rotis, funibus, iumentisque obiectis dire-

A ctis, plateis in quamcunq. erat visum partem mouebant. vrbs fertilissima, & copiosissima omnium rerum apparatus suggerebat, ipsi homines ingeniosissimi, atque acutissimi, quæ à nobis fieri viderant, ea sollertia efficiebant, vt nostri illorum opera imitari viderentur: & sua spõte multa reperiebant, vnoque tempore & nostras munitiones infestabant, & suas defendebant, atque hæc principes in consiliis, concionibusque agitabant, populum Ro. paullatim in consuetudinem eius regni
B venire occupandi: paucis annis antea Gabinium cum exercitu fuisse in Ægypto: Pompeium se ex fuga eodem recepisse: ac Cæsarẽ venisse cum copiis: neq. morte Pompeij quidquam profectum, quo minus Cæsar apud se commoraretur: quem si non expulissent, futuram ex regno prouinciam: idque agendum maturè. namque eum, interclusum tempestatibus propter anni tempus, recipere transmarina auxilia non posse. Interim, dissensione orta inter Achillam, qui veterano exercitui
C præerat, & Arsinoen, Regis Ptolemæi minorem filiam, vt suprà demõstratum est, cùm vterque vtrique insidiaretur, & summam imperij ipse obtinere vellet: præoccupat Arsinoe per Ganymede eunuchum, nutricium suum, atque Achillam interficit. hoc occiso, ipsa sine vllo socio, & custode, omne imperium obtinebat: exercitus Ganymedi transditur. is, suscepto officio, largitionem in milites auget, reliqua pari diligentia administrat. Alexandria est ferè tota suffossa, specusque habet
D ad Nilum pertinẽtes quibus aqua in priuatas domos inducitur, quæ paullatim spatio temporis liquescit, ac subsidit. hac vti domini ædificiorum, atque eorum familiæ consueuerũt. nam, quæ flumine Nilo fertur, adeò est limosa, atque turbida, vt multos, variosque morbos efficiat. sed ea plebs, ac multitudo contenta est necessariò, quod fons vrbe tota nullus est. hoc tamen flumen in ea parte vrbis erat, quæ ab Alexandrinis tenebatur. quo facto est admonitus Ganymedes, posse nostros
E aqua intercludi: qui, distributi munitionum tuendarum caussa vicatim ex priuatis ædificiis specubus, & puteis extracta aqua vtebantur. Hoc probato consilio, magnum, ac difficile opus aggreditur. intersaeptis enim specubus, atque omnibus vrbis partibus exclusis, quæ ab ipso tenebantur, aquæ magnam vim ex mari rotis, ac machinationibus, exprimere contendit. hanc locis superioribus fundere in partẽ Cæsaris non intermittebat. quamobrem salsior paulo præter consuetudinem aqua trahebatur ex proximis ædificiis: magnamq.

homi-

hominibus admirationem praebebat, quam ob causam id accidisset, nec satis sibi ipsi credebant. cùm se inferiores eiusdem generis, ac saporis, aqua dicerent vti atque antè consuessent: vulgoq; inter se conferebant, & degustando, quantum inter se differrent aquae, cognoscebant. paruo verò temporis spatio, haec propior bibi non poterat omnino. illa inferior corruptior iam, salsiorque reperiebatur. Quo facto, dubitatione sublata, tantus inuessit timor, vt ad extremum casum omnes deducti viderentur: atque alij morari Caesarem dicerent, quin naues cõscendere iuberet: alij multo grauiorem extimescerent casum: quòd neque celari Alexandrinis possent in apparanda fuga, cùm hi tam paruo spatio distarent ab ipsis: neque, illis imminentibus, atque insequentibus, vllus in naues receptus daretur. Erat autem magna multitudo oppidanorum in parte Caesaris, quam domicilijs ipsorum non mouerat: quòd ea se fidelem palàm nostris esse simulabat, & desciuisse à suis videbatur: vt, si mihi defendendi essent Alexandrini, quòd neque fallaces essent, neque temerarij, multa oratio frustra absumeretur. cùm verò vno tempore & natio eorum, & natura cognoscatur: aptissimum esse hoc genus ad proditionem, nemo dubitare potest. Caesar suorum timorem consolatione, & ratione minuebat. nam puteis fossisque aquam dulcem posse reperiri affirmabat: omnia enim litora naturaliter aquae dulcis venas habere: quòd si alia esset litoris Aegyptij natura, atque omnium reliquorum: tamen, quoniam mare liberè tenerent: neque hostes classem haberent, prohiberi sese non posse, quo minus quotidie aquam nauibus peterent, vel à sinistra parte à Paraetonio, vel à dextra ab insula. quae diuersae nauigationes nunquam vno tempore aduersis ventis precluderentur. fugae verò nullum esse consilium, non solùm iis qui primam dignitatem haberent: sed ne iis quidem, qui nihil praeter quam de vita, cogitarent: magno negotio impetus hostium aduersos ex munitionibus sustineri: quibus relictis, nec loco, nec numero pares esse posse: magnam autem moram, & difficultatem adscensum in naues habere, praesertim ex scaphis: summam esse contrà in Alexandrinis velocitatem, locorumque & aedificiorum notitiam: hos praecipuè in victoria insolentes, praecursuros, & loca excelsiora, atque aedificia occupaturos: ita fuga, nauibúsque nostros prohibituros: proinde eius consilij obliuiscerentur, atque omni ratione esse vincendum cogitarent. Hac oratione apud suos habita, atque omnium mentibus excitatis, dat Centurionibus negotium, vt, reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferant, néve quam partem nocturni temporis intermittant. Quo suscepto negotio, atque omnium animis ad laborem incitatis, magna vna nocte vis aquae dulcis inuenta est. ita operosis Alexandrinorum machinationibus, maximisque conatibus, non longi temporis labore, occursum est. Eo biduo legio XXXVII. ex dediticiis Pompeianis militibus cum frumento, armis, telis, tormentis, imposita in naues à Momitio Caluino; ad litora Africae, paullo supra Alexandriam, delata est. hae naues Euro, qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur: sed loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras. hi, cùm diu retinerentur, atque aquae inopia premerentur, nauigio actuario Caesarem faciunt certiorem. Caesar, vt

A per se consilium caperet, quid faciendum videretur, naues conscendit, atque omnem classem sequi iussit, nullis nostris militibus impositis: quòd cùm longius paullo discederet, munitiones nudare nolebat. Cùmque ad eum locum accessisset, qui appellatur Chersonesus, aquandique caussa remiges in terram exposuisset, nonnulli ex numero, cùm longius à nauibus praedatum processissent, ab equitibus hostium sunt excepti: ex iis cognouerunt, Caesarem ipsum in classe venisse, nec vllos

B milites in nauibus habere. Qua re comperta, magnam sibi facultatem fortunam obtulisse bene gerendae rei crediderunt: itaque naues omnes, quas paratas habuerant ad nauigandum, propugnatoribus instruxerunt, Caesarique redeunti cum classe occurrerunt: qui duabus de caussis eo die dimicare nolebat: quod & nullos milites in nauibus habebat, & post horam X. diei res agebatur: nox autem allatura videbatur maiorem fiduciam illis, qui locorum notitia confidebant:

C sibi etiam hortandi suos auxilium defuturum: quòd nulla satis idonea esset hortatio, qua neque virtutem posset notare, neque inertiam. Quibus de caussis naues, quas potuit, Caesar ad terram detraxit: quem in locum illos successuros non existimabat. erat vna nauis Rhodia in dextro Caesaris cornu longè ab reliquis collocata. hanc conspicati hostes non tenuerunt sese. magnóque impetu IV. ad eam constratae naues, & complures apertae contenderunt. cui coactus est Caesar ferre

D subsidium, ne turpiter in cõspectu contumeliam acciperet: quamquã, si quid grauius illi accidisset, meritò casurum iudicabat. Praelium commissum est magna contentione Rhodiorum: qui cùm in omnibus dimicationibus & scientia, & virtute praestitissent, tùm maximè illo tempore totum onus sustinere non recusabant: ne quod suorum culpa detrimentum acceptum videretur. ita praelium secundissimum est factum. capta est vna hostium quadriremis: depressa est altera. deinde

E omnibus epibatis nudatae magna praeterea multitudo in reliquis nauibus propugnatorũ est interfecta. quòd nisi nox praelium diremisset, tota classe hostium Caesar potitus esset. Hac calamitate perterritis hostibus, aduerso vento leniter flante, naues onerarias Caesar remulco victricibus suis Alexandriam deducit. eo detrimento adeò sunt fracti Alexandrini, cùm non iam virtute propugnatorum, sed scientia classiariorum se victos viderent... quibus & superioribus locis subleuabantur, vt vix aedificiis defendi possent, &

F materiam cunctam obijcerent, quòd nostrae classis oppugnationem etiam ad terram verebantur. iidem, postea quàm Ganymedes in concilio confirmauit, sese & eas, quae essent amissae, restituturum, & numerum adaucturum, magna spe & fiducia veteres reficere naues, accuratiusque huic rei studere, atque inseruire, instituerunt: ac, tametsi amplius ex nauibus longis in portu, naualibusque amiserant, non tamen reparandae classis cogitationem deposuerunt. videbant enim non auxilia Caesari, non

G commeatus supportari posse, si classe ipsi valerent. Praeterea nautici homines, & vrbis & regionis maritimae, quotidianoque vsu à pueris exercitati, ad naturale, ac domesticum bonum refugere cupiebant: & quantum paruulis nauigiis profecissent, sentiebant: itaque, omni studio ad parandam classem incubuerunt. Erant omnibus ostiis Nili custodiae, exigendi portorij caussa dis-

positæ. Nam & veteres erant in occultis regiæ naualibus, quibus multis annis ad nauigandum non erant vsi. has reficiebant: illas Alexandriam reuocabant. deerant remi: porticus, Gymnasia, ædificia publica detegebant: asseres, remorum vsum obtinebant: aliud naturalis sollertia, aliud vrbis copia, subministrabat. Postremò non longam nauigationem parabant, sed præsentes temporis necessitati seruiebant, & in ipso portu confligendum videbant. itaque paucis diebus, contra omnium opinionem, quadriremes XXII. quinqueremes V. cõfecerunt. ad has minores, apertásque complures adiecerunt: &, in portu periclitati remigio, quid quæque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, séque ad confligendum omnibus rebus parauerunt. Cæsar Rhodias naues IX. habebat, (nam, X. missis, vna in cursu litore Ægyptio defecerat) Ponticas VIII. Lycias V. ex Asia XII. ex his quinqueremes V. erant, & quadriremes X. reliquæ infra hanc magnitudinem, & pleræque apertæ. tamen, virtute militum confisus, cognitis hostium copiis, se ad dimicandum parabat. Postquam eò ventum est, vt sibi vterque eorum confideret: Cæsar Pharon classe circumuehitur, aduersásque naues hostibus constituit: in dextro cornu Rhodias collocat, in sinistro Ponticas. inter has spatium CD. passuum relinquit, quod satis esse ad explicandas naues videbatur. post hunc ordinem reliquas naues subsidio distribuit: quæ quamque earum sequatur, & cui subueniat, constituit, atque imperat. Non dubitanter Alexándrini classem producunt, atque instruunt: in fronte collocant XXII. reliquas subsidiarias in secundo ordine constituunt. magnum præterea numerum minorum nauigiorum, & scapharum producunt cum malleolis, ignibúsque: si quid ipsa multitudo, & clamor, & flamma nostris terroris afferre póssent. Erant inter duas classes vada transitu angusto, quæ pertinent ad regionem Africæ. sic enim prædicant, partem esse Alexandriæ dimidiam Africæ. Satísque diu inter ipsos est exspectatum, ab vtris transeundi fieret initium: proptereà quòd, eò qui intrassent, ad explicandam classem, & ad receptũ, si durior accidisset casus, impeditiores fore videbantur. Rhodiis nauibus præerat Euphranor, animi magnitudine, ac virtute magis cum nostris hominibus quàm cum Græcis, comparandus. hic, ob notissimam scientiam, atque animi magnitudinem, delectus est ab Rhodiis, qui imperiũ classis obtineret. qui, vbi Cæsaris animum aduertit, Videris mihi, inquit, Cæsar, vereri, si hęc vada primus nauibus intraueris, ne prius dimicare cogaris, quàm reliquam classem possis explicare. nobis rem committe. nos prœlium sustinebimus: neque tuum iudicium fallemus: dum reliqui subsequantur. hos quidem diutius in nostro conspectu gloriari, magno nobis & dedecori, & dolori est. Cæsar, illum adhortatus, atque omnibus laudibus prosecutus, dat signum pugnæ. progressus vltra vadum IV. Rhodias naues circumsistunt Alexandrini: atque in eas impetum faciunt. sustinent illi atque arte, sollertiáque se explicant: ac tãtum doctrina potuit: vt in dispari numero nulla transuersa hosti obiiceretur, nullius remi detergerentur, sed semper venientibus aduersæ occurrerent. interim sunt reliquæ subsecutæ. tum necessariò discessum ab arte est. propter angustias loci: atque omne certamen in virtute constitit. neque verò Alexandrinus fuit quisquam aut nostrorum, aut

A oppidanorum, qui aut in opere, aut in oppugnatione occupatum animum haberet, quin altissima tecta peteret, atq; ex omni prospectu locum spectaculo caperet, precibúsq; & votis victoriã suis ab diis immortalibus exposceret. Minimè autem erat par prœlij certamen. nostris enim prorsus, neque terra, neque mari effugium dabatur victis: omniaque victoribus erant futura in incerto: illi, si superassent nauibus, omnia tenerent: si inferiores fuissent, reliquam tamen fortunam periclitarentur. simul illud graue, ac miserum videbatur,
B perpaucos de summa ac de salute omnium decertare: quorum si quis aut animo, aut virtute cessisset, reliquis etiam esset cauendum, quibus pro se pugnandi facultas non fuisset. Hæc superioribus diebus sæpenumero Cæsar suis exposuerat: vt hoc maiori animo contenderent, quòd omnium salutem sibi commendatam viderent. eadem suum quisque contubernalem, amicum, notum prosequẽs erat obtestatus: ne suam, atque omnium falleret opinionem, quorum iudicio delectus ad pu-
C gnam proficisceretur. itaque hoc animo est decertatum, vt neque maritimis, nauticisque sollertia, atq; ars præsidium ferret: neq; numero nauiũ præstantibus multitudo prodesset: neque flexi ad virtutem ex tãta multitudine viri virtuti nostrorum possent adæquari. Capitur hoc prœlio quinqueremis vna & biremis cũ defensoribus, remigibusq;: & deprimuntur tres nostris incolumib. omnibus, reliquæ propinquam fugam ad oppidum capiunt: quas protexerunt ex molibus, atque ędificiis im-
D minentibus, & nostros adire propius prohibuerunt. Hoc ne sibi sæpius accidere posset, omni ratione Cæsar contendendum existimauit, vt insulam, molémque ad insulam pertinentem, in suam redigeret potestaté. perfectis enim magna ex parte munitionibus in oppido, & illam, & vrbem vno tempore tentari posse confidebat. Quo capto consilio, cohortes X. & leuis armaturæ electos, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur in nauigia minora, scaphásque imponit: alteram insulæ
E partem, destinendæ manus caussa, cum constratis nauibus aggreditur, præmiis magnis propositis, qui primus insulam cepisset. at primo impetũ nostrorum pariter sustinuerunt, vno enim tempore & ex tectis ædificiorum propugnabant, & litora armati defendebant: quò propter asperitatem loci, non facilis nostris aditus dabatur: & scaphis, nauibusque longis mobiliter, & scienter angustias loci tuebantur. sed vbi, locis primum cognitis, vadisque pertentatis, pauci nostri in litore cõ-
F stiterunt: atq; hos sunt alij subsecuti: constantérq; in eos, qui in litore æquo institerant, impetu fecerunt. omnes Pharitę terga verterunt. his pulsis custodia portus relicta, ad litora, & vicũ applicauerunt: séq; ex nauibus ad tuenda ędificia eiecerunt. neque vero diutius ipsi ex munitione se continere potuerunt. etsi erat non dissimile atque Alexandriæ genus ædificiorum: (vt minora maioribus conferantur) turrésque editæ, & coniunctæ muri locum obtinebant. neque nostri aut scalis, aut
G cratibus, aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum, sed terror hominibus mentem, consiliumque eripit, & membra debilitat vt tunc accidit. qui se in æquo loco ac plano pares esse confidebant, iidem, perterriti fuga suorum, & cæde paucorum: XXX. pedum altitudine in ædificiis consistere ausi non sunt, séque per molem in mare præcipitauerunt, & DCCC. passuum interuallum ad

lum ad opidū enatauerunt. Multi tamen ex iis capti, interfectique sunt. sed numerus captiuorum omnino fuit DC. Cæsar, præda militibus concessa, ædificia diripi iussit: castellúmque ad pontem, qui propior erat Pharo, communiuit: atque ibi præsidium posuit. hunc fuga Pharitæ reliquerant: fortiorem illum propiorémque opido Alexandrini tuebantur. sed eum postero die simili ratione aggreditur: quòd, his obtentis duobus, omnem nauigiorum excursum, & repentina latrocinia, sublatum iri videbatur. iámque eos, qui præsidio eum locum tenebant, tormentis è nauibus, sagittísque depulerat, atque in opidum redegerat: & cohortium III. instar in terram exposuerat. non enim plures consistere angustiæ loci patiebantur. reliquæ copiæ in nauibus stationem obtinebant. Quo facto, imperat pontem aduersus hostem prævallari, &, quà exitus nauibus erat fornice exstructo, quo pons sustinebatur, lapidibus oppleri, atque obstrui. quorum altero opere effecto, vt nulla omnino scapha egredi posset, altero instituto, omnes Alexandrinorum copiæ ex opido se eiecere, & contra munitiones pontis latiore loco constiterunt: eodémque tempore, quæ consueuerant nauigia per pontes ad incendia onerariarum emittere, ad molem constituerunt. Pugnabatur à nostris ex ponte, ex mole, ab illis ex area, quæ erat aduersus pontem, & ex nauibus contra molem. In his rebus occupato Cæsare, militésque hortante, remigum magnus numerus, & classiariorum ex longis nauibus nostris in molem se eiecit. Pars eorum studio spectandi ferebatur: pars etiam cupiditate pugnādi. Hi primùm nauigia hostium lapidibus, ac fundis à mole repellebant: ac multum proficere multitudine telorum videbantur: sed postquam vltra eum locum, ab latere eorum aperto, ausi sunt egredi ex nauibus Alexandrini pauci: vt sine signis, certísque ordinibus, sine ratione prodierant, sic temere in naues refugere cœperunt. quorum fuga incitati Alexandrini, ex nauibus egrediebantur, nostrósque acrius perturbatos insequebantur. simul qui in nauibus longis remanserant, scalas rapere, nauésque à terra repellere, properabant: ne hostes nauibus potirentur. Quibus omnibus rebus perturbati milites nostri, cohortium trium, quæ in ponte, ac prima mole constiterant, cùm post se clamorem exaudirent, fugam suorum viderent, magnam vim telorum aduersi sustinerent, veriti ne ab tergo circumuenirentur, & discessu nauium omnino reditu intercluderentur, munitionem, in pontem institutam, reliquerunt, & magno cursu incitati ad naues contenderunt. quorum pars maximas nacta naues, multitudine hominum, atque onere depressa est: pars resistens & dubitans, quid esset capiendum consilij, ab Alexandrinis interfecta est: nonnulli, feliciore exitu, expeditas ad anchoras naues consecuti, incolumes discesserunt: pauci alleuati scutis, & animo ad conandum nixi, ad proxima nauigia adnatarunt. Cæsar, quoad potuit, cohortando suós ad pontem, & munitiones contendere, eodem in periculo versatus est: postquam vniuersos cedere animaduertit, in suum nauigiū se recepit. quò multitudo hominū insecuta cùm irrumperet: neque administrandi, neque repellēdi à terra facultas daretur: fore, quod accidit, suspicatus, sese ex nauigio eiecit, atque ad eas, quæ longius constiterant, naues adnatauit. hinc suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnul-

A los conseruauit. Nauigium quidem eius, multitudine depressum militum, vnà cum hominibus interiit. hoc prœlio desiderati sunt ex numero legionariorum militum circiter CD. & paullo vltra eum numerum classiarij, & remiges. Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus, multísque tormentis confirmauerunt, atque, egestis ex mari lapidibus, liberè sunt vsi postea ad mittenda nauigia. Hoc detrimento, milites nostri tantum abfuerunt, vt perturbarentur, vt incensi potius, at-
B que incitati, magnas accessiones fecerint. nam in operibus hostium expugnandis, in prœliis quotidianis, quandocunque fors obtulerat, procurrentibus, & erumpentibus Alexandrinis manum comprehendi multum operibus, & ardentibus studiis militum. nec diuulgata Cæsaris cohortatio, subsequi legionum aut laborem aut pugnandi poterat cupiditatem: vt magis deterrendi, & continendi à periculosissimis essent dimicationibus, quàm incitandi ad pugnandum. Alexandri-
C ni, cùm Romanos & secundis rebus confirmari, & aduersis incitari viderent, neque vllum belli tertium casum nossent, quo possent esse firmiores, vt coniectura consequi possumus, aut admoniti à regis amicis, qui in Cæsaris erant præsidiis, aut suopte consilio, per occultos nuncios regis probato, legatos ad Cæsarem miserunt, vt dimitteret regem, transiréque ad suos pateretur: paratam enim omnem multitudinem esse, confectam tædio puellæ, fiduciario regno, dominatione crudelissima Ganymedis, facere id, quod rex impe-
D rasset: quo si auctore in Cæsaris fidem, amicitiamque venturi essent, nullius periculi timorem multitudini fore impedimento, quo minus se dederent. Cæsar, etsi fallacem gentem, sempérque alia cogitantem, alia simulantem, bene cognitam habebat, tamen, petentibus dare veniam, vtile esse statuit: quòd, si quo pacto sentirent ea, quæ postularent, mansurum in fide dimissum regem credebat: sin, id quod magis illorum naturæ conueniebat, ducem ad bellum gerendum regem habere
E vellent, splendidius, atque honestius sese contra regem, quàm contra conuenarum, ac fugitiuorum magnam, bellum esse gesturum. itaque regem cohortatus, consuleret regno paterno, parceret præclarissimæ patriæ, quæ turpissimis incendiis, & ruinis esset deformata, ciues suos primùm ad sanitatem reuocaret, deinde conseruaret fidem populo R. sibique præstaret: cùm ipse tantum ei crederet, vt ad hostes armatos eum mitteret: dextera dexteram tenens, dimittere cœpit adulta iam
F ætate puerum. at regius animus, disciplinis fallacissimis eruditus, ne à gentis suæ moribus degeneraret, flens orare contrà Cæsarem cœpit, ne se dimitteret: non enim regnum ipsum sibi conspectu Cæsaris esse iucundius. Compressis pueri lacrymis, Cæsar ipse commotus, celeriter, si illa sentiret, fore eum secum affirmans, ad suos dimisit. ille, vt ex carceribus in liberum cursum emissus, adeò cōtra Cęsarem acriter bellum gerere cœpit, vt lacrymas, quas in colloquio proiecerat, gaudio
G videretur profudisse. Accidisse hoc cōplures Cęsaris legati, amici, cēturiones, militésque lætabātur: quòd nimia bonitas eius, fallaciis pueri elusa esset. quasi verò id Cęsar, bonitate tātū adductus, & nō prudētissimo cōsilio, fecisset. Cū, duce assūpto, Alexandrini nihilo se firmiores factos, aut languidiores Romanos animaduerterent: eludentibusq; militibus regis ætatē, atque infirmitatem, magnū

rum multitudo defendebat eam partem, quæ facillimum aditum habebat, plurimum autem proficiebant hostes in repellendis vulnerandisq; nostris, qui in regione fluminis Nili propugnabant. diuersis enim telis nostri figebantur, aduersi ex vallo castrorum, auersiq; ex flumine, in quo multæ naues instructæ funditoribus, & sagittariis nostros impugnabant. Cæsar, cùm videret milites acrius prœliari non posse, nec tamen multum proficí propter locorũ difficultatem: cúmque animũ aduerteret, excelsissimum locum castrorum relictum esse ab Alexandrinis: quòd & per se munitus esset, & studio partim pugnandi, partim spectandi decurrissent in eum locum, in quo pugnabatur: cohortes illo circuire castra, & summum locum aggredi, iussit: hisque Carsulenum præfecit, & animi magnitudine, & rei militaris scientia virum præstantem. Quò vt ventum est, paucis defendentibus munitionem, nostris contra militibus acerrimè pugnantibus, diuerso clamore, & prœlio perterriti Alexandrini trepidantes in omnes partes discurrere cœperunt. quorum perturbatione nostrorum animi adeò sunt incitati, vt pæne eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editissimum locum castrorum caperét. ex quo decurrentes, magnam multitudinem hostium interfecerunt. quod periculum plerique Alexandrini fugientes, aceruatim se de vallo præcipitauerunt in eam partem, quæ flumini erat adiũcta. horum primis in ipsa fossa munitionis magna vi oppressis, ceteri faciliorem fugam habuerunt. constat fugisse ex castris regem ipsum, receptúmque in nauem, & multitudine eorum, qui ad proximas naues adnatabant, demerso nauigio perisse. Re felicissimè, celerriméque gesta, Cæsar, magnæ victoriæ fiducia, proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit: atque eam partem opidi victor introiit, quæ præsidio hostium tenebatur. neque eum consilium suum fefellit, quin hostes, eo prœlio audito, nihil iam de bello essent cogitaturi. dignum adueniens fructum virtutis, & animi magnitudinis tulit. omnis enim multitudo opidanorum, armis proiectis, munitionibúsque suis relictis, veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueuerunt, sacrísque omnibus prolatis, quorum religione precari offensos, iratósque animos regum erant soliti, aduenienti Cæsari occurrerunt, séque ei dediderunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones in suam partem opidi magna gratulatione venit suorum, qui non tãtùm bellum ipsum, ac dimicationem: sed etiam talem aduentum eius felicem fuisse lætabantur. Cæsar, Ægypto, atque Alexandria potitus, reges constituit, quos Ptolemæus testaméto scripserat, atque obtestatus erat populum R. ne mutarétur. nam, maiore ex duobus pueris rege amisso, minori transdidit regnũ, maioriq; ex duabus filiæ Cleopatræ, quæ manserat in fide præsidiísque eius, minorem Arsinoen, cuius nomine diu regnasse impotenter Ganymedem docuimus, deducere ex regno statuit: ne qua rursus noua dissensio, prius quàm diuturnitate confirmarentur regis imperia, per homines seditiosos nasceretur. Legione veterana VI. secum deducta, ceteras ibi relinquit: quo firmius esset eorum regum imperium: qui neque amorem suorum habere poterant, quòd fideliter permanserant in Cæsaris amicitia: neque vetustatis auctoritatem, paucis diebus reges con-

A stituti. simul ad imperij nostri dignitatem, vtilitatémque publicá pertinere existimabat, si permanerent in fide reges, præsidiis eos nostris esse tutos, & hos, si essent ingrati, posse iisdem præsidiis coerceri. sic, rebus omnibus confectis, & collocatis, ipse itinere terrestri profectus est in Syriam. Dum hæc in Ægypto geruntur, rex Deiotarus ad Domitium Caluinum, cui Cæsar Asiam finitimásque prouincias administrandas transdiderat, venit oratum, ne Armeniam minorem, regnum

B suum, néve Cappadociam, regnum Ariobarzanis, possideri, vastariq; pateretur à Pharnace; quo malo nisi liberarentur, imperata sibi facere, pecuniáque promissam Cæsari non posse se persoluere. Domitius, non tantùm ad explicandos sumptus rei militaris, cum pecuniam necessariam esse iudicaret; sed etiam turpe populo R. & C. Cæsari victori, sibique infame esse statueret, regna sociorum, atque amicorum, ab externo rege occupari, nuncios cõfestim ad Pharnacem misit, Armenia, Cap-

C padociáq; decederet, néve, occupatione belli ciuilis, populi R. ius, maiestatémque tétaret. hanc denunciationem cum maiorem vim habituram existimaret, si propius eas regiones cum exercitu accessisset: ad legiones profectus, vnam ex tribus XXXVI. secum ducit, II. in Ægyptum ad Cæsarem mittit, literis eius euocatas: quarum altera in bello Alexandrino nõ occurrit: quòd itinere terrestri per Syriam erat missa. adiungit Cn. Domitius legioni XXXVI. duas à Deiotaro, quas ille disciplina,

D atque armatura nostra complures annos cõstitutas habebat, equitésque centũ: totidémq; ab Ariobarzane sumit. mittit P. Sextium ad C. Plætorium Quæstorem, vt legionem adduceret: quæ ex tumultuariis militibus in Ponto cõfecta erat, Quinctiúmque Patisium in Ciliciam ad auxilia accersendã. quæ copiæ celeriter omnes iussu Domitij Comana conuenerunt. Interim legati à Pharnace responsum referunt: Cappadocia se decessisse Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine iure obtinere deberet: deniq. eius regni caus-

E sa íntegra Cæsari seruaretur: paratũ enim se facere quod is statuisset. Cn. Domitius, cum animaduerteret eum Cappadocia decessisse, non voluntate adductum, sed necessitate: quòd facilius Armeniam defendere posset, subiectã suo regno, quàm Cappadociam, lõgius remotam: quodque omnes III. legiones adducturum Domitium putasset: ex quibus cum II. ad Cæsarem missas audisset, audaciusq; in Armenia substitisset, perseuerare cœpit, vt eo quoq; regno decederet: neq; enim aliud ius

F esse Cappadociæ, atque Armeniæ: nec iustè eũ postulare, vt in Cæsaris aduentũ res integra differretur: id enim esse integrũ, quod ita esset, vt fuisset. His responsis datis, cum iis copiis, quas suprà scripsi, profectus est in Armeniã: locísq; superioribus iter facere instituit. nam ex Põto à Comanis iugũ editũ siluestre est, pertinẽs in Armeniam minoré, quo Cappadocia finitur ab Armenia, cuius itineris hæ erãt certæ opportunitates. quòd in locis superioribus nullus impetus repẽtinus accidere ho-

G stiũ poterat, & quòd Cappadocia, his iugis subiecta magnã cõmeatus copiã erat subministratura. Cõplures interim legationes Pharnaces ad Domitium mittit, quæ de pace agerent, regiáq; munera Domitio ferrent. ea constanter omnia aspernabatur: nec sibi quidquam fore antiquius, quã dignitaté populi R. & regna sociorũ recuperare, legatis respondebat. Magnis, & continuis itineribus con-

fectis, cum aduentaret Nicopolim, quod opidum in Armenia minore positum est, plano ipsum loco, montibus tamen altis ab duobus lateribus obiectis, satis magno interuallo ab opido remotis castra posuit longè à Nicopoli circiter millia passuum VII. Quibus ex castris, cùm locus angustus, atque impeditus esset transeúdus, Pharnaces in insidiis delectos pedites, omnésque pęne disposuit equites. magnam autem multitudinem pecoris intra eas fauces dissipari iussit, paganósque & opidanos in his locis obuersari: vt si amicus Domitius eas angustias transiret, nihil de insidiis suspicaretur, cùm in agris & pecora, & homines animaduerteret versari, tanquam amicorum aduentu: sin verò vt in hostium fines veniret: præda diripienda, milites dissiparentur, dispersique cæderentur. Hæc cùm administraret, nunquam tamen intermittebat legatos de pace, atq; amicitia mittere ad Domitium: cùm hoc ipso crederet eum facilius decipi posse. At côtra spes pacis Domitio in eisdé castris morandi attulit caussam. ita Pharnaces, amissa proximi temporis occasione, veritus ne cognoscerentur insidiæ, suos in castra reuocauit. Domitius postero die propius Nicopolim accessit, castráque opido contulit. quæ dum muniunt nostri, Pharnaces aciem instruxit suo more atque instituto. in fronte enim, simplici directa acie, cornua trinis firmabantur subsidiis. eadem ratione hæc media collocabantur acie, duobus dextra, sinistráque interuallis, simplicibus ordinibus instructis, præfecit inceptum castrorum opus Domitius, parte copiarum pro vallo instructa. Proxima nocte Pharnaces, interceptis tabellariis, qui de Alexandrinis rebus literas ad Domitium ferebant, cognoscit Cæsarem magno in periculo versari, flagitarique à Domitio, vt quamprimum sibi subsidia mitteret, propiúsque ipse Alexandriam per Syriam accederet. Qua cognita re Pharnaces victoriæ loco ducebat, si trahere tempus posset: cùm discedendum celeriter Domitio putaret. itaque ab opido, quà facillimum accessum, & æquissimum ad dimicandum nostris videbat, fossas II. directas, non ita magno medio interuallo relicto, IV. pedum altitudinis in eum locum deduxit, quo longius constituerat suam non producere aciem. inter has fossas aciem semper instruebat. Equitatum autem ab lateribus omné extra fossam collocabat: qui neq; aliter vtilis esse poterat, & multum numero anteibat nostrum equitatum. Domitius autem, cùm Cæsaris magis periculo, quam suo commoueretur: neque se tutò discessurum arbitraretur, si conditiones, quas reiecerat, rursus appeteret, aut sine caussa discederet: ex propinquis castris in aciem exercitum eduxit. XXXVI. legionem in dextro cornu collocauit, Pôticam in sinistro: Deiotari legiones in mediam aciem côtulit: quibus tamen angustissimum frontis reliquit interuallum, reliquis cohortibus in subsidiis collocatis. sic vtrimque acie instructa processum est ad dimicádum. Signo sub idem tempus ab vtroque dato concurritur, acriter variéque pugnatur. nam XXXVI. legio cum extra fossam in equitatum regis impetum fecisse, adeò secundum prœlium fecit, vt mœnibus opidi succéderet, fossamque transiret, auersosque hostes aggrederetur. at Pontica ex altera parte legio, cum paullulum auersa hostibus cessisset, fossam autem circuire acies secúdò conata esset vt aperto latere aggrederetur hostem: in ipso transitu fossæ con-

A fixa, & oppressa est. Deiotari verò legiones vix impetum sustinuerunt. ita victrices regis copiæ cornu suo dextro, mediaque acie conuertunt se ad XXXVI. legionem: quæ tamen fortiter vincentium impetum sustinuit: magnis copiis hostium circumdata, præsentissimo animo pugnans in orbem se recepit ad radices montium: quò Pharnaces insequi, propter iniquitatem loci, noluit. ita, Pontica legione pæne tota amissa, magna parte Deiotari militum interfecta, XXXVI. legio in loca B se superiora contulit, non amplius CCL. desideratis. ceciderunt eo prœlio splendidi, ac illustres viri nonnulli equites Romani. Quo tamen incommodo Domitius accepto, reliquias exercitus dissipati collegit, itineribúsque tutis per Cappadociã se in Asiam recepit. Pharnaces rebus secundis elatus, cum de Cæsare ea quæ optabat, speraret, Pontum omnibus copiis occupauit: ibique & victor & crudelissimus Rex, cum sibi fortunam paternam feliciore euentu destinaret, multa opida expugnauit: C bona ciuium Romanorum, Ponticorúmque diripuit: supplicia constituit in eos, qui aliquam formæ, atque ætatis commendationem haberent, eaque quæ morte essent miseriora: Pontúmque nullo defendente, paternum regnum se recepisse glorians, obtinebat. Sub idem tempus in Illyrico est incommodum acceptum: quę prouincia superioribus mensibus retenta non tantum sine ignominia, sed etiam cum laude erat. namque eò missus æstate cum II. legionibus Q. Cornificius Cæsaris quęstor pro prætore: quanquam erat D prouincia minimè copiosa ad exercitus alendos, & finitimo bello, ac dissensionibus vastata, & confecta: tamen prudentia, ac diligentia sua, quòd magnam curam suscipiebat, ne quò temere progrederetur, & recepit, & defendit. namque, & castella complura, locis editis posita, quorum opportunitas castellanos impellebat ad decursiones faciendas, & bellum inferendum, expugnauit: eaque præda milites donauit: quæ etsi erat tenuis, tamen in E tanta prouinciæ desperatione, erat grata, præsertim virtute parta. & cum Octauius ex fuga Pharsalici prœlij magna classe in illum se sinum contulisset paucis nauibus Iadertinorum, quorum semper in Rempu. singulare constiterat officium, dispersis Octauianis nauibus erat potitus: vt vel classe dimicare posset, adiunctis captiuis nauibus sociorum: cum diuersissima parte orbis terrarum Cn. Pompeium victor Cęsar sequeretur, cùm pluresque aduersarios in Illyricum, propter Macedoniæ propinquitatem, se reliquiis ex fuga collectis, F compulisse audiret, literas ad Gabinium mittit, vti cum legionibus Tironum, quę nuper erant conscriptæ, proficisceretur in Illyricum: coniunctisque copiis cum Q. Cornificio, si quod periculum prouinciæ inferretur, depelleret: sin ea non magnis copiis tuta esse posset, in Macedoniam legiones adduceret. omnem enim illam partem, regionémque, viuo Cn. Pompeio, bellum instauraturá esse credebat. Gabinius, vt in Illyricum venit hiberno tempore anni, ac difficili, siue copiosiorem G prouinciam existimans, siue multum fortunæ victoris Cæsaris tribuens, siue virtute & scientia sua confisus, quam sæpe in bellis periclitatus, magnas res, & secundas ductu, auspicioque suo gesserat: neque prouinciæ facultatibus subleuabatur: quæ partim erat exinanita, partim infidelis: neque nauibus, intercluso mari tempestatibus, commeatus supportari poterat: magnisque difficultatibus

coactus,

coactus, non vt volebat, sed vt necesse erat, bel-
lum gerebat. ita, cùm durissimis tempestatibus,
propter inopiam, castella, aut opida expugnare
cogeretur, crebra incommoda accipiebat: adeo-
que est à Barbaris contemptus, vt, Salonam se re-
cipiens in opidum maritimum, quod ciues Ro-
mani fortissimi, fidelissimique incolebant, in ag-
mine dimicare sit coactus. Quo prœlio duobus
millibus militum amplius amissis, centurionibus
xxxiix. tribunis iv. cum reliquis copiis Salo-
nam se recepit: summaque ibi difficultate rerum
omnium pressus, paucis mensibus morbo periit.
cuius & infelicitas viui, & subita mors in ma-
gnam spem Octauium adduxit prouinciæ po-
tiundæ: quem tamen diutius in rebus secundis
& fortuna, quæ plurimum in bellis potest, dili-
gentiaque Cornificij, & virtus Vatinij versari
passa non est. Vatinius Brundusij cùm esset, cogni-
tis rebus, quæ gestæ erant in Illyrico, cùm cre-
bris literis Cornificij ad auxilium prouinciæ fe-
rendum euocaretur: & M. Octauium audiret cum
Barbaris fœdera percussisse, compluribúsque lo-
cis nostrorum militum oppugnare præsidia, par-
tim classe per se, partim pedestribus copiis per
Barbaros: etsi, graui valetudine affectus, vix cor-
poris viribus animum sequebatur: tamen virtute;
vicit incommodum naturæ, difficultatésque hie-
mis, & subitæ præparationis. nam, cum ipse pau-
cas in portu naues longas haberet, literas in A-
chaiam ad Q. Calenum misit, vt sibi classem mit-
teret. Quod cum tardius fieret; quàm periculum
nostrorum flagitabat, qui sustinere impetum O-
ctauij non poterant: nauibus actuariis, quarum
numerus erat satis magnus, magnitudine quan-
quam non satis iusta ad prœliandum, rostra im-
posuit. has adiunctas nauibus longis, & numero
classis aucto, militibus veteranis impositis, quo-
rum magnam copiam habebat, ex omnibus le-
gionibus, qui numero ægrorum relicti erant
Brundusij, cum exercitus in Græciam transporta-
retur, profectus est in Illyricum, maritimasque
nonnullas ciuitates, quæ defecerant, Octauioque
se transdiderant, partim recipiebat: partim rema-
nentes in suo consilio prætereuehebatur: nec sibi
vllius rei moram, necessitatémque iniungebat.
quin, quàm celerrimè posset ipsum Octauium
persequeretur. hunc oppugnantem Epidaurū ter-
ra, marique, vbi nostrum erat præsidium, aduentu
suo discedere ab oppugnatione coegit: præsidiúm-
que nostrum recepit. Octauius, cùm Vatinium
classem magna ex parte confectam ex nauiculis
actuariis habere cognouisset, confisus sua classe,
substitit ad insulam Thauridem: qua regione Va-
tinius insequens nauigabat, non quòd Octauium
ibi restitisse sciret: sed quòd eum longius progres-
sum insequi decreuerat. Cùm propius Tauridē
accessisset, distentis suis nauibus, quòd & tempe-
stas erat turbulenta, & nulla suspicio hostis, re-
pentè aduersam ad se venientem nauem, anten-
nis ad medium malum dimissis, instructam pro-
pugnatoribus animaduertit. Quod vbi conspexit,
celeriter vela subduci, demittiq; antennas iubet,
& milites armari: & vexillo sublato, quo pugnādi
dabat signum, quę primę naues subsequebantur,
idem vt facerent, significabat. Parabāt se Vatinia-
ni, repentè oppressi: parati deinceps Octauiani ex
portu procedebant. Instruitur vtrimque acies, or-
dine disposita magis Octauiana, paratior mili-
tum animis Vatiniana. Vatinius, cum animaduer-

A teret, neq; nauium se magnitudine, neq; numero
parem esse futuræ dimicationi, fortunæ rem com-
mittere maluit, itaque primus sua quinqueremi
in quadriremem ipsius Octauij impetū fecit, ce-
lerrimè, fortissiméq; contrà illo remigante, naues
aduersæ rostris concurrunt adeò vehementer, vt
nauis Octauiana, rostro discusso, ligno continere-
tur. Committitur acriter reliquis locis prœlium:
concurriturque ad duces maximè. nam, cum suo
quisq; auxilium ferret, magnum cominus in an-
B gusto mari prœlium factum est: quantóque cōiū-
ctis magnis nauibus cōfligendi potestas dabatur,
tanto superiores erant Vatiniani: qui admiranda
virtute ex suis nauibus in hostium naues transire
non dubitabant: & dimicatione æquata, longè su-
periores virtute, rem feliciter gerebant. deprimi-
tur ipsius Octauij quadriremis: multę præterea
capiuntur, aut rostris perforatæ merguntur: pro-
pugnatores Octauiani partim in nauibus iugulā-
tur, partim in mare præcipitantur: ipse Octauius
C se in scapham confert: in quam plures cùm con-
fugerēt, depressa scapha, vulneratus tamē adnatat
ad suū Myoparonē. Eò receptus, cum prœliū nox
dirimeret: tēpestate magna velis profugit. sequun-
tur hunc suę naues nōnullę, quas casus ab illo pe-
riculo vindicarat. At Vatinius, rè bene gesta, rece-
ptui cecinit: suisq; omnibus incolumibus in eum
se portum victor recepit, quo ex portu classis O-
ctauiana ad dimicandum processerat. capit ex eo
prœlio pentiremem i. triremes ii. dycrotas iix.
cōpluresque remiges Octauianos: posteróque ibi
D die fuit, dum suas captiuásq; naues reficeret. Post
diem iii. contendit in insulam Issam, quòd eò se
recepisse ex fuga credebat Octauium. erat nobi-
lissimum regionum earum opidum, coniunctissi-
mumq; Octauio. quò vt peruenit, opidani suppli-
ces se Vatinio dediderunt, comperitque ipsum O-
ctauium, paruis, paucisque nauigiis, vento secun-
do, regionem Græciæ petisse, inde vt Siciliam,
deinde Africam, caperet. Ita breui spatio, re præ-
clarissimè gesta, prouincia recepta, & Cornificio
E reddita, classe aduersariorum ex illo toto sinu, ex-
pulsa, victor se Brundusium, incolumi exercitu,
& classe, recepit. His autem temporibus, quibus
Cæsar ad Dyrrhachium Pompeium obsidebat, &
prœlio Pharsalico rem feliciter gerebat, Alexan-
driæque cum periculo magno, tum etiam maiore
periculi famā, dimicabat, Cassius Longinus, in
Hispania Proprætor, prouinciæ vlterioris obti-
nendæ caussa, relictus, siue consuetudine naturæ
F suę, siue odio, quod in illam prouinciam susceperat
Quęstor, ex insidiis ibi vulneratus, magnas o-
dij sui fecerat accessiones: quòd vel ex conscien-
tia sua, cum de se mutuò sentire prouinciam cre-
deret, vel multis signis, & testimoniis eorum, qui
difficulter odia dissimulant, animaduertere pote-
rat, & compensare offensionem prouinciæ exerci-
tus amore cupiebat. itaque, cum primum in vnū
locum exercitum conduxit, H-S. centena militi-
bus est pollicitus: nec multò pòst, cum in Lusita-
nia Medobregam opidum, mōtémque Herminiū
G expugnasset, quò Medobregenses confugerant: i-
biq; Imperator esset appellatus, iterum H-S. cen-
tenis milites donauit. Multa præterea, & magna
præmia singulis concedebat: quæ speciosum red-
debant præsentem exercitus amorem: paulatim
tamen, & occultè militarem disciplinam, seueri-
tatémque minuebāt. Cassius, legionib. in hiberna
dispositis, ad ius dicendum Cordubam se recepit,

contractumq; in ea æs alienum grauissimis oneribus prouinciæ, constituit exsoluere: &, vt largitionis postulat consuetudo, per caussam liberalitatis speciosam, plura largitori quærebantur: pecuniæ locupletibus imperabantur: quas Longinus sibi expensas ferri non tantum patiebatur, sed etiam cogebat: in gregem locupletium simultatum caussæ tenues coniiciebantur: neque vllum genus quæstus, aut magni, & euidentis: aut minimi, & sordidi prætermittebatur, quo domus, & tribunal Imperatoris vacaret. nemo erat, qui modo aliquam iacturam facere posset, quin aut vadimonio teneretur, aut in reos referretur. ita etiam magna sollicitudo periculorum ad iacturas, & detrimenta rei familiaris adiungebatur. Quibus de caussis accidit, vt, cùm Longinus Imperator eadem faceret, quæ fecerat Quæstor, similia rursus de morte eius prouinciales consilia inirent. horum odium confirmabant nonnulli familiares eius: qui, cùm in illa societate versarentur rapinarum, nihilo minus oderant eum, cuius nomine peccabant: sibique quod rapuerant, acceptum ferebant, quod interciderat, aut erat interpellatum, Cassio assignabant. v. legionem nouam conscribit: augetur odium & ex ipso delectu, & sumptu additæ legionis. complentur equitum III. millia: maximisque onerantur impensis: nec prouinciæ datur vlla requies. Interim literas accepit à Cæsare, vt in Africam exercitum transiiceret, pérque Mauritaniam ad fines Numidiæ perueniret: quòd magna Cn. Pompeio Iuba rex miserat auxilia, maioráque missurus existimabatur. Quibus literis acceptis, insolenti voluptate efferebatur: quòd sibi nouarum prouinciarum, & fertilissimi regni tanta oblata esset facultas. Itaque ipse in Lusitaniam proficiscitur, ad legiones accersendas, auxiliáque adducenda: certis hominibus erat negotium, vt frumentum, nauésque c. præpararentur, pecuniæque describerentur, atque imperarentur: ne qua res, cùm rediisset, moraretur. reditus eius fuit celerior omnium opinione. non enim labor, aut vigilantia, cupienti præsertim aliquid, Cassio deerat. exercitu coacto in vnum locum, castris ad Cordubam positis, pro concione militibus exponit, quas res Cæsaris iussu gerere deberet: pollicetúrque iis, cùm in Mauritaniam transiecisset, H-S. centena se daturum: v. fore in Hispania legionem. ex concione se Cordubam recepit. eóque ipso die, meridiana hora, cum in Basilicam iret, quidam Minucius Silo, cliens L. Racilij, libellum, quasi aliquid ab eo postularet, vt miles, ei tradit: deinde post Racilium, (nam is latus Cassij tegebat) quasi responsum ab eo peteret, celeriter dato loco, cum se insinuasset, sinistra corripit eum, dextráque bis ferit pugione. Clamore sublato, fit à coniuratis impetus vniuersis. Munatius Plancus proximum gladio transiicit lictorem. hoc interfecto, Q. Cassium Legatum vulnerat. Ibi T. Vasius, & L. Mergilio, simili confidentia, Plancum municipem suum adiuuant. erant enim omnes Italienses. Ad ipsum Longinum L. Licinius Squillus inuolat, iacentémque leuibus sauciat plagis. Concurritur ad Cassium defendendum. semper enim Berones compluresque vocatos cum telis secum habere consueuerat. à quibus cæteri intercluduntur, qui ad cædem faciendam subsequebantur. Quo in numero fuit Calpurnius Saluianus, & Manlius Tusculus. Minucius inter saxa, quæ iaciebantur, in itinere fugiens opprimitur: &, relato domum

A Cassio, ad eum deducitur. Racilius in proximam se domum familiaris sui confert, dum certum cognosceret, confectúsne Cassius esset. L. Laterensis, cum id nó dubitaret, accurrit lætus in castra, militibúsque vernaculis, & secundæ legionis, quibus odio sciebat præcipuè Cassium esse, gratulatur. tollitur a multitudine in tribunal, Prætor appellatur. nemo enim in prouincia natus, aut vernaculæ legionis miles, aut diuturnitate iam factus prouincialis, quo in numero erat II. legio, non
B cum omni Prouincia consenserat in odio Cassij. nam legiones xxx. & xxi. paucis mensibus in Italia scriptas, Cæsar attribuerat Longino. v. legio ibi nuper erat confecta. Interim nunciatur Laterensi viuere Cassium. Quo nuncio, dolore magis permotus, quàm animo perturbatus, reficit celeriter se, & ad Cassium visendum proficiscitur. Re cognita, xxx. legio signa Cordubam infert, ad auxilium ferendum imperatori suo. facit hoc idem xxi. subsequitur has v. cum II. legiones, reliquæ essent in castris: secundani, veriti ne soli relinquerentur, atque ex eo, quid sensissent, iudicaretur, secuti sunt factum superiorum. permansit in senté-
C tia legio vernacula, nec vllo timore de gradu deiecta est. Cassius eos, qui nominati erant conscij cædis iubet comprehendi: legionem v. in castra remittit, cohortibus xxx. retentis. indicio Minucij cognoscit, L. Racilium, & L. Laterensem, & Annium Scapulam, maximæ dignitatis, & gratiæ prouincialem hominem, sibique tam familiarem, quam Laterensem, & Racilium in eadem fuisse coniura-
D tione. nec diu moratur dolorem suum, quin eos interfici iubeat. Minucium libertis tradit excruciandum: item Calpurnium Saluianum, qui profitetur indicium, coniuratorúmq; numerum auget, verè, vt quidá existimant, vt nonnulli queruntur, coactus. Iisdem cruciatibus affectus L. Mergilio. Squillus nominat plures: quos Cassius interfici iubet, exceptis iis, qui se pecunia redemerunt, ná palàm H-S. c ccIↃↃ. cum Calpurnio paciscitur, & cum Q. Sextio IↃↃↃ. qui, etsi maximè nocentes sunt
E multati, tamen periculum vitæ, dolorq; vulnerum, pecunia remissus, crudelitaté cú auaritia certasse significabat. Aliquot pòst diebus literas à Cæsare missas accipit: quibus cognoscit Pópeium in acie victum, amissis copiis fugisse. Qua re cognita mistam dolori voluptaté capiebat. victoriæ nuncius lætitiam exprimebat: confectum bellum licentia temporum intercludebat: sic erat dubius animus, vtrum nihil timere, an omnia licere mallet. Sanatis vulneribus accersit omnes, qui sibi pecunias
F expensas tulerant: acceptasq; eas iubet referri. quibus parú videbatur imposuisse oneris, ampliorem pecuniá imperat. equa auté ratione delectum instituit: quos ex omnibus conuentib. coloniisque conscriptos, transmarina militia perterritos, ad sacraméti redemptionem vocabat. magnú hoc fuit vectigal, maius tamen creabat odium. His rebus confectis. totum exercitum lustrat. Legiones, quas in Africam ducturus erat, & auxilia mittit ad traiectum; ipse, classem, quam parabat, vt inspiceret,
G Hispalim accedit: ibiq; moratur. propterea quòd edictum tota prouincia proposuerat, vt, quibus pecunias imperasset, neque contulissent, se adirent. Quæ euocatio vehementer omnes turbauit. Interim L. Titius, qui eo tempore Tribunus mil. legionis vernaculæ fuerat, nunciat fama, legionem xxx. quam Q. Cassius legatus simul ducebat, cum Ilurgim ad Opidum castra haberet, seditione

tione facta, Centurionibus aliquot occisis, qui
signa tolli non patiebantur, discessisse, & ad II. le-
gionem contendisse, quæ ad fretum alio itinere
ducebatur. Cognita re, noctu cum v. cohortibus
vndeuigesimanorum egreditur, mane peruenit.
ibi eum diem, vt, quid ageretur, perspiceret, mora-
tus, Carmonam contendit. hic, cum legio xxx.
& xxxi. & cohortes IV. & v. legio, totusque conue-
nisset equitatus, audit IV. cohortes à vernaculis
oppressas ad Obuculam, cum his ad secundam
peruenisse legionem, omnésque ibi se coniun-
xisse, & T. Thorium Italicensem ducem delegisse.
Celeriter habito consilio, Marcellum Cordubam,
vt eã in potestate retineret, Q. Casśium legatum
Hispalim mittit. Paucis ei diebus affertur, con-
uentum Cordubensem ab eo defecisse: Marcel-
lumque aut voluntate, aut necessitate adductum,
(namque id variè nunciabatur) consentire cum
Cordubensibus, II. cohortes legiones v. quæ fue-
rant Cordubæ in præsidio, idem facere. Cassius,
his rebus incensus, mouet castra, & postero die
Segouiam ad flumen Silicense venit. Ibi habita
concione, militum tentat animos: quos cognos-
cit, non sua, sed Cæsaris absentis caussa, sibi fidis-
simos esse, nullumque periculum deprecaturos,
dum per eos Cæsari prouincia restitueretur. Inte-
rim Thorius ad Cordubam veteres legiones ad-
ducit: ac, ne dissensionis initium natum seditiosa
militum suaque videretur natura: simul, vt contra
Q. Cassium, qui Cæsaris nomine maioribus viri-
bus vti videbatur, æquè potentem opponeret di-
gnitatem: Cn. Pompeio se prouinciam recuperare
velle, palàm dictitabat. & forsitan etiam hoc fe-
cerit odio Cæsaris, & amore Pompeij: cuius no-
men multum poterat apud eas legiones, quas M.
Varro obtinuerat: sed, id qua mente commotus
fecerit, coniectura sciri non potest. Certè hoc præ
se Thorius ferebat: milites adeò fatebatur, vt Cn.
Pompeij nomen in scutis inscriptum haberent,
frequens legionibus conuentus obuiam prodit,
neque tantùm virorum, sed etiam matrum fami-
lias, ac prætextatorum: deprecaturque, ne hostili
aduentu Cordubam diriperent: nam se contra
Cassium sentire cum omnibus: contrà Cæsarem
ne facere cogerentur, orare. Tantæ multitudinis
precibus, & lacrymis exercitus commotus, cùm
videret ad Cassium persequendum nihil opus esse
Cn. Pompeij nomine, & memoria, tamque omni-
bus Cæsarianis, quàm Pompeianis, Longinum
esse in odio, neque se conuentu, neque M. Mar-
cellum contra Cæsaris caussam posse perducere,
nomen Pompeij ex scutis detraxerunt: Marcel-
lum, qui se Cæsaris caussam defensurum profite-
batur, ducem adsciuerunt. Prætorémque appella-
runt: & sibi conuentum adiunxerunt, castraque
ad Cordubam posuerunt. Cassius eo biduo circi-
ter IV. millia passuum à Corduba, citra flumen
Bætim, in opidi conspectu loco excelso facit ca-
stra: literas ad Regem Bogudem in Mauritaniam,
& ad M. Lepidum Proconsulem in Hispaniam ci-
teriorem mittit, subsidio sibi, prouinciæque Cæ-
saris caussa quamprimum veniret. Ipse, hostili
modo, Cordubensium agros vastat, ædificia in-
cendit. Cuius rei deformitate, atque indignitate,
legiones, quæ Marcellum sibi ducem ceperant, ad
eum concurrerunt: vt in aciem educerentur,
orant: priusque confligendi sibi potestas fieret,
quàm cum tanta contumelia nobilissimæ, carissi-
mæque possessiones Cordubensium in conspectu

A suo rapinis, ferro flammaque consumerentur.
Marcellus, cum confligere miserrimum putaret,
quod & victoris, & victi detrimentum ad eun-
dem Cæsarem esset redundaturum, neque suę po-
testatis esse, legiones Bætim traducit, atque
aciem instruit. Cum Cassium contra pro castris
suis acié instruxisse loco superiore videret, caus-
sa interposita, quod is in æquum non descenderet,
Marcellus militibus persuadet, vt se in castra re-
cipiant. itaque copias reducere cœpit. Cassius,
B quo bono valebat, Marcellumque infirmum esse
sciebat, aggressus equitatu legionarios se reci-
pientes, complures nouissimos in fluminis ripis
interficit. Cum hoc detrimento, quid transitus
fluminis vitij, difficultatisque haberet, cognitum
esset, Marcellus castra Bætim transfert: crebroque
vterque legiones in aciem educit: neque tamen
confligitur, propter locorum difficultates. Erat
copiis pedestribus multo firmior Marcellus. ha-
beoat enim veteranas legiones, multisq. prœliis
C expertas. Cassius fidei magis, quàm virtuti legio-
nũ cõfidebat. itaq., cũ castra castris collata essent,
& Marcellus locum idoneũ castello cepisset, quo
prohibere aqua Cassianos posset, Longinus veri-
tus, ne genere quodam obsidionis clauderetur in
regionibus alienis, sibique infestis, noctu silentio
ex castris proficiscitur, celerique itinere Vllam
contendit, quòd sibi fidele esse opidum credebat.
Ibi adeò coniuncta ponit mœnibus castra, vt &
loci natura, (namque Vlla in edito monte posita
D est) & ipsa munitione verbis, vndiq. ab oppugna-
tione tutus esset. hanc Marcellus insequitur, &,
quàm proximè potest Vllam, castra castris con-
fert: locorumque cognita natura quò maximè se
deducere volebat, necessitate est adductus: vt neq.
confligeret: cuius si rei facultas esset, resistere inci-
tatis militibus non poterat: neque vagari Cassiũ
latius pateretur: ne plures ciuitates ea paterétur,
quæ passi erant Cordubéses. Castellis idoneis lo-
cis collocatis, operibusque in circuitu opidi con-
E tinuatis, Vllam, Cassiumque munitionibus clau-
sit. Quæ prius quàm perficerentur, Longinus
omnem suum equitatum emisit: què magno sibi
vsui fore credebat, si pabulari frumentariq. Mar-
cellum non pateretur: magno autẽ impedimẽto,
si clausus obsidione, & inutilis necessarium con-
sumeret frumentum. Paucis diebus literis Cassij
acceptis, rex Bogud cum copiis venit: adiungitque
ei legionem quã secum adduxerat, compluresque
cohortes auxiliarias Hispanorum. namque, vt in
F ciuilibus dissensionibus accidere consueuit, ita
temporibus illis in Hispania nonnullæ ciuitates
rebus Cassij studebant, plures Marcello fauebát.
Accedit cum copiis Bogud ad exteriores Mar-
celli munitiones. pugnatur vtrimque acriter, cre-
broque, vt accidit, fortuna sępe ad vtrumq: trans-
ferente victoriam: nec tamen vnquam ab operi-
bus depellitur Marcellus. Interim Lepidus ex ci-
teriore prouincia cũ cohortibus legionariis xxxv.
magnoque numero equitum, & reliquorum au-
G xiliorum, venit ea mente Vllam, vt sine vllo stu-
dio contentiones Cassij, Marcellique compone-
ret. huc venienti sine dubitatione Marcellus se
credit, atq; offert, Cassius contrà suis se tenet præ-
sidiis, siue eo, quòd plus sibi iuris deberi, quàm
Marcello existimabat: siue eo, quòd, ne præoccu-
patus animus Lepidi esset obsequio aduersarij,
verebatur. ponit ad Vllam castra Lepidus, neque
habet à Marcello quidquam diuisi: ne pugnetur,

interdicit: ad exeundũ Cassium inuitat: fidemque suam in re omni interponit. Cum diu dubitasset Cassius, quid sibi faciendum, quidve Lepido esset credendum: neque vllum exitum cõsilij sui reperiret, si permaneret in sententia: postulat, vti munitiones disiicerentur, sibiq. liber exitus daretur. non tantum indutiis factis, sed propè iam constituta opera, cum complanarent, custodiæque munitionum essent deductæ: auxilia regis in id castellum Marcelli, quod proximum erat regiis castris, neque opinantibus omnibus, si tamen in B omnibus fuit Cassius, (nam de huius conscientia dubitabatur) impetum fecerunt, compluresque ibi milites oppressernnt. quod nisi celeriter, indignatione, & auxilio Lepidi, prœlium esset diremptum: maior calamitas esset accepta. Cum iter Cassio patefactum esset: castra Marcellus cum Lepido coniungit. Lepidus eodẽ tẽpore, Marcellusq. Cordubam cum suis proficiscitur. Cassius Narbonem sub idem tempus Trebonius Procõsul ad prouinciam obtinendam venit. de cuius aduentu C vt cognouit Cassius, legiones, quas secũ habuerat, equitatumq. in hiberna distribuit: ipse omnibus suis rebus celeriter correptis, Malacam contendit: ibique aduerso tempore nauigandi naues cõscendit, vt ipse prædicabat, ne se Trebonio, & Lepido & Marcello committeret, vt amici eius dictitabant, ne per eam prouinciam minore cum dignitate iter faceret, cuius magna pars ab eo defecerat: vt ceteri existimabant ne pecunia illa, ex infinitis rapinis confecta, in potestatem cuiusquã veniret. Progressus secunda, vt hiberna, tẽpestate, D cùm in Iberum flumen, noctis vitandæ caussa, se contulisset, inde, paullo vehementiore tempestate nihilo periculosius se nauigaturum credens, profectus aduersis fluctibus occurrentibus ostio fluminis, in ipsis faucibus, cum neque flectere nauem propter vim fluminis, neque directam tantis fluctibus tenere posset, demersa naui, periit.

Cvm in Syriã Cæsar ex Ægypto venisset, atq. ab iis, qui Roma venerãt ad eũ, cognosceret, literisq. vrbanis animaduerteret, multa Romæ malè, & inutiliter administrari, neque vllã partẽ Reip. satis cõmodè geri: quod & contentionibus Tribuniciis perniciosæ seditiones orirentur: & ambitione, atque indulgentia Tribunorum militum, & qui legionibus præerant, multa contra morem, consuetudinémque militarem fierent, quæ dissoluendæ disciplinæ, seueritatisque essent: eaque omnia flagitare aduentum suum videret: tamen præferendum existimauit, quas in prouincias, regionesque venisset, eas ita relinquere constitutas, vt domesticis dissensionibus liberarentur, iura, legesque acciperent, & externorum hostium metum deponerent. Hæc in Syria, Cilicia, Asia celeriter se confecturum sperabat: quòd hę prouinciæ nullo bello premebantur. In Bythynia, ac Ponto plus oneris videbat impendere sibi. Non enim excessisse Ponto Pharnacem audierat, neque excessurum putabat, cum secundo prœlio esset vehementer inflatus, quod contra Domitium Caluinum fecerat. Commoratus, ferè in omnibus ciuitatibus, quæ maiore sunt dignitate, præmia benemeritis & viritim, & publicè tribuit: de controuersijs veteribus cognoscit, ac statuit reges, tyrannos, dynastas prouinciæ, finitimosque, qui omnes ad eũ concurrerant. receptos in fidem, conditionibus impositis prouincię tuẽdę, ac defendendæ, dimittit & sibi, & populo R. amicissimos. paucis diebus

A in ea prouincia consumptis, Sex. Cæsarem amicum, & necessarium suum, legionibus Syriæque præfecit: ipse eadem classe, qua venerat, proficiscitur in Ciliciam. Cuius prouinciæ ciuitates omnes euocat Tarsum: quod oppidum ferè totius Ciliciæ nobilissimum, fortissimumque est. ibi, rebus omnibus prouinciæ, & finitimarum ciuitatum constitutis, cupiditate proficiscendi ad bellum gerendum non diutius moratur: magnisque itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazacæ B commoratus, venit Comana, vetustissimum, & sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, vt sacerdos eius deæ maiestate, imperio, & potentia secundus à rege consensu gentis illius habeatur: id homini nobilissimo, Nicodemi Bithynio adiudicauit: qui, regio Cappadocum genere ortus, propter aduersã fortunam maiorum suorum, mutationemque generis, iure minimè dubio, vetustate tamen intermisso, sacerdotium id repetebat. fratrem autem C Ariobarzanis Ariaratem, cum bene meritus vterque eorum de Rep. esset, ne aut regni hæreditas Ariaratem sollicitaret, aut hæres regni terreret, Ariobarzani attribuit, qui sub eius imperio, ac ditione esset: ipse iter cœptum simili velocitate cõficere cœpit. Cum propius Pontum, finésque Gallogræciæ accessisset, Deiotarus, tetrarches Gallogræciæ, tunc quidem pæne totius, quod ei neque legibus, neque moribus concessum esse ceteri tetrarchæ contendebant: sine dubio autem rex Armeniæ minoris ab senatu appellatus, depositis re- D giis insignibus, neque tantum priuato vestitu, sed etiam reorum habitu supplex ad Cæsarem venit oratum, vt sibi ignosceret, quòd in ea parte positus terrarum, quæ nulla præsidia Cæsaris habuisset, exercitibus imperiisque in Cn. Põpeij castris fuisset: neque enim se iudicẽ debuisse esse cõtrouersiarum populi Romani, sed parere pręsentibus imperiis. Contra quem Cæsar, cum plurima sua commemorasset officia, quę Cõsul ei decretis publicis tribuisset: cumque defensionem eius nullã E posse excusationem eius imprudentiæ recipere, coarguisset: quod homo tantæ prudentiæ, ac diligentię scire potuisset, quis vrbem Italiamq. teneret: vbi Senatus, populusque R. vbi Resp. esset: quis deinde post L. Lentulum, C. Marcellum Consul esset: sed tamen se concedere id factũ superioribus suis beneficiis, veteri hospitio, atq. amicitiæ dignitati, ætatique hominis, precibus eorum, qui frequentes concurrissent, hospites, atque amici Deiotari, ad deprecandum: de controuersijs Te- F trarcharum postea se cogniturum esse dixit, regium vestitum ei restituit. Legionem autem, quã ex genere ciuium suorum Deiotarus, armatura disciplináque nostra constitutam, habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adesse iussit. Cum in Pontum venisset, copiasque omnes in vnum locũ coegisset: quæ numero, atque exercitatione bellorũ mediocres erant: excepta enim legione vi. quã secum adduxerat Alexãdria veteranã, multis laboribus, periculisque functa, multisque G militibus, partim difficultate itinerum, ac nauigationum partim crebritate bellorum, adeò deminutam, vt minus ∞ hominum in ea essent, reliquæ erãt iii. legiones, vna Deiotari, duæ, quæ in eo prœlio, quod Cn. Domitium fecisse cum Pharnace scripsimus, fuerant. legati à Pharnace missi, Cæsarem adeunt: atque in primis deprecantur ne eius aduẽtus hostilis esset. Facturum enim omnia Phar-

A Pharnacem, quæ imperata essent. maximéque cõmemorabant, nulla Pharnacem auxilia contra Cæsarem Pompeio dare voluisse, cum Deiotarus, qui dedisset tamen ei satisfecisset. Cæsar respondit, se fore æquissimum Pharnaci, si, quæ polliceretur, repræsentaturus esset. monuit autem, vt solebat, mitibus verbis legatos, ne aut Deiotarum sibi obiicerent, aut nimis eo gloriarentur beneficio, quòd auxilia Pompeio non misissent: nam se neque libentius facere quidquam, quàm supplicibus ignoscere, neque prouinciarũ publicas B iniurias condonare iis posse, qui non fuissent in se officiosi: id ipsum, quod commemorassent, officium vtilius Pharnaci fuisse, qui prouidisset, ne vinceretur, quàm sibi, cui dij immortales victoriã tribuissent: itaque se magnas, & graues iniurias ciuium Romanorum, qui in Põto negotiati essent, quoniam in integrum restituere non posset, concedere Pharnaci: nam neque interfectis amissam vitam, neque exsectis virilitatem restituere posse, C quod quidem supplicium grauius morte ciues Romani subissent: Ponto verò decederet confestim, familiasque publicanorum remitteret: ceteraque restitueret sociis ciuibusque Romanis, quæ penes eum essent: si fecisset, iam tunc sibi mitteret munera ac dona, quæ bene rebus gestis, imperatores ab amicis accipere consuessent. miserat enim Pharnaces coronam auream. His responsis datis, legatos remisit. At Pharnaces, omnia liberaliter pollicitus: cum festinantem, ac properantem D Cæsarem speraret libentius etiam crediturum suis promissis, quàm res pateretur, quo celeriùs, honestiusque ad res magis necessarias proficisceretur, (nemini enim erat ignotum, plurimis de caussis ad vrbem Cæsarem reuocari) lentius agere, decedendi diem postulare longiorem, pactiones interponere, in summa frustrari cœpit. Cæsar, cognita calliditate hominis, quod aliis temporibus natura facere consueuerat, tunc necessitate fecit adductus, vt celeriùs omnium opinione manum E cõsereret. Ziela est opidum in Ponto, positu, ipso vt in plano loco, satis munitum. tumulus enim naturalis, velut manu factus, excelsiore vndique fastigio sustinet murum. circumpositi sunt huic opido magni, multique intercisi vallibus colles: quorum editissimus vnus, qui, propter victoriam Mithridatis, & infelicitatem Triarij, detrimentumque exercitus nostri, superioribus locis, atque itineribus pæne coniunctis opido, magnam in illis partibus habet nobilitatem. nec multo longior millibus passuum III. abest ab Ziela. F hunc locum Pharnaces, veteribus paternorum felicium castrorum refectis operibus, copiis omnibus suis occupauit. Cæsar cum ab hoste millia passuum V. castra posuisset, videretque eas valles, quibus regia castra munirentur, eodem interuallo sua castra munituras, si modò ea loca hostes priores non cepissent, quæ multo erant propiora regis castris, aggerem comportari iubet intra munitiones. Quo celeriter collato, proxima nocte, vigilia quarta, legionibus omnibus expeditis, impedi- G mentisque in castris relictis, prima luce, non opinantibus hostibus, eũ ipsum locum cepit, in quo Mithridates secundum prœliũ aduersus Triarium fecerat. huc omnem comportari aggerem è castris seruitiaque agi iussit: ne quis ab opere miles discederet: cum, spatio nõ amplius ∞. passuũ intercisa vallis castra hostium diuideret ab opere incepto Cæsaris castrorũ. Pharnaces, cum id repente prima luce animaduertisset, copias suas omnes pro castris instruxit, quas interposita tanta locorum iniquitate, consuetudine magis peruulgata militari credebat instrui Cæsar, vel ad opus suum tardandum, quo plures in armis tenerentur, vel ad ostentationem regiæ fiduciæ; ne munitione magis quàm manu, defendere locum Pharnaces videretur: itaque deterritus non est, quo minus, prima acie pro vallo instructa, reliqua pars exercitus opus faceret. At Pharnaces, impulsus siue loci felicitate, siue auspiciis, & religionibus inductus, quibus obtemperasse eum postea audiebamus, siue paucitate nostrorum, qui in armis erant, cõperta, cum more operis quotidiani, magnam illam seruorum multitudinem, quæ aggerem portabat, militum esse credidisset: siue etiam veterani fiducia exercitus sui, quem cum legione XXII. in acie conflixisse, & vicisse legati eius gloriabantur, simul contemptu exercitus nostri, quem pulsum à se, Domitio duce, sciebat: inito consilio dimicandi, descendere præcipta valle cœpit. cuius aliquãdiu Cæsar irridebat inanem ostentationem, & eo loco militum cohortationem, quem in locum nemo sanus hostis subiturus esset: cùm interim Pharnaces eodem gradu, quo in prœlium descenderat, vallem adscendere aduersus arduum collem instructis copiis cœpit. Cæsar incredibili eius vel temeritate, vel fiducia motus, neque opinans imparatusque oppressus, eodem tẽpore milites ab operibus vocat, arma capere iubet, legiones opponit, aciem instruit. cuius rei subita trepidatio magnum terrorem attulit nostris, nondum ordinibus instructis. falcatæ regiæ quadrigæ permistos milites perturbant, quæ tamen celeriter multitudine telorum opprimuntur. insequitur has acies hostium: &, clamore sublato, confligitur multum adiuuante natura loci, plurimum deorum immortalium benignitate: qui cũ omnibus casibus belli intersunt, tum præcipuè ei, quibus nihil ratione potuit administrari. Magno atque acri cominus prœlio facto, dextro cornu, quo veterana legio VI. erat collocata, initium victoriæ natum est ab ea parte, cum in procliui detruderentur hostes, multo tardius, sed tamen iisdem dijs adiuuantibus, sinistro cornu, mediaque acie, totæ profligantur copiæ regis, quæ quàm facilè subierant iniquum locum, tam celeriter gradu pulsæ, premebantur loci iniquitate: itaque multis militibus, partim interfectis, partim suorum ruina oppressis, qui velocitate effugere poterant, armis tamen proiectis, vallem transgressi, nihil ex loco superiore inermes proficere poterant. at nostri, victoria elati, subire iniquum locum, munitionesque aggredi nõ dubitauerunt. defendentibus autem iis cohortibus castra, quas Pharnaces præsidio reliquerat, celeriter castris hostium sunt potiti. Interfecta multitudine omni, aut capta suorum, Pharnaces cum paucis equitibus profugit. cui nisi castrorum oppugnatio facultatẽ attulisset liberius profugiẽdi, viuus in Cæsaris potestatem adductus esset. Tali victoria toties victor Cæsar incredibili est lætitia affectus, quòd maximum bellum tanta celeritate confecerat: atque subiti periculi recordatione, lætior, quod victoria facilis ex difficillimis rebus acciderat. Ponto recepto, præda omni regia militibus condonata, postero die cum expeditis equitibus ipse proficiscitur: legionem VI. decedere ad præmia, atque honores accipiendos in Italiam iubet: auxilia Deiotari domum remittit: II. legiones

cum Cœlio Vinciano in ponto reliquit. Ita per Gallogræciam, Bythiniamque in Asiam iter facit: omniumque earum prouinciarum de controuersiis cognoscit, & statuit iura in Tetrarchas, Reges ciuitates distribuit. Mithridatem Pergamenum, à quo rem feliciter, celeriterque gestam in Ægypto suprà scripsimus, regio genere ortum, disciplinis etiam regiis educatum, (nam cum Mithridates, rex Asiæ totius, propter nobilitatem Pergamo paruulum secum asportauerat in castra, multosque tenuerat, annos) regem Bosphori constituit, A quòd sub imperio Pharnacis fuerat, prouinciasque populi Romani à Barbaris, atque inimicis regibus, interposito amicissimo rege, muniuit. Eidem Tetrarchiam, legibus Gallogræcorum, iure gentis, & cognationis adiudicauit, occupatam, & possessam paucis ante annis à Deiotaro. Neque tamen vsquam diutius moratus est, quàm necessitas vrbanarum seditionum pati videbatur. Rebus felicissimè, celerrimèque confectis, in Italiam celerius omnium opinione venit.



A. HIRTII, *vel*, OPPII, COMMENTARIORVM DE BELLO AFRICANO LIBER I.

CÆSAR, itineribus iustis confectis, nullo die intermisso, ad xiv. Kal. Ian. in Lilybæum peruenit: statimque ostendit, sese naues velle conscendere: cùm non amplius legionem tironum haberet vnam, equitésque vix DC. tabernaculum secundum litus ipsum constituit, vt propè fluctus verberaret. Hoc eo consilio fecit, ne quis moræ quidquam fore speraret, & vt omnes in dies horasque parati essent. Incidit per id tempus, vt tempestates ad nauigandum idoneas non haberet. nihilo tamen minus in nauibus remiges, militesque continere, & nullam prætermittere occasionem profectionis: cùm præsertim ab incolis eius prouinciæ nunciarentur aduersariorum copiæ, equitatus infinitus, legiones regiæ IV. leuis armaturæ magna vis, Scipionis legiones X. elephanti CXX. classesque esse complures. tamen non deterrebatur, animoque, & spe confidebat. Inte- D rim in dies & naues longæ adaugeri, & onerariæ complures eodem concurrere, & legiones tironum conuenire. In his veterana legio V. equitum ad II. millia. Legionibus collectis VI. & equitum II. millibus, vt quæque prima legio venerat, in naues longas imponebatur, equites autem in onerarias. ita maiorem partem nauium antecedere iussit, & insulam petere Aponianam, quæ non abest à Lilybæo, ibique commoratus, bona paucorum vendit publicè: deinde Allieno Prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit & de reliquo exercitu celeriter imponendo. Datis mandatis, ipse nauem conscendit a. d. VI. Kal. Ian. & reliquas naues statim est consecutus. ita, vento certo, celerique nauigio vectus, post diem quartam cum longis paucis nauibus in conspectum Africæ venit: namque onerariæ reliquæ, præter paucas, vento dispersæ, atque errabundæ diuersa loca petierunt. Clupeam classe prætervehitur, deinde Neapo- B lim. complura præterea castella & opida non longè à mari relinquit. Postquam Adrumetum accessit, vbi præsidium erat aduersariorum, cui præerat C. Considius, & à Clupea secundum oram maritimam, cum equitatu Adrumeti Cn. Piso cum Maurorum circiter III. millib. apparuit. Ibi paullisper Cæsar ante portum commoratus, dum reliquæ naues conuenirent, exponit exercitum. cuius numerus in præsentia fuit peditum III. millium, equitum CL. C castrisque ante opidum positis, sine iniuria cuiusquam consedit: cohibetque omnes à præda. Opidani interim muros armatis complent. ante portum frequentes considunt ad se defendendum. quorum numerus II. legionum intus erat. Cæsar circum opidum vectus, natura loci perspecta, redit in castra. non nemo culpæ eius, imprudentiæque assignabat, quòd neque certum locum gubernatoribus, præfectisque, quem peterent, præceperat: neque, vt mos ipsius, consuetudoque superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, D vt in tempore iis perlectis, locum certum peterent vniuersi. quod minimè Cæsarem fefellerat, namque nullum portum terræ Africæ quo classes decurrerent, pro certo tutum ab hostium præsidio fore suspicabatur: sed fortuito oblatam occasionem egressus aucupabatur. L. Plancus interim legatus petit à Cæsare, vti sibi daret facultatem cum Considio agendi, si posset aliqua ratione perduci ad sanitatem. itaque, data facultate, literas conscribit, & eas captiuo dat perferendas in E opidum ad Considium. Quò simul atque captiuus peruenisset, literasque, vt erat mandatum, Considio porrigere cœpisset, prius, quam acciperet ille, Vnde, inquit, istas? Tum captiuus, Venio à Cæsare. Tunc Considius, Vnus est, inquit, Scipio Imperator hoc tempore populi R. deinde in conspectu suo captiuum statim interfici iubet: literasque nondum perlectas, sicut erant signatæ, dat homini certo ad Scipionem perferendas. Postquam vna nocte & die ad opidum consumpta, neque responsum vllum à Considio dabatur: neque ei reliquæ copiæ succurrebant: neque equitatu

equitatu abundabat: & id opidum oppugnandum non satis copiarum habebat, & eas tironum: neque primo aduentu conuulnerari exercitum volebat: & opidi egregia munitio, difficilisque ad oppugnandum erat accessus: & nunciabantur auxilia magna equitatus opidanis suppetias venire: non est visa ratio ad oppugnandum opidum commorandi: ne dum in ea re Cæsar esset occupatus, circumuentus à tergo ab equitatu hostium laboraret. itaque, castra cum mouere vellet, subitò ex opido erupit multitudo: atque equitatus subsidio vno tempore eis casu succurrit, qui erat missus ab Iuba ad stipendium accipiendum: castraque, vnde Cæsar egressus, iter facere cœperat, occupant, & eius agmen extremum insequi cœperunt. Quę res cum animaduersa esset, subitò legionarij consistunt, & equites. quamquam erant pauci, tamen contra tantam multitudinem audacissimè concurrunt. Accidit res incredibilis, vt equites minus xxx. Galli, Maurorum equitum II. millia loco pellerent, vrgerentque in opidum. Postquam repulsi, & coniecti erant intra munitiones, Cæsar iter constitutum ire contendit. quod cum sæpius facerent: & modò insequerentur, modò rursus ab equitibus in opidum repellerentur: cohortibus paucis ex veteranis, quas secum habebat, in extremo agmine collocatis, & parte equitatus, iter leniter cum reliquis facere cœpit. ita, quanto longius ab opido discedebatur, tanto tardiores ad insequendum erant Numidæ, interim in itinere ex opidis, & castellis legationes venire, polliceri frumentum, paratosque esse, quæ imperasset, facere. Itaque eo die castra posuit ad opidum Ruspinam Kalendis Ian. inde mouit, & peruenit ad opidum Leptin, liberam ciuitatem, & immunem. Legati ex opido veniunt obuiam: libenter se omnia facturos, quæ vellet, pollicentur. Itaque Centurionibus ad portas opidi, & custodiis impositis: ne quis miles in opidum introiret, aut iniuriam faceret cuipiam incolæ, non longè ab opido secundum litus facit castra. Eodem naues onerariæ, & longæ nonnullæ casu aduenerunt. reliquæ, vt est ei nunciatum, incertę locorum Vticam versus petere visæ sunt. Interim Cæsar à mari non digredi, neque mediterranea petere propter nauiũ errorem, equitatumque in nauibus omnem continere, vt arbitror, ne agri vastarentur: aquam in naues iubet comportari. Remiges interim qui aquarum è nauibus exierant, subitò equites Mauri, neque opinantibus Cæsarianis, adorti, multos iaculis conuulnerauerunt, nonnullos interfecerũt. latent enim in insidiis cum equis inter conualles, & subitò exeunt, non vt in campo cominus depugnent. Cæsar interim in Sardiniam nuncios cum literis, & in reliquas prouincias finitimas dimisit, vt sibi auxilia, cõmeatus, frumentũ, simulatque literas legissent, mittenda curarent: exoneratisque partim nauibus longis, Rabirium Postumum in Siciliam ad secundum commeatum accersendum mittit. Interim cum x. nauibus longis ad reliquas naues onerarias conquirendas, quę deerrassent, & simul mare tuendum ab hostibus, iubet proficisci. Item C. Sallustium Crispum Prætorem ad Cercinam insulam versus, quam aduersarij tenebant, cum parte nauium ire iubet: quòd ibi magnum numerum frumenti esse audiebat. Hæc ita imperabat, itaque vnicuique præcipiebat, vt, si fieri posset, nec locum vllum excusatio haberet, nec morã tergiuersatio. ipse interea, ex perfugis,

A & incolis cognitis conditionibus Scipionis, & qui cum eo contra se bellum gerebant, miserari. Regium enim equitatum in prouincia Africa Scipio alebat. tanta hominum erat dementia, vt mallent regis esse vectigales, quàm cum ciuibus in patria in suis fortunis esse incolumes. Cæsar ad III. No. Ian. castra mouet: Leptique VI. cohortium præsidio cum Saserna relicto, ipse rursus, vnde pridie venerat, Ruspinam cum reliquis copiis conuertit: ibique sarcinis exercitus relictis, ipse B cum expedita manu proficiscitur circum villas frumentatum: opidanisque imperat, vt plaustra, iumẽtaque omnia sequantur. Itaque magno frumenti inuẽto numero Ruspinam redit. Hoc eum idcirco existimo fecisse, ne maritima opida post se vacua relinqueret, præsidioque firmata ad classẽ receptacula muniret. Itaque ibi relicto P. Saserna, fratre eius, quem Lepti proximo opido reliquerat cum legione, iubet comportari ligna in opidum quamplurima: ipse cum cohortibus VII. quæ ex C veteranis legionibus in classe cũ Sulpicio & Vatinio rem gesserant, ex opido Ruspina egressus, proficiscitur ad portum, qui abest ab opido millia passuum II. ibique classem sub vesperum cum ea copia conscendit: omnibus in exercitu inscijs, & requirentibus Imperatoris consilium magno metu, ac tristitia sollicitabantur. Parua enim cum copia, & ea tironum, neque omni exposita in Africa contra magnas copias, & insidiosæ nationis equitatumque innumerabilem, se expositos vide- D bant: neque quidquam solatij in pręsentia, neque auxilium in suorum consilio animaduertebant, nisi in ipsius Imperatoris vultu, vigore, mirabilique hilaritate. animum enim altum, & erectum præ se gerebat. Huic acquiescebant homines, & in eius scientia, & consilio omnia sibi procliuia omnes fore sperabant. Cæsar, in nauibus vna nocte consumpta, iam cælo albescente, cum proficisci conaretur, subitò nauium pars, de qua timebat, ex errore eodem conferebatur. Hac re cognita Cæsar celeriter de nauibus imperat omnes egre- E di, atque armatos in litore reliquos ad venientes milites expectare. Itaque sine mora nauibus eis in portum receptis, & aduectis militum, equitũque copiis, rursus ad opidum Ruspinam redit. atque, ibi castris constitutis, ipse cum cohortibus expeditis XXX. frumentatum est profectus. ex eo est cognitum Cæsaris consilium: illuc cum classe nauibus onerariis, quæ deerrassent subsidio ire, clam hostibus voluisse, ne casu imprudentes suæ naues in classem aduersariorum inciderent: F neque eã re eos voluisse scire, qui in præsidiis relicti sui milites fuissent, ne propter suorũ paucitatem, & hostium multitudinem, metu deficerent. Interim, cum iam Cæsar progressus esset è castris circiter millia passuum III. per speculatores, & antecessores equites nunciatur ei, copias hostium haud longè à se visas. Et hercle cum eo nuncio puluis ingens conspici cœptus est. Hac re cognita Cæsar celeriter iubet, equitatum vniuersum, cuius copiam habuit in præsentia non magnam, & G sagittarios, quorum paruus è castris secum exierat numerus, accersi, atque ordinatim signa se leniter consequi: ipse antecedere cum paucis armatis. Iam cum procul hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari, & ad pugnam parari, quorum omnino numerus fuit XXX. cohortium cum equitibus DC & sagittariis. & hostes interim quorum dux erat Labienus, & duo Pacidij, aciem

dirigunt mirabili longitudine, non peditum, sed
equitum confertam: & inter eos leuis armaturæ
Numidas, & sagittarios pedites interposuerant: &
ita condensauerant, vt procul Cæsariani pedestres
copias arbitrarentur: & dextrum ac sinistrum cor-
nu magnis equitum copiis firmauerant. Interim
Cæsar aciem dirigit simplicem, vt poterat, pro-
pter paucitatem: sagittarios ante aciem consti-
tuit: equites dextro, sinistroque cornu opponit: &
ita præcipit, vt prouiderent, ne multitudine equi-
tatus hostium circumuenirentur. existimabat e-
nim se cum pedestribus copiis, acie instructa, di-
micaturum. Cùm vtrimque exspectatio fieret, ne-
que Cæsar se moueret, & cum suorum paucitate
contra magnam vim hostium artificio magis
quàm viribus, decernendum videret, subitò ad-
uersariorum equitatus sese extendere, & in latitu-
dinem promouere, collésque complecti, & Cæsa-
ris equitatum extenuare, simulque ad circumeū-
dum comparare se cœperunt. Cæsariani equites
eorum multitudinem ægrè sustinebant. Acies in-
terim mediæ cum concurrere conarentur, subitò
ex cōdensis turmis pedites Numidæ leuis armatu-
ræ cum equitibus procurrunt, & inter legionarios
pedites iacula coniiciunt. hic cum Cæsariani in
eos impetum fecissent: illorum equites refugie-
bant: pedites interim resistebant, dum equites rur-
sus, concursu renouato, peditibus suis succurre-
ret. Cæsar, nouo genere pugnæ oblato, cum ani-
maduerteret, ordines suorum in procurrendo tur-
bari, (pedites enim dum equites longius à signis
persequuntur, latere nudato à proximis Numidis
iaculis vulnerabantur, equites autem hostium pi-
lum militis cursu facilè vitabant) edicit per ordi-
nes, ne quis miles à signis IV. pedes longius pro-
cederet. Equitatus interim Labieni, suorum mul-
titudine confisus, Cæsaris paucitatem circumire
conatur. Equites Iuliani pauci, multitudine ho-
stium defessi, equis conuulneratis, paullatim ce-
dere: hostis, magis, magisque instare. ita, puncto
temporis omnibus legionariis ab hostium equi-
tatu circumuentis, Cæsarisque copiis in orbem
compulsis, intra cancellos omnes coniecti pu-
gnare cogebātur. Labienus in equo, capite nudo,
versari in prima acie, simul suos cohortari, non-
numquā legionarios Cæsaris ita appellare: Quid
tu, inquit, miles tiro, tā feroculus es? vos quoque
iste verbis infatuauit, in magnum mehercule vos
periculum impulit, misereor vestri. Tum miles,
Non sum, inquit, tiro, Labiene, sed de legione
X. veteranus. Tum Labienus, Non agnosco, in-
quit, signa decumanorum. Tum miles, Iam me,
quis sim, intelliges. Simul cassidem de capite de-
iecit, vt cognosci ab eo posset, atque ita pilum vi-
ribus contortum, dum in Labienum mittere con-
tendit, equi grauiter aduerso pectori affixit: & ait:
Labiene, decumanum militem, qui te petit, scito
esse. omnium tamen animi in terrorem coniecti,
& maximè tironum. circumspicere enim Cæsa-
rem, neque amplius facere, nisi hostium iacula
vitare. Cæsar interim, consilio hostium cognito,
iubet aciem in longitudinem quammaximā por-
rigi, & alternis conuersis cohortibus, vt vna post
alteram ante signa tenderet. ita coronam hostiū
dextro, sinistroque cornu mediam diuidit: &
vnā partem ab altera exclusam, equitibus intrin-
secus adortus, cum peditatu telis coniectis in fu-
gam vertit: neque longius progressus, veritus in-
sidias, se ad suos recipit. idem altera pars equitum
A peditumque Cæsaris fecit. His rebus gestis, & pro-
cul hostibus repulsis, conuulneratisque ad sua
præsidia sese, vt erat instructus, recipere cœpit. In-
terim M. Petreius, & Cn. Piso cum equitibus Nu-
midis ∞ C. electis, peditatuque eiusdem generis
satis grandi, ex itinere recta subsidio suis occur-
runt. At cohortes, suis ex terrore firmatis, rursu-
que renouatis animis, legionarios, cōuersis equi-
tibus, se recipientes, nouissimos adoriri, & impe-
dire cœperunt, quo minus se in castra reciperent.
B Hac re animaduersa, Cæsar iubet signa conuerti,
& medio campo redintegrari prœlium. Cùm ab
hostibus eodem modo pugnaretur: nec cominus
ad manus rediretur, Cæsarisque equites iumēta-
que ex nausea recenti, siti, languore, paucitate,
vulneribus defatigata ad insequendum hostem,
perseuerandumque cursum tardiorem haberent:
dieique pars exigua iam reliqua esset: cohortibus,
equitibusque circumdatis, imperat, vt vno ictu
contenderent, neque remitterent, donec vltra vl-
C timos colles hostes repulissent, atque eorum es-
sent potiti. itaque signo dato cum iam hostes lan-
guidè, negligenterque tela mitterent, subitò im-
mittit cohortes, turmasque suorum: atque puncto
temporis, hostibus nullo negotio campo pulsis,
post collémque deiectis, nacti locum, atque ibi
paullisper commorati, ita vt erant instructi, leni-
ter sé ad suas recipiunt munitiones: itémque ad-
uersarij, malè accepti, tum demum se ad sua præ-
sidia contulerunt. Interim, ea re gesta, & prœlio
D dirempto, ex aduersarijs perfugæ plures ex omni
hominum genere, & præterea intercepti hostium
complures equites, peditésque, ex quibus cogni-
tum est hostium consilium, eos hac mente & co-
natu venisse, vt nouo, atque inusitato genere prœ-
lij tirones, legionariiq. pauci perturbati, Curionis
exemplo ab equitatu circumuenti opprimerentur:
& ita Labienum dixisse pro concione: tantam se
se multitudinem auxiliorum aduersariis submi-
nistraturum, vt etiam cædēdo in ipsa victoria fa-
E tigati vincerētur, atque à suis superarētur: quippe
qui in nullo illorum sibi cōfideret: primùm quòd
audierat Romæ legiones veteranas dissentire, ne-
que in Africam velle transire, deinde quòd trien-
nio in Africa suos milites cōsuetudine retentos,
fideles iam sibi effecisset: maxima autem auxilia
haberet Numidarum equitumq. leuis armaturæ.
Præterea ex fuga prœlioque Pōpeiano, quos se-
cum à Brundusio transportauerat, equites Germanos,
Gallosque, ibiq. postea ex Hybridis libertinis, ser-
uisque conscripserat, armauerat, equoque frenato
F vti cōdocuerat. præterea regia auxilia, elephantes
CXX. equitatusque innumerabilis: deinde legiones
cōscriptæ ex cuiusque modi generis amplius XII.
millibus. Hac spe, atque ea audacia inflammatus
Labienus cum equitibus Gallis, Germanisque
DCCC. Numidarum sine frenis IIX. millibus, præ-
terea Petreiano auxilio adhibito equitibus ∞ C.
peditum ac leuis armaturæ quater tantis sagitta-
riis, ac funditoribus, hippotoxotisq. cōplurimis:
his copiis pridie non. Ian. post diem tertium,
G quàm Africam attigit, in campis planissimis, pu-
rissimisque ab hora diei quinta vsque ad solis oc-
casum est decertatum. In eo prœlio Petreius gra-
uiter ictus ex acie recessit. Cæsar interim castra
munire diligentius, præsidia firmare maioribus
copijs, vallumque ab oppido Ruspina vsque ad
mare deducere, & à castris alterum eodem: quo
tutius vltrò, citroque commeare, auxiliaque sine
pericu-

periculò ſibi ſuccurrere poſſent: tela tormétaque
ex nauibus in caſtra comportare, remigum par-
tem ex claſſe, Gallorum, Rhodiorumque epibata-
rumque armare, & in caſtra euocare, vti, ſi poſſet,
eadem ratione, qua aduerſarij, leuis armatura in-
teriecta inter equites ſuos interponeretur, ſagit-
tariiſque ex omnibus nauibus Ithyreis, Syriis, &
cuiuſque generis ductis in caſtra compluribus,
frequentabat ſuas copias. audiebat enim Scipio-
nem poſt diem tertium eius diei, quo prœlium fa-
ctum erat appropinquare, cópias ſuas cum Labie-
no, & Petreio coniungere. cuius copiæ legionum
IIX. & equitum IV. millium eſſe nunciabantur. of-
ficinas ferrarias inſtruere: ſagittaſque, & tela vti
fierent compluta curare, glandes fundere, ſudes
comparare, literas in Siciliam, nunciosque mit-
tere, vt ſibi crates, materiémque congererent ad
arietes, cuius inopia in Africa eſſet: præterea fer-
rum, plumbumque mitteretur. etiam animaduer-
tebat, frumento ſe in Africa niſi importatitio vti
non poſſe: priore enim anno, propter aduerſario-
rum delectus, quòd ſtipendiarij aratores milites
eſſent facti, meſſem non eſſe factam: præterea ex
omni Africa frumentum aduerſarios in pauca o-
pida, & bene munita comportaſſe, omnémque re-
gionem Africæ exinaniſſe frumento: opida, præ-
ter pauca, quæ ipſi ſuis præſidiis tueri poterant,
reliqua dirui atque deleri, & eorum incolas intra
ſua præſidia coegiſſe commigrare, agros deſertos,
ac vaſtatos eſſe. Hac neceſſitate Cæſar coactus,
priuatos ambiendo, & blandè appellando, ali-
quantulum frumenti numerum in ſua præſidia
congeſſerat: & eo parcè vtebatur. Opera interim
ipſe quotidie circumire, & alternas cohortes in
ſtatione habere propter hoſtium multitudiné. La-
bienus ſaucios ſuos, quorum numerus maximus
fuit, iubet in plauſtris deligatos Adrumetú depor-
tari. Naues interim Cæſaris onerariæ errabundæ
malè vagabátur incertæ locorú, atque caſtrorum
ſuorú: quas ſingulas ſcaphæ aduerſariorum com-
plures adortę incenderant, atque expugnauerant.
Hac re nunciata Cæſari, claſſes circum inſulas,
portúſque diſpoſuit: quò tutius commeatus ſup-
portari poſſet. M. Cato interim, qui Vticæ præe-
rat, Cn. Pompeium filium multis verbis, aſſiduè-
que obiurgare non deſiſtebat, Tuus, inquit, pater
iſtius ætatis cùm eſſet, & animaduertiſſet, Rép. ab
audacibus, ſceleratiſque ciuibus oppreſſam, bo-
noſque, aut interfectos, aut exſilio multatos, pa-
tria, ciuitatéque carere, gloria, & animi magnitu-
dine elatus, priuatus, atque adoleſcétulus, paterni
exercitus reliquiis collectis, pęne oppreſſam fun-
ditus, & deletam Italiá, vrbémque Romanam in
libertatem vindicauit: idémque Siciliá, Africam,
Numidiam, Mauritaniam mirabili celeritate ar-
mis recepit. Quibus ex rebus ſibi eam dignitatem
quæ eſt per gentes clariſſima, notiſſimaque, con-
ciliauit: adoleſcentuluſque, atque eques Roma-
nus, triumphauit, atque ille, non ita amplis re-
bus patris geſtis, neque tam excellenti maiorum
dignitate parta, neque tantis clientelis, nominiſ-
que claritate præditus, in Remp. eſt ingreſſus. tu
contrà, & patris nobilitate, & dignitate, & per te
ipſe ſatis animi magnitudine, diligentiaque præ-
ditus, nonne eniteris, & proficiſceris ad paternas
clientelas auxilium tibi, Reique publicæ, atque
optimo cuiq. efflagitatú? His verbis hominis gra-
uiſſimi incitatus adoleſcentulus, cùm nauiculis
cuiuſq. modi generiſq. xxx. inibi, paucis roſtratis,

A profectus ab Vtica eſt in Mauritaniam, regnum-
que Bogudis eſt ingreſſus: expeditoque exercitu
numero ſeruorum, liberorum II. millium, cuius
partem inermem, partem armatam habuerat, ad
opidum Aſcurum accedere cœpit: in quo opido
præſidiú fuit regium. Pompeio adueniente, opi-
dani vſque eò paſsi propius eum accedere, donec
ad ipſas portas, ac murum appropinquaret, ſu-
bitò eruptione facta, proſtratos, perterritoſque
Pompeianos in mare paſsim, nauéſque compu-
B lerunt. Ita, re malè geſta, Cn. Pompeius filius na-
ues inde auertit, neque poſtea litus attigit, claſ-
ſemque ad inſulas Baleares verſus conuertit. Sci-
pio interim cum iis copijs, quas paulo antè de-
monſtrauimus, Vticæ grandi præſidio relicto,
profectus: primùm Adrumeti caſtra ponit, dein-
de, ibi paucos dies commoratus, noctu itinere fa-
cto, cum Petreii, & Labieni copiis ſe coniungit,
atque, vnis caſtris factis, III. millia paſſuum longè
conſidunt. Equitatus interim eorum circum Cæ-
C ſaris munitiones vagari, atque eos, qui pabulandi,
aut aquandi gratia extra vallum progreſsi eſſent,
excipere, & ita omnes aduerſarios intra munitio-
nes continere. quare Cæſariani graui annona ſunt
conflictati, ideo quòd nondum neque ab Sicilia,
neque ab Sardinia commeatus ſupportatus erat,
neque per anni tempus in mari claſſes ſine peri-
culo vagari poterant, neque amplius millia paſ-
ſuum VI. terræ Africæ quoquo verſus tenebant,
pabulique inopia premebantur. Qua neceſsita-
D te coacti veterani milites, equitéſque, qui mul-
ta terra, marique bella confeciſſent, & periculis,
inopiaque tali ſæpe eſſent conflictati, alga è lito-
re collecta, & aqua dulci eluta, & ita iumentis
eſurientibus data, vitam eorum producebant.
Dum hæc ita fierent, rex Iuba, cognitis Cæſaris
difficultatibus, copiarúmque paucitate, non eſt
viſum dari ſpatium conualeſcendi, augendarum-
que eius opum. itaque comparatis equitum ma-
gnis, peditumque copiis, ſubſidio ſuis, egreſſus
E è regno, ire contendit. P. Sitius interim, & rex Bo-
gud, coniunctis ſuis copiis, cognito regis Iubæ
egreſſu, propius eius regnum copias ſuas admo-
uere: Cirtámque, opidum eius regni opulentiſsi-
mum adorti, paucis diebus pugnando capiunt, &
præterea duo opida Getulorum, quibus cùm cõ-
ditionem ferrent, vt opido excederent, idque ſibi
vacuum traderent, conditionemque repudiaſ-
ſent, poſtea ab eis capti, interfectiq. ſunt omnes.
inde progreſsi agros opidaque vexare non deſi-
F ſtunt. Quibus rebus cognitis, Iuba cùm iam non
longè à Scipione, atque eius ducibus abeſſet, capit
conſilium, ſatius eſſe ſibi, ſuoq. regno ſubſidio ire
quàm dum alios adiuturus proficiſceretur. ipſe
ſuo regno expulſus, forſitan vtraque re expellere-
tur. itaq. rurſus ſe recepit, atque auxilia a Scipione
etiam abduxit: ſibi, ſuiſque rebus timens: Elephá-
tiſque xxx relictis, ſuis finibus opidiſq. ſuppetias
profectus eſt. Cæſar, cum de ſuo interim aduentu
dubitatio in prouincia eſſet: neq. quiſquam crè-
G deret ipſum, ſed aliquem legatum cum copiis in
Africam veniſſe: cõſcriptis literis circum prouin-
ciá, omnes ciuitates facit de ſuo aduétu certiores.
Interim nobiles homines ex ſuis opidis profugere
& in caſtra Cæſaris deuenire, & de aduerſario-
rum eius acerbitate crudelitateq. commemorare
cœperunt. quorum lacrymis, querelíſque Cæſar
commotus, cùm anteà conſtituiſſet in ſtatiuis ca-
ſtris, æſtate inita cunctis copiis auxiliiſq. coactis,
bellum

bellum cum adversariis suis gerere instituit. literisque celeriter in Siciliam ad Allienum, & Rabirium Postumum conscriptis, & per Catascopum missis, ut sine mora, aut ulla excusatione hiemis, ventorúmque, exercitus sibi quàm celerrime transportaretur. Africam provinciam perire, funditusque everti à suis inimicis: quòd nisi celeriter sociis foret subventum, praeter ipsam Africam terram nihil, ne tectum quidem, quò se reciperent, ab illorum scelere, insidiisque reliquum futurum. atque ipse in tanta erat festinatione, & exspectatione, ut postero die, quàm misisset literas nunciúmque in Siciliam, classem, exercitumque morari diceret, noctes, diésque oculos, mentemq. ad mare dispositos directósque haberet, nec mirum. animadvertebat enim villas exuri, agros vastari, pecus diripi, trucidarique, oppida, castellaque dirui, desertique, principésque civitatum aut interfici, aut in catenis teneri, liberos eorum obsidum nomine in servitutem abripi. his se in miseriis suámq. fidem implorantibus, auxilio propter copiarum paucitatem esse nõ posse. Milites interim in opere exercere, castráque munire, turres, castella facere, molésque iacere in mare non intermittere. Scipio interim elephantes hoc modo condocefacere instituit, II. instruxit acies, unam funditorum contra elephantos, quae quasi adversariorum locum obtineret, & contra eorum frontem ad tersam lapides minutos mitteret: deinde in ordinem elephantos constituit, post illos autẽ aciem suam instruxit; ut, cum ab adversariis lapides mitti coepissent, & elephanti perterriti se ad suos convertissent, rursus à sua acie lapidibus missis eos converterent adversum hostem: quod aegrè, tardéque fiebat. rudes enim elephanti multorum annorum doctrina, usque vetusto vix edocti, tamen communi periculo in aciem producuntur. Dum haec ad Ruspinam ab utrisque ducibus administrãtur, C. Virgilius Praetorius, qui Thapso, oppido maritimo, praeerat, cùm animadvertisset naves singulas cum exercitu Caesaris, incertas locorum, atque castrorum suorum vagari, occasionem nactus, navem quam ibi habuit actuariam, complet militibus, & sagittariis: eidem scaphas de navibus adiungit, ac singulas naves Caesarianas consectari coepit: & cùm plures adortus, pulsus fugatusque inde discessisset, nec tamen desisteret periclitari, fortè incidit in navem, in qua erant duo Titi Hispani, adolescentes, Tribuni legionis V. quorum patrem Caesar in Senatum legerat, & cum his T. Salienus Centurio legionis eiusdem, qui M. Messalam legatum obsederat Messanae, & seditiosissima oratione apud eum est usus, idémque & pecuniam & ornamenta triumphi Caesaris retinenda, & custodienda curaverat & ob has caussas timebat sibi. hic propter conscientiam peccatorum suorum, persuasit adolescẽtibus, ne repugnarent, séseque Virgilio traderẽt. itaque deducti à Virgilio ad Scipionem, custodibus transditi & post diem III. sunt interfecti. Qui cum ducerentur ad necem, petisse dicitur maior Titus à centurionibus, ut se priorem, quàm fratrem, interficerent: idque ab eis facile impetrasse, atque ita esse interfectos. Turmae interim equitum, quae pro vallo in stationibus esse solebant ab utrisq. ducibus quotidie mutuis praeliis inter se pugnare non intermittunt. nonnunquam etiam Germani Gallique Labieniani cũ Caesaris equitibus, fide data, inter se colloquebantur. Labienus interim cum parte

A

equitatus Leptim oppidum, cui praeerat Saserna, cum cohortibus III. oppugnare, ac vi irrumpere conabatur. quod ab defensoribus, propter egregiam munitionem oppidi, & multitudinem tormentorum, facile & sine periculo defendebatur. quod ubi eius facere equitatus saepius non intermittebat; & cum fortè ante portam turma densa adstitisset, scorpione accuratius misso, atque eorum decurione percusso & ad terram defixo, reliqui perterriti fuga se in castra recipiunt. Quo facto postea

B

sunt deterriti oppidum tentare. Scipio interim ferè quotidie non longe à suis castris passibus CCC instruere aciem, ac maiore diei parte consumpta, rursus se in castra recipere. Quod cum saepius fieret, neque ex Caesaris castris quisquam prodiret, neque propius eius copias accederet: despecta patientia Caesaris, exercitusque eius, universis copiis productis, elephantisque turritis XXX ante aciem instructis, quàm latissime potuit porrecta equitum, peditumque multitudine, uno tempore

C

progressus, haud ita longe à Caesaris castris constitit in campo. Quibus rebus cognitis, Caesar iubet milites, qui extra munitiones processerant, quique pabulandi, aut lignandi, aut etiam muniendi gratia vallum petierant, quaeque ad eandem rem opus erant, omnes intra munitiones minutatim, modestéque sine tumultu, aut terrore se recipere, atque in opere consistere. equitibus autem, qui in statione fuerant, praecipit, ut usque eo locum obtinerent, in quo paullo ante constitissent, donec ab hoste missum telum ad se perveni-

D

ret: quod si propius accederetur, quàm honestissimè intra munitiones se reciperent. alii quoque equitatui edicit, uti quisque suo loco paratus, armatusque praestò esset. at haec non ipse per se coram, cùm de vallo perspecularetur, sed mirabiliter peritus scientia bellandi, in praetorio sedens, per speculatores, & nuncios imperabat, quae fieri volebat. animadvertebat enim, quamquam magnis essent copiis adversarii freti, tamẽ saepe a se fuga-

E

tis, pulsis, perterritisq., & cõcessam vitã, & ignota peccata. quibus rebus nunquã tãta suppeteret ex ipsorum inertia, cõscientiaque animi victoriae fiducia, ut castra sua adoriri auderẽt, praeterea ipsius nomen auctoritasque magna ex parte eorum exercitus minuebat audaciam. tum egregiae munitiones castrorũ, & valli, fossarumque altitudo, & extra vallum stili caeci, mirabilem in modum consiti, vel sine defensoribus aditum adversariis prohibebant, scorpionum, catapultarum, ceterorumque telorum, quae ad defendendum solent parari,

F

magnam copiam habebat. atq. haec propter exercitus sui praesentis paucitatem, & tirocinium praeparaverat: non hostium vi, & metu commotus, sapientem se, timidumque hostiũ opinioni praebebat. neque idcirco copias, quamquã erant paucae, tironumque nõ educebat in aciem, quin victoriae suorum diffideret: sed referre arbitrabatur, cuiusmodi victoria esset futura. turpe enim sibi existimabat, tot rebus gestis, tantisq. exercitibus de-

G

victis, tot tam claris victoriis partis, ab reliquis copiis adversariorum suorũ ex fuga collectis se cruentã adeptã existimari victoriã. itaque cõstituerat gloriã, exsultationẽmque eorũ pati, donec sibi veteranarum legionum pars aliqua in secundo cõmeatu occurrisset. Scipio interim paullisper, ut ante dixi, in eo loco commoratus, ut quasi despexisse Caesarẽ videretur, paullatim reducit suas copias in castra: &, concione advocata, de terrore

suo

suo, desperationéque exercitus Cæsaris verba facit; & cohortatus suos victoriam propriam se eis breui daturum pollicetur. Cæsar iubet milites rursus ad opus redire, &, per caussam munitionum, tirones in labore defatigare non intermittit. Interim; Numidæ, Getulíque diffugere quotidie ex castris Scipionis, & partim in regnum se conferre, partim, quòd ipsi, maioresque eorum beneficio C. Marij vsi fuissent, Cæsarémque eius affinem esse audiebant, in eius castra perfugere cateruatim non intermittunt. quorum ex numero electis hominibus illustrioribus Getulos, literis ad suos ciues datis, cohortatus, vt, manu facta, se, suósque defenderent, & ne suis inimicis, aduersariísque dicto audientes essent, mittit. Dum hæc ad Ruspinam fiunt, legati ex Acilla, ciuitate libera, etiam vndique ad Cæsarem veniunt, séque paratos quæcumque imperasset, & libenti animo facturos pollicentur. tantum orare, & petere ab eo, vt sibi præsidium daret, quò tutius id, & sine periculo facere possent, & frumentum, & quæcumque res eis suppeteret, communis salutis gratia subministraturos. Quibus rebus facilè à Cæsare impetratis, præsidióque dato, C. Messium, Ædilitia functum potestate, Acillam iubet proficisci. Quibus rebus cognitis, Considius Longus, qui Adrumeti cum II. legionibus, & equitibus DCC. præerat, celeriter, ibi parte præsidij relicta, cum IIX. cohortibus Acillam ire contendit. Messius, celerius itinere confecto, prior Acillam cum cohortibus peruenit. Considius interim, cum ad vrbem cum copiis accessisset, & animaduertisset præsidium Cæsaris ibi esse, non ausus periculo suo rem facere, nulla re gesta pro multitudine hominum, rursus Adrumetum se recepit, deinde, paucis pòst diebus, equestribus copiis à Labieno adductis, rursus Acillitanos, castris positis, obsidere cœpit. Per id tempus C. Sallustius Crispus, quem paucis antè diebus, missum à Cæsare cum classe demonstrauimus, Cercinnam peruenit. cuius aduentu C. Decimius, Quæstorius vir, qui ibi cum grandi familiæ suæ præsidio præerat commeatui, paruulum nauigium nactus conscendit, ac se fugæ commendat. Sallustius interim Prætor, à Cercinnatibus receptus, magno numero frumenti inuento, naues onerarias, quarum ibi satis magna copia fuit, complet, atque in castra ad Cæsarem mittit. Allienus interim Proconsul è Lilybæo in naues onerarias imponit legiones XIII. & XIV. & equites Gallos DCCC. funditorum, sagittariorúmque mille, ac secundum commeatum in Africam mittit ad Cæsarem: quæ naues, ventum secundum nactæ, IV. die in portum ad Ruspinam, vbi Cæsar castra habuerat, incolumes peruenerunt. ita Cæsar duplici lætitiá, ac voluptate vno tempore auctus, frumento, auxilísque, tandem suis exhilaratis, annonæque leuata sollicitudine, deponit legiones, equitésque ex nauibus egressos, iubet ex languore, nauseáque reficere, dimissos in castella, munitionésq. disponit. Quibus rebus Scipio, quique cum eo essent comites mirari, & requirere C. Cæsarem: qui vltro consuesset bellum inferre, ac lacessere prœlio, subitò commutatum non sine magno consilio suspicabantur. itaque ex eius patientia in magnum timorem coniecti, ex Getulis duos, quos arbitrabantur suis rebus amicissimos, magnis præmiis, pollicitationibúsque propositis pro perfugis speculandi gratia in Cæsaris castra mittunt. qui simul ad eum sunt deducti, petierunt, vt sibi liceret sine

A periculo verba proloqui. Potestate facta, Sæpenumero, inquiunt, Imperator, complures Getuli, qui sumus clientes C. Marij, & propemodum omnes ciues Romani, qui sunt in legione IV. & VI. ad te voluimus, in tuáque præsidia cõfugere, sed custodiis equitum Numidarum, quò id sine periculo minus faceremus, impediebamur. nunc, data facultate, pro speculatoribus missi à Scipione, ad te cupidissimè venimus, vt perspiceremus, num quæ fossæ, aut insidiæ elephantis ante castra, portasque B valli factæ essent: simúlque consilia vestra contra easdem bestias, comparationemque pugnæ cognosceremus, atque ei renunciaremus. Qui collaudatis à Cæsare, stipendioque donati, ad reliquos perfugas deducuntur. quorum orationem celeriter veritas comprobauit. namque postero die ex legionibus iis, quas Getuli nominauerunt, milites legionarij complures à Scipione in castra Cæsaris perfugerunt. Dum hæc ad Ruspinam geruntur, M. Cato, qui Vticæ præerat, delectus quo- C tidie libertinorum, Afrorum, seruorum denique, & cuiusque modi generis hominum, qui modò per ætatem arma ferre poterant, habere, atque sub manum Scipionis in castra submittere non intermittit. Legati interim ex oppido Tisdro, in quo tritici modium millia CCC. comportata fuerant, à negotiatoribus Italicis, aratoribúsque ad Cæsarem venere: quantaque copia frumenti apud se sit, docent, simúlque orant, vt sibi præsidium mittat, quò facilius & frumentum, & copiæ suæ con- D seruentur. Quibus Cæsar in præsentia gratias agit, præsidiúmque breui tempore se missurum dixit, cohortatúsque ad suos ciues iubet proficisci. P. Sitius interim, cum copiis Numidiæ fines ingressus, castello in montis loco munito locato, in quod Iuba, belli gerendi gratia, & frumentum, & res ceteras, quæ ad bellum vsui solent esse, comportauerat, vi expugnãdo, est potitus. Cæsar, postquàm legionibus veteranis II. equitatu, leuique armatura copias suas ex secũdo commeatu auxerat, naues VI. onerarias statim iubet Lilybæum ad E reliquum exercitum transportandum proficisci: ipse VI. Kal. Febr. circiter vigilia prima, imperat, speculatores, apparitorésque omnes, vt sibi præstò essent. itaque omnibus inscîis, neque suspicantibus, vigilia tertia iubet omnes legiones ex castris educi, atque se consequi ad oppidũ Ruspinam versus, in quo ipse præsidium habuit, & quod primũ ad amicitiam eius accessit. inde paruulam procliuitatem digressus, sinistra parte campi, propter mare legiones ducit. hic campus mirabili plani- F cie patet millia passuum XV. quem iugum ingens à mari ortum, neque ita præaltum, velut theatri efficit speciẽ, in hoc iugo colles sunt excelsi pauci, in quibus singulæ turres, speculæque singulæ perueteres erant collocatæ: quarum apud vltimam præsidium, & statio fuit Scipionis. Postquã Cæsar ad iugum, de quo docui, adscendit, atque in vnumquemque collem turres, castellaque facere cœpit, atque ea minus semihora efficit, & postquam nõ ita longè ab vltimo colle, turrique fuit, G quæ proxima fuit castris aduersariorum, in qua docui esse præsidium, stationémque Numidarum: paullisper commoratus, perspectaque natura loci, equitatu in statione disposito, legionibus opus attribuit: brachiúmque medio iugo ab eo loco, ad quem peruenerat, vsque ad eum, vnde egressus erat, iubet dirigi, ac muniri. quòd postquàm Scipio, Labienusque animaduerterunt, equi-

tatu omni ex castris educto, aciéque equestri A instructa à suis munitionibus circiter passus ∞ progrediuntur, pedestrémque copiam in secunda acie, minus passus CD. à castris suis constituunt. Cæsar in opere milites adhortari, neque aduersariorum copiis moueri. iam, cùm non amplius passuum MD. inter hostium aciem, suasque munitiones esse animaduertisset; intellexisséque ad impediendos milites suos, & ab opere depellendos hostem propius accedere, necesséque haberet legiones à munitionibus deducere, imperat turmæ B Hispanorum, vt ad proximum collem properè accurrerent, præsidium inde deturbarent, locumque caperent, eodémque iubet leuis armaturæ paucos consequi subsidio, qui missi celeriter, Numidas adorti, partim viuos capiunt, nonnullos equites fugientes conuulnerauerũt, locoque sunt potiti. Postquam id Labienus animaduertit, quò celerius iis auxilium ferret, ex acie instructa equitatus sui propè totum dextrum cornu auertit, atque suis fugientibus suppetias ire contendit. Quod v- C bi Cæsar conspexit, Labienum ab suis copiis longius abscessisse, equitatus sui alam sinistram ad intercludendos hostes immisit. Erat in eo campo, vbi ea res gerebatur, villa permagna, IV. turribus exstructa, quæ Labieni prospectum impediebat, ne posset animaduertere, ab equitatu Cæsaris se intercludi, itaque non prius vidit turmas Iulianas, quàm suos cædi à tergo sensit. ex qua re subitò in terrorem conuerso equitatu Numidarum, rectà in castra fugere contendit. Galli, Ger- D manique, qui restiterant, ex superiore loco, & post tergum circumuenti fortitérque resistentes, conciduntur vniuersi. Quod vbi legiones Scipionis, quæ pro castris erant instructæ, animaduerterunt, metu, ac terrore obcæcatæ, omnibus portis in sua castra fugere cœperunt. Postea, Scipione, eiusque copiis campo, collibusque exturbatis, atque in castra compulsis, cùm receptui Cæsar cani iussisset, equitatumque omnem intra suas munitiones recepisset, campo purgato, animaduertit miri- E fica corpora Gallorum, Germanorúmq;, qui partim eius auctoritatem erant ex Gallia secuti, partim pretio, pollicitationibusque adducti, ad eũ se contulerant, nonnulli qui ex Curionis prœlio capti conseruatique parem gratiam in fide partienda præstare voluerant. horum corpora, mirifica specie, amplitudinéque, cæsa toto campo, ac prostrata diuersè iacebant. His rebus gestis, postero die Cæsar ex omnibus præsidiis cohortes deducit, atque omnes suas copias in campo instruxit. F Scipio, suis malè acceptis, occisis, vulneratísque, intra suas continere se munitiones cœpit. Cæsar instructa acie, secũdum infimas iugi radices, propius munitiones leniter accessit. iamq; minus ∞ passuum ab opido Vzita, quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianæ, cùm Scipio, veritus, ne opidum amitteret, vnde aquari, reliquísque rebus subleuari eius exercitus consuerat, eductis omnibus copiis, quadruplici acie instructa, ex instituto suo, prima equestri turmatim directa, elephantís- G que turritis interpositis, armatísque, suppetias ire contendit. Quod vbi Cæsar animaduertit, arbitratus, Scipionem, ad dimicandum paratum, ad se certo animo venire, in eo loco, quem paullo antè commemoraui, ante opidum constitit, suámque aciem mediam eo opido texit. dextrum, sinistrumque cornu, vbi elephãti erant, in conspectu patenti aduersariorum constituit. Cùm iam propè solis occasum Cæsar expectauisset, neque ex eo loco, quo cõstiterat, Scipionẽ progredi propius se animaduertisset, locóq; se magis defẽdere, si res coegisset, quàm in campo cominus consistere audere; non est visa ratio propius accedendi eo die ad opidum: quoniam ibi præsidium grande Numidarum esse cognouerat, hostésque mediam aciem suam opido texisse, sibique difficile factu esse intellexit, simul & opidum vno tempore oppugnare, & in acie in cornu dextrum, & sinistrum, ex iniquiore loco, pugnare, præsertim cùm milites à manè diei, ieiuni sub armis stetissent defatigati. itaq; reductis suis copiis in castra, postero die propius eorum aciem instituit exporrigere munitiones. Interim Considius, qui Acilam, & IIX. cohortes stipendiarias Numidis, Gętulisque obsidebat, vbi C. Messius cohortibus præerat, diu multumque expertus, magnísque operibus sæpe admotis & iis ab opidanis incensis, cùm proficeret nihil, subito nuncio de equestri prœlio allato commotus, frumento cuius in castris copiam habuerat, incenso vino, oleo, ceterísque rebus, quæ ad victum parari solent, corruptis, Acillam, quàm obsidebat, deseruit, atque, itinere per regnum Iubæ facto, copias cum Scipione partitus, Adrumetum se recepit. Interea ex secundo commeatu, quem à Sicilia miserat Allienus, nauis vna, in qua fuerat Q. Cominius & L. Ticida, eques Romanus, ab reliqua classe, cùm errauisset, delataque esset vento ad Thapsum, à Virgilio scaphis, nauiculisque actuariis excepta est, & ad Scipionẽ deducta. Item altera nauis triremis ex eadem classe errabunda, ac tempestate ad Ægimurum delata, à classe Vari & M. Octauij est capta. in qua milites veterani cum vno centurione, & nonnulli tirones fuerunt: quos Varus asseruatos sine contumelia deducendos curauit ad Scipionem. qui, postquam ad eum peruenerunt, & ante suggestum eius constiterũt, Non vestra, inquit, sponte vos, certò scio, sed illius scelerati vestri Imperatoris impulsu, & imperio coactos, ciues, & optimum quemque nefariè consectari. quos quoniam fortuna in nostram dedit potestatem, si id, quod facere debetis, Rempublicam cum optimo quoque defenditis, certum est vobis vitam, & pecuniã donare. quapropter, quid sentiatis, proloquimini. Hac habita oratione, Scipio, cùm existimasset pro suo beneficio sine dubio ab iis gratias sibi actum iri, potestatem iis dicendi fecit. Ex eis Centurio legionis XIV. Pro tuo, inquit, summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago, (non enim Imperatorem te appello) quòd mihi vitam, incolumitatémque, belli iure capto, polliceris: & forsitan isto vterer beneficio, si non ei summum scelus adiungeretur. Egone contra Cæsarem, Imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiúsque exercitum, pro cuius dignitate victoriaque amplius XXXVI. annis depugnaui, aduersus, armatusque consistam? neque ego illud facturus sum, & te magnopere, vt de negotio desistas, adhortor. contra cuius enim copias contendas, si minus antè expertus es, licet nunc cognoscas: elige ex tuis cohortem vnam, quam putas esse firmissimam, & constitue contra me. ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua tenes potestate, non amplius X. sumam. tunc ex virtute nostra intelliges, quid ex tuis copiis sperare debeas. Postquam hęc Centurio pręsenti animo aduersus opinionem eius est locutus, ita percitus Scipio, atq. animi dolore incensus, annuit Centurionibus.

tionibus, quid fieri vellet, atque ante pedes Centurionem interfecit, reliquosque veteranos à tironibus iubet secerni. Abducite, inquit, istos nefarios scelere contaminatos, & cæde ciuium saginatos. sic extra vallum deducti sunt, & cruciabiliter interfecti. Tirones autem iubet inter legiones dispertiri, & Comminium cum Ticida in conspectum suum prohibet adduci. Qua ex re Cæsar cōmotus, eos, quos in stationibus cū longis nauibus apud Thapsum custodiæ caussa in salo esse iusserat, vt suis onerariis, longisq. nauibus præsidio essent, ob negligentiam ignominiæ caussa dimittēdos ab exercitu, grauissimumque in eos edictum proponendum curauit. Per id tempus ferè Cæsaris exercitui res accidit incredibilis auditu. namque Virgiliarum signo confecto, circiter vigilia secunda noctis, nimbus cum saxorum grandine subito est exortus ingens. Ad hoc autem incommodum accesserat, quòd Cæsar non more superiorum Imperatorum, in hibernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die procedendo, propiusque hostem accedendo, castra communiebat, opereque faciendo, milites se circumspiciendi non habebant facultatem. Præterea ita ex Sicilia exercitum transportauerat, vt præter ipsum militem, & arma, neque vas, neque mancipium, neque vllam rem, quæ vsui militi esse consueuit, in naues imponi pateretur. in Africam autem non modò sibi quicquam non acquisierant, aut parauerant, sed etiam propter annonæ caritatem, antè parata consumpserāt. Quibus rebus attenuati, oppidò perquam pauci sub pellibus acquiescebāt. reliqui, ex vestimentis tentoriolis factis, atque arundinibus, coriisque contectis, permanebant. itaque subito imbre, grandineque consecuta, grauati pondere, tenebris, aquaque omnes subruti, disiectiq. nocte intempesta, ignibus extinctis, rebusq. ad victum pertinentibus omnib. corruptis, per castra passim vagabantur, scutisque capita contegebāt. Eadē nocte v. legionis pilorum cacumina sua sponte arserūt. Rex interim Iuba, de equestri prœlio Scipionis certior factus, euocatusque ab eodē literis, Præfecto Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto, ne secū ipse aliquid auctoritatis haberet, exercitus Scipionis à terrore Cæsaris liberatur cum III. legionibus, equitibusque frenatis CC. Numidis sine frenis, peditibusque eius armaturæ grandi numero elephantisque XXX. egressus è regno, ad Scipionem est profectus. Postquam ad eum peruenit, castris regiis seorsum positis, cum eis copiis, quas commemoraui, haud ita longè à Scipione consedit. Erat in castris Cæsaris superiori tempore magnus terror, & expectatione copiarum regiarum, exercitus eius magis suspensiore animo ante aduentum Iubæ commouebatur. Postquam verò castra castris contulit, despectis eius copiis, omnem terrorem deponit. ita quam antea absens habuerat auctoritatem, eam omnem præsens dimiserat. quo facto facile fuit intellectu, Scipioni additum animum, fiduciámque regis aduentu. nam postero die vniuersas suas, regisq; copias cum elephātis LX. productas in aciem, quam speciosissimè potuit, instruxit; ac paulo longius progressus à suis munitionibus haud ita diu commoratus, se recepit in castra. Cæsar, postquam animaduertit Scipioni auxilia ferè, quę expectasset, omnia conuenisse, neque moram pugnandi vllam fore, per iugum summum cum copiis progredi cœpit, & brachia protinus ducere, & castel-

A la munire, propriusque Scipionem capiendo loca excelsa occupare contendit. Aduersarij magnitudine copiarum confisi, proximum collem occupauerunt, atque ita longius sibi progrediendi eripuerunt facultatē. eiusdem collis occupādi gratia Labienus consilium ceperat, &, quo propiore loco fuerat, eo celerius occurrerat. Erat conuallis satis magna latitudine, altitudine prærupta, crebris locis speluculæ in modū subrutis, quæ erāt transcūda Cæsari antè, quàm ad eum collem, quem ca-

B pere volebat, perueniretur: vltráque eam conuallē oliuetum vetus, crebris arboribus condensum. Hic cùm Labienus animaduertisset, Cæsarem, si vellet eum locum occupare, prius necesse esse cōuallem, oliuetumq; trāsgredi, eorum locorum peritus, in insidiis cum parte equitatus, leuique armatura consedit: & præterea post mōtem, colléque equites in occulto collocauerat, vt, cùm ipse ex improuiso legionarios adortus esset, ex colle se equitatus ostenderet, & re duplici perturbatus Cæsar, eiusq; exercitus, neq; retro regrediundi, ne-

C que vltra procedendi oblata facultate, circumuētus concideretur. Cæsar, equitatu antè præmisso, inscius insidiarum, cùm ad eum locum venisset, abusi, siue obliti præceptorum Labieni, siue veriti, ne in fossa ab equitibus opprimerentur, rari, ac singuli de rupe prodire, & summa petere collis. Quos Cæsaris equites consecuti, partim interfecerunt, partim viuis sunt potiti. deinde protinus collem petere contenderunt, atque eum, decusso La-

D bieni præsidio, celeriter occupauerunt. Labienus cum parte equitum vix fuga sibi peperit salutem. Hac re per equites gesta, Cæsar legionib. opera distribuit, atque in eo colle, quo erat potitus, castra muniuit. deinde ab suis maximis castris per medium campum, è regione oppidi Vzitę, quod inter sua castra, & Scipionis in planicie positum erat, tenebaturque à Scipione, duo brachia instituit duci, & ita erigere, vt ad angulum dextrū, sinistrumque eius oppidi conuenirent. id hac ratione opus instruebat, vt, cum propius oppidum copias admo-

E uisset, oppugnaréq; cœpisset, tecta latera suis munitionibus haberet, ne, ab equitatus multitudine circumuentus, ab oppugnatione deterreretur. Præterea, quò facilius colloquia fieri possent, & si qui perfugere vellent, id quod antea sæpe accidebat magno cum eorum periculo, tum facilè & sine periculo fieret. voluit etiam experiri, cùm propius hostem accessisset, haberétne in animo dimicare. Accedebat etiam ad reliquas caussas, quòd is locus depressus erat, puteique ibi non-

F nulli fieri poterant. Aquatione enim longa, & angusta vtebatur. Dum hæc opera, quæ ante dixi, fiebant à legionibus, interim pars aciei ante opus instructa sub hoste stabat. Equites barbari, leuisque armaturæ, prœliis minutis cominus dimicabant. Cæsar ab eo opere, cum iam sub vesperum copias in castra reduceret, magno incursu, cum omni equitatu, leuique armatura, Iuba, Scipio, Labienus in legionarios impetum fecerunt. Equites Cæsariani, vi vniuersæ, subitæque hostium multitudi-

G nis pulsi, parumper cesserunt. quæ res aliter aduersariis cecidit. namque Cæsar, ex medio itinere copiis reductis, equitibus suis auxilium tulit. Equites autem, aduentu legionum animo addito, conuersis equis in Numidas cupidè insequentes, dispersosque impetum fecerunt, atque eos cōuulneratos vsque in castra regia repulerunt, multosque ex iis interfecerunt. quòd ni in noctem prœ-

lium esset coniectum. puluisque vento flatus om-
nium prospectibus offecisset, Iuba cum Labieno
capti in potestatem Cæsaris venissent, equitatus-
que cum leui armatura funditus ad internecioné
deletus esset. Interim incredibiliter ex legionib.
IV. & VI. Scipionis milites diffugere partim in ca-
stra Cæsaris, partim in quam quisque poterat re-
gionem peruenire. itémque equites Curiani, diffi-
si Scipioni, eiusque copiis, complures se eódem
conferebant. Dum hæc circum Vzitam ab vtris-
que ducibus administrantur, legiones duæ. IX. &
X. ex Sicilia nauibus onerariis profectæ, cum iam
non longè à portu Ruspinæ abessent, conspicatæ
naues Cæsarianas, quæ in statione apud Thapsum
stabant, veriti, ne in aduersariorum, vt insidiandi
gratia ibi commorantium, classem inciderent, im-
prudentes vela in altum dederunt, ac diu, mul-
tumque iactari, tandem, multis pòst diebus siti, in-
opiáque confecti, ad Cæsarem peruenerunt. Qui-
bus legionibus expositis, memor in Italia pristinę
licentiæ militaris, ac rapinarum certorum homi-
num paruulam modò caussulam nactus Cæsar,
quòd C. Auienus Tribunus mil. X. legionis nauem
commeatu, familia sua, atque iumentis occupa-
uisset, neque militem vnum ab Sicilia sustulisset;
postero die de suggestu, conuocatis omnium le-
gionum Tribunis, Centurionibusque, Maximè
vellem, inquit, homines suæ petulantiæ, nimiæ-
que libertatis aliquando finem fecissent, meæque
lenitatis, modestiæ, patientiæque rationem ha-
buissent. sed, quoniam ipsi sibi neque modum, ne-
que terminum constituunt, quo ceteri dissimili-
ter se gerant, egomet ipse documentum more mi-
litari constituam. C. Auiene, quòd in Italia mili-
tes populi Romani contra Remp. instigasti; rapi-
násque per municipia fecisti; quódq; mihi, Reiq;
publ. inutilis fuisti, & pro militibus tuam fami-
liam iumentáq; in naues imposuisti, tuaque o-
pera, militibúsque tempore necessario Respub.
caret, ob eas res, ignominiæ caussa, ab exercitu
meo te remoueo: hodiéque ex Africa abesse, &,
quantum potes, proficisci iubeo. itémque te, A.
Fontei, quòd Tribunus mil. seditiosus, malúsque
ciuis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Saliene, M. Ti-
ro, C. Clusinas, cùm ordines in meo exercitu be-
neficio, non virtute consecuti, ita vos gesseritis, vt
neq; bello fortes, neq; pace boni, aut vtiles fueri-
tis, & magis in seditione, concitandisq; militibus,
aduersariorum nostrorum Imperatoris, quàm pu-
doris, modestiæque fueritis studiosiores, indignos
vos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines du-
catis, missósque facio, &, quantum potestis, abesse
ex Africa iubeo. Itaque transdidit eos Centurio-
nibus, & ad singulos non amplius singulis addi-
tis seruis, in naui imponendos separatim curauit.
Getuli interim perfugæ, quos cum literis manda-
tísque à Cæsare missos suprà docuimus, ad suos
ciues perueniunt: quorum auctoritate facilè ad-
ducti, Cæsarisque nomine persuasi, à rege Iuba
desciscunt; celeritérque cuncti arma capiunt; cō-
traque regem facere non dubitant. Quibus rebus
cognitis, Iuba distentus triplici bello, necessitate
coactus, de suis copiis, quas contra Cæsarem ad-
duxerat, VI. cohortes in fines regni sui mittit, quæ
essent præsidio cōtra Getulos. Cæsar, brachiis per-
fectis, promotísque eò vsq;, vt telum ex opido ad-
iici non posset, castra munit: balistis, scorpionibús-
que crebris ante frontem castrorum, contraquó
opidum collocatis, defensores muri deterrere non

A intermittit: eóque v. legiones ex superioribus ca-
stris deducit. Qua facultate obiata, illustriores no-
tissimique conspectum amicorum, propinquo-
rúmque efflagitabant, atque inter se colloque-
bantur. quæ res quid vtilitatis haberet, Cæsarem
nō fallebat. namque Getuli ex equitatu regio no-
biliores, equitúmq; præfecti. quorum patres cum
Mario antè meruerant, eiúsque beneficio agris, fi-
nibusque donati, post Syllæ victoriam sub Hiem-
psalis regis erant potestate dati) occasione capta,
B nocte iam luminibus accensis, cum equis, caloni-
busque suis circiter ∞ perfugiunt in Cæsaris ca-
stra, quæ erant in campo proximo Vzitæ locata.
Quod postquam Scipio, quique cum eo erant, co-
gnouerunt, cum commoti ex tali incommodo es-
sent, ferè per id tempus M. Aquinium cum C. Sa-
serna colloquentem viderunt. Scipio mittit ad A-
quinium, Nil attinere, eum cum aduersariis col-
loqui, cum nihilominus eius sermonem nuncius
ad se referret, diceretque, ne reliqua, quæ vellet,
C peragerer. viator postea ab Iuba ad eum est mis-
sus, qui diceret, audiente Saserna, Vetat te rex col-
loqui. Quo nuncio perterritus, discessit, & dicto
audiens fuit regi. vsu venisse hoc ciui Romano
miror, & ei, qui à populo R. honores accepisset, in-
columi patria, fortunisque omnibus, Iubæ barba-
ro potius obedientem fuisse, quàm aut Scipionis
obtemperasse nuncio, aut, cæsis eiusdem partis
ciuibus, incolumem reuerti malle. Atque etiam
superbius Iubæ factum non in M. Aquinium, ho-
minem nouum, paruumque senatorem, sed in Sci-
D pionem, hominem illa familia, dignitate, honori-
busque præstantem. nam cum Scipio sagulo pur-
pureo ante regis aduentum vti solitus esset, dici-
tur Iuba cum eo egisse, non oportere illum eo-
dem vti vestitu, atque ipse vteretur. itaque factum
est, vt Scipio ad album sese vestitum transferret,
& Iubæ homini superbissimo, inertissimoque ob-
temperaret. Postero die vniuersas omnium copias
de castris omnib. deducunt; & supercilium quod-
dam excelsum nacti, non longè à Cæsaris castris
E aciem constituunt atque ibi consistunt. Cæsar i-
tem producit copias, celeriterque iis instructis,
ante suas munitiones. quæ erāt in campo, consi-
tit, sine dubio existimans, vltro aduersarios, cum
tam magnis copiis, auxiliisque regis essent prædi-
ti, promptiusq; prosiluissent, ante se concursuros,
propiusq; se accessuros. & equo circumuectus, le-
gionésque cohortatus, signo dato, accessum ho-
stium aucupabatur. ipse enim à suis munitionib.
longius sine ratione non procedebat, quòd in o-
F pido Vzita, quod Scipio tenebat, hostiū erant co-
hortes armatæ. Eidem autem opido ad dextrum
latus eius cornu erat oppositum, verebaturq;, ne,
si prætergressus esset ex opido eruptione facta ab
latere eum adorti conciderent. præterea hęc quo-
que eum caussa tardauit, quòd erat locus quidam
perimpeditus ante aciem Scipionis, quem suis
impedimento ad vltro occurrendum fore existi-
mabat. Non arbitror esse prætermittendum, quē-
admodum exercitus vtriusque fuerunt in aciem
G instructi. Scipio hoc modo aciem direxit. Colloca-
bat in fronte suas, & Iubæ legiones, post autem
Numidas in subsidiaria acie, ita extenuatos, & in
longitudinē directos, vt procul simplex esse acies
media à legionariis militibus videretur. in corni-
bus autem duplex esse existimabatur. Elephantos
dextro, sinistroque cornu collocauerat, æquali-
bus inter eos interuallis interiectis. post autē ele-
phantos.

phantos, armaturas leues, Numidasque substituerat auxiliares. Equitatum frenatum vniuersum in suo dextro cornu disposuerat: sinistrum enim cornu opido Vzitâ claudebatur, neque erat spatium equitatus explicandi. propterea Numidas, leuisque armaturæ infinitam multitudinem ad dexteram partem suæ aciei opposuerat, ferè interiecto non minus ∞ passuum spatio, & ad collis radices magis appulerat, longiúsque ab aduersariorum, suisque copiis promouerat. id hoc consilio, vt cum acies inter se concurrissent initio certaminis paullo longius eius equitatus circumuectus ex improuiso clauderet multitudine sua exercitū Cæsaris, atq. perturbatum iaculis configeret. Hæc fuit ratio Scipionis eo die prœliandi. Cæsaris autem acies hoc modo fuit collocata, vt ab sinistro eius cornu ordiar, & ad dextrū perueniam. Habuit in sinistro cornu legionem IX. VIII. in dextro cornu, XXX. XXIX. XIII. XIV. XXVIII. XXVI. in media acie: ipsum autem dextrum cornu, secundam aciem ferè, in earum legionum parte cohortium collocauerat. Præterea ex tironum legionibus paucas adiecerat. Tertiam autem aciem in sinistrum suum cornu contulerat, & vsque ad aciei suæ mediam legionem porrexerat, & ita collocauerat, vti sinistrum suum cornu triplex esset. id eo consilio fecerat, quòd suum dextrum latus munitionib. adiuuabat; sinistrum autem equitatus hostium multitudini resistere posset laborabat: eodémque suum omnem contulerat equitatum: &, quòd ei parum confidebat, præsidio his equitibus legionem V. præmiserat, leuémque armaturam inter equites interposuerat. Sagittarios variè passimque, locis certis, maximéque in cornibus collocauerat. Sic vtrorumque exercitus instructi, nō plus passuum CCC. interiecto spatio, quod fortè ante id tempus acciderat numquam, quin dimicaretur, à manè vsque ad horam X. diei perstiterunt. Iamque Cæsar dum exercitum reducere intra munitiones suas cœpisset, subitò vniuersus equitatus vlterior Numidarum, Getulorumque sine frenis ad dexteram partem se mouere, propiúsque Cæsaris castra quæ erant in colle, se cōferre cœpit. frenati autem Labieni equites in loco permanere, legionésque distinere: cùm subitò pars equitatus Cæsaris cum leui armatura contra Getulos iniussu, ac temere lōgius progressi, paludémque transgressi, multitudinem hostium sustinere pauci non potuerunt, leuique armatura deserti, ac pulsi, cōuulneratique, vno equite amisso, multis equis sauciis, leuis armaturæ XXVI. occisis, ad suos refugerunt. Quo secundo equestri prœlio facto, Scipio lætus in castra nocte copias reduxit. quod proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non decreuit. namque postero die Cæsar cum parte equitatus sui Leptim frumenti gratia, misit. in itinere prædatores equites Numidas, Getulósque ex improuiso adorti circiter centum partim occiderunt, partim viuorum potiti sunt. Cæsar interim quotidie legiones in campum deducere, atque opus facere, vallumque & fossam per medium campum ducere, aduersariorumque excursionibus iter officere non intermittit. Scipio item munitiones cōtra facere, & in iugo, ne à Cæsare excluderetur, approperare. Ita duces vtrique & in operibus occupati erant, & nihilominus equestribus prœliis inter se quotidie dimicabant. Interim Varus classem, quam antea Vticæ, hiemis gratia, subduxerat, cognito legionis VII. & VIII. ex Sicilia aduentu, ce-

A leriter deducit, ibique Getulis remigibus, epibatisque complet, insidiandique gratia progressus, Adrumetum cum LV. nauibus peruenit. Cuius aduentus inscius Cæsar, L. Cispium cum classe XXVII. nauium ad Thapsum versus in stationem, præsidij gratia commeatus sui, mittit: itémque Q. Aquilam cum XIII. nauibus longis Adrumetum eadem de caussa præmittit. Cispius, quò erat missus celeriter peruenit: Aquila tempestate iactatus, promontorium superare non potuit, atque angu- B lum quendam tutum à tempestate nactus, cum classe se longius à prospectu remouit. reliqua classis in salo ad Leptim, egressis remigibus, passimque in litore vagantibus, partim in opido, victus sui mercandi gratia progressis, vacua à defensoribus stabat. Quibus rebus, Varus ex perfugis cognitis, occasionem nactus, vigilia secunda, Adrumeto ex Cothone egressus primo manè Leptim vniuersa classe vectus, naues onerarias, quæ longius à portu in salo stabant, incendit, & pente- C remes duas, vacuas à defēsoribus, nullo repugnante cepit. Cæsar interim celeriter per nuncios in castris cùm opera circuiret, certior factus, quæ aberant à portu millia passuum VI. equo admisso, omissis omnibus rebus, celeriter peruenit Leptim: ibique moratus, omnes vt se naues consequerentur, primum ipse nauigiolum paruum conscendit, in cursu Aquilam, multitudine nauigiorum perterritum, atque trepidantem, nactus, hostium classem sequi cœpit. Interim Varus celeritate Cæ- D saris, audaciáque motus, cum vniuersa classe conuersis nauibus, Adrumetum versus fugere contendit. Quem Cæsar in millibus passuum IV. consecutus, recuperata quinqueremi, cum omnibus suis epibatis, atque etiam hostium custodib. CXXX. in ea naue captis, triremem hostium proximam, quæ in repugnando erat commorata, onustam remigum, epibatarumque cepit. reliquæ naues hostium promontorium superarunt, atque Adrumetum in Cothonem se vniuersæ contulerunt. Cæsar eodem vento promontorium superare nō potuit, E atq; in salo in anchoris ea nocte cōmoratus, prima luce Adrumetum accessit, ibique nauib. onerariis, quæ erant extra Cothonem incensis, omnibusque reliquis aliis aut subductis, aut in Cothonem compulsis, paulisper commoratus, si fortè vellent classe dimicare, rursus se recepit in castra. In ea naue captus est P. Vestrius, eques Romanus, & P. Ligarius Afranianus, quem Cæsar in Hispania cum reliquis dimiserat, & postea se ad Pompeium contulerat; inde ex prœlio effugerat, in Africam- F que ad Varum venerat. Quem ob periurium, perfidiamque Cæsar iussit necari. P. Vestrio autem, quòd eius frater Romæ pecuniam imperatam numerauerat, & quòd ipse suam caussam Cæsari probauerat, se Nasidij classe captum, cùm ad necem duceretur, beneficio Vari esse seruatum, postea facultatem sibi nullam datam transeundi, ignouit. Est in Africa consuetudo incolarum, vt in agris, & in omnibus ferè villis sub terra specus, condendi frumenti gratia, clam habeant, at- G que id propter bella maximè, hostiumque subitum aduentum præparent. Quia de re Cæsar certior per indicem factus, tertia vigilia legiones II. cum equitatu mittit à castris suis millia passuum X. atque inde magno numero frumenti onustos recepit in castra. Quibus rebus cognitis, Labienus, progressus à suis castris millia passuum VII. per iugum, & collem, per quem Cæsar pridie i-

ter fecerat, ibi castra duarum legionum facit, atque ibi ipse quotidie existimans Cæsarem eadem sæpe frumentandi gratia commeaturum, cum magno equitatu, leuique armatura insidiaturus, locis idoneis consedit. Cæsar interim, de insidiis Labieni ex perfugis certior factus paucos dies ibi commoratus, dum hostes quotidiano instituto, sæpe idem faciendo, in negligentiam adducerentur, subito mane imperat porta decumana legiones se III. veteranas cum parte equitatus sequi: atque equitibus præmissis, neque opinantes insidiatores subito in conuallibus latentes, leui armatura concidit circiter D. reliquos in fugam turpissimam coniecit. Interim Labienus cum vniuerso equitatu fugientibus suis suppetias occurrit: cuius vim multitudinis cum equites pauci Cæsariani iam sustinere non possent, Cæsar instructas legiones hostium copiis ostendit. Quo facto, perterrito Labieno ac retardato, suos equites recepit incolumes. Postero die Iuba Numidas eos, qui, loco amisso, fuga se receperant in castra, in cruce omnes suffixit. Cæsar interim, quoniam frumenti inopia premebatur, copias omnes in castra conducit, atque præsidio Lepti, Ruspinæ, Acillæ relicto, Cispio, Aquilæque classe transdita, vt alter Adrumetum, alter Thapsum mari obsiderent, ipse, castris incensis, IV. noctis vigilia, acie instructa, impedimentis in sinistra parte collocatis, ex eo loco proficiscitur, & peruenit ad opidum Agar, quod à Getulis sæpe antea oppugnatum, summaque vi per ipsos opidanos erat defensum. ibi in campo castris vnis positis, ipse frumentatum circum villas cum parte exercitus profectus, magno inuento hordei, olei, vini, fici numero, pauco tritici; atque recreato exercitu, rediit in castra. Scipio interim cognito Cæsaris discessu, cum vniuersis copiis per iugum Cæsarem subsequi cœpit, atq; ab eius castris millia passuum VI. lōgè trinis castris dispartitis copiis, consedit. Opidum erat Zetta, quod aberat à Scipione millia passuum X. ad eius regionem, & partem castrorum collocatum: à Cæsare autem diuersum, ac remotum, quod erat ab eo longè millia passuum XIIX. huc Scipio legiones II. frumentandi gratia misit. Quod postquā Cæsar ex perfugis cognouit, castris ex campo in collem, ac tutiora loca, collocatis, atque ibi præsidio relicto, ipse IV. vigilia egressus præter hostium castra proficiscitur cum copiis, & opido potitur: legiones Scipionis comperit longius in agris frumentari: &, cùm eò contendere conaretur, animaduertit copias hostium iis legionibus occurrere suppetias, quæ res eius impetum retardauit. Itaque, capto C. Mutio Regino, equite R. Scipionis familiarissimo, qui ei opido præerat, & P. Atrio, equite Rom. de conuentu Vticensi, & camelis XXII. regis adductis, præsidio ibi cum Oppio legato relicto, ipse se recipere cœpit ad castra. Cùm iam nōn longè à castris Scipionis abesset, quę cum necesse erat prætergredi, Labienus Afraniusque cum omni equitatu, leuique armatura ex insidiis adorti, agmini eius extremo se offerunt, atque ex collibus primis exsistunt. Quod postquam Cæsar animaduertit, equitibus suis hostium vi oppositis, sarcinas legionarios in aceruum iubet comportare, atque celeriter signa hostibus inferre. Quod postquam cœptum est fieri, primo impetu legionum, equitatus, & leuis armatura hostium nullo negotio loco pulsa, & deiecta est de colle. Cum iam Cæsar existimasset hostes pulsos deter-

A ritosque finem lacessendi facturos, & iter cœptum pergere cœpisset, iterum celeriter ex proximis collibus erumpunt, atque eadem ratione, qua antè dixi, in Cæsaris legionarios impetum faciūt Numidæ, leuisque armaturæ, mirabili velocitate præditi, qui inter equites pugnabant, & vnà pariterque cum equitibus accurrere, & refugere consueuerant. Cùm hoc sæpius facerent, & Iulianos proficiscentes insequerentur, & refugerent instantes, propius non accederent, & singulari genere B pugnæ vterentur, eosque iaculis conuulnerare satis esse crederent; Cæsar intellexit, nihil aliud illos conari, nisi vt se cogerent castra in eo loco ponere, vbi omnino aquæ nihil esset; vt exercitus eius ieiunus, qui à quarta vigilia vsque ad horam X. diei nihil gustasset, ac iumenta siti periret. Cùm iam ad solis occasum esset, & non totos C. passus in horis IV. esset progressus, equitatu suo propter equorum interitum, extremo agmine remoto, legiones inuicem ad extremum agmen euocabat. C ita vim hostium, placidè, leniterque procedens, per legionarium militem commodius sustinebat. Interim equitum Numidarum copiæ dextra, sinistraque per colles præcurrere coronæque in modum cingere multitudine sua Cæsaris copias, pars agmen extremum insequi. Cæsariani interim non amplius tres aut quatuor milites veterani, si se cōuertissent, & pila viribus contorta in Numidas infestos coniecissent, amplius II. millium numero ad vnum terga vertebant, ac rursus ad aciē passim, D conuersis equis se colligebant, atque in spatio consequebantur, & iacula in legionarios coniiciebant. Ita Cæsar, modò procedendo, modò resistendo, tardius itinere confecto, noctis hora prima omnes suos ad vnum in castris incolumes, sauciis X. factis, reduxit. Labienus circiter CCC. amissis, multis vulneratis, ac defessis instando omnibus, ad suos se recepit. Scipio interim legiones productas cum elephantis, quos ante castra in acie, terroris gratia, in conspectu Cæsaris collocauerat, reducit in castra. Cæsar contra eiusmodi E hostium genera, copias suas, nōn vt imperator exercitum veteranum, victoremque maximis rebus gestis, sed vt lanista tirones gladiatores condocefacere, quo pede se reciperent ab hoste, & quemadmodum obuersi aduersariis, & in quantulo spatio resisterent, modò procurrerent, modò recederent comminarenturque impetum, ac prope quo loco, & quemadmodum tela mitterent, præcipit. mirificè enim hostium leuis armatura anxium exercitum nostrum, atque sollicitum habe- F bat: quia & equites deterrebat prœlium inire propter equorū interitū, quòd eos iaculis interficiebant, & legionariū militem defatigabant, propter velocitatem. grauis enim armaturæ miles simul atque ab his insectatus constiterat, in eosq; impetū fecerat, illi veloci cursu facilè periculum vitabāt. Quibus ex rebus Cæsar vehementer commouebatur: quia quodcumque prœlium, quoties erat commissum, equitatu suo, sine legionario milite, hostium equitatui, leuique armaturæ eorum nul- G lo modo par esse poterat. sollicitabatur autem his rebus, quod nondum hostiū legiones cognouerat, & quonam modo sustinere se posset, ab eorum equitatu, leuique armatura, quæ erat mirifica, si legiones quoque accessissent. Accedebat etiam hæc caussa, quòd elephantorum magnitudo multitudoque militū animos detinebat in terrore; cui vni rei tamen inuenerat remedium. namque elephantos in

tos in Italiam transportari iusserat: quò & miles
noster speciémque, & virtutem bestiæ cognosce-
ret, & cui parti corporis eius telum facilè adigi
posset, ornatusque, ac loricatus elephantus cùm
esset, quæ pars eius corporis nuda sine tegmine
relinqueretur, vt eò tela coniicerentur: præterea
vt iumenta bestiarum odorem, stridorem, spe-
ciem, consuetudine captatum, non reformida-
rent. Quibus ex rebus largiter erat consecutus.
nam & milites bestias manibus pertractabant, ea-
rumque tarditatem cognoscebant: equitésque in
eos pila præpilata coniiciebant, atque in consue-
tudinem equos patientia bestiarum adduxerat.
Ob has caussas quas suprà commemoraui, solli-
citabatur Cæsar, tardiorque & consideratior erat
factus, & ex pristina bellandi consuetudine, cele-
ritatéque excesserat, nec mirum. copias enim ha-
bebat in Gallia bellare consuetas, locis campestri-
bus, & contra Gallos, homines apertos, minimé-
que insidiosos, qui per virtutem, non per dolum,
dimicare consueuerunt. tum autem erat ei la-
borandum, vt consuefaceret milites, hostium
dolos, insidias, artificia cognoscere, & quid se-
qui, quid vitare conueniret. itaque, quò hæc cele-
rius conciperent, dabat operam, vt legiones non
in vno loco contineret, sed, per caussam fru-
mentandi, huc, atque illuc raptaret: ideo quòd
hostium copias ab se suóque vestigio, non disces-
suras existimabat: atque post diem iii. productas
accuratius suis copiis, sicut instruxerat, pro-
piùs hostium castra prætergressus, æquo loco in-
uitat ad dimicandum. Postquam eos abhorrere vi-
det, reducit sub vesperum legiones in castra. Le-
gati interim ex opido Vacca, quod finitimum fuit
Vzitæ, cuius Cæsarem potitum esse demonstraui-
mus, veniunt, petunt, & obsecrant, vt sibi præsi-
dium mittat: se res complures, quæ vtiles bello
sint, administraturos. Per id tempus deorum vo-
luntate, studióque erga Cæsarem transfuga suos
ciues, facit certiores, Iubam regem celeriter cum
copiis suis, antequam Cæsaris præsidium eò per-
ueniret, ad opidum accurrisse, atque aduenientem
multitudine circumdata, eo potitum, omnibús-
que eius opidi incolis ad vnum interfectis, dedis-
se opidum diripiendum, delendúmque militibus.
Cæsar igitur lustrato exercitu, a.d. xii. Kal. Apr.
postero die productis vniuersis copiis, processus
à suis castris millia passuum v. à Scipione circi-
ter ii. millium interiecto spatio, in acie consti-
tit. Postquam satis, diúque aduersarios à se ad di-
micandum inuitatos, supersedere pugnę animad-
uertit, reducit copias. Postero die castra mouet, at-
que iter ad opidum Sarsuram, vbi Scipio Numi-
darum habuerat præsidium, frumentúmque com-
portauerat, ire contendit. quod vbi Labienus ani-
maduertit, cum equitatu, leuique armatura ag-
men eius extremum carpere cœpit: atque ita lixa-
rum, mercatorúmque, qui plaustris merces porta-
bant, interceptis sarcinis addito animo, propius,
audaciúsq; accedit ad legiones, quòd existimabat,
milites, sub onere, ac sub sarcinis defatigatos, pu-
gnare non posse. Quę res Cæsarem non fefellerat,
namque expeditos ex singulis legionibus ccc.
milites esse iusserat. itaque eos, in equitatum La-
bieni immissos, turmis suorum suppetias mittit.
Tum Labienus, conuersis equis signorum conspe-
ctu perterritus, turpissimè contendit fugere, mul-
tis eius occisis, compluribus vulneratis. Milites
legionarij ad sua se recipiunt signa, atque iter in-

A cœptum ire cœperunt. Labienus per iugum sum-
mũ collis dextrorsus procul milites subsequi non
desistit. Postquam Cæsar ad opidum Sarsuram ve-
nit, inspectantibus aduersariis, interfecto præsidio
Scipionis, cùm suis auxilium ferre non auderent,
fortiter repugnante P. Cornelio Scipione euoca-
to, qui ibi præerat, atque à multitudine circum-
uento, interfectoque, opido potitur, atque, ibi fru-
mento exercitui dato, postero die ad opidum Tis-
dram peruenit, in quo Considius per id tempus
B fuerat cum grandi præsidio, cohortéque sua gla-
diatorum. Cæsar, opidi natura perspecta, atque in-
opia ab oppugnatione eius deterritus, protinus
profectus circiter millia passuum iv. ad aquam fe-
cit castra; atque inde iv. die egressus, redit rursus
ad ea castra, quę ad Agar habuerat. Idem facit Sci-
pio, atq; in antiqua castra copias reducit. Thabe-
nenses interim, qui sub ditione, & potestate Iubæ
esse cõsuessent; in extrema eius regni regione ma-
ritima locati, interfecto regio præsidio, legatos ad
C Cæsarem mittunt; rem malè gestam docét, petunt,
orántque, vt suis fortunis præstò, quòd bene meri-
ti essent, auxilium ferret. Cæsar, eorum consilio
probato, M. Crispum Tribunum cum cohorte, &
sagittariis, tormentísq; compluribus præsidio Tha-
benã mittit. Eodem tẽpore ex legionibus omni-
bus milites, qui aut morbo impediti, aut cõmeatu
dato, cum signis non potuerant antè transire in
Africam, ad millia iv. equites cd. funditores, sa-
gittariique ∞ vno commeatu Cæsari occurre-
runt. Itaque tum his copiis, & omnibus legioni-
D bus eductis, sicut erat instructus, viii. millibus pas-
suum à suis castris, ab Scipionis verò iv. millibus
passuum, lõge constitit in campo. Erat opidum in-
fra castra Scipionis, nomine Tegea, vbi præsidium
equestre circiter cd. habere consueuerat. eo equi-
tatu dextra, sinistráque directo ab opidi lateribus,
ipse, legionibus ex castris eductis, atque in iugo
inferiore instructis, non longius ferè ∞ passus ab
suis munitionibus progressus, in acie constitit.
Postquam diutius in vno loco Scipio commora-
E batur, & tempus diei in otio consumebatur, Cæ-
sar equitum turmas suorum iubet in hostium e-
quitatum, qui ad opidum in statione erat, facere
impressionem, leuémque armaturam, sagittarios,
funditorésq; eódẽ submittit. Quod vbi cœptũ est
fieri, & equis cõcitatis Iuliani impetum fecissent,
Pacidius suos equites exporrigere cœpit in longi-
tudinẽ, vt haberẽt facultatẽ turmas Iulianas circũ-
fundere, & nihilominus fortissimè, acerrimẽq; pu-
gnare. Quod vbi Cæsar animaduertit, ccc. quos ex
F legionib. habere expeditos cõsueuerat, ex proxima
legione, quæ ei prœlio in acie constiterat, iubet e-
quitatui succurrere. Labienus interim suis equi-
tibus auxilia equestria summittere, sauciisq; ac de-
fatigatis integros, recentioribusq; viribus equites
subministrare. Postquam equites Iuliani cd. vim
hostiũ ad iv. millia numero, sustinere non poterãt,
& à leui armatura Numidarũ vulnerabãtur, minu-
tatimq; cedebãt; Cæsar alterã alã mittit, qui sata-
gẽtib. celeriter occurrerent. Quo facto, sui sublati
G vniuersi in hostes impressione facta in fugã aduer
sarios dederũt, multis occisis, cõplurib. vulneratis,
insecuti per iii. millia passuũ, vsq; in colles hostib.
adactis, se ad suos recipiunt. Cæsar in horã x. com-
moratus, sicut erat instructus, se ad sua castra rece-
pit omnib. incolumibus. in quo prœlio Pacidius
grauiter pilo per cassidem caput ictus, complurés-
que duces, ac fortissimus quisque interfecti, vul-

rera ique sunt. Postquam nulla conditione cogere aduersarios poterat, vt in æquum locum descenderent, legionumque periculum facerent, neque ipse propius hostem castra ponere, propter aquæ penuriam, se posse animaduertere; aduersarios non eorum virtute confidere, sed aquarum inopia fretos, despicere se intellexit pridie Non. April. tertia vigilia egressus, ab Agar XVI. millia passuum nocte progressus, ad Thapsum, vbi Virgilius cum grandi præsidio præerat, castra ponit, opidumque eo die circummunire cœpit, locaque idonea, opportunaque complures præsidiis occupare, ne hostes intrare ad se, ac loca interiora capere possent. Scipio interim, cognitis Cæsaris consiliis ad necessitatem adductus dimicandi, ne per summum dedecus fidissimos suis rebus Thapsitanos, & Virgilium amitteret, confestim Cæsarem per superiora loca consecutus, millia passuum IIX. à Thapso binis castris consedit. Erat stagnum salinarum, inter quod, & mare angustiæ quædam non amplius mille & quingentos passus intererant: quas Scipio intrare, & Thapsitanis auxilium ferre conabatur: quod futurum Cæsarem non fefellerat. namque pridie in eo loco castello munito, ibique trino præsidio relicto, ipse cum reliquis copiis lunatis castris Thapsum operibus circummuniuit. Scipio interim, exclusus ab incepto itinere, supra stagnum postero die, & nocte cofecta, cælo albescente, non longè à castris, præsidioque, quod suprà commemorauimus, ∞ ∞. passibus, ad mare versus cosedit, & castra munire cœpit. Quod postquam Cæsari nunciatum est, milites ab opere deductos, castris præsidio Aspenate Proconsule cum legionibus II. relicto ipse cum expeditis copiis in eum locum citatim contendit, classisque parte ad Thapsum relicta, reliquas naues iubet post hostium tergum quam maximè ad litus appelli, signumque suum obseruare, quo signo dato, subito clamore facto, ex improuiso hostibus auersis incuterent terrorem, vt perturbati, ac perterriti respicere post terga cogerentur. Quò postquam Cæsar peruenit, & animaduertit aciem pro vallo Scipionis castris, elephantisque dextro sinistróque cornu collocatis, & nihilominus partem militum castra non ignauiter munire, ipse, acie triplici collocata, legione X. secundáque dextro cornu, IIX. & IX. sinistro, oppositis V. legionibus, in quarta acie ante ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis, sagittariis, funditoribus in vtrisque cornibus dispositis, leuique armatura inter equites interiecta, ipse pedibus circum milites concursans, virtutésque veteranorum, prœliaque superiora commemorans; blandéque appellans, animos eorum excitabat. Tirones autem, qui numquam in acie dimicassent, hortabatur, vt veteranorum virtutem æmularentur, eorúmque famam, nomen, locúmque, victoria parta, cuperent possidere. itaque in circumeundo exercitum, animaduertit hostes circa vallum trepidare, atque vltro, citroque pauidos concursare, & modò se intra portas recipere, modò inconstanter, immoderatéque prodire. Cumque idem à pluribus animaduerti cœptum esset, subitò legati, euocatique obsecrare Cæsarem, ne dubitaret signum dare: victoriam sibi propriam à diis immortalibus portendi. Dubitante Cæsare, atque eorum studio, cupiditatique resistente, sibique, eruptione pugnari, non placere clamitante, & etiam atque etiam aciem sustentante subitò dextro cornu, iniussu Cæ-

A saris, tubicen, à militibus coactus, canere cœpit. Quo facto ab vniuersis cohortibus signa in hostem cœpere inferri, cùm centuriones pectore aduerso resisterent, vique continerent milites, ne iniussu Imperatoris concurrerent, nec quidquam proficerent. Quod postquam Cæsar intellexit, incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo felicitatis dato, equo admisso in hostem cōtra principes ire contendit. A dextro interim cornu funditores, sagittariique concita tela in ele-
B phantos frequentes iniiciunt. Quo facto, bestiæ, stridore fundarum, lapidumque perterritæ, sese conuertere, & suos post se frequentes, stipatosque proterere, & in portas valli semifractas ruere contendunt. Item Mauri equites, qui in eodem cornu cum elephantis erant, præsidio deserti, principes fugiunt. ita celeriter bestiis circuitis, legiones vallo hostium sunt potitæ: & paucis acriter repugnantibus interfectis, reliqui concitati in castra, vnde pridie erant egressi, confugiunt. Non
C videtur esse prætermittendum de virtute militis veterani V. legionis. nam, cùm in sinistro cornu elephantus, vulnere ictus, & dolore concitatus, in lixam inermem impetum fecisset, eumq; sub pede subditum, deinde genu innixus, pondere suo, proboscide erecta, vibrantique, stridore maximo premeret, atque enecaret; miles hic non potuit pati, quin se armatum bestiæ offerret. quem postquam elephantus ad se telo infesto venire animaduertit, relicto cadauere, militem proboscide
D circumdat, atque in sublime extollit armatum. qui in eiusmodi periculo cùm constanter agendum sibi videret, gladio proboscidem, quo erat circumdatus, cædere, quantum viribus poterat, non destitit: quo dolore adductus elephantus, milite abiecto, maximo cum stridore, cursúque conuersus ad reliquas bestias se recepit. Interim, Thapso qui erat præsidio, ex opido eruptionem porta maritima faciunt, & siue vt suis subsidio occurrerent, siue vt, opido deserto, fuga salutem sibi pararent, egrediuntur: atque ita per mare vmbilici fine
E ingressi terram petebant: qui à seruis, puerisque, qui in castris erant, lapidibus, pilisque prohibiti terram attingere, rursus se in opidum receperunt. Interim Scipionis copiis prostratis, passimq; toto campo fugientibus, confestim Cæsaris legiones consequi, spatiumque se non dare colligendi. qui postquam ad ea castra, quę petebant, perfugerunt, vt, refectis castris, rursus sese defenderent, ducem aliquem requirunt, quem respicerent, cu-
F ius auctoritate, imperioque rē gererent. qui postquam aduerterūt, neminem ibi esse præsidio, protinus, armis abiectis, in regia castra fugere contēdunt. Quò postquam peruenerunt, ea quoque ab Iulianis teneri vident. Desperata salute, in quodam colle consistunt, atque armis demissis, salutationem more militari faciunt. quibus miseris ea res paruo præsidio fuit. namque milites veterani, ira & dolore incensi, nō modò, vt parcerent hosti, non poterāt adduci, sed etiā ex suo exercitu illustres vrbanos, quos auctores appellabāt, complures aut vulnerarunt, aut interfecerunt. in quo nu-
G mero fuit Tullius Rufus Quæstorius: qui, pilo transfectus cōsultò à milite, interiit. item Pompeius Rufus, brachium gladio percussus, nisi celeriter ad Cæsarem accurrisset, interfectus esset. Quo facto, complures equites R. Senatoresque perterriti ex prælio se receperunt, ne à militibus, qui ex tanta victoria licentiam assumpsissent immoderatè pec-

tè peccandi impunitatis propter maximas res ge-
stas, ipsi quoque interficerentur. itaque ij omnes
Scipionis milites, cum fidem Cæsaris implora-
rent, inspectante ipso Cæsare, & à militibus de-
precarentur, eis vti parcerent, ad vnum sunt interfe-
cti. Cæsar trinis castris potitus, occisisque ho-
stium x. millibus, fugatisque compluribus, se re-
cipit. L. militibus amissis, paucis sauciis, in castra:
ac statim ex itinere ante opidum Thapsum con-
stitit: elephantosque LXIV. ornatos, armatosque
cum turribus ornamentisque capit, captos ante
opidum instructos constituit: id hoc consilio, si
posset Virgilius, quique cum eo obsidebantur,
rei malè gestæ suorum indicio à pertinacia dedu-
ci. deinde ipse Virgilium appellauit, inuitauitque
ad deditionem, suamque lenitatem & clemen-
tiam commemorauit. quem postquam animad-
uertit responsum sibi non dare, ab opido recessit.
postero die, diuina re facta, concione aduocata, in
conspectu opidanorum milites collaudat: totum-
que exercitum veteranorum donauit præmiis, ac
fortissimo cuique, ac benè merenti pro suggestu
tribuit. Ac statim inde digressus, C. Rebello Pro-
consule cum III. ad Thapsum legionibus, & Cn.
Domitio cum II. Tisdræ, vbi Considius præerat, ad
obsidendum relictis, M. Messala Vticam antè præ-
misso, cum equitatu ipse eodem iter facere con-
tendit. Equites interim Scipionis, qui ex prœlio
fugerant, cùm Vticam versus iter facerent, perue-
niunt ad opidum Paradam. vbi, cum ab incolis
non reciperentur, ideo quòd fama de victoria Cæ-
saris præcurrisset, vi opido potiti, in medio foro
lignis coaceruatis, omnibusque rebus eorum co-
gestis, ignem subiiciunt, atque eius opidi incolas
cuiusque generis ætatisque, viuos, cōstrictosq. in
flammam coniiciunt, atque ita acerbissimo affi-
ciunt supplicio: deinde protinus Vticam perue-
niunt. Superiore tempore M. Cato, quòd Vticen-
sibus, propter beneficium legis Iuliæ, parum in
suis partibus præsidij esse existimauerat, plebem
inermem opido eiecerat, & ante portam, belli
caussa, castris, fossaque paruula duntaxat munie-
rat, ibique, custodiis circumdatis, habitare coege-
rat: Senatum autem opidi custodia tenebat. Eo-
rum castra ij equites adorti, expugnare cœperũt,
ideo quòd eos partibus Cæsaris fauisse sciebant,
vt, eis interfectis, eorum pernicie dolorem suum
vlciscerentur. Vticenses, animo addito ex Cæsaris
victoria, lapidibus, fustibusque equites repulerũ.
itaque, postquam castris non potuerant potiri, V-
ticam se in opidum coniecerunt, atque ibi mul-
tos Vticenses interfecerunt, domósque eorum ex-
pugnauerunt, ac diripuerunt. Quibus cùm Cato
persuadere nulla ratione quiret, vt secum opi-
dum defenderent, & cæde, rapinisque desisterent,
&, quid sibi vellent, sciret, sedandæ eorum impor-
tunitatis gratia singulis HS. C. diuisit. idem Syl
la Faustus fecit, ac de sua pecunia largitus est: v-
naque cum iis ab Vtica proficiscitur, atque in re-
gnum ire contendit. Complures interim ex fuga
Vticam perueniunt. quos omnes Cato conuoca-
tos, vnà cum CCC. qui pecuniam Scipioni ad bel-
lum faciendum contulerant, hortatur, vt seruitia
manumitterent, opidúmque defenderent. Quo-
rum cùm partem assentire, partem animum, men-
témque perterritã, atque in fugam destinatam ha-
bere intellexisset, amplius de ea re agere destitit,
nauésque iis attribuit, vt, in quas quisque partes
vellet, proficisceretur. ipse, omnibus rebus dili-

A gentissimè constitutis, liberis suis L. Cæsari, qui
tum ibi Proquæstor fuerat, commendatis, & sine
suspicione, vultu, atque sermone, quo superiore
tempore vsus fuerat, cùm dormitum isset, ferrum
intro clàm in cubiculum tulit, atque ita se transi-
iecit. qui dum, anima nondum expirata, conci-
disset, & impetu facto in cubiculũ, ex suspicione
medicus, familiarésque continere, atque vulnus
obligare cœpissent, ipse suis manibus vulnus cru-
delissimè diuellit, atque animo præsenti se intere-
B mit. Quẽ Vticẽses quãquã oderant partiũ gratia,
tamen, propter eius singularem integritatem, &
quòd dissimillimus reliquorum ducum fuerat,
quodque Vticam mirificis operibus munierat,
turrésque auxerat, sepultura afficiunt. Quo interfecto, L. Cæsar, vt aliquod sibi ex ea re auxilium
pararet, conuocato populo, concione habita, co-
hortatur omnes, vt portæ aperirentur: se in Cæsa-
ris clementia magnam spem habere. Itaque, por-
tis patefactis, Vtica egressus, Cæsari imperatori
C obuiam proficiscitur. Messala, vt erat imperatum,
Vticam peruenit, omnibusque portis custodias
ponit. Cæsar interim à Thapso progressus, Vsce-
tam peruenit, vbi Scipio magnum frumenti nu-
merum, armorum, telorum, ceterarumque rerum
cum paruo præsidio habuerat. hoc aduenient po-
titur: deinde Adrumetum peruenit. Quo cum sine
mora introisset, armis, frumẽto, pecuniaque con-
siderata, Q. Ligario, C. Considij filio, qui tum ibi
fuerat, vitam concessit. deinde eodem die Adru-
meto egressus, Liuineio Regulo ibi cum legione
D relicto, Vticam ire contendit: cui in itinere fit ob-
uius L. Cæsar, subitoque se ad genua proiecit, vi-
tamque sibi, nec amplius quidquam deprecatur.
cui Cæsar facilè, & pro sua natura, & instituto
concessit. item Cæcinæ, Ceteio, P. Atrio, L. Cellæ,
patri, & filio, M. Eppio, M. Aquinio, Catonis filio,
Damasippique liberis ex sua cōsuetudine, tribuit,
circiterque noctem luminibus accensis Vticam
peruenit, atque extra opidum ea nocte mansit.
postero die manè opidum introiit; cōcioneque
E aduocata, Vticenses incolas cohortatus, gratias
pro eorum studio erga se agit, ciues autem Ro-
manos negotiatores, & eos, qui inter CCC. pecu-
nias contulerant Varo, & Scipioni, multis ver-
bis accusatos, & de eorum sceleribus longiori ha-
bita oratione, ad extremum, vt sine metu prodi-
rent, edicit: se eis duntaxat vitam concessurum,
bona quidem eorum se venditurum, ita tamen, vt,
qui eorum bona sua redemisset, se bonorum ven-
ditionem inducturum, & pecuniam, mulctæ nomi-
F ne relaturum, vt incolumitatem retinere possent.
Quibus metu exsanguibus, de vitaque ex suo pro-
merito desperantibus, subitò oblata salute, liben-
tes cupidique conditionem acceperũt: petieruntque à Cæsare, vt vniuersis CCC. vno nomine pe-
cuniam imperaret. itaque bis millies HS. his im-
posito, vt per triennium sex pensionibus populo
R. soluerent, nullo eorum recusante, ac se eodem
die demum natos prædicantes, læti gratias agunt
Cæsari. Rex interim Iuba, vt ex prœlio fugerat,
G vna cum Petreio interdiu in villis latitando, tan-
dem, nocturnis itineribus confectis, in regnum
peruenit, atque ad opidum Zamam, vbi ipse do-
micilium, cōiuges, liberosque habebat, quò ex cũ-
cto regno omnem pecuniam, carissimasque res
comportauerat, quodque inito bello operibus
maximis munierat, accedit. Quem antea opidani,
rumore exoptato de Cæsaris victoria audito, ob

has caussas opido prohibuerunt, quod, bello, A contra populum Ro. suscepto, in opido Zama, lignis congestis, maximam in medio foro pyram construxerat, vt si fortè bello foret superatus, omnibus rebus eò coaceruatis, dehinc ciuibus cunctis interfectis eodémque proiectis, igne subiecto, tum demum se ipse insuper interficeret, atque vnà cum liberis, coniugibus, ciuibus, cunctaque gaza regia cremaretur. Postquam Iuba ante portas diu, multumque primò minis pro imperio egisset cum Zamensibus: deinde, cum se parum proficere intellexisset, precibus quoque orasset, vti se ad suos deos Penates admitterent, vbi eos in sententia perstare animaduertit, nec minis, nec precibus suis moueri, quò magis se reciperent, tertiò petit ab eis, vt sibi coniuges liberosq. redderent, vt secum eos asportaret. Postquam sibi nihil omnino opidanos responsi reddere animaduertit, nulla re ab iis impetrata ab Zama discedit, atque ad villam suam cum M. Petreio, paucisque equitibus se confert. Zamenses interim legatos de iis rebus ad Cæsarem Vticam mittunt, petuntque ab eo, vti antè, quam Rex manum colligeret, sesque oppugnaret, sibi auxilium mitteret: se tamen paratos esse sibi, quoad vita suppeteret, opidum, seque ei reseruare. Legatos collaudatos Cæsar domum iubet antecedere, ac suum aduentum prænunciare. Ipse, postero die Vtica egressus, cum equitatu in regnum ire contendit. Interim in itinere ex regiis copiis duces complures ad Cæsarem veniunt, orantque, vt sibi ignoscat. Quibus D supplicibus venia data, Zamam perueniunt. Rumore interim perlato de eius lenitate, clementiaque, propemodum omnes regni equites Zamam perueniunt ad Cæsarem, ab eoque sunt metu, periculoque liberati. Dum hæc vtrobique geruntur, Considius, qui Tisdræ cum familia sua, gladiatoria manu, Getulisque præerat, cognita cæde suorum, Domitiique & legionum aduentu perterritus, desperata salute, opidum deserit, seque clam cum paucis barbaris, pecunia onustus, subducit, atque in regnum fugere contendit. quem Getuli, sui comites, in itinere, prædæ cupidi, concidunt, seque in quascumque potuere partes conferunt. C. interim Virgilius, postquam terra, mariq. clausus, se nihil proficere intellexit, suosque interfectos, aut fugatos, M. Catonem Vticæ sibi ipsi manus intulisse, regem vagum, à suis desertum, ab omnibus aspernari, Saburá, eiusque copias ab Sitio esse deletas, Vticæ Cæsarem sine mora receptum, de tanto exercitu reliquias esse nullas, quæ sibi, suisque liberis prodessent, à Caninio Proconsule, qui eum obsidebat, fide accepta, seque, & sua omnia, & opidum Proconsuli tradit. rex interim Iuba, ab omnibus ciuitatibus exclusus, desperata salute, cũ iam conatus esset cum Petreio, vt per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant: atque firmior imbecilliorem

Iubã Petreium facilè ferro consumpsit) deinde ipse sibi cum conaretur gladio traiicere pectus, nec posset, precibus à seruo suo impetrauit, vt se interficeret, idque obtinuit. P. interim Sitius, pulso exercitu Saburæ, præfecti Iubæ, ipsoque interfecto, cum iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæsarem faceret, fortè incidit in Faustum, Afraniumque qui eam manum habebant, qua Vticam diripuerant, iterque in Hispaniam tendebant, & erant numero circiter ∞ D. itaque celeriter B nocturno tempore, insidiis dispositis, eos prima luce adortus, præter paucos equites, qui ex primo agmine fugerant, reliquos aut interficit, aut in deditionem accipit, Afranium, & Faustum viuos capit cum coniuge, & liberis. Paucis pòst diebus, dissentione in exercitu orta, Faustus, & Afranius interficiuntur. Pompeiæ cum Fausti liberis Cæsar incolumitatem, suaque omnia concessit. Scipio interim cum Damasippo, & Torquato, & Plætorio Rustiano nauibus longis diu, multúmque C iactati, cum Hispaniam peterent, ad Hipponem Regium deferuntur, vbi classis P. Sitii per id tempus erat, à qua pauciora ab amplioribus circumuecta nauigia deprimuntur. ibique Scipio cum iis, quos paullo antè nominaui, interiit. Cæsar interim, Zamæ auctione regia facta, bonisque eorum venditis, qui ciues Romani contra populum R. arma tulerant, præmiisque Zamensibus, qui de rege excludendo consilium ceperant, tributis, vectigalibusque regiis abrogatis, ex regnoque prouincia facta, atque ibi Crispo Sallustio populi Romani Proconsule cum imperio relicto, ipse Zama egressus Vticam se recepit. ibi bonis venditis eorum, qui sub Iuba Petreioque ordines duxerant, item Thapsitanis H-S xx. millia, conuentui eorum H-S xxx. millia, Adrumetanis H-S xxx. millia, conuentui eorum H-S L. millia, mulctæ nomine, imponit. Ciuitates, bonaque eorum ab omni iniuria, rapinisq. defendit. Leptitanos, quorum superioribus annis Iuba bona diripuerat, & ad Senatum E questi per legatos, atque arbitris à Senatu datis, sua receperant, xxx. centenis millibus pondo olei in annos singulos mulctat; ideo quod initio, per dissensionem principum, societatem cum Iuba inierant, eumque armis, militibus, pecunia iuuerant. Tisdritanos, propter humilitatem ciuitatis, certo numero frumenti mulctat. His rebus gestis, Idibus Iun. Vticæ classem conscendit, & post diem III. Caralis in Sardiniam peruenit. Ibi Sulcitanos, quòd Nasidium, eiusque classem F receperant, copiisque iuuerant, H-S c. millibus mulctat. & pro decumis, octauas pendere iubet: bonaque paucorum vendit: & ante diem III. Kal. Quinct. naues conscendit: & à Caralibus secundum terram prouectus, duodetrigesimo die, eo quòd tempestatibus in portubus cohibebatur, ad vrbem Romam venit.

A. HIRTII, *vel*, OPPII COMMENTARIORVM DE BELLO HISPANIENSI LIBER I.

PHARNACE superato, Africa recepta, qui ex iis prœliis cum adolescente Cn. Pompeio profugissent, cum & vlterioris Hispaniæ potitus esset, dum Cæsar muneribus dandis in Italia detinetur, quo facilius præsidia contrà compararet Pompeius, in fidem vniuscuiusque ciuitatis confugere cœpit. ita, partim precibus partim vi, bene magna comparata manu, prouinciã vastare cœpit. Quibus in rebus nonnullæ ciuitates sua sponte auxilia mittebant: item nonnullæ portas claudebant. ex quibus, si quã oppida vi ceperat, cum aliquis ex ea ciuitate optimè de Cn. Pompeio meritus ciuis esset, propter pecuniæ magnitudinem aliqua ei inferebatur caussa, vt, eo de medio sublato, ex eius pecunia latronum largitio fieret. ita paucis commodis hoste hortato, maiores augebantur copiæ. ideoque crebris nunciis in Italiam missis, ciuitates contrariæ Pompeio auxilia sibi depostulabant. C. Cæsar dictator III. designatus IV. multis itineribus antè confectis, cũ celeri festinatione ad bellum conficiendum in Hispaniam conuenisset, legati Cordubenses, qui à Cn. Pompeio discesserant, Cæsari obuiam veniunt: à quibus nũnciabatur, nocturno tempore oppidum Cordubam capi posse: quòd nec opinantibus aduersariis eius prouincia potitus esset: simulque, quòd tabellarij à Cn. Pompeio dispositi omnibus locis essent, qui certiorem Cn. Pompeium de Cæsaris aduentu facerent. Multa prætereà verisimilia proponebant. Quibus rebus adductus, quos legatos antè exercitui præfecerat, Quintum Pedium, & Quintum Fabium Maximum de suo aduentu facit certiores; vt, quem sibi equitatum ex prouincia fecissent, præsidio mitterent. ad quos celerius, quã ipsi opinati sunt, appropinquauit: atque vt ipse voluit, equitatum sibi præsidio habuit. Erat per idem tempus Sex. Pompeius frater, qui cum præsidio Cordubam tenebat, quod eius prouinciæ caput esse existimabatur: ipse autem Cn. Pompeius adolescens Vllam oppidum oppugnabat, & ferè iam aliquot mensibus ibi detinebatur. Quo ex oppido, cognito Cæsaris aduentu, legatis clam præsidia Cn. Pompeij, Cæsarem cum adissent, petere cœperunt, vt sibi primo quoque tempore subsidium mitteret. Cæsar eam ciuitatem omni tempore optimè de populo Romano meritam esse sciens, XI. cohortes secunda vigilia iubet proficisci, parique equitum numero: quibus præfecit hominem eius prouinciæ notum, & nõ parum scientem, L. Iulium Paciecum. Qui cum ad Cn. Pompeij præsidia venisset, incidit idem temporis, vt tempestate aduersa, vehementique vento afflictaretur. Qua vi tempestatis ita obscurabatur, vt vix proximum cognoscere posset. Cuius incommodum summam vtilitatem ipsis præbebat. Ita, cum ad locum venerunt, iubet binos equites incedere, & rectà per aduersariorum præsidia ad oppidum contendere. mediisque ex præsidiis cum quæreretur, qui essent, vnus ex nostris respondit; vt sileat verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, vt oppidum capiant, & partim tempestate impediti vigiles non poterant diligentiam præstare, partim illo responso deterrebantur. Cum ad portam appropinquassent, signo dato, ab oppidanis sunt recepti, & pedites, equitesque clamore facto, dispositis ibi partim, qui remanserũt, eruptionem in aduersariorum castra fecerunt. Sic illud cum inscientibus accidisset, existimabat magna pars hominum, qui in iis castris fuissent, se propè captos esse. Hoc misso ad Vllam præsidio, Cæsar, vt Pompeium ab ea oppugnatione deduceret, ad Cordubam contendit, ex quo itinere loricatos viros fortes cũ equitatu antè præmisit. qui simul in conspectum oppidi se dederunt in equis, recipiuntur. Hoc à Cordubensibus nequaquam poterat animaduerti. Appropinquantibus, ex oppido bene magna multitudo ad equitatum concidendum cum exisset, loricati, vt suprà scripsimus, ex equis descenderunt, & magnum prœlium fecerunt, sic, vt ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent. Hoc timore adductus Sex. Pompeius, literas fratri misit, vt celeriter sibi subsidio veniret, ne priùs Cæsar Cordubam caperet, quàm ipse illò venisset. Ita Cn. Pompeius Vlla propè capta, literis fratris excitus, cum copiis ad Cordubam iter facere cœpit. Cæsar, cum ad flumen Bætim venisset, neque propter altitudinem fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos demisit. ita, insuper ponte facto, copias ad castra tripartitò transduxit. Tenebant aduersus oppidum è regione pontis trabes, vt suprà scripsimus, bipartitò. Huc cum Pompeius cum suis copiis venisset, ex aduerso pari ratione castra ponit. Cæsar, vt eum ab oppido, commeatuque excluderet, brachium ad pontem ducere cœpit. Pari idem conditione Pompeius. Hic inter duces duos fit contentio, vter prius pontem occuparet. ex qua contentione quotidiana minuta prœlia fie-

bant, vt modò hi, modò illi superiores discederét. Quę res cùm ad maiorem contentionem venisset, ab vtrisque cōminus pugna iniqua, dū cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur, & fluminis ripis appropinquātes coangustati præcipitabantur. hîc alteri alteris non solum mortem morti exaggerabát, sed tumulos tumulis exequabant. ita diebus compluribus cupiebat Cęsar, si qua conditione posset aduersarios in æquum locum deducere, & primo quoque tempore de bello decernere. Cum animaduerteret aduersarios minimè velle, quos ideo à via retraxerat, vt in æquum deduceret, copijs flumé trāsductis, noctu iubet ignes fieri magnos. ita firmissimum eius præsidium Ateguam proficiscitur. Id cùm Pompeius ex perfugis rescisset, ea die per viarum angustias carra cōplura, multosque lanistas retraxit, & ad Cordubā se recepit. Cæsar munitionibus Ateguam oppugnare, & brachia circūducere cœpit. Cuius rei Pompeio cùm nuncius esset allatus, eo die proficiscitur. Cuius in aduentum, præsidij caussa, Cæsar complura castella occupauit, partim vbi equitatus, partim vbi pedestres copiæ in statione, & in excubitu castris præsidio esse possent. Hîc in aduentu Pompeij incidit, vt matutino tempore nebula esset crassissima. itaque in illa obscuratione cum aliquot cohortibus, & equitum turmis circūcludunt Cæsaris equites, & concidunt, sic, vt vix in ea cæde pauci effugerent. Insequenti nocte castra sua incendit Pompeius, & trans flumen Salsum per conualles castra inter duo opida, Ateguam, & Vcubim in monte constituit. Cæsar in munitionibus ceterisque quæ ad opidum oppugnandū opus fuerunt, aggerem, vineasque agere instituit. Hęc loca sunt mōtuosa, & natura edita ad rem militarē, quę planicie diuidūtur Salso flumine proximè tamen Ateguam, vt ad flumen sint circiter passuum duo millia. ex ea regione opidi in montibus castra habuit posita Pōpeius in conspectu vtrorumque opidorum, neque suis ausus est subsidio venire. Aquilas habuit, & signa XIII. legionū. sed, ex quibus aliquid firmamenti se existimabat habere, duæ fuerunt vernaculæ, quæ à Trebonio transfugerant, & vna facta ex colonis, quæ fuerūt in his regionib. quarta fuit Afraniana ex Africa, quam secum adduxerat. reliquæ ex fugitiuis auxiliares consistebant. nam, de leui armatura, & equitatu, longè & virtute, & numero nostri erant superiores. Accedebat huc, vt longius bellum duceret Pompeius, quòd loca sunt edita, & ad castrorum munitiones non parum idonea. nam ferè totius vlterioris Hispaniæ regio, propter terræ fecunditatem, inopem, difficilémque habet oppugnationem, & non minus copiosam aquationem. Hîc etiam propter Barbarorum crebras excursiones omnia loca, quæ sunt ab opidis remota, turribus & munitionibus retinentur, sicut in Africa, rudere, non tegulis, teguntur, simulque in his habent speculas, & propter altitudinem, longè, latèque prospiciunt. Item opidorum magna pars eius prouinciæ montibus ferè munita, & natura excellentibus locis est constituta, vt simul aditus, adscensusque habeat difficiles. ita ab oppugnationibus natura loci distinentur; vt ciuitates Hispaniæ non facilè ab hostibus capiantur: quod in hoc contigit bello. nam, vbi inter Ateguam, & Vcubim, quæ opida suprà sunt scripta, Pompeius habuit castra constituta, in cōnspectu duorum opidorum, ab suis castris

A circiter millia passuum IV. grumus est excellens natura, qui appellatur castra Postumiana. ibi præsidij caussa castellum Cæsar habuit constitutum. Pompeius, qui eodem iugo tegebatur, loci natura, & quod remotum erat à castris Cæsaris, animaduertebat loci difficultatē. &, quod flumine Salso intercludebatur, non esse permissurū Cęsarem, vt in tanta loci difficultate ad subsidium committendum se mitteret. Ista fretus opinione, tertia vigilia profectus, castellum oppugnare cœ- B pit, vt laborātibus succurreret. nostri, cùm appropinquassent, clamore repētino, telorumque multitudine iactus facere cœperūnt, vti magnam partem hominum vulneribus afficerent. Quo peracto, cùm ex castello repugnare cœpissent, & maioribus castris Cęsari nuncius esset allatus, cū III. legionibus est profectus. &, cùm ad eos appropinquasset, fuga perterriti multi sunt interfecti, cōplures capti: in quibus multi præterea armis exuti fugerunt, quorum scuta sunt relata LXXX. In- C sequenti luce Arguetius ex Italia cum equitatu venit. is signa Saguntinorum retulit V. quæ ab opidanis cepit. suo loco perscriptus est, quòd equites ex Italia cum Asprenate ad Cæsarem venissét. Ea nocte Pompeius castra incendit, & ad Cordubam versus iter facere cœpit. Rex, nomine Indo, qui cū equitatu suas copias adduxerat, dum cupidius agmen aduersariorū insequitur, à vernaculis legionariis exceptus est, & interfectus. Postero die equites nostri longius ad Cordubam versus D prosecuti sunt eos, qui commeatus ad castra Pōpeij ex opido portabant, ex iis capti L. cum iumentis, ad nostra adducti sunt castra. Eodem die Q. Marcius, Tribunus mil. qui fuisset Pompeij, ad nos transfugit. & noctis tertia vigilia in opido acerrimè pugnatum est, ignémque multum miserunt, sicut & omne genus, quibus ignis per iactus solitus est mitti. Hoc præterito tempore C. Fundanius, eques Romanus ex castris aduersariorum ad nos transfugit. Postero die ex legione vernacu- E la milites sunt capti ab equitibus nostris duo, qui dixerunt, se seruos esse. Cum venirent, cogniti sunt à militibus, qui antea cum Fabio, & Pedio fuerant, & à Trebonio transfugerant. His ad ignoscendum nulla est data facultas, & à militibus nostris interfecti sunt. Eodem tempore capti tabellarij, qui à Corduba ad Pompeium missi erant, perperamque ad castra nostra peruenerant, præcisis manibus missi sunt facti. Pari consuetudine vigilia secunda, ex opido ignem multum, telorumque multitudinem iactando, bene magnum F tempus consumpserunt, compluresque vulneribus affecerunt. Præterito noctis tempore, eruptionem in legionem sextam fecerunt, cum in opere nostri distenti essent, acriterque pugnare cœperūnt, quorum vis repressa à nostris, etsi opidani superiore loco defendebantur. L. cum eruptionē facere cœpissent, tamen virtute militum nostrorum, qui, etsi inferiore loco premebantur, tamen repulsi aduersarij bene multis vulneribus affecti G in opidum se contulerunt. Postero die Pompeius ex castris suis brachium cœpit ad flumen Salsum facere: & cum nostri equites pauci in statione fuissent à pluribus reperti, de statione sunt deiecti, & occisi tres. Eo die A. Valgius, senatoris filius, cuius frater in castris Pompeij fuisset, omnibus suis rebus relictis, equum conscendit, & fugit. Speculator de legione secunda Pōpeiana captus à militibus, & interfectus est. Per idem tēpus glans

missa

missa est inscripta, quo die ad opidū capiēdū accederent, sese scutū esse positurū. Qua spe nonnulli, dum sine periculo murum adscendere, & opidum potiri posse se sperarent, postero die ad murum opus facere cœperūt, & bene magna prioris muri pars deiecta est. quo facto, ab opidanis, ac si suarum partium essent, conseruati, missos facere loricatos: quique præsidij caussa præpositi opido à Pompeio essent, orabant. Quibus respondit Cæsar, se conditiones dare, non accipere, consueuisse. Qui cum in opidum reuersi essent, relato responso, clamore sublato, omni genere telorum emisso, pugnare pro muro toto cœperunt, propter quod ferè magna pars hominum, qui in castris nostris essent, non dubitarunt, quin irruptionem eo die essent facturi. ita, corona circumdata, pugnatum est aliquandiu vehementissimè. simulque balista missa à nostris turrem deiecit: qua aduersariorum, qui in ea turre fuerant, v. deiecti sunt, & puer, qui balistam solitus erat obseruare. Eo præterito tempore, Pompeius trans flumen Salsum castellum constituit, neque à nostris prohibitus: falsaque illa opinione gloriatus est, quòd propè in nostris partibus locum tenuisset. item insequenti die, eadem consuetudine, dum longius prosequitur, quo loco equites nostri stationem habuerant, aliquot turmæ cum leui armatura, impetu facto, loco sunt deiectæ, & propter paucitatem nostrorum equitum, simulque leui armatura inter turmas aduersariorum protritæ. Hoc in conspectu vtrorumque castrorum gerebatur: & maiore Pompeiani exsultabant gloria, longiùs quòd nostris cedentibus prosequi cœpissent. Qui cum aliquo loco à nostris recepti essent, vt consuessent, ex simili virtute clamore facto, aduersati sūt prœlium facere. Ferè apud exercitus hæc est equestris prœlij consuetudo, cùm eques ad dimicandum dimisso equo, cum pedite progreditur, nequaquam par habetur. id quod in hoc accidit certamine. Cum pedites ex leui armatura lecti ad pugnam equitibus nostris nec opinantibus venissent, idque in prœlio animaduersum esset, complures equites descenderunt. ita exiguo tempore eques pedestre, pedes equestre prœliū facere cœpit: vsque eò, vt cædem proximè à vallo fecerint. in quo prœlio aduersariorum ceciderunt cxxiii. compluresque armis exuti, multi vulneribus affecti in castra sunt redacti, nostri ceciderunt iii. saucij xii. pedites, & equites v. Eius diei insequēti tempore pristina consuetudine, pro muro pugnari cœptū est. Cum bene magnam multitudinem telorum ignemque nostris defendētibus iniecissent, nefandum, crudelissimumque facinus sunt aggressi, in conspectuque nostro hospites, qui in opido erant, iugulare, & de muro præcipites mittere, cœperunt, sicut apud Barbaros: quod post hominum memoriam nunquam est factum. Huius diei extremo tempore à Pompeianis clàm ad nostros tabellarius est missus, vt ea nocte turres, aggeremque incenderent, & iii. vigilia eruptionem facerēt. ita igne telorumque multitudine iacta, cum bene magnam partē muri consumpsissent, portam, quæ è regione, & in conspectu Pompeij castrorum fuerat, aperuerunt, copiæque totæ eruptionem fecerunt, secumque extulerunt calcatas ad fossas complendas, & harpagones ad casas, quæ stramentis ab nostris, hibernorū caussa, ædificatæ erant, diruendas, & incendēdas: præterea argentum, & vestimenta, vt dum nostri in præ-

A da detinerentur, illi cæde facta ad præsidia Pompeij se reciperent. nam, quòd existimabat eos posse conatum efficere, nocte tota vltra ibat flumen Salsum in acie. Quod factum licet nec opinātibus nostris esset gestum, tamē virtute freti repulsos multisque vulneribus affectos, opido represserunt, prædaque, & armis eorum sunt potiti, viuosque aliquos ceperunt, qui postero sunt interfecti die. Eodemque tempore transfuga nunciauit ex opido, Iunium, qui in cuniculo fuisset, iu- B gulatione opidanorum facta, clamasse facinus se nefandum & scelus fecisse: nam eos nihil meruisse, quare tali pœna afficerentur, qui eos ad aras, & focos suos recepissent, eosque hospitium scelere contaminasse, multa præterea dixisse: qua oratione deterritos amplius iugulationem non fecisse. Ita postero die Tullius legatus cum Catone Lusitano venit, & apud Cæsarem verba fecit: Vtinam quidem dij immortales fecissent, tuus potius miles, quam Cn. Pompeij, factus essem, & hanc vir- C tutis constantiam in tua victoria, non in illius calamitate, præstarem: cuius funestæ laudes, quippe ad hanc fortunam reciderunt, vt ciues R. indigentes præsidij, & propter patriæ luctuosam perniciem dedamur hostium numero: qui neque in illius prospera acie primam fortunam, neque in aduersa secundam obtinuimus victoriam: qui legionum tot impetus sustentantes, nocturnis, diurnisque operibus gladiorum ictus, telorumq. missus exspectantes, victi, & deserti à Pompeio, tua D virtute superati salutem à tua clementia deposcimus, petimusque, vt, qualem te gentibus præstitisti, similem in ciuium deditione præstes. Remissis legatis, cum ad portam venisset Ti. Tullius, cum eum introeuntem C. Antonius insecutus non esset, reuersus est portam, & hominem apprehendit. Quod Tiberius cum fieri animaduertit, simulque pugionem eduxisset, manum eius incidit. Ita refugerunt ad Cæsarem. Eodemque tempore signifer de legione prima transfugit, & E nunciauit, quo die equestre prœlium factum esset, suo signo perisse homines xxxv. neque licere castris Cn. Pompeij nunciari, neque dici perisse quemquam. Seruus, cuius dominus in Cæsaris castris fuisset, vxorémque, & filium in opido reliquerat, dominum iugulauit, & ita clàm à Cæsaris præsidiis in Pompeij castra discessit, & indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Cæsar, quæ in opido ad defendendum compararentur. Ita, literis acceptis, cum in opi- F dum reuersi essent, qui mittere glandem scriptam solebant, insequenti tempore duo Lusitani fratres transfugæ nunciarunt, quam Pompeius concionem habuisset: quoniam opido subsidio non posset venire, noctu ex aduersariorum conspectu se deducerent ad mare versum: vnum respondisse, vt potius ad dimicandum descenderent, quàm signum fugæ ostenderent, tum qui ita locutus esset, iugulatum. Eodem tēpore tabellarij eius deprehensi, qui ad opidum veniebant, quorum lite- G ras Cæsar opidanis obiecit, & qui vitam sibi peteret, iussit turrem ligneam opidanorum incēderet: id si fecisset, ei se promisit omnia concessurum. quod difficile erat factu, vt eam turrem sine periculo quis incenderet. ita facturus de ligno cum propiùs accessisset, ab opidanis est occisus. Eadem nocte transfuga nunciauit, Pompeium, & Labienum de iugulatione opidanorum indignatos esse. Vigilia secunda propter multitudinem te-

lorum turris lignea, quæ nostra fuisset, ab imo vitium fecit, usque ad tabulatum secundum & tertium. Eodem tempore pro muro pugnatum acerrimè, & turrim nostram, vt superiorem, incenderunt: idcirco, quòd ventum opidani secundum habuerunt. Insequenti luce materfamilias de muro se deiecit, & ad nos transiliit, dixitque se cum familia constitutum habuisse, vt vnà transfugerent ad Cæsarem, illam oppressam, & iugulatam. Hoc præterea tempore tabellæ de muro B sunt deiectæ, in quibus scriptum est inuentum: L. Munatius Cæsari: Si mihi vitam tribuis, quoniam à Cn. Pompeio sum desertus, qualem me illi præstiti, tali virtute, & constantia futurum me in te esse præstabo. Eodem tempore opidanorum legati, qui ante exierant, Cæsarem adierunt, si sibi vitam concederet, sese insequenti die opidum esse dedituros. Quibus respondit, se Cæsarem esse, fidemque præstaturum. ita, ante diem XI. Kalendarum Martij opido potitus. Imperator est appellatus. Et Pompeius ex perfugis, cum dedi- C tionem opidi factam esse scisset, castra mouit Vcubim versus, sed circum ea loca castella disposuit, & munitionibus se contineri cœpit. Cæsar mouit, & propius castra castris contulit. Eodem tempore manè loricatus vnus ex legione vernacula ad nos transfugit, & nunc auit, Pompeium opidanos Vcubenses conuocasse, eisque imperauisse, vt diligentia adhibita, perquirerent, qui essent suarum partium, itemque aduersariorum victoriæ fautores. Hoc præterito tépore, in opido, D quod fuit captum, seruus est prehensus in cuniculo, quem supra demonstrauimus dominum iugulasse. is viuus est combustus. Eodémque tempore Centuriones loricati IIX. ad Cæsarem transfugerunt ex legione vernacula, & equites nostri cum aduersariorum equitibus congressi sunt; & saucij aliquot occiderunt ex leui armatura. Ea nocte speculatores prehensi serui III. & vnus ex legione vernacula. Serui sunt in crucem sublati, militibus ceruices abscissæ. Postero die equites, E cum leui armatura ex aduersariorum castris ad nos transfugerunt. Eo tempore circiter XI. equites ad aquatores nostros excurrerunt, nonnullos interfecerunt, item alios viuos abduxerunt. Ex equitibus capti sunt equites IIX. Insequenti die Pompeius securi percussit homines LXXIV. qui dicebantur esse fautores Cæsaris victoriæ, reliquos in opidum iussit deduci, ex quibus effugerunt CXX. & ad Cæsarem venerunt. Hoc præterito tempore, qui in opido Ategua Bursauolenses capti sunt, legati profecti sunt cum no- F stris vti rem gestam Bursauolensibus referrent, quid sperarent de Cn. Pompeio, cum viderent, hospites iugulari: præterea multa scelera ab iis fieri, qui præsidij caussa ab his reciperentur. Qui cum ad opidum venissent, nostri, qui fuissent equites Romani & Senatores, non sunt ausi introire in opidum, præter quàm qui eius ciuitatis fuissent. Quorum responsis vltro, citroque acceptis, & redditis, cum ad nostros se reciperent, qui extra opidum fuissent, illi de præsidio G insecuti, ex auersione legatos iugularunt. duo reliqui qui ex eis fugerunt, Cæsari rem gestam detulerunt, & speculatores ad opidum Ateguam miserunt. Qui cum certum comperissent legatorum responsa, ita esse gesta, quemadmodum illi retulissent, ab opidanis concursu facto, eum, qui legatos iugulasset, lapidare, & ei manus intentare cœperunt, illius opera se periisse. ita, vix periculo liberatus, petiit ab opidanis, vt ei liceret legatum ad Cæsarem proficisci: illi se satisfacturum. Potestate data, cum inde esset profectus præsidio comparato, cum bene magnam manum fecisset, & nocturno tempore per fallaciam in opidum esset receptus, iugulationem magnam facit. Principibus, qui sibi contrarij fuissent interfectis, in opidum in suam potestatem recepit. Hoc præterito tempore, serui trans- B fugæ nunciauerunt, opidanorum bona vendere, ne cui extra vallum liceret exire, nisi discinctum. Idcircó, quòd ex quo die opidum Ategua esset captum, metu conterritos complures profugere in Bethuriam, neque sibi vllam spem victoriæ propositam habere, vt si quis ex nostris transfugerit, in leuem armaturam conijci, eumque non amplius XVI. accipere. Insequenti tempore Cæsar castris castra contulit, & brachium ad flumen Salsum ducere cœpit. Hic dum in opere nostri distenti essent, complures ex supe- C riore loco aduersariorum decurrerunt. nec detinentibus nostris, multis telis iniectis, complures vulneribus affecere. hîc tamen, vt ait Ennius, nostri cessere parumper. Itaque, præter consuetudinem, cum à nostris animaduersum esset cedere Centuriones, ex legione V. flumen transgredi duo, restituerunt aciem, acriterque eximia virtute plures, cum agerent, ex superiore loco multitudine telorum alter eorum concidit. ita, cum is compar prœlium facere cœpis- D set, & cum vndique se circumueniri animaduertisset, parumper ingressus, pedem offendit. Huius concidentis viri casu passim audito, cum complures aduersariorum concursum facerent, equites nostri transgressi interiore loco ad eosdem aduersarios ad vallum agere cœperunt. Ita, dum cupidius intra præsidia illorum student cædem facere, à turmis, & leui armatura sunt interclusi. Quorum nisi summa virtus fuisset, viui capti fuissent. nam & munitione præsidij ita coangusta- E bantur, vt equites spatio intercluso vix se defendere possent. Ex vtroque genere pugnæ complures sunt vulneribus affecti, in quibus etiam Clodius Aquitius, inter quos ita cominus est pugnatum, vt ex nostris, præter II. Centuriones, sit nemo desideratus, gloria se efferentes. Postero die ab Soricaria vtræque conuenere copiæ. Nostri brachia ducere cœperunt. Pompeius, cùm animaduerteret, castello se excludi Aspauia. quod ad Vcubi millia passuum V. distat, hæc res necessariò vocabat, vt ad dimicandum descenderet. F neque tamen æquo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo excelsum tumulum capiebat vsque eò, vt necessariò cogeretur iniquum locum subire. Quo facto, cùm vtrorumque copiæ tumulum excellentem petissent, prohibiti à nostris sunt, deiectique planicie. Quæ res secundum nostris efficiebat prœlium, vndique autem cedentibus aduersariis, nostri magna in cæde versabantur, quibus mons, non virtus, saluti fuit: qui subitò G tunc, nisi aduesperasset, à paucioribus nostris omni auxilio priuati essent. nam ceciderunt ex leui armatura CCCXXIV. ex legionariis CXXXIIX. præterquam quorum arma & spolia sunt ablata. Ita prid. II. Centurionum internecio hac aduersariorum pœna est litata. Insequenti die pari consuetudine, cum ad eundem locum eius præsidium venisset, pristino illo suo vtebantur instituto

tuto. Nam præter equites nullo loco æquo ſe committere audebant. cum noſtri in opere eſſent, equitum copiæ concurſus facere cœperunt. ſimulque vociferantibus legionariis, cum locum efflagitarent, vt conſueti inſequi exiſtimare poſſent, ſe paratiſſimos eſſe ad dimicandum, noſtri ex humili conualle bene longè ſunt egreſſi, & planicie in æquiore loco conſtiterunt. Illi tamen proculdubio ad cõgrediendum in æquum locum non ſunt auſi deſcendere, præter vnum Antiſtium Turpionem, qui fidens viribus, ex aduerſariis ſibi parem eſſe neminem cogitare cœpit. hic, vt fertur, Achillis, Memnoniſque congreſſus. Q. Pompeius Niger, eques Romanus Italicenſis, ex acie noſtra cõgrediendum progreſſus eſt, quoniam ferocitas Antiſtij omnium mentes conuerterat ab opere ad ſpectandum, acies ſunt diſpoſitæ. nam inter bellatores, principeſque dubia erat poſita victoria, vt propè videretur finem bellandi duorum dirimere pugna. ita auidi, cupidique ſuarum quiſque partium, expertorum virorum, fautorumque voluntas habebatur. Quorum virtute alacri cum ad dimicandum in planiciem ſe contuliſſent, ſcutorumque laudis inſignis præfulgens opus cælatum quorum pugna eſſet prope profectò diremta, niſi propter equitum conceſſum vt ſuprà demonſtrauimus, leuis armatura præſidij cauſſa non longè ab opere caſtrorũ conſtitiſſet, vt noſtros equites in receptu, dum ad caſtra redeunt, aduerſarij cupidius ſunt inſecuti. vniuerſi clamore facto impetum dederunt. Ita, metu perterriti, cum in fuga eſſent, multis amiſſis in caſtra ſe recipiunt. Cæſar ob virtutem turmæ Caſſianæ donauit millia xiii. & Præfecto torques aureos v. & leui armaturæ millia x. Hoc die A. Bæbius, & C. Flauius, & A. Trebellius, equites Romani Aſtenſes, argento propè tecti equites ad Cæſarem transfugerunt, qui nunciauerunt, equites Romanos coniuraſſe omnes, qui in caſtris Pompeij eſſent, vt tranſitionem facerent, ſerui indicio omnes in cuſtodiam eſſe coniectos, è quibus occaſione capta ſe transfugiſſe. Item hoc die literæ ſunt deprehenſæ, quas mittebat Vrſaonem Cn. Pompeius, S. V. G. E. V. Etſi, prout noſtra felicitas, ex ſententia aduerſarios adhuc propulſos habemus, tamen, ſi æquo loco ſui poteſtatem facerent, celerius, quàm veſtra opinio eſt, bellum confeciſſem. Sed exercitum tironum non audent in campum deducere, noſtriſque adhuc freti præſidiis, bellum ducunt: nam ſingulas ciuitates circumſident, inde ſibi commeatus capiunt. Quare & ciuitates noſtrarum partium conſeruabo, & bellum primo quoque tempore conficiam. Cohortes animo habeo ad vos mittere. Profecto noſtro commeatu priuati neceſſariò ad dimicandum deſcendent. Inſequenti tempore cum noſtri temere in opere diſtenti eſſent, equites in oliueto, dum lignantur, interfecti ſunt aliquot. Serui transfugerunt, qui nunciauerunt ad iii. Nonarum Martij prœlium affore ad Soritiam, quod factum eſt, ex eo tempore metum eſſe magnum, & Attium Varum circum caſtella præeſſe. Eo die Pompeius caſtra mouit, & circa Hiſpalim in oliueto conſtitit. Cæſar prius, quam eòdem eſt profectus, luna hora circiter vi. viſa eſt. ita caſtris motis Vcubim præſidium, quod Pompeius reliquit, iuſsit, vt incenderent, & deuſto opido in caſtra maiora ſe reciperent.

A Inſequenti tempore Ventiſponte opidum cũ oppugnare cœpiſſet, deditione facta, iter fecit in Carrucam, contraque Pompeium caſtra poſuit. Pompeius opidum, quòd contra ſua præſidia portas clauſiſſet, incendit: miléſque, qui fratrẽ ſuum in caſtris iugulaſſet, interceptus eſt à noſtris, & fuſte percuſſus. Hinc itinere facto, in campum Mundenſem cum eſſet ventum, caſtra contra Pompeium conſtituit. Sequenti die cum iter facere Cæſar cum copiis vellet, renunciatum eſt B ab ſpeculatoribus, Pompeium de iii. vigilia in acie ſtetiſſe. Hoc nuncio allato, vexillum propoſuit. Ieccirco enim copias eduxerat, quòd Vrſaonenſium ciuitati fuiſſent fautores, antea literas miſerat, Cæſarem nolle in conuallem deſcendere, quòd maiorem partem exercitus tironum haberet. Hæ literæ vehementer confirmabant mentes opidanorum. Ita, hac opinione fretus, totum ſe facere poſſe exiſtimabat. Etenim & natura loci defendebatur, & ipſius opidi munitione, vbi ca- C ſtra habuit conſtituta. Namque, vt ſuperius demonſtrauimus, loca excellentia tumulis contineri, interuallum prouinciam diuidit. Sed ratione nulla placuit taceri id, quod eo incidit tempore. Planicies inter vtraque caſtra intercedebat, circiter millia paſſuum v. vt auxilia Pompeij duabus defenderentur rebus, opidi excelſi, & loci naturâ. Hinc proxima planicies æquabatur, cuius decurſum antecedebat riuus, qui ad eorũ acceſſũ ſummam efficiebat loci iniquitatem. Nam, paluſtri, D & voraginoſo ſolo currebat ad dextram partem: & Cæſar, cùm aciem directam vidiſſet, non habuit dubium, quin media planicie in æquum ad dimicandum aduerſarij procederent. hoc erat in omnium conſpectu. Huc accedebat, vt locus, illa planicie equitatum ornaret, & diei, ſoliſque ſerenitas, vt mirificum, & optandum tempus propè ab dijs immortalibus illud tributum eſſet ad prœlium committendum. Noſtri lætari, nonnulli etiam timere, quòd in eum locum res, for- E tunæque omnium deducerentur, vt, quidquid poſt horam caſtris fieret, in dubio poneretur. Itaque noſtri ad dimicandum procedunt, id quod aduerſarios exiſtimabamus eſſe facturos. Qui tamen à munitione opidi ∞ paſſibus longius non audebant procedere, in quo ſibi propè murum aduerſarij cõſtituebant. Itaque noſtri procedunt, interdum æquitas loci aduerſarios efflagitabat, vt tali conditione contenderent ad victoriam. Neque tamen illi à ſua conſuetudine diſcedebant, vt F aut ab excelſo loco, aut ab opido diſcederent. Noſtri pede preſſo propius riuum cùm appropinquaſſent, aduerſarij patrocinari loco iniquo non deſinunt. Erat acies xiii. aquilis conſtituta, quæ lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus vi. Præterea auxiliares accedebant propè alterum tantum. Noſtra præſidia lxxx. cohortibus, & iix. millibus quintum. Ita, cum in extrema planicie iniquum in locum noſtri appropinquaſſent, paratus hoſtis erat ſuperior, vt tranſeundi ſuperius iter G vehementer eſſet periculoſum. Quod cum à Cæſare eſſet animaduerſum, nequid temere culpa ſua ſecus admitteretur, eum locum definire cœpit. Quod cum hominum auribus eſſet obiectum, moleſtè, & acerbè accipiebant, ſe impediri quominus prœlium conficere poſſent. Hæc mora aduerſarios alacriores efficiebat; Cæſaris

copias timore impediti ad committendum prœlium. Ita se offerentes iniquo loco sui potestatem faciebant, vt magno tamen periculo accessus eorum haberetur. Hîc decumani suum locum cornu dextrum tenebant, sinistrum III. & V. legio, itémque cetera auxilia, & equitatus. Prœlium, clamore facto, committitur. Hîc etsi virtute nostri antecedebant, aduersarij loco superiore defendebantur acerrimè, & vehemens fiebat ab vtrisque clamor, telorumque missus concursus. sic, vt propè nostri diffiderent victoriæ; congressus enim, & clamor, quibus rebus maximè hostes conterrentur, in collatu pari erant conditione. Itaque ex vtroque genere pugnæ, cum parem virtutem ad bellandum contulissent, pilorum missu fixa comulatur, & concidit aduersariorum multitudo. dextrum demonstrauimus decumanos cornu tenuisse, qui, etsi erant pauci, tamen propter virtutem, magno aduersarios timore eorum opera afficiebant: quod suo loco hostes vehementer premere cœperunt, vt ad subsidium, ne ab latere nostri occuparentur, legio aduersariorum transduci cœpta sit ad dextrum. Quæ simul est mota, equitatus Cæsaris sinistrum cornu premere cœpit: at ij eximia virtute prœlium facere incipiunt, vt locus in acie ad subsidium veniendi non daretur. Ita cum clamori esset intermistus gemitus, gladiorumque crepitus auribus oblatus, imperitorū mentes timore præpediebat. Hic, vt ait Ennius, Pes pede premitur, armis teruntur arma, aduersariosque vehementissimè pugnantes nostri agere cœperunt. quibus opidū fuit subsidio, ita ipsis Liberalibus fusi, fugatique non superfuissent, nisi in eum locum confugissent, ex quo erant egressi. in quo prœlio ceciderunt millia hominum circiter XXX. & si quid amplius, præterea Labienus, Atius Varus: quibus occisis vtrisque funus est factum: itemque equites Romani partim ex vrbe, partim ex prouincia ad millia III. Nostri desiderati ad hominum ∞, partim peditum, partim equitum: saucij ad D. Aduersariorum aquilæ sunt ablatæ XIII. & signa, & fasces. Præterea duces belli XVII. capti sunt. Hos habuit res exitus. Ex fuga hac cum opidum Mundam sibi constituissent præsidium, nostri cogebantur necessariò eos circumuallare. Ex hostium armis, pro cespite cadauera collocabantur, scuta, & pila pro vallo, insuper occisi, & gladij, & mucrones, capita hominum ordinata, ad opidum conuersa vniuersa, hostium timorem, virtutisque insignia proposita viderent, & vallo circumcluderentur aduersarij. ita Galli tragulis, iaculisq. opidum ex hostium cadaueribus sunt cōplexi, oppugnare cœperunt. Ex hoc prœlio Valerius adolescens, Cordubam cum paucis equitibus fugiens, Sex. Pompeio, qui Cordubæ fuisset, rem gestam refert. Cognito hoc negotio, quos equites, quod pecuniæ secum habuit, eis distribuit, & opidanis dixit, se de pace ad Cæsarem proficisci, & secunda vigilia ab opido discessit. Cn. Pompeius autem cum equitibus paucis, nōnullisque peditibus ad nauale præsidium parte altera contendit Carteiam. quod opidum abest à Corduba millia passuum CLXX. Quò cum ad octauum miliarium venisset, P. Caluicius, qui castris antea Pompeij præpositus esset, eius verbis nuncium mittit, cùm minus bellè haberet, vt mitteret lecticam, qua in opidum deferri posset. Literis missis, Pompeius Carteiam defertur. Qui illarum partium fautores essent, conueniunt in domum, quò erat delatus: qui arbitrati sunt clanculum venisse, vt ab eo, quæ vellent, de bello requirerent. Cum frequentia conuenisset, de lectica Pompeius eorum in fidem confugit. Cæsar ex prœlio munitione circumdata Cordubam venit: qui ex cæde eò refugerant, pontem occupauerunt. Cùm eò esset ventum conuiciari cœperunt, nos ex prœlio paucos superesse, quò confugeremus? Ita pugnare cœperunt de ponte. Cæsar flumen transiecit, & castra posuit. Scapula, totius seditionis familiæ, & libertinorum caput, ex prœlio Cordubam cum venisset, familiam, & libertos conuocauit. Pyram sibi extruxit, cœnam afferri quàm opimam imperauit, item, optimis insternendam vestimentis, pecuniam & argentum in præsentia familiæ donauit. Ipse de tempore cœnauit, vinum, & nardum identidem sibi infundit. Ita nouissimo tempore seruum iussit, & libertum, qui fuisset eius concubinus, alterum se iugulare, alterum pyram incendere. Opidani autem, simul Cæsar castra contra id opidum posuit, discordare cœperunt, vsque eò, vt clamor in castra nostra perueniret, quæ ferè inter Cæsarianos & inter Pompeianos erant. Hîc legiones, quæ ex perfugis conscriptæ, partim opidanorū serui, qui erant à Sexto Pomp. manumissi, tunc in Cæsaris aduentum descendere cœperunt. Legio XIII. opidum defendere cœpit: nam cum iam repugnarent, turres ex parte & murum occuparunt. Denuo legatos ad Cæsarem mittunt, vt sibi legiones subsidio intromitteret. Hoc cum animaduerterent homines fugitiui, opidum incendere cœperunt. Qui superati à nostris sunt, & interfecti hominum millia XXII. præterquam extrà murum qui perierunt. Ita Cæsar, opido potitus, dum hîc detinetur ex prœlio, quos circummunitos superius demonstrauimus, eruptionem fecerunt. & bene multis interfectis, in opidum sunt redacti. Cæsar Hispalim cum contendisset, legati deprecatum venerunt. Ita cum opidum sese tueri dixisset, Caninium legatum cum præsidio intromittit. Ipse castra ad opidum ponit. Erat bene magnum intra Pompeianas partes præsidium, quod Cæsaris præsidium receptum indignabatur, clam quendam Philonem, illum, qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus. Is tota Lusitania notissimus erat. Hic, clàm præsidia in Lusitaniam proficiscitur, & Cæcilium Nigrum, nomine Barbarum, ad Lenium conuenit, qui bene magnam manum Lusitanorum haberet. Rursus in Hispalim opidum denuo noctu per murum recipitur, præsidium, vigiles iugulant. Portas præcludunt, de integro pugnare cœperunt. Dū hæc geruntur, legati Carteienses renūciarunt, quòd Pompeiū in potestate haberent, quòd antè Cæsari portas præclusissent, illo beneficio suū maleficiū existimabāt se lucrifacere. Lusitani Hispalim oppugnare nullo tēpore desistebāt. Quod Cæsar cum animaduerteret, si opidū capere contenderet, vt homines perditi incenderent, & mœnia delerent. Ita cōsilio habito noctu, patitur Lusitano eruptionē facere, id quod cōsiliū non existimabāt fieri. ita, irrūpendo naues, quæ ad Betim flumen fuissent, incendunt. Nostri dum incendio detinentur, illi profugiunt, & ab equitibus conciduntur. Quo facto, opido recuperato Astam iter facere cœpit. ex qua ciuitate legati ad deditionē venerū:, Mundensesque, qui ex prœlio in opidum con-

fugerant

fugerat, cum diutius circumcideretur, bene multi
deditionem faciunt, & cum essent in legione di-
stributi, coniurant inter se, vt noctu signo dato,
qui in opido fuissent, eruptionem facerent: illi
cædem in castris administrarent. Hac re cognita,
insequenti nocte, vigilia tertia, tessera data, extra
vallũ omnes sunt concisi Mundenses duces. Cæ-
sar in itinere reliqua opida oppugnat, quæ pro-
pter Pompeium dissentire cœperat: pars erat, quæ
legatos ad Cæsarem miserat, pars, qui Pompeia-
narum partium essent fautores. Seditione conci-
tata, portas occupant, cædes fit magna, saucius
Pompeius naues xxx. occupat longas, & profugit
Didius, qui Gadis classi præfuisset, ad quem simul
nuncius allatus est, confestim sequi cœpit, partim
peditatibus, & equitatibus ad persequendum ce-
leriter iter faciens. Item iv. die nauigatione con-
fecta, insequuntur, qui imparati à Carteia profecti
sine aqua fuissent, ad terram applicant. Dum a-
quantur, Didius classe occurrit, naues incendit,
nonnullas capit. Pompeius cum paucis profugit,
& locum quendam munitum natura occupat. E-
quites & cohortes, quæ ad persequendum missæ
essent, speculatoribus ante missis certiores fiunt,
diem & noctem iter faciũt. Pompeius humero &
sinistro crure vehementer erat saucius. Huc acce-
debat, vt etiam talum intorsisset: quæ res maximè
impediebat. Ita lectica à turre, qua esset allatus, in
ea ferebatur. Lusitanus more militari, cùm à Cæ-
saris præsidio fuisset conspectus, celeriter equita-
tu cohortibusq. circumcluditur. Erat accessus loci
difficultas. Nam idcirco, quòd propter suos à no-
stro præsidio fuisset conspectus, celeriter munitũ
locum natura ceperat sibi Pōpeius, quem vix ma-
gna multitudine deducti homines ex superiore
loco defendere possent. Subeunt in aduentu no-
stri, depellũtur telis. Quibus cedentibus, cupidius
insequebantur aduersarij, & confestim tardebant
ab accessu. Hoc sæpius facto, animaduertebatur,
nostro magno id fieri periculo. Opere circummu-
nire instituit, pari autẽ & celeri festinatione cir-
cum munitiones in iugo dirigunt, vt æquo pede
cũ aduersariis congredi possent. A quib. cùm ani-
maduersum esset, fuga sibi præsidiũ capiunt. Pō-
peius, vt suprà demonstrauimus, saucius, & intor-
to talo, idcirco tardabatur ad fugiendum. Itemq.
propter loci difficultatem, neq. equo, neq. vehicu-
lo saluti suæ præsidium parare poterat. Cædes à
nostris vndiq. administrabatur, exclusa munitio-
ne, amissisque auxiliis. Ad conuallem autem atq.
exesum locum in spelunca Pompeius se occulta-
re cœpit, vt à nostris non facilè inueniretur, nisi
captiuorum indicio. Ita ibi interficitur. Cùm Cæ-
sar gradiebatur Hispalim, pridie Id. Apri. caput al-
latum, & populo datum est in conspectum. Inter-
fecto Cn. Pompeio adolescente, Didius, quem su-
prà demonstrauimus, illa affectus lætitia, proximo
se recepit castello, nonnullasq. naues ad reficien-
dum subduxit. Lusitani, qui ex pugna superfue-
runt, ad signum se receperunt, & bene magna ma-
nu comparata, ad Didium se reportant. Huic etsi
non aberat diligentia ad naues tuendas, tamen
nonnunquam ex castello propter eorum crebras
excursiones, eiiciebatur. & sic propè quotidianis
pugnis insidias ponunt, & tripartitò signa distri-
buunt. erant parati, qui naues incenderent, incen-
sisq. qui subsidiũ repellerent. ij sic dispositi erant,
vt à nonnullo conspectu omnium ad pugnam cõ-
tenderent. Ita, cum ex castello Didius ad propel-
A lendum processisset cum copiis, signum à Lusita-
nis tollitur, naues incenduntur, simul [illegible] in
castello ad pugnam processerant. eodem signo fu-
gientes latrones dum persequuntur, à tergo insi-
diæ clamore sublato circumueniunt. Didius ma-
gna cum virtute cum compluribus interficitur,
nonnulli ea pugna scaphas, quæ ad litus fuerant,
occupant. item complures nando, ad naues, quæ
in salo fuerunt, se recipiunt. Anchoris sublatis, pe-
lagus remis petere cœperunt. Quæ res eorum vitę
B subsidio fuit. Lusitani præda potiuntur. Cæsar Ga-
dibus rursus ad Hispalim recurrit. Fabius Maxi-
mus, quem ipse ad præsidium oppugnandum re-
liquerat, operibus assiduis, hostesque circum sese
interclusi, inter se decernere, facta cæde bene ma-
gna, eruptionem faciunt. Nostri ad opidum recu-
perandum occasionem non prætermittunt, & re-
liquos viuos capiunt, ac deinde Vrsaonem profi-
ciscuntur, quod opidum magna munitione conti-
nebatur, sic vt ipse locus non solùm opere, sed et-
C iam natura editus, ad oppugnandum hostem ap-
peteret. Huc acciderat, quòd aqua prætérquam in
ipso opido, non erat: nam circum circa titias nus-
quam reperiebatur propius millia passuum iix.
Quæ res, magno erat adiumento opidanis. Tum
præterea accedebat, vt agger, materiesq. vnde soli-
tæ sunt turres agi, propius millia passuum vi. non
reperiebatur. Ac Pompeius, vt opidi oppugnatio-
nem tutiorem efficeret, omnem materiem circũ
opidum succisam intro congessit. Ita necessariò
D deducebantur nostri, vt à Munda, quam proximè
ceperant, materiem illò deportarent. Dum hæc ad
Mundam geruntur, & Vrsaonem, Cęsar, cùm à Ga-
dibus ad Hispalim se recepisset, insequenti die,
concione aduocata, commemorat, Initio quæstu-
ræ suæ eam prouinciam ex omnibus prouinciis
peculiarem sibi constituisse, &, quæ potuisset, eo
tempore beneficia largitum esse. Insequenti præ-
tura ampliato honore, vectigalia quæ Metellus
imposuisset, à Senatu petisse, & eis pecuniis pro-
uinciam liberasse: simulque patrocinio suscepto,
E multis legibus ab se in Senatum inductis, simul
publicas, priuatasque caussas, multorum inimici-
tiis susceptis defendisse: suo item in consulatu ab-
sentem, quæ potuisset commoda prouinciæ tri-
buisse: eorum commodorum esse & immemores
& ingratos in se, & in populum Rom. hoc bello,
& in præterito tempore cognosce. Vos iure gen-
tium, inquit, & ciuium R. institutis cognitis, mo-
re barbarorum populi R. Magistratibus sacrosan-
ctis manus sæpe & sæpius attulistis, & luce clara
F Cassium in medio foro nefariè interficere voluí-
stis. Vos ita pacem semper odistis, vt nullo tempo-
re legiones desint populi R. in hac prouincia ha-
beri, apud vos beneficia pro maleficiis, maleficia
pro beneficiis habentur. Ita neq. in otio concor-
diam, neque in bello virtutem vllo tempore reti-
nere potuistis. Priuatus ex fuga Cn. Pōpeius ado-
lescens à vobis receptus, Fasces, imperiumq. sibi
arripuit. Multis interfectis ciuibus, auxilia con-
tra populum Ro. comparauit: agros, vestramque
G prouinciam vestro impulsu depopulauit. In quos
vos victores existimabatis? An me deleto non a-
nimaduertebatis, x. habere legiones populum Ro.
quæ non solùm vobis obsistere, sed etiam cælum
diruere possent: quorum laudibus & virtute.

Desunt nonnulla.

C. IVLII CAESARIS EPISTOL. FRAGMENTA
EX LIBRO EPISTOLAR. AD M. T. C.

Cæsar Imper. S. D. Ciceroni Imper.



CVM Furnium nostrum tantùm vidissem, neque loqui, neque audire me commodè potuissem, cùm properarem, atque essem in itinere, præmissis iam legionibus: præterire tamen nõ potui, quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gratiasque agerem: etsi hoc officium & feci sæpe, & sæpius mihi facturus videor: ita de me mereris. imprimis à te peto, quoniam confido me celeriter ad vrbem venturum, vt te ibi videam, vt tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum vti possim. ad propositum reuertar: festinationi meæ, breuitatique literarum ignosces. reliqua ex Furnio cognosces. Vale.

Cæsar Imp. Ciceroni Imp. S.

RECTE augurâris de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil à me abesse longius crudelitate. atque ego cùm ex ipsa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho & gaudeo. neque illud me mouet, quòd ij, qui à me dimissi sunt, discessisse dicuntur, vt mihi rursus bellum inferrent: nihil enim malo, quàm & me mei similem esse, & illos sui. Tu velim mihi ad vrbem præsto sis, vt tuis consiliis atque opibus, vt consueui, in omnibus rebus vtar. Dolabella tuo nihil mihi scito esse iucundius. hanc adeò habeo gratiam illi. neque enim aliter facere potuit: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est beneuolentia. Vale.

Cæsar Imp. M. Ciceroni Imp. S.

ETSI te nihil temerè, nihil imprudenter facturum iudicaram, tamẽ permotus hominum fama, scribendum ad te existimaui. & pro nostra beneuolentia petẽdum, ne quò progredereris inclinata iam re, quà integra etiam progrediendum tibi non existimasses. namque & amicitiæ grauiorem iniuriam feceris, & tibi minùs commodè consulueris, si non fortunæ obsecutus videbere: omnia enim secundissima nobis, aduersissima illis accidisse videtur: nec caussam secutus: eadem enim tum fuit, cùm ab eorum consiliis abesse iudicasti: sed meum aliquod factum condemnauisse: quo mihi grauius abs te nihil accidere potest: quod ne facias, pro iure nostræ amicitiæ à te peto. Postremò, quid viro bono, & quieto, & bono ciui A magis conuenit, quàm abesse à ciuilibus controuersiis? quod nonnulli cùm probarent, periculi caussa sequi non potuerunt. tu, explorato & vitæ meę testimonio, & amicitię iudicio, neque tutius, neque honestius reperies quidquam, quàm ab omni contentione abesse. x v. Kal. Mai, ex itinere. Vale.

EX EPIST. CÆSARIS AD CIC.

B M. Furium quem mihi commendas, vel regem Galliæ faciam, vel Lepræ legatum: si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem.

EX EPIST. CAESARIS AD CIC.

NEQVE pro cauto, ac diligente se castris continuit.

EX CIC. AD ATT. LIB. X.

CÆSAR mihi ignoscit per literas, quòd non C venerim, seseque in optimam partem id accipere dicit. Facilè patior quod scribit, secum Tullium & Seruium questos esse, quia non idem sibi quod mihi remisisset: &c. sed tum exemplum misi ad te Cæsaris litterarum.

EX LIB. XIII. AD ATT.

SEXTIVS apud me fuit, & Theopompus pridie venisse à Cæsare narrabat litteras: hoc scribere, sibi certum esse Romæ manere. caussamque eam adscribere, quæ erat in epistola nostra, ne se D absente leges suæ negligerentur, sicut esset neglecta Sumptuaria.

EX LIBRO EPISTOLARVM AD C. OPPIVM, ET Cornelium.

Cæsar Oppio Cornelio S.

GAVDEO mehercule vos significare litteris, E quàm valde probetis ea, quę apud Corfinium sunt gesta, consilio vestro vtar libenter, & hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, vt quam lenissimum me præberem, & Pompeium darem operam vt reconciliarem. tentemus hoc modo si possumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti, quoniam reliqui diuturnitate odium effugere non potuerunt, neque victoriam diutius tenere, præter vnum L. Sullam, quem imitaturus

caturus non sum. hæc noua sit ratio vincendi, vt A misericordia, & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt, & multa reperiri possunt. de his rebus, rogo vos, vt cogitationem suscipiatis. Cn. Magium, Pompeij præfectum deprehendi: scilicet meo instituto vsus sum, & eum statim missum feci. Iam duo Præfecti Fabrum Pompeij, in meam potestatem venerunt, & à me missi sunt, si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari, vt malit B mihi esse amicus, quàm iis, qui & illi, & mihi semper fuerunt inimicissimi: quorum artificiis effectum est, vt Resp. in hunc statum perueniret.

Cæsar Oppio Cornelio S.

Ad VII. Id. Mart. Brundisium veni: ad murum castra posui. Pompeius est Brundisij: misit ad me Cn. Magium de pace. quæ visa sunt respondi. hoc vos statim scire volui. cùm in spem venero, de compositione aliquid me conficere, statim vos certiores faciam. Valete.

C Libri sunt epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res eius absentis curabant. in his epistolis quibusdam in locis inueniuntur literæ singulares, sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas inconditè. nam verba ex his litteris confici nulla possunt. erat autem conuentum inter eos clandestinum, de commutando situ litterarum, vt in scriptio quidem alia aliæ locum, & nomen teneret: sed in legendo locus cuique suus, & potestas restitueretur, &c. est autem D Probi Grammatici commentarius satis curiosè factus de occulta litterarum significatione epistolarum C. Cæsaris scriptarum.

EX LIBRO EPISTOLARVM AD Q. PEDIVM.

Cæsar Q. Pedio S.

Pompeius se opido tenet: nos ad portas castra habemus: conamur opus magnum, & E multorum dierum, propter altitudinem maris: sed tamen nihil est, quod potius faciamus. ab vtroque portus cornu moles iacimus, vt aut illum quàm primum traiicere, quod habet Brundisij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.

EX LIBRO EPISTOLARVM AD PISONEM.

Locellum tibi signatum remisi.

F

EX LIB. II. EPISTOLARVM AD FRONTONEM.

Vestera fatigatus luce dormitans.

EX LIB. EPISTOLARVM AD ANTONIVM.

Nam ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se litterarum, in quibus erat: se audiuisse G Cæsarem, & L. Metellum in Italiam venisse, Romæ vt essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent, prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse caussam cognouisset, deque eo vehementius erat scriptum.

Epistolæ quoque eius ad Senatum extant: quas primus videtur ad paginas, & formam memorabilis libelli conuertisse: cùm antea Consules &

A Duces non nisi transuersa charta mitterent scriptas. Extant & ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus, in quibus si qua occultiùs perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo litterarum ordine, vt nullum verbum effici posset. quæ si quis inuestigare & persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est, D pro A, & perinde reliquas commutet.

Scribere, & legere simul, dictare & audire solitum accepimus. epistolas verò tantarum rerum B quaternas pariter librariis dictare, aut si nihil ageret, septenas.

[illegible]

C. IVLII CÆSARIS ORATIONVM FRAGMENTA.

EX ORATIONE IN FVnere Iuliæ.

C Quæstor Iuliam amitam, vxorémque Corneliam defunctas laudauit è more pro rostris. sed in amitæ quidem laudatione, de eius ac patris sui origine sic refert: Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cùm diis immortalibus coniunctum est. nam ab Anco Marcio sunt Marcij reges, a quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui pluri- D mum inter homines pollent, & ceremonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.

[illegible]

EX ORAT. PRO BITHYNIS.

C. Cæsaris Pontif. Max. in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio vsus est: Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum res agitur, refugere hoc munus M. Vini- E ci, non potui. nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin proximis retineatur. neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.

Quid ergo? syngraphæ non sunt, sed res aliena est.

EX ORAT. PRO LEGE PLAVTIA.

F Reperi tamen in oratione C. Cæsaris, qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem dictam pro necessitudine, id est, iure adfinitatis, verba hæc sunt: Equidem mihi videor pro nostra necessitate, non labore, non opera, non industria defuisse.

EX ORAT. IN CN. DOLABELLAM.

Cæsar in Dolabellam: Actionis illibuisti, quorum in ædibus, fanisque posita, & honori erant, & ornatu. In libris quoque Analogicis om- G nia istiusmodi sine d, litera dicenda censet.

Nono decimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, vno & vigesimo Cæsar Dolabellam, altero & xxx. Asinius Pollio Catonem, non multò ætate antecedens Caluus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.

Cæterum composita seditione ciuili, Cornelium Dolabellam consularem & triumphalem virum

repetundarum postulauit. absolutoque Rhodum secedere statuit.

Diuus quoque Iulius, quàm cælestis numinis, tam etiam humani ingenij perfectissimum columen, vim facundiæ propriæ expressit, dicendo in accusatione Cn. Dolabellæ, quem reum egit, extorqueri sibi caussam optimam L. Cottæ patrocinio.

Cn. Cæsar Cn. Dolabellam accusauit, nec damnauit.

Significat & Cæsarem, item adolescentem, in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidé damnatus est, quantum oportuit per Hortensium, &c.

B

[illegible Greek passage]

EX ORAT. AD MILITES.

Fama verò hostilium copiarum perterritos non negando minuendove, sed insuper amplificando, ementiendoque confirmabat, itaque cum expectatio aduentus Iubæ terribilis esset; conuocatis ad concionem militibus. Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum x. legionibus, equitum xxx. leuis armaturæ C. millibus elephantisque CCC. proinde desinant quidem quærere vltrà, aut opinari, mihique qui compertum habeo, credant: aut quidé vetustissima naue impositos quocunq. vento in quascunque terras iubebo auehi.

C

Vt C. Cæsar apud milites de incommodis eorum, non frustrabo vos milites.

D

EX ORAT. PRO DECIO SAMNITE.

Nisi fortè quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro rege, ceterosque eiusdem lenti luminis ac temporis libros legit, &c.

EX ORAT. PRO SEXTILIO.

Qvo enim iambo, qua procella verborũ, implum Sextilij caput obrui meretur? quod C. Cæsarem, à quo cum studiosè, tum etiam feliciter grauissimi criminis reus defensus fuerat, &c.

E

EX ORAT. DE CONIVRATIS.

Catonem primum sententiam putat de animaduersione dixisse, quam omnes antè dixerãt præter Cæsarem, & cùm ipsius Cæsaris tam seuera fuerit, qui tum Prætorio loco dixerit, &c.

F

Sed Cæsar, vbi ad eum peruentum est, rogatus sententiam à Consule, huiuscemodi verba locutus est: Omnes homines, &c.

[illegible Greek passage]

G

EX ORAT. IN FVNERE CORNELIÆ.

Qvæstor Iuliam amitam, vxoremq. Corneliam defunctas laudauit è more pro rostris.

A

[illegible Greek passage]

Tum Brutus orationes quidem eius mihi vehementer probantur, complures autem legi. &c.

Orationes aliquas reliquit, inter quas temerè quædam feruntur pro Q. Metello, quam non immeritò Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, malè subsequentib. verba dicentis, quàm ab ipso editam. nam in quibusdam exemplaribus inuenio ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, cùm ex persona Cæsaris, sermo sit, Metellum, seque aduersus communium obtrectatorũ criminationes purgantis. apud milites quoque in Hispania, idem Augustus orationem esse vix eius putat: quæ tamen duplex fertur, vna quasi priore habita prœlio, altera posteriore quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione.

B

C. IVLII CAES. FRAGM.

Anticatonis lib. I.

Vno enim excepto, quem aliusmodi atque omnia natura finxit, suos quisque habet charos.

C

INCERTA EX ANTIC.

Ervnt officia antelucana, in quæ incidere C. impunè ne Catoni quidem licuit. quem tamen Cæsar ita reprehendit, vt laudet. describit enim eos quibus obuius fuerit, cùm caput ebrij retexissent, erubuisse. deinde adiicit. Putares non ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos. Potuit ne plus auctoritatis tribui Catoni, quàm si ebrius tam venerabilis erat? nostræ tamen cœnæ vt apparatus & impendij, sic temporis modus constet. neque enim hi sumus, quos vituperare ne amici quidem possint, nisi vt simul laudent.

D

C. etiam Cæsar grauis auctor linguæ Latinæ in Anticatone: Vnius, inquit, arrogantiæ, superbiæque, dominatuque.

E

Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo lib. quem Hirtius ad me misit. in quo colligit vitia Catonis. sed cum maximis laudibus meis: itaque misi librum ad Muscam, vt tuis librariis daret. volo enim eum diuulgari.

F

Hirtij epistolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα videtur eius vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone.

Cùm mihi Balbus nuper in Lanuuino dixisset, se & Oppium scripsisse ad Cæsarem, me legisse libros contra Catonem, & vehementer probasse.

Quibus omnibus generibus vsus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum.

M. Ciceronis libro quo Catonem cœlo æquauit, quid aliud dictator Cæsar, quàm rescripta oratione velut apud Iudices respondit?

G

His quoque vsum C. Cæsarem in vituperando Catone notauerit Cicero.

Reliquit & de Analogia duos libros, & Anticatones totidem.

Vt Catonem Lullius laudans: & duobus voluminibus Cæsar accusans,

Pub.

[illegible] Paulo post, [illegible]

[illegible]

[illegible]

Atque vtinam ritus veteres, & publica saltem
His intacta malis agerent ut sacra sed omnes,
Nonetiūt Mauri, atq. Indi, quæ psaltria penem
Maiorem, quàm sunt duo Cæsaris Anticatones, Illuc, &c.

C. IVLII CAESARIS DE ANALOGIA LIB. I.

AD M. T. CICERONEM.

QVIN etiam in maximis occupationib. cùm ad te ipsum, inquit, in me intuens, de ratione Latinè loquendi accuratissimè scripserit, primoque in libro dixerit verborum delectum originem esse eloquentiæ: tribueritq. mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit, quàm se dicere, laudem singularem (nam scripsit his verbis, cùm hunc nomine esset affatus. Ac si cogitata præclarè eloqui possent, nonnulli studio, & vsu laborauerunt, (cuius te penè principem copiæ, atque inuentorem, bene de nomine, ac dignitate Populi Romani meritum esse existimare debemus) hunc facilem, & quotidianum noluisse sermonem, nūc pro relicto est habendum. Tum Brutus, amice herculè, inquit, & magnificè te laudatum puto, quem non solùm principem atque inuentorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam benemeritum de Populi Romani nomine & dignitate.

C. Cæsar in libris, quos ad M. Ciceronem de Analogia scripsit, arenas vitiosè dici existimabat: quòd arena nunquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque cælum neque triticum. cōtrà autem quadrigas, etiamsi currus vnus equorum quatuor iunctorum agmen vnum sit, pluratiuo semper numero dicendas putat. (paulò post, ex lib. 1. de Analogia) nam cùm supra dixisset, neque cælum, triticumve, neque arenam multitudinis significationem pati, Num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitraris, quòd vnam terram, & plures terras: & vrbem, & vrbes. & imperium, & imperia, dicamus? neque quadrigas in vnam nominis figuram redigere, neque arenam in multitudinis appellationem conuertere possimus?

Atque id, quod à C. Cæsare excellentis ingenij ac prudentiæ viro in I. de Analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, vt tanquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum.

E LIB. II.

Sed C. Cæsar in libro de Analogia secundo, huius die, & huius specie dicendum putat.

Panium, Cæsar de Analogia libro II. dici debere ait, sed Verrius contrà.

C. Cæsar libro II. de Analogia fagos, populos, vlmos.

Nisi quia Cæsar lib. II. singulariter Idem, pluraliter, Iidem, dicendum affirmat.

Sed Cæsar de Analogia II. turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait.

Cæsar de Analogia lib. II. Paniū dixit, sed Verrius Panum sine i.

Lacer, &c. Cæsar de Analogia libr. II. necnon Valgius de Rebus per epistolam quæsitis.

INCERTA EX LIBRO ANALOG.

IN libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine I, littera dicenda censet.

C. Cæsar, quasi indiscretum hoc sit, ait, I, littera nominatiuo singulari neutra finita nomina, eandem definitionem capere, quam capiant E littera terminata, huic animali, & ab hoc animali: huic puteali, & ab hoc puteali.

Quam C. Cæsar ponit in feminin. vt puppim, restim, peluim. hæc enim modò, & ab hoc cani, & ab hoc caue.

Hic & hæc Samnis, huius Samnitis. sic Cæsar de Analogia.

Iubar: Plinius ait inter cætera etiam illud C. Cæsarem dedisse præceptum, quorum neutra nomina, at nominatiuo causa per i, datiuum ablatiuumque singularis ostendant, iubar tamen ab hac regula dissidere. nam huic Iubari dicimus, ab hoc iubare dicendum est, vt huic farri, ab hoc farre.

Omnium nominum, quæ sunt neutri generis & in e terminantur, ait Plinius Cæsarem scisse eosdem esse ablatiuos, quales sunt datiui singulares. At, diceris nomina neutralia terminata, idem non minus ait Cæsar, quòd datiuo & ablatiuo pari iure funguntur, vt idem Plinius ait.

Partum Cæsar in Analogicis, harum partum.

Nam tribus iij. iunctis, qualis posset syllaba pronunciari? nam postremum i, pro vocali est accipiendum, quod Cæsari artis grammaticæ doctissimo placitum fuisse à Victore quoque in arte Grammatica de syllabis comprobatur.

At vim C. Cæsaris fregerunt editi de Analogia libri?

Reliquit & de Analogia duos libros, & Anticatones totidem.

Præterea Cæsar declinat pubis, puberis.

Quamuis Cæsar non incongruè protulit ens à verbo sum, es, est.

Neque enim tam Calypsonem dixerim, vt Iunonem, quàm secutus antiquos. C. Cæsar vtitur hac ratione declinandi.

De quo genere optimè C. Cæsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse, Si cantas, malè cantas, si legis, cantas.

pungo, pepugi: spondeo, spopondi dicebant.

Probus autem & Cæsar pollen pollinis declinauerunt.

Vnguenta autem dicuntur à locis, vt Telinum: cuius Lilius Cæsar meminit dicens: Corpusque suaui Telino vnguimur. hoc conficiebatur in insula Telo, quæ est vna ex Cycladibus.

Apud Cesarem & Catulum, & Caluum lectum

est,quorum vacillat auctoritas: cùm iam fulua cinis fueris.

A Salue primus omnium parens Patriæ appellate. primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ, Latiarumque litterarum parens: atque (vt dictator Cęsar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte maiorem,quanto plus est,ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quam Imperij.

B Variè etiam scriptitatum est, mancipium, aucupium, manubiæ. siquidem C. Cæsar per i scripsit,vt apparet ex titulis ipsius.

Hoc lutum atq. macellum singulari exite memento,licet Ennius,ista macella,dicatque & Cæsar,lutea.

C. IVLII CAESARIS LIBER APOPHTHEGMATVM.

SED tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium, & vt Seruius frater tuus, quem literatissimum fuisse iudico, facilè diceret,hic versus Plauti non est,hic est, quòd tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, cùm volumina iam confecerit ἀποφθέγματα,si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit,reiicere solere. quòd eo nunc magis facit, quia viuunt mecum ferè cotidie illius familiares.

Feruntur & à puero, & ab adolescentulo quædam scripta,&c. item dicta collectanea,&c.

C. IVLII CAESARIS LIBRI AVSPICIORVM.

SED contrà Iulius Cæsar XVI. Auspiciorum libro negat nundinis concionem aduocari posse, id est,cum populo agi, ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse.

DE SIDERVM MOTV.

NAM Iulius Cæsar, vt siderum motus,de quibus non indoctos libros reliquit, ab Aegyptiis disciplinis hausit: ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est,vt ad Solis cursum finiendi anni tempus extenderet.

Cæsaris de singulorum siderum ortu & occasu obseruationes,in quibus & Idus Martias sibi ferales annotauit.

AVGVRALIA.

CAESAR in Auguralibus, si sincera pecus erat.

C. Cæsar,quæ res augurantur [illegible].

EPHEMERIDES.

C. Iulius Cęsar,cùm dimicaret in Gallia,ab hoste raptus equo eius portaretur armatus, occurrit quidam de hostibus,qui cum nosset, insultans ait: Cecos Cæsar, quod Gallorum lingua, Dimitte,significat:& ita factum est,vt dimitteretur. Hoc autem ipse. Cæsar in Ephemeride sua dicit,vbi propriam commemorat felicitatem.

C. IVLII CAESARIS POEMATVM FRAGMENTA.

Tu quoq. tu in summis, ò dimidiate Menander
Poneris,& meritò,puri sermonis amator.
Lenibus atq. vtinam scriptis adiuncta foret vis
Comica,vt æquato virtus polleret honore
Cũ Græcis,neq. in hac despectus parte iaceres.
Vnũ hoc maceror, & doleo tibi deesse Terenti.

EIVSDEM.

C. IVLIVS CAESAR.

FELTRIA PERPETVO NIMIVM DAMNATA RIGORE
FORTE MIHI POSTHAC NON ADEVNDA, VALE.

EIVSDEM.

Thrax,puer astricto glacie dum ludit in Hebro,
Pondere concretas frigore rupit aquas.
C Dumq. imæ partes rapido traherentur ab amne:
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inuentum mater dum conderet vrna,
Hoc peperi flammis, cætera dixit aquis.

Reliquit & de Analogia, &c. ac præterea poema, quod inscribitur Iter,quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia, conuentibus peractis, ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis prœlij confecit: nouissimum, dum ab vrbe in Hispaniam vltenorem quarto & vigesimo die peruenit.

D Necnon olus quoque siluestre est trium foliorum, Diui Iulij carminibus præcipuè, iocisque militaribus celebratum. alternis quippe versibus exprobrauere lapsana se vixisse apud Dyrrachium, præmiorum parsimoniam cauillantes, est autem id Cyma siluestris.

Feruntur & à puero, & ab adolescentulo quædam scripta,vt laudes Herculis,Tragœdia Oedipus, item dicta collectanea, quos omnes libellos vetuit Augustus publicari.

E Nisi fortè quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite,&c. nisi qui & carmina eorundem imitatur. Fecerunt enim & carmina in bibliothecas retulerunt,nõ meliùs, quàm Cicero,at feliciùs,quia illos fecisse pauciores sciunt.

Καὶ ποιήματα γράφει ὀλίγα [illegible] μὴ [illegible] Βαρβάρους [illegible].

C. IVLII CAESARIS DICTA.

F Maximè autem de Bruto nostro,de quo quidem ille ad quem diuerti, Cæsarem solitum dicere: Magni refert, hic quid velit, sed quicquid vult, valdè vult. idque eum animaduertisse, cùm pro Deiotaro Nicææ dixerit.

Aiebat, Cæsarem secum, quo tempore Sextij rogatu,veni ad eum, cùm exspectarem sedens, dixisse: Ego nũc tã sim stultus,vt hunc ipsum,facilem hominẽ,putem mihi esse amicum,cùm tamdiu sedens meum commodum expectet? (de Bruto.)

G In cerogantique cur repudiasset vxorem, quoniam (inquit) meos tam suspicione,quàm crimine iudico carere oportere.

Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni vidi,vici.

Consecutusque cohortes ad Rubiconem flumen,qui prouinciæ eius finis erat, paullulum constitit, ac reputans quantum moliretur, conuersus ad

ad proximos, & etiam nunc, inquit, regredi possumus: quòd si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.

Tunc Cæsar, eatur, inquit, quò Deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat, iacta est alea, inquit.

Quemadmodum C. Cæsar Pomponio ostendenti vulnus ore exceptum in seditione Sulpiciana, quod ipse se passum pro Cæsare pugnantem gloriabantur, nunquam fugiens respexeris, inquit aut crimen obiectum, vt Cicero, &c.

Est & illa ex ironia fictio, qua vsus est C. Cæsar. nam cùm testis diceret à reo femina sua ferro petita, & esset facilis reprehensio, cur illam potissimum partem corporis vulnerare voluisset. Quid enim faceret, inquit, cum tu galeam & loricam haberes?

Nam & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli, sic enim appellabat, laudataque honorificentissimè & æquitate tua & prudentia, repentè præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem caussa negaturum.

Cùm propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina ciuitate donatorū incisa essent, reuelli iussisset, eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur, beneficium suum in eo manere.

Tres autem fuêre sectæ, Chaldæa, Aegyptia, Græca: his addit apud nos quartam Cæsar dictator, annos ad Solis cursum redigens singulos, qui prius antecedebat.

A Bruma in Fauonium Cæsari nobilia sidera significant: *Paulò post*: Pridie nonas Ianuarij Cæsari Delphinis matutino exoritur, & postero die fidicula, quo Aegypto Sagitta vesperi occidit. *Paulò post*: A Fauonio in æquinoctium vernum Cæsari significat XVII. Kal. Martij triduum variè & VIII. Kal. hirundinis visu, & postero die Arcturi exortu vespertino. item III. Non. Martij Cæsar, Cancri exortu id fieri obseruauit. *Paulò post*: Cæsar & Idus Martias Feralem sibi annotauit Scorpionis occasu. *Paulò post*: Tertio nonas Aprilis in Attica vergiliæ vesperi occultantur. eædem postridie in Bœotia, Cæsari autem & Chaldæis, nonis. *Paulò post*: Cæsari sexto Idus significatur imber Libræ occasu: XIV. Kalend. Maij Aegypto, suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens, & terra, marique turbidum, XVI. Atticæ, XV. Cæsari, continuoq. triduo significat. *Paulò post*: VI. Non. Maij Cæsari suculæ matutino exoriuntur, & VIII. Idus Capella pluuialis.

A Vergiliarum exortu significant Cæsari postridie Arcturi occasus matutini. *Paulò post*: Vndecimo Kal. Cæsari Orionis gladius occidere incipit: tertio Non. Iunij Cæsari, & Assyriæ Aquila vesperi oritur, &c. Vndecimo Kal. eiusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit.

A solstitio ad fidiculæ occasum sexto Kal. Iunij Cæsari Orion exoritur. *Paulò post*: XVIII. kal. Augusti, Aegypto Aquila occidit matutino, Etesiarumque prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar X. kal. sentire Italiam existimauit. *Paulò post*: Aquila Atticæ matutino occidit: tertio kal. regia in pectore Leonis stella matutino Cæsari immergitur.

DE C. IVLIO CÆSARE.

SED tamen Brute, inquit Atticus, de Cæsare & A ipse ita iudico, & de hoc huius generis acerrimo æstimatore sæpissimè audio, illum ferè omnium Oratorum Latinè loqui elegantissimè, nec id solùm domestica consuetudine, vt dudum de Lælio-rum & Domitiorum familiis audiebamus, sed quamquam id quoque credo fuisse, tamen vt esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, & iis quidem reconditis & exquisitis est consecutus, &c.

Sed perge Pomponi de Cæsare, & redde quæ B restant. Solum quidem, inquit ille, & quasi fundamentum oratoris, &c. Cæsar autem rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam, pura & incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quæ etiamsi Orator non sis, & sis ingenuus ciuis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illi oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tamquam fabulas bene pictas collocare in bono lumine. hanc cùm habeat præcipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere: splendidam C quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generosa quoddammodo. Tum Brutus, orationes quidem eius &c. atque etiam Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valdè quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti, & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta: sed dum voluit alios habere parata vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis D gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere, sanos quidem homines à scribendo deterruit, &c.

Quid Oratorum? quem huic antepones eorū, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?

EX CIC. LIB. I. OFFIC.

E SED de benè loquendi de Catulis opinio non minor, sale verò mero conditus, & facetiis Cæsar.

Reliquit & rerum suarum commentarios Gallici, ciuilisque belli Pompeiani. nam Alexandrini, Africique & Hispaniensis incertus auctor est, alij enim Oppium putant, alij Hirtium: qui etiam Gallici belli nouissimum, imperfectumq. librum suppleuerit. *Paulo post*: Pollio Asinius parum diligenter, parumq. integra veritate cōpositos putat: cum Cæsar pleraque & quæ per alios erant gesta, F temerè crediderit: & quæ per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit: existimatque rescripturum, & correcturum fuisse.

C. verò Cæsar si tantum foro vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, ad acumen, ei concitatio, vt illū eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat: exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cuius propriè studiosus fuit, elegantia.

G Quid tantum nocuerat vim Cæsaris, asperitatē Cœlij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibusdam in locis assumere?

Hinc vim Cæsaris, indolem Cœlij, subtilitatem Calidij, grauitatem Bruti, acumen Sulpicij, acerbitatem Cassij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messallæ, sanctitatem Calui reperiemus.

At tristior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cælius, grauior Brutus, vehe-

mentior & plenior & valentior Cicero.

[illegible]

[illegible]

Ac mihi ex Græcis orationes Lysiæ ostentat, ex nostris Gracchorum, Catonisque: quorum sanè plurimæ sunt circumcisæ & breues, ego Lysiæ, A Demosthenem, Æschinem, Hyperidem, multosque præterea Gracchi & Catonis Pollionem, Cæsarem, Cœlium, imprimis M. Tullium oportet, cuius oratio optima fertur esse, quæ maxima.

Sed ego vereor ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Caluum, Asinium Pollionem, M. Messallam &c. Diuum Iulium, Diuum Augustum, Diuum Neruam, Tib. Cæsarem, &c.

C. CRISPI SALVSTII CATILINA, SEV BELLVM CATILINARIVM.

PROOEMIVM.

O MNEIS homines, qui sese student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ Natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed omnis nostra vis, in animo & corpore sita est. ANIMI imperio, corporis seruitio magis vtimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur, ingenij quàm virium opibus gloriam quærere: & quoniam vita ipsa qua fruimur breuis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere. Nam diuitiarum & formæ gloria, fluxa atque fragilis est: virtus clara æternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vi ne corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam & priusquam incipias consulto, & vbi consulueris, maturè facto opus est. Ita vtrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperij id primum fuit) diuersi, pars ingenium, alij corpus exercebant. Etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur. Sua cuique satis placebant. Postea verò quàm in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonij & Athenienses cœpere vrbeis atq. nationes subigere: libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare. Tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Quòd si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita vt in bello valeret, æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent: neque aliud aliò ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facilè his artibus retinetur, quib. initio partum est. Verum vbi pro labore desidia, pro continentia & æquitate, libido atque superbia inuasere: fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quenque à minus bono transfertur. Quæ homines arant, nauigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam sicuti peregrinantes transegêre: quibus profectò contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eo- B rum vitam ego, mortemq. iuxta æstimo, quoniam de vtraque siletur. Verùm enimuerò is mihi viuere demum, atque frui anima videtur, qui aliquo negocio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed in magna copia rerum aliud alij natura iter ostendit. Pulchrum est benefacere Reip. etiam benedicere haud absurdū est: vel pace, vel bello clarum fieri licet: & qui fecere, & qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem, & autorem rerum, tamen C in primis arduum videtur res gestas scribere. Primùm, quòd facta dictis sunt exequenda: dehinc, quia pleriq. quæ delicta reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant. Vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit. Supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Sed ego adolescentulus initio, sicuti pleriq. à studio ad Remp. latus sum, ibiq. mihi aduersa multa fuêre. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audacia, D largitio, auaritia vigebant. Quæ tametsi animus aspernabatur insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur. Ac me cùm ab reliquorum malis moribus dissentirē, nihilominus honoris cupido eadem, quæ cæteros fama atque inuidia vexabat. Igitur vbi animus ex multis miseriis atque periculis requieuit, & mihi reliquam ætatem à Rep. procul habendam decreui, non fuit consilium socordia atq. desidia bonum ocium conterere, neq. E verò colendo agrum, aut venādo, seruilibus officiis intentum ætatem agere. Sed à quo incœpto studioq. me ambitio mala detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, vt quæque memoria digna videbantur, perscribere: eò magis, quòd mihi à spe, metu, partibus reip. animus liber erat. Igitur de Catilinæ coniuratione, quàm verissimè potero, paucis absoluam: nam id facinus in primis ego memorabile existimo sceleris atq. periculi nouitate. De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quàm initium narrandi faciam.

C. CRIS.

C. CRISPI SALVSTII CATILINA, SEV BELLVM CATILINARIVM.

LVCIVS Catilina nobili genere natus, fuit magna vi & animi & corporis, sed ingenio malo prauoq. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis grata fuere: ibique iuuentutem suam exercuit. Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris, suprà quàm cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator ac dissimulator: alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis lo- B quentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Syllæ libido maxima inuaserat Reip. capiendæ: neq. id quibus modis adsequeretur, dum regnũ sibi pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisq. indies ferox animus, inopia rei familiaris, & conscientia scelerum: quæ vtraq. his artibus auxerat, quos suprà memoraui. Incitabant præterea corrupti ciuitatis mores, quos pessima, ac diuersa inter se mala, C luxuria atque auaritia vexabant. Res ipsa hortari videtur (quoniam de moribus ciuitatis tẽpus admonuit) suprà repetere, ac paucis instituta maiorum domi militiæq., quo modo remp. habuerint, quantamq. reliquerint, vt paulatim immutata, ex pulcherrima & optima, pessima ac flagitiosissima facta sit, disserere.

VRbem Romam (sicuti ego accepi) cõdidêre, atque habuêre initiò Troiani, qui Ænea duce, profugi, incertis sedibus vagabantur. Cumque D his Aborigines, genus hominum agreste, sine imperio, liberum atq. solutum. Hi postquàm in vna mœnia conuenêre, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viuentes, incredibile memoratu est, quàm facilè coaluerint. Sed postquam res eorum ciuibus, moribus, agris aucta, satis prospera, satisque pollens videbatur, sicuti pleraq. mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta est. Igitur reges populiq. finitimi bello tentare, pauci ex amicis auxilio esse. Nam cæteri metu perculsi E longè à periculis aberant. At Romani domi militiæq. intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obuiam ire, libertatem, patriam, parentesq. armis tegere. Post vbi pericula virtute propulerant, sociis atq. amicis auxilia portabant, magisque dandis, quàm accipiendis beneficiis, amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperij regium habebant. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validũ erat, Reip. consultabant: hi vel ætate, vel curæ similitudine Patres appellabantur. Post vbi imperium regium, quod initiò conseruandæ libertatis, atq. augendæ Reip. fuerat, in superbiam dominationemque se conuertit: immutato more, annua imperia, binosq. imperatores sibi fecêre. Eo modo minimè posse putabant per licentiam insolescere animum humanum. Sed ea tempestate cœpêre se quisq. magis extollere, magisq. ingeniũ in promptu habere. Nam regibus boni, quàm mali suspectiores sunt, semperq. his aliena virtus formidolosa est. Sed ciuitas (incredibile est memoratu) adepta libertate, quantum breui creuerit, tanta cupido gloriæ incesserat. Iam primùm iuuentus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem, vsu militiam discebat, magisq. in decoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis atq. conuiuiis libidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus vllus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat: sed gloriæ maximum certamen inter ipsos erat. Sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, cõspici, dum tale facinus faceret, properabat. eas diuitias, eamque bonam famam, magnamque nobilitatem putabant. Laudis auidi, pecuniæ liberales erant. Gloriam ingentem, diuitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus parua manu fuderit, quas vrbes natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incœpto traheret. Sed profectò Fortuna in omni re dominatur. Ea res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebrat, obscuratque. Atheniensium res gestæ, sicuti ego existimo, satis amplæ magnificæque fuêre. Verùm aliquanto minores tamen, quàm fama feruntur. Sed quia prouenêre ibi scriptorũ magna ingenia, per terrarum orbẽ, Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum qui ea fecêre, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuêre extollere præclara ingenia. At populo Romano nunquã ea copia fuit: quia prudentissimus quisque, negotiosus maximè erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optimus quisque facere quàm dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorũ narrare malebat. Igitur domi, militiæque boni mores colebantur. Concordia maxima, minima auaritia erat. Ius, bonumq. apud eos non legibus magis quàm natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: ciues cum ciuibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, vbi pax euenerat, æquitate seque remque publicam curabant. Quarum

His amicis sociisq. confisus Catilina, simul quòd æs alienum per omnes terras ingens erat, & quòd plerique Syllani milites largius suo usi, rapinarum & victoriæ veteris memores, ciuile bellum exoptabant, opprimendæ Resp. consilium cepit. In Italia nullus exercitus erat. Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatū petendi magna spes. Senatus nihil sanè intentus, tutæ, tranquillæque res omnes.

Sed ea prorsus opportuna Catilinæ videbantur. Igitur circiter Calendas Iunias, L. Cæsare & C. Figulo consulibus, primò singulos appellare, hortari alios, alios tentare: opes suas, imparatam Remp. magna præmia coniurationis docere. Vbi satis explorata sunt quæ voluit, in vnum omnes conuocat, quibus maxima necessitudo, & plurimum audaciæ erat. eò conuenêre senatorij ordinis, P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. Seruius Syllæ Seruij filij, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Lecca, L. Bestia, Q. Curius. Præterea ex equestri ordine M. Fuluius nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius. Ad hoc multi ex coloniis & municipiis domi nobiles. Erant præterea complures paulò occultius consilij huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quàm inopia aut alia necessitudo. Cæterum iuuentus pleraque: sed maximè nobilium Catilinæ inceptis fauebat: quibus in otio vel magnificè vel molliter viuere copia erat, incerta pro certis bellum quàm pacem malebant. Fuêre item ea tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consilij fuisse: quia Cn. Pompeius inuisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusuis opes voluisse cōtra illius potentiam crescere: simul confisum si coniuratio valuisset, facilè apud eos se principem fore. Sed antea item coniurauêre pauci contra Remp. in quib. Catilina fuit: de qua, quàm verissimè potero dicam. L. Tullo, M. Lepido cōsulibus, P. Autronius, & P. Sylla designati consules, legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. Post paulò Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat petere cōsulatum, quòd intra legitimos dies profiteri nequiuerit. Erat eodem tempore Cn. Piso adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus: quem ad perturbandā Remp. inopia atq. mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina, & Autronius circiter nonas decemb. communicato cōsilio parabant in capitolio, cal. Ian. L. Torquatum, & L. Cottam Consules interficere. Ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in nonas Februarias consilium cædis transtulerant. Iam tum non consulibus modò, sed plerisq. senatoribus perniciem machinabantur: quòd ni Catilina maturasset pro curia signū sociis dare, eo die post conditam vrbem Romam pessimum facinus patratum foret: quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res consilium diremit. Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quæstor pro Prætore missus est, adnitente Crasso, quòd eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognouerat. Neq. tamen Senatus prouinciam inuitus dederat: quippe fœdum hominem à Repu. procul esse volebat, simul quia boni complures præsidium in eo putabant. Et iam tum potentia Gn. Pompeij formidolosa erat. Sed is Piso in prouinciam ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicant, imperia eius iniusta super-

A ba crudelia barbaros nequiuisse pati: alij autem equites illos Cn. Pompeij veteres fidosq. clientes voluntate eius Pisonem aggressos: nunquam Hispanos præterea tale facinus fecisse, sed imperia sæua multa antè perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiori coniuratione satis est dictum.

Catilina vbi eos, quos paulò antè memoraui conuenisse videt, tametsi multa cum singulis sæpe egerat: tamen in rem fore credens vniuersos B appellare, & cohortari, in abditam partem ædium secessit: atq. ibi omnibus arbitris procul amotis, orationem huiusmodi habuit. Ni virtus fidesq. vestra satis spectata mihi forent: nequicquam opportuna res cecidisset: spes magna, dominatio in manib. frustra fuissent: neq. ego per ignauiam, incerta aut vana ingenia pro certis captarē. Sed quia multis & magnis tempestatib. vos cognoui fortes, fidosq. mihi: eò animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere: simul quia vobis C eadem, quæ mihi bona, malaq. esse intellexi. Nam idem velle atq. idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego, quæ mente agitaui, omnes iam antea diuersi audistis. Cæterùm mihi indies magis animus accenditur, cùm considero quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmetipsos vindicemus in libertatem. Nam postquàm Resp. in paucorum potentium ius atque ditionem concessit: semper illi reges, tetrarchæ vectigales esse: populi, nationes stipendia pendere: cæteri omnes strenui, boni, nobiles atq. ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine D autoritate: his obnoxij, quibus, si Resp. valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ apud illos sunt, aut vbi illi volunt. Nobis reliquêre pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quæ quousq. tandem patiemini, ô fortissimi viri? Nonne emori per virtutem præstat, quàm vitam miseram atq. inhonestam, vbi alienæ superbiæ ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Verum enim verò per deum atq. hominum fidem, victoria in manu nobis est: viget ætas, animus valet: cōtrà E illis, annis atq. diuitiis omnia cōsenuêre. Tantummodo inceptō opus est, cætera res ipsa expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montib. coæquandis: nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis Larem familiarem nusquam vllum esse? quum tabulas, signa, toreumata emunt, noua diruunt, alia ædificant: postremò omnib. modis pe- F cuniam trahunt, vexant: tamen summa libidine diuitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multò asperior: denique quid reliqui habemus, præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa quam sæpe optastis, libertas. Præterea diuitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna omnia ea victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quàm oratio mea vos hortentur. vel imperatore, vel milite me G vtimini: neq. animus, neq. corpus à vobis aberit. Hæc ipsa, vt spero, vobiscum vnà Consul agam, nisi fortè animus me fallit: & vos seruire magis quàm imperare parati estis.

Postquàm accepêre ea homines, quibus mala abundè omnia erant, sed neq. res, neq. spes bona vlla, tametsi illis quieta mouere, magna merces

videbatur, tamen postulauere plerique, vti proponeret quæ conditio belli foret, quæ præmia armis peterent: quid vbiq. opis, aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas nouas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia quæ bellum, atque victorum libido fert. Præterea esse in Hispania citeriore Pisonem dicebat, in Mauritania cum exercitu P. Sitium Nucerinum, consilii sui participes. Petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem familiarem, & omnibus necessitudinibus circumuentum, cum eo se Consule initium agendi belli facturum. Ad hoc maledictis increpabat omneis bonos: suorum vnumquemq. nominans laudare: admonere alium egestatis, aliũ cupiditatis suæ, complureis periculi, aut ignominiæ: multos Syllanæ victoriæ, quibus ea prædæ fuerat. Postquam omnium animos alacreis videt, cohortatus vt petitionem suam curæ haberent, dimisit conuentum. Fuere ea tempestate, qui dicerent Catilinam oratione habita, cum ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in patera circumtulisse. Inde cum post exsecrationem omnes degustauissent, sicuti in solennibus sacris fieri consueuit, aperuisse consilium suum atq. eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta & hæc, & multa præterea existimabant ab his qui Ciceronis inuidiam, quæ postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum qui pœnas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius natus haud obscuro loco, flagitiis atq. facinoribus coopertus: quem Censores Senatu probri gratia mouerant. Huic homini non minor vanitas, quam audacia inerat: neq. reticere quæ audierat, neq. suamet ipse scelera occultare: prorsus neq. dicere, neq. facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fuluia nobili muliere, stupri vetus consuetudo: cui cum minus gratus esset, quod inopia minus largiri poterat, repente glorians, maria montesq. polliceri cœpit: minari interdum ferro, nisi sibi obnoxia foret: postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fuluia insolentiæ Curii causa cognita, tale periculum Reipub. haud occultum habuit: sed sublato auctore, de Catilinæ coniuratione quæ & quomodo audierat, compluribus narrauit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraq. nobilitas inuidia æstuabat, & quasi pollui consulatum credebant, si eum quamuis egregius, nouus homo adeptus foret. Sed vbi periculum aduenit, inuidia atq. superbia post fuere. Igitur comitiis habitis, Consules declarantur M. Tul. Cicer. & C. Anton. quod factũ primo populares coniurationis concusserat. Neq. tamen Catilinæ furor minuebatur, sed in dies plura agitare: arma per Italiam locis opportunis parare: pecuniam sua aut amicorũ fide, sumptam mutuam, Fesulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cuiusq. generis homines adsciuisse sibi dicitur. Mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentes sumptus stupro corporis tolerauerant, post vbi ætas tantummodo quæstui, neq. luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflauerant. Per eas se Catilina credebat posse seruitia vrbana sollicitare, vrbem incendere, viros earum vel adiũgere sibi, vel interficere. Sed in his erat Sempronia, quæ

A multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat. Hæc mulier genere atq. forma, præterea viro, liberis satis fortunata fuit: literis Græcis atq. Latinis docta: psallere & saltare elegantius quam necesse est probæ: multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt. Sed ei chariora semper omnia quam decus atq. pudicitia fuit. Pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile discerneres: libidine sic accensa, vt sæpius peteret viros, quàm peteretur. Sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abiurauerat,
B cædis conscia fuerat, luxuria atque inopia præceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum, posse versus facere, iocum mouere, sermone vti vel modesto, vel molli, vel procaci. Prorsus multæ facetiæ, multusque lepos inerat. His rebus comparatis Catilina nihilominus in proximum annum Consulatum petebat, sperans si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio vsurum. Neq. interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neq. illi tamen ad
C cauendum dolus aut astutiæ deerant. Namque a principio sui Consulatus, multa pollicendo per Fuluiam effecerat, vt Q. Curius, de quo paulo ante memoraui, consilia Catilinæ sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione prouinciæ perpulerat, ne contra Remp. sentiret: circum se præsidia amicorum, atq. clientũ occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, & Catilinæ neq. petitiones, neq. insidiæ, quas Consuli fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere, &
D extrema omnia experiri: quoniam quæ occulte tentauerat, aspera fœdaq. euenerant. Igitur C. Manliũ Fesulas atque in eam partem Etruriæ, Septimium quendam Camertem in agrum Picenũ, C. Iulium in Apuliam dimisit: præterea alium alio, quem vbiq. opportunũ sibi fore credebat. Interea Romæ multa simul moliri, Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse. Item alios iubere, hortari, vti semper intenti paratiq. essent: dies noctes-
E que festinare, vigilare, neque insomniis, neque labore fatigari. Postremo vbi multa agitanti nihil procedit, rursum intempesta nocte coniurationis principes conuocat per M. Portium Leccam, ibique multa de ignauia eorum questus, docet se Manlium præmisisse ad eam multitudinem quam ad capienda arma parauerat. Item alios in alia loca opportuna, qui belli initium facerent: seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum officere. Igitur perterritis ac dubitantibus cæteris,
F C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, & cum eo L. Vargunteius Senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de improuiso domi suæ imparatum confodere. Q. Curius, vbi intelligit quantum periculum Consuli impendeat, propere per Fuluiam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi ianua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea
G Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriæ nouarum rerum cupidam, quod Syllæ dominatione agros bonaque omnia amiserat: præterea latrones cuiusq. generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Syllanis coloniis, quibus libido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant. Ea cum Ciceroni nunciarentur, ancipiti malo permotus, quod neq. vrbem ab insidiis priuato consilio longius

gius

A gius tueri poterat: neq. exercitus Manlij quātus, aut quo consilio foret, satis compertum habebat. Rem ad senatum refert, iam antea vulgi rumoribus exagitatā. Itaq. (quod plerumq. in atroci negocio fieri solet) senatus decreuit, vti darent operā Consules, ne quid Resp. detrimēti caperet. Ea potestas per Senatum more Rom. magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellū gerere, coercere omnibus modis socios atq. ciues, domi militiæq. imperium atque iudicium summū habere. Aliter B sine populi iussu, nulli earū rerum Cōsuli ius est. Post paucos dies L. Senius Senator, in Senatu literas recitauit, quas Fæsulis allatas sibi dicebat à Qu. Fabio, in quibus scriptū erat, C. Manliū arma cepisse cum magna multitudine, ante diem vi. cal. Nouembris. Simulq. (id quod in tali re solet) alij portēta atque prodigia nunciabāt, alij cōuentus fieri, arma parari, Capuę atq. in Apulia seruile bellū moueri. Igitur Senatus decreto, Q. Martius rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam, circumq. C ea loca missi sunt (Hi vtrique ad vrbē imperatores erant, impediti ne triumpharēt calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat.) Sed Prætores Qu. Pom. Rufus Capuam, Qu. Metellus Celer in agrum Picenum, hisque permissum est, vti pro tēpore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc, si quis indicasset de coniuratione, quæ contra Remp. facta erat, præmium decreuerunt, seruo libertatem, & sestertia centum: libero, impunitatem eius rei & sestertiorum ducenta millia. Itemq. decreuere, vti D gladiatoriæ familiæ Capuam, & in cætera municipia distribuerentur, pro cuiusque opibus: Romæ per totam vrbem vigiliæ haberentur, hisque minores magistratus præessent. Quibus reb. permota ciuitas atque immutata vrbis facies erat: ex summa lætitia atq. lasciuia, quæ diuturna quies pepererat, repentè omneis tristitia inuasit: festinare, trepidare, neque loco, neque cuiquam homini satis credere, neque bellum gerere, neque pacem habere: suo quisque metu pericula metiri. E Ad hoc mulieres, quibus pro Reipub. magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere, miserari paruos liberos, rogitare deos, omnia pauere: superbia atque deliciis amissis, sibi patriæque diffidere. At Catilinæ crudelis animus eadem illa mouebat, tametsi præsidia parabantur: & ipse, Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo. Postremò dissimulandi caussa, aut sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, venit in senatum. Tum M. Tul. F Consul, siue præsentiam eius timens, siue ira cōmotus, orationem habuit luculentam, atque vtilem Reip. quam postea scriptam edidit. Sed vbi ille assedit, Catilina, vt erat paratus ad simulanda omnia, demisso vultu, voce supplici, postulare à Patribus cœpit, ne quid de se temerè crederent: ea familia ortum, ita se ab adolescentia dicebat vitam instituisse, vt omnia bona in spe haberet: ne existimarent sibi patritio homini, cuius ipsius aut maiorum plurima beneficia in plebem Rom. G erant, perdita Republ. opus esse, quum eam seruaret M. Tul. inquilinus ciuis vrbis Rom. Ad hæc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: Quoniam quidem circumuentus (inquit) ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam. Deinde se ex curia domum proripuit: ibi multa secum ipse voluens, quod neque insidiæ consuli procedebant, & ab incendio intelligebat vrbem vigiliis esse munitam, optimum factum credens exercitum augere: ac priusquam legiones scriberentur, multo antè capere ea, quæ bello vsui forent: nocte intempesta, cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo cęterisque, quorū cognouerat promptam audaciam, mādat, quibus rebus possint, opes factionis confirment: insidias Consuli maturent, cædem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad vrbem accessurum. Dum hæc Romæ geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Q. Martium regem mittit, cum mandatis huiuscemodi:

DEos hominesque testamur, Imperator, nos arma neq. contra patriam cepisse, neq. quò periculum aliis faceremus: sed vti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia, atque crudelitate fœneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortuna expertes sumus. Neq. cuiquam nostrum licuit, more maiorum lege vti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere: tanta sæuitia fœneratorum atque prætoris fuit. Sæpe maiores nostri miserti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ eius opitulati sunt. Ac nouissimè memoria nostra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum communi ære solutum est. Sæpe ipsa plebs aut nominandi studio permota, aut superbia magistratuum armata, à Patribus secessit: At nos non imperium, neque diuitias petimus: quarum rerum caussa, bella atque certamina inter mortales omnia sunt: sed libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul amittit. Te atque Senatum obtestamur, consulatis miseris ciuibus legis præsidium, quod iniquitas Prætoris eripuit, restituatis: néve vobis eam necessitudinem imponatis, vt quæramus quónam modo maximè vlti sanguinem nostrum, pereamus. Ad hæc Q. Martius respondit, si quid à senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur: ea mansuetudine atque misericordia Senatum & populum Rom. semper fuisse, vt nemo vnquam ab eo frustra auxilium petiuerit. At Catilina ex itinere plerisque consularibus præterea optimo cuique literas mittit, se falsis criminibus circumuentum: quoniam factioni inimicorum resistere nequiuerit, fortunæ cedere, Massiliam in exilium proficisci: non quò sibi tanti sceleris conscius esset, sed vti Respub. quieta foret, néve ex sua contentione seditio oriretur. Ab his longè diuersas literas Q. Catulus in senatu recitauit, quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat. Earum exemplum infrà scriptum est.

L. CATILINA Q. CATVLO S.

EGregia tua fides, re cognita, grata mihi magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meæ tribuit. Quamobrem defensionem in nouo consilio, non statui parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decreui, quam mediusfidius, licet veram cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quòd fructu laboris industriæque meæ priuatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam pro mea cōsuetudine suscepi. Nō quin æs alienū meis nominibus ex possessionibus soluere

possem: quum & alienis nominibus liberalitas Aureliæ Orestillæ, suis filiæq. copiis persolueret: sed quod nõ dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu, spes reliquæ dignitatis conseruandæ sum secutus. Plura quum scribere vellem, nunciatum est mihi vim parari. Nunc Orestillam tibi commendo, tuæq. fidei trado: eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. haveto. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Reatino, dum vi ciuitatem antea sollicitatam ab eo armis exornat, cum fascib. atq. aliis imperij insignibus, in castra ad Manlium contendit. Hæc vbi Romæ comperta sunt, Senatus Catilinã ad Manlium hostes iudicat, cæteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis. Præterea decernit, vti consules delectũ habeant; C. Antonius Catilinam cum exercitu persequi maturet, Cicero vrbi præsidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Rom. multo maximè visum est miserabile: cui quũ ad occasum ab ortu Solis, omnia domita armis parerent: domi, otiũ atq. diuitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent: fuere tamen ciues, qui seque remq. publicam, obstinatis animis, perditum irent. Namque ex duobus Senatus decretis, ex tanta multitudine, neque præmio inductus, coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquã omnium discesserat. Tanta vis morbi, atque vti tabes, plerosque ciuium animos inuaserat. Neque solùm illis aliena mens erat, qui conscij coniurationis fuerant: Sed omninò cuncta plebs nouarum rerum studio, Catilinæ incœpta probabat. Id adeò videbatur more suo facere: nam semper in ciuitate, quibus opes nullæ sunt, bonis inuident, malos extollunt: vetera odere, noua exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, in turba atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam egestas facilè habetur sine damno. Sed vrbana plebs, ea verò præceps ierat multis de causis. Primùm omnium, qui vbique probro atque petulantia maximè præstabant: item alij per dedecora, patrimoniis amissis: postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam sicuti in sentinam confluxerant: Deinde multi memores Syllanæ victoriæ, quòd ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita diuites, vt regio victu atq. cultu ætatem agerent: sibi quisque, si victoria in armis foret, talia sperabat. Præterea iuuentus, quæ in agris manuum mercede inopiam tolerauerat, priuatis atque publicis largitionibus excita, vrbanum otium ingrato labori prætulerat. Eos atque alios omnes, malum publicum alebat. Quò minus mirandum est homines egentes, malis moribus, maxima spe Reip. iuxtà ac sibi consuluisse. Præterea quorum victoria, Syllæ parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haud sanè alio animo belli euentum expectabant. Ad hoc, quicunque aliarum, atque Senatus partium erant, conturbari Remp. quàm minus valere ipsi malebant, ideò malum id adeò multos pòst annos in ciuitatem reuerterat. Nam postquàm Cn. Pompeio & M. Crasso consulibus tribunitia potestas restituta est, homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus ætas, animusque ferox erat cœpere Senatum criminando plebem exagitare: deinde largiendo, atque pollicitando magis in-

A cendere. Ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque pars nobilitatis, Senatus specie pro sua magnitudine. Namq. (vti paucis verum absoluam) post illa tempora quicunq. Remp. agitauere, honestis nominibus alij, sicuti iura populi defenderent, pars quo Senatus autoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisq. potentia certabant: neq. illis modestia, neq. modus contentionis erat. Vtriq. victoriam crudeliter exercebant. Sed postquàm Cn. B Pompeius ad bellum maritimum atq. Mithridaticum missus est, plebis opes imminutæ, paucorum potentia creuit. Hi magistratus prouincias, aliaq. omnia tenere. Ipsi innoxij, florentes, sine metu ætatem agere: cæteros iudiciis terrere, quò plebem in magistratu placidius tractarent. Sed vbi primùm in dubiis rebus nouandis spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit. Quòd si primo prœlio Catilina superior, aut æqua manu discessisset, profectò magna clades atq. calamitas C Remp. oppressisset: neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea vti licuisset, quin defessis et exanguibus, qui plus posset, imperium atq. libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. In his erat Fuluius Senatoris filius, quem retractum ex itinere parens iussit necari. Iisdem temporibus Romæ Lentulus, sicuti Catilina præceperat, quoscunq. moribus aut fortuna nouis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollici- D tabat; neq. solum ciues, sed cuiuscunq. modi genus hominum, quod modo bello vsui foret. Igitur P. Vmbreno cuidam negocium dat, vti legatos Allobrogum requirat: eosq. si possit, impellat ad societatem belli existimans publicè priuatimq. ære alieno oppressos: Præterea, quòd natura Gallica gens bellicosa esset, facilè eos ad tale cõsilium adduci posse. Vmbrenus quòd in Gallia negociatus erat, plerisq. principibus ciuitatum notus erat, atque eos nouerat. Itaq. sine mora vbi primùm le- E gatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu ciuitatis, & quasi dolens eius casum, cœpit requirere, quem exitum tantis malis sperarent. Postquàm illos videt queri de auaritia magistratuum, accusare Senatum: quod in eo auxilij nihil esset, miseriis suis remedium, morte expectare. At ego (inquit) vobis si modò viri esse vultis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis. Hæc vbi dixit, Allobroges in maximam spem adducti, Vmbrenum orare vt sui misereretur: nihil tam aspe- F rum, neque tam difficile esse, quin cupidissimè facturi essent, dum ea res ciuitatem ære alieno liberaret. Ille eos in domũ D. Bruti perducit, quòd foro propinqua erat, neq. aliena consilij propter Semproniam. Nã tum Brutus Roma aberat. Præterea Gabinium accersit, quò maior autoritas sermoni inesset. Eo præsente coniurationem aperit, nominat socios. Præterea multos cuiusq. generis innoxios: quò legatis animus amplior esset. Deinde eos pollicitos operam suam, domum dimittit. G Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilij caperent. In altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ: at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe, certa præmia. Hæc illis voluentibus, tandem vicit fortuna Reip. Itaque Q. Fabio Sangæ, cuius patrocinio plurimum ciuitas vtebatur, rem omnem vti cognouerant, aperiunt. Cicero per Sangam consilio cognito legatis præcipit, vt studium coniuratio-

A coniurationis vehementer simulent: cæteros adeant, bene polliceantur, déntque operam vti eos quàm maximè manifestos habeant: iisdém ferè temporibus, in Gallia citeriore atque vlteriore, item in agro Piceno, Brutio, in Apulia motus erat. Namque illi, quos antè Catilina dimiserat, inconsultè ac veluti per dementiam cuncta simul agebant: nocturnis consiliis, armorum, atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quàm periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor, ex S. consulto, cognita causa, in vincula coniecerat. Item B in citeriore Gallia C. Murena, qui ei prouinciæ legatus præerat. At Romæ Lentulus cum cæteris, qui erant coniurationis principes, paratis (vt videbatur) magnis copiis, constituerat, vti cum Catilina in agrum Fesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia Tr. plebis, concione habita quæreretur de actionibus Ciceronis, bellique grauissimi inuidiam optimo Consuli imponeret. Eo signo, pro C xima nocte cætera multitudo coniurationis suum quisque negotium exequeretur: sed ea diuisa hoc modo dicebantur. Statilius & Gabinius vti cum magna manu duodecim simul opportuna loca Vrbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem, cæterósq. quibus insidiæ parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis ianuam obsideret, eúmque vi aggrederetur, alius autem alium. Sed filij familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent: simul cæde & incendio, perculsis omnibus, ad Catilinam erumpe- D rent. Inter hæc parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignauia sociorum, illós dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto non consulto in tali periculo opus esse: seque si pauci adiuuarent, languentibus aliis, impetum in Curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promptus erat, maximum bonum in celeritate putabat. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium cæteros conueniunt: ab Lentulo, Cethego, Stati- E lio, item Cassio postulant iusiurandum, quòd signatum ad ciues perferant: aliter haud facilè eos ad tantum negotium impelli posse. Cæteri nihil suspicantes, dant. Cassius semet eò venturum breui pollicetur, ac paulò antè legatos, ex vrbe proficiscitur. Lentulus cum his Titum Vulturtium quendam Crotoniensem mittit, vt Allobroges, priusquam domum pergerent, cum Catilina, data atque accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Vulturtio literas ad Catilinam dat, quarum F exemplum infrà scriptum est:

QVis sim, ex eo quem ad te misi cognosces: fac cogites, in quanta calamitate sis, & memineris te virum esse, Consideres quid tuæ postulent rationes: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. Ad hæc, mandata verbis dat, cùm ab Senatu hostis iudicatus sit, quo consilio seruitia repudiet. In Vrbe parata esse, quæ gesserit, ne cunctetur ipse propius accedere. His rebus ita actis, G constituta nocte qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco, & C. Pomptino Prætoribus imperat, vt in ponte Miluio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant. Rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur. Cetera, vti facto opus sit, ita agant: permittit illis homines militares: sine tumultu, præsidiis collocatis, sicut præceptum erat, occultè pontem

A obsident. Postquàm ad id loci, legati cùm Vulturtio venerunt & simul vtrinq. clamor exortus est. Galli citò cognito consilio sine mora prætoribus se tradunt. Vulturtius primo cohortatus cæteros, gladio se à multitudine defendit: deinde vbi à legatis desertus est, multa prius de salute sua Pompeium obtestatus, quòd ei notus erat: post enim timidus, ac vitæ diffidens, velut hostibus sese Prætoribus dedit. Quibus rebus confectis, omnia properè per nuncios Consuli declarantur. At illum ingens cura, atque lætitia simul occupauere. Nam B lætabatur, intelligens coniuratione patefacta, ciuitatem periculis ereptam esse. Porrò autem anxius erat, dubitans, in maximo scelere tantis ciuibus deprehensis, quid facto opus esset, pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdendæ Resp. fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabiniú itemque Q. Ceparium Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda seruitia proficisci parabat: C cæteri sine mora veniunt. Ceparius paulò antè domo egressus, cognito iudicio, ex vrbe profugerat. Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens, in Senatum perducit. Reliquos, cum custodibus in ædem Concordiæ venire iubet: eò Senatum aduocat: magnaq. frequentia eius ordinis, Vulturtium cum legatis introducit. Flaccum Prætorem scrinium cum literis, quas à legatis acceperat, eódé afferre iubet. Vulturtius interrogatus de itinere, & de literis, postremò quid, aut qua de D causa consilij habuisset: Primò fingere, alia dissimulare de coniuratione: pòst, vbi fide publica dicere iussus est, omnia vti gesta erant aperit, docétque se paucis antè diebus à Gabinio & Cœpario socium accitum, nihil ampliùs scire, quàm legatos, tantummodò audire solitum, ex Gabinio, P. Antronium, Seruium Syllam, L. Varguntium, multos prætereà in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur. Ac Lentulum dissimulantem coarguunt, preter literas, sermonibus, quos ille habere E solitus erat, ex libris Sibyllinis, regnum Romæ tribus Cornelijs portendi, Cinnam atque Syllam antea, se tertium esse, cui fatum foret vrbis potiri. Prætereà ab incenso capitolio, illum esse vigesimum annum, quem sæpè ex prodigiis Aruspices respondissent bello ciuili cruentum fore. Igitur perlectis literis, cùm priùs omnes signa sua cognouissent, Senatus decreuit, vti abdicato magistratu, Lentulus, itemque cæteri in liberis custo- F dijs haberentur. Itaq. Lentulus, P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat: Cethegus, Qu. Cornificio: Statilius C. Cæsari: Gabinius M. Crasso: Cœparius (nam is paulò antè ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur. Interea plebs, coniuratione patefacta, quæ primo cupida nouarum rerum nimis bello fauebat, mutata mente, Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere, veluti ex seruitute erepta, gaudium atque lętitiam agitabat: nam alia belli facinora prædæ magis, quàm detrimento fore. Incendium verò G crudele, immoderatum, ac sibi maximè calamitosum putabat: quippe cui omnes copię in vsu quotidiano & cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad Senatú adductus erat, quẽ ad Catilinam proficiscentem retractum ex itinere aiebant. Is quum se diceret indicaturum de cõiuratione, si fides publica data esset: iussus à Cõsule quæ sciret edicere: eadem ferè, quæ Vulturtius de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere ho-

ſtrum Senatum edocet. Præterea ſe miſſum à M. Craſſo, qui Catilinæ nunciaret, ne eum Lentulus & Cethegus, aliique de coniuratione deprehenſi terrerent. Eoque magis properaret ad vrbem accedere, quo & cæterorum animos reficeret, & illi facilius è periculo eriperentur. Sed vbi Tarquinius Craſſum nominauit, hominem nobilem maximis diuitiis, ſumma potentia: alij rem incredibilem rati, pars tametſi verum exiſtimabant, tamen quia in tali tẽpore tanta vis hominis magis leniunda, quàm exagitanda videbatur, pleriq. Craſſo ex priuatis negociis obnoxij, conclamant indicem falſum eſſe, deq. ea re poſtulant, vti referatur. Itaque Conſulente Cicerone, frequens Senatus decreuit Tarquinij indicium falſum videri, eumq. in vinculis retinendum, neque amplius poteſtatem ſui faciundam, niſi de eo indicaret: cuius conſilio tantam rem eſſet mentitus. Erat eo tempore, qui exiſtimarẽt indicium illud à P. Autronio machinatũ, quo facilius appellato Craſſo per ſocietatem periculi, reliquos illius potentia tegeret. Alij Tarquiniũ immiſſum à Cicerone aiebãt, ne Craſſus more ſuo, ſuſcepto malorum patrocinio Remp. conturbaret. Ipſum Craſſum ego poſtea prædicantem audiui, tantam illam contumeliam ſibi à Cicerone paratam. Sed iiſdem temporibus Q. Catulus & Cn. Piſo, neque precibus, neq. precio, neq. gratia, Ciceronem impellere potuere, vti per Allobroges aut per alium indicem C. Cæſar falſo nominaretur: nam vterq. grauis inimicitias cum illo exercebant. Piſo oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum, propter cuiuſdam Tranſpadani ſupplicium iniuſtum: Catulus ex petitione Pontificatus odio incenſus, quòd extrema ætate maximis honoribus vſus, ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat. Res autem opportuna videbatur, quod is priuatim egregia liberalitate, publicè maximis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed vbi Conſulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipſi ſingillatim circumeundo, atque ementiendo, quæ ſe ex Vulturtio aut Allobrogibus audiſſe dicerent, magnam illi inuidiam conflauerant: vſque adeò, vt nonnulli equites Romani, qui præſidij cauſa cum telis erant, circum ædem Cõcordiæ, ſeu periculi magnitudine, ſeu animi nobilitate impulſi, quo ſtudium ſuum in Remp. clarius eſſet, egredienti ex ſenatu Cæſari gladio minitarentur. Dum hæc in ſenatu aguntur, & dum legatis Allobrogũ, & T. Vulturtio, comprobato eorum indicio, præmia decernuntur, liberti, & pauci ex clientibus Lentuli diuerſis itineribus opifices, atque ſeruitia in vicis ad eum eripiendum ſollicitabant. Partim exquirebant duces multitudinum, qui precio Remp. vexare ſoliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos ſuos electos & exercitatos orabat in audaciam, vt grege facto cum telis ad ſeſe irrumperent. Conſul vbi ea parari cognouit, diſpoſitis præſidiis, vti res atque tempus monebat, conuocato ſenatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in cuſtodiam traditi erant. Sed eos frequens Senatus iudicauerat paulò ante cõtra Rempub. feciſſe. Tum D. Iunius Syllanus primus ſententiam rogatus (quod eo tempore Conſul deſignatus erat) de iis qui in cuſtodiis tenebantur, & præterea de L. Caſſio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, ſi deprehenſi forent, ſupplicium ſumendum decreuerat. Iſq. poſtea permotus oratione C. Cæſaris, pedibus in ſententiam Tiberij Neronis iturum ſe dixerat: quòd de ea re, præſidiis additis, referendam eſſe cenſuerat. Sed Cæſar, vbi ad eum ventum eſt, rogatus ſententiam a Conſule, huiuſcemodi verba loquutus eſt.

CÆSARIS ORATIO.

OMnis homines, P. C. qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt, neq. quiſquam omnium libidini ſimul & vſui paruit. Vbi intenderis ingenium, valet: ſi libido poſſidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia eſt memorandi P. C. qui reges atque populi, ira aut miſericordia impulſi, malè conſuluerint. Sed ea malo dicere, quæ maiores noſtri contra libidinem animi ſui rectè atq. ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perſe geſſimus, Rhodiorum ciuitas magna, atque magnifica, quæ populi Rom. opibus creuerat, infida, atque aduerſa nobis fuit. Sed poſtquam bello confecto de Rhodiis conſultum eſt, maiores noſtri, ne quis diuitiarum magis quàm iniuriæ cauſa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimiſere. Item bellis Punicis omnibus, quum ſæpe Carthaginienſes in pace, & per inducias, multa nefaria facinora fecere, nunquam ipſi per occaſionem talia fecere: magis quid ſe dignum foret, quàm quid in illos iure fieri poſſet, quærebant. Hoc item vobis prouidendum eſt, P. C. ne plus apud vos valeat P. Lentuli & cæterorum ſcelus, quàm veſtra dignitas, néve magis iræ veſtræ, quàm famæ conſulatis. Nam ſi digna pœna pro factis eorũ reperitur, nouũ conſilium approbo: ſin magnitudo ſceleris omnium ingenia exuperat, iis vtendum cenſeo, quæ legibus comparata ſunt. Pleriq. eorum, qui ante me ſententias dixerũt, compoſitè atque magnificè, caſum Re pu. miſerati ſunt, quæ belli ſæuitia eſſet, quæ victis acciderent, enumerauere: rapi virgines, pueros, diuelli liberos à parentum complexu, matres familiarum pati, quæ victoribus collibuiſſent, fana atque domos ſpoliari, cædem, incendia fieri: poſtremò armis, cadaueribus, cruore, atque luctu omnia compleri. Sed per Deos immortales, quò illa oratio pertinuit? an vti vos infeſtos coniurationi faceret? ſcilicet, quem res tanta, atque tam atrox non permouit, eum oratio accendet. Non ita eſt: neq. cuiquam mortalium iniuriæ ſuæ paruæ videntur: multi eas grauius æquo habuere. Sed alia aliis licentia eſt, P. C. Qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia deliquere, pauci ſciunt: fama, atq. fortuna eorum pares ſunt. Qui magno imperio præditi, in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouere. Ita in maxima fortuna, minima licentia eſt: neq. ſtudere, neq. odiſſe, ſed minime iraſci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia atque crudelitas appellatur. Ego quidem ſic exiſtimo, P. C. omnes cruciatus minores quàm facinora illorum eſſe. Sed plerique mortales poſtrema meminere, & in hominibus impiis, ſceleris eorum obliti, de pœna diſſerunt, ſi ea paulò ſeuerior fuerit. D. Syllanum virum fortem atque ſtrenuum certo ſcio, quæ dixerit, ſtudio Reipubl. dixiſſe, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere: eos mores, eamque modeſtiam viri cognoui. Verùm ſententia eius mihi non crudelis. Quid enim in taleis homines crudele fieri poteſt? ſed aliena à Repub. noſtra videtur. Nam profecto aut metus, aut iniuria te ſubegit Syllane, Conſulem deſignatum genus pœnæ nouum decernere. De timore ſuperuaca-

naça ... dicere: cùm præsertim diligentia clarissimi viri Consulis tanta præsidia sint in armis. De pœna possum equidem dicere id quod res habet, in luctu atque miseriis, mortem, ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissoluere, vltra neque curæ, neque gaudio locum esse. Sed per deos immortales, quam ob rem in sententiam non addidisti, vti prius verberibus in eos animaduerteretur? An quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis ciuibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An quia grauius est verberari, quàm necari? Quid autem acerbum, aut nimis graue est in homines tanti facinoris conuictos? sin quia leuius est, qui conuenit in minore negotio legem timere, cùm eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas Reip. decretum erit? tempus, dies, fortuna, cuius libido gentibus moderatur? illis meritò accidet quicquid euenerit. Cæterum vos Patres C. quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt. Sed vbi imperium ad ignaros eius, aut minus bonos peruenit, nouum illud exemplum ab dignis & idoneis, ad indignos & non idoneos transfertur. Lacedæmonij deuictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui Remp. eorum tractarent. Hi primò cœpere pessimum quenque & omnibus inuisum indemnatum necare: ea populus lætari, & meritò dicere fieri. Post vbi paulatim licentia creuit, iuxta bonos & malos libidinosè interficere, cæteros metu terrere. Ita ciuitas seruitute oppressa, stultæ lætitiæ grauis pœnas dedit. Nostra memoria victor Sylla cùm Damasippum, & alios eiusmodi, qui malo Reip. creuerant, iugulari iussit: quis non factum eius laudabat? homines scelestos & factiosos, qui seditionibus Remp. exagitauerant, meritò necatos aiebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Nam vti quisque domum aut villam, postremò vas, aut vestimentum alicuius concupiuerat, dabat operam, vt is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paulò post ipsi trahebantur: neque priùs finis iugulandi fuit, quàm Sylla omnes suos diuitiis expleuit. Atque ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor. Sed in magna ciuitate, multa & varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Vbi hoc exemplo per S.C. Consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Maiores nostri, P.C. neque consilij, neque audaciæ vnquam eguere. neque illis superbia obstabat, quò minus aliena instituta, si modò proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria à Samnitibus, insignia magistratuum à Thuscis pleraque sumpserunt. Postremò quod vbique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur: imitari, quàm inuidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati, verberibus animaduertebant in ciues, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam Resp. adoleuit, & multitudine ciuium factiones valuere, circumueniri innocentes, alia huiuscemodi fieri cœpere: tunc lex Porcia aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus damnatis exilium permissum est. Hanc ego causam, P.C. quò minus nouum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profectò virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex paruis o-

A pibus tantum imperium fecere, quàm in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ? Minimè. Sed ita censeo. publicandas eorum pecunias, & ipsos in vinculis habendos per municipia, quæ maximè opibus valent: neu quis de eis postea ad Senatum referat, néve cum populo agat. Qui aliter fecerit, Senatum existimare, eum contra Remp. & salutem omnium facturum. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, cæteri verbo alius alij B variè assentiebantur. At M. Porcius Cato rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit.

ORATIO M. CATONIS.

Longè mihi alia mens est, Patres Conscripti, cùm res atque pericula nostra considero, & cùm sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis C bellum parauere. Res autem monet, cauere ab illis magis, quàm quid in illos statuamus, consultare. Nam cætera maleficia tum persequare, vbi facta sunt: Hoc nisi prouideris ne accidat, vbi euenit, frustra iudicia implores. Capta vrbe, nihil fit reliqui victis. Sed per deos immortales vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quàm Remp. fecistis. Si ista, cuiuscunque modi sunt, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis, ex- D pergiscimini aliquando, & capessite Remp. Nunc non agitur de vectigalibus, neque de sociorum iniuriis. Libertas & anima nostra in dubio est. Sæpenumero P. conscripti, multa verba in hoc ordine feci, sæpe de luxuria atque auaritia nostrorum ciuium questus sum, multosque mortales ob eam causam aduersos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius vnquam delicti gratiam fecissem, haud facilè alterius libidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos paruipendebatis, tamen Resp. firma erat: opulentia neglegentiam tole- E rabat. Nunc verò non id agitur, bonisne an malis moribus viuamus: neque quantum, aut quàm magnificum imperium populi Rom. sit: sed hæc cuiuscunque modi videntur, nostra, an nobiscum vna hostium futura sint. Hîc mihi quisquam mansuetudinem & misericordiam nominat? Iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. Eò Resp. in extremo sita est. Sint sanè quoniam ita se mores habent, li- F berales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus ærarij. Ne illi sanguinem nostrum largiantur: & dum paucis sceleratis parcunt, bonos omneis perditum eant. Benè & compositè C. Cæsar paulò antè in hoc ordine de vita & morte disseruit: credo, falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis, loca tetra, inculta, fœda, atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos: vide- G licet timens, ne si Romæ sint, aut à popularibus coniurationis, aut à multitudine conducta, per vim eripiantur. Quasi verò mali atque scelesti tantummodo in vrbe, & non per totam Italiam sint, aut ibi non plus possit audacia, vbi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit: sin in tanto omnium metu solus non timet, eò magis

DVm ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia, quam & ipse adduxerat, & Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortes pro numero militum complet. Deinde, vt quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venerat, æqualiter distribuerat, ac breui spacio legiones numero hominum expleuerat: cum initio duobus non amplius millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa, cæteri vt quenque casus armauerat, sparos aut lanceas, alij præacutas sudes portabant. Sed postquàm Antonius aduentabat cum exercitu, Catilina per montes iter facere: modò ad vrbem, modò in Galliã versus castra mouere: hostibus occasionem pugnandi nõ dare: sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romæ socij incœpta patrauissent. Interea seruitia repudiabat, quorum initiò ad eum magnæ copiæ concurrebant: opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existimans, videri causam ciuium cum seruis fugitiuis communicauisse. Sed postquàm in castra nuncius peruenit, Romæ coniurationem patefactam, de Lentulo & Cethego, cæterisque quos suprà memoraui, supplicium sumptum: plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut nouarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit: eo cõsilio, vti per tramites occultè perfugeret in Galliã Trãsalpinã. At Quintus Metellus Celer cũ tribus legionib. in agro Piceno præsidebat: ex difficultate rerum eadem illa existimans, quæ suprà diximus, Catilinam agitare. Igitur vbi iter eius ex profugis cognouit, castra properè mouit: ac sub ipsis radicibus montium consedit, quà illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat: vtpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugã sequeretur. Sed Catilina, postquàm videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in Vrbe res aduersas, neq; fugæ, neque præsidij vllam spem: optimum factu ratus, in tali re fortunam belli tentare: statuit cum Antonio quàm primum confligere. itaque concione aduocata, huiuscemodi orationem habuit.

ORATIO CATILINÆ.

COmpertum ego habeo milites, Verba virtutẽ non addere: neq; ex ignauo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quẽ neq; gloria, neque pericula excitant, ne quidquã hortere: timor animi auribus officit. Sed ego vos, quò pauca monerem, aduocaui: simul vti causam consilij mei aperirem. Scitis equidem milites, socordia atque ignauia Lentuli, quantam ipsi nobisque cladem attulerit: quoque modo, dum præsidia ex Vrbe opperior, in Galliam proficisci nequiuerim. Nunc verò quo in loco res nostræ sint, iuxtà mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, vnus ab Vrbe, alter à Gallia obstant. Diutius in his locis esse, si maxime animus ferat, frumenti atque aliarum rerũ egestas prohibet. Quocunque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, vti forti atque parato animo sitis: & quum prælium inibitis, memineritis vos diuitias, decus, gloriã, præterea libertatem, atq; patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis A tuta erunt: commeatus abundè, municipia atque coloniæ patebunt. Sin metu cesserimus, eadem illa aduersa fient: neq; locus, neq; amicus quisquã teget, quem arma non texerint. Præterea milites, non eadem nobis & illis necessitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis superuacaneum est, pugnare pro paucorum potentia. Quò audacius aggrediamini, memores pristinæ virtutis. Licuit nobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere. Potuistis nonnulli, B Romæ, amissis bonis, alienas opes spectare. Quia illa fœda atq; intolleranda viris videbantur, hæc sequi decreuistis. Si hæc relinquere vultis, audacia opus est. Nemo nisi victor, pace bellum mutauit. Nam in fuga salutem sperare, cùm arma, quibus corpus tegitur, ab hostibus auerteris, ea verò dementia est. Semper in prælio iis maximum est periculũ, qui maximè timent: audacia pro muro habetur. Quum vos considero milites, & quum facta vestra æstimo, magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra me hortantur: prætereà C necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Nam multitudo hostium, ne nos circumuenire queat, prohibent angustiæ loci. Quòd si virtuti vestræ fortuna inuiderit, cauete ne inulti animam amittatis, neu capti potiùs sicuti pecora trucidemini, quàm virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

HÆc vbi dixit, paululum commoratus, signa canere iubet, atque instructos ordines in locum D æquum deducit. Inde remotis omnibus equis, pro militibus exæquato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam vti planicies erat inter sinistros montes, & ab dextera rupes aspera, octo cohortes in fronte constituit, reliqua signa in subsidiis artius collocat. Ab his centuriones omneis lectos & euocatos. Præterea ex gregariis militibus, optimum quenq; armatum in primam aciem E subducit. C. Manlium in dextra, Fesulanum quendam in sinistra parte curare iubet. Ipse cũ libertis & calonibus propter Aquilam adsistit, quam bello Cymbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius pedibus æger, quod prælio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumultus causa conscripserat, in fronte: post eas cæterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, vnumquenque nominans, appellat, hortatur, rogat, vt meminerint se contra latro- F nes inermes, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius triginta annis tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor, cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos, factaque eorum fortia nouerat: ea commemorando militum animos accendebat. Sed vbi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortes paulatim incedere iubet. Idem facit hostium exercitus. Postquàm eò ventum est, vnde à ferentariis prelium committi pos- G set, maximo clamore cũ infestis signis cõcurrunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinæ virtutis memores, cominus acriter instare. Illi haud timidi resistunt: maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis militibus in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia prouidere, multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire: strenui militis, & boni

imperatoris officia simul exequebatur. Petreius, A vbi videt Catilinam contrà ac ratus erat, magna vi contendere: cohortem prætoriam in medios hostes inducit, eósque perturbatos, atq; alios alibi resistentes interficit. Deinde vtrinque ex lateribus cæteros aggreditur. Manlius & Fesulanus, in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, séque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinę dignitatis suę, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur. Sed confecto prœlio, tum verò cerneres quãta audacia, quantáque vis animi fuisset in exercitu Catilinæ. B Nam ferè quem quisque pugnando viuus locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disiecerat, paullò diuersius: sed omnes tamen aduersis vulneribus conciderant. Catilina verò longè à suis inter hostium cadauera repertus est, paululum etiam adhuc spirans, ferociamque animi, quam habuerat viuus, in vultu retinens. Postremò, ex omni copia neque in prælio, neque in fuga quisquam ciuis ingenuus captus est. Ita cuncti suæ hostiúmque vitæ iuxtà pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani lætam aut incruentam victoriam adeptus erat. Nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut grauiter vulneratus discesserat. Multi autem, qui ex castris visendi aut spoliandi gratia processerant, voluentes hostilia cadauera, amicum alij, pars hospitem aut cognatum reperiebant. Fuere item, qui inimicos suos recognoscerent. Ita variè per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudium agitabantur.

C. CRISPI SALVSTII IVGVRTHA, SEV BELLVM IVGVRTHINVM.

PROOEMIVM.

Falso queritur de natura sua genus humanum, quòd imbecilla atque æui breuis, Forte potius quàm virtute regatur. Nam contrà reputando, neque maius aliud, neque præstabilius inuenias, magisque naturę industriam hominũ, quàm vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitæ mortalium, animus est: qui vbi ad gloriam, virtutis via grassatur, abundè pollens potensque & clarus est, neque Fortunæ eget: quippe quæ probitatem, industriam, cæterásque artes bonas, neque dare neque eripere cuiquam potest. Sin captus prauis cupidinibus, ad inertiam & voluptates corporis pessundatus est: perniciosa libidine paulisper vsus: vbi per socordiam vires, tempus, ætas, ingenium diffluxêre. Naturæ infirmitas accusatur: suam quippe culpam autores ad negocia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena, ac nihil profutura, multùmque etiam periculosa appetunt, E neque regerentur magis casibus, quàm regerent casus: & eò magnitudinis procederent: vbi pro mortalibus gloria æterni fierent. Nam vti genus hominum compositum è corpore & anima est: ita res cunctæ, studiáque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur præclara facies, magnæ diuitiæ, ad hoc vis corporis, & alia huiuscemodi omnia breui dilabuntur. At ingenij egregia facinora, sicuti animus, immortalia sunt. Postremò corporis, & fortunæ bonorum, vti initium, C sic finis est: omniáq; orta occidunt, & aucta senescunt. Animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis priuatas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis, per luxum atq; ignauiam ætatem agunt. Cęterùm ingeniũ, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortaliũ est, incultu atque socordia torpescere sinunt: cùm præsertim tam multæ variæque artes sint animi, quibus summa claritudo paratur. Verùm ex his D magistratus, & imperia, postremò omnis cura rerũ publicarum, minimè mihi hac tempestate cupienda videntur: quoniam neque virtuti honos datur, neque illi quibus per fraudem vis fuit, vtiq; tuti, aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quanquam & possis, & delicta corrigas, tamen importunum est, cùm præsertim omnes rerum mutationes, cædem, fugam, aliáq; hostilia portendant. Frustra autem niti, neque aliud se fatigando: nisi odiũ quærere extremæ dementię est, nisi forte quem inhonesta & perniciosa libido tenet, potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari. Cæterùm ex his negociis, quæ ingenio exercentur, in primis magno vsui est memoria rerum gestarũ, cuius de virtute, quia multi dixêre, prætereundum puto: simul ne per insolentiam quis existimet, memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui (quia decreui procul à republica agere ętatem) tanto tamq; vtili labori meo, nomen inertiæ imponant. Certè, quibus maxima industria videtur

videtur, salutare plebem, & conuiuiis gloriam A quærere: qui si reputauerint, & quibus ego temporibus magistratum adeptus sim, & quales viri idem adsequi nequiuerint: & post ea quæ genera hominum in Senatum peruenerint, profectò existimabunt me magis meritò, quàm ignauia, iudicium animi mei mutauisse: maiúsque commodum ex ocio meo, quàm ex aliorum negociis Reip. venturum. Nam sæpe audiui ego, Quintum Maximum, Publium Scipionem, præterea ciuitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere; quum B maiorum imagines intuerentur, vehementissimè animum sibi ad virtutem accendi: scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in sese habere: sed memoria rerum gestarum, eam flammam egregiis viris in pectore crescere: neq; prius sedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit. At contrà, quis est omnium his moribus, quin diuitiis & sumptibus, non probitate, neque industria cum maioribus suis contendat? Etiam homines noui, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem anteuenire, furtim & per latrocinia potius, quàm bonis artibus ad imperia & honores nituntur. Perinde quasi prætura & consulatus, atque omnia alia huiuscemodi per seipsa clara & magnifica sint: ac non perinde habeantur, vt eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius altiúsque processi, dum me ciuitatis morum piget, tædétque. Nunc ad inceptum redeo.

C. CRISPI SALVSTII IVGVRTHA SEV BELLVM IVGVRTHINVM.

BELLVM scripturus sum, quod C populus Romanus cum Iugurtha rege Numidarum gessit. Primum, quia magnum & atrox, variáque victoria fuit: deinde, quia tunc primùm superbiæ nobilitatis obuiam itum est: quæ contentio, diuina & humana cuncta permiscuit: eóque vecordiæ processit, vt studiis ciuilibus bellum atque vastitas Italiæ finem faceret. Sed priusquàm huiuscemodi rei initium expediam, pauca suprà repetam, quò ad cognoscendum omnia, illustria magis magísque in aperto sint. Bello Punico secundo, quò dux Carthaginensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani, Italiæ opes maximè attriuerat, Masinissa rex Numidarum, in amicitiam receptus à P. Scipione, cui cognomen postea Africano ex virtute fuit, multa & præclara rei militaris facinora fecerat. Ob quæ, victis Carthaginensibus, & capto Syphace, cuius in Africa magnum atque latè imperium valuit, populus Roman. quascunque vrbes & agros manu ceperat, regni dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit: sed imperij vitæque eius finis idem fuit. Deinde Micipsa filius eius regnum solus obtinuit, Manastabale & Gulussa fratrib. morbo absumptis. Is Adherbalem & Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthámque Manastabilis fratris filium, quem Masinissa, quòd ortus ex concubina erat, priuatum reliquerat, eodem cultu quo liberos suos domi habuit. Qui vbi primùm adoleuit, pollens viribus, decora facie, F sed multo maximè ingenio validus, non se luxui, neque inertiæ corrumpendum dedit: sed (vti mos gentis illius est) equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare: & quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esse. Ad hoc pleraque tempora in venando agere: leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa, tametsi initio lætus fuerat, existimans Iugurthæ virtutem regno suo gloriæ fore: tamen postquàm hominem adolescentem, exacta ætate sua, & paruis liberis magis magísque crescere intelligit, vehementer eo negocio permotus, multa cum animo suo voluebat. Terrebat eum natura mortalium auida imperij, & præceps ad explendam animi cupidinem. Præterea opportunitas suæ liberorúmque ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transuersos agit. Ad hoc, studia Numidarum in Iugurtham accensa. Ex quibus, si talem virum D dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat. His difficultatibus circumuentus, vbi videt neq; per vim, neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus: quòd erat Iugurtha manu promptus, & appetens gloriæ militaris, statuit eum obiectare periculis, & eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Micipsa cum populo Rom. equitum atq; peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentádo virtutem vel hostium sæuitia facilè eum occasurũ: præfecit Numidis, E quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longè aliter ac ratus erat, euenit. Nã Iugurtha, vt erat impigro atque acri ingenio, vbi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis Imperator erat, & morem hostium cognouit: multo labore, multáque cura, præterea modestissimè parẽdo, & sæpe obuiam eundo periculis, in tantam claritudinem breui peruenerat, vt nostris vehementer charus, Numantinis maximo terrori esset. 4 Ac sanè, quod difficillimũ in primis est, & prælio strenuus erat, & bonus consilio: quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem plerunque afferre solet. Igitur Imperator omnes ferè res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magísque eũ indies amplecti: quippe cuius neq; cõsilium, neq; inceptũ vllum frustrà erat. Huc accedebat munificentia animi, ingenij solertia. Quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia cõiunxerat. Ea tempestate in exercitu nostro fuere cõplures noui atque nobiles, quib. diuitiæ bono honestóq; potiores erant: factiosi, domi po-

tentes, apud socios clari, magis quàm honesti: qui Iugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore vti solus regno Numidiæ potiretur: in ipso maximam virtutem; omnia Romæ venalia esse. Sed postquàm Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, & ipse reuerti domum decreuit: donatum atque laudatum magnificè pro concione Iugurtham, in prætorium adduxit: ibique secretò monuit, vt potius publicè, quàm priuatim amicitiam populi Romani coleret, neu quibus largiri insuesceret. Periculosè à paucis emi, quod multorum esset, si permanere vellet in suis artibus, vltrò illi & gloriam & regnum venturum: sin properantius pergeret, pecuniam & ipsum præcipitem casurum. Sic loquutus, cum literis eum, quas Micipsæ redderet, dimisit. Earum sententia hæc erat:

Iugurthæ tui, bello Numantino longè maxima virtus fuit: quam rem certò scio tibi gaudio esse. Nobis, ob merita sua charus est: vt idem senatui populoque Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. En habes virum dignum te, atque auo suo Masinissa.

Igitur rex, vbi ea quæ fama acceperat, ex literis Imperatoris ita esse cognouit: cùm virtute, tùm gratia viri permotus, flexit animum suum & Iugurtham beneficiis vincere aggressus est, statimq; eum adoptauit: & testamento pariter eum filiis hæredem instituit. Sed ipse paucos post annos, morbo atque ætate confectus, quum sibi finem vitæ adesse intelligeret, coram amicis & cognatis, itémque Adherbale & Hiempsale filiis, huiuscemodi verba cum Iugurtha fertur habuisse.

MICIPSÆ VERBA.

Paruum ego te Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus in meum regnum accepi: existimans non minus me tibi, quàm liberis, si genuissem, ob beneficia charum fore. Neque ea res falsum me habuit. Nam vt alia magna & egregia tua facta omittam, nouissimè rediens Numantia, méque regnúmque meum gloria decorasti, tuaq; virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti: in Hispania nomen familiæ nostræ renouatum est. Postremò quod difficillimum inter mortales est, gloria inuidiam vicisti. Nunc quoniá mihi natura finem vitæ fecit, per hanc dextram, per regni fidem moneo obtestorque te, vti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, charos habeas: neu malis alienos adiungere, quàm sanguine coiúctos retinere. Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt. Verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. Quis autem amicior, quàm frater fratri? aut quem alienum, fidum inuenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego regnú vobis trado firmum, si boni eritis: si mali, imbecillum. Nam concordia, paruæ res crescunt: discordia, maximæ dilabuntur. Cæterùm ante hos te Iugurtha, qui ætate & sapientia priores, ne aliter quid eueniat, prouidere decet. Ná in omni certamine, qui opulentior est etiamsi accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. Vos autem Adherbal & Hiempsal, colite & obseruate hunc talé virum. Imitamini virtutem, & enitimini, ne ego meliores liberos sumsisse videar, quàm genuisse. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intelligebat, & ipse longè aliter animo agitabat, tamen pro

A tempore benignè respondit. Micipsa paucis pòst diebus moritur. Postquàm illi more regio iusta magnificè fecerant, reguli in vnú conuenere, vt inter se de cunctis negociis disceptarét. Sed Hiempsal, qui minimus ex illis erat, natura ferox, etiam antè ignobilitatem Iugurthæ (quia materno genere impar erat) despiciens, dextra Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Deinde tamé, vt ætati cócederet, fatigatus à fratre, vix in alterá par-
B tem traductus est. Ibi cùm multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit, Oportere quinquennij consulta, & decreta omnia rescindi. Nàm per ea tépora confectum annis Micipsam, parùm animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit. Nam ipsum illú tribus his proximis annis adoptione in regnum peruenisse. Quod verbum in pectus Iugurthæ altius quàm quisque ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira & metu anxius, moliri, parare, at-
C que ea modò in animo habere, quibus per dolum Hiempsal caperetur. Quæ vbi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox, statuit quouis modo inceptum perficere. Primo conuentu, quem ab regulis factum suprà memoraui, propter dissensionem placuerat diuidi thesauros, finésque imperij singulis constitui. Itaque tempus ad vtranque rem decernitur, sed maturius ad pecuniá distribuédá. Reguli interea in loca propinqua thesauris, alius aliò concessêre. Sed Hiempsal in oppido Thirmi-
D da, fortè eius vtebatur domo, qui proximus lictor Iugurthæ, charus acceptúsque ei semper fuerat: quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat, impellitque vti tanquam suam domum visens eat, portarum claues adulterinas paret. Nam veræ ad Hiempsalem referebantur. Cæterùm, vbi res postularet, seipsum cum magna véturum manu. Numida mandata breui conficit, atque vti doctus erat, noctu Iugurthæ milites introducit: qui postquàm in ædes irrupêre, diuersi regem quære-
E re, dormientes alios, alios occursantes interficere: scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu & tumultu omnia miscere: quum interim Hiempsal reperitur, occultans se in tugurio mulieris ancillæ, quò initio pauidus, & ignarus loci profugerat. Numidæ caput eius, vt iussi erant, ad Iugurtham referunt. Cæterum fama tanti facinoris per omnem Africam breui diuulgatur. Adherbalem omnésque, qui sibi Micipsæ imperio fuerant, metus inuadit. In duas partes discedút Numidæ. plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterú bello
F meliores. Igitur Iugurtha quàm maximas potest copias armat, vrbes partim vi, alias voluntate, imperio suo adiungit, omni Numidiæ imperare parat. At Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui Senatum docerent de cæde fratris, & suis fortunis: tamen fretus multitudine militum parabat armis cótendere. Sed vbi res ad certamé venit, victus ex prælio, profugit in prouinciam, ac deinde Romam contendit. Tum Iugurtha patratis consiliis, postquàm omni Numidia potie-
G batur in ocio, facinus suum cum animo reputáns, timere populum Rom. neque aduersus iram eius vsquam, nisi in auaritia nobilitatis, & pecunia sua spem habere. Itaque paucis diebus cum argento & auro multo, legatos Romam mittit, queis præcipit, vti primú veteres amicos magnis muneribus expleant, deinde nouos acquirant: postremò quemcunque possint largiendo, parare

ne cun-

ne cunctentur. Sed vbi Romam legati venere, & ex præcepto regis hospitibus aliisque quorum ea tempestate in Senatu autoritas pollebat, magna munera misere: tanta commutatio incessit, vt ex maxima inuidia, in gratiam & fauorem nobilitatis Iugurtha veniret. Quorum pars spe, alij præmio inducti, singulos ex senatu ambiendo nitebantur, ne grauius in eum consuleretur. Igitur vbi legati satis confidunt, die constituto, Senatus vtrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus.

ADHERBALIS VERBA.

Patres C. Micipsa pater meus moriens, mihi præcepit, vti regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam, cæterum ius & imperium eius penes vos esse: simul eniterer domi militiæque quam maximo vsui esse populo Romano: vos mihi cognatorum, vos affinium loco ducerem. Si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, diuitias, munimenta regni me habiturum. Quæ præcepta patris mei quum agitarem, Iugurtha homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, contempto imperio vestro, Masinissæ me nepotem, & iam ab stirpe socium, atque amicum populi Rom. regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego P.C. quoniam eò miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea quàm ob maiorum meorum beneficia, posse me à vobis petere auxilium: ac maximè deberi mihi beneficia à populo Romano, quibus vtinam non egerem: secundum ea si desideranda erant, vti debitis vterer. Sed quoniam parum tuta per seipsa probitas est: neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret: ad vos confugi, P.C. quibus, quod mihi miserrimum est, cogor prius oneri, quàm vsui esse. Cæteri reges, aut bello victi in amicitiam à vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiuerunt. Familia nostra cum populo Romano, bello Carthaginensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides eius, quàm fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos P.C. nolite pati me nepotem Masinissæ, frustra à vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil caussæ haberem præter miserandam fortunam, quòd paulò antè rex genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes expecto: tamen erat maiestatis populi Romani prohibere iniuriam, neque pati cuiusquam regnum per scelus crescere. Verùm ego his finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit. Vnde pater & auus meus vna vobiscum expulere Syphacem & Carthaginenses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, P.C. vos in mea iniuria despecti estis. Heu me miserum! Huccine Micipsa pater beneficia tua euasere; vt quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem fecisti, is potissimùm stirpis tuæ extinctor sit? Nunquamne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginenses incolumes fuere, iure omnia sæua patiebamur: hostes à latere, vos amici procul. Spes omnis in armis erat. Postquàm illa pestis ex Africa eiecta est, læti pacem agitabamus: quippe quis hostis nullus erat, nisi fortè quem vos iussissetis. Ecce autem ex improuiso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese efferens, fratre meo, atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui prædam fecit. Post, vbi me

A iisdem dolis capere nequit, nihil minus quàm vim aut bellum expectantem in imperio vestro sicuti videtis, extorrem patria, domo inopem & coopertum miseriis effecit. vt vbiuis tutius quàm in meo regno essem. Ego sic existimabam, P.C. vti prædicantem audieram patrem meum, qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, cæterum ex omnibus maximè tutos esse. Quod in familia nostra fuit, præstitit, vt in omnibus bellis adesset vobis. Nos vti

B per otium tuti simus, in manu vestra est, P.C. Pater nos duos fratres reliquit, tertium Iugurtham beneficiis suis ratus est nobis coniunctum fore. alter eorum necatus est, alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quò potissimùm infelix accedam? Generis præsidia omnia extincta sunt. Pater, vti necesse erat, naturæ concessit. Fratri, quem minimè decuit, propinquus per scelus vitam eripuit. Affines, amicos, propinquos, cæteros meos, alium alia clades oppressit. Capti à Iu-

C gurtha, pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt. Pauci quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum mœrore & luctu, morte grauiorem vitam exigunt. Si omnia, quæ aut amisi, aut ex necessariis aduersa facta sunt, incolumia manerent: tamen si quid ex improuiso mali accidisset, vos implorarem, P.C. quibus pro magnitudine imperij, ius & iniurias omnes curæ esse decet: Nunc verò exul patria, domo, solus, atque omnium honestarum rerum egens, quò accedam, aut quos appellem? Nationesne, an reges, qui om-

D nes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt? an quòquam mihi adire licet, vbi non maiorum meorum hostilia monimenta plurima sint? An quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremò Masinissa nos ita instituit, P.C. ne quem coleremus, nisi populum Rom. ne societates, ne fœdera noua acciperemus: abundè magna præsidia nobis in vestra amicitia fore, si huic imperio fortuna mutaretur, vnà occidendum nobis esse. Virtute, ac dijs volen-

E tibus, magni & opulenti estis: omnia secunda & obedientia sunt, quò facilius sociorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos priuata amicitia Iugurthæ parum cognita, transuersos agat: quos ego audio maxima ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita caussa statuatis: fingere me verba, & fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod vtinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadem hæc simulantem videam: & ali-

F quando aut apud vos, aut apud Deos immortales rerum humanarum cura oriatur: vt ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearúmque miseriarum graues pœnas reddet. Iam iam frater animo meo charissime, quanquam tibi immaturo, & vnde minimè decuit, vita erepta est: tamen lætandum magis, quàm dolendum puto casum tuum. Non.n. regnum, sed fugam, exilium, egestatem, &

G omnes has, quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, tanta in mala præcipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum præbeo, incertus quid agam, tuásne iniurias persequar, ipse auxilij egens? an regno consulam, cuius vitæ necisque potestas ex alienis opibus pendet? Vtinam emori, fortunis meis honestus exitus esset: ne viuere contemptus viderer, si

defessis malis iniuriæ concessissem. Nunc quoniam neque viuere libet, neq; mori decet sine dedecore, P.C. oro vos per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Romani, subuenite mihi misero: ite obuiam iniuriæ: nolite pati regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus & sanguinem familiæ nostræ tabescere.

Postquam rex loquendi finem fecit, legati Iugurthæ largitione magis, quàm causa freti, paucis respondent: Hiempsalem ob sæuitiam suam a Numidis interfectum: Adherbalem, vltrò bellum inferentem, postquàm superatus sit, queri, quòd iniuriam facere nequiuisset: Iugurtham ab Senatu petere, ne se alium putarent, ac Numantiæ cognitus esset. Neu verba inimici, ante sua facta poneret. Deinde vtrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores legatorum, præterea magna Senatus pars gratia deprauata, Adherbalis dicta contemnere: Iugurthæ virtuté laudibus extollere: gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere & flagitio, sua quasi pro gloria nitebantur. At contrà pauci, quibus æquum & bonum diuitiis charius erat, subueniendum Adherbali, & Hiempsalis mortem seuerè vindicandam censebant. Sed ex omnibus maximè Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, auidus potentiæ, honoris, diuitiarum: cæterum, vitia sua callidè occultans. is postquam videt regis largitionem famosam impudentemque, veritus (quod in tali re solet) ne polluta licentia inuidiam accenderet, animum à consueta libidine continuit. Vicit tamen in senatu pars illa, quæ vero precium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, vt decem legati regnum quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham & Adherbalem diuiderent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, vir clarus, & tum in Senatu potens: quia Cos. C. Graccho, & M. Fuluio Flacco interfectis, acerrimè victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eũ Iugurtha, tametsi Romæ in amicis habuerat, tamẽ accuratissimè recepit, dãdo & pollicẽdo multa perfecit, vt famæ, fidei, postremò omnibus suis rebus cõmodũ regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgressus, plerosq; capit: paucis charior fides, quàm pecunia fuit. In diuisione, quæ pars Numidiæ Mauritaniá attingit, agro virisq; opulentior, Iugurthæ traditur: illá alterá specie quá vsu potiore, quæ portuosior, & ædificiis magis exornata erat, Adherbal possedit. Res postulare videtur, Africæ situm paucis exponere: & eas gẽtes, quibuscum nobis bellũ aut amicitia fuit, attingere. Sed quæ loca & nationes ob calorẽ & asperitatẽ, item solitudinem minus frequẽtata sunt, de his haud facilè cõpertum narrauerim: cætera quàm paucissimis absoluã. In diuisione orbis terræ, plerique in parte tertia Africá posuere: pauci tantummodo Asia & Europam esse, sed Africa in Europa. Ea fines habet ab occidente, fretum nostri maris & Oceani: ab ortu Solis, decliuẽ latitudinẽ: quem locum Catabathmõ incolæ appellant: mare sæuũ, & importuosum: ager frugum fertilis, bonus pecori: arbori infœcundus: cœlo terraq; penuria aquarũ: genus hominũ salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosq; senectus dissoluit, nisi qui ferro, aut bestiis interiere: nam morbus haud sæpè quenquã superat. Ad hoc plurima malefici generis animalia. Sed qui mortales Africam initiò habuerint, quique postea accesserint, aut quomodo inter se permisti sint, quanquam ab ea fama, quæ plerosque obtinet, diuersum est: tamen vti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, vtique rem sese habere cultores eius terræ putant, quàm paucissimis dicam. Cæterum fides eius rei penes auctores erit. Africam initiò habuere Getuli & Libyes, asperi, inculti, quis cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, vti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cuiusquá regebantur: vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus eius compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis sibi imperium petentibus, breui dilabitur. Ex eo numero Medi, Persæ, & Armenij, nauibus in Africam transuecti, proximos nostro mari locos occupauere. Sed Persæ intra Oceanum magis: hique alueos nauium inuersos pro tuguriis habuere: quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emendi aut mutandi copia erat. Mare magnũ, & ignara lingua commercia prohibebant. Hi paulatim per connubia Getulos secum miscuere: & quia sæpe tentantes agros, alia, deinde alia loca petiuerant, semetipsi Numidas appellauere. Cæterum adhuc ædificia Numidarum agrestium, quæ Mapalia illi vocát, oblonga, incuruis lateribus tecta, quasi nauium carinæ sunt. Medis autẽ & Armenijs accessere Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant, Getuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus) hiq; maturè oppida habuere. Nam freto diuisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paulatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Persarum breui adoleuit: ac postea nomine Numidæ propter multitudinem à parentib. digressi, possedere ea loca, quæ proximè Carthaginẽ Numidia appellatur. Deinde vtriq; alteris freti, finitimos armis aut metu sub imperium suũ coegere, nomen gloriamq; sibi addidere: magis hi qui ad nostrũ mare processerant, quia Libyes minus bellicosi quàm Getuli. Denique Africæ pars inferior, pleraq; ab Numidis possessa est: victi omnes in gentẽ nomenq; imperantium concessere. Postea Phœnices, alij multitudinis domi minuẽdæ gratia, pars imperij cupidine sollicitata plebe, & alij nouarũ rerũ auidi, Hipponem, Adrumetum, Leptim, aliasque vrbes in ora maritima cõdidere, hæq; breui multũ auctæ, pars originib. suis præsidio, aliæ decori fuere. Nam de Carthagine silere melius puto, quàm parum dicere: quoniam alio properare tẽpus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa diuidit, secũdo mari prima ciuitas Cyrene est, colonia Theræon: ac deinceps duæ Syrtes, interque eas Leptis: deinde aræ Philænon, quem locum Ægyptum versus finem imperij habuere Carthaginienses: post aliæ Punicæ vrbes. Cætera loca vsque ad Mauritaniam Numidæ tenent. Proximè Hispaniam Mauri sunt. Super Numidiam Getulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare. Post eos Æthiopas esse: dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Iugurthino, pleraque ex Punicis oppida, & fines Carthaginensium, quos nouissimè habuerant, pop. Ro. per magistratus administrabat. Getulorum magna pars, & Numidæ vsque ad flumen Mulucham sub Iugurtha erant. Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomẽ, cætera ignarus populi Rom. itemque nobis neq; bello, neque pace antea cognitus. De Africa & eius incolis, ad necessitudinem rei satis dictum est. Postquam diuiso regno legati Africa decessere & Iugurtha contra timorem animi præmia sceleris sese

sese adeptum videt: certum esse ratus, quod ex
amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romæ
venalia esse: simul & illorum pollicitationibus
accensus, quos paulò antè muneribus expleuerat,
in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer
& bellicosus. At his quem petebat, quietus, imbel-
lis, placido ingenio, opportunus iniuriæ, magis
metuens quàm metuendus. Igitur ex improuiso
fines eius cum magna manu inuadit: multos mor-
tales cum pecore atque alia præda capit: ædificia
incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu
accedit, deinde cum omni multitudine in re-
gnum suum conuertit: existimans dolore permo-
tum Adherbalem iniurias suas manu vindicatu-
rum: eamque rem, belli causam fore. At ille, quod
neque se parem armis existimabat, & amicitia po-
puli Ro. magis quàm Numidis fretus erat, legatos
ad Iugurtham de iniuriis questum misit: qui ta-
metsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen
omnia pati decreuit, quàm bellum sumere, quia
tentatum antea secus cesserat. Neque eò magis cu-
pido Iugurthæ minuebatur: quippe qui totum
eius regnum animo iam inuaserat. Itaque non vti
antea cum prædatoria manu, sed magno exercitu
comparato bellum gerere cœpit: & apertè totius
Numidiæ imperium petere. Cæterum qua perge-
bat, vrbes, agros vastare, prædas agere, suis animum,
hostibus terrorem augere. Adherbal vbi intelligit
eò processum, vti regnum aut relinquendum
aut armis retinendum esset: necessariò copias pa-
rat, & Iugurthæ obuius procedit. Interim haud
longè à mari probè Cirtham oppidum vtriusque
exercitus consedit, & quia diei extremum erat,
prælium non inceptum est. Sed vbi plerumque
noctis processit, obscuro etiam tum lumine, mi-
lites Iugurthini signo dato, castra hostium inua-
dunt: semisomnos partim alios arma sumentes fu-
gant funduntque. Adherbal cum paucis equitibus
Cirtham profugit. Et ni multitudo togatorum
fuisset, que Numidas insequentes à mœnibus pro-
hibuit, vno die inter duos reges cœptum atque
patratum bellū foret. Igitur Iugurtha oppidū cir-
cumsedit, vineis turribusque & machinis omnium
generum expugnare adgreditur: maximè festinans
tempus legatorum antecapere, quos ante præ-
lium factum ab Adherbale Romā missos audiue-
rat. Sed postquam senatus de bello eorum accepit,
tres adolescentes in Africam legantur, qui ambos
reges adeant: Senatus populique Ro. verbis nun-
cient, velle & censere, eos ab armis discedere: ita
seque illisque dignum esse. Legati in Africam ma-
turantes veniunt, eò magis quod Romæ dum pro-
ficisci parant, de prælio facto & oppugnatione Cir-
thæ audiebatur. Sed his rumor clemens erat. Quo-
rum Iugurtha accepta oratione respondit: Sibi ne-
que maius quicquam, neque charius autoritate
Senatus esse: & ab adolescentia ita se enisum, vt
ab optimo quoque probaretur virtute, non mali-
tia, P. Scipioni summo viro placuisse ob easdem
artes à Micipsa non penuria liberorum, in re-
gnum adoptatum esse: cæterum, quò plura bene
atque strenuè fecisset, eò animum suum iniuriam
minus tolerare. Adherbalem dolis vitæ suæ insi-
diatum: quod vbi comperisset, sceleri eius obuiam
isse: populum Ro. neque rectè neque pro bono fa-
cturum, si ab iure gentium sese prohibuerit, po-
stremo de omnibus rebus legatos Romam breui
missurum. Ita vtrique digrediuntur. Adherbalis
appellandi copia non fuit. Iugurtha vbi eos Africa
A decessisse ratus est: neq. propter naturam loci Cir-
tham armis expugnare potest: vallo atque fossa
mœnia circumdat, turres extruit, easque præsidiis
firmat: præterea dies noctésque aut per vim, aut
dolis tentare, defensoribus mœnium præmia mo-
dò, modò formidinem ostentare, suos hortando ad
virtutem erigere: prorsus intentus cuncta parare.
Adherbal vbi intelligit omnes fortunas suas in
extremo sitas, hostem infestum, spem auxilij nul-
lam, penuria rerum necessariarum bellum trahi
B non posse: ex his qui vna Cirtham profugerant,
duos maximè impigros delegit: eos multa polli-
cendo ac miserando casum suum confirmat, vti
per hostium munitiones noctu ad proximū mare,
dein Romam pergerent. Numidæ paucis diebus
iussa efficiunt. Literæ Adherbalis in Senatu recita-
tæ sunt, quarum sententia hæc fuit.

Non mea culpa sæpe vos oratum mitto P. C. sed
vis Iugurthæ subigit: quem tanta libido exstin-
guendi me inuasit, vt neque vos neque deos im-
C mortales in animo habeat: sanguinem meū, quàm
omnia malit. Itaque quintum iam mensem socius
& amicus populi Ro. armis obsessus teneor, neque
mihi Micipsæ patris mei beneficia, neque vestra
decreta auxiliantur: ferro an fame acrius vrgear,
incertus sum. Plura de Iugurtha scribere dehorta-
tur me fortuna mea: quia antè expertus sum pa-
rum fidei miseris esse: nisi tamen intelligo illum,
suprà quàm ego sum, petere, neque simul amici-
tiam vestram, & regnum meum sperare. Vtrum
grauius existimet, nemini occultum est. Nam ini-
D tio occidit Hiempsalem fratrem meum: deinde
patrio regno me expulit. Quæ sanè fuerint nostræ
iniuriæ, nihil ad vos. Verùm nunc vestrum regnū
armis tenet. Me quem vos imperatorem Numidis
posuistis, clausum obsidet. Legatorum verba quā-
ti fecerit, pericula mea declarant. Quid est reliquū
nisi vis vestra, qua moueri possit? Nam ego qui-
dem vellem & hæc quæ scribo, & illa quæ antea
in Senatu questus sum, vana forent potius, quàm
miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam
E eò natus sum, vt Iugurthæ scelerum ostentui essem:
non iam mortem neque ærumnas, tantummodò
inimici imperium, & cruciatus corporis vt eua-
dam, deprecor. Regno Numidiæ, quod vestrum
est vti libet consulite: me ex manibus impiis eri-
pite, per maiestatem imperij, per amicitiæ fidem,
si vlla apud vos memoria remanet aui mei Masi-
nissæ. His literis recitatis, fuere qui exercitum in
Africa mittendum censerent, & quàm primum
Adherbali subueniendum: de Iugurtha interim
F vti consuleretur, quoniam legatis non paruisset.
Sed ab iisdem illis regis fautoribus summa ope e-
nisum, ne tale decretum fieret: ita bonum publicū
(vt in plerisque negociis solet) priuata gratia de-
uictum est. Legantur tamen in Africam maiores
natu nobiles, amplis honoribus vsi: in queis fuit
M. Scaurus, de quo supra memorauimus, consu-
laris homo, & tum in senatu princeps. Hi quòd in
inuidia res erat, simul & à Numidis obsecrati, tri-
duo nauim ascendere: deinde breui Vticam adpul-
G si, literas ad Iugurtham mittunt: quàm ocyssimè
ad prouinciam accedat, seque ad eum ab senatu
missos. Ille vbi accepit homines claros, quorum
autoritatem Romæ pollere audiuerat, contra in-
cœptum suum venisse: primò commotus metu,
atque libidine diuersus agitabatur. Timebat iram
Senatus, ni paruisset legatis: porrò animus cupi-
dine cæcus, ad inceptum scelus rapiebatur: vicit

tamen in arbitrio [illegible] prauum consilium. Igitur exercitu circumdato, summa vi Cirtham irrumpere nititur: maximè sperans diducta manu hostium aut vi aut dolis sese casum victoriæ inuenturum. Quod vbi secus procedit: neque quod intenderat, efficere potest, vt prius quam legatos conueniret, Adherbali potiretur: ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in prouinciam venit. Ac tametsi senatus verbis minæ graues nunciabantur, quod ab oppugnatione non desisteret, multa tamen oratione consumpta, frustra legati discessere. Ea postquam Cirthæ audita sunt Italici, quorum virtute mœnia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem Po. Ro. inuiolatos sese fore, Adherbali suadent, vti sese & oppidum Iugurthæ tradat: tantum ab eo vitam paciscatur, de cæteris senatui curæ fore. At ille tametsi omnia potiora fide Iugurthæ rebatur, tamen quia penes eosdem, si aduersaretur, cogendi potestas erat, ita vti censuerant Italici, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: deinde omnes puberes Numidas atque negociatores promiscuè, vti quisque armatus obuius fuerat, interficit. Quod postquam Romæ cognitum est, & res in senatu agitari cœpta, iidem illi ministri regis interpellando, ac sæpe gratia, interdum iurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. At ni C. Memmius tribunus plebis designatus, vir acer & infestus potentiæ nobilitatis, populum Romanum edocuisset id agi, vti per paucos factiosos, Iugurtha scelus condonaretur: profectò omnis inuidia prolatandis consultationibus dilapsa foret. Tanta vis gratiæ atque pecuniæ regis erat. Sed vbi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia, prouinciæ futuris consulibus Numidia atque Italia decretæ: consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius: Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obuenit. Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium, aliaque, quæ bello vsui forent, decernuntur. At Iugurtha contra spem nuncio accepto, quippe cui Romæ omnia venum ire in animo hæserat, filium & cum eo duos familiares ad Senatum legatos mittit: hisque, vti illis quos Hiempsale interfecto miserat, præcipit, vt omnes mortales pecunia aggrediantur. Qui postquam Romam aduentabant, senatus à Bestia consultus est, Placeretne legatos Iugurthæ recipi mœnibus, iique decreuere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, vti in diebus proximis decem Italia decederent. Cons. Numidis ex senatus decreto nunciari iubet. Infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius parato exercitu, legat sibi homines nobiles factiosos, quorum authoritate, quæ deliquisset, munita fore sperabat: in queis fuit Scaurus, cuius de natura & habitu supra memorauimus. Nam in consule nostro multæ bonæque artes animi & corporis erant, quas omnes auaritia præpediebat: patiens laborum, acri ingenio, satis prouidens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula & insidias. Sed legiones per Italiam, Rhegium, atque inde Siciliam, porrò, ex Sicilia in Africam transuectæ. Igitur Calpurnius initio paratis commeatibus acriter Numidiam ingressus est: multosque mortales & vrbes aliquot pugnando cepit. Sed vbi Iugurtha pecunia per legatos tentare, bellique quod administrabat, asperitatem ostendere cœpit animus æger, auaritia facilè conuersus est. Cæte-

A rum socius & administer omnium consiliorum adsumitur Scaurus: qui tametsi à principio plerisque ex factione eius corruptis, acerrimè regem impugnauerat, tamen magnitudine pecuniæ à bono honestoque in prauum abstractus est. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existimans sese aliquid interim Romæ pretio aut gratia effecturum. Postea verò quam participem negocii Scaurum accepit, in maximam spem adductus recuperandæ pacis, sta-

B tuit: cum eis de omnibus pactionibus præsens agere. Cæterum interea fidei causa mittitur à Cons. Sextius Quæstor in oppidum Iugurthæ Vaccam: cuius rei species erat, acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperauerat, quoniam deditionis mora induciæ agitabantur. Igitur rex, vti constituerat, in castra venit, ac pauca præsenti cõsilio locutus, de inuidia facti sui, atque vti in deditionem acciperetur: reliqua cum Bestia & Scauro secreta transigit. Dein postero die

C quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed vti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi, cũ non paruo argenti pondere, Quæstori traduntur. Calpurnius Ro. ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia & exercitu nostro pax agitabatur. Postquam res in Africa gestas, quoque modo actæ forent, fama diuulgauit: Romæ per omnes locos & conuentus, de facto Consulis agitari: apud plebem grauis inuidia: patres solliciti erant:

D probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subuerterent, parum constabat. Ac maximè eos potentia Scauri, quòd is auctor, & socius Bestiæ ferebatur, à vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cuius de libertate ingenii & odio potentiæ nobilitatis supra diximus, inter dubitationem & moras Senatus in concionibus populum ad vindicandũ hortari: monere, ne Remp. nec libertatẽ suã desererent: multa superba & crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo

E plebis animum accendebat. Sed quoniã ea tempestate Ro. Memmii facundia clara pollensq. fuit, decere existimaui vnam ex tã multis orationem eius perscribere: ac potissimũ eã dicam, quæ in concione post reditum Bestiæ huiuscemodi verbis disseruit: Multa me dehortantur à vobis Quirites, ni studium Reip. omnia superet: opes factionis, vestra patientia, ius nullum: ac maximè quod innocentiæ plus periculi, quam honoris est. nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim, quàm ludibrio

F fueritis superbiæ paucorum, quam fœdè, quamque inulti perierint vestri defensores: vt vobis animus ab ignauia atque socordia corruptus sit: qui ne nunc quidem obnoxiis inimicis exurgitis: atque etiam nunc timetis eos, quib. vos decet terrori esse. Sed quanquam hæc talia sunt, tamen obuiam ire factionis potentiæ animus subigit. Certè ego libertatem quæ mihi à parente meo tradita est, experiar: verum id frustrà an ob rem faciam, in vestra manu situm est Quirites. Neque ego vos hortor, quod sæpe maiores vestri fecere, vti contra iniurias armati ea-

G tis. Nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est suomet ipsi more præcipites eant. Occiso Tib. Graccho, quẽ regnum parare aiebant, in plebem Ro. quæstiones habitæ sunt. Post C. Gracchi, & M. Fuluii cædem, item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt. Vtriusque cladis non lex, verũ libido eorũ finẽ fecit. Sed sanè fuerit regni reparatio, plebi sua restituere: quicquid

quid sine sanguine ciuium vlcisci nequitur, iure factum sit. Superioribus annis taciti, indignabamini ærarium expilari: Reges & populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere: penes eosdem & summam gloriam & maximas diuitias esse: tamen hæc talia facinora impunè suscepisse, parum habuere: Itaque postremò leges, maiestas vestra, diuina & humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos qui ea fecere, pudet aut pœnitet: sed incedunt per ora vestra magnificè, sacerdotia & consulatus: pars triumphos suos ostentantes: perinde quasi ea honori, non prædæ habeant. Serui ære parati iniusta dominorum imperia non perferunt. Vos Quirites imperio nati, æquo animo seruitutem toleratis? At qui sunt hi qui Rempub. occupauere? homines sceleratissimi, cruentis manibus immani auaritia, nocentissimi, & iidem superbissimi: quibus fides, decus, pietas, postremò honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alij quæstiones iniustas plerique cædem in vos fecisse, pro munimento habent. Itaque quam quisque pessimè facit, tam maximè tutus est: metum à scelere suo ad ignauiam vestram transtulere, quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere, in vnũ coegit. Sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quòd si tam vos libertatis curam haberetis, quàm illi ad dominationem accensi sunt: profectò neque Resp. sicuti nunc, vastaretur: & beneficia vestra penes optimos, non audacissimos forent. Maiores vestri parandi, iuris & maiestatis constituendæ gratiâ, bis per secessionem armati, Auentinum montem occupauere: vos pro libertate quam ab illis accepistis, nonne summa ope niti decet atque eo vehementius, quò maius dedecus est, parta amittere, quàm omnino nõ paruisse? Dicet aliquis: Quid igitur censes? vindicandum in eos qui hosti prodidere Remp. Non manu, neque vi censeo, quod magis vos fecisse, quàm illis accidisse, indignum est: verum quæstionibus & indicio ipsius Iugurthæ: qui, si dedititius est, profectò iussis vestris obediens erit: sin ea cõtemnit, scilicet existimabitis, qualis illa pax aut deditio sit: ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maximè diuitiæ: ac in Remp. damna atque dedecora peruenerint. Nisi fortè nondum etiam vos dominationis eorũ satietas tenet: & illa quàm hæc tempora magis placent: cum regna prouinciæ, leges, iudicia, bella atque paces: postremò diuina & humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc est P. Ro. ab hostibus inuicti, Imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. Nam seruitutem quidem quis vestrûm recusare audebat? At ego tametsi virum flagitiosissimum existimo impunè iniuriam accepisse: tamen vos hominibus sceleratissimis ignoscere quoniam ciues sunt: æquo animo paterer, nisi misericordia in perniciẽ casura esset. Nam & illis (quantum importunitatis habent) parum est illos impunè malè fecisse: nisi deinde faciundi licentia eripiatur. Et vobis æterna solicitudo remanebit, cùm intelligetis aut seruiendum esse, aut per vim libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiæ, quæ spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi iniurias, vos prohibere: postremò socijs vestris, veluti hostib. pro socijs vtuntur. Potestne in tam diuersis mentibus, pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos, ne tãtum scelus impunitum omittatis. Non peculatus ærarij factus

A est: neque per vim socijs ereptæ pecuniæ. Quæ quãquam grauia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acerrimo prodita Senatus autoritas, proditum imperium vestrũ: domi militiæque Resp. venalis fuit. Quæ nisi quæsita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi vt illis qui ea fecere, obedientes viuamus? Nã impunè quælibet facere, id est, regem esse. Neque ego vos Quirites hortor, vt iã malitis ciues vestros, perperam quàm rectè fecisse: sed ne ignoscendo B malis, bonos omnes perditum eatis. Ad hoc in Repub. multò præstat beneficij, quàm maleficij, immemorem esse. Bonus tantummodo segnior fit, vbi negligas: at malus improbior. Ad hoc, si iniuriæ non sint, haud sæpe auxilij egeas.

Hæc atque alia huiuscemodi sæpe indicẽdo, C. Memmius populo Ro. persuadet, vti L. Cassius, qui tum Prætor erat, ad Iugurtham mitteretur: cumq. interposita fide publica, Romã duceret: quò facilius indicio regis Scauri, & reliquorum, quos C pecuniæ captæ arcessebant, delicta patefierent. Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidia relicti à Bestia exercitui præerant, secuti morem Imperatoris sui, plurima & flagitiosissima facinora fecere. Fuere qui auro corrupti, elephantos Iugurthæ traderent, alij perfugas venderent, pars ex pacatis prædas agebant: tanta vis auaritiæ in animos eorum, veluti tabes, inuaserat. At Cassius populi Rom. perlata rogatione à C. Memmio, ac perculsa omni nobilitate ad Iugurtham proficiscitur: eique D timido, & ex cõscientia diffidenti reb. suis persuadet, quoniã se populo Ro. dedidisset: ne vim, quàm misericordiam eius experiri mallet: priuatim præterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quàm publicam ducebat: talis ea tempestate fama de Cassio erat. Igitur Iugurtha contra decus regium, cultu quàm maximè miserabili, cum Cassio Romã venit. Ac tametsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quæ suprà di- E ximus: C. tamẽ Bebium tribunum pl. magna mercede parat, cuius impudentia contra ius & iniurias omnes muniretur. At C. Memmius aduocata concione (quanquam Regi infesta plebs erat: & pars in vincula duci iubebat, pars nisi socios sceleris sui aperiret, more maiorũ de hoste supplicium sumi) dignitati quàm iræ magis consules sedare motus, & animos eorũ mollire: postremò confirmare, fidem publicam per sese inuiolatam fore. Post vbi silentium cœpit, producto Iugurtha verba F facit: Romæ, Numidiæque facinora eius memorat: scelera in patrem fratresq. ostendit. quib. iuuantibus, quibusq. ministris ea egerit. Quanquã intelligat populus Ro. tamen manifesta magis ex illo habere. Si verum aperiat, in fide & clementia populi Ro. magnã spem illi sitam: sin reticeat, non socijs saluti fore, sed se suasque spes corrupturum. Deinde vbi Memmius dicendi finem fecit, & Iugurtha respondere iussus est: C. Bebius Trib. pl. (quem pecunia corruptum suprà diximus) regem tacere iu- G bet. Ac tametsi multitudo, quæ in concione aderat vehementer accensa, terrebat eum clamore vultu, sæpe impetu atque alijs omnibus quæ ira fieri amat: vicit tamen Bebij impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex concione discessit. Iugurthæ Bestiæque & cæteris, quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt. Erat ea tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiua, Gulussæ filius Masinissæ nepos, qui, quia in dissensione re-

gum, Iugurthæ aduersus fuerat, dedita Cirtha, & Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proximo anno post Bestiam cum Qu. Minutio Rufo consulatum gerebat, persuadet: quoniam è stirpe Masinissæ sit, Iugurthamq. ob scelera, inuidia cum metu vrgeat, regnum Numidiæ ab senatu petat. Auidus cõsul belli gerũdi moueri, quam senescere omnia mallebat. Ipsi prouincia Numidia, Minutio Macedonia euenerat. Quæ postquam Massiua agitare cœpit, neque Iugurthæ in amicis satis præsidij est, quòd eorum alium conscientia, alium mala fama & timor impediebat: Bomilcari proximo ac maximè fido sibi imperat, precio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massiuæ paret, ac maximè occultè. Sin id parum procedat, quouis modo Numidam interficiat. Bomilcar maturè regis mãdata exequitur: & per homines talis negocij artifices, itinera, egressusque eius, postremò loca atque tempora cuncta explorat: deinde, vbi res postulabat, insidias tendit. Vnus igitur ex eo numero, qui ad cædem parati erant, paulò inconsultius Massiuam aggreditur, illumque obtruncat. Sed ipse deprehensus, multis hortantibus & in primis Albino cons. indicium profitetur. Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex iure gentium Bomilcar comes eius, qui Ro. fide publica venerat. At Iugurtha manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra verum niti, quàm animaduertit super gratiam atque pecuniam suam, inuidiã facti esse. Igitur quãquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis quàm vadibus consulens, clàm in Numidiam Bomilcarem dimittit: veritus, ne reliquos popularis metus inuaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret. Et ipse paucis pòst diebus eòdem profectus est, iussus à Senatu Italia discedere. Sed postquã Roma egressus est, fertur eò sæpe tacitus respiciens, postremò dixisse: Vrbem venalem & maturè perituram, si emptorem inuenerit. Interim Albinus renouato bello, commeatum, stipendium, aliaque quæ militibus vsui forent, maturat in Africam portare: ac statim ipse profectus est, vti ante comitia, quod tempus haud longè aberat, armis, aut deditione, aut quouis modo bellum conficeret. At contrà, Iugurtha trahere omnia, & alias, deinde alias moræ caussas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum simulare: instãti cedere, & paulò pòst, ne sui diffiderent, instare: ita belli modò, modò pacis mora Consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilij regis existimarent: neque ex tanta properantia tam facilè tractum bellum, socordia magis quàm dolo crederent. Sed postquam dilapso tempore, comitiorum dies aduentabant, Albinus, Aulo fratre in castris pro Prætore relicto, Romam decessit. Ea tempestate, Romæ seditionibus tribunitiis atrociter respub. agitabatur. P. Lucullus, & L. Annius tribuni pl. resistentibus collegis continuare magistratum nitebantur: quæ dissensio, totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro prætore in castris relictum suprà diximus, aut conficiendi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniæ capiundæ, milites mense Ianuario ex hybernis in expeditionem euocat, magnisque itineribus per loca hyeme aspera peruenit ad oppidum Suthul, vbi regis thesauri erant. Quod quanquam & sæuitia temporis, & opportunitate loci, neque capi neque obsideri pote-

A rat (nam circa murum situm in prærupti montis extremo, planicies limosa hyemalibus aquis paludem fecerat) tamen aut simulandi gratia, quò regi formidinem adderet, aut cupidine cæcus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere, aliaq. quæ incepto vsui forẽt properare. At Iugurtha cognita vanitate atque imperitia legati, subdolè eius augere amentiam, missitare supplicantes legatos, ipse quasi vitabundus per saltuosa loca & tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, vti relicto Suthule, in B abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur: ita delicta occultiora fore. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tẽtabat: centuriones, ducésque turmarum partim vti transfugerent, corrumpere: alij signo dato locum vti deserrerent. Quæ postquam ex sententia instruxit intempesta nocte de improuiso cũ multitudine Numidarũ Auli castra circũuenit. Milites Rom. perculsi tumultu insolito, arma capere alij, alij se abdere, pars territos cõfirmare, trepidare, omnibus locis vis magna hostiũ, cœlũ nocte atque nubib. obscuratũ, periculũ anceps: postremò fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paulò antè corruptos suprà diximus, cohors vna Ligurũ cũ duab. turmis Thracũ, & paucis gregariis militib. transiere ad regẽ. & centurio primipili tertiæ legionis per munitionem quam vti defenderet, acceperat, locũ hostib. introeũdi dedit: eaque Numidæ cuncti irrupere: nostri fœda fuga, plerique abiectis armis proximũ collum occupaD uêre. nox atque castrorũ præda, hostes quò minus victoria vterẽtur, remorata sunt. Deinde Iugurtha postero die cũ Aulo in colloquio verba facit: tametsi ipsum cũ exercitu fame & ferro clausum teneret: tamẽ se humanarum rerũ memorem, si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub iugũ missurum, præterea vti diebus decẽ Numidia decederet. Quæ quanquã grauia & flagitij plena erant, tamẽ quia mortis metu mutabãtur, sicuti regi libuerat, E pax conuenit. Sed vbi ea Romæ comperta sunt, metus atque mœror ciuitatem inuasere: pars dolere pro gloria imperij, pars insolita rerum bellicarum, timere libertati: Aulo omnes infesti, ac maximè qui bello sæpe præclari fuerant, quòd armatus dedecore potius quã manu salutẽ quæsierit. Ob ea Cõs. Albinus, ex delicto fratris, inuidiam ac deinum periculum timens, Senatũ de fœdere consulebat, & tamen interim exercitui supplementum scribere: ab socijs & nomine Latino auxilia accersere: denique omnib. modis festinare. Senatus ita vti F par fuerat, decernit, suo atque populi iniussu nullũ potuisse fœdus fieri. Cõsul impeditus à tribunis pl. ne quas parauerat copias, secum portaret, paucis dieb. in Africã proficiscitur. nã omnis exercitus vti conuenerat, Numidia deductus, in prouincia hyemabat. Postquã eò venit (quãquã ardebat persequi Iugurthã, & mederi fraternæ inuidiæ animo ardebat) cognitis militib. quos præter fugã soluto imperio, licẽtia atq. lasciuia corruperat, ex copia rerũ statuit sibi nihil agitandũ. interea Romæ C. Mamilius LeG matanus trib. pl. rogationẽ ad populũ promulgat, vti quæreretur in eos, quorum consilio Iugurtha Senatus decreta neglexisset: quiq. ab eo in legationib. aut imperiis pecunias accepissent: qui elephãtos quiq. perfugas tradidissẽt: item q. qui de pace aut bello cũ hostib. pactiones fecissent. Huic rogationi partim cõscij sibi, alij ex partium inuidia pericula metuẽtes (quoniã apertè resistere non pote-

-rant,

rant, quin illa & alia talia placere sibi faterentur) occultè per amicos ac maximè per homines nominis Latini & socios Italicos impedimenta parabāt. Sed plebs incredibile est memoratu, quàm intenta fuerit, quantaq. vi rogationem iusserit, decreuerit, voluerit: magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quàm cura Reip. tanta libido in partibus erat. Igitur cæteris metu perculsis, M. Æmilius Scaurus, quem legatum Bestiæ fuisse suprà docuimus, inter lætitiam plebis & suorum fugam, trepida etiam tum ciuitate, cū ex Mamiliana rogatione tres quæsitores rogarentur, effecerat, vt ipse in eo numero crearetur. Sed quæstione exercita asperè violentérque ex rumore & libidine plebis, vt sæpe nobilitatē, sic ea tempestate plebē ex secundis rebus insolentia ceperat. Cæterum mos partiū popularium & Senatus factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis antè annis Romæ ortus est, ocio atque abundantia earum rerū, quæ prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus & senatus Rom. placidè modestéque inter se Remp. tractabant: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter ciues erat: metus hostilis in bonis artibus ciuitatem retinebat. Sed vbi illa formido mentibus decessit, scilicet ea quæ res secundæ amant, lasciuia atque superbia incessere. Ita quod in aduersis rebus optauerant, ocium postquam adepti sunt, asperius acerbiusq. fuit. Namque cœpere nobilitas dignitatem in superbiam, populus libertatem in libidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt. Resp. quæ media fuerat, dilacerata est. Cæterum nobilitas factione magis pollebat. Plebis vis soluta, atque in multitudine dispersa, minus poterat. Paucorū arbitrio belli domique Resp. agitabatur: penes eosdem ærariū prouinciæ, magistratus, gloriæ triumphiq. erant: populus militia atque inopia vrgebatur. Prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parētes, aut parui liberi militum, vti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia, auaritia sine modo modestiáque inuadere, polluere & vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semetipsa præcipitauit. Nā vbi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriā iniustæ potentiæ anteponerent: moueri ciuitas & dissensio ciuilis, quasi permistio terræ, oriri cœpit. Nam postquam Tiberius & C. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum Reip. addiderant, vindicare plebem in libertatē, & paucorum scelera patefacere cœpere: nobilitas noxia, atque eo perculsa, modo per socios ac nomē Latinum, interdum per equites Ro. quos spes societatis à plebe dimouerat, Gracchorū actionibus obuiam ierat. Et primò Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem C. Bebium, tribunum pl. alterum, alterum triumuirum coloniis deducēdis cum M. Fuluio Flacco ferro necauerat. Et sanè Gracchis cupidine victoriæ haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satiùs est, quàm malo more iniuriam vincere. Igitur ea victoria, nobilitas ex libidine sua vsa, multos mortales ferro aut fuga extinxit: plusque in reliquum sibi timoris, quàm potentiæ addidit: quæ res plerumq. magnas ciuitates pessumdedit: dum alteri alteros vincere quouis modo, & victos acerbius vlcisci volūt. Sed de studiis partium, & omnib. ciuitatis moribus, si singillatim, aut pro magnitudine parem disserere, tempus quā res maturius me deseret: quāobrem

A ad inceptum redeo. Post Auli fœdus, exercitusque nostri fugā fœdam, Metellus & Syllanus Coss. designati prouincias inter se partiuerāt: Metelloq. Numidia euenerat, acri viro: & quanquam aduerso populi partibus, fama tamen æquabili & inuiolata. Is vbi magistratum primū ingressus est, alia omnia sibi cum collega cōmunia ratus: ad bellum quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidēs veteri exercitui, milites eligere, scribere, præsidia vndiq; accersere: arma, tela, equos, & cetera instrumē-
B ta militiæ parare: ad hoc cōmeatum, affatim: deniq. omnia quæ in bello vario, & multarum rerū egēti, vsui esse solent. Cæterum ad ea patranda, Senatus autoritate, socij nomenq. Latinum, & reges vltrò auxilia mittere: postremò omnis ciuitas summo studio adnitebatur. Itaq. ex sententia, omnib. rebus paratis, cōpositisque in Numidiā proficiscitur magna spe ciuium: cum propter bonas artes, tum maximè quod aduersum diuitias inuictum animum gerebat: & auaritia magistratuum, ante id tempus
C in Numidia nostræ opes cōtusæ, hostiumq. auctæ erāt. Sed vbi in Africā venit, exercitus ei traditur à Sp. Albino pro cons. iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens: lingua quā manu promptior, prædator ex sociis, & ipse præda hostium sine imperio & modestia habitus. Ita imperatori nouo plus ex malis moribus solicitudinis quā ex copia militum auxilij aut spei bonæ accedebat. Statuit tamen Metellus, quanquā & æstiuorum tempus comitiorum mora imminuerat & expectatione e-
D uentus, ciuium animos intentos putabat, nō prius bellum attingere, quā maiorum disciplina milites laborare coegisset. Nā Albinus Auli fratris, exercitusq. clade perculsus, postquā decreuerat nō egredi prouincia, quantum temporis comitiorum æstiuorum in imperio fuit, plerumq. milites in statiuis castris habebat: nisi cum odor aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque more militari vigiliæ ducebantur: vti cuique libebat, ab signis aberat. Lixæ permisti cum militibus die, noctéque
E vagabātur: & palātes agros vastare, villas expugnare, pecoris & mancipiorum prædas certatim agere, eaque mutare cum mercatoribus vino aduectitio & aliis talibus: Præterea frumentum publicè datū vendere, panem in dies mercari: postremò, quæcunque dici aut fingi queunt ignauiæ luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, & alia amplius. Sed in ea difficultate Metellum non minus quā in rebus hostilibus magnum & sapientem virum fuisse comperior, tanta temperātia inter am-
F bitionē sæuitiamq. moderatum. Namque suo edicto primum adiumenta ignauiæ sustulisse dicitur, ne quisquam in castris, néve in agmine panem, aut quem alium cibum coctum venderet, ne lixæ exercitum sequerentur: ne miles gregarius in castris, néve in agmine seruum aut iumentum haberet, cæteris arctè modum statuisse. Præterea transuersis itineribus quotidie castra mouere: iuxta ac si hostes adessent vallo atque fossa munire: vigilias crebras ponere, & eas ipse cum legatis circuire.
G item in agmine in primis modò, modò in postremis, sæpe in medio adesse, ne quisquam ordinē egrederetur: vt cum signis frequentes incederent, miles cibum & arma portaret. ita prohibendo à delictis magis quàm vindicando, exercitum breui confirmauit. Interea Iugurtha, vbi quæ Metellus agebat, ex nunciis accepit, simul de innocentia eius certior Romæ factus, diffidere suis rebus, ac tū demum verā deditionem facere conatus est. Igl-

tur legatos ad Cos. cum suppliciis mittit, qui tantummodò ipsi liberisque vitam peterent: alia omnia dederent pop. Rom. Sed Metello iam ante experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, nouarum rerum auidum esse. Itaque legatos alium ab alio diuersos adgreditur, ac paulatim tentãdo, postquam omnes opportunos sibi cognouit, multa pollicendo persuadet, vti Iugurtham maximè viuum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent. Cęterum palam, quę ex voluntate forent, regi nunciari iubet. Deinde ipse paucis dieb. intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit. Vbi cõtra belli faciẽ tuguria plena hominũ, pecora cultoresq; in agris erãt: ex oppidis & mappalibus regis præfecti obuiã procedebant: parati frumentum dare, cõmeatum portare, postremò omnia quæ imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, sed pariter ac si hostes adessent munito agmine incedere, latè explorare, omnia illa deditionis signa ostẽtui credere, & insidiis locum tentari. Itaque ipse cũ expeditis cohortibus, item funditorum & sagittariorũ delecta manu apud primos erat: in postremo C. Marius legatus cum equitib. curabat: in vtrumq. latus auxiliarios equites tribunis legionum & præfectis cohortium dispertiuerat: vt, cum his permixti velites, quocunq; accederent equitatus hostium propulsarent. Nam in Iugurtha tantus dolus tantaq. peritia locorum & militiæ inerat, vt absens an præsens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur. Erat haud longè ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarũ, nomine Vacca, foro rerum venalium totius regni maximè celebratum: vbi & incolere, & mercari consueuerant Italici generis multi mortales. Huc consul simul tentandi gratia, & si paterentur opportunitates loci, præsidium imposuit: præterea imperauit frumentum & alia quæ bello vsui forent, comportare: ratus id quod res monebat, frequentiam negociatorum, & cõmeatum iuuaturum exercitum, & iam paratis reb. munimẽto fore. Inter hæc negocia Iugurtha impensius legatos supplices mittere, pacẽ orare: præter suam liberorumq vitam omnia Metello dedere. Quos itẽ vti priores cõsul illectos ad proditionem domũ dimittebat. Regi pacem quam postulabat neque abnuere, neque polliceri: & inter eas moras, promissa legatorum expectare. Iugurtha vbi Metelli dicta cum factis composuit, ac suis artib. se tentari animaduertit, quippe cui verbis pax nunciabatur, cæterum re bellum asperrimũ erat, vrbs maximè alienata, ager hostib. cognitus, animi popularium tentati, coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere, in spem victoriæ adductus, ex opportunitate loci, quã maximas potest copias omniũ generũ parat, ac per tramites occultos exercitũ Metelli anteuenit. Erat in ea parte Numidiæ, quã Adherbal in diuisionẽ orbis possederat, flumẽ oriẽs à meridie, nomine Muthul, à quo aberat mons fermè millia passuũ viginti, tractu pari, vastus ab natura & humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertingẽs, vestitus oleastro, ac myrtetis, aliisq. generibus arborũ, quæ humo arida atque arenosa gignuntur. Media autẽ planicies deserta, penuria aquæ, præter flumini propinqua loca. Ea cõsita arbustis, pecore atque cultorib. frequẽtabantur. Igitur in eo colle, quẽ trãsuerso itinere porrectũ docuimus, Iugurtha extenuata suorum acie cõsedit. Elephantis, & parti copiarum

A pedestriũ Bomilcarẽ præfecit: eumque edocet, quid ageret. Ipse propius montem cum omni equitatu & peditib. delectis suos collocat: dein singulas turmas & manipulos circumiens, monet atq. obtestatur, vti memores pristinæ virtutis & victoriæ, sese regnumq; suũ ab Rom. auaritia defendant: cũ his certamẽ fore, quos antea victos sub iugũ miserint: ducem illis, non animũ mutatum: quæ ab imperatore decuerint, omnia suis prouisa: locum superiorem, vt prudẽtes cũ imperitis, ne pauciores cũ pluribus, aut

B rudes cũ bello melioribus manũ cõsererent. Proinde parati intentiq. essent, signo dato Romanos inuadere: illũ diẽ aut oẽs labores & victorias confirmaturũ, aut maximarũ ærumnarũ initiũ fore. Ad hoc viritim, vti quẽq. ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficij sui, & eum ipsum aliis ostentare: postremò, pro cuiusq. ingenio pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare: cum interim Metellus ignarus hostium, monte degrediens, cum exercitu conspicatur.

C Primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet (nã inter virgulta, equi Numidæq. consederant, neque planè occultati humilitate arborum, & tamẽ quidnam esset, incerti, cum natura loci, tũ dolo, ipsi atq. signa militaria obscurati) dein breui cognitis insidiis, paulisper agmine constitit. Ibi commutatis ordinibus in dextro latere, quod proximum hostes erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit. Inter manipulos funditores & sagittarios dispertit: equitatũ oẽm in cornib. locat. Ac pauca pro tempore milites cohortatus, aciẽ sicuti instruxerat, transuersis princi-

D pijs in planum deducit. Sed vbi Numidas quietos, neque colle degredi animaduertit, veritus ex anni tẽpore & inopia aquæ, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum, cum expeditis cohortib. & parte equitum præmisit ad flumen, vti locum castris ante caperet: existimans hostes crebro impetu & transuersis præliis iter suum remoraturos, & quonia armis diffiderent, lassitudinẽ & sitim militum tẽtaturos. Deinde ipse pro re atque loco, sicuti mõ-

E tẽ descenderat, paulatim procedere, Marium post principia habere: ipse cũ sinistræ alæ equitib. esse, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha vbi extremum agmen Metelli primos suos prætergressum videt, colle præsidio duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte cedentib. aduersariis receptui, ac post munimento forent. dein repentè signo dato, hostes inuadit. Numidæ alij postremos cædere, pars à sinistra ac dextra tẽtare, infensi adesse atque instare, et omni-

F bus locis Rom. ordines cõturbare, quorum etiam qui firmiorib. animis obuij hostib. fuerant, ludificati incerto prælio, ipsi modò eminus sauciabantur: neque cõtra feriendi aut cõserendi manum copia erat. Antè iã docti ab Iugurtha equites, vbicunque Romanorũ turma insequi cœperat, non confertim, neque in vnum sese recipiebant: sed alius alio quã maximè diuersi. Ita priores numero si à persequẽdo hostes deterrere nequiuerant, disiectos ab tergo aut lateribus circumueniebant: sin opportunior fu-

G gæ collis quã campi fuerat, ea verò cõsueti Numidarũ equi facilè inter virgulta euadere: nostros asperitas & insolentia loci retinebat. Cæterum facies totius negocij varia, incerta, fœda atque miserabilis. Dispersi à suis, pars cedere, alij insequi: neque signa, neque ordines obseruare: vbi quenque periculũ ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes atque ciues permixti: nihil consilio neque imperio agi: Fors omnia regere. Itaque multũ diei

diei processerat, cum etiam tum euentus in incerto erat. Denique omnibus labore & æstu languidis. Metellus, vbi videt Numidas minus instare, paulatim milites in vnum conducit: ordines restituit: & cohortes legionarias quatuor aduersus pedites hostium collocat. Eorum magna pars superioribus locis fessa consederat: simul orare, & hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostes fugientes vincere: neque illis castra esse, neque vllum munimentum, quò cedentes tenderent: in armis omnia sita. Sed nec Iugurtha quidem interea quietus erat, circuire, hortari, renouare prælium, & ipse cum delectis tentare omnia: subuenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognouerat, eminus pugnando retinere. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri certabant. Ipsi pares, cæterum omnibus dispares. Nam Metello virtus militum erat, locus aduersus: Iugurthæ alia omnia, præter milites opportuna. Denique Romani vbi intelligunt neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri: & iam diei vesper erat, aduerso colle, sicuti præceptum fuerat, euadunt. Amisso loco Numidæ fusi, fugatique, pauci interiere: plerosque velocitas, & regio hostibus ignara, tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis, & parti copiarum pedestrium præfectum ab Iugurtha supra diximus, vbi eum Rutilius prætergressus est, paulatim suos in æquum locum deducit. Ac dum legatus ad flumen, quo præmissus erat, festinans pergit, quietus vti res postulabat, aciem exornat: neque remittit, interim quid vbique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse iam, & animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthæ prælio clamorem augeri: veritus ne legatus re cognita laborantibus suis auxilio foret: aciem quam diffidens virtuti militum, arte statuerat, quò hostium itineri officeret, latius porrigit: eoque modo ad Rutilij castra procedit. Romani, ex improuiso, pulueris vim magnam animaduertunt. Nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat: & primò rati humum aridam vento agitari, post vbi æquabilem manere, & sicuti acies mouebatur, magis magisque appropinquare vident, cognita re properantes arma capiunt: ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, vbi propius ventum est, vtrinque magno clamore concurritur. Numidæ tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant, postquam eos impeditos ramis arborum, atque ita disiectos circumueniri vident, fugam faciunt: ac plerique abiectis armis, collis aut noctis quæ iam aderat auxilio, integri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui omnes numero quadraginta interfecti. At Romani quanquam itinere atque opere castrorum & prælio fessi lætique erant: tamen, quòd Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obuiam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. Ac primo obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu velut hostes aduentare: alteri apud alteros formidinem simul & tumultum facere: & penè imprudentia admissum facinus miserabile, ni vtrinque præmissi equites rem explorauissent. Igitur pro metu, repentè gaudium exortum est: milites alius alium læti appellant, acta edocent atque audiunt: sua quisque fortia facta ad cœlum effert. Quippe res humanæ ita sese habent, in victoria vel ignauis gloriari licet: aduersæ res, etiam bonos detrectant. Metellus in iisdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit: meritos in præliis, more militiæ donat: vniuersos in concione laudat, atque agit gratias: hortatur ad cæ-

A tera quæ leuia sunt, parem animum gerant pro victoria, satis iam pugnatum, reliquos labores pro præda fore. Tamen interim transfugas & alios opportunos, Iugurtha vbi gentium, aut quid agitaret, cum paucis ne esset, an exercitum haberet, vt sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa, & natura munita receperat: ibique cogebat exercitum numero omnium ampliorem, sed hebetem infirmumque agri ac pecoris magis quàm belli cultorem. Id ea gratia eueniebat, quòd præter B equites regios nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur: quò cuiusque animus fert, eò discedunt: Neque id flagitium militiæ ducitur, ita se mores habent. Igitur Metellus vbi videt animum regis etiam tum ferocem esse, bellum renouari: quod nisi ex illius libidine geri non posset: prætereà iniquum certamen sibi cum hostib., minore detrimento illos vinci, quam suos vincere: statuit non prœliis, neque acie, sed alio modo bellum gerendum. Itaque in loca Numidiæ opulentissima pergit, agros vastat: multa castella & oppida temerè muni- C ta, aut sine præsidio capit, inceditque: puberes interfici iubet: alia omnia militum prædam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides: frumentum, & alia quæ vsui forent, affatim præbita, vbicunque res postulabat, præsidium impositum. Quæ negocia multò magis quàm prælium malè pugnatum, ab suis regem terrebant. Quippe cuius spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur: & qui sua loca defendere nequiuerat, in alienis bellum gerere. Tamen ex inopia, quod optimum videbatur, consilium capit: exercitum plerumque in iisdem locis opperiri iubet. Ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur: nocturnis & auiis itineribus ignoratus, Romanos palantes repentè aggreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit: & Numidæ priusquam ex castris subueniretur, sicuti iussi erant, in proximos colles discedunt. Interim Romæ gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus: vt sese, & exercitum more maiorum gereret: E vt in aduerso loco, victor tamen virtute fuisset, hostium agro potiretur, Iugurtham magnificum ex Auli socordia, spem salutis in solitudine aut fuga coegisset habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta, diis immortalibus supplicationem decernere, ciuitas trepida antea, & sollicita de belli euentu, læta agere, de Metello præclara fama esse. Igitur eò intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare: cauere tamen necubi hosti opportunus fieret: meminisse post gloriam, inuidiam sequi. Ita F quò clarior, eò magis anxius erat, neque post insidias Iugurthæ, effuso exercitu prædari. Vbi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præsidium agitabant: exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igne magis quam præda ager vastabatur. Duobus locis haud longè inter se castra faciebant: vbi vi opus erat, cuncti aderant: cæterum quo fuga atque formido latius cresceret, diuersi agebant. Eo tempore Iugurtha per colles sequi, tempus aut locum pugnæ quærere: G quà venturum hostem audierat, pabulum & aquarum fontes, quorum magna penuria erat, corrumpere: modo se Metello, interdum Mario ostendere, postremos in agmine tentare, ac statim in colles regredi: rursus aliis, post aliis minitari, neque prælium facere, neque otium pati: tantummodo hostem ab incepto retinere. Romanus imperator vbi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri:

vrbem magnam, & in ea parte quæ sita erat arce A regni, nomine Zamam, statuit oppugnare: ratus id quod negocium posceat, Iugurthã laborantibus suis auxilio venturum, [illegible] prælium fore. [illegible] quæ parabantur à perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum [illegible] oppidanos hortatur mœnia def[illegible] perfugis: quod genus ex copiis Re[illegible] fallere nequibat, maxumũ erat. Præterea [illegible] tẽpore semet cũ exercitu [illegible] rebus in loca [illegible] maximè B occulta discedit, paulò post cognoscit Marium ex itinere [illegible] cum paucis cohortibus Siccam [illegible] ad oppidum [illegible] post malam pugnam [illegible] equitibus noctu [illegible] & iam egredientibus Romanis in porta [illegible] cohortatur [illegible] circumueniant, fortunam illis præclari facinoris casum dare. [illegible] fecerint [illegible] in libertate [illegible] tu [illegible] Marius [illegible] atq. C [illegible] pro[illegible] maxuma pars [illegible] nobilitate [illegible] genus. Sed milites Iugurthini [illegible] quã maiore vi hostes [illegible] profugi discedunt. Marius ad Zamam peruenit. Id oppidum in campo situm, magis opere quã natura munitum [illegible] lius [illegible] Igitur Metellus [illegible] parati rebus, cunctis mœnia exercitu circumuenit. [illegible] imperat vti quisque [illegible] simul clamor ingens [illegible] Numidas [illegible] prælium incipitur. Romani, pro ingenio quisque pars [illegible] aut lapidibus pugnare: alii [illegible] codere [illegible] gredi, cupere prælium [illegible] Contra ea oppidani in proximos saxa voluere: sudes, pila, præterea pice [illegible] mittere. [illegible] illos qui [illegible] timor animi [illegible] Nam plerique [illegible] E [illegible] aut manu [illegible] vulnerabantur [illegible] per [illegible] Dum [illegible] Zamam [illegible] certatur, Iugurtha [illegible] improuiso castra hostium cum magna manu inuadit: remissis qui in præsidio [illegible] & omnia [illegible] prælium expectantibus [illegible] irrumpit. At [illegible] repentino metu perculsi sibi quisque [illegible] consulunt: alii fugere, alii arma [illegible] magna pars vulnerati aut occisi. Cæterum ex omni [illegible] non amplius quadraginta [illegible] Romani, grege facto locum cepere, paulo quã alii editiorem: neque [illegible] maxima vi depelli quiuerunt, sed tela eminus missa [illegible] pauci in pluribus [illegible] : sin Numidæ propius accessissent, ibi [illegible] ostendere, & eos [illegible] vi cædere, fundere atque fugare. Interim Metellus cum acerrime [illegible] clamorem & tumultum hostilem [illegible] accepit. Deinde conuerso equo, animaduertit fugam ad se versum fieri: quæ res indicabat esse populares. [illegible] equitatum omnem ad castra properè misit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum [illegible] per amicitiam perque Remp. [illegible] fecerat [illegible] contumeliam remanere in exercitu victore, [illegible] hostes inultos abire sinat. Ille breui mandata efficit. At Iugurtha munimento castrorum impeditus, cum alii super vallum præcipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent, multis amissis in loca mu-

nita sese recepit. Metellus [illegible] quæ [illegible] in [illegible] vult [illegible] ad oppugnandum [illegible] gos [illegible] & [illegible] a [illegible] gi[illegible] Iugurtha [illegible] occulto [illegible] stros [illegible] B Neque [illegible] dice[illegible] grediun[illegible] præsidia [illegible] [illegible] que [illegible] pari [illegible] C omnibus [illegible] summa [illegible] fecerat [illegible] verique [illegible] fensabat, [illegible] ferant [illegible] vti quæque [illegible] paui[illegible] significare [illegible] ita huc & illuc [illegible] Quod vbi Marius [illegible] cognouit [illegible] lenius [illegible] [illegible] studium [illegible] repentè magna vi murum [illegible] milites [illegible] alia [illegible] de in vbi [illegible] fuge [illegible] E [illegible] Denique [illegible] nox [illegible] Metellus [illegible] pida [illegible] suo [illegible] ab Zama discedit [illegible] cerat [illegible] dia [illegible] proxima [illegible] F [illegible] insidias [illegible] pro [illegible] Igitur Bomilcar [illegible] eum [illegible] Massinissa [illegible] [illegible] omnia [illegible] G [illegible] multos captos mortales [illegible] occisis [illegible]

nutas esse: satis sæpe iam & virtutem militum, & fortunam tentatam: caueat, ne illo cunctante, Numidæ sibi cõsulant. His, atque talibus alijs ad deditionem regis animum impellit, mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac sine vlla pactione sese, regnumq. suum in illius fidẽ tradere. Metellus propterẽ cunctos Senatorij ordinis ex hibernis accersiri iubet: eorum, atq. aliorum, quos idoneos ducebat, cõsiliũ habet: ita more maiorũ, ex cõsilij decreto, per legatos Iugurtha imperat argẽti põdo ducẽta millia, elephantos omnes, equorũ, & armorũ aliquãtũ B adderet. Quæ postquam sine mora facta sunt, iubet omnes perfugas vinctos adduci. eorũ magna pars, vti iussũ erat, adducti: pauci, cũ primũ deditio cœpit, ad regẽ Bocchum in Mauritaniã abierant. Igitur Iugurtha vbi armis virisq. & pecunia spoliatus est, cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus cœpit flectere animum suũ: & ex mala consciẽtia digna timere. Deniq. multis dieb. per dubitationẽ cõsumptis, cum modò tędio rerũ aduersarum omnia bello potiora duceret: interdum secũ C ipse reputaret, quàm grauis casus in seruitium ex regno foret: multis magnisq. præsidijs nequidquã perditis de integro bellum resumit; & Romę Senatus de prouincijs consultus, Numidiam Metello decreuerat. Per idem tepus Vticæ fortè C. Mario per hostias dijs supplicanti, magna atq. mirabilia portendi aruspex dixerat: proinde, quę animo agitabat, fretus dijs ageret: fortunam quàm sæpissimè experiretur, cuncta prosperè euentura. At illũ iam D antea cõsulatus ingens cupido exagitabat, ad quẽ capiundum, præter vetustatem familiæ, omnia abundè erant: industria, probitas, militiæ magna sciẽtia, animus belli ingens, domi modicus libidinis & diuitiarum victor, tantũmodo gloriæ auidus. Sed is natus, & per omnẽ pueritiã Arpini altus, vbi primùm ætas militiæ patiens fuit, stipendijs faciundis, non Græca facundia, neq. vrbanis munditijs sese exercuit: ita inter artes bonas integrum ingenium breui adoleuit. Ergo vbi primum E tribunatum militarẽ à populo peti, pleriq. faciem eius ignorantib., facilè notus per omnes Tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit: semperq. in potestatib. eo modo agitabat, vt ampliore, quàm gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebs, cõsulatum nobilitas inter se per manus F tradebat. Nouus nemo tam clarus, neq. tam egregijs factis erat, quin is indignus illo honore & quasi pollutus haberetur. Igitur vbi Marius aruspicis dicta eodem intendere videt, quò cupido animi hortabatur, ab Metello consulatum petendi gratia missionẽ rogat: cui quanquam virtus, gloria atq. alia optanda bonis superabant: tamen inerat cõtẽptor animus & superbia, commune nobilitatis malum. Itaq. primum commotus insolita re, mirari eius cõsilium, & quasi per amicitiam monere, ne tã praua inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnib. cupiẽda esse, debere illi res suas sa- G tis placere: postremo, caueret id petere à P.R. quod illi iure negaretur. Postquam hæc atque alia talia dixit, neq. animus Marij flectitur: respondit, Vbi primum potuisset per negocia publica facturum sese quæ peteret. Ac postea sæpius eadem postulanti fertur dixisse; Ne festinaret: abire, satis maturè illum cum filio consulatum petiturum (is eo

A tẽpore, in cõtubernio patris ibidẽ militabat, annos natus circiter viginti. Quæ res Marium tum pro honore quem affectabat, tum cõtra Metellum vehemẽter accẽderat. Ita cupidine atque ira, pessimis consultorib. grassari: neq. facto vllo, neq. dicto abstinere, quòd modò ambitiosum foret. Milites quib. in hibernis præerat, laxiore imperio quàm antea habere, apud negociatores, quorum magna multitudo Vticæ erat, criminosè simul ac magnificè de bello loqui, dimidia pars exercitus si sibi B permitteretur, paucis dieb. Iugurtham in catenis habiturum, ab imperatore consultò bellum trahi, quòd homo inanis & regiæ superbiæ imperio nimis gauderet. Quæ omnia, eò illis firmiora videbantur, quòd diuturnitate belli, res familiares corruperat. Et animo cupienti, nil satis festinatur. Erat præterea in exercitu nostro Numida quidam nomine Gauda, Manastabilis filius, Masinissæ nepos, quem Micipsa testamento secundum hęredẽ scripserat: morib. cõfectis, & ob eam causam men- C te paululũ imminuta. Cui Metellus petẽti more regũ, vt sellã iuxtà poneret, item postea custodiæ causa turmã equitum Romanorũ, vtrunq. negauerat honorẽ, quòd eodem modo foret, quod populus Ro. reges appellauisset: præsidium, quod cõtumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidę traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur, atq. hortatur, vt cõtumeliarum in imperatorẽ cum suo auxilio pœnas petat: hominem ob morbos animo parum valido, secũda oratione D extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissæ nepotem esse: si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidię sine mora habiturum: id adeo maturè posse euenire, si ipse cõsul ad id bellũ missus foret. Itaq. & illum & equites Romanos, milites & negotiatores, alios ipse, plerosque spes pacis impellit, vti Romã ad suos necessarios asperè in Metellum de bello scribant, Marium imperatorẽ poscãt. Sic à multis illi mortalib. honestissima suffragatione cõsulatus petebatur, simul ea tẽpestate E plebs nobilitate perculsa, per legem Manliam nouos extollebat. ita Mario cuncta procedere. Interim Iugurtha postquam omissa deditione bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum; ciuitates quę ab se defecerant, formidine, aut ostentãdo præmia adfectare, communire suos locos: arma, tela, aliaq. quæ spe pacis amiserat, reficere aut cõmercari: seruitia Romanorum illicere, & eos ipsos qui in præsidijs erãt, pecunia tentare: prorsus nihil intactũ, neq. quie- F tum pati, cuncta agitare. Igitur Vaccenses, quo Metellus initio Iugurtha pacificante pręsidiũ imposuerat, fatigati regis, supplicijs, neq. antea voluntate alienati, principes ciuitatis inter se cõiurãt. Nã vulgus, vti plerunq. solet, & maximè Numidarum ingenio mobili, seditiosum atq. discordiosum erat, cupidum nouarum rerum, quieti & ocio aduersum. Dein cõpositis inter se reb. in diẽ tertium cõstituunt: quòd is festus celebratusq. per omnẽ Africã, ludum, & lasciuiã magis quàm formidinẽ ostẽtabat. Sed vbi tempus fuit, cẽturiones G tribunosq. militares, & ipsum præfectũ oppidi T. Turpilium Syllanum, alius aliũ domos suas inuitant eos omnes, præter Turpilium, inter epulas obtruncant. Postea milites palãtes inermes, quippe in tali die sine imperio adgrediuntur. Idẽ plebs facit, pars edocti à nobilitate, alij studio talium rerum inciati, queis acta cõsiliumq. ignorantib. tumultus ipse, & res nouæ satis placebant. Romani

milites perculsi improuiso metu, incerti ignariq. quid potissimū facerent, trepidare arcē oppidi, vbi signa & scuta erant: præsidium hostium, portæ antè clausæ, fugā prohibebant. Ad hoc mulieres puerīq. pro tectis ędificiorum saxa & alia, quę locus præbebat, certatim mittere. Ita neq. caueri anceps malum, neq; à fortiss. infirmissimo generi resisti posse: iuxta boni malique strenui & imbecilles multi obtrūcati. In ea tanta asperitate sæuiss. Numidis & oppido vndiq. clauso, Turpil. præfectus vnus ex omnib. Italicis intactus profugit. Id misericordiáne hospitis an pactione an casu ita euenerit parū cōperimus: nisi quòd illi in tāto malo, turpis vita, integra fama potior fuit, improbus intestabilísq. videtur. Metellus postquam de rebus Vaccæ actis cōperit, paulisper mœstus è cōspectu abijt: dein vbi ira & ęgritudo permista sunt, cum maxima cura vltum ire iniurias festinat. Legionē cum qua hyemabat, & quàm plurimos potest Numidas equites, pariter cum occasu solis expeditos educit. & postera die circiter horam tertiam peruenit in quandam planitie, locis paulò superiorib. circumuentam. Ibi milites fessos itineris magnitudine, & iam abnuentes omnia, edocet: oppidum Vaccam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem ęquo animo pati, dū pro ciuib. suis, viris fortissimis atq. miserrimis pœnas caperent. præterea prędā benignè ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo latere, pedites quam artissimè ire, & signa occultare iubet. Vaccenses vbi animaduertere ad se versum exercitum pergere, primò vti res erat, Metellum esse rati, portas clausere: deinde vbi neque agros vastari, & eos qui primi aderant, Numidas equites vidēt: rursum Iugurtham arbitrati, cū magno gaudio obuij procedunt. Equites pedítésq. repentè signo dato, alij vulgū effusum oppido cędere, alij ad portas festinare, pars turres capere: ira atque spes prædæ amplius, quàm lassitudo posse. Ita Vaccenses biduū modo ex perfidia lętati: ciuitas magna atque opulēta, cuncta pœnæ aut prędę fuit. Turpilius, quem præfectum oppidi vnum ex omnib. profugisse suprà ostēdimus, iussus à Metello causam dicere: postquam sese parum expurgát, cōdēnatus verberatúsq. capite pœnas soluit. Nam is ciuis ex Latio erat. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionē, quā metu deseruit, incœperat, suspectus regi, & ipse cum suspicēs, nouas res cupere. ad perniciē eius dolū quærere, diu noctúq. fatigare animum. Deniq. omnia tentando, sociū sibi adiungit Nabdalsam, hominē nobilē, magnis opibus clarū, acceptūq. popularib. suis: qui plerūq. seorsum ab rege exercitum ductare, & omnes res exequi solitus erat, quę Iugurthæ fesso, aut maiorib. adstricto superauerant: ex quo illi gloria opésq. inuentæ sunt. Igitur vtriusque consilio dies insidijs statuitur: cętera, vti res posceret, ex tēpore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus est, quem inter hyberna Romanorum iussus habebat, ne ager inultis hostib. vastaretur. Is postquam magnitudine facinoris perculsus, ad tepus nō venit, metúsq. rē impediebat: Bomilcar simul cupidinib. incœpta patrādi, & timore socij anxius, omisso vetere consilio nouū quęrere: literas ad eū per homines fideles mittit, in queis mollitiē socordiáq. viri accusare: testari deos, per quos iurasset: monēre, ne præmia Metelli in pestem suam cōuerteret: Iugurthæ exitium adesse: cæterum, suáne an Metelli virtute periret,

A id modò agitari, proinde reputaret cum animo suo, præmia an cruciatum mallet. Sed cum hę literæ adlatæ, forte Nabdalsa exercitio corporis fessus, in lecto quiescebat: vbi cognitis Bomilcaris verbis, primò cura, deinde, vti ęgrum animū solet, somnus cepit. Erat ei Numida negociorum curator fidus acceptúsq;, & omnium cōsiliorum, nisi nouissimi, particeps, qui postquam adlatas literas audiuit, & ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introijt: &
B dormiente illo, epistolam super caput in puluino temerè positā sumit ac perlegit: deinde insidijs cognitis, properè ad regem pergit. Nabdalsa paulò post experrectus, vbi neq. epistola repperit, & omnē rem, vti acta erat, ex perfugis cognouit, primo indicē persequi conatus est. Postquam id frustrà fuit, Iugurthā placādi gratia accedit: dicit quæ ipse parauisset facere, perfidia clientis sui prę[illegible] lacrymans obtestatur per amicitiam, perq. sua antè fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sibi se
C haberet. Ad ea rex aliter atq; animo gerebat placidè respōdit: Bomilcare alijsq. multis, quos insidiarum socios cognouerat, interfectis, iram oppresserat: ne qua ex eo negocio seditio oriretur. Neq; post id locorum Iugurthæ dies, aut nox vlla quieta fuit: neq; loco, neq; mortali cuiquam aut tempori satis credere, ciues hostésq. iuxta metuere circumspectare omnia, & omni strepitu pauescere, alio atque alio loco sæpe contra regium decus noctu requiescere, interdum somno excitus, arreptis ar-
D mis tumultum facere, ita formidine quasi vecordia exagitari. Igitur Metellus, vbi de casu Bomilcaris, & indicio patefacto ex perfugis cognouit: rursus tāquam ad integrum bellum cuncta parat festinatq. Marium fatigantem de profectione simul & inuitum & offensum, parum idoneum ratus, domū dimittit: & Romæ plebes literis quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperat. Imperatori nobilitas quę antea decori fuerat, inuidiæ esse: at illi alteri generis humilitas fauorem addiderat: cæterum
E in vtroque magis studia partium, quàm bona aut mala sua moderari. Præterea seditiosi magistratus vulgū exagitare: Metellum omnib. cōcionibus capitis accersere: Marij virtutem in maius celebrare. Denique plebes sic est accensa, vt opifices agrestéque omnes, quorum res fidésq. in manibus sitæ erant, relictis operibus frequētarent Marium, & sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita perculsa nobilitate, post multas tempestates nouo homini cōsulatus mandatur: & postea populus à
F Tribuno plebis L. Manlio Mancino rogatus quē vellet cum Iugurtha bellum gerere, frequens Marium iussit. Sed senatus paulo antè Metello Numidiam decreuerat. Ea res frustra fuit. Eodem tempore Iugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necauerat, cæteri formidine pertimuit, pars ad Romanos, alij ad regē Bocchum profugerant, cum neq. bellū geri sine administris posse, & nouorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret: varius incertúsq. agitabat. neq. illi
G res vlla, neq. consilium, aut quisquam hominum satis placebat. Itinera præfectosq. in dies mutare, modo aduersum hostes, interdum in solitudines pergere: sæpe in fuga, ac paulo pòst in armis spem habere. dubitare virtuti, an fidei popularium minus crederet: ita quocunq. intenderat, res aduersæ erant. Sed inter eas moras repentè sese Metellus cū exercitu ostendit. Numidæ pro tempore ab Iugur-

tha parati instructiq. ſunt: deinde prælium incipi-
tur. Qua in parte rex pugnę adfuit, ibi aliquandiu
certatum: cæteri omnes milites primo congreſſu
pulſi fugatiq.: Romani ſignorum & armorum, &
aliquanto numero hoſtium potiti. Nam ferme in
omnibus prælijs Numidas magis pedes quàm ar-
ma tutati ſunt. Ea fuga Iugurtha modò impenſiùs
modò rebus ſuis diffidēs, cū perfugis & parte equi-
tatus, in ſolitudines, dein Thalā peruenit. Id op-
pidum magnum atque opulentū: ibiq. pleriq. the-
ſauri filiorū eius multus pueritiæ cultus erat. Quę
poſtquam Metello cōperta ſunt, quanquam inter
Thalam, flumenque proximū in ſpacio quinqua-
ginta milliū loca arida atque vaſta eſſe cognoue-
rat: tamen ſpe patrādi belli, ſi eius oppidi potitus
foret, omnes aſperitates ſuperuadere, ac naturam
loci etiā vincere adgreditur. Igitur omnia iumen-
ta ſarcinis leuari iubet, niſi frumento dierū decē,
cęterum vtres modò, aliáque aquę idonea portari.
Pręterea conquirit ex agris quàm plurimū poteſt
domiti pecoris, eóq; imponit vaſa cuiuſq; modi,
ſed pleraq. lignea, collecta ex tugurijs Numidarū.
Ad hoc finitimis imperat, qui ſe poſt regis fugam
Metello dediderant, quamplurimū quiſque aquæ
portaret: diē locūq., vbi præſtò forent, prædicit.
Ipſe ex flumine, quàm proximā oppido aquā eſſe
ſuprà diximus, iumenta onerat. Eo modo inſtru-
ctus ad Thalam proficiſcitur. Deinde vbi ad id lo-
ci ventum, quò Numidis præceperat, & caſtra poſi-
ta munitaq; ſunt: tanta repentè cœlo vis aquæ miſ-
ſa dicitur, vt ea modò exercitui ſatis ſuperq. foret.
Præterea cōmeatus ſpe amplior: quia Numidæ, ſi-
cuti pleriq. in noua deditione, officia intenderāt.
Cæterū milites religione pluuia magis vſi, eáque
res multum animis eorum addiderat. Nam rati
ſeſe immortalib. dijs curæ eſſe: deinde poſtero
die cōtra opinionē Iugurthæ, ad Thalam perue-
niunt oppidani, qui ſe locorū aſperitate munitos
crediderant, magna atq. inſolita re perculſi, nihi-
lo ſegnius bellum parare: idē noſtri facere. Sed rex
nihil iam infectus Metello credens; quippe qui
omnia arma, tela, equos, locos, tēpora, deniq. natu-
ram ipſam, cæteris imperitantē, induſtria vicerat,
cum liberis & magna parte pecuniæ, ex oppido
noctu profugit. Neq. poſtea in vllo loco amplius
vno die aut vna nocte moratus, ſimulabat ſeſe ne-
gocij gratia properare. Cęterum proditionē time-
bat, quā vitare poſſe celeritate putabat: nam talia
cōſilia per ociū & ex opportunitate capi. At Me-
tellus vbi oppidanos prælio intentos, ſimul oppi-
dum & operib. & loco munitū videt, vallo foſſaq.
mœnia circūuenit. Deinde iubet duobus locis ex
copia maximè idoneis vineás agere, ſuperque eas
aggerē iacere, & ſuper aggerē impoſitis turrib. o-
pus & adminiſtros tutari. Cōtra hæc oppidani fe-
ſtinare, parare: prorſus ab vtriſque nihil reliquum
fieri. Deniq; Romani multo antè labore prælijſq;
fatigati, poſt dies quadraginta, quàm eo ventū e-
rat, oppido modò potiti, præda omnis à perfugis
corrupta eſt. Hi poſtquā murum arietib. feriri, reſ-
que ſuas afflictas vident, aurū atque argentum, &
alia quę prima ducuntur, in domū regiā cōportāt.
Ibique vino & epulis oneratí, illáque & domū &
ſemet igni corrūpunt: & quas victi ab hoſtib. pœ-
nas metuerāt, eas ipſi volentes pependere. Sed pa-
riter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad
Metellū venerant, orātes vti præſidiū præfectūque
eò mitteret: Hamilcarē quēdā hominē nobilē: fa-
ctioſū, nouis reb. ſtudere: aduerſū quē neq; impe-

A ria magiſtratuum, neque leges valerēt: id ni feſti-
naret, in ſummo periculò ſuā ſalutē & illorū ſo-
cios fore. Nā Leptitani iam inde à principio belli
Iugurthini ad Beſtiam Cos. & poſtea Ro. miſerāt,
amicitiā ſocietatémq. rogatū. Deinde vbi ea im-
petrata fuere, ſemper boni fideleſque manſere, &
cuncta à Beſtia, Albino, Metelloq. impetrata gna-
uiter fecerāt. Itaq. ab Imperatore facilè quæ pe-
tebant adepti. Miſſæ eò cohortes Ligurū quatuor,
& C. Annius præfectus. Id oppidū ab Sydonijs cō-
B ditū eſt, quos accepimus profugos ob diſcordias
ciuiles, nauib. in eos locos veniſſe: cęterum ſitum
inter duas Syrteis, quib. nomen ex re inditum eſt.
Nam duo ſunt ſinus propè in extrema Africa, im-
pares magnitudine, pari natura: quorum proxima
terræ pręalta ſunt: cætera, vti fors tulit, alta, alia in
tempeſtate vadoſa. Nam vbi mare magnum eſſe,
& ſæuire cœpit ventis, limum arenámque & ſaxa
ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum
ventis ſimul mutatur: Syrtes, ab tractu nominatæ
C ſunt. Eius ciuitatis lingua, modò conuerſa con-
nubio Numidarum, legum cultuſque pleraque
Sidonica, quæ eò facilius retinebant, quod pro-
cul ab imperio regis ætatem agebāt. Inter illos &
frequentem Numidiam, multi vaſtique loci erāt.
Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum
negocia venimus, non indignum videtur, egre-
gium atq. mirabile facinus duorum Carthaginē-
ſium memorare. Eam rem nos locus admonuit.
Qua tempeſtate Carthaginenſes pleræque Africæ
D imperitabāt, Cyrenēſes quoq; magni atq; opulēti
fuere. Ager in medio arenoſus vna ſpecie: neque
flumen, neque mons erat, qui fines eorum diſcer-
neret. Quæ res eos in magno diuturnoq; bello in-
ter ſe habuit. Poſtquam vtrinque legiones, item
claſſes ſæpe fuſæ fugatæq. & alteri alteros aliquā-
tum attriuerant: veriti, ne mox victos, victoreſque
defeſſos alius adgrederetur, per inducias ſponſio-
nem faciunt, vti certo die legati domo proficiſce-
rentur: quo in loco inter ſe obuij fuiſſent, is cō-
E munis vtriuſq. populi finis haberetur. Igitur Car-
thagine duo fratres miſſi, quibus nomen Philænis
erat, maturauere iter peragere: Cyrenēſes tardius
iere. Id ſocordiane, an caſu acciderit, parum cog-
noui. Cæterum ſolet in illis locis tempeſtas haud
ſecus atq; in mari, viatores retinere. Nam vbi per
loca æqualia & nuda gignentium ventus coortus
arenam humo excitauit, ea magna vi agitata, ora
oculoſque implere ſolet, ita proſpectu impedito
morari iter. Poſtquam Cyrenenſes aliquantò po-
ſteriores ſe eſſe vident, & ob rem corruptam domi
F pœnas metuunt: criminari Carthaginēſes, ante tē-
pus domo digreſſos: cōturbare rem: denique om-
nia malle, quàm victi abire. Sed cùm Pœni aliam
cōditionē, tantūmodo æquam peterēt, Cyrenenſes
optionem Carthaginenſib. faciunt, vt vel illi, quos
fines populo ſuo peterēt, ibi viui obruerentur, vel
eadem conditione ſeſe, quē in locum vellent pro-
ceſſuros. Philæni cōditione probata, ſeque vitāq;
ſuam Reip. cōdonauere: ita viui obruti. Carthagi-
nenſes in eo loco Philænis fratrib. aras conſecra-
G uere, alijque illis domi honores cōſtituti. Nunc ad
inceptum redeo. Iugurtha poſtquā amiſſa Thala,
nihil ſatis firmum cōtra Metellum putat: per ma-
gnas ſolitudines cū paucis profectus, peruenit ad
Getulos, genus hominū ferū incultumq;, & eo tē-
pore ignarū nominis Romani. Eorū multitudinē
in vnum cogit: ac paulatim cōſuefacit ordines ha-
bere, ſigna ſequi, imperium obſeruare, item alia mi-

A litaria facere. Preterea regis Bocchi proximos ma-
gnis munerib. & maiorib. promissis, ad studiũ sui
perducit, queis adiutorib. regem adgressus, impel-
lit, vti aduersum Romanos bellum suscipiat. Id ea
gratia facilius proniusq. fuit, quod Bocchus ini-
tio huius belli legatos Romam miserat, fœdus &
amicitiam petitum. Quã rem opportunissimã in-
cœpto bello pauci impediuerant, cæci auaritia,
queis omnia honesta atq. inhonesta vendere mos
erat. Etiam antea Iugurthæ filia Boccho nupserat.
B Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosq.
leuis ducitur: quia singuli pro opib. quisq. quàm
plurimas vxores, denas alij, alij plures habent: sed
reges eò amplius. Ita animus multitudine distra-
hitur, nullam pro socia obtinet, pariter omnes vi-
les sunt. Igitur in locum ambob. placitum exerci-
tus conueniunt: ibi, fide data & accepta, Iugurtha
Bocchi animum oratione accendit: Romanos in-
iustos profunda auaritia, cõmunes omniũ hostes
esse: eandẽ illos causã belli cũ Boccho habere quã
C secũ, & cum alijs gẽtib. libidinẽ imperitãdi, queis
omnia regna aduersa sint: tũ sese, paulò antè Car-
thaginenses, item regẽ Persen, post vti quisque o-
pulentissimus videatur, ita Romanis hostem fore.
His atq. alijs talib. dictis, ad Cirthã oppidum iter
constituunt: quòd ibi Qu. Metellus prędam capti-
uosq. & impedimenta locauerat. Ita Iugurtha ra-
tus, aut capta vrbe operępreciũ fore: aut si dux Ro-
manus auxilio suis venisset, pręlio sese certaturos.
Nam callidus id modò festinabat, Bocchi pacem
D imminuere: ne moras agitando, aliud quàm bellũ
mallet. Imperator postquam de regum societate
cognouit, non temerè, neque vti sæpe iam victo
Iugurtha consueuerat, omnib. locis pugnandi co-
piam facit. Ceterùm haud procul ab Cirtha castris
munitis, reges operitur, melius esse ratus cognitis
Mauris (quoniam his nouus hostis accesserat) ex
cõmodo pugnam facere. Interim Roma per litte-
ras certior fit, prouinciam Numidiam Mario da-
tam: nam cõsule factũ antè acceperat. Quib. rebus
E supra bonum aut honestum percussus, neq. lacry-
mas tenere, neque moderari linguam: vir egregius
in alijs artibus, nimis molliter ægritudinem pati.
Quam rem alij in superbiam vertebant: alij, bonũ
ingenium contumelia accensum esse: multi, quòd
iam parta victoria, è manib. eriperetur. Nobis sa-
tis cognitũ est, illum magis honore Marij, quàm
iniuria sua excruciatum, neq. tam anxiè laturum
fuisse, si adempta prouincia alij quàm Mario trã-
deretur. Igitur eo dolore impeditus: & quia stulti-
F tiæ videbatur, alienam rem periculo suo curare,
legatos ad Bocchũ mittit, postulatum, ne sine cau-
sã hostis populo Romano fieret: habere tum ma-
gnam opportunitatem, copiam societatis amici-
tiæque coniungendæ, quæ potior bello esset: &
quanquam opib. suis cõfideret, tamen non debe-
re incerta pro certis mutare. Omne bellum sumi
facilè, ceterùm ęgerrimè desinere: non in eiusdem
potestate initium eius, & finę esse: incipere, cui-
uis etiã ignauo licerę: nõ deponi, nisi cum victo-
G res velint. Proinde, sibi regnoque suo consuleret,
neu florentes res suas cum Iugurthę perditis mi-
sceret. Ad ea Rex satis placidè verba facit, sese pa-
cem cupere, sed Iugurthæ fortunarum misereri: si
eadem illi copia foret, omnia conuentura. Rursus
Imperator, contra postulata Bocchi nuncios mittit.
Ille probare partim, partim abnuere. Eo modo sę-
pe ab vtroq. missis remissisq. nuncijs, tempus pro-
cedere, & ex Metelli voluntate bellum intactum,

A trahi. At Marius, vt suprà diximus, cupientissima
plebe consul factus postquam ei prouinciam Nu-
midiam populus iussit, antea iam infestus nobili-
tati, tum verò multus atq. ferox instare: singulos
modò, modò vniuersos lædere: dictitare sese, con-
sulatũ, ex victis illis quasi spolia cepisse: alia pre-
terea magnifica pro se & illis dolentia. Interim
quę bello opus erant, prima habere: postulare le-
gionib. supplementum: auxilia à populis & regib.
socijsque accersere: pręterea ex Latio fortissimum
B quenq. plerosq. militia, paucos fama cognitos ac-
cire, & ambiendo cogere homines emeritis stipen-
dijs secum proficisci, neq. illi senatus, quanquam
aduersus erat, de vllo negotio abnuere audebat.
Ceterum supplementum etiam lętus decreuerat,
quia neq; plebe militiã volente putabatur & Ma-
rius, aut belli vsum, aut studia vulgi amissurus. Sed
ea res frustrà sperata, tanta libido cum Mario eun-
di plerosq. inuaserat: sese quisq. pręda locupletem
fore, victorẽ domũ rediturum: alia huiuscemodi
C animis trahebant, & eos nõ paulùm oratione sua
Marius arrexerat. Nam postquam omnib. quæ po-
stulauerat, decretis, milites scribere vult, hortandi
causã, simul & nobilitatem, vti consueuerat, exa-
gitandi concionem populi aduocauit, deinde hoc
modo disseruit. Scio ego Quirites plerosq. nõ ijs-
dem artib. imperium à vobis petere: & postquam
adepti sunt, gerere: primò industrios, supplices,
modicos esse: deinde per ignauiam & superbiam,
ætatem agere. Sed mihi contrà videtur. Nam quò
D pluris est vniuersa Resp. quàm cõsulatus aut prę-
tura, eo maiore cura illam administrari, quam hęc
peti debere. Neq. me fallit, quantùm cum maximo
vestro beneficio negotij sustineam. Bellum parare
simul & ærario parcere: cogere ad militiam eos,
quos nolis offendere: domi forisq. omnia cura-
re: & ea agere inter inuidos, occursantes & factio-
sos, opinione Quirites asperius est. Ad hoc alij, si
deliquere, vetus nobilitas, maiorum for-
tia facta, cognatorũ & affinium opes, multę clien-
E telæ, omnia hęc pręsidio adsunt: Mihi spes omnes
in memet sitę: quas necesse est virtute, & innocen-
tia tutari. Nam alia infirma sunt: & illud intelligo
Quirites, omnium ora in me conuersa esse, ęquos
bonosq. fauere: quippe mea benefacta in Remp.
procedunt, nobilitatem inuadendi meam quę ete
locum. Quo mihi acrius adnitendum est, vt neq.
vos capiamini, & illi frustrati sint. Ita ad hoc ęta-
tis à pueritia fui, vti omnes labores & pericula
consueta habeam. Quæ antè vestro beneficio gra-
F tuitò faciebam, ea vti, accepta mercede, deserãm,
non est consiliũ Quirites. Illis difficile est in pote-
statibus temperare, qui per ambitionem sese pro-
bos simulauere. Mihi qui omnẽ ætatẽ in optimis
artib. egi, benefacere iam ex cõsuetudine in natu-
ram venit. Bellũ me gerere cum Iugurtha iussistis,
quam rem nobilitas ęgerrimè tulit. Quęso, reputa-
te cum animis vestris, num id mutari melius sit. Si
quẽ ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale
negotium mittatis, hominem veteris prosapię ac
G multarum imaginum, & nullius stipendij: scilicet
vt in tanta re ignarus omniũ trepidet, festinet, su-
mat aliquem ex populo officij sui monitorem. Ita
plerunq. euenit, vt quem vos imperare iussistis, is
imperatorem alium quęrat. At ego scio Quirites,
quia postquam consules facti sunt, acta maiorum
& Græcorum militaria pręcepta legere cœperint,
præposteri homines. Nam legere quàm fieri tem-
pore posterius, re atque vsu prius est. Compara-
nun

nunc Quirites, me hominē nouum cum illorū superbia. Quę illi audire & legere solent, eorū patrē vidi, alia egomet gessi. Quę illi literis, ea ego militādo didici. Nūc vos existimate, facta an dicta pluris sint. Cōtemnunt nouitatem meam, ego illorū ignauiam: mihi fortuna, illis probra obiectantur: quanquam ego naturam vnam, & cōmunem omnium existimo, sed fortissimum quęq. generosum esse. Ac si iam ex patribus Albini, aut Bestię quęri posset, méne an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi sese liberos quàm optimos voluisse? Quòd si iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Inuident honori meo, ergo inuideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hęc illum cepi. Verùm homines corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi vestros honores cōtemnant: ita hos petunt, quasi honestè vixerint. Ne illi falsi sint, qui diuersissimas res pariter expectant, ignauię voluptatem, & pręmia virtutis. Atque etiam cùm apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraq. oratione maiores suos extollunt, eorū fortia facta memorando clariores sese putant: quod cōtrà est. Nam quantò vita illorum præclarior, tantò horum socordia flagitiosior. Et profectò ita se res habet. Maiorum gloria posteris quasi lumen est: neq. bona, neq. mala eorum in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum id quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc, videte quàm iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non cōcedunt. Scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est: quam certè peperisse, melius est quàm acceptā corrupisse. Equidem non ignoro ego, si iam mihi respondere velint, abundè illis facundā & cōpositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio cum omnibus locis me, vósq. maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in cōscientiā duceret. Nam me quidem, ex animi mei sententia, nulla oratio lædere potest: quippe vera, necesse est bene prædicet: falsam vita, morésq. mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorē, & maximum negocium imposuistis: etiam atq. etiam reputate, num eorum pœnitendum sit. Nō possum fidei causa, imagines, neq. triumphos, aut cōsolatus maiorū meorum ostentare. At res si postulet, hastas, vexillū, phaleras, alia militaria dona, præterea cicatrices aduerso corpore. Hę sunt meę imagines, hęc mea nobilitas nō hęreditate relicta, vt illa illis: sed quæ ego meis plurimis laboribus & periculis quęsiui. Non sunt composita verba mea: parui id facio. Ipsa se virtus satis ostendit. Illis artificio opus est, vt turpia facta oratione tegant. Neq. literas Græcas didici: parum placebat eas discere, quippe quę ad virtutem doctorib. nihil profuerūt. At illa multo optima Reip. doctus sum, hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam: hiemem & ęstatem iuxtà pati: humi requiescere, eodem tempore inopiā & laborem tolerare. His ego pręceptis milites hortabor: neq. illos arctè colam, nec opulentiam, neq. gloriā meam laborem illorū faciam. Hoc est vtile, hoc ciuile imperiū. Namq. cum tute per mollitiem agas, exercitū supplicio cogere, id est dominū nō imperatorem esse. Hæc atq. talia maiores vestri faciundo, séq. & Remp. celebrauêre. Queis nobilitas freta, ipsa, dissimilis morib. nos illorum æmulos cōtemnit: & omnes honores: non

A ex merito, sed quasi debitos à vobis repetit. Cæterum homines superbissimi procul errant. Maiores eorum omnia quæ licebat, illis reliquêre: diuitias, imagines, memoriā sui pręclarā: virtutem nō reliquêre: neq. poterant. Ea sola neq. datur dono, neq. accipitur. Sordidum mę & incultis morib. aiunt: quia parùm scitè cōuiuium exorno: neq. histrionē vllum, neq. coquū, quàm villicū pluris precij habeo: quæ mihi libet cōfiteri, Quirites. Nam ex parente meo, & ex alijs sanctis viris, ita accepi, Mu-
B lierib. mundicias, viris laborē cōuenire: omnibusque oportere plus glorię, quàm diuitiarū esse: arma, non supellectilē decori esse. Quin ergo quod iuuat illos, quod charum æstimāt, id sēper faciāt: ament, potent. vbi adolescentiā habuêre, ibi senectutē agant, in conuiuijs, dediti ventri, & turpissimę parti corporis: sudorē, puluerē, & alia talia relinquant nobis, quib. illa epulis iucundiora sunt. Verum ita nō est. Nam vbi se omnib. flagitijs decorauere turpissimi viri, bonorū pręmia ereptum
C eunt. Ita iniustissimè luxuria & ignauia, pessimæ artes, illis qui eas coluere, nihil officiunt, Reip. innoxiæ cladi sunt. Nunc quoniā illis, quantum mei mores, nō illorum flagitia poscebāt, respōdi. Pauca de Rep. loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites: nam quę ad hoc tēpus Iugurtham tutata sunt, omnia remouistis, auaritiam, imperitiam atq. superbiam: deinde exercitus ibi est, locorū sciens, sed mehercle magis strenuus quā felix. Nam magna pars eius, aua-
D ritia aut temeritate ducum attrita est. Quā ob rem vos, quib. militaris est ętas, adnitimini mecum, & capescite Remp. neq; quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine atq. in pręlio cōsultor idē, & socius periculi vobiscum adero: méq. vósq. in omnib. reb. iuxtà gerā. Et profectò, dijs iuuan. ib. omnia matura sunt, victoria, pręda, laus: quę si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos Reip. subuenire decebat. Etenim ignauia nemo immortalis factus est: neq. quisquā parens liberis, vti æ-
E terni forent, optauit, magis vti boni honestique vitām exigerent. Plura dicerē Quirites, si timidis virtutem verba adderent: nam strenuis abundè dictum puto. Huiuscemodi oratione habita, Marius postquā plebis animos arrectos videt, proprerè cōmeatu, stipēdio, armis, alijsque vtilib. naues onerāt: cum his A. Manlium legatū proficisci iubet. Ipse interea milites scribere, non more maiorum, neq. ex classib. sed vti cuiusq. libido erat, capite cēsos plerosq. Id factum alij inopia bonorū,
F alij per ambitionē cōsulis memorabāt: quod ab eo genere celebratus auctúsq. erat. Et homini potētiā quęrēti, egētissimus quisq. opportunissimus erat: cui neq. sua chara, quippe quæ nulla sunt: & omnia cum precio honesta videtur. Igitur Marius cum aliquāto maiore numero quā decretū erat, in Africam profectus, paucis dieb. Vticam aduehitur. Exercitus ei traditur à P. Rutilio legato. Nā Metellus cōspectum Marij fugerat: ne videret ea quę audita animus tolerare nequiuerat. Sed cōsul
G expletis legionib. cohortibusq. auxiliarijs, in agrū fertilem, & preda onustum proficiscitur. Omnia ibi capta militibus donat: deinde castella & oppida, natura & viris parum munita adgreditur: prælia multa, cæterum alia leuia alijs locis facere. interim noui milites sine metu pugnæ adesse: videre fugientes capi aut occidi: fortissimū quéque tutissimum: armis libertatem, patriam, pa-

ren esse & omnia alia tegi, gloriam atque diuitias quæri. Sic breui spacio noui, veterésque coaluere, & virtus omnium æqualis facta. At reges, vbi de aduentu Marij cognouerunt, diuersi in locos difficiles abeunt. Ita Iugurthæ placuerat, speranti, mox effusos hostes inuadi posse, Romanos, sicuti plerosque, remoto metu laxius licentiusque futuros. Metellus interea Romã profectus, contra spem suam lætissimis animis excipitur. Plebi patribusque postquã inuidia decesserat, iuxta charus. Sed & Marius impigrè prudentérque suorum & hostium res pariter attendere, cognoscere quid vtrisque boni, aut cõtra esset: explorare itinera regum, cõsilia, & insidias eorum anteuenire. Nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati. Itaque & Getulos & Iugurtham, ex socijs nostris prædas agẽtes, sæpe adgressus itinere fuderat, ipsũmque regẽ non procul ab oppido Cirtha armis exuerat. Quæ postquã gloriosa facta sunt, neque belli patrandi copiam cognouit, statuit vrbes, quę viris aut loco pro hostib. & aduersum se opportunissimæ erant, singulas circũuenire. Ita ratus, Iugurthã aut præsidijs nudatum iri, si ea pateretur, aut prælio certaturum. Nam Bocchus nuncios ad eum sæpe miserat, velle Populi Ro. amicitiam, ne quid ab se hostile timeret. Id simulaueritne, quò improuisus grauior accederet, an mobilitate ingenij pariũ exploratũ est. Nam pacem atque bellum mutare solitus erat. Sed cõsul, vti statuerat, oppida castellaque muniti adire: partim vi, alia metu, aut præmia ostentando, auertere ab hostib. Ac primò mediocria gerebat, existumãs Iugurtham ob suos tutandos in manus venturũ. Sed vbi illum abesse procul, & alijs negocijs intentum accepit, maiora, & magis aspera adgredi tẽpus visum est. Erat inter ingentes solitudines oppidũ magnũ atque validum, nomine Capsa, cuius cõditor Hercules Libys memorabatur. Eius ciues apud Iugurthã immunes, leui imperio, & ob ea fidelissimi habebãtur, muniti aduersum hostes, non mœnib. modò & armis atque viris, verũ etiã multò magis locorum asperitate. Nam præter oppido propinqua loca, alia omnia vasta, inculta, egẽtia aquæ, infesta serpẽtibus, quarum vis, sicuti omnium ferarũ, inopia cibi acrior. Ad hoc, natura serpentium ipsa perniciosa, siti magis q: àm alia re accenditur. Eius oppidi potiundi Marium maxima cupido inuaserat, cùm propter vsum belli, tum quia res aspera videbatur: & Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitũq; nisi quòd apud Thalam non longè à mœnib. aliquot fontes erant. Capsenses vna modò, atque ea intra oppidũ iugi aqua, cætera pluuia vtebantur. Idque ibiq; & in omni Africa, quæ procul à mari incultiùs agebat, eò facilius tolerabatur, quia Numidę plerũq. lacte & ferina carne vescebãtur, neq; salẽ, neq; alia gulæ irritamenta quærebant. Cibus illis aduersus famẽ atq. sitim, nõ libidini, neq. luxuriæ erat. Igitur cõsul omnib. exploratis, credo dijs fretus (nã cõtra tãtas difficultates cõsilio satis prouidere nõ poterat) quippe etiã frumẽti inopia tentabatur, quòd Numidę pabulo pecoris magis, quã aruo, studẽt: & quodcunq. natum fuerat, iussu regis in loca munita cõtulerat, ager autẽ aridus & frugũ vacuus ea tẽpestate (nam æstatis extremum erat) tamẽ pro rei copia satis prouidè exornat: pecus omne, quod superiorib. diebus prædæ fuerat, equitatibus auxiliarijs agendum attribuit. A. Mãlium legatum cum cohortib. expeditis oppidum

A Laris, vbi stipendium & commeatum locauerat, ire iubet: dicitque se prædabundum, post paucos dies eòdem venturum. Sic incœpto suo occultato, pergit ad flumen Tanaim. Cęterũ in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, itẽ turmas æqualiter distribuerat: & ex corijs vtres vti fierent, curabat: simul & inopiam frumenti lenire, & ignaris omnibus parare, quę mox vsui forent. denique sexto die, cùm ad flumen ventũm est, maxima vis vtriũ effecta. Ibi castris leui munimento positis, milites

B cibum capere: atque vti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse iubet. Omnib. sarcinis abiectis, aqua modò seq; & iumẽta onerare. Dein, postquã tempus visũ, castris egreditur: noctemq. totam itinere facto consedit. Idem proxima facit. Deinde tertia multò ante lucis aduentũ peruenit in locum tumulosum, à Capsa nõ amplius duum milliũ interuallo: ibiq. quàm occultissimè potest, cum omnib. copijs operitur. Sed vbi dies cœpit, & Numidæ nihil hostile metuentes, multi oppido

C egressi, repentè omnem equitatũ & cum his velocissimos pedites cursu tendere ad Capsam, & portas obsidere iubet: deinde ipse intẽtus propere sequi, neque milites prædari sinere. Quæ postquam oppidani cognouere, res trepidæ, metus ingens, malũ improuisum, ad hoc pars ciuium extra mœnia in hostium potestate, coegere vti deditionem facerẽt. Cæterum oppidum incensum: & Numidę puberes interfecti, alij omnes venundati: præda militib. diuisa. Id facinus cõtra ius belli, nõ auari-

D tia, neq. scelere consulis admissum: sed quia locus Iugurthæ opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum, antè neque beneficio, neq. metu coercitum. Postquam tantam rem peregit Marius, sine vllo suorum incõmodo, magnus & clarus antea, maior & clarior haberi cœpit, omnia non bene consulta, in virtutem trahebantur. Milites in modesto imperio habiti, simul & locupletes, ad cœlum ferre. Numidæ magis quã vllum mortalẽ timere: postremò omnes socij atque ho-

E stes credere, illi aut mentẽ diuinam esse, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed cõsul vbi ea res bene euenit, ad alia oppida pergit: pauca repugnantib. Numidis, capit: plura deserta propter Capsensium miserias, igni corrũpit: luctu atq. cæde omnia cõplentur. Deniq. multis locis potitus, ac plerisq. exercitu incruento, aliã rem adgreditur: nõ eadẽ asperitate qua Capsensiũ: cęterum haud secus difficilem. Namq. haud longè à flumine Mulucha, quod Iugurthæ, Bocchiq. regnum diuidebat, erat,

F inter cęteram planiciem mõs saxeus, mediocri castello, satis patens, in immẽsũ editus, vno perangusto aditu relicto. Nã omnis natura: velut opera atque cõsulto præceps erat: quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, sũma vi capere intẽdit: sed ea res forte, quã cõsilio melius gesta. Nam castello virorũ atq. armorũ satis magna vis, & frumenti, & fons aquę: aggerib. turribúsque, & alijs machinationib. erat locus importunus: iter castellanorum angustum admodum, vtrinq. præcisum: vineę cum ingenti periculo frustrà agebantur. Nam

G cùm hę paulò processerãt, igni aut lapidib. corrũpebantur. Milites neq. pro opere cõsistere propter iniquitatem loci: neq. inter vineas sine periculo administrare, optimus quisq. cadere aut sauciari: cæteris metus augeri. At Marius multis dieb. & laborib. consumptis, anxius trahere cum animo suo: omitteretne inceptum, quoniã frustra erat: an fortunã opperiretur, qua sępe prosperè vsus fuerat: quæ

erat. Quę cū multos dies noctésq. æstuās agitaret, A fortè quidam Ligur ex cohortib. auxiliarijs, miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod aduersū prœliantibus erat, animaduerti inter saxa repētes cochleas: quarum cùm vnam atque alterā deinde plures peteret, studio legendi, paulatim propè ad summum montis egressus est. Vbi postquā solitudinē intellexit: more ingenij humani, cupido difficilia faciundi animum vertit. Et fortè in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paululū modò prona, deinde in- B flexa atque aut in altitudinē, quo cuncta gignentium natura fert: cuius ramis modò, modò eminētib. saxis nixus, Ligur castelli planiciē perscribit: quòd cuncti Numidæ intenti prœlantib. aderant. Exploratis omnib. quæ mox vsui fore ducebat, eâdem regreditur: non temerè, vti ascenderat, sed tētans omnia, & circūspiciens. Itaq. Mariū properè adit, acta edocet, hortatur ab ea parte, qua ipse descēderat, castellum tentet: pollicetur sese itineris periculiq. ducem. Marius cum Ligure promis- C sa eius cognitū è præsētib. misit: quorum vti cuiusque ingenium erat, ita rē difficilem aut facilē renūciauere: Cōsulis animus tamē paululū arrectus est. Itaq. ex copia tubicinū & cornicinū numero quinq. milliū, quàm velocissimos delegit, & cum his prǽsidio qui forent, quatuor centuriones omnesq. Liguri parere iubet: & ei negotio diē proximum cōstituit. Sed vbi ex præcepto tempus visum est, paratis compositisque omnibus, ad locum pergit. Cæterum illi, qui centurijs prǽerant, D prædocti ab duce, arma ornatumque mutauerāt. Capite atq. pedibus nudis, vti prospectus nisusq. per saxa facilior foret. Super terga gladij & scuta, verum ea Numidica ex corijs ponderis gratia, simul & offensa, quò leuius streperent. Igitur prægrediens Ligur saxa, & si quæ vetustæ radices eminebāt, laqueis vinciebāt: quibus alleuati milites, facilius ascenderent: interdum timidos insolentia itineris leuare manu: vbi paulò asperior ascensus erat singulos præ se inermes mittere, de- E inde ipse cum illorum armis sequi: quę dubia nisui videbantur, potissimum tentare, ac sępius eadē ascendēs descēdēnsque, deinde statim digrediens cęteris audaciam addere. Igitur diu multūq. fatigati, tādē in castellū perueniūt, desertū ab ea parte: quod omnes sicuti alijs dieb. aduersum hostes aderant. Marius vbi ex nuncijs, quæ Ligur egerat, cognouit, quanquā toto die intētos prælio Numidas habuerat, tum verò cohortatus milites, & ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, & simul hostē tormentis sagittarijsq; & funditorib. F eminus terrere. At Numidę sępe antea vineis Romanorū subuersis, itē incēsis, nō castelli mœnibus sese tutabātur: sed pro muro dies noctesque agitare, malè dicere Romanis, ac Mario vecordiam obiectare: militibus nostris, Iugurthæ seruitium minari: secundis reb. feroces esse. Interim omnib. Romanis, hostibúsq; prælio intētis, magna vtrinq; vi: pro gloria atq; imperio, his: illis, pro salute certantibus repentè à tergo signa canere: Ac primò mulieres & pueri, qui visum processerant, fugere: G deinde vti quisq; muro proximus erat: post remò cuncti armati inermesque. Quod vbi accidit, eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosq; tātum modò sauciare. Dein super occisorū vadere corpora, auidi gloriæ certātes murū ascendere, neque quenquam omnium præda morari. Sic fortè correcta Marij temeritas, gloriam ex culpa inuenit.

Cæterum, dum ea res geritur, L. Sylla quæstor, cū magno equitatu in castra venit: qui vti ex Latio & à socijs cogeret exercitum, Romæ relictus erat. Sed quoniā nos tanti viri res admonuit, idoneū visum est de natura cultuq; eius paucis dicere. Neq; enim alio loco de Syllæ rebus dicturi sumus. Et L. Sisenna optimè & diligētissimè omniū qui eas res dixere, persecutus historiā, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sylla gentis patriciæ nobilis fuit: Familia propè iam extincta, maiorum ignauia. Literis Græcis ac Latinis iuxtà atq; doctissimè eruditus: animo ingenti, cupidus voluptatem, sed gloriæ cupidior, ocio luxurioso esse, tamē ab negotijs voluptas cum nunquam remorata: nisi quòd de vxore potuit honestiùs consuli: facundus, callidus, & amicitia facilis: ad simulāda negocia altitudo ingenij incredibilis: multarū rerū, ac maximè pecuniæ largitor, atq; illi felicissimo omniū ante ciuilē victoriā, nunquā super industriā fortuna fuit, multiq; dubitauere fortior an felicior esset. Nam postea quæ fecerit, incertū habeo, pudeat magis an pigeat dissetere. Igitur Sylla, vt supra dictū est, postquam in Africam atq; in castra Marij cum equitatu venit, rudis antea & ignarus belli, solertissimus omniū paucis tēpestatibus factus est. Ad hoc milites benignè appellare: multis rogātibus, alijs per se ipse beneficia dare, inuitus accipere; sed ea properantius, quam æs mutuum redd. re: ipse ab nullo repetere: magis id laborare, vti illi quàm plurimi deberēt: ioca atq; seria cum humillimis agere: in operib. in agmine, atque ad vigilias multus esse: neq; interim, quod praua ambitio solet, aut cuiusquā boni famā lædere, tātùmodo neque consilio, neq; manu alium priorē pati: plerosque anteuenire. Quibus rebus & artibus breui Mario militibusque charissimus factus est. At Iugurtha postquā oppidum Capsam, aliósque locos munitos, & sibi vtiles, simul & magnam pecuniā amiserat: ad Bocchum nūcios mittit, quàm primum in Numidiam copias adduceret: prœlij faciūdi tempus adesse. Quē vbi cunctari accepit, dubiumque belli atque pacis rationes trahere: rursus, vti antea, proximos eius donis corrūpit: ipsiq. Boccho pollicetur Numidiæ tertiam partem, si aut Romani Africa expulsi, aut integris suis finibus bellum cōpositum foret. Eo præmio illectus Bocchus, cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto, Marium iam in hyberna proficiscentem, vix decima diei parte reliqua, inuadunt: rati noctem, quę iam aderat, & victis sibi munimento fore: & si vicissēt, nullo impedimēto, quod locorum scientes erant: contrà Romanis, vtrunque casum in tenebris difficiliorem fore. Igitur simul Consul ex multis de hostium aduentu cognouit, & ipsi hostes aderant: & priusquā exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere: denique antequā signum aut imperium vllum accipere quiuit, equites Mauri atque Getuli, nō acie neque vllo more prœlij, sed cateruatim, vti quosq. fors cōglobauerat, in nostros cōcurrūt. Qui omnes trepidi improuiso metu, attamen virtutis memores, aut arma capiebāt, aut capientes alios ab hostibus defensābant. Pars equos ascendere, obuiam ire hostib. pugna, latrocinio magis quàm prœlio similis fieri: sine signis, sine ordinibus, equites peditésque permisti, cedere alios, alios obtruncare, multos contra aduersos acerrimè pugnātes à tergo circumuenire: neque virtus, neq; arma satis tegere: quòd hostes nume

ro plures, & vndique circumfusi erant. Denique Romani veteres nouique & ob ea scientes belli, si quos locus aut casus cõiunxerat, orbes facere: atque ita ab omnib. partibus simul tecti & instructi, hostium vim sustentabant. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus, aut magis quàm anteà demisso animo fuit: sed cum turma sua, quàm ex fortissimis magis quàm familiarissimis parauerat, vagari passim ac modò laborantibus suis succurrere, modo hostes, vbi confertissimi obstiterãt, inuadere manu, consulere militibus: quoniã imperare conturbatis omnib. non poterat. Iamque dies cõsumptus erat, cùm tamen Barbari nihil remittere atque vti Reges præceperant, noctē pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum cõsilium trahit: atque vti suis receptui locus esset, colles duos inter se propinquos occupat. Quorũ in vno, castris parũ amplo, fons aquæ magnus erat: alter vsui opportunus, quia magna parte editus, & præceps, pauca munimenta quærebat. Cæterùm apud aquam Syllam cum equitib. noctem agitare iubet, ipse paulatim dispersos milites, neque minùs hostib. conturbatis in vnum contrahit: dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges loci difficultate coacti, prælio deterrentur: neque tamen suos longius abire sinunt, sed vtroque colle multitudine circumdato, effusi cõsedere: dein crebris ignibus factis, plerunque noctis Barbari more suo lætari, exultare, strepere vocibus: & ipsi duces feroces, quòd nõ fugere, aut pro victorib. sese agere. Sed ea cũcta Romanis ex tenebris, & editioribus locis facilia visu, magnoque hortamēto erãt. Plurimũ verò Marius hostiũ imperitia confirmatus, quàm maximũ silentium haberi iubet: ne signa quidem vti per vigilias solebant, canere: deinde vbi lux aduentabat, defessis iam hostibus, ac paulò antè somno captis, de improuiso vectigales, item cohortium, turmarum, legionũ tubicines simul omnes tuba canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere iubet. Mauri atque Getuli, ignoto & horribili sonitu repentè exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omninò facere, aut prouidere quicquã poterant: ita cunctos strepitu, clamore, & nullo subueniēte, nostris instantibus, tumultu, terrore, formidine, quasi vecordia ceperat. Deniq. omnes fusi fugatique, arma & signa militaria pleraq. capta: pluresque eo prœlio, quàm omnibus superioribus interempti. Nam somno & metu insolito impedita fuga. Dein Marius, vti cœperat, in hyberna proficiscitur: quæ propter cõmeatum in oppidis maritimis agere decreuerat: neque tamē victoria socors aut insolēs factus, sed pariter ac in cõspectu hostiũ quadrato agmine incedere. Sylla cum equitatu apud extimos, in sinistra parte A. Manlius cum funditorib. & sagittarijs, præterea cohortes Ligurum curabat, & primos & extremos cum expeditis manipulis tribunos locauerat: perfugæ minimè chari, & regionum scientissimi, hostium iter explorabant. Simul Cons. quasi nullo imposito, omnia prouidere, apud omnes adesse, laudare fortes, & increpare metentes. Ipse armatus intentusque, itē milites cogebat, neque secus atque iter facere: castra munire, excubitũ in portis, cohortes ex legionib. pro castris, equites auxiliarios mittere. Præterea alios in munimentis super vallum locare, ipse vigilias circuire, non tam diffidentia futurorum, quæ imperauisset, quàm vti militib. exæquatus cũ Imperatore labor vo-

A lentibus esset. Et sanè Marius illoque aliisque temporibus Iugurthini belli, pudore magis quàm malo exercitum coercebat, quod multi per ambitionem fieri aiebant: alij quod à pueritia consuetam duritiam, & alia, quæ cæteri miserias vocant, voluptati habuisset: & tamē Resp. pariter ac sæuissimo imperio, bene atq. decore gesta. Igitur quarto denique die haud longè ab oppido Cirtha, vndiq. simul speculatores citi sese ostendunt. Qua re hostis adesse intelligitur. Sed quia diuersi redeuntes,
B alius ab alia parte, atq. omnes idem significabant, Consul incertus quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, aduersus omnia paratus ibidem opperitur. Ita Iugurtham spes frustrata est, qui copias in quatuor partes distribuerat, ratus ex omnibus æquè aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sylla, quem primum hostes attigerant, cohortatus suos turmatim, & quàm maximè confertis equis, ipse aliique Mauros inuadunt. Cæteri in loco manentes, ab iaculis emi-
C nus emissis corpora tegere, & si qui in manus venerant, obtruncare. Dũ eo modo equites præliantur, Bocchus cũ peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, neque in priori pugna in itinere morati adfuerant, postremam Romanorũ aciem inuadũt. Tum Marius apud primos habitabat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. Dein Numida cognito Bocchi aduentu, clàm cum paucis ad pedites conuertit. Ibi Latinè (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, nostros frustrà pugna-
D re, paulò antè Marium sua manu interfectum: simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis impigrè occiso pedite nostro cruentauerat. Quod vbi milites accepere, magis atrocitate rei, quàm fide nuncij terrentur: simulque Barbari animos tollere, & in perculsos Romanos acriùs incedere: iamque paulum à fuga aberãt, cùm Sylla, profligatis ijs, quos aduersum ierat, rediens Mauris ab latere incurrit. Bocchus statim auertitur. At Iugurtha dum sustētare suos, & propè iam
E adeptam victoriam retinere cupit, circumuentus ab equitib. dextra & sinistra omnib. occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit, atque interim Marius fugatis equitib. auxilio suis accurrit, quos pelli iam acceperat. Deniq. hostes iam vndique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentib. sequi, fugere, occidi, capi: equi atque viri afflicti: ac multi vulnerib. acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati: niti modò, ac statim cõcidere. postremò omnia, quà visus erat, con-
F strata telis, armis, cadauerib. & inter ea humus infecta sanguine. Postea loci Cõsul haud dubiè iam victor, peruenit in oppidum Cirtham, quo initio profectus tenderat: eò post diem quintum quàm iterũ Barbari malè pugnauerant, legati à Boccho veniunt: qui regis verbis ab Mario petiuere, duos quàm fidissimos ad eũ mitteret: velle de suo & de populi Ro. commodo cũ his disserere. Ille statim L. Syllam & A. Manlium ire iubet. Qui quanquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem fa-
G cere, ingenium aut auersum vti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sylla cuius facundiæ, nõ ætati, à Manlio concessum est, pauca verba huiuscemodi locutus. Rex Bocche, magna nobis est lætitia, cùm te talem virum dij monuere, vti aliquando pacem, quàm bellum malles: neu te optimũ cum pessimo omnium Iugurtha, miscendo commaculares, simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem & illum

& illum sceleratissimum persequi. Ad hoc popu-
A lo Romano iam à principio inopi, melius visum
est amicos, quàm seruos quærere: tutiusque rati,
volentibus quàm coactis imperitare. Tibi ve-
rò nulla opportunior amicitia nostra: primum
quòd procul absumus, in quo offensæ minimum,
gratia par, ac si propè adessemus: dein, quòd paren-
teis abundè habemus. Amicorum neque nobis,
neque cuiquam hominum satis fuit. Atque hoc
vtinam à principio tibi placuisset: profectò ex
pop. Rom. ad hoc tempus multò plura bona ac-
B cepisses, quàm mala perpessus esses. Sed quoniam
humanarum rerum fortuna pleraque regit, cui
scilicet placuit, vim & gratiam nostram te experi-
ri: nunc quoniam per illam licet, festina: atque vti
cœpisti, perge. Multa atque opportuna habes, quò
faciliùs errata officiis superes. Postremò hoc in
pectus tuum demitte, nũquam populum Ro. be-
neficiis victum esse. Nam in bello quid valeat, tu-
te scis.

Ad ea Bocchus placidè & benignè, simul pau-
C ca pro delicto suo verba facit: se non hostili ani-
mo, sed ob regnum tutandum arma cepisse. Nam
Numidię partè, vnde vi Iugurthàm expulerit, iure
belli suam facta, eam vastari à Mario, pati nequi-
uisse. Præterea missis antea Romam legatis, re-
pulsum ab amicitia: cæterùm, vetera omittere: ac
tum, si per Marium liceret, Legatos ad Senatum
missurum. Dein copia facta mittẽdi, animus Bar-
bari ab amicis flexus, quos Iugurtha cognita le-
gatione Syllę & Manlij, metuens id quod paraba-
D tur, donis corruperat. Marius interea exercitu in
hybernis composito, cum expeditis cohortibus &
parte equitatus proficiscitur in sola loca, obses-
sum turrim regiã: quò Iugurtha perfugas omnes
præsidium imposuerat. Tum rursus Bocchus sci-
licet, seu reputando quæ sibi duob. prælijs euene-
rát, seu monitus ab aliis amicis, quos incorruptos
Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorũ
quinque delegit, quorum & fides cognita, & in-
genia validissima erant: eos ad Marium, ac dein si
E placeat, Romam legatos ire iubet: agendarum re-
rum, & quocunque modo belli componendi li-
centiã ipsis permittit. Illi maturè ad hyberna Ro-
manorum proficiscuntur. Deinde a latronib. Ge-
tulis in itinere circumuenti spoliatique, pauidi,
sine decore ad Syllam profugiunt: quem consul
in expeditionem proficiscens, pro prætore reli-
querat. Eos ille non pro vanis hostib. vt meriti
erant, sed accuratè & liberaliter habuit. Quare
barbari & famã Romanorum auaritiæ falsam, &
F Syllam ob munificẽtiam in se amicum rati sunt.
Nam etiam tum largitio multis ignota erat: mu-
nificus nemo putabatur, nisi pariter volens: dona
omnia, in benignitate habebantur. Igitur Quæsto-
ri mandata Bocchi pate faciunt: simul ab eo petũt,
vti fautor consultorque sibi adsit: copias, fidem,
magnitudinem sui regis, & alia quæ aut vtilia, aut
beneuolentiæ esse credebant, oratione extollunt.
Dein Sylla omnia pollicito, docti quomodo apud
Marium, item apud senatum verba facerent, circi-
G ter dies quadraginta ibidem opperiuntur. Marius
vbi confecto negocio, quò intenderat, Cirtã re-
diit, de aduentu legatorum certior factus, illos &
Syllam ad se venire iubet, item L. Bellienum præ-
torem ab Vtica, præterea omneis vndique sena-
torij ordines, quibuscũ mãdata Bocchi cognoscit,
in quibus legatis potestas eũdi Romã fit: ab cõsu-
le interea induciæ postulabantur. Ea Syllæ & ple-

A risque placuere: pauci ferocius decernũt: scilicet
ignari humanarum rerum, quæ fluxæ & mobiles
sæpius in aduersa mutantur. Cæterum Mauri im-
petratis omnib. tres Romã profecti sunt cum C.
Octauio Rusone, qui Quæstor stipendium in A-
fricam portauerat. Duo ad regem redeunt. Ex his
Bocchus cum cætera, tum maximè benignitatem
& studium Syllæ lubens accepit. Romæ quoque
legatis eius, postquam errasse regem, & Iugurthæ
scelere lapsum deprecati sunt, amicitiã & fœdus
B potentib. hoc modo respondetur: Senatus & Po.
R. beneficij & iniurię memor esse solet: cæterum
Boccho, quoniam pœnitet delicti, gratiam facit:
fœdus & amicitia dabuntur, cùm promeruerit.
Quib. rebus cognitis, Bocchus per literas à Mario
petiuit, vt Syllã ad se mitteret, cuius arbitratu de
cõmunib. negociis cõsuleretur. Is missus cũ præ-
sidio equitũ atque peditũ, funditorũ & balcariorũ
prętereà iere sagittarij, & cohors Peligna cũ veli-
taribus armis, itineris properãdi causa: neque his
secus, atq; aliis armis aduersum tela hostiũ, quòd
C ea leuia sunt, muniti erant. Sed in itinere, quinto
denique die Volux filius Bocchi, repentè in cam-
pis patentibus cum mille nõ amplius equitib. se-
se ostendit: qui temerè & effusè euntes, Syllæ a-
liisque omnibus & numerum ampliorem verò, &
hostilem metum efficiebant. Igitur se quisque im-
pedire, arma atque tela tentare: intendere: timor
aliquantus, sed spes amplior: quippe victoribus
aduersum eos quos sæpe vicerant, pugnaturis.
Interim equites exploratum præmissi, rem (vti
D erat) quietã nunciant. Volux aduenicns Quæsto-
rem appellat: dicitque se à patrè Boccho obuiam
illi simul, & præsidio missum. Deinde per eum &
proximum diem sine metu coniuncti eunt. Post
vbi castra locata, & diei vesper erat, repentè Mau-
rus incertò vultu pauens, ad Syllam accurrit: di-
citque sibi à speculatorib. cognitum, Iugurtham
haud procul abesse: simul vti noctu clàm secum
profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo fero-
ci negat, se toties Numidam fusum pertimescere:
E virtuti suorum satis credere etiamsi certã pestis
adesset, mansurum potius, quàm proditis quos
ducebat, turpi fuga, incertæ, ac forsitan paulo
post interituræ morbo, vitæ parceret. Cæterum
ab eodem monitus, vti noctu proficiscerentur,
consilium adprobat: ac statim milites cœnatos
esse in castris, ignésque creberrimos fieri: dein-
de prima vigilia silentio egredi iubet. Iamque
nocturno itinere fessis omnib. Sylla pariter cum
ortu Solis castra metabatur, cum equites Mauri
F nunciant Iugurtham circiter duûm milliũ inter-
uallo ante eos consedisse. Quod postquã auditum
est, tum verò ingens metus nostros inuadit: cre-
dere se proditos à Voluce, & insidiis circũuentos.
Ac fuere, qui dicerent manu vindicandum, neque
apud illum tantum scelus inultum relinquendũ.
At Sylla quanquam eadem existimabat, tamen ab
iniuria Maurum prohibet: suos hortatur, vti for-
tem animum gererent: sepe antè à paucis strenuis
aduersus multitudinẽ bene pugnatum: quanto si-
G bi in prælio minus pepercissent, tãtò tutiores fo-
re. Nec quenquam decere, quem manus arma-
uerit, ab inermis pedibus auxilium petere: in
maximo metu nudum, & cæcũ corpus ad hostes
vertere. Deinde Volucem, quoniam hostilia face-
ret, Iouem maximum obtestatus, vt sceleris atque
perfidiæ Bocchi testis adesset, castris abire iubet.
Ille lacrymans orare, ne ea crederet, nihil dolo

factum, ac magis calliditate Iugurthæ, cui videli- A cet speculanti iter suum cognitum esset. Cæterū quoniam neque ingentem multitudinem haberet, & spes opésque eius omnes ex parte suo penderent, credere illum nihil palā ausurū, cum ipse filius testis adesset. Quare optumū factū vel videri, per media eius castra palam transire: sese, vel præmissis, vel ibidem relictis Mauris, solum iturum cum Sylla. Ea res (vt in tali negotio) probata est, ac statim profecti: quia de improuiso accesserāt, dubio, ac hæsitante Iugurtha, incolumes transeunt. B Deinde paucis dieb. quò ire intenderant, peruentum est. Ibi cum Boccho Numida quidam Aspar nomine multum & familiariter agebat: præmissus ab Iugurtha, postquam Syllam accitum audierat, orator, & subdole speculatum Bocchi consilia ierat. Præterea Dabar Massugradæ filius, ex gente Masinissæ, cæterum materno genere impar (nam pater ex concubina orta erat) ob ingenij multa bona, Mauro charus acceptusque: quem Bocchus fidum esse Romanis multis antea tempestatib. ex- C pertus, illicò ad Syllam nunciatū mittit, paratum sese facere quæ populus Ro. vellet: colloquio diē, tempus, locum ipse deligeret: cōsulta sese omnia cum illo integra habere: neu Iugurthæ legatum pertimesceret: accitum esse, quò res communis licentius gereretur: nā ab insidiis eius aliter caueri nequiuisse. Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide, quàm ob ea quæ prædicabat, simul Romanos & Numidiā spe pacis detinuisse: multaque cum animo suo voluere solitum Iugurthā D Romanis, an illi Syllam traderet: libidinē aduersum nos, metum pro nobis suasisse. Igitur Sylla ait, pauca se coram Aspare locuturum. Cætera occultè, nulla, aut quā paucissimis præsentibus: simul edocet, quæ responderentur. Postquam, sicuti voluerat Bocchus, congressi sunt, dicit se Sylla missus à Consule venisse: quæsitum ab eo pacem an bellum agitaturus foret. Tum Rex, vti præceptū fuerat, post diem decimum Syllā redire iubet, ac nihil etiam nunc decreuisse, sed illo responsurum E die. Deinde ambo, in sua castra digressi sunt. Sed vbi plerunq. noctis processit, Sylla à Boccho occultè accersitur: ab vtroque tantummodo fidi interpretes adhibentur. Præterea Dabar internuncius sanctus vir iurat ex sētētia amborū: ac statim sic rex incipit: Nunquam ego ratus sum fore, vti rex maximus in hac terra, & omnium, quos noui, opulentissimus, priuato homini gratiā deberem. Et mehercle Sylla ante te cognitum multis orantibus, aliis vltrò egomet opē tuli, nulliꝰ indigui. F Id esse immutatū mihi, quod cæteri dolere solent, ego lætor. Fuerit mihi eguisse aliquando precium tua amicitia, qua apud animum meum nihil charius habeo. Id adeò experiri licet: arma, viros, pecuniam: postremò quicquid animo libet, sume, vtere: & quoad viues, nūquam tibi gratiam redditam putaueris. Semper apud me integra erit. Denique nihil me sciente, frustrà voles. Nam, vt ego existimo, regem armis quàm munificentia vinci, minus flagitiosum est. Cæterum de Rep. vestra, G cuius huc curator missus es, paucis accipe. bellum ego populo Ro. neq. feci, neque factum vnquam volui. Fines meos aduersus armatos armis tutatus sum. Id omitto, quādo vobis ita placet vti vultis, cum Iugurtha bellū. Ego flumen Muluchā, quòd inter me & Micipsam fuit, nō transgrediar, neque id intrare Iugurtham sinam. Præterea, si quid me, vobisque dignum petieris, haud repulsus abibis.

A Ad ea Sylla pro se breuiter, & modicè de pace, & de communibus rebus multa disseruit. Deniq. regi patefacit, quòd polliceatur, Senatū, & pop. Romanum: quoniam amplius armis valuissent, non in gratia habituros. faciendū aliquid, quod illorum magis quàm sua retulisse videretur. Id adeò in promptu esse, quoniā Iugurthæ copiā haberet: quem si Romanis tradidisset, fore, vt illi plurimū deberetur, amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nūc peteret, tunc vltrò aduenturā. Rex primum negare B affinitatē, cognationē, præterea fœdus interuenisse: ad hoc metuere, ne fluxa fide vsus, popularium animos auerteret, queis & Iugurtha charus, & Romani inuisi essent. Denique sæpius fatigatus, lenitur, & ex voluntate Syllæ omnia se facturum promittit. Cæterū ad simulandā pacem, cuius Numida defessus bello, auidissimus erat: quæ vtilia visa, constituunt. Ita cōposito dolo digrediuntur. At rex postero die Asparē Iugurthæ legatum appellat: dicitq. sibi per Dabarem ex Sylla cognitum, posse conditionibus bellū poni. C Quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille lætus in castra Iugurthæ proficiscitur. Deinde, ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octauum redit ad Bocchū, & ei nunciat Iugurthā cupere omnia quę imperarētur, facere. sed Mario parum confidere: sæpe anteà cum imperatoribus Romanis pacem cōuentā frustrà fuisse. Cæterum Bocchus, si ambobus consultum, & ratam pacem vellet, operam daret, vt vnà ab omnibus, quasi de D pace in colloquium veniretur, ibiq. Syllā sibi traderet: cum talē virum in potestatem haberet, tum fore, vti iussu Senatus aut populi Romani fœdus fieret: neque hominē nobilē nō sua ignauia, sed ob Remp. in hostium potestate relictum iri. Hæc Maurus secū ipse diu voluēs, tandē promisit. Cæterum dolo verò cunctatus, parē cōperimus, Sed plerunq. regiæ volūtates, vt vehemētes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi aduersæ sunt. Posteà tempore & loco constituto, vti in colloquium de pace cōue- E niretur, Bocchus Syllā modò, modò Iugurthæ legatum appellare, benignè habere. Idem ambobus polliceri, illi pariter læti, ac bonæ spei esse pleni. Sed nocte ea quę proxima fuit ante diē colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac statim immutata volūtate, remotis cæteris, dicitur secū ipse multa agitauisse, vultu, colore, ac motu corporis pariter atq. animo varius, quę scilicet tacēte ipso, occulta oris immutatio patefecit. tamē postremò Syllā accersiri iubet, & ex eius sētētia Numidę in- F sidias tēdit. Deinde vbi dies aduenit, & ei nūciatū est, Iugurthā haud procul abesse: cū paucis amicis, & Quæstore nostro, obuiā quasi honoris causa procedit in tumultū, facillimū visu insidiantibus. Eodem Numida cū plerisq. necessariis suis, inermis (vti dictum erat) accedit, ac statim signo dato, vndiq. simul ex insidiis inuaditur. Cæteris obtrūcatis, Iugurtha Syllę vinctus traditur, & ab eo ad Marium deductus est. Per idē tēpus aduersū Gallos ab ducibus nostris Q. Cepione & M. Manlio G malè pugnatū. Quo metu Italia omnis cōtremuit. Illique & inde vsque ad nostrā memoriā Romani sic habuēre: alia omnia, virtuti suę prona esse: cum Gallis, pro salute nō pro gloria certare. Sed postquā bellum in Numidia confectū, & Iugurtham Romā vinctum adduci nūciatū est, Marius cōsul absēs factus est, & ei decreta prouincia Gallia: isq. calēdis Ianuariis magna gloria consul triūphauit: ex ea tēpestate spes atq. opes ciuitatis in illo sitæ.

C. S.

C. SALLVSTII CRISPI HISTORIARVM

LIBER I.

Res populi R.M.Lepido,Qu. Catulo Coss. ac deinde militiæ, & domi gestas composui.

Cato Romani generis disertissimus multa paucis absoluit.

Nos in tanta doctissimorum hominum copia.

Neque me diuersa pars in ciuilibus armis mouit à vero.

Nobis primæ dissensiones vitio humani ingenij euenere: quod inquies, atque indomitũ semper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agitur.

Nam à primordio vrbis ab bellum Persi Macedonicum.

Res Romana plurimum imperio valuit, Ser. Sulpicio & M. Marcello Coss. omni Gallia cis Rhenum, atque inter mare nostrum, atque Oceanum, nisi quæ à paludibus inuia fuit, perdomita. Optumis autem moribus, & maxuma concordia egit populus Ro. inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense.

At discordia, & auaritia, atque ambitio, & cetera secundis rebus oriri sueta mala, post Carthaginis excidium maxumè aucta sunt. nam iniuriæ validiorum, & ob eas discessio plebis à patribus, aliæque dissensiones domi fuere iam inde à principio: neque amplius, quàm regibus exactis, dum metus à Tarquinio & bellum graue cum Etruria positum est, æquo & modesto iure agitatum. Dein, seruili imperio patres plebem exercere, de vita, atque tergo regio more consulere: agro pellere, & ceteris expertibus, soli in imperio agere, quibus sæuitiis, & maxumè fœnoris onere oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum simul & militiam toleraret, armata montem sacrum, atque Auentinum insedit, tumque tribunos pl. & alia sibi iura parauit. discordiarum, & certaminis vtrinque finis fuit secundum bellum Punicum.

Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit.

Ex quo tempore maiorum mores non paullatim, vt antea, sed torrentis modo præcipitati: adeo iuuentus luxu atque auaritia corrupta est, vt merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares neque alios pati.

Plurimæ turbæ, seditiones, & ad postremum A bella ciuilia orta sunt: dum pauci potentes, quorum in gratia plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant: bonique & mali ciues appellati, non ob merita in remp. omnibus pariter corruptis, sed vti quisque locupletissumus, & iniuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur.

B Igitur venditis proscriptorum bonis, aut dilargitis.

Id bellum excitabat metus Pompeij victoris Hiempsalem in regnum restituentis.

Maxuméque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.

Quin lenones & vinarij laniique, quorum præterea vulgus in dies vsum habet, pretio compositi.

C Genus armis ferox, & seruitij insolitum.

Clementia & probitas vestra, Quirites, quibus per cæteras gentes maxumi, & clari estis, plurimum timoris mihi faciunt, aduersus tyrannidem L. Sullæ: ne aut ipsi, nefanda quæ non æstumatis, ea parum credendo de aliis circumueniamini: præsertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit: neque se aliter tutum putet, quàm si peior, D atque intestabilior metu vestro fuerit, quod captiuis libertatis curã miseria eximat: aut si prouideritis, in tutandis periculis magis, quàm in vlciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, non minus optimis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, dominationis suæ in vos, seruitium suum mercedem dant: & vtrunque per iniuriã malunt, quàm optumo iure liberè agere: præclara Brutorum, atque Aemiliorum & Lutatiorum proles, geniti ad ea, quæ ma- E iores virtute peperere, subuertunda. nam quid à Pyrrho, Hannibale, Philippoque & Antiocho defensum est aliud, quàm libertas, & suæ cuique sedes? neu cui, nisi legibus pareremus? quæ cũcta seuus iste Romulus, quasi ab externis rapta tenet, non tot exercituum clade, neque consulis, & aliorum principum, quos fortuna belli consumserat, satiatus, sed tum crudelior, cum plerosque secundæ res in miserationem ex ira vertunt. quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit: queis prius iniuria quam vita certa esset, prauissuméque per sceleris imma-

nitatem adhuc tutus fuerit, dum vos, metu grauioris ſeruitij, à repetunda libertate terremini. Agendũ atque obuiã eundũ eſt, Quirites, ne ſpolia veſtra penes illum ſint: non prolatandum, neque votis paranda auxilia, niſi forte ſperatis, per tædium iam aut pudorem tyrãnidis, eſſe eum per ſcelus occupata periculoſius dimiſſurum, at ille eò proceſſit, vti nihil glorioſum, niſi tutum, & omnia retinendæ dominationis honeſta æſtumet. itaque illa quies, & otium cum libertate, quæ multi probi potius, quàm laborem cum honoribus, capeſſebant, nulla ſunt. hac tempeſtate ſeruiendum, aut imperitandum: habẽdus metus eſt, aut faciundus, Quirites. nam, quid vltra? quæ ve humana ſuperant, aut diuina impolluta ſunt? populus Romanus paullo antè gẽtium moderator, exutus imperio, gloria, iure, agitandi inops, deſpectuſque ne ſeruilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum, & Latij magna vis, ciuitate pro multis & egregijs factis, à vobis data, per vnum prohibentur: & plebis innoxiæ patrias ſedes occupauere pauci ſatellites, mercedẽ ſcelerum. Leges, iudicia, ærarium, prouinciæ, reges, penes vnum: deniq. necis ciuium, & vitæ licentia. ſimul humanas hoſtias vidiſtis, & ſepulcra infecta ſanguine ciuili. Eſtne viris reliqui aliud, quàm ſoluere iniuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem vnum omnibus finem natura vel ferro ſeptis ſtatuit: neque quiſquam extremã neceſſitatem nihil auſus, niſi muliebri ingenio expectat. Verùm ego ſeditioſus, Sulla ait, quia præmia turbarum queror: & bellum cupiens, quia iura pacis repeto. ſcilicet, quia non aliter ſalui, ſatiſque tuti in imperio eritis, niſi Vettius Picens, ſcriba Cornelius, aliena bene parata prodegerint: niſi approbaueritis omneis proſcriptiones innocentium: ob diuitias, cruciatus virorum illuſtrium: vaſtam vrbem fuga, & cædibus, bona ciuium miſerorum, quaſi Cimbricam prædam venum aut dono datam. At obiectat mihi poſſeſſionem ex bonis proſcriptorum. quod quidem ſcelerum illius vel maxumum eſt, non me, neque quemquam omnium ſatis tutum fuiſſe, ſi rectè faceremus. Atque illa quæ tum formidine mercatus ſum, pretio ſoluto, iure dominis tamen reſtituo, neque pati cõſilium eſt, vllam ex ciuibus prædam eſſe. Satis illa fuerint, quæ rabie cõtracta tolerauimus, manus conſerenteis inter ſe Romanos exercitus, & arma ab externis in noſmet verſa. ſcelerum & contumeliarum omnium finis ſit: quorum adeo Sullam non pœnitet, vti, & facta in gloria numeret, & ſi liceat, auidius fecerit. Neque iam, quid exiſtumetis de illo, ſed quantum vos audeatis vereor: ne, alius alium principem expectantes, antè capiamini, non opibus eius, quæ futiles & corruptę ſunt, ſed veſtra ſocordia, quã captum iri licet, & quam audeat iam videri felicem. nam præter ſatellites commaculatos, quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter victoriam? ſcilicet milites: quorum ſanguine, Tarrulæ, Scyrtoque, peſſumis ſeruorum, diuitiæ partæ ſunt: an quibus prælatus in magiſtratibus capiundis Fuſidius ancilla turpis honorum omnium dehoneſtamentum? itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera, & labores nihil præter tyrannum quæſitum eſt, niſi forte tribuniciam poteſtatem euerſum profecti ſunt per arma, conditam à maioribus ſuis, vtique iura & iudicia ſibimet extorquerent: egregia ſcilicet mercede, cum relegati

A in paludes, & ſyluam, contumeliam atque inuidiam ſuam, præmia penes paucos intellegerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? quia ſecundæ res mirè ſunt vitiis obtentui: quibus labefactaris, quàm formidatus antea eſt, tam contemnetur: niſi fortè ſpecie concordiæ & pacis, quæ ſceleri & parricidio ſuo nomina indidit. Neque aliter populo Romano eſſe belli finẽ ait, niſi maneat expulſa agris plebes, præda ciuilis acerbiſſuma, ius, iudiciumq. omniũ rerũ penes ſe, quod
B populi Romani fuit, quæ ſi vobis pax, & cõcordia intelleguntur, maxuma turbamenta reipub. atque exitia probate: annuite legibus impoſitis: accipite otium cum ſeruitio: & tradite exemplum poſteris ad populum Romanum ſuimet ſanguinis cæde circumueniendum. mihi, quamquam per hoc ſummum imperium ſatis quæſitum erat nomini maiorum, dignitati, atque etiam præſidio: tamen non fuit conſilium priuatas opes facere: potiorque viſa eſt periculoſa libertas, quieto ſeruitio. Quæ ſi probatis, adeſte Quirites, & bene iu-
C uantibus Diis, M. Æmilium Cos. ducem & auctorem ſequimini ad recipiundam libertatem.

*

Tunc verò & poſcl. cum cæteri eiuſdem cauſſæ, ducem ſenatus rati, maxumo gaudio bellum irritare.

*

Curionem quæſiuit, vti adoleſcentior, & populi ſuffragiis integer, ætati concederet Mamerci.

D *

Philippus qui ætate & cõſilio cæteros anteibat.

*

Maximè vellem P.C. rempub. quietam eſſe, aut in periculis à promptiſſumo quoque defendi: denique praua incepta conſultoribus noxæ eſſe. ſed contrà, ſeditionibus omnia turbata ſunt, & ab iis, quos prohibere magis decebat. Poſtremo, quæ peſſumi & ſtultiſſumi decreuere, ea bonis & ſapiẽtibus faciunda ſunt. nam bellum, atque arma,
E quamquam vobis inuiſa: tamen: quia Lepido placent, ſumenda ſunt. niſi fortè cui pacem præſtare, & bellum pati conſilium eſt: Prò dij boni, qui hanc vrbem omiſſa cura, adhuc regitis: M. Æmilius omnium flagitioſorum poſtremus, qui peior an ignauior ſit, deliberari non poteſt, exercitum opprimundæ libertatis habet, & ſe è contemto metuendum effecit: vos muſſantes: & retractantes verbis, & vatum carminibus, pacem optatis magis quàm defenditis, neque intelligitis molli-
F tia decretorum, vobis dignitatem, illi metum detrahi. atque id iure, quoniam ex rapinis conſulatum, ob ſeditionem prouinciam cum exercitu adeptus eſt. quid ille ob benefacta cœpiſſet, cuius ſceleribus tanta præmia tribuiſtis? At ſcilicet, ij, qui ad poſtremum vſque legatos, pacem, concordiam, & alia huiuſmodi decreuerunt, gratiam ab eo pepetere. immo deſpecti & indigni repub. habiti, prædæ loco æſtumantur: quippe metu pacem repetentes quo habitam amiſerant. Equidem à
G principio, cum Etruriam coniurare, proſcriptos acceſſiri, largitionibus remp. lacerari videbam, maturandum putabã; & Catuli conſilia cum paucis ſecutus ſum. cæterum illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, & ignoſcendo populi Romani magnitudinem auxiſſe, nuſquam etiã tum Lepidum progreſſum aiebant, &, cum priuata arma opprimundæ libertatis cepiſſet, ſibi quiſque opes

opes, aut patrocinia quærendo, consilium publicum corruperunt, attamen erat Lepidus latro cũ calonibus, & paucis sicariis, quorum nemo non diurna mercede vitã mutauerit: nunc est procõsul cum imperio, non empto, sed dato à vobis cum legatis adhuc iure parentibus: & ad eum cõcurrere homines omnium ordinum corruptissimi, flagrantes inopia & cupidinibus scelerum conscientia exagitati: quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt. Saturnini olim, post Sulpitij, dein Marij, Damasippique, nunc Lepidi satellites, præterea Etruria, atque omnes reliquiæ belli arrectæ, Hispaniæ armis sollicitatæ: Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin, præter idoneum ducem, nihil abest ad subuertendum imperium. quod ego vos oro, atque obsecro P. C. vt animaduertatis, neu patiamini licentiã scelerum, quasi rabiẽ ad integros cõtactu procedere: NAM vbi malos præmia sequũtur, haud facile quisquã gratuito bonus est. An expectatis dum exercitu rursus admoto, ferro, atque flamma vrbem inuadat, quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quàm ex pace & concordia ad arma ciuilia: quæ ille, aduersum diuina & humana omnia cepit: non pro sua, aut quorum simulat, iniuria, sed legum ac libertatis subuertundę. agitur enim ac laceratur animi cupidine, & noxarum metu, expers consilij, inquies: hæc atque illa tentans, metuit otium, odit bellum, luxu atque licentia carendum videt, atq. interim abutitur vestra socordia. neque mihi satis consilij, metum, an ignauiam, an dementiam eam appellem: qui videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem. & quæso considerate quàm conuersa rerum natura sit. antea malum publicum occultè, auxilia palam instruebãtur, & eo boni malos facile anteibant. nunc pax, & concordia disturbantur palam, defenduntur occultè. quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu. quid expectatis, nisi fortè pudet, aut piget rectè facere? An Lepidi mandata animos mouet, qui placere ait sua cuique reddi, & aliena tenet: belli iura rescindi, cùm ipse armis cogat: ciuitatem confirmari, qui ademptam negat. concordiæ gratia plebei tribunitiam potestatem restitui, ex qua omnes discordiæ accensę. Pessume omnium, atque impudentissime, tibine egestas ciuium, & luctus curæ sunt, cui nihil est domi, nisi armis partum, aut per iniuriam? alterum consulatum petis, quasi primum reddideris: bello concordiam quæris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis inuidus, hostis omnium bonorũ, vt te neque hominum, neque Deorũ pudet, quos perfidia aut periurio violasti? qui, quando talis es, maneas in sententia, & retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus inquies ipse, nos in sollicitudine retineas. neque te prouinciæ, neque leges, neque Dij penates ciuem patiuntur. perge, qua cœpisti, vt quàm maturrimè merita inuenias. vos autem patres C. quousque cunctando remp. intutam patiemini, & verbis arma tẽtabitis? delectus aduorsum vos habiti: pecuniæ publicè, & priuatim extortæ, præsidia deducta atque imposita: ex libidine leges imperantur, cum interim vos legatos & decreta paratis, & quanto mehercule auidius pacẽ petieritis, tanto bellum acrius erit, cum intelliget se metu magis, quàm æquo animo & bono sustenta-

A tum. nam, qui turbas, & cædem ciuium odisse ait, & ob id armato Lepido vos inermes retinet, quæ victis toleranda sunt, ea, cum facere possitis, patiamini potius censet, ita illi à vobis pacem, vobis ab illo bellum suadent. hæc si placet, si tanta torpedo animos oppressit, vt obliti scelerum Cinnæ, cuius in vrbem reditu, decus, atque ordines omnes interierunt, nihilominus vos, atque coniuges, & liberos, Lepido permissuri sitis, quid opus decretis? quid auxilio Catuli? quin is & alij boni remp.
B frustra curant. Agite, vt libet, parate vobis Cethegi, atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas & incendia instaurare cupiunt, & rursum aduorsum Deos penates manus armare. sin libertas & bella magis placent, decernite digna nomine, & augete ingenium viris fortibus. adest nouus exercitus, & ad hoc coloniæ veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi. fortuna meliores sequitur. iam illa quę socordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo, quoniam Lepidus exercitum priuato consilio, paratum cum pessi-
C mis, & hostibus reip. contra huius ordinis auctoritatem ad vrbem ducit, vti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule & cæteris quibus imperium est, vrbi præsidio sint: operamque dent, ne quid R. P. detrimenti capiat.

* Vti Lepidus, & Catulus decretis exercitibus maturrimè proficiscerentur.

D * Obuiam ire, & commori hostibus.

* Lepidus pœnitens consilij.

* Sic verò quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.

* Prudens omnium quæ senatus censuerat.

* Magnis opibus profectus, obsidium cepit per
E L. Catilinam legatum.

* Domitium proconsulem ex citeriori Hispania cum omnibus copiis, quas parauerat, arcessiuit.

* Sanctus alias, & ingenio validus.

* Gens raro egressa fineis suos.

* Nisi cum ira belli desenuisset.

F * Maturauerunt exercitum Dyrrachium cogere.

* Illo profectus, vicos, castellaque incendere & fuga cultorum deserta, igni vastare, neque eslata aut securissimus metu gentis ad furta belli peridoneæ.

* Liberis eius auunculus erat.

G * Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

* Insanum aliter sua sententia, atque aliarum mulierum.

* Recens scripsi.

* Solis viis.

Iussu Metelli, cornicines occanuerunt.

Nexuit catenæ modo.

Doctus militiam.

Neque se recipere, aut instruere prælio quiuere.

Equi sine rectore exterriti, aut saucij consternantur.

Occupatusque collis editissimus apud Hilerdam: & cum multa opera circumdata.

At inde nulla munitionis, aut requie mora, processit ad oppidum.

Agreste.

Ardebat omnis Hispania citerior.

& ponere validam vrbem multos dies restantem pugnando vicit.

Itaque Sertorius, leui præsidio relicto, in Mauritania, nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtiuaque celeritate, vitare prælium in transgressu conatus est.

Transgressos omneis, recepit mons Ballera præceptus à Lusitanis.

Earum aliæ paullulum progressæ, nimio simul & incerto onere, cum pauor corpora agitauerat, deprimebantur.

Loco editiorem, quàm victoribus decebat, capi.

Et mox Fufidius adueniens cum legionibus, postquam tantas asperitates, haud facilem pu-

A gnantibus vadum, cuncta hosti quàm suis opportuniora vidit.

Cùm Sertorius neque erumperet, tam leui copia nauibus fugam maturabat.

Itineris eorum Metellus per literas gnarus.

Itaque Seruilius ægrotum Tarenti collegam prior transgressus, iter vertit ad Corycum vrbem B inclitam: pastusque nemore, in quo crocum gignitur.

Ad Olympum atque Phaselida.

Apud Corycum.

Apud Lete oppidum.

Repulsus à Lete oppido.

C Apud Matinam.

Apud Præneste locatus.

Medio diei.

Omni strepitu pauescere.

Quietam à bellis ciuitatem.

D Militiæ peritus.

Sertorius Parthis turbam morantibus, & nullo, vt in terrore solet generis aut imperij discrimine per calonum corpora, ad medium quasi deinsuper adstantium, manibus in murum attollitur.

Neque detrusus aliquotiens terretur.

Dubitauit aciæ pars.

C. SALLVSTII CRISPI HISTORIARVM

LIBER II.

Sardinia in Africo mari facie, vestigij humani, in orientem, quàm in occidentem latior prominet.

Dubium an insula sit, quod Euri, atque Austri superiactis fluctibus circumlauit.

Nam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem ex composito trib. pl. C. Herennius prohibuerat.

F Nam procul, & diuersis ex regionibus.

Obliuiam fuere.

Vrbe, patriaque extorres.

Genus militum suetum à pueritia latrocinijs.

Inter læua mœnium, & dextrum flumen Turiam, quòd Valentiam prauo interuallo præter-

fluit

fluit.

Ita fiducia, quàm argumentis purgatiores dimittuntur.

Antequam regressus Sertorius instrueret pugnę suos.

Ipse animi atrox.

Copiis integra.

Eodem anno in Macedonia C. Curio, principia veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis dictas pecunias coegit.

Post, vbi fiducia nimius.

Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat Corsa nomine Ligus mulier.

Ne illa tauro prata sint.

Dædalum ex Sicilia profectum cum Minois fugeret iram, atque opes.

Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.

Quos aduorsum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri.

Vt actione desisteret.

Vespera.

Argentum mutuum arcessiuit.

Eam deditionem senatus, per nuncios Orestis cognitam, approbat.

Nisi quia flumen Lurda Tauro mōte defluens.

Frugum, pabulique lætus ager.

Neque virgines nuptum à parentibus mittebantur, sed ipsæ belli promptissimos delegebant.

Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem,

Noctu, diúque stationes, & vigilias tentare.

At Lucullum regis cura machinata fames breui fatigabat.

Multique commeatus interierant insidiis latronum.

Namque primum Iasonem nouo itinere maris Æetæ hospites domum violasse.

Tartessum Hispaniæ ciuitatem, quam nunc Tyrij mutato nomine Gadir habent.

Neque subsidiis, vti soluerat, compositis.

Neque inermes ex prælio viros quemquam agnituram.

Ea continentia vir grauis, & nulla arte cuiquam inferior.

Omnes qui circum sunt, præminent altitudine millium passuum duorum.

* & Pœni ferunt aduersus A. N. C. M.

Quia corpore, & lingua percitum, & inquietem nomine histrionis, vix sani, Burbuleium appellabant.

Audacter.

Hi saltibus occupatis, cum externorum agros inuasere, frumentique ex inopia graui, satis facta.

Ibi Fimbriana seditione qui regi per obsequelam orationis, & maximè odium Syllæ graues, carique erant.

Mœnibus deturbat.

E muris canes sportis demittebant.

Ad hæc, rumoribus aduersa, in prauitatem, secunda, in casum, fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant.

At Metellus in vlteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium vndique virile & muliebre secus, per vias ac tecta omnium visebatur: cum questor C. Vrbinus, aliique, cognita voluntate, cum ad cœnam inuitauerant: vltra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aulea & insignia, scenisque, ad ostentationem histrionum fabricatis, simul croco sparsa humus, & alia, in modum templi celeberrimi. Præterea cum sedenti transenna demissum Victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruum corona capiti imponebat: tum venienti thure quasi Deo supplicabatur. toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti: epulæ quęsitissimæ, neque per omnem modo prouinciam, sed trans maria, ex Mauritania volucrum & ferarum incognita antea plura genera, quibus rebus, aliquantam partem gloriæ dempserat, maximè apud veteres & sanctos viros, superba illa grauia, indigna R. imperio existimantes.

Ruuntque pars magna suismet, aut proximorum telis, cæteri vice pecorum obtruncabantur.

Occurrere duci, & prælium accendere: adeo vti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent.

Auidisque ita, promptisque ducibus, vt Metellus ictu tragulæ sauciaretur.

Primo incidit forte per noctem in tenunculo piscantis.

Ad hóc pauca piraticę adiūgit actuaria nauigia.

Omnia sacrata corpora in ratem imposuisse.

Suos equites hortatus vado transmittit.

Ictu eorum qui in flumine ruebant, necabantur.

circumuenti dextera, vnde ferum erat, saxa, aut quid tale afligebant.

C. SALLVSTII CRISPI HISTORIARVM

LIBER III.

Ex a . . . utrique sonus Bacchanaliorum.

Di . . ersa, . . . i solet, rebus perditis capessant. namque e alij fid . cia gnaritatis locorum fugam sparsi: alij globis eruptionem tentauerè.

Vnus constitit in agro Lucano, gnarus loci, nomine Publipor.

Malè iam assuetum ad omnis vis controuersiarum.

Coniuratio ne claudit.

Quasi par in oppido festinatio, & ingens terror erat, ne ex latere noua munimenta madore infirmita . em, nam moenia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis aduerso æstu maris.

Equis, & armis decoribus cultus.

Dedecores, multisque, terga ab hostibus cedebantur.

Contra ille calui ratus quærebat num somnio thesaurus portenderetur.

Pars consumpta, reliqua cadauerum ad diuturnitatem visus fallerent.

Si aduersus vos patriamque, & Deos penates D totiens labores & pericula suscepissem, quotiens prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi, & vobis salus quæsita est: nihil amplius in absentem me statuissetis, quàm adhuc agitis P. C. quem contra ætatem proiectum ad bellum sæuissimum, cum exercitu optimè merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte confecistis. Hac in spe populus Rom. liberos suos ad bellum misit? hæc sunt præmia pro vulneribus, & E totiens ob rempubl. fuso sanguine? fessus scribédo, mittendoque legatos omneis & opem, spes priuatas meas cósumpsi: cum interim à vobis per triennium vix annuus sumptus datus est, per deos immortales, vtrum censetis me vicem ærarij præstare, an exercitum sine frumento & stipendio habere posse? equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quàm consilio profectum: quippe qui nomine modò imperij à vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paraui, hostésque in F ceruicibus iam Italiæ agentis ab Alpibus in Hispaniam summoui per eas, ite, aliud atque Hannibal, nobis opportunius patefeci. recepi Galliam, Pyrenæum, Lacetaniam, Ilergerum, & primum impetum Sertorij victoris nouis quidem militi- A bus, & multò paucioribus sustinui hiemémque in castris inter sæuissimos hoste, non per oppida, neque ex ambitione mea, egi. quid dein prœlia, aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valent quam verba. castra hostium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Durium, & dux hostium C. Herennius cum vrbe Va . ntia, & exercitus deleti, satis clara vobis sunt. pro queis, o grati patres, egestatem, & famem reddidistis. itaque meo & B hostium exercitui par conditio est. namque stipendium neutri datur, victor vterque in Italiam venire potest. quod ego vos moneo, quæsoque vt animaduertatis, neu cogatis necessitatibus priuatum mihi consulere, Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos, aut Sertorius ad internecionem vastauimus, præter maritimas ciuitates, quę vltro nobis sumtui, onerique Gallia superiore anno Metelli exercitū stipendio frumentoque aluit. & nunc malis fructibus, ipsa vix agi- C tat. ego non rem familiarem modò, verum etiam fidem consumsi. reliqui vos estis: qui nisi subuenitis inuito & prædicente me, exercitus hinc, & cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgreditur.

Namque his, præter solita vitiosis magistratibus, cum per omnem prouinciam infecunditate biennij proxumi graue pretium fructibus esset.

Meque iam sustineri poterat imm . . . . . . aucto mari, & vento gliscente . . .

At tum maxumè, vti solet extremis in rebus, sibi quisque carissumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi.

Et fortè in nauigando cohors vna, grandi fasello vecta a cæteris deerrauit, marique placido duobus prædonum myoparonibus circumuenta.

Eum atque Metrophanem senatus magna industria perquirebat, cum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum mi . . erat.

Duos quam maxumos vtres leui tabulæ subdere . . . qua super omni corpore quietus inuicem tractis pedis quasi gubernator exstolleret: ita inter molem, atque insulam mari vitabundus classem hostium, ad oppidum peruenit.

Nam qui enare conati fuerant, ibi . . . . fe . . . mentis nauium, aut vulnerati à suis, aut afflicti a . . . ueos vndarum vi mulctato fœde corpore, postremò tamen perierc.

Nam

Nam tertia tunc erat, & sublima nebula cęlum obscurabat.

Illum nautis forum.

Si Quirites, parum existumaretis, quid inter ius à maioribus relictum vobis, & hoc à Sulla paratum seruitium interesset, multis mihi differendũ fuisset, docendumq. quas ob iniurias, & quotiens à patribus armata plebes secessisset, vtique vindices parauisset omnis iuris sui tribunos pleb. nunc hortari modo reliquum est, & ire primum via, qua capessendam arbitror libertatem. neque me præterit, quantas opes nobilitatis, solus impotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed præter spem bonam ex vobis quæ metum vicit, statui certaminis aduorsa, pro libertate, potiora esse forti viro, quàm omnino non certauisse. quamquam omnes alij creati pro iure vestro vim cunctam, & imperia sua gratia, aut spe, aut præmiis in vos conuertere: meliusque habent, mercede delinquere, quàm gratis rectè facere. itaque omnes concessere iam in paucorum dominationẽ, qui per militare nomen, ærarium, exercitus, regna, prouincias occupauere, & arcem habent ex spoliis vestris: cum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos, fruendosque præbetis exsuti omnibus, quæ maiores reliquere: nisi quia vosmet ipsi per suffragia, vt præsides olim, nunc dominos destinatis. itaque concessere illuc omnes: & mox si vestra receperitis, ad vos redibunt plerique. ratus enim animus est ad ea, quæ placent defendenda. cetera validiorum sunt, an dubium habetis, ne officere quid vobis vno animo pergentibus possit, quos languidos, socordesque pertimuere? nisi fortè, C. Cotta ex factione media consul, aliter quàm metu iura quædam trib. pleb. restituit. & quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunitia loqui ausus, mussantibus vobis circumuentus erat? tamen prius illi inuidiam metuere, quam vos iniuriæ pertæsum est. quod ego nequeo satis mirari, Quirites. nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat seruitium, finem mali credebatis. ortus est longè sæuior Catulus. tumultus intercessit Bruto, & Aemilio Mamerco Coll. dein C. Curio ad exitium vsque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis: quantæ denique nunc mihi turbæ concinantur. quæ profectò incassum agerentur, si prius quàm vos seruiundi finem illi dominationis facturi erant: præsertim cum his ciuilibus armis dicta alia, sed certatum vtrimq. de dominatione in vobis sit. itaque cætera, ex licentia, aut odio, aut auaritia in tempus arsere. permansit vna res modo, quæ vtrinque quæsita est. & erepta in posterum vis tribunitia, telum à maioribus libertati paratum. quod ego vos moneo, quæsoq. vt animaduertatis: neu nomina rerum ad ignauiam mutantes, otium pro seruitio appelletis quo iam ipso frui, si vera & honesta flagitium superauerit, non est conditio: fuisset, si omnino quiessetis. nunc animum aduertite: &, nisi viceritis, QVONIAM omnis iniuria grauitate tutior est, arctius habebunt. quid censes igitur aliquis vestrum subiecerit. Primum omnium, omittundum morem hunc

A quem agitis, impigræ linguæ, animi ignaui, non vltra concionis locum memores libertatis. deinde ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunis plebei mandato patriciis suffragia maiores vestri parauere. quamuis Quirites, in vobis sit, vt, quæ iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certè possitis. Iouem aut alium quẽ Deum consultorem expectatis? magna illa consulum imperia & patrum decreta, vos exsequendo rata efficitis Quirites: vltroq. licentiam in vos auctũ, B atq. adiutum properatis, neq. ego vos vltum iniurias hortor, magis vti requiem capiatis: neq. discordias, vt illi criminantur: sed earum finem volens iure gentium res repeto: &, si pertinaciter retinebunt, non arma, neq. secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum præbeatis censeo gerant, habeantq. suo modo imperia, quærant triumphos: Mithridatem, Sertorium & reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis. absit periculum & labos, quibus nulla pars fructus est: C nisi fortè repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur. cum tamen qui his modis libertatem omnium æstumauere, hi profectò non amplius possunt alimentis carere. namq. vt illis exiguitate mors prohibetur, senescũt vires, sic vt neque absolui cura familiari tam parua res possit: & ignauissumi quiq. tenuissuma spe frustrantur: quę tamen quamuis ampla, quoniam seruitij pretium ostentaretur, cuius torpedinis erat decipi, & vestrarum rerum vltro iniuria gratiam debere? namq. alio modo, neq. valent in vniuersos, neq. conabũ- D tur, cauendus tamen dolus est. itaq. simul comparant delenimenta, & differunt vos in aduentum Cn. Pompeij: quem ipsum vbi pertimuere, sublatum in ceruices suas, mox demto metu lacerant. neq. eos pudet vindices vti se ferunt, libertatis tot viros sine vno, aut remittere iniuriam nõ audere, aut ius non posse defendere. mihi quidem satis spectatum est, Pompeium tantæ glorię adolescentem malle principem volentibus vobis esse, quàm illis dominationis, & sociũ auctoremq. in primis E fore tribunitiæ potestatis. verum Quirites, antea singuli ciues in pluribus, non in vno cuncti præsidia habebatis: neq. mortalium quisquam dare, aut eripere talia vnus poterat. itaq. verborum satis dictum est. neq. enim ignorantia res claudit. verum occupauit vos nescio quæ torpedo, quia neq. gloria mouemini, neq. flagitio: cunctaque præsenti ignauia mutastis: abundè libertatẽ rati: quia tergis abstinetur, & huc ire licet atque illuc munere ditium dominorum, atque hæc eadem non sunt F agrestibus, sed cæduntur inter potentium inimicitias: donoq. datur in prouincias magistratibus: ita pugnatur, & vincitur à paucis: plebes quodcũque accidit, pro victa est: & in dies magis erit, si quidem maiora cura dominationem illi retinuerunt, quam vos repetiueritis libertatem.

Postquam egressus angustias.

Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.

Vt sustinere corpora plerique nequeuntes, fessi, arma sua quisque stantes incumberent.

Ac statim fugitiui, contra præceptum ducis, rapere ad stuprum virgines, matronasque.

Quibus à Sertorio triplices insidiæ per idoneos

saltus positæ erant prima, qui fonte venientes exciperet.

Ingens ipse virium, atque animi.

Locum nullum nisi in quo armati institissent.

At Oppius postquam orans nihil proficiebat, timidè veste tectum pugionem expedire conatus, à Cotta, Vulscioque impeditur.

Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur.

Sed Pompeius à prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta, consultaque eius quondam æmulus erat.

Dubij consilij.

Post reditum eorum, quibus senatus, belli Lepidani gratiam fecerat.

Quod vbi frustra tentatum est, socordius ire milites occœpere, non aptis armis, vt in principio, & laxiore agmine.

Atque eum cupio laudatum, accensumq. præmiorum spe, quibus cum optauisset ire iubet.

Eodem tempore Lentulus duplici acie locum A editum multo sanguine suorum defensus, postquam ex sarcinis paludamenta adstari, & delectæ cohortes intelligi cœpere.

Fine inguinum ingrediuntur mare.

M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque curis, nisi instantibus.

Muros successerant.

B Saxaque ingentia, & axe vinctę trabes per pronum incitabantur: axibusque eminebant in modum ericij militaris veruta binûm pedum.

Octauium militem & captum pedibus.

Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio: super eum L. Fabius Hispaniensis senator: ex proscriptis in summo Antonius: & infra, scriba C Sertorij Versius, & alter scriba Mę[illegible] na[illegible] imo, medius inter Tarquitium, & dominum Perpernam.

Quarum vnam epistolam fortè cum seruo nacti prædatores Valeriani scorpione in castra misere.

Non tu scis, si quas ædes ignis cepit acriter, haud faciles sunt defensu, quin & comburantur proximæ.

C. SALLVSTII CRISPI HISTORIARVM LIBER IV.

At Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega eius, A cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior, an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emtoribus bonorum remiserat, exigenda, promulgauit.

Omnes, quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat.

Dein lenita iam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt.

B Implicitæ rates ministeria prohibebant.

Igitur legiones pridie in monte positas arcessiuit.

Anxius animi, atque incertus.

Magnam exorsus orationem.

Impotens & nimius animi est.

Amisamque assideri sine prælijs audiebat.

Qui quidem mos, vt tabes, in vrbem coniectus.

Si nihil ante aduentum suum inter plebem, & patres conuenisset, coram se daturum operam.

Castella custodias thesaurorum in deditionem acciperentur.

Reliquia cadauera salita.

REX MITHRIDATES REGI ARSACI S.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceátne tum pacem agere. deinde quod quæritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi, perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni, & scelestissimi. egregia fama, si Romanos C oppresseris futura est, neque petere audeam societatem, & frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem, atqui ea, quæ te morari posse videntur, ita in Tigranem recentis belli, & meæ res parum prosperæ si vera existumare voles, maxumè hortabuntur.

tabuntur. ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet: mihi fortuna multis rebus ereptis, vsum dedit bene suadendi: &, quod florentibus optabile est, ego non validissimus præbeo exemplum, quo rectius tua componas. namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, vna & ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperij & diuitiarum: qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumsere. dum à Carthaginensibus premebantur, amicitiam simulantes, ei subuenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum auertere: ac mox à Philippo Antiochus, omni cis Taurum agro, & decem millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde Philippi filium, post multa & varia certamina, apud Samothracas Deos acceptum in fidem, callidi, & repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, in somniis occidere. Eumenem, cuius amicitiam gloriosè ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem, post Attalū custodem agri captiui sumtibus & contumeliis ex rege miserrimum seruorum effecere: simulatoque impio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiuerat, hostium more per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est. postremo totā Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, cùm filius Nusæ quem regem appellauerant, genitus haud dubiè esset. Nam quid ego me appellem? quem disiunctum vndique regnis, & tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat diuitem, neque seruiturum esse, per Nicomedem bello lacessiuerunt, sceleris eorum haud ignarū, & ea, quæ accidere, testatum antea, Cretenses soli omnium liberi ea tempestate, & rex Ptolemæus. atque ego vltus iniurias, Nicomedem Bithynia expuli, Asiamque spolium regis Antiochi recepi, & Græciæ demsi graue seruitium. incepta mea postremus seruorum Archelaus, exercitu prodito, impediuit: illique quos ignauia, aut praua calliditas, vt meis laboribus tuti essent, armis abstinuit acerbissumas pœnas soluunt, Ptolemæus precio diem belli prolatat. Cretenses impugnati semel iam, neq. finem nisi excidio habituri. equidem cùm mihi ob ipsorum interna mala dilata prœlia magis, quàm pacem datam intelligerem, abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cœpi: Marcumq. Cottam Romanum ducē apud Chalcedona: terra fudi: mari exui classe pulcherruma. apud Cyzicum magno cum exercitu, in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente, simul hiems mari prohibebat. ita sine vi hostium regredi coactus in patrium regnū, naufragiis apud Param, & Heracleam, militum optumos cum classibus amisi. restituto deinde apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullum prœliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego vastatis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subuertendi. quia multitudinem arctis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. nunc quæso considera, nobis oppressis, vtrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? scio equidem tibi magnas opes, virorum, armorum, & auri esse, &, ea re à nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. cæterum consilium est Tigranis, regno integro meis militibus belli prudentibus, procul ab

A domo, paruo labore per nostra corpora bellum conficere: quando neque vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentibus, finem Oceanus fecit, arma huc conuertisse? neq. quicquam à principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium? conuenas, olim sine patria, sine parentibus peste conditos orbis terrarum: quibus non humana vlla neque diuina obstant: quin socios, amicos, procul, iuxtaque sitos,
B inopes potentesque trahant, excidantque: omniaque non serua & maxime regna, hostilia ducant. namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt: nos suspecti sumus æmuli, & in tempore vindices affuturi. Tu verò, cui Seleucia maxuma vrbium, regnumque Persidis inclitis diuitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, & posteà bellum expectas? Romani in omnes arma habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt, audendo & fallendo, & bella ex bellis
C serendo, magni facti. per hūc morem extinguent omnia aut occident: quod difficile non est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur: exercitus sine frumento, sine auxiliis: fortuna autem nostris vitiis adhuc incolumis, teque illa fama sequetur auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse, quod vti facias moneo, hortorque: neu malis pernicie nostra vnum imperium prolatare, quàm societate victor fieri.

*

D Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus.

*

Scalas pares mœnium altitudine.

*

Diffidere inter se cœpere, neque in medium consultare.

*

Multisque suspicionibus volentia plebi facturus videbatur.

*

E Suspectusque fuit, incertum verò an per negligentiam, societatem prædarum cum latronibus composuisse.

*

Quàm maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit, ad flumen Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur. & quamquam ad id naues codicariæ occultè per hiemem fabricatæ aderant.

*

F Qui prætergrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie.

*

Cum interim, lumine etiam tum incerto, duæ Galliæ mulieres conuentum vitantes ad mēstrua soluenda montem ascendunt.

*

Pluteosq. rescindit, ac munitiones demolitur, locoque summo potitur.

*

G Exercitum dimisit, vt primum Alpes degressus est.

*

Tetrarchas, regesque territos animi firmauit.

*

Simul eos, & cunctos iam inclinatos laxitate, & loci plures cohortes, atque omnes, vt in secunda re, pariter acre inuadunt.

A

Hi locorum perignari, & soliti nectere ex vi‑minibus vasa agrestia, ibi tum quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisq. in formam parmæ equestris armabat.

Auidior modo properandi factus.

Consilij æger.

Reuersi postero die, multa, quæ properãtes deseruerant in castris, nacti cùm se ibi cibo, vinoq. læti inuitarent.

Atque hiauit humus multa, vasta, & profunda.

Rursus iumenta nacti ad oppidum ire contendunt.

Vbi se laniata nauigia fundo emergunt.

Tum verò Bithyni propinquantes iam amnem Tarcanium.

Eos qui hoc malum publicum clandestinis cõsiliis comparauerunt.

B In queis notissimus quisque, aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur.

Ad S[illegible]liciam vrgens faucibus, non amplius patet milibus v. & x x x.

Clausi lateribus pedem.

Naphthas.

C. SALLVSTII CRISPI HISTORIARVM LIBER V.

A

At Lucillus, audito Q. Marcium regem pro cõsule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.

Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam & Pontum consuli datam, missos esse.

Regem auersabatur.

B Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum, aut tribunorum, & pars sua commeatibus mercatis.

Et vxori eius frater erat.

Sæpe celebritatẽ nominis intelligo timentem.

Video ingentia dona quæsitũ ire properantem.

Nam si in Pompeio quid humani euenisset.

Quibus de causis Sullam in victoria dictatorem, equo descendere, sibi vni assurgere de sella, caput operire solitum.

INCERTVM EX QVARTO, AN EX QVINTO HISTORIARVM LIBRO.

Nẽ intumiendi po....
sublicibus cauata ....
sent.

Cuius duas insulas propinquas inter se, & decem stadium, procul à Gaditanis sitas, constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.



C. SALLVSTII CRISPI FRAGMENTA, NON ADSCRIPTO HISTORIAE, AVT LIBRI NVMERO, A GRAMMATICIS ALLATA.

A

Illi tertio mense peruenere in Pontum multò celerius spe Mithridatis.

Ergo senati decreto seruiendúmne sit.

Pompeius oris improbi, animoque inuerecundo.

Simulans sibi alterum [illegible].

Coria recens detracta quasi glutino adolescebant.

Communem habitum transgressus.

Inter arma ciuilia æqui boni famam petit.

Neque

Neque me diuersa pars in ciuilibus armis mo- A uit à vero.

Haud impigrè, neque *inultus occiditur.

Festinantibus in *summa inopia patribus.

Hostes oppressi, aut *delapsi forent.

Exercitum argento *fecit.

Togam paludamento *mutauit.

Hiero rex Syracusa*norum bellum fecit.

Ibi triennio frustra *trito.

Quirites, multa mihi* pericula domi, militiæ multa aduorsa fuere, quorum alia toleraui. partim repuli Deorum auxiliis, & virtute mea, in queis omnibus, neque animus negotio defuit, neq. de- C cretis labor, malæ, secundęque res, opes non ingenium mihi mutabant: at contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere: prætere ea senectus per se grauis, curam duplicat: cui misero, senecta iam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet, nam, si parricida vestri sum, & vobis genitus hic Deos penates meos, patriamque, & summum imperium vilia habeo: quis mihi viuo cruciatus satis est, aut quæ pœna mortuo? cùm omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. à prima adolescentia in ore vestro, priuatus, & in D magistratibus egi: qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, vsi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciendum, exercui: auidissumus priuatæ gratiæ maxumas inimicitias pro repub. suscepi, qui victus cum illa simul, cùm egens alienæ opis, plura mala expectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam, Deos penates, cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis, vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. nã vita & mors E iura naturę sunt, vt sine dedecore cum ciuibus, fama & fortunis integer agas, id dono datur, atq. accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissuma repub. namque imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt: & id res cogit: quoniam post defectionem sociorum, & Sertorij per montes fugam, neque manu certare possunt, neq. vtilia parare: exercitus in Asia Ciliciaq. ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus F Italiæ maritima, & prouinciarum, cùm interim vectigalia parua, & bellis incerta vix partem sumtuum sustinent: ita classe, qua commeatus vehebatur, minore quàm antea nauigamus. hęc si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, & vti lubet ita supplicium sumite: sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis, nobisque, & rep. incipitis? Atque ego cuius ætati mors propior est, non deprecor si quid ea vobis incommodi demitur: neque mox ingenuo corpori honestius, quàm G pro vestra salute finem vitæ fecerit. Adsum en C. Cotta cõsul, facio quod sæpe maiores asperis bellis fecere, voueo, dedòque me pro republ. quam deinde cui mãdetis circumspicite: nam talem honorem bonus nemo volet, cùm fortunæ, & pacis, & belli ab aliis acti, ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. tantummodo in animis habetote, non me ob scelus, aut auaritiam cęsum, sed volentem pro maximis beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur, Quirites, & gloriam maiorum, tolerate aduersa, & consulite reipubl. multa cura summo imperio inest, multi ingẽtes labores: quos nequicquam abnuitis, & pacis opulentiam quæritis: cùm omnes prouinciæ, regna, maria, terraq. aspera, aut fessa bellis sint.

Aquis hyema*ntibus.

B Germani inte*ctum renonibus corpus tegunt.

Rum*ore primo.

Vnde pons in oppid*um pertinens explicatur.

Et ei voce magna v*ehementer gratulabantur.

Et Marius v*ictus duplicauerat bellum.

Atque eos à tergo in*currerunt.

In hunc modum dis*seruit.

Inde ortus sermo *percunctantibus vtrinque, Satin salue quàm grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augerentur.

Fugam no*stris fecere.

Quæ audita Pano*rmitanos dedere Romanis fecere.

Quo cupidius in ore *ducis sese quisq. bonum & strenuum ostentantes.

Ventis per cana terrę *citatis, rupti aliquot mõtes, tumulique sedere.

Vbi multa nefandè c*asu super ausi atque passi.

Sagun*tium.

Tota autem insula *modica, & cultoribus inanis est.

Immodicus *animi.

Sed Metellus* in vulnere.

Pugnam illam pro o*mine belli futuram.

Tantum antiquitatis, *curæque maioribus pro Italica gente fuit.

Opprobri*j gratia.

Maxumis ducibus, fo*rtibus, strenuisque ministris.

Non repugnantibus m*odò, sed ne deditis quidem A.B.C.M.

In silua S*ila fuerunt.

Quæs*iere.

In nuda inie*cta corpora.

Apollinis filia & Cyrenes.*

Ne simplici quidem morte moriebantur.*

Cùm prædixero positum insulæ.*

De pecore.*

Cuius aduersa voluntate, colloquio militibus præmisso, corruptio facta paucorum, & exercitus Sullæ datus est.*

A Graccho seditiones graues ortæ.*

M. Atilius Palicanus* humili loco, Picens, loquax magis quàm facundus.

Insolens vera accipiundi.*

Quæ pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.*

Curubis.*

Tharros.*

Camisos.*

Luces.*

Primam modo Iapydiam ingressus.*

Carbo turpi formidine, Italiam atque exercitum deseruit.*

Scio ego quàm difficile*, atque asperum factu sit, consilium date regi, aut imperatori, postremo cuidam mortali. cuius opes in excelso sunt: quippe enim & illis consultorum copiæ adsint: neque de futuro quisquam satis callidus, satisq. prudens sit. quinetiam sæpe praua magis, quàm bona consilia prosperè eueniunt, quia plerasque res fortuna ex lubidine sua agitat. sed mihi studium fuit adolescentulo rempub. capessere, atq, in ea cognoscenda, multam, magnamq. curam habui: non ita vt magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant, sed etiam vt remp. domi militiæque, quantumque armis viris, opulentia posset, cognitum haberem. itaq. mihi multa cum animo agitanti, consilium fuit, famam. modestiamq. meam post tuam dignitatem habere, & cuius rei lubet, periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriæ accederet: idq; me non temerè, aut ex fortuna tua decreui, sed quia in te, præter cæteras, artem vnam egregiè mirabilem cõperi, semper tibi maiorem in aduorsis quàm in secundis rebus animũ esse. sed per cæteros mortales, illa res clarior est, quòd & prius defessi sint homines laudando, atq. admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quæ gloria digna essent. equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto repetiri posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. neq. ego, quæ visa sunt de rep. tibi scripsi, quia mihi consilium, atque ingenium meum amplius æquo probaretur, sed inter labores militiæ, interque prælia victorias, imperium statui admonendum te de negotiis vrbanis. namque tibi si id modo in pectore consilij est, vt te ab inimicorum impetu vindices, quoque

A modo contra aduersum cõsulem, beneficia populi
retineas: indigna virtute tua cogites. sin in te ille
animus est, qui iam à principio nobilitatis factio-
nem disturbauit, plebem Romanam ex graui ser-
uitute in libertatem restituit. in prætura inimico-
rum arma inermis disiecit, domi militiæq. tanta &
tam præclara facinora fecit, vt ne inimici quidem
queri quidquam audeat, nisi de magnitudine tua:
quin accipe tu ea quæ dicam de summa reip. quæ
profectò aut tu vera inuenies, aut certè haud pro-
B cul à vero. Sed quoniam Cn. Pompeius, aut animi
prauitate, aut quia nihil maluit, quàm quod tibi
obesset, ita lapsus est, vt hostibus tela in manus ia-
ceret: quibus ille rebus remp. conturbauit, eisdem
tibi restituenda est. Primum omnium summam
potestatem moderandi de vectigalibus, sumptibus,
iudiciis senatoribus paucis tradidit, plebem Ro-
manam, cuius antea summa potestas erat, nosque
his quidem legibus in seruitute reliquit. iudicia
tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sint,
C tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt,
quę lubet innocentes circumueniunt: suos ad ho-
norem extollunt. non facinus, non probrum aut
flagitium obstat, quo minus magistratus capiant:
quod commodum est, trahunt, rapiunt, postremò,
tanquam vrbe capta, lubidine ac licentia sua pro
legibus vtuntur. Ac me quidem mediocris dolor
angeret, si virtute partam victoriam more suo per
seruitium exercerét. sed homines inertissimi, quo-
rum omnis vis, virtusq. in lingua sita est, forte atq.
D alterius socordia dominationẽ oblatam insolen-
tes agitant. nam quæ seditio, ac dissensio ciuilis
tot, tamque illustres familias à stirpe euertit? aut
quorum vnquam victoria animus tam præceps,
tamque immoderatus fuit? L. Sulla, cui omnia in
victoria lege belli licuerũt, tametsi à Sulpitio ho-
stium partis muniri intelligebat: tamen paucis in-
terfectis, cæteros beneficio, quàm metu retinere
maluit. at hercule nunc cum Catone, L. Domitio,
cæterisq. eiusdem factionis, quadraginta senato-
res, multi præterea cum spe bona adolescentes,
E sicuti hostiæ, mactati sunt, cùm interea importu-
nissima genera hominum tot miserorum ciuium
sanguine satiari nequiuerunt: nõ orbi liberi, non
parentes exacta ætate, non gemitus virorũ, luctus
mulierum, immanem eorum animum inflexit,
quin acerbius in dies malè faciundo, ac dicundo,
dignitate alios, alios ciuitate euersum irent. Nam
quid ego de te dicam, cuius contumeliam homi-
nes ignauissumi vita sua commutare volunt? sci-
licet neque illis tantæ voluptati est, tametsi inspe-
F rantibus accidit, dominatio quanto mœrori tua
dignitas? qui optatius habent ex tua calamitate
periculum libertatis facere, quàm per te populi
R. imperium maxumũ ex magno fieri. quo magis
tibi etiam atq. etiam animo prospiciundum est,
quonam modo rem stabilias, communiasque mihi
quidem, quę mens suppetit, eloqui non dubitabo.
cætera tui erit ingenij probare, quæ vera, atque
vtilia factu putes. In duas partes ego ciuitatẽ di-
uisam arbitror, sicut à maioribus accepi, in patres,
G & plebem. antea in patribus summa auctoritas e-
rat, vis multo maxuma in plebe. itaq. sæpius in ci-
uitate secessiò fuit: semperq. nobilitatis opes di-
minutæ sunt & ius populi amplificatum. sed plc-
bes eo liberè agitabat, quia nullius potẽtia super
leges erat, neq diuitiis, aut superbia, sed bona fa-
ma, factisq. fortibus nobilis ignobilem anteibat:
humillimus quisque in armis aut militia, nullius

I ho-

honestæ rei egens, satis sibi, satisq. patriæ erat. sed vbi eos paullatim expulsos agris, inertia, atq. inopia incertas domos habere subegit: cœpere alienas opes petere, libertatem suam cum repub. venalem habere. ita paullatim populus, qui dominus erat, & cunctis gentib. imperitabat, dilapsus est, & pro communi imperio, priuatam sibi quisq. seruitutem peperit. Hæc igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artis, vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidē idonea videtur ad capessundam remp. cæterum additis nouis ciuibus, magna me spes tenet fore, vt omnes expergiscantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his seruitutis amittundæ cura orietur. Hos ego censeo permultos cum veteribus nouos, in coloniis constituas, ita & res militaris opulentior erit, & plebes bonis negotiis impedita, malum publicum facere desinet. Sed non insciens, neq. imprudens sum, cùm ea res agetur, quæ sæuitia, quæve tempestates hominum nobilium futuræ sint: cum indignabuntur omnia funditus misceri, antiquis ciuibus hanc seruitutem imponi: regnum deniq. ex libera ciuitate futurū, vbi vnius munere multitudo ingens in ciuitatem peruenerit. equidem ego sic apud animum meum statuo, malū facinus in se committere, qui incommodo reip. gratiam sibi conciliet: vbi bonum publicum etiam priuatim vsui est, id verò dubitare aggredi, socordiæ atque ignauiæ duco. M. Liuio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate, neque vllam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent homines factiosi, quibus dolus atque malitia, fide cariora erant. vbi intellexerunt per vnum hominem maxum im beneficium multis mortalibus dari: videlicet & sibi quisq. conscius, malo atque de infido animo esse, de M. Liuio Druso iuxta ac de se, existumauerunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eam nixi, sua ipsius consilia disturbauerunt. quo tibi Imperator maiore cura, fideque amici, & multa præsidia paranda sunt. hostem adorsum opprimere strenuo homini haud difficile est: occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promptu est. Igitur vbi eos in ciuitatem adduxeris, quoniam quidem renouata plebe erit, in ea re maxumè animum exercitato, vt colantur boni mores, concordia inter veteres, & nouos coalescat. sed multo maxumum bonū patriæ, ciuibus, tibi, liberis, postremo humanæ genti pepereris, si studium pecuniæ aut sustuleris, aut quoad res feret, minueris. aliter neq. priuata res, neque publica, neq. domi, neque militiæ regi potest. nam, vbi cupido diuitiarum inuasit, neq. disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum satis pollet: quin animus magis, aut minus maturè, postremo tamen succumbit. Sæpe iam audiui, qui reges, quæ ciuitates & nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant. id adeo haud mirandum est. nam vbi bonus deteriorem diuitiis magis clarum, magisque acceptum videt, primo æstuat, multaque in pectore voluit: sed vbi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit, animus ad voluptatem à vero deficit. QVIPPE gloria industria alitur: vbi eam dempseris, ipsa per se virtus amara, atque aspera est: post emò vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. NAM ad virtutem

vna & ardua via est: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur: & malis, & bonis rebus ea creatur: ergo in primis auctoritatem pecuniæ dimico. neq. de capite, neq. de honore ex copiis quisquam magis, aut minus iudicauerit: si neq. prætor, neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. sed de magistratu facilè populi iudicium fit. iudices à paucis probari regnum est: ex pecunia legi inhonestum. quare omnes primæ classis iudicare placet, sed numero plures quàm iudicant. neque Rhodios, neq. alias ciuitates vnquam suorum iudiciorum pœnituit, vbi promiscuè diues, & pauper, vt cuiq. fors tulit, de maxumis rebus iuxta, ac de minimis disceptant. sed de magistratib. creandis haud mihi quidem absurdè placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgauerat, vt ex confusis quinq. classibus fortè centuriæ vocarentur. ita coæquati dignitate, pecunia, virtute alius alium anteire properabit, nec ego magna remedia cōtra diuitias statuo: nam perinde omnes res laudantur, atque appetuntur, vt earum rerum vsus est: malitia præmiis exercetur. vbi ea dempseris: nemo omnium gratuito malus est: ceterum auaritia, bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana, atque domos vastat: diuina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret: famam, pudicitia, liberis, patria atq. parentibus cunctos mortales spoliat. Verum si pecuniæ decus ademeris, magna illa vis auaritiæ facile bonis moribus vincetur, atque hæc ita sese habere, tametsi omnes, æqui, atque iniqui memorent, tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est. cuius si dolum caueris, alia omnia in procliui erunt. nam hi si virtute satis valerent, magis æmuli bonorum quàm inuidi essent. quia desidia, atque inertia, & stupor eos atque torpedo inuasit: strepūt, obtrectant, alienam famam suum dedecus existimant. Sed quid ego plura, quasi de ignotis, memorem? M. Bibuli fortitudo, atque animi vis in consulatum erupit: hebes lingua, magis malus quàm callidus ingenio, quid ille audeat, cui consulatus maxumum imperium maxumo dedecori fuit? An L. Domitij magna vis est, cuius nullum membrum à flagitio, aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces quæ honeste nominari nequeunt, inhonestissuma. Vnius tamen M. Catonis versutum ingenium loquax, callidum, haud contemno: parantur hæc disciplina Græcorum: sed virtus, vigilantia, labos, apud Græcos nulla sunt, quippe cùm domi libertatem suam per inertiam amiserint, censésne eorum præceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissumi nobiles, in quibus, sicuti in statua, præter nomen, nihil est additamenti. L. Posthumius, & M. Fauonius mihi videntur quasi magnæ nauis supervacanea onera esse, vbi salui peruenere visi sunt, si quid aduersi coortum est, de illis potissimum iactura fit, quia pretij minimi sunt. Quoniam nunc, vt mihi videor, de plebe renouanda corrigendaque disserui: de senatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi ætas, ingeniumque adoleuit, haud ferme armis, atque equis corpus exercui, sed animum in literis, quòd natura firmus erat, in laboribus habui, atque ego in ea vita multa audiendo, atque legendo ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vero con-

silia valuerunt. vbicunque gratia, timor, voluptas, ea corrupêre, post paullo immunitæ opes: deinde ademtum imperium, postremò seruitus imposita est. equidem ego sic apud animum meum statuo, cuicunque in sua ciuitate amplior, illustriorq. locus quàm aliis est, ei magnam curã esse reip. nam cæteris, salua vrbe, tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi diuitias, decus, honorem pepererunt, vbi paullũ inclinata resp. agitari cœpit multipliciter animus curis, atque laboribus fatigatur, aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarẽ defensat: omnibus locis adest, festinat: quanto in secũdis rebus florentior fuit, tanto in aduorsis asperius, magisq. anxiè agitat. Igitur vbi plebes senatui, sicut corpus animo, obedit, eiusq. consilia exsequitur, patres cõsilio valere decet, populo superuacanea est calliditas. Itaque maiores nostri, cum bellis asperrimis premerentur: equis, viris, pecunia amissa, nunquam defessi sunt armati de imperio certare: non inopia ærarij, non vis hostium, non aduorsa res ingentem eorum animum subegit, quin quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. atque ea magis fortibus consiliis, quàm bonis prœliis patrata sunt, quippe apud illos vna resp. erat, ei consulebant, factio contra hostes parabatur, corpus atque ingenium patriæ non suę quisq. potentiæ exercitabat. at hoc tempore contra homines nobiles, quorum animos socordia atque ignauia inuasit ignari laboris, hostium, militiæ, domi, factione instructi, per superbiam cũctis gentibus moderantur. Itaque patres, quorum antea consiliis dubia respub. stabiliebatur, oppressi ex aliena lubidine huc atque illuc fluctuantes, agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt: vti eorum, qui dominantur, simultãs, ac arrogantia fert, ita bonum, malumque publicum existumant. quod si aut libertas æqua omnium, aut sententia obscurior esset, maioribus opibus respub. & minus potens nobilitas esset, sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile est quippe cum illis maiorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitates, clientelas: cetera multitudo pleraque inscia, sit sententia eorum à metu libera, ita occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. LIBERTAS iuxta bonis & malis, strenuis & ignauis optabilis est. verum eam plerique metu deserunt, stultissimi mortales, quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam feret. tabella obtentui erit, quò magis animo libero facere audeat: in multitudine & præsidij plus, & vsus amplior est. nam fere his tempestatibus, alij iudiciis publicis, alij priuatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sanè reipub. consiliis adfuerunt. neque eos magis occupatio quàm superba imperia distinuere. homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quæcunq. lubuit probare, reprehendere, decernere, ea, vti libido tulit fecere. verum vbi, numero senatorum aucto per tabellam sententiæ dicentur, illi superbiam suam dimittent, vbi iis obediendum erit, quibus antea crudelissimè imperitabãt. forsitan Imperator perlectis litteris decernes quem numerum senatorum fieri placeat, quoque modo in multa & varia officia distribuatur: & quoniam iudicia primæ classis mittenda putem, quæ descriptio, qui numerus in quoque genere futurus sit, ea mihi omnia

A generatim describere haud difficile factu fuit: sed prius laborandum visum est de summa cõsilij: idque tibi probandum verum esse. si hoc itinere vel decreueris, cetera in promptu erunt. volo ego cõsilium meum prudens, maxumeque vsui esse. nam vbicunque tibi res prosperè cedet: ibi mihi bona fama eueniet. sed me illa magis cupido exercet, vt quocunque modo, & quamprimum resp. adiuuetur, libertatem gloria cariorem habeo. atq. ego te oro hortorque, ne clarissimus Imperator Galli-
B ca gente subacta P. R. summum atque inuictum imperium tabescere vetustate, ac per summam discordiam dilabi patiaris. profectò si id accidat, neque tibi nox, neque dies curam animi sedauerit: quin in somniis excitus furibundus, atque amens alienata mente feraris. namq. mihi pro vero constat omnium mortalium vitam diuino numine inuisi: neque bonum, neque malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi: sed ex natura diuersa præmia bonos, malosque sequi. interea fortè
C eà tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem præbet. quod si tecum patria, atque parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent: O Cæsar, nos te genuimus fortissimi viri in optuma vrbe, decus, præsidiumque nobis. hostibus terrorem, quæ multis laboribus & periculis ceperamus, ea tibi nascẽti cum anima simul tradidimus, patriam maximam in terris, domum, familiamque in patria clarissimam, præterea bonas artes, honestas diuitias, postremo omnia honestamenta pacis,
D & præmia belli. pro his amplissumis beneficiis, non flagitium à te, neq. malum facinus petimus, sed vti libertatem euersam restituas. qua re patrata, profectò per omnes gentes fama virtutis tuę volitabit. namque hac tempestate, tametsi domi, militiæque præclara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est, si verò vrbem amplissimo nomine, & maxumo imperio, propè iam ab occasu restitueris, quis te clarior? quis te maior in terris fuerit? quippe si morbo
E iam, aut fato, secus huic imperio accidat, cui dubium est quin per orbem terrarum vastitas, bella cædes oriantur? quod si tibi bona lubido fuerit patriæ, parentibus gratificandi, postero tempore rep. restituta, super omnes mortales gloria agnita, tuaque vnius mors vita clarior erit. nam viuos, interdum fortuna, sæpe inuidia fatigat: vbi anima naturæ cessit, demtis obtrectatoribus ipsa se virtus magis, magisque extollit. Quæ mihi vtilia factu visa sunt, quæque tibi vsui fore credidi, quàm
F paucissimis potui, perscripsi. ceterum Deos immortales obtestor, vt quocunq. modo ages, ea res tibi reique publicæ prosperè eueniat.

*

Quæ pacta in conuentione non præstitissent.

*

Crebritate fluctuum vt Aquilo solet.

*

Mithridates corpore ingenti perinde armatus.

*

G Tyrannumque, & Cinnam appellantes.

*

Nomenque Danubium habet.

*

Cui nisi pariter obuiam iretur.

*

Septimium, neq. animo, neq. lingua satis compotem.

Vulgus amat fieri.

Serum bellum in angustiis futurum.

Ipse ab his omnes euocatos,& centuriones.

Non pœniturum.

Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu:cum validis vecte certabat. neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se, & milites frequentibus exercitiis præparauisset ad prælia.

Cicero caninam facundiam, vt Appius inquit, exercuit.

Primus Græcorum Achilles.

Cupientissimus legis.

Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno vsu bello Marsico, paratu militum,& armorum fuit, multaque tum ductu eius, curata, quæ rapta primò per ignobilitatem, deinde per inuidiam scriptorum celebrata sunt. quæ eminus faciem suam ostentabant, aliquot aduersis cicatricibus,& effosso oculo, quo ille dehonestamento corporis maximè lætabatur: neque illis anxius, quia reliqua gloriosius retinebat.

Quia principes intelligendi diuina fuerunt, vetustatem, vt cætera in maius componentem altores Iouis celebrauisse.

Italiam coniunctam Siciliæ constat fuisse; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut propter angustiam scissum.

Pompeius deuictis Hispanis trophæa in Pyrenæis iugis constituit.

Atque edita vndique tribus tamen eum muris, & magnis turribus.

Et in prœliis actu promptus.

Pactione amissa Publio legato.

Mare Ponticum dulcius quàm cætera.

Equis paria ornamenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ aduexerant.

Rebus supra modum fluentibus.

Aenum & Maroneam, & viam militarem.

Impediebant iussa nautarum.

Nihil socordia claudebat.

Vt tanta repentè mutatio non sine Deo videretur.

In ore gentibus agens, populo, ciuitati.

Pressi vndique multitudine.

Hunc igitur redarguit Tarquinius.

A Dein campi Thrcicei, quos habuere Amazones à Tanai flumine incertum quamobrem digressæ.

Vbi cum tota concione ab exercitu cogit discedere, dicit se eius opera non vsurum: eumque ab armis dimittit.

Et Metello procul agente longa spes auxiliorum.

B More equestris prælij sumtis tergis, atque redditis.

Castra sine vulnere introitum.

Regressi ad faciliores ictus loco cedebant.

Multos tamen ab adolescētia bonos insultauit.

C Cosa.

Equis, atque armis insignibus.

Fessus in Pamphyliam se receperat.

Profectus quidam Ligus ad requisita naturæ.

Apud latera certos collocauerat.

D Segnior, neque minus grauis, sed multiplex cura.

Apertæ portæ, repleta arua cultoribus.

Hispaniam sibi antiquam patriam esse.

Lyciæ, Pisidiæque agros despectantem.

Sorte ductos fusti necat.

E Omnis Italia coacta in angustias scinditur in duo promontoria, Brutium, & Salentinum.

Italia plana ac mollis.

Qua tempestate, ex Ponto vis piscium erupit.

Introrsus prima Asiæ Bithynia est, multis antea nominibus appellata.

F Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus matre veneno interfecta.

Exercitum vertere.

Creta altior est qua parte spectat Orientem.

Se regibus deuouent: & post eos vitam refutāt, adeo illis ingenita est sanctitas regij nominis.

G Populus Ro. antea obtinebat regna atq. imperia, fortunam dono dare, item alia quæ per mortaleis auidè cupiuntur: quia & apud indignos sæpe erant quasi per libidinem data, neq. cuiquam incorrupta permanserant. sed res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, Fabrum esse suæ quemque fortunæ, atque in te maxime: qui tantum alios prætergressus, vt prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude di-

gna faciendo. ceterum vt fabricata sic virtute parta, quam magna industria haberi decet, ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. nemo enim alteri imperium volens concedit, & quamuis bonus, atque clemens sit, qui plus potest, tamen quia malo esse licet, formidatur. id euenit, quia pleriq. rerum potentes peruersè consulunt, & eo se munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. at contra id eniti decet, cùm ipse bonus, atque strenuus sis, vti quàm optimis imperites. nam pessimus quisque asperrimè rectorem patitur, sed tibi hoc grauius est, quàm ante omnibus te, armis parta componere, bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc victores prædam petunt: victi ciues sunt. inter has difficultates euadendum est tibi, atque in posterum firmanda respub. non armis modo, neq. aduorsum hostes, sed quod multo maius multoque asperius est, bonis pacis artibus. ergo omnes magna mediocriq. sapientia res huc vocat: quæ quisq. optima potest, vti dicat. ac mihi sic videtur, qualicunque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura. sed iam quo melius, faciliusq. constituas: paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, Imperator cum homine claro, magnis opibus, auido potentiæ, maiore fortuna quàm sapientia. quem secuti sunt pauci per suam iniuriam tibi inimici, item quos affinitas, aut alia necessitudo traxit. nam particeps dominationis neq. fuit quisquam: neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. cetera multitudo vulgi, more, magis quàm iudicio, post alius alium quasi prudentiorē secuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupandæ reipub. in spem adducti homines, quibus omnia probro, ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua & apertè quietis mortem, rapinas, postremo omnia, quæ corruptus animus iubebat, minitari, ex queis magna pars, vbi neq. creditum condonare, neque te ciuibus, sicuti hostibus, vti videre, defluxere. pauci restitere, quibus maius otium in castris, quàm Romæ futurum erat; tanta vis creditorum impendebat. sed ob easdem caussas immane dictu est: quanti & quàm multi mortales postea ad Pompeium discesserint, eoque per omne tempus belli quasi sacro, atq. inspoliato fano debitores vsi. Igitur, quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est, hoc vti ciuiliter deponas, illa vt quàm iustissima & diuturna sit: de te ipso primum, quia compositurus es, quod optimum factu est, existima. equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna arbitror: neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum atque anceps gerere. quoniam neque aduersus, neque ab tergo, aut lateribus tutus sis: semper in periculo aut metu agites: contrà qui benignitate, & clementia imperium temperauere, his læta, & candida omnia visa: etiam hostes æquiores quàm aliis ciues. an qui me his dictis corruptorem victoriæ tuæ, nimisque in victos bona voluntate prædicent, scilicet quod ea quæ externis nationibus natura hostibus, nosque, maioresque nostri sæpe tribuere, ea ciuibus danda arbitror: neque barbaro ritu cæde cædem & sanguine sanguinem expiandum. an illa, quæ paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium, victoriamque Sullanam increpabantur, obliuio abstulit? interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, ne-

A que in prælio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos: plebem Romanam in villa publica pecorum modò conscissam, seu quàm illa occulta ciuium funera, & repentinæ cædes in parentum, aut liberorū sinum, fuga mulierum & puerorum, vastatio domorum, ante partam à te victoriam omnia sæua atque crudelia erant. ad quæ te illi iidem hortantur: & scilicet id certatum esse vtriusque vestrum arbitrio, iniuriæ vt fierent: neque receptam sed captam à te remp. B & ea caussa exercitus stipendiis confectis optimos, & veterrimos omnium aduorsum fratres parentesq., alij liberos armis contendere: vt ex alienis malis deterrimi mortales ventri, atque profundæ libidini sumtus quærerent, atque essent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. neque enim te præterire puto, quali quisq. eorum more, aut modestia: etiam tum dubia victoria sese gesserit: quoque modo in belli administratione scorta, aut conuiuia exercuerint nonnulli, C quorum ætas ne per otium quidem tales voluptates sine dedecore attigerit. De bello satis dictum. De pace firmanda, quoniam tuque, & omnes tui agitatis: primum id quæso considera quale id sit de quo consultas. ita bonis, malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate vrbi Romanæ fatum excidij aduentarit, ciues cum ciuibus manus consertures: ita defessos, & exsangueis regi, aut natio- D ni prædæ futuros. aliter non orbis terrarum, neq. cunctæ gentes conglobatæ mouere, aut contundere queunt hoc imperium. firmanda igitur sunt concordiæ bona, & discordiæ mala expellenda. id ita eueniet, si sumtuum, & rapinarum licentiam dempseris. non ad vetera instituta reuocans, quæ iampridem corruptis moribus, ludibrio sunt. sed si suam cuiq. rem familiarem & finem sumtuum statueris quoniam is incessit mos, vt homines adolescentuli, sua atque aliena consumere, nihil lubidini, atq. aliis rogantibus denegare pulcherrumum E putent: eam virtutem, & magnitudinem animi pudorem, atque modestiam pro socordia æstument: ergo animus ferox praua via ingressus, vbi cōsueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in ciueis, mouet composita, & res nouas veteribus acquirit: quare tollendus fœnerator in posterum, vti suas quisq. res curemus. ea vera, atque simplex via est, magistratum populo non creditori gerere, & magnitudinem animi in addendo nō demendo reip. ostendere. ego scio, F quàm aspera hæc res in principio futura sit, præsertim iis, qui se in victoria licentius, liberiusque quàm arctius futuros credebant, quorum si saluti potius quàm lubidini consules, illosque, nosque, & socios in firma pace constitues: si eadem studia, artesque iuuentuti erunt, nę ista egregia tua fama simul cum vrbe Roma breui concidet. postremo sapientes pacis caussa bellum gerunt, laborem spe otij sustentant. nisi illam firmam efficis, vinci an vicisse quid retulit? quare capesse, per deos rem- G publ. & omnia aspera, vti soles, peruade. namque aut tu mederi potes, aut omittunda est cura omnibus. neq. quisquam te ad crudeleis pœnas, aut acerba iudicia inuocat, quibus ciuitas vastatur magis quàm corrigitur, sed vt prauas artis, malasque libidines ab iuuentute prohibeas. ea verò clementia erit, consuluisse ne immerito ciues patria expellerentur, retinuisse ab stultitia, & falsis volu-

voluptatibus, pacem, concordiamque ſtabiliuiſſe: non flagitiis obſecutus delicta perpeſſus, præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris. Ac mihi animus, quibus rebus alij timent, maximè erectus eſt negotij magnitudine: & quia tibi terræ, & maria ſimul omnia componẽda ſunt (quippe res paruas tãtum ingenium attingere nequit) magnæ curæ magna merces eſt. Igitur prouideas oportet, vti plebes, largitionibus, & publico frumẽto corrupta, habeat negotia ſua, quibus ab malo publico detineatur. iuuentus probitati, & induſtriæ, non ſumtibus, neque diuitiis ſtudeat. Id ita eueniet, ſi pecuniæ, quæ maxima omnium pernicies eſt, vſum atque decus demſeris, nam ſæpe ego cum animo meo reputans, quibus quiſq. rebus clariſſimi viri magnitudinem inueniſſent: quęque res populos, nationéſve magnis auctoribus auxiſſent. ac deinde quibus cauſſis ampliſſima regna & imperia corruiſſent, eadem ſemper bona, atque mala reperiebam, omneſq. victores diuitias contempſiſſe, & victos cupiuiſſe: neq. aliter quiſquam extollere ſeſe & diuina mortalis attingere poteſt, niſi omiſſis pecuniæ, & corporis gaudiis animo indulgens, non aſſentando, neque concupita præbendo peruerſam gratiam gratificans, ſed in labore, patientia, boniſque præceptis, & factis fortibus exercitando: nam domũ aut villam inſtruere, eamque ſignis, aulæis, aliiſque operibus exornare, & omnia potius quàm ſemet viſendum efficere id eſt non diuitias decori habere, ſed ipſum illis flagitio eſſe. porro ij, quibus bis die ventrem onerare, nullã noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt, vbi animum, quem dominari decebat, ſeruitio oppreſſer e, nequaquam eo poſtea hebeti, atque claudo pro exercitio vti volunt. nam imprudentia pleraque & ſe præcipitant. Verùm hæc, & omnia mala pariter cum honore pecuniæ deſinent. ſi neque magiſtratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc prouidendum eſt, quonam modo Italia, atq. prouinciæ tutiores ſint: id quod factu haud obſcurum eſt, nam iidem omnia vaſtant, ſuas deſerundo domos, & per iniuriam alienas occupando: item ne, vti adhuc militia iniuſta aut inæqualis ſit, cùm alij triginta, pars nullum ſtipendium faciet, & frumentum id, quod antea præmium ignauiæ fuit, per municipia, & colonias illis dare conueniet, cùm ſtipendiis emeritis domos reuerterint. Quæ reipubl. neceſſaria, tibique glorioſa ratus ſum, quàm pauciſſimis abſolui. non peius videtur pauca nunc de facto meo diſſerere. Plerique mortales ad iudicandum ſatis ingenij habent, aut ſimulant: veruntamen ad reprehendenda illorum facta, aut dicta ardet omnibus animus, vix ſatis apertũos, aut lingua prompta videtur, quæ dicta pectore euoluat. quibus me ſubiectum haud pœnitet, magis reticuiſſe pigeret. nã ſiue hac, ſeu meliore alia via perges, à me quidem pro virili parte dictum, & adiutum fuerit. Reliquum eſt optare, vti, quæ tibi placuerint, ea Dij immortales approbent, beneque euenire ſinant.

* * *

INCERTA IN QVIBVS HISTORIARVM LIBRIS, ET QVIBVS VERBIS A SALLVSTIO SCRIPTA SINT.

OMNIVM fluminum qua in maria quæ imperium Romanũ eſt, fluunt, quam Græci τὴν ἔσω θάλασσαν appellant, maximum eſſe Nilum conſentitur: proxima magnitudine eſſe Hiſtrum ſcripſit Salluſtius.

* Ex omnibus quæ tractauimus, Acbuti Liberalis, poteſt videri nihil tam neceſſarium, aut magis, vt ait Salluſtius, cum cura dicendum, quàm quod in manibus eſt.

* Turbinum motus vagus eſt, & diſiectus, &, vt Salluſtij verbis vtar, verticoſus, cometarum autem compoſitus, & certum iter carpens.

* Salluſtius, auctor certiſſimus, aſſerit Tigrim, & Euſratem vno fonte manare in Armenia, qui per diuerſa euntes longius diuidantur ſpatio medio relicto multorum milium, quæ tamen terra, quæ ab ipſis ambitur, Meſopotamia dicitur.

* Pelorum, promontorium Siciliæ reſpiciens Aquilonem iuxta Salluſtium dictum à gubernatore Hannibalis illic ſepulto, qui fuerat occiſus per ignorantiam regis, cùm ſe eius dolo crederet eſſe deceptum.

* Ariſtæus, vt Salluſtius docet, poſt laniatum à canibus Actæonem filium, maris inſtinctu Thebas reliquit, & Ceam inſulam tenuit, primò adhuc hominibus vacuam: poſtea, ea relicta, cum Dædalo in Sardiniam tranſiuit, poſt delatus eſt Cumas.

* Salluſtius duces laudat, qui victoriam incruento exercitu deportarunt.

* Cares inſulani populi fuerunt, piraticam exercentes, famoſi, victi à Minoe, vt Salluſtius, & Thucydides tradunt.

* A Troia Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alij Sardiniam, ſecundum Salluſtium, tenuerunt.

Dardania à Dardano * Iouis & Electræ filio, aut secundum Sallustium à Mida Dardanorum rege, qui Phrygiam tenuit.

Charybdis secundum * Sallustium, circa Tauromenitanum egerit litus.

Sallustius Scyllam * saxum esse dicit simile formæ celebratæ procul visentibus.

In Sicilia est Enceladus, * Othus in Creta, secundùm Sallustium.

Sallustius ait Hispanorum * morem fuisse, vt in bella euntibus iuuenibus parētum facta memorentur à matribus.

Orion, iuxta Sallustium, * oritur iuxta solis æstiui pulsum.

In Flaminia est ciuitas * quæ Cale dicitur, & in Gallia hoc nomine, quam Sallustius à Perpenna captam commemorat.

Sallustius * dicit de Lucanis, quòd de vimine facta scuta coriis tegebant.

Getæ sunt Mysij, * quos Sallustius à Lucullo dicit esse superatos.

Troianorum tempore * inuadendarum terrarum caussa fuerat nauigatio, vt Sallustius meminit.

Curribus falcatis vsos * esse antiquos Liuius & Sallustius docent.

Vices significant pugnam, * quia per vicissitudinem pugnabatur, vt inquit Sallustius.

Creta medio iacet * insula Ponto, id est, secundum Sallustium, procul à continenti.

Primo mense veris * dicitur nouum ver, secundo ver adultum, tertio præceps, secundum Sallustium.

PORCII LATRONIS DECLAMATIO CONTRA L. SERGIVM CATILINAM.

SI QVID precibus apud deos immortales, sanctissimi iudices, vobiscum aliquando valuissemus, iamdudum & poteremur repub. nostra florentissima, & ciues nostros haberemus tum studiosos rerum gerendarum, tum patriæ simul, ac virtutis amantissimos: idque temporis eximia lætitia frueremur, cùm rationes omneis dicendi nostras in laudem summorum, atque optimorum ciuium consumendas esse videremus: nihil enim statuimus animo dignius, nec autoritate maiorum, nec opinione populari, quam in eo genere versari forensis exercitationis, quæ canere laudes egregias summorum hominum posset, atque animos inflammare nostræ ciuitatis ad imitandum. verum dicendi voluptas olim sapientissimo viro M. Catoni planè contigerit, necnon & Galbæ, Scipioni, Græcis, Porcinæ, Crasso, atq. Antonio, summis atque ornatissimis oratoribus: quorum tempora, singulari præstantia virtutis, ac studio pene incredibili pulcherrimarum artium floruerunt. nobiscum verò sententia nostra bene ageretur: si modò tantum abessemus ab illa modestia temporum, atque hominum: nec incidissemus in atrocissimos reipubl. fluctus, ac miserandam temporum calamitatem. Marco siquidem Catoni, & Scipioni coætaneo suo, monumentis immortalibus huius vrbis, & sine dubio clarissimis luminibus temporum suorum, de legibus dicendum erat, de institutis maiorum, de gloria militari, persæpe de laudibus, ac victoriis: nobis verò, qui deuenimus in hanc truculentam temporum conditionem, sublata est omnis gratia dicendi, atque interceptus locus omnis, aut iucundissimi sermonis, aut conciliandæ beneuolentiæ popularis. nam si quando vox nostra, siue à foro siue à curia desideratur, dicendum est perpetuo nobis, aut de teterrimis huius patriæ calamitatibus, aut de nefariis oppressionibus ciuium, aut de perditæ iuuentutis nunc impudicitia flagitiosa, nunc ignauia singulari. quare pestium quanta in dies redundatio est, vos estis testimonio iudices, quorum aures calluerunt assiduitate pene quotidiana, copiaque incredibili ciuilium contionatorum. Diximus equidem paucis ante diebus, vt probè meminisse potestis, de L. Glabrionis immanitate, atque audacia furiosissimi hominis, & sine dubio crudelissimi: cuius in senatu sica pridie deprehensa est, qua M. Papirium, lucem omnis patriciæ dignitatis, extinguere moliebatur. nunc verò dicendum est de L. Catilinæ sceleratissima mente, atque inusitata nequitia, quam nuper in omnium ciuium perniciem, stragemque redundaturam, dij immortales in auctorē sceleris, tum benignitate sua, tum consulari vigilia, retorserunt. quæso igitur, iudices, diligenter attendite, remque cognoscite barbaram crudelitate, periculo verò & calamitate reipub. perniciosissimam. Lucius siquidem Catilina non ignobili genere præditus, neque infima virtute, si dotes egregias tum fortunæ, tum corporis ad dignitatem vrbis, non ad perniciem conferre statuisset, rempubl. nuper ex atrocissimis bellorum ciuilium vulneribus paulisper

lisper respirantem nouis insidiis opprimere conatus est. quid exhorruistis, iudices? non modo opprimere conatus est, sed crudelissimè vexare, non vexare tantùm, sed inaudito quodam genere feritatis extinguere. manú ad id comparat, diuersam quidem genere, sed magnitudine sceleris, vitæq; te similitudine pene eadem: quam exacerbatam continua penuria rei familiaris, & ob id desiderio prædæ mirabiliter flagrantem, illecebræ sibi facillimè conciliauerunt. consilia nefarij facinoris in amplissimi ciuis M. Lææ domo decoquebantur; ad eam greges confluebant perditorum adolescentium, quorum hic familiaritatem eximiam consecutus fuerat, conciliatam partim assuetudine stupri, partim genere quodam nefariæ largitionis adhibiti sunt, & cœtus barbarorum hominum, nobilitati non solum magnitudine, & summa æris alieni, verum etiam consuetudine, & studio turpissimarum rerum, nec aliæ mulieres ab eo cœtu religioso, nocturno, prorsus abfuisse indicatæ sunt. nulla denique portenta vrbis, nullæ finitimarum regionum pestes repertæ sunt, quæ non denotatæ solertissimè per hunc, per magnitudinem inopiæ facillime concitatæ repente deuolauerint in aream ipsam nefariæ, atque flagitiosæ coniurationis. Ratio consiliorum fuit, vt Saturnalibus proxime futuris, vniuersi cum armis ad ipsius Lææ domum præsto forent: ibique dato signo collaberentur omnes, partim ad diripiendam inflammandamque vrbem, partim ad trucidandum senatum, partim ad eos conficiendos, qui præsidium vrbi ferre voluissent, Catilinam interim omnes & ducem, & imperatorem appellarét. Audistis, iudices, satis euidenter, vt arbitror, consilium sceleratissimi hominis Catilinæ, reique indignissimæ miserabilem, ac detestabilem crudelitatem, nunc verò audiunda caussa est, agnoscendæque faces, quibus ille flagrauit ad cupiditatem huiusmodi scelerati facinoris obeundam. quas si planè comprobatas vobis, vt arbitror, planeque illustratas euidentibus signis attulero, nihil erit impedimento, quin hostem reip. crudelissimum, atq. infestissimum summis suppliciis, summis cruciatibus mactandum, ac mactandum esse iubeatis. Tria, iudices, sententia mea, scelerata, crudelia, flagitiosá, inaudita, quæ mentem Catilinę semper immoderatam, semperque nouis rebus studentem, ad exitium patriæ commouerunt, nunc dicenda sunt. primum, ratio quædam tristis simultatis, qua ductus, vniuersum senatum ex memoria repulsæ consulatus capitaliter fuit semper insectatus. secundo rabies quædam temerariæ ambitionis, sitiens immodicæ gloriæ, prorsusque inflammata perpetua quadam, & singulari cupiditate dominandi. postremo, cœtus infames turpissimorum hominum non modo fatigati diuturno malo domesticæ necessitatis, verum etiam imbuti flagitiis, ac consuetudine scelerum, sempiterna comite, & genitrice pessimarum cupiditatũ. quod genus hominũ Catilinam suum etiam dormientem, è somno facillimè excitare voluisset. his autem ostensis breuiter, saneq. confutatis, quæ pro defensione flagitiorum suorum nostri aduersarij dicenda esse putauerunt, finem adesse vobis intelligetis. Bello Mithridatico, iudices, longissimo quidem omnium, & sine dubio pòst Punicum periculosissimo, cum diutiùs in senatu de eligendo imperatore dubitatum fuisset, planeque omneis ambigerent, quisnam sagacissimo regis sagacissi-

A mus noster imperator opponeretur, Catilinam inter omnes competitores, incredibili quadam ambitionis magnitudine deflagrantem, omnes senatoriæ sententiæ reiecerunt. eo telò percussus adeo Catilina [illegible] postea nullam omiserit neque perturbandæ curiæ, neque insectandi senatus occasionem. videbat namque detestandam cupiditatem suam, illo superstite, nunquam in eum locum peruenturam, de quo illam pridem vniuersæ omnium voces eiiciendam esse putauissent. volue-
B bat item animo summas vitæ necessitates, quibus exsuere se posse arbitrabatur, si qua ratione præclaris magistratibus aspirasset: [illegible] illas vero magis ac magis instauratas quotidie intelligebat: quandoquidem inspicerent omnes, vitæ suæ rationes ea sententia iugulatas prorsus extitisse, ac, quidquid increpuisset, vlterius metuendam esse consularem vigiliam, metuendum esse iudicium senatoriæ auctoritatis. hanc verò speciem, ira exsanguem, ita consternatam consuetudo erexit vi-
C tæ prauissime ad omne facinus, neque otij sui patiens, neque alieni. Qualis eius vita fuerit, etsi præclarè conscientiæ publica te[illegible] huic tamen illustrandæ [illegible] patefaci[illegible] teste, indubitati videri possint ij, qui [illegible] illud libidinum coercere atque obseruare consueuerunt, quæ nugæ, Dij immortales? quæ portenta scelerum? qui libidinum gurgites? quę sentinæ flagitiosorum? verum is rumor sparsus est de moribus Catilinæ: eaque gentium opinió peruagata, quatenus exist-
D iment voces ipsas publicas non hominum esse, sed oraculi potius nuncupandas: famam verò, popularem, à maioribus nostris sæpenumero accepimus, neq. temere vnquàm nascituram esse, neque temere occasuram. decus illud egregium corporis non ad dignitaté nominis, ac gloriæ, sicuti par erat homini nobilissima familia nato, sed, vti latro perditissimus, ad omne genus flagitij conferendum fuisse semper arbitratus est. vires ad stuporem hominum præclaræ, atque inusitatæ perpe-
E tua voluptatum intemperantia sunt labefactatæ, flos pueritiæ venustissimæ ad intuentium iucunditatem, cui nõ libidini patuit flagitiosæ iuuenntutis? aut quam turpitudinis notam non subeũdam vltro, atque accersendam esse cogitauit? lux illa verò præclari, atque excellentis ingenij quàm omnes diuinam semper, & singularem, atque inusitatam penitus esse arbitrabantur, nonne inter fœdissimas voluptatum sordes restincta est? omitto pestis huius impurissimas voces, mollitiem sce-
F nicam, obtutus impudicos, blanditias muliebres, & omnem denique copiam non mediocrium vitiorum sub illa frontis erudita simul, atq. insigni pulchritudine delitescentem. prætereo mentem illius plus quàm gladiatoriam, sitim incredibilem humani cruoris, mirum inconstantiæ genus: vultum nunc demissum, nunc alacrem, nunc anhelantem scelus, nunc gratia meretricia florescentem: summum pecuniæ desiderium, summam simul prodigalitatem; contemtum incredibilem
G omnium bonorum; itemque eximiam eum summis atque ornatissimis ciuibus familiaritatem: nihil enim fuit isto monstro versipellius, aut mutabilius hominum memoria, ita vt res diuersissimæ sæpenumero videantur in eodem ingenio, tanquam in sentina quadam teterrima, simul redundare. quis igitur dubitandum esse putauerit, hominem præditum huiusce institutione vitæ, remotissimum ab omni genere humanitatis, perfa-

cile sese teterrimo cuique atque immanissimo facinori fuisse accommodatum. Fontem aperuimus, iudices, omnium Catilinæ morum, [illegible] omnis consuetudinis, unde illi demum [illegible] ille vim istam præclaram consiliorum facultate intelligendum est: nunc videndum est, spem atrocissimi sceleris, unde illi subministratam fuisse iudicemus. Cum hic itaque secum repeteret memoria miserandam ignominiam comitiorum, turpesque angustias afflictæ rei familiaris, simulque intueretur, vel sibi vivendum, ac moriendum fore cum turpitudine summa, vel senatum nullum esse oportere; de ratione tollendi illius primum cogitare cœpit. nam illo delecto, sine dubio intelligebat, viam latissimam libidinibus suis continuo patere. vertit itaq. oculos ad innumerabilem copiam iuuentutis, qua dies ac noctes stipabatur in exercenda consuetudine suarum cupiditatum: eam putauit manum ipsam hominum, tanquam hastam validissimam furoris sui facillime sibi accommodari posse, quam contorqueret in omnium nostrum ruinam, atque interemtionem [illegible] cognouerat educatam vitæ prauissimis institutis, imbutam sæpenumero [illegible] sanguine [illegible] orum ciuium, ardentem incredibili desiderio prædæ, sibi verò mira familiaritate conciliatam [illegible] hominum vehementer [illegible] citatum [illegible] atque inopia, duabus rebus ad omne genus facinoris paratissimum: quod quidem ego ciuitati nostræ, maximè debilitatæ bellis ciuilibus, atq. afflictæ magnitudine calamitatum magnopere pertimescendum esse iudico. nihil enim illis præter spem atque animam fortuna [illegible] altera ad differendam vitæ necessitatem, alteram ad laborem suum magnificè accommodatam, nihil illis contemtibilius: quos si qui [illegible] rudimenta vitæ traducta, in hac tenerissima ætate posita, nunc in gladiatoriis muneribus, nunc alia facinori atrocitate partim ad omne scelus, partim ad omnem patientiam erudierunt. [illegible] mea. qui fuerint [illegible], coniugis extimescendas esse reor, tanquam perpetuæ seditionum ciuilium, ac rerum nouandarum auidissimas: siue quia voluptatem capiant ex mœrore sociæ calamitatis: siue quia ciuitatum versutiam, mutabilitatem rerum statum potiundi quodam modo arbitrantur. hi sunt quidem, quos in foro quotidie in oculis ciuium calamistratos, ac vestibus colluceutes passim obuolitare cernimus, fortunas omnium popularium atque otium ciuitatis luminibus consignantes: qui non modo attenti permanent ad opportunitatem cuiuspiam præsentis commodi, verum etiam gestiunt ad opinionem speratæ vtilitatis. Si feras quidem omnis generis quo magis attenuatæ fuerint penuria edendi, eo magis præcipites atq. effrenatas ruere in perniciem videmus: quid hanc desperatorum colluuiem ieiunam, sitientem facultatum nostrarum, quo impetu, quáve strage ruituram esse creditis, aut debacchaturam, si se carceribus emiserit? cùm illæ ratione careant, atque intelligentia, hi vero non absint penitus ab ipsa facultate intelligendi. GRAVISSIMI quidem sunt morsus irritatæ necessitatis. Dij immortales, quæ clades ab illa feritate hominum: quæ genera flagitiorum emanauissent, si nocturnus iste imperator quasi quasdam rapidissimas belluas in vrbis penates immittere potuisset? horret animus, iudices, ea cogitatione complecti, quæ miseri pertulissemus, si sopor

[illegible] consulares detinuisset [illegible] eadem est itaque flamma nobis scelerata, & [illegible] velata mentibus, ac sopita [illegible] leuissime data est [illegible] cum omnia comprehenderit, quod immortales Dij penitus auertant, nos frustra postmodum furibundam, atque exsultantem restinguere cupiamus. neque sectorem nauis audiendum prorsus existimo, in ipso mœrore calamitosæ tempestatis, quam illi fugere facillime licuisset, consurgente primo, sibique ac rebus suis naufragium minitantem, neque item gubernatorem vrbis in ipso excidio, & calamitate ciuitatis, quam impendentem prius ipse consilio [illegible], suaq. prudentia sustinere quodam modo, ac propulsare potuisset. SERÆ sunt hominum lamentationes, profusæque vituperandæ, quas [illegible] in iis lugendis cernimus, quæ vitio suo [illegible] contigerunt. Callicratidi Lacedæmoniorum ducissimo ornatissimam, cui præerat, classem [illegible] tus amisisset propter immoderatam gloriæ cupiditatem nihil ad eam restituendam nouissima constituta [illegible] agata est: quam ita seruare potuisset: si modo in statione continuisset. Terentio Varroni sempiternum dedecus, atque immortale monumentum erunt flagitiosæ temeritatis, deletæ ad Cannas temeritate sua pulcherrimæ Romanorum legiones: quæ seruatæ periculosissimo tempore reipub. sine dubio fuissent, & robur eximium pulcherrimæ vrbis & perpetuum decus consiliaris prudentiæ, disciplinæque militaris. rectè itaque maiores nostri summis laudibus efferendi sunt, qui Sp. Melium, qui Gracchos, qui Manlium Capitolinum, qui Drusum, qui Saturninum fortissimos homines, & reip. sæpenumero non mediocriter opitulatos, quod deuenissent in aliquam tyrannidis suspicionem, morte mulctandos esse putauerunt. nec Sp. Melio [illegible] amplissimus ciuitatis, nec Gracchis aui sui Scipionis clarissimi viri memoria, nec Manlio celeberrima gloria Capitolij liberati, nec Druso sanctissimi sui penates, nec Saturnino [illegible] sacrosanctæ dignitatis auxilio fuit. quid ita? quia necem paucorum, aut unius hominis, calamitati publicæ maiores nostri semper anteponendam esse putauerunt. quid? genus [illegible] eximium [illegible] sunt arbitrati. [illegible] perimere, summisque affligere supplicijs [illegible] in rempub. persæpe clarissima beneficia [illegible] exstitissent? minimè. quid ita? quia nullum [illegible] dignum supplicij genus in eos condemni posse opinabantur, qui patriæ suæ libertatem opprimere statuissent: nec illos ciues esse iudicauerunt, quos abiecisse rationem patriæ caritatis intuerentur. at contra, eos qui tales interemissent, non modo [illegible] quæ appellari ciues, vt essent, statuebant, sed afficiendos fore immortalibus donis, ac sempiternæ hominum memoriæ consecrandos. Quid enim potest indignius dici, quam vitam à patria susceptam ad illius perniciem, calamitatemq. conferre? quid fingi sceleratius, quàm eorum [illegible] ac [illegible] lissimam seruitutem excogitare, quos iisdem mœnibus, ac tectis constitutos eædem leges, atque eadem viuendi ratio continuisset? quid denique potest intolerabilius existimari, quàm inferre delubris deorum immortalium ac [illegible] bus nostris. illinc sceleratas faces [illegible] mas expilationes [illegible] qui [illegible] quà tentauerunt, nunquam [illegible] alteros ab hominibus, aut dissimiles ferarum belluarum [illegible]. Vidimus de spe perficiundi nefarij facinoris videndum

dendũ est de loco, quam latebram cõmodissimam & tutissimam egregius artifex delegit, cum contegendæ conspirationi suæ, tum armis omnibus eius artificij comprehendendis: ne forsan temere domum nobilissimi ciuis, atque opulentissimi M. Læcæ delectam esse iudicetis, primum homo delectus est huiusmodi nefariis cupiditatib. affinis, quo participe semper vsus fuerat consiliorũ suorũ, adiutore teterrimarum libidinum, socio maximorũ periculorũ: cui spectato frequẽter in difficillimis rebus summam huiusmodi atrocissimi mali tuto committi posse, facillime sibi pollicebatur: præterea domum sibi deligendam esse iudicabat, solitudine locorum desertam, & ab omni frequẽtia populi remotissimam, quæ scilicet voces coniurationis tutissime cõtinere posset. contulit igitur sese in ipsam M. Læcæ domum, remotam ab omni celebritate, constipatam multitudine arbuscularum, & ab omni suspicione prodendi facinoris non mediocriter abhorrentem. quos verò tetenderit ibi coniurationis laqueos, aut quas catenas scelerum conflarit in nobis, ac facultatibus nostris, Saturnaliũ dies patefactura fuerat, nisi primum benignitate Deorum immortalium, deinde vigilantia consulari, nefariæ sicæ de manibus latronum excidissent. nullas amplius tendiculas pertimescemus ab exectabili monstro, nullas insidias ab hoste teterrimo tenetur fera: nec, si viri estis, declinatura est telum ipsum sacrosanctæ vestræ auctoritatis. Neue Catilina nescias, vigilantissimos consules habere remp. te, quocunque veneris, quocunque abieris, diligentia nostra circumseptum teneri: quod hesterna nocte cõciunculis tuis agitatum sit, licet mecum recognoscas. Cum ad M. Læcam venisses: cum vno ex fidelissimis commilitonibus tuis ad multam noctem, teque in interiorem vnà cum illo cubiculi partem recepisses, tãquam in sacrarium memorabile cupiditatum vestrarum: repentè de Læca sciscitari cœpisti, num quis ex cõiuratis aduenisset: cum subitò Lentulus, ac Cethegus, teterrima capita maleficiorum omnium, furibundi, atque alacres irruperunt, moxque ingressi vociferare cœperunt: quid agis Catilina? cur voluptates nostras diutius remoraris? præsto sunt Saturnalia nobis otiosis, atque oscitantibus: quem vnum diem sæpenumero nuncupare solitus es euersorem superbissimi ordinis, fugatorem ærumnarum nostrarum, lucem ac principem vniuersæ nostræ dignitatis. num in gerendis negotiis ignoras sequendas esse temporum opportunitates? & in occasione rerum differendam, ac tarditatem omnem quam diligentissimè fugiendam? MVTABILISSIMAE quidem sunt Deorum volũtates: & fortunam, cum abire permiseris, frustra postmodum discedentem, ac fugientem sis imploraturus: talia verò conquerentem tu paucis pro te subsecutus, Aquilam argenteam prosequi continuo iussisti, præclaram auspicem, ac gubernatricem furoris tui futuram. testor noctem ipsam, impiarum molitionum tuarum consciam, ac testem, nihil ex iis me fugisse, quæ clãdestini vestri conatus agitauerunt. perpauca satis attigisse fuerit, ne solitudine in ipsa latibulorum tuorum. cum ora vulgi plane deuitauisses? fefellitne te crederes diligentiam pariter, atq. industriam consularem. Linquo telorum innumerabilem, atq. inexcogitatam copiam, quam in iisdem furialibus antris constipandam atque occultandam fore curauisti: mitto li-

A teras manu tua scriptas, diuersis municipiis reddendas. quo furori tuo succurrere, atque opitulari vellent: transeo rem illam simillimam, prodigio cum mane, isto iam coacto senatu, redundantibusque subselliis, serius in senatum præter consuetudinem venisses: quod nulli non oculi te senatorum statim consignarunt ingredientem, demisso vultu, pallore terribili, luminibus errantibus, ac facie præferente nescio quod inusitatæ crudelitatis: præterea Saturnalibus proximè futuris rem adoriri placuit, quo die ciuitas omnis ferdat publi-

B cò edicto conferre sese in montem Auentinum, ac rusticari quodammodo solita est: cùm tu manum furoris tui diligenter armatam, atq. instructã primum ad cædem senatus, ac consulum, deinde ad occupandam Capitolij arcem munitissimam fueras immissurus: atque his perfectis: daturus operam cùm direptioni publicæ, tum inflammandis ædibus, atq. his trucidandis, qui remp. defendere voluissent. Videtis, iudices, lucem clarissimã rationum, quam ego profecto censeo nullis inuo-

C lucris tenebrarum suarum obruturos esse, nec M. Læcam præclaram sedem, atque officinam teterrimæ coniurationis, nec ipsum detestabile caput, atque obscœnum artificem Catilinam. cumq. hęc omnia constent, animaduertendum est, pariter vno malefícij genere, Catilinam non modo Deos, ac patriam, verum etiam mores, leges, consuetudinem vrbis atq. instituta maiorum violasse. primum XII. tabulis cautum esse cognoscimus, Ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret: deinde le-

D ge Gabinia promulgatum, Qui coitiones vllas clandestinas in vrbe conflauisset, more maiorum, capitali supplicio multaretur. de te itaque Catilina sciscitor, cur cœtus istos commilitonum tuorum contra præcepta XII. tabul. contra leges nostras, contra verò senatus, ac plebis auctoritatem noctu cogendos esse putauisti? deinde quęro si quando in lucem sepulcrales istæ conciunculæ tuæ prodiissent, quid responsurus fuisses senatui? quid consulibus? aut quid viris optimis, atque a-

E mantissimis patriæ? quid leges, igitur nostras violas Catilina? quid senatus auctoritati cõtradicis? æquũ enim est instituta maiorũ atq. edicta grauissimi sanctique ordinis, quia perstringere vesania tua non es veritus, ea restituas, ac sarcias supplicij tui memorabili animaduersione. Manlius Torquatus filium suum summa & singulari virtute adolescentem, quòd is in hostem contra mandatum patrium dimicasset, victorem acriter percuti securi iussit: nos verò te tam temerario ausu ten-

F dentem contrà mandata senatus, contrà vniuersæ Romanæ reip. maiestatem Catilina perferemus? maiores olim nostri sapientissimi homines, & sine dubio grauissimi, num leges è Græcia per legatos suos accersendas esse putauerunt, quibus hanc imperij magnitudinem perpetuo stabilirét, vt tu homo recens, seueritate illarum cum barbatulis tuis abutereris? nõ ita visum Carthaginiensibus accepimus, in Hannone suo morti condemnando fortissimo, ac triumphali viro, quod is edi-

G cto senatus minus obtemperauisse putaretur. non ita placuit Atheniensibus, vrbi, sine dubio, doctissimæ, atque eruditissimæ, cùm è Sicilia, belloque grauissimo reuocandum esse Alcibiadem statuerunt, summũ & singularem imperatorem: quem iuberent expiare supplicio suo leges violatæ religionis, non ita deniquę à maioribus nostris iudicatum est, cohortibus exoletorum tuorũ senten-

tia me, longè anteponendis, cum L. Sulpitium, A
consulari familia, summoque ingenio virum pro-
pter exiguam notam libidinosæ suspicionis cen-
suerunt remouendum è senatu, multosque dies in
vinculis habendum esse putauerunt. vos verò iu-
dices, Catilinam non modo leges nostras, atque
authoritatem senatus crudeliter labefactantem,
verum etiam vniuersos ciues ad perniciem ferro,
flammaque deuocantem, impunè perferetis? Iacet
homo prostratus euentu maximarum molitio-
num: vt qui conatus suos conscientia vestra pate- B
factos atque illustratos cernat, neque contentos
fuisse, seu superstitione cruenti sacramenti, seu te-
nebris nocturnis, seu solitudine locorum maxi-
ma, & singulari. Contundite igitur, contundite,
iudices, genus istud inauditi furoris, comprimite
hominem gestientem effrenata temeritate, flagran-
tem inusitatis cupiditatibus, furentem incredibi-
li superbia, spe nouandarum rerum mirabiliter
inflammatum, quinetiam rem ipsam publicam nõ
modo euentu crudelissimæ calamitatis, verum e- C
tiam metu, ac suspicione liberate. Diximus qui-
dem sufficienter de senatoria simultate L. Catili-
næ, capite ac fonte sceleratæ coniurationis: resq.
omnes complexi sumus, quas aluisse furorem il-
lum, ac primum excitauisse iudicauimus: nunc
videndum est de ratione ambitionis teterrima, at-
que exitiabili, qua deflagrauisse perpetuo Catili-
nam superiori diuisione demonstrauimus. Cupi-
ditates equidem plurimas in illo monstro calami-
tosas, ac nefarias omnes persæpe, iudices, animad- D
uerti, libidinem vnam perniciosissimam in primis
conspicere visus sum temerariæ cuiusdam atque
inconsideratæ ambitionis: qua duce propterea se,
nec vllo studiorum vnquam consciscendarum o-
pum, nec vllo desiderio dignitatum abstinuisse re-
putatus est: putabat enim se frustra nobilissimo
genere natum, frustra virtutes eximias corporis,
atque animi consecutum fuisse, ni omnia diuina,
atque humana truculentissimo genere cupidita-
tis inquinauisset, quosque cerneret excellere Ro- E
mæ præstantia quadam dignitatis, beatissimos eos
esse, & sine dubio diis æquiparandos fore arbitra-
batur. id genus vesanæ cogitationis hominem
suapte natura præcipitem atque inconsideratum
compulit in abominandas, ac nefarias vitæ cupi-
ditates, isque nuper comitiis consularibus, quan-
doquidem suffragia curiæ propter impendentem
metum Parthici belli, diligenter enucleata sunt,
quas non adiit senatorum voces? aut quos ci-
uium consessus, partim pecunia, partim obserua- F
tionibus non obeundos suppliciter, ac contami-
nandos esse iudicauit? nulli tamen ad dignitatem
gradus, neque insanienti, neque anhelanti bono
candidato patuerunt. Eadem ratio sceleratæ libi-
dinis illum ad maiorem vim scelerum paullo an-
te concitauerat. Pisonem meministis egregia
virtute adolescentem, nisi & idem cupiditatibus
obtemperare consueuisset, calamitosam sibi, ac
multis in vrbe seditionem excitauisse: cuius insi-
gni familiaritate, atque amicitia Catilinam vsum G
fuisse, nemo est qui nesciat: nec modo coniunxisse
se temerario iuueni, verum etiam illum de suc-
cessu rerum suarum nõ mediocriter trepidantem,
in audacia simul, ac sententia confirmasse, cum se
illi vigilantissimum socium, ac satellitem fidelis-
simum regendæ, gubernandæque coniurationis
fore polliceretur. quod si votis sceleratorum hó-
minum successus aspirassent, quãta strage ciuium

A creditis, aut quanto diluuio facultatum vrbana-
rum ruituram fuisse detestabilem horum, atque
exsecrandam impietatem? verum ij cælites, quo-
rum auspiciis princeps, ac parens huius vrbis Ro-
mulus pulcherrimi imper. Rom. fundamenta ie-
cit, tristissimam cladem, ac conatus perditos nece
adolescentis interceperunt. Pisone mortuo con-
quieuisse Catilinam dicemus, aut incepti temera-
rij pœnituisse? non modo non pœnituit, nec re-
quiescendum fuisse arbitratus est, sed rursus alio
B furori accessit. nõ consueuerat animus perpetuis
cupiditatum flagitiis exercitatus prima destitu-
tione fortunæ refrigescere, ac consternari: sed vix
sepulta memoria Pisonianæ coniurationis, L. Sidi-
cinum adeptus est potentissimum quidem homi-
nem, ac tunc furentem singulari studio rerum no-
uandarum, verum ea fax incendij rursum benigni-
tate Deorum immortalium, summaq. virtute con-
sulum restincta est, non obdormiscit tamen Ca-
tilina, his destitutus euentis vigiliarum suarum,
C sed rursus sæuit immanior, & quam rempub. ser-
uitio non potuerat obruere, destrangulandam pe-
nitus ac tollendam cogitauit: sceleratus in omnem
vrbem, quam toties insidiis appetiuisset, scelera-
tissimus verò in patriam, cuius extant in illum
summa, & commemoranda monumenta benefi-
ciorum, reminiscere, quæso, Catilina: reminisce-
re ferrum illud scelestum, atque illas nefarias fa-
ces, quas istis sanctissimis penatibus atq. isti pul-
cherrimæ patriæ minitaris. non ad oppugnandam
D vrbem, neque ad eam concremandam tibi datas
fuisse, sed potius ad salutem ciuium, dignitatem
imperij libertatisque nostræ defensionem. Per
deos immortales oro te, Catilina, si patria tecum
his vocibus vteretur, quid esses illi quæso respon-
surus? Ego te paruulum Catilina cum in primis
ornatissimo genere gentis nasci voluissem, deinde
summis dotibus exornassem, tum corporis tum a-
nimi, cum duabus rebus instituendum putaui,
ferro, ac flamma: quibus esset parata tibi facultas
E tum amplificandi imperij mei, tum defendendæ
publicæ libertatis. quid eam vim armorum in vi-
scera nostra torques? aut quid conuertis in exi-
tium ciuium meorum institutam diligentia mea,
meisque rationibus eruditam dimicandi faculta-
tem? maiores contra tui summis à me beneficiis
atq. honoribus aucti, pro magnitudine suscepta-
rum dignitatũ pulcherrimas in vrbe sæpenume-
ro leges, pro præstantia beneficiorum clarissimas
ex hostibus victorias referre consueuerunt: tu mi-
F hi luctus acerbissimos paras pro summa copia be-
neficiorum meorum, tu cædes ciuium, tu domo-
rum incendia, tu vexationes virginum, tu vastita-
tem vrbis, tu genus atrocissimæ seruitutis. O cru-
delissimum hominum genus, & ab omni penitus
humanitate derelictum! tu studio flagras eius vr-
bis euertundæ, quam nec Carthaginiensium astu-
tissimi doli, nec Numantinorum eximiæ vires, nec
Græcorum erudita, & præclara ingenia labefacta-
re, obscurareque potuerunt? quod si citentur hi
G populi rursum diuinitus, atque istæ vrbes redeant
in statum vetustissimæ dignitatis: certè non ipso
scelere tuo quidquam in me crudelius, nec quid-
quam magis extimescendum molituras fuisse
prædicabunt. sed ad te redeo. Temperatem ego
memet mihi: cursumque istum violentiæ oratio-
nis forsitan reuocandum esse iudicarem tum ab
odio tuo, tum ab ipsa dicendi acerbitate, si quem
in te sensum patriæ caritatis aspicerem, aut vllo te
pacto

pacto poſſe arbitraret ſceleratam iſtam mentem relinquere. Sed id genus eſt cupiditatum tuarum vt reſtinguendarum forſan rationem aliquã conſequi poſſis, ſanandarum nullam. Nec te prius amiſſurum peruerſitatem iſtam animi puto, quàm vitam amiſeris. Vellem reuiuiſceres Ahala Seruili: non exſpectaremus ſententiam iudicum: neq. abuteremur maieſtate Senatus, atque auctoritate populi Romani, ſed magnitudinem tanti flagitij ſanguine tuo ſtatim expiauiſſes. Nam de Senatus voluntate nihil ambigimus. Modò nõ impediretur legibus, repente profecto lueras pœnas impietatis tuæ digniſſimos latutus. Vtinam Deorũ immortalium munere, iudices, mẽtem atq. animum huius introſpiceremus: nẽ qua vobis fieret puniẽdi dubitatio, qui tantũm ſcelerũm ingenio cõflauiſſet. Videretis enim mentẽ anhelantem triſtiſſimum genus minarum, mentem debacchantem inaudita feritate, furentẽ incredibili veſania, ſitientem cruoris vrbani, prædæ auidiſſimam, vobis atque omnibus ferro flammaque minitantem. Catilinam vobis demonſtrauimus, iudices, irritatum perſæpe repulſis comitialibus, nullas vocum, aut ſuffragiorum corruptelas fuiſſe prætergreſſum: deinde nullis rationibus infractum ac perterritum de perſeuerantia ſcelerum ſuorum deſtitiſſe, quibus animaduertere ſane poteſtis, quanta ſemper immanitate laborauerit ambitionis. Supereſt nouiſſima pars diuiſionis, grex ipſe ſodalium Catilinæ truculentus, atq. amens: cuius in manu non exiguam rationem fuiſſe diximus excitandæ cõiurationis Lentulus ſiquidem, & Cethegus, terribilia portenta noſtræ ciuitatis, furiæq. vel certiſſimæ populi Romani, multa de magnitudine ſua in ipſis concionibus, multa de dignitate imperij ſui futuri palã prædicare conſueuerũt, tamquam ſi Deorum immortalium concilio interfuiſſent. Primum Lentulus in libris Sibyllinis neſcio quid perſpexiſſe ſe prędicabat, quod viri acutiſſimi, atq. peritiſſimi Lucius Cornelius, ac Cnæus Piſo, cuſtodes publicarum ceremoniarum, nequaquam proſpicere potuerunt. Lucem namque a t, neſcio quam, de domo Cornelia quondam prodituram fore, quæ gloria nominis ſui Romanũm imperiũ ſimul & complexura ſit, & illuſtraturã: eoque genere vaticinij dignitatem ſuam portendi fataliter putauit: planeq. opinatur fati ſui rationem in ipſa latebra Sibyllinæ diuinationis, tamquam in equo Troiano, delitefcere. Ego vero Sibyllam ſine dubio ſapientiſſimã mulierem fuiſſe iudico, viſamque idoneam Diis immortalibus, cui ſingularem quamdam vim diuinandi concederent: verum illam deliram penitus, ac prorſus cæcam fuiſſe affirmarem, ſi quam ſpem dignitatis in hac crudeliſſima peſte repoſuiſſet. ſi quid tamen ceciniſſe viſa eſt quod ad Corneliam gentem pertinere videretur, vim omnẽ illius diuinationis in vno Lucio Sulla conſumptam fuiſſe iudicemus, cuius paulo ante Reſpub. ſenſit & crudeliſſimam ſimul, & ampliſſimam poteſtatem. Nec ego Deós immortales huic imperio tam infeſtos eſſe reor, neq. à ſalute populi Romani tam abhorrentes, vt homini dementiſſimo regnum concederent huius ſanctiſſimæ atq. optumæ ciuitatis. Sullam profecto crudelitas vicit: at ipſe maximarũ laudem virtutum & rei militaris ſummam, ac ſingularem gloriam conſecutus eſt. Lentulum vero nullæ victoriæ noſtræ ciuitati, nullũ ſtudium armorum, nulla præſtantia virtutis, aut ingenij commendauit: quæ vero non tabernæ potius, aut qui non greges infamium hominum Sibyllinum iſtum principẽ concelebrarunt? Nam vitam eius commemorare non eſt neceſſe, verſatam ſemper in obeundis libidinibus, ac ſocietate turpiſſimorum hominum nobilitatam. Nihil in eo ſanguinis auiti, nihil induſtriæ Romanæ, nihil ſplendoris domeſtici, nihil auitæ frugalitatis. Fingite vobis iudices, fingite dignitatem huius hominis tum florentẽ ampliſſimo magiſtratu, tum omnibus populi Romani munerib. exornatam: quantum, quæſo, ſanguinis ciuilis in foro, in curia redundaturũ eſſe creditis? aut quantam vim libidinis, atq. impudicitiæ per omnium ciuium cubicula demanaturam? Profecto dignitate fretus eã, quę priuatus concupiuiſſet, ſine dubio conſequeretur: ferret ur amens in omnia: nec vllæ rationes conſiliorum, aut pudoris, nec vllæ ſtudia humanitatis refrenarent præcipitem, atque incitatum curſum vetuſtæ crudelitatis. Cethegus, inferior nobilitate, atque ingenio, vehementia furoris longe immanior, parum à Lentuli ſomnio diſcedere viſus eſt: verum inſaniam leuiſſimæ opinionis modeſtiore loquendi ratione contegere velle videtur. genus eſt idem tamen furoris, eademq. ratio concelebratæ diuinationis. tales hi ſcelerum artifices, amboque concitati ad euertendam Rempublicam partim à veſana ſpe vaticinij commemorati, partim à nefaria ſcelerum aſsiduitate, Catilinam offenderũt nouis rebus ſtudentem: cuius præſidio, conſilioque cupiditates ſuas ita iuuari poſſe faciliime crediderunt, ſi viro ſociorũ copioſiſsimo ſeſe coniunxiſſent. Eſt enim in illo mõſtro, ſicuti paulo ante tetigimus, vis eximia facetiarum, & ratio quædam adumbrata virtutum, facilis ad cõprehendendũ omnium hominũ familiaritatẽ. Hunc igitur Catilinam adepti Cethegus, ac Lentulus, & ipſi leoniciniis ſuis inſignes, ad omne genus beneuolentiæ ſubeundum deflagrare cœperunt admirabili quadam cupiditate ſeu diripiundæ vrbis, ſeu potiundæ dominationis. Hæ ſunt iudices huius nefarii facinoris abominandæ faces: hi ſunt crudeles igniculi, quibus exarſiſſe Catilinę ferocem animum faciliime credendum eſt. Talibus initiis cõſociati principes nefandę coniurationis, manum exiguam deſperatorum hominum, atq. obſcenæ iuuentutis p decentim coegerunt: coactam, quid vellent, edocuerunt: edoctam, pari cupiditate ſceleris inflammauerunt? Inflammatam denique pepulerunt, vt in omnium noſtrũm facultates, ac vitam faciliime conſpirarent. Furias iſtas audiſtis iudices, cõmodiſsimas, ac paratas nonmodo ad viuos commouendos in omne facinus, verumetiam ad mortuos ex ipſo Erebo, mediiſque buſtis excitandos, reperti ſunt tamen atrociſsimi ſceleris patroni, quique immanitatem deteſtandæ rei tum contegere verbis, tum excuſare conati ſunt. Lucius Hortenſius, vir eximia caritate Reipublicæ ſummiſque ornamentis præditus, & ſcientiæ, & moderationis, nequaquam omnia credenda eſſe dicit: iubetq. grauiſsimis hominibus facilitatem iudiciorum diligenter eſſe cõtinendam. Primum aſſirmat Catilinam in perpetua cuſtodia Senatus extitiſſe: deniq. nunquam ferme diſceſsiſſe à latere Publij Cępionis nobiliſsimi ciuis, atque integerrimi viri: ita vt lepide dicar, diſſeparationi eorum neq. Solem orientem vnquam, neque occidentem interueniſſe. Credo equidem ſapientiſsimum hominem Hortenſium, (vt eſt innocentia ſingulari ſummaq. vir-

tute cuncta ipſa, quæ grauiſſime ſimul, atque ornatiſſime complexus eſt, ita vera eſſe, ſicuti dixerit, exiſtumare. Sed longe graditur à ſentẽtia mea. Quæro igitur de te Luci Hortenſi, teque obteſtor, atque obſecro per ipſum ius vetuſtiſſimæ noſtræ familiaritatis: ſi Lucium Catilinam conſtat dies omnis, omnium ciuium conſcientia, ſiue in foro, ſiue in turmis agere, nunc ſtipatum cateruis exoletorum ſuorum, nunc vero gladiatoriis agminibus per ora vulgi palam obuolitare: ſi manifeſtũ eſt noctes omnes aut in luſtris ſcortorum, aut in antris Mutci Lææ ducere viri tuo iudicio, non abhorrẽtis à Reipublicæ caritate, quid eſt, quod illum obſeruatũ dicas in perpetua cuſtodia, atq. oculis Senatorum? Niſi forte cuſtodiam Senatoriam vocas, vel exiguam moram ipſius curiæ conſiliis obeundis. Quod vero pertinet ad ipſius Cæpionis familiaritatem aſſiduam, beneuolentiamque ſingularem: nihil eſt quod inſimulationi noſtræ derogandum eſſe iudicetis. Diximus enim ſuperius, ingenij Catilinæ miros, atque occultiſſimos eſſe receſſus, nec qui cognoſci, ſeu perluſtrari facillime poſſent. vigent enim in illa clade res diuerſiſſimæ pariter, continentia & libido. nihil illo perſæpe aſſiduius ad colenda bonorum conſortia, nihil ſolertius ad illis inſidiandum: nihil illius munificentia inſignius, nihil auidius rapacitate, nihil acutius conſilio, nihil temeritate contemptibilius. Quæ cum ita ſint, Cæpionẽ admirabimur in tantis vitiorum ambagibus errauiſſe? Me, ne, inquam, fateor, iudices, vetuſtiſſima quadam familiaritate Catilinæ coniũctum, perſæpe deliraſſe, miris perplexionibus illius, neque vnquam certi, quidquam in illo ingenio comprehendere potuiſſe. nihil igitur erit miri, ſi virum integerrimum Cæpionem verſutiſſimi hominis doli, atque inconſtantiſſimi mores fefellerunt. non erit itaque, neque prudentiæ tuæ, neque grauitatis Hortenſi, candidiſſimam opem humanitatis tuæ, ſummamque dicendi copiam fontibus ipſis pollicerí, aut quam beſtiam perpetuam iudicio tenemus, diſſolutam, atque exultantem Reipublicæ immittere. quod te nunquam commiſſurum fuiſſe arbitrater, niſi, qui me mores, iidem te Catilinæ ſine dubio fefellerunt. Satis oſtentatas vobis putamus iudices tum rationes periculi noſtri, tum huius immaniſſimi ſceleris atrocitatem. Nam ſi odio Senatus maxumo Catilinam aſſiſſe demonſtrauimus: ſi rationes vitæ ſuæ veteres, ac nouas in exercitatione teterrimarum libidinum collocatas: ſi ſpem perficiendi ſceleris homini proſequentiſſimo inimicitiarum: ſi denique locorum, ac temporis opportunitates extitiſſe: præterea ſi rabiem quamdam ambitionis in illo fuiſſe diximus: ſi nullam poteſtatem refrænendarum libidinum, aut vllam pœnitentiæ locum: poſtremo ſi copiam innumerabilem deſperatæ iuuentutis cum illo coniunctam fuiſſe patefecimus: & eam ſimul oſtendimus ſuopte ingenio, furentem, incredibili audacia, ſummaque cupiditate prodendæ, ac vexandæ vrbis inflammatam: quid erit iudices, quod dubitetis de liberanda patria, deque vlciſcenda crudeliſſimi ſceleris immanitate? Nouum enim facinus inauditum omnium hominum memoria, facinus atrox, ſuperbum, nefarium, perniciοſum, remotiſsimum ab omni humanitate, lege, cõſuetudine: cuius acerbitatem ſi minus animo bene perſpexiſtis, quæſo, mecum diligenter attendite. Scelus illud, iudices, euerſionem nefariam moliebatur ampliſſimæ noſtræ dignitatis, interitũ crudeliſſimum Senatorij ordinis, cædem communem omnium bonorum. huius ſceleris libido repoſita erat in diripiundis omnium ciuium facultatibus, atque opprimenda vrbis libertate, huic ſceleri parabantur teterrimæ coniugum, ac liberorum noſtrorum vexationes: in hoc ſcelere verſabantur denique faces inferendæ penatibus noſtris, expilationes ædium, ſtupra virginum Veſtalium, luctus, ac mæror miſerabilis vniuerſæ ciuitatis. quæ ſi vobis, vt ſunt, indigna, atque intolerabilia videntur: nõ iniquum erit auctores horum malorum mulctare teterrimis ſuppliciis, cladẽmq. omniũ crudeliſſimã è viſceribus Reipublicæ propulſare. Tenetis exempla maiorum, atque omnium gentiũ auctoritatem, qui ſemper SVMMAS, ac ſingularis pœnas in eo genere hominum conſumendas eſſe putauerunt, qui rationes habuiſſent aut prodendæ patriæ aut opprimendæ publicæ libertatis. nihil erit impedimẽto, quin audaciam crudeliſſimi hominis Catilinæ crudeliſsimo genere ſuppliciorum expietis: vt vltionem ex illorum cruciatibus, ac pœnis capiat Reſpublica, quorum erat conflagratura manibus, niſi ſanctiſsimi imperij Roman. cuſtodes, ac vindices Dij immortales nefariis votis obſtitiſſent. Credite iudices, hodierno die conſurrexiſſe vniuerſam vrbem, conſpecturam ex iudicio veſtro, planeque animaduerſuram, quid in poſterum de ſalute ſua, deque facultatibus ſuis ſperãdum ſit: credite item, vim vniuerſam flagitioſæ iuuentutis aut hodierno Catilinæ ſupplicio ſimul conficiendam fore, aut illius liberatione lætam, atque exultantem, non multo poſt in omnium noſtrum perniciem vna cum illo celerrime conſurrecturam. agitur ſiquidem hodierna veſtra ſententia de ſalute huius, pulcherrimæ atq. optimæ ciuitatis, de ſtabilitate imperij Romani, de legum incolumitate, de libertate ciuium, de pudicitia liberorum, ac coniugum veſtrarũ. Huius enim peſtis idem ſcelus erat, vt non graſſaturum per capita paucorũ. ſed, tamquam atrociſsima vis veneni, per omne corpus vrbis demanaturum: quod ſcelus aut quam peſtem, ſi vindicandum eſſe cenſebitis, vt reor, & Reſpubl. deſiderat: putate profectò Deos immortales, & in primis Capitolinum Iouem, ſempiternum cuſtodem, ac vindicẽ huius imperij, pro liberatis eorum templis, ac ceremoniis gratias vobis ampliſsimas eſſe redditurοs: putate pariter idem facturam eſſe curiam pro defenſa Conſulum vita, ſeruataque Senatorij ordinis dignitate: putate matronas vrbis, ac liberos noſtros, ob ſeruatam pudicitiam, ſupplices, ac congratulantes vniuerſos ad genua veſtra ſeſe obſeruaturos fore: putate virgines Veſtales, atque ipſam maieſtatem ampliſsimi numinis, ob liberationem ſuã, ſumma vobis lætitia cõgratulaturam: putate denique ciues omnes, ob retentam vitam, ac libertatem ſuam, penates publicos, pro conſeruatis focis, atque aris, parietes vrbis pro teterrimo genere vaſtitatis propulſato, ferme incredibili gaudio exultaturos: putate tandem hodierno iudicio paratum eſſe vobis aut immortale dedecus, aut memoriam nominis ſempiternam. Multa ſunt equidem in hac ciuitate, quæ turpiter, ac calamitoſe neglecta, reſtitutionem tamen quamdam quodammodo patiantur: huius vero vindicandi ſceleris, ſi præſentem facultatẽ neglexeritis, fruſtra poſtea recuperandæ copiam quæretis. Aut hodie vobis propulſanda eſt è viſceribus reipublicæ peſtifera vis calami-

lamitatis: aut ipsi patriæ sine dubio cōcidendum. A vtrum eligendum sit, vos videritis. quid? Estis iudices humanitate tanta, ne socordia dicam, vt eorum vitam, ac spiritum diutius in Republ. commorari patiamini, qui vitæ, salutique ciuium crudeliter insidiati sunt? Proponite vobis ante oculos, ac meditatione crebra reuoluite diem illum nefarium, quo salus omnium ciuium, quo facultates nostræ, quo res ipsa publica peritura fuerat: quando scil. aspeximus bestias istas emissas carceribus per orbem omnem, per domos nostras furialiter exultantes, ipsumq. in primis miserandi facinoris ducem, ac principem Catilinam, confirmatum hoc iudicio, spe plenum, lætitia gestientem, nunc hos ad cedem nostram, nunc illos ad rapinam, atque inflammationem ædium deuocantem: coniuges è complexibus nostris ad libidinē victorum raptæ fuissent: liberi ad stupra de gremiis parentum extorti, pretiosa supellex asportata: tecta conflagrassent ignibus: corpora cæsa passim iacuissent: omnia denique gemitu, fletuq. redundassent. Hæc fuisset imago miserrimæ vrbis, quam vrbem à maioribus nostris florentissimam accepimus, &, si prohibueritis, claram atque excellentem posteris nostris tradituri sumus. Per humanitatem denique vestram vos obtestor atq. obsecro iudices, per amorem huius pulcherrimæ, atq. inuictissimæ vrbis, per omnia, quæ vobis iucundissima sunt in vita, prouidere iterum atque iterum, ne liberati quondam tot amplissimis bellorum periculis, tot imminentibus malis erepti, B hûc per ignauiam vestram, ac desidiam periclitemur. Eripite vitam ciuium à miseranda crudelitate: prohibete penates vestros à nefariis ignibus: seruate pudicitiam necessitudinum vestrarum à teterrimis vexationibus: liberate templa Deorum à tristibus rapinis: subtrahite fortunas publicas ab indigna direptione: protegite magistratus vestros ab inaudita feritate: defendite denique vniuersam vrbem ab hoc inusitato prorsus & tristissimo genere calamitatis.

Tom. 1.

FINIS.